A
7.407

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 15
Tabla
Número 243

7. a. 6.

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: A
Estante: 7
Numero: 407

Nº 7-5

1

14-273

clarissima

Architypogra-

1669.

ancipro Lusitania, & Castella.

axado a 1300. reis.

clarissima

Architypogra-

1609.

pro Lusitania, & Castella.

taxado a 1300. reis.

Collegio della Comp.ª de Jesus de Granada.

R-5055

DISPVTATIONES

DE ANIMAE, ET CORPORIS BEATITVDINE,

AD PRIORES QVINQVE QVÆSTIONES primæ secundæ D. Thomæ, & ad quæstionem 12. primæ partis in tres Tomos distributæ.

IN QVORVM PRIMO, ET SECVNDO agitur de Beatitudine Animæ; in tertio autem de Beatitudine Corporis.

AVTHORE FRATRE ÆGIDIO de Præsentatione Lusitano Diocœsis Egitanensis Ordinis Eremitarum S. Augustini Doctore Theologo, & in celebri Conimbricensi Academia in Sacra Theologia Vesperario Professore, emerito, siue Iubilato, vt appellant.

AD ILLVSTRISSIMOS OCCIDENTIS, ET ORIENTIS Hispaniarũ, sc. & Indiarũ Primates DD. Fr. Augustinũ de IESV, & [illegible]. Alexiũ de Menezes eiusdẽ Ordinis Eremitarũ duo lumina præclarissima.

TOMVS PRIMVS.

CONIMBRICÆ,

Cum facultate Inquisitorum, & Ordinarij.

Ex Officina Didaci Gomez Loureyro Academiæ Architypographi. Anno Domini 1609.

Cum priuilegio Regis Catholici pro Lusitania, & Castella.

Taxado a 1300. reis.

Biblioteca Universitaria

1957436

ILLVSTRISSIMIS, AC REVERENDISSIMIS

DOMINIS DOMINO FRATRI AVguſtino de Ieſu, & Domino Fratri Alexio de Menezes, Occidentis, & Orientis Primatibus. D. Frater Ægidius de Præſentatione S.P.D.



VPEREM equidèm, Præſules Illuſtriſimi, & Reuerendiſsimi, lucubrationes noſtras, ac diuturnos labores, vt hactenus, ſic deinceps ſub modio deliteſcere, niſi eis noua occidentis, atque orientis ſolis luce affulgente multis iniquum planè videretur, ac inuidum ea in occulto retinere; quæ forſan ſapientiſsimorum calculo approbata, tutiſsimo Illuſtriſsimorum Præſulum præſidio magis illuſtrata collucerent vndique, & aliquid emolumenti, tum ſcholæ noſtræ Conimbricenſi, quàm eximiè colo; tum vel maximè Chriſtianæ religioni, quam veneror vnicè, & amplector, pro noſtris viribus afferrent. Statutũ igitur iam apud me eſt hanc primam partem Commentariorum, quos in primam ſecundæ Diui Thomæ edidimus, in quibus de Beatitudine diſputamus, prælo ſimul, ac prælijs ſcholaſticis committere. Quo duce in certamen prodirent? anceps fui. Duo occurrunt pariter Eremiticæ familię noſtrę Auguſtinianę ornamẽta auguſtiſsima: duo antiſtites clariſsimi; duo Orbis lumina fulgentiſsima: duo non vrbis vnius, ſed totius orbis primates Illuſtriſsimi: quos duos dixerim Orbis ſoles; occidentis vnum, alterum orientis præſidem. Illud in lite eſt, an fætus iſte exiguus in lucem cum occidente emergeret; an cum oriente ſole oriretur. Deuenit ad Illuſtriſsimos dominos differendi ratio: noſtros iam fines prætergreſſa eſt dicaturæ noſtræ contentio. Certatur inter ipſos: non quiſque ſibi librum arrogat: non quiſque ſibi dicendum præcipit, ſed alteri. Dum igitur res ſit inter dominationes ve-

ſtras illuſtriſsimas agitatur; vidi in ſymbolum concordiæ caduceum geminis ligatum anguibus oppoſita vice complicatis, auerſis caudis, vultibus tamen pacis oſculo deſuper connexis. Non aliter mihi compoſuit diſcordia litem, ſi dum vterque primas non de primatu, ſed de amore certat, vtrique tenues noſtræ mentis partus, non tamen ingrati, ſed gratiſsimi animi fructus enutriendos apponam: ſic enim orientis, atque occidentis ſolis ortu, & occaſu recreati non in flore decident, nec in ipſa iuuenta marceſcent; ſed ad maturam vſque meſſem magis, ac magis in dies accreſcentes deuenient. Neq; hoc ſorte, ſed diuino cœleſtis luminis afflatu actũ credo: iam enim idem ſol, qui nobis adhùc ab oriente affulſit, idem apud nos nouo ortu in occidente illuceſcet: ſicque duplex orbis primatia in vnico orbis ſole pacis quoque oſculo ad inſtar geminæ anguillæ connectetur. Quod Deus præſtet, & vtrunque lætè, ac feliciter in patrocinium meum, ac meorum operum ſingulare: in noſtra Religionis tutelam, atque ornamentum eximium: in emolumentum, ac totius Orbis decus maximum ſeruet, & augeat.

CANDI-

CANDIDO LECTORI.

PAVCIS candide lector instituti nostri rationem percipe. Commentarios hos in primam secundæ Diui Thomæ eo animo expolire aggressi sumus, vt quæ ad Beatitudinem spectabant volumen vnum non excederent: potius tamen tibi consulendũ, quam captis standum visum deinde est; sicque ne nimium accresceret tomus iste, in duos partitus est. Beatitudo igitur quæ est veræ gloriæ, ac iustitiæ corona, quam reddet nobis Dominus in illa die iustus iudex, & omnibus qui diligunt aduentum eius, ea conditione promissa est, vt pugnantibus sit brauium, & vincentibus corona: vincentibus enim datur edere de ligno vitæ, manna absconditum, & nomen nouum: Vincit autem animâ non separata, sed in corpore. Vnde vtriusque vna cum sit victoria, cumque coronari debeat, qui legitimè certauerit, vna adæquata beatitudo ex animæ, & corporis beatitudine coalescet. De priori ad primas tres quæstiones Diui Thomæ hoc opere disputabimus: de posteriori sequenti tomo, quẽ curabimus quamcitissimè expedire. Interim hæc lege, & lectita: siquid laudis appareat Dei sit: nostrum erit quod adhuc correctione indigeat. Vale.

Conimbricæ.

INDEX
QVÆSTIONVM
TOTIVS HVIVS
PRIMI TOMI.

¶ LIBER PRIMVS.
De vltimo fine in communi. pag. 1.
QVÆSTIO I. 2.
Art. vnic. Quæ sit formalis ratio finis? pag. 2.
QVÆSTIO II. 4.
Articulus 1 Vtrum admittenda sit diuisio finis in finem cuius, & finem cui? pag. 4.
2 An ratio finis propriè conueniat tam fini cuius, quàm cui? 5.
3 Vtrum finis cui habeat veram rationem finis respectu finis cuius; an verò solùm respectu mediorum? 10.
4 Quis istorum finium sit principalior, finis cui, an finis cuius? 15.
QVÆSTIO III. 16.
Art. vnic. An admittenda sit diuisio finis in proximum, & vltimum? 16.
QVÆSTIO IIII. 23.
Articulus 1 Vtrùm finis vnus sit naturalis, & alter supernaturalis? operatio, & res operata? 23.
2 An detur finis, vt res, & vt adeptio rei: finis qui, & quo: finis obiectiuus, & formalis? 24
3 Vtrum detur finis per operationem factus, & finis per operationem non factus, sed acquisitus? 28.
4 An finis alter sit generationis; alter rei genitæ? 30.
5 Vtrum detur finis operis, & finis operantis? 31.
6 Vtrum detur finis principalis, & secundarius? 31.
QVÆSTIO V. 34.
Articulus 1 An finis, & bonum sint idem formaliter? 34
2 An finis cum bono reciprocetur? 35.
3 Vtrum finis sit obiectum voluntatis? 37.
4 Vtrum finis sit obiectum adæquatum voluntatis? 39.
5 An media ad finem sint obiecta voluntatis solùm materialia? 42.
QVÆSTIO VI. 50.
Articulus 1 An finis verè, & propriè sit causa? ibid.
2 Quænam sit proxima ratio constituens finem in actu primo causæ finalis? 57.
3 Vtrum finis debeat esse cognitus, vt possit causare? 66.
4 Vtrum finis moueat, & finalizet secundum suum esse reale; an secundum suum esse cognitum? 78.
5 In quonam posita sit causalitas causæ finalis? 92.
6 Quænam sit causalitas finalis, explicata in præcedente art? 103.
7 An causa finalis vnam tantùm habeat causalitatem? 112.
8 De ratione causandi: & causalitate finis cui. 118.
QVAESTIO VII.
De effectis causæ finalis. 118.
1 Quotnam sint opiniones in hac quæstione? Articulus 119.
2 Quomodò in explicanda hac quæstione procedendum sit? 120.
QVAESTIO VIII. 121.
De ijs, quæ ad ordinem executionis pertinent. ibidem.
1 Vtrum bonitas, & appetibilitas mediorum, Articulus sit effectus causæ finalis? 121.
2 Vtrũ imperiũ sit effectus causæ finalis? 122.
3 An vsus, quo voluntas applicat potentias, sit effectus cauſæ finalis? 125.
4 Vtrum actiones externæ, quæ in ordine executionis à voluntate imperantur, sint effecta finis, & quomodò? 125.
5 Vtrum effecta actionum externarum sint effecta finalis causæ? 128.
6 Vtrum assecutio finis sit effectus causæ finalis? 130.
7 Vtrum amor, & delectatio de fine adepto, sit effectus finis? 134.
QVAESTIO IX. 137.
De actionibus, quæ pertinent ad ordinem intentionis. ibidem.
1 Vtrum finalis causalitas reperiatur in ordi- Articulus ne intentionis? ibidem.
2 Vtrum causalitas finalis in solas eas actiones ordinis intentionis exerceatur, quæ circa media explicatè consistunt? 138.
3 An intẽtio finis sit effectº causæ finalis? 139.
4 Vtrùm simplex desiderium finis inter effecta causæ finalis enumerari debeat? 140.

5 Vtrum

5 Vtrum simplex amor finis, quo voluntas in fine complacet, sit effectus finis? 141.

QVAESTIO X. 161
De ijs, quæ possunt causalitatem finalem exercere. 161.
Articulus 1 An bonum honestum exerceat causalitatem finalem? 161.
2 Vtrum bonum iucundum, siue delectabile exerceat causalitatem finis? 162.
3 Vtrum bonum vtile, siue medium possit exercere causalitatem finalem erga media priora? 165.
4 Vtrum media habeant causalitatem finalem erga actiones voluntatis, quæ ad illa terminantur? 171.
5 Vtrum minus bonũ possit exercere causalitatẽ finalem prætermisso maiori bono? 174.
6 An malum sub ratione mali possit exercere causam finalem? 175.
7 An res indifferens possit habere rationem veri finis? 182.
8 Vtrum relationes, vt tales sunt, possint exercere causalitatem finis? 184.
9 Vtrum ratio causæ finalis reperiatur in priuationibus, & negationibus? 185.

QVAESTIO XI. 187
Art. vnic. An omne agens agat propter finem? 187.

QVAESTIO XII. 190
An natura, idest agentia, quæ cognitione carent agant propter finem? 190.
Articulus 1 An natura agat propter finem? 190.
2 Vtrum natura agat propter finẽ directa à se? an ab alio? 191.

QVAESTIO XIII. 200.
Vtrum bruta agant propter finem? 200.
Articulus 1 An bruta agant propter finem? 200.
2 Vtrum bruta dirigant se in finem, an ab alio dirigantur? 201.
3 Vtrum bruta cognoscant finem formaliter? 203.
4 Vtrum in actionibus brutorũ reperiatur vera causalitas finis? 205.

QVAESTIO XIIII. 205.
An Deus agat propter finem? 205.
Articulus 1 Vtrum Deus ad extra verè agat propter finẽ? 206.
2 Vtrum actiones Dei ad extra sint propter finem? 214.
3 An actus notionales, qui sunt ad intra, sint propter finem? 219.
4 Vtrum actus immanentes in diuinis sint propter finem? 219.

QVAESTIO XV. 223
Vtrum Angeli agant propter finem? 223 Art. vnic.

QVAESTIO XVI. 224
Vtrum homini conueniat agere propter finem? 224.
1 Vtrum homini cõueniat agere propter finem? 225. Articulus
2 Vtrum omni homini conueniat agere propter finem? 227.
3 Vtrum homo operetur propter finem in actionibus, quæ à voluntate non proceduni? 233.
4 An homo operetur propter finẽ operationes, quæ à voluntate necessario fiunt? 237.
5 Vtrum homo agat propter finem actiones, quæ insistunt ijs, quæ sunt ad finem? 241.
6 Vtrum homo agat propter finem actiones, quæ insistunt fini? 243.
7 Quot modis actio fiat propter finem? 244.

¶ LIBER SECVNDVS.
De vltimo fine hominis.

Præfatio in sequentem librum? 251.

QVAESTIO I. 251.
1 Quænam actiones dicantur propriæ hominis, quatenus est homo? 251. Articulus
2 Vtrum omnes, & solæ actiones, quæ homini conueniunt, vt est homo, sint humanæ? 253.

QVAESTIO II. 259.
1 Vtrum homini cõueniat agere propter finem? 259. Articulus
2 Vtrum omnes actionem hominis sint propter finem? 262.
3 An soli homini conueniat agere propter finẽ? 268.

QVAESTIO III. 268
De specificatione actionis humanæ ex fine. 268.

QVAESTIO IIII. 269.
1 In quo posita sit essentialis subalternatio finium? 269. Articulus
2 An in finibus essentialiter subordinatis ascendendo dari possit progressus in infinitum? 273.
3 Vtrum dari possit infinitus ascensus finium cũ dependentia ab vno extra posito? 275.
4 Vtrum sit possibilis infinitus descensus in finibus medijs? 277.
5 An ex demonstratione art. secund. bene inferatur dari vltimum finem simpliciter? 278.

QVAESTIO V. 280
1 Quænam fuerit generalis hominis existimatio de vnitate & pluralitate vltimi finis? 280. Articulus

2 Vtrum vnius hominis possint esse plures vltimi fines? 281.
3 Vtrum, qui plura peccata mortalia committit, habeat plures fines vltimos? 285.
4 Vtrum iustus v. peccans habeat plures fines vltimos? 295.
5 Vtrum possit quis ferri in duos fines non simpliciter vltimos? 303.

QVÆSTIO VI. 307.

Articulus 1 An ratione naturali demonstrari possit dari vnicum tantùm verum finem simpliciter vltimum? 307.
2 Vtrum omnium hominum sit vnicus vltimus finis? 310.
3 Vtrum Deus sit etiam finis vltimus omnium aliarum rerum? 312.

QVÆSTIO VII. 314.

Articulus 1 Vtrum actio humana sit propter vltimum finem in communi? 314.
2 Vtrum omnis actio humana sit propter vltimul finem in particulari? 320.
3 Vtrum omnia appetantur propter Deum verum finem vltimum? 324.
4 Vtrum actiones humanæ, vt sunt à Deo, sint propter vltimum finem? 326.

QVÆSTIO VIII.
& vltima. 326.

Articulus 1 Præmittuntur nonnulla necessaria ad intelligendum, an vltimus finis cum proximis cõcurrat? 326.
2 Vtrum vltimus finis sumptus in particulari cum finibus proximis simul concurrat ad actionem, effectumque agentis? 328.
3 Vtrum vltimus finis cum finibus proximis simul concurrat ad motionem agentis, vt propter finem agat? 330.
4 In quo posita sit essentialis subalternatio proximorum finium cum fine vltimo? 331.
5 Vtrum, & quomodo fines proximi subalternentur fini vltimo in communi? 333.

¶ LIBER TERTIVS.
De Beatitudine obiectiua.

Præfatio. 334.

QVÆSTIO I.

De Beatitudine in communi. 335.

Articulus 1 Quæ sit propria significatio huius vocis beatitudo? 335.
2 Quot modis accipiatur, & diuidatur beatitudo? 335.
3 Vtrum præter beatitudinem supernaturalem de facto admittenda sit naturalis beatitudo? 341.

QVÆSTIO II.

De Beatitudine obiectiua. 352.

Articulus 1 An Beatitudo obiectiua consistat in bonis fortunæ? 354.
2 Vtrum Beatitudo consistat in diuitijs? 356.
3 Vtrum Beatitudo consistat in honore? 359.
4 Vtrum Beatitudo consistat in fama, siue gloria? 363.
5 Vtrum Beatitudo in potestatate mundana consistat? 376.

QVÆSTIO III.

Vtrum Beatitudo obiectiua posita sit in aliquo bono corporis? 380.

Articulus 1 Quænam bona cum bonis corporis enumeranda sint? 380.
2 An Beatitudo obiectiua ponatur in bonis animæ vegetatiuæ? 381.
3 Vtrum beatitudo obiectiua consistat in bonis vitæ sensitiuæ quatenus est cognoscens? 384.
4 Vtrum beatitudo obiectiua posita sit in voluptate sensibili? 385.

QVÆSTIO IIII.

An beatitudo obiectiua posita sit in aliquo bono animæ? 393.

Articulus 1 Vtrum beatitudo posita sit in bonis animæ intellectiuæ? 394.
2 Vtrum beatitudo obiectiua posita sit in animæ essentia? 395.
3 An beatitudo obiectiua posita sit in potentijs, aut habitibus animæ? 396.
4 An beatitudo obiectiua ponatur in operationibus animæ? 397.
5 Vtrum beatitudo obiectiua ponenda sit in voluptate animi? 399.

QVÆSTIO V.

Vtrum beatitudo posita sit in aliquo bono creato? 399.

Articulus 1 An beatitudo obiectiua consistat in rebus sensibilibus, vt sub nostram cadunt speculationẽ, & amorem? 400.
2 Vtrum Angeli, vt cogniti à nobis, sint nostra beatitudo obiectiua? 405.
3 An beatitudo posita sit in toto vniuerso ideſt in omnibus bonis creatis simul sumptis? 408.
4 Vtrum possit demonstrari beatitudinem obiectiuam in nullo bono creato consistere? 408.

QVÆSTIO VLTIMA.

Vtrũ beatitudo obiectiua posita sit in bono increato, qui est Deus? 412.

¶ LIBER QVARTVS.
De Beatitudine formali.

Præfatio ad totum librum. 413.

QVÆSTIO I. 413

Articulus 1 An diuina essentia, vt illabens animæ sit, aut esse possit formalis beatitudo nostra? 414.
2 Vtrum visio, aut fruitio diuina, qua Deus se ipsum

ipsum videt, & se fruitur sit nostra beatitudo formalis? 418.

QVÆSTIO II. 436

Articulus 1 An beatitudo formalis sit substantia? 436.
2 An beatitudo formalis sit in genere relationis? 437.
3 An beatitudo formalis sit actio, vel passio? 438.
4 Vtrum beatitudo formalis sit vera qualitas de prædicamento qualitatis? 439.

QVÆSTIO III.

De entitate propria beatitudinis formalis? 442.
Articulus 1 An in patria Deus nouo modo sit tam in essentia, quam in potentijs beati? 443.
2 An Deus prius sit in essentia animæ, quàm in potentijs? 451.

QVÆSTIO IIII. 452

Articulus 1 Vtrum beatitudo formalis ponatur in aliquo actu essentiæ, vel potentiæ, vel in sola operatione? 453.
2 An beatitudo naturalis sit operatio? 470.
3 An beatitudo supernaturalis huius vitæ sit operatio? 471.
4 Vtrum beatitudo sit actio immanens? 471.

QVÆSTIO V. 472

Articulus 1 An beatitudo formalis sit operatio appetitus sensitiui? 473.
2 Vtrum beatitudo patriæ consistat in operatione sensus? 477.
3 Vtrum operatio sensitiua possit diuina potentia eleuari, vt sit beatitudo saltem partialiter? 494.

QVÆSTIO VI. 501.

Articulus 1 An distinguenda sit duplex beatitudo essentialis, vna essentiæ, altera potentiæ? 502.
2 An sit distinguenda duplex beatitudo contemplatiua, & actiua? 502.

QVÆSTIO VII. 504.

Articulus 1 In quonam sensu agendum sit de beatitudine formali? 504.
2 An beatitudo ponatur in vna operatione, an in pluribus? 507.
3 An beatitudo in singulis potentijs vnam tantum admittat operationem? 514.

QVÆSTIO VIII. 515

Articulus 1 Quænam sint fundamenta præcipua, quòd beatitudo in solo actu intellectus ponatur? 515.
2 An hæc doctrina contradicat Sacræ Scripturæ, & doctrinæ Patrum? 520.
3 Pro solutione primæ rationis inquiritur, an sola visio sit formalis assecutio obiecti beatifici? 521.
4 Pro solutione secundæ rationis expenditur, an visio simpliciter sit nobilior, quam amor? 525.
5 Pro solutione eiusdem rationis expenditur, an visio in patria simpliciter, & secundum quid sit amore præstantior? 526.
6 Pro solutione eiusdem secundæ rationis expenditur, an charitas, in patria sit habitus omnium præstantissimus? 531.
7 An argumentum sumptum ex seraphinis probet amorem esse præstantiorem visione? 532.
8 Pro solutione eiusdem rationis disputatur, an visio in patria ordinetur ad amorem? 536.
9 Pro solutione eiusdem rationis expenditur, an visio sit amabilior, quàm amor? 539.
10 An reliqua argumenta aduersariorum bene soluantur? 542.

QVÆSTIO IX. 547.

1 An beatitudo patriæ ponatur in notitia quidditatiua Dei? 547. Articulus
2 Vtrum beatitudo formalis patriæ ponatur in notitia abstractiua, an in intuitiua. 548.
3 An beatitudo sit notitia simplex, an composita? 552.
4 An beatitudo ponatur in illa notitia, prout est apprehensiua, an prout est iudicatiua? 559.
5 An beatitudo ponatur in notitia speculatiua, an in practica? 561.
6 Vtrum beatitudo consistat in notitia directa diuinæ essentiæ? an in reflexa? 577.

QVÆSTIO X. 581

1 Quænam sint argumenta præcipua, quod beatitudo in solo actu voluntatis ponatur? 581. Articulus
2 An hæc opinio contradicat aut Sacræ Scripturæ, aut testimonijs Patrum? 584.
3 Pro solutione primæ rationis aduersariorum inquiritur, vtrum solus amor sit formalis assecutio obiecti beatifici? 587.
4 Pro solutione secundæ rationis expenditur, an dilectio sit nobilior, quam visio? 589.
5 Pro solutione tertiæ rationis principalis expenditur, an Deus, vt amatus, sit totale obiectum beatificum? 599.
6 An reliqua argumenta aduersariæ sententiæ bene soluantur? 600.

QVÆSTIO XI. 603.

1 An beatitudo ponatur in actu desiderij? 603. Articulus
2 An beatitudo patriæ per se ponatur in delectatione? 604.
3 Vtrum beatitudo per se ponatur in amore cõcupiscentiæ, quo beatus amat Deum, vt bonũ sib.? 611.
4 Vtrum beatitudo ponatur in solo amore amicitiæ, quo beatus vult Deo bona, quæ in eo videt? 616.

QVAESTIO XII. 624

1 An beatitudo patriæ simul ponẽda sit in actu Articulus

intellectus, & voluntatis? 624.
2 An beatitudo admittat ad suam essentiam plures operationes vnius potentiæ? 626.
3 In quibus nam operationibus intellectus, & voluntatis ponatur beatitudo? 627.
4 In quonam duorum actuum beatitudo principalis ponatur, in visione, an in amore? 629.

QVAESTIO XIII. 630.

Articulus 1 An in hac vita sit admittenda aliqua supernaturalis beatitudo? 630.
2 An beatitudo supernaturalis viæ posita sit in operatione? 632.
3 An beatitudo supernaturalis viæ posita sit in vna operatione, an in pluribus? 633.
4 An beatitudo supernaturalis viæ ponatur in actione tam intellectus, quàm voluntatis? 634.
5 In quibusnam operationibus intellectus, & voluntatis essentialiter ponatur beatitudo supernaturalis viæ? 637.
6 In quanam operatione beatitudo supernaturalis viæ principalius collocetur? 640.

QVAESTIO XIIII. 641

Articulus 1 An beatitudo naturalis daretur in hac vita, an solum post mortem? 642.
2 Vtrum beatitudo naturalis consisteret in operatione. 644.
3 Vtrum beatitudo naturalis in vna tantùm, an in pluribus operationibus consisteret? 644.
4 Vtrum beatitudo naturalis essentialiter includat beatitudinem contemplatiuam, & actiuam? 646.
5 An beatitudo naturalis essentialiter consisteret in actibus intellectus, & voluntatis? 650.
6 In quibus actibus intellectus, & voluntatis sita sit naturalis beatitudo, & in quo principalius? 652.

¶ LIBER QVINTVS.
De visione diuinæ essentiæ.

Præfatio ad totum librum. 654.

QVAESTIO I. 655.

Articulus 1 An Deus in se ipso sit per se obiectum visionis beatificæ? 655.
2 An Deus se solo sit obiectum visionis beatificæ, an simul cum aliquo bono creato? 656.

QVAESTIO II. 658.

Articulus 1 An diuina essentia sit immediatum obiectum visionis beatificæ? 658.
2 An Deus sit obiectum visionis beatificæ prout in se est realiter existens? 660.

QVAESTIO III. 663.

Articulus 1 An beati videant diuinam essentiam? 663.
2 Quid nomine essentiæ intelligendum sit? 663.
3 Quænam sint illa prædicata, quæ omnium eō sensu diuinam essentiam quidditatiuè, & essentialiter ingrediuntur? 664.

QVÆSTIO IIII. 672.

1 Quid nomine attributi intelligendum sit. 672. Articulus
2 An de ratione attributi sit esse prædicatum proprium, & non translatium? 673.
3 An de ratione attributi sit prædicari de Deo per modum adiacentis? 674.
4 An attributum debeat esse nomen essentiale, & non personale? 677.
5 An prædicata transcendentia habere possint rationem attributi? 678.
6 An ratio attributi ita includat prædicata affirmatiua, vt excludat omnia negatiua? 681.
7 An attributum in sua ratione includat, quòd sit realis perfectio existens in Deo, & qualis nam perfectio esse debeat? 686.
8 Epilogantur ea, quæ in præcedentibus articulis sunt resoluta? 687.

QVAESTIO V. 687.

De distinctione attributorum? 690.

1 An attributa ita cum essentia omnibus modis sint idem, vt nec re nec ratione ab ea distinguantur? 690. Articulus
2 Vtrum attributa diuina realiter distinguantur ab essentia? 694.
3 Vtrum attributa ante omnem intellectum ex natura rei actu & formaliter distinguantur à diuina essentia? 701.
4 Vtrum absque vllo fidei periculo defendi possit distinctio formalis actualis ex natura rei sublato omni intellectu inter essentiam, attributa? 705.
5 Vtrū potius tenenda sit opinio, quæ negat ante intellectum attributa actu distingui ab essentia, quàm, quæ affirmat? 752.
6 Vtrum secluſa quacunque intellectus operatione attributa aliquo modo distinguantur ab essentia? 755.
7 Vtrum attributa actu distinguantur ratione ab essentia? 762.
8 Vtrum attributa ab essentia sola ratione distinguantur? 785.
9 Vtrum attributa distinguantur ab essentia ratione ratiocinante, an verò ratiocinata? 788.

QVAESTIO VI.

De distinctione attributorum inter se. 792.

1 An attributa inter se aliquo modo distinguantur? 792. Articulus
2 An attributa inter se realiter distinguantur? 793.
3 An attributa ante omnem intellectum actu, & formaliter inter se distinguantur? 795.

Vtrum

4 Vtrùm attributa inter se actu ratione distinguantur? 797.
5 Vtrum attributa inter se sola ratione distinguantur? 798.
6 Vtrum sublato intellectu attributa inter se ex natura rei distinguantur formaliter virtualiter? 810.
7 In quonam sensu attributa dicantur virtutè distingui? 812.
8 An attributa à nobis valeant distingui sine ordine ad creaturas? 814.
9 Vtrum Attributa ab intellectu beati ratione distinguantur? 825.
10 An attributa distinguantur ratione per diuinum intellectum? 834.

QVÆSTIO VII. 862.
De mutua attributorum inclusione, & prædicatione tùm cum essentia, tum inter se. ibid.
Articulus 1 Vtrùm attributa, vt a nobis cognoscuntur, essentialiter, & quidditatiuè prædicentur de essentia? 863.
2 Vtrùm essentia, vt est à parte rei, essentialiter includat attributa? 879.

QVÆSTIO VIII. 897.
Quomodò essentia se habeat ad attributa quoad essentialem inclusionem. ibidem.
Articulus 1 Vtrùm essentia, vt à nobis concipitur, sit de conceptu quidditatiuo attributorum? 897.
2 Vtrùm diuina essentia in se sit de essentia attributorum? 903.

QVÆSTIO IX. 908.
De mutua attributorum inclusione inter se. ibid.
Articulus 1 Vtrum attributa, vt à nobis distinguuntur, se se mutuò essentialiter includant? 908.
2 Vtrùm attributa extra intellectum ita se habeant, vt de essentiali ratione cuiusque sint cætera? 911.

QVÆSTIO X. 924.
De mutua prædicatione attributorum, tum inter se, tum cum diuina essentia. 924.
Articulus 1 Vtrùm, & quomodò diuina attributa de Deo enuntientur, & Deus de illis? 925.
2 Vtrùm, & quomodò diuina attributa de se ipsis mutuò enuntientur? 933.

QVÆSTIO XI. 936.
De visione diuinorum attributorum. ibidem.
Articulus 1 An attributa sint numero infinita? ibid.
2 An omnia Dei attributa de facto videantur à beatis? 941.
3 An beatus possit naturaliter videre essentiã sine attributis; & vnum sine alio? 949.
4 Vtrùm diuina potentia possit essentia videri sine attributis: aut vnum attributum sine alio? 950.

QVÆSTIO XII. 958.
De Visione diuinarum personarum. ibidem.
1 An detur aliqua distinctio inter essentiam, & diuinas personas? 959. Articulus
2 Vtrùm essentia realiter distinguatur à diuinis personis, & relationibus? 962.
3 An sublato omni intellectu essentia actu distinguatur à relatione? 964.
4 An essentia à relatione actu distinguatur per solam rationem? 991.
5 Vtrùm secluso omni intellectu essentia aliquo modo distinguatur à relatione? 993.
6 An intellectus beati, ratione distinguat essentiam à relatione? 1000.
7 An diuinus intellectus essentiam à relatione distinguat? 1002.
8 Vtrùm distinctio rationis inter relationes, & essentiam possit fieri sine ordine ad creaturas? 1002.

QVÆSTIO XIII. 1006.
De mutua inclusione, & prædicatione essentiæ cum personis. ibidem.
1 An essentia in suo essentiali conceptu includat relationem? ibidem. Articulus
2 An relationes essentialiter includant essentiam? 1023.
3 Quomodò essentia, & relatio de se mutuò prædicentur? 1036.

QVÆSTIO XIIII. 1041.
De Visione diuinarum personarum. ibidem.
1 An de facto essentia videatur à quolibet beato simul cum personis? ibidem. Articulus
2 Vtrùm diuina essentia possit naturaliter videri à beato, aut sine personis, aut non cum omnibus. 1044.
3 Vtrùm de potentia Dei absoluta diuina essentia videri possit sine personis? 1045.
4 Vtrum diuina potentia possit vna persona sine alia videri? 1060.
5 Vtrum essentia sine personis, & vna persona sine alia possit videri notitia iudicatiua? 1075.
6 Vtrùm persona, relatiouè personalis diuina potentia possit videri non visa essentia? 1080
7 Vtrùm visio essentiæ sine personis, aut vnius personæ sine alijs foret beatifica? 1081.

QVÆSTIO XV. 1096.
De Visione creaturarum in diuina essentia. ibid.
Vtrum beati in patria aliquas creaturas de facto videant? ibidem. Art. vnic.

QVÆSTIO XVI. 1097.
Vtrum beati videãt creaturas formaliter in Deo, & intra Deum; an extra solùm caussaliter? 1097.
1 Quot modis creaturæ à beatis videantur in patria? 1098. Articulus

2 Vtrum

2 *Vtrum possibile sit beatos formaliter videre creaturas in Deo, ita vt intra Deum in se ipsis videantur?* 1103.

3 *Vtrum creaturæ de facto videantur in Deo; & intra Deum formaliter, an solùm caussaliter extra Deum?* 1107.

QVÆSTIO XVII. 1125.

Quomodò creaturæ in Deo, atque intra Deum videantur? ibidem.

Articulus 1 *An possibile sit creaturas cum essentia videri pluribus actibus inter se realiter distinctis?* 1126.

2 *An repugnet creaturas in Deo videri actu distincto ratione ab eo, quo videtur essentia?* 1127.

3 *Num possibile sit essentiam, & creaturas intra ipsum Deum videri actu re, & ratione vno?* ibidem.

4 *Vtrum possibile sit creaturas cum essentia intra Deum videri vna visione immediatè, & primò in vtrunque obiectũ terminata?* 1129.

5 *Explicatur alius modus, quo essentia & creaturæ vno actu, immediatè in se ipsis possunt videri.* 1133.

6 *An possibile sit creaturas cognosci à beato in essentia, vt obiecto cognito?* 1135.

7 *An possibile sit creaturas videri in Deo, vel vt est idea ipsarum, vel vt est speculũ?* 1136.

QVÆSTIO XVIII. 1136.

Quomodò creaturæ à beatis de facto videantur in Deo, & intra Deum. ibidem.

Articulus 1 *An beati de facto videant Deum, & creaturas in Deo pluribus actibus realiter distinctis?* ibidem.

2 *Vtrum beati videant essentiam, & creaturas pluribus actibus sola ratione distinctis?* 1142

3 *An visio re, & ratione vna immediatè terminetur, tum in essentiam, tum in creaturas?* 1143.

4 *An creaturæ videantur in Deo solùm mediatè, vt obiecta secundaria in primario?* 1145.

5 *Vtrum creaturæ videantur in diuina essentia, vt in caussa; an verò, vt in idea; an alio modo?* 1146.

QVÆSTIO XIX. 1152.

De extensione visionis beatificæ in ordine ad creaturas. 1152.

1 *Vtrum beati videant creaturas vtriusque ordinis, supernaturalis scilicet, & naturalis?* ibidem. Articulus

2 *Vtrũ beati in Deo videant creaturas, tum in specie, tum in indiuiduo?* 1153.

3 *Vtrum beati in diuina essentia videant creaturas tam possibiles quoad esse essentiæ, quàm etiam quoad esse existentiæ?* 1155.

4 *Quænam sint ea, quæ beati de facto vident in Deo?* 1158.

5 *An, quæ beati formaliter in Deo vident, videant naturaliter ex vi visionis; an aliqua videant per liberam reuelationem Dei?* 1169.

6 *An beati videant omnia simul, an possint aliqua de nouo videre ipsa visione beata?* 1170.

7 *Quænam sit ratio, cur hæ creaturæ potius, quàm illæ videantur in diuina essentia?* ibid.

QVÆSTIO XX. ibidem.

Quidnam diuina potentia fieri possit circa visionem creaturarum in Deo? ibidem.

1 *An diuina potentia fieri possit, vt omnes creaturæ possibiles in diuina essentia videantur* 1171. Articulus

2 *Vtrum diuina potentia possit videri essentia nullam interim in ea videndo creaturam?* ibidem.

QVÆSTIO XXI. ibidem.

De visione actuum liberorum, atque decretorũ diuinæ voluntatis. ibidem.

1 *An beati videant actus liberos, liberaque decreta voluntatis diuinæ?* ibidem. Articulus

2 *Quomodò diuina decreta, & actus liberi videantur in Deo?* 1174.

QVAESTIO XXII. & vltima. ibidem.

De formali ratione obiecti beatifici. ibidem.

Quænam eorum, quæ à beatis videntur in Deo, per se concurrant ad formalem rationem obiecti beatifici? ibidem. Art. vnic.

Finis Quæstionum istius primi tomi.

ERRATA.

P. indicat Paginam. C. Columnam. N. Numerum. L. Lineam.

Precor candidũ Lectorem, vt omnia errata immediatè sequentia corrigat in hoc libro: sunt enim incuria correctorum relicta: & confusionem legenti facient, nisi in propriis locis corrigãtur: Etenim, vel vna dictio pro alia ponitur: vel aliqua nõ scribitur: vel aliqua superfluè ponitur vel ponitur dictio aliqua nõ significatiua: vel deniq; aliqua falsó citãtur. Hęc omnia ordine annotabũtur.

Dictió pro dictione.

P.6.n.7.l.23: cui *pro* cuius. *P.30.c.1.l.antepenultima: quam pro quanquam. P.48.n.2.l.20: diuidatur: pro appetatur. P.75.c.1.l.19.Beda: pro Rada. P.78.n.3.l.vltima: finalis: pro formalis P.88.n.41.l.6: formalis; pro finalis. P.99.c.2.l.29.sumatum; pro sumatur. P.103.c.1.l.12.affecta; pro effecta. P.111.n.24.l.15: effectũ pro affectũ: P.143.n.11.l.25: glossa; pro quæstiuncula. P.169.c.1.l.4.à potestate; pro à potione. P.181.c.2.l.15.efficere pro afficere. P.194.n.13.l.17. producantur pro perducantur. P.198.c.2.ante finem: ex se: pro extra se: & statim: Deus ex se; pro Deus extra se. P.250.n.26.l.18: aduersus: pro auersus. P.345.c.1.l.1: Herrera: pro Henriches. P.347.n.20.l.5: naturale; pro supernaturale. P.359.c.1.l.8.libertatis pro liberalitatis. P.369.c.2 l.26: vide; pro vnde. P.388.c.1.l.4.operationi; pro operamini. P.403.n.15.l.31.procendum: pro producendũ. P.415.n.3.l.20: significat: pro ignificat. Ibid.c.2.l.4: essentiã. Pro essẽtialẽ. Ibid. n.5.l.11.potente. Pro potentiæ. P.508.n.4.l.14.nostrum. Pro vestrum: statim: à nobis. Pro à vobis. P.541.n.7.l.22.habetur. Pro ametur. P.547.c.2.l.12: exclusiue. Pro inclusiuè. P.565.n.13.l.13 inter. Pro intra. P.599.n.4.l.16; præstantem. Pro præsentantem. P.773.c.2.§. de quinto l.1: aiũt Pro agunt. P.780.n.68.l.8: multipliciter pro multiplicetur. P.782.n.73.l.8: nõ eo enim pro nam P.794.c.2.l.1.partes pro Patres. P.812.n.4.l.1.huius quæstionis pro quintæ quæstionis. P.839. c.1.l.ante penult.in intelligere: pro in intelligente. P.899.§.3.l.4: negandam dic negantẽ. P.1053. c.2.l.4: omni, pro enim. P.1065.n.22.l.ante penult: mtuum, pro mutuo. P.1078.n.13.l.1: vespertina pro; matutina. P.1116.n.35.l.34: distante; pro dictante. P.1117.c.1.l.22. artificatio; pro artificiato. P.1150.n.21.l.2; diuinam essẽtiam; dele, & dic creaturas.*

Dictio omissa, & superflua.

P.120.c.1.l.4.disputatio ad finem, dic disp.1.ad finem. P.117.c.2.l.20.ibi vt agens in finem, dic vt agens se in finem. P.297.n.8.l.6 deest Verbum admisisse, hoc modo scribe: ita etiam admisisse vsũ bonum P.644.ar.3.n.1.l.1.deest negatio non, ita scribe non cõueniunt. P.692.n.12.l.17.deest aduerbium prius: dic ratione prius reperta. P.293.c.2.l.8: pro propositum dele pro. P.1015.n.38.l. 6. si essentia dele si.

¶ Dictiones non significatiuæ.

P.168.c.1.l.9.ensum, dic sensum. P.196.c.2.l.16.exeecre; dic exercere. P.222.n.12.l.3.vncio, dic vnico. P.254.c.2.l.10: quonim, dic quoniam. P.298.n.13.l.10.omibus: dic omnibus. P.316. n.5.l.20.omes, dic omnes. P.370.c.1.parũ ante finem au v.què, dic vtranq;. P.1115.n.31.l.7 dctia dic dicta.

¶ Falso citata.

P.9.n.19.l.antepenult.ibi.n.15.dic.n.13. P.122.c.2.ibi ar.5. dic ar.2. Ibid.§.2.dic.§.1. P.171. c.1.l.vlt.ibi §.2.dic.§.3. Ibid.c.2.ibi ar.5.dic ar.4. P.187.c.1.l.41.ibi quinta, dic decima. P.206 c.1.n.3.l.20.ibi 10. Phys.dic.1. Physic. P.413.c.2.l.20.ibi in 6.dic in 7. P.502.ibi §.1.dic.ar.1 P.517.c.2.l.8.ibi 77.dic.73. P.548.c.1.l.16.in sequenti.dic in 7.lib. P.724.c.2.l.1.ibi §.5.dic §.3. P.1007.n.5.l.3.ibi q.28.dic q.27. P.1017.n.42.l.4.ibi ar.1.dic.ar.2.

¶ Cætera errata, quæ barbariem continent, vel fallam la tinitatem, quisquè facilè corriget, etiam si non annotentur. ¶ Errata circa paginas sic corrige.

Post p.95.ponitur 97.dic 96. Post.p.126.ponitur 187.dic 127. Post.p.171.ponit.178.dic 172. Post p.191.ponitur 198.dic 192. Post p.205.ponitur 112.dic 206. Post p.211.ponitur 112. dic 212. Post p.212.ponitur 113.dic 213. Post p.322.ponitur.383.dic 323. Post p.334. ponitur 339.dic 335. Post p.374.ponitur 775.dic 375. Post p.394.ponitur 365.dic 395. Post p.361. ponitur 563.dic.562. Post p.841.ponitur. 834.dic.842. Post p.975.ponitur.956.dic 976.

FINIS ERRATORVM.

LICENTIÆ.

OPVS de Beatitudine in quinq; aptissimè libros distributum, quod admirabili eruditione, & incredibili suprà quàm dixerim, perspicuitate absolutum, Reuerendus admodum pater frater AEgidius de Præsentatione, heros illustris Eremitarum Familiæ maximarum virtutum concursu inclytus, in nostraque Theologia Vesperarius insignis, nulli tamen secundus, in lucem feliciter edidit: tam diligenter recolui, quàm suauiter perlegi, & cum Archetypo contuli, nihilque offendi sugillatione & censura dignum, sed totum opus sanè magnum & illustre, admiratione magis, quàm laude prosequendum, summa doctrina confertum, omnibusque præclaris ornamentis conspicuũ antiquitatis dogmata cum nouitate singularis doctrinæ felicissimè coniungens, suoque in omnibus auctore dignum, incomparabili gloria iam emerito, precibus tamen augustissimi, & inuictissimi Regis nostri Philippi, non dum à militari disciplina absoluto, ne cum cõmuni iactura victor cæstus, artemque reponeret: quem proinde nostra Conimbricensis Academia vnice amat, inuidendo elogio, sibi pariter natum, & occuppatum: in dieſque magis sperare licebit, si opus hoc æternis monumentis dignissimum præ omnium manibus & oculis habeatur, nostrique æui decorum non erit, si quod absit, minus placeat. Ita censeo Ego Petrus à Costa sacræ Theologiæ Doctor & in Conimbricensi Academia eiusdem facultatis professor. *Pero da Costa.*

VIsta a informação podesse imprimir este Liuro intitulado de Beatitudine: & depois de impresso torne a este Conselho para se conferir com o Original, & dar licença para correr, & sem ella não correra: & este despacho com a informação do Reuedor se imprimira no principio do Liuro: Em Lisboa 1. de Octubro 1609.

Marcos Teixeyra. Bertholameu da Fonsequa. Ruy Pĩz da Veyga.

Podesse Imprimir. O BISPO CONDE.

POdesse Imprimir este Liuro, vista a licença do Sancto Officio, & Ordinario.

Maçhado. A. da Cunha.

TAixasse este liuro em mil, & trezẽtos reis em papel, & esta taixa se imprimirá no principio delle em Lisboa a 8. de Octubro de 609.

Bargança. Maçhado. Magalhaes.

EGo frater Ioannes de Nazareth Prouincialis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini in prouincia Lusitaniæ facultatem concedo, vt hic primus tomus de Beatitudine Animæ & Corporis compositus à Magistro Fr. AEgidio de Præsentatione eiusdem Ordinis, & in Conimbricensi Academia Vesperario professore facultatis Theologiæ iam emerito & iubilato, typis mandetur: In cuius fidem has literas manu nostra subscriptas & Sigillo Ordinis nostri munitas dedimus. Olisipone 20. die Septembris. Anno Domini 1609.

Frey Ioão de Nazareth. Prouincial.



VEl Rey faço saber aos que este Aluara virem, que auendo respeyto ao que na petição atraz escrita diz o Doutor frey Egidio da Presentação Cathedratico Iubilado da Cadeira de Vespora de Theologia na Vniuersidade de Comibra, & visto as causas que alega: Ey por bem & me praz que por tempo de dez annos Imprimidor, nem outro Liureyro algũ, & pessoa de qualquer qualidade que seja, não possa imprimir, nem vender em todos estes Reynos & Senhorios, nẽ trazer de fora delles o primeyro Tomo das disputas de Beatitudine Animæ, & Corporis sobre a 1. 2. de sancto Thomas, de que na dita petição faz mençáo, saluo aquelles liureyros & pessoas que pera isso teuerem seu poder & licença, & qualquer Imprimidor, Liureyro, ou pessoa, que durando o dito tempo de dez annos, q̃ começarão de correr da feytura deste em diãte: vender ou imprimir o dito liuro nos ditos meus Reynos & Senhorios, ou trouxer de fora delles, perdera para elle Doutor frey Egidio todos os volumes que assi imprimir, vender, ou trouxer de fora: & alem disto emcorrera em pena de cẽ cruzados ametade pera o dito frey Egidio, & a outra ametade para quem o acuzar, & mando as Iustiças, Officiaes, & pessoas, a que o conhecimento disto pretencer cumprão & guardem este Aluara, como se nelle contem, o qual sera tresladado no principio de cada liuro. Et este quero q̃ valha, & tenha força & vigor; posto que o effeyto delle aja de durar mais de hũ anno, sem embargo da Ordenação do 2. liuro tit. 40. queo contrario dispoem, Francisco Ferreyra o fez em Lisboa a 19. de Setembro de 1609. Ioão Trauaços da Costa o fez escreuer.

REY.

LIBER PRIMVS

DE BEATITVDINE, QVI EST DE VLTIMO FINE IN COMMVNI.

Præfatio totius Operis.

In 1. p. 2. p. POSTQVAM Diuus Thomas disputauit de Deo, tum in se, tum vt est principium creaturarum: consequẽter in prima parte secundę partis, disputationẽ instituit de homine, quatenus est Dei imago: id est, quatenus est intellectuale quoddam, arbitrio liberum, potestatem habens suorum operum. Quia verò homo, vt est agens liberum, agit propter vltimum finem, & ordinat omnia ad illius consecutionem; ideò in hac prima secundæ, primo loco agit de vltimo fine humanæ vitæ: deinde de humanis actibus, quibus ad consecutionem vltimi finis peruenitur: quæ enim sunt ad finem, ex fine accipiunt suas rationes.

Porrò vltimus finis humanæ vitæ, est beatitudo hominis: ideo in prima parte huius libri instituitur disputatio de beatitudine, quam primis quinque quęstionibus absoluit. Quia tamen beatitudo in sua ratione includit, quod sit vltimus finis; ideo priùs disputat de vltimo fine hominis absolutè, & in communi: deinde veluti de quodam speciali vltimo fine disputat de beatitudine sub expressa ratione beatitudinis.

Sed quanuis D. Thomas in hac 1. parte secundæ partis, aut nihil, aut parum egerit de beatitudine corporis; nos tamẽ, vt disputatio de beatitudine sit omnibus modis absoluta, de vtraque beatitudine disputabimus. Quare totã nostram disputationem de beatitudine in 3. tomos diuidemus. In primo agemus de beatitudine animæ, obiectiua scilicèt, & formali, tam in ordine ad subiectum, quàm in ordine ad obiectum. Et hæc disputatio primis quinq; libris absoluetur. In 2. tomo dicemus de ijs, quæ visionem beatam antecedunt, & consequuntur, siue comitantur, & de illius adeptione. Tandem in 3. tomo latissimè disputabimus de ijs, quæ pertinent ad beatitudinem corporis.

In isto primo tomo sequuti ordinem D. Thomæ, antequã de beatitudine animæ disputemus, priùs disputabimus de vltimo fine hominis sub communi ratione finis: deinde de beatitudine. Sed quia vltimus finis duobus modis potest considerari: vno modo sub ratione finis absolutè: altero, sub ratione finis, vt est finis hominis; vt tota nostra disputatio clariori methodo procedat: disputationem de vltimo fine hominis in duos libros diuidemus: in primo sermo erit de fine in communi, & de ijs, quæ fini, sub communi ratione finis conueniunt: in secũdo agemus de fine, vt est finis actionum humanarum. Ordo procedendi.

De fine igitur in communi, primò cõsiderandus occurrit ipse finis secundũ se: deinde causalitas illius.

De fine autem secundùm se tria inquiri possunt. Quænam sit formalis ratio finis? quot modis diuidatur? & tandem quomodò se habeat ad bonum, & ad voluntatem?

QVÆSTIO PRIMA.

VNICO CONTENTA ARTICVLO.

Quæ sit formalis ratio finis?

1. Quid sit finis apud philosophos.

VARIOS esse vsus huius dictionis (finis) variasque vsurpationes, colliges ex dictionarijs linguę latinę. Apud Philosophos, & Theologos accipitur pro scopo, ad quem agentium intẽtio refertur, & cuius consequendi gtatia agentia operantur. De quo ita scribit Cicero lib. 1. de finibus bonorum, & malorũ: *Finis est id, quo sunt omnia bene viuẽdi, rectèq; faciendi consilia referenda.* Sumpta est trãslatio à terminis, & limitibus, quibus agri à finitoribus terminabantur, qui agrorum fines dicebantur: agẽtis enim operatio consecutione scopi, ad quem tendit, terminatur, ac finitur. Vel, si maluis, sumatur translatio à fine consũmationis, siue absolutionis cuiusque rei, qui Græcè dicitur τέλος, à verbo τελέω, quod idẽ est, quod perficio: sicut enim res quæq; tunc suam perfectionem cõsequitur, cum consummatur, & absoluitur; sic etiam agẽtis operatio tunc perficitur, cum scopum intentum attingit. Igitur id, cuius gratia res quæque est, & operatur, philosophis meritò iure dicitur finis.

2. Disputaturi de fine, cuius gratia sumus, & operamur; initium sumemus à primis duabus quæstionibus simplicibus, quarum vna dicitur an est? altera quid est? hæ namque inter quatuor, quas Arist. 2. Posteriorum cap. 1. explicauit, sunt priores. Cum verò quæstio an est, prior sit quæstione quid est; iuxta doctrinam Boetij ad initium prædicabilium; priùs inquiremus, an agentibus detur aliquis finis in operando? Deinde explicabimus quid nam sit finis, quæve formalis illius ratio?

3. An sit finis?

Prior quæstio; an aliquis sit finis propter quem, & agentia operentur, & res in suo esse constituantur? notior est, quàm indigeat nostra aut inquisitione, aut explicatione: ob quam rationẽ qui de vltimo hominis fine disputarũt, quæstionem istam tanquam omnibus notissimam supposuerunt.

4. Quid sit finis?

Secunda quæstio quid sit finis? facilẽ etiam habet solutionem: nam iuxta vulgatam Philosophorum omnium vsurpationẽ, finis est id, cuius gratia, caussavè cætera fiunt: hoc enim modo Arist. describit finem, vbicunque de fine sermo incidit. Ita 2. Physicor. cap. 3. text. 29: *Insuper & finis: hic autem est, cuius gratia omnia fiunt; veluti deambulandi sanitas: cur enim deambulat interrogati, quo valeat respondemus.* Et statim text. 31. *Quædam autem caussæ sunt, vt finis bonumque cæterorum: id enim gratia cuius cætera fiunt, optimum esse solet, ac finis illorum.* In 5. Metaphy. cap. 2. text. 2. *item vt finis: hæc autem est cuius caussa, vt ambulandi sanitas.* Simili modo finem explicauit idem Aristotel. 2. Metaphys. cap. 2. text. 5. & 8. & 1. Ethic. cap. 7. text. 25. & 2. de Anima cap. 4. text. 37. vt alios locos propemodũ infinitos omittamus. Cum Arist. cæteri omnes concordant. Cicero lib. 1. de finibus bonorum, & malorum ita ait: *Finis bonorum; quo referuntur, & cuius gratia referenda sunt omnia.* Diuus Gregor. Nyssenus in lib. de vita Moysis: *finem, inquit cuius gratia cætera sunt.* Augustin. 8. de Ciuit. Dei. cap. 8. *ideo finis est dictus, quia propter hunc cætera appetimus.* Quin potiùs etiam D. Paul. ad Ephes. 3: rationem finis ita explicauit inquiens: *huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem.*

Aristot. *Cicero.* *Nyssenus.* *Augustin.* *Paulus.*

5. Explicatur definitio finis.

Hæc est communis ac generalis finis definitio, accõmodanda omnibus finibus iuxta propriam cuiusque naturam, vt ex dicendis euidentiùs patebit. Pro illius tamen maiori explicatione inquiri potest, an illis verbis (*gratia cuius omnia fiunt*) explicetur tota ratio finis, vt exercet rationem finis? quidam putant finẽ, vt exercet rationem finis, duo includere: alterum, vt amẽtur propter se: alterum, vt alia amentur propter illum. Sub priori

Opinio quorundam.

priori habitudine finis finalizat amorẽ sui, tanquam verum, & proprium effectum: sub posteriori finalizat media. Inquiunt igitur illa verba, *gratia cuius omnia fiunt*, explicitè solum comprehendere posteriorem habitudinem, quæ est ad media: virtute tamen, & implicitè priorem etiam habitudinem includere: quia non potest finis esse id, cuius gratia cætera fiunt; nisi ipse ametur, nõ propter aliud, sed propter se. Quod significauit Aristot. 2. Metaphysic. cap. 2. text. 8. dum agens de fine ita ait: *tale autem est, quod non est alterius gratia, sed eius caussa cætera*, vbi per illam negationem explicauit positiuam quandam motionem, & conditionem finis propriè dicti, in qua illa negatio fundatur; nimirum, quod finis sit, & ametur propter se. Ita docent quidam ex nouioribus in commentarijs ad 1.2. quæst. 1. in præfatione, quod ipse idem Suarius scripsit in sua Metaphysic. disp. 23. sect. 2. nu. 14. apud quos tota definitio finis ita habet; *finis est id, quod est propter se, & omnia gratia illius fiunt.* Quare apud istos verba illa, *gratia, cuius cætera fiunt*, non cõtinent integrã, & completã definitionẽ finis, vt finis est.

Aristotel.

6 Vera opin.

Oppositum docent cæteri omnes, qui putant verba illa, *gratia cuius cætera fiunt*, formaliter, & explicitè continere integram, & completam definitionem finis. Quæ sententia probanda est; mirum est enim, quod Arist. vbique locorum rationem finis imperfectè declarauerit, nec alibi explicauerit perfectam illius definitionem. Nam illa verba, quæ adducuntur ex 2. Metaphy. ex mente Aristot. non explicant rationem finis, vt finis est, sed vt vltimus est: hoc enim erat Arist. eo in loco intentum demonstrare, vt omnes interpretes affirmant: nã idem in cæteris caussis ibi demonstrauerat. Quare verba illa negatiua, *quod non est alterius gratia*, non adducuntur ab Arist. ad explicandam aliquam rationem positiuam finis, vt est caussa finalis: sed ad explicandam rationem finis, vt est simpliciter vltimus. Quæ duæ rationes longè sunt diuersæ. Sed de hoc iterum redibit sermo inferiùs art. 2. section. 2. §. 2.

7 An in fine admittenda sit duplex habitudo?

Hæc communis sententia non eodem modo à suis authoribus explicatur: nã quidã admittunt in fine, vt habet rationem caussæ finalis, intrinsecè includi duplicẽ habitudinẽ: vt. s. ametur propter se, & vt alia amẽtur propter ipsũ: sub priori finalizat amorem sui: sub posteriori verò finalizat media, quæ propter ipsũ amantur. Alij tamen nolunt admittere duplicẽ habitudinẽ in ratione caussãdi; quãuis vtrãq; admittãt in ipso fine, qui exercet finalẽ caussalitatẽ. Nã res, quæ est finis, propter se amatur, & alia amãtur propter ipsam: at tamẽ ipsa non excitat sui amorẽ, vt caussa finalis, sed tãtum amorẽ aliorũ. Priorẽ dicẽdi modũ probauit Cursus Conimbr. 2. Physi. c. 7. q. 22. artic. 1. §. *Hæc tamen controuersia*, & §. *Itaque generalis ratio*, & satis eam insinuat Suar. in sua Metaph. disp. 23. sect. 3. à n. 8. & clariùs n. 16. Apud quos vtraq; illa habitudo finis, & ad amorẽ sui, & ad amorẽ mediorũ, explicatur per illa verba, *Cuius gratia aliquid fit*, non quidẽ virtute, & implicitè; sed explicitè, & formaliter: quia illa verba, *Cuius gratia* idem dicunt, quod, *cuius bonitatis gratia*, siue, *propter cuius bonitatem*: vt sit sensus: finis est, cuius bonitatis gratia aliquid fit. Quibus verbis explicitè declaratur caussalitas finis erga suum amorem; quia illa amoris affectio, verè fit gratia ipsius finis, cum fiat propter bonitatem illius. Quare per illa verba, *cuius gratia*, formaliter, & explicitè declaratur vtraq; habitudo finis, & ea, quę est erga media, & ea, quæ est erga amorem finis.

1. Opinio.

Posteriorem dicendi modum probauit doctissimus Fonseca in 5. Metaphy. cap. 2. q. 10. sect. 2. §. *Maior est dubitatio*, & §. *Quod verò obiectum est*. Eũdem probauit noster Greg. Arimin. in 1. sent. d. 1. q. 1. art. 2. in probation. 1. concl. §. *Cõfirmatio*, quẽ refert, & sequitur Gabr. Vasq. Bellomõtan⁹ ad 1.2. disp. 3. ca. 2. paulò post principium, & satis est de mente Ferrarien sis 1. contra gent. cap. 44. §. *Sciendum* 2. & c. 75. §. *ex antecedente hic sumpto*. Apud quos illa verba, *cuius gratia*, idem dicunt atque *cuius amore*: vt sit sensus: finis est id, cuius amore aliquid fit.

8 2. Opinio. *Fonseca.* *Gregor.* *Ferrar.*

Quę istarũ opinionũ sit verior, explicabimus in resolutione controuersiæ, an finis suam caussalitatẽ exerceat erga amorẽ sui, quem in volũtate excitat? De qua agemus in quæst. de caussalitate finis. Et hęc de definitione finis satis dicta sint. Q. 9. §. 3. n.

QVÆSTIO II.



EXPLICATA diffinitione finis, eiusque formali ratione; consequẽter explicandũ est, quot modis finis diuidatur. Pro explicatione notandum est finem diuidi posse, vel penes rationem formalem finis: vel penes materiam, id est penes res, quæ caussalitatem finis exercent. Illa diuisio erit formalis: hęc materialis: illa intrinseca; hæc veluti extrinseca. Quarè prius agẽdum erit de diuisionibus finis secundũ formalem rationem finis, quam de diuisionibus illius ratione materiæ.

Finis diuidi potest penes formam, & penes materiam.

Finis autem sub ratione finis duobus modis diuiditur: vno modo penes variã finalizandi rationem, hoc est penes esse cuius gratia; vel esse in cuius gratiã aliquid sit. Altero modo penes modum finalizandi; independenter. s. & dependẽter. Priori modo diuiditur finis in finẽ *cuius*, & finẽ *cui*. Posteriori modo, in finẽ vltimum, & non vltimum, siue medium.

Finis formaliter diuiditur penes rationem finalizãdi, & penes modum.

De priori diuisione quatuor sunt inquirenda. Primò; vtrum admittenda sit diuisio finis in *cuius*, & *cui*? Secundò; vtrũ ratio finis proprie conueniat tam fini *cuius*, quàm fini *cui*? Tertio vtrum finis *cui* habeat veram rationem finis respectu finis *cuius*: an verò solùm respectu mediorum? Quarto, & vltimo; quisnam horum finium sit principalior?

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum admittenda sit diuisio finis in finem cuius, & finem cui?

1 CELEBRIS est inter Philosophos, & Theologos modernos diuisio finis, in finem *cuius*, & finem *cui*. Eam admittunt, & explicant Fonseca in 5. Metaphysic. cap. 2. q. 10. sect. 1. Cursus Conimbricensis 2. Physic. cap. 2. q. 20. art. 2. Suarius in Metaphy. disp. 23. sect. 2. n. 2. Gabriel, Bellomontanus ad 1.2. disp. 2. cap. 3. §. *verum prætereà*, & disp. 33. cap. 1. n. 1. & disp. 48. cap. 2. n. 5. & ad 1. p. disp. 84. cap. 2. cũ cæteris recẽtioribus. Quam satis insinuat D. Thom. 1.2. q. 2. art. 7. ad 2. & 3. contra gentes cap. 36. dum fatetur hominem esse finẽ artefactorum: ex Antiquioribus expresse eam agnouerunt Ocham. in 2. q. 3. litera E. cum sequentibus, & Gabriel in 2. d. 1. q. 5. art. 1 notab. 1. illatio. 5. Antiquioribus philosophis notior fuit: eam ex Arist. deducunt Simplicius, & Philoponus, vt refert Cursus Conimbr. expresse Alexand. Aphrodisæus in 2. de anima ad illa verba Arist. eodem libr. cap. 4: *illud autem propter quod*: & inferiùs ad illa: *manifestum est autem, quod id cuius gratia*. Qui omnes eam sumunt ex Arist. 2. Physic. cap. 2. tex. 24. vbi sic ait: *id enim cuius gratia cætera fiunt, dupliciter dicitur, vt in Philosophia distinximus*. Et quanuis eo in loco expresse hanc diuisionem non scribat: tamen ex antecedentibus non obscurè illa colligitur: nam text. 22. & 23. egit de fine *cuius*, de illo, inquam, ad quẽ continuata operantis motio terminatur, & cuius acquirendi gratia exercetur. Deinde asserit, nos esse finem artefactorum, cum ea nostri gratia fiant. Et ne quis obijceret actionem artis non exerceri nostri acquirendi gratia; & subinde non esse finem, quem immediatè explicauerat; quasi obiectioni occurrens ait, finẽ esse duplicẽ: quæ profecto obiectionis solutio satis euidenter significat nos non esse finem *cuius* artefactorum, sed finẽ *cui*: artefacta enim non ob aliam rationem sunt gratia nostri, nisi quia cedunt in nostri gratiã, id est, vsum: quę est explicatio finis *cui*. Et hæc est communis interpretatio nouiorum, vt Arist. distinguat finẽ *cuius*, & finẽ *cui*. Ita explicat Cursus Conimbr. in eodem loco cũ cæteris recentioribus, & hanc fuisse explicationem Simplicij, & Philoponi plerique testantur, & mihi eadem fuit explicatio Commentatoris, quanuis vtatur alijs verbis.

D. Thom. *Gabriel.* *Philopon.* *Alexand.* *Arist.*

2 Expresior est locus apud Aristotelẽ 2. de anima cap. 4. tex. 35. & 36. immò ex litera græca adeò est expressus, vt nullus dubitãdi locus relinquatur, quin Arist. huius distinctionis auctor fuerit: ita habet litera græca: τὸ δὲ οὗ ἕνεκα διττόν· τὸ μὲν οὗ· τὸ δὲ ᾧ, verbũ pro verbo latinè ita vertenda sunt, vt benè annotauit Bellomõtanus: *id cuius gratia duplex: alterum cuius; alterũ cui*: nã οὗ genitiuus est nominatiui ὅς id est, qui: vnde idem est, quod *cuius*, vt videre est apud Lexicon: at particula ᾧ esse

Aristotel.

esse datiuum casum eiusdem nominis, quando cum inspiratione scribitur in neutro genere ex nominatiuo ὅ, id est *quod*, docet grammatica græca. Accõmodatissima igitur est præcitata versio: quæ etiam fuit antiquissima apud Auerroem, & Alexandrum Aphrodisęũ, & melior est quam versio Argyropyli Perionij, & Cursus Conimb. quæ ita habet: alterum, *quo* alterum, *cui*. Quanuis hęc etiã versio admitti debeat: tũ quia in idem recidit cum nostra: quia finis (*cuius*) dici etiã potest finis, *quo*; est enim id, quo tendit agentis operatio, vt Themistius in sua paraphrasi explicauit, si credimus Bellomontano: tum etiã; quia dictio οὗ sine aspiratione aliquando idẽ valet quòd, *quò*, aduerbium. Sed non est probãda trãslatio antiqua, quę est apud D. Tho. ita vertens: *alterum, cuius, alterum, quo*: nam ablatiuus apud Latinos respõdet genitiuo græco, & non datiuo: at græcè habetur: τοῦδε ᾧ in datiuo.

Auerr. Alex. *Themist.*

3 Igitur præfata finis diuisio, in *cuius*, & *cui*, tanquam verè Aristotelica probanda est, quam alijs verbis, in idem tamen recidentibus explicauit Commentator, tum 2. Physic. comment. 24. tum 2. de Anima comm. 35.

Auerr.

Finis, *cuius*, est id, cuius obtinendi gratia, aliquid fit: vt valetudo, cuius assequẽdæ caussa medicamentum sumimus: est enim vltimum motionis, vt ait Arist. 2. Physic. cap. 2. tex. 23. Finis, *cui*, est id, in cuius gratiã aliquid fit: vt ægrotus, cui valetudo interuentu medicamẽti procuratur. Cum enim bonum alicui debeat esse bonum; bonum, quod procuratur, & intenditur, erit finis, *cuius*: id verò, cui tale bonum est bonum, erit finis *cui*.

Arist.

ARTICVLVS II.

An ratio finis propriè conueniat, tam fini cuius, quàm cui?

1 CIRCA propositam finis diuisionem dubitari potest, an formalis ratio finis, vtrique fini, *cuius*, inquam, & *cui*, propriè conueniat? Quod soli fini *cui*: propriè accõmodetur, probarunt Ochamus in 2. q. 3. litera E. & Gabriel in 2. d. 2. q. 5. art. 1. notab. 1. illatio. 5. qui putãt finem *cuius* non esse propriè finem, nisi largè sumpto finis vocabulo: quam sententiam Suarius loco citato tribuit Hêric. quodl. 2. q. 1. sed nihil hac de re scribit eo in loco. Alij ex diametro oppositum docent, solum finẽ *cuius*, esse verè, ac propriè finem: finem verò *cui*, si propriè loquendum est, non esse finem, sed subiectum, in quo recipitur finis *cuius*. Qui ita senserint, ego inuenire nõ potui, sed quosdam ita sensisse refert Ochamus vbi suprà.

Prima opinio. *Ocham.* *Gabriel.*

2. Opinio

Probanda est opinio media, quæ affirmat in vtroque fine *cuius*, scilicet, & *cui*, saluari propriam, & veram rationem finis, & vtrũque inter veros fines simpliciter esse enumerandum; Ita Fonsec. in 5. Metaph. cap. 2. sect. 10. q. 1. §. huic dubitationi. Suar. in Metaph. disp. 23. sec. 2. n. 2. Bellom. ad 1. 2. disp. 2. cap. 3. §. *in hac tamen sententia*. Quæ opinio generaliter quoad vtrũq; finẽ probatur ex Arist. tũ 2. Phy. c. 2. tex. 24. tũ 2. de Anima cap. 4. tex. 35. & 37. vbi finem sumptum sub formali ratione finis, prout scilicet est id cuius gratia cætera fiũt, diuidit in finem *cuius*, & *cui*, vt suprà ostendimus.

2 Vera opinio

Fonsec.

Ratione id ipsum generaliter ostenditur; quoniam in vtroq; fine reperitur sufficiens ratio bonitatis, cuius gratia, cætera fiant. Et quidẽ quod ratio boni in vtroq; propriè reperiatur, inde probatur; quia vterq; finis per se, & ratione sui terminat aliquẽ amorẽ: nam finis *cuius*, terminat amorem concupiscentiæ: finis verò *cui*, amorẽ amicitię, ex cõmuni omnium Theologorum sententia: ergo vterque finis ratione sui habet propriam, & veram rationem boni: amor enim non nisi ad bonũ terminari potest. igitur finis *cuius*, habet rationem boni, quod est obiectũ cõcupiscẽtię; finis verò *cui* est bonũ, quod est obiectũ amicitiæ.

Ratio boni in vtroque fine.

Quod verò vterque finis sit gratia cuius cætera fiũt; ex dictis ostẽditur: quoniam amor alicuius boni ex sua natura caussat eiusdem boni desideriũ, simulq; intentionẽ, & propositum illius assequẽdi per aliqua media, quæ illius gratia, & eligãtur in ordine intẽrionis, & applicẽtur in ordine executionis, vt ex Philosophia supponimus: igitur cũ vterq; finis ratione proprię bonitatis ametur; vtiq; amor vtriusque, simul cũ desiderio caussabit intentionem aliquorum mediorũ, quæ vtriusque gratia, & eligantur in intentione, & applicentur in executione.

3 Quę ratio adhùc cõfirmabitur: quia iſti duo fines ita inter ſe ſunt connexi, vt vnus ſine altero nequeat ſuam cauſſalitatem finalem exercere: immo conſtituunt vnum,& integrum finem, cuius gratia cętera totaliter,& adęquatè fiũt nam homo ſanus eſt finis integer, gratia cuius fiunt, & applicantur medicamenta: ſub alia tamen, & alia ratione: quia ſunt gratia ſanitatis, vt conſequẽdę homini:gratia verò hominis, quia in illius gratiam procuratur ſanitas,

4 Sed ſpecialius cõtra ſententiã Ochami,& Gabrielis, id oſtendi poteſt de fine *cuius*: nam quę Ariſt. de cauſa finali ſcribit,tum 2.Phyſic. cap.3. tum 5. Metaphy. cap. 2. tum etiam vbicunque de fine loquitur; ea omnia fini *cuius* accõmodat: nã omnia ferè ſemper illuſtrat exemplo ſanitatis,quam eſſe finem *cuius* nullus dubitauerit. Quin potius aliqua docet de cauſſa finali, quæ ſoli fini *cuius* conuenire valent.Inter quæ illud occurrit, cauſſas ad inuicẽ eſſe cauſſas; quod non niſi de fine *cuius* verum habet: ſimiliter ſoli illi conuenit id, quod docet finem ſub vna ratione eſſe cauſſam agentis,& ſub alia eſſe effectum illius: quod non conuenit fini *cui*,ſi præciſè ſumatur ratione ſui: nã licet medicus faciat hominem ſanum; non tamen ſimpliciter facit hominem: cum tamen ſimpliciter efficiat ſanitatem in homine.

5 Accedit eo; quoniã ille finis dicitur propriè,& verè finis,qui habet bonitatem ſibi propriam,propriumque finalizandi modum; talis autem eſt finis *cuius* ſecundum ſe acceptus: is enim ſecundũ ſe eſt bonum quoddam formale, fundatum in formali perfectione;cuius per ſe ratio in eo eſt poſita, quod ſit actus, & perfectio alterius: & ſubinde quod ſit bonum conueniens alteri, & alteri appetibile. Quæ bonitatis ratio vendicat ſibi ſpecialem rationem finalizandi; vt inferiùs oſtendemus. Igitur ratio formalis finis verè, & propriè conuenit fini *cuius*. In hoc art. n.24.

6 Ex quo fundamento colligitur ſpecialis impugnatio poſterioris ſentẽtię, quæ negat finẽ *cui* eſſe verum finem; nã finis *cui*,vt talis eſt,habet ſpecialem bonitatem diſtinctam à bonitate finis *cuius*,vendicantem ſibi propriam, & ſpecialem finis rationem:finis enim *cui*, vt talis eſt,eſt bonum,non quia eſt bonum alteri; ſed quia ipſe eſt bonum in ſe, vt latiùs dicemus inferiùs.Quod genus boni vendicat ſibi ſpecialem rationem finalizandi: quia vendicat ſibi eſſe id, in cuius gratiam,hoc eſt, cuius perficiendi gratia,aliquid fit.Qui finalizandi modus,nõ ſolum verus eſt,& proprius, ſed etiam eſt diſtinctus à modo finalizandi finis *cuius*, quod ſtatim accuratiùs explicabitur. In ſequenti ſect.2.

Concludendum eſt igitur tam finem (*cuius*) quam finem (*cui*) ſimpliciter eſſe connumerandos inter veros fines.

§. 2.

Argumenta contra finem(cuius)& eorum ſolutio.

CONTRA noſtram reſolutionẽ nonnulla obijciunt aduerſarij; & quod ſolus finis *cui* ſit verè,& propriè finis pro Ochamo, & Gabriele ita oſtendi poteſt.Primùm,quia ille eſt propriè finis, in quo ſiſtit intentio agentis: nam cætera potius videntur habere rationem mediorum:ſed intentio agẽtis ſolùm ſiſtit in fine *cui*, nam ad illum vltimatè omnia ordinat. 7 Argumenta contra finẽ (cuius)

Secundò; ſolus finis *cui* eſt gratia cuius fiunt omnia,quę in eadem ſerie fiũt: nam & ipſe finis *cuius* eſt gratia finis *cui*: ſanitas enim fit, & procuratur in commodum & bonum ægroti. Accedit, quia amor concupiſcentiæ, qui terminatur ad finem *cuius* dirigitur in amorem amicitiæ, qui terminatur ad finem *cui*.

Confirmatur ratio,quoniam finis *cuius* ſolum amatur,quatenus eſt proportionatus, & conueniens fini *cui*: amatur enim,quia eſt bonum illi. Ergo finis *cui* verè, & propriè habet rationem medij: nam propriũ eſt medij amari,quia eſt proportionatum fini.

Tertiò; ille finis habet veram rationem finis, qui propter ſe amatur,& intenditur; vt patet ex Ariſt.2. Metaphy. cap.2. text.8. *Tale* (inquit) *eſt quod non eſt gratia alterius,ſed eius cauſſa cætera.* Sed ſolus finis *cui*, eſt propter ſe: nam finis *cuius* amatur, vt bonum alteri, & propter alterum; nempe propter finem *cui*, qui non amatur propter alterum,ſed propter ſe,vt docet D. Tho.1.2.q.26. art.4. Tertiò.

Quartò

Quartò. Quartò, instrumenta non enumerantur inter agentia simpliciter: ergo nec finis *cuius* debet inter fines simpliciter enumerari. Probatur consequentia, quoniam sicut instrumenta non agunt, nisi vi agentis principalis: ita finis *cuius* non appetitur, nisi in virtute finis *cui*: nam propter illum appetitur.

8 Solutio arg. Ad 1. Hæc facilè soluuntur. Ad primum dicendum est intentionem agentis adæquatè sistere in fine integro, qui componitur ex fine *cuius*, & fine *cui*: inadæquate verò, & partialiter in illis duobus. Dari autem vnum finem totalem ex vtroque illo fine integratum benè aduertit Suar. in dicta disp. 23. suæ Metaphy. sect. 2. n. 5. vbi etiam aduertit intentionem agentis adæquatè sistere in illo integro fine. Quod mihi insinuant verba Arist. tum 2. Physic. cap. 3. tex 29. tum 5. Metaphy. cap. 2. tex. 2. Nam postquam dixit sanitatem esse id, cuius gratia quis deambulat, ita ait: *propter quid enim ambulat? dicimus, vt sanetur.* Quare intentio medici adęquatè fertur in hominem sanum, & intentio ægroti, dum potionem sumit, adæquatè fertur in se ipsum sanum: inadæquatè autem intendit tum sanitatem, tanquam bonum sibi; tũ se ipsum, tanquam cui sanitas est bonũ. Et rectè quidem; quoniam amor finis, in quo fundatur agentis intentio, necessario tendit in duos terminos, nempe in bonum, quod quis alteri vult: & in personam, cui illud vult, ex D. Thom. 1. 2. q. 26. art. 4: amare enim (vt ait Arist. 2. Rhetoric. cap. 4.) est velle alicui bonum.

Arist.

His ita suppositis facilè patet primi argumenti solutio; negãda est enim minor; quia intentio agentis non sistit in solo fine *cui*, sed in vtroque, modo quodam subalternato: & ex vtroque vltimatè, & adęquatè intendit vnum finem ex vtroque compositum. Quare sicut generantis intentio nec in sola forma, nec in sola materia adęquatè sistit, sed in composito; ita in proposito. Quare media ordinantur ad finem *cuius*, & ad finem *cui* modo quodam subalternato: quia eliguntur, & applicantur gratia consequendi finem *cuius*, idque in gratiam finis *cui*: quia consecutio finis *cuius*, est consummatio, & perfectio finis *cui*.

9 Ad 2. Ad secundum negandum est, solum finem *cui* esse, cuius gratia cætera fiunt: nam hoc ipsum verè etiam, & propriè conuenit fini *cuius*, vt docet Arist. in locis art. 1. citatis. Quod vt melius intelligas aduerte definitionem finis positã art. 1. ita esse explicandam: *finis est gratia cuius* (id est intentione cuius) *cætera fiunt*; vel, si mauis, *cuius amore cætera fiunt, intendunturque ab agente:* cum verò ea, quę fiũt intentione assecutionis finis, sint media vt patet; omnia autem media fiant, non solum intentione finis *cui*, sed etiam intentione finis *cuius*, vt immediatè diximus ad primum; fit vt esse gratia cuius cætera fiunt, conueniat vtrique fini. Vtrum verò, & quomodò finis *cuius* sit gratia finis *cui* explicabimus. §. 2.

Ad confirmationem neganda est cõsequentia propter disparem rationem proportionis, quæ cernitur in medijs, & in fine *cuius*: nam media amantur, quia sunt proportionata ad assequendum finem: at finis *cuius* appetitur; quia est formalis perfectio ꝓportionata ad perficiendum finem *cui*.

10 Ad 3. Ad tertium neganda est minor: quia etiam finis, *cuius*, amatur propter se: nã cætera amantur propter ipsum, vt sæpissimè docet Arist. Neque huic doctrinæ officit finem *cuius* amari vt bonum alteri: quia hęc duo non pugnant, *amari vt bonum alteri, & amari propter se*, id est, propter suam bonitatem: ita Suarius in Metaphy. disp. 23. sect. 6. n. 10: nam bonitas, quę est alteri bonitas, potest ratione sui excitare desiderium, & intentionem assecutionis sui: quod satis est, vt dicatur amari propter se; cætera verò propter ipsum. Nec D. Thom. in dicto art. 4. dixit, *Amari propter se solum conuenire ei, cui bonum volumus*: sed solum dixit, *amari per se, & absolute* (id est non vt bonũ alterius) *esse illi proprium*: quod longè est aliud.

11 Ad 4. Ad quartum; concesso antecedente neganda est consequentia, propter disparem rationem: quoniam instrumẽta non agunt nisi virtute mendicata, & accepta ab agente principali: ob quam rationem instrumentum simpliciter nõ operatur; sed agens per illud. At finis, *cuius*, propria sua virtute, & bonitate exercet causalitatem finis, vt diximus ad tertium: quanuis illam exerceat cũ subordinatione ad finem, *cui*, vt dicem⁹

inferiùs: quæ subordinatio non facit, quod non sit verè, & simpliciter finis: alioqui caussæ efficientes subalternatæ superioribus non essent simpliciter causæ; quod non probat vera philosophia. Vide Fonsecam in dicta q.10.sect.1.

§. 3.
Argumenta contra finem, cui, & eorum solutio.

12 Argumenta contra finẽ cui.

QVOD finis cui non debeat cõnumerari inter fines simpliciter ostendunt auctores posterioris sententiæ. Primum ex verbis Aristot. 2. Physic.cap.2.text.24.vbi postquam dixit: *Omnia, quæ arte fiunt esse gratia nostri*, mox subdit: *sumus enim & nos quodammodò finis*, quæ particula diminuit rationem finis.

1.

Deinde;vbicunque Arist.loquitur de fine,semper intelligitur de fine *cuius:* nã semper vtitur exemplo sanitatis. Et in multis locis intelligi non potest de alio fine,vt patet in 2.Physic.cap.7. text.31. dum ait, formam introducendam esse finem ab agente intentum,& in 2.Physi. cap.3. & lib.5. Metaphy. cap.2. vbi ait, causas esse sibi inuicẽ causas, finemq; sub vna ratione esse effectum agentis,& sub alia esse illius causam: denique finẽ esse vltimum in executione: quæ omnia soli fini *cuius*, conueniunt.

2.

3. Tertiò; si finis *cui*, veram haberet rationem finis;Deus verè haberet finẽ,ad quem dirigeretur: nam volumus Deum nobis.

4. Quartò; quia finis *cui*,non potest habere veram & propriam rationem finalizandi:nec enim videtur habere rationem appetibilis, quæ ratio est necessaria ad rationem finis.

5. Postremo finis *cui*,est subiectum finis *cuius*: homo enim est subiectum sanitatis; similiter etiam visionis beatæ, &c. At habitudo subiecti diuersa est ab habitudine finis.

13 Solutio arg. Ad 1. Fonseca.

Hæc facilè soluũtur. Ad primum respondetur cum Fonseca lib.5. Metaphy. cap.2. q.10. sect.2. §. huic dubitationi; Arist.non posuisse particulam *quodãmodò*, vt imminueret propriam rationem finis, sed vt ostenderet alium modum finis:quasi dictum sit:*Sumus & nos finis eorum,quæ arte fiunt, sed alio quodammodò*; ab eo scilicet, quem prius explicauerat: egerat enim de fine *cuius*, quandò dixit: *id quod generationis extremum est* (nẽpe formam) *finem esse*. Quod plane intellexit de fine *cuius*. Vnde statim simpliciter adiũgit duos esse fines à se iam alibi in philosophia explicatos.

14 Ad 2.

Ad secundum admittẽdum est Arist. sępissimè loqui de fine *cuius*:inde tamen non bene inferri finem *cui*,non esse apud illum proprie,ac simpliciter finem:nam etiam illius non rarò facit mentionem, vt superiùs ostendimus. Quin potius dari illum duplicem finem supponit tanquam rẽ omnibus notissimam, dum 2. Physic.cap.2.text.24. affirmat se id iam docuisse in libris de Philosophia;in illis inquam, quorum meminit Laertius, & post eum Cicero 3.de natura deorum.

15 Ad 3.

Ad tertium, neganda est sequela; si eorum opinionem probas, qui negant finem *cui* habere veram rationem finis respectu finis *cuius*, boniq́ue concupiti. Quare licet eum nobis concupiscamus tanquam vltimum bonum nostrum, & tanquam finem *cuius*;non proinde infertur Deum referri ad nos tanquam ad finem.Igitur in illo motu,& tendentia ad vltimum finem, & Deus est finis *cuius*, & homo est finis *cui*: nõ respectu Dei, quẽ nobis volumus: nec etiam respectu visionis beatæ; quæ est nostra formalis beatitudo: sed respectu mediorum,quibus tendimus ad beatitudinem:illorum enim & Deus visus est finis *cuius*, & homo est finis *cui*. Si verò cum alijs probas finem *cui* vere esse finem respectu finis *cuius*; difficilior erit solutio, quam inferius expendemus diligentius.

16 Ad 4.

Ad quartum negandum est antecedens:nam sicut finis *cui* alio modo est finis, quàm finis *cuius*, vt colliges ex Aristotel.2.Physic.cap.2.text.24. iuxta expositionem, quam in solutione primi probauimus: ita etiam diuersam habet finalizandi rationem. Quæ veritas inde etiam demonstratur; quia finis *cui* habet propriam bonitatem distinctam à bonitate finis *cuius*: terminat enim amorem amicitiæ, qui est amor distinctus ab amore concupiscẽtiæ terminato ad finem *cuius*:at bonitas distinctę rationis vendicat sibi distinctũ finalizãdi modũ.

17

Pro maiori explicatione huius difficultatis notandum est bonũ dupliciter dici:

Bonum dupliciter dici.

dici: vno modo absolutè, & in se; altero modo relatè, & in ordine ad alterum. Quam distinctionem habes ex Scoto in quodl. q. 10. art. 1. litera C. D. ex quo eã dessumpsere Suar. in Metaphy. disp. 10. sect. 1. n. 6. & 13. & Bellomontanus 1. p. disp. 23. cap. 4. in principio. Eam colliges ex D. Thom. in 2. dist. 27. q. 1. art. 2. ad 1. & in quæst. de virtutibus q. 1. art. 2. ad 1. clariùs 1. 2. q. 26. art. 4. & 3. p. q. 11. art. 5. ad 3. videndus etiam est 1. p. q. 5. art. 1. ad primum: dessumi potest ex Augustin. si consideratius legatur. 8. de Trinit. cap. 3. Illud bonum dicitur bonum relatè, quod alteri est bonum: vt sanitas dicitur bona, quia est bona homini: at illud bonum dicitur bonum in se, & absolutè, quod in se ipso per se bonitatem habet. Et hoc modo Deus secluſa quacunque relatione conuenientię ad creaturas, est bonus in se, & per se: quælibet etiam res in se ipa est bona, ea præcisa ratione, quia est ens in concreto, id est, habens entitatem.

Scotus.

D. Thom.

Auguſt.

18

De ratione boni relatè ſumpti.

Vtrumque istud bonum sicut est bonum ab altero distinctum; ita etiam habet rationem formalem distinctam bonitatis, in qua fundatur distincta ratio appetitionis, atque finalizationis. De ratione formali boni relatè sumpti, nulla est controuersia: omnes enim conueniunt eam positam esse in ratione conuenientię cum altero: quę ratio conueniętię fundatur in perfectione actus formalis: actus enim formalis ex sua natura est perfectiuus alterius, vt ait D. Thomas q. 1. de veritate, art. 1. At in quo posita sit ratio formalis bonitatis absolutè, boniąue, quod in se, & per se est bonum; non facilè explicatur ab auctoribus: cum tamen ex vera explicatione huius nodi pendeat resolutio totius difficultatis.

D. Thom.

De ratione boni absolutè ſumpti.

19

Opin. quorundam.

Bellomontanus in dict. disp. 23. cap. 5. cum sequentibus putat rationem formalem boni absolutè sumpti per se cõstituendam fore in integritate, & perfectione rei in suo esse: vt idem sit *bonum* quod *integrum, & perfectum*. Putatque hãc esse propriam rationem boni transcendentis, quod conuertitur cum ente; vt idem sit bonitas entis, atque integritas illius. Ita docet in dicto cap. 5. num. 15. Quam sententiam cap. 6. n. 17. intelligit de bonitate, & integritate essentiali: nã omne ens, eo ipso quo est, habet bonitatem essentialem.

Hæc tamen sententia non est admittenda: tum; quia non distinguit bonum à perfecto, sed putat esse essentialiter sinonyma, quod inferiùs impugnabimus. Tum etiam; quia si subtilius consideretur, non loquitur consequenter: nã agẽs de bono absolutè, & in se, recurrit ad bonum relatè: nam ipsa integritas, & perfectio in quaque re comparata ad ens (cum quo non essentialiter, sed denominatiuè recurrit, vt ipse docet disput. 23. cap. 6. in fine) non potest habere rationem boni absolutè, sed relatè sumpti; si verum est id, quod docet in dicta q. 5. D. Thomæ art. 2. n. 26; bonitatem scilicet, & perfectionẽ cuiusque rei comparatam cum entitate eiusdem rei, sem per intelligi per modum proprietatis, & affectionis: iam verò id, quod ita concipitur; necessario concipitur per modum boni perfectiui eiusdem entitatis: in quo posita est ratio formalis boni relatè accepti Ex eodem fundamento reijcienda est explicatio Suarij in Metaphy. disp. 10. sect. 1. à n. 13. vsque ad 17. Cuius explicatio parum differt ab hac Bellomontani, maximè in 2. solutione, quam explicat n. 17.

20

Quarè dicendum puto bonitatẽ absolutè dictam formaliter nihil aliud esse, quàm conuenientiam quandam veluti passiuam, quæ in quaque re cernitur, ad hoc vt integretur, & perficiatur per fectionibus entitati suæ debitis: quæ cõuenientia fundatur in ipsa rei entitate, prout est quidam actus entitatiuus, quẽ admittendum esse præter actũ formalem supponimus: nã entitas rei cuiusq; vt distinguitur à bono, atque perfecto relatè sumpto, prius concipitur à nobis quám concipiatur rei perfectio, & bonitas, vt docet D. Thom. 1. p. q. 5. art. 2. & rectè quidem; quoniam teste eodem Bellomontano in dict. art. 2. n. 6. entitas rei ita considerata, semper concipitur ad modum substantiæ, & subiecti; bonitas autem, & perfectio etiam essentialis, per modũ affectionis, & proprietatis. Vnde fit; vt entitas cuiuscunque entis, prout distinguitur à bonitate, & perfectione relatè accepta, sit primum veluti fundamentum, quasi per se subsistens, in quo bonitas rei, & formalis per

21

Vera reſol.

D. Thom.

fectio

fectio suo modo fundatur. Et licebit nobis sic philosophari; vt dicamus entitatem cuiusque rei, ac perfectionem, bonitatemque illius relatè sumptã aliquo modo se habere ad rationem boni in communi, sicut se habet substantia, & accidens in ratione entis: & ob id, sicut substantia est per se ens, accidens autẽ est ens, quia ens substantiæ; ita entitas rei est bonum per se; bonum autem relatè, ideo est bonum, quia boni bonum: quod aliquo modo insinuauit D. Thom. 3.p.q.11.art.5.ad tertium. *D.Thom.*

22 Sic igitur in hac difficultate philosophandum puto; vt entitas cuiusque rei, ex eo quod ex se est actus quidam entitatiuus, fundet in se passiuam quandam conuenientiã, vt integretur, atque perficiatur perfectionibus debitis suæ entitati, quarum prima est perfectio essẽtialis, quia essentia est per quam, & in qua res quælibet habet formalem essendi actum. Secunda verò est accidẽtalis. In hac autem passiua conuenientia nõ fũdatur ratio appetibilis; hæc enim recurrit cum bono relatè sumpto, fundatur tamẽ ratio appetitiui, siue appetentis; quæ in qualibet re cernitur in ordine ad suam perfectionem, iuxta illud Arist. 1. Ethic. cap. 1. *Bonum est, quod omnia appetunt*: cum enim entitas rei sit in se bonum non relatè, sed absolutè; non potest fũdare rationem appetibilis ab altero, sed rationem appetentis alterũ. Ratio verò fundandi talem appetentiã est ratio vnitatis, & idẽtitatis, qua quælibet res est idẽ secum: inde enim caussatur amor beneuolentiæ, qua quisque se ipsum amat, & desiderat sibi suã perfectionem: & ex similitudine talis identitatis caussatur amor amicitiæ, quo amicus amico, qui est alter ipse, concupiscit perfectiones illi debitas, vt patet ex D. Thom. 1.2.q.28.art.1.

23 Quæ doctrina rursus confirmari potest: quia ratio boni relatè sumpti, vel est ipsa entis perfectio, prout connotat in eo, quod perficitur, entitatiuam quãdam commensurationem, connaturalitatem, & ordinabilitatẽ ad ipsam perfectionem, quæ appetitur. Quæ sententia est Suarij in dicta disp. 10. sect. 1. n. 12: vel saltem fundatur in tali perfectione adiuncta explicata cõnotatione. Igitur in hac entitatiua ordinabilitate, & naturali commensuratione ad perfectionem formalem, quæ cernitur in entitate cuiusque entis, vt distinguitur à sua formali bonitate, & perfectione, admitti debet quædã ratio conuenientię passiuæ ad hoc, vt entitas perfectionibus formalibus sibi debitis integretur, atq; perficiatur: & in hac passiua conueniẽtia fundatur appetentia quædam illarũ perfectionum.

24 Ex his, quæ tam latè diximus, infertur dari in fine *cui*, veram ac propriam rationem finalizandi distinctam à ratione finalizandi finis *cuius*: nam finis *cuius* finalizat, vt bonum appetibile alteri, nempe ipsi fini *cui*: finis autem *cui* finalizat vt bonum appetens sibi ipsum finem *cuius*: vterque autem mouet agentem ad assecutionem finis *cuius*: diuerso tamen modo; quia finis *cuius* mouet agẽtem ad assecutionem sui, vt est appetibilis alteri: finis autẽ *cui* mouet agentẽ, vt appetens sibi finem *cuius*. Et in hoc posita est mutua istorum finium connexio. atque subalternatio. De quo statim plura.

25 Ad postremum argumentum dicendum est finem *cui* se habere ad finem *cuius*, vt perfectibile per illum: nam sæpissimè est subiectũ illius. In subiecto autẽ perfectibili, simul cum habitudine sustẽtantis ad sustentatum, datur habitudo appetentis ad bonum concupitum: & in hac habitudine posita est ratio finis *cui*.

ARTICVLVS III.

Vtrum finis (cui) habeat veram rationem finis respectu finis (cuius) an verò solum respectu mediorum, quæ ad assecutionẽ vtriusque finis ordinantur?

1 FINIS *cuius*, vt ex dictis patet, est bonum relatè sumptum: est enim bonum concupitum alteri; nimirum fini *cui*, vt sanitas est bonũ, quod homini, tanquam fini *cui* concupiscimus. Igitur cum finis *cuius* dirigatur, & ordinetur ad finem *cui*; meritò dubitari potest; an ordinetur, & dirigatur ad illum, tanquam in verum ipsius finẽ; ita vt finis *cuius* sit, & concupiscatur propter finem *cui*, nec enim omnes conueniunt in resolutione huius difficultatis.

Sunt,

Prima opinio.

Sunt, qui simpliciter affirmant, voluntque esse bonum concupitum alicui ordinari in illum tanquam in finem. Ita docuit doctissimus Frater Franciscus à Christo eremita noster, & in hac Conimbricensi Academia vespertinæ Cathedræ rudè donatus, & præceptor meo admodum venerandus in 1. sent. d. 1. q. 5. ad finem: & videtur esse sententia Durandi in 3. d. 26. q. 2. art. 1. nu. 6. dum ait, Deum ob eam rationem esse non posse obiectum amoris concupiscentiæ; quia est amandus propter se: quasi supponat bonum, quod amatur amore concupiscentiæ, non amari propter se, sed propter illum, cui concupiscitur, tanquam propter finem. In hanc sententiam quâuis cum formidine inclinat Suarius in Metaphysica disp. 23. sect. 2. n. 8. & clariùs explicat in eadem disput. 23. sect. 3. n. 13. Fundamentum huius sententiæ inde sumi potest; quia bonum, quod alteri concupiscimus, ordinatur in illum: ergo concupiscitur propter illũ: quod denotat rationem caussæ finalis.

Fr. Franc. à Christo.

Durand.

Confirmatur ratio; quoniam is, cui aliquod bonum amatur, magis amatur, quàm ipsum bonum: ergo bonum concupitum amatur propter ipsum, iuxta regulam Arist. in 1. Poster. cap. 2. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

2 Opinio.

Negatiuam sententiam probare videntur quidam ex recentioribus, quam confirmãt: Primo; quia si is, cui aliquod bonum concupiscitur, est finis ipsius cõcupiti boni, poterit Deus ordinatè amari à nobis propter nos, tanquam propter finem: nam amore concupiscentiæ amamus Deum, illumq; concupiscimus nobis tanquam bonum nostrum, vt docet cõmunis Theologorum. Consequẽs tamen esse falsum docet D. Thom. 2. 2. q. 27. art. 3. vbi asserit Deum diligi non posse propter aliud tãquam propter finem: cum enim sit finis vltimus, non potest ordinari in alium finem. Ratione etiam id ostenditur: quoniam si Deus amaretur propter nos tanquam propter finem, nos eo actu magis amaremur essemusque illius amoris vltimus finis: quod non potest esse sine euidenti deordinatione.

D. Thom.

Secundò sequeretur finem *cuius*, non esse verè, & propriè finem: nam si finis *cuius* ordinatur in alium vlteriorem finem, iam non est propter se, sed gratia alterius: contra quod docet Aristot. in locis citatis sup. §. 2. Et hanc sententiã probat Suarius in Metaph. disp. 23. sect. 6. num. 10.

Tertiò; sententia colligi potest ex Caiet. 2. 2. q. 17. art. 5. §. *Et hæc incipit patere secundò*, quo loco generaliter docet omne, quod alicui concupiscitur, ordinari in illum tanquam in finem, vel simpliciter, vel secundum quid, idest, secundum aliquem suum effectum. Simpliciter ordinabitur in illum tanquam in finem, si secundum se sit in illum simpliciter ordinabile: secundum quid verò; si secundum se non sit in illum ordinabile; quia tunc ordinabitur in illum tanquam in finem secundum aliquem suum effectũ. Quæ Caietani doctrina probata est Medinæ 1. 2. q. 26. art. 4. §. *ex his infertur differentia*. Cumverò omnis finis *cuius* sit bonum alicui concupitum, tunc iuxta Caietani doctrinam dicitur esse propter finem *cui*, tanquam propter suum verũ finem; cum ex natura sua fuerit simpliciter ordinabilis in illum: quod si non fuerit; tunc ratione sui non erit propter finem *cui*: benè tamen ratione alicuius sui effectus. Hæc Caiet. sententia, si benè expendatur amplectitur primam sententiam cum data modificatione.

3 Opinio. Caiet.

Medin.

Quarta sententia est quorundam recentiorum, qui vtranque sententiã conciliant, sed non eodem modo. Nam Aragonius eremita noster 2. 2. q. 17. art. 5. §. *tertiò est aduertendum*, ita rem resoluit, vt dicat aliquando fieri posse, vt bonũ, quod alicui concupiscitur, ordinetur in illum tanquam in finem: id tamen non esse necessarium. Vt verò explicet, vnde nam scire possimus, vtrùm ordinetur in illum? constituit regulam bimembrẽ bonum scilicet concupitum alicui tũc in illum ordinari, tanquam in finem, cũ est ordinabile in illum tanquam in finẽ; secus si ita in illum non ordinetur. Sed cum hæc regula idem per idem declaret, non est quod de hac opinione solliciti simus. Quare artificiosior erit distinctio, quam insinuat Suarius in dicta disp. 23. sect. 2. n. 8; tunc temporis finem *cuius* ordinari in finem *cui*, tanquam in verum suum finem; cum fuerit aliquod particulare bonum: secus si fuerit bonũ

4 Opinio. Aragon.

summum

ſummum,& vltimum;quia tunc,cum tale bonum ſit finis vltimus, non poterit in alium finem referri.Et inhoc caſu is, cui cõcupiſcitur talis finis, non tam dicendus eſt finis, quàm ſubiectum, quod ordinatur ad conſequendum illum finẽ. Quæ ſententia ſatis eſt conformis opinioni Medinæ 1 2.q. 2.articul.7. in fine; nec longè eſt à D. Thom. 2.2. q. 26. art. 3.ad 1.

§. 2.

Reſolutio Quæſtionis.

3 Probatur sẽtentia neg.

EX his ſententijs ſententia,quæ negat, videtur mihi longe probabilior.Puto igitur finẽ *cui*,non habere rationẽ finis reſpectu finis *cuius*; ſed ſolùm reſpectu mediorũ,quæ ad vtrũq; finem conſequendum applicãtur. Quare homo, cui ſanitas appetitur,non eſt finis ſanitatis,ſed deambulationis,& aliorum medicamentorum, quæ ad ſanitatem homini aſſequendam adhibẽtur. In hanc ſententiam inducor;tum argumentis pro illa adductis;maximè argumẽt.2.quod videtur vrgere:tum vel maximè;quia definitio finis non poteſt accommodari fini *cui* in ordine ad finem *cuius:* nam illa verba *gratia cuius* poſita in definitione finis,idem dicunt, quod *intẽtione cuius*:vt ſit ſenſus: *finis eſt, cuius intentione cætera,quæ ſunt propter finem, appetũtur,* vt inferiùs oſtendemus in q. de cauſſalitate finis. At finis *cuius*, nec concupiſcitur,nec fit cum intentione finis *cui*:nã ſi expendimus ordinem intentionis, in quo finis *cuius* eſt primum volitum; cõſtat illũ concupiſci fini *cui*,amore quodam ſimplici abſque vllo actu intentionis: voluntas enim tendit in finem *cuius*, verbi gratia in ſanitatem,actu quodam ſimplici,qui dicitur voluntas,exD.Tho ma 1.2.q.20.art.1. ad 4: is autem actus antecedit intentionem aſſequendi finẽ volitum, vt doceri ſolet in dicta q. 20. & colliges ex D. Thom. ibi ad 4. Cui ſi adiungas bonum concupitum eodem actu,quo concupiſcitur, concupiſci alteri,nempe fini *cui*, vt docet Caiet. 2. 2. q.17. art.5. loco citato; fit vt finis *cuius* ſit volitus fini *cui* amore quodam ſimplici ſine vlla aſſequendi intentione: ex quo infertur finem *cuius*, non eſſe gratia finis *cui*: neque enim appetitur cum intentione aſſequendi finem *cui*,ſed vt formalis illius perfectio, quæ aſſecuta cõponit cum eo vnum totalem finem, qui & ab agente adæquatè intenditur,& illius actione adæquatè acquiritur.

1. Ratio.

D. Thom.

Caiet.

Confirmatur;quia id quod appetitur propter aliud,tanquam propter finem, ſemper habet adiunctam intentionem, vt per illud ad executionẽ alterius perueniatur:nam appeti propter aliud nihil aliud importat, quàm appeti,vt per illud perueniatur ad id, quod intenditur. Hoc autẽ fieri non poteſt ſine actu intentionis, vt patet ex D. Thom.1. 2. q.20.art.1.ad 4. 2.

Tertiò; pro eadem ſententia illud vrget, quoniam ſi finis *cui* veram haberet rationem finis in ordine ad finem *cuius*; finis *cuius* aliquo modo haberet rationẽ medij reſpectu finis *cui:* quod non eſt admittendum; tum; quia finis *cuius* ſecundum ſe verè eſt finis, & vbique ab Ariſtotele appellatur finis vltimus; tum etiam; quia finis *cuius* appetitur, vt formale bonum, propriaq; perfectio finis *cui*: at media non appetuntur, vt bona formalia finis *cui*, ſed vt vtilia ad conſecutionẽ illius ratione alicuius effectus. 3.

Poſtremo;ſequeretur ex vtroque illo fine nõ poſſe integrari, & componi vnũ integrum finem, qui adæquatè finalizet omnia,quæ ſunt propter finem: nam ex fine,& ex eo,quod eſt propter finem,nõ videtur integrari poſſe vnum vltimum finem: compoſitio enim ſupponit duo; quorum alterum cõponat vt perficiẽs, & alterum,vt perfectibile: quę ratio nõ reperitur inter finem,& media,quę ſunt ad finẽ. Ex quibus puto longè eſſe probabilius finem *cui*, non tam dicendum eſſe finem in ordine ad finem *cuius*; quã ſubiectum, & perfectibile appetens ſibi finem *cuius*, tanquam perfectionem ſibi debitam. 4.

§. 3.

Soluuntur argumenta partis affirmantis.

7 Ad argum.

NEC argumenta partis affirmantis quicquam efficiũt. Ad primũ admittendum eſt finem *cuius* aliquo modo dirigi in finẽ *cui*, vt benè admittit Fonſeca cap.2. quinti Metaphy. q.10.ſect.2.§.*Huic dubitationi*, & docet D. Thom.in 4.d.49.q.1. art.2.q.1. ad 3: cũ enim ſit bonum ac perfectio illius, non poteſt

Fonſeca.

Caiet. potest non habere aliquã habitudinem ad illum: negamus tñ ordinari in illũ rãquam in verum finem, nã; vt benè aduertit Caiet. 2.2. q. 17. art. 5. §. *Ethic incipit.* contingit aliquid esse concupitũ alicui, quod non ordinatur ad illud, tanquã ad finem: Deum enim nobis ordinatè concupiscimus, quem tamen ordinatè non dirigimus in nos, tanquam in finem. Ex quo cum Caietano inferimus, aliud esse *concupiscere hoc mihi*, & aliud *cõcupiscere hoc propter me.* Ex qua doctrina apparet consequentiam argumenti esse inutilem.

8 Ad cõfirm. Ad confirmationẽ respondetur primò; antecedens non semper esse verum: nã Deum nobis concupiscimus: nec tamen magis nos amamus, quam Deum. Ob quã rationem Suar. in d. disp. 23. sue Metaphy. sect. 2. n. 8. antecedens illud *solum admittit in bonis creatis, & particularibus.* Quæ prius fuit sententia Medinæ 1.2. q. 2. art. 7. in fin. vbi putat hanc esse mentẽ D. Tho. 2.2. q. 26. ar. 3. in solutionib. arg. Respõdetur secundò; etiã in illis bonis in quibus antecedens admittitur, cõsequentiam non valere; quia fieri potest, vt amor eius, qui magis amatur, non sit causa amoris, quo amatur alius; in quo casu nõ est locus maximæ Aristotelicę.

Sed objcies, amorẽ finis *cui* esse causam amoris finis *cuius*: quia amor amicitię, qui terminatur ad finẽ *cui*, est causa amoris concupiscentiæ, qui terminatur ad finem *cuius*, & ad illũ supponitur, tanquam prior, vt docent Ocham. in 2. d. 3. art. 2. lit. P. cum sequentib. & Scot⁹ in 4. dist. 49. q. 5. Cum igitur amor finis *cui*, sit causa amoris finis *cuius*, vtique finis *cuius*, amatur propter finem *cui*. Negandum est id, quod sumitur, & ad probationem negandum est etiam amorẽ amicitię esse veram causam amoris cõcupiscentiæ, & ad illum supponi ex parte actus, vt benè aduertit Bellomontan. 1.2. disp. 11. cap. 5. n. 26. & ante eum Molin. ad 1. p. q. 63. art. 2. disp. vnica memb. 2. §. *Hinc patet*: nam ex cõmuni omnium sententia amor amicitię, & concupiscẽtiæ est vnus actus, nã idem numero motus voluntatis, qui, vt terminatur ad bonum concupitum, qui est finis *cuius* dicitur amor concupiscentię: vt autẽ terminatur ad personam, cui concupiscitur (qui dicitur finis *cui*) appellatur amor amicitiæ, vt docet D. Thom. 1.2. q. 26. art. 4. communiter receptus à cæteris Theologis. Ex quo infertur fieri nõ posse, vt alter istorum amorum ab altero absoluatur: cũ enim amare, ex Arist. 2. Rhetoric. cap. 4. sit velle alicui bonũ; non potest dari amor, qui scilicet non terminetur, & ad bonum amatum alteri, & ad personam, cui amatur.

Ocham. Scot. Respõsio. Molin. D. Thom.

Si verò adhuc instes, amorem amicitiæ esse rationem, & originem amoris concupiscentiæ: si id intelligas ex parte actus, negãdum est: quia vterque amor, est vnus actus. Si autem id intelligas ex parte obiecti; concedendũ est cum Molin. vbi sup. §. *Sed etiam quod affirmant*; nam ille actus vt terminatus ad personã, est ratio ex parte obiecti, quòd terminetur ab bonũ, quod illi amatur, & in hoc sensu intelligendus est Scotus loco citato, vt colliges ex verbis illius. De Ochamo non est curandum, maximè cum longè alio modo explicet rationẽ vtriusque amoris, & existimet contra communem sententiam diuisionem illam esse in actus realiter distinctos. Obiectio. Solutio. Scotus. Ocham.

9 Alia instan tia. Sed adhuc instabis, interdũ fieri posse, vt particulare bonum (quod est finis *cuius*) supponat absolutum amorem personæ, cui amatur: ita vt ex eo verè oriatur, & causetur: etenim ex amore beneuolentiæ, quo meipsum diligo, realiter causatur amor, quo mihi volo sanitatẽ. Quod idẽ cernitur in amore amicitiæ: ideo enim Petro volo sanitatẽ, quia sũ amicus illius amore antecedente sanitatis cõcupiscentiã. Respondetur fieri nunquã posse, vt amor cõcupiscẽtiæ alicuius boni particularis supponat actũ amoris personæ absolutũ ab aliquo bono cõcupito: quia vt diximus amor amicitiæ nõ potest vlla ratione absolui ab amore cõcupiscentiæ. Admittendũ tamen est interdum posse contingere, vt amor, quo ego Petro volo bonũ particulare, nempe sanitatẽ, causet à priori alio amore, quo ego illi volo omne bonum ei debitum, & conueniẽs, vt docet experiẽtia. Cõcedẽdũ est igitur, aliquẽ amorẽ amicitiæ, & cõcupiscẽtię causari ex aliquo priori amore vniuersali ori qui simul sit cõcupiscentiæ, & amicitiæ. Ex quo nõ benè infertur bonũ concupitũ cõcupisci Petro ꝓpter ipsum Petrũ, tanquã ꝓpter finẽ: solũ enim inferri potest me, quãdo Petro volo sanitatem, eã Solutio.

hoc amore prosequi, quia illum prosequor amore quodã vniuersaliori; qui tñ simul sit amicitiæ, & concupiscentiæ.

§. 4.

Partem affirmantem etiam defendi posse.

10 Defenditur pars affirmans. Ad 1.

PARS affirmans suam etiam habet probabilitatem: vnde & in illius fauorẽ soluẽda sunt argumenta partis negantis. Ad primum argumentum facilè respondérent, qui negant Deum amari posse amore concupiscentię: quę fuit sententia nostri Fratris Francisci à Christo 1. sentent. d. 1. q. 5. ad finem, & Durandi in 3. d. 26. q. 2. ar. 1. iuxta quam sententiã negãda est sequela; quia Deus non potest nobis amari amore concupiscentiæ. At nõ placet solutio, quia vera, & cõmunis sentẽtia admittit Deum & in via, & in patria absque vlla deordinatione amari posse amore concupiscentię. De quo vide Conradum 1. 2. q. 2. art. 3. & Medinam ibi, §. *Huic argumento.*

Fr. Franc. à Christo. Durand.

Conrad. Medina.

3. Solutio.

Secũdo igitur loco facilè respõdent auctores quartæ sentẽtię, qui volunt nõ omne cõcupitum ordinari ad persona, cui concupiscitur, tanquam ad finẽ: sed illud solũ, quod ex sua natura est in finẽ ordinabile. Deum autẽ, cum sit vltimus finis omnium rerũ, ex sua natura non est ordinabilẽ in alium finẽ: quare quanuis Deus sit nobis volitus: non tamẽ est volitus nobis propter nos tanquã propter finẽ. quare negãda etiã erit sequela.

Non placet.

Sed solutio non placet; tum, quia idem per idẽ declarat, vt iam diximus: tũ etiã quia non video, cur Deus non possit in aliũ finem à nobis quam ordinatissimè referri: dũ tñ nõ in illũ vltimatè referat.

11 3 Solutio.

Richard.

Quare respondendum est 3. loco admittendo sequelã, & negando minorẽ: quia licet non possimus ordinatè velle nobis Deum, referendo eum in nos tanquã in finem, in quo vltimatè sistamus; quia Deus est vltimꝰ finis *cui*, in quo solo vltimatè sistendum est; tamẽ possumꝰ sine vlla deordinatione velle Deũ nobis tanquam fini *cui*: si tamen illum velimus nobis, propter nos quidẽ, sed non vltimatè ꝓpter nos, sed propter ipsũ: quatenus dum ille nos obiectiuè beat, in nobis ipse glorificatur, vt benè aduertit Richard. in 3. d. 26. art. 7. q. 2. ad finẽ corporis: nam & Deus ipse, dum seipsũ vult nobis tanquam vltimum bonum nostrũ vltimumq; finem *cuius*, refert se ipsũ ad nos tanquam in finem *cui*, non vltimatè propter nos, sed vt in nobis suam gloriã ostendat. Ad probationem verò minoris dicimus D. Thom. ita esse intelligendum, vt Deus vltimatè diligi non possit propter aliud; cum ipse sit, & debeat esse vltimus finis, ad quem cætera omnia dirigi debent. Ratio autem adducta inutilem habet sequelã, si consequens simpliciter, & absolutè intelligatur. Pro explicatione aduertendum est, ex mente Conradi 1. 2. q. 2. art. 7. ad 2. Deum duobus modis posse á nobis amari; vno modo; vt est bonum quoddam in se, & absolutè: altero modo; vt est bonum nobis. Priori modo amatur amore amicitiæ; posteriori verò, amore concupiscentię.

Aduertendum etiam amorem concupiscentiæ terminatũ ad Deum, vt est bonũ nostrum, esse amorẽ amicitiæ, vt terminatur ad nos. Cum verò amor amicitiæ habeat nobiliorem rationem amoris, quàm amor cõcupiscentię; & ex parte obiecti sit origo illius, vt suprà diximus; necessario infertur illo vnico amore, quo Deum nobis amamus; nos nobiliori modo, & magis amari, quàm Deũ, vt habet rationem boni nostri: inde tamen nõ benè inferri nos illo amore magis amari, quàm Deum, vt est quoddam bonum in se amabile amore amicitiæ: nam licet nos amemus Deum amore cõcupiscẽtię, quia amamus nos metipsos: tamen amore amicitiæ, ideo amamus nos metipsos, quia Deũ amamus amore amicitiæ, vt in se ipso est, quoddam summum bonum, sed de hoc latiùs disputare non est huius loci.

12 Ad secũdũ.

Secundum argumentũ propter suam difficultatẽ difficilẽ reddit hãc opinionẽ: possumus tamẽ dicere, quod sicut in causis efficientibꝰ, vnã causã esse alteri subalternatã, nõ infert eã nõ esse verè, ac simpliciter causã: ita etiã finẽ *cuius* subordinatũ esse fini *cui*, nõ impedit, quominus verè, ac simpliciter dicatur finis, vt benè adnotauit Fõseca 5. Meta. c. 2. q. 10. sect. 1. Maximè cũ hi duo fines, sint fines diuersæ rationis, & ordinis; si quidẽ vnus finalizat, vt bonũ alteri appetibile; alter verò, vt bonũ appetẽs sibi aliud bonũ. Sed an ista solutio satisfaciat difficultati ꝙ alteriꝰ sit iudiciũ: nobis hæc sentẽtia non vr admodũ ꝓbabilis.

ARTI-

ARTICVLVS IIII.

Quis istorum finium sit principalior? finis (cui) an finis (cuius.)

1

CVM vterque istorum finium *cui*, & *cuius* sit verè, & propriè finis, vt iam constituimus; poterit quis inquirere quisnam eorũ sit principalior? In qua dubitatione refertur Henric. quodl. 2. q. 1. docens finem *cuius* (quẽ appellat finem sub fine) esse minus principalem; finem autẽ *cui* esse principaliorẽ: cum finis *cuius* sit veluti illius instrumentum. Henricum ita existimantẽ refert Fonseca 5. Metap. cap. 2. q. 10. sect. 1. §. *Huic dubitationi*. Sed nec opinio ista ita indistinctè prolata vera est: nec Hẽricus vllum de ea fecit verbum in loco, qui citatur: fortè citandus erat in summa art. 49. q. 5. litera K. & M. vbi meminit cuiusdam finis, quem appellat finem sub fine: sed eo in loco non agit de fine *cuius*, & *cui*, sed de fine *qui*, & *quo*, vt legẽti facilè patebit.

Opinio Hẽric. imputata.

Fonseca.

2

Pro explicatione dubitationis aduertendũ est cũ Suar. in Metap. disp. 23. sect. 2. n. 6. posse duos istos fines inter se cõparari, vel in ratione entis, vel in ratione caussandi, siue finalizandi. Si cõparatio fiat in ratione entis: sensus quæstionis erit; quisnam illorum finium sit ens perfectius? & respondendum erit cum Fonseca, & Suario locis citatis non esse per se necessariũ, vt vnus eorũ semper sit perfectius ens, quàm alter: sed finem *cui*, interdũ esse ens perfectius, interdũ verò imperfectius altero; idemq; posse contingere fini *cuius*. Nam homo, qui sibi tanquam fini *cui* operatur sanitatem, est ens longè perfectius, quàm sanitas, quæ est finis *cuius*: Deus verò, qui est finis *cuius* propter quem sibi acquirendũ homo operatur, est nobilior homine, qui habet rationem finis *cui*. Deus etiam in Verbi diuini incarnatione misit filium suum in mundum propter hominẽ, tanquam propter finem *cui*, illud bonũ prẽparabatur: & tamen Christus homo est ens excellẽtius non modo quocunq; puro homine, sed etiã tota hominũ collectione. Quare finis *cui* interdum est ens perfectius, interdum verò finis *cuius*.

Aduerte Suar.

Fonsec.

3

Sed quæres vnde nã cognosci poterit; quãdo vnus est altero entitatiue perfectior? Distinguendũ erit: nã si finis *cuius* fuerit aliquod accidẽs intrinsecè perficiẽs finẽ *cui*; tũc finis *cui*, cũ sit substãtia, erit perfectioris entitatis: nisi fortè putes accidẽtia supernaturalis ordinis esse entitatiuè perfectiora quacũq; substãtia ordinis naturalis; quæ fuit sentẽtia Molinæ 1. p. q. 12. ar. 5. disp. 2. ad 2: nã tunc distinguendũ erit, an finis *cuius* sit eiusdẽ ordinis cũ fine *cui*, vel superioris; quæ tamẽ distinctio nõ erit necessaria; cũ opposita sentẽtia cõmunior sit, & verior, quæ fuit Scoti in 4. d. 49. q. 2. lit. D. & O. At verò si finis *cuius* fuerit aliqua substãtia extrinsecè perficiẽs finẽ *cui*, ni mirũ per coniunctionẽ vnius ad alterũ; qualis est Deus, quẽ nobis tanquã bonũ sũmum concupiscimus: qualis itẽ est pecunia, quã aut nobis, aut amico volumus; tunc adhibẽda est distinctio eiusdẽ, aut superioris ordinis. Nã si est ordinis superioris (vt est Deus, qui est noster finis supernaturalis) substãtia etiã separata, in cuius altissima cognitione beatitudo naturalis est posita, finis *cuius* erit ens præstãtius: minus tamẽ præstãs, si fuerit eiusdem ordinis cum fine *cui*.

Molina.

Scotus.

Dubitatio.

4

Si autẽ cõparatio fiat inter hos fines in ratione caussandi, siue finalizãdi; simpliciter asserendũ est finẽ *cui* esse principaliorẽ: quia habet nobiliorẽ rationem caussandi: nã cũ finis *cui* sit bonũ per se, ac veluti subsistẽs, finalizat sibi assecutionẽ finis *cuius*: homo enim finalizat sibi sanitatẽ: at finis *cuius* cum sit bonum relatè ad finẽ *cui*, finalizat quidẽ sui ipsius assecutionẽ; non tã sibi, sed alteri, nẽpe fini *cui*. Iam verò finalizare sibi aliquã perfectionẽ est nobilior modus finalizandi, quã finalizare se alteri. Hinc est vt finis *cui* finalizet vt bonũ appetẽs sibi finẽ *cuius*; finis autẽ *cuius* finalizet, vt bonũ appetibile fini *cui*. Ex quo etiã fit, vt finis *cui* sit prima, & originalis ratio totius finalizationis: ẽst enim radix, & origo, quod finis *cuius* finalizet: nã ideo amamus finẽ *cuius*, nẽpe sanitatem; quia amamus finẽ *cui* nimirũ Petrum, cui eã volumus: amor autẽ est prima caussa, & ratio totius caussalitatis finalis. Igitur cũ amor finis *cui* sit origo, & ratio, cur ametur finis *cuius*; nobilior finalizãdi ratio illi cõuenit. Ob quam caussam nobiliorẽ amorẽ fundat: fũdat enim amorẽ amicitiæ, qui nobilior est, quàm amor concupiscẽtiæ, qui fũdatur in fine *cuius*. Deniq; cũ finis *cui* sit subiectũ finis *cuius*;

Comparantur duo hi fines in ratione caussandi.

ad illũ vltimatè sistit tota finalis caussalitas; tũc enim cessat agentis operatio, cum assequitur bonum, & perfectionem finis *cuius* ipsi fini *cui*.

5 Quarè sine vlla trepidatione asserẽdum est finem *cui* in ratione causalitatis esse præstãtiorem ipso fine *cuius*, etiã quando Deus induit rationem finis *cuius*, ideſt, quando induit rationem boni relatè sumpti. Nam in motu, & tendentia assequendi Deum nobis, nos sumus finis *cui* respectu mediorum: Deus autẽ est finis *cuius*. Vnde in illo motu nos habemus nobiliorem caussandi rationem, quàm Deus: quia vt sic Deus finalizat se ipsum, vt bonum alteri: nos autem finalizamus eadem media, vt quoddã bonum absolutè sumptum, ac veluti per se subsistens. Sed quia isto modo finalizamus non vt vltimus finis *cui*, sed cũ subalternatione ad Deum, vt est finis *cui*, simpliciter omniũ vltimus, in cuius gloriam cedit omnium aliorum finiũ perfectio, & consummatio: ideò in illa etiã tendentia Deus nobiliori modo finalizat: sumptus tamen, non vt est summũm bonum relatè acceptum, sed absolutè sumptum induẽs rationem finis *cui* simpliciter vltimi.

6 Ex qua resolutione infertur finẽ *cui*, sub ratione finis *cui* magis amari, magisq; intendi, quàm finem *cuius*, cũ enim amor finis *cui* sit origo & ratio amoris finis *cuius*, vt sup. diximus; vtique magis amabitur, quam ille. Nec obijcias Deũ, quando à nobis amatur, habere rationem finis *cuius*, saltem respectu mediorum, quibus illum assequi intendimus: nam respõdetur, quod licet Deus, vt est bonum quoddam absolutè sumptum, & prout habet rationem vltimi finis *cui*, simpliciter magis ametur, quã nos amemur: tamen prout induit rationem boni relatè sumpti, & prout induit rationem finis *cuius*, sicut amatur amore minus nobili, quàm sit amor, quo nos amamur (amatur enim amore concupiscẽtię. nos verò amore amicitię) ita etiam minus amatur, quàm nos amemur, neq; hoc debet reputari inconueniens: quia cum hoc simul stat, quod Deus eodem amore simpliciter magis ametur sub ratione boni absolutè sumpti, & prout est vltimus finis *cui*: cũ enim talis amor non vltimatè sistat in nobis, sed vlteriꝰ tendat in Deum, vt est vltimus finis *cui* cæteri fines subalternantur, & in cuius virtute finalizant; eodẽmet amore virtualiter magis amatur quàm nos: sub alia tamen ratione; quia iã non amatur amore concupiscẽtiæ, sed amicitiæ, vt diximus ad primum argumẽtum partis negatiuę.

Obiectio.

Solutio.

QVÆSTIO III.

DEINDE agendum est de posteriori diuisione finis in vltimum, & non vltimum, siue medium: quæ sumitur ex modo finalizandi independenter, vel dependẽter ab alio. De qua diuisione solùm inquirimus, an hæc diuisio sit admittẽda?

ARTICVLVS VNICVS.

An admittenda sit diuisio finis in proximum, & vltimum?

1 SECVNDO loco diuidi solet finis in proximum, siue medium, & vltimum, siue remotum. Hac diuisione tanquam omnibus nota multis in locis vtitur D. Thom. 1.2.q 1.art.3.ad 3. q.12.art.3.q.21.art.1.ad 2.2.2.q.23. artic.7.& q.123.art.7.& in 2.d.41.q.1.artic. 1. & mille alijs in locis. Ægidius in 2.dist.38.q.2.art.2. vbi Richard. art.3. q.3. Capreol. in 2. dist.9.q.1. art.3. ad 4. Ocham. in 2.d.3. art.2.corol 2. & 3. lit. P.Q.R. Ex recentioribus Suarius in Metaphysic. disput.23.sect.2.n.14. denique est apud omnes receptissima.

D.Thom. *Ægid.* *Richard.* *Capreol.* *Ocham.*

2 Vnus est Bellomontanus, qui hanc diuisionem non recipit in 1.p. disp.82.ca. 2.n.8.& latiùs 1.2.disp.4.cap.2.vbi multis ostendit nullum dari finem proximũ siue medium, sed omnem finem esse vltimum, vel simpliciter, vel in tali serie. Admittit quidem fieri posse, vt quę modo gratia alterius appetuntur tanquã media, interdum appetantur tanquam fines; quia fieri potest, vt pręter vtilitatem ad assequendum finem, ad quem ordinantur; habeant propriam aliquã bonitatem, ratione cuius propter se appetantur, & gratia illorũ, cætera: attamen fieri non posse, vt in ea serie, in qua appetuntur gratia alterius, habeant rationem finis. Ita colliges ex eo in dicta disputat.4. cap. 1. §. *In qua controuersia*. & capite secundo, §. *Postremò Aristotel.*

Opinio particularis.

Quam

Quam sententiã & auctoritatib° Arist. & rationibus confirmat, quas inferiùs referemus.

3 Reijcitur.

Hæc sententia non solùm omniũ philosophorum, & Theologorum consensui repugnat, vt patet ex ijs, quos citauimus, sed etiam Aristotel. Quidam cõtra eam expendunt locum Aristotelis 2. Physic. cap. 3. tex. 29. & 5. Metaph. cap. 2. tex. 2. inter quos est Suarius loco citato, & ante eum Fonseca in 5. Metaph. cap. 2. in expositione text. lit. L. Adde etiam D. Thom. in vtroque loco: in Physicis quidem lect. 5. in Metaphysica verò lect. 2. Consentit Sotus in 2. Phys. citato loco. Qui omnes putant Arist. illis in locis, & vltimum finem, & fines inter medios cognouisse, atq; etiam docuisse, non solum sanitatem habere rationẽ finis, sed etiam ea, quę inter medicum, & sanitatem interiacent, respectu tamẽ præcedentium.

Arist. *Fonseca.* *D. Thom.* *Scotus.*

4

Sed ex neutro illo loco præfatam diuisionem colligi posse doctissimè aduertit Bellomontanus in dicta disp. 4. cap. 4. cui in hoc libentissimè subscribo: lõge enim alia est Arist. intentio in vtroque loco, & sensus longe diuersus; solũ enim intendit, quod sicut sanitas est finis, gratia cuius fit deambulatio; ita etiam est finis, cuius gratia fiunt cętera omnia, quæ ad sanitatem consequendã à medico mouente applicantur. Quæ fuit explicatio Alexandri Aphrodisæi in dict. c. 2. quinti Metap. & Scoti eo in loco, adde Ægidium, Toletum, & Cursũ Conimbr. in dict. cap. 3. secundi Physicor. quamet iam sententiam nos in commentarijs ad eundem locum secuti sumus.

Arist. *Aphrodis.* *Scotus.* *Ægidius.* *Toletus.*

Quod vt euidentius appareat, aduertendus est processus Arist. in vtroque loco; vterque enim eisdem fere verbis constat. Explicauit Aristoteles caussam finalem in illis verbis: *Insuper vt finis: hic autem est, cuius gratia cætera fiunt: veluti deambulandi sanitas.* Quam conclusionẽ probat dicens: *cur enim deambulat? interrogati; quo valeat, respondemus: atque si hoc pacto dixerimus; reddidisse caussam arbitramur.* Et statim adiungit verba, quorum explicationem inquirimus. Sed quia versiones variant, operepretium erit adducere verba græca: καὶ ὅσα δὲ κινοῦσαντος ἄλλα μεταξύ, γίνεται τοῦ τέλους· οἷον τῆς ὑγιείας, ἢ ἰσχνασία ἢ κάθαρσις, ἢ τὰ φάρμακα, ἢ τὰ ὄργανα. Quæ verba pro verbo ita Latinè sunt reddenda: *& quæcunque mouente alio inter, sunt finis,* in genitiuo, vt patet in illis verbis: γίνεται τοῦ τέλους: Sequitur textus, *vt sanitatis attenuatio, vel purgatio, aut pharmaca, aut organa,* & adiungit præcedentium probationem: *vniuersa enim hæc ipsius finis gratia sunt.*

Ex qua probatione constat mentem Aristotelis, non esse agere de illis inter medijs respectu præcedentium, sed de illis in ordine ad sanitatem, cuius gratia sunt omnia illa: nam si vellet ostendere illa intermedia respectu præcedentium habere rationem finis; extrarem esset confirmatio adducta; quidquid Fonseca plura supplendo frustra laboret in accommodatione illius probationis. Adde etiam: quia repugnant illa verba: *Quæcunque mouente alia inter, sunt ipsius finis*: sensus enim est, non solum deambulatio est gratia sanitatis, sed etiam quæcunque alio mouente, & applicante sunt inter, ideſt, sunt intermedia; omnia ea inquam, sunt ipsius finis, & gratia illius; est enim apponenda virgula in propositione (inter) vt maneat clausula interciſa supplenda per verbum (sunt.) Quod satis explicat versio antiqua etiam per vatablum correcta, qua vtitur Sotus. Sed clarius id colliges ex Alexandro Aphrodisæo, & illius interprete. Hanc virgulam esse apponendam indicat phrasis græca: nam inter propositionem μεταξὺ & genitiuum: τοῦ τέλους, interiacet verbum, γίνεται, quod ostendit genitiuum illum, τοῦ τέλους, non esse construendum cum propositione μεταξύ, neque enim phrasis, aut græca, aut latina inter propositionem, & casum interponit verbum, vel aliquam aliam dictionem. Quarè sicut latinè non dices: quæcunque alio mouente inter sunt finem, ita nec græcè ita loquereris.

Aphrodis.

Quod si contendas illum genitiuum, τοῦ τέλους, construendum esse cum propositione, μεταξύ, vt sit sensus: quæcunque mouente alio inter finem sunt (quę est, versio Argyropili, quàm cũ Bessarione probarunt Fõseca, & Cursus Conimb. non repugnabo: adhuc enim idem sensus manet: sensus enim est: Quæcunque alio mouente inter, siue, infra finẽ fiunt

5

Argyrop. *Bessarion.* *Fonsec.*

sunt gratia ipsius finis, vt sanitatis gratia est macies, purgatio, pharmaca, & organa: quem sensum satis significauit Aristoteles, dum immediatè addit: *nam vniuersa hæc sunt gratia ipsius finis*. Hæc tam latè diximus in gratiam eorum, qui putant rationem finis non posse cõuenire medijs, quæ sunt ad finem. Quare ista duo loca nec faciunt pro sententia oppositа, nec confirmant diuisionẽ finis in proximum, & remotum.

Efficaciter tamen hanc diuisionem
6 colligemus ex eodem Arist. lib. 1. Ethic.
Aristotel. cap. 7. tex. 23. cum sequẽtibus, quidquid Bellomontanus contradicat: nam Aristoteles eo loci non solum admittit dari plures fines imperfectos, qui nõ propter se, sed aliorum gratia expetuntur; sed etiam dari plures perfectos, qui & propter se expetuntur, & propter vltimum finem, felicitatem inquam, cuius gratia omnes illi fines intenduntur. Ergo ex Aristotele datur vltimus finis, qui nullius alterius gratia appetitur: dãtur etiam plures fines, qui, & propter se, & propter alium vlteriorem finem appetuntur: hos appellamus fines proximos.

At inquit Bellomõtanus in dicta disput. 4. cap. 4 §. *Quod verò ait*, Aristotelem
Solutio. admittere quidem fines, qui in aliũ possunt referri: non tamen docere eos, vt sunt fines, referri in alium; sed solum vt sunt media, quæ vltimo fini consequendo possunt inseruire. Sed si mens Aristo
Impugnatur. telis consideratius inspiciatur, non solum vult fines, quos propter se appetimus, posse in alia serie, & appetitione, in qua sunt media, referri, & ordinari in vlteriorem finem: sed etiã quando actu appetuntur, vt fines, & eadem actione, qua vt fines appetuntur, simul etiam referri in vltimum finem, & propter illum appeti. Quod euidenter colliges ex Ari
Aristotel. stot. tum 2. de Cœlo cap. 12. tex. 64. dum ait: *omnia agere propter vltimum finem*; tum 1. Rhetoric. capit. 5. dum docet finem omnis operationis esse felicitatẽ, quã conijcientes, siue intendentes operamur, hæc prosequendo; illa fugiendo: tũ 2. de cœlo dict. cap. 12. tex. 63. quatenus ostendit omnia suis actionibus intẽdere finem vltimum, alia quidẽ pluribus, alia verò paucioribus. Quæ fuit cõmunis doctrina Theologorum, quam latiꝰ inferiùs confirmabimus: interim videndus est D. Th. 3. cõtra gẽt. ca. 18. & 19. & de Verit. q. 22. art. 2. Non est autem di- *D. Thom.*
cendum omnia agentia, dum agunt, nullum alium habere finem, cuius gratia actu moueantur, nisi solum vltimum finem, quę est beatitudo: oppositũ enim docet experientia: & Arist. in 1. Ethic. dicto cap. 7. admittit plures fines particulares perfectos, qui propter se actu expetuntur, & cętera propter illos: Au- *August.*
gustinus etiam 11. de Trinitat. cap. 6. expressè docet omnes nostras voluntates habere proprios, & speciales fines: ergo si agentia eadem actione, qua appetunt fines particulares, illos referunt in vltimum finem, quæ est beatitudo; profecto quando particulares illi fines referuntur in vltimum, non desinunt esse fines, quanuis sub ratione finis non referãtur in alterũ, sed sub ratione finis medij: nam si desinerent esse fines, iam non appeterentur propter se, sed propter alium; contra quod docuit Arist. in dicto cap. 7.

Ex dictis euidenter colligitur omnes
7 Corollariũ fines particulares, quos singula agentia particularia sibi constituunt in ordine ad finem simpliciter vltimum, esse fines proximos, medioſque. Quod satis est, vt admittamus diuisionem finis in proximum, & vltimum. Et in hoc sensu ille finis dicetur vltimus, qui nullius alterius gratia esse potest, & omnia alia sunt gratia illius: finis verò proximus erit ille, qui etsi appetitur propter se, & propter suam propriam bonitatem; ipse tamen semper appetitur gratia alterius, nempe gratia vltimi finis. Quæ explicatio colligitur ex Arist. in dicto cap. 7. primi *Arist.*
Ethic. Iuxta quam affirmandum est nullum dari posse vltimum finem secundũ quid: quia nullus dari potest finis, qui in eadem serie, in qua propter se appetitur, non appetatur etiam propter vltimum finem.

Difficilius est diuisionem illam defẽ-
8 Dubitatio. dere in finibus, qui ex natura sua sunt in vltimum finem referibiles, comparatis tamen non cum vltimo fine, sed inter se: an scilicet in his admitti debeãt plures fines; quorum alter sit proximus, alter vltimus, in quo sistat actualis intentio agentis? Bellomontanus in hoc Resp̃onsio. improbatur
sensu firmius persistit in sua negatione: cõmunis tamen sententia eorum, quos retu-

retulimus, in eodē sensu in affirmatione perseuerat: inter quos est Suarius in Metaphy. disp. 23. sect. 2 nu. 15. 16. Quo in loco duo admittit, quæ non videntur inter se cohęrētia: nam nu. 18. agnoscit omnem finem, si præcisè quatenus finis est, consideretur; habere rationem vltimi: quia formalis ratio finis completur per negationem amoris propter aliud, inclusam in hoc, quod propter se amatur: quod si omnis finis subratione finis consideratius per se includit nō amari propter aliud, nullus dabitur finis, qui non sit vltimus, si consideretur præcisè quatenus est finis. Adiūgit deinde posse contingere, vt quanuis aliquod obiectū propter se, & propter suam bonitatem ametur; nihilominùs ex intētione operantis referatur, & tendat in vlteriorē finem; vt cum quis facit eleemosynam, & quia honesta est actio in ratione misericordiæ; & quia est accommodata ad satisfaciendum pro peccatis. Igitur n. 15. ita habet: Intentio agentis necessario debet in aliquo fine immediate versari, quia alias nunquam inchoaretur: ergo necesse est esse aliquem finem proximū. Quia verò potest agentis intētio in vlteriorem finem tendere; ideo præter finem proximū dari potest finis vltimus, in quo vltimò sit intentio operantis.

Alia respō-sio.

9 Reijcitur.

Sed hæc, vt diximus, vel inter se non cohærent; vel à Bellomontano non dissentiunt: nā vel intelligit dari illos duos fines in eadem serie, in qua & simul intendantur, & simul finalizent, vnus proximè, alter vltimatè: vel in distincta serie; ita vt postquā finis proximus propter se fuit volitus, & media propter ipsū; idem ipse iam non propter se, sed propter alium finem succesiue, & distincta voluntatis actione sit volitus. Si primus sensus admittatur, profecto illa, quæ docentur, non cohærent: nam si vera est tradita doctrina, implicat in eadem serie finem proximum amari propter se, & esse gratia alterius finis: alias amari propter se non includeret negationem amoris propter aliud.

Si verò concedatur secundus sensus: hæc sententia coincidit cum sententia Bellomontani: ille enim admittit finē, qui nunc propter se amatur, exuta illa bonitatis ratione posse amari gratia alterius, & induere rationem medij. At communis sentētia, quam defendimus, admittit præfatam diuisionē finis etiā in priori sensu, vt manifeste patet ex D. Thom. 1. secundæ, q. 12. art. 3. dū ait agē tem simul intendere, & finem proximum, & vltimū: quæ intentionis simultas, cum vnam numero intentionē supponat, supponit etiam vnam seriem.

D. Thom.

Dicendum est igitur diuisionē finis in proximum, & vltimū non solùm esse admittendam in finibus particularibus in ordine ad finem vltimum, sed etiam inter se comparatis. Fundamētum est: quia non repugnat rationi finis, vt finis est, quod manente ratione finis in aliū vlteriorem finem ab agente referatur, vt patebit ex solutionibus argumentorum; & hoc supposito consequēter currit ratio adducta: nam intentio agentis propter finem inchoari non potest, nisi detur aliquis finis, in quo immediatè versetur: talis autē finis non potest nō esse proximus, cum in illū intentio agē tis primò, & immediatè feratur. Cum verò agens possit eundem finem in aliū vlteriorem referre, vt supponimus, id statim ostensuri; fieri potest, vt intentio agentis, quæ ad hunc finē immediate terminatur, simul etiam tendat in vlteriorem alium finē, qui in ea serie erit vltimus, si intentio agentis in eo vltimo sistat. Id exēplo potest declarari; quia fieri potest, vt ægrotus eligat potionem amarā gratia sanitatis, quàm propter se amat: simul, & eandem eligat, vt liberius vacet studio; ad quem finem sanitatem dirigit. Ita fiet vt intētio potionis in sanitatem tendat, vt in finem proximum; in studium autem tanquam in finem vltimum.

10 Vera dubitationis solutio.

Placet hoc loco id, quod aduertit Suarius in dicto num. 15. non esse semper necessarium, vt præter finem proximū detur etiam vltimus: quia potest intentio agentis sistere in illo fine; nam ægrotus præter sanitatem potest nihil aliud intendere. Similiter dicendū est de fine vltimo: nam quanuis aliquis finis vltimus in qualibet serie semper sit necessarius; non tamen necessarium est, vt finis vltimus semper habeat aliquem finem proximum, qui ad ipsum referatur. Ita fit vt idem finis possit simul esse proximus, & vltimus, alia tamē, & alia ratio-

11

ne: nam dicetur proximus;quia intentio agentis in illum primò,& immediate tendit: vltimus verò; quia in eadem serie in vlteriorem finem non refertur. Igitur tunc finis proximus erit alius à fine vltimo,cum in eadē serie reperiuntur plures fines subordinati, qui propter se amētur,& cętera propter ipsos. vt in adductis exemplis manifestū erit.

§. 2.

Soluuntur argumenta Bellomontani contra positam resolutionem.

12 Argum.cōtra Statutā resolutioē.

BEllomōtanus, vt diximus, in ea est sententia, vt omnis finis propriè sumptus debeat esse vltimus,vel simpliciter,vel in eadem serie: putatq; relegandos esse omnes fines proximos,& intermedios. Id aūt, & auctoritate Arist. & ratione confirmat. Aristotelis quidem,quia in 2.Phy.cap.3. tex.29. finem ita describit:*cuius gratia cætera fiunt*. Cætera inquam, idest, omnia præter ipsū, quod non potest conuenire fini proximo,sed soli fini vltimo.

1. ex autoritatibus Aristotelis.

Secundo etiam Metaphy. cap.2. tex. 8. hoc argumento demonstrat non dari processum in infinitum in finibus: *Item ipsum cuius caussa, finis: talis autem est, quod non est alterius gratia, sed cuius gratia cætera. Quare si tale erit vltimū,nō erit in infinitū:quod si nihil tale non erit ipsū cuius gratia.* Ex quibus verbis constat (inquit Bellomontanus) vulgatam finis definitionem, *cuius gratia, cætera fiunt*, ad hunc sensū explicari ab Arist.vt includat negationem non essendi alterius caussa: quæ negatio nō conuenit intermedijs, sed soli fini vltimo.Accedit etiam;quia si media simpliciter haberepossent rationē finis,demōstratio Arist. nulla esset; quia licet non dareť vltimˇfinis,nō proinde tolleret ratio finis: maneret enim in intermedijs.

13 Primaratio in cōtrariū.

Deinde id ipsum probat rationibus: prima est; quia ex sententia Arist. 8.Ethic cap.2.ex tribus generibus amabilium,bono,inquam honesto iucundo,& vtili,sola duo priora genera sūt amabilia vt fines; quod etiam docuit D.Tho. 1.p.q.5.art. 6. ergo ex sententia Arist. & D. Thomæ intermedia, vt intermedia sunt, non possunt habere rationem finis:nam quatenus talia,solum possunt amari,vt vtilia.

D.Tho. Arist.

Confirmat hanc rationem: quia vtile,quatenusvtile,non potest appeti gratia sui,alioquin posset habere rationem finis,contra id,quod docuit Arist.ergo nec aliquid aliud potest appeti gratia ipsius. Probatur consequentia;quia bonitas,quę ex se non sufficit,vt gratia sui appetatur; quomodo sufficiet, vt aliud ametur gratia ipsius? Quod si nihil potest appeti gratia vtilis, profecto vtile non poterit hàbere rationem finis. Confirmatio.

14 2.Ratio ex D Thom.

Secunda ratio sumitur ex doctrina D.Tho.1.p.q.19.art.5. & 1.cōtrag.cap. 86. &. 87. dum ait, nullam rem esse Deo rationem volendi præter suam bonitatem;quia nulla res comparatur cū Deo per modum finis,nisi sua essentia. Hac doctrina suppositа sumitur (inquit Bellomontanus) efficax ratio: nam si vnū mediū esset vera caussa finalis volūtati creatæ respectu alterius medij; profecto volūtas creata verè diceretur velle vnum medium propter aliud: possemus igitur dicere Deum velle vnam creaturam propter aliam,& subinde vna creatura esset ratio finalis diuinæ volūtatis comparatione alterius creaturæ, contra suppositam D.Thomæ doctrinam.

15 Respōsioad primū locū Aristot.

Hæc communem sententiam non expugnant. Ad primum locum Arist.dicēdum est primò; literam græcam ita habere: Τέλος δ' ἐστὶ τό οὗ ἕνεκα: hoc est, *finis est id, gratia, cuius*,quomodo vertunt ferè omnes Arist.interpretes:quæ verba, cum sint veluti indefinita, optimè explicantur, vt finis sit id, cuius gratia aliquid fit:& ita definitionē,&verba Arist. explicauit Fonseca in 2.Metaphy. cap. 2.litera K. Quare illa verba, *cætera fiunt*, posita sunt ab Argyropylo. Cui non fauet,quod Arist. 1. Ethic cap. 7.tex.25. posuerit illa verba inquiens, *finem esse,id Cuius gratia cætera fiunt*,nam Arist. ibi non agit de fine absolutè sumpto,sed de fine simpliciter vltimo, in quo, tanquam in summo bono collocat felicitatē,vt patet ex D. Tho. cæterisq; expositoribus. At de fine simpliciter vltimo verisimū est, cætera omnia esse illius gratia;quia omnes alij fines,cum illi subalternētur, illius gratia fiunt.

Fonseca.

Argiropo. Aristot.

Quod si definitionē finis,vt proponitur ab Argyropylo admittis; particulam,*cætera*,intellige non absolutè,sed cū restrictione, vt finis sit id, cuius gratia fiunt

fiunt cæt era, quæ ad illum referuntur: ita exponit Cursus Conimb. in eodē loco Lit. C. Sed prior solutio potius est probanda.

16 Explicatio 2. loci Arist.

Secūdus locus sumptus ex 2. Metap. cap. 2. tex. 8. vim haberet, si admitteremus Arist. in illo loco explicare rationem formalē finis, vt finis est; quod non admittimus, sed dicimus Arist. ibi explicare rationem formalē finis simpliciter vltimi, vt superius iam aduertimus: nā Aristoteles eo loci nititur demonstrare non esse dandum processum in infinitū, aut in finibus, aut in cæteris caussis: vt patet ex verbis textus. 5. *Similiter nec cuius gratia in infinitum progredi potest.* Postquam autem id in cæteris caussis demōstrauit; idem demonstrat tex. 8. de caussa finali, inquiens: *item ipsum cuius caussa finis*, scilicet non potest in infinitum progredi, sed admittendus est vnus finis, qui sit simpliciter vltimus. Deinde declarat rationē vltimi finis in quiēs: tale aūt est, quod ñ est alteri' gratia, sed ei' caussa, cætera omnia: deest, cæteri omnes fines particulares cuiuscūq; illi sint seriei; vt patet ex his, quæ idem Arist. docet 1. Ethic. cap. 7. in principio. Quomodo aūt Aristoteles, id demonstret? expendemus inferius in propria quæst. & explicabimus quomodo valeat illa consequentia; *Si non daretur vltimus finis; tolleretur ratio finis.* Interim dicimus illam ex eò valere; quia finis particularis finalizare non potest, nisi simul cum eo finalizet vltimus finis, cui essentialiter est subalternatus.

Arist.

17 Solutio Primæ ratiōis.

Ad primam rationem admittimus finem intermedium, sub ratione, qua ad alium finem ordinatur, non habere rationem finis; dicimus tamen ordinari ad alium, non excludere à bono, quod ad aliud ordinatur, veram rationem finis: quare licet illud bonum, quod ordinatur ad aliud, sub ea ratione, nō habeat rationem finis: tamen non ideo desinit esse verè, & propriè finis, amariq́ue propter se: nam si considerativs expēdantur, quę docet Arist. 1. Ethic. cap. 7. tex. 29. vnum finem in hac serie amari propter se, non excludit eum in eadem serie, eademque appetitione amari propter aliud: vt iam ostendimus supra §. 1. dicendum est igitur finem sub ratione finis intrinsecè nō includere non referri in alterum finem; hāc tamen relationem non excludere, quòd in hæc materia est notandum. Vt verò hæc omnia fiant euidentiora aduertendum est finē mediū includere duas rationes, seu habitudines: vnam finis, vt finis est: alterā vt est finis medius. Sub priori habet, quod ametur propter se, & aliquid propter ipsum: sub posteriori verò habet ita amari propter se, vt simul ametur propter aliud. Quare quanuis sub hac posteriori habitudine nō habeat, quod sit finis: illam tamen habet sub habitudine priori: quia, vt diximus, habitudo posterior non est incomposibilis in eodem bono cum habitudine priori, vt ex Arist. deduximus. Et hoc non aduertere est caussa lapsus.

Arist.

18 Solutio cō firmationis

Ad confirmationem ex dictis facilè patebit solutio. Sed vt clarius argumēti inefficacia appareat, notandum est, esse quædam bona, quæ simpliciter solū sunt vtilia: alia, quæ sunt vtilia secundū quid. Prioris generis bona sunt illa, quę nullam aliam rationē boni habent, nisi vtilis; vt pote, quia appeti non possunt propter se, sed semper propter aliud. Posterioris autem generis sunt ea, quæ habent absolutam bonitatis rationem, possuntq́; ,ppter se amari: Sed tñ, quia ñ sunt bona omni ex parte perfecta, sed ex sua natura sunt referebilia in alia bona: aliquo modo induunt rationē vtilis: quatenus scilicet possunt esse media ad consequenda alia perfectiora bona.

Aristoteles igitur quando 8. Ethic. cap. 2 asseruit bonū vtile nō esse amabile, vt finē: solùm egit de bono vtili prioris generis, non verò posterioris, vt ex illius verbis facile intelliges. Bonū igitur, quod solùm est vtile secūdum quid, licèt, quatenus est vtile, non possit appeti gratia sui; nec, vt sic, habere rationem finis: tamen id, quod est illo modo vtile, potest amari gratia sui. Quare argumentum solùm cōcludit, vtile sub ratione vtilis non posse habere rationem finis: cui non repugnat. vt id bonū, quod secundum quid est vtile; secundum se sit propter se amabile, & sufficiens, quod alia amentur propter ipsum.

19 2. Rationis solutio.

Ad secundam rationem duobus modis possumus respondere: vno modo negando id, quod in argumento supponitur; nullam scilicet rem creatam esse

esse Deo rationem volendi, sed solam suam bonitatem. Nam quamuis, id verũ sit in volitione primorum effectuũ (illorum, inquam, qui non supponunt alium effectum, ad quem tanquam ad naturalem finem ordinentur, qualis est perfectio vniuersi) nõ tamen est verũ in alijs effectis, quæ vlterius in alium effectum tanquam in finem reduci possunt. Quare &si in primis effectis sola diuina bonitas est Deo ratio volendi illos, vt colliges ex D. Thom. 1. p. q. 19. art. 5. ad tertium. & docet Ferrarien. 1. cõtra Gent. cap. 87. §. *Aduertendum quod primi effectus*: tamen in alijs vnus effectus potest esse Deo ratio volendi alterum; ita, vt sicut verè dicimus Deum velle vniuersum propter suam bonitatem; ita etiam verissimè dicamus Deum voluisse creare hominem propter perfectionem vniuersi: & velle dare homini intellectum; quia vult esse hominem. Vtrunque dicendi modum inuenies apud D. Thom. nam 1. contra gent. cap. 86. ita scribit: *Relinquitur igitur, quòd bonum vniuersi sit ratio quare Deus vult vnumquodque bonum particulare in vniuerso*. Et statim: *Ratio igitur quare Deus vult ea, quæ requiruntur ad vnum quodque, est, vt sit illud, ad quod requiritur.* Vnde in eodem cap. ita concludit: *sic igitur procedere possumus in assignando diuinæ voluntatis rationem: Deus vult hominem habere rationem, vt homo sit: vult autem hominem esse, ad hoc, quod completio vniuersi sit: vult autem bonum vniuersi esse, ad hoc, quod habeat bonitatem ipsius.* Rursus in cap. 87. postquã negauit alia à Deo esse Deo causam volẽdi, expresse ait, vnum illorum esse alteri causam, vt ordinem habeat ad diuinã voluntatem. Et inde concludit Deum propter vnum illorum aliud velle. Non est igitur, cur Bellomontanus D. Thomã in suam trahat sententiam. Nec est audiendus in dicta disp. 82. cap. 2. num. 7. dũ negat D. Thomam loqui de ratione volendi: sed solùm de ratione ob quam vnũ obiectũ dicitur esse propter aliud: nam verba citata clariora sunt, quã indigeãt explicatione. Melius igitur Thomistæ recentiores D. Thomam intellexerunt, & cum illis Suarius in Relectione de libertate voluntatis diuinæ disp. 1. sect. 2. nu. 20 & 21. quo in loco nostrã probauit sententiam, quæ fuit Caietani 1. p. q. 19. art. 5. & Durandi in 1. disp. 41. q. 2. num. 5. & Cordubensis lib. 1. Quæstionarij q. 56. opinione 5. §. Si secundo quæratur.

D. Thom. Ferrar.

Caiet. Durandus Corduben.

Nec est, quod Bellomont. pro sua sententia citet Alexandrum Alensẽ 1. p. q. 28. memb. 3. art. 3. & q. 35. m. 3. Nam si ea, quæ docet, subtilius expendantur, in hac est sententia, vt nulla res ad extra possit esse, aut finis, aut ratio, cur Deus simpliciter velit: volũtatẽ tamen vnius rei esse rationem volendi aliam: nam in dicto art. 3. expressè docet præscientiam meritorũ esse Deo rationem, cur velit conferre gratiam, & dare gloriã. 20 *Alexand. Alensis.*

Similiter non potest pro sua sententia citare Henric. quodl. 4. q. 19. lit. O. facit enim pro nobis: nam licèt concedat nihil dari ex parte prædestinati, quod sit ratio prædestinationis, vt est actus voluntatis diuinę: docet tamen in ipso prædestinato dari rationem eorũ, quæ circa ipsum fiunt: *nam* (inquit) *in prædestinato reperitur aliquid, quod est ratio præferendi ipsum alteri.* *Henricus.*

Sed mirum est, quod pro sua sententia alleget Driedonem de concordia liberi arbitrij 1. p. cap. 4. ad 4. fol. 22. pag. 1. cum apertè cõcedat Deum velle vnũ creatum propter aliud: v. g. velle pluuiã propter nostram vtilitatem: velle dare primam gratiam propter vitam æternam. Deniq; illum non iuuat D. Thom. 1. p. q. 19. art. 1. ad 3. & art. 2. ad 2. dũ ait nihil aliud mouere diuinam voluntatẽ, nisi ipsam bonitatem diuinam: quia id intelligendum est de primo mouẽte, primavè ratione mouendi. In quo sensu diuina voluntas solùm à seipsa moueri potest; non quidem, vt à vero fine: sed vt à ratione mouendi ad modum causę finalis. Quem sensum facile colliges ex tit. vtriusque articuli. Ex quibus omnibus iam patet iure optimo negari id, quod in argumento supponitur, cum falsum sit, & nullum habeat defensorem. quare argumentum pro nobis facit: nam eo modo, quo finis reperitur in diuinis operibus, distinguẽdus est in Deo finis proximus, & finis vltimus. 21 *Driedo.* *D. Thom.*

Altero modo solui potest secunda ratio Bellomontani: quoniam admissa doctrina, quam supponit, negãda est consequentia, propter disparem rationem, quæ reperitur in perfectionibus, & bonitatibus creatis respectu voluntatis 22 *Alia solutio*

creatæ,

Arist. *D. Tho.* *Arist.*

creatæ,& increatæ. Nam perfectiones, quæ reperiuntur in rebus creatis,volũtati quidem creatę sunt per se, ac propter se amabiles : non tamen diuinæ voluntati,respectu cuius sola diuina bonitas est per se,& absolutè amabilis: perfectiones verò creatæ solùm sunt illi amabiles per respectum quendam decentiæ, aut conueniẽtiæ ad diuinam bonitatem, vt benè aduertit Suarius vbi supra nu.21.Hinc inferes omnia creata respectu diuinæ voluntatis solùm habere posse rationem puri medij: cum in illis tota ratio volẽdi sit diuina bonitas. Cuius oppositum dicendum est,si perfectiones creatæ conferantur cum voluntate creata: etenim plures illarum sunt per se appetibiles,& amabiles,quamis adhuc propter alium finẽ, aliamvè bonitatem appetantur, vt ostendimus ex
Arist. Arist.1.Ethic. cap.7.tex.28.& ob id vna res potest volũtati nostræ esse ratio volendi alteram, non tamen voluntati diuinæ.Sed prior solutio veriorem habet doctrinam.

§. 3.

De subdiuisionibus finis vltimi, & non vltimi, siue medij.

23 OStendimus admittendam esse diuisionem finis in vltimum, & non vltimum,siue medium: agendum est breuiter de vtriusq; subdiuisionibus

Finis vltimus subdiuidi solet in vltimum simpliciter,& vltimum secundum quid. Cuius subdiuisionis meminit D.
D.Tho. Thom.1.2.q.11.art.3. vbi omnes interpretes cum Bellomontano ibi,explicat Suarius in Metaphy.disp.24. sect.1.n.1. & est cõmuniter recepta.

Ille finis dicetur simpliciter vltimus, quisemper per se expetitur,&nũquã ob alium finem,vt definit Aristot.1.Ethic.
Arist. cap.7. tex.28. Vel si mauis illum definire cum Aristotele 2 Metaphysi.cap.2. tex.8. erit ille, qui nec est, nec esse potest alterius gratia·Cętera verò omnia sunt propter ipsum. Vltimus vero secundum quid erit ille,qui in aliqua mediorum, siue intentionis serie est vltimus: vt pote,quia omnia,quæ in eadem sunt serie,ad ipsum referuntur:ipse verò ad nullum alium finem in eadem serie actu refertur.Talis est sanitas in serie curationis: & victoria in intentione rei militatis: denique domus in actu ædificandi,vt colliges ex Arist. 1. Ethic. in d.cap.7.in principio.

Finis non vltimus siue medius etiam 24
subdiuiditur in proximũ, & remotum. Finis proximus est ille ,in quem agẽtis intentio immediatè terminatur,dum tamen in eo non sistat, sed in aliũ vlteriorem finem tendat: qualis est ille finis, cuius gratia aliquid primo appetitur: ita tamen vt ipse etiam propter alium finem appetatur. Remotus autem ille erit,in quem finis proximus ordinatur, antequam peruentũ sit ad vltimũ. Itaq; hæc distinctio finis proximi, & remoti in medijs finibus tunc dabitur,cum ante finem vltimum plura fuerint media inter se subordinata, quorũ quodlibet, & propter se sit volitum, & gratia alterius. Et hæc satis sint pro hac 2. diuisione finis.

QVÆSTIO IIII.

EXPLICATIS diuisionibus formalibus finis: consequenter explicandę sũt diuisiones materiales illius,quæ vt diximus sumuntur ex rebus, quæ finalem caussalitatẽ exercent. Vbi notandum est diuisiones istas tantum dari de fine *cuius*,vt ex dicendis patebit:accommodari tamen posse,tàm fini vltimo,quàm proximo.

De diuisione igitur finis ex parte rerum septẽ possunt inquiri. Primo, vtrũ diuidatur finis in naturalem,& supernaturalem? Secundò,an diuidatur in operationem,& rem operatam?Tertiò, an detur finis,vt res,&finis,vt adeptio rei: finis *qui*, & finis *quo*: finis obiectiuus, & formalis? Quartò,vtrum detur finis factus per operationem;& finis solum acquisitus? Quintò;an finis, alter sit generationis; alter rei genitæ? Sextò, Vtrũ detur finis operis;& finis operãtis? Vltimò, Vtrum detur finis principalis, & secundarius.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum finis, vnus sit naturalis,& alter supernaturalis operatio,& res operata?

PRima diuisio materialis finium sit 1
illa, qua cõmuniter diuiditur finis

in

in finem naturalem, & supernaturalem, cuius diuisionis mẽbra expositione non indigent, de illis longa futura est disputatio.

2 Secundam diuisionem materialẽ finis tradidit Arist. lib. 1. Ethi. cap. 1. tex. *Arist.* 2. & lib. 1. Magnorũ Moral. meminit illi' *D. Thom.* D. Thomas 1.2.q.13.art.4. Quidam igitur sunt operationes, quidam verò præter operationes, opera ipsa. Ex quibus Aristotelis verbis omnes colligunt finium, alium esse operationem tantùm; alium, rem operatam: nam finis contẽplãtis est sola contemplatio: pulsationis cytharæ finis est sola cytharisatiõ. Hæ namq; actiones propter se intendũtur, nõ verò ppter aliquod opus, quod ex illis resultet. At finis curationis est sanitas: ædificationis domus: generationis finis est res genita: quæ sunt opera *Arist.* quædam per operationes, & intenta, & relicta. Hanc finis diuisionem Aristoteles ideo tradidit in ipso Ethico. initio, quia vltimum hominis finem collocare debebat, non in re aliqua operata, sed in sola operatione.

3 Hoc loco aduertendum est nomine operationis intelligendum esse, non solam operationem, sed etiam vsum alicuius rei, siue fruitionem eius: vt colliges *Arist. Fonseca.* ex Aristotele in 1. Magn. Moral. d. cap. 3. & explicauit Fonseca 5. Metaphy. cap. 2. q. 10. lectio. 1. in principio. Nam vsus domus ædificatæ potest esse finis ædificatoris; & voluptas potest esse finis eius qui philosophatur, vt voluptatem accipiat. Operatio verò, vt ab vsu distingui tur, potest esse, vel immanens, vt contẽplatio, cognitio, visio, auditio &cæt. vel etiam transiens, vt cytharisatio. Quæ operationes, licèt sint qualitates quædã per veram actionem productæ, vt supponimus, & aduertit Suari' in Metaph. disp. 23. sect. 2. nu. 9. dicũtur tamen operationes actionesvè; quia termini actionum, per quas fiunt sine illis non permanent, quia non durant, nisi quandiu fiũt.

ARTICVLVS II.

An dicitur finis vt res, & finis, vt adeptio rei (finis qui, & quo) finis obiectiuus, & formalis

1 TErtio loco ex parte materiæ diuidi solet finis ab antiquioribus in finẽ, qui est res, & in finẽ, qui est, adeptio rei, siue rei possessio, & vsus. Hæc diuisio sub his verbis celebris est apud D. Thomam: ea enim vtitur 1. 2. q. 2. art. 7. & q. 3. art. 1. & art. 8. ad secun- *D. Thom.* dum, & q. 5. art. 2. q. 11. art. 3. ad 3. & q. 16. art. 3. Denique q. 34. art. 3. & recipit à cæteris omnibus Theologis, & Philosophis. Quæ diuisio eadem est cum ea, qua finis diuiditur à D. Thoma in finem *cuius*, & *quo*, vt patet ex eodem D. Thom. *D. Thom.* 1. p. q. 26. art. 3. ad 2. & clarius 1. 2. q. 1. art. 8. & 2. Phy. lect. 4. & in 2. de Anima lect. 7. Henric. in Summa art. 49. q. 5. ad *Henric.* tertiam lit. N. & q. 6. lit. G.

Posteriores diuidunt in finem, *qui*, & *quo*, sub quibus verbis à recentioribus ad mentem etiam Henrici, cõmuniter solet explicari, vt patet ex Bellomonta. 1.2. disp. 2. cap. 3. & disp. 11. cap. 6. num. 30. & 31. & disp. 15. cap. 3. & disp. 7. cap. 6. nu. 24. id quod faciunt, tum ne aliquo modo coincidant membra cum membris secundæ diuisionis; tum etiã, quia talis loquendi modus clarius explicat rationem finis, qui est res, vt ex dicendis patebit; tum tertio, quia hæc diuisio solùm accõmodari potest fini *cuius*, non verò fini, *cui*: est enim quædam subdiuisio illius: nam tam res ipsa, quæ est bonum, quàm adeptio illius, est bonum alicui concupitum, & amatum, & subinde vterq; ille finis dicitur finis *cuius gratia*. Ne igitur confundantur vtriusq; diuisionis membra, res, quę est finis, artificiosius appellabitur finis, *qui*, quam finis, *cuius*. Vtraque diuisio re coincidit cum ea, qua à recentioribus finis diuiditur in finem obiectiuum, & formalem; de qua agit Suarius in dict. disp. 23. sect. 2. nu. 12. & sub his verbis hæc diuisio finis est à nouioribus frequentius vsurpata.

Et vt huius varietatis rationem explicemus, ostendamusque vnam esse diuisionem, sub diuersis tamen terminis explicatã, aduertendũ est hoc interesse inter finem, qui est res operata, vt sanitas; & finẽ, qui est operatio, vt visio beata, adeptio pecuniæ, & cæt. quòd finis, qui est res operata in seipso, & non ratione sui habet totam, & integrã bonitatem, cuius gratia aliquid fit: sanitas enim in seipsa habet totam bonitatem, quæ appetitur: vnde est vnum simplex bonum, & vnus simplex finis. Hoc autẽ

non

non reperitur in fine, qui est operatio: nam licèt operatio in se sit bona: nõ tamen est bona precisè ratione sui, sed ratione obiecti: bonitas enim obiecti est, quæ ratione sui ab agente cõcupiscitur, & intẽditur: visio nãq; beata ideo dicitur bona, quia agẽs per illã vnitur, & coniungitur Deo, in quo principaliter est bonitas, quam homo cõcupiscit. Idẽ reperies in acquisitione, & possessione pecuniæ, qui est finis auari: est enim bona auaro, quia auarus per eã cõsequitur pecuniam, quam intendit. Ob quam rationem operatio dicitur finis sub fine ab Henric. locis citatis: ordinatur enim ad finem principalem. Igitur quia obiectũ operationis, quod principaliter ab agente concupiscitur, nõ potest esse mihi bonum, nisi per operationem mihi coniungatur; ideo & obiectũ, & operatio à me desiderantur tanquã finis, diuerso tamẽ modo; quia obiectũ est finis, vt res, quæ est bona: operatio verò, vt assecutio talis boni.

Henricus.

3 Ex qua explicatione iam patet, quomodo prima finis diuisio coincidit cũ 2. & 3. nã cum obiectũ operationis, sit res, quæ in seipsa est bona, & finis; adeptio verò sit finis, quia est adeptio eius rei, quę est finis: vtiq; obiectũ dicetur finis, *qui*, operatio autẽ finis, *quo*: nam per operationem consequimur rẽ, quę in se est finis noster. Simili ratione obiectũ dicetur finis obiectiuus: quia est res, quę nobis obijcitur concupiscenda, & adipiscenda: operatio autem dicetur finis formalis; quia est id, quò res, quę est finis, formaliter coniungitur nobis, & à nobis possidetur.

4 Obiectio in propositam diuisionem. 1. Ex Henco, & Soto.

Hæc diuisio aliquas patitur difficultates, quarũ solutio ad perfectam illius explicationem plurimum valet. Contra eam primùm objici potest sentẽtia Henrici in Summa art. 49. q. 5. Lit. N. O. P. X. & q. 6. Lit. G. H. dum negat adeptionem rei, quę est finis, habere posse verã, & propriam rationem finis: à qua sentẽtia non videtur longè ab esse Sotus in 4. dist. 49. q. 1. art. 1. dum ait nomen finis, si seruanda est illius proprietas, solũ significare rem, quæ est finis, nõ verò adeptionem eius. Fundamentum est, quia operatio, quæ est adeptio finis, *qui*, ex sua natura est propter eundem finem, *qui*: nã possessio pecuniæ appetitur propter ipsam pecuniam, & visio Dei propter ipsum Deum.

2. Obiectio

Deinde obijcitur, quoniam adeptio finis, *qui*: non est obiectum, quod concupiscitur ab agente: ergo non potest habere rationem finis. Probatur cõsequẽtia, quia finis, *cuius*, qui in hac diuisione diuiditur, vt initio aduertimus, est bonũ propter se concupitũ, cuius gratia alia concupiscũtur: vnde terminat amorẽ concupiscentiæ tãquã obiectũ illius, & actum delectationis, quando est præsens, vt patet. Antecedens probatur in visione Dei quæ est formalis Dei adeptio: hæc enim nec in via est obiectũ spei inhiantis & cõcupiscẽtis Deũ per actũ desiderij: nec in patria ẽ obiectũ, vt qui busdã placet, delectatiõis, siue fruitiõis beatificæ; sed solũse habet ad affectũ volũtatis, siue ille sit desiderij, siue delectationis, sicut cõditio pręsentãs illũ voluntati: quę fuit sent. Caieta. 2. 2. q. 17. art. 2. Scoti in 1. dist. 1. q. 1. art. 2. Ochami ibi q. 4. art. 3. Gabr. q. 1. art. 2. & pluriũ aliorũ, qui volunt visionẽ Dei eodem modo se habere ad desideriũ viæ, & delectationẽ patrię, sicut se habet cognitio cuiuscũq; alterius boni ad volitionẽ, & desideriũ euiusdem boni: iam vero cognitio sanitatis, quã volũtas appetit, nulla ratione est obiectũ volũtatis: nec enim volũtas cognitionẽ sanitatis desiderat, sed ipsam sanitatem: cognitio autem ad volitionem sanitatis solùm concurrit, vt conditio pręsentans eam voluntati.

Caietanus. Scotus. Ocham. Gabr. Gregor.

Cõfirmatur hæc ratio: quoniam adeptio finis, *qui*, secundum se considerata non videtur habere aliquam bonitatem, quę propter se appetatur, & gratia illius cætera: nec enim illa dici potest ratio, ob quam finis, *qui*, nobis est bonus; cum ille ideo nobis sit bonus, quia in se est quædã perfectio nobis cõueniens: cũ verò sit res à nobis supposito distincta, non potest nobis suam bonitatem communicare, nisi cõiungatur nobis per aliquam operationẽ, quæ sit illius adeptio.

Confirmatio 2. obiectionis.

Tertiò obijcitur; quia ratio finis nõ potest vtrique membro accõmodari: nam duo illi fines, nec vniuocè, nec analogicè possunt conuenire. Non quidem vniuocè; quia sicut non habẽt bonitatem eiusdem rationis, ita, nec habẽt vnam rationem finalizandi:

etenim vn' finalizat, vt res, quę est bona; alter, vt adeptio illius. Nec etiam Analogicè: quia ratio finis in communi sũpta, est ratio quędam vniuoca, vt facile patet ex definitione explicata art. 1. huius quæstionis.

6 6. præmissũ. Pro solutione harum difficultatum præmittendum est duos istos fines ex sua natura, ita esse inter se affectos, vt nec constituant, nec constituere possint duos fines totales, & integros: sed duos tantum partiales, ex quibus vnus integer componatur: cui soli ratio finis completè conuenit. Quæ fuit sententia D. Thomæ 1. secundæ quæst. 11. artic. 3. ad tertium Caietani prima secundæ, q. 1. art. 1. ad 2. Conradi 1.2.q.5. art. 2. Sati est de mente Henrici in loco citato Lit. N. & est vulgaris doctrina inter nouiores, de qua Suarius in Metaphysic. disput. 23. sectio. secunda, num. 12. Bellomontan. 1.2. disput. 2 cap. 3. versic. *Præterea hic finis*, & disput. 11. cap. 6. num. 30. & 31. & latius disput. 15. cap. 3. num. 13. Nam cum finis, *qui*, non possit esse bonus nobis, nisi sit à nobis assecutus: illum autem assequi non possimus sine aliqua operatione, vel quasi operatione, qua nobis approprietur: profecto ex vtroque componitur, & integratur vnus finis totalis, ad quem intentio agentis adęquatè terminatur, & cuius gratia omnia facit. Quod exemplis fiet euidentius; nam auarus pecuniam intendit, non absolutè, sed vt suam, & vt à se possessam: & appetitus noster in Deum tendit prout est à nobis visus. Vnde adæquatus finis auari est pecunia possessa, & adęquatus finis nostri desiderij est Deus visus: & ad vtrunque intentio agentis terminatur per modum vnius, & prout vterque cõplet vnum adæquatum obiectum terminatiuum eiusdem intentionis.

D. Thom. Caiet. Conradus. Henric.

7 2. Præmissũ Secundo præmittendum est quemlibet istorum finium veram habere rationem finis, cuius assequendi gratia media ab agente & intenduntur, & applicantur. De fine, *qui*, id est absque vlla controuersia: nam auarus pecuniam concupiscit tanquam quoddambonum, & de ea tanquam de proprio bono delectatur. De fine, *quo*, forte aliquis dubitauerit: sed tamen sine fundamento, & ratione: quia experimur in nobis desiderium videndi Deum: & quilibet interrogatus, an velit videre Deum? respondebit se nihil aliud desiderare. Auarus item nõ solùm desiderat pecuniam, sed etiam habere eam. Docet igitur experientia, & pecuniam, & possessionem pecuniæ esse duo obiecta partialia, quorum quodlibet in seipso est volitum: attamen cum dependentia vnius ab altero. Quam veritatem, & Aristotel. & Augustin. confirmant: nam Augustin. 11. de Trinita. cap. sexto, ver bis expressis affirmat voluntatem nostram habere pro fine vltimo ipsam Dei visionem: & Aristotel. contemplationem substantiarum altissimarũ esse supremam felicitatem apertè docuit 10. Ethico. capite septimo, & 8. felicitatem autem esse vltimum finem appetibilem propter se, & non propter aliud clarè docuit 1. Ethic. cap. septimo. Contemplationem verò substantiarum altissimarum apud Aristo. non esse finem, *qui*, sed finem, *quo*, & formalem, euidenter colliges ex Aristotele in dicto capite octauo, dum ait, *& deos, & homines contemplatione tanquam sũma beatitudine esse felices.* Itaque negari non potest finem, *quo*, atque formalem in se esse quoddam bonum propter se appetibile, cuius gratia aliquid fit, quæ est vera ratio finis.

Augusti. Aristi.

Igitur vterq; finis sumptus secundũ se est quoddam obiectum, partiale tamen, intentionis agentis, & quoddam partiale bonum, cuius consequendi gratia media applicantur: nam auarus operatur non solum propter pecuniam, sed etiam propter possessionem illius: omnia enim dirigit ad consequendam pecuniam: sicut etiam fidelis omnia dirigit ad videndum Deum. Quæ omnia cõfirmãtur; quia bonũ, non solùm vt bonũ sed etiam vt proprium, est ratio proxima finalizandi, vt dicemus inferius ad quęstio. tertiam.

His ita prędmissis patet solutio primæ difficultatis: nam cum finis: *qui*, & finis, *quo*, non sint duo fines integri, & totales; sed partiales tantum componentes vnum totalem finem, ad quem adæquatè agentis intentio terminatur; vnus nulla ratione poterit habere rationem medij respectu alterius; quia ex fine, & ex medio ad finem non potest componi vnus integer finis.

8

Quare

Quare negandum est Henrico adeptionem finis, *qui*, ordinari ad eundem finem, *qui*, tanquam ad finem. Nam cum adeptio finis, *qui*, sit formalis illius assecutio, nec potest intendi, nec applicari tanquam medium ad assecutionem illius; hæc omnia intellige de fine operantis: nam si sermo est de fine operis, hoc est dei naturę institutoris; finis, *quo*, adæquate ordinatur ad finem qui: quia Auctor naturæ operationem, qua finis, *quo*, adipiscitur, ad finem obiectiuum ordinauit. Vide Suariū Metaphysic. disputat. 23. sectio. 2. num. 12. Negandum est etiam Soto solum finem, *qui*, esse id, cuius gratia cætera fiunt: nam finis: *quo*, nempe visio Dei, est id gratia cuius fiunt omnia, quę fiunt gratia finis, *qui*, De quo non nihil dicendum erit lib. 2. disputatio 1. artic. secundo.

9 Soluitur 2. obiectio.

Ad secundam difficultatem patet solutio ex doctrina secundi præmissi: nam finis, *quo*, verè est id, quod partialiter ab agente concupiscitur. Quare ad argumentum negandum est antecedens. Ad probationem negandum est visionem Dei, non esse obiectum, & desiderij in via, & delectationis in patria; sed esse solum conditionem presentantem voluntati ipsum Deum: vt contra Caietanum, & cæteros, qui citantur, optimè defendit Bellomont. 1. secundæ disput. 15. cap. 3. & 4. cuius opinionem modo supponimus tanquam veram, nec enim de ea latius disputare est huius loci: satis sit Augustinum esse in opposita sententia. 11. de Trinitat. cap. sexto, quem in secundo præmisso adduximus, quin potius contra eosdem adducere possumus Aristotelē in locis in eodem præmisso adductis. Nec est verum eodem modo se habere visionem Dei ad desiderium Dei, & delectationem, quo se habet cognitio sanitatis ad desiderium eius: quoniam cognitio sanitatis, non est ipsa formalis sanitatis acquisitio, sed solùm est notitia præsentans voluntati bonitatem sanitatis acquirendæ, vel acquisitæ: at visio Dei est formalis adeptio, qua Deum nobis adipiscimur. Admittimus in via præcedere in nobis notitiam, quod bonum est videre Deum, vt possimus desiderare Deū videre. An vero in patria præter visionem ipsam intuitiuam Dei sit necessaria alia notitia præsentans volūtati bonitatem Dei visi? Alterius est negotij.

August.

Arist.

10 Solutio confirmationis

Ad confirmationem negandum est adeptionem finis, *qui*, non habere aliquam bonitatem, quæ propter se appetatur, & cætera gratia illius: oppositū enim ex Augustino, & Aristotele collegimus in secundo præmisso. Quare falsum est eam solum esse conditionem sine qua finis, *qui*, non esset bonus nobis: nam quamuis finis, *qui*, ideo sit obiectiuè bonus, quia in se est quędam perfectio nobis conueniens; quia tamen talis perfectio non potest esse nobis bona, nisi sit nobis coniuncta, ideo ipsa formalis possessio perfectionis obiectiuæ in se ipsa est quædam formalis bonitas, gratia cuius operamur: etenim omnia agimus, vt videamus Deum. An verò eadem ratio cernatur in adeptione cuiuscunque finis etiam illius, qui est finis, vt res operata? mox explicabimus.

11 Satis fit 3. obiectioni. *D. Bonau. Henricus.*

Ad Tertiam obiectionem respondē dum est cum D. Bonauent. in 4. dist. 49. art. 1. q. 1. & satis ad mentem Henrici in Summa artic. 49. quęstio. 5. Lit. N. duos istos partiales fines inter se comparatos, non vniuocè, sed analogicè conuenire: siue inter se comparentur in ratione entis, siue in ratione causandi. Primum patet, quoniam finis, *qui*, est substantia, & finis, *quo*, est operatio, vel quasi operatio, vnde aliquando non est res, sed modus rei. Iam verò nec substantia vniuocè conuenit cum accidenti, nec res cum modo rei. Idem dicendum est si comparentur in formali ratione finis: quoniam finis, *quo*, est appetibilis, quia finis, *qui*, est appetibilis: nullus enim appeteret adeptionem pecuniæ, si pecuniam non appeteret: nec visio Dei haberet rationem beatitudinis, nisi Deus esset nostra vltima beatitudo. Igitur sicut accidens est ens, quia entis: ita etiam finis, *quo*, est finis, quia est adeptio finis, *qui*. Ita fit, vt finis, *qui*, in ratione entis sit perfectior, quàm finis, *quo*; & in ratione finis per prius participet rationem finis, quam finis, *quo*. Nec opus est vt ratio finis in cōmuni sit vniuoca ad omnes fines.

11 Dubium 1.

Duo supersunt explicanda pro huius diuisionis perfectiori explicatione. Vnum est: An diuisio illa finis, *qui*, & *quo*, etiam reperiatur in posteriori membro superioris diuisionis, nimirum in fine, qui est res operata, verbi gratia, An sicut in assecutione Dei, & in cõsecutione pecuniæ, distinguntur duo partiales fines, *qui*, & *quo*, integrantes vnum finem totalem: ita etiam distingui debeant in adeptione sanitatis, in constructione domus, in consecutione victoriæ, & cætera. Parti negãti fauet; quoniam nullus nullus est scribentium, qui hanc diuisionem accommodet, nisi fini, qui est operatio: imò communiter docent finem, *qui*, supposito distingui à fine, *quo*.

Proponitur pars negãs.

12 Proponitur pars affirmatiua ex Aristotel.

Affirmationi fauent verba Aristotelis in primo Ethic.cap.1. text.2.& 3.ita enim habent: *Finium autem differentia quædam videtur: quidam enim sunt operationes: quidam præter has ipsas, opera quædam: atque in quibus præter operationes alij quidam sunt fines; in ijs ipsa opera sunt operationibus præstantiora.* In quibus verbis pondero illa verba, *Præter has ipsas*: & vrgentius illa alia: *præter operationes alij quidam sunt fines*: nam particula, *Alij*, insinuat in illis finibus ipsas etiam operationes esse fines. Accedit etiam ratio; quia non video, cur in vtroque membro non sint duo illi partiales fines distinguendi: nam sicut Deus non potest nobis esse bonus, nisi per visionem coniungatur nobis: nec pecunia, nisi per adeptionẽ, & possessionem fiat nostra: ita etiam sanitas non potest nobis bona esse, nisi per operationem nobis vniatur: nec domus potest esse bona ædificanti, nisi per ædificationem consummetur. Quare si adeptio pecuniæ est in se formaliter bona, ideo quia est adeptio rei, quæ est bona nobis, cur adeptio sanitatis in se non erit formaliter bona, & appetibilis, ideo quia est assecutio boni cõuenientis? nam sicut omnia operamur ad videndum Deum: ita ægrotus omnia applicat ad assequendam sanitatem.

13 Alterum dubium D.Thom.

Alterum, quod explicandum est, petit, an hæc diuisio in finem, *qui*, & *quo*, ex Aristotele colligatur? quam dubitationem excitamus propter Diuum Thomam, qui prima secundę quæstio. prima, articulo octauo, hanc diuisionẽ tribuitur Aristoteli: intepretes autem Diui Thomæ locum denotant in quinto Metaphysicæ capite decimo septimo, text. vigesimo secundo, ex quod tamen loco illa deduci nulla ratione potest. Vasques Bellomonanus prima secundæ disputatio. 2. capite tertio, §. *Præterea is finis*, solutionem difficultatis retulit in disputationem decimamquintam, capite tertio, quo in loco nullum de ea verbum fecit. Quare ex quo loco Aristotelis Diuus Thomas eam deduxerit; mihi non constat.

ARTICVLVS III.

Vtrum detur finis per operationem factus & finis per operationem non factus. Sed acquisitus.

1 QVARTO loco diuidi solet finis in finem, qui fit per operationem: & in finem, qui per operationem acquiritur. Ille operationem agentis consequitur: iste eam antecedit, ob quam rationem ille à quibusdã dicitur finis consequens; iste finis antecedens. Huius diuisionis meminit D. Thom. tertio contra gent. capite 18. vbi etiam Ferrariensis. Idem Diuus Thomas 12. Metaphysic. lect. 6. Commento. tertio, & in eodem loco Scotus ad textum 37. ad illa verba *Quod autem est*. Eandem explicant Cursus Conimbricensis secundo Physic. cap. 7. quæstio. 20. art. 2. & Suarius in Metaphysica disput. 23. sect. 2. num. 3.

D.Thom. Ferrar. Scotus.

2 Diuisum huius diuisionis est finis, *cuius*, vt in superioribus iam aduertim°: nã finis *cui*, semper præsupponitur, & præexistit agẽtis operationi: agens enim in illius operationẽ non tẽdit, sed solũ in illius perfectionẽ; intendit enim acquirere illi finem, *cuius*, nimirum sanitatem, visionem Dei, & cætera. Vnde præexistit, atque præsupponitur etiam fini, *cui*, vel simpliciter, sicut homo præexistit sanitati; vel prout est illi coniungendus; quomodo homo præexistit Deo viso, cuius gratia operatur. Igitur finis, *cuius*, est, qui diuiditur in hac diuisione; siue ille sit vltimus, siue intermedius.

3 Sed pro maiori explicatione notandum est ex mente D. Thomę tertio contra

Notandum ex D. Tho.

tra gent. dicto cap. 18. diuisionem istam conuenire fini, non in ordine caussãdi, sed in ordine essendi: nam si expendamus finem, prout exercet suam caussalitatem, semper prꝫexistit operationi agentis; est enim primum mouens, primaque inter omnes caussas: dũ enim propter suam bonitatem amatur, mouet agens, tum ad exquirenda media; tum ad illa applicanda ad sui consecutionem. Porrò si expendamus finem in ratione essendi, & secundum existentiam, quam habet à parte rei, optimè acommodatur ibi hæc diuisio: quia sũt quidam fines, qui operationi agentis prꝫexistunt; intenduntur autem ab gẽte, non vt efficiendi, sed vt obtinendi per aliquam operationem, vel quasi operationem: nam pecunia intenditur ab auaro, vt possideatur: & ciuitas à duce, vt subiugata, & subiecta propriꝫ dictioni. Alij verò sunt fines, qui actioni agentis non supponuntur, sed per eã suo modo efficiuntur: nam sanitas efficitur operatione medici, & domus operatione artificis. Sub priori membro continentur omnes fines, qui in præcedenti diuisione dicuntur obiectiui: hi autem vel sunt obiecta operationũ immanentium, qualis est Deus respectu visionis beatificæ: vel sunt materia circa quam agens suo modo operatur, vt diuitiæ. Denique continentur omnes fines, qui sunt res ab agente supposito distinctæ.

Sub posteriori verò membro continentur, tum omnes fines, qui sunt fines, vt res factæ: tum etiam omnes fines, qui sunt operationes: nam & isti suo modo fiunt agentis operatione: possessio enim pecuniæ negotiatione acquiritur: & visio diuinæ essentiæ, actionibus viæ meritorijs adipiscitur. Vnde hæ operationes non præexistunt, sed consequuntur potius operationem agentis.

4 Dubitatio.

Dubitauerit aliquis, an hæc diuisio colligatur ex Aristotele? Cursus Conimbricensis, & Suarius locis citatis eam colligunt ex secundo Physicorum cap. secundo, text. 23. & ex secundo de Cœlo cap. 12. text. 64. & ex quinto Metaphysicæ capit. secundo, & denique ex 12. Metaphysi. cap. 12. text. 37. dicendum tamen est eam expresse colligi ex vltimo loco citato iuxta communem interpretationem Diui Thomæ, Scoti & aliorum ibi, ita enim habet. *Quod verò cuius gratia, in immobilibus sit ipsa diuisio manifestat: est enim id, cuius gratia alicui eorum, quorum hoc quidem est, hoc verò non est.* Sensus est: quod ratio finis possit etiã cõuenire rebus immobilibus, quas diximus esse per se appetibiles, satis manifestat vulgata diuisio finis: nam ratio finis interdum reperitur in ijs, quæ sunt: idest, quæ prꝫexistunt rebus, quꝫ ipsorum sunt gratia: interdum verò in ijs, quꝫ non sunt, idest, quꝫ non præexistunt ijs, quꝫ ipsorum gratia fiunt. In hoc secundo membro continetur sanitas, quæ non prꝫexistit medicamentis, quæ illius gratia applicantur: subprimo continetur primum mouens, primumque appetibile, nimirum Deus: nam Deus, etsi prꝫexistat ijs, quꝫ propter ipsum sunt; potest esse finis assequendus ab illis, & hæc est propria illius loci explicatio; quamuis Alexander Aphrodisꝫus in alium sensum & verba, & mentem Aristotelis interpretetur.

Resolutio ex D Tho. & Scoto.

Aphrodis.

5

Ex illo igitur loco expressè sumitur præfata diuisio: ex alijs verò, quæ citantur, etiam desumi valet, quia Aristoteles in illis aliquando agit de fine, qui agentis operatione efficitur: aliquando verò de eo, qui agenti præexistit, non quidem efficiendus ab eo, sed obtinendus: nam in secundo Physicorum expressè docet naturam, idest, formam esse finem, nimirum generationis: quæ forma non prꝫexistit generationi, sed per eam fit. Simili modo in quinto Metaphysicꝫ, & plerisque alijs in locis docet sanitatem esse finem: quꝫ tamen non antecedit, sed consequitur medicationem, per quam fit. At in secundo lib. de Cœlo loco citato affirmat summum ens, atque perfectissimũ, Deum inquam, esse vltimum finem, cuius gratia cætera aguntur, qui finis præexistit, & supponitur cæteris omnibus agentibus: igitur ex omnibus illis locis simul sumptis colligi etiam poterit apud Aristotelem dari duplicem illam finium differentiam; vt quidam actioni agentis præexistant, nec per illam fiant: quidam verò eam consequantur aliquo modo per illam effecti.

ARTICVLVS IIII.

An finis alter sit generationis; alter rei genitæ.

1 QVinta datur materialis diuisio finis: nam vnus vocatur generationis, alter rei genitæ. Desumpta est ex Auerr. 4. lib. de Cœlo cap. 3. Commento. 22. ea vtitur D. Thom. in 4. dist. 8. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad primũ, & q. 2. de virtutibus art. 3. ad 18. Explicat Cursus Conimbr. 2. Phy. cap. 7. q. 20. art. 2. in 2. diuisione, Suarius in Metaph. disp. 23. sect. 2. num. 10. & 11. facilè deducitur ex Arist. nam lib. 2. Physic. cap. 7. tex. 70. & lib. 1. de Generat. cap. 7. tex. 55. expressè docet formam etiam finem generationis: at in 2. de Cœlo cap. 3. tex. 17. ait vnum quodq; esse propter suam operationem; aperte significans operationem esse finem cuiusq; rei genitæ.

Auerroes *D. Thom.* *Arist.*

Verum nomine, Generationis, intelligenda est omnis actio, tam naturalis, quàm artificialis, per quam aliqua res fit; vt benè notauit Suarius: Omnis enim actio terminatur ad formam, vel quasi formam tanquam ad finem cuius gratia agens operatur: cum verò idem finis, qui est actionis, sit etiam agentis, qui per actionem operatur: non ineptè inferes, eundē esse finē actionis, & operātis, vt in sequēti diuisione videbimus.

Nomine, formæ, intelligendũ esse totum compositum opinatur Suarius in d. num. 10. quoniam generatio maximè est propter totum compositum. Hoc tamen, etsi verũ habeat in creatione, quæ primo, & immediatè terminatur ad totum compositum; atque etiam in generatione substantiali, in qua compositũ principalius habet rationem finis, *cuius*, quàm forma substantialis: tñ in actionibus accidētarijs id videtur dubium: nã totum compositum, ad quod adæquatè terminatur actio accidentalis, nempe sanatio componitur ex fine, *cuius*, & ex fine, *cui*. Nos autem hoc loco agimus de solo fine, *cuius*, qui in hac deuisione habet rationem diuisi: igitur finis, *cuius*, deambulationis est sanitas: quamhomo sanus sit finis adæquatus, & totalis compositus ex fine, *cui*, & ex fine *cuius*.

Dubia.

Addendum est nomine formæ etiam intelligi posse actionem, quia fieri potest, vt vna actio sit finis alterius: nam finis actionis meritoriæ est visio diuinæ essentiæ: cytharisatio etiam potest esse propter delectationem: & locutio propter intellectionē; quæ operationes sunt veluti formæ intentæ per priores.

2 In secunda parte diuisionis subre genita comprehēdi debet omnis res creata, quæ non est operatio; quia omne ens creatum est propter operationem, vt docet Aristoteles ita intelligendus in secundo de Cœlo capite tertio, text. 17. Quæ doctrina verissima est, si nomine, operationis, intelligas omnem vsum, ad quem res ordinatur, siue illa sit vera operatio, siue non, vt benè aduertit Suarius in dicto num. 11. Et vt omittamus substantias completas (quarum nulla datur, quæ non sit à Deo auctore naturæ ad aliquam operationem ordinata tanquàm ad finem, qua possit vltimo fini, suo modo assimilari) id etiam verum habet in materia prima, quæ, est substantia quædam incompleta, & nullo modo actiua: nam materia est à Deo instituta propter suam caussalitatem materialem, nimirum ad sustentandam formam, & componendum compositum. Domus item, quæ est res quædam artefacta, ædificata est propter vsum habitationis, & protectionis habitantium.

Arist.

3 Diximus (quę non est operatio) quoniam sola operatio ex sua natura non est propter operationem, sed propter aliud. Primum patet, quia operatio non ideo habet esse, vt operetur, sed vt per eam agens formaliter operetur. Secundum verò facile ostenditur; quoniam actiones transeuntes ab auctore naturæ per se ordinantur ad operatum tanquam ad finem immediatum, & proximum: calefactio enim est propter calorem producēdum. At actiones immanentes per se ordinantur ad sua obiecta tanquam ad finem: quanuis aliqui dubitent, de quo modò non curamus.

4 Ex ijs colliges intentionem naturæ in rerum generatione, siue effectione vltimatè terminari ad operationem rei genitæ: quælibet enim res operando assequitur vltimum suum finem naturalē, quia operando assimilatur Deo primo agenti

agenti: in qua assimilatione naturalis cuiusque rei beatitudo collocatur. Nō negamus posse vnam operationem in aliam ordinari tanquam in finē, sed dicimus hanc ordinationem non esse à natura operis, sed ex voluntate operantis: qui potest rem aliquā ordinare ad finem, ad quem à natura non dirigitur, vt statim dicemus: iam verò in hac diuisione agimus de fine ad quem res genita ab auctore naturæ refertur, non verò de fine, ad quem refertur ab operante.

ARTICVLVS V.

Vtrùm detur finis operis, & finis operantis?

1 DIVIDI etiam solet finis materiali diuisione in finem operis, & in finem operantis, quæ diuisio non raro est vsurpata apud Scholasti- *D. Thom.* cos: crebro ea vtitur D. Thomas 2. 2. q. 141. art. 6. ad 1. & in secundo dist. 1. in 2. p. distinctionis q. 1. art. 1. & dist. 38. q. 1. art. 5. & in quarto dist. 16. q. 3. ar. 1. quæstiunc. 2. ad 3. & dist. 49. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 4. meminit illius Fonseca in *Fonseca. Nauarrus* 5. Metaphy. cap. 16. in Comment. lit. D. Nauar. in Cōmentario de finibus humanorum actuum n. 7. volunt nonnulli eam deducere ex Arist. in 5. Metaph. cap. 16. *Arist.* 2 tex. 21. Sed de hoc nihil modo curam⁹.

Huius diuisionis posterius membrū facilè explicatur: nā finis operantis est ille, quem operans pro sua libertate, & arbitrio sibi præstituit: potest enim pro sua libertate vti rebus propter varios, ac diuersos fines, vt per se patet. Prius tamen membrum difficilius explicabitur, si expendantur quæ scribit D. Tho- *D. Thom.* mas in prȩcitatis locis. Ex cuius mente ille finis dicendus est operis, ad quem opus à Deo naturæ auctore dirigitur: Deus enim naturæ institutor singulis quibusque rebus proprios, ac peculiares fines constituit; & talem cuique rei naturam indidit, qualem exigebat finis cuius gratia creabatur. Quod satis vi- *Arist.* detur expressisse Arist. 2. Physic. cap. 9. Igitur finis operis in vnaquaq; re creata erit propria ipsius operatio: in operationibus verò finis operis erit terminus, qui per operationem; vel producitur, vel attingitur; vt patet ex præcedēti diuisione, in qua sermo est de fine operis, & non de fine operantis, vt aduertimus. Quia verò Deus singulas res ordinauit non solùm in proprios, & particulares cuiusque fines, sed etiam in suā bonitatem tanquam in vltimum finem, vt singulæ suo modo diuinam assequerē tur assimilationem: proinde duplex est distinguendus finis operis: vnus proximus, alter vltimus: ad vtrumque enim quælibet res creata, similiter etiam, & quælibet creata operatio suam habet referibilitatem; quamuis ab operante sæpè in diuersos alios fines dirigatur.

Illud est hoc loco obseruandum finē 3 operis semper coincidere cum fine Dei operantis, vt est auctor naturæ: ita vt vnus & idem sit finis operis, & finis Dei naturam instituentis: nam in qualibet re, ille est finis operis, ad quem Deus rē illam ordinauit, & propter quem illam instituit. Nec mirum, quia idem est finis artis, & artificis prout est artifex: iam verò res omnes respiciunt Deum tanquam artificem. Non sic res habet, si finis operis comparetur cum fine operā tis creati, hi enim fines sæpè sunt diuersi, vt benè adnotauit Fonseca loco ci- *Fonsec.* tato, & docet experientia: quia operās creatum sępissimè res ordinat ad fines ipsis rebus extrinsecos, ad quos ex sua natura nullam habent ordinationem.

ARTICVLVS VI.

Vtrū detur finis principalis, & secundarius?

VLTIMA diuisio est, qua finis ma 1 terialiter diuiditur in principalē & secundarium. Huius diuisionis mentionem fecit D. Thomas quodlib. *D. Thom.* 5. art. 19. & quodlib. 8. ar. 11. & in 2. dist. 1. q. 2. ar. 3. Est distinctio vsurpatissima in materia de vsura, & simonia: eam adducit, & explicat Nauar in Manuali c. *Nauar.* 23. n. 101. & cap. inter verba concl. 5. n. 34. & in comment. de finibus humanorum actuum n. 9. & passim alibi. Ex quo colliges hāc diuisionem coincidere cū ea, qua iurisperiti diuidunt finē in motiuum, & impulsiuum.

Pro explicatione præmittendum est 2 finem principalem, & secundarium habere habitudinem, ad vnum, & idē medium, quod voluntas ordinat ad plures

fines, qui nec inter se sunt subordinati, nec ex æquo intenti; sed vnus principaliter intentus, alter minus principaliter, & secundario. Igitur diuisio ista nō habet locum in finibus, qui sunt subordinati: vt quando quis operatur propter sanitatem non vltimatè, sed etiam vt liberiùs possit studio, aut cōtemplationi vacare. Nam licèt in illa appetitione finis vltim⁹ fortè sit principalior: finis tamen intermedius non potest dici secundarius: quia finis secundarius supponit primariū, cui secundarius adiungitur, vt patet in canonico, qui vadit ad Ecclesiam, primò quidem propter cultum Dei: ex consequenti verò, ac minus principaliter propter distributiones quotidianas, & in hoc distinguitur à finibus, qui ex æquo à voluntate eodem medio intenduntur, quod esse possibile plures existimant.

3 Sed iam venit explicandum, quinam finis dici debeat principalis: inde enim facilè intelligi poterit, qui finis appellari debeat secundarius. Ad hanc quæstionem, teste Nauarro, respondent plures ex iureperitis illum finē inter alios dici principalem, quo cessante cessaret actus, siue opus, quod erat ad illos fines. Bartoli sententia. Colligitur hæc sententia ex Bart. in leg. 2. §. vlt. ff. de donat. Clarius ex Glos. in l. 1. §. origo ad verbum causam, ff. de postuland: Glos. etiam ad verbum Periculosis in cap. Cupiētes de Elect. in 6. Adde Bartol. clarius id docentē in Extrauagante ad reprimendum ad verbum, Ne ex eorum. n. 13. cum sequētibus. Ex quo ibi colliges causam minus principalem esse qua cessante adhuc opus nō cessaret. Ob quam rationem omnes iurisperiti regulam, de qua in cap. Cum cessante de appellationibus, intelligunt de causa finali principali, quam appellant motiuam. Ad hanc sententiam videtur accedere Bellomont. 1.2. disp. 70. cap. 3. num. 11. si finis motiuus idem est, quod finis principalis.

4 Bartoli opinio reijcitur à Nau. Hæc sententia non placuit Nauarro locis citatis: & merito sanè: quia definitio illa, & explicatio nec cōuenit omni fini principali, nec soli. Non conuenit omni fini principali: quoniā quādo idem medium appetitur á voluntate propter plures fines totales (quod Fonseca. fieri posse cum Fonseca contra nonnullos supponimus) sublato vno non proinde tollitur effectus: adhuc enim per se dependebit ab alio fine totali, vt patet ex definitione finis totalis, quam Philosophi recipiunt: nec hoc negat, imò fatetur Bart. in dicta Extrauagāte Ad reprimēdum loco citato, & docet Panor. Bartolus. cum cæteris scribentibus in dicto cap. Cum cessante causa de appellationib⁹. Panorm. Idem docet experientia in eo, qui ieiunat concurrentibus in eodem die pluribus præceptis, quorum quodlibet est finis principalis, & totalis illius ieiunij, & tamen vno eorum deficiente adhuc ieiunium seruaretur.

Quod verò explicatio illa finis principalis non conueniat soli, inde probat Nauar. quia plures dantur fines secundarij, & minus principales, quibus deficientibus non esset effectus: nam canonicus non iret ad chorum, si nulla esset spes distributionum: & tamen constat eum non ire in chorum principaliter propter eas. Ex quibus patet non valere hanc consequentiam: deficiente hoc fine deficeret effectus, ergo hic finis est finis principalis: quam consequentiam expressè negat Maior in 4. dist. 25. q. 2. in 2. argum. principali, §. Respondeo, & Maior. satis expressè D. Thomas in 2. dist. 38. D. Tho. q. 1. art. 1. ad 5. Cum igitur definitio illa finis principalis nec soli fini principali conueniat, nec omni; infertur explicationem illam esse extrinsecā: sicut etiā extrinseca est à ratione causæ principalis: nam vt aliqua res ab aliqua causa per se dependeat tanquam à principali, non est necesse vt illa sublata hæc etiam auferatur: potest enim saltem diuina potētia per se pendere à pluribus causis principalibus, & totalibus.

Non est negandū quando causa principalis alicuius effectus est vnica tātū, sublata causa effectū necessario tolli; in quo sensu cōmuniter intelligitur regula textus in dicto cap. Cum cessante causa, de appellationibus: cum enim effectus nullam aliam causam habeat, à qua per se dependeat; vtique ea deficiē te deficiat effectus necesse est. At tamē id cōuenit tali causæ non præcisè, quia est principalis, sed quia est vnica. Nos autem hoc loco inquirimus non rationem causæ finalis vnicæ, sed rationem causæ finalis principalis, vt distinguitur

6 tur à secundaria, & minus principali.

Iurisperitorum explicatio reijcit. *Bartol.* *Nauarr.*

Reiecta igitur communi iurisperitorum explicatione: similiter etiam reiecta alia explicatione Bartol. in l. Ambitiosa, n. 19. ff. de decret. ab ordine faciẽ dis, quam refert Nauar. in dicto cap. Inter verba. n. 34: non ob rationẽ Nauarri, sed quia idem per idem declarat; probanda foret explicatio eiusdem Nauarri, nisi & longa nimis, & intellectu foret difficilis: nam etsi rem aliquo modo attingit, rem potius obscurat, quam explicet, cõtra regulas bonę definitionis.

Exponitur quis sit finis principalis.

Dicendum est igitur illum finem dici principalem, qui sua bonitate sine vlla dependentia ad alium finem eiusdem ordinis sufficienter, ac totaliter mouet voluntatem ad excogitanda, & applicãda media. Quam explicationem colliges ex Suario 1. tomo ad tertiam partẽ disp. 5. sect. 4. §. *Vnde vlterius considerandũ.* pag. 174. col. 1. & in Metaphysica disp. 26. sect. 5. n. 32: nam vt aliqua caussa efficiens sit principalis, & totalis alicuius effectus, satis est si ab illa recipiat esse independenter ab alia caussa efficiente eiusdem ordinis. Itaque qui finis sua bonitate absolutè mouet voluntatem, vt gratia illius independenter ab alio fine aliquid faciat, is dicetur finis principalis. Quod si Nauar. hac sola conditione contentus foret, optimam dedisset definitionem finis principalis; quia hæc sola conditio explicat propriam conditionem illius quatenus est principalis.

Nauar.

Quis sit finis secundarius.

Hinc facilè colligitur, quinam finis dicendus sit secundarius. Nã dicetur is qui cum alio fine concurrens non est per se sufficiens ad mouendum voluntatem, vt absolutè solius illius gratia faciat opus, quod absolutè facit gratia alterius: semper enim agimus de voluntate operante gratia plurium finium.

7 Qui si ita se habent, vt vnus voluntatem moueat independenter ab altero, alter verò minimè, sed cum aliqua dependentia ad priorem; tunc vnus dicetur principalis, & alter secundarius: nã finis secundarius supponit finem principalem tanquam primariò volitũ: vnde, & intenditur, vt coadiuuans motionem finalem, quam finis principalis exercet. Quæ omnia facilè colliges ex ijs, quæ de fine secundario docet D. Thom. quodlib. 5. art. 19. & quodlib. 8. art. 11. & 1. sent. dist. 27. q. 4. art. 1. ad 2. & in 2. dist. 1. in 2. p. q. 1. art. 3. & dist. 15. q. 1. artic. 1. ad 6. & denique dist. 38. q. 1. art. 1. ad 5. Charitas enim etsi respicit vnionẽ cum Deo tanquam finem primariũ, puritatem tamen mentis respicit tanquã secundarium, quia disponit ad præfatã cum Deo vnionem, ex D. Thom. in dicto art. 19. Sic canonicus diuina officia celebrans in Ecclesia, Deum illiusque cultum principaliter intẽdit; distributiones autem secundario tanquam necessarias ad vitæ substẽtationem, quo Deo liberius in Ecclesia vacet, ex D. Thoma in dicto art. 11. & in dicta dist. 38. loco citato. Sic Angeli creati sunt propter hominem, tanquam propter finem secundarium: quia in hoc, quod hominib⁹ assistunt, diuinam similitudinem consequuntur, quæ est finis principaliter in eorum creatione intentus. Ita habes ex D. Thoma in 1. & 2. sentent. locis citatis.

D. Thom.

D. Thom.

8 Ob hanc rationem finis secundarius à Maiore loco citato apellatur finis sub fine: à iureperitis dicitur finis impulsiu⁹; quia scilicet potius est finis coadiuuans finem principalem ad mouendũ voluntatem, quam mouens illam. Vnde non desunt, qui velint finem secundariũ non esse propriè finem, vt patet ex Nauarro in dicto cap. Inter verba loco citato. Id quod colligit ex D. Thoma 2. 2. q. 27. art. 3. quo in loco finem secundarium putat potius reducendum esse ad genus caussæ materialis, quàm finalis.

Maior.

Nauarr. *D. Thom.*

9 Si quis inquirat, an idem sit finis secundarius, & minus principalis? Puto respondẽdum esse negatiuè: quoniã etsi omnis finis secũdarius est minus principalis: tamen non omnis finis minus principalis est secundarius: quia fieri potest, vt vnius actionis dentur duo fines totales; quorum alter appretiatiuè sit principalis, & magis intentus: alter verò minus principalis, ex se tamen sufficiens, vt independenter ab altero moueat voluntatẽ; quanuis non æquè principaliter ab ea intendatur. Ita se habebit qui Romam proficiscitur, & propter sua, & propter aliena negotia lucri caussa: nam principaliter sua negotia intendet, minus principaliter aliena. Et hæc de diuisionibus finis dixisse satis sit.

Finis secundarius, & minus principalis nõ cõuertuntur.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

EXPLICATA definitione finis, positisque varijs illius diuisionibus; tertio loco inquirendum est, quomodò finis se habeat tam ad bonum, quàm ad voluntatem? De quo inquiruntur quinque. Primum, an finis & bonum sint idem formaliter? Secundò, an finis & bonum reciprocentur? Tertiò, an finis sit obiectũ voluntatis? Quartò, vtrum sit obiectum voluntatis adæquatum? Postremò; an media ad finem sint obiecta voluntatis solum materialia?

ARTICVLVS PRIMVS.

An finis, & bonum sint idem formaliter?

1 PRimùm inquirendum est, an finis, & bonum sint idẽ formaliter? quod nihil aliud est, quam quærere, an ratio formalis finis sit eadem cum ratione formali boni? Ratio dubitandi ex eo sumitur: quia plerique docent finẽ, & bonum idem esse: inter quos est Medina 1.2.q.1.art.1. §. *His explicatis dubitatur* 1. Nec desunt, qui doceant bonum, & finem idem esse formaliter, solùmque differre in modo significandi: nã quod finis significat in actu signato, id significat bonum in actu exercito: etenim esse id, cuius gratia aliquid fit, conuenit fini in actu signato: at in actu exercito bonum est id, cuius gratia fit aliquid.

Medinæ, & aliorum sententia.

2 Respondendum tamen est negatiuè, quia alia est ratio formalis boni, & alia finis: nam ratio formalis boni posita est in ratione conuenientiæ, vt modo supponimus cum D. Thom. 3. contra gent. cap. 3. in principio, & latè ostendit Fõseca in 4. Metaphy. cap. 2. q. 7. sect. 5. cõcl. 2. At ratio formalis finis in eo est sita, quod illius gratia aliquid fiat, vt q. 1. ex Arist. iam ostendimus.

Resolutio quæstionis.

D. Thom. Fonseca.

Arist.

Accedit eò, quia statim ostendemus rationem formalem boni fundare rationem formalem finis: res enim, ideo quia bona est, vendicat sibi, quod illius gratia aliquid fiat. Quare cõmunis philosophorum consensus docet finem formaliter distingui à bono, quatenus bonum est: ita Fonseca vbi supra, & lib. 2. Metaphy. cap. 2. in Comment. lit. Q. Cursus Conimbr. in lib. Eth. disp. 2. q. 1. art. 2. Molina 1. p. q. 5. disp. vnica ad finem, Cumelius ibi q. 1. concl. 3. Bellomont. 1.2. disp. 3. cap. 3. post principium. Quæ eadem fuit sententia Caietani, si attentius legatur 1. p. q. 5. art. 4. in principio commenti, quanuis propter terminorũ obscuritatem non ab omnibus percipiatur: id enim satis significauit, dum dixit D. Thomam in eo art. non quęsiuisse, an bonum sit ratio causæ finalis; sed an sit fundamentum fundans illam, illamque exercens.

Molina. Caiet. Cumel.

3 Nec oppositam sententiam probauit D. Thom. 1. p. q. 5. art. 4. dum ait: bonum habere, siue importare rationem finis: nam si attentius expendantur ea, quæ scribit ad primum, idem est bonum importare rationem causæ finalis, atque bonum pertinere ad causam finalẽ: nã in hoc sensu accepit illam propositionẽ adductam in 1. argument. *Pulchrum importat rationem causæ formalis*) nec enim sensus est, quod pulchrum formaliter sit causa formalis; sed quod se habeat ex parte causæ formalis, ad eamq; reducatur tanquam id, quod fundatur in forma. Quare cum D. Thom. concludit bonum habere, importareque rationẽ causæ finalis; nihil aliud significat, quã bonum pertinere ad causam finalem, ad eamque reduci. Et meritò, quia bonum est fundamẽtum causæ finalis: res enim ideo est id, cui⁹ gratia aliquid fit; quia est bona. Vnde interpretes D. Thomæ propositionem prefatam ita explicant, vt bonum non formaliter, sed fundamentaliter importet rationem finis. Ita Caiet. ibi initio Cemmenti, Molina, Cumelius, Bañes cũ cæteris interpretibus in eodẽ loco, Ferrariẽ. 3. cõtra gẽt. cap. 17. Cursus Conimb. 2. Phy. cap. 7. q. 21. art. 2. concl. 1. Quæ solutio cum nostra coincidit, sed nostra est illis verbis magis germana, & menti D. Thomæ satis accommodata, quam explicauit in solutione ad primum, & insinuat ratio, qua vtitur D. Thom. initio articuli.

Propositæ resolutioni non opponitur D. Tho.

Caiet. Molina. Cumel. Bañes. Ferrar. D. Thom.

Inde colliges optimè docuisse D. Thomam 3. contra Gent. cap. 2. & 3. idem esse operari propter bonum, & propter finem: non quod eadem sit ratio formalis boni, & finis (vt malè quidam interpretantur) sed quia bonum fundat rationem

tionem finis, ob quam etiam rationem frequenter docuit D. Thom. bonum, & finem esse obiectum voluntatis, vt inferiùs dicemus. Quarè non est cur Diuus Thomas nostræ, & communi sententiæ dicatur contrarius.

4 Non repugnat Aristo. traditæ doctrinæ.

Quin potius nec contra nostram sententiam facit Aristoteles 2. Phy. cap. 3. tex. 31. & 5. Metaphy. cap. 2. text. 3. & 1. Ethic. cap. 7. text. 25. nam etsi indiscriminatim bonum cum fine simul coniungat; non pro inde significat eandem esse vtriusque rationem formalem; sed vel id facit, quia bonum, & finis sunt idem fundamentaliter, vt docet Cursus Conimbr. vbi supra: vel quia bonum coincidit cum fine, & conuertibiliter se habet ad illum, si bonum præsius sumatur, vt in sequentibus ostendemus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm finis cum bono reciprocetur?

2 COnsequenter inquirẽdum est, an finis reciprocetur cum bono? ita ut omne bonum sit finis: & omnis finis sit bonum. Ex cuius quæstionis resolutione pendet resolutio alterius, an finis, & bonum sint idem re? Nam si reciprocantur, sunt idem re, & fundamẽto: secus dicendum erit, si vnum latius diffunditur, quàm alterum.

§. 1.
Ponitur pars affirmatiua.

3 AD quæstionem quidam affirmatiuè respondent: bonum, inquam, & finem inter se reciprocari, si sumãtur in creaturis, non quidem actu, sed secundum potestatem. Itaque nihil est bonum, quod rationem finis habere nõ possit: nihil item est, aut esse potest finis, quod non sit bonum. Quam conclusionem intelligunt comparatione creaturarum: quia in actionibus diuinis ad intra nulla reperitur caussa finalis; ob id ibi non potest reperiri reciprocatio inter bonum, & finem. Ita Molina 1. p. q. 5. disp. vnica ad finem, Cursus Conimb. in lib. Ethic. disp. 2. q. 1. art. 2. ita intelligendus in 2. Phy. cap. 7. q. 21. art. 3. ad 2. part. primi argumenti, apud quem si bonum, & finis sumantur non actu, sed secundum potestatẽ optimè inter ea seruatur reciprocatio: quicquid enim (inquit Cursus) reddi potest bonum, & cõueniens respectu alterius; potest suapte natura habere rationem finis respectu illius: & è conuerso, quicquid potest ab alio appeti vt finis respectu alicuius, potest eidem esse bonum, & conueniens.

Molina.

3 Primum affirmatiuæ partis fundamentum, Secundum.

Hęc sententia primùm confirmatur: quia nulla potest dari instantia. Deinde, quia ex Arist. 2. Metap. cap. 2. text. 8. qui è medio tollit finem, necessario tollit omne bonum: quod non alia ratione verum esse potest, nisi quia boni, & finis ratio est reciproca, vt aduerterunt D. Thom. & Alensis in eodem loco.

4 Tertium.

Tertiò, quia constat omnem finem esse bonum, vt demonstrat D. Thom. 3. contra gent. c. 16. & apertè docet Arist. 2. Phy. cap. 3. text. 31. & 2. Metaphy. cap. 2. tex. 3. & expressius 1. Ethi. cap. 7. tex. 25. & 26. ex quo colliges valere hanc cõsequentiam, est finis: ergo est bonum.

D Thom. locus pro hac parte.

Quod autem omne bonum sit finis, manifestè colliges ex Arist. in dict. cap. 7. tex. 25; inquirens enim quidnã sit vnicuique bonum? Respondet finem esse id quod cuique est bonum; quæ responsio non esset adęquata, nisi omne bonum esset finis. Idem colliges ex D. Thom. 3. cõtra gẽt. cap. 17. in 1. argum. docet enim bonum in quantum bonum esse finem. Quæ reduplicatiua includit hanc exponentem vniuersalem. *Omne bonum esse finem.* Cum igitur finis, ideo sit finis, quia est bonum, & bonum in quantum bonum sit finis, euidenter infertur dari reciprocationem inter finem, & bonũ.

§. 2.
Refertur pars negans.

5 OPpositam sententiam, quæ negat dari reciprocationem inter finẽ & bonum, probauit Fonseca in 2. Metaph. in comment. cap. 2. lit. Q. & latiùs in 4. Metaph. cap. 2. q. 7. section. 5. concl. 2. quam eandẽ, teste Medina, probauerunt Caiet. & Petrus à Soto, & plerique alij, qui docuerunt bonum latius patere, quam finẽ; quos non reijcit Medina 1. 2. q. 1. art. 1. Quod verò bonum latius pateat, quàm finis, verbis expressis docet Arist. 1. magnorum Moral. cap. 5. dum ait: *Bonorum, quædam sunt fines,*

Fonseca. Medina. Caiet. Pet. à Sot.

quædam

quædam verò non; quod hoc discursu euidenter demonstratur: nam bonũ diuiditur in honestum, iucundum, & vtile, ex Arist. 2. Ethic. cap. 3. D. Thom. 1. p. q. 5. art. 6. At ratio finis non reperitur in bono vtili, sed tantum in bono honesto, aut iucundo, vt expressè docet Arist. 8. Ethic. cap. 2. text. 3. vbi facta prædicta boni diuisione ita concludit: *Quare sit, vt amabilia sint ipsum bonum, & iucundum; vt fines.* Ex quibus verbis omnes interpretes colligunt bonum vtile non habere rationem finis: quod ratio etiam ostendit, quoniam bonum vtile non est amabile propter se, sed propter alterum, vt ex eodem Arist. eo in loco patet, dũ ait: *Vtile videtur esse, per quod efficitur aliquod bonum, aut voluptas.* At quod bonum fundat rationem finis, id est amabile propter se: quia finis est id, cuius gratia aliquid fit. Quod si bonum vtile non potest esse finis; vtique finis minus latè patet, quàm bonum.

Ratio pro eadem parte.

6 Confirmatio.

Quod adhuc confirmatur: quoniam ratio boni verè conuenit medijs: nec enim possent terminare motum appetitus eligentis; cũ appetitus nisi ad bonum non terminetur. At medijs non potest conuenire ratio finis, saltem quatenùs subeunt rationem mediorum, vt cõmunis philosophorum probat sententia. Igitur non omne bonum est finis: sed vel finis, vel medium ad finẽ: vt passim docet D. Thom. 1. 2. q. 8. ar. 2. & 2. 2. q. 33. art. 6. ad 3. & 1. contra gent. cap. 40. in fine, & de Malo q. 1. art. 2. ad 9.

D. Thom.

§. 3.
Vera Resolutio.

7 Præmissum ad resolutionẽ difficultatis.

PRO vera difficultatis resolutione præmittendum est, duobus modis intelligi posse dari, reciprocationem inter bonum, & finem. Vno modo comparatione eius, cui res dicitur bona, & finis: & tunc sensus quæstionis est: vtrum omnis res, quæ alicui est bona, eidem etiam sit finis? & è conuerso: vtrũ omne, quod alicui est finis, eidem sit etiam bonum? Altero modo intelligi potest reciprocatio cõparatione rei, quæ denominatur bona, & finis; & tunc est sensus: an eadem res, quæ sortitur rationem boni, necessariò etiam debeat sortiri rationẽ finis respectu alicuius? Et in vtroque sensu, vel bonũ sumitur pro bono simpliciter, quale est bonum honestum, & iucundum, quod in se, & propter se est bonum: vel pro bono in communi, vt abstrahit à bono simpliciter, & secundum quid: quod ipsum diuiditur in bonum honestum, iucundum, & vtile. Quæ diuisio est analogi in analogata ex D. Thom. prima p. q. 5. art. 6. ad 3. Et si bonum vtile cum cæteris membris conferatur, erit analogi per attributionem, vt benè annotauit Suarius in Metaphy. disp. 10. sect. 2. n. 27.

D. Thom.

8 Prima conclusio.

Sit prima conclusio. Si sermo est de bono, quod simpliciter est bonum; datur reciprocatio inter bonum, & finem tam in priori, quàm in posteriori sensu. Vnde verisima est prima opinio: cui in eodem sensu secunda opinio, nec cõtradicit, nec potest contradicere. Facilè probatur: quoniam non solùm eadẽ res, quæ est bona, est etiam finis, & è cõuerso, res, quę est finis, est etiam bona: sed etiam eadẽ res, quæ alicui est finis, eidem etiam est bonum; & è conuerso, res, quæ alicui est bonum, eidem etiam est finis. Itaque omne bonum simpliciter est finis: & omnis finis est bonũ simpliciter. Vtraque pars probatur auctoritate Aristotelis: nam quod bonum, si simpliciter est bonum, sit finis, patet ex Aristotele 8. Ethic. cap. 2. text. 3. dũ ait, *Bonum, honestum, & iucundum esse amabilia vt fines.* Et 1. Ethic. cap. 7. text. 25: *id quod vnicuique est bonum, eidem est etiam finis.* Quod adeò verum est, vt bonum, quia bonum, fundet, & importet rationem finis. At quod omnis finis sit etiam bonũ simpliciter; euidenter ostendit Aristoteles in dicto cap. 7. primi Ethic. dum facit hanc consequentiam. Est finis; ergo est bonum. Denique hãc reciprocationem dari inter bonum simpliciter, & finem facilè colliges ex Aristotele 2. Physic. cap. 3. tex. 31. vbi insinuat bonũ, & finem, idem esse: cum verò nõ sint idẽ formaliter, vt patet ex 1. articul. erunt idem conuertibiliter.

Arist.

Aristotel.

9 Secunda cõclusio.

Secunda conclusio: si sermo est de bono in communi, prout scilicet diuiditur in bonum honestum, iucundum, & vtile; in bonum item simpliciter, & secundum quid; non datur reciprocatio prioris generis inter bonum, & finẽ. Probatur, quoniam non omne, quod alicui est bonum,

num, eidem est finis: nam bonum vtile, quale est bonum mediorũ, verè est bonum in ordine ad bonum, cui comparãdo conducit: potio enim, & medicina est bona sanitati, cum illius sit caussatiua: at nullus dixerit, medicinam esse sanitatis finem. Igitur bonum sumptum in sua communitate latiùs patet, quàm finis, si vtrumque comparetur cum re, cui aliquid est conueniens.

Quin potius, si propriè loquendum est, finis in eodem sensu latius patere videtur, quàm bonum: nam sanitas est finis potionis, vt patet: attamẽ propriè loquendo non est bonum potioni, quia non dicimus sanitatem potioni conuenire: potest enim sanitas suam bonitatẽ communicare potioni ad hunc effectũ, vt aliquo suo modo fiat gratia potionis: ea nimirum, quæ ad confectionem potionis conducũt: attamen sanitas nõ ita suam bonitatem illi communicare potest, vt verè dicatur ei conueniens. Itaque non omne, quod alicui est bonũ, est etiã illi finis: neque omne, quod alicui verè est finis, eidem verè est bonũ. Quare in hoc sensu verissima est opinio negatiua: cui (ni fallor) affirmatiua non contrariabitur.

10 Tertia conclusio. Tertia conclusio: si sermo sit de bono in cõmuni, & de reciprocatione posterioris generis; probabilius est non dari reciprocationem inter finem, & bonum, vt habet opinio negatiua. Probatur, quia datur bonum, quod nulla ratione potest subire rationem finis: nam bonum vtile (quod est bonum mediorum) ita est bonum, vt nullius rei comparatione possit esse finis, iuxta probabiliorem sententiam, vt suo loco ostendemus. In hac conclusione agimus de fine, qui verè, & formaliter habet rationem finis: quod ideò dicimus, quia fortè bonum vtile mediorum poterit aliquo modo habere rationem finis participatam ab eodem fine, à quo participant bonitatem; sed de hoc inferius suo loco dicendum erit.

§. 4.

Soluuntur argumenta.

11 Resp. ad 1. fundamentum affirm. partis. HVic resolutioni non obstant argumenta, quæ in confirmationẽ opinionis affirmãtis adducta sũt. Ad primum ex dictis patet solutio: datur enim instantia in bono vtili, quod reperitur in medijs; hoc enim, cum sit bonum propter aliud, non potest sortiri veram rationem finis.

12 Ad secundũ *Fonseca.* Ad secundum respõdendum est cum Fonseca in 2. Metaphysic. cap. 2. ad tex. 3. lit. Q. propositionem Aristotelis non ob id esse veram, quòd inter bonum, & finem detur conuertibilitas in terminis nostræ conclusionis: sed ob eã caussam potius, quia bonum, aut expetitur propter se, quo pacto est finis: aut propter aliud, quo pacto est medium. Et cũ sublato fine auferatur bonum, quod propter se expetitur (reciprocantur enim) sublato autem bono, quod propter se expetitur, auferatur, necesse sit bonum, quod expetitur propter aliud: de primo ad vltimum sublato fine aufertur omne bonum.

13 Ad tertium *Arist.* Ad tertium negandum est omne bonum esse finem, si sermo sit de bono in communi; hoc enim expressè negat Aristoteles libr. 8. Ethic. cap. 2. text. 3. & 1. Magnorum Moral. cap. 5. Nec officit locus Aristotelis 1. Ethic. cap. 7. text. 25; quia intelligitur de bono, quod est bonum simpliciter, vt omnes interpretes docent: nam eò loci inquirit de bono, in quo collocatur felicitas.

Ad locum D. Thom. Neque etiam officit locus ex D. Thoma: quia vel intelligitur de bono simpliciter; vel illa reduplicatiua non accipitur reduplicatiuè: quasi contineat caussam, cur aliquid sit finis; sed specificatiue solùm, ita vt significet rationem finis nulli conuenire, nisi media formali ratione boni. At sensus reduplicatiuus sumptus specificatiuè non continet exponentem vniuersalem affirmatiuam: nam hæc (capilli, in quãtum capilli sũt crispi) non includit hanc exponentem, Omnes capilli sunt crispi, vt patet.

ARTICVLVS III.

Vtrùm finis sit obiectum voluntatis?

1 COnsequenter expendendum est, quomodò se habeat finis ad volũtatem? & primò inquiritur: vtrũ finis sit illius obiectum? In qua quæstione communis sententia fere omniũ partem affirmãtem tanquam verissimam supponit. Eam expressè docet D. Thom. 1. p. q. 48. art. 1. ad 2. & 1. 2. q. 1. art. 1. ad 2. & q. 7. art. 4. & passim alibi. Communis sententia. *D. Thom.*

2 Huic communi resolutioni illud videtur repugnare, quod communis philosophia docet obiectum voluntatis esse bonum, vt probat D. Thom. 1.p. dicta q.48.art.5.& q.105.art.4.& 1.2.q.1.art. 6. Iam verò bonum, & finis sunt formaliter distincta, vt vidimus art. 1. huius quæstionis.

D. Thom.

3 Quorũdam placitum. Hanc difficultatem varij variè resoluunt. Quidam volunt bonum, & finem non esse obiecta distincta, sed vnum tãtum: quia bonum, & finis sunt formaliter idem. Et ob hanc rationem obiectũ voluntatis modo dici finem, modò dici bonum: imò interdum simul dicitur finis, & bonum, vt patet ex D. Thom. 1. 2.q.1.art.1. in fine, & art. 2. ad tertium. Sed hæc opinio falso nititur fundamento, quia bonum, & finis formaliter sunt distincta, vt iam ostendimus.

Impugnat.

4 Alij in eadem opinione persistunt, sed dicunt finem in actu signato non esse obiectum voluntatis: quia obiectum volũtatis est bonum, à quo finis in actu signato formaliter distinguitur: finem tamen in actu exercito esse voluntatis obiectum: sed non esse obiectum distinctum à bono: quia finis in actu exercito formaliter est ipsum bonum: bonum enim quatenus bonum, exercet rationẽ causæ finalis. Itaque idem est dicere finem in actu exercito esse obiectum voluntatis, atque dicere bonum esse illius obiectum. Hæc videtur explicatio Caietani 1.2.q.1.art.1. quem plures sequũtur. Huic opinioni fauere videtur communis sententia, quæ habet finem in actu exercito nihil esse aliud, quàm finẽ fundamentaliter sumptum: finem autẽ sumptũ fundamentaliter esse ipsum bonum; quia bonum est id, quod est appetibile, & finis, vt annotarunt Caiet. 1.p. q.5.art.1.& art.4. vbi Cumelius, Bañes, & Molina, Ferrariensis 1. contra Gent. cap.37. §. *Ad euidentiam primi dubij*: Fonseca 4. Metaphysicæ cap. 2. q.7. sect. 5. in 2. part. 2. conclusionis, Cursus Conimb. 2. Physic. cap. 7. q.21. art. 2. & fuit doctrina Capreoli in 2. dist. 34. q. 1. art. 3. prope finem. Quare iuxta hanc sententiam bonum formaliter, & finis in actu exercito non sunt duo voluntatis obiecta, sed vnum; non quidem compositũ ex duplici formalitate, sed simplex includens in se solam rationem formalem boni, quatenus est radix, & fundamentum causæ finalis.

Caiet.

Caiet. Cumel. Bañes. Molina. Ferrar. Fonsec. Capreol.

Aliorum explicatio nõ probatur. Sed quanuis hæc explicatio sit satis ingeniosa: in hoc tamen non est probãda, quòd negat finem in actu signato, & prout formaliter distinguitur à bono, non esse obiectum voluntatis: oppositũ enim colliges ex D. Thoma 1.2.q.7. art. 4; quo in loco manifestè agit de fine sub ea ratione, qua est id, cuius gratia, & docet hunc esse obiectum voluntatis.

5 Quę opinio probãda sit. Quare supposita hac verissima sententia, quod finis etiam in actu signato, & prout formaliter est finis, est obiectũ voluntatis; probanda est illorum opinio, quæ docet bonum, vt bonum est, esse obiectum materiale: finẽ verò simul cum appetibili esse obiectum formale: nam in vnaquaque potentia præter obiectum materiale, quod est res, quæ terminat actum potentiæ: in ipso obiecto formali sub ratione formali, quæ est ratio, vt quæ; duplex obiectum distingui debet: vnum veluti materiale: alterum simpliciter formale. Materiale est res, quę cadit sub potentiam; formale autẽ est id, quo obiectum materiale sub potentiam cadit, illamque immutat, vt patet in visu: cuius obiectum materiale est coloratum, formale verò est visibile: nam coloratum est id, quod videtur, visibile verò est ratio formalis, sub qua coloratum videtur: etenim ideo coloratum videri potest, quia est visibile, hoc est immutatiuum potentiæ videndi per species visibiles, quibus visus ab obiecto immutatur. Quod pari ratione de cęteris obiectis comparatione suarum potentiarum existimandum est, vt benè aduertit Cursus Conimb. 2. de anima cap. 3.q.5.ar.2. post principiũ. Quarè duplex obiectum distinguendum est in voluntate; vnũ quasi materiale, quod est bonum, vt bonum est: etenim bonũ quatenus est bonum, & conueniens, est quod appetitur à voluntate; formale verò est appetibile, & finis; quia bonũ sub ratione appetibilis & finis, cadit sub voluntatẽ, & eã mouet: primùm quidẽ ad amorẽ ipsius boni; deinde etiã ad psecutionẽ illi⁹. Itaq; bonũ formaliter, & finis etiã formaliter, nõ sũt duo obiecta, sed vnũ ex quasi materiali, & formali cõstitutũ: eo modo, quo coloratũ, & visibile cõstituũt vnũ obiectũ potẽtię videndi.

ARTI-

ARTICVLVS IIII.

Vtrum finis sit obiectum adæquatum voluntatis?

1 Rationes dubitandi.

HÆC difficultas præcedentẽ consequitur: cum enim determinatum sit finem esse obiectum volũtatis, non ineptè inquiritur, an sit obiectum adęquatum illius? In qua quæstione illud difficultatem ingerit, quod voluntas non solùm est finis, sed etiam mediorum, quæ sunt ad finem, vt docet D. Thom. 1.2.q.8.art.2. communiter receptus. *D. Thom.*

Accedit etiam, quia bonum est obiectum adęquatum voluntatis: vt omnes philosophi agnoscunt. At ex sententia Aristotelis non omne bonum est finis, vt patet 1. Magnorum Moralium cap. 5. & libr. 8. Ethicor. capit. 2. text. 3: nam bonum vtile, quod inter bona ibi enumeratur, non est bonum, vt finis, vt ait Aristoteles. *Arist.*

§. 1.

Referuntur variæ sententiæ.

2 Negatiua sententia.

QVidam presi hoc argumento negant finem dici posse obiectũ adæquatum voluntatis: esse tamen obiectum primum, & principale: media autem, & ea, quę habent rationẽ boni vtilis, esse obiecta secundaria, & minus principalia. Quæ sententia pleriſque nouiorum placuit, & Bellomontano 1.2.disp.2.cap.2. At tamen cõmunior Doctorum sententia affirmantem partem tuetur, docetque finem esse obiectum adæquatum voluntatis. Hanc communem sententiam non eodem modo explicant, & presi difficultate initio allata eam varijs modis dissoluunt, quos operępretium erit referre. Affirmatiu. sentẽtia cõmunior.

3 Primus modus explicãdi affirmatiuam sent.

Quidam communem sententiam intelligunt de fine non presse, sed latè sũpto. Finis autem tunc accipitur presse, cum accipitur pro fine, cuius gratia aliquid fit, ita vt voluntas gratia ipsius in illum tendat: latè verò sumitur non solùm prout dicitur id, quod gratia sui voluntatem mouet; sed etiam id, quod terminat actionem voluntatis: nam obiectum & terminus actionis, dicitur finis illius; cum enim finis, vt finis est, habeat, tum mouere voluntatem, vt gratia illius operetur; tum etiam terminare eiusdem voluntatis actionem; pro facto id, quod voluntatis actionem terminat, non ineptè dici potest finis: & inde est, vt finis alius dicatur motiuus, alius terminatiuus. Quare si accipiamus finem, prout abstrahit à ratione motiui, & terminatiui, ille erit adęquatum obiectum voluntatis: secus si accipiatur propriè pro fine motiuo, cuius gratia aliquid fit. Hæc sententia ita explicata plerisque placuit, qui volunt eã placuisse Conrado 1.2. q. 1. art. 1. & rectè quidem, hæc enim sunt illius verba: *Nota circa conclusionem responsiuam, & probationem eius, quod hic capitur finis extensè, pro omni bono terminatiuo voluntatis, siue secundũ actum, qui dicitur voluntas: siue secundum actũ, qui dicitur intentio, & est bonũ & finis isto modo obiectũ formale, tam motiuum, quàm terminatiuũ per se.* Ex quibus verbis constat Conradum accipere finem, prout abstrahit à motiuo, & terminatiuo: vel, si mauis, prout accipitur secundum rationẽ terminatiui in communi, quæ ratio adęquatè terminat actum voluntatis, vt immediatè ante præcitata verba idem Conradus scribit inquiens: *Caussantur actiones potentiæ secundũ rationes obiecti præsertim formalis terminatiue: quod est adæquatũ potentiæ: non autem obiectum motiuum est adæquatũ, quia non omnia feruntur ad potentiã sub ratione motiui, sed terminatiui.* Quare dubitari non potest, quin hæc fuerit sententia Conradi. Quin potius eandem sententiam quidam tribuunt Victoriæ in Commentar. ad primam secundæ, q. 1. articul. 1. vbi etiam Medina §. *Respondetur ad secundum.* Et videtur fuisse Gregorij in secundo, dist. 38. quæstion. vnica articulo primo, & Gabrielis ibi quæstione prima, articulo primo, notabili secundo, qui volunt obiectum cuiuscunque volitionis dici posse finem eius, non quidem propriè, sed communiter, & latè. Vnde concedunt bonum mediorum (quod ipsum est bonum vtile) collatum cum actu electionis, vel intentionis dici posse finem illius; quod etiam, vt plerique volunt, probauerunt Victoria, & Medina vbi suprà. Hac sententia suppositа facilè explicantur, quæ pro ratione dubitandi initio adduximus. *Conradus.* *Victoria.* *Medina.* *Gregor.* *Gabriel.*

4 Secunda explicatio affirmatiuę sẽtentiæ.

Hæc sententia alijs non placet, quia volunt communem sententiam intelligendam esse de fine pressè sumpto: eam tamen intelligũt de fine sub formali ratione finis, vel in se, vel in alio participata: & sub hac distinctione ratio finis est adæquata sub qua omnia obiecta voluntatis appetuntur; nam finis ipse appetitur sub ratione finis in se: media autem sub eadem ratione finis, participata tamen in alio. Ita Caiet. 1.2.q.1. ar.1. post principium, §. *Ad hoc dicitur.*

Caietan.

5 Tertia explicatio.

Sed neque ista sententia alijs arridet, sed volunt finem sub ratione finis in se sumpta esse adęquatum obiectum volũtatis: media enim solùm sunt obiecta materialia, & peraccidẽs volita: eo modo, quo substantia corporea est materiale obiectum visus, quia peraccidens videtur, prout subest colori. Hanc opinionem quidam tribuunt Conrado, sed hallucinantur: fauere videtur Medina vbi suprà in 3. & 4. solutione secundi argumenti, vbi eam tribuit Caietano, sed tamen falsò.

Medina.

6 Quartus dicendi modus.

Quartus dicẽdi modus vtitur distinctione: nam duplex est (inquiunt) obiectum potentiæ: vnum materiale, & alterum formale. Materiale dicitur res, circa quam potentia versatur: formale verò est ratio sub qua materiale cadit sub potentiam. Inquiunt igitur finem non esse obiectum adæquatũ materiale voluntatis: benè tamen formale. Nam voluntas non solùm versatur circa rẽ, quę est finis: sed etiam circa media, vt argumẽtum initio propositum concludit; at tamen voluntas tam in finem, quàm in media semper tendit sub ratione finis: quia & finem, & media vult propter bonitatem finis, à qua sola attrahitur tam ad volendum finem, quam advolendum media. Quare ratio formalis adæquata, qua voluntas operatur, est ratio formalis finis. Ita docuit Suarius in Commentarijs ad 1.2.q.5. præfationis, & in sua Metaphysica disp. 23. sect. 7. nu. 17. Quo in loco aduertit in idem recidere sententiam, quæ docet finem esse adæquatum obiectum motiuum, non autem terminatiuum: nam solus finis sub formali sua ratione, & bonitate mouet voluntatem ad volendum omnia, quęvult: at tamen non solus ille terminatvoluntatis actum: quia media etiã terminant actionem voluntatis. Itaque obiectum motiuum idem est quod obiectum formale; terminatiuum autem coincidit cum materiali.

Vltima sententia à recentioribus nostrę tẽpestatis cõmuniori calculo probata docet finem propriè sumptũm esse adęquatum obiectum voluntatis, nõ solùm formale, sed etiam materiale: quia non solum voluntas in omne obiectum tendit sub ratione finis: sed etiam semper versatur circa rem, quæ est finis; etiam quando versatur circa media. Et ratio est: quia media verè sunt finis respectu electionis: nam hunc actũ finalizant media secundum propriã bonitatem distinctam à bonitate finis.

7 Vltima explicatio sẽtentiæ affirmatiuæ.

§. 2.

Reijcitur prima opinio.

HArum opinionum prima reijcitur ab omnibus, & merito sanè, quia in hac quæstione non est sermo de fine in latiori significatione, pro ut abstrahit à fine latè & pressè sumpto & prout habet rationẽ terminatiui in communi, vt benè aduertit Bellomont. 1.2.disp.1.cap.1.n.2. & cap.2. in principio, & ante eum id plerique aduerterunt; tum, quia finis in latiore ista significatione nihil conducit ad materiam moralem; tum etiam; quia Arist. de eo ita sumpto nunquam fuit locutus; sed semper egit de fine gratia cuius, vt patet ex his, quę adduximus supra q.1. ar. 1. tum 3. quia D. Thom. 1.2.q.1.art.1.dũ concludit omnem humanam actionem esse propter finem, nomine finis nullum alium intelligit, nisi finem qui est gratia cuius: nam ex hoc veluti fundamentali principio colligit conclusionẽ, quã principaliter intendit, dandum inquam esse vnum vltimum finem, cuius gratia cætera omnia fiant. Finis autem, cuius gratia aliquid fit, nõ est finis sub ratione terminatiui: media enim sũt obiecta terminatiua actus voluntatis, non tamẽ sunt illius motiua, vt aduersarij supponunt. Id etiam colliges ex solutione ad 1. & 2: vtrobique enim agit D. Thom. de fine, qui in intentione agentis est primus, & principium appetibile, quæ conuenire non possunt, nisi fini propriè sumpto, qualis est solus motiuus. Quarè propositio proposita à Diuo Thoma

8 Reijcitur primus modus explicãdi affirmatiuam sent.

Arist.

D. Thom.

D. Thom.

Obie-

Obiectũ voluntatis est finis, quæ huic disputationi occasionẽ prębuit, nõ est intelligẽda de obiecto terminatiuo: sed motiuo; nã si de obiecto terminatiuo prout abstrahit à ratione motiui, esset intelligẽda; ineptum foret medium ad inferendum omnes actiones humanas esse propter finem, ita vt à fine tanquam à vera caussa finali causſentur: nam obiectiuũ terminatiuum, prout abstrahit à ratione motiui, cum non exerceat causſalitatem causſę finalis, non potest causſare actiones humanas. Accedit etiam, quia propositio D. Thomæ ita habet, *Obiectum voluntatis est finis, & bonum*. Ex quibus verbis patet D. Thomam agere de fine, qui simul est finis, & bonum. At obiectũ voluntatis, quod solùm est terminatiuum, non habet rationem boni apud aduersarios. Concludendum est igitur primam opinionem reijciendam esse; quia in titulo quæstionis sermo est de fine in significatione propria, prout finis est id, cuius gratia aliquid fit.

§. 3.

Reijcitur secunda opinio cum tertia.

9 Improbat affirmatiua sent. secundo modo explicata.

SECVNDA opinio, quæ Caietano communiter tribuitur, non videtur recipienda; tum quia rẽ potius confundit, quam explicet; vix enim explicari potest, quid intelligendum sit nomine finis in alio participati. Tum etiam; quia benè explicata, recurrit cũ alijs sententijs. Nam si per finem in alio participatum Caietanus intelligit ipsũ finem vt extrinsecè denominantem media; recurrit cum opinione quarto loco relata: nec opus est constituere obiectũ disiunctiuè adæquatum, sed vnicum tãtum sumptum formaliter. Siverò per finem in alio participatum, intelligit bonitatem mediorum, quam ipsa media consequuntur ex dependentia, quam habent ad finem; quæ bonitas aliquo modo participat rationẽ finis; opinio hæc recurrit cum vltima sententia: iuxta quam adæquatum obiectum volũtatis, non erit aliquod disiunctum, sed vnum, & simplex sub vna ratione finis, vt explicabimus.

Caiet.

10 Reijcitur 3 dicendi modus.

Tertia item opinio tanquam minùs philosophica est reijcienda, quatenus asserit media non esse obiecta per se voluntatis, sed solum peraccidens; eo modo, quo paries dicitur obiectum peraccidens visus. Quæ doctrina quam longè distet à vera philosophia, inde ostendi potest: quoniam obiectum peraccidens alicuius potentiæ, non attingitur in se, nec secundum se ab actu potentiæ: sed solùm attingitur in alio, cui accidẽtariè coniungitur: nam visus ideo dicitur peraccidens attingere substantiã, quia per se attingit colorem, cum quo substantia accidentario est coniuncta. At voluntas per se, & immediatè attingit media in se ipsis: immò ea attingit per actum distinctum ab eo, quo attingit finem: finis enim attingitur per simplicẽ volitionem, media autem attinguntur per actum electionis. Quin potius attinguntur per bonitatẽ illis propriam, vt dicemus. Quarè sententia tertia in sensu explicato cõmuniter reijcitur à scribentibus 1.2.q.1.art.1. & q.8. art.2. Eã rejecit Suarius in sua Metaphysic. disp. 23. sect. 6. n. 17. & post eum Bellomõtan. 1.2. disp. 1. cap. 2. post principium.

§. 4.

Vera resolutio.

11 Reijcitur 4. dicendi modus.

RElIqua erat impugnatio opinionis, quæ quarto loco proposita fuit (de quinta nãq; mox iudiciũ feremus) sed quia illius impugnatio pẽdet ex quęstione: an bonũ vtile, siue media sint obiecta voluntatis solùm materialia? an verò sint etiam obiecta formalia? quam difficultatem in sequenti articulo contra illam opinionem resoluemus; ideò supponamus reijciendam esse illam opinionem vtpotè, quæ falsonitatur fundamento.

12 Amplectitur opin. negatiua initio adducta

Rejectis igitur his opinionibus ego puto amplectendam esse opinionem negantem, quã primo loco retulimus: quę resoluit finem esse obiectum principale ac primarium voluntatis: media autem & cętera bona vtilia, esse obiecta secũdaria, & minus principalia. Quam sententiam plerisque nouiorum placuisse iam diximus, & Bellomont. 1.2. disp. 1 c. 2. Eandem expressè docuit D. Thom. de Verit. q. 22. art. 13. ad 9. & clariùs q. 23. art. 3. ad 3. quo in loco in hoc eodẽ sensu voluit bonum esse obiectũ volũtatis: quia nimirum bonum, quod est propter se bonum, & vt finis, est primario, & principaliter bonum: bonũ autem vtile est bonũ min⁹ principaliter, atq; secũdariũ.

D. Thom.

D.Thom. Quod etiam expressit idem D. Tho. de Verit. q. 21. art. 1. ad finē corporis. Quæ opinio confirmari potest; quoniam licet media sint obiecta formalia ratione propriæ bonitatis, vt in sequēti art. ostendemus: quia tamen bonitatem habent, & appetibilitatem pendentem, & suo modo caussatam à bonitate, & appetibilitate finis, vt ibi dicemus; adhuc finis se habet ad media, vt ratio formalis volendi ea. Erit igitur obiectum volitū non solùm principaliter, sed etiam primo. Quare voluntas se habebit ad finē, & media, sicut se habet intellectus ad principia, & conclusiones: nā inter hasce potentias penes hoc datur analogia. Iamverò intellectus primo, & principalius respicit principia, secundario autē conclusiones, vtpotè quia ex illis pendent. Adde etiam, quia voluntas primò, & principaliter respicit bonum honestum, & iucundum, secundario autem bonum vtile: quia hoc bonum respicit, vt conducit ad consecutionem illius, vt expressè ait Aristot. 8. Ethic. cap. 2. post principium.

Arist. 13

Et hæc sententia est omninò amplectenda, si finis accipiatur sub proprijssima acceptione finis, quatenus scilicet volitus, & amatus finalizat media ad sui cōsecutionem: quo modo acceptus ita distinguitur à medijs, vt media sub ratione medij nunquam possint sortiri rationem finis: hoc enim modo à fine, & à medijs nulla potest abstrahi vna formalis ratio obiectiua, quæ siue vniuocè siue analogicè sit communis: vnde voluntas in finem, & in media non potest tendere nisi ordinatè, itaut prius in finē terminetur, & per eum in media.

14 Diximus (*si finis accipiatur sub proprijssima ratione finis*) quia plerique philosophorum philosophantur in fine duplicē rationem caussalitatis: vnam, qua propter suam bonitatē finalizat actum, quo voluntas in illum immediatè tendit: alteram, qua sui amore, & appetitione finalizat media, quibus habeatur. Et quanuis hæc posterior finalizandi ratio sit præcipua vis in caussa finali, quæ solùm fūdatur in bono proprer se: quod bonum per antonomasiam appellatur finis, prout finis distinguitur à medijs: tamen prior illa finalizandi ratio, apud plerosque est & vera, & propria ratio caussæ finalis, fundata tam in bono propter se, prout in voluntate excitat simplicem sui amorem; quam in bono propter aliud, prout voluntatem excitat ad sui electionem. Hac suppositā philosophia, & opinione (quam esse probabilem inferiùs ostendemus) non sine fundamento recipi poterit vltima opinio, quæ inter recentiores nostris temporibus videtur communis, affirmatque finem propriè sumptum esse vnum adæquatum obiectum volūtatis, non solùm materiale, sed etiam formale. Fundamentum est, quia voluntas non solùm in omne obiectum tendit sub formali ratione finis, quia in omne obiectum tendit gratia propriæ bonitatis: sed etiam semper versatur circa rem, quæ verè est finis, etiam quādo versatur circa media: nam res, quæ est medium, verè habet rationem finis in ordine ad actum eligendi, quia voluntas illam rē eligit propter propriam bonitatē, quā in se habet, vt præcedens opinio supponit.

Vltima explicatio affirmatiuæ sententiæ recipi etiam potest.

Iuxta quam sententiam licèt voluntas tendat in media dependenter à bonitate finis, & præsuppositā illius volitione, vt iam ostendimus: nulla tamen ratione vult media saltem immediatè, sub formali ratione finis: quia formalis, & immediata ratio eligendi aliquod medium est bonitas propria ipsius medij, cuius gratia voluntas immediatè illud eligit, quicquid aliter philosophentur auctores quartæ sententiæ: in hoc tamen non audiendi: quia bonitas finis, si admittenda est tanquam ratio formalis volendi media; illa non erit ratio immediata, sed mediata. Et ita facilè dissoluitur fundamentum quartæ opinionis, siue primam probes opinionem quam veriorem putamus, siue vltimā, quam existimamus esse probabilem.

ARTICVLVS V.

An media ad finem sint obiecta voluntatis solùm materialia?

§. 1.

Refertur opinio quod solùm sint materialia.

1 QVod media ad finem, bonaque vtilia non sint obiecta voluntatis formalia, sed solùm materialia, fuit opinio Auteoli in 1. dist. 1. q. 2. art.

Aureoli sententia.

art. 3. pag. 95. columna 2. B. quam probauere quidã ex nouioribus, & inter eos Suarius in Coment. ad primam 2. in prę fatione q. 5. & in Metaphysica disp. 23. sect. 6. num. 17. latius disp. 10. sect. 2. nu. 22. & 23. Pro hac opinione primùm adducitur auctoritas D. Thomæ. 1. p. q. 5. art. 6. præsertim ad secundum, vbi sic ait: *Vtilia dicuntur, quæ non habent in se vnde desiderentur: sed desiderantur solùm vt sunt ducentia in alterũ, sicut sumptio medicinæ amaræ.*

Primũ fundamentum desũptũ ex autoritate D. Thom.

2

2. Fundamẽtum.

Deinde media non dicuntur bona ab aliqua bonitate illis intrinseca, quæ sit in illis, sed solùm à bonitate finis, quæ extrinsecè illa denominat. Ergo media solùm sunt obiecta materialia voluntatis, formale autem est solus finis. Consequentia est nota: Antecedens probatur, quoniam bonitas mediorum est bonitas boni vtilis: at bonum vtile, vt vtile est, dicitur bonum non ab aliqua bonitate, quæ sit in illo, sed per denominationẽ extrinsecam à bonitate finis.

3

Pro cuius maiori explicatione aduertunt vtilitatem rei vtilis pro materiali dicere vim quandam, siue virtutẽ, quæ est naturalis perfectio illius, quæ virtus siue perfectio comparata cũ ipsa re habet rationem boni naturalis, cùm sit perfectio illi naturaliter conueniẽs: comparata tamen cum appetente (respectu cuius habet rationem boni humani spectantis ad mores) non habet rationem boni, nisi quatenus apta est efficere, compararequebonum, aut honestũ. aut iucundum, vt expressè docet Arist. 8. Ethic. cap. 2. tex. 3. Id declaratur exẽplo: nam potio amara in genere quidẽ rei habet virtutem expellendi bilem: quę virtus comparata cum ipsa potione non est illi bonum vtile, sed bonum quoddam connaturale: at in genere moris comparata ad hominem, qui potionem appetit, solùm appetitur, vt vtilis, & conueniens ad causandam sanitatẽ expellendo humorem nociuum, quo si homo careret, non appeteretur. Ex hoc inferunt bonũ vtile, vt est vtile, non habere propriam bonitatem, sed denominari bonum à sola bonitate finis, à qua licèt extrinsecè; formaliter tamen quodammodo informatur, & denominatur. Ex quo rursus colligunt bonum vtile in ordine ad appetitum solùm habere rationem obiecti materialis, quod ipsum sub ratione bonitatis, quæ est in fine, terminat actum voluntatis.

Arist.

Tertiò accedit; quoniam media, bonaque vtilia, quatenus talia, non excitant, nec mouent appetitum ad sui appetionem: aliàs medijs, bonoque vtili, quatenus est vtile, conueniret causalitas finalis. Quod est falsum. Ergo volũtas solùm tendit ad media, bonaque vtilia tanquam ad obiecta materialia, cuius formalis ratio est sola bonitas finis.

4

3. Fundamẽtum.

Ex his concludũt media ad finem secundum se esse obiecta voluntatis solũ materialia, quæ actum voluntatis terminant sub ratione formali finis: bonitas enim finis est voluntati tota ratio tendendi in media.

5

Quod adhuc exemplis declarant: Primum sumitur ab adoratione imaginis: Secũdum ab actu diligendi proximum. Nam imago, vt volunt, solùm est materiale obiectum adorationis: formale, enim est sola excellentia exẽplaris, siue prototypi: proximus etiam, quem propter Deum amamus, est obiectum materiale illius amoris; Deus autẽ est obiectũ formale, quia est ratio formalis, sub qua noster amor tendit, ac terminatur in proximum.

Exẽplis denique eadẽ sententiã confirmatur.

§. 2.

Exponitur vera sententia, & reijciuntur fundamenta, quibus aduersia confirmatur.

6

Adducitur vera sentẽt. Gregor. D. Thom.

OPpositam sententiam, quod scilicet media, atq; bona vtilia sint per se obiecta voluntatis, nõ modò materialia, sed etiam formalia probauit noster Gregorius de Arimeno 1. sent. disp. 1. q. 1. art. 2. in fine. §. *Ad probationem dico*, quem plures secuti sunt, & nos hanc sententiam olim probauimus cum interpretaremur D. Thomam ad 1. 2. q. 1. art. 2. & modo etiã probamus: illam postea secutus fuit Bellomontan. ibi disp. 1. cap. 2. post principium. Vnicum huius opinionis fundamentum in eo est positum, quod in medijs (in quibus bonum vtile reperitur) datur aliqua ratio boni ipsis propria, & distincta à bonitate finis. Hoc enim admisso negari non potest media ad finem esse obiecta formalia voluntatis, cùm in

seipsis habeant propriam bonitatem, quę ipsis est ratio formalis obiectiua.

Prima Vasquij Probatio ex Aris. & D.Tho.

Quod verò media ad finem propriã habeant bonitatem distinctam à bonitate finis, ab eo tamen dependentem (in quo est posita tota difficultas) probat Bellomont. 1. quia bonum tam ab Arist. 8. Ethic. cap. 2. quàm à D.Thom. 1. p. q. 5. art. 6. diuiditur in tria membra, honestum inquam iucundum, & vtile: ergo singula quæq; membra habent propriam bonitatem à bonitate aliorũ distinctã. Vnde Arist. loco citato propriã bonitatẽ boni vtilis in eo posuit, quod conducat ad consecutionem aliorum bonorũ, in quibus datur ratio finis. Vnde infertur bonitatẽ boni vtilis esse bonitatem relatam: cum tamen bonitas aliorum bonorum sit absoluta.

7 Deinde id ipsum ostendit: quoniam media non possunt esse bona à bonitate finis per extrinsecam denominationẽ tanquam à forma, à qua formaliter dicantur bona: sequeretur enim omnia media æqualiter esse bona; quod cũ sit absurdum, concedendum erit in ipsis medijs inesse aliquam propriam bonitatem.

8 Hæc tamen argumenta videntur minus efficacia: nam ad primum aduersarij negarent consequentiã; quia vt bonum vtile constituat distinctum membrum à bono honesto, & iucundo, non necesse est, habeat in seipso bonitatem sibi propriam distinctã à bonitate aliorum bonorum: sed satis est, quod extrinsecè participet bonitatem aliorum, quę est bonitas finis, à qua extrinsecè veluti informetur, ac denominetur; nam diuisio illa boni, si cætera duo bona cum solo bono vtili conferantur, est diuisio analogi per solam attributionem, qualis est diuisio sani in cibũ, medicinam, & animal sanum, vt bene aduertit Suarius in dicta. disp. 10. sect. 2. n. 27. Quare sicut cibus formaliter participat rationem sani à sanitate, quæ est in animali tanquam à forma extrinseca; & nihilominus constituit membrum sani distinctũ ab alijs, similiter dicendum erit in bono vtili.

9 Reijcitur 2. probatio. Ad secundum aduersarij negant antecedens: cuius probatio friuolam habet consequentiam, vt facilè patebit ex ijs, quæ ipse Bellomontanus immediatè adducit: poterunt enim aduersarij respõdere bonitatem finis inæqualiter participari à medijs: tum propter inæqualem efficaciam ad consecutionem finis (nec enim omnia habent æqualẽ virtutem ad finem consequendum) tum etiam; propter subalternationẽ in participando eandem bonitatem: vnum enim medium per aliud operatur finẽ.

Vasquij rẽsponsio insatisfacit. Cui solutioni non satis occurrit Bellomontanus, dum affirmat se iudice, & auctore illam efficacitatẽm esse bonitatem vtilem ad finem, distinctam à bonitate finis; nam hoc illius iudicium, quãtumvis grauissimũ, nõ admittunt auctores contrariæ opinionis: qui agnoscunt illam virtutem, siue efficacitatem esse materiale, quod denominatur bonũ vtile: formale autem, à quo formaliter denominatur bonum, esse bonitatem finis & ab illa tanquam à forma extrinsecè informante, & denominante dici bonũ. Quod Bellomontanus deberet expugnare; nam quod aliqui dicunt nullã rẽ esse bonam per extrinsecam denominationem, nõ recipitur ab aduersarijs, nisi in bono, quod est simpliciter bonum: nõ verò in bono secundum quid, quale est bonum vtile; quod etiam erat impugnandum.

§ 3.

Ponitur vera fundamenti confirmatio.

10 Adducitur verum fundamentũ propositæ sentẽtiæ.

NOs propositum veræ opinionis fundamentum (in medijs scilicet reperiri aliquam rationem boni ipsis propriam, & distinctam à bonitate finis) inde non inefficaciter confirmabimus; quia bonum, quod est alteri bonum, (de quo solo agimus) non solùm in suo conceptu intrinsecè includit perfectionem: sed insuper addit rationem conuenientiæ, quæ est communis omniũ resolutio, quam in superioribus sępe docuimus cum D.Thom. 3. contra gẽt. c. 3. & 1. 2. q. 29. art. 1. & 1. p. q. 5. art. 3. ad primum. Docet Caiet. q. 32. art. 1. latè Fonseca 4. Metaphy. cap. 2. q. 7. sect. 5. concl. 2. in tertia illius parte: ex aduersarijs latè id docet Suarius in Metaphysica disp. 10. sect. 1. num. 12. & sectio 3. num. 3. cum Bellomont. 1. p. disp. 23. cap. 4. num. 8. & 9. Ex quibus cõstat bonitatem intrinsecè dicere perfectionẽ connoD.Thom. Caiet. Fonseca.

connotando quandam conuenientiam cum re, cui dicitur bona. Sed media, vt media sunt, & vt sunt quædam bona vtilia, non solùm habent propriam perfectionem distinctam à perfectione finis; sed etiam conuenientiam propriam, ac longe diuersam à conuenientia, quam bonitas finis importat. Ergo media, vt media sunt, & prout sunt bona quædam vtilia, habent propriam bonitatem lõge distinctam à bonitate finis; quanuis eam non habeant sine dependẽtia à bonitate illius.

11 Maior huius discursus etiam aduersarijs est notissima: Minoris primam partem illi ijdem admittunt: fatentur enim in bono vtili dari perfectionẽ ipsi intrinsecam, & propriam: verbi gratia, in medicina (quæ est vtilis ad sanitatẽ) agnoscunt vim, & proprietatem quandam illi intrinsecã ad expellendum humorem nociuum. Ita fatetur Suarius in dicta disp. 10. sect. 2. n. 23. Nec potest id negari.

Posteriorẽ verò nostræ minoris partem (in qua est status controuersiæ) ex eo ostendi videtur; quia ex eodem Suario in dicta disp. 10. sect. 3. nu. 3, bonum in suo conceptu intrinsecè includit perfectionem connotando conuenientiam, quam habent ad rem, cui est bonum, vt idemmet declarat in eodem loco sect. 1. num. 12. & videtur fuisse mens D. Thomæ de Veritate q. 21. art. 6. in corpore, si benè expendatur. Hæc autem conuenientia connotata per hoc nomen, *bonitas*, vel est formaliter ipsa perfectio, vt nonnulli volunt, inter quos Henricus quodlib. 3. q. 2. vel est relatio rationis, vt habet communis opinio D. Thomæ, & ferè omnium Philosophorum, quam de bono relato probat Bellomont. ad primam partem disp. 23. cap. 4. nu. 9. vel denique est accommodatio, aptitudo, atque inclinatio ipsius met perfectionis ad rem, cui est bona, quæ mihi est verior sententia (de qua alibi) quam idẽ Suarius tribuit Caiet. 1. 2. q. 32. art. 1. Sed quã benè, ipse viderit. Si verò cõuenientia connotata est idem realiter, & formaliter, quod perfectio, quã bonũ, vt bonum intrinsecè includit (quę est prima sententia) cùm media, & omnia bona vtilia, vt talia sunt, habeant propriam perfectionem distinctam à perfectionè finis, vt habet prima pars minoris: profectò habebũt etiam propriam conuenientiam distinctam à conuenientia finis, quanvis ab ea dependentẽ, vt dicemus.

D. Thom. *Henricus.* *D. Thom.*

Idem dicendum, est si conuenientia formaliter est relatio rationis, vt habet secunda, & cõmunis opinio; quia relatio, siue realis sit, siue rationis, nec in existere, nec denominare potest nisi subiectum, quod denominatur relatiuũ quantumvis fundamentum proximum, ratiovè fundandi in eo non existant, sed in alio: est enim proprium relationis, vt relatio est, non denominare nisi intrinsecè: hoc est subiectum illud, in quo ineest, vt docet D. Thom. 1. contra gent. cap. 13. cõmuniter receptus, quem etiã refert, & probat Suarius in Metaphysica disp. 47. sect. 12. num. 8. Concedendũ est igitur relationem conuenientiæ, à qua media, bonaq; vtilia formaliter dicũtur bona, nulla ratione esse relationẽ extrinsecam ipsis medijs, bonisq; vtilibus, sed intrinsecam potius inexistentem in illis, easque intrinsecè denominantem. Quare perfectio, quę est in medijs nulla ratione poterit formaliter denominari bona, à relatione conuenientiæ, quæ est in bonitate finis, sed à conuenientia sibi propria, & distincta à cõuenientia, quæ in bonitate finis reperitur. Quod etiam ex eo patebit; quia vtraque illa conuenientia habet distinctos terminos: etenim cõuenientia medij respicit tanquam terminum ipsam sanitatem, cuius medicina est effectiua; at conuenientia sanitatis respicit hominem, quem sanitas perficit. 12

D. Thom.

Euidentior erit nostra sententia, si conuenientia nihil aliud dicit, quám ac cõmodationem, aptitudinem, inclinationemvè, quam perfectio habet ad rẽ, cui est conueniens, & bona; nam iuxta hanc sententiam bonum vtile, quod in medijs reperitur, nihil aliud dicit, quã perfectionem illius, vt accõmodatã ad consequendum finem, vt ex Caietano concedit Suarius in dicta sect. 1. nu. 12. in vltimis verbis. At quis non videt aptitudinem, & inclinationem, quam medicina habet ad efficiendam sanitatem, diuersam esse ab aptitudine, quam sanitas habet ad perficiendum hominem? Nam aptitudo, & accõmodatio sanita- 13

tis

tis ad hominem fundatur in cauſſalitate formali, & informatiua, quam ſanitas exercet in homine: aptitudo verò medicinæ fundata eſt in cauſſalitate effectiua ſanitatis, mediante qua eſt homini accõmodata.

14 Quid reſpõderi poſsit ad fundamẽtum adductum.

Ad hoc argumentum forte quis reſpondebit conuenientiam, quę formaliter connotatur per bonitatem, dicere quidem accõmodationem, & inclinationem: non tamen dicere accõmodationem perfectionis, quæ eſt in bonitate ad rem, cui illa eſt bonitas, vt malè ſupponimus: ſed dicere accõmodationem rei, cui bonitas eſt bonitas, ad ipſam perfectionem bonitatis: v.g. bonum ſanitatis intrinſecè dicere perfectionem ipſius ſanitatis, connotando accõmodationem, & inclinationem, quæ eſt in homine reſpectu ipſius ſanitatis: ita Suarius in dicta diſp. 1. ſect. prima, num. 12. Ita fit vt bonum vtile intrinſecè dicat vim, ſeu proprietatem, v. g. medicinæ; cõnotando tamen cõmenſurationem, & inclinationem ſanitatis ad ipſam medicinam, & iſto modo optimè intelligi conuenientiam boni vtilis eſſe extrinſecam, ſumique à conuenientia, & bonitate finis.

15 Adducta ſolutio nõ admittitur.

Sed ſolutio iſta non eſt admittenda: Primo; quia ipſe Suarius in citato loco non ſibi conſtat; nã in inductione, quã ibi affert, ad noſtram recurrit ſententiam, dum accõmodationem, quam cõuenientia importat, expreſſè coniungit cum perfectione boni, ita enim ait: *bonũ delectabile nihil aliud eſt, quàm bonum habens conuenientiam cum natura ſenſibili, vt Caietan. latè tractat. 1. 2. q. 32. art. 1. explicans quomodo id non ſit relatio, ſed ipſa res, vt accommodata tali naturæ.* Et ſtatim de bonovtili ita ſcribit: *bonum vtile ſolùm dicit bonum aptum & accommodatum ad finem intentum.* Apertè igitur fatetur accõmodationẽ, quam importat cõuenientia ſe tenere ex parte perfectiõis ipſius boni. Imò ibi apertè docet conuenientiã ipſam nihil aliud dicere, quam mutuam rerum connexionẽ, & fundamentalem proportionẽ. Igitur ſi inter perfectionem, quam intrinſecè importat bonitas, & rem, cui illa dicitur bona, datur mutua commenſuratio, & inclinatio; cur bonum potius dicet cõmenſurationem ſe tenentem ex parte rei, cui perfectio dicitur bona; quàm eam, quæ ſe tenet ex parte perfectionis, quę per bonum importatur? profecto nulla ratio aſsignabitur, cur hæc potius, quàm illa cõmenſuratio per bonum formaliter cõnotetur. Nos autem pro noſtra ſententia: quod ſcilicet importetur cõmenſuratio, quę ſe tenet ex parte perfectionis per bonum importata habemus D. Thomam, qui de Veritate q. 21. art. 1. in fine corporis expreſſè ait, *bonum vtile ex eo dici bonum, quia natũ eſt conſequi finem*: quæ verba declarant habitudinem ſe tenentem ex parte ipſius boni. Idem D. Thomas multis in locis docet media habere rationem boni ex ordine, quem habent ad finem. Ita ſecũda ſecundæ q. 33. art. 6. ad tertium, & de Malo q. 1. art. 2. ad 9. Sæpiſsimè etiã affirmat bonum importare habitudinem perfectiui, vt patet de Veritat. q. 21. ar. 6. Denique 1. p. q. 16. ar. 1. aſſerit, *terminũ appetitus, quod eſt bonum, eſſe in re appetibili, & ab ea deriuari.* Quæ omnia euidenter declarant cõmenſurationem illam, ſiue relatio ſit, ſiue non, ſe tenere ex parte perfectionis per bonum importatę. *D. Thom.*

Quo ſuppoſito vera eſt noſtra minor, vt iam oſtendimus, quæ eadem ſtabiliri etiam poteſt ratione: quoniã cõmẽſuratio illa, & inclinatio rei, quę perficitur, ad perfectionem perficientem eſt cõmenſuratio quędampaſsiua: quod ſignificat Suarius dũ illam appellat capacitatem naturalem ad recipiendum boni perfectionem: iam verò formalis ratio boni, quæ poſita eſt in conuenientia, non fundatur niſi in actu, & forma, quatenus eſt vel efficienter, vel formaliter perfectiua.

Ex quibus omnibus euidẽter conſtat media, vt ſunt quædam bona vtilia: habere & perfectionem, & conuenientiã ſibi propriam diſtinctamq; à perfectione, & conuenientia, quæ reperitur in bonitate finis, quę erat minor ſuperioris diſcurſus à nobis probanda. Cum igitur bonitas, vt initio diſcurſus dicebamus, nihil aliud dicat, quàm perfectionem connotando conuenientiam: benè concluditur in medijs, bonisq; vtilibus reperiri propriam bonitatem diſtinctã à bonitate finis.

§. 4.

Amplius confirmatur vera ſententia.

Poteſt

17 Amplius ꝓ posita sentẽtia cofirmatur.

POtest adhuc nostra ista sententia cõfirmari ex eo, quod pluribus sup petentibus medijs ad consequendum finem, vnum præ alijs à voluntate appetitur, & eligitur: quæ volũtatis electio non aliunde prouenire potest, quã ex propria cuiusq; medij bonitate, & conuenientia, quam habet ad finẽ, quæ in vno medio maior est, quàm in alio: nam si sola bonitas finis esset illis proxima ratio formalis appetitionis, & diligibilitatis, nihil esset, cur voluntas hoc medium potius, quàm illud præuia consultatione deligeret: nec cur vnum mediũ esset appetibilius, quàm alterũ.

Nec tolles vim argumenti, si dicas ideo hoc mediũ potius quàm illud esse appetibile; quia bonitas finis magis ab hoc, quám ab illo participatur: nã statim inquiram, in quonam posita sit hęc maior participatio finalis bonitatis? Si enim (vt videtur) in hoc solùm est posita, quia vnum medium ex sua natura habet maior emvim, & efficaciam ad finem consequendum; cur illa efficacitas, & vis cum illa conuenientia, & accõmodatione ad obtinendum finem, nõ dicetur bonitas? profecto pro parte negante nulla afferetur probabilis ratio.

18 Accedit eò: quoniã in speculabilibus conclusio habet distinctam veritatem, & cognoscibilitatem à veritate, & cognoscibilitate principiorum, vt omnes fatentur: cur igitur media ad finem non habebunt bonitatem sibi propriam distinctam abonitate finis? nam iuxta vulgatum axioma: sic se habet finis ad media, quomodo se habẽt principia ad cõclusionem. Nec aliquid cogit, imò nec suadet, axioma istud in proposita materia non esse verum.

19 Pro eadem sententia ad ducũt quædam D. Th. loca.

Postremo pro eadem sententia facit D. Thom. qui sæpissimè docet *voluntatem & esse finis, & eorum, quæ sunt ad finem.* Ita 1.2.q.8.art.1.& 3.& de Verita.q.22.art. 13.ad 9.& q.23.art.primo ad 3.& art.4. in corpore: quibus in locis agit de obiecto formali voluntatis, vt bene aduertit Bellomontanus 1. 2.disp. 1. cap.2. §. *Quo modo autem media*: nam in dicta q. 8. art 1. eodem modo agit de obiecto voluntatis, quo de illo egerat art.1. præcedente: in quo, dubio procul, egit de obiecto formali. Quod etiam colliges ex eo, quòd finem appellat obiectum principale, & primarium; media autem ad finem, obiecta secundaria: quę diuisio nõ conuenit obiecto materiali, sed formali; cuius membra inter se distingontur, penes diuersam rationem volendi. Nec videtur à nostra sententia longè esse Caietan. 1. 2. q. 8. art. 3. dum insinuat, *ea quæ sunt ad finem tunc se habere vt materiam, cum vnico voluntatis actu interdum appetuntur: nam quando appetuntur diuersis actibus, se habent formaliter.* Caietan.

Addidimus superius media suam propriam bonitatem habere dependẽtem à bonitate finis: quia illorum bonitas non habet rationem bonitatis, & conuenientiæ in ordine ad appetitum hominis, nisi per habitudinem ad finem: ideo enim appetitur scisio venæ, aut potio amara, quia appetitur sanitas, cuius illa media sunt effectiua: & inde est, vt non sint appetibilia, vbi nullus datur appetitus sanitatis habendæ: vt patet in homine sano, cui scisio venę est inconueniẽs. Igitur conuenientia mèdiorum dependet à conuenientia finis: & eatenus media sunt bona, quia finis est bonus. 20

Aduertendum tamen bonitatem mediorum dependere à bonitate finis tan quam à caussa radicali, & remota; quatenus scilicet eorum bonitas suo modo caussatur à bonitate finis: efficienter quidem, quoad actum: quia amor finis effectiue caussat amorem mediorũ: formaliter verò, quoad rationem volendi: siquidem bonitas, & conuenientia finis est formalis ratio bonitatis medij; non quidem tanquam caussa formalis proxima, à qua extrinsecè media formaliter, & proximè habeant bonitatem, vt male existimat Suarius in dicta disp. 10.sect. 2. num. 24. sed tanquam caussa formalis radicalis, & remota. Quæ doctrina deduci potest ex ijs, quæ docet D. Thom. de Veritate q. 21. art. 4. ad 2. dum ait: ea quæ dicuntur talia per respectum, & habitudinem ad alterum, nõ dici talia intrinsecè per aliquam formã sibi inexistentem: cum illud alterum solùm est ratio denominationis, vt patet in vrina sana: secus verò, si illud alterũ fuerit caussa illorum; quia tunc dicentur talia per aliquid sibi intrinsecum. Iam verò bonitas finis nõ est medijs solum ratio, quod denominẽtur bona, sed etiã est caussa formalis bonitatis illorũ modo 21 D. Thom.

modo explicato. Erunt igitur bona bonitate sibi propria, & intrinseca: dependente tamen à bonitate finis eo modo, quo explicauimus. Quare concludendum est media ad finem non solùm esse obiecta materialia voluntatis; sed etiam formalia, vt pote, quæ appetãtur propter suam bonitatẽ, & conueniẽtiã: dependẽter tamen à bonitate finis, quæ in illa bonitate virtualiter includitur.

§. 5.

Soluuntur argumenta contraria.

22 Responsio Ad.1. fundamentũ contrariũ ex D. Tho desumptum.

NEc argumẽta contrariæ sentẽtię hãc veritatẽ expugnant. Ad primum sumptũ ex D. Thoma. 1.p. q.5.art.6. ad secundum dicendum est D. Thomam eo in loco distinguere tria bonorum membra per oppositas rationes terminandi motũ appetitus: nã quoddam bonum illum terminat, vt quies in re desiderata: & hoc est bonum delectabile. Quoddam autem vt terminus, ad quem tendit appetitus: & tale est bonũ vtile, & honestũ, sed diuerso modo; quia bonum vtile terminat, vt medium ad aliud: honestũ verò vt terminus vltimus. Et ratio est; quia bonum honestum habet in se bonitatem, quę ratione sui appetitur: vtile verò non habet bonitatẽ, quæ ratione sui appetatur, sed ratione alterius. Igitur quando D. Thom. asserit bonum vtile in se nõ habere vnde diuidatur, in hoc sensu explicandus est, vt non habeat in se bonitatẽ, ad quam voluntas ratione sui tendat, sed solum ratione alterius; & hanc esse D. Thomæ mentem ex antecedentibus facile colliges. Ex quo non bene inferes bonum vtile nullam in se habere bonitatem.

23 Ad secũdũ.

Ad secundum respondetur negatione antecedentis: ad cuius probationẽ concessa maiori neganda est minor. Et ad probationem eius admittimus omnia, quæ supponuntur: ex illis tamen nõ benè infertur bonum vtile non habere propriam bonitatem; quin potius nos ex illis præmissis oppositum concluſimus: nam cum bonum vtile ex sua natura dicat perfectionem sibi propriam, connotando conuenientiam ad consequendum finem, & hæc distincta sit à cõuenientia, quæ est in fine, vt latè ostendimus; non potest non includere bonitatem sibi propriam, & distinctam à bonitate finis.

24 Ad 3. respõdetur iuxta diuersas opiniones.

Ad tertium negãdum est antecedẽs; quia media, & bona vtilia mouent volũtatem ad sui appetitionem, in virtute tamen finis, cuius bonitatẽ participãt. Ad probationem antecedentis duobus modis respõderi potest. Vno modo iuxta illorum sententiam, qui putant media exercere veram causſalitatem finalem in actum electionis: eo modo, quo finis veram causſalitatem finalem exercet erga simplicem amorem sui. Iuxta hanc sententiam admittendum est medijs conuenire veram causſalitatem finalem in actum electionis, quo appetuntur. Quin potius non desunt, qui velint ea etiam exercere finalem causſalitatẽ erga media priora, & antecedentia.

Si verò vtrunq; putas esse falsum, & medijs denegas veram finis causſalitatem; neganda tibi erit sequela: quia media excitare possunt, & mouere voluntatem ad actum electionis non in genere causſę finalis, sed in genere causſæ efficientis. Vnde sequela videtur peccare in fallacia à pluribus causſis ad vnã causſam. Quæ illarum opinionum verior sit inferius expendemus.

25 Exẽpla non tam nocẽt quã fauẽt ꝓpositæ sententiæ. Vasquius.

Exempla, quæ adducuntur nostram sententiam non impugnãt, sed propugnant potius. Et ad exemplum imaginis, omissis ijs, quæ scribit Bellomontanus 1.2.disp.1.cap.2. §. *Quod verò recentiores*, & latius lib.3. de Adorat. disp.1.cap.6. num.36. cum sequentibus (quibus in locis admittit imaginem solùm esse obiectum materiale adorationis: & proinde cogitur inuestigare rationem discrimi nis inter imaginem in ordine ad prototypon, & media in ordine ad finẽ) omissis inquam illis omnibus, dicendum est imaginem, si sumatur in actu signato, prout scilicet consideratur, vt est imago & similitudo prototypi, habere ꝓpriã excellentiam distinctam ab excellentia sui exemplaris: ab ea tamen dependentem, vt alibi latè diximus. Quare in hoc sensu imago est formale obiectum adorationis, & reuerentię: quia adoratur propter propriam, quæ in ea reperitur excellentiam: quę cũ longè sit inferior, quàm excellentia sui exemplaris; adoratio etiam est longe inferioris generis, vt ex Concilio Nysseno 2. etiam ostendimus

dimus. Si vero imago sumatur in actu exercito, prout scilicet exercet actum imaginis proponendo in seipsa ipsum prototypon seseque loco illius sufficiendo, tunc solùm habet rationem obiecti materialis, vnde solùm adoratur sub formali excellentia prototypi: partialiter tamen, vt in citato loco diximus: in hoc autem sensu imago adoratur eadem numero adoratione, qua adoratur prototypon, quæ ipsa ad imaginem solùm materialiter terminatur sub formalitate excellentiæ prototypi. Et in hoc sensu comparari non potest cum medijs, sed in priori; quia agimus de medijs prout diuerso volũtatis actu in seipsis appetuntur coniunta intentione finis. Quare exemplum imaginis potius nobis fauet.

26 Exemplũ verò amoris, quo proximus amatur propter Deum potius est pro nobis, quàm resistat, siue proximus ex charitate ametur amore amicitiæ: siue amore concupiscentiæ. Nã quando proximus ex charitate amatur amore amicitiæ (vt quando illi volumus supernaturalem beatitudinem,) non solùm est obiectum materiale illius amoris, sed etiam formale: quoniã amatur propter bonitatem sibi propriam, distinctam à bonitate, qua Deus in seipso amatur amicitiæ amore: nam Deus illo amore ideo amatur; quia cum per essentiam sit diuina bonitas, per essentiam est capax beatitudinis supernaturalis, quæ est bonum, quod per charitatem amico concupiscimus. At proximus ideo amore charitatis diligitur, quia capacitatem beatitudinis habet per participationem diuinæ bonitatis: sicut colliges ex his, quæ docet D. Thom. secunda secundæ, q. 25. & 26. & de Charitate, quæstione vnica, articulo septimo. Iam verò bonitas diuina participata, quæ est formalis ratio diligendi proximum, longè est alia à bonitate diuina per essentiam, quæ est formalis ratio, cur Deus amore amicitiæ diligatur. Similiter etiam communicatio beatitudinis, in qua fundatur amor amicitæ emanans ex charitate, longè diuersa reperitur in proximo, & in Deo; nam in Deo reperitur, tanquam in principio, & causa, à qua effluit beatitudo: at in proximo reperitur, tanquam in subiecto, quod per participationem habet talem communicationem, vt patet ex D. Thom. locis citatis. D. Thom.

Nec huic resolutioni obstat, quod Deus sit ratio formalis diligendi proximum, vt docet D. Thom. in dicta q. 25. artic. primo; quia id non est intelligendũ de ratione formali ꝓxima, & actuali: sed de ratione formali virtuali, & remota. Nec enim quando proximus ex charitate amicitię diligitur, necesse est, vt actu diligatur Deus, vt benè annotauit Bellomontanus lib. 3. de Adoratione disp. 1. cap. 6. num. 36. sed solùm virtualiter, quatenus ratio formalis immediata, & proxima illius dilectionis est bonitas diuina participata, qua proximus passiuam habet commensurationem ad bonum supernaturalis beatitudinis, quę est formalis ratio bonitatis absolutæ, quæ in fine, *cui*, reperitur, vt in superioribus iam ostendimus. Proximus autèm isto modo dicitur diligi proprer Deum, si ly, *propter*, denotet caussam formalem: quia talis dilectio, si non actualiter, virtualiter tamen est dilectio Dei, quatenus bonitas diuina est prima, & radicalis ratio formalis, cur proximus diligatur. Si verò ly, *propter*, denotet caussam finalem; ideo proximus dicitur diligi propter Deum, tanquam propter finem, quia cum tali dilectione coniuncta est intentio voluntatis, qua per talem dilectionem intendit Deo placere, vt alibi diximus: etenim diligens optimè nouit dilectionem illam proximi esse secundum Dei voluntatem. 27 Obiectio ex D. Tho. Soluitur.

Si verò proximus diligatur amore concupiscentiæ (vt quando in proximo volumus Deo bonum) manifestè constat proximum, non tantum esse obiectum materiale charitatis, sed etiam formale: quia ipsum proximum volumus Deo, vt proximus est aliquid Dei, & prout ratione sanctitatis est quoddã bonum, in quo Deus sibi complacet. Vide Bellomontanum loco citato, & prima secundæ, disput. prima, cap. secũdo, §. *Quod verò recentiores*. Nam de his latius disputare ad alium locum spectat.

QVÆSTIO VI.



XPLICATIS ijs, quæ pertinent ad finem secũ dum se, & quatenus est finis: consequẽter explicanda sunt, quæ pertinẽt ad finem, quatenus est caussa. De quo quatuor sũt principaliter explicãda. Primũ dicẽdũ erit de caussalitate ei°: deinde de effectu caussę finalis Tertio de ijs, quæ posſũt exercere caussam finalem. Tandem de agentibus propter finem. Et ita absoluetur tota disputatio de fine, prout in communi consideratur.

De caussalitate finis multa sunt inquirenda. Primo, an finis vere, & proprie sit caussa? Secundo; quænã sit proxima ratio constitutiua finis in actu primo caussę finalis? Tertio, vtrũ finis debeat esse cognitus, vt possit caussare? Quarto, an finis moueat, & finalizet secundũ suum esse reale, an secundũ esse obiectiuũ? Quintò, in quonam posita sit caussalitas finalis? Sexto, quidnam sit caussalitas explicata in præcedente articulo? Septimo, an caussa finalis vnam habeat, vel plures caussalitates? Octauo & vltimo, qnænam sit ratio caussandi, & caussalitas finis, *cui*?

ARTICVLVS I.

An finis verè, & proprie sit caussa?

§. 1.

Agitur de opinione negatiua.

1 Refertur negatiua sentẽtia.

IN hac de fine tractatione non est prętereunda disputatio, An finis veram, & propriam habeat rationẽ caussæ? sitque enumerandus inter vera caussarum genera? nam veteres Philosophi, vel negauerunt caussam finalem: vel eã vix cognouerunt, vt à cęteris distinctã. *Arist.* Hoc posterius docet Aristot. lib. 1. Metaphy. cap. 6. text. 10. post medium: illud verò prius satis indicat 2. Physicorum cap. 8. text. 15. & libro 1. de Partibus animalium cap. 1. dum ait veteres omnia reuocasse ad caussam necessariam, & subinde caussam finalem nõ admisisse. Et quidem hanc fuisse cõmunẽ Stoicorum sententiam, dũ solam caussam efficientem admiserunt, constat ex Laertio in vita Zenonis Cittici, & ex Seneca lib. 8. epistolarum epistola. 66. vbi idem sentit cum Stoicis, & ante eum Cicero in Topicis ad Trebatium, cum tractat locum efficientium. Idem sensisse Socratem apud Platonem in Dialogo, qui de pulchro, vel Hippias maior scribitur, plerique referunt. Imò idem videtur probare Pater Augustinus libro 83. quæstionum q. 28. dum ait: *omnem caussam esse efficientem.* Quin potius Plato in Timæo inter caussas solùm enumerauit efficientem, exemplarem, & materialem. Vnde finem à vera ratione caussæ absque dubio videtur excluisse.

Stoicorũ sẽtentia.

Laertius.
Seneca.
Cicero.
Socrates.

Augustin.
Plato.

Nec desunt argumenta quibus hæc veterum Philosophorum sententia confirmetur. Nam ex Aristotel. quinto Metaphysic. capite primo. *Omnis caussa est principium*, vel saltem conuertitur cum principio, vt idem Aristotel. ait quarto Metaphysic. cap. secundo, tex. tertio. *Finis autem non potest esse principium*, cũ principio opponatur ex eodem Aristotel. tertio Metaphysicor. cap. secundo text tertio in fine. Igitur finis non potest habere veram rationem caussæ.

2 Primũ huius sententiæ argumẽtum ex Aristot.

Secundo; finis non potest in effectum realiter influere: ergo non potest esse vera & realis caussa. Consequentia est nota, quia vera, & realis caussa verè ac realiter influit in suum effectum. Antecedens autem inde patet, quia finis, quando est in rerum natura, iam non influit; quia cessat actio agẽtis, sine qua non datur caussalitas finis. At antequam sit, realiter non potest influere: quod enim non est, nullum potest habere realem influxum. Nec satis est, si recurras ad motionem metaphoricã, quam habere potest finis, quanuis non existat, dummodo existat obiectiuè in apprehensione intellectus; quia motio metaphorica nõ potest esse motio caussæ realis.

3 2. Argum.

Postremò accedit; quoniam, nec videtur dari fundamentum sufficiens, ob quod introducẽdum sit genus caussæ finalis: nec potest satis explicari quid vel circa quod, vel qua caussalitate finis causset: quia: nec in ipsum agens aliquid caussare potest, nec in effectum agentis; vix enim fingi potest quid, aut

4 Vltimum.

in

in vno, aut in altero valeat causſare. Hęc ſunt præcipua argumenta, quæ veterum opinionem videntur cõfirmare.

§. 2.

Finem eſſe veram, ac realem cauſſam.

5 Finẽ eſſe veram cauſ-ã docet Schola Peripatetica.

PArs tamen affirmatiua placuit omni Peripateticorum Scholæ, in qua tanquam primũ philoſophiæ principium cum Ariſtotele ſemper conſtitutum fuit finem eſſe veram, propriam, ac realem cauſſam. Quod á poſterioribus tam Philoſophis, quàm Theologis tanquam dogma conſtituitur. Quod ipſum adeò obſeruauit Socrates apud Platonem in Pœdone, vt ſolùm finem inter cauſſas enumerauerit. Et quanuis in hac excluſiua non fuerit Ariſtoteli probatus: præiacentem tamen propoſitionem, vt veriſimam ſemper admiſit, adeò, vt veteres ſubnotauerit, quod cauſſam finalem, aut non agnouerint, aut apertè non tradiderint. Igitur, quod finis ſit verè, & proprie cauſſa, ex profeſſo confirmat Ariſtoteles ſecundo Phyſicorum cap. tertio & quinto Metaphyſic. cap. ſecundo, idque tanquam dogma celeberrimum mille alijs in locis ſupponit: vt patet primo Metaphy. capit. 6 text. 10. & cap. 7. text. 44. & libro ſecundo, cap. ſecundo, text. 8. & lib. 3. cap. 2. text. 3. & libro 11. cap. 1. & 2. Phyſicor. cap. 8. text. 75. & primo Ethic. cap. 1. & libro primo de Part. Animal. cap. 1. vt alios innumeros locos omittamus. Hanc ſententiam ſine controuerſia probauere omnes, tam Philoſophiæ, quàm Theologiæ interpretes, à quorum citatione ſuperſedemus: ſolùm nouiores, qui hac de re quęſtionẽ excitarunt allegandos putamus. Ante omnes Herueus quodlibet. 1. quæſt. 8. in prima difficult. & quodlib. 2. quæſt. 1. artic. 2. contra primam & ſecundam ſententiam. Poſt eum Curſus Conimbricenſis 2. Phyſicor. cap. 7. q. 20. Suarius in Metaphyſic. diſput. 23. ſectio. prima. Cæteri verò hac de re ſolum diſputant, dum cum Ariſtotele oſtendunt cauſſarum genera, nec plura, nec pauciora eſſe, quàm quatuor, de quo Fonſeca lib. 5. Metaphyſic. cap. 2. quęſt. 1. ſectio. 4. Curſus Conimbricen. 2. Phyſicorum cap. 7. q. 2. Suarius in Metaphyſica diſp. 12. ſectio. 3. Ante eos Sotus 2. Phyſic. q. 3. vbi Tolet. q. 7. Benedictus Pereira lib. 8. de communibus rerum principijs cap. 1.

Socrates.

Ariſtot.

Sotus. Toletus. Benedict. Pereira.

Hoc dogma non aliter probat Ariſtoteles, quàm ex communi conſenſu: omnes enim, dũ interrogantur cur aliquid faciant? arbitrantur ſe cauſſam reddidiſſe, ſi explicent finem, cuius gratia operantur. Ita expreſſe Ariſtot. 2. Phyſicorum cap. 3. tex. 29. & quinto Metaphyſic. cap. 2. tex. ſecundo: ſatis autem fuit principium philoſophicum communi omnium conſentione confirmari; cui vulgaris loquendi modus etiam adſtipulatur; nam qui ab alio inquirit finem, illum inquirit per particulam, *propter*, inquiens propter quidnam operetur? at inter omnes conſtat particulam, *propter*, cauſſalitatem ſignificare. Vnde Ariſtot. 2. Phyſic. cap. 7. tex. 68. quatuor cauſſarum genera deducit ex quatuor generibus quęſtionis, *propter quid:* quaſi ſupponat quęſtionem, *propter quid*, nihil, niſi cauſſam rei, de qua inquiritur, poſtulare.

6 Prima prõtio ex Ariſtotel.

Eadẽ veritas á priori deduci poteſt ex definitione cauſſę: nam ſiue cauſſa dicatur id, propter quod res eſt: vt colligitur ex Ariſt. 2. Phyſic. cap. 7. tex. 68. ſiue id, à quo aliquid per ſe pendet: quæ definitio à modernis cõmuniter recipitur, vt patet ex Fõſeca 2. Metaph. cap. 7. q. 1. ſect. 3. Curſu Conimb. 2. Phy. cap. 7. q. 1. ar. 1. Suario in Metaph. diſp. 12. ſect. 2. n. 3. ſiue dicatur principium per ſe influens eſſe in aliud: quæ definitio magis placet eidẽ Suario; nõ poteſt nõ concedi finẽ habere veram rationẽ cauſſę realis. Nam cùm finis ſit primũ, quod excitat, & mouet agẽs ad agendũ (voluntas enim ex bonitate finis excitatur, tũ ad illius dilectionẽ; tũ ad illius proſecutionẽ) profecto nõ poteſt negari realẽ agẽtis motionẽ, & cæteros effectus, qui ad illã conſequũtur; per ſe pẽndere à fine tãquã à principio per ſe influẽte in eſſe illorum. Ita fit, vt cauſſalitas finis optimè à pleriſq; deducatur ex cõmuni proloquio, quod omne agens agit propter finem: inde enim ſequitur omne agens per ſe moueri ad agendum ab ipſo fine. Erit igitur finis principiũ per ſe influẽs in realẽ motionẽ agẽtis, quod ſine vera, & reali cauſſalitate fieri non poteſt.

7 Eadẽ veritas à priori deducit ex definitione cauſſæ.

Ariſtot. Fonſeca.

§. 3.

Causſam finalem eſſe causſam effectus quoad eſſe.

6 *Herueus.* Dubitatio. Quorundã reſponſio.

DVbitarunt nnonulli Philoſophi, quos refert Herueus quodl. b. 2. q. 1. ar. 1. fol. 35. colum. 3. verſ. *Ad probationem minoris*, & artic. 2. in 1. & 2. ſententia: an finis ſit cauſla ſui effectus, quoad eſſe? & partẽ negantẽ probauerunt docentes effectũ cauſſæ finalis non pendere ab ea quantũ ad id, quod in ſe eſt: ſed ſolũ quantũ ad eſſe quoddam accidentariũ, quod à fine recipit; bonita ẽ inquam vtilẽ, aut quandã habitudinem, qua finẽ reſpicit. Itaq; apud iſtos cauſſa finalis non influit in eſſe reale, quo effectus exiſtit.

Reijcitur & vera adducitur. *Herueus.*

Sed reijcienda eſt hęc opinio tanquã improbabilis, & omnino contraria receptæ Philoſophiæ; quam multis impugnat Herueus in locis citatis. Et merito: quia cauſſa finalis vera, & reali cauſſalitate influit in eſſe ſui effectus, ita vt quoad eſſe à fine verè dependeat; quod euidenter patet ex definitione finis: finis enim eſt id, cuius gratia aliquid fit: ergo, i , quod fit ab efficiẽte, quoad ipsũ eſſe, ſecundum quod fit, per le depẽdet à fine, cuius gratia agens operatur: ita vt nec fieret, nec haberet eſſe, niſi ꝓpter finem fieret.

9 Cõfirmatio *Nyſſenus. Ariſtotel. Fonſeca.*

Confirmatur, quia finis à pleriſq; definitur eſſe id, cuius gratia cętera ſunt: vt patet, ex D. Greg. Nyſſeno in lib. de vita Moyſi, & ſatis eſt de mente Ariſto. in 1. Metaphy. cap. 1 in fine. De quo vide Fonſecã 5. Metaphy. cap. 2. q. 10. ſect. 5. ad 2. obiectionem, & Suariũ in Metephy diſp. 23. ſect. 1. num. 7.

2 Cõfirmatio.

Accedit etiam; quia cauſſa efficiens, & finalis habent inter ſe mutuam connexionem: vt quidquid per ſe dependet ab vna, per ſe etiã dependeat ab alia, vt eſt communis doctrina, de qua Suarius in Metaphy. diſp. 26. ſect. 3. num. 3.

§. 4.

Finem eſſe causſam ab alijs diſtinctam.

10 *Ariſtotel.*

QVatuor eſſe cauſſarum genera tanquam Peripateticum axioma modò ſuppponimus ex Ariſt. 2. Phyſic. cap. 3. & 7. & 5 Metaphyſic. cap. 2. vbi interpretes ſolent hanc veritatem contra nonnullos veterum diligentius confirmare. De hoc videndi ſunt Curſus Conimbricenſis 2. Phyſic. cap. 7. q. 2. & Fonſeca 1. Metapqyſic. cap. 7. quæſt. 1. ſect. 4. & Suarius in Metahyſi. diſp. 12. ſect. 3. vt alios omittamus. Cauſſam finalem inter has quatuor enumerandam eſſe ex Ariſtotele iam oſtendimus: eſſeque à tribus alijs diſtinctam vnanimus eſt Philoſophorum conſenſus, ſi ſermo ſit de diſtinctione formali ſumpta præciſè ſub ratione cauſſæ, vt bene annotauit Suarius in dicta diſput. 12 ſectione 3 num. 3. quod ſatis inſinuauit Ariſt. lib. 1. Metap. cap. 6. tex. 10. Dum veteres reprehendit, quod aliquo modo ponentes cauſſam finalem, eã nõ poſuerunt, vt à cęteris diſtinctã. Apertius id ſignificauit, dum locis citatis ex profeſſo probat cauſſarũ genera, nec plura, nec pauciora eſſe, quàm quatuor. Quæ concluſio, niſi ab Ariſt. intelligeretur de generibus cauſſarum, prout in ratione cauſſæ ſaltem formaliter diſtinguntur; vitioſa eſſet quadripartita cauſſarum diuiſio. *Ariſtotei.*

11 Cauſſam finale ab alijs formaliter diſtinctam eſſe demonſtratur.

Sed ratione id etiam demonſtratur: nam cum cauſſa, in ratione cauſſæ formaliter conſtituatur per formalem modum rationem ve cauſſandi; vtique illa cauſſa ab alijs formaliter diſtinguetur, quæ diſtinctum ab alijs habuerit cauſſandi modum: nam cauſſæ per proprios modos, & rationes cauſſandi, tanquam per proprios actus, per ſe diſtinguntur. Modum autem, & rationem cauſſandi cauſſæ finalis longè eſſe diſtinctam à ratione aliarum cauſſarum, facile declarat; tum virtus cauſſandi finalis; tum influxus; nam bonitas eſt propria, ac per ſe virtus, & ratio cauſſandi ipſi fini: etenim finis per eam attrahit agens ad agendũ. Influxus autem eſt per mutationem intentionalem, & metaphoricam, vt ex dicendis patebit. Hanc autem cauſſandi rationem, & influxum eſſe diſtinctum ab influxu, & ratione cauſſandi aliarum cauſſarum facile quiſque intelliget, ſi aliarum cauſſarum virtutes, & influxus cognouerit: nam, vt omittamus influxus illarum eſſe per mutationem realem; ratio, & virtus cauſſandi cauſſæ materialis ſumitur à potentia poſsiua illius: formalis autem ab actualitate: efficientis verò, à potentia actiua, & elicitiua actionis.

Di-

12 Diximus superius (si sermo sit de distinctione formali) quia si sermo sit de distinctione materiali, quasi reali: finis nõ necessariò distinguitur à cęteris causis; nec in ordine ad diuersos effectº, nec in ordine ad vnũ, & eundẽ. De quo latiùs dicendũ erit in quæst. Quæ nã res possint causalitatem finalẽ exercere? Interim videndus est Suarius in Metaph. disp. 12. sect. 3. à num. 10. vsque ad 15.

§. 5.
Finem inter causas esse, & origine, & dignitate primam.

13 Conclusio. FInis non solùm est vera causa, sed omnium causarum prima; tum origine, tum etiam dignitate: quam cõclusionem dilucidè probauit Cursus Conimbr. 2. Physi. cap. 7. q. 20. artic. 2. §. *His animaduersis*, & breuiter tetigit Suarius Metaphy. disp. 12. sect. 3. num. 8. & disp. 25. sect. 1. num. 8. probauit D. Thom. 1. p. q. 5. art. 4. & 1. 2. q. 1. art. 2. de quo etiam Albert. 2. Phy. tract. 2. cap. 5. & Auicena in Metaphy. tract. 6. cap. vlt. lit. E. iuxta veterem impresionem. De hac conclusione nulla potest esse dubitatio: nam quodcausa finalis origine sit prima omnium causarum, tam in moralibus, quã in naturalibus, expresse docet Aristot. lib. 11. Metathy. cap. 1. tex. 36. agens enim de fine, & bono, quod tam in agẽdis, quàm in naturalibus existit ita ait: *Et hoc primum mouet*. Quod expresius docuit lib. 1. de Part. animalium cap. 1. Satis etiam expresse 7. Ethic. cap. 8. tex. 38. *Id autem, cuius gratia principium est in actibus; perinde vt suppositiones ipsæ in Mathematicis.* Denique lib. 2. Ethic. ad Eudemum pag. 1008. in principio, *finem appellat principium, & fundamentum.* Quod ratione facile demonstratur: nam cum efficiens inducat formam in materia, antecedit causam, tam materialem, quàm formalem: finis autem antecedit causam efficientem: hæc enim alicuius gratia semper operatur: vnde prius mouetur à fine, quàm aliquid efficiat: etenim ad efficiendum hoc potius, quàm illud; determinatur à fine, vt ostendit D. Tho. 1. 2. quæst. 1. art. 2. Quare finis est prima omnium causa: imò à plerisque dicitur causa causarum, vt testantur Albert. & Auicen. locis citatis. Et ratio est; quia cæteræ causę à fine suo modo desumunt rationem causandi; ob quam rationem dicitur aliarum ratio, vt ait. Arist. lib. 1. de partibus Animal. cap. 1. Et inde est, vt finis in causando à nulla alia causa dependeat; aliæ verò necessariò dependent à fine tanquam à causa priori.

D. Thom. Alb. Mag. Auicena.

Arist.

Finẽ esse origine Primã causam ratione cõcluditur.

Arist.

Quin potius inter omnes causas est prior dignitate: nam principatũ inter causas finí tribuit Arist. 1. de Part. animalium dicto cap. 1. vbi ita ait: *Principatum sanè illa obtinere videtur, quam sub hoc verbo, cuius gratia, significamus.* Quibus adde Augustin. 5. de Ciuita. Dei cap. 21. quo loco asserit finali causa non dari causam meliorẽ. Et merito sanè: quia causa finalis est mouens, nõ motũ, ex Arist. 3. de Anima cap. 10. tex. 54. mouet etiã independenter ab alijs causis: cũ inter illas sit primũ mouens, vt iam diximus: ob quã rationem per antonomasiã dicitur de fine esse causam, propter quam res fit. Quare merito Socrates apud Platonem solã causam finalẽ appellat causam: non quod sola sit causa, sed quod per antonomasiã nomen causæ simpliciter mereatur. In quo sensu pleriq; cõclusionẽ Platonis interpretantur.

14 Finẽ inter oẽs causas esse præcipuam ex Arist. probatur.

Augustin.

Arist. otel.

Socrates. Plato.

§. 6.
Rationem causæ finalis omni fini conuenire.

CVm finis suo modo in varias species diuidatur; vt patet ex ijs, quę diximus supra q. 2. art. 1. merito dubitari potest, an ratio causæ finalis omnibus finibus conueniat? Ratio dubitãdi est: quia Aristoteles in omnibus locis, in quibus agit de causa finali, semper egit de fine, *cuius*: semper enim causam finalem explicauit per *id, cuius gratia*, vt patet 2. Physi. cap. 3. & 5. Metaph. cap. 2. & ex alijs omnibus locis.

15 Ratio dubitandi.

Aristotel.

Dicendum tamen est rationem causę finalis conuenire omni fini. Quæ conclusio ita demonstrari potest: quia omnis finis, vel est finis, *cuius*, vel finis, *cui*, at vera ratio causæ finalis verè reperitur in vtroque isto fine: ergo, &cæt. Maior facilè patebit, si singulos fines diuisionis percurras, quas in d. ar. 2. explicauimus. Minor inde patet, quia esse, *cuius gratia*, est formalis ratio causę finalis, p

16 Conclusionis fũdamentũ.

quam Arist. eam vbique explicauit. At esse, *cuius gratia*, conuenit tam fini, *cuius*, quàm fini, *cui*, vt expresse docet Arist. Arist. secũdo Physicorum cap. 2. tex. 34. ita inquiens: Id *enim gratia, cuius cætera fiunt, duplicit er dicitur.* Expresius id docuit 2. de Anima cap. 4. tex. 35. & 37. vbi iuxta literam Græcam ita habet: Id *cuius gratia, duplex: alterum, cuius, alterum, cui.* Hęc enim est genuina versio illius loci, vt latè ostendimus in dicta q. 2. art. 2. Et in Argyrop. Perionius. idem recidit versio Argyropyli, Perionij, & Cursus Conimbr. vt ibi diximus.

17 Præterea id ostenditur; quia vterque 2. Fundamẽ tum. ille finis veram, & propriam habet rationem bonitatis, vt ostendimus in dicta q. 2. ar. 2. veram igitur habet rationẽ formalẽ causæ finalis: hęc enim posita est in ratione bonitatis, vt inferius ostendemus.

18 Accedit, quia ex vtroq; illo fine par- Tertium. tialiter cõstituitur vnus integer, & totalis finis, cuius gratia agẽs adęquatè operatur, & partialiter ratiõe vtriusq; quia ab vtroq; partialiter mouetur ad agendũ, vt in dicto loco diximus. Quin potiꝰ ibidẽ ar. 4. probauimus pręstantiorẽ finalizãdi rationẽ reperiri in fine, *cui*, quã in fine, *cuius*.

Ex quo infertur rationẽ causæ finalis verè conuenire cæteris omnibus finibus: omnes enim continẽtur, vel sub fine, *cuius*, vel sub fine, *cui*. Igitur siue finis sit vlimus, siue medius: siue operatio, siue opus per operationẽ relictũ: siue sit finis generationis, siue rei genitæ; siue finis operis, siue operantis: deniq; siue finis principalis, siue secundarius: nam eo modo, quo quisq; istorũ habet rationẽ finis; eo habet verã rationẽ causæ. Excipiẽdus tamen est finis secũdarius, cui in hoc sensu conuenit finalis causalitas; quia coadiuuat causalitatẽ finis principalis, sub quo rationem, & vlum finis sortitur.

§. 7.

Soluuntur argumenta partis negantis posita §. 1.

19 COntra datam resolutionem nihil efficiunt argumenta, quæ pro parte negante adduximus. Ad primũ Respõsio ad 1. argum. admittimus omnem causam esse principium, & negamus finem non esse principiũ: oppositum enim expresse docuit August. Arist. in 5. Metaph. cap. 1. in vltimis verbis, ita inquiẽs: *Quo circa & natura principiũ, & elementũ, & mens, & electio, & substãtia, & id cuius gratia.* Id, quod est verissimũ si principiũ dicatur id, vnde aliquid est, fit, aut cognoscitur: quæ est communis notio, in qua omnia principia conueniunt, vt Arist. explicauit loco immediatè citato. Aristoteles autem in loco, qui nobis obijcitur, non dixit finem esse oppositum principio absolutè, sed principio, vnde est motus: ideſt causæ efficienti, de qua eo in loco agebat. Quæ est cõmunis omnium interpretum explica- Fonseca. tio: vide Fonsecam 1. Metaphy. cap. 7. q. 1. sect. 6. ad 1. argum. in fine, & Cursũ Conimbr. 2. Physic. cap. 7. q. 20. artic. 2. ad 2. Suarium in Metaphy. disp. 23. sect. 1. num. 10. Finis autem causæ efficienti opponitur: nõ oppositione repugnãtiæ, quasi repugnet finem, & efficiens coincidere; quia contrarium inferius docebimus: sed oppositione, quæ cernitur inter originem, & terminum motus, siue actionis: nam actio oritur à causa efficiente & proficiscitur ad finem; idque in ordine executionis. Quam oppo- Fonseca. sitionẽ apellat relatiuã Fonseca loco ci- Cõment. tato, & in Cõment. ad eundem locũ lit. M. pag. 446. quia inter finem, & efficiẽs datur relatio originantis, & terminantis motum: si tamen finis accipiatur, vt est consecutus. Et in hoc sensu intelligenda erit explicatio huius oppositionis, quã probat Curs. Conimb. loco citato. Ita fit, vt locus Arist, intelligẽdus ve- Arist. niat de fine, prout est in executione; nõ verò prout est in intentione, quo modo est causa finalis.

Ad secundum negandum est antece- 20 Ad secũdũ. dens; quia finis realiter influit in effectũ, tanquam vera illius causa. Ad probationem dicendum est cum Fonseca Fonseca. in 1. Metaphy. loco citato causam realem, quæ non agit, nisi vt amata, non necessariò requirere realem existentiam: quin potius in pleriſque requirere non existentiam. Adde tu in aliquibus necessariò postulare existentiam realem. Quam doctrinam clariorem reddunt ea, quæ in solutione huius argumenti multis docet Suarius in dicta disp. 23. sect, 1. num. 11.

Nã finis formalis, ideſt assecutio finis, si cõsideretur, vt amatꝰ amore desiderij, necessariò requirit nõ existentiã realem

realem: nam quod desideratur, non dũ habetur in re, sed solùm in apprehensione: quare statim ac ponitur in rerũ natura, desinit influere ad sui consecutionem. Porrò si consideretur vt amat' amore complacentię, necessariò postulat realem existẽtiam: quia amor complacentię solum est de re possessa. Vnde finis vt assecutus; etsi desinat influere ad sui consecutionem, mouendo agens ad applicationem mediorum: tamen nõ desinit influere, & finalizare ad sui conseruationem, finalizando scilicet delectationẽ ex reali illius possessione, quæ est verior sententia, de qua inferiùs ar. 7. §. 5. Constat igitur finem formalem, siue assecutionem finis non necessariò exigere realem existentiam ad realiter finalizandum: quanuis vt existens possit aliquãdo finalizare modo explicato.

21 Idem dicendum erit de fine obiectiuo, vt est finis partialis: nam licèt aliquando finalizare possit vt existens; non tamen ad finalizandum necessariò requirit realem existentiam, sed satis est existentia obiectiua in cõsideratione intellectus: id quod insinuauit Suar. in dicto n. 11. Deus enim, qui est finis obiectiuus nostræ beatitudinis, finalizat nostras operationes, vt iam existẽs: at pecunia, quę est finis obiectiuus auari, finalizare potest vt non dum existẽs. Dixi (vt est finis partialis) quia finis totalis, vt est constitutus ex obiectiuo, & formali, prout est amatus amore desiderij, necessario exigit non existentiã realem, vel simpliciter, vel aliquo modo vt possit finalizare, & influere ad sui cõsecutionem. Nam assecutus statim desinit finalizare finalizatione, de qua Philosophi communiter loquuntur.

22 Heruæi opinio. De fine *cui* ita philosophatur Suarius, vt dicat eum caussare non posse, nisi vt est existens. Quę opinio videtur placuisse Heruæo quodlib. 1. q. 8. §. *Ad euidentiã*, vers. *Quantum ad* 2. Ratio Suarij est, quia ipsummet agens est finis *cui*, quatenus propter se, & in suum commodum operatur: hoc autem facere non potest, nisi existat: oppositum tamen melius docet Fonseca 5. Metaph. cap. 2. q. 10. sect. 3. post principium, cuius opinionem puto esse verisimam: etenim opinio Suarij vera foret, si solùm agens esset finis *cui* suæ operationis: at hoc non est verũ: nam filij generandi sæpè sunt finis *cui*, actionum paternarum: parentes enim sæpè diuitias congregant filijs non dũ habitis, sed habendis: Deus etiam in rerum productione perfectiones accidẽtales instituit propter substantiam, tãquam propter finem *cui*: & vniuersum istud creauit propter hominẽ, tanquã propter finem *cui* non vltimatum. Quare de fine *cui* idem dicẽdum puto, quod de fine formali, & obiectiuo diximus: nec enim ad finalizãdum necessariò requirit existentiam realem, vt probant adducta exempla: quanuis interdũ possit existens pleraque finalizare. Quin potiùs necessariò exigit existentiam, quando agens sibi ipsi, tanquam fini *cui* operatur: in quo solo casu locum habere potest fundamentum Suarij.

Oppositum cum Fonseca sustinet.

His præmissis ad difficultatem argumenti dicimus non omnẽ caussam realem exigere realem existentiã ad caussandum: id enim non habet locũ in caussa reali, quæ caussat, vt amata, & desiderata: hæc enim ad realiter agendum non necessario requirit realem existentiam, vt optimè annotauit Fonseca vbi suprà: & ratio est, quia agit actione intentionali: quæ licèt in genere motus sit impropria; non tamẽ in genere caussalitatis, vt benè aduertit Cursus Conimb. in dicta q. 2. art. 2. ad 3. Sed de hoc plura inferiùs dicenda sunt in quæstione: Vtrum finis causset secundum esse reale? 23 *Fonseca* 2. 2. *Phy.* c. 7

Ad vltimũ. 24 Ad postremum argumentum negandum est id, quod primo loco obijcitur: oppositum enim docuimus supra §. 2. non solùm ex Aristotele, & omnium Philosophorum consensu: sed etiam à priori: tum ex definitione caussæ; tum etiam ex eo, quia omne agens saltem intellectiuum, & creatum agit propter finem: qui operandi modus intelligi nõ potest sine caussalitate finali: siquidem dari nõ potest, nisi agens à fine alliciatur, & moueatur ad operandum; quę motio sine caussalitate non intelligitur. Quanuis autẽ determinatio naturæ, naturalisq; propensio agentis ad certũ, & determinatum terminũ, vt præcisè, pcedit à natura determinata, dari possit absque vlla finis caussalitate (actiones enim naturalium agentium, vt ab ipsis egrediũtur, non sunt propter finem, vt suo loco

dicemus) negandum est tamen in agentibus per intellectum dari naturalem propensionem ad sua particularia obiecta, ac particulares terminos: nam et si volũtas naturalem inclinationem, ac propensionem habet ad bonum in communi, quod est adæquatum ipsius obiectum: eam tamen non habet ad particularia bona, sed ad ea est indifferens, & indeterminata, vt omnes fatentur: vnde priusquam operetur, debet ab alio determinari, iuxta doctrinam D. Thomæ, & communem 1.2.q.1.ar.2. determinatur autem à bono particulari sibi præsentato, quod ipsum illam determinat, eam alliciendo, & intentionaliter mouendo; quæ motio non datur sine causalitate finis. Et hoc modo facillimè solues difficultatem quintã allatam à Suario in d.disp.23. sect.1. n.15. in qua soluenda ille obscurius elaborauit. Quę in eodem argumento vlterius obijciũtur; grauiores petunt difficultates, quæ inferiùs suis locis explicandæ erunt: explicabimus enim, qui sint effectus finis? quæ sit illius causalitas? & denique circa quid versetur?

D. Thom.

§. 8. & vlt.

Nec Platonem, nec Augustinum nobis contradicere.

25

HAnc veritatem, quam à reprehẽsione vindicauimus, etiam veteribus fuisse notam, plerique volunt; nempe Suar. in Metaphy. disp. 12. sect. 3. n. 3. Sed cum Aristoteles sæpe dixerit veteres causam finalem, vt à cæteris distinctam explicite nec posuisse, nec agnouisse, non est, quod hac de re contendamus. De Platone tamen, quem Arist. cum cæteris veteribus interdum enumerat, facilè id concederem: nam omnes agnoscunt Platonem in Phoedone causam finalem agnouisse: quin potius illam solam esse causam insinuat: quod per antonomasiam explicandum videtur, vt suprà diximus, ideò quia est omnium prima, ac præcipua. Plerique tamen volunt Platonem in Timæo tres tantum posuisse causas, nec finẽ inter eas enumerasse. Sed huius rei rationem reddit Fonseca 1. Metaphy. cap. 7. q. 1. sec. vlt. ad 4. non desunt, qui dicant eum in timæo agnouisse causam finalem cõstitutionis mundi: nam eam appellasse causam iustissimam asserit August. 5. de Ciuit. Dei cap. 21. in fine. Quo in loco Ludouicus Viuis refert verba Platonis. Locus verò ex Dialogo, qui de Pulchro, seu Hypias maior inscribitur, si solùm dicit efficiẽs nihil aliud esse, quã causam, vt plerique asserunt, nihil nobis officit: inde enim non benè colligitur eum cum stoicis solam causam efficientẽ admisisse: vt benè annotauit Suarius in dicta disp. 12. sect. 3. n. 6. nam & plerique affirmant Stoicos id non sensisse, vnde illorum verba aliter interpretantur, vt videre est apud Fonsecam in dicta sect. vlt. ad 3.

Suar. *Plato.* *Fonseca.* *August.* *Fonsec.*

26

His addendum est nihil magis esse alienum à mente Augustini, quàm solam causam efficientem admittere: nam ex 5. de Ciuit. Dei cap. 21. tom. 5. manifestè patet eum præter causam efficientem admisisse formalem, & finalem, quã ibi, & initio capitis sequentis cum Platone appellat causam iustissimam, cur Deus mundum creauerit: imò affirmat eam esse causam, qua non est melior causa.

Aug.

Nec locus Augustini in lib. 83. quæst. q. 28 tom. 4; quanuis videatur difficillimus, efficaciter probat August. aut negare causam finalem, aut eam cum efficiente confundere: nam cùm docet non esse quærendam causam, quare Deus voluerit creare mundum, tantum abest vt neget causam finalem, vt potius eã probet: nam si eam negaret, quomodò de illa inquireret? Cum verò in sui dicti confirmationem ita ait: *Omnis enim causa efficiens*, non est sensus, quod ideò non est quęrenda causa, cur Deus voluerit mundum creare, quia nulla datur causa finalis, sed omnis est efficiens: Augustinus enim causam finalem creationis in Deo admittit. Igitur verba illa non faciunt sensum formalem, sed virtualẽ: quasi dicat, non est quęrẽda causa quare Deus voluerit creare mundum, quia omnis causa (& subinde finalis) virtute continet causam efficientem; quoniam nihil potest habere causam, nisi simul etiam habeat efficientem causã: quod maximè verum est in causa finali: constat enim id, quod habet finem, habere etiam causam efficientem: sensus igitur est, non est quęrenda causa finalis voluntatis Dei, qua voluit creare mundum: quia eam habere non potest, cum causam efficiẽtẽ habere nequeat.

Augustini locus exponitur.

Igitur

Igitur omnis causſa virtute eſt cauſſa efficiens, quia nulla cauſſa datur, niſi cũ ea ſimul cõcurrat efficiẽs cauſſa. Quare cum voluntas Dei, qua voluit creare mundum, non habeat cauſſam efficiẽtem, nec etiam habebit cauſſam finalẽ. Conſentit nobiſcum Suar. in Metaphy. diſp. 12. ſect. 3. n. 5.

ARTICVLVS II.

Quænam ſit proxima ratio conſtituens finem in actu primo cauſſæ finalis?

§. 1.

Explicatis terminis reſoluitur quæſtio quod bonitas ſit talis ratio.

IN omni cauſſa præter cauſſalitatem, & effectum reperiri aliquam rationem, quę eſt proximũ cauſſãdi principium, quo res, quę eſt cauſſa, conſtituitur in actu primo, ideſt in proxima virtute cauſſandi; omnes agnoſcunt: & inter eos Caiet. 2. 2. q. 17. art. 5. Hęc ſaltem natura antecedit cauſſalitatẽ, quæ eſt actus ſecundus, quo cauſſa effectum cauſſat: ſiquidem cauſſalitas eſt media inter effectum, & virtutem cauſſandi. Hæc facilè patebunt ſi breuiter ſingulæ cauſſæ percurrãtur: nam in cauſſa efficiente, ratio formalis cauſſandi eſt actuitas formę: in cauſſa autem formali, eſt eiuſdem formæ actualitas: in materiali verò cauſſa, eſt potẽtialitas ſubiectiua, quæ in materia reperitur: etenim cauſſa efficiẽs per actuitatem ſuæ formæ conſtituitur in actu primo ad agendum: formalis verò per actualitatẽ formæ fit primò potens ad actuandum materiam: materialis denique per ſuã ſubiectiuam potentialitatem primo efficitur apta ad recipiendũ in ſe formã. Meritò igitur inquirendum eſt, quidnã ſit fini proxima ratio conſtituens illum in actu primo ad finaliter cauſſandum?

Caietan.

2

Communis reſolutio.

Communis omnium Doctorum reſolutio eſt bonitatem eſſe proximam rationem formalem, qua id, quod eſt finis, reponitur in actu primo cauſſæ finalis, fitque proximè potens ad exercendum finalem cauſſalitatem. Hunc eſſe omniũ conſenſum fatetur Suar. in Metaphyſic. diſp. 23. ſect. 5. Et facilè demonſtratur: quia cauſſalitas finalis non exercetur ſine motione metaphorica, qua finis allicit voluntatem agentis, vt agat propter finem. Ergo id erit fini proxima finalizandi ratio, & principium, quod illi fuerit proxima ratio alliciendi, & attrahendi voluntatem agentis, vt propter finem agat. Talis autem eſt ſola bonitas: nam res quęque ideo allicit volũtatem ad ſui amorem, & conſecutionẽ, quia eſt bona: etenim; quia bona eſt, eſt appetibilis, iuxta illud Ariſt. 1. Eth. ca. 1: *Bonum eſt, quod omnia appetunt.* Hanc ſententiam manifeſtè docuit D. Thom. 3. contra Gent. cap. 17. in 1. arg. dum ait: *Bonum, in quantum bonum eſſe finem*: quę reduplicatio denotat rationem formalẽ finalizandi, & proximum finalizatiouis fundamentum. Eundem ſenſum habet D. Tho. 1. p. q. 5 art. 4. dum ait; *Bonum importare rationem finis*: ideò enim illam importat, quia eſt illius fundamentum, ratioque formalis fundandi rationem finis: res enim, ideò eſt id, cuius gratia aliquid fit, quia eſt bona, vt inſinuat Ariſtot. 5. Metaphy. cap. 2. & 1. Eth. cap. 7. In eodem ſenſu intelligendus eſt D. Th. 3. contra Gent. cap. 2. & 3: dum ait: *dem eſſe operari propter bonum, & propter finem*: non quod eadem ſit formalis ratio vtri inſque (vt falſò plerique volunt) ſed quia bonum eſt ratio fundandi virtutem finalizatiuam.

Ariſt. D. Thom.

Ariſt. D. Thom.

§. 2.

Vtrùm vt bonum ſit ſufficiens ratio formalis finalizandi, requiratur quod ſit appetenti proprium?

3

PRo maiori explicatione præcedẽtis veritatis primum inquirendũ eſt, an præter rationem boni requiratur quod ſit proprium bonum appetentis? Pro parte affirmatiua facit: quoniam ex Ariſt. 8. Eth. cap. 2. tex. 4. & 5. & cap. 5. tex. 23. & lib. 1. Eth. ad Eudemum ante finem: *Amabile quidem bonum; vnicuique autem proprium.*

Ratio dubitandi p parte affirmatiua ex Ariſt.

Pro negatiua tamen illud communiter obijcitur: quoniã bonum, quod amicis volumus, non videtur ad nos pertinere, ſed ad amicos: & tamen verè exercet rationem cauſſæ finalis. Prætereà bonum totius finalizat etiam cum diſpendio boni proprij; ſępe enim appetimus bonum commune totius reipublicę cum periculo propriæ ſalutis: bonũ etiam diuinum finalizat ſui appetitionem, & honorem ſupra bonum noſtrum pro-

Pro negatiua ſunt etiã rationes dubitandi. Prima. Secunda.

proprium: nam Deum, etiam amore naturali, plusquam nos diligimus: igitur non necesse est bonum esse appetenti proprium, vt possit exercere causam finalem.

4 Hæc quæstio plerisque reputatur difficilis; & mihi est difficillima. Quidam putant in amore concupiscentiæ requiri, quod bonum sit proprium concupiscentis: non tamen in amore amicitiæ. Ita colliges ex Durando in 3. dist. 29. q. 2. ad 2. n. 27. Sed reijcienda est hæc opinio: tum, quia non est, cur propositio ē Aristotelis non verificemus in vtroque amore; tum etiam, quia difficultas allata pro parte negatiua etiam vrget contra amorem concupiscentiæ: nam bonū, quod amicis volumus, amatur amore concupiscentiæ: & tamen non amatur nobis, sed amicis.

Prima sententia Durandi.

Reijcitur.

5 Quidam ex recentioribus insinuare videntur partem affirmantem verā esse in omni alia bonitate, præter quā diuina: hæc enim ratione suæ infinitatis potest amari, & finalizare, quanuis appetentem non respiciat; vt contingit, quando Deum amamus supra nos metipsos: tunc enim bonitas diuina finalizat cum dispendio proprij nostri boni.

Secūda opinio.

Non probatur.

Sed nec ista sententia recipi debet: primò; quia non est, cur à regula excipiamus infinitam bonitatem: nam etiā hæc finalizat, vt bonū nobis conueniēs. Deinde; quia non solum diuina bonitas supra nos diligitur: sed etiam bonitas communis reipublicæ, cuius bonum anteponimus nostro proprio.

6 Poterat fortasis esse tertia opinio, quod bonum proprium finalizet quidē: bonum tamen esse proprium, non esse formalem rationem, cur bonum finalizet. Quam sententiam fortè quis colliget ex D. Tho. in 3. dist. 29. q. 1. art. 3. ad 2. vbi ita ait; *Dicendum, quod quanuis vnicuique sit amabile, quod sibi est bonum: non tamen oportet quod propter hoc, sicut propter finē ametur: quia scilicet est sibi bonum.* Eisdem fere verbis scribit Abulen. in Matth. cap. 22. q. 302. ad 2. Mens igitur D. Thomæ hæc esse videtur, vt bonum proprium finalizet quidem; non tamen quatenus est proprium, sed quatenus est bonum.

Tertia opinio.

D. Thom.

Abulen.

Impugnabit Hæc tamen opinio ex dicendis impugnabitur.

7 Huius difficultatis resolutio facilius explicabitur, si distinguamus bonum, quod fundat rationem finis *cuius*, à bono, quod fundat rationem finis *cui*. De bono quod fundat rationem finis *cuius* (quod ipsum finalizat, vt amatum amore concupiscentiæ) sit prima propositio: vt bonum relatè sumptum finalizet, non satis est esse bonum, sed debet esse ipsi appetenti proprium. Probatur primò; quia non omne bonum cuique est bonum: potest enim, quod huic subiecto est conueniens, esse disconueniens alij: nam medicina, quæ huic complexioni est salubris, alij erit nociua. Illius igitur appetitum mouere non poterit, nec illius actionem finalizare. Deinde; vt bonum finalizet, necessario debet attrahere appetitum agentis ad agendū: at nullum bonum potest appetitum allicere ad agendum, nisi fuerit bonum ipsius agentis: ergo ad finalizādum vtrūq; est necessarium; & quod sit bonum, & quod si bonum agenti proprium. Maior est manifesta, quia finalizatio posita est in metaphorica motione agentis, vt inferiùs dicemus. Minor autem euidēter deducitur ex axiomate Aristotelico: *Amabile quidem bonum; vnicuique autem proprium*, de quo suprà. Ergo licèt bonum absolutè sumptum ex se sit amabile: ab vnoquoque tamen nō erit amabile, nisi sit proprium; quod omnes interpretes deducunt ex Aristotele locis citatis: ex presse id fatetur D. Tho. vbi supra, dum ait, *Nihil posse alicui esse amabile, nisi quod sibi bonum est*: idem colliges ex D. Tho. 1. p. q. 60. art. 5. ad 2. & clarius 2. 2. q. 23. art. 3. ad 2. Denique Arist. 9. Eth. c. 8. cōcludit, *omnes in suis actionibus amatores esse sui.* Concludendum est igitur ad finalizandum duo esse necessaria: & quod sit bonum, & quod sit appetenti propriū, nec vnum sine altero mouere posse.

Prima propositio.

Primum fūdamentum.

Secundum.

Arist.

D. Thom.

8 Secunda propositio. Secunda propositio (bonum esse proprium) non concurrit ad finalizandum, vt cōditio sine qua non; sed vt ratio formalis finalizandi. Hæc statuitur contra tertiam sententiam: iuxta quam (bonū esse proprium) solùm concurrit, vt cōditio: nam cum illud sit necessarium ad finalizandum, si non concurrit vt ratio formalis, sicut illa opinio affirmat; vtique concurret solùm, vt conditio. Contra hanc opinionem nostram hanc statuimus propositionem: quæ satis est de

mente

mente recentiorum 2.2.q.26.art.3.eam docuit Suarius in Metaph.disp.23. sect. 5.n.8. videtur esse D.Thomę in dicta q. 26.ar.3. Si consideretur vis argumenti, quod dissoluere intendit: nec enim negat D.Thom.id,quod in argumento expressè sumitur; scilicet(bonum esse proprium)esse rationem diligendi:quin potius contendit hanc rationem etiã seruari,quando pars diligit totum plusquã se,& cum sui dispendio. Clariùs id insinuat 1.p.q.60.art.5.ad 2. dum admittit: *Bonum amari in quantum proprium,si reduplicetur ratio amandi ex parte amantis.* Idẽ colliges ex Caiet. ibi, dum asserit, *Rationem naturalis inclinationis,quam pars habet ad bonũ totius non esse aliam, nisi partem ipsum bonum totius reputare proprium.* Sed ratione eadẽ veritas suadetur: quia bonum,quò magis ad appetentẽ spectat, eò magis mouet, & intensius finalizat: cæteris enim paribus quilibet plus amat bonũ, quod sibi soli est proprium, quam, quod sibi cum alijs est commune: & plus à nobis diligitur, qui nobis est coniunctior,quã minus coniunctus;quę omnia doceri solent in materia charitatis. Hoc autem non cõtingeret, si(bonum esse propriũ) non esset ratio finalizandi, sed solùm cõditio.

D.Thom. *D.Thom:* *Caiet.* Ratio conclusionis.

Si verò obijcias agẽs naturale eò intensius operari,quò magis approximatur passo;& tamen(esse approximatum) non esse rationem agendi,sed solùm cõditionẽ: respondebo causam, cur actio est intensior, non esse maiorem approximationẽ;sed id ex eo prouenire; quia agens naturale actionem suam per spatium diffunditvniformiter difformiter: inde enim prouenit, vt quò agens magis accedit ad passum, eò intensius in illud agat. At in proposito nulla potest dari causa maioris illius finalizationis nisi (bonum esse magis proprium) supponimus enim idem bonum vtrobique manere.

Obiectio. Responsio.

9 Tertia propositio.

Tertia propositio (bonum esse proprium)est ratio formalis finalizandi,nõ vt ratio formaliter finalizãs: sed vt formaliter determinatiua bonitatis, quæ simpliciter est ratio formaliter finalizans. Pro explicatione huius propositionis notandnm est quàm diligentissimè,in bono, quod exercet rationẽ causę finalis reperiri rationem finalizandi suo modo duplicem. Prima est,ipsa bonitas: secunda est; bonitatem esse propriam appetenti: bonum enim fundat in se rationem finis; tum,quia est bonũ; tum, quia est proprium: & vtraque ratio integrat, & complet vnam formalẽ rationem, qua bonum formaliter constituitur in actu primo causæ finalis. Verùm non eodem modo vtraque ratio concurrit: sed vna(nempe bonitas) concurrit,vt ratio principalis, quę formaliter finalizat: altera verò(nempe esse bonum proprium) solùm concurrit, vt ratio formaliter determinatiua bonitatis. Nam bonitas concurrit vt ratio formalis finalizandi: bonum enim ideò est finis,quia est bonum, vt §.1.diximus. At (bonum esse proprium) non concurrit vt ratio formaliter finalizãs: sed solùm concurrit vt ratio determinans ipsam bonitatem,vt fiat completa ratio finalizandi: nec enim ratio proprij per se, ac ratione sui est id, cuius gratia aliquid fit;sed sola ratio boni:sanitas enim per se non appetitur: quia propria, sed quia bona:ipsi tamen appetenti.

Explicatio cõclusionis.

Et iuxta hanc explicationem intelliges mentem D.Thomæ in 3.dist.29.q.1. art.3.ad 2;dum ait:*Bonum proprium amari quidem:non tamen esse finem,propter quẽ amatur.*Nec enim negat D.Thom.hoc,quod est (esse bonum proprium)absolutè cõcurrere,vt rationem causæ finalis; cõcurrit enim, vt ratio formaliter determinans bonitatem;sed negat(bonum esse proprium) concurrere vt rationem finalem, propter quam bonum finaliter amatur,& finalizat:quia, vt diximus,sanitas absolutè non amatur, quia propria;sed quia bonum: proprium tamen appetenti. Et ad eundem modum intelliges Abulensem in cap.22. Matthæi. q. 302. ad 2. Vnde non benè citari possunt pro tertia sententia: quia latius patet esse rationem formalem finalizãdi, quã esse rationem formalem finalizantem: hæc enim per se, & ratione sui habet, quod sub ea bonum finalizet: illa verò extenditur etiam ad rationem formaliter determinatiuam prioris rationis. Hinc est, vt hęc ratione sui formaliter finalizet,contracta tamen: illa verò, nõ ratione sui; sed vt prioris contractiua: etenim bonũ finalizat, ideò quia bonũ:

10 *D.Thom.* Nec D.Th. nec Abulẽs. propositę cõclusioni repugnant.

contra-

contractum tamen, vt sit proprium. Bonum igitur vt bonum finalizat in recto, atque vt per se stãs: at (esse bonum proprium) finalizat veluti in obliquo, & quasi vt adiacens.

11 Quarta propositio: ad rationem causæ finalis satis est, quod bonum sit aliquo modo proprium ipsi appetẽti: nec requiritur, quod sit illi simpliciter proprium. Pro explicatione notandum est bonum duobus modis dici posse proprium alicui supposito: vel quia est simpliciter proprium illi, vel quia est illi aliquo modo proprium. Illud bonum dicetur alicui supposito simplicit er proprium, quod illi cõuenit, vt simpliciter est ipsum: hoc modo sanitas, qua Petrus actu est sanus, dicitur propria Petri; similiter & virtus, qua Petrus in se ipso est bonus, & diuitiæ, quas Petrus per se ipsum possidet. Illud verò bonum dicetur aliquo modo proprium Petro, quod non est bonum Petri, sed alterius, quem Petrus reputat, tanquã alterum se, propter aliquam coniunctionem, & habitudinem, quam cum ipso, vel ad ipsum habet. Nam amicus amicum reputat, tanquam seipsum: & pars suum totum: & creatura Deum; alio tamen, & alio modo: quia amicum, aliosvè mihi coniunctos reputo esse meipsum, ideò quia aliquo modo sunt aliquid meiipsius: pars tamen reputat totum esse seipsam, quia pars secundum suam naturam est toti⁹, & ad illud ordinatur: porrò creatura Deum reputat seipsam, imò plusquam se, quia ex sua natura est Dei, ad cuius gloriam ordinatur. Hinc est, vt amicus appetendo bonum amico appetat sibi bonum; quia amicus ad ipsum pertinet. Pars verò appetendo bonum totius, appetit etiam suum bonum; quia appetit bonum toti, quod reputat esse suũ, ideó quia ad illud per se ordinatur, & est aliquid illius. Denique creatura appetendo bonum diuinum, etiam sibi illud appetit: quia ex eo, quod est Dei, à quo per se dependet, reputat illud tanquam suũ. Et ad hunc modum explicandus est D. Thom. 2.2.dict.q.23.art.3.ad 2. cum Caietano, & Aragonio ibidem.

Quarta propositio. Explicatur. D.Thom. Caiet. Aragon.

12 Hæc diximus de bono, quod fundat rationem finis *cuius*: consequenter dicẽdum erit de bono, quod fundat rationẽ finis *cui*. Idque propter Durandum in 3. dist.29.q.2.ad 2.n.27. quẽ in prima opinione retulimus. Quo loco docet illud axioma Aristotelis: *Amabile quidem bonum, vnicuique autem proprium*, solùm habere locum in bono, quod amatur amore concupiscentiæ: non verò amore amicitiæ. Cum verò prius bonum fundet rationem finis *cuius*, posterius autẽ rationem finis *cui*: opinio Durandi hæc esse videtur, vt bonitas propria appetenti sit ratio formalis finis *cui*: ad constituendum verò finem *cui* in actu primo non requiri, quod bonitas sit appetenti propria: nam amico volo bonum, non propter me, sed propter ipsummet: ita fit, vt in amore amicitiæ solus amicus sit finis *cui*; non verò ille, qui diligit amicum.

Durandi sententia.

13 Sed non est admittenda hæc Durandi sententia, sed dicendum potius est (bonum esse proprium amanti) necessariò etiam requiri, vt finis *cui* constituatur in actu primo finalizandi, quia axioma Aristotelis verum etiam est in amore amicitiæ, qui terminatur ad finẽ *cui*. Hæc sententia manifestè videtur esse Aristot.9.Eth.cap.4.8. & 9. si diligẽtius expendatur: nam postquam cap.8.text. 35. concluſit virum probũ omnia operari propter se ipsũ; consequenter ostẽdit id etiam esse verum, quãdo propter amicos operatur; ita enim inquit: *Hæc enim omnia etiam propter seipsum operatur*. Quo nihil clarius. Idem Aristoteles lib. 8.Eth.cap.9. tex.38. ex eo probat felicẽ indigere amicis, vt ipse bonis illorum operibus, & operetur, & delectetur: & ratio est (inquit) quia in illis amicorum operibus vtræque reperitur delectationis causſa; quia & sunt bona, & ipsi propria. Quin potius in dicto cap. 9. ad finem, ex eo quod amicus vult sibi esse, viuere & alia huius generis bona, infert ea etiam velle amicis; *quia* (vt ait) *amicus est alter ipse*. Quod etiam latè docuit in eodem lib.8. Eth.cap.4. text.16. Igitur quando amicus vult amico bonũ, & propter hoc operatur; ideò operatur, quia illud bonum etiam sibi est bonum, cum amicus sit alter ipse. Et in hoc sensu explicandus est locus Aristotelis in dicto cap. 4. in principio, *Amicabilia ad alterũ proficisci ex amicabilibus ad se*: hoc enim non solùm intelligendum est in genere causſæ efficientis: quia amor, quem

Non admittitur. Arist. Arist. Aristotel.

quem quis ad se habet, est caussa amoris, quem habet ad amicum: sed etiam in genere caussæ veluti formalis: quia scilicet amicabile ad alterum fundatur in amicabili ad se: amicus enim amico ideo vult bonum, quia ipse in amico est & amicus in ipso. Inde enim ortum habet, vt bona, quæ amico appetit, reputet sua, quatenus ipse est in amico: & eadem illi appetat etiam propter se, quia amicus est in ipso. De quo vide D. Thomam 1.2.q.28.art.2.

D.Thom.

14 Quartæ propositionis demonstratio.

Ex quibus desumi potest nostræ assertionis demonstratio: quoniam ex dictis licet colligere rationem formalem, cur amico volo bonum amore amicitiæ, tanquam fini *cui*, esse vnitatem, qua amicus amico coniungitur; ratione cuius se habet ad illum, vt ad alterũ se: quod etiam docuit D. Thomas in dicta quæst.28.artic.1. Ergo quando amicus amore amicitię vult bonum amico, etiam vult bonum sibi, cum amicus sit dimidium suæ animæ ex Augustino 4. Confess.cap.6.circa finem. Quin potius ideò illi vult bonum; quia sibi ipsi in amico illud vult.

D.Thom.

Augustin.

15 Obiectio ex Aristot. Soluitur.

Nec his obstat, quia ex Aristotele in præcitatis locis volumus amico bona, non gratia nostri, sed gratia amici: quoniam id ita intelligendum est, vt non velimus illi bonum solùm nostri gratia, ita vt amicum à nobis distinguamus. Igitur amicus amando amicum; & volendo illi bonum; non quærit proprium commodum, distinguendo se ab amico: bene tamen, vt est quid vnum cum amico. In quo sensu dum illi vult bonum, sibi ipsi idem bonum concupiscit.

15 Dissoluitur 1. ratio negatiuæ sententiæ.

Ex dictis iam facilè patet explicatio argumentorum, quæ initio fecimus pro parte negatiua. Nam primum supponit id, quod est falsum: bonum inquã, quod amicis volumus, nequaquam ad nos pertinere, sed ad amicos: oppositum enim docuit Aristoteles in locis citatis; quin potius ideò amico volo bonum, quia amicus est alter ego, vt habes ex Aristotele 9.Eth. cap.4. text.16. & cap.9.text. 36.& 38.& lib. 2. Magnorum Moralium capit.15.& libr.7. Ethicorum ad Eudemum pagin. 1043. numer.20.

Arist.

17 Ad secundum quidam respondent in illis euentis bonum illud, Dei scilicet, & patriæ desiderari, & appeti propter bonum proprium ipsius appetentis: etenim qui pro conseruando bono diuino, aut patriæ patitur salutis suæ dispendium, ideò illud patitur; quia profundere vitam pro bono diuino, & communi reipublicæ est consentaneum suæ naturæ: nam cum pars secundum suam naturam sit propter totum, & creatura secundum se ordinetur ad Deum; vtique pati detrimentum sui esse, propter honorem Dei, aut conseruationem reipublicæ, docet natura partis, & creaturæ. Ita explicat Aragon. 2.2. quæst.23. art. 3.notab.3. & satis annuit Suarius in Metaphysica disputat.23. sect.5. numer. 8. Quorum doctrina satis est ad mentem Aristotelis 9. Ethic. cap. 8. text. 35. ad finem, dum ait: *Virum probum in his euentis operari propter seipsum: ideò quia operatur propter bonum bonestum virtutis, quod sic operando consequitur.*

Soluitur 2. iuxtã quorundam sententiam.

Aragon.

Non est spernenda doctrina; quia re vera illa operatio etiam fit propter hoc virtutis bonum ipsi operanti proprium: at tale bonum est finis remotus, & vltimatus operantis: & præterea est bonum distinctum ab eo, quod operans concupiscit tam Deo, quàm patriæ. Porrò doctrina superiùs à nobis tradita in alio diuerso sensu intelligitur (si subtilius expendatur) in hoc scilicet, vt illud idem bonum, quod operans alijs concupiscit, ideò ab eo concupiscatur, quia etiam sibi est aliquo modo proprium: sicut enim quando amico volo salutem, aut diuitias, & cæt. illa bona illi volo, quia eadem ipsa mihi volo: sic etiam, quando reipublicæ concupisco conseruationem cum dispendio propriæ salutis; ideò eam reipublicæ concupisco, quia reipublicæ conseruationem reputo esse mihi bonum. Et in hoc sensu bonum reipublicæ concupitum finalizat quatenus est bonum, non absolutè, sed prout mihi est aliquo modo proprium, modo explicato in quarta propositione, vbi vide.

Soluitur ea dẽ ratio iuxta propriã doctrinam.

§. 3.

Vtrùm bonitas, quæ est formalis ratio finalizandi, debeat esse vera bonitas; an satis sit bonitas apparens?

18 Pro parte affirmatiua difficultas ex Arist.

RAtio dubitandi pro parte affirmatiua sumitur ex Aristotel. qui expressè docet finem esse bonum, vel apparens bonum. Ita 2. Physic. cap. 3. tex. 31. & lib. 3. de Anima cap. 10. tex. 52. & lib. 8. Ethic. cap. 2. text. 4. ergo non solùm vera bonitas, sed etiam bonitas apparens erit formalis ratio finalizandi.

19 Prima dubitandi ratio negatiuæ p.

Pro parte tamen negatiua ratio dubitandi inde sumi potest; quoniam bonitas apparens non est bonitas realis, sed solùm est bonitas confícta, & existimata: hæc autem non potest esse principium realis causalitatis: realis enim causalitas oriri non potest, nisi à principio reali.

Secunda.

Accedit; quia finis non causat, nisi secundum esse reale, vt inferiùs dicemus: ergo non causabit, nisi secundum bonitatem realem: hæc autem non potest esse, nisi vera bonitas.

20 Communis sententia.

In resoluenda hac difficultate omnes conueniunt ad rationem finis satis esse bonum, vel verum, vel apparens: id est, quod vel verè sit bonum; vel existimetur, & appareat bonum, quanuis verè non sit bonum. Id enim expresis verbis docet Arist. in tribus locis citatis pro parte affirmatiua: nam ad exercendum rationem causæ finalis; *Nihil refert* (inquit Arist.) *quod bonum vel sit verum, vel apparens bonum*: nam nihil etiam id refert, vt bonum ipsum rationem amabilis, & appetibilis sortiatur, vt idem Aristot. asserit. 8. Ethic. cap. 2. text. 4. Nam siue sit amabile verum, siue apparens, semper habet vim allicitiuam, & motiuam voluntatis: quæ est communis, & recepta doctrina, de qua Diuus Thomas prima secundæ, quæstion. 8. articul. 1. Quam & experientia docuit, & ratio suadet: experimur enim nos sæpissimè moueri ad quærenda bona, quæ solam bonorum habent apparentiam. Sed & ratio id demonstrat: quia causa finalis non causat, nisi cognita, vt inferiùs dicemus: cum enim voluntas moueatur à bono sibi applicato, & proposito per iudicium intellectus: profecto vbi fuerit de vtroque bono eadem repræsentatio, & idem iudicium; eadem etiam erit vtriusque boni causalitas erga voluntatem, & æqualis vtriusque motio.

Arist.

Arist.

D. Thom.

Probatur communis sententia, experientia, & ratione.

Tota difficultas est de bonitate, sub qua res, quæ est finis mouet voluntatē. Difficultatem nobis fecit noua Suarij sententia in Metaphysica disp. 23. sect. 5. num. 15. dum ait: *Bonum apparens finalizare quidem posse; bonitatem tamen, quæ illi est ratio formalis finalizandi, semper esse veram bonitatem, falsò tamen applicatam rei, quæ mouet tanquam finis.* Itaque res, quæ non est, sed apparet bona, potest mouere volūtatem vt finis: nunquam tamen mouebit sub bonitate apparente, sed semper sub vera bonitate; illi tamen rei falsò attributa. Ita fit, vt voluntas decipiatur quidem à re, à qua tanquam bona mouetur: nulla tamen dari potest deceptio, in ratione formali mouendi, quia semper mouebitur à vera bonitate. Fūdamentum Suarij est, quia voluntas nūquam potest formaliter moueri, nisi vel à delectatione, vel ab honestate: quę bonitates sunt veræ bonitates.

21 In quo sit quæstionis difficultas.

22 Non probatur.

At tamen hoc vltimum erat à Suario probandum; quia potest quis dicere (nec sine probabilitate) quod sicut bonum in communi abstrahit à bono verò, vel apparenti; in qua abstractione est adæquatum obiectum voluntatis, vt patet: ita bonitas, quæ est adæquata ratio finalizandi, abstrahit à bonitate vera, vel apparente. Quo supposito optimè dici potest bonitatem delectationis in communi abstrahere à delectatione vera, vel apparente: similiter de honestate dicendum erit. Argumentum igitur sine probatione sumit id, quod est negandum: etenim concedendum erit voluntatem non posse formaliter moueri, nisi delectatione, vel honestate: sub hac tamen distinctione, vt delectatio, similiter & honestas vel sit vera, vel apparens: nam in hoc sensu voluntas moueri non potest, nisi à bono delectabili, vel honesto, prout tamen vtrunque abstrahit à vero, vel apparenti.

23 Quid posse responderi.

Fortè aliquis respondebit disparem rationem inueniri in bono, atque in bonitate; quoniam bonum dicit rem cum applicatione bonitatis: cum verò applicatio possit esse, vel vera, vel existimata; inde est vt bonum possit distingui per verum, vel apparens: non sic bonitas: nam cùm hæc abstrahat ab applicatione, & concretione,

sui

sui cum re bona; semper erit vera bonitas.

In multis deficit illa responsio.

Solutio vtinam tam vera esset, quàm est subtilis: ea tamen in plerisque deficit. Et primum; quoniam etsi bonitas in abstracto significata abstrahat à coniũctione ad subiectum; ab ea tamen non abstrahit, prout in actu exercito est ratio formalis finalizandi: res enim, quæ est bona, non finalizat, nisi prout est sub bonitate. Quare adhuc à bonitate, prout est formalis ratio finalizandi, abstrahi potest vna ratio bonitatis abstrahẽs à bonitate vera, vel apparenti: cuius oppositum data solutio probare nitebatur.

Obiectio.

Sed dices argumentum nostrum cõuincere quidem admittendam esse bonitatem apparentem: illam tamen non abstrahere à bonitate vera: nam bonitas vera tunc simpliciter dicetur vera, cùm verè subiecto inest: apparens autẽ; si subiecto insit solùm apparenter.

24 Multipliciter soluitur

Huic obiectioni primùm dicam esse contra mentem auctoris, qui simpliciter negat dari bonitatem apparentem. Deinde impugnari potest iste dicendi modus, si supponamus bonitatem formaliter sumptam supra entitatẽ, & perfectionem rei, quæ dicitur bona, solùm addere conuenientiam quandam ad rẽ, cui dicitur bona, & cui concupiscitur: siue illa conuenientia dicat solam relationem ad talem rem, siue connaturalitatem, vel ipsius ad rem, vel rei ad ipsã: parũ enim refert, siue hoc, siue illo modo dicas: semper enim infertur bonitatem formaliter sumptam se habere ex parte rei, quæ dicitur bona: in ea enim reperiri debet conueniẽtia, quę est bonitas formalis.

25

Supponendum etiam est hanc formalem bonitatem præsupponi in re, quæ dicitur bona ante actum, tum voluntatis, tum etiam intellectus: nam res non est bona, nec formaliter habet conuenientiam ad rem, cui est bona, quia intellectus illam concipit cum tali conuenientia: sed ideò intellectus illam cõcipit, vt bonam, & cum conuenientia; quia illa eam in se habet, vt aliud agens benè aduertit idem Suarius in Metaphysica disputation. 10. section. 2. numer. 12.

26

Ex ijs suppositis ita licet argumẽtari: bonum apparens habet conuenientiam apparentem, antequam intellectus vllam faciat applicationem bonitatis ad rem, cui est bona: ergo bonitas apparens non est vera bonitas; falso tamen attributa rei: sed necessariò erit bonitas cum sola apparentia conueniẽtiæ, quæ adest absque vlla intellectus applicatione. Consequentia est per se nota. Antecedens probo ex secundo præmisso: quia nullum bonum, ideò dicitur bonum, quia concipitur vt bonum: sed quia in se est bonum, vel verum, si verè conuenit rei; vel apparens, si illi conuenit solùm apparenter. Quod etiam cõfirmatur; quia ideò intellectus decipitur, quia apprehendit vt verum bonum, quod solùm est apparenter bonum: sunt enim quædam bona, quę etiam antequã concipiantur præ se ferũt quandam apparentiam conuenientiæ; cum tamen verè non conueniant: nam facere eleemosynam ex re aliena præ se fert quandam apparentiam honestatis fundatam in ipsa ratione eleemosynæ, quę ex genere suo est bona: at tamen conuenientia illa non est vera, sed apparens. Similiter pomum pulchrum aspectu, in se tamen malè affectum, præ se fert quandam delectationis apparentiam fundatam in ipsa natura pomi: quæ tamen ex mala affectione tristitiam potius affert, quàm delectationem.

Argumentum contra sententiam Suarij.

27 Quod sit totum fundamentum sẽtentiæ, quæ defenditur.

Igitur totum nostræ opinionis fundamentum in hoc est positum, vt sicut vera conuenientia bonitatis præsupponitur in re verè bona ad intellectum, quo bonum illud concipitur: ita etiam conuenientia apparens præsupponitur in re solùm apparẽter bona, antequam illud bonum concipiatur. Hoc autem supposito concedendum est bonitatem apparentem non esse ipsam bonitatem veram, sed ab ea distingui, etiam antequam intellectus vllam faciat bonitatis attributionem. Et rectè sanè: quia licèt vtraque bonitas fundetur in perfectione rei, quæ dicitur bona, tamen vera bonitas fundatur in ea, vel naturaliter, vel moraliter benè circunstantionata: at bonitas apparens in eadem fundatur deficiente semper aliqua ex debitis circunstantijs, vt patet in datione eleemosynæ ex suo, vel ex alieno; & ex bono benè, vel malè disposito.

28 Ex quibus concludendum est, quod sicut bonum apparens satis est ad finalizandum: ita etiam satis est bonitas apparens, vt sub ea bonum, quod est apparens, finalizet: nam voluntas interdum mouetur à bonitate apparēte. Nec huic resolutioni obstant argumēta, quæ pro parte negante initio adduximus. Nam ad 1. dicendum est ad minorem nihil esse absurdi, si bonitas apparens sit principiū causalitatis realis in genere causæ finalis: sicut etiam non est absurdum vt non entia, & entia rationis in genere finis realiter causent, vt ex Arist. in 5. Eth. docet D. Thom. 1.2.q.8. art. 1. ad 3. Diximus (in genere causæ finalis) quia id absurdum erit in alijs causarum generibus. Ratio autem discriminis inter causam finalem, & cæteras causas, inde sumitur; quia finis morali quodam, & intellectuali modo exercet suā causalitatem circa voluntatem, quam intentionaliter mouet. Voluntas autem, cum sit appetitus rationalis, ex sua natura sequitur formam, siue obiectum apprehensum, & vt apprehenditur: igitur, vt voluntas moueatur, satis est, quod apprehendatur aliquid tanquam bonum verū quanuis non sit tale: sed apparens, vt ait D. Tho. vbi supra: sicut etiam sufficit, quod apprehendatur aliquid tanquam ens reale, quanuis non sit reale.

Solutio primi argumēti, negatiuæ sententiæ initio adductæ

Arist. D. Thom.

29 Ad secundum respondendum est propositionem illam (finis causat secundū esse reale) in hoc sensu esse intelligendā, vt causet, non secundum esse, quod habet in intellectu, sed secundum illud, secundum quod in rerum natura intenditur obtineri, siue illud sit verè reale; siue non: vt contingit quādo entia rationis, aut negationes finalizant, vt in propria quæstione explicabimus, & explicauit Fonseca 5. Metaphy. cap. 2. q. 11. sect. 4. §. *Aduerte tamen.* Igitur bonum apparens finalizat secundum esse, quod à parte rei apparenter habet, & secundū, quod intenditur obtineri. Vnde non est mirum, si finalizet secūdum bonitatem etiam apparentem.

Solutio secundi.

Fonseca.

§. 4.

An quæcunque bonitas sit formalis ratio finalizandi? an verò sola bonitas honesta, & delectabilis?

30 IN hac quæstione vnum supponitur, & aliud inquiritur. Supponitur tam bonitatem honestam, quam iucundam, verè esse formalem rationem finalizandi: inquiritur autem; an hæ duæ tantum bonitates sint sufficientes ad exercendum causalitatem finalem?

31 Id, quod præsupponitur, est inter Philosophos indubitatum; quia constat apud Aristotelem 8. Eth. cap. 2. tex. 3. bonum honestum, & iucundum esse amabilia vt fines: nam cùm vtrunque sit per se, & propter se bonū, & amabile; vtrūque potest mouere voluntatem, vt & ipsum diligat propter sui bonitatem, & alia amore illius. Cùm verò hanc causalitatem finalem non exerceāt, nisi sub proprijs bonitatibus, tanquam sub rationibus formalibus finalizandi, vt ex dictis iam patet; fit, vt vtriusque bonitas, honesta, inquam, & iucunda, verè sit formalis ratio finalizandi. Quod annotauit Suarius in Metaphy. disp. 23. sect. 5. n. 16. & 17.

Quod in hac q. supponitur est indubitatū apud Arist.

32 Id autem, quod inquiritur, in dubium excitatur propter bonum vtile: plerique enim arbitrantur bonitatem huius boni non esse sufficientem ad formaliter exercendum causalitatem finalem, & subinde nec esse posse formalem finalizandi rationem. Quam opinionem probauit Suarius in dicta sect. 5. num. 18. Et probare debent, qui bono vtili in vniuersum negant omnem causæ finalis rationem: nam si bonum vtile nullo modo potest exercere causalitatem finalem, quia non est bonum per se, sed ad aliud: profecto nec bonitas illius potest formaliter eandem causalitatem exercere.

Quorundā opinio circa id quod inquiritur.

33 Opposita tamen sententia probari debet ijs, qui volunt bonum vtile, atque mediorum exercere veram, & propriā causalitatem finalis causæ; non quidē eam, quæ potissima est; qua finis amore sui finalizat alia à se: sed eam, qua finis propter suam bonitatem excitat voluntatem ad actionem electionis, quę finalizandi ratio est vera, & propria causæ finalis causalitas. Et cum hęc opinio sit communior, & satis probabilis, vt suo loco ostendemus, dicendum est bonitatem vtilem esse sufficientem ad exercēdam veram causalitatem finalem; quāuis non sit sufficiens ad exercendū causalitatem præcipuam finis. Igitur iuxta hanc sententiam bonum vtile sufficit,

Aliorum sēntia.

vt

Decisio q. in alium locum reseruatur.

vt aliquid fiat propter suam bonitatem (nam propter eam voluntas eligit media) non tamen sufficit, vt amore suæ bonitatis aliquid fiat. Quæ harum opinionũ sit verior, patebit ex solutione quæstionis: An media, bonaque vtilia possint exercere caussalitatem finis?

§. 5.

Vtrùm bonitas sit adæquata ratio formalis constituens finem in actu primo caussæ finalis?

34

PRo absoluta resolutione quæstionis principalis supereſt explicare; an sicut bonitas est formalis ratio constitutiua caussę finalis in actu primo: ita etiam sit adęquata? ita vt sola bonitas sit formalis ratio caussandi finaliter.

Negatiua sẽtentia Nominalium, eiusque primum fũdamentum. *Ocham.* *Almain.* *Maior.* *Angest.* *Scotus.*

Partem negantem probare videntur Nominales; dum volunt voluntatẽ posse ferri in malum, sub ratione mali. Quę fuit sententia Ochami in 3. q. 13. ad 3. dubium, quem refert, & probat Almainus tract. 3. Moralium cap. 4. ad finem, Maior in 4. dist. 49. q. 7. concl. 2. Hieron. Angestus in suis Moralibus cap. 2. in 2. p. text. notab. 2. lit. I. non repugnat Scotus in 1. dist. 1. q. 4. ad argumenta pro opinione, §. *Ad tertium argumentum*, & clariùs in 2. d. 43. q. 2. Ex qua sententia planè infertur posse malũ sub ratione mali mouere voluntatem ad sui prosecutionem, & subinde rationem mali interdum esse posse formalem rationẽ caussandi finaliter.

35 Secundum fundamentum. *Angestus.*

Potest secundò eadem pars suaderi ex sententia eorundem Nominaliũ, qui putant posse voluntatem ferri in obiectum, nec sub ratione boni, nec sub ratione mali. Quod expressè docet Angestus vbi supra concl. 4. & 5. Etenim inter bonum, & malum potest dari indifferens, vel realiter, vel saltem pręcisione intellectus: dum scilicet intellectus offert voluntati aliquod ens, interim non considerando in eo rationem boni, imò nec rationem mali. Accedit etiam, quia potest aliquod obiectum mouere voluntatem solùm, quia nõ existimatur disconueniens: ergo bonitas non est adæquata ratio volendi, & subinde, nec finalizãdi; sed adęquata ratio erit ratio entis, vt ens est; quod expressè voluit Almainus loco citato affirmans hãc fuisse sententiam Ochami, in quo eam non inuenio.

Cõfirmatio

Tertiò adhuc eadẽ negatiua pars cõfirmari potest, quoniam de facto volũtas sæpè mouetur ab obiecto malo, vt illud fugiat: imò pleraque vitat gratia vitandi illud malum. Ergo non solùm malum potest habere rationem finis in ordine ad actum fugę: sed eam malitia sub ratione malitiæ potest esse formalis ratio caussandi finaliter.

36 Tertiũ fundamentum.

37 Reijcitur sentẽtia Nominalium.

Hęc sententia tanquam minus peripatetica iã diu est antiquata & ab scholis omnino rejecta. Fundamentum vnicum est: quia nihil potest habere rationem finis, nisi bonum: vt ex Arist. multis in locis inferiùs ostendemus, vbi etiam demonstrabimus malũ, sub ratione mali, nullo modo habere posse rationẽ finis; si propriè de fine loquendum est: nã etsi habere potest aliquam finalizandi rationem in ordine ad fugam, vt in tertio argumẽto objicitur; illa tamen non est vera finalizatio, vt ibi dicem⁹. Quod si ratio finis in solo bonõ reperitur, profecto ratio formalis finalizandi erit sola bonitas: & subinde illa erit adæquata ratio, & virtus caussę finalis. Quę est communis doctrina, quam latè probat Suarius in Metaphysica disp. 23. sect. 5. à n. 3. cum sequentibus.

38 Solutio primi argum.

Ex his facilè erit soluere argumenta, quę in oppositum adducta sunt. Ad primum dicendum est sententiam illã Nominalium iam diu esse relegatã à Scholis, tanquam minús peripateticam, & repugnantem doctrinæ D. Dionysij, Augustini, & Sanctorum Patrum: imò etiã rationi, vt inferiùs suo loco ostendemus: vnde nec Scotus in ea perstitit.

39 Solutio.

Similiter etiam dicendum est ad secundum; quia illa opinio Angesti communi etiam calculo est reiecta: nam cũ nihil sit volibile, nisi sit etiam appetibile: appetibile autem nihil sit, nisi quod est bonum, conueniensque rei, cui appetitur; iuxta illud Aristotẽlis: *Bonum est, quod omnia appetunt*: vtique, quòd abstrahit à bono, non potest esse volitum. Similiter quod proponitur voluntati tãquam indifferens, & abstractum abstractione præcisiua, tam à ratione boni, quàm à ratione mali: nulla ratione poterit mouere voluntatem, vel ad prosecutionem, vel ad fugam.

40 Absurdior est opinio, quæ docet, rationem entis, vt abstrahit à ratione boni, esse formalem rationem volendi; cũ enim talis ratio indifferẽs etiam sit ad malum; cur potius proximè fundabit actum volendi, quàm nolendi? At quod idem manens sit ratio formalis vtriusq; actus volitionis scilicet, & nolitionis; dici non potest: nam cùm illi actus sint inter se contrarij, vendicant sibi oppositas fundandi rationes.

41 Solutio 3. Ad tertium admisso antecedente neganda est consequentia: & ratio est, quia malum, vt malum est, non mouet ad fugam ratione sui, sed virtute volitionis, ex qua caussatur. Quare etsi videatur habere similitudinem quãdam, & apparentiam caussę finalis; veram tamen caussalitatem finalem non habet. De quo latiùs in quęstione, vtrum malum possit habere rationem caussæ finalis.

ARTICVLVS III.

Vtrum finis debeat esse cognitus vt possit caussare?

1 ANTEQVAM de caussalitate caussæ finalis disputationem suscipiamus, seruato ordine, & naturę, & doctrinæ, explicanda sunt nonnulla, quę pertinent ad pręuiam cognitionem finis: quoniam si cognitio finis necessariò debet esse prævia ad caussalitatem illius; vtique prius oportet agere de præcognitione finis, siue illa sit necessaria causse finali, vt ratio formalis agendi, vt plerique putant: siue vt agendi conditio, vt verior habet opinio: vtroque enim modo antecedit actualem finis caussalitatem.

§. 1.

Finem nihil caußare posse nisi cognitum.

2 Cõcors Philosophorũ sententia. OMnes Philosophi cõcorditer docent finẽ nulla ratione posse exercere suam caussalitatem finalem, nisi sit præcognitus, & per intellectum voluntati præsentatus. Hæc fuit expressa sententia Aristotelis 3. de Anima cap. 10. text. 54. *Appetibile mouet, & non mouetur mente, aut cogitatione perceptum.* Nomine autem appetibilis intelligit finem, qui, & bonum est, & appetibile quoddam. Eadem fuit sententia Auicẽnæ in sua Metaphysica tractatu 6. cap. vlt. lit. E. vbi docet finem habere rationem caussæ finalis prout est in anima. Idem expressè docet D. Thom. 1. p. q. 80. art. 2. ad 1. Hanc doctrinã tanquam verè peripateticam, ac principium in Philosophia notissimum suppoluerunt omnes Philosophi, & Theologi. Vnus est Suarius, qui hanc conclusionem rationibus voluit confirmare in Metaphysica disp. 23. sect. 7. per totam. Putatque eam à priori probari ex modo caussandi, quem finis habet: quatenus, inquam, caussat mouendo, & alliciendo voluntatem, siue appetitum: hęc enim motio, vt ait, fundatur in naturali consentione, siue simpathya intellectus, & voluntatis, quæ nisi medijs vtriusque actibus non datur. A posteriori autem putat eandem doctrinam optimè probari ex eo, quod voluntas ferri non potest, nisi in bonum cognitum. Ego rationem à priori non agnosco: quæ à posteriori esse creditur, eam puto esse à priori.

Auicena.

D. Thom.

3 Non placet ratio quã Suarius putat esse à priori.

Primùm inde ostendo: quoniam nec illam simpathyam inter intellectum, & voluntatem agnosco, nec si agnoscerẽ, illa potest esse per se, à priori caussa nostræ resolutionis. Vtrunque declarabo. Nam vel illa simpathya inter intellectum, & voluntatem datur in hoc sensu, quia vna potentia sine altera nõ potest esse in actu: vel in eo; quia voluntas semper consentit obiecto, cui intellectus assentit: etenim consentionem illam, & simpathyam non exerceri, nisi medijs actibus, idem Suarius agnoscit. Primo modo non videtur admittẽda talis simpathya: quoniam intellectus sæpè est in actu, voluntate immota existente: etenim, vt statim dicemus, nec apprehensio nuda obiecti voluntatis, nec iudiciũ speculatiuum satis est ad mouendũ voluntatem. Vnde intellectus speculatiu⁹ circa plurima obiecta negotiatur, circa quę nullo modo negotiatur volũtas. Nec etiam videtur admittenda simpathya in secundo sensu: quoniam posito iudicio practico ex parte intellect⁹, nõ necessariò sequitur motio voluntatis, nec determinatus consensus ad id, cui iudicium assentitur: quia voluntas pro sua libertate potest, aut suspẽdere actũ, aut nõ cõsentire, cui assẽtit intellectus.

Accedit

4 Accedit eò, quoniam quocunq; modo hæc simpathya medijs actibus explicetur, nunquam poterit inferre prioritatem ex parte intellectus, vt finis ex vi simpathyæ prius debeat esse cognitus, quàm volitus; & inde est, vt Suarius prioritatem in hac actuum consentione sumat, non ex ipsa simpathya, quatenus talis est; sed ex eo, quod intellectus se habet, vt motor, & voluntas, vt mota. Quę caussa per se est sufficiens, quanuis nulla detur simpathya inter illas potentias penes suos actus: sed solùm intercederet naturalis earum connexio.

Illud etiam in hoc discursu displicet quod dicitur motionem metaphoricã, quam finis in voluntatem exercet, fundari in explicata simpathya: nam quàm longe id sit à mente Aristotelis facile patebit ex his, quæ dicemus art. 4. huius quęstionis §. 5.

5 Vnde sumẽda sit ratio à priori

Demonstratio igitur à priori sumenda est ab illo axiomate receptissimo Philosophorum, & Theologorum, volũtatem ferri non posse, nisi in bonum cognitum. Quod axioma tanquam certissimum sumit D. Bernardus in tractatu de Gratia, & libero arbitrio non longe à principio, ita inquiens: *Sane quocunque se voluerit voluntas semper rationem cognitam habet: & quodammodo pedissecam; non quod semper ex ratione, sed quod nunquam absque ratione moueatur.* Hoc autem habet, tam voluntas, quam appetitus sensitiuus ex principijs essẽtialibus suę naturę, vt eui dẽter demonstrabitur ex ijs, quæ docet D. Thomas cum Caietano 1. p. q. 80. art. 1. nam ex principijs suæ naturę habet quod sequatur naturam cognoscẽtem; non secundum formam naturalem, quæ est ens; sed secũdũ formas intẽtionales, & intelligibiles, quibus fit cognoscens: illis enim apprehendit non solum bona sibi naturalia, sed etiam quę extrinseca sunt, nec naturaliter debita: per hoc enim essentialiter distinguitur ab appetitu naturali, quòd naturalis per se, & ex sua essentia consequatur ad formam naturalem, quę in appetẽte naturaliter existit: ille verò formam apprehensã, quæ in appetẽte existit intelligibiliter. Et hæc est constans omnium Philosophorum doctrina ex D. Thoma loco citato, & clarius 1. p. q. 78. art. 1. ad 3. & 1. 2. q. 8. art. 1. & passim alibi. Quare ratio á priori illius axiomatis sumẽda est ex eo, quia voluntas ex sua natura est appetitus naturę cognoscentis, vt cognoscens est: quidquid aliter doceat Suarius vbi supra.

D. Bernar. *D. Thom. Caiet.* *D. Thom.*

6 Hinc igitur sumenda est ratio à priori, quare finis, nisi sit cognitus, non potest finalem caussalitatem exercere. Nã eam exercere ne quit, nisi mouendo voluntatem, eamque alliciendo, vt in ipsũ amore feratur: allicere autem illã nequit, nisi cognitus. Ergo nec finalizare potest, nisi cognitus. Maior cum consequentia est notissima. Minor inde probatur, quoniam finis non alio modo potest allicere voluntatẽ, vt in ipsum feratur; nisi eo, quo potest terminare actũ, quem ad se allicit: illum autem terminare non potest, nisi vt cognitus: quia vt diximus, volũtas ex sua natura nõ potest ferri, nisi in bonum cognitum: ergo non potest voluntatem allicere, nisi vt cognitus: quæ fuit Minor probanda. Quam expressis verbis docuit August. lib. 3. de libero arbitrio capit. 25. tomo 1. ita scribens: *Sed quia voluntatem nõ allicit ad faciendum quodlibet, nisi aliquod visum, & cæt.* Hæc igitur sit nostræ resolutionis vera demonstratio à priori.

Augustin.

7 Obiectio contra proposita demõstrationem.

Sed obijcies hanc demonstrationem falso niti fundamento: quoniam etsi regulariter loquendo voluntas nõ possit ferri, nisi in bonum cognitum: id tamen non est voluntati essentiale, vt supponimus. Nec enim desunt Philosophi, qui doceant per diuinã potentiã fieri posse, vt volũtas feratur in incognitũ. Quæ fuit sententia Puludani in 4. dist. 49. q. 1. art. 2. num. 29. Argentinæ in 1. dist. 1. q. 1. art. 4. in principio, & argumento 2. 3. & 4. quod sequitur Cursus Conimbr. in 3. de Anima cap. 13. q. 3. artic. 2. ad 3. Pro qua sententia referri solent Durandus Greg. Ochamus, & Ferrar. Falso tamen, vt videbimus. Quin potius non solùm id fieri posse per diuinampotentiã, sed de facto ita contingere viris contẽplatiuis, fuit opinio cuiusdam Hugonis de Balma in quodã tractatu de Triplici via in Deum, quem refert, & sequitur Gerson alphabeto 66. tomo 3. lit. X. cõsideratione 5. vbi lit. T. pro eadem sententia refert D. Bonauenturam in Itinerario cap. vltimo. Habetur tomo 7. operum in 3. p. Opusculorum. Alij referunt

Palud. Argent. *Hugo de Balma. Gerson.*

D. Bonau. Verſelenſ. D.Dionyſi. ferunt eundem D.Bonauenturam in tractatu de myſtica Theologia in quadam quæſtione, quę in fine illius ponitur. Citatur etiam pro eadem ſententia Verſelenſis in Paraphraſi primi capitis de Myſtyca Theologia D.Dionyſij. Qui omnes volunt hanc eſſe ſententiam D. Dionyſij, tum in cap.1.eiuſdem libri: tum in cap.7. de diuinis nominibus.

8 Obiectiõis ſolutio. Huic obiectioni negandum eſt fieri poſſe etiam per diuinam potentiam, vt voluntas feratur in bonum incognitũ, ideſt, cuius nulla præceſſerit notitia in intellectu: etenim, vt iam diximus ex principijs ſuæ naturę habet, vt ſequatur formam apprehenſam: ipſum etiam appetibile per ſe habet, vt niſi ſit apprehenſum, mouere voluntatem non poſsit ex D.Thoma 1.p.q.80.ar.2.ad 1. *D Thom. Auguſtin.* Et hęc fuit expreſſa ſententia Auguſtini lib.8. de Trinit.cap.4.& lib.10 cap.1.& 2.quibus in locis iterum, atque iterum affirmat amari prorſus nihil poſſe, niſi fuerit cognitum, ita enim ait. *Quoniam firmiſſime nouimus amari, niſi nota nõ poſſe.* Cui conſentit D. Anſel. in Monologio cap. 48.dum ait. *Nullum ſe amare poſſe niſi ſe intelligat; quoniam nulla res amatur ſine ſui memoria, aut intelligentia,* Cum Auguſt. ſentit D.Thom. 1.2.q.3.art.4.ad.4.& q.27. art. 2. in corpore,& in 3. diſt.27.q.3. art. 1. ad 2.& in terminis, quod nec per potentiam diuinam poſsit amari incognitum probarunt Henricus quodlibet. 1.q.15. Gabr.in 2.diſt.25.q.1.art.3.dub.3. Adamus relatus à Capreolo in 1. diſt.3. q.3. art.2. contra ſecundam, fol.65. colum. 3. idẽ probat Capreolus ibi ad argum. Ádæ contra ſecundam, fol.70.colum.2. & ad 10 fol.71. col. 3. Suarius in Metaphyſica diſp.23. ſect.7.num.6.Bellomõ. 1.2.diſp35.cap.2.num.6.& cap.3.nu.11. cum ſequentibus. Videndus eſt Caiet. 1.p.q.80.art.1.§. *In reſponſione ad primum.* Cum quibus euidenter eſt Durandus in 1.diſt.3 in 2.p.q.4.nu.14.quanuis à quibuſdam male in oppoſitũ citetur: adde etiam Gregorium falſo contra nos citatum in 2.diſt.25.q.1.çoncl.2. ad 3.lit. N. Pro nobis eſt Paludanus ſibi contrarius relatus à Capreolo vbi ſupr. ad 10. Nec aduerſatur nobis Ochamus in 2. quæſt.25.ad 7.& 15.quin potius expreſſe affirmat voluntatem in incognitum ferri non poſſe. Porrò Ferrarien. 3.Cõtra gent.cap.89.§. *Ad euidentiam,* (in quo loco citatur) nihil ſcribit, in quo oppoſitam ſententiam inſinuet. Quare hæc opinio inter Theologos eſt cõmunior: quam nos tanquam veriſsimam ſupponimus ex præcedenti fundamento ſatis confirmatam, nec enim de ea diſputare ad iſtum locum ſpectat.

Caietan. Durand. Gregor. Paludan. OChamus Ferrar.

9 Quę ex vita contemplatiua adducuntur, nõ tanti ſunt, vt à vera Philoſophia nos dimoueant: quoniam in illa altiſsima contemplatione, quam myſticam viſionem, ſeu Theologiam appellant; volũtatem ſine intellectu præcedente, & comitante Deo non vniri, expreſſe colliges ex D.Gregorio lib.5.Moral.cap.23. vbi agens de hac contemplatione vſtatica ita ſcribit: *Videt (ſcilicet mens eleuata) quia videre non poteſt hoc, quod ardenter diligit: nec tam ardenter diligeret, niſi aliquatenus videret,* Idem colliges ex Auguſt. Pſal. 67. ibi: *Beniamin adoleſcentulus*, ex Beda, & Anſelm. 2. Corint. 3. ad illa verba: *ſiue mente excedimus*, ex Chryſoſtomo homilia 22. in Acta Apoſtolorum cap.10. ex Epiphanio hæreſi 48. Hieronymo in prologo Abacuc. deniq; ex D.Bernardo ſerm.7.8.& 52.in Cantica; quod expreſſis verbis docuit Dionyſius Carthuſianus in Commentarijs ad Dionyſium Areopagitam in lib. de myſtica Theologia art.9.& in Opuſculo de laudibus vitæ ſolitariæ artic.36. & 37. vide de hoc Bellomontanum 1.2.diſp.35. cap.2.n.8.

Greg. Magnus. Auguſtin. Beda. Anſelm. Chryſoſto. Hierony. Bernard. Dionyſius. Carthuſia. Dionyſius Areopag.

Nec oppoſitum docuit D.Bonauentura in ſuo Itinerario cap.vlt.quin potius pro nobis eſt. Fatemur auctorem tractatus de myſtica Theologia in quæſtione citata (quæ falſò adſcribitur D.Bonauenturæ) Gerſonium cum Hugone de Balma illius fuiſſe opinionis: ſed cũ euidenter contradicant Patribus ſupracitatis, non eſt illis credendum: maximè cùm ipſummet Dionyſium Areopagitã, quem ſibi patronum ſumunt, euidenter habeant aduerſarium in cap.7.de Diuinis Nominibus,& in cap. 1. & 2. de myſtica Theologia: quod alio in loco diligentius expendemus: interim pro Dioniſij intelligentia vide Bellomontanum vbi ſupra cap.3.num.10. quo in loco, & mentem,& phraſim ſantiſsimi Dioniſij, & doctè,& clarè explicat.

Firmum igitur,& ſolidũ maneat noſtrum fundamẽtum voluntatem ſcilicet nulla

nulla ratione ferri posse in incognitũ: ex quo firmiter sumitur causſa á priori nostrę resolutionis. Cui addi etiãpotest optima ratio; quia vnaquæq; causſa, ad causſandũ indiget aliqua existẽtia: siue ea indigeat, vt principio causſandi, vt quidam putant: siue vt causſandi conditione, vt alij verius existimant: quod enim nullo modo est, nullo modo potest causſare, vt ait Aristoteles 4. Metaphy. cap. 4. tex. 16. Ergo finis debet aliquo modo existere, vt possit suam causſalitatem exercere. At non potest eã exercere, vt existit existentia reali; vt dicemus in articulo sequenti. Ergo, vt eam exerceat, indigebit existẽtia obiectiua, quam habet in intellectu.

Proposita doctrina alia ratione probatur.

Arist.

11 Obiectio.

Siquis obijciat contra minorem propositionem finem interdũ realiter existere, quando causſat: ìmò plerosque fines, vt causſẽt necessariò requirere realem existentiam, vt diximus supra ar. 1. §. 5. *Ad secundum*. Non igitur semper est necessaria existentia obiectiua. Suarius in dicta sect. 7. n. 3. negat consequentiã: quia illi etiã fines, qui realiter existunt, quando causſant, nisi ab intellectu apprehendantur, non causſabunt. Hæc solutio in se vera est, sed nõ tollit difficultatem: quare dicendum est nullum finẽ posse suam causſalitatẽ exercere, si realiter existat secundum totalem, & completam rationem, secundum quam finalizat: sed opus esse, vt à parte rei non existat secundum aliquam finalizandi rationem: & ob hanc causſam necessario sibi vendicare existentiam obiectiuam, vt in sequenti art. ostendemus. Et ita patet efficacia huius vltimę ratiõis.

Suarij Solutio.

adducitur alia solutio.

§. 2.

Finem non posse causſare, nisi sit cognitus cognitione intellectiua.

12 SEd potest quis inquirere, qualis nã debeat esse hæc cognitio, vt finis possit suam causſalitatem exercere: nam posset quis existimare satis ad hoc esse cognitionem sensitiuã absque cognitione intellectiua. Fundamentum sumi potest ex auctoritate D. Tho. 1. 2. q. 10. art. 3. ad tertium, dum ait voluntatem non solùm moueri à bono apprehenso per rationem, sed etiam à bono apprehenso per sensum. Quod etiam ratione ostendi potest: quoniam anima, quæ voluntate appetit, eadem sensu cognoscit. Cur igitur satis erit cognitio sensitiua? Accedit in confirmationem, quoniam interdum fieri potest, vt volũtas immediatè moueatur ab appetitu sensitiuo nulla mediante notitia intellectus: ferri igitur potest in obiectum cognitũ sola cognitione sensitiua: etenim tunc, sicut nõ potest nõ ferri in aliquod obiectum; ita nõ potest non ferri in obiectum cognitum sola cognitione sensus. Antecedens huius rationis multis experientijs, & rationibus probat Medina 1. 2. q. 9. art. 2. quando in appetitu sensitiuo insurgit aliqua vehemens passio: tunc enim per quandam redundantiam, vt ait, resultat in voluntate similis passio absq; vlla intellectus cognitione.

Sensitiuam cognitionẽ sufficere videtur probari 1. ex D. Thom.

Deinde ratione.

2. Ratio.

Medina.

13 Resolutio.

Dicendum est fieri nullo modo posse, vt finis finalizet, nisi sit cognitus cognitione intellectiua, nec satis ad id esse solam cognitionem sensitiuam. Conclusio probatur Suario in Metaphysica disp. 23 sect. 7. n. 8. Nec, vt puto, erit aliquis, qui contradicat. Fundamentũ est, quia sensus nullo modo directè, atq; immediate potest mouere voluntatem: voluntas igitur nullà ratione potest ferri in bonum apprehensum solo sensu; & hæc est cõmunis, & recepta omnium philosophia, quam docuit Henricus quodlib. 1. q. 15. Caietan. 1. 2. q. 10. art. 3. ad 3. D. Thomæ, vbi etiam Medina, Bellomontanus cum Conrado, cæterisque interpretibus, interpretes etiam 1. 2. q. 9. art. 1. & 2. docẽt Suarius in Metaphysica disp. 23. sect. 7. nu. 8. Bellomontanus 1. 2. disp. 35. cap. 3. num. 17. Quorum sententia in de probatur: quoniã ex sententia Aristotelis 3. de Anima cap. 9. tex. 42. voluntas ab appetitu per se distinguitur; *quia fit in ratione: appetitus vero in his, quæ ratione vacant.*

Conclusionis fundamentum.

Henricus. Caietan. Medina. Aristotel.

Ex quibus verbis optime colligitur voluntatem ex sua natura sequi non posse, nisi formam apprehensam per rationẽ: in quo per se, & essentialiter distinguitur ab appetitu sensitiuo: quod latè probat D. Tho. 1. p. q. 80. art. 2. in Corpore, vbi Caietanus versiculo, *Circa propositionem subsumptam.* Et in hoc sensu intelligẽdi sunt Philosophi, dum voluntatem ab appetitu hoc distingunt, quod volũtas sequatur rationem; appetitus autẽ imagina-

14

D. Thom.

ginationem: de quo Cursus Conimb. 3. de Anima cap. 13. q. 1. art. 3. intelligendi enim sunt, quod illo modo distinguã tur per se, & essentialiter, tanquam per *Aristotel.* obiecta formalia. Quod nõ inepte colliges ex Aristotele 3 de Anima cap. 11. tex. 57. Itaque formale obiectum voluntatis est bonum per rationem apprehẽsum, ita vt esse apprehensum per intellectum conueniat obiecto voluntatis, nõ peraccidẽs, sed perse: vt colliges ex D. Thoma, & Caietano in dicta q. 80. art. 2. in fine Corporis, & ad primum. Et in *D. Thom. Caietan.* hoc sensu intelligendus est D. Thom. dũ passim asserit obiectum voluntatis esse bonum ratione cognitum, vt videre est *D. Bernar.* 1. p. q. 82. art. 4. & 1. 2. q. 77. art. 1. Quare optime scripsit D. Bernardus in tractatu de Gratia, & libero arbitrio non longe post principium: *Quocunque se voluerit voluntas, semper rationem comitem habet, & quodammodo pedisequam: non quod semper ex ratione, sed quod nunquam sine ratione mo-* *Anselm.* *ueatur.* Adde, & illud D. Anselmi in Monologio cap. 48. *Nulla res amatur sine sui memoria, & intelligentia.*

15 Ex quibus omnibus euidenter colligitur fieri nulla ratione posse, vt sensus immediatè, & directè moueat voluntatem: hoc enim propriũ est intellectus, *D Thom.* vt cum D. Thoma docent Theologi 1. 2. q. 9. art. 1. cognitio enim sensitiua non continetur sub obiecto adæquato volũtatis, sed sub obiecto disparatè condis- *D. Thom. Caietan.* tincto, vt colliges ex D. Thom. in dicta q. 8. art. 2. in fine Corporis, & ex Caietano eodem loco. Cui rationi etiam accedit, quod cognitio sensitiua est corporea, & subinde improportionata ad mouendum voluntatem incorpoream.

16 Qualiter ad huc nõnulli statuũ conclusionẽ tuẽtur. Addunt nonnulli conclusionẽ nostrã adhuc esse verissimam, quanuis admittere mus voluntatem posse moueri à bono sola cognitione sensitiua percepto: quoniam tale bonum, vt sic nequaquam posset exercere suam finalem causalitatem. Quod benè annotauit Suarius in Metaphysica in dicta disp. 23. sect. 7. nu. 8. Fundamentum est, quia finis non potest exercere causalitatem finis, nisi appetatur à voluntate, vt bonum propter se amabile, & alia propter illum, vt patet ex vulgata definitione finis: iam verò finis non potest, vt sic appeti à voluntate, nisi cognoscatur sub formali ratione finis, & cum ordine vnius ad aliud: quomodo enim voluntas appetet finem propter se, & alia propter ipsum; nisi præcedat cognitio, quod hoc bonum est bonum propter se, illud verò solùm respectu alterius? Ad hæc formalis ratio bonitatis, & conuenientiæ percipi non potest per solam cognitionem sensitiuam, ob quam rationem bruta non dicuntur agere propter finem. Ergo de primo ad vltimum finis, prout solo sensu percipitur, non potest suam causalitatem exercere.

Siquis dicat non esse eandem rationem in cognitione sensitiua hominis, & 17 Obiectio. bruti: quia cogitatiua hominis propter coniunctionem, quam habet cum potentia intellectiua potest componere, & diuidere: imò etiam syllogizare circa singularia, vt docet cõmunis Philosophorum, & Theologorũ sententia; quos refert, & probat Cursus Conimbricensis 3. de Anima cap. 3. q. 2. art. 2. conclusio- *Aristotel.* ne 2. ex Aristotele 1. Metaphysicæ cap. 1. & 2. Posteriorum cap. vltimo, & in lib. de Memoria, & Reminiscentia cap. 2. & *D. Thom.* ex D. Thoma 1. p. q. 78. art. 4. ad 5. Siquis inquam, ita dicat; respondendum est inde non benè inferri potentiam sensitiuam cogitatiuæ hominis posse cognoscere formalem rationem boni, vt conueniens est in abstracto, quidquid Bellomontanus aliter sentiat alibi impugnandus. Saltem non infertur eam posse vnũ bonum in aliud ordinare, & dirigere: id enim solius est intellectus, vt benè aduertit Cursus Conimbr. vbi supr. ar. 3. ad 1. *Solutio obiectionis.*

18 Quare ex duplici fundamento optimè concluditur finem non posse suam causalitatẽ exercere, nisi sit cognitus cognitione intellectiua: tum, quia nisi sit ita cognitus, non potest mouere voluntatem, eamq; ad se allicere: sine quo finalizare nequit; tum etiam: quia licèt sensibiliter cognitus posset mouere voluntatem, vt simpliciter in ipsum tanquam in terminum ferretur: non tamẽ posset eã mouere vt propter ipsius bonitatem aliquid aliud intenderet.

Nec his obstant, quę initio huius §. in contrarium adducuntur. Nam id, quod asserit D. Thom. voluntatem non solùm moueri à bono vniuersali, quod per rationem apprehenditur, sed etiam à bono apprehenso per sensum: ita est intel- 19 Occurritur Primo argumẽto ex D. Thom. ligendum

ligendum, vt non solùm volũtas moueatur à bono vniuersali apprehẽso in sua vniuersalitate sine sensu, sed etiam à bono, quod ratio apprehendit, vt cum sensu coniuncta: vt benè exponit Caietan. ibi quem sequuntur Cõradus, Medina, Bellomont. & cæteri interpretes.

20 Diluitur 1. ratio.

Ad primam rationẽ admittimus eandem esse animam, quæ voluntate appetit, & quæ sensu cognoscit: inde tamen non inferri voluntatem posse immediate, & directè moueri à sensu. Et ratio est, quia cum voluntas sit potentia spiritualis subiectata in ipsa animæ essentia, non potest moueri, nisi à cognitione, quæ in ipsa animæ essentia sine corpore subiectetur, qualis non est cognitio sensitiua: hæc enim etsi est ab anima: non tamen est ab ea per potentiam in anima subiectatam, sed in corpore: vnde ipsa cognitio tanquam verè corporea immediatè nõ subiectatur in anima, sed in corpore.

21 Soluitur secuda ratio. D. Thom.

Ad secundam rationem negandũ est antecedens: quia fieri non potest, vt voluntas directè moueatur ab appetitu, vt apud omnes sine cõtrouersia recipitur, docetq; D. Thom. 1.2.q.77.art.1.in Corpore, & ad 1. Nec in hoc sensu antecedens proponitur ab aduersarijs, vt ex illius, probatione constat: nam Medina, à quo sumitur antecedentis probatio, expressè cõcedit appetitum sensitiuum directè nõ mouere voluntatem, vt colliges ex ijs, quæ scribit 1.2.q.10.art.3.ad tertium: voluntas igitur ab appetitu moueri non potest, nisi indirectè, vt docet D. Thom. in locis citatis, & satis explicat. 1.2. q.9. art. 1. & ibi interpretes illius cum Adriano quodlibet. 7. Indirectè autem illam non potest mouere, nisi mediante notitia intellectiua: quod facile intelliges, si expendas modos, quibus appetitus sensitiuus voluntatem in directè mouet, quos explicat D. Thom. locis citatis. Nã modus ille, qui fingitur à Medina per redundantiã appetitus in voluntatẽ, vel nõ est admittẽd°; vel si admittatur, illa redũdantia nõ fiet, nisi mediante notitia intellectus. Et quidem quod redundantia, quam fingit Medina, non sit admittenda, est communi recentiorum sententia 1.2.q.9.art.2. quæ videtur fuisse mens D. Thomæ de Veritate q.5.art.10.in fine Corporis: vbi quãuis admittat redundantiã à viribus superioribus ad inferiores; voluntatis inquam ad appetitum sensitiuum: illam tamen non vult admittere ab appetitu sensitiuo in voluntatem: quia non oportet, vt perturbato appetitu sensitiuo aliqua vehementi passione perturbetur voluntas. Quæ opinio ex eo videtur amplectenda, quia maximè consentit cum ordine naturali, qui in motionibus huius generis seruari solet: etenim ex Aristot. 3. de Anima cap. 11. text. 57. appetitus superior mouet inferiorẽ, sicut in cœlesti mũdo sphęra superior suo motu inferiorem mouet, at in cœlesti mundo motus sphęrę inferioris non redũdat in superiorẽ sphæram: Nec enim eam secum trahit, vt constat ex Philosophia. Ergo nec motus inferioris appetitus redundabit in superiorẽ. Et ob hãc rationem D. Thomas vbicunq; agit de hac redundantia, solùm eam admittit à voluntate in appetitũ sensitiuum, vt videre est 1.2.q.24.ar.3. ad primum, & q.77.art.6.& de Verit.q.26.art.3. ad 13.

Aristotel. D. Thom.

23 D. Thom.

Quod si contendas aliquando dari posse hanc redundantiam appetitus in voluntatem; facilè concedam: quia illã videtur tacitè admisisse D. Thomas de Verit.q.25.art.4.dum ait. *In viribus animæ connexis motum intensum vnius redundare in aliam: maximè superioris in inferiorem.* Quæ verba denotãt eam etiam admitti posse inferioris in superiorẽ. At tamen nullo modo concedam illam redundantiã fieri posse, nisi mediãte notitia intellectus, vt benè aduertit Bellomontanus in dicta disputat. 27. cap. 2. num. 4. & est communis recentiorum sententia: tum quia redundantia voluntatis in appetitum, quæ est naturalior, non fit sine cognitione sensitiua, vt late ostẽdit Bellomonta. vbi supra, & ante eum Cursus Conimbr. in Ethicis q.3.art.3.& consentiunt recentiores contra Medinam 1.2. q.2.art. 2. quam sententiam, vt verisimam supponimus. Tum etiam, quia aut illa redũdantia fieret necessariò eo modo, quo fit redundantia volũtatis in appetitum teste D. Thom. 1.2.q.77. art. 6. aut voluntate liberè concurrente. Non primo modo: quia id detrahit de nobilitate voluntatis, dum appetitui subijcitur tanquam mancipium: vnde D. Tho. de Verit. dicta q.5.art.10. in fine expres-

Medina. D. Thom. Adrianus.

Communis sententia recentiorum. D. Thom.

ie

se docet posse voluntatem à se reppelle re passionẽ in appetitu excitatam: nec oppositum videtur tutum; alioquin voluntas sequendo talem passionem non peccaret, quod dici non potest, quando
D.Thom. passio non totaliter tollit vsum rationis, vt patet ex D.Thom. 1.2.q.77. ar.7. Quòd si voluntas potest à se repellere talem passionem, vtiq; illam habebit sibi obiectiuè propositã: sic autẽ, nisi per intellectũ proponi non potest teste etiã Medina. Adde quia cum talis repulsa sit libera, vtique aliqua deliberatio saltẽ virtualis eã prẽcedet: quare præcedat etiam oportet intellectus notitia, qua talis repulsa tanquam bona voluntati proponatur,

§. 3.

Non satis esse simplicem cognitionem finis ad exercitium caussalitatis finalis.

24 Primũ notabile. PRo explicatione huius difficultatis aduertendum est non esse negandũ in ipso progressu caussalitatis finalis, tam in ordine intentionis, quàm exe cutionis, admittendas esse plures cogni tiones, & notitias compositas, tum apprehensiuas, tum etiam iudicatiuas cõsequentes ipsam efficacem voluntatem finis: nam post hanc voluntatem conse quetur electio mediorum: quam præcedat, necesse est compositionis iudiciũ ex Bellomontan. in 1.2. disp. 44. cap. 3. num. 11. etenim ante eam fit consultatio, quę necessariò requirit iudiciũ non modo speculatiuum, sed etiam practi-
D.Thom. cum, tum præmissarum; tum conclusionis deliberatæ, vt habes ex D.Tho. 2.2. q.47. art.8. Cõsequetur etiam vsus, quo potentiæ externæ applicantur ad exe-
Aristotel. cutionem: cuius executionis principiũ est intellectus practicus ex Aristot. 3. de Anima cap. 9. tex. 46. qui sine iudicio practico dari nõ potest. Inquirimus igi tur; vtrum satis sit simplex cognitio finis sine vllo compositionis iudicio, vt finis possit efficaciter mouere voluntatem, non solum ad sui amorem, sed etiã ad executionem exteriorem operis.

25 Notabile 2. Secundo notandum est cognitionem simplicẽ rei, quę est finis, in seipsa absq; vlla apprehensione conuenientis, non esse satis, vt finis voluntatem moueat: tum, quia nihil potest mouere voluntatẽ, nisi apprehẽdatur sub ratione boni, & conuenientis, ex D. Thoma recepto 1.2. q.9. art. 1. ad 2. & art.2. in Corpore, & lib.3. de Anima cap.3. lect.4. ad finem tex.154. tum etiã, quia bonitas rei est proxima ratio, qua finis cõstituitur in actu primo caussæ finalis, vt in præce denti articulo dictum est. Oportet igitur, vt res, quæ est finis apprehendatur, & cognoscatur ab intellectu sub ratione boni, & connenientis, si voluntatem mouere debet. Nec oppositum vnquã docuit Scotus, quanuis Valentia 1.2. disp.2.q.4. puncto primo conclusione 3. oppositum illi imponat. *Scotus. Valentia.*

26 Quid hoc loco inquiratur. Ratio dubitandi. His suppositis iam inquiri potest, an satis sit apprehendere finem sub ratione boni, & cõuenientis cognitione quadam simplici siue vlla compositione, vt finis possit suam caussalitatem exercere? Ratio dubitãdi est, quia simplex boni apprehensio satis est, vt voluntas in illud feratur: nec ad hoc necessaria est intellectus compositio. Hæc est expressa sententia Scoti in 2.dist.6. q. 1. ad.3. lit.G. & in Reportatis q.1. quem sequitur communis Scotistarum Schola: ita Lychetus in dicta q.1. ad 3. Bassolis ibi q.vnica art.1. ad 3. Angles q.2. difficult. 7. post secundam conclusionem. Adde Bassolium in 2.dist.25.q.1.art.3. ad primum Maironis in 2.dist.5.q.3. Nicolaus de Nize in Resolutione Theologica trac. 2.p.2.q.1. ad 5. fol.145. Ioannes Rada 2. p. Controuersiarum controuersia 11. art.4. post 4. conclusionem pag.349. columna 1. Consentit Schola Nominaliũ ita maior in 2.dist.6.q.1. §. Ad 2. *Respondetur*, Marsil. in 2.q.16.art.1. concl.1.& 2. Holcot in 2. dist. 3. Inclinant Ochamus in 3.q.12.art.4.concl.2. lit. Q Q. & Gabr. in 2.dist.6.q.1.art.3.dub. 2. ad 2. Ex recentioribus constanter eam defẽdit Bellomontanus ad primam 2. dispu. 44.cap.2.& ad 1.p.disp.234.cap.2.nu.7. & disp.235.cap.3.num.16.& 19. *Scoti sentẽ. & Scotistarum. Lichetus. Bassolius. Angles. Bassolius. Maironi. Rada. Nominales. Marcilius Holeth. Gabr.*

Hac opinione supposita videtur necessario concedendum satis esse finem esse cognitũ simplici cognitione, & notitia sub ratione conuenientis, vt possit finalizare: etenim ea notitia satis erit ad finalizandum, quę satis est, vt finis moueat & trahat voluntatem ad sui amorem: at iuxta propositam opinonẽ, finis sub notitia simplici absque vlla intellectus compositione potest mouere

voluntatē ad sui amorem: ergo sub illa notitia potest finalizare.

27 Opposita sē tentia probabilior iudicatur.

Opposita sententia est longe probabilior: vnde statuimus nō satis esse finē esse cognitum simplici, ac incōplexa notitia, vt possit suam causalitatē exercere; sed necessariā esse cognitionē cōpositionis, qua intellectus affirmet rē bonam esse, & conuenientē. Huius opinionis vnicū datur fundamentū contrariū fundamento opinionis oppositę: nā verissima est, & tenenda illorū opinio, qui existimant simplicem boni apprehensionem, quæ ad primam intellectus operationem pertinet, non esse satis ad mouendam voluntatem; sed necessariam esse cognitionem compositam affirmationis, aut negationis. Quare cum finis finalizare nequeat, nisi mouendo voluntatem, vt ex superioribus iam patet: nū quàm poterit finalizare, si solùm apprehēdatur cognitione simplici, & incōplexa, sed necesse est, cognoscatur per cognitionē, quæ affirmet finē esse bonum.

fundamētū.

28 Propositū fundamētū Scholasticorum autoritate confirmatur. *Caiet. Ferrarien.*

Quodverò simplex boni apprehensio sine affirmatione, aut negatione nō sit satis, vt volūtatē moueat, est expressa sēntentia Caiet. 1. p. q. 63. art. 3. §. *Ad euidentiam horū*, vbi affirmat appetibile nunquā præsentari voluntati per primam operationē intellectus purā: puram illā appellat, quæ non est cōposita ex affirmatione, aut negatione. In eadē sententia est Ferrarien. 3. contra gentes. cap. 109. § *Non valent præterea responsiones Scoti.* Cōsentire debent, qui putant ad motionē voluntatis necessariā esse cognitionē iudicatiuā, quos in sequēti §. referem⁹. Pleriq; putant hanc opinionē probasse D. Thom. 1. 2. q. 9. art. 1. ad 2. & art. 2. in Corpore: mihi tñ eò loci id non efficaciter probat; quia solùm asserit nō mouere voluntatē, quod nō apprehenditur sub ratione boni; nec declarat, an bonū apprehēdi debeat notitia cōposita, an verò simplici. Non negarem tamen D. Thomam ibi satis insinuare se agere de apprehensione, & notitia cōposita: nam agit de notitia, qua aliquid videtur bonū, & conueniens: iam verò verbū, *videtur*, denotat opinonem, & apprehensionē enunciatiuā. Hanc tamen esse mentē D. Thom. clarius colligemus ex his, quę scribit in 3. de Anima c. 3. tex. 155. lect. 4. ad finē, & in 2. distinct. 24. quæstio. 2. articulo primo, vt statim dicemus.

D. Thom.

D. Thom.

Hæc opinio primo confirmatur generaliter ex his, quæ dicemus in sequenti §. nam si necessaria est notitia iudicatiua, vt obstēdemus, vtiq; non satis erit notitia incomplexa, & simplex.

29 Prima eius dē fundamēti confirmatio. 2. Cōfirmatio Aristot.

Deinde specialiter, & in proprijs terminis confirmatur: quia hæc videtur esse expressa sententia Arist. 3. de Anima cap. 7. tex. 30. *atq; cum bonū, aut malū esse dicit, affirmando, aut negando: tunc fugit, aut persequitur.* Ecce ex sententia Aristo. volūtas tunc mouetur, cùm bonū, aut malū affirmatur, vel negatur. At respondet Bellomontanus in d. disp. 44. cap. 4. ad 3. nu. 13. Aristotelē solùm asserere voluntatē moueri, cùm intellectus affirmat, aut negat aliquid esse bonū: non tamen negare eā posse aliter moueri. Deinde respondet Aristotelē intelligendū esse non de omnibus affectibus voluntatis; sed solū de quibusdā, qui necessariò pendēt ex affirmatione, aut negatione: quales sunt affectus timoris, & spei, vt ipse ibi ostendit cap. 3. nu. 11.

30 Vtraque re ijcitur. Mens Aristol. explicatur.

Sed neutra solutio vim argumenti elidit, si institutum Aristotelis diligenter expendatur. Notandū igitur eò loci omnium interpretum consensu institutum Aristo. esse, ex ijs, quæ sensui conueniūt explicare vim intellectus speculatiui, & practici in ordine ad motionē voluntatis: nam, & ait, *inter sensum, & intellectū est quædā cognitio & similitudo.* De sensu autē duo asserit: primū est, sensum de potentia ad actū reduci à sensibili. Alterū est, *non mouere appetitū sensitiuū, nisi cum iucundum, aut molestum, quasi affirmando, aut negando discernit.* Inde infert intellectū reduci quidē de potētia ad actū per phantasmata, quę intellectui, sicut sensibilia sensui subijciuntur: at verò tūc fugere, aut persequi, cū dicit aliquid esse bonū, aut malū affirmando, aut negando: nam, vt ait: *sentire simile est ipsi dicere, & intelligere*: quorum verborum vera explicatio hęc est; vt sensus in actu (simplici inquam) antequam per æstimatiuam discernat bonum, aut malum, similis sit cognitioni intellectiuæ, quæ est simplex quędam dictio, aut intellectio, antequam intellectus aliquid de bono, aut malo concipiat. Ex quo infertur sensum per æstimatiuam apprehendentem, & discernentem bonum, & malum, similem esse

intellectui, qui affirmando, aut negando dicit aliquid bonum esse, aut malum. Quare mens Aristotelis est intellectum nunquam posse mouere voluntatem ad persecutionem, aut fugam, nisi cum affirmando, vel negãdo dicit aliquid esse bonum, aut malũ: nã sensus (ex quo philosophatur ad intellectum in ordine ad motionẽ appetitus) ita se habet, vt nunquã per simplicem actũ mouere possit appetitum, antequã per æstimatiuã iocundũ, aut molestũ quasi affirmãdo, vel negando discernat. Ex his iam constat vtranq; Bellomont. solutionẽ longe abesse à mente, & instituto Aristotelis.

31
3. Eiusdem fundamenti cõfirmatio.

Tertio hanc opinionẽ ita confirmamus: quoniã in brutis ad motionẽ appetitus nõ satis est nuda apprehensio phãtasiæ; sed necessaria est cognitio æstimatiuæ, quæ suo modo iudicet id, quod apprehenditur, esse conueniẽs, aut nociuũ: sed quod facit æstimatiua in brutis, hoc facit opinio in hominibus: ergo in hominibus non satis erit simplex apprehensio boni, vt moueatur voluntas; sed necessaria est opinio, ideſt compositio affirmans rem, quæ apprehenditur esse bonam. Maior huius discursus ab omnibus recipitur, docetur à D. Thom. 1. p. q.59.art.3.& clarius 1.2.q.9.art.1.ad secundum. Cuius doctrina est sine controuersia, cùm doceatur ab Aristotel. in 3. de Anima cap. 7. tex. 28. dum ait: *Cum autem sensus iucundum, aut molestum discernit: tunc persequitur, aut fugit.* Ex quo loco omnes interpretes colligunt appetitum in brutis sine actu æstimatiuæ, quo bonum, aut malum apprehendatur, non moueri. Minor autem est expressa sententia D. Thomæ tertio de Anima cap. 3. Lectio. 4. ad textum 154. vbi ait: æstimatiuam in brutis id operari, quod operatur opinio in hominibus. Idem etiã docuit in secũdo dist. 24. q. 2. art. primo. Et satis colligitur ex cognitione, quam inter sensum, & intellectum agnouit Aristo. in dicto cap. septimo, ex ea enim philosophatur Aristoteles correspondentiam affirmationis, & negationis in intellectu ad æstimatiuam, quam testatur discernere bonum, & malum quasi affirmando, & negando.

D. Thom. *Aristotel.* *D. Thom.* *Aristotel.*

32
4. Cõfirmatio.

Accedat quarta ratio à priori: quoniã etsi intellectus postquam prædicatũ de subiecto affirmauit, v.g. Petrum esse album) possit notitia simplici, ideſt nõ enunciatiua concipere hoc complexũ *Petrus albus*: non tamen illud concipiet, antequam vnum extremum cum alio componat. Et ratio est, quia intellectus à phantasmatibus non abstrahit vnam speciem totius illius complexi; sed singulas singularum partium, vnam Petri, & alteram albi; per quas adinuicem separatas, ac veluti disitas non potest cõcipere totum illud complexum: sed oportet, vt vnam cum altera componat: quæ compositio ad secũdam operationẽ intellectus spectat. Opus est igitur, vt prius intellectus rem, quæ est bona, nempe sanitatem, per propriam illius speciem concipiat; similiter etiam rationem conuenientiæ per aliam speciẽ à priori distinctam: deinde vtranque debet adinuicem componere. Hæc autem compositio, cum non nisi affirmando vnum de altero possit fieri; vtique non ad primam, sed ad secundam operationem intellectus spectabit. Cui philosophię concinit doctrina Aristo. in dict. cap. 7. tertij de Anima sicut in sensu illa quasi compositio cibi cum bonitate; & cõuenientia (quæ est species insensata) non potest fieri, nisi ab æstimatiua: ita etiã in intellectu cõpositio rei cũ sua bonitate, & conuenientia, nõ potest fieri, nisi per solũ intellectũ componentẽ: nã ex Aristo. in d. cap. 7. (vt in 2. argum. diximus) æstimatiua in sensu respõdet intellectui componenti: phantasia verò intellectui simplici.

Aristotel.

33
Cõfirmatur âpius præcedes ratio.

Hęc ratio ex alio etiã capite cõfirmari põt; quoniam sicut necesse est admotionẽ volũtatis, vt bonũ cognoscat sub ratione boni: ita etiã necesse est, vt cognoscat sub ratione boni ꝑprij ipsi⁹ appetẽtis, vt latè ostendimus in prędcedẽti ar. 6. 2. At sub hac ratione res nõ potest abintellectu cõcipi per purã primã operationẽ intellect⁹: nã licèt daremus, cõtra id, quod immediatè diximus, primã operationẽ intellectus nulla præcedẽte affirmatione cõcipere posse hoc cõplexum, *rem conuenientem*: non tamẽ potest cõcipere rẽ illã, vt alteri cõuenientẽ: id enim cũ clarã denotet cõpositionẽ, proprium erit secundæ operationis intellectus, quæ consistit in affirmatione.

34
Huic rationi fortè respõdebit quispiã, & satis ad mẽtẽ Scoti admitẽdo illa extrema

extrema per intellectū non posse cōponi, nisi per affirmationē, qua intellectus affirmet, & rem esse bonā, & esse bonam ipsi appetenti, vt ratio videtur euincere: ad motionē tamen voluntatis nō esse necessariū extrema illa cōponi: sed satis esse, si singula per intellectū simpliciter apprehendātur: nam cū volūtas sit vis collatiua, sicut intellectus, potest ea, quæ per intellectū sine cōpositione simpliciter sūt apprehēsa, inter se cōponere, & velle vnū alteri, v.g. si intellect⁹ simplex apprehēdat sanitatē, similiter & Petrū illa inter se nō cōponendo; potest voluntas illa ad inuicē ordinare, & cōponere volendo sanitatē Petro. Ita expresse Scotus loco citato, quē ad literā secuntur Lychetus, Bassolius, Mayronius, Nicolaus de Nize, & Beda vbi supra.

Non elidit vim argumenti. *Scotus. D.Thom.*

Hæc tamē solutio non elidit vim nostræ rationis: nam admittimus voluntatē esse vim collatiuam (id enim præter Scotū loco citato, & in 2. dist. 38. q. 1. ad vlt. admittit D. Thom. de Verit. q. 22. ar. 13. in corpore) non quidē in hoc sensu, quasi cōponat vnum extremū cū alio, sed in hoc potius, quia appetit vnum in ordine ad aliud, & de vno in aliud tendit, vt D. Thom. satis declarat loco citato, & 1. 2. quæstio. 12. artic. primo, & post eum Bellomontanus ad 1. secundæ, disput. 44. cap. primo in fine. Verùm hæc collatio, siue potius transitus fieri non potest à voluntate, nisi in intellectu præcedat ordinatio vnius in alterū ex D. Thom. in dicta. q. 12. artic. 1. ad tertium, & aduertit Bellomontanus vbi supra: voluntas enim tendit in aliud nempe à sanitate ad Petrum, cui illam vult: quia ordinatur ab intellectu. Hæc autem ordinatio dari non potest sine compositione, qua vnum extremum cū altero cōferatur, & vnum de altero affirmetur. Ita fit, vt simplex, & incomplexa extremorum apprehensio, non satis sit, vt moueat voluntatem, vt per volitionem Petro velit sanitatem: etenim illa simplex apprehensio nullo modo dici potest directio voluntatis, sicut etiā simplex apprehensio phantasiæ absque actu æstimatiuę nō potest dici directio appetitus sensitiui.

D.Thom.

36 Scotire spōsio amplius impugnat.

Accedit eò, quoniā hæc collatio voluntatis dari nō potest, nisi intermedia ad finem, vel inter finem, *cuius*, & finem, *cui*: voluntas enim, vel tēdit à medijs ad finem, vt cum vult vnum propter alterū, potionem (inquam propter sanitatem) vel à bono volito ad eum, cui illud vult. At inter rem, quæ est bona, & ipsam illi⁹ conuenientiā nullam potest facere collationem: v.g. inter sanitatem, & conuenientiā, quam habet, quod ex eo patet, quia collatio vnius extremi cū alio, quę voluntati conuenit, nihil aliud est, quā tendentia vnius ad alterū, vt ex D. Tho. diximus. Iam verò voluntas, nec vult conuenientiam sanitati, nec propter cōuenientiam vult sanitatem: quin potius nec sanitas per se, nec cōuenientia per se est obiectum volūtatis, sed vnum sub altero: etenim sanitas, vt conueniens, est vnum volitum totale, cuius altera pars est volita, vt quod, nempe sanitas: altera est volita, vt quo, nēpe bonitas, siue conuenientia. Igitur sanitas, vt cōueniens est id, à quo voluntas tendit in Petrū, quia est bonū volitum Petro.

Ex quo infertur voluntatem nō posse conferre sanitatem cum sua bonitate, vnde nec mouebitur, quāuis intellectus simplex apprehēdat sanitatē distinctis cōceptibus adinuicē dissutis, & non copulatis: nec enim sanitas, nisi sub bonitate appeti potest: nec bonitas, nisi in sanitate, cū obiectū volūtatis ex vtroq; cōpanatur. Igitur præcedat, necesse est in intellectu compositio vtriusq; illius extremi, quæ nisi per secundam operationem intellectus fieri nō potest, vt ratio allata euidenter probat. 37

Ex his ōnibus infertur verisimā esse philosophiā Caietani loco citato, dum ait, appetibile nunquā posse voluntati prę̄sentari per primā operationē intellectus purā: quanuis Rada 2. p. Cōtrouersiarū cōtrouersia 11. ar. 4. concl. 4. pag. 349. col. 1. eā reijciat tanquam falsissimā, & à nullo Philosopho concededam: quod tamen sine fundamēto asserit. Sed de hac difficultate alibi latius erit disputandū, vbi expendentur quorundam opiniones, quæ non vniuersaliter hanc nostram resolutionem admittunt. 38 Corollariū ex doctrina precedenti. *Caietan. Rada.*

§. 4.

An necessaria sit cognitio iudicatiua, vt finis possit causare.

PArtem negantem videtur confirmare opinio illorum, qui putant ad motionē voluntatis nō necessar ò 39 Vñ probē tur negatiua sentētia.

requiri cognitionem iudicatiuam: sed satis esse apprehensiuam; qua scilicet apprehendatur rē esse bonam. Pro hac
Scotus. opinione citari solet Scotus in 2.dist.6. q.1.ad.3.Sed eo loco Scotus solùm agit de cognitione incomplexa, quæ pertinet ad primam operationē intellectus: at probabile est Scotum idem dicturū
Bassolius. de notitia apprehensiua propositionis: vndeBassolius illius Sectator ita docuit ibi q.vnica art.primo, ad 3. & in 2.dist. 25.q.2.art.3.ad argumenta. Probarunt Maior in 2.dist.6.q.1.§. *Ad secundum respondetur*,
Maior. & ibi Gabr.q.1.art.3.dub.2.ad 2.Quod si notitia iudicatiua non est necessaria,vt voluntas moueatur infinem; sed ad id satis est notitia apprehensiua, qua finis apprehendatur bonus: vtique ad finalizandum non erit necesse, vt finis cognoscatur cognitione iudicatiua

40 Oppositasē tentia probanda. Opposita tamen sententia probanda est nō posse finem exercere suam causalitatem, nisi sit cognitus iudicatiua notitia. Et hanc sententiam vix posse in dubium cadere testatur Suarius in Metaphy.disp.23.sect.7.num. 9. & rectè sanè;quoniam si mentem Aristotelis attētius expendamus, non est dubitandum necessariam esse cognitionem iudicatiuam, vt voluntas moueri possit, & operari, quæ fuit sententia eiusdem Suarij
Ferrari. loco citato, quam probarunt Ferrar.
Medina. 3.contra gent.cap.109.§. *Non valent præterea*,fol.348.column.1.in principio,Medina 1.2.q.9.art.2. concl.1. & q.13. art.
Cumel. 5.in fine,Cumelius 1.p.q.63.art. 3. q.1. in primo artic. controuersiæ in principio,& 1.2.q.77. art.2. disp. vnica concl.
Valentia. 1. Valentia ad 1.2.disp.2. q.4. puncto 1. §. *De tertia quæstione.* Conueniunt omnes recentiores ad 1.2.q.9.art.1. Ferè omnes volunt hanc opinionē esseD.Thom.
D.Thom. in d. quæstio. 9. ar.1.ad 2. & artic.2. in corpore,& 1.p. q.59.art.3. sed in priori loco non satis id declarat, vt aduertimus in §.precedente:in posteriori verò solùm affirmat voluntatem moueri ex iudicio libero, quo intellectus iudicat aliquid esse bonū, vel malū: non tamen affirmat eā aliter moueri non posse.Nō negarē tamen D.Thomā in illis locis satis insinuare hanc doctrinā: & hanc esse illius mentem satis colligitur ex ijs,quę docet in 2.dist.24. q. 2. art.1.& in 3. de Anima cap.3.lect.4.ad tex.154.

Hanc esse expressam sententiāAristotelis euidenter ostenditur ex 3. de Anima cap. 7. tex. 30. vbi agens de anima dianoitica,idest de anima,quæ est principium ratiocinandi, ita ait: *Atque cum bonum,& malum esse dicit affirmando, & negando, tunc fugit, aut persequitur.* Iam verò dicere aliquid esse bonum, vel malum affirmando,autnegando,nihil est aliud, quàm iudicare. Ecce ex Aristotele appetitus intellectiuus tūc mouetur cum intellectus affirmando, vel negando iudicat aliquid esse bonum. Quod verò mens Aristotelis sit explicare principium adæquatum motus voluntatis, latè contra Bellomontanum ostendimus in §. precedente: etenim illius institutum eo loci est docere quomodo se habeat intellectus ad motionem appetitus intellectiui.

41 Propositasē tentia ex Aristotel.ostēditur.

Id ipsum quidam deducunt ex Aristotele 3. de Anima cap. 3. tex. 154. vbi in hæc verba: *Cum opinamur aliquid malum esse,atque terribile; continuò perturbamur. Similiter etiam cum opinamur aliquid esse tale,vt in illo sit confidendum: at cùm imaginamur talia,perinde afficimur, ac si in pictura eadem spectaremus.* Sed locus iste euidenter probat sine opinione,atque assensu iudicatiuo voluntatem, nec timere posse,nec sperare: ex eo tamen non benè infertur eam nullo alio affectu complacentiæ,aut displicentiæ moueri posse:vt benè aduertit Bellomontan. in dicta disp. 34. cap. quarto, num. 13 ad secundum, apud quem ibi cap.3.numero 11. & 12. assensus iudicatiuus omnino est necessarius ad affectum timoris, aut spei: nō tamen ad alios voluntatis affectus.Quare locus ille Aristotelis, etsi vim habeat contra eos,qui putant satis esse cognitionem apprehensiuam, vt voluntas secūdum omnem affectum moueri possit: non tamen aduersus eos, qui volunt illam cognitionem non ad omnes voluntatis affectus, sed ad aliquos esse sufficientem,qui satis sint, vt voluntas efficaciter etiam ad opus exterius propter finem moueatur. Quare ad confirmationē nostrę sententię satis sit prior Aristotelis auctoritas.

Adducitur alius locus Aristotelis

Ex eo tamē non probatur intentū.

Quam etiā euidenter corroborat 3. ratio, qua in præcedenti. §. ostēdimus, non satis esse simplicem intellectus cognitionem, vt voluntas moueatur: nam

42 Ratio pro asserta sententia.

vt

vt diximus, non satis est in brutis nuda apprehensio phantasię, sed necessaria est cognitio æstimatiuæ, quæ suo modo, id est naturaliter iudicet id, quod apprehenditur, esse conueniens: vt ex D. Thoma, & Aristotele ibi ostendimus. Sed quod facit æstimatiua in brutis, hoc facit opinio in hominibus, vt ex D. Thoma 3. de Anima, & ex Arist. ibi confirmauimus. Addimus modo D. Thomam in 2. dist. 24. q. 2. ad primum, dum ait. Intellectum practicum eodem modo se habere ad voluntatem, quo se habet æstimatiua ad appetitum sensitiuum. Quare si ad motum appetitus sensitiui necessarium est æstimatiuæ iudicium discernens quasi affirmando, aut negando aliquid esse, vel non esse conueniens (vt expressè docet Arist. in 3. de Anima cap. 7. tex. 27: *Cum autem sensus iucundum, aut molestum discernit, quasi affirmauerit, aut negauerit; tunc persequitur, aut fugit*) quis dubitabit ad motum simplicē appetitus intellectiui (fugæ inquā, aut persecutionis) necessariam esse cognitionem cum discretione: & iudicio affirmante aliquid esse, vel non esse conueniens? nam quod in æstimatiua est iudicium discernens quasi affirmando, aut negando: in intellectu est iudicium discretiuum cū vera affirmatione, aut negatione.

D. Thom. Aristotel D. Thom. *Aristotel.*

43 Eiusdem sē tētiæ demōstratio à priori.

Sed & tertio loco nostra sententia videtur veluti à priori demonstrari ratione, quā satis doctè adducit Suarius in dicta sectio. 7. num. 9. quoniam voluntas non potest moueri in aliquod obiectum, nisi illud cognoscatur esse conueniens: non potest autem cognosci esse conueniens, antequam intellectus iudicet de tali conuenientia: ergo nec voluntas moueri potest ante cognitionem iudicatiuam de conuenientia obiecti. Discursus est optimus. Maior ex eo probatur; quoniam id, quod communiter dicitur nihil posse mouere voluntatem, nisi apprehendatur sub ratione boni, & conuenientis (de quo D. Tho. 1. 2. q. 6. art. 1. ad 2. & art. 2. in corpore, & multis alijs in locis) ita est intelligendū vt apprehendi idem sit, quod cognosci; etenim apud Philosophos, & Theologos obiectū voluntatis esse bonū apprehensum, & intellectum sunt synonima: vnde D. Thomas, qui 1. p. q. 80. art. 2. in corpore, & ad 1. & 1. 2. quæst. 8. art. 10. dicit obiectum voluntatis esse bonum apprehensum; idem affirmat obiectum volūtatis esse bonum intellectum, vt patet 1. p. q. 82. art. 3. ad 2. & art. 4. in corpore, & 1. 2. q. 19. art. 3. Quare nihil potest mouere voluntatem, nisi apprehendatur, & cognoscatur esse bonū, & conueniēs: quæ fuit Maior.

D. Thom. *D. Thom.*

Minor verò inde ostēditur: quia qui solum apprehendit astra esse paria, antequam adueniat iudicium de conuenientia prædicati cum subiecto, non dum cognoscit illa esse paria, sed adhuc est dubius: vnde rusticus, si de illa propositione interrogetur, libenter fatetur se nescire: cum tamen propositionem illā apprehendat; & rectè sane: quia propositio illa purè apprehensa indifferēs est, vt existimetur, vel ita esse, vel non ita esse. Quare propositio quælibet, quantunuis intellectu apprehendatur, nunquam dici potest cognosci, nisi aduenit iudicium de conuenientia prædicati cum subiecto; vt benè aduertit Suarius in dicta sect. 7. num. 9. & disp. 8. sect. 4. num. 5. Itaque nihil aliud est cognoscere aliquam propositionem, quam iudicare de conuenientia extremorum. Ob quam rationem in sola cognitione iudicatiua propriè loquendo reperitur veritas, & falsitas, vt in d. disp. 8. sect. 4. idem Suarius latè explicat. Ex quo iam infertur veritas nostræ minoris: nec enim intellectus potest cognoscere obiectū esse bonū antequam iudicet, & discernat conuenientiam ac bonitatem illi conuenire; quæ fuit Minor. Quare si obiectum voluntatis non potest eam mouere, nisi cognoscatur esse bonum; profecto, nec illam mouere potest antequam intellectus iudicet illud esse bonum: & subinde bonum apprehensum nullo modo finalizabit, antequam intellectus iudicet illud esse bonum.

44

Quæstionis conclusio.

Concludendum est igitur cognitionem iudicatiuā simpliciter, & absolutè esse necessariam, vt finis suā exerceat causalitatem, quæ fuit sententia Suarij in dicta disp. 23. sect. 7. nu. 9.

§. 5.

An hæc notitia iudicatiua debeat esse practica?

QVestio ista apud Arist. facilē habet solutionē: apud quē, *intelectus* 45 Resolutio ex Aristot.

speculatiuo nihil eorũ, quæ sub actionẽ cadũt, cõtẽplatur; nec dicit quicquam omnino, si sit fugiendum, an persequendum. Ita Aristoteles 3. de Anima cap. 9. tex. 46. & quanuis ibi solùm agat de intellectu speculatiuo, & practico in ordine ad potentiam motiuam, cuius principium actiuũ eo in cap. perscrutatur: tamen generale medium, quo vtitur, optimè accommodatur ad omnem voluntatis motum; *nam si omnis motus exterior à voluntate imperatus fugientis, aut persequentis quippiam est*, vt in eodem loco affirmat Arist. à fortiori motus interior voluntatis (nempe efficax volitio boni, & finis) quo imperatur motus exterior, erit motus fugientis, aut persequentis, qui sunt proprij motus vtriusque appetitus. Quare si omnis causalitas finalis versatur circa aliquid persequendum, vt patet: & intellectus speculatiuus ex Aristotele non dicit quicquam fugiendum, aut persequendum; necessariò infertur notitiam, siue cognitionem speculatiuam non esse satis, vt finis suam causalitatẽ exerceat, sed necessariam prorsus esse cognitionem practicam, qua intellectus iudicet finẽ, quem voluntati proponit, non solùm persequendum esse, sed hìc, & nunc esse persequendum: hoc enim ex Aristotele ad practicum intellectus spectat; cuius munus est dictare de motu persecutionis, aut fugæ. Et hæc fuit sentẽtia Suarij in Metaphysica disp. 23. sectio. 7. nu. 11. & 12.

Vtrum verò præter iudicium practicum requiratur imperium? alterius est quæstionis alibi examinandę, de qua disputari solet 1. 2. quæst. 9. artic. primo. Placet opinio, quæ negat, etiam apud eos, qui admittunt actum imperij distinctum à iudicio practico; quæ distinctio plerisque non placet, à qua difficultate abstinemus, quia parum refert, an hanc vel illam sequaris opinionem.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum finis moueat, & finalizet secundum suũ esse reale; an secundum suum esse cognitum?

§. 1.

Referuntur duæ opiniones oppositæ.

1 1. Opinio. IN hac controuersia cõmunis ferè omnium sententia affirmat finem mouere voluntatem, & finalizare secundum suum esse reale: non verò secundũ esse cognitum, quod habet in intellectu: hoc enim solùm est conditio agendi. Hanc sententiam placuisse omnibus discipulis D. Thomę fatetur Medina statim citandus: eam probarunt Caiet. 1. 2. q. 1. art. 1. §. *Ad quorum euidentiam.* Ferrariẽs. 1. contra gentes cap. 44. §. *Sciendum.* 2. Sotus 2, Physicorum q. 3. §. *Causa finalis*, Iauellus 5. Metaphysic. q. 6. Ex nouioribus eandem probarunt Fonseca in 5. Metaphy. cap. 2. q. 11. Cursus Conimb. 2. Phy. cap. 7. q. 23. Benedictus Pereira de principijs rerum naturaliũ lib. 8. cap. 4. Gregor. de Valentia ad 1. 2. disp. 1. q. 1. punct. 1. Suarius in Metaphy. disp. 23. sect. 8. nu. 6. Ex antiquioribus Ochamus in 2. q. 3. art. 2. Gabr. in 2. dist. 1. q. 5. art. 1. notab 3. & cum illis Scotus in 2. dist 25. q. 1. §. *Ad primam rationem*, & est in Scholis opinio receptissima; in quam magis inclinat Conradus 1. 2. q. 1. art. 1. ad 1. argum. D. Thomæ.

Caietan. *Ferrar.* *Sotus.* *Iauellus.* *Fonseca.* *Benedict°.* *Pereira.* *Valentia.* *Ochamus* *Gabr.* *Scotus.* *Conradus.*

2 2. Opinio. *Medina.* Oppositam sententiam probauit Medina 1. 2. q. 1. art. 1. ad primum D. Thomæ post tertiam conclusionem: vbi expressis verbis voluit esse cognitum concurrere ad causalitatem finalem, non vt conditionem sine qua non, sed vt rationem obiectiuam, principiũq; formale agẽdi: eo modo, quo lumẽ concurrit cum colore ad visum, vt ratio obiectiua. Pro eadem sententia communiter citatur Soncinas in 5. Metaphysices q. 3. à quibusdam etiam tribuitur Capreolo in 2. dist. 25. q. 1. art. 3. Ad argumenta Heruei contra tertiam fol. 241. colu. 4. post mediũ, & ad argumẽta, Gregorij, & Adami in fine eiusdẽ quęstionis. Tribuitur etiã Caieta. 1. 2. q. 31. art. 3. ad finem, quasi sit sibi ipsi cõtrarius: quin potius affirmat Iauellus vbi supra eam inter recentiores Thomistat esse cõmunẽ quã nõ õnino reijcit Cõradus vbi supr.

Soncinas. *Capreolus* *Herueus.* *Gregor.* *Adamus.* *Caietan.* *Iauellus.* *Conradus.*

Tertiã sententiam (ne dicã vtriusq; sententiæ conciliationem) excogitauit Bellomõt. ad 1. 2. disp. 2. cap. 2. & 3. quo in loco ita de hac difficultate philosophatur, vt dicat esse intentionale obiectiuũ, quod res, quæ est finis, habet in intellectu: (logici conceptũ obiectiuũ appellãt) esse rationem finalizandi: ipsam tamen cognitionem (quæ appellari solet conceptus finalis) in qua finis obiectiue

3 3. Opinio.

iectiuè repræsentatur intellectui, & à qua denominatione extrinseca dicitur cognitus, solùm esse conditionem finalizandi. Et ad hunc sensum putat esse explicandam priorem sententiam: nam si per esse cognitum intelligatur conceptus obiectiuus finis; verissima est: falsa tamen, si per esse cognitum intelligatur formalis conceptus: quia tale esse est conditio finalizandi, non verò ratio formalis. Itaque cum Medina, & alij per esse cognitum intelligant conceptum formalem, & illud esse extrinsecum, quod in fine resultat ex eo, quod repræsentatur in formali conceptu; eorum sententiam non admittit Bellomõtanus. Quare tertiam mihi videtur excogitasse sẽtentiam, vt conceptus obiectiuus finis sit illi ratio formalis, non verò formalis conceptus.

§. 2.

Præmittuntur nonnulla pro difficultatis resolutione.

4

QVæstionem hanc nullus scribentiũ pro dignitate explicauit, teste Bellomontano loco citato cap. 2. in principio; ego addo nec ipsum eam satis explicasse; imò magis implicasse, nisi ego fallor. Pro resolutione

Primũ præmissum.

primùm est præmittendum in qualibet caussa tria spectari posse: id quod per se, ac simpliciter caussat: rationem formalem caussandi: & conditionem sine

Caietan.

qua caussare non potest; vt post Caietanum 1.2.q.1.art.1. §. *Ad quarum euidẽtiam.* Aduertit Cursus Conimbr. in dicta q.23.art.2: ignis enim est id, quod calefacit: cui ratio formalis calefaciẽdi est calor: conditio verò sine qua non calefaciet, est agentis, & patientis contactus. In hac igitur difficultate inquirimus quidnam rei, quæ est finis, sit ratio formalis caussandi? an ne sit ipsum esse reale: an verò ipsum esse cognitum?

5 Secundum præmissum.

Præmittendum est secundò in hac quęstione nomen rei, quę finalizat, latissimè sumi: propt scilicet res latè diffunditur, vt complectatur non modo ens verum, & positiuum, reale, vel rationis; sed etiam ens negatium, & illud quod confictum est per intellectum; nam, vt dicemus inferiùs, non solùm verum ens reale potest esse finis, & appeti à voluntate, sed etiam ens rationis: nam dignitates (quę sunt pura entia rationis) appetuntur ab hominibus tanquam quædam bona. Quin potius non esse, siue nõ viuere interdum à nonnullis appetitur, imò & id, quod est impossibile, vt suo loco dicemus.

6 Ex quo colligi potest, dum inquirim⁹, an finis finalizet secundum suũ esse reale; per esse reale intelligi debere esse, quod cõuenit ipsi rei, quæ est finis, quodcunque illud sit, siue reale, siue rationis, siue negatiuum, siue cõfictum: ita vt nomen (Res) & nomen (reale) accipiatur in significatione quadam latissima, pro vt distingitur ab esse, quod id, quod intelligitur, consequitur ex intellectu negotiante circa illud tanquam circa obiectum. Ita annotarunt Fonseca in dict. q.11. sect.4. ad postremum argumentũ, & Cursus Conimbr. in dicta q.23. art.2. §. *Sed aduertendum.* Sensus igitur quęstionis est, an dignitas v. g. finalizet secundum esse ipsius dignitatis, quod habet independenter ab intellectu, quatenus est dignitas: An verò secundum esse cognitũ, quod dignitas consequitur à cognitione intellectus, per quam concipitur. Similiter dicendum est de non esse, siue de non viuere, quando appetitur ab eo, qui desperat; vtrùm ne finalizet secundum ipsam rationem non essendi, quam ipsa negatio sine intellectu includit; an verò secundum esse cognitum, quod consequitur quãdo tanquã quoddam bonum concipitur.

Fonseca.

7 Appéritus sensus quęstionis.

Ex quo rursus inferes fieri posse, vt id, quod est cognitio, possit esse finis; & bonum concupitum: etenim appetimus visionem Dei, & notitiam scientificam rerum. Inquirimus igitur an ipsa Dei visio, quã appetimus, finalizet sui amorem, & desiderium secundum esse reale visionis, quod habebit in patria; an veró secundum esse cognitum, quod visio ipsa futura modo habet in nobis, cum ipsam cognoscimus, & appetimus? itaq; esse cognitũ, de quo excitatur quæstio, est esse quoddam resultans in obiecto ex ipsa formali cognitione, qua formaliter cognoscitur. Ex his facilè intelliges, quæ confusè satis scribunt Bellom. in dicta disp.2. cap.2. in 2.p. suę opinionis, & Suarius in dicta disput.23. sect. 8. numer.9.

Præmittendum est tertiò totam hui⁹ 8

Tertiũ præmissum.

quæstionis difficultatem ortum habere ex æquiuocatione huius particulæ (secundum esse reale) nam res, quę est, & denominatur finis (nomine rei fusissimè sũpto) considerari potest sub quadruplici esse, nimirum sub esse essentiæ absolutè: sub esse existentię actualis: sub esse existentiæ potentialis: & denique sub esse existentię obiectiuę.

Sub esse essentiæ consideratur, cum consideratur res ipsa, quę est finis, in esse quodam solitario, in quo solùm est ipsa; nihil admittens nisi, quę vel pertinẽt ad essentiam, vel ad eam, secluſa per intellectum omni existentia consequuntur. Quomodò eam considerant omnes Logici, secuti Caietanum de esse, & essentia cap. 4. qui omnes hunc naturę statum appellant statum essentię, de quo agit etiam Fonseca in 5. Metaphy. cap. 28. q. 1. sect. 4. §. *Alterum autem.*

Caiet.

Fonseca.

Considerari secundò potest res, quæ dicitur finis, sub esse existentię actualis, quæ à plerisque appellatur existentia exercita: quod esse res quęque consequitur, prout est in statu executionis, siue productionis: etenim executio, actioque agentis terminatur ad actualẽ rei existentiam.

Tertiò cõsiderari potest res, quę est finis sub esse existentiæ potentialis, siue posibilis, quod res illa habet prout est in potentia suæ causæ: & quanuis hæc existentia potentialis semper comitetur rem, quandiu non existit: tamen distinguitur ab ipsa rei essentia, tanquam modus eius, vt nunc supponimus.

Denique quarto modo eadem res cõsiderari potest sub existentia obiectiua, quam habet in intellectu, cum ab eo concipitur: siue ipsa à parte rei actu existat, siue non, vt omnibus est notissimũ. Hãc existentiã obiectiuam rei consequuntur plures relationes rationis, & intentiones logicæ, de quo alibi.

Aduertendum tamen est rem, quæ est obiectiuè in intellectu, repræsentari per intellectionem secundum esse naturale suę entitatis: ita vt ipsummet esse, quo est talis res, sit id, quod repræsentatur intellectui sub existentia obiectiua. V.g. quando sanitas apprehenditur ab intellectu; id, quod ipsa apprehẽsione, conceptuvè formali obijcitur intellectui, est res ipsa, quæ est sanitas, secundum esse naturale essentię sanitatis: quod ipsum ex eo, quod terminat intellectionem, consequitur quoddam esse intentionale, quod appellatur esse cognitum: siue illud sit relatio quędam rationis, vt plerique putant: siue sit tantũ denominatio quædam extrinseca sumpta ab ipsa intellectione, eo modo, quo res visa dicitur visa à visione, quæ est in oculo, idque per denominationem quandam extrinsecã: & hic essendi modus, quem sanitas habet in intellectu, dicitur existẽtia obiectiua sanitatis. Quæ omnia satis sunt de mente Ferrarien. 1. contra Gent. cap. 44. §. *Sed tamen cauendũ.*

Ferrarien.

Ex quo duo inferuntur: vnum est rẽ, quę intelligitur, prius terminare intellectionem, & repræsentationem actualem conceptus formalis, quàm consequatur esse cognitum. Alterum est esse proprium rei, quę cognoscitur, distingui ab ipso esse cognito.

Ex quibus facilè colligitur difficultas propositæ quęstionis, etiã apud eos, qui putant, finem mouere secũdum suũ esse reale: nam dubitari potest; in quonam sensu accipiatur (esse reale) in prę-senti controuersia? an intelligatur de esse essentiæ, an verò de esse existentiæ actualis, vel potentialis? & quia hi omnes sensus non distinguũtur, sed confunduntur potius; ideò pro rei dignitate, quæstio ista non dum fuit explicata.

10 Quæstionis difficultas.

§. 3.

Resolutio Quæstionis. Prima, & secunda conclusio.

11

PRo vera, ac facili difficultatis propositę resolutione sequentes statuimus conclusiones.

Sit prima conclusio: Res, quę est, & denominatur finis, & bona, est, quæ finalizat vt quod. In hac conclusione cõueniunt omnes doctores absque vlla cõtrouersia, vt benè affirmat Cursus Conimbr. 2. Phy. cap. 7. q. 23. art. 2. concl. 1: etenim omnibus est notissimum ipsã sanitatem esse id, quod mouet appetitũ ad sumendam amaram potionem: ipsamque in se ipsa desiderari, atque medijs accõmodatis procurari. Tota difficultas posita est, quidnam ipsi sanitati sit formale finalizandi principium? an esse cognitum, sine quo non mouet; an verò proprium suum esse reale?

Prima conclusio.

Secun-

12 Secunda cõcluſio. Secunda concluſio (Eſſe cognitum) non concurrit ad cauſſalitatem finis, vt principium formale; ſed ſolùm vt conditio ſine qua non. Hæc concluſio communiori calculo ab auctoribus recipitur. Difficultas eſt ſolùm in confirmanda hac opinione, aduerſariaque falſitatis conuincenda. Nam argumenta, quibus communiter impugnatur non attingunt ſenſum, in quo à ſuis propugnatoribus explicatur. Quod facilè perſpici poteſt, ſi ſingula expendamus.

Quibus argumẽtis ſoleat hæc cõcluſio confirmari.

1. argum. Primum, ac prẽcipuum argumentum ita proponitur: res, quę eſt finis, non appetitur, vt habeatur ſecundum eſſe cognitum: ergo eſſe cognitum non poteſt eſſe ratio formalis finalizandi.

Secundum. Deinde ratio formalis cauſſãdi cauſſę finalis eſt bonitas, & conuenientia: at finis non habet ſuam bonitatem, & cõuenientiam in eſſe obiectiuo, vt patet.

Tertium. Tertio res, quę eſt finis, ſecundum illud eſſe mouet, ſecundum quod quietat, & ſatiat appetitum: appetitus autem non quieſcit in eſſe cognito ipſius finis.

13 Hæc argumenta facilè ſoluuntur ab aduerſarijs. Hæc argumenta facilè ſoluentur, ſi expendatur ſenſus aduerſariæ ſententiæ: nec enim illa negat finem cauſſare ſecundum ſuum eſſe reale, vt inferiùs oſtendemus; ſed aſſerit ſimul cum illo concurrere eſſe cognitum, vt principiũ formale cauſſandi. Quod non eſt mirũ, vt aiunt; quia color ſub ratione coloris concurrit ad viſionem ſimul cum lumine etiam formaliter concurrente: quare ſicut color non abſolutè, ſed vt illuminatus dicitur obiectum formale viſus: ita etiam bonum non abſolutè, ſed vt cognitum, eſt obiectum formale voluntatis. Argumenta porrò, quæ adducuntur, probant quidem primum, ſecũdum autem non impugnant.

14 Primum argumentum eneruatur. Nam ad primum cum Medina admittendum eſt antecedens: conſequentia verò eſt neganda: quoniam cum antecedente ſimul eſſe poteſt veritas conſequentis, ſi Medinæ credimus: admittit enim finem non appeti, vt habeatur ſecundum eſſe cognitum: quis enim id negabit? & tamen affirmat (eſſe cognitũ) eſſe rationem formalem obiectiuam. Et quanuis Suarius in dicta ſect. 8. nu. 8. dicat Medinam in hoc conſequenter non loqui; deberet id probare.

Accommodatius occurri poſſet cum Caietano conſequentiam inde valere; quia cum bonũ, appetibile, & finis ſint eiuſdem rationis; quod fuerit ratio formalis bonitatis, & appetibilitatis, id etiam erit ratio formalis cauſſalitatis finalis. Cum verò (eſſe cognitum) non ſit ratio formalis appetibilis, & boni, vt conſtat; vtique nec erit ratio formalis cauſſalitatis finalis. Caietani inſtantia.

Sed hæc inſtantia Caietani non tollit vim ſolutionis: quia dicent aduerſarij illam quidem rationem formaliter cõcurrere ad cauſſalitatem finis, quæ eſt ratio boni, & appetibilis: non tamen ſolam illam. Ex quo patet conſequentiã Caietani eſſe ineptam: cùm à negatione vnius modi, infert negationem omnis modi. Nam licèt (eſſe cognitum) non concurrat ad finalizationem, vt principium formale fundans bonitatem, & appetibilitatem finis: tamen poteſt concurrere, vt principium formaliter conſtituens bonum in potentia proxima, vt poſsit mouere voluntatem. Nam licet color ex ſe ſit viſibilis, tunc tamen erit in potentia proxima, vt videatur; cùm fuerit illuminatus. Non tollit vim ſolutionis.

Ad ſecundum admittent aduerſarij bonitatem, & conuenientiam eſſe rationem formalem cauſſalitatis finalis: dicent tamen eam non eſſe totalem, & adæquatam. 15 2. argumenti vis eluditur.

Ad tertium ſimili modo agnoſcent aduerſarij finem ſecundũ illud eſſe mouere, ſecundum quod obtentus quietat appetitum: & ſubinde mouere ſecundũ ſuum eſſe reale: negabunt tamen finem ſolúm mouere ſecundum illud eſſe, ſecundum quod ſatiat appetitum. Tertium infringitur.

Ex quibus facilè quis intelliget quã parua ſit vis, & efficacia argumentorũ, quæ adduximus ad expugnandam ſentẽtiam aduerſariorum, in ſenſu, in quo ab illis defenditur. Deceptio inde orta eſt, quia ſupponitur aduerſarios negare finem cauſſare ſecundum ſuum eſſe reale: cum tamen exiſtiment illum cauſſare ſecundum vtrunque eſſe, reale inquã & cognitum. Quare in eo erit incumbẽdum, vt oſtẽdatur præter eſſe reale nullum aliud principium formale ad cauſſandum eſſe neceſſarium. 16 Quid in hac q. probandum ſit.

Et quanquam difficile ſit id euidenter oſtendere: vtcunque tamen oſtendi poterit ex cõmuni principio; nihil eſſe ponen- 17 Alia ſolidiora fundamẽta. 1.

ponendum fine neceſsitate. At nulla neceſsitas cogit, vt propter rationem boni, & appetibilis aliquid concurrat ad finalizandum, tanquam principium formale. Nam apud Ariſtotelem, D. Thomam, & cæteros Philoſophos antiquos ſola bonitas eſt id, quo finis conſtituitur in actu primo, ac potentia proxima vt potens ſit, & efficax ad finalizandum: nihil enim aliud aut Ariſt. aut D. Thomas vnquam deſiderauit, vt latè oſtendimus art. 2. huius quęſtionis.

18 Primi fundamenti cõfirmatio.

Nec ad hoc confirmandum deeſt ratio philoſophica: quoniam nulla cauſſa poteſt per ſe pendere ab alio, tanquam à principio, quo fiat in actu primo, ſeu (quod idem eſt) in potentia proxima cauſſandi, niſi ab eo aliquam cauſſandi virtutem conſequatur: vt patet tam in potentijs completis, qualis eſt potẽtia calefaciẽdi, quàm in incompletis, quales ſunt potentiæ cognoſcentes: nam ignis ſine calore non eſt in actu primo ad calefaciendum: nec intellectus ſine ſpecie intelligibili habet completam virtutem ad intelligendum: denique nullũ dabitur formale principium cauſſandi, quod ipſi cauſſæ non ſit virtus, qua fiat proximè potens ad cauſſandum. Iam verò res, quæ eſt finis, nullam finalizandi vim, aut efficaciam cõſequitur ab (eſſe cognitum) cum nihil aliud ſit formaliter ſumptum, quàm vel relatio quædã rationis, vel denominatio quædam extrinſeca ſumpta à formali cognitione intellectus. Quare totam vim, & efficaciam habet à ſua bonitate, vel vera, vel apparente.

19 Secundum fundamentum.

Poteſt id ipſũ vlterius probari; quoniam (eſſe cognitum) nihil aliud ponit in re, quę cognoſcitur, niſi exiſtentiam quãdam obiectiuam: etenim omnis res ſub duplici exiſtentia poteſt conſiderari; reali ſcilicet, qua in rerum natura exiſtit: & intentionali, ſiue obiectiua, qua exiſtit in intellectu: quæ eſt apud Logicos vulgatiſsima doctrina: traditur à D. Thoma de Ente, & Eſſentia cap. 4. non longè à principio, vbi etiam Caiet. Idẽ D. Tho. in 1. diſt. 36. q. 1. art. 3. ad 2. docet Fonſeca 5. Metaph. cap. 7. q. 6. ſect. 5. & cap. 28. q. 3. ſect. 4. §. *Alterum autem.* Iã verò conſtat inter Philoſophos exiſtentiam cauſſæ, nec eſſe rationem formalẽ agendi; nec virtutem, qua agens agat; ſed ſolùm eſſe conditionem ad agendũ neceſſariam: & quanuis vnus Suarius contra omnes alios doceat exiſtẽtiam realem realiter eſſe rationem agendi: fatetur tamen illam eo modo, quo concipitur, vt diſtincta ab eſſentia, non eſſe rationem formalem agendi, ſed ſolùm conditionem, vt videre eſt apud eum in Metaphyſica diſp. 31. ſect. 10. nu. 12. 14. & 19. De qua veritate dubitari non poteſt, ſi ſermo ſit de exiſtentia obiectiua in intellectu: hæc enim, cùm diſtinguatur ab eſſentia rei, quę in intellectu exiſtit, nulla ratione dici poterit ratio cauſſandi, ſed ſolùm conditio.

D. Thom. Caiet.

Fonſeca.

20 Aduerſariæ ſentẽtiæ nõ fauet exemplum luminis.

Nec aduerſariam ſentẽtiam adiuuare poteſt exemplum ſumptum à lumine reſpectu viſus, quo Medina ſe tuetur. Primùm, quia probabiliſsimum eſt lumen ſolùm ſe habere ex parte medij, quæ fuit ſententia Auerrois pleriſque probata. Deinde, quia etiamſi admittatur lumen ſe habere ex parte obiecti, atque coloris, vt Auicenna, & plerique alij putant: tamen non eodem modo ſe habet (eſſe cognitum) ad bonum, & finẽ, quo ſe habet lumen ad colorem: nam lumen ita ſe habet ad colorem, vt vel ſit forma intrinſeca illius, ſicut Auicenna cum Caietano exiſtimat: vel ſit forma complens colorem in eſſe viſibilis, vt putat D. Thomas cum Ferrarienſi, & alijs, de quo latè diximus in 2. lib. de Anima. At nullus dixerit (eſſe cognitum) eſſe formam, vel intrinſecam, qua res fiat bona: vel complentem in ipſo bono rationem appetibilis.

Auerrois.

Auicen.

D. Thom. Ferrar.

Accedit etiam, quia lumẽ in illa opinione ita ſe habet ad colorem, vt ipſum cũ colore ſimul videatur, vt ait D. Tho. 1. contra Gent. cap. 76. & de Verit. q. 8. artic. 14. ad 6. Iam verò (eſſe cognitum) non ita cum fine concurrit, vt ipſum cũ fine ſimul appetatur: nec enim appetimus habere finem ſecundum eſſe cognitum, ſed ſecundum ſolum eſſe reale, vt Medina libenter admittit.

D. Thom.

§. 4.

Adducuntur, & ſoluuntur argumenta contra ſecundam concluſionem ſupra poſitam.

21 CONtra primam cõcluſionem nulla inſurgit dubitatio: ſed eſt omnino certa apud omnes. Secunda tamen

Prima obiectio contra 2. conclusionem.

tamen conclusio multis obijcitur difficultatibus. Contra eam primùm obijcitur: quoniam id, penes quod obiectũ mouens appetitum (finis inquam, & bonum) formaliter variari potest, non cõcurrit vt conditio mouendi, sed vt ratio formalis motiua. Sed obiectum appetitus (nempe finis, & bonum) formaliter variari potest, & de facto sæpè variatur penes (esse cognitum) ipsius finis & boni: ergo (esse cognitum) non potest concurrere vt conditio, sed necessariò concurret, vt ratio formalis, secundum quam bonum, & finis formaliter mouet appetitum. Maior huius discursus videtur indubitata: quoniam obiectum formaliter variari non potest, nisi per rationes formales obiectiuas: nam quæ concurrunt solùm vt conditio, cùm nõ concurrãt per se, sed per accidens, non possunt variare rationem formalem obiectiuè motiuam.

22 Primi argumenti confirmatio ex locis D. Th.

Minor autem probatur expressissimis locis D. Thomæ: nam 1.2.q.31. art. 3. ad 1. ita scribit: *Quod cum obiectum appetitus animalis sit bonum apprehensum, diuersitas apprehensionis pertinet quodammodò ad diuersitatem obiecti.* Rursus ibi q. 30. ar. 3. ad 2. ita habet: *Obiectum appetitus est bonum apprehensum: vnde ad diuersitatem actiui pertinet diuersitas apprehensionis.* Idem D. Thom. 1.p.q.80. art. 2. ad 1. ita ait: *Dicendum est quod appetibili non accidit esse apprehensum per sensum, vel intellectum, sed per se ei conuenit: nam appetibile non mouet appetitum: nisi in quantum apprehensum. Vnde differentiæ apprehensi sunt per se differentiæ appetibilis. Vnde potẽtiæ appetitiuæ distinguũtur secundum differẽtias apprehensas, siue secundum propria obiecta.* Ex quibus locis euidẽter constat apud D. Thomam apprehensionem non per accidens, sed per se pertinere ad rationem formalem obiecti, quo mouetur appetitus: ad hunc sensum, vt variata apprehensione varietur etiam ipsum obiectum; quæ fuit minor probanda.

Aliæ eiusdẽ argumenti confirmationes.

Quæ adhuc confirmari potest; quoniam actus appetitus variantur ex variatione boni apprehensi: nam bonum apprehensum absolutè caussat amorẽ: apprehensum verò vt absens, caussat desiderium: gaudium verò; si apprehenditur vt præsens. Quo eodem modo distinguũtur tristitia, & timor circa malum apprehensũ, vel vt præsens, vel vt absẽs.

Prætereà id, quod est bonum, apprehensum vt malum vitiat appetitum: nõ tamen quando apprehenditur vt bonũ. 23

Accedit quoniam cognitio Dei per visionem claram, & obscuram, intuitiuã, & abstractiuam diuersificat amorem: quia amor patriæ, vel est specie distinctus ab amore viæ, vt plerique putant; vel saltem est amor necessarius: cum tamen amor viæ sit liber. Denique appetitus intellectiuus, & sensitiuus essentialiter distinguũtur ex diuersitate cognitionis, vt docet D. Thom. 1.p.q.8. art. 2. *D. Thom.* Quibus omnibus euidenter patet veritas minoris præcedentis discursus, quæ habet obiectum appetitus (bonum inquam, & finem) essentialiter variari penes (esse cognitum) quod non esset, si (esse cognitum) concurreret solùm, vt cõditio, non verò vt ratio formalis, atque obiectiua.

24 Secunda obiectio.

Secundò obijcitur; quoniam caussa finalis per se requirit esse cognitum, & nihil aliud requirit: ergo (esse cognitũ) non est cõditio, sed formalis ratio caussandi finaliter. Consequentia inde patet, quia nihil aliud est esse formale principium caussãdi, quàm esse id, quod per se, ac formaliter requiritur ad caussandum. Antecedens probatur; quoniã ex superioribus patet finẽ non posse caussare, nisi sit cognitus: quod verò ad id per se concurrat, & non per accidens, probatur primò; quia id expressè docet *D. Thom.* D. Thomas 1.p.q. 80. art. 2. ad 1. cuius verba superiùs adduxim⁹. Deinde; quia illud per se ad caussandum requiritur, quo posito, ponitur caussalitas; sublato, tollitur; at sublato (esse cognitum) tollitur caussalitas, vt diximus: ponitur autem, si illud ponatur: nam esse existentię non requiritur ad finalizandum, vt patebit ex tertia conclusione.

25 Tertia obiectio. *Aristotel.*

Tertiò obijcitur; quoniam finis mouet appetitum solùm metaphoricè, vt omnes docent, & Aristoteles 1. de Generatione cap. 7. text. 55: ergo non mouet appetitum secundum esse reale, sed secundum esse intentionale: nam motio metaphorica non procedit ex esse reali, sed ex obiectiuo.

4. Obiectio

Quartò; caussa finalis, eo modo suam caussalitatem exercet, quo inter caussas est prima: at nõ est prima, nec prior cęteris secundum esse reale; quia secũdum

dum tale esse est aliarum effectus: est tamen prima secundum esse cognitum, vt patet: ergo secundū esse cognitum formaliter causat.

5.Obiectio

Quintò; nihil mouet actu, nisi quatenus est actu;& subinde nihil mouet actu nisi eo,quo est actu: sed finis,quando actu mouet, non est actu per suum esse reale,quia tunc non dum existit, sed solùm est actu per esse cognitum: ergo finis formaliter causat secundū esse cognitum.

26 Sexta obiectio, ex auctoritatibus D.Thom.& aliorum.

Sextò obijcitur: quoniam contrariam sententiam videtur probare Diuꝰ Thomas multis in locis. Nam 1.2.q.1. art.1.ad 1.docet finem, prout est primꝰ in intentione, habere rationem causæ; non verò prout est vltimus in executione: quod in substantia docuit Auicena in sua Metaphysica tract.6. cap. vlt. lit. E: finis autem est primus in intentione secundum esse cognitum.

Auicen.

Deinde expressius id significauit in locis citatis in 1.argumento: ex quibus euidenter constat apud D. Thomam apprehensionem esse differentiam per se, &non per accidens obiecti appetitus,& subinde se habere in bono, & fine,vt rationem obiectiuam. Et hanc esse mentē D.Thomę affirmat Caietanus 1.2.q.30. art.3. ad finem: quo in loco docet esse contra veritatem philosophiæ asserere apprehensionem se habere ad obiectū appetitus, tanquam approximationem actiui ad passiuum, cùm verè sit ratio obiectiua illius. Nec desunt, qui putent Caietanum oblitum sui aduersariā sententiam docuisse:ita de Caietano cēsuit Bellomont.1.2. disp.2. cap.1. in 2. opin. Imò,& Medina putat pro se stare Caietanum. Quin potius in eadem opinione (teste Bellomontano) fuit Capreolus in 2.dist.25.q.1.art.3.Ad argumenta Heruei contra tertiam, fol. 241. column.4. post medium, & ad argumenta Gregorij,& Adami in fine quæstionis,quatenꝰ asserit actum voluntatis procedere à cognitione finis, tanquam à ratione agendi. Denique contra nostram sententiam refertur Soncinas in 5. Metaph.q. 3.& cum eo communis recentiorū Thomistarum,vt affirmat Iauellus 5.Metaphysi.q.6.

Caiet.

Capreol.

Soncinas.

27 Vltima obiectio.

Postremò obijcitur,quia fieri nō potest, vt esse cognitum sit conditio sine qua non:hæc enim ad agendum concurrit peraccidens, & non per se, vt patet in approximatione agentis ad passum. Cui argumento est: quia diuina potentia fieri potest, vt agens agat sine approximatione: potest enim agens agere immedtatè in rem distantem: at esse cognitum non se habet peraccidens ad causalitatem finis, sed per se; etenim nec diuinitus fieri potest, vt finis non cognitus moueat voluntatem.

28 Solutio primi argum.

Hæc argumenta facilè soluuntur. Ad primum respondebit aliquis ad mentē Cursus Conimbr.in dicta q.23. libri secundi Physicorum art.3.ad 3. & in Ethicis disput.4.art.1.concl.2. vbi aduertit bonum cognitum duobus modis se habere ad actum voluntatis. Vno modo vt finem,prout scilicet voluntatem mouet eam alliciendo ad agendum: altero modo,vt terminum,formamque extrinsecam specificantem voluntatis actum. Priori modo requirit notitiam, tanquā conditionem duntaxat: posteriori modo eam requirit, vt rationem formalē obiectiuam. Ad argumentum igitur,cō cessa maiore, distinguenda est minor: nam si intelligatur de bono cognito, prout causalitatem finalem exercet; neganda est:quia sub hac consideratione obiectū non variatur penes esse cognitum: benè tamen si bonum cognitum consideretur prout est terminus specificans actum. Et in hoc sensu admittenda est minor:nam & in eodem intelligitur à D. Thoma, Caiet. & Capreolo locis citatis in argumento.

29 Verior alia eiusdem obiectionis solutio.

Sed verius sentiet, qui dixerit obiectum appetitus neutro modo variari penes esse cognitum, & subinde cognitionem formalem, nec ad finalizandū, nec ad specificandum concurrere, vt rationem obiectiuam, sed semper vt cō ditionem duntaxat. Quam sententiam tanquam verisimā modo supponimus, quam optimè explicāt Bellomontanus 1.2.disp.36.cap.3.n.14.& Suarius in Metaphy.disp.33.sect.8.n.11.12.& 13.Eam satis insinuat D.Tho.1.2.q.9.art.1.dum ait: *Intellectum mouere voluntatem per modū proponentis obiectum.* Quod etiam docuerat de Verit.q.22. art.12. Ex qua resolutione benè infertur cognitionem cōcurrere vt prę sentantem rationem obiectiuam, non verò vt rationem obiectiuam

ctiuam præsentatam. Et subinde nec cõ currere vt formaliter finalizantem, nec
30 vt formaliter specificantem.

Quare ad argumentum concessa maiore, minor simpliciter est negãda: quia cognitio ipsa nullo modo potest variare obiectum appetitus formaliter, idest vt ratio formalis, sed solùm applicatiuè; quatenùs potest applicare obiectũ secundum diuersam rationem formalẽ motiuam: quia scilicet potest proponere obiectum vel sub ratione boni, vel sub ratione mali: sub ratione futuri, vel sub ratione præsentis, &c.

Ad auctoritates D. Thomæ, quæ objciuntur, respondet Suarius vbi suprà n. 12. & 13. D. Thomam, quando ait, diuersitatem apprehẽsionis pertinere ad diuersitatem obiecti, intelligendum esse non formaliter, sed applicatiuè: hæc tamen explicatio satis est aliena à mẽte D. Thomæ, vt ex adductis locis facilè quis intelliget: maximè ex loco 1. 2. q. 30. art. 3. ad 2: ibi enim verbis expressis agit de diuersitate formali, non de applicatiua.

Aliena iudicatur à mente D. Tho.

31 Præmissum ad explicationem mẽtis D. Tho.

Quare pro explicatione huius difficultatis, ac mentis D. Thomæ, notandũ est duobus modis intelligi posse cognitionem ipsam variari: vno modo subiectiuè: altero modo obiectiuè, vt benè aduertit idem Suarius in dicto num. 12. Tunc variatur subiectiuè; cum ipsa variatur in se, suaque entitate: vt quando variatur penes clarum, & obscurum: certum, & probabile, &c. Obiectiuè tũc variatur, cùm variatur ratio motiua, sub qua obiectum concipitur; vt cùm res, quę cognoscitur, variatur penes bonum, & malum; prẽsens, vel futurum: honestum, vel iucundum. Si quis nunc inquirat, an obiectum appetitus, bonum inquam cognitum, varietur variata cognitione? respondendum est affirmatiuè, si cognitio varietur obiectiuè: secus dicendum est, si solùm varietur subiectiuè. Dixi (si solúm varietur subiectiuè) quia interdum contingit, vt variatio subiectiua cognitionis redundet in obiectum: ita vt ad ipsum obiectum varietur quoad rationem motiuam. Nam variatio cognitionis penes sensitiuum, & intellectiuum (quæ subiectiua est) necessariò redundat in obiectum: quia obiectum cognitionis sensibilis est obiectum sensibile sensibiliter afficiens appetitum: obiectum verò cognitionis intellectiuæ, licèt interdum sit obiectum sensibile: semper tamen mouet appetitum intelligibiliter. Idem reperitur in variatione subiectiua cognitionis penes absolutam, & discursiuam, siue deliberatam: hæc enim variatio necessariò infert bonum, quod appetitur esse bonum conueniens secundum naturam; vel bonum conueniens præter id, quod natura requirit: quorum illud dicitur bonum naturale: hoc verò bonum animale. Idem reperies in cognitione Dei subiectiuè variata penes esse claram, & obscuram: intuitiuam, vel abstractiuam. Ex hac enim subiectiua variatione necessariò infertur variatio obiectiua; quia in vna repræsentatur bonum diuinum, vt in se est præsens: in altera verò repræsentatur vt abstrahens à præsentia reali, & tanquam præsens solùm intentionaliter. Ex quo rursus infertur, vt in vna cognitione repræsentetur bonum diuinum secundum omnem suam totalitatem, & perfectionem: in altera verò secundum partem, idest secundum aliquam determinatam perfectionem, & confusam.

Concludendum est igitur obiectum appetitus nunquam variari ad variationem cognitionis, nisi cognitio ipsa varietur obiectiuè. Quæ fuit expressa sententia Diui Thomę de Veritat. quæstion. 25. articul. 1. ad sextum: vbi ait, *Diuersitatem apprehensionum per accidens se habere ad vires appetitiuas, nisi diuersitati apprehensionum coniungatur diuersitas apprehẽsorum.* 32 D. Thom.

Ex his iam patet explicatio mentis Diui Thomæ: etenim in omnibus citatis locis agit de variatione cognitionis, non quidem subiectiua, vt talis est; sed de obiectiua. Quod satis expressit D. Thom. 1. 2. q. 30. art. 3. ad secundum, qui tertio loco nobis obijcitur, ita enim ait: *Diuersitas concupiscentiarum naturalium à non naturalibus non est materialis, sed etiam quodammodò formalis; in quantum procedit ex diuersitate obiecti actiui.* Ecce sermo est de diuersitate obiecti penes rationem actiui, siue potius motiui. Deinde scribit verba, quę nobis obijciuntur, inquiens: *Obiectum appetitus est bonum ap-*

Colligitur explicatio mentis Diui Thom.

 preben-

prehensum: vnde ad diuersitatem actiui pertinet diuersitas apprehensionis. Apprehentionis, inquam obiectiuè sumptæ: est enim sensus; ad diuersitatem obiecti motiui pertinet diuersitas obiectiua apprehensionis: hæc enim diuersificat obiectum formale, vt constat, tum ex verbis D. Thomę de veritate loco citato; tum etiam ex ijs, quæ immediatè sequuntur, quæ ita habent: *Prout scilicet apprehenditur aliquid vt conuenies absoluta apprehensione, & prout apprehenditur aliquid cum deliberatione.* Sensus est, quia in vna apprehensione, nempe sensitiua, apprehenditur res vt conueniens materialiter tantum, non verò formaliter, quia non apprehenditur sub ratione conuenientis; sub qua apprehenditur, quando apprehenditur cognitione intellectiua. Quæ diuersitas necessariò infert diuersitatem obiectiuam obiecti apprehensi. Hæc est vera huius loci expositio, quæ placet Conrado ibi.

Conradus. Eodem modo explicanda sunt reliqua loca, quæ nobis obijciuntur: intelliguntur enim de diuersitate, & variatione apprehensionis, non subiectiua, sed obiectiua: vt facilè intelliget, qui vtriusque loci literam diligentius considerauerit.

Ex dictis etiam patet explicatio eorum, quæ in confirmationem minoris negatę adducuntur: nam variatio boni apprehensi sub ratione absentis, vel prę sentis pertinet ad rationem obiectiuã obiecti appetitus. Vnde non est mirum, si bonum apprehensum sub diuersis illis rationibus diuersos çausset effectus. Idem dicendum erit de apprehensione mali simili modo variata. Variatio etiam cognitionis secundum clarum, & obscurum: intuitiuum & abstractiuum; quanuis sit subiectiua ipsius cognitionis: infert tamen variationem obiectiuam, vt iam diximus: vnde nihil mirum si varietur ratio amoris, vel specificè, vel quoad modum, vt in argumento tãgitur. Idem dicendum erit de variatione cognitionis penes sensitiuum, & intellectiuum: hæc enim redundat in variationem obiectiuam, vt superiùs ostẽdimus: sine qua variatio illa subiectiua non esset satis ad distinguendos diuersos appetitus: vt colliges ex Diuo Thoma de veritate loco citato.

33 Solutio aliarum confirmationum primæ obiectionis.

D. Thom.

Ad secundum argumentum respondetur, esse cognitum, vel per sensum, vel per intellectum non se habere omnino per accidens respectu appetibilis, sed p se: non quidem ad virtutem agendi, rationemque motiuam; sed ad statum necessarium, vt possit mouere appetitum, sicut latiùs dicemus ad vltimum argumentum. In quo sensu admisso antecedente, neganda est consequentia. Cuius probatio procederet, si (esse cognitum) per se conueniret appetibili in ordine ad virtutem mouendi: in quo sensu antecedens non admittitur; nec in eo probatur à D. Thoma in citato loco. Nec ratio adducta in confirmationem quic quam efficit: quoniam negandum est ad solum (esse cognitum) præcisè sumptũ poni caussalitatem finalem: etenim nisi res, quæ est finis, & bona, apprehendatur, vt bona, & conueniens, nunquam mouebit appetitum, vt per se patet. Opus est igitur, vt apprehendatur ratio bonitatis, & conuenientiæ: & subinde non sufficit rem apprehendi, vt possit finalizare.

34 Solutio secundæ obiectionis.

Ad tertium admittitur antecedens in sensu explicato supra §. 2. in secundo præmisso: sed neganda est consequentia, si consequens intelligatur de esse reali essentiæ rei, quæ tanquam possibiliter futura concipitur: nã licet caussalitas finalis sit motus, actiovè solùm metaphoricè: est tamen vera, & realis caussalitas, vt sæpe aduertimus, & admittunt omnes; sicut aduertit Cursus Conimbricensis 2. Physic. cap. 7. quæst. 20. art. 2. ad tertium. Vera autem caussalitas non potest procedere ab esse intentionali rei, quæ intelligitur; sed ab esse reali illius, nomine rei fusius sumpto: etenim res, quæ est finis, non mouet, vt acquiratur secundum esse intentionale, sed secundũ esse reale, quod à parte rei existimatur habitura. Itaque res realis realitate essentiæ mouet appetitum, supposito tamen quod sit cognita.

35 Tertię obiectionis solutio.

Ad quartum respondent Fonseca 5. Metaphy. cap. 2. q. 10. sect. 4. ad 2. & Cursus Conimb. 2. Phy. cap. 7. q. 23. art. 3. ad 1. quorũ solutio clarior euadet, si ita explices maiorẽ, vt caussa finalis secũdũ illud esse exerceat suã finalẽ caussalitatẽ, secũdũ quod, priusquã cęterę caussę, potest caussare: etenì finis dicit esse prima inter

36 Solutio 4. obiectionis *Fonseca.*

inter causſas, quia priusquàm cæteræ ſuam cauſſalitatem exercet. Explicata ad hunc ſenſum maiore propoſitione, neganda eſt minor, ſi intelligatur de eſſe reali eſſentiæ: nam cauſſa finalis ſecundum tale eſſe, quanuis ſit vltima in ordine executionis, qui terminatur ad rem eſſentię ſub eſſe actualis exiſtentię: eſt tamen prima in ordine intentionis, qui terminatur ad eandem rem eſſentiæ ſecundum exiſtentiam obiectiuam. Itaque eademmet res, quę eſt cauſſa finalis, ſumpta prout eſt res eſſentiæ, eſt prior, & poſterior cęteris cauſsis, ſecũdum aliud, & aliud eſſe exiſtentię, quo modificatur. Nam ſecundum eſſe exiſtẽtię obiectiuæ, ſecundum quod in ordine intentionis prius concipitur, quàm cęterę cauſſę, in ratione cauſſę; eſt cæteris prior, & ſic eſt prima cauſſa: at verò ſecundum eſſe realis exiſtentiæ eſt poſterior, & effectus cauſſæ agentis. Itaque ſi rem eſſentiæ in cauſſa finali diſtinguas ab eſſe exiſtentię, tam realis, quam obiectiuę (ab vtraque enim omnium conſenſu aliquo modo diſtinguitur) omnia erunt plana, quia omnis tolletur ęquiuocatio.

37 Ad quintum reſpondet Fonſeca in dicta ſect. 4. ad primum: facilius tamen diſſoluetur, ſi æquiuocationem, quæ latet in maiori propoſitione explicem: nam hæc propoſitio, *Nihil mouet actu, niſi quatenus eſt actu*, duplicem continet æquiuocationem: vnam in verbo (actu) alteram in reduplicatiua (quatenus) Prima ęquiuocatio patet: quia (actus) duobus modis ſumi poteſt: vno modo pro actu realis exiſtentiæ; altero modo pro actu fotmali, quo res quæque conſtituitur in eſſe talis eſſentiæ, & ſpeciei: nam homo eſt actu homo per animam rationalem, & ignis per ſuam ſubſtantialem formam, qua eſt ignis: & ſanitas per differentiam ſuæ entitatis, qua reponitur in eſſe ſanitatis.

Sublata duplici æquiuocatione diſſoluit 5. obiectio.

38 Secunda æquiuocatio etiam eſt nota: quoniam reduplicatiua (quatenus) vel poteſt reduplicare rationem formalem mouendi: vel ſolam conditionẽ neceſſariam ad mouendum: id quod in ſimili reduplicatiua docuit Caiet. 1. 2. q. 1. art. 1. quem cęteri omnes ſequuntur, vt Fonſeca 5. Metaphy. cap. 2. q. 10. ſect. 3. §. *Potius ergo concilianda ſunt*, Curſus Conimbr. Suarius, & cęteri, quos in hac quæſtione citauimus.

Si propoſitio ſumpta in maiori intelligatur de actu realis exiſtẽtiæ, qua mouens exiſtit in rerum natura; falſa eſt, ſi generaliter intelligatur; ſiue reduplicetur ratio formalis mouendi, ſiue conditio: nec enim omne mouens, vt actu moueat, neceſſario requirit actualem exiſtentiam: hęc enim ſolùm eſt neceſſaria in eo mouente, quod propriè, & realiter mouet (quale eſt efficiens) non verò in eo, quod mouet ſolũ metaphoricè, qualis eſt cauſſa mouens finaliter: ad hanc enim ſatis eſt exiſtentia obiectiua, & intentionalis: nam cum moueat alliciendo appetitum, qui ex ſua natura ſequitur formam apprehenſam; ſatis erit exiſtentia obiectiua; vt omnes admittunt. Quare ſi ſermo ſit de actu exiſtẽtiæ realis, argumentum locum non habet in cauſſa finali. Quin potius nec locum habebit in cauſſa verè efficiente: quia in hac cauſſa particula (quatenus) ſolùm reduplicat conditionem agendi. Conſtat enim exiſtentiam non eſſe rationẽ formalem agendi cauſſæ efficienti, ſed conditionem agentis duntaxat, vt ſupponimus. Vnde ex illa propoſitione nõ infertur nihil actu mouere, niſi eo, quo eſt actu, ſi ſermo eſt de actu exiſtentiæ realis: quia à conditione agendi non benè infertur ratio formalis agendi.

39 Porrò ſi maior intelligatur de actu formali eſſentię; maior eſt veriſsima: quia in vnaquaque re id, quod eſt formalis ratio eſſendi, eſt principium formale agendi. Sed minor, quæ ſubſumitur, non poteſt cum maiore benè ſyllogizare: quia de actu formali, & eſſentiali tranſit ad actum exiſtentiæ.

40 Diſſoluitur ſexta obiectio. Ad ſextum negandum eſt omnino D. Thomam contrariam ſententiam vnquam approbaſſe; vt contra nonnullos ex Schola Thomiſtarum; Medinam inquam, & alios benè aduertit Fonſeca in dicta quęſtion. 10. ſect. 4. in principio, quin potius eum prò nobis ſtare colligit Fonſeca ex 1. contra Gent. cap. 75. argument. 5: quatenus ait D. Thomas finem ex eo habere vim finalizãdi: quia eſt perfectus, & bonus: nec ad id requiſiuit eſſe cognitum. Forſitan clariùs id deduces ex Diuo Thoma de Veritat. quęſt. 25. articul. 1. ad ſextum, dum ait:

Diuersitatem apprehensionis peraccidens se habere ad distinguendas potentias appetitiuas; nisi illi coniungatur diuersitas apprehensorũ. Quod esset falsum, si apprehensio cõcurreret, vt ratio formalis obiecti appetitus.

41 Loca Diui Tho. propositæ conclusioni nõ cõtradicunt.

Nec obstant loca, quę ex D. Thoma obijciuntur: nam locus ex prima secũdę q.1.artic.1.(qui teste Fonseca plurimos fefellit) solùm probat finem, prout est primus in intentione habere rationem caussę formalis: quę verba non significant id, quo finis formaliter caussat esse ipsum esse intentionale: sed solùm significant finem, tunc finalizare, cum ab intellectu concipitur: concipitur autem secundum esse naturale, & essentiale, secundum quod habet rationem boni. Quare ex illo loco nihil contra nos inferri posse post Heruæum quodlib. 2. q. 1. aduerterunt Fonseca vbi supra, & Cursus Conimbricensis in dicta quæstion. 23. articul. 3. Eodem modo est intelligendus Auicena cum eadem verba scribat, quæ D. Thomas.

Heruæus. Fonseca.

Auicen.

Sed nec aliquid contra nos colligi potest ex 1.2.quæst.30.artic.3.ad secũdum, & q.31.art.3.ad primum, & 1.par. q.80.artic.2.ad primum: quia in his omnibus locis solùm agit Diuus Thomas de apprehensione obiectiuè accepta, vt suprà latè ostendimus in solutione primi argumenti.

Caietani locus explicatur.

In quo etiam sensu intelligendus est Caietanus 1.2.q.30.artic.3.ad primum, vt facilè quis colliget ex probatione assertionis, quam affert; ita enim scribit: *Et hoc sine dubio oportet omnes fateri ex eo, quod nihil differt bonum, vel apparens bonum; & ex eo, quod appetitus est malus tendens in verè bonum, apprehensum vt malum.* Quæ verba euidenter ostendunt Caietanum non agere de apprehensione formaliter, sed obiectiuè sumpta: nam agit de apprehensione, qua apprehenditur verè bonum sub ratione mali: & id, quod est malum, sub apparentia boni: quę rationes sunt obiectiuæ. Quare nec Medina potest pro sua opinione citare Caietanum: nec Bellomontanus Caietanum arguere, quod opinionem mutauerit.

42 Nec Capreolus nec Soncinas aduersarijs fauet.

Sed nec Capreolus pro Medina citari potest: quia expressè agit de cognitione obiectiuè sumpta, idest de obiecto cognito, quod ipsum (vt putat) concurrit ad actum voluntatis non efficiẽter, sed vt forma illum specificãs. Quarè nec agit de ratione finalizandi actũ voluntatis, sed de ratione specificandi: nec agit de cognitione formaliter sumpta, sed solùm obiectiuè.

Denique nec Soncinas contra nostram sententiam rectè affertur, si benè expendatur: quoniam agit de re, quę est finis, cui, vt ait, conuenit caussalitas finalis, prout tamen est in anima: ân verò esse in anima (quod appellat esse reale: falso tamen) concurrat formaliter, an verò solúm vt conditio? non exprimit.

43 Circa vltimum argumentum dubitatio Sententia Scoti.

Postremum argumentum petit explicemus, an (esse cognitum) concurrat ad caussalitatem finalem, vt pura conditio sine qua non; ac veluti approximatio agentis ad passum? Partem affirmantem probauit Scotus, si credimus Caietano 1.2.q.30.artic.3. ad finem Cõmenti, & eam insinuat Suarius in dicta disputat.23. sect.8. numer.10. Quę opinio confirmari potest; quoniam ex sententia Diui Thomæ prima secundæ q. 9. articul. 1. intellectus concurrit ad motum voluntatis, vt proponens illi obiectum.

Cõfirmatur ex D. Tho.

Quid dicendum sit cũ Caiet.

Ego tamen puto dicendum esse cum Caietano 1.2.q.1.art.1. §. *Ad quarum euidentiam scito*. esse cognitum non concurrere, vt puram conditionem, & solùm per modum approximationis obiecti ad appetitum, sed vt conditionem per se, & non per accidens necessariam; non quidem finalizandi, sed finalizantis. Quo modo subsistentia agentis concurrit ad actionem, non vt ratio agendi, sed vt conditio agentis: agens enim, nisi realiter subsistat, existatque in rerum natura, non poterit agere. Vnde nec existentia agentis, nec illius subsistentia est pura conditio, quæ peraccidens sit necessaria, sed est conditio per se, non quidem necessaria ad virtutem agendi, sed ad statum agentis. Eodem igitur modo se habebit (esse cognitum) ad rem, quę est finis; cum enim (esse cognitum) sit existentia obiectiua finis; eo modo concurret cum fine ad finalizandum, quo realis existentia concurrit cum caussa efficiente ad efficiendum. Et in hoc sensu (esse cognitum) non per accidens conuenit bono,

D. Thom. no, & fini, sed per se, vt argumentum probat, & affirmat D. Thomas in dicta quæstion. 8. artic. 2. ad primum: non quidem ad rationem finalizandi, sed ad statum finalizantis: etenim omnis causa, vt causet: indiget existentia vel reali, vel obiectiua; non quidem, vt fiat in actu primo agendi, sed vt constituatur in statu necessario ad agendum.

§. 5.

Ponuntur aliæ conclusiones pro resolutone quæstionis.

44 Tertia conclusio. SIT tertia in ordine conclusio: finis non causat secundum esse reale existentiæ exercitæ; ideſt secundum esse existentiæ, quo acquisitus existit. Hæc conclusio est indubitata, & vt puto sine vlla controuersia recepta.

Soncin. Eam latè confirmat Soncinas lib. 5. Metaphysic. quæst. 3: quo in loco ad hunc sensum negat finem causare secundum esse reale; quia negat eum causare secundum esse reale existentiæ, qua actualiter existit, cùm actione agentis acquiritur: hunc enim sensum, & non alium impugnant illius argumenta. Eandem

Auicen. sententiam in sensu explicato docuit Auicena in sua Metaphysica tractatu 6. capite vltimo, lit. E: agit enim de esse

Caiet. existentiæ, quod finis in executione cõsequitur. Idem docet Caietanus prima secundæ, quæst. 1. artic. 1. §. *Ad quarum euidentiam scito*, quem sequuntur omnes

Fonseca. posteriores, nempe Fonseca 5. Metaphysic. cap. 2. quæst. 10. sect. 3. §. *Sed quæret aliquis*: Cursus Conimbricensi. 2. Phy-

Pereir. sicor. cap. 7. quæst. 23. artic. 3. ad primũ. Benedictus Pereira lib. 8. de principijs rerum naturalium cap. 4. in principio: Suarius in Metaphysica disput. 23. section. 8. numer. 7. & 14. & tandem Bellomontan. 1. 2. disput. 2. cap. 3. post principium. Ex quibus constat hallucinatum fuisse Bellomontanum, dum disput. 23. cap. 1. in fine primæ opinionis dixit auctores, qui docent finem agere secundum suum esse reale pro eodem vsurpasse esse reale, & esse in executione. Nam Doctores citati admittunt finem agere secundum suum esse reale; & tamen negant eum agere secundum esse reale, quod in executione habet. Nec poterant vnum pro altero vsurpare, quia finis sub esse existentiæ exercitæ est effectus, non solùm agentis; sed etiã suæ finalis causalitatis, vt in sequentibus ostendemus: igitur existentia exercita, id est, quæ est in executione, nullo modo potest esse ratio formalis causalitatis finalis. Consequentia inde probatur: quia id, quod est formalis ratio agendi antecedit saltem natura causalitatem, cuius est ratio. At illud esse existentię, prout est in executione, non antecedit causalitatem finis, cum sit illius effectus: quin potius causalitas, tã agentis, quam finis omnino cessat, cùm adest talis existentia ex Aristotel. 1. de Generat. cap. 7. text. 55: ergo illa existẽtia, vt sic non potest esse ratio causalitatis finalis.

Conclusionis fundamentum.

Aristotel.

Accedit eò, quia illud non potest esse principium formale agendi alicui causæ, sine quo causalitas illius haberi potest. At finis potest habere suam causalitatem finalem, quanuis illius existentia non ponatur in executione: ergo talis existentia non potest esse ratio formalis causalitatis finalis. Consequentia cum maiore est nota. Minor inde fit euidens, quia finis actu finalizat actionem agentis, cuius intentio frustratur, ideo, quia finem non est consecutus, in quo casu finis non habuit esse existentiæ. Ex qua ratione colliges esse existentiæ exercitæ (vt appellant) nec posse concurrere ad finalizandum, vt conditionem sine qua non: in quo cõueniunt auctores supra citati.

45 Alia ratione probatur conclusio.

Contra hanc tertiam conclusionem primùm obijci potest; quoniam vt verum habeat in fine *cuius*: tamen verum habere non potest in fine *cui*: is enim cum existat, quando actu mouet: verè mouet secundum esse reale existentiæ etiam, vt exercitæ.

46 Contra statutam conclusionem 1. obiect.

Deinde, vt conclusio vera sit, quando finis alliciendo mouet agens ad agendum illius consequendi gratia; quia vt sic non dum existit: non tamen est vera, quando finis causat satiando appetitum: tunc enim, cum moueat, vt est existens; non potest non mouere secundum esse reale suę existentiæ, etiam vt exercitæ.

2. Obiectio

Primum argumentum facilè quis soluet, si dicat conclusionem positam solùm habere locum in fine *cuius*: de quo

47 Soluitur 1. obiectio.

solo à Philosophis excitatur dubitatio, solum enim agunt de fine, qui mouet ad sui consecutionem.

At tamen non errabit, qui conclusionem extẽderit ad finem *cui*: etenim nec in eo existentia est formalis ratio finalizandi. Quæ sententia 1. ex eo ostenditur; quia finis *cui* potest finalizare etiã non dum existens in rerum natura: vt cum Fonseca contra Suarium ostendimus suprà art. 1. huius quæstionis, §. 5. *ad* 2. At nulla caussa potest caussare sine sua formali ratione caussandi. Deinde, cum finis *cui* finalizet perfectionem sibi debitam: ratio formalis finalizandi erit bonitas absoluta, ac per se subsistens, quatenus est appetens suę perfectionis, vt patet ex ijs, quæ diximus supra q. 2. Existentia verò non semper est necessaria, nisi quando quis appetit sibi bonum: tunc autem ad summum concurret, vt conditio finalizantis.

Fonseca.

48 Secũdæ obiectionis explicatio.

Ad secundum plerique facilè admittunt conclusionem solùm esse intelligẽdam de fine, qui mouet agens ad agendum sui consequendi gratia: non verò de fine, quatenus obtentus quietat appetitum: tunc enim finalizat secundum esse reale existentiæ, vt exercitæ. Hanc tamen sententiam non recipit Fõseca in dicta q. 10. libr. 5. Metaph. sect. 3. in principio, quia putat finem obtentũ nullam caussalitatem finalem exercere. Verùm nos oppositum docebimus inferiùs artic. 7. §. 5. Dicendum est igitur præcitatam sententiam in hoc sensu esse admittendam, vt scilicet finis obtentus finalizet conseruationem sui sub actuali existentia: cuius finalizationis ratio formalis non est præcisè ipsa existẽtia, sed ipsa bonitas essentialis; vt appetens conseruari sub existentia.

Fonseca.

49 4. Cõclusio.

Quarta conclusio: finis nullo modo formaliter caussat secundum esse reale existẽtię etiam absolutè sumptum, hoc est abstrahendo ab esse existentiæ præsenti, aut futuro, saltem existimatione. Oppositum docet Suarius in Metaphysica disp. 23. sect. 8. n. 14. dum docet existentiam absolutè sumptam in sensu explicato esse rationem formalem caussalitatis finalis, ita vt finis formaliter causset secundum esse existentiæ realis absolutè sumptæ. Ego tamen puto oppositum esse verisimum, si sermo sit de existentia prout distinguitur ab essentia. Fundamentum ex eo puto esse sumendum; quoniam existentia, prout distinguitur ab essentia, semper concipitur vt modus distinctus ab ea, vel ex natura rei, vt communis docet, vel sola ratione, vt idem Suarius existimat in Metaphysica disp. 31. sect. 6. n. 13. 14. 15. & clariùs sect. 10. num. 14. Nec enim cum illis sentimus, qui asserunt existentiam esse ens positiuum realiter distinctum ab essentia. Iam verò id, quod vel solum est modus essendi, vel pręcisè in se concipi non potest, nisi vt essendi modus; non potest esse alicui caussæ ratio formalis caussandi. Quam doctrinam in cęteris caussis concedit idem Suarius in dicta sect. 10. num. 14. & in caussa finali à fortiori id erit concedendum; ob eam rationem, quia nihil potest esse fini formalis ratio caussandi, nisi sit vel bonitas ipsa, vel fundamentum bonitatis: etenim sola bonitas est adæquata ratio formalis, & appetibilitatis, & finalizationis. Iam verò id, quod solùm est modus essendi, non potest fundare aliquã bonitatem: nam cum modus essendi nõ sit entitas; non erit perfectio: in qua sola fundatur bonitatis ratio.

Fundamentum conclusionis.

Contra hanc conclusionem sic argui potest: quoniam finis secundum illud esse mouet caussam efficientem, secundũ quod obtentus satiat desiderium; non obtentus autem reddit actionem agentis frustratoriam. At finis non satiat desiderium, nisi cum obtinetur secundum esse realis existentię: hoc enim adepto quiescit agens: non adepto autem, frustra laborasse dicitur. Ergo finis mouet formaliter secundũ esse realis existentię absolutè sumptum.

50 Argumentum aduersus propositam conclusionem.

Respondetur hoc argumento solùm probari finem mouere secundum esse suæ entitatis, & essentiæ, vt obtinendum sub reali existentia: ita vt ratio formalis motiua sit bonitas naturalis, & essentialis ipsius entitatis, sub hac tamen conditione, vt existimetur obtinendum sub actuali existentia: nam sanitatis entitas actualiter obtenta est, quæ satiat appetitum; non verò existẽtia illius. Vnde illa eadem entitas, vt habenda sub actuali existentia est, quæ formaliter mouet, sub illa tamen conditione.

Responsio

Quintæ

51 Quinta Cóclusio.

Quinta Conclusio: finis formaliter causſat ſecundum eſſe reale, ac naturale ſuę entitatis eſſentialis. Hanc concluſionem puto ab omnibus vtriuſque opinionis auctoribus eſſe receptam. Eam euidens ratio demonſtrat: nam ex ſententia Ariſtotelis, & omnium Philoſophorum prima, & adæquata ratio formalis finalizandi eſt perfectio, & bonitas ipſius finis; vt latiſsimè oſtendimus ſupra art. 2. huius quęſtionis; Et ſatis docet D. Thom. 1. contra gent. cap. 75. argum. 5. dum ait finem ideo vim habere ad finalizandum; quia eſt perfectus, & bonus. At finis (ſicut, & quælibet alia res) habet quod ſit bonus & perfectus, ab entitate ſuæ eſſentiæ: hæc enim eſt, quę dicitur conueniens appetenti; hæc, quę ad illius realem perfectionem pertinet, & qua non obtenta dicitur agentis intentio fruſtrari: etenim tũc fruſtrata eſt medici intentio in applicanda medicina, cùm ſanitatis entitas ad actum exiſtentiæ non reducitur: in hac, dum actualiter acquiritur, conquieſcit agentis appetitus. Igitur hæc eſt formalis ratio, ſecundum quam finis formaliter mouet appetitum. Quæ ſententia videtur expreſſa Ferrarien. 1. contra gent. cap. 44. §. *Siendum.* 2. & §. *Sed tamen cauendũ.* Eandẽ mihi probat Caiet. 1. 2. q. 1. ar. 1. §. *ad quarũ euidentiam*, dum ait: *Eſſe in rerum natura*, quod eſt ratio formalis finalizãdi, nec includere, nec excludere eſſe in executione; ideſt eſſe realis exiſtentię. Iam verò eſſe rei, quod nec includit, nec excludit eſſe exiſtentiæ, non eſt aliud, quàm eſſe entitatis eſſentialis, quatenus eſſentialis eſt, & ab exiſtentia diſtinguitur: hæc enim entitas, nec includit eſſe exiſtentię; quia exiſtentiam acquirit per actionem agentis: nec à ſe illud excludit; quia mouet ad illud habẽdum.

D. Thom. Ferrar. Caiet.

52 Fonſeca.

Eandem etiam amplexus eſt Fonſeca in 5. Metaphy. cap. 2. q. 10. ſecti. 3. §. *Sed quæret aliquis*, dum affirmat eſſe rei, quæ eſt finis, abſolutè ſumptum eſſe id, quo finis mouet, v.g. ipſam ſanitatem abſolutè acceptã mouere appetitũ ad actualem aſſecutionem ſui ipſius. Iam verò eſſe rei abſolutè ſumptæ non eſt aliud, quàm eſſe entitatis eſſentialis. Eiſdem verbis rem explicauit Conradus 1. 2. q. 1. art. 1. Ad 1. D. Thomæ in 2. dicẽdi modo, dum ait: Eſſe rei abſolutè, & ſecundum ſe ſumptæ (prout ſcilicet abſtrahit ab exiſtentia reali, & obiectiua) eſſe id quo finis formaliter finalizat. Iam verò pręter eſſe exiſtentiæ realis, vel obiectiuæ non datur aliud eſſe, niſi eſſe eſſentię, ideſt ipſa entitas eſſentialis, quæ ab exiſtentia diſtinguitur: hoc autem eſſe dicitur abſtrahere ab exiſtentia reali, & obiectiua, non quod in illo ſtatu ſolitario finalizet; vt Conradum malè interpretatur Bellomontanus in dicta diſp. 2. cap. 3. nam ipſe Cõradus fatetur illud eſſe abſolutè ſumptum non finalizare, niſi ſit in intentione: ideo igitur dicitur abſtrahere ab vtraq; exiſtentia, quia illud eſſe ſecundum ſe ſumptum, nec vnã, nec alteram exiſtentiam ſibi vendicat, quanuis ſi debet exiſtere ſub altera illarum exiſtat neceſſe ſit.

Conradus.

53 Vltima concluſio.

Poſtrema concluſio: vt finis ſecundũ eſſe reale ſuæ eſſentiæ poſsit finalizare, neceſſe eſt concipiatur, vt poſsibiliter futurus: ipſum tamen eſſe poſsibiliter futurum non eſt illi ratio finalizãdi, ſed ſolùm conditio. Prior huius concluſionis pars experientia eſt nota: nam quanuis, vt finis moueat, non neceſſe ſit, vt abſque dubio ſit futurus: quia ampla meſsis fortè non futura mouet agricolam, vt mandet terrę ſemina, & ſanitas, quam ægrotus fortè non conſequetur, mouet medicum ad curationem adhibẽdam: quanuis etiam, nec ſit neceſſe, vt abſolutè exiſtimetur futurus, quia plerique multa aggrediũtur cũ dubio, num ad finem intentum peruẽturi ſint: tamẽ omnino eſt neceſſe finè concipi, vt poſſibiliter futurum: nam ex Paulo 1. Corint. 9. *debet in ſpe arare, qui arat*: impoſsibilium enim nõ eſt electio, nec vlla voluntas efficax, vt modo ſupponimus: opus eſt igitur, vt finis exiſtimetur non eſſe impoſsibilis; ſed poſsibiliter obtineri poſſe.

Prior Pars concluſiõis probatur.

Paulus.

Probatio poſterioris partis concluſionis.

Fonſeca.

Confirmatur.

Poſteriorem partẽ concluſionis probat Fonſeca in 5. Metaphy. cap. 2. q. 11. ſect. 3. §. *Hæc dubitatio* facileq; demonſtrabitur: quoniam id, quod mouet appetitum, non eſt ipſum, *futurum eſſe*, formaliter ſumptum; ſed ſola res, quæ concipitur, vt poſsibiliter futura. Accedit eò, quoniam id, quod alicui cauſſę eſt ratio formalis cauſſandi; completa cauſſalitate non deſinit, ſed adhuc permane

cum causſa, ſi ipſa in ſe permaneat: vt facilè patebit, ſi ſingula cauſſarum genera percurras. Iam verò, *eſſe futurum*, non permanet, cùm finis in executione ponitur; quia iam non eſt futurus, ſed præſens.

54 Dubitatio ex præcedẽti concluſione orta.

Contra hanc vltimam concluſionem eadem excitatur difficultas, quæ poſtremo loco contra ſecundam concluſionem excitata fuit: nam, *eſſe poſsibiliter futurum*, non videtur concurrere peraccidens, ſed per ſe: quia, vt diximus, fieri nõ poteſt, vt finis moueat, ſi non exiſtimetur obtineri poſſe: non concurrit igitur, vt conditio. Reſpondemus *eße poſſibiliter futurum*, non concurrere, vt purã conditionem, & omnino peraccidens; ſed ſuo modo per ſe, tanquam conditionem boni finalizantis; ſicut enim finis, niſi obiectiuè exiſtat, non eſt aptus finalizare: ita nec aptus erit, niſi concipiatur, vt poſsibiliter futurus. Et hæc de ipſa difficillima quęſt. dixiſſe ſatis ſit.

Soluitur.

ARTICVLVS V.

In quonam poſita ſit cauſſalitas cauſſæ finalis?

EXPLICATA ratione formali, qua res, quę eſt finis conſtituitur, in actu primo cauſſandi finaliter; ordo bonæ diſpoſitionis poſtulat, vt dicamus de actu 2. finalis cauſę: hoc eſt, de cauſalitate, qua finis influit in effectum. Etenim cauſſalitas eſt medium interiacens inter ipſum effectum, & rationem formalẽ cauſſandi, vt aduertit Caiet 2.2. q.17.art.5. cum pluribus alijs. Inquirimus igitur, in quonam ſit poſita finalis cauſſalitas?

Caietan.

§. 1.

Referũtur, & impugnantur quorundam ſententiæ omnino improbabiles.

HÆc quæſtio omnium conſenſu eſt aliarum omniũ difficillima; cuius explicationẽ ſemper deſideraui. De qua variæ fuerunt opiniones. Primo loco referemus nonnullas, quæ ab omnibus improbabiles iudicantur: deinde expendemus, quę noſtris temporibus ſunt celebriores.

Prima opinio.

Prima opinio docet cauſſalitatem iſtam eſſe innominatam; ſignificari tamen per illa verba definitionis, *propter quod*. Ita Caiet. in dicta q.17. art.5. Sed cum recurrat ad cauſſalitatem innominatam, ſeipſam impugnat.

Caietan.

Alij finalem cauſſalitatem explicant per quendam effectum finalis cauſſæ; finis enim eſt in cauſſa, quod media habeant habitudinem ad aliquid nobilius ſe: quare apud iſtos cauſſalitas finalis formaliter erit poſita in datione, ſine largitione huius habitudinis. Hanc ſententiam refert Herueus quolib. 2. q.1. art.2. quam etiam ibi impugnat. Primo ex eo capite, quod ſupponit cauſſam finalem non influere in eſſe ſui effectus; quod eſt contra cõmunem ſententiam omnium Philoſophorũ, de qua egimus ſupra art. 1. huius quæſtionis. Deinde ex eo, quoniã habitudo minꝰ nobilis ad magis nobile dari poteſt ſine vlla cauſſalitate: reperitur enim inter lapidem, & hominẽ, inter quæ nulla interiacet cauſſalitas. Tertio; quia ſupponit finalem cauſſam ſemper eſſe perfectiorem ſuo effectu: quod non eſt verum, vt ſuo loco oſtendemus; & oſtendit Suarius in Metaphyſica diſp.26.ſect.1.nu.9. cum ſequentibus. Poſtremo accedit; quia dum ſolùm admittit finem ſuam cauſſalitatem tantum exercere in media; anguſtè nimis ſumit cauſſalitatem finalem, cùm ad plura alia extendatur, quàm ad media.

3 2. Opinio.

Impugnat ab Herueo.

Tertia ſententia cauſſalitatem finalẽ per hoc explicat, quod finis eſt in cauſſa, quod media habeant vtilitatem quãdam in ordine ad finem. Hanc probaſſe nõnullos refert Herueus in dicto quodlib. 2. q. 1. art.2. Et quanuis eo in loco illam reijciat; quatenus cum præcedẽte ſupponit finẽ non influere in eſſe ſui effectus: cum ea tamen conſentit quodlib.1.q.8.art.1. & quodlib.2.q. 1. art. 2. & quæſt. 8. quibus in locis cauſſalitatem finis per hoc explicat, quod finis tribuat medijs quandam bonitatem in ordine ad ipſum. Et cum hæc bonitas ſit bonitas vtilis, vt patet; ad eã reddit ſententiam, quam improbauit. Non longè ſunt ab hac ſentẽtia, qui volunt cauſſalitatem finis in hoc conſiſtere, quod finis eſt in cauſſa, quod media adhibeãtur, & applicentur propter illum.

4 3. ſententia.

Herueus.

5 Impugnatio omniũ præcedẽtiũ ſententiarũ.

Hæ omnes ſententiæ ex eo ſufficienter impugnãtur, quia omnes anguſtè ſumunt cauſſalitatem finalis cauſſæ; vt docte aduertit Fonſeca in 5. Metaphyſicæ cap.

Fonſeca.

cap.2.quæstio.10. sect.3.in 1.opinione: etenim caussalitas finis extenditur ad alia,quæ non sunt media, vt in sequenti quæstione explicabimus. Deinde sententia Heruei ex eo reijcienda venit; quia non explicatveram caussalitatem, quam finis exercet in media; quia fieri potest, vt medium sit actu amabile, nec exerceat actum medij: quod non esset, si, *medium fieri actu amabile*, esset caussalitas, quam finis in media exercet: nec enim fieri potest, vt finis suam caussalitatẽ exerceat erga media; quin media sint actu media. Iam verò id, quod est actu amabile, non est medium actu, sed potentia. Quin potius nec, *medium esse actu amatum*, potest esse finalis caussalitas; quia medium actu amatur, cum in ordine intẽtionis eligitur ad consequẽdum finem: tamen fieri potest, vt nõ statim sit actu medium: etenim potest nõ esse applicatum ad finem per actualem vsum, qui ad electionem consequitur. Ex quo capite etiam conuincitur, *esse actu amatum*, nõ esse caussalitatem, quam finis, vt finis exercet in media: quia medium non applicatur ad finem, nisi per caussalitatem ipsius finis. Accedit tertio, ad impugnationem eiusdem opinionis; quia ex ea sequitur finem non influere in media quoad reale esse, quo existunt in rerũ natura: nam solùm influet in amabilitatem illorum in ordine ad finem. Si respondeas pro Herueo ad, *rẽ amari propter finem*, consequi, *rem fieri propter finem*; inde inferam caussalitatem finalem, non esse expendendam penes dationem amabilitatis propter finem, sed penes dationem, *esse*, propter illum. Reiectis igitur his opinionibus tanquam omnino improbabilibus, expendendæ sunt celebriores, quæ nostris temporibus circunferuntur.

Responsio pro 3. sententia improbatur.

§. 2.

Expenditur, & reijcitur opinio communis, quæ docet caussalitatem finis adæquatè esse positam in metaphorica motione agentis ad agendũ propter finem.

6 Referturcõmunis opinio.

INter celebriores sententias, quæ de adęquata caussalitate finis circunferuntur, satis est celebris opinio, quæ docet caussalitatem finalem formaliter cõsistere in motione metaphorica agẽtis, vt velit agere propter finem. Quæ sententia tribui solet D. Thomæ, Auicenę, Alensi, Gandauensi, & Scoto: vtrum benè? statim expendemus. Expressè tamen fuit Ochami in 2.q.3.artic.2.lit. G. cum sequentibus, Soncinę in 5. Metaph. q. 2. Consentit Bellomont. 1.p. disp. 82. cap. 1 n. 1. in fine, & 1.2. disp. 3. cap. 3 ad 2. insinuat Sotus 1. physicorũ q. 3 § *Caussa finalis*, non videtur displicere Benedicto Pereira lib. 8. de principijs rerum naturalium cap. 2. Placet etiam Iauello in 5. Metaphy. q. 6. si sermo sit de fine in ordine ad agens.

D. Thom. *Auicen.* *Alens.* *Gandauen* *Ochamus.* *Soncinas.* *Sotus.* *Benedict⁹.* *Pereira.* *Iauellus.*

7 In quo sensu falsa sit cõmunis opinio.

Hæc tamen opinio si intelligatur de vniuersa, & adęquata caussalitate caussę finalis, est prorsus improbabilis, & omnino falsa; quod ita euidẽter demõstratur, quoniã nulla caussa potest caussare nisi mediante sua adæquata caussalitate: nec enim agens potest agere, nisi mediante actione; nec materia materializare, nisi sustentando formam; nec denique; forma potest caussare aliquid, nisi informando, & actuãdo materiam. Sed finis potest finaliter caussare absq; vlla motione metaphorica attractiua agentis ad volendum agere: ergo motio metaphorica agẽtis nõ est adæquata caussalitas caussæ finalis.

Maior iam patet, Minor ostenditur: quoniam Deus actiones ad extra verè agit propter finem, nempe propter suã bonitatem, *vniuersa enim propter semetipsũ operatus est Dominus*. Prouerb. 16. At diuina bonitas illas actiones finalizat absq; vlla metaphorica motione, qua voluntas Dei ad agendũ moueatur: quia actus immanentes diuinę voluntatis etiã liberi; sicut nullã habere possunt caussã efficientem: ita nullam habent caussam finalem, vt contra temerariam Sõcinatis sententiam suo loco ostensuri sumus cum communi sententia Theologorum qui volunt diuinam bonitatem esse quidem rationem volendi operari ad extra: non tamen esse caussam volendi talem operationem: ergo finis in Deo de facto exercet finalem caussalitatẽ absq; vlla motione, & caussalitate erga agẽs: dici igitur non potest caussalitatem finalem adęquatè consistere in metaphorica agentis motione.

Prouerbia.

Quo argumento superiorem sententiam 8

Herueus, Fonseca.

tiam reijciunt Herueus quodlib. 2. q. 1. art. 2. fol. 36. colum. 2. versi. *Ad illud, quod vlterius.* Fonseca in 5. Metaphysicæ cap. 2. q. 10. sect. 4. §. *Videntur tamen hi auctores*: Cursus Conimbric. 2. Physicorum cap. 7. q. 21. concl. 2. & art. 3. ad 4. & q. 22. art. 2. ad 1. Suarius in Metaphysica disp. 23. sect. 9. nu. 9. quo loco doctissimè aduertit, vt finis possit in suos effectus influere, non esse necessarium eum exercere suam caussalitatem in ipso agente, & intra ipsum: nam bonitas diuina finaliter influit in actiones Dei ad extra; nullam interim finalem caussalitatem in ipso Deo, & intra Deum exercendo per aliquam motionem. Quod si semel admittamus finem finalizare posse sine aliqua motione agentis, necessario admittendum est caussalitatem finalem adæquatè non consistere in tali agentis motione.

7 Obiectio ex loco Aristotelis

Nec huic opinioni fauet Aristoteles in primo de Generatione cap. 7. tex. 55. quia eo in loco solùm dixit, *finem non esse caussam actiuam nisi per translationem.* Ex quibus verbis colligi quidē potest caussalitatem finalem esse motionem quandam metaphoricam; id quod nos inferius colligemus: nō tamen colligitur finalem caussalitatem esse motionē Metaphoricam agentis: Aristoteles enim non agebat de motione agentis, sed mobilis.

Diluitur.

10 Opinio quæ impugnatur non potest tribui D. Thomæ, nec alijs auctoribus, quos citant ipsius asserto-res.

Nec etiam D. Thomas, aut aliquis eorum, quos citant, hanc opinionem vnquam expressit: nam Auicena lib. 6. suę Metaphysices tracta. 6. cap. vltimo, nec verbum facit de motione metaphorica agentis. Gandauensis autem in 2. p. Sūmæ art. 49. q. 6. & Alensis 1. p. q. 17. mēbro 3. atque Scotus in 1. dist. 1. q. 4. ad 2. principale, nihil aliud scribunt quàm finem metaphoricè mouere voluntatem; ex quo non bene infertur in hac motione positam esse adæquatam caussalitatem finis.

Quo pacto D. Thomas in hanc sententiam trahatur? planè non video: nā 1. 2. q. 1. art. 1. nec verbum de motione agentis: at 1. 2. q. 9. art. 1. & de potentia q. 5. art. 1. solùm ait finem mouere agentem, nec esse caussam, nisi in quantū illū mouet: quæ verba non probant caussalitatem finis adæquatè positam esse in hac motione; imò nec significant caussalitatē in ea motione esse positam: quia solùm indicant finem nō agere, nisi præuia agentis-motione, quam exercet in omni agente, non vt caussa finalis, sed solùm, vt finalis ratio, vt inferius dicemus. Ea verò, quæ scribit 1. contra gēt. cap. 75. potius in oppositum faciunt.

11 Obiectio Soncinatis.

Sed obijcit Soncinas loco citato, quia finis est id, cuius gratia aliquid ab agente fit: ita enim est explicanda definitio finis: sed esse id, cuius gratia aliquid sit ab agente, nihil est aliud quàm esse id, quod metaphoricè mouet agens ad agendum: ergo caussalitas finis vniuersè, & adæquatè posita est in metaphorica motione agentis. Minor probatur; inquit Soncinas, quia nihil aliud est dicere: amo A. propter B. quàm dicere: B. mouet me ad amandum A.

12 2. Obiectio

Secundo vrgentius obijcitur; quia ideo reijcitur opinio præcedens, quia in Deo agente propter finem nō potest dari motio metaphorica, quod tamen est falsum: quia bonitas diuina, propter quam Deus agit; mouet metaphoricè diuinam voluntatem: Deus enim allectus, & motus à sua bonitate operatur ad extra, vtpatet ex D. Thoma 1. p. q. 19. art. 1. ad 3. & art. 2. ad 2. vbi ait: *Diuinam bonitatem mouere voluntatem Dei.* Et Boetius lib. 3. de Consolatione prosa 3. asserit, *insitam bonitatem pepulisse Deum, vt res externas operaretur.* Cum verò, nec mouerit, nec pepulerit realiter; vtique eum metaphoricè pepulit, & mouit.

D. Thom.

Boetius.

13 Solutio Primæ obiectionis.

Ad primum admissa Maiore neganda est Minor: quia id, cuius gratia aliquid fit ab agēte, semper est vera caussa eius, quod ab agente illius gratia fit: id tamen, quod metaphoricè mouet agens ad agendū, non necessario est vera caussa: quia hæc motio fieri potest ab eo, quod solùm est ratio mouendi, vt patet ex dictis, & statim latius explicabimus. Ad probationem Minoris negādum est id, quod sumitur, si sermo sit de motione vera, & reali; datur enim instantia in simili forma. Nam Deus iustificat Petrum propter suam bonitatem: & tamē bonitas diuina verè, & realiter non mouet Deum, vt velit Petrum iustificare.

14 Solutio 2.

Ad secundum respondetur diuinā bonitatem mouere Dei voluntatem motione quadam totaliter, & adæquatè metaphorica: & subinde absq; vlla vera caussali-

caussalitate; & adhuc sensum explicandum esse D. Thomam, & Boetium. Iam verò caussalitas finalis, qua finis dicitur mouere agentem est metaphorica, nõ totaliter, sed inadęquatè modo inferius explicando. Et isto modo diuina bonitas metaphoricè non mouet diuinã voluntatem: nec aliquis finis potest eam isto modo mouere. Ob quam rationem caussalitas finalis non potest vniuersè esse posita in hac metaphorica motione.

15 Aduentitia ex Suario ad clariorẽ 2. obiectionis solutionem

Vt verò hæc solutio fiat euidentior, aduertendũ est cũ Suario in dicta disp. 23. sectione 9. num. 6. Ad finem, in hoc vocabulo, *motio metaphorica*, latere ęquiuocationem, quæ parit confusionẽ. Nã motio potest dici metaphorica duobus modis. Vno modo, vt metaphora cadat supra totam rationem verę motionis, tam specificam, quàm genericam. Altero modo, vt solùm cadat supra rationẽ propriam motionis, secundũ quam soli agenti appropriatur; non verò supra rationem genericam: vt potè quia à motione non excludat rationẽ realis caussalitatis; quę est veluti ratio generica ad omnes caussalitates omniũ caussarũ.

16 Hæc facilè intelliges, si aduertas actionem, siue motionẽ (quæ est caussalitas solius agentis) in sua totali ratione includere non solùm specificam rationem motionis, quæ est talis caussalitas, nimirum agentis; sed etiam genericã, quæ posita est in vera, ac reali caussalitate; nam sicut agens essentialiter est caussa, & talis caussa, nempe actiua: ita actio, siue motio essentialiter est caussalitas, & talis caussalitas; nempe actiua. Metaphora igitur potest cadere, vel supra totalem essentiam motionis tam specificam, quàm genericam; vel supra solùm specialem rationem illius, secundum quam est caussalitas agentis. Priori modo motio tunc dicetur adęquatè metaphorica; cùm secundũ totam rationẽ motionis est metaphorica, quia scilicet, nec verè est actio agentis, nec verè est caussalitas: sed vtrumq; habet per translationem: quatenus concipitur ad modum veræ caussalitatis, & veræ actionis. Et isto modo diuina bonitas dicitur mouere diuinam voluntatem, quia eam mouet metaphoricè, tam sub ratione motionis, quam sub ratione caussalitatis: nam cùm bonitas diuina sit voluntati diuinæ ratio volendi, non aliter hanc rationem concipimus, aut explicamus, nisi ad modum cuiusdam caussalitatis, & motionis; cum tamen nec vera sit caussalitas, nec vera motio. Posteriori modo motio dicetur metaphorica solùm inadæquatè: cùm enim metaphora solùm cadat supra rationem actiuitatis, quę est differentia constitutiua actionis; non excludit ab ea rationem genericam caussalitatis. Quare talis motio est vera caussalitas: exercita tamen ad modũ motionis actiue; cum tamen verè nõ sit motio, sed habeat similitudinem motionis. Et in hoc sensu dixit Aristoteles primo de Generatio. cap. 7. tex. 55. *caussam finalem esse actiuam per translationem.* Ex quibus verbis solùm colligitur caussalitatem finalem (quæ est vera caussalitas) esse motionẽ metaphoricam, quia scilicet illius caussalitas explicatur ad modum actionis, cum tamen non sit vera actio, vt inferius dicemus. Exemplum sumi potest à metaphora, qua tam Deus, quam homo dicitur leo propter fortitudinem: nam hominis fortitudo, nõ est fortitudo metaphorica, sed est metaphoricè Leonina: quia metaphora inadæquatè cadit super fortitudinem. Ad tamen diuina fortitudo totaliter, & adæquatè est fortitudo leonina per metaphoram; Vnde Deꝰ totaliter metaphoricè dicitur Leo. Ex dictis iam facile intelligitur solutio secundi argumenti superius posita. *Aristotel.*

§. 3.

Caussalitatem finalem, nec respectu agentis creati positam esse in motione metaphorica illius.

17 CVrsus Conimbr. 2. Physic. cap. 7. q. 2. art. 2. concl. 1. & 2. docet motionem metaphoricam agentis, qua finis allicit appetitum eius ad agendũ, esse quidem caussalitatem finalem: non tamen respectu cuiuscunque agentis, sed solius creati. Duas igitur statuit cõclusiones: Prima est. Caussalitas finalis, si vniuersè loquendum est; consistit in hoc, quod est esse id, cuiꝰ gratia aliquid fit. Secunda est: Caussalitas finalis respespectu agentis creati posita est in motione metaphorica agentis.

17 Hæc sententia nunquam mihi place-

re

re potuit; sed nec placet quibusdam ex recentioribus, videntur enim duæ illæ conclusiones interse pugnare. Nã causalitas, de qua in prima conclusione, ideo dicitur causalitas vniuerse sumpta, quia est vniuersalis, & adequatus modus causandi causę finalis, vt idem Cursus declarat in fine secundæ cõclusionis: vnde cõmunis erit tam agenti creato, quàm increato. Iam igitur inquiro, An hæc vniuersalis causalitas in agente creato sit diuersa à causalitate, quæ iuxta secundam conclusionẽ posita est in motione metaphorica agentis, vel sit eadem cum illa? Non potest esse eadem quia hęc reperitur in causa finali respectu agentis increati, in quo nulla reperitur causalitas motionis metaphoricæ respectu agentis, vt superius oſtẽdimus. Nec potest esse diuersa: quia recepta Philosophia non admittit duas causalitates diuersas in eodem genere causæ in ordine ad eundem effectum: Vna enim in quolibet genere causę satis est ad quemlibet effectum. Et quanuis nonnulli admiserint in vno, & eodẽ genere causæ distinctas causalitates (nam g eminam causalitatem, tam in materia, quàm in forma admisit idem Cursus 2.Physic.cap.7.q.8.Et pleriq; ge minam agnoscunt in causa finali: vt inferius dicemus) tamen in eodẽ genere causæ nullus agnouit duplicem causalitatem in ordine ad vnum, & eundem effectum: ergo in agente creato præter generalem illam causalitatem causæ finalis non debet admitti alia distincta causalitas ad effect°, qui ab agẽte creato simul cum fine causandi sunt: sed satis erit vna causalitas, & vnus tantum causandi modus.

19 Duobus modis elidipos se videtur vis propositi fundamẽti. Neuter modus satisfacit.

Huic argumento fortè aliquis occurret duobus modis: vno modo; si dicat, duas illas causalitates in agente creato conuenire in vnam. Altero modo; si existimet illas duas causalitates non esse diuersas disparatè, sed subalternatim; ita vt vna sit veluti generica, altera specifica. Sed neutra solutio admitti debet. Non prior; quia gratis, & sine fundamento dicitur: maximè cum modi causandi sint simplices. Posterior autem multis modis est absurda. Primo, quia supponit, *esse id gratia cuius aliquid fit*, esse causalitatem quandam genericam sub qua continetur quædã species; motio, inquam, metaphorica agentis creati: hoc autem est falsum; quia non potest fingi alia species causalitatis, quæ sub illo genere collocetur; genus autem sub vna specie conseruari non potest. Accedit, quia causalitas illa vniuersalis, de qua agit prima conclusio, reperitur in agente increato immediatè nulla alia specie sibi subalterna mediante; nulla enim fingi potest. Genus autẽ non nisi mediante aliqua specie potest existere. Secundo etiam videtur absurda; quia causalitates causarum sunt modi quidam simplices excludẽtes, tam physicam, quàm metaphysicam compositionem. Quare concludendum est duas illas conclusiones inter se constare non posse.

§. 4.

Expenduntur duo dicendi modi nostris temporibus celebriores.

20 Referuntur duo alij dicendi modi

DVo alij dicendi modi nostris his temporibus celebres expendendi sunt: quorum primus affirmat causalitatem finalem positam quidem esse in motione metaphorica: hanc tamen motionem esse ipsam motionẽ, seu affectum voluntatis, prout est, & dependet à fine, ita vt eademmet actio voluntatis, quæ in genere causæ efficiẽtis est à voluntate, sit causalitas finis, prout ipsamet est, vt dependet à fine. Hanc sẽtentiam quibusdam placuisse, refert Suarius in Metaphy. disp.23.sect.4.nu.7 in 3.opinione, quam latè defendit ibi n. 12. post quartam conclusionem.

21 Primus dicẽdi mod° non placẽt

Hic tamen dicendi modus sicut proponitur nonvidetur esse adæquatus fini respectu cuiuscunq; agentis: nec enim accommodari potest agenti increato, in quo causalitas finalis non potest esse actus voluntatis diuinæ: hic enim nec causatus esse potest, nec potest esse causalitas, qua mediante finis influat in effectus. Vnde idem Suarius in dicta disp.23.sect.9.num.9.docet causalitatẽ finalem in Deo agente propter finẽ positam esse in actione transeunte ad extra, quę in genere causę efficientis pendet à Deo: in genere verò causę finalis pendet à diuina bonitate. Quare potius dicendum esset motionem metaphoricam, in qua causalitas finalis consistit, adæqua-

adequatè esse positam in actione, quæ est ab agente; non prout est ab agente, sed prout pendet à fine: ad hunc enim sensum finalis causalitas, reperitur, tã in agente creato, quàm in increato, vt statim dicemus.

22 Idẽ modus dicendi amplius impugnatur:

Deinde in eo displicet iste dicendi modus; quia potius explicat quidnam realiter sit causalitas finis, quam quid sit formaliter. Nam ex ea benè intelligimus causalitatem finalem realiter esse indistinctam ab actione agentis: at tamen sub qua formalitate sit causalitas finalis, non explicat hęc opinio: ex ea enim solùm colligitur causalitatem finalem esse ipsam actionem agentis, vt dependet à fine: at non explicat quidnam formaliter sit hęc dependentia? sed eam relinquit innominatam, inexplicatam, & confusam, cum tamen illius distinctam explicationem requiramus.

23 3. eiusdem modi impugnatio.

Tertio alicui fortè displicebit, quatenus causalitatem finalem solùm ponit in dependentia, qua actio agentis dependet à fine; cum tamen non sola actio agentis, sed etiam effectus actionis (media inquam ipsa) sint & dependeant ex causalitate finis: idque non mediante actione agentis, quanuis hęc necessario comitetur, sed mediãte causalitate ab ipsis effectis indistincta: distincta tamen saltem ratione ab actione, quatenus est actio. Sed de hoc inferius latior erit sermo.

24 2. dicendi modus.

Posterior dicendi modus causalitatem finalẽ ponit in hoc, quod est esse id, cuius gratia aliquid fit: ita vt, *esse id, cuius gratia aliquid fit*, sit ipsa finalis causalitas, & ipsa actualis finalizatio. Hic dicendi modus placuit Petro à Fonseca in 5. Metaphysic. cap. 2. quęstio. 10. sect. 4 & quinta, Toleto 2. Physi. cap. 9. quæst. 14. conclusione prima, ad eũ accedit Benedictus Pereira lib. 8. de Principijs rerum naturalium cap. secundo, §. *Causalitas finis*, & cap. 3. in vltimis verbis. Eundem probauit Cursus Conimb. secundo Physic. cap. 7. quæst. 8. art. 1. in fine, & latius q. 21. art. 2. assert. 2. si tamen (vt ait) vniuersè loquendum est de causalitate finis: nimirum de ea, quæ conuenit fini respectu cuiuscunque agẽtis tam creati, quàm increati.

Fonseca. Toletus. Pereirius.

25 Primo.

Hunc dicendi modum multis impugnat Suarius in dicta disput. 23. sectio. 4. num. 3. cùm nonnullis ex posterioribus Philosophis. 1. quia per illa verba, *Id cuius gratia*, non tam declaratur causalitas finis, quàm denominatio quædã resultans in ipso fine ex eo, quod aliud ad ad ipsum ordinatur: quæ denominatio non potest esse causalitas.

Secundo, quia in illis verbis non significatur finis, vt principium, sed vt terminus: cum tamen causalitas significari debeat per modũ emanationis, & cuiusdã influxus causę finalis in effectũ: hoc enim conuenit omni causalitati. Secundo.

Tertio, quia illa verba conueniunt omni motui respectu sui termini; & omni actui respectu sui obiecti: terminus enim est id, cuius gratia est motus: & obiectum, cuius gratia est actus. Consequens tamen est falsum: quia aliàs causalitas finis non magis conueniret obiecto voluntatis, quàm aliarum potentiarum: nec magis esset in motione animali, quàm in naturali. Tertio.

Quarto, quia si illa verba significarent causalitatem finis; potentia visiua semper actualiter causaretur à suo actu, & obiecto; quoniam potentia visiua semper est gratia sui actꝰ, & obiecti: consequens tamen est falsum; quia actualis causalitas finis, non est sine actuali causalitate agentis: at potentia visiua nõ semper fit ab agẽte. Postremo obijciunt nonnulli; quoniam, *fieri gratia alicuius*, potiꝰ cõuenit effectui, quã causę Quarto.

Hęc tñ prefatã sententiã non impugnant. Ad primum negandũ est per illa verba non declarari causalitatẽ finis, sed denominationẽ extrinsecã: nam definitio finis tradita ab Aristotele nõ explicat solã denominationẽ, sed virtutẽ finis, prout est finaliter causatiua sui effectus. Iã verò illa verba, quę adducunt, cõtinent definitionẽ finis, vt exercitã in actu, sicut patet ex illis verbis, *finis actu est id, cuius gratia &cæt.* quę verba denotãt actum virtutis finaliter causatiuæ, qui actus nihil est aliud, quàm causalitas. Postrema aliorũ impugnatio.

26 Hę impugnationes nõ destruũt præfatam sẽtentiam. Solutio primæ.

Ad secundum ex eodem fundamento patet solutio: nam cum definitio finis explicet finem, non quatenus est terminus, sed quatenus habet virtutem causę finalis; non possunt præcitata verba nõ significare finẽ quatenꝰ est principiũ, etenim verba illa eodẽ modo explicãt finẽ in actu exercito, quo ipsa definitio

27 Soluitur 2. Suarij impugnatio.

illum explicat in actu signato. Quare, *esse actu id, cuius gratia aliquid fit*, non est aliud, quàm esse id, quod actu influit in id, quod gratia finis fit.

27 3. Rationis

Ad tertium respondetur actus aliarum potentiarum à voluntate considerari posse, vel vt naturaliter emanant à potentijs, vel vt subsant directioni primi agentis. Si priori modo considerentur, negandum est actus aliarum potentiarum fieri ab ipsis potentijs gratia terminorum, & obiectorum, quia non fiunt à potentijs ordinantibus, ac dirigentibus suos actus in obiecta: in quo sensu explicantur illa verba, *cuius gratia*, posita in definitione finis, & in verbis, quibus causalitas finis in hac opinione explicatur: idem enim significant, atq; *intentione cuius*, vt ferè omnes admittunt.

At si actus aliarum potentiarum cõsiderentur modo posteriori; in quo solo sensu aliæ potentiæ dicuntur agere propter finem; obiecta, & termini illorum actuum: iam non respiciunt ipsas potentias naturaliter agentes; sed voluntatem primi agentis, cui subsunt. & in hoc sensu in illis obiectis, & terminis datur vera causalitas finalis respectu actuum potentiæ, quæ diuinæ voluntati subditur. Et hæc omnia consentanea sunt communi doctrinæ, quam idẽ Suarius probat in dicta sectio. 10. num. 5. cum sequentibus.

Id quod diximus de obiectis respectu actuum potentiarum, dicendum etiam est de terminis respectu motuũ naturalium: habent enim motus illi habitudinem naturalis tendentiæ, non verò habitudinem directionis, qua à suis agentibus dirigantur in terminos, sine qua non datur causalitas finalis.

29 Occurritur 4. obiectioni.

Quarti argumenti obiectio videtur futilis: quia verba illa, quibus explicatur causalitas finis, ita habent, Id *cuius gratia aliquid actu fit*, iam verò potentia vi siua non semper actu fit propter actum, sed iam facta est; idq; per causalitatem, quam actus, & obiectum exercuerunt cùm potentia fuit in fieri. Id, quod docuit Suarius in dicta sect. 4. num. 15. & satis explicauit Fõseca in dicta q. 10. sect. 5. ad posteriorem obiectionem.

Fonseca,

30 Soluitur vltima impugnatio.

Vltimum argumentũ supponit causalitatem finalem explicari per hęc verba, *fieri gratia alicuius*: cum tamen non explicetur, nisi per ista, *est id, cuius gratia aliquid actu fit*. Quæ verba non conueniunt effectui causæ finalis, sed ipsi causæ finali.

(Qua ratione 2. dicendi modus displiceat.

Vindicauimus secundum dicendi modum à reprehensione Suarij, & aliorum: illum tamen non admittimus; non ex eo capite, quod veram causæ finalis causalitatem non insinuet (cum enim finalis causæ definitionem contineat, non potest non insinuare veram illius causalitatem) sed ex eo potius; quia finalem causalitatem non explicat: adhuc enim illa innominata manet, & in intellecta, saltem conceptu aliquo distincto, & explicabili. Vnde videtur coincidere cum opinione Caietani, quam supra §. primo, primo loco retulimus, & reiecimus.

Caietan.

§. 5.

Præmittuntur nonnulla, quæ valent ad veram explicationem causalitatis finalis?

31 1. præmissũ ex Arist. ad resolutionem quæstionis.

PRo vera resolutione huius difficillimæ quęstionis pręmittendum est Aristotelem vbique locorum suæ doctrinæ non aliter explicare, aut definire causam finalem, quam per *esse id, cuius gratia aliquid fit*, vt patet ex quæstio. prima. Cùm verò ex propria cuiusque causę definitione venanda sit propria illius causalitas, vtique propria causalitas finalis causæ ex præfata Aristotelis definitione venanda erit: vt bene insinuauit Fonseca in dicta quæst. decima sectio. quarta §. *Non est igitur*, & in causa formali explicauit Suarius in Metaphysic. disput. 15. sectio. quinta num. tertio, id enim in cæteris causis inuenitur. Nam quia materia ex sua natura est potentia subiectiua susceptiua actus, & formæ, ideo causalitas eius posita est in actuali sustentatione formæ, vt habes apud Fonsecam quinto Metaphysi. cap. secundo, quęstione prima sectio. 3. Cursum Conimbricens. 2. Physic. cap. 7. q. 8. art. primo, §. *His in hunc modum constitutis*: quidquid sit hęc actualis sustentatio formę, de quo videndi sunt Fonseca 5. Metaphysic. cap. secũdo q. 13. sect. 3. & 4. Cursus Conimbricens. dicto cap. 7. quęst. 6. art. 2. Suarius in Metaphysic. disputatio. 13. sectio. 9. numero 5. &

Fonseca.

nono

nono. Similiter, quia forma ex sua ratione est actus substantialis materiæ; ideo caussalitas eius consistit in ipsa actuatione actualiq; informatione materiæ, vt ait Cursus Conimb. in d. q.8. art. 1. & Fonseca in dict. cap.2.q.2.sect.2.in principio: siue (quod idem est) in ipsa actuali, & intrinseca datione, siue cõmunicatione, qua forma seipsam præbet materiæ; vt ait Suarius in Metaphysica disp.15.sect.6.nu.7. siue cõmunicatio sit vnio formæ ad materiam, vt idem Suarius putat, siue aliquid aliud. Deniq; idem est videre in caussa efficiente: nã quia ex sua natura est id, vnde est principium motus, quo res fit; ideo caussalitas illius posita est in influxu emanatiuo effectus ab ipsa: siue influxus ille sit actio, vt cõmuniter dici solet; de quo Cursus Conimb.2.Physi.cap.7.q.7. art.2. Suarius in Metaphysica disp.18. sect.10. nu.5. siue aliquid aliud, vt voluit Fõseca in dicto cap.2.quinti Metaphysices q.13. sect.2. Cõcludẽdũ est igitur caussalitatem caussę finalis venandam esse ex ipsa definitione finis. Cum verò definitio finis finem explicet per *esse id, cuius gratia aliquid fit*; vtique caussalitas finalis erit aliquid, quo finis finaliter efficit, vt aliquid ipsius gratia fiat. Quid autem hoc sit, nunc inquirimus.

Fonseca.

onseca.

32 2. Præmissũ

Secundo præmittendum est negari non posse caussalitatem finalem consistere in quadam motione metaphorica: id enim euidenter deducitur ex Aristotele 1. de Generat. cap. 7. tex.55. vbi ita ait: *Caussa finalis est caussa actiua per translationem.* At caussalitas caussæ actiuæ est actio, siue motio, vt supponimus: Ergo si caussa finalis est actiua per translationem; vtiq; caussalitas caussæ finalis erit actio per translationem, & metaphoram. Et hanc esse communem sententiam habes ex Fonseca in 5. Metaphysi. cap.2.q.10. sectio.4. in principio, Cursu Conimb.2.Physi. cap.7.art.2. Suario in Metaphysica disp.23.sect.4.num. 4. & 7. consentiunt Ochamus, Soncinas, Bellomõt. Sotus, Pereira, quos superius citauimus §.2. in principio.

Aristotel.

Fonseca.

Ochamus. Soncinas. Sotus, Pereira.

33 Cur caussalitas finis dicat motio metaphor.

Sed potest quis inquirere, quam ob caussam caussalitas finalis dicatur motio metaphorica? Varij variè respondent. Suarius in Metaphysica disp.23. sect.4. num.8. ideo putat dici actionem metaphoricã; quia manat à fine vt trahente, & alliciente. Sed inquiri potest, cur talis tractus, & allectio dicatur motio metaphorica.

Aliorum ratio.

Aliam ratione reddit idem Suarius in eadem disp.23. sectio.1. num.14. quia scilicet motio illa est intentionalis, Sed non placet; quia idem conuenit caussæ efficienti morali, v.g. consulenti: qui tamen non dicitur agere metaphoricè.

Bellomontanus 1.2. disput.3. cap.2. & cap. 3. ad 2. ideo putat finem mouere metaphoricè; quia non mouet per seipsum, sicut efficiens; sed per apprehensionem, & desiderium. Sed adhuc inquiri potest, cur motio, quæ fit per apprehensionem, & desiderium, dicatur metaphorica? Adde, quia non constat, an omnis caussalitas finalis fiat mediante desiderio: nam finis apud nonnullos finalizat sui amorem, quod tamen non facit mediante desiderio.

Nos dicimus ideo caussalitatem finalem dici motionem, siue actionem metaphoricam; quia non potest explicari, nisi ad modum cuiusdam actionis, motionisve actiuæ; ita vt metaphora sumatum ab actione, siue motione caussæ efficientis. Et hanc esse mentem Aristotelis in dicto cap. septimo, text.55. facile intelliges, si interim aduertas Aristotelem nunquam dixisse. Caussam finalem metaphoricè caussare: sed solùm dixisse finem metaphoricè agere: hæc enim sunt verba Arist. *nam caussa, vt vnde principium motus actiua est: cuius autem gratia cætera fiunt; actiua, non est: qua propter sanitas ipsa non est actiua, nisi per translationem.* Ex quibus verbis patet Aristotelẽ agere de actiuitate caussę efficientis: & hanc tribuere caussæ finali; nõ realiter, & verè, sed per metaphoram, & translationem. Finis igitur veram habet caussalitatem; & non metaphoricam; quia est vera, & realis caussa verè influens in effectum: hæc tamen finis caussalitas dicitur ab Aristotele actiua, non propriè, sed per metaphoram. Quare hæc translatio, & metaphora nõ aliunde sumenda est, nisi ab actiuitate caussæ efficientis, cuius actiuitatẽ propriam Aristoteles denegat caussæ finali, & solùm concedit metaphoricam, & translatitiam.

Aristotel.

34 In quo posita sit metaphora causalitatis finalis.

Si verò inquiras, in quo sit posita hęc metaphora? Variè explicant auctores: sed extra mentem Aristotelis, si præcitatus locus expendatur. Ex quo colliges metaphoram in hoc esse positã; quia causalitatẽ finalem explicare nõ possumus, nisi ad modũ actionis, & motionis actiuæ: cùm tamen nõ sit vera, nec propria motio actiua. Quod non conuenit causalitatibus causę materialis, & formalis: hæ enim, nec per metaphorã dici possunt actiones, aut motiones: nam cum sint causę intrinsecæ, potius sunt causę, ex quibus est effectus, quã à quibus: hoc enim, si propriè loquendum est solis causis extrinsecis conuenit. Itaq; causalitas causæ finalis ideo dicitur actio, siue motio metaphorica; quia nõ potest explicari, nisi admodũ actionis actiuæ. Quod ad explicandam causalitatem finalis causæ est diligentissimè aduertendum.

35 3. præmissũ ad resolutionẽ quæstio.

Præmittendum est 3. causalitatẽ finalem explicandã esse per modũ cuiusdã emanationis, & influxus in effectum: id, quod benè aduertit Suarez in d. disp. 23. sect. 4. n. 3. & 10: est enim id de ratione intrinseca omnis causalitatis: ônis enim causalitas significatur, vt quędam quasi via, & tendentia causæ ad effectũ, vt videre est in singulis causalitatibus aliarũ causarũ. Nam causalitas materialis explicatur per actualẽ sustentationẽ formæ: formalis autẽ per actuationẽ materiæ: deniq; agentis causalitas explicari solet per actionẽ, siue largitionem essendi. Idem igitur seruari oportebit in causalitate finali. Quod euidenter etiã deducitur ex ijs, quæ immediatè diximus præmisso secũdo causalitatẽ, inquã, finalẽ consistere in quadam motione metaphorica: motio autẽ ista significatur, vt influxus quidã emanans à causa in effectum.

§. 6.

Causalitatem causæ finalis generaliter loquendo esse attractionẽ quandam, siue allectionẽ, qua finis aliquid trahit ad se.

36 Conclusio quæstionis principalis.

His ita præmissis, vt ad difficultatis explicationẽ iam propius accedamus, dicim' causalitatẽ finalẽ generaliter loquendo esse attractionẽ quandã, & allectionẽ, qua finis ad se trahit, & allicit suos effectus, vt scilicet gratia ipsius fiant. Itaq; nihil aliud est finem finalizare, influereq; in suos effectus, quam finem eos suo modo ad se trahere, & allicere.

Hęc conclusio ita generaliter explicata videtur esse nobiliorũ auctorũ. Eã probat Fonseca in 5. Metaphy. cap. 2. q. 12. sect. 3. pag. 159. in fine: imò si illi credim' ibid. q. 10. sect. 4. in princ. auctores, qui putant causalitatẽ finalẽ consistere in motione metaphorica, dicunt hũc motũ esse allicientis, & attrahentis; qui est veluti tractus quidã iuxta illud Poetæ: *Trahit sua quemq; voluptas.* Quod latis explicant Henric. 1. p. Sũm. ę art. 49. q. 6. dit. L. & N. Soncinas 5. Metaph. q. 2. §. *Sciendũ est* 2. Iauel. ibi q. 5. concl. 1. & ad 2. Cursus Conimb. 2. Physic. cap. 7. q. 21. concl. 1. Suarius in Metaphysica disp. 23. sect. 4. n. 8. in tertia opinione, cõsentiũt auctores 2. opinionis ibi relatæ nu. 4. adde Bellomõt. 1. 2. disp. 3. c. 2. po: principiũ.

37 *Fonseca.* *Henricus.* *Soncinas.* *Iauellus.*

38 Prima ratio cõclusionis.

Quorũ opinio ratione nõ inefficaci cõfirmari põt: nã ex ijs, quæ diximus supra art. 2. ratio finalizandi causę finalis est bonitas ipsius; siue simpliciter sumpta, si putas finẽ finalizare amorẽ sui, siue vt amata, & desiderata, si contrariã probas sententiã: vtriq; enim opinioni accõmodari possunt verba illa, *cuius gratia*, posita in definitione finis, vt diximus supra. q. 1. At bonũ siue inquantũ bonũ, siue inquantũ amatũ nõ mouet, nisi alliciendo, & attrahendo ad se, iuxta præcitatum dictum Poetæ. *Trahit sua quemque voluptas.* Et docet Augustinus. trac. 26. in Ioãnẽ ad illa verba: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum*, & in sermone 2. de verbis Apostoli: ergo causalitas causæ finalis posita erit in hoc tractu, & allectu: nã huic tractui cõuenit ratio metaphoricę motionis, & explicatio per modũ emanationis, & tẽdentię in effectũ. *Augustinus.*

Accedit; quia hic tractus, quamuis ñ sit vera, & propria motio, sed tolũ metaphorica, est tamẽ vera, & realis causalitas; id nãq;, quod trahitur, verã habet in essendo depẽdentiã ab eo, à quo trahit. Quæ causalitas, cum nec pertineat ad caussã efficientem, quia non est vera ac realis motio: nec ad caussã, aut materialẽ, aut formalẽ; quia harũ causarũ causalitates nõ possunt subire rationẽ motionis metaphoricę, vt diximus §. præcedente præmisso 2. vtique ad solã causam finalem referenda erit.

36 2. ratio cõclusionis.

Igitur

Igitur generaliter loquendo causalitas finalis non est aliud, quàm tractus quidam finis allicientis,& trahentis aliquid. Diximus, *generaliter loquendo*, quia ne dũ explicata est specialis, & propria ratio causalitatis finalis, de qua in sequenti §. agimus.

§. 7.

Causalitatem finalem adæquatè positam esse in tractione,non agentis,sed actionis,atque effectus illius; vt fiat gratia,& intuitu ipsius finis.

40 Specialis explicatio causalitatis finalis.

CAusalitas finalis in §. precedente generaliter explicata adequatè,& specificè explicabitur,si dicamus causalitatẽ causæ finalis per se primo, & adequatè positã esse in quodã tractu, seu tractione (si ita loqui licet)nõ quidẽ agentis ad agendũ;sed actionis,& effectus illius,vt scilicet vtrũq;fiat ab agẽte,intuitu, & gratia ipsius finis. Quare finem finaliter influere, siue finalizare non erit aliud, quàm finem ad se trahere id,quod fit ab agente,vt scilicet gratia ipsius fiat: siue id, quod fit, sit actio agentis,siue actionis effectus.

41 Probatur hæc sententia.

Hæc sententia ita explicata facilè probatur; quia hæc causandi ratio primum significatur per modum cuiusdã emanationis, ac veluti influxus à fine in effectum : quod esse de ratione causalitatis ostendimus supra §.5. in 3.præmisso. Deinde est quædam motio metaphorica ad sensum Aristotelis explicatum in dicto §.5.2. præmisso:explicatur enim per modũ actionis, siue motionis, quanuis non sit vera actio, nec vera motio.Preterea adequatè cõuenit fini,tam respectu agẽtis creati, quã increati: nã id,quod agitur ab agẽte,tã creato, quã increato,agitur dependenter à tractione finis,propter quẽ agitur, Nec incurrimus in illud incõmodũ, vt aliquid in Deo causatũ admittamus: quia nihil in Deo adintra fit; quod verò fit ad extra, dependẽter fit à fine,propter quẽ Deus illud agit. Deniq; hæc causãdi ratio ex definitione causæ finalis nõ ineptè colligitur : nã esse id, cuius gratia aliquid fit (quæ est definitio finis) non est aliud, quã esse id,quod trahit illud,quod fit,vt gratia ipsius fiat.Et hãc puto fuisse mẽtẽ sapientissimi Petri à Fõseca,& eorũ, qui 2.dicẽdi modũ supr.§.4.probauerũt

Secundo

Tertio.

Fonseca.

§. 8.

Finem prius agenti esse rationem volendi agere propter finem;quam sit caussa finalis eorũ, quæ propter finem fiunt.

VT hæc nostra de causalitate finis sententia fiat euidentior; aduertendũ est in fine duo reperiri posse interse distincta : nimirum esse agẽti rationem volendi agere propter finem: & esse causam finalẽ actionis, quę propter finem fit. Quod autem duo ista distinguantur in fine, propter quem Deus agit, dubitari non potest : quia bonitas diuina,propter quã Deus omnia operatur,est Deo ratio finalis volẽdi operari: nec tamen est causa volitionis diuinæ, sed solũ operationis volitæ ad extra, vt patet ex ijs,quæ diximus supra §.2. Quãuis autem hæc duo inDeo inseparabiliter sese cõmitentur; tamẽ habent se ad inuicem tanquam prius,& posterius:nã sicut prius est Deum velle operari : ita prius est bonitatẽ diuinam, diuinæ voluntati esse rationem volendi operari; quàm esse causam finalem operationis Dei transeuntis ad extra.

42 Duo in fine distinguenda ad clarioren causalitatis finalis explicationẽ.

43 Aliud aduertendum.

Res est tamen digna diligenti inquisitione,an hęc duo reperiantur,& distinguantur in fine respectu agentis creati? Negabunt fortè, qui putant finem verã causalitatem finalem exercere in ones actiones agentis creati, siue transeuntes sint,siue immanentes: apud quos finis non erit ratio volendi,sed causa volitionis. Ego tamen puto hæc duo distinguenda esse in fine respectu agentis creati.

Pro cuius explicatione insuper notã dum est sermonem esse hoc loco de agẽte propter finem, dirigente se in finẽ; & cũ hoc agens sit liberũ, vt supponimus; illius volũtas ex se erit indeterminata, & indifferens ad volendũ,aut non volẽdũ : determinabitur autem à fine ex D. Thom.cõmuniter recepto 1.2.q.10. ar. 2.Quæ doctrina intelligẽda est de determinatione obiectiua : determinat enim á fine tanquã ab obiecto allicĩte ad volendũ: nã effectiuè à seipsa determinat. vt modo supponim⁹;id⁹ per suã ipsi⁹ actionẽ:volũtas enim volendo se determinat.Cũ verò volitio,qua se determinat, sit actio libera,non potest nõ esse volita per volitionem virtualẽ antecedentem

44

reflexam, qua vult se velle, vt latius cũ Caiet. & Suario ostensuri sumus in nostris disputationibus de voluntario, & inuoluntario inferius ad quæstionem sextam D. Thomæ.

Ex qua doctrina patet in voluntate libere se determinante ad volendũ, admittendas esse duas volitiones: actualẽ vnã, qua voluntas actu vult: virtualẽ alteram, qua vult se velle. Non quod illæ sint duæ volitiones distinctę, sed quia vna, & eadẽ volitio actualis cõsiderari potest, vel vt per eã voluntas actu vult, vel vt per eã vult se velle. Hoc posteriori modo cõsideratur, vt antecedẽter reflexa terminata ad volitionẽ actualem.

45 Ex ijs ego colligo in fine respectu agẽtis creati distinguendã esse rationẽ volendi à caussa volitionis. Nam finis respicit volitionẽ agentis sub vtraq; cõsideratione: nã & voluntas propter finẽ vult se velle, & actu vult. Si referatur ad volitionem actualẽ, qua voluntas actu vult propter finem, necessariò est caussa finalis eius, vt suo loco dicemus: cum enim habeat caussam efficientẽ, ipsam, inquam voluntatẽ, à qua elicitur; habebit etiã caussam finalẽ. At tamen si referatur ad volitionẽ, vt est volitio virtualis, & reflexa, qua voluntas vult se velle; non potest habere rationẽ caussæ finalis: quia illa volitio, vt sic nõ habet caussam efficientẽ: igitur respectu illius volitionis sic consideratæ solùm erit ratio volendi, quia voluntas tracta, & allecta á fine determinatur ad volendum volitione illa virtuali, qua vult se velle: etenim voluntatẽ seipsam determinare ad volendum, nihil est aliud, quàm voluntatẽ velle se velle; quod in sequenti articulo clarius explicabitur.

76 Quo pacto philosophãdum sit in explicanda caussalitate finis.

His ita præmissis ego pro explicãda caussalitate finis à nobis superius assignata, ita philosophandũ existimo, vt finis respectu quidẽ agentis (siue illud in creatũ sit, siue creatum) sit ratio finalis volendi agere propter finẽ: at respectu actionis, quę propter finem elicitur, sit vera caussa finalis influens, & in eam, & in effectum, vt vtrũq; fiat propter finẽ, vtrunq; scilicet trahendo, vt fiat intuitu sui. Hæc philosophia notissima est in fine respectu agẽtis increati; quia bonitas diuina, vt sæpe diximus, respectu diuinæ voluntatis est ratio finalis volẽdi operari: at respectu operationis volitæ (nimirum creationis) est vera caussa finalis: quia eandem actionem, & effectũ eius ad se trahit modo superius explicato, vt scilicet fiat gratia diuinæ bonitatis. Quod verò eadem philosophia sit verissima in fine respectu agentis creati in ordine ad quancũq; actionem, quam elicit alliciente fine facilè patebit ex doctrina superius explicata. Etenim haud negari potest finẽ aliquo modo concurrere, tam ad volitionẽ actualẽ, qua volũtas vult aliquid propter finẽ; quã ad virtualẽ, quavult se illud velle. Cũ verò advolitionẽ virtualẽ nõ possit concurrere, vt vera caussa finalis, vt iã ostendimus; fit, vt respectu illius solũ cõ currat tanquam finalis ratio volendi.

Interest autẽ quoad hoc inter agens creatum, & increatum: quoniam finis respectu agentis increati solũ est ratio volendi volitionem diuinã, siue illa consideretur, vt est volitio actualis, siue vt est virtualis, quia vtroq; modo volitio diuina, sicut caret caussa efficiente; ita etiã caret finali. At verò respectu agentis creati (quod capax est, vt intra ipsũ exerceatur caussalitas finalis) solùm est ratio volendi respectu volitionis virtualis: nam respectu volitionis actualis; est vera caussa finalis.

47 Ex dictis primum colloralium.

Ex hac philosophia infertur finẽ non posse exercere suam caussalitatem finalem, nisi prius ipsi agenti sit ratio volendi agere propter finem; idq; ipsum metaphoricè mouendo, & alliciendo, vt velit propter finem agere: nam caussa finalis nequit caussare, nisi simul cum ea concurrat agens, vt docet cõmunis philosophia. Agens autem non potest elicere suam actionem, nisi determinetur à fine, vt velit agere: ad hoc autem finis illum determinat tanquam ratio volendi, vt diximus. Ergo cum finis non exerceat suam finalem caussalitatem, nisi in actionem elicitam ab agente; vtique non poterit finaliter caussare, nisi prius agenti sit ratio cur velit agere. Accedit; quia ex parte agentis velle agere semper supponitur ad agere: iam verò finis mouet agens, tam increatum, quàm creatum, vt velit agere, non vt caussa, sed vt ratio volendi.

48 2. cõsectarium.

Deinde infertur finẽ ideo posse actiones agẽtis, & illarũ effectus finalizare,

&

& trahere, vt fiant sui intuitu; quia agẽti est ratio, cur velit velle agere propter finem. Nam si agens tractum, & allectum à fine, vt ratione volendi, vult velle agere propter finem; profecto sicut talis actualis actio non potest non fieri ab agente dependenter à fine: ita non potest non trahi ab eodem fine, vt fiat gratia illius. Quod in hac materia est diligenter aduertendum, vt intelligamus, vnde finis habeat vim attrahendi ad se actiones, & affecta agentis: nam etsi hęc virtus radicaliter ortum habet ab ipsa bonitate finis; proximè tamen eam habet ab eadem bonitate, vt actu est ratio, cur agens velit velle agere propter finem.

Tertia collectio.

Tertiò infertur diuersam esse motionem metaphoricam, qua finis, vt est ratio volendi, mouet agens, vt velit, ab ea, qua vt causa finalis mouet, & trahit actiones, & effecta agentis, vt fiant sui intuitu. Nam illa exercetur in ipsum agens; hęc exercetur erga actiones, & effecta agentis: hæc est vera causalitas: illa minimè; hæc est motio metaphorica inadæquatè: illa adęquatè, & totaliter.

Epilogus totius Articuli.

49 VT quæ tam latè diximus, breui epilogo concludamus; causalitas causę finalis adęquatè sumpta formaliter nihil est aliud, quam attractio, siue motio quædam attractiua, tam actionis agentis, quàm effectus, vt vtrunque fiat gratia ipsius finis. Hęc autem motio, siue attractio distinguitur à motione, qua finis mouet agens, vt velit agere, illamque semper supponit. Quid verò sit hęc attractio, vtrum ne sit aliquid positiuum emanans ab ipso fine, distinctum ab eo, & ab actione agẽtis? & in quo subiecto sit? quæstiones sũt longè diuersę, de quibus in sequenti artic. dicendum erit.

ARTICVLVS VI.

Quidnam sit causalitas finalis explicata in præcedenti articulo?

EXPLICAVIMVS in præcedẽte articulo, in quo adæquatè sit posita causalitas causæ finalis? Supereſt, vt explicemus, quidnam illa sit? vtrùm sit aliquid reale? an modus essendi dũtaxat? an verò nihil reale? hinc enim pendet totius difficultatis explicatio.

§. 1.

Referuntur opiniones.

VArias inuenio de re proposita sẽtentias. Quidã videntur insinuare causalitatẽ finalem (quidquid illa sit) nihil esse reale, aut in fine, aut in agente. Hæc videtur esse sententia Ochami in 2. q. 3. art. 2. lit. G. vbi causalitatem finalem in eo ponit, quod est finem in se amari, & aliud propter ipsũ: & cum hoc nihil reale sit, quod à fine emanet, & ponatur in agente, vt patet; vtique causalitas ipsa nihil reale erit, aut in fine, aut in agente. Quod eadem ratione videtur posse deduci ex D. Th. de Verit. q. 22. art. 2. & 1. contra Gent. cap. 75. ratione 5. Nam in priori loco ait influere causæ finalis nihil aliud esse, quàm finem appeti, & desiderari: in posteriori autem asserit causalitatem finis in hoc consistere, quod propter illum aliæ desiderentur. Iam verò finem appeti, & desiderari; & alia desiderari propter finem, nihil est reale.

1 Prima opinio.

Ochamus.

Videtur ex D. Tho. deduci. 1. hæc opinio.

Alij volunt causalitatem causæ finalis nihil esse aliud, quàm ipsam causam finalem, non absolutè sumptam, sed vt actu concurrit ad suum effectum. Igitur hæc causalitas nec est nihil, nec est aliqua entitas, aut relatiua, aut absoluta: sed est ipse finis, vt ita se habens, id est vt concurrens ad suum effectũ. Erit igitur modus quidam se habendi ipsius finis ab eo realiter indistinctus: ita Fõseca 5. Metaphy. cap. 2. q. 13. sect. 3. concl. 4. & sect. 4. ad 1. fuit antea Didaci de Astodilla in 2. Physic. q. 3. ad 2. Probauit Cursus Conimbr. lib. 2. Physic. cap. 7. q. 6. art. 2. & in Schola Conimbricensi olim fuit communis. Attractio igitur eius, quod fit ab agente vt fiat gratia ipsius finis (in qua finalem causalitatem constituimus) non erit aliqua entitas superaddita, aut fini, aut effectui, sed erit modus quidam se habendi finem: quia est ipse finis, vt actu ad se trahens id, quod ab agente fit. Huius opinionis fũdamentum non est aliud, quàm quod supernaturaneum sit aliquam inuehere rea

2 Secũda opinio.

Fonseca.

Didacus de Astodilla.

Fundamentum 2. sent.

litatem ab ipso fine distinctam; cum fine illa vis caussæ finalis, & defendi, & explicari facilè possit.

3 Tertia opinio. Tertio loco citantur illi, qui volunt caussalitatem finalem esse aliquid à fine emanans, ac naturaliter resultãs, distinctum ab ipso fine. Quæ opinio, si illius auctores diligentius expendantur, tripartito diuiditur. Quidã (si Suario credimus in Metaphysica disput. 23. sect. 4. opinion. 2. n. 4.) putant caussalitatem finis (ipsam inquam allectionem agentis) esse aliquid realiter resultans à caussa finali, ab ea realiter distinctum, antecedensque actum agentis, in ipso agente receptum tanquam actus primus eius. Quod caussalitas finis sit quid à caussa finali naturaliter resultãs, supponit hęc opinio tanquam certum; quia hoc conuenit omni caussalitati: omnis enim est quid veluti caussatũ à sua caussa. Quod autem antecedat actum agentis, inde probant: quia ratio, cur voluntas operatur, est illa voluntatis allectio, qua trahitur à fine: ergo præcedit aliquo modo agentis actionem: potest enim dari talis agentis motio ipso agente non eliciente actionem, vt patet in voluntate, quæ, cùm sit libera, potest non elicere actum, ad quem allicitur. Quod verò distinguatur, inde probatur; quia licèt talis allectio respectu caussæ finalis sit actus secundus: tamen respectu agẽtis est veluti actus primus: cum sit ratio cur ad agendum mouetur. Recepta verò in ipso agente non potest non realiter distingui à fine, cùm finis realiter ab agente distinguatur.

4 Quarta opinio. Est quarta opinio quorundam nostri temporis philosophorum, qui volunt eodem modo philosophandum esse de caussalitate caussæ materialis, formalis, & finalis, sicut cõmunis opinio philosophatur de caussalitate caussæ efficientis. Quare sicut caussalitas efficiẽtis caussæ est accidens quoddam absolutum, medium inter agens, & effectum, ab effectu realiter indistinctum, distinctum tamen ab agente: ita etiam caussalitas caussæ finalis (idem dicunt de materiali, & formali) est accidens absolutum, quod medium interiacet inter finem, & effectum finis, ab effectu realiter indistinctum: distinctum verò realiter ab ipso fine. Hæc sententia, vt iam diximus, placuit quibusdã philosophis nostræ huius tempestatis, quam referunt Fonseca, & Cursus Conimbr. locis citatis. Attractio igitur, qua finis ad se trahit agentis actionem, & effectũ, erit quoddam accidens idem realiter, tum cum actione, tum etiam cum effectu ab ipso fine realiter distinctum: quod, vt est à fine dicitur finalizatio. Et quanuis hęc opinio in caussis intrinsecis, materiali inquam, & formali, non habeat probabile fundamentum, vt in 2. Physicorum, & in 5. Metaphy. latiùs ostendũt philosophi: in caussa finali nõ longè est à probabilitate: quia simul cum caussa efficiente est caussa extrinseca: influxus autem extrinsecæ caussæ non poterit effectum realiter attingere, nisi realiter exeat ab ipsa caussa in effectum ipsum.

Est adhuc quinta in ordine opinio, quæ vult caussalitatem finalem esse ipsam actionem agentis, prout tamen est & dependet à fine: ita vt eadem met actio agentis, quę prout est ab agẽte, est caussalitas caussæ efficientis; sit caussalitas caussæ finalis, prout est, & dependet à fine, v.g. Deo mundũ creante propter suam bonitatem, tanquam propter finem, caussalitas finalis est idem, quod creatio: ita vt creatio, prout est à Deo, sit caussalitas caussæ efficientis: prout tamen est à diuina bonitate, sit caussalitas finalis, qua bonitas diuina trahit ad se ipsam actionem transeuntem creationis. Similiter in agente creato actio voluntatis, qua voluntas vult aliquid propter finem, prout est, & pendet à fine, est finalis caussalitas: efficientis verò, prout ab efficiente pendet. 5 Quinta sententia.

Hęc opinio probata est plerisq; quos Suarius refert in dicta disp. 23. sect. 4. in 2. opinione; quam ipse ibidem probat post quartam opinionem, nu. 12. & post eum sequuntur nonnulli ex modernioribus paruæ notæ. quin potiº putat Suarius vbi supra n. 8. hanc sententiam esse D. Thomę, Auicenæ, Alberti, Alensis, Heruei, Soncinatis, & clariùs Ochami, quos omnes refert.

Eam primò ita confirmat: quia nihil aliud excogitari potest, quod sit caussalitas finis: nec aliud est necessarium, vel vt agens moueatur à fine, & in finẽ; vel vt actus eius dependeat à fine. Deinde à simili: quia in potentia cognoscitiua caussali- Prima ratio pro hac sententia. 2. Ratio.

causſalitas potentiæ, & obiecti, eſt ipſamet actio potentiæ; quę, vt fluit à potentia, eſt cauſſalitas potentiæ; vt verò eſt ab obiecto, eſt cauſſalitas obiecti. Eodem igitur modo actio agentis, v. g. voluntatis, prout eſt ab agente, eſt cauſſalitas cauſſę agentis: at prout eſt, & pẽdet à fine eſt cauſſalitas finis. Addunt nonnulli tertiam rationem, quia neceſſarium videtur, vt cauſſalitas cauſſę finalis identificetur cum actione agentis, vt poſsit verè, & realiter cauſſare ſuum effectum: alioquin ſola cauſſalitas finalis, cùm ſit motio metaphorica, nihil reale cauſſaret. Quare, ſicut motio intentionalis obiecti circa potentiam cognoſcitiuam debuit eſſe coniũcta cũ reali actione, qua idem obiectum cauſſat ſpeciem ad producendum ſimul cũ potẽtia actualem cognitionem: ita etiã motio metaphorica finis debuit eſſe cõiuncta cum actione reali agentis, vt ſimul cum agente poſſet aliquid realiter cauſſare. Itaque finis mediante actione agentis influit in effectum, & illum attingit: prout tamen ipſa actio eſt cauſſalitas finis.

Tertia ratio.

§. 2.

Expenduntur ſententiæ ſuperius relatæ.

6 Prima opinio conſentit cum eaque proban da eſt.

ANtequam veram reſolutionem explicemus, priùs expendendæ ſunt opiniones ſuperi⁹ relatæ. Et quod attinet ad primam, cum conſentiat cũ opinione, quam probaturi ſumus, nihil modo de ea dicimus.

2. Opinio in quo placeat & in quo diſpliceat.

Secunda autem opinio in eo eſt veriſsima, quòd docet cauſſalitatem finalem non diſtingui à fine: id enim etiã nos docebimus: diſplicet tamen id, quod aſſerit cauſſalitatem ipſam eſſe modum poſitiuum ipſius finis, ex natura rei ab eo diſtinctum, tanquam modum rei à re: diſplicet, inquam, quoniã ſupponit cauſſalitatem finalem eſſe quid poſitiuum, & reale ſuperadditum fini; quod non cõuenit cauſſalitati morali, quę fit per motionem intentionalem affectus, vt inferiùs patebit §. ſequenti.

7 Id quod diſplicet amplius impugnatur.

Deinde ex eo euidentiſsimè impugnatur, quia Deus eſt cauſſa finalis, non ſolùm earum operationum, quas in tẽpore quotidiè facit; ſed etiam noſtrarũ actionum, vt patet: ad quas omnes nouis ſemper cauſſalitatibus concurrit: Deus autem eſt incapax modi realis de nouo aduenientis, vt idem Curſus (nobis contrarius) latè probat in 2. Phyſi. cap. 7. q. 7. art. 2. Nec ſatisfaciet, qui dixerit modos illos non aduenire Deo de nouo, ſed eſſe ab æterno in Deo; non tamen ab æterno concurrere ad effectũ. Et ratio eſt, quia cum illi modi ſint quidam concurſus, & quædam cauſſalitates; neceſſariò dicunt ordinem fundamentalem ad ſuos effectus. Cum verò effectus ab æterno actu non pendeant à diuina bonitate; ſed tunc, quando fiunt; tales modi non ab æterno concurrunt, ſed pro tempore, quo fiunt effectus. Nõ ſatisfaciet, inquam, qui ita reſponderit; quanuis reſpondere videatur ad mentẽ Fonſecę in lib. 5. Metaphy. cap. 2. q. 13. ſect. 4. ad 2: quoniam etſi ſatisfacit allatæ difficultati, prout per eam quidam recentiores intendunt conuincere non eſſe admittendos modos eſſendi aduenientes Deo de nouo: non tamen fatisfacit abſurdo, quod ex dicta opinione infertur; admitti ſcilicet in Deo modos reales, qui etſi ab æterno Deo conueniũt cauſſalitates nõ pro æternitate, ſed in tempore: tamen potuerũt non eſſe in Deo: quia potuit Deus nihil ad extra producere. At nihil poſitiuũ eſt in Deo admittendum, quod potuerit non eſſe in Deo, de qua difficultate latius diſputare non eſt huius loci.

Reſponſio.

Non ſatisfacit.

Fonſeca.

8 Tertia opinio in eo, quod peculiariter aſſerit, reijcitur

Tertia opinio conuenit cum 4. & 5. in eo, quod ponit cauſſalitatem finalem eſſe quid poſitiuum naturaliter reſultans à cauſſa finali, & ab ea realiter diſtinctum: cuius puncti veritatem ſtatim expendemus. Id verò, quod addit hoc poſitiuum eſſe quid antecedẽs omnem agentis actionem, non poteſt non diſplicere omnibus, qui peripateticè philoſophantur de cauſſalitate finis. Vnde meritò impugnatur à Suario in d. diſp. 23. ſect. 4. nu. 5. in ſecunda opinione. Sed omiſsis alijs impugnationib⁹ ab eo adductis, in quibus vel nõ impugnatur id, quod aſſerit hæc opinio; vel fingitur id, quod non aſſerit, vt licentius impugnetur: illa ſola impugnatio ad expugnationem ſatis ſit, quæ ab eo in prima cõfirmatione ponitur. Nam ex communi omnium philoſophorum ſententia finis actu non cauſſat, niſi concauſſante cum

Qua ratiõe tertia ſentẽtia reijcienda ſit.

eo

Aristotel. eo causſa efficiente. Quæ doctrina expreſsè eſt Ariſtotelis 1. de Generation. cap. 7. tex. 55: *Etenim* (ait Ariſt. agens de causſa finali) *cum ea aliquo agente, adeſt patiens, fit quippiam.* Et in 3. Metaphy. cap. 2. tex. 3. *Finis* (inquit) *& cuius gratia, actionis cuiusque finis ſit.* Quod prætereà demonſtratur ex definitione finis: nam ſi finis eſt id, cuius gratia aliquid fit (nimirum ab agente) vtique niſi aliquid ab agente fiat, nulla ratione fingi poterit finalizatio. Ob quam rationem ceſſante agentis actione finem etiam ceſſare à finalizando, colligunt omnes interpretes ex Ariſtotele loco citato.

Impugnatur eade sẽtenita auctoritate Auicen.

Accedat etiam ad impugnationem auctoritas Auicenę in ſua Metaphyſica tract. 6. cap. vlt. lit. E: finem eſſe causſam causſalitatis ipſius agẽtis: quia ſcilicet causſat ipſam agentis actionem. Iam verò causſa in actu, ſimul eſt cum effectu in actu: igitur causſalitas finis actu non erit, antequã actu exiſtat agentis actio.

9 Quarta opinio non pbatur.

Quod attinet ad quartam opinionẽ: illa à communi Schola in eo eſt iam diù relegata, quod aſſerit causſalitates in omnibus causſarum generibus eſſe entia quędam abſoluta diſtincta à causſis & effectis: inter quę media interiacent. Hanc philoſophiam in ſua generalitate iam non admittunt Philoſophi noſtri tẽporis: nam Fonſeca in nulla causſa, nec etiam in efficiente eam agnoſcit, vt patet ex 5. Metaph. cap. 2. q. 13. ſect. 2. Alij in ſola causſa efficiente illo modo philoſophantur, vt Curſus Conimbr. 2. Phyſicorum cap. 7. q. 6. art. 2. Porrò Suarius eam recepit in causſa efficiente, materiali, & finali, non verò in formali. De efficiente id oſtendit in Metaphyſica diſp. 18. ſect. 10. n. 5. de materiali videndus eſt ibi diſp. 13. ſect. 9. nu. 5. De finali verò diſp. 23. ſect. 4. quem in 5. opinione citauimus. Non deſunt, qui illam philoſophiam noſcant in efficiente, & finali causſa: non tamen in materiali, & formali: in his enim causſalitates ſunt modi quidam eſſendi, & non entia. Ex quibus iam conſtat generalem illam philoſophiam non eſſe à poſterioribus philoſophis receptam in omnibus causſis. Et quidem in causſis materiali, & formali meritò venit reijcienda, quanuis de hoc non ſit locus diſputandi. An verò ſit recipienda in causſa finali? de qua eſt nobis ſermo, ſtatim expendemus in quinta opinione, quæ in hoc conuenit cum hac quarta. Illud tamen dicimus non eſſe recipiendum id, quod hæc opinio ſuperaddit, illud ens abſolutum in causſa finali eſſe ens reponibile in prędicamento actionis, diſtinguique ex natura rei à causſalitate causſæ efficientis. Hoc poſterius ſtatim expendemus; illud verò prius ſupponimus, cuius latiorem diſputationẽ prætermittimus.

10 Non placet 5. opinio.

Reliqua eſt quinta opinio, quæ vult causſalitatem causſæ finalis eſſe ipſam actionem agentis, prout tamen pendet à causſa finali; quæ, vt diximus, pleriſq; Philoſophorum placuit, quos probauit Suarius, cum quibuſdã ex poſterioribꝰ. Quę opinio ſubtilis quidem eſt, ſed multis expoſita difficultatibus; vnde nobis non placet.

Prima difficultas cõtra quintam sẽtentam.

Prima difficultas eſt: quoniam, teſte eodem Suario, hæc causſalitas eſt veluti moralis: moralis autem causſalitas non eſt aliquid poſitiuum, quod à causſa morali emanet, & quo illa effectum attingat, vt omnes admittunt.

11 Secunda difficultas.

Deinde causſalitas causſæ finalis eſt motio metaphorica, vt omnes volunt. Ergo nec erit motio realis, nec finis per eã realiter mouebit: etenim in hoc diſtinguitur motio metaphorica à motione cauſſę efficientis. At hoc eſt falſum, ſi causſalitas finalis eſt ipſa actio. Nam inquiro, cur ipſa actio, vt eſt ab agente ſit realis, & realiter moueat; nõ verò prout eſt, & pendet à fine? profecto vix dabitur ſufficiens ratio diſcriminis: nam ipſam eſſe à fine, vt ab obiecto alliciente: ab agente autẽ, vt à principio effectiuo (ad quod recurrit Suarius vbi ſuprà n. 8.) non videtur ſatis, vt ſub vna ratione dicatur realis: ſub altera, metaphorica. Et ratio eſt; quoniã vel illa actio pendet à fine alliciente, vt à causſa reali, & phyſica: vel vt à causſa morali. Si vt à causſa morali; verè dicetur metaphorica, vt ab ea pendet: attamen vt ſic non poteſt habere rationẽ causſalitatis finalis, reſpectu alicuius effectus: & ratio eſt, quia effectus cauſſę moralis, licet ſecundum conſiderationẽ moralẽ: abea pẽdeat; nõ tamẽ ab ea pendet per aliquã causſalitatẽ poſitiuã, vt diximus: hęc autem actio agentis eſt quid poſitiuum. Si verò actio pendet à fine,

fine, vt à cauſſa reali, & ſecundum conſiderationem phyſicam, phyſicè influẽte: cur dicetur metaphorica, & non realis? nam cauſſa, quæ alliciendo mouet, non ob aliam rationem dicitur metaphoricè mouere, niſi quia moraliter mouet: nam ſi phyſicè moueret; non poſſet non realiter mouere per cauſſalitatem realem.

12 Tertia difficultas cõtra 5. ſententiã.

Accedit eò; quoniam illa actio, vt pẽdet ab agente, non ob aliam rationem dicitur realis, ac realiter mouere; niſi quia realiter identificatur cum re, qua ſubiectum recipiens aliter ſe habet nũc ac prius: niſi enim illa actio; vt eſt via ad talem actum, cum ea realiter identificaretur, non poſſet realiter mouere ſubiectũ, circa quod operatur. At actio illa, prout pendet à fine, id ipſum habet; nam ſi vt ſic eſt cauſſalitas finis, vtique vt cauſſalitas idem eſt realiter cum re; qua ſubiectum realiter mutatur: ergo illa actio ſub vtraque dependentia dicetur realis motio ſubiecti: in diuerſo tamen genere cauſſæ, vt dictum eſt. Nã cur illa eadem res, & ab efficiente, & à fine cauſſata in ſubiecto, quod per eam realiter mutatur; potius dicetur realis, vt eſt ab efficiente; non autem vt eſt à fine?

13 Tertio; cùm dicitur cauſſalitatem finis eſſe ipſam actionem agentis: vel accipitur actio pro ipſo actu, qui fit ab agente; vel formaliter prout eſt actio, & cauſſalitas ipſius agentis: etenim actio agentis vt actio eſt, diſtinguitur ſaltem ex natura rei ab actu, qui per eam fit, vt communis docet philoſophia: & expreſſè fatetur ipſe Suarius in Metaphyſica diſp. 18. ſec. 10. n. 8. & diſp. 48. ſect. 1. n. 15. & ſect. 5. n. 1.: quin potius eadem diſtinctio reperitur in actionibus immanentibus, vt vera habet opinio, quam idem Suarius latè probat in dicta diſp. 48. ſection. 2. n. 12. & eam ſupponit in diſp. 23. ſect. 4. n. 12.

Non poteſt accipi pro actu, qui fit: quia vt ſic eſt effectus cauſſæ finalis, vt inferiùs dicemus: cauſſalitas autem cuiuſque cauſſæ diſtinguitur ab effectu, qui per eam fit, ſaltem ex natura rei. Neque etiam poteſt accipi pro ipſa actione agentis formaliter ſumpta, quatenus eſt agentis cauſſalitas: nam iſto etiam modo eſt effectus cauſſæ finalis, per finalem cauſſalitatem verè, & propriè cauſſatus; conſtat enim inter Philoſophos cauſſam finalem eſſe cauſſam cauſſæ efficientis quoad cauſſalitatem: ita vt cauſſalitas finalis ſit cauſſalitas, qua verè, & propriè cauſſatur cauſſalitas efficientis. Ita Auicena in ſua Metaphyſica tract. 6. cap. vlt. lit. E. quem refert, & probat Henricus 2. p. Sũmæ art. 49. q. 5. lit. S. & T. & poſt eum Ochamus in 2. q. 3. art. 2. lit. G. H. I. Idem docuere Alexan. Alenſis, & D. Tho. in 5. Metaph. cap. 2. Albertus Magnus 2. Phyſicorum tract. 2. cap. 6. quos referunt, & ſequuntur Curſus Conimbr. 2. Phyſicorum ca. 7. q. 9. art. 2. concluſion. 1. & idem Suar. in Metaphyſic. diſp. 27. ſect. 2. n. 7. & 10. Nec repugnat Fonſeca in 5. Metaphyſi. cap. 2. q. 1. ſect. 4. ad 2. & q. 16. ſect. 2. §. *Verum iſta non videntur*, ſi nomine cauſſalitatis intelligatur actio agentis. Quare ſi cauſſalitas, qua cauſſa quæque influit in effectum ſuum diſtinguitur ab effectu per ipſam cauſſato; fieri non poteſt, vt cauſſalitas finalis ſit ipſa actio agentis ſumpta formaliter pro ipſa agentis cauſſalitate.

Auicen. *Henricus.* *Ochamus.* *Alenſis.* *D. Thom.* *Alb. Mag.* *Fonſeca.*

14 At, inquit Suarius, in dicta diſp. 23. ſection. 4. nu. 12. in fine non repugnare, vt eadem res, quæ eſt effectus cauſſæ in eo genere, in quo eſt effectus, ſit etiã cauſſalitas, quando ipſemet effectus eſt ipſamet actio: ſufficit enim (vt ait) diſtinctio rationis, vt diſtinguantur per modum cauſſalitatis, vel per modum effectus: id enim manifeſtè conſtat in cauſſalitate actiua.

Non probatur.

Sed hæc ſolutio vel doctrinam falſã continet: vel difficultatem non ſoluit. Nam doctrina illa, ſi intelligatur de effectu cauſſæ, quæ propriè non eſt illius effectus, ſed ſolùm lato modo (qualis eſt cauſſalitas cuiuſque cauſſæ in ordinem ad ipſam cauſſam, à qua veluti emanat) veriſsima eſt: quia iſte effectus, cùm ſit cauſſalitas cauſſæ, & ad eam immediatam habeat habitudinem; non indiget alia cauſſalitate, qua eadem cauſſa in eam influat; ſed ipſamet eſt immediat' cauſſę influxus, vt omnes Philoſophi docent, & cum illis Suarius in Metaphyſica diſp 18. ſect. 10. n. 8. & ante eum Curſus Conimb. 2. Phyſicor. cap. 7. q. 7. art. 3. ad ſecundum.

At tamen non poteſt eſſe vera doctri

na

na illa, sed omnibus modis est falsa si intelligatur de effectu, qui verè, & propriè est effectus alicuius causæ, causatus ab ea per veram, & propriam causalitatem: quis enim, qui philosophiam, vel primis, vt dicitur, labris tetigerit, negabit causalitatem hanc à suo effectu, etiam si ille alterius causę sit causalitas, necessariò distingui saltem ex natura rei? Nam quo pacto idem omnibus modis idem poterit esse vera causalitas sui ipsius? profecto cum ratio repugnet, vix id poterit intelligi. 15

Quare admittam libentissimè, iuxta doctrinam in priori sensu explicatam, causalitatem finalem, vt talis est, dici posse & effectum, & causalitatem causæ finalis secundum diuersas considerationes, & habitudines: erit enim causalitas respectu termini, qui per eam causatur: effectus autem, respectu finis, à quo veluti emanat: nam cum ab eo distinguatur (secundum aduersariorum opinionem loquor) & ab eo emanet; vtique ab eo suo modo tanquam effectus dependebit: at tamen tanquam effectus immediatè emanans à causa nulla mediante vera causalitate. Sed quis dicet in hoc sensu causalitatem finalem esse verè, & propriè causalitatē sui ipsius? etenim ipsa, vt sic, non fit à fine per aliā antecedentem causalitatem, vt idem Suarius agnoscit.

Sed in hoc sensu data doctrina difficultatem argumenti non tangit: quoniā nos agimus de causalitate causæ efficientis, vt est causalitas causæ efficientis, non verò vt est causalitas causæ finalis: & cum causalitas causæ efficientis, vt est talis, sit effectus verè, & propriè causatus à causa finali, iuxta communem philosophiam ab eodem Suario probatam, idque mediante vera, & propria causalitate finali, à qua tanquam à causalitate naturaliter priori, necessariò pendet: inde inferimus causalitatem ipsam finalem, qua causalitas ipsa efficientis causæ verè causatur, ex natura rei distinguēdam esse ab ipsa causalitate efficientis causæ, vt talis est: & subinde fieri non posse, vt sit ipsamet actio agentis; siue illa sumatur, vt est act⁹ qui ab agente fit, siue, vt est causalitas illius in genere causæ efficientis. 16

Fortè respondebit aliquis non esse necessarium omnem causalitatem distingui ex natura rei à suo causato: fundamentum fortè sumet ex doctrina eiusdem Suarij in Metaphysica disp. 27. section. 2. n. 10: dum ait; vt vna causalitas dicatur esse causata ab altera, satis esse, quod illa non possit esse, nisi altera simul concurrente: at mutuus iste concursus non infert causalitatem vnius distingui ex natura rei à causalitate alterius. Sed qui ita respondet, probare debuisset id, quod sine probatione sumit: quoniam esse causatum (si propriè loquendum est) non sumitur ex simultate influxuum causarum: sed ex dependentia terminatiua illorum influxuum. Reijcitur.

17 Si verò aliquis tertio loco respōdeat causalitatem, quæ est realis motio, necessario distingui ex natura rei à suo causato, secus, si fuerit motio metaphorica, qualis est causalitas finalis. Si, inquam, ita quis respondeat: reijcienda est solutio: quoniam etsi causalitas quę est realis motio, distinguatur ex natura rei à suo causato; vt patet in actione agentis, & suo effectu: tamen, vt detur talis distinctio inter illa duo, non est necessarium causalitatem esse motionē realem; alioquin inter causalitatē formalem, & compositum (qui est causalitatis effectus) non daretur distinctio ex natura rei: quod tamen esse falsum omnibus est notum. Idem dicēdum erit de causalitate materiali respectu sui effectus. Satis est igitur ad distinctionē ex natura rei, quod causalitas sit vera, ac propria causalitas, quod in causalitate finali reperitur. Tertia responsio. Non placet etiam.

18 Quartò, falsum est id, quod asseritur actionem agentis sine vlla distinctione in re dici causalitatem effectiuam, & finalem, diuersis duntaxat respectibus, & dependentijs, quod non videtur rectè dictum: quoniam diuersæ illæ dependentię apud eos, qui admittunt causalitatem finalem esse realē, sunt diuersi modi reales, quibus idem actus, siue effect⁹ actionis à duabus illis causis realiter dependet. Fieri igitur non potest, vt eadem actio, sine vlla distinctione in re, sit & dicatur causalitas effectiua, & finalis. Quod autem duæ illæ dependentiæ dicant duos modos reales, ex eo probatur; quia, suppositā ista sententia, dicunt duas causalitates reales, quarum Quarta difficultas contraquintam opinionem.

quæli-

quælibet est modus realis, ex natura rei distinctus ab actu, siue effectu, qui per se pendet à duabus illis causis, efficiente scilicet, & finali. Et quidem, quod depẽdentia à caussa efficiente pręcisè sumpta, vt talis est, sit modus realis; cõmunis docet philosophia, & Suar. in Metaphy. disp. 48. sect. 3. n. 1. & alibi sępè. Idem necessariò dicendum est de dependentia, qua idemmet agentis effectus depẽdet à fine, si dependentia illa est realis; nam quæ ratio probat dependentiam à caussa efficiente esse modum realem in effectu; ea etiam probat depẽdentiã à caussa finali, vt talis est, esse quoque realem modum in eodem effectu. Quod facilè patebit, si ea, quæ adducit Suarius de caussalitate agentis in disp. 48. sect. 2. n. 15. applicentur ad caussalitatem caussæ finalis: nam sicut caussalitas caussæ agẽtis non est aliud, quàm dependẽtia, qua effectus pendet à caussa agente, quæ ipsa intrinsecè, & essentialiter dicit respectum transcendentalem ad agens, à quo emanat: quæ non potest non esse realis habitudo, qua & agẽs dicit agens, & effectus realiter constituitur in esse effectus agentis, vt latè ostendit Suar. in d. sect. 2. n. 15. 16. & 17: similiter etiã caussalitas finalis non erit aliud, quàm dependentia, qua idem effectus pendet à caussa finali, quæ ipsa intrinsecè, & essẽtialiter dicit respectum transcẽdentalem ad finem, à quo veluti emanat, qua, & finis dicitur caussans, & effectus est, & dicitur effectus. Quod fieri nõ potest sine reali habitudine, & reali quodam modo, quo effectus se habet ad finem. Quin potius hoc cõuenit omni caussalitati reali: omnis enim sublato quocũque intellectu à parte rei facit effectũ in sua entitate esse pendentẽ à sua caussa. Quod cũ sit aliquid àparte rei, nec sit aliqua entitas absoluta, aut relatiua. vt contra 4. sententiam iam aduertimus, vtique erit modus aliquis realis. Quare supposita prædicta sententia concedẽdum est dependentiam illã, qua idẽ agẽtis effectus per se pendet à caussa finali, esse modum realem ipsius effectus.

19 Responsio ad præcedẽtem rationẽ

Sed respõdebit aliquis dependentiã illius actionis à fine, esse quidem modũ realẽ actus, qui fit; indistinctũ tñ ex natura rei à modo reali depẽdentiæ effectiuę: ita vt vtraq; depẽdentia cõstituat vnum modũ realem, qui diuersis respectibus dicatur caussalitas effectiua, vt emanat ab agente: & finalis, vt emanat à fine: quę videtur esse mens Suarij in d. disp. 23. sect. 4. n. 13. Sed hæc respõsio nequaquã admitti debet. Primo; quia ille modus, vt est caussalitas, & depẽdentia ab agẽte, verè, & propriè est effectꝰ caussatus à caussalitate, & dependentia à fine, vt cũ cõmuni philosophia ab eodem Suario recepta ostendimus in præcedẽti argumento. Implicat autẽ, vt ibi diximus, idẽ sine vlla distinctione in re esse caussalitatẽ, & caussatũ propriè sũptũ: fieri igitur non potest, vt modus, qui est depẽdẽtia ab agẽte, sit ex natura rei indistinctꝰ à modo, qui est depẽdentia à fine. Deinde fieri potest, vt manẽte eadẽ numero depẽdentia à fine, varietur depẽdentia à caussa efficiẽte, & è cõtrario, manente eadẽ dependẽtia effectiua varietur dependẽtia finalis: ergo illę dependentię sunt inter se distinctæ, nõ per solos respectus rationis, diuersasq; considerationes, sed ex natura rei. Consequentia valet ex doctrina inter philosophos recepta, probataq; ab eodẽ Suar. in Metap. disp. 6. sect. 2. n. 2. separationẽ scilicet vnius ab alio, siue illa mutua sit siue non mutua, signũ esse inter ea dari maiorẽ distinctionẽ, quã rationis, atq; adeò dari actualẽ aliquã ex natura rei. Antecedens quoad vtramq; partem est notũ: suppositio quod in eodem effectu possunt variari dependentiæ effectiuæ, & finales, & de dependentia effectiua id fatetur Suarius in Metaph. disp. 18. sect. 10. n. 8. & latiùs disp. 20. sect. 5. n. 13. potest enim fieri, vt qui effectus nunc pendebat ab hac caussa agente, postea pẽdeat ab alia. Idẽ dicendũ est de depẽdẽtia finali: potest enim agens liberum id, quod modò invnũ finẽ referebat, illo relicto, in aliũ referre. Quibus positis patet prior pars antecedẽtis, quia potest Deꝰ effectũ, quẽ mediãte caussa instrumẽtali ꝓducebat ꝓpter hũc finẽ; eundẽ se ipso immediatè ꝓducere ꝓpter eũdẽ finẽ: in quo casu nõ potest nõ variari dependentia effectiua, vt idẽ Suar. docet in d. sec. 5. n. 13. Et qui grã studendi illuminauit domũ hac cãdela: & qui grã bibẽdi applicato igne calorẽ in aquã produxit; potest manẽte eodẽ fine cõseruare idẽ numero lumẽ appositio alio lumi

Admitti nõ debet.

noſo, eundem itẽ calorẽ applicato alio calefaciẽte. Poſteriorverò pars antecedentis eſt etiã manifeſta; quia poteſt agẽs liberũ illud ipſum, quod gratia huius finis faciebat, facere gratia alterius: qui enim medicinam propter Petrum ſanandum nunc præparabat; poteſt eãdem non propter Petrum, ſed propter Ioannem præparare.

20 Accedit etiam quia fieri non poteſt, vt eadem res, ſiue idem realis modus ſine vlla diſtinctione in re ſit cauſſalitas cauſſarũ diuerſi generis: nulla enim dabitur inſtantia; nam, quæ à Suario ad ducuntur in dicta diſp. 23. ſect. 4. nu. 13. multa ſupponunt, quę vel ſunt falſa, vel dubia: nam eiſdem argumentis impugnari debent. Id verò, quod adducit vnã ſcilicet, & eandem actionem, ſiue cauſſalitatem eſſe primæ cauſſæ, & ſecundæ nihil ad rem facit: quoniam cauſſa prima, & ſecunda: quãuis in ſuo ordine ſingulę ſint totales: tamen aliquo modo dicuntur partiales, vnam totalem cauſſã, veluti complentes, vt colliges ex Curſu Conimb. 2. Phyſi. cap. 2. q. 12. ar. 3. ad 3.

21 Ex quibus omnibus videtur concludendum fieri non poſſe, vt vna, & eadem actio diuerſis reſpectibus, & conſiderationibus ſit cauſſalitas cauſſæ efficientis, & finalis. Præterea etiam fieri non poſſe, vt eadem actio ſit vna realis dependentia virtualiter duplex, vt quidã ex Philoſophis poſterioribus pro illius opinionis defenſione ſunt commenti: nam ex ijs, quæ diximus, euidenter patet inter dependentiam effectiuam, & finalem conſtituendam eſſe diſtinctionem actualem ex natura rei; ita vt ambæ, & ab effectu, & inter ſe ſaltem modaliter diſtinguantur: idque ſi ſupponamus cauſſalitatem cauſſæ finalis poſitã eſſe in dependentia effectus à fine, prout ab eo veluti emanat. Cum verò id nõ admittant aduerſarij, qui negant cauſſalitatem finalem ſuperaddere actioni aliquem modum realem (& in hoc quidem rectè:) cõcludendũ eſt cauſſalitatẽ finalem nõ eſſe idẽ cum actione agẽtis.

22 Vltima obiectio cõtra quintam opinionem. Poſtremo cõtra eandem opinionem poſſumus obijcere: quoniam finis ſua cauſſalitate allicit voluntatem advolẽdum, vt aduerſarij admittunt; non poteſt autem eam allicere per volitionem actualem voluntatis: ergo cauſſalitas finalis non eſt ipſa volitio. Maiorem admittunt aduerſarij. Minor probatur; quoniam voluntas volẽs iam eſt allecta ad volendum: nec enim vellet, niſi eſſet ad volendum determinata: nec facilè intelligitur quomodò voluntas volitione elicita alliciatur à fine ad eliciendã volitionem. Si reſpondeas voluntatem volendo, ſe determinare; & determinandò ſe, velle: iuxta veriſsimam Theologorũ doctrinam, quam nos alibi docuimus, & docet Suar. lib. 1. de Auxilijs cap. 17. n. 3. Non erit igitur mirum, ſi voluntas eadem volitione, qua vult; ſe alliciat ad volendum. Si inquã ita reſpondeas; aduertam doctrinam illam ab ijs, qui bene theologizant, ita declarari; vt voluntas eadem volitione, qua vult, ſe determinet: non tamen prout illa eſt actualis volitio, qua voluntas actu vult; ſed prout eſt volitio quædam virtualis ſui ipſius; quæ ſupra ſe ipſam reflectitur; etenim determinat ſe per ipſam volitionẽ, quatenꝰ eſt volitio, qua virtualiter vult ſe velle, vt nos latè aduertimus in præcedente art. §. 8. Ita fiet, vt cauſſalitas finis, ſi eſt volitio, ſicut volunt aduerſarij, non ſit volitio, prout eſt actualis volitio, ſed prout eſt volitio virtualis: at volitio iſto modo ſumpta non eſt cauſſalitas volũtatis, vt eſt agens, realiterq; eliciens volitionem. Iam verò volitio, quatenus eſt virtualis ſui ipſius volitio, non realiter elicitur, ſed ſolùm virtualiter. Sed cur rem ad has anguſtias redigemus?

§. 3.

Reſolutio Quæſtionis.

23 Aduertẽtia ad reſolutionem quæſtionis. PRo reſolutione huius difficultatis aduertendum eſt cauſſam finalem veram eſſe cauſſam, & realem: attamen eſſe quodammodo moralem; quod pleriq; philoſophorum aduerterunt, & probauit Suar. in d. diſp. 23. ſect. 4. n. 17. in fin. Quare de ea non eſt eodem modo per omnia philoſophandum, quo de cęteris cauſsis, maximè de efficiente philoſophamur, vt idẽ Suarius loco citato videtur inſinuare: cauſſabit igitur ſuum effectum, & in illum influet ad modum cauſſę moralis, ideſt per cauſſalitatem quodãmodò moralẽ. Cauſſaverò moralis hoc ſibivẽdicat, quod nõ habet influxũ poſitiuum, quo effectum attingat, & cauſſet, vt videre eſt in conſulente, quẽ eſſe cauſſam efficientem aſſerit Ariſto. *Ariſtotel.* ſecun-

secũdo Physicorum cap.3.text.29. & in 2.Metaphy.cap.2.tex.2: is enim suo cõsilio influit in effectum non influxu physico,& positiuo;sed influxu quodam morali, quem appellare possumus intentionalem.

24 Vera resolutio.

Hoc supposito, ita puto philosophãdum esse de caussalitate caussæ finalis, vt dicamus non esse influxum aliquem positiuum, & subinde non esse entitatẽ, vel modum positiuum alicuius entitatis,qui à fine veluti emanet: sed esse solum influxum quendam moralem, vel(si mauis)intentionalem; quo finis suũ effectum attingit solùm intentionaliter; ad eum prorsus modum, quo voluntas dicitur esse in re amata, in qua est, non quidem realiter,sed intentionaliter dũtaxat per effectum sui amoris. Attractio igitur eius, quod ab agente fit, vt scilicet fiat intuitu, & gratia finis (in qua caussalitatem finalem constituim⁹) nec erit aliqua entitas, nec modus entis à fine veluti resultans: sed erit intẽtionalis quædam motio, qua finis efficit, vt agentis effectus in fieri ita pendeat ab ipso fine,vt fiat intuitu ipsius.

25 Præcedens resolutio cũ 1 opinione. consentit.

Hæc opinio cõsentit cum prima opinione, quam §. 1. retulimus, quatenus asserit caussalitatem finalem nihil reale ponere,aut in fine,aut in agente, aut in effectu. Quod si nihil reale ponit; vtique nec erit entitas, nec entitatis modus,& subinde non erit influxus positiuus; quia omne positiuum, vel est ens, vel modus entis. Cum verò opinio illa asserat finem caussare, non esse aliud, quàm finem amari,& desiderari(ita expressè D.Thom. & Ochamus) finis verò vt amatus,& desideratus nullo positiuo influxu causset, sed solum intentionali, qui fit per affectum,quem moralis consideratio expendit; profecto nostra sententia verè est sententia D. Thomæ, & Ochami; nec ab ea longè esse videtur Benedictus Pereira lib.8. de Principijs rerum naturalium cap. 2. in fine, dum ait: *Finem ideo metaphoricè mouere, quia perinde se habet, ac si moueret.* Quod non alia ratione verum esse potest, nisi quia non mouet physicè, sed solùm moraliter: quæ moralis motio expenditur penes motionem, quæ actiuè fit per affectum; amorem inquam, cuius motio est intentionalis,vt iam diximus.

D.Thom. Ochamus. Pereir.

Hæc opinio non aliter melius probari potest, quàm ex impugnatione aliarum:inde enim facilè patebit caussalitatem caussæ finalis nec esse entitatẽ, nec modum realem entitatis: & subinde non esse influxum aliquem positiuũ, & realem secundum physicam considerationem. Supereſt igitur, vt sit influxus solùm secundum considerationem moralem; qui, vt diximus,solùm intentionaliter influit per intentionem affectus voluntatis:nam secundum hanc cõsiderationem verum est id, quod à Patribus, & philosophis dici solet voluntatem trahi ad rem amatam: á se exire in eam: & tandem in ea esse potius quã in se: qui loquendi modi non sunt veri secundum considerationem physicam; sed secundum solam considerationem moralem, quæ non tam expẽdit motiones, quæ realitatibus fiunt, quàm eas, quę fiunt affectibus voluntatis,& appetitus. Igitur sicut voluntas trahitur à fine amato:ita finis amatus trahit eam, non quidem tractione reali, quę fit per motum physicum: sed tractione morali,quæ fit per affectum, siue actiuè, siue passiuè explicatum: finis enim amatus trahit voluntatem per affectum amationis passiuæ: voluntas verò amans trahitur per affectum amationis actiuæ.Et profecto iuxta hunc dicendi modum facilè intelligimus in quo sensu finis metaphoricè moueat: mouet enim motu metaphorico, quia mouet motu morali per intentionem affectuum; qui ad modũ motionis physicæ explicatur.

26 Probatio præcedetis resolutiõis.

Quæ omnia non parùm confirmantur,si expendas caussam finalẽ non mouere,nisi obiectiuè existat in intellectu: quæ existentia maximè est consentanea modo caussandi sibi proprio, de quo inferiùs dicemus.

§. 4.

Soluuntur argumenta contra datam resolutionem.

COntra datam resolutionem dupliciter obijci potest: primum, quia vel iste influxus intentionalis, atque moralis est aliquid, vel nihil. Si nihil: ergo caussa finalis verè nõ caussat: nam cum caussa non causset nisi mediante sua caussalitate; si caussalitas est nihil;caussa verè nõ caussabit.Si est aliquid,ergo vel entitas, vel modus entis.

27 Primum argumentum.

Secundum argumentũ.

Deinde, quia hæc duo non videntur consequenter dicta; quod scilicet caussa finalis sit verè, & per se caussa, & quod sit caussa moralis: nam caussa moralis apud verè philosophantes non est per se caussa, sed solum per accidens, vt aduertit Suar. in Metaphy. disp. 17. sect. 2. n. 6. & ante eum Fonseca in 5. Metaphy. cap. 2. q. 5. sect. 1.

Fonseca.

28

Solutio primi.

Ad primum respondetur influxum illum intentionalem per modum affectũ, nec esse purum nihil: nec esse aliquid ex natura rei distinctum à fine, illique superadditum: sed esse ipsum finem, non simpliciter; sed prout connotat actualẽ dependentiam effectus à fine in suo fieri; ortam ex sympathia, seu naturali cõuenientia, & consensu, qui est, non solùm inter finem, & appetitum agentis, sed etiam inter finem, & effectũ ipsum. Quæ fuit plurimorum opinio, teste Suario in dicta disp. 23. sect. 4. n. 10. in 4. sententia, quam tribuit Fonsecę in 5. Metaphysi. cap. 2. q. 13. an verè? aliorum sit iudiciũ. Si illius fuisset, vtique magis mihi placuisset, quanuis Suario displicuerit: leui tamen (ni fallor) fundamento: nam id, quod ait concursum nunquam significare caussã ipsam, sed esse aliquid, quod proximè fluit à caussa in suo genere; nõ est verum in caussalitate morali, vt ex dictis patet: nec oppositum ipse probauit ibi disp. 18. sect. 10. n. 5. & 6.

Fonsec.

29

Solutio secundi.

Ad secundum negandum est caussam moralem non esse caussam per se; sed per accidens: oppositum enim mihi probat Arist. in 2. Physicorum cap. 3. tex. 29. & in 5. Metaphysic. cap. 2. tex. 2: dum definitionem caussæ efficientis primo loco tribuit consulenti, ita inquiens: *Id vnde primum principium est motus, & quietis; qualis est is, qui consuluit, & pater filij.* Et inferius in dicto cap. 3. tex. 31. & in dicto cap. 2. tex. 3. ita habet: *At semen, medicus, quique consuluit, & omnino efficiens; omnia sũt caussæ, vnde est mutationis principium, vel quietis, vel motus.* Non est igitur caussa moralis à veris caussis reijciẽda, cum Aristoteles consulentem (qui solùm moraliter caussat) inter veras caussas efficiẽtes semper enumeret: imò etiã in priori loco. Nec doctores, qui in contrariũ obijciuntur, oppositum docent: quia solùm volunt caussam moralem secundũ considerationem physicam (quæ solùm expendit realitates) non esse caussã, nisi per accidens; & rectè sanè, quia caussalitate reali non per se, sed per accidens attingunt effectum. Vnde statim docẽt caussam moralem secundum cõsiderationem moralem, non esse caussam per accidẽs, sed per se; quod satis est, vt simpliciter dicatur caussa per se: siquidem agẽtia physica, saltẽ intellectualia physicè agere non possunt, nisi cum physica caussalitate simul cõcurrat caussalitas caussæ finalis: quę, vt diximus, cõcurrit ad modum caussę moralis influendo, nõ per motionem realem, sed per motionẽ affectuum, quę est metaphorica. Ob quã rationem caussa finalis pertinet ad philosophum naturalem: non quod influat per concursum positiuum, & realẽ, sed quia nullus potest dari physicus cõcursus, nisi cum eo simul concurrente concursu morali.

ARTICVLVS VII.

An causßa finalis vnam tantùm habeat caussalitatem? an plures?

§. 1.

Referuntur opiniones, & difficultates, quæ excitantur.

1

IN resolutione huius difficultatis nõ consentiunt Philosophi: quidam, vnã tãtum caussalitatem admittunt: alij autem plures; sed nec hi eodem modo rem explicant.

Prima opinio.

Prima opinio ponit duas caussalitates erga caussam agentem. Vnam, qua mouetur agens, vt velit agere propter finem: alterã, qua mouetur, vt actu agat. Ita Ochamus in 2. q. 3. art. 2. lit. I. Alij volunt finem exercere vnam caussalitatem erga caussam agentem: alterã erga media. Priori mouet agentem, vt adhibeat media: posteriori mouet media, vt actu adhibeantur. Ita sensisse nõnullos refert Fonseca. Cum hac opinione concordant Iauellus lib. 5. Metaphy. q. 5. & Benedictus Pereira lib. 8. de princ. rerũ natur. c. 2. Qui tamen posteriorem caussalitatem in eo constituunt, quod finis tribuat medijs bonitatẽ, siue amabilitatem, vt fiãt gratia illius cõsequẽdi. Est tertia sententia, quæ videtur tribuere fini duas caussalitates; vnã propriã, sed non ita perfectã, qua finalizat sibi amorẽ, quo appetitur: alterã perfectissimã, qua

Ochamus.

Secunda opinio.

Fonseca. Iauellus. Benedictus Pereira.

Tertia opinio.

qua finalizat ea omnia, quæ circa media insistunt. Hæc sententia non est aliena à Cursu Conimbr. 2. Phy. cap. 7. q. 22. art. 1. §. *Hæc tamen controuersia*.

Quarta opinio.

Quarta adhuc est opinio, quæ cũ cæteris duas admittit causalitates finales: quarum vnam tribuit fini, prout nõ dum est habitus: secundam fini, prout iam est possessus. Prior causalitas posita est in motione agentis ad agendum gratia finis consequendi: posterior ponitur in quietatione, siue satiatione agẽtis in fine iam consecuto. Hanc probauit Suar. in Metaph. disp. 23. sect. 1. n. 11. & sect. 3. n. 14. 15. 16. Et videtur fuisse Caiet. 1. 2. q. 1. art. 1. §. *Ad quorum euidentiã*: quo in loco duos in fine agnoscit finalizandi actus; vnum, quo mouet appetitũ secundum actũ desiderij, idq; prout est futurus; alterum, quo illũ mouet secundum actum delectationis, prout est acquisitus. Postrema sententia vnicam tãtum causalitatem tribuit causæ finali, tã respectu agentis, quàm respectu mediorum, quàm etiam respectu finis acquisiti, & possessi. Hęc videtur sententia Fonsecę in 5. Metaph. cap. 2. q. 10. sect. 3.

Caiet.

Vltima sententia.

Fonseca.

2 Quæ difficultates ex propositis opinionibus oriantur.

Ex his opinionibus iã patet quæstionẽ propter diuersas difficultates, quas inuoluit, esse difficilem. Prima difficultas excitatur in prima sententia, an finis duplici causalitate moueat agentẽ, vt scilicet velit agere, & vt actu agat? Secunda difficultas colligitur ex 2. opinione, an scilicet finis vnã causalitatẽ exerceat erga causã agentem, & alterã erga media? Tertiam difficultatem mouet opinio 3. an causalitas, qua finis finalizat sibi ea, quę circa media insistũt, sit diuersa à causalitate, qua finis finalizat simplicem actum amoris? Postrema dubitatio petit quæstionem, an finis acquisitus ylteriorem aliquam causalitatem exerceat, respectu delectationis, distinctam à causalitate, qua sui acquisitionem finalizauit? Singulas istas difficultates singulatim explicabimus.

§. 2.

Resoluitur prima difficultas de fine respectu voluntatis volentis agere; & agentis.

3 Prima difficultas circa primam opinionem.

PRima difficultas, quam 1. opinio mouet, inquirit: An finis eadẽ causalitate, qua mouet agens, vt velit agere, & adhibere media propter finẽ; moueat etiã ipsum agens, vt actu agat? Pro explicatione aduertendum est cũ D. Thoma, & Caiet. 1. 2. q. 26. ar. 4. duplicem dari ordinem, siue habitudinem in voluntate erga finem amatum: vnã intentionis; alterã executionis: nã priusquam voluntas exequatur realem consecutionẽ finis, prius debet velle assequi finẽ & deliberare de medijs, quibus ille assequendus est, vt deinde accedat ad executionem. Quare ante ordinẽ executionis præcedit ordo intentionis, in quo voluntas vult assequi finem, & eligit media, quibus vult finem acquirere. Quo finito sequitur ordo executionis, in quo mouetur ad exequenda ea, quæ voluit, & decreuit.

D. Thom. Caiet.

Ex his iam patet sensus difficultatis: inquiritur enim, an finis eadẽ causalitate, qua mouet voluntatẽ, vt intendat finẽ acquirere, & eligit media accõmodata, quibus finis est acquirẽd⁹; moueat eandem, vt imperet executionẽ, & vtatur potentijs executiuis eas ad opus applicando?

Sensus difficultatis.

Huic quæstioni 1. opinio respõdet negatiuè: putat enim finem duplicem exercere causalitatem erga causam agentem; vnam, qua eã mouet, vt velit, & intendat finem, & ea, quæ sunt ad finem: alteram, qua eandem mouet, vt actu exequatur ea, quę ad consequendũ finem sunt excogitata, & electa. Et hæc videt fuisse opinio Ochami, quem citauimus.

4 Negatiua sẽtentia.

Nos oppositam sententiã probamus cum Fonseca in 5. Metaphy. cap. 2. q. 10. sect. 3. superuacaneum enim est ponere duas causalitates, ad ea, quæ proponũtur. Nam qua causalitate agens mouetur, vt velit adhibere hęc, vel illa media gratia consequendi finem; eadem actu adhibet illa, ad eum consequendũ. Hæc est ratio Fonsecæ, in qua sine probatione sumitur, quod probandũ erat. Quare fũdamentum ex eo melius sumetur; quoniã finis ad vtrũq; ordinem, intentionis inquã, qua vult agere; & executionis, qua actu agit, nõ aliter cõcurrit, quam voluntatem sua bonitate alliciẽdo, & ipsius actionem trahendo, vt fiat gratia ipsius. Nã si quis quęrat, propter quid mouetur voluntas ad desiderandũ finem, ad ineundum consiliũ de medijs, ad eligendum ea, quę aptiora sunt? nihil aliud respondendum erit, quàm voluntatẽ ad hęc omnia moueri propter bo-

Oppositapbanda cum Fonseca.

Fundamentumvnde sumendum.

nitatem finis: etenim bonitas illius eã allicit ad desiderium habendi finem, ad consultationem de medijs, ad electionẽ illorum. At hoc idem respõdendum est, si quis inquirat, à quo moueatur voluntas, vt imperet executionem, & vtatur potentijs executiuis applicando eas ad opus: nam ad hęc omnia verè mouetur ex bonitate finis, cuius realem assecutionem intendit: quę enim bonitas mouet voluntatem, vt velit scribere, ea ipsa eandem mouet, vt actu scribat. Nec aliud colliges ex Ochamo, si attentius illum legeris.

5 Dubitatio. Dubitabit aliquis, an saltem dentur duæ caussalitates numero distinctę; quarum vna moueat caussam agentem, vt velit agere: altera, vt actu agat? Nam quod non distinguantur formaliter tãquam causalitates diuersę rationis, prę cedens ratio manifestè conuincit: eadẽ enim bonitas sub eadem formali ratione caussandi est caussa allectionis, & attractionis ad motionem vtriusque ordinis. Ad quæstionem respondendũ est caussam finalem distinctis numero caussalitatibus mouere ad illa duo: nam distinctis numero caussalitatibus concurrit ad effectus, qui pertinent ad ordinẽ intentionis, & ad eos, qui spectant ad ordinem executionis. Quin potius tot in caussa finali erunt caussalitates solùm numero distinctæ, & successiuè se habẽtes, quot sunt effectus, qui ab agẽte fiũt, tam interius in ipsomet agente, quàm exteriùs in medijs. De hoc tamen commodius differendum erit in sequenti q. in qua agemus de effectis caussę finalis.

Respõsio. Nunc ad nostrum institutum satis sit, quod ordo intentionis non solùm natura, sed interdum tempore præcedit ordinẽ executionis. Ergo caussalitas, qua finis concurrit ad ea, quę pertinent ad ordinem intentionis, necessariò erit numero distincta à caussalitate, qua concurrit ad ea, quæ pertinent ad ordinem executionis: nam caussalitas caussæ agẽtis, quam finis caussalitas semper comitatur, est etiam numero distincta: finem autẽ ad hos etiã actꝰ immediatè cõcurrere; nõ verò mediatè & remotè: in sequẽti q. cõmodius ostendemꝰ. Et fortè Ocha. dũ in caussa finali admittit duas caussalitates; agit de caussalite solo numero distincta: in quo sẽsu opinio est verissima.

Responsionis ratio.

§. 3.

Resolutio secundæ difficultatis de fine respectu agentis, & mediorum.

6 Secunda difficultas circa 2. opinionem. Præmissum ad explicationẽ cõtrouersiæ.

Secunda difficultas excitatur in 2. opinione; & petit an finis habeat vnam caussalitatem erga caussã agẽtem; alteram erga media? vt status difficultatis magis appareat, præmittendũ est caussã agentem, absoluto intẽtionis ordine, in quo decernũtur ea, quę ad finis consecutionem sunt eligenda, incipere ordinem executionis ab actu imperij, quo imperat executionem decretorũ: actum imperij sequitur vsus, quo mouentur potentiæ executiuę, & applicantur ad executionem sibi imperatã. Ad duos istos actus consequũtur actiones externarum potentiarum, quæ exequuntur imperiũ: actiones verò consequũtur effecta, ideſt media ad realẽ cõsecutionem finis. Exemplo res illustrabitur. Electa atq; decreta potione adeõ sequendã sanitatem voluntas imperat prępparari potionẽ: volitio, quę se habet per modũ vsus, applicat potẽtias externas ad confectionẽ potionis: potẽtiæ applicatæ eliciũt suas actiones, quib⁹ põtio perficitur, & tandẽ sumitur gratia sanitatis cõsequendę. Ex quibus patet in ordine executionis duo se habere ex parte caussę agẽtis; & duo ex parte mediorũ. Ex parte agẽtis datur imperiũ, & vsus, ex parte mediorũ dantur actiones imperatæ, & effecta earũ, quæ sunt media, quibus finis realiter acquiritur. Ad omnia cõcurrit finis sua caussalitate. Nã volũtas (quę est caussa agẽs) gratiã cõsequendi finẽ imperat ea, quę fiũt decreta: deinde eiusdẽ finis gratia vtiẽ potentijs executiuis ad executionẽ decretorũ. Porro actiones, quę gratia finis imperãtur, eliciũtur à potentijs, & tandẽ media ipsa (quę fũt actionũ externarũ effecta) fiũt gratia cõsequendi finem.

Status difficultatis.

Hinc iã patet sensus, & vera explicatio ꝓpositæ difficultatis: inquiritur enĩ vtrũ finis duplicẽ habeat caussalitatẽ: quarũ altera cõcurrat ad duos illos actus volũtatis; imperij inquã, & vsus: altera verò cõcurrat & ad media, quæ p actiones potẽtiarũ exequentiũ efficiũt, & ad easdẽ actiones, quę media efficiũt? Vtrũq; enim sub nomine mediorũ cõtinetur. Sed adhuc difficultas ꝓpositа duplicẽ potꝰ habere sensũ. Vnꝰ est, an finis

ad

ad illa duo cõcurrat duab⁹ cauſſalitatib⁹ diuerſę rationis? Secundus eſt, an cõcurrat diuerſis cauſſalitatibus ſolo numero diſtinctis?

7 Referuntur diuerſi dicẽdi modi.

Difficultatem in ſenſu à nobis explicato nõ eodem modo omnes diſſoluũt. Nam auctores ſecũdæ, & tertiæ opinionis indiſtinctè attribuunt cauſſæ finali duplicem cauſſalitatẽ: vnam, erga cauſſam agentem ad actiones imperij, & vſus: alteram erga media, actioneſq; externas, quibus producuntur, & applicãtur ad finis conſecutionem. Et ſi illorũ mens diligentius inſpiciatur, videntur admittere duas iſtas cauſſalitates eſſe diuerſæ rationis. At vnicam dandã eſſe cauſſalitatem numero, aſſerendum erit ab eo, qui probauerit opinionem Suarij in Metaphyſi. diſp. 23. ſect. 4. num. 17. & 18. vbi docet eãdem volitionem, quæ ſe habet per modum vſus prout pendet à fine eſſe cauſſalitatem finalem ipſiuſmet volitionis, & actionis externæ, effectuſq; per ipſam producti: diuerſo tamen modo; quia ad actum interiorem, vt ait, intrinſece, & immediatè terminatur: ad exteriorem autem, & effectum eius extrinſecè tantum, & remotè. Qua ſuppoſita opinione dicendum eſt finem vna, & eadẽ numero cauſſalitate influere, & in cauſſam agentem, & in media.

Fonſeca. in qua etiam ſententia videtur eſſe Fonſeca in vltima opinione relatus in 5. Metaphy. cap. 2. q. 10. ſect. 3. Dum ait, vt media gratia finis adhibeantur, non eſſe opus alia actione cauſſandi, præpter eã qua agens permotum eſt á fine, ſiquidẽ eadem ratione cauſſandi, & agens mouetur à fine, vt velit adhibere media illius gratia, & media ipſa illius gratia adhibentur.

8 Eligiturme dia quædã via.

His tamen non obſtãtibus media via eligenda eſt: vt ſcilicet finis erga cauſſam agentem, & erga media pluribus quidem cauſſalitatibus concurrat, non tamen diuerſę rationis, ſed ſolùm numero differentibus. Quod pluribus, & diſtinctis cauſſalitatibus finis concurrat ad cauſſam agentem, & ad media in ſenſu explicato; volumus eſſe ſuppoſitum, diligẽtius id probatur inferius in quęſtione ſequente, quæ erit de effectibus cauſſæ finalis; vbi & Suarij, & Fonſecæ fundamenta expendemus. Quod verò illæ duæ cauſſalitates ſolo numero diſtinguantur; eodem argumento oſtendi poteſt, quo in prima difficultate vſi ſumus: nam ad vtraſque concurrit finis per ſuam bonitatẽ vt amatam, attrahẽtem ad ſe vtriuſque ordinis actiones. Quare quæ ratio cauſſandi in fine ſatis eſt ad trahendum actiones internas agẽtis: ea ſatis etiã erit ad trahendũ actiones externas, & media per ipſas producta. Nec duæ illæ opiniones ſecunda inquam, & tertia probabili aliquo fundamento diuerſam rationẽ cauſſandi probare poterunt: nam quod tertia opinio adducit de bonitate ſiue amabilitate, quàm finis tribuit medijs, friuolum eſt: id enim, vel falſum eſt (quia media ſuam propriam habent bonitatem, dependẽtem tamen à bonitate finis, vt ſupra diximus q. 2. art. 4. §. 4.) vel ad eam bonitatem, & amabilitatem non concurrit in genere cauſſę finalis, ſed formalis, vt ibi oſtendimus verſ. *Addidimus tamen ſuperius.* Quod adhuc inde confirmatur, quia finis non poteſt finaliter concurrere niſi ad effectum, ad quem agens ſua actione concurrit efficienter, vt docet recepta philoſophia. At verò ad illam amabilitatem (quę denominatione ſola extrinſeca à fine communicatur) cauſſa agens nequaquam concurrit. Sed hac de re rurſus inferius erit ſermo.

§. 4.

Reſolutio tertiæ difficultatis de fine reſpectu amoris finis, & eorum actuum, qui ſunt ad finem.

TErtię difficultati nullus datur locus apud eos, qui volunt finẽ non concurrere ad amorem ſui in ratione cauſſæ finalis: quæ ſententia ſicut habet patronos doctiſsimos; ita etiam plurimũ habet probabilitatis. Sed quia oppoſita ſententia inter recentiores forſitan eſt communior, & ſatis probabilis, vt inferius oſtenſuri ſumus: proin de ea præſuppoſita inquirendum eſt, an cauſſalitas, qua finis ad amorem ſui cõcurrit, ſit eiuſdem, an verò diuerſæ rationis cum cauſſalitate, qua concurrit cum cæteris actibus, qui circa finem inſiſtunt. Quam difficultatem apud Philoſophos intactam inuenies. In qua ſupponimus finẽ diſtinctis cauſſalitatibus concurrere ad ſimplicem amorem ſui: & ad cæteros actus: nam voluntas diſtinctis etiam actionibus illos actus efficienter

8 Iuxta quã opinionem excitetur difficultas.

cienter producit. Quare tota difficultas est, an caussalitas, qua finis sui amorē finalizat, sit distinctę rationis à caussalitatibus aliorum actuum?

01 Vtraque illius pars iudicatur probabilis, probabilior tamen affirmatiua, quę probatur.

Quæstio mihi videtur pro vtraque parte probabilis: affirmatiua tamen videtur probabilior. Posterior pars inde confirmatur; quoniam finis sub alia ratione mouendi concurrit ad simplicem sui amorem, & ad alios actus. Igitur caussalitates erūt diuersæ rationis. Probatur consequentia; quia ratio caussalitatis per se pendet ex ratione formali caussandi. Antecedens probatur: quoniam licèt bonitas finis semper sit fini formalis ratio caussandi finaliter, vt supra diximus artic. 2. tamen non semper est proxima ratio caussandi: interdum enim caussat sub nuda, ac præcisa ratione bonitatis: interdum verò non sub nuda illius ratione, sed sub ratione bonitatis amatæ: vtraque caussandi ratio necessariò videtur admittenda, si vera est sententia, quam supponimus. Nā primum voluntatis actum circa finem, simplicem inquam ipsius finis amorem, finis finalizat sub nuda ratione bonitatis: amor enim ille elicitur propter ipsā finis bonitatem nudè sumptam: cū tamen cæteros omnes actus finalizet sub ratione bonitatis, vt amatę. Hinc efficitur, vt finis sortiatur diuersam rationē caussalitatis erga hos, & illum actum: hos enim finalizat sui acquirendi gratia; quia ratio amoris excitat acquisitionis desiderium, & intentionem. Primum verò actum non ita finalizat, sed gratia solius conuenientię, quam habet bonitas finis ad appetitum siue voluntatem. Ex quo rursus infertur, vt cæteros actus finalizet sub aliqua ratione medij, amorē verò sui absque vlla medij ratione.

11 Fauent huic sententiæ, qui cū Cursu Conimbricensi in dicta q. 22. art. 1. concipiunt vnam generalem rationem in caussalitatibus, atque effectis finalibus; nempe caussare, vt aliquid fiat propter bonitatem finis, siue illud fiat, vt requiratur finis, siue, vt agens illi vniatur. Nam qui generalem rationē admittit; admittat necesse est rationes specificè diuersas. Cui etiam fauent, qui volunt caussalitatem finis non fuisse adæquatè explicatam à D. Thom. 1. contra gent. cap. 75. dum ait, *eam in hoc consistere, vt alia propter ipsum desiderentur*: nam qui admittit dari caussalitatem inadęquatam, nō potest non admittere dari aliam alterius rationis caussalitatem. Hæc sunt, quę hanc sententiam mihi faciunt probabiliorem.

§. 5.

Explicatur vltima difficultas de caussalitate finis respectu quietis, quæ, acquisito fine, datur in appetitu.

12 vltima dubitatio circa 4. opinionē

SVperest explicanda vltima difficultas, quā excitat quarta opinio. Hęc autem petit, an finis duplicem caussalitatem habeat vnam, qua vt nondum habitus moueat caussam agentē ad agēdum gratia illius acquirendi: alteram, qua, vt iam est habitus, mouet eandem ad quiescendum in eo iam assecuto.

Caietani sē tentia. Partem affirmantem probare videtur Caiet. 1.2.q.1.art.1.§. *Ad quorum euidentiam*, quo in loco agnoscit in fine duos finalizandi actus: vnum, quo mouet appetitum secundū actum desiderij ad ipsum acquirendum: alterum, quo, prout iam est acquisitus, mouet appetitum secundum actum delectationis, vt quiescat in ipso. Eandem sententiam probauit Suarius in Metaphy. disp. 23. sect. 1. num. 11. & clarius sect. 3. nu. 14. 15. 16. quo loco ostendit amorem, & delectationem de fine iam assecuto caussari finaliter à fine, vt iam assecutus est. Cum verò non caussetur ab eo ea caussalitate, qua, vt nondum habitus consecutionem sui ipsius finalizabat; (hęc enim caussalitas cessauit assecuto fine, sicut etiam eo assecuto cessauit agētis actio) infertur distinctam esse caussalitatem, qua illa duo à fine assecuto caussantur.

31 Contrariā probat Fōseca.

Contrariam sentētiam probauit Fōseca in 5. Metaphysic. cap. 2. q. 10. sect. 3. quo in loco docet caussalitatem finis omnino cessare cum primum finis est assecutus, nec vlteriorem in eo admittē dam esse caussalitatem. Quod hac ratione vult esse demonstratum: quoniam tum primum cessat caussalitas finis, cū cessat caussalitas agentis propter finē: acquisito autem fine cessat caussalitas agentis ex Aristotel. primo de Generation. cap. septimo text. 55. ergo acquisito fine cessauit omnino ipsius finis caussalitas.

Aristotel.

Pro

14 Circa quid difficultas versetur.

Pro resolutione aduertendum est tam difficultatem versari circa delectationem, qua appetitus in fine adepto conquiescit: an scilicet finis adeptus in eam finaliter influat? Quæ difficultas solùm habet locum apud eos, qui volùt delectationem esse actum elicitum à voluntate appetente: nam si solum esset passio concomitans operationem, qua finis est adeptus, (quæ fuit plurimorum opinio) nulla foret difficultas; quia assecuto fine nulla supereſſet actio, in quâ finis posset finaliter influere. Vnde sine dubio amplectenda foret opinio Fonsecæ. Quæ etiam foret probanda, si finis assecutus non finaliter, sed solùm effectiuè concurreret ad delectationem elicitam ab appetitu; quod etiam plerisq; placuit. Finis igitur, si hæc, vel prior opinio vera foret; vnicam causſalitatẽ haberet, quæ perse, & intrinsecè moueret ad sui acquisitionem · exrinsecè verò ad delectationem, tanquam ad perfectionem consequentẽ ipsum finem adeptum: nam, sicut generatio immediatè terminatur ad hominem; mediate verò ad risibile, ita vt generans vtriusq; consequendi gratia ad generandum moueatur: ita etiam agentis operatio, & finalis influxus immediatè terminaretur ad assecutionẽ finis; mediate verò ad delectationem. De quo plura inferius.

opinio Fonſ. caquaratiõe nõ admittatur.

Tota igitur difficultas versatur, an finis, vt adeptus finalizet sibi dilectationem? Negabit Fonseca: sed illi assentiri non possum, quia ex sententia Aristotelis, vt suo loco ostendemus, delectatio est propter operationem, bonumq; illa assecutum, tanquam propter finem, non quidem acquirendum, (quia iam est acquisitus,) sed conseruãdum. Nec video, cur id negare debeat Fonseca, cum in citato loco admittat nouam finis intentionem, & causſalitatem; si agens nouam eliciat actionem de eo assecuto: iã verò assecuto fine elicitur delectatio de ea assecuto (est enim delectatio actio vitalis) nouam igitur habebit finis assecutus causſalitatem in nouum actũ elicitum propter ipsum. Quę causſalitas erit à priori distincta: cum hęc fiat gratia conseruandæ possessionis in fine; illa autem prior facta sit gratia acquisitionis illius.

15 Concedendũ est igitur cessante priori causſalitate, quæ cum agente causſabat acquisitionem finis; dari vlteriorẽ causſalitatem, qua finalizetur conseruatio finis acquisiti. Cui non repugnat Aristotel. 1. de Gener. cap. 7. tex. 55. quia intelligitur de actione, quę tendit ad cõsecutionem finis: etenim assecuto fine, agens nihil facit ad illius consecutionẽ: bene tamen aliquid facit ad conseruationem eius. Interest tamen maximè inter agens, prout agit ad cõsequendum finem, & prout agit ad illum conseruandũ: quia priori modo propriè agit propter finem; seipsum enim mouet in finẽ. At posteriori modo agitur ab Auctorę naturæ in illum finem: nam delectatio, quæ est veluti medium ad cõseruadum finem cum naturaliter consequatur ad finis assecutionem; non elicitur ab appetitu, vt agens in finem: sed vt ab Auctore naturæ agitur in illum. Quod est in hac materia diligenter notandum.

In quo sensu Fonsecæ opinio veritatem contineat.

Hinc primùm colligimus opinionem Fonsecę verisimam esse de causſalitate, quam exercet finis cum agente, quæ mouet, vt agat propter ipsũ: hæc enim acquisito fine omnino cessat: incipit tamen cum Deo Auctore naturæ naturaliter finalizare sui conseruationem, & possessionẽ media delectatione. At sub hac ratione iam non est finis operantis, sed operis, nempe delectationis, quę iã ab operante nõ dirigitur, sed à Deo Auctore naturę. Cum verò Aristoteles, & Philosophi disputantes de fine, solũ disputent de fine operantis, vt patet; hinc est, vt opinio Fonsecæ simpliciter admitti possit.

16 Secundo colligitur causſalitatẽ, quã finis assecutus exercet, verè esse consũmationem prioris causſalitatis: qua licèt extrinsecè, verisimè tamen terminatur non solùm ad assecutionem finis, sed etiam ad delectationem, tãquam ad assecutionis complementum. Etenim finis, cuius assequendi gratia agens operatur, nõ est sola simplex assecutio eius, sed assecutio perfecta, & cõsũmata: talis autem est, cum aduentu delectationis perficitur. Finis igitur totalis operantis non est finis, vt simpliciter adeptus; sed vt adeptus perfectè, & consũmatè: consũmatè autem non acquiritur per simplicem assecutionem illius; sed prout cõiunctus est, & perfectus adueniente

ueniente delectatione. Vnde nobiles Theologi volunt in ordine ad operantem, adeptionem finis, & delectationē, quam finis assecutus operatur, sicut nō sunt duo bona, sed vnum completum; ita non esse duos fines, sed vnum finem completè adeptum. Vt patet ex D. Tho. 1.2.q.2.art.6. Ad primum, & tertio contra gent. cap. 26. Ad tertiā obiectionē, & ibi Ferrariensis. D. Thom. in 4. dist. 49.q.3.art. 4.quæstiuncula 3. Et hæc dixisse satis sit de pluralitate caussalitatū finalium.

D.Thom. Ferrar.

ARTICVLVS VIII.

De ratione caussandi, & caussalitate. finis, cui.

1

DIximus hucusque de ratione caussandi finis. *Cuius*, & de illius caussalitate: consequenter agendum est de ratione caussandi, & de caussalitate finis, *cui*, qui & verus finis est, & verā habet rationē caussæ finalis, vt patet ex art. 3. huius quęstionis, & supra q. 1.

Quod attinet ad rationem caussandi; cōstat ex dictis supra art. 2. huius quæstionis §. 1. bonitatem esse proximam rationem formalem, qua res, quę est finis, reponitur in actu primo caussę finalis: inde enim potens est, & virtuosa, vt possit finaliter influere. Bonitas igitur, quę est in fine, *cui*, proximè fundabit rationem caussæ finalis: ita vt res, quæ est finis, *cui*, ex eo sit finis in actu primo; quia est bona bonitate quadam non relata, (hęc enim fundat rationem finis, *Cuius*, sed absoluta; quia nimirū est ens quoddam per se subsistens ex sua natura perfectibile perfectionib⁹ sibi debitis: quibus perfici est sibi conuenientissimum: in hoc enim positam esse bonitatem absolutam finis, *cui*, latè ostendimus supra q. secunda: quæ bonitas non pręcise, vt est bonitas, sed vt est aliquo modo propria appetenti, est sufficiens, ac proximum fundamentum virtutis caussatiuę, ac finalizatiuæ in fine. *cui*: vt contra Durandum iam ostendimus artic. 2. huius quęstionis §. 2. *post quartam propositionem*. Nam ratio cur fini, *cui*, appetitur bonū, & perfectio, est ratio vnitatis, & identitatis, vel secundum rem, vel secundum aliquam similitudinem, vt habes ex D. Thoma 1.2.q.28, art. 1. In priori identitate fundatur amor beneuolentię: ideo enim vnumquodque sibi ipsi appetit bonum; quia est idem secum: in posteriori verò fundatur amor amicitię, quo amicus amico bona cōcupiscit: ideo enim ad concupiscendum mouetur; quia amicum reputat alterum se, vt ex Aristo. latè ostendimus in hac quæstione art. 2. §. secundo.

D.Thom.

Caussalitatem porrò finis, *cui*, esse diuersę rationis à caussalitate finis, *cuius*, ostendimus supra q. 2. Nam sicut caussalitas finis, *cuius*, posita est in attractione eorum, quę ab agente fiunt, vt fiant gratia illius: ita etiam caussalitas finis, *cui*, similiter consistit in attractione eorū, quę fiunt, vt etiam fiāt gratia ipsius. Attamen hęc attractio aliter, & aliter fit ab vno, & altero fine: nam finis, *cuius*, attrahit, vt quod fit, fiat gratia consequendi illum: at finis, *cui*, attrahit, vt quod fit, fiat gratia perficiendi ipsum. Et merito, quia finis, *cuius*, finalizat, vt bonū perficiens: finis autem, *cui*, finalizat, vt bonum perfectibile. Et hæc satis sint de his dixisse.

2 Explicatur Caussalitas finis cui.

De effectis caussæ finalis.

VT disputationem de caussalitate caussæ finalis absoluamus; explicandum erit, quæ nā sunt illa, circa quæ causla finalis suum munus exercet? quod nihil aliud est, quàm inquirere, quęnam sint effecta caussæ finalis. De qua quęstione ex professo disputant Fōseca in 5. Metaphysicæ cap. 2. q. 10. sect. 2. Cursus Conimb. 2. Physi. cap. 7. q. 22. latè Suarius in Metaphy. disp. 23. per totam tertiam sectionem, & post eū Bellomōt. 1.2. disp. 3. vt omittamus alios, qui hanc difficultatem non ex professo, sed obiter tetigere; quos citabimus in progressu disputationis.

Qui auctores de hac q. ex instituto disputēt *Fonseca*.

QVÆSTIO VII.

CIRCA hanc difficultatem ita procedemus: vt primum referamus varias de ea opiniones, & declaremus modum procedendi; deinde iuxta ordinē præscriptū quęstionē explicemus.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

Quot nam sint opiniones in hac quæstione.

1 1. Opinio. QVOD attinet ad primum quod proponitur, variè sũt opiniones de proposita difficultate. Prima asserit res, quæ fiunt, domum inquam, aut nauim nõ esse effecta caussę finalis, sed solas actiones, quibus aliquid fit. *Fonseca,* Hanc sententiam quibusdam placuisse refert Fonseca in 5. Metaphsi. cap. 2. q. 10. sect. 2.

2 2. Opinio. Alij, & res, quę per actiones fiunt, & ipsas actiones, quibus fiunt; enumerãt inter effecta finalis caussæ: nõ verò actiones, quibus aliquid intenditur, aut eligitur. Hanc etiam sententiam refert *Fonseca* Fõseca loco citato, & affirmat eam esse communem.

Ego nec huius, nec prioris sententię auctorem inuenire potui. Forsitan inter Philosophos Societatis vtraque sententia aliquando cõmunis fuit. Iuxta vtranque in ordine intentionis nulla dantur effecta caussæ finalis, sed solùm in ordine executionis; in quo enumerãt imperium, & vsum.

3 3. Sentẽtia. Tertia opinio omnes, & solas actiones, quæ circa media versantur, inter effecta caussæ finalis enumerandas putat, siue illæ ad ordinem intentionis pertineant, siue ad ordinem executionis. Ita fit, vt ex ordine intentionis, & ex actionibus, quæ intra voluntatem fiunt, tres priores actiones (amor inquam finis, illius desiderium, atque intentio illius consequendi) inter effecta caussę finalis nequaquam enumerari debeant, vt pote, quod circa illas caussa finalis suam caussalitatem proprię non exerceat; sed solùm circa actiones, quæ circa mediorum inuestigationem, iudiciũ, electionemve insistunt: eas etiam, quæ ad vsum, executionemve mediorum spectant. Hanc sententiam refert Cursus Conimbr. 2. Physi. cap. 7. q. 22. artic. 1. in prima opinione, nullo tamen illius auctore citato. Eandem citat Suarius in Commentarijs ad 1. 2. in prefatione q. 2. vbi eam tribuit Gabrieli in 2. dist. 1. q. 5. art. 1. & Gregorio in 1. dist. 1. q. 1. art. 2. Herueo quodlib. 1. q. 8. & quodlib. 2. q. 1. Et tandẽ Medinę 1. 2. q. 8. in principio, qui tamen non omnino cum hac opinione sentiuut, sed cũ sequenti. Hãc tamen opinionem formaliter probauit Bellomõt. ad 1. 2. disp. 3. cap. 2. per totũ.

Gabr. Gregor. Herueus. Medina.

Adest quarta opinio, quæ inter effecta caussæ finalis putat etiam esse enumerandam intentionem, qua voluntas optat adipisci finem per aliqua media indefinitè sumpta: non tamen aut simplicem amorẽ finis, aut illius consequẽdi desiderium. Hanc sententiam refert Cursus Conimb. in dicta q. 22. art. 1. §. *Alij etiam intentionem.* Eam expresse probauit Fonseca in dicta q. 10. sect. 2. §. *Sed dicendum est,* & §. *Quod verò obiectum est.* 4 4. Opinio. *Fonseca*

At quinta sententia desiderium cum intentione confundit: vnde solùm actũ simplicis amoris finis putat esse excipiendum. Hanc opinionem refert Suarius in Metaphysica dicta disp. 23. sect. 3. num. 8. eamque tribuit Ferrariensi. 1. contra Gent. cap. 75. §. *Ex antecedente hic sumpto.* Dum ait posse voluntatem velle finem, & non sub ratione caussæ finalis: quod tunc contingit, cum vult finem, & nihil desiderat propter ipsum. Eadem opinio prius probata fuit Gabrieli in 2. dist. 1. q. 5. art. 1. §. *dicitur notanter in descriptione,* & clarius in §. *Sed in hoc differunt,* & adhuc magis in §. *Si diceres amor &cæt.* quibus in locis verbis expressis affirmat finem nõ esse caussam finalem amoris, quosimpliciter amatur. Id satis est de mente Gregorij in 1. dist. 1. q. 1. art. 2. lit. P. &. Heruei quodlib. 1. q. 8. fol. 16. col. 3. §. *Quantum ad primũ,* ers. 2. *Quia sicut dictum est,* & in locis inferius citandis; & de mente Cordubens. lib. 1. Quęstionarij. q. 42. Ad secundum argumentum, pag. 334. col. prima. Adde etiã Medinam 1. 2. q. 8. in præfatione. 5 5. Sentẽtia. *Ferrari.* *Gabr.* *Gregor.* *Herueus.* *Cordub.* *Medina.*

Sexta opinio simpliciter affirmat finem caussalitatem finalẽ exercere circa omnes actus, qui in ordine intentionis reperiuntur: siue insistant circa media, siue circa solùm finem, & subinde simplicem amorem finis enumerandũ esse inter effecta caussæ finalis. Hæc sententia placuit Suario in Commen. ad 1. 2. q. 2. prologi, quam etiam scripsit in Metaphysica disp. 23. sect. 3. num. 9. Hãc tribuit Henrico 2. p. suę Summæ art. 46. q. 6. quam allegationem sumpsit ex Cursu Conimb. sed neuter Henricum vidit, qui in illo art. 46. quatuor tantum continet quæstiones, in quarum nulla hæc opinio inuenitur. Fortè voluerunt citare 6 6. Opinio. *Henricus.*

tare art.49.q.6. Vtrum autem hęc opinio tribui debeat D.Thomæ? inferius expendemus. Cum hac sententia consentire videtur Molina 1. p. q. 5. disput. ad finem.

Molina.

7 Vltima sententia.

Postrema sententia nititur omnes istas quasi conciliare. Quę probata est Cursui Conimb.2.Physi.cap.7. q.21.ar. 2.§.*His ita explicatis*.& clarius,q.21.art,2. §.*Hæc tamen controuersia*, quo in loco aduertit duplicia esse effecta finis : alia, quę verè, & propriè,alia,quę non solùm verè,& propriè, sed etiã perfectissimo modo effecta illius sunt. Inquit igitur hęc sententia solas eas actiones, quæ in media explicatè feruntur (quales sunt, quę ad mediorum electionem, vsumque & applicationem spectant) esse effecta caussę finalis; si sermo est de effectis, quæ pfectissimo modo sunt effecta: quia perfectissimus modus finalis caussalitatis in eas solas exercetur : cum solæ illæ exerceantur obtinendi finis gratia, in qua re precipua vis , & ratio caussandi finalis causę sita videtur. Porrò si sermo sit de effectis, quæ si non perfectissimo modo, verè tamen,& propriè sunt effecta caussę finalis; vt potè quia caussa finalis verè, & propriè in ea instuat: tunc non solum actiones, quæ explicitè insistunt circa media enumerandę sunt inter effecta caussæ finalis: sed etiam actiones,quæ solùm versantur circa finẽ: quales sũt tres actiones priores: amor, inquam,finis,desiderium, & intentio illius. Hęc de varietate opinionum dicta sunto: vt omittamus opinionem eorũ qui bonitatem,& amabilitatem mediorum enumerant inter finis effecta.

ARTICVLVS II.

Quomodo in explicanda hac quæstione procedendum sit.

1 Aduertẽdũ ad intelligẽtiã quæsti oni.

PRo explicatione secundi,quod proponitur,aduertendum effecta caussæ finalis nõ aliunde melius agnosci posse, quã ex definitione finis, vt optimè aduertit Fonseca in 5. Metaphysic. cap. 2. q.10. sect.2.in principio;nam cũ finis sit id, cuius gratia aliquid fit;perspicuum est ea, quæ fiũt alicuius gratia, esse effecta finalis caussę. Quare tota dubitatio est,quænam sunt illa, quę fiũt alicuius gratia? Vt verò, id facilius explicetur,&intelligatur opinionũ diuersitas, pręmittendum est cum Cursu Conimbr.in dicta q.23.art.1. in principio, in agente , qui operatur propter finem, varias operationes ordinem quendam interse habẽtes reperiri.Prima est simplex amor finis.Secunda , assequendi finis desiderium.Tertia,intentio, qua voluntas finem adipisci optat per media, nondum tamen explicata , sed confuse concepta. Quarta, mediorum ad comparandum finem inuestigatio. Quinta, iudicium de medijs. Sexta, mediorum electio.Septima,eorũdem mediorũ executio,& applicatio. Octaua,adeptio finis. Vltima denique delectatio , & gaudiũ de adepto fine. In quibus omnibus operationibus , & in alijs inferius assignandis duo ordines à Philosophis distinguũtur: vnus intentionis , alter executionis. Ille est in mente agentis, atq; intra ipsam voluntatem exercetur. Iste est in executione operis . Ille incipit à fine,& terminatur ad medium magis ab eo remotum : iste incipit à medio isto remoto,&ordinatè terminatur ad finis adeptionem ,delectationemq;inde consecutã . Quæ omnia sunt apud Philosophos receptissima,& confirmantur illo vulgatissimo axiomate : Finis est primus in intentione , & vltimus in executione: de quo D.Thom. 1.2.q.1. artic.1. *D.Thom.* Primus ordo,intentionis,inquã, incipit ab amore finis,& terminatur ad electionem mediorum, quibus finis comparãdus est. Secundus autem , executionis inquam,incipit ab imperio , vsu ve volũtatis;quo applicãtur potentiæ ad executionẽ,applicationemve mediorum,& terminatur ad adeptionem finis,illiusq; adepti fruitionem,& gaudium. Hęc vi- *D.Thom.* dere est apud D. Thom.1. 2. quæst. 16. artic.4.

2

Nec est prętereundum hoc inter alia interesse inter actiones vnius , vel alterius ordinis;quod actiones ordinis prioris, cum intra voluntatem versentur; omnes sunt actiones immanentes , & à voluntate elicitæ: actiones verò posterioris ordinis , cum extra voluntatem prodeãt ; esse possunt actus omniũ aliarum facultatum animæ,tam internarũ; quàm externarum, quę imperio voluntatis subsunt. Vnde possunt esse actiones

nes non solum immanentes, intellectus inquã,& sensus:sed etiã transeuntes externarum virium,ac facultatum. Ita fit, vt in ordine executionis nõ solùm inueniri possint actiones, quæ propriè non fiunt; sed etiã res,quæ fiũt per actiones, permanentq;illis omnino transeuntib⁹. Etenim ædificatur domus ad habitandũ: constructur nauis ad nauigandum: deniq; conficitur potio ad sanandum. Quod satis expressit Aristoteles.Dum inter eà,quæ fiunt gratia finis,enumerauit,non solùm actiones externas,vt extenuationem, purgationem; sed etiam opera,quę per actiones fiunt, vt medicamenta,& instrumẽta, quibus illa fiũt; vt patet in 5.Metaphy.cap.2. post principium,& 2.Physic. cap. 3. tex.26.

Arist.

Ordo procedendi in hac quæst.

Ex his,quę prẽmisimus iam patet ꝓpositam difficultatẽ facilè explicatum iri,si de ijs, quæ in vtroq; ordine reperiũtur,sigillatim dicamus.Et vt à notioribus incipiamus,primũ dicemus de ijs quæ inueniũtur in ordine executionis: Deinde de illis,quæ ad ordinem intentionis pertinent, hoc enim modo omnia fient euidentia.

QVÆSTIO VIII

De bis,quæ ad ordinem executionis pertinent.

1 PRIMO igitur loco dicemus de his,quę in ordine executionis reperiũtur: nam in illis, vel saltem in pluribus eorum reperiri caussalitatẽ finalem indubitatũ est: etenim hęc caussalitas in hoc ordine non solùm magis elucet,sed etiã perfectius exercetur: cũ in eo contineantur media; in quę caussa finalis suam caussalitatẽ maximè exercet, vt patet ex insigni habitudine finis ad media; quę adeò est insignis, vt pleriq; putent finẽ suã caussalitatẽ in sola media exercere;ex eo fortasis,quia in sola illa influit modo omnium perfectissimo.

2 Notandũ est in hoc ordine plura inueniri:nã primũ inuenitur bonitas,atq; appetibilitas mediorũ ad consequendũ finẽ.Deinde ex parte voluntatis reperit imperiũ,& vsus,quo potẽtię exequẽtes siue internæ, siue externæ ad executionem applicantur.Tertio reperitur ipsa actualis, ac veluti externa applicatio mediorũ : in quibus non solũ enumerãtur opera,quę per actiones fiunt,vt domus,quæ fit ad habitandũ: nauis ad nauigandũ: medicina ad sanandũ;sed etiã actiones ipsę,quibus opera fiunt.Quarto reperitur adeptio finis.Vltimo reperitur delectatio de fine adepto.

Quæ reperiantur in ordine executionis.

Circa exequutionis ordinẽ septem proponuntur inquirenda.

Quare circa ordinẽ executionis quę runtur septem. Primo, vtrũ bonitas, & appetibilitas mediorũ sit effectus caussæ finalis? Secundo, vtrũ imperium sit etiam effectus illius? Tertio,vtrũ vsus, quo voluntas applicat media,depẽdeat à fine tanquam caussa finali ? Quarto, vtrum actiones potentiarũ, quæ applicantur vera sint effecta eiusdẽ caussæ? Quinto,vtrũ effecta earundẽ actionum sint à fine? Sexto, vtrũ assecutio finis sit eiusdẽ finis effect⁹ ? 7. Tandẽ vtrũ delectatio de fine adepto sit ét effectus illi⁹?

ARTICVLVS I.

Vtrum bonitas,& appetibilitas mediorum sit effectus caussæ finalis?

1 QVod igitur attinet ad 1.à quibusdã excitatã quæstio, an bonitas, & appetibilitas mediorũ sit effectus caussę finalis ? partẽ affirmantem pleriq;probauerũt,nẽpe Herueus quod lib.1.q.8.ꝟ. *Ad euidentiã vers. Et ideo aliter mihi videtur dicendum.* fol. 16. colun. 3. & quodli.2.q.1.ar. 1. vers. *Est igitur caussalitas* fol. 34. col. 3. & fol. 36. col. 1. & 2. Idẽ probauerunt Iauell⁹ 5. lib. Metaph. q.5.& BenedictusPereira lib.8.de principijs rerum naturaliũ cap.2. Id nõ esse improbabile testatur Soncinas 5. Metaphy.q.2.ꝟ. *Quidam tamen moti* : qui omnes putant caussalitatem finis in hoc etiam esse positam, vt tribuat medijs bonitatem,& appetibilitatem. Igitur ipsa mediorum bonitas , & amabilitas in ordine ad finem est verus effectus caussalitatis finalis. Hanc sententiam adeò esse manifestã putat Iauellus,vt asserat eam probatione minimè indigere : hanc tũroẽm affert,quia pleraq;per se non amarentur,sed despicerentur potius:quę tñ amantur ideo, quia conferunt ad finis consecutionẽ: potio enim amara ideo est grata infirmo;quia conducit ad cõsequendam sanitatem.

1 Pars affirmatiua quos habeat assertores.

Herueus.
Iauellus.
Pererius.
Soncinas.

2 Cursus Conimbr.2. Physic.cap. 7. q. q.22.art.1.ad finem §. *Iure hìc etiam quæsierit*, in ea est sententia, vt dicat bonitatem.& appetibilitatem mediorum,non propriè,sed solùm reducticiè pertinere ad effecta finis. Fundamentum est, quia illorum bonitas, & appetibilitas in eis reperitur antequã finis actu suam exerceat causalitatem: etenim reperitur in illis ante causalitatem agentis,sinequa non datur actualis causalitas finis. Igitur bonitas mediorũ propriè loquẽdo nõ pertinet ad effecta causę finalis, sed solùm reducticiè,quatenus deriuatur à fine non actu finalizante, sed solum potestate.

3 Præfertur sententiane gatiua. Nobis magis placet bonitatẽ,amabilitatemq;mediorũ,nec propriè, nec reducticiè inter effecta finis esse enumerãdam: quæ opinio in superioribus nõ semel,sed iterum,atq; iterum, nobis placuit.

1.Ratio. In hanc sententiam inducimur; 1. quia media suam propriam habent bonitatẽ, & amabilitatẽ, quanuis dependentem à bonitate, & amabiltate finis, vt latiꝰ ostendimus supra. Deinde,quia

2.Ratio, bonitas illa, & appetibilitas in ordine ad nostrũ appetitũ non dependet à fine in genere causę finalis, sed solũ in genere causæ formalis;quatenus scilicet bonitas finis est formalis ratio bonitatis mediorũ per denominationẽ extrinsecã:vel proxima,vt quidã volunt:vel remota; vt potius placet,iuxta ea,quę diximus in dicto §.4.vers. *Addidimus tamẽ*.

3.Ratio. Tertio,accedit,quia bonitas, & amabilitas reperiunt in medijs antequã finis vllã causalitatẽ exerceat in ea,vt benè aduertit Fonseca 5.Metaph.cap.2.q.10. sect.3.in 1.opinione,& post eum Cursus Conimb. loco superius citato : etenim scisio venę,aut potio bona est,& amabilis ad tollendã humorũ repletionem & purgandã bilim,antequã, aut à medico pręparetur,aut ab infirmo sumatur. Quin potius media ipsa actu amantur,

Fonseca quãdo actu eliguntur; antequã per vsũ voluntatis actu applicentur, vt benè aduertit Fõseca vbi supra. Iam verò, nec effectus causę daꝛ antequã ipsa causet nec media sunt actu media ante actualẽ

Vltima ratio. applicationẽ ad consequendum finem. Postremo;finis nõpotest finaliter cõcurrere,nisi ad effectũ,ad quẽ agens sua actione efficienter concurrit,vt vera habet philosophia. At verò agens nõ concurrit effectiuè ad illã bonitatẽ, & amabilitatẽ,quã habent media ad cõsequendũ finẽ:cũ illam habeant ante illum agentis concursum, vt est notissimum.

His rationibus videꝛ dicendũ bonitatẽ,& amalibitatẽ, quã habent media in 4
ordine ad finẽ non posse cõnumerari inter effecta causæ finalis.Et hæc videtur mihi fuisse mens doctissimi Fõsecę in d. q.10.sect.3.in 1.opinione.Facilè cõsentiet Suarius, & illi, qui putant bonitatẽ mediorũ nõ esse distinctã à bonitate finis:vt pote quia media dicuntur bona à bonitate finis tanquã à causa proxima extrinsecè denominãte. Qua suppositа sententia finis non põt concurrere ad bonitatem mediorũ eam finaliter causando, sed solùm formaliter, & per denominationem extrinsecam. *Fonseca*

ARTICVLVS V.

Vtrum imperiũ sit effectus causæ finalis?

IN hac quęstione vnum supponimus,& alterũ inquirimꝰ:supponimꝰ enim dari in nobis actũ imperij,quo mediorũ executio imperatꝰ: inquirimus autẽ an actus ipse sit effectus causæ finalis ?

§. 2.

Expenditur veritas eius, quod supponitur.

PRo explicatiõe præmittendũ ẽ imperare,seu pręcipere(quod idẽ est) 1
nõ esse aliud,quã insinuare,seu intimare aliquid esse faciendũ: vt docet D. Tho.1.2.q.17.ar.1. Vnde imperiũ, siue pręceptũ formaliter est quędã intimatio eius,quod est agendum,vt ex eodem D.Thom.loco citato colliges. 1.præmissũ. *D.Thom.*

Porrò pręcipere, siue imperare põt sumi,& largius,& presius; vt facilè intelliges ex eodẽ D.Thom.nã(vt ait)duobus modis aliquid denũciari, siue intimari põt;vno modo absolutè,vt quãdo intimatio exprimitur per verbũ indicatiui modi,vt si quis alicui dicat: hoc est tibi faciendũ. Altero modo aliquid intimatur cũ motione ad actionẽ,vt cũ intimatio exprimitur per verbũ imperatiui modi; vt cum alicui dicitur fac hoc. Inter vtrunq; imperium hoc interest, quod imperium, siue præceptum largius sumptum non excludit iudicium, quod tamen excludit imperium, siue præcep-

præceptum præsius acceptum: illud scilicet, quod exprimitur per uerbum imperatiui: vt contra nonnullos suo loco ostensuri sumus ex verbis Aristot. 6. Ethicor. cap. 10. tex. 56. nam cum tale imperiũ excludat enunciationẽ (nec enim exprimitur per verbũ indicatiui modi) vtiq; excludet iudiciũ: quoniam iudicium sine enuntiatione non datur.

Aristotel.

2 Ex quo infertur aliud etiam discrimen inter vtrunq; istud imperium, siue præceptum: quoniam imperium sumptum largius præcedit electionem: pertinet enim ad actũ iudicij practici, qui electionẽ præcedit. Oppositũ dicẽdum est de imperio præsius sumpto: etenim cum excludat iudicium, nec pertinet ad consultationem, nec ad iudicium: & cũ habeat cõiunctam motionem, ad executionem eius, quod eligitur, non potest non consequi electionem; sine qua non datur motio ad exercitium eius, quod fieri placuit. Ex quo etiam capite conuincitur non dari in intellectu imperiũ, siue præceptũ antequã voluntas eligat: cum intellectus ante voluntatẽ nõ moueat ad exercitium, sed ad specificationem solùm, vt docet D. Tho. 1. 2. q. 9.

D. Thom.

3 Ex qua resolutione dissoluitur cõtro uersia, quæ est inter Sotũ, & alios, an ex parte intellect⁹ possit imperiũ præcedere electionẽ, an necessariò debeat eam cõsequi? Nã si de imperio, & præcepto largius sũpto sit sermo negari non põt ante electionẽ dari in intellectu actũ imperij; quia datur iudiciũ practicũ: quod prout continet intimationẽ eius, quod est faciendũ, per verbũ indicatiui modi habet rationẽ imperij. At si sermo sit de imperio præsius accepto, illud necessariò debet electionẽ cõsequi: siue ponatur actus intellectus, siue voluntatis; vt ex dicendis patebit.

4 Secundo, præmittendũ est in hac disputatione nõ esse sermonẽ de imperio, siue de præcepto largius sumpto, prout scilicet exprimitur per hęc verba indicatiui modi, *hoc est faciendũ*: etenim cum hoc imperiũ antecedat electionẽ, non pertinet ad ordinẽ executionis, sed intentionis: de cuius actibus inferius agẽdũ erit. Sermo igit est de imperio, præceptove præsius accepto, quod includit intimationẽ motiuã, siue motionem intimatiuã eius quod faciendum est: vnde ab eo potest incipere ordo executionis: de cuius actibus nunc inquiramus.

2. præmissũ.

5 Tertio præmittendũ est indubitatũ esse dari in humana consultatione actũ imperij, siue præcepti vnius hominis ad aliũ: constat enim superiores subditos suos imperãdo, & præcipiendo gubernare: quod imperiũ pertinet, ad scientiam tam politicã, quã Oeconomicã. De eo latè differit Arist. in 1. Politicorũ cap. 3. 4. & 8. & lib. 3. cap. 3. & 4. & lib. 7. cap. 4. & 14. Vtrũ verò tale imperiũ sit actus intellectus, aut voluntatis, dubitari solet: cuius difficultatis resolutio ad nostrũ institutum nõ pertinet, de qua disputatur in materia de legibus. Satis modo nobis sit scire imperiũ isto modo sumptum esse intimationẽ cũ quadã veluti motione morali, quæ ad gen⁹ caussæ efficientis reuocatur; ex sentent. Aristo. 2. Physicor. cap. 3. & 5. Metaph. cap. 2. etenim, qui præcipit: dũ intimat id, quod à legislatore volitũ, & decretum est fieri, mouet inducẽdo obligationẽ, vt subditi id operentur, quod præcipitur; sicut explicari solet in materia de legibus.

3. præmissũ.

Aristot.

Aristot.

6 Vtrum verò admittendum sit imperium, siue præceptum præsius sumptũ vnius hominis ad seipsum, & ad suas actiones morales, nõ conuenit inter omnes. Affirmant hi, qui volunt, imperare siue præcipere solius esse voluntatis. At tamen inter eos, qui putãt id solius esse intellectus, de hoc nõ conuenit. Cõmunior sentẽtia affirmat, quę absq; dubio est D. Thom. apud quem põt exequentes sine intellectus imperio operari nõ possunt. quidam tñ negãt imperium esse necessarium; vt pote quod satis sit electio efficax voluntatis, vt operentur potentiæ, quę motioni voluntatis subijciuntur. Hæc fuit sententia Bellomõ. 1. 2. disp. 49. cap. 4. & Suarij in tractatu de Prędestinatio. disp. 3. sect. 3. in fine, & in tractat. de Legibus disp. 1. sect. 1. §. *Super est verò vlterius inquirendũ*, & ante eos Molina ad 1. 2. q. 17. ar. 1. cõcl. 2. Qui omnes putant ficticiũ esse ponere in intellectu actũ imperij ad mouendũ põs exequẽtes; cum ad id satis sit electio efficax voluntatis, cui potentię illæ subijciunt. Et hęc fuit sententia Maioris in 3. dist. 33. q. 7. §. 2. *Scito*, Almaini in Moralibus tract. 3. c. 2. & Adriani quodlib. 4. art. 1. lit. C. §. *Pro horũ solutione*: & hæc est sentẽ-

Molina.

Maior.
Almainus
Adrianus.

inter recẽtiores cõmunior. Apud quos actus imperij, siue præcepti admittendus est ex parte intellectus in agente politico,& Oeconomico respectu suorum subditorũ; non tñ in agente morali respectu suarũ actionũ. Quæ harum opinionum sit probabilior, resoluere non est huius instituti: cum non inquiramus an detur in intellectu actus imperij in ordine ad actiones morales, sed solùm inquirimus, an si talis actus detur, ille sit effectus caussę finalis? Putamus tamen opinionem D. Thomę non esse figmentũ; vt quidam istorũ temerè affirmãt: sed esse probabilem, vt suo loco diligentius ostendemus. Admisso igitur actu imperij in ordine ad nostras actiones, siue ille sit actus volũtatis, siue intellectus, illud est supponendũ, actum imperij, siue præcepti, quo intellectus, & voluntas mouet potentias sibi subiectas, esse intimationem quandam motiuam illarũ potentiarum, quibus fit intimatio: vt scilicet exequantur id, quod electũ est, quocunq; modo fiat talis motio: de hoc enim est maxima cõtrouersia; cuius resolutio ad resolutionem nostræ quęstionis minimè pertinet.

7 Cuiusdam quæstionis resolutio.

Ex dictis patet resolutio alterius quæstionis, quæ aliquo modo ad nostrũ spectat institutum; an scilicet ordo executionis (de cuius actibus nũc agimus) necessario incipiat ab actu imperij? Cuius difficultatis solutio ex dictis colligitur: nã si sermo est de ordine executionis in agente politico, siue Oeconomico: omnes admittunt ordinem executionis in externa subditorum gubernatione incipere ab actu imperij. Porrò res est dubia, si sermo sit de agente morali in ordine ad proprias actiones: etenim, vt diximus, quidam negant actũ imperij esse necessarium ad executionẽ eorum, qua decreta sunt fieri, & electa: sed facta electione executionem immediatè incipere ab vsu. At communior opinio affirmat, quę satis est probabilis, si imperium ponatur actus intellectus: indubitata tamen, si ponatur voluntatis actus. Nam cum imperium, siue præceptum apud istos auctores non sit aliud, quàm velle quoddam efficax volũtatis, atque intimatio quædam impulsiua illius, vt fiat, quod electũ est, executio autem fieri non possit sine hac volũtatis efficacia; necessariò concedendũ est imperium semper esse necessariũ, vt facultates exequentes fiant in executione. Quare executionis ordo semper incipiet ab imperio.

Dubitatio.

Vtrum verò apud auctores actus imperij siue prẹcepti sit distinctus ab actu electionis? affirmatiuè videtur respondere Henricus quodlib.9.q.6.lit.V.& X. Ochamus verò in 3.q.12.art.2. conclusione 3. distinctione vtitur. Vtranque sententiam alibi reiecimus. Quare dicendum est actum imperij (si ad voluntatem pertinet) ab electione nunquam distingui realiter, sed sola ratione, & respectu ad diuersa: nam ille actus, quatenus vnum medium alijs anteponit, dicitur electio: prout verò est impulsiuus, & motiuus ad executionem eius, quod electum est; dicitur imperium, siue prẹceptũ. Huius tamen rei diligentior explicatio spectat ad 1.2.q.17.artic.1.vbi hac de re late differendũ nobis est.

Henricus. Ochamus

Solutio.

§ 2.

Resoluitur id, quod in hoc art. inquiritur.

8 Conclusio.

His suppositis de actu imperij, supẽ inquirere an actꝰ imperij sit effectus caussę finalis? Cui quęstioni affirmatiuè respondendũ erit; quia vbi ponitur actus imperij, ille sẽper ab agẽte fit gratia finis cõsequẽdi. De qua cõclusione nulla potest esse ratio dubitãdi quoniã imperiũ sequit̃ ad electionẽ efficacẽ. Ergo si electio fit gratia finis (sicut verè fit, vt inferiꝰ dicemuꝰ) imperiũ etiã erit gratia eiusdẽ finis. Probat̃ cõsequentia: quia voluntas eadẽ intentione imperãdo mouet ad executionẽ medij electi; qua illud eligit; nã electio virtualiter est ipsũ imperiũ. Quare si dũ eligit mediũ, intendit finẽ propter quẽ eligit: eundẽ etiã finẽ intendet, cũ imperãdo mouerit ad executionem medij electi.

1. Probatio.

Accedit etiã quoniã imperiũ nõ solũ procedit ex affectu, & intentione finis; sed ẽt suo modo est mediũ ad cõsequendũ finẽ: etenim id aliquo modo sortit̃ rationẽ medij, quod à volũtate eligitur ad consequendũ finẽ: voluntas autẽ dũ efficaciter eligit mediũ, virtualiter etiã eligit ip̃erari executionẽ illiꝰ medij. At vero quicquid habet roẽm medij, necessario includit dependentiam à fine, tanquam effectus illius. Et hęc de re clarissima dixisse satis sit.

6 Secunda.

ARTI-

ARTICVLVS III.

An vsus, quo voluntas applicat potentias, sit effectus causſæ finalis.

1 IN hac quęſtione ſupponim' vtī aliqua re nō eſſe aliud, quam eam ſumere, & adhibere ad aliquid conſequendum: vt colligitur ex Auguſt. lib. 10. de Trinit. cap. 10. & 11. & lib. 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 4. Supponimus etiam dari duplicem vſum: vnū actiuū, paſsiuum alterū. Actiuus vſus eſt applicatio alicuius rei ad conſequendū finem, ſiue ille fiat à ſola voluntate, ſiue etiā abintellectu imperante: ſiue ſit actus immanēs, ſiue tranſiens: ſiue diſtinguaī ab electione, & imperio, ſiue nō diſtinguatur. Etenim ad noſtrū inſtitutūparū refert, quodhoc vel illo modo dicatur. Vſus paſsiuus eſt operatio rei, quę ad vſum ſumitur, vt tamen ordinatur ad aliquem finem conſequendum.

Auguſtin.

Diuiſio vſu in actiuū, & paſsiuum.

2 His ſuppoſitis, ad quæſtionem propoſitam reſpondendum eſt affirmatiuè: ſiue vſus ſumatur actiuè, ſiue paſsiue: nā vtroque modo fit gratia finis. In qua reſolutione cōueniunt omnes, qui hac de re diſputant. Expreſsit idipſum Suarius in Metaphyſica diſp. 23. ſect. 3. n. 5. Quæ reſolutio eiſdē rationibus cōfirmatur, quibus ſupra ar. 2. oſtendimus imperiū eſſe gratia finis: nā ſicut imperium ſequitur ad electionē efficacem, ita etiā vſus, ſiue actiue, ſiue paſsiue ſumatur.

Reſolutio articuli.

3 Ergo ſicut imperiū eſt gratia finis; ita & vſus; nam voluntas eadem intentione vtitur re, quam aſſumit ad conſequēdum finem, qua eam tanquam medium eligit ad finis conſecutionem. Quare ſi eligendo intendit finē, ita vt propter finem eligat; vtique & vtendo eundem intēdet finem: ita vt propter finem ea actiuè vtatur, & vſus paſsiuus ab eadem in finem ordinetur.

1. Ratio.

Accedit, quoniam vſus, ſiue actiuè, ſiue paſsiuè ſumatur, nō ſolū procedit ex intentione finis; ſed etiā ſuo modo eſt mediū ad conſequendum finem; nam voluntas eligendo mediū, virtualiter etiā eligit vti tali medio, & potentijs motiuis ad executionem illius. At quod aliquo modo habet rationem medij, neceſſario habet dependentiam à fine, nec hac de re vlla pōt inſurgere dubitatio.

2. Ratio.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum actiones externæ, quæ in ordine executionis à voluntate imperantur, ſint effecta finis, & quomodo.

1 QVanuis omnes, quos viderim auctores partem affirmatiuam amplectantur: contra eam tamen inſurgunt non contemnēdę difficultates, ac dubitandi rationes.

Pars affirmatiua cōmunis.

Cōtra illā ſequētes occurrūt obiectiones Primæ.

Prima ratio dubitandi eſt, quia actiones externæ imperatæ à voluntate (quales ſunt actiones potentiarū, quas exequentes appellamus) nullam videntur habere realē, & intrinſecam depēdētiam à fine tanquam à cauſſa ſuæ entitatis; ergo non videntur eſſe per ſe effecta cauſſæ finalis. Cōſequentia eſt nota, quia omnes effectus per ſe alicuius cauſſę habent realem, ac intrinſecā dependetiam à ſua cauſſa. Antecedens ex eo probatur, quia iſti actus nullo modo excitantur proxime, & immediatè ab ipſo fine, ſed ſolùm dicuntur ordinari in finem medijs internis actibus voluntatis. Nam finis, cū ſolùm cauſſet motione metaphorica; ſolùm immediatè mouet voluntatem ad actus internos: & ob id illos ſolos immediatè cauſſat; externos verò, & imperatos ideo reſpicit, quia voluntas à fine immediatè mota ſuis actibus internis imperat exteriores: maximè per vſum; quo proximè imperat actionem externam ſcribendi, vel ambulandi. Quo fit, vt finis ſolùm influat in actiones externas mediatè, & remotè, quatenus influit in actiones internas, quæ influentes in externas eas ordināt in finē. Quod nō ſatis eſt, vt finis dicaī per ſe cauſſa illarū; niſi fortè vel ad eū modū, quo auus eſt cauſſa nepotis vel ad eū, quo applicās, vel excitās efficientem cauſſam, dicitur eſſe cauſſa effectus cauſſati ab illa: qui cauſſandi mod' enumeratur inter modos peraccidens.

2 Secunda dubitādi ratio eſt, quia finis per ſe loquendo nihil rei ponit in actionibus externis, & imperatis: nullā igitur in eas habet cauſſalitatē. Cōſequentia eſt nota, quia cauſſa per ſe cauſſat realitatē ſui effect', vna quęq; in ſuo genere. Antecedēs ꝓbaī: quoniā ex ijs, quę in 1. argum. diximus, cōſtat actū externū ex imperio voluntatis ſolum habere ordi-

2. Cōcluſio.

nationē ad finem per intentionem, qua imperatur. Ista autem ordinatio, & intentio nihil reale ponit in ipso actu externo; sed solū ponit quandam denominationē extrinsecam, quæ non satis est, vt ipsa actio quoad suam realitatē pendeat à fine.

3 Tertia. Tertia dubitādi ratio ex eo sumitur: quoniam illa eadem actio externa maneret, si propter alium finem fieret: vel si fieret à casu, & sine vllo fine; quod tamen esset falsū, si illa externa actio esset verus effectᵘ finis. Etenim variata causa, etsi interdū effectus nō varietur; necessariò tū variatur actio, & causalitas.

4 Postrema. Postremo obijcitur; quoniam causalitas finis identificatur cū actione agētis, quæ elicitur propter finē: at causalitas finalis non potest identificari cum actione externa, quæ non immediatè, sed mediate est à voluntate. His tamen non obstantibus apud omnes indubitatū est omnes actiones externas, quę à voluntate imperantur ad executionem mediorum, verè, & propriè esse effecta causę finalis. In hoc conueniunt omnes opiniones, quas supra q. 1. art. 1. enumerauimus, nec legi aliquem, qui huic resolutioni repugnaret: etenim euidēter constat omnia, quibus voluntas vtitur ad consequendū finem, verè, & propriè fieri gratia ipsius finis: omnibus enim illis vtitur cum intentione, & relatione ad finem. Patet idipsum ex Aristot. secundo Physic. cap. tertio, text. 29. & quinto Metaphysic. cap. secundo tex. 2. quibus in locis inter effecta causę finalis enumerat ambulationem, quæ fit gratia sanitatis consequendæ: vbi agēs de causis ita ait. *Itē vt finis: hæc autem est, cuius causa: vt ambulandi sanitas: propter quid enim ambulat? dicimus, vt sanetur.* Deinde subdit: *Et quæcunque inter illud mouens, & finem media fiunt: vt sanitatis attenuatio, purgatio, &cæt.* Ex quibus verbis constat actiones externarum potentiarum, quando imperantur, esse gratia finis, veraque illius effecta.

Resolutio quæstionis. Aristotel.

5 Sed quanuis in hac conclusione omnes conueniant; non constat tamen inter omnes, quomodo actiones ipsæ externæ à fine dependeant, an scilicet dependeant immediatè, & intrinsecè, an verò extrinsecè, & mediatè? Difficultatem mouet Suarius in dicta disputa. 23. sectio. 3. num. 23. illam explicat sectione quarta, num. 17. & 18. Ex cuius mente, quantum ego possum colligere ex ijs, quę doctè sanè, sed obscurè satis scribit; difficultas ita erit explicanda, vt dicamus in hac disputatione de actionibus imperatis non esse agendum physicè, sed modo morali: nam causalitas finalis, & si realis esset, modum tamē moralem habet, cum sit intellectualis, & fiat media cognitione: vt idem affirmat in dicto num. 17. in fine. Quare actiones imperatę, dum in ordine ad causalitatem finalem expenduntur, nō sunt expendendæ modo physico, sed morali: vt idem insinuat in dicto nu. 17. in principio. Et quanuis secundum considerationē physicam actio externa distincta sit ab actione interna, à qua imperatur: tamen secundū considerationem moralē, & vt sit cū intentione finis, non est distincta, sed cū ea habet rationem vnius. Etenim velle scribere (sermo est de velle per modū vsus) & scribere, non sūt duo obiecta, sed vnū, & idē: ita enim sūt cōnexa, vt separari nō possint. Quare vna, & eadē causalitas finis in vtrāq; influit: diuerso tamen modo; quia in internā influit proximè, & intrinsecè: in externam verò suo modo extrinsecè, & remotè; quia in illam influit, prout in genere moris priori subalternatur.

6 Hęc videtur mens viri doctissimi locis citatis explicata: ex qua putat satis respōsum esse difficultatibus allatis: attamen non facilè earū solutionē quisq; etiā doctissimᵘˢ percipiet, nisi quælibet per se distinctius enodetur, quod in illiᵘˢ gratiā faciemus antequā examinemus doctrinę veritatē. Ad 1. igitur dubitādi rationē, qui hanc sententiā probauerit, negabit antecedēs, quoniā nō modò actiones imperatæ, sed etiā earum opera realē, ac intrisecā habent dependentiā à fine, tanquā vera illius effecta. Ad probationē antecedentis dicendū est argumentū optimè procedere si actiōes istę cōsiderentᵘ solū physicè, & prout vna ab alia distinguit: porrò si considerentᵘ modo morali, quē sortiuntᵘ, vt finē respiciūt, argum. nō rectè procedere; quia licèt voluntas vnū actū mediante altero ordinet in finē: finis tamen ita ad vtrūque mouet voluntatem, vt simul, & per modum vnius eam ad vtrunque moueat.

Solutio primæ.

Ad

7 Diluitur 2. Ad secundã rationem dubitandi negandum est etiam ante cedens. Ad probationem dicendum est actionem imperatam ex intentione, qua à voluntate imperatur, solùm habere denominationem illam extrinsecam ad finem: attamen ab ipso fine habere suam realitatem in genere causæ finalis, vt colliges ex Suario in dicto nu. 17. versiculo *Nec etiam obstat.*

8 Soluitur 3. Ad tertiam dubitandi rationem dicendum erit entitatem actionis imperatę physicè,& entitatiuè sumptam, fieri quidem potuisse sine illa causalitate finali: non tamen prout consideratur, vt hìc,& nunc. Vide eum in dicto num. 17.& 18.

9 Diluitur postrema obiectio. Ad postremam rationem dubitandi dici potest, suppositâ Suarij sententia, causalitatem finis realiter, & physicè solùm identificari cum actione interna: cum externa verò solùm morali modo, quatenus scilicet illa cum priori cõnectitur: hæc enim connexio satis est, vt in genere moris dicatur vnum cum illa: vt patet ex ijs, quę Theologi docẽt in materia de peccatis de actione interna, & externa: vtraque enim in genere moris censeturvna numero actio, & vnum numero peccatum; vt docet *D.Thom.* D.Thom. 1.2.q. 17.art.4. & q. 20. art.3. ad 1.& vtrobique interpretes.

Non placet præfata sententia. Hæc pro explicatione præcedentis sententiæ dicta sint. Illa tamen mihi placere nunquam potuit, quatenus docet finẽ in actiones imperatas ordinis executionis non influere intrinsecè, sed extrinsecè, & remotè: quatenus scilicet per se consequuntur ad actionem internam, & cum illa censentur vnum obiectum in genere moris: hæc enim doctrina nec potest esse generalis, nec solido nititur fundamento.

Quod non sit generalis, euidenter demonstrat causalitas finalis, quæ exercetur in actionibus diuinis: hæc enim cum in nullum actum internum exerceatur, vt suprà ostendimus, & inferius ostensuri sumus latius; non potest immediatè & intrinsecè non exerceri in ipsam actionem externam, quæ sola in Deo est propter finem. Vnde ipse Suarius in dicta disp. 23. sect. 9. n. 9. concedit causalitatem finalem, propter quã Deus agit, positam esse, & identificari cum actione Dei transeunte: quod falsum esset, si finis in ipsam intrinsecè, & immediatè non influeret. Quod si finis in Deo immediatè, & intrinsecè influit in actiones ad extra imperatas à voluntate diuina; cur non poterit etiã intrinsecè influere in actiones imperatas ab agente creato? maximè si verum est, quod idẽ Suarius scribit in dicta disp. 23. sect. 4. n. 18. actionem imperatam externam in agente creato simul esse effectum causæ finalis, & causalitatem illius respectu effectus per eam producti, v.g. deambulationem simul esse effectum sanitatis, & causalitatem, qua finis formaliter influit in effectum deãbulationis, v.g. in bonam digestionem, vel extenuationem humorum. At qui fieri potest, vt causalitas finis identificetur cum deambulatione; si intrinsecè non influit in eam? Nam effectus remotus non potest identificari cũ causalitate à qua remotè fit, & extrinsecè. 11

Nec video cur negandum sit causalitatem finalem intrinsecè,& immediatè influere in actiones imperatas externas: v.g. in deambulationem, vel sumptionem medicinæ: nam cum finalis causalitas formaliter, & adæquatè cõsistat in attractione actionis, quę fit ab agente; vt scilicet fiat gratia ipsius finis, vt superius ostendimus: quid impedit quominus sanitas, quæ est finis deambulationis; immediatè eam attrahat, vt fiat intuitu ipsius consequendæ?

Aduersarij responsio precludiur. Respondebit aduersarius deambulationem ordinari in finem medijs actibus internis. Sed obijciam consultationem de medijs, & iudicium de eisdem (qui sunt actus intellectus imperati à voluntate in ipsomet ordine intentionis) non ordinari in finem, nisi media intentione finis: electionem etiam finẽ non respicere, nisi media intentione illius, vt communis habet philosophia. Et tamen nullus dubitat finem immediatè, & intrinsecè influere, tum in electionem, tum in actum consultationis, & iudicij de medijs. Quare actum imperatum externum ordinari in finem mediante actu interno intentionis; non impedit, quominus in se immediatè, & intrinsecè terminet, recipiatq; influxum causæ finalis.

Vt hæc facilius percipiantur, aduer- 12

Præmissum ad explicationem quæstionis, & obiectionũ solutionem

tendum est in hac materia illud deceptionem posse caussare, quod aduersarij comminiscuntur finem ideo influere in actum exteriorem, quia per modum vnius coniungitur actui interno, in quẽ finis immediatè influit; quod longè distat à vero: nam finis ideo influit in aliquid, quia illud participat formalem rationem caussabilis finaliter: hãc autem rationem actio imperata (siue interna sit, siue externa) ex eo participat; quia ab agente fit, & elicitur cum intentione consequendi finem: inde enim habet actio imperata, quod attrahatur à fine, ita vt gratia illius fiat. Ita fit vt intentio finis non mediet inter finem, & actiones imperatas tanquam medium interiacens, & vt in quo finalizato finalizentur actiones, quæ imperantur; vt cogitãt aduersarij; sed vt medium assistens, & vt quo ordinantur, & diriguntur in finem. Hoc autem medium non impedit, sed iuuat potius immediatum influxum caussæ finalis.

13 Alia via explicãtur supra positæ obiectiões.

Hac opinione supposita facilè explicabuntur difficultates allatæ. Nam ad primãm negandum est antecedens. Ad probationem negandum est actus externos imperatos non excitari proximè ab ipso fine; si idẽ est excitari, quod attrahi, vt fiant gratia ipsius finis. Nec oppositum probant ea, quæ adducũtur: nam falsò supponitur finem solos actus internos immediatè caussare: imò apertè petitur principium, cum in hoc positus sit status controuersiæ. Præterea oppositum demonstrat caussalitas, quæ in actionibus diuinis externis reperitur, vt iam diximus. Et quãuis in agentibus creatis finis non possit finaliter influere in actiones externas, nisi pri' influat in aliquas internas: tamen cum non vnica numero caussalitate influat in vtrasque, sed pluribus, vt dicemus, etsi prius tempore in internas influit, quam in externas; in vtrasque influit immediatè: nam quanuis mediet intentio, qua ab agente diriguntur in finem: tamen cum mediet, vt assistens & coniuncta, & solùm, vt quo, vt ex dictis patet; illius mediatio non impedit immediationem influxus caussalitatis finalis.

Solutio primæ.

14 Solutio secundæ.

Ad secundam difficultatem negandũ est antecedens: quia caussalitas finalis verè caussat entitatem actionis externæ. Ad probationem admittimus actionem externam conferri posse, vel cum intentione voluntatis, qua assistẽte imperatur: vel cum ipso fine, à quo supposita voluntatis intentione actu caussatur. Si conferatur cum intentione; ab ea solùm habet denominationẽ extrinsecam, à qua dicitur ordinata in finem. Porrò si conferatur cum fine, ab eo habet realem dependentiam in sua entitate: quia ipsa entitas à fine trahitur, vt fiat gratia illius: non traheretur tamen nisi secum coniunctam haberet agentis intentionem, à qua formaliter consequitur rationem caussabilis finaliter, vt iam diximus.

15 Solutio tertiæ.

Ad difficultatem tertiam omissis ijs, quæ obscurè nimis scribit Suarius in dicta sect. 4. n. 18. admittendum est illam eandem numero actionem externam, cum eodem numero effectu permanere posse, si varietur finis: nam sicut variata caussa efficiente potest permanere idem numero effectus: ita etiam potest manere idem effectus numero variata caussa finali, vt suprà aduertimus. Quare admissa maiore neganda est minor, cuius probatio supponit nos admittere variationem caussę finalis permanẽte eádẽ numero finali caussalitate: quod tamen non admittimus: sed cum variatione finis simul etiam concedimus variationem caussalitatis finalis; manente tamen inuariata actione externa, v. g. deambulatione: quæ antea erat effectus prioris finis; nunc autem est effectus finis posterioris. Ita fit vt actionẽ externam permanere eandem numero variato fine, & finali caussalitate: non inferat eam non esse verum effectum caussæ finalis: cuius oppositum argumẽtum inferebat.

Solutio vltimæ obiect.

Ad postremam difficultatem negandum est caussalitatem finalem identificari cum actione agentis: quasi actio agentis, vt est à fine, sit caussalitas finalis: hoc enim impugnauimus in superioribus.

ARTICVLVS V.

Vtrum effecta actionum externarum sint effecta finalis caussæ?

1

QVÆSTIO ista excitatur propter primam opinionem, quã supra q. 1. artic. 1. retulimus; quæ negat

Quorũdam sententia. negat ea, quæ fiunt per actiones externas esse effecta finalis causæ: v.g. domũ, nauim, &c. Hanc sententiam quibusdã *Fonseca.* placuisse refert Fonseca in 5. Metaphy. cap. 2. q. 10. sect. 2. Ego tamen huius opinionis auctorem vidi neminem. Illa cuiuscunque fuerit eisdem dubitandi rationibus confirmari videtur, quibus in præcedenti art. pars negatiua videbatur confirmari.

2 Quibus non obstantibus dicendum
Quid dicendum sit. est opinionem istam tanquam omnino improbabilem esse reijciendam, quam specialiter reijcit Fonseca vbi suprà. Vnde statuendum est non solum actiones externas, sed etiam res, quæ per eas fiunt; verè, & propriè esse propter finẽ: v. g. domum verè esse propter habitationem tanquam propter finem, & nauim propter nauigationem & sic de cęteris. Id quod verbis expressis docuit *Arist.* Arist. 2. Physic. cap. 3. tex. 39. & 5. Metaphy. cap. 2. tex. 2. vbi postquam docuit sanitatem esse causam finalem deambulationis, ita scribit: *Et quæcunque alio mouente inter ipsum, & finem fiunt: vt inter medicum, sanitatemque, macies, aut purgatio, aut medicamenta, aut instrumenta: vniuersa enim hæc ipsius finis gratia fiunt; inter se autem differunt: alia nanque sunt opera, alia instrumenta.* Ex quibus verbis euidenter colligitur Aristotelem enumerare inter effecta causæ finalis, non solúm actiones, quibus aliquid fit, vt ambulationem, & purgationem: sed etiam ea, quæ per ipsas actiones fiunt, vt medicamenta, instrumentaque; fiunt enim à medico, vt illis vtatur ad dandam sanitatem & eadem ratione inter effecta causæ finalis enumerari debet domus, quæ non solùm in fieri, sed etiam in facto esse est gratia habitationis: etenim non solum ædificatur ad habitandum; sed ea iam ædificata vtimur eiusdem finis gratia. Idem dicendum est de naui, quæ, & construitur ad nauigandum, & constructa sumitur ad faciendam nauigationem. Quin potius rebus naturalibus vtimur ad obtinendum finem, quem intendimus: vtimur enim equo ad iter faciendum: & igne ad comburendum, & pecunia in eleemosyna ad consequendam beatitudinem, & sic de cæteris. Non est igitur dubitandum de veritate propositæ cõclusionis, quam præter Fonsecam generaliter docet Suarius in Metaphysic. disp. 23. sect. 3. n. 19. cum sequentibus.

Solùm supereſt difficultas de modo, 3
quo finis influit in istos effectus. Cui difficultati Suarius in dicta disp. 23. sect. 4. n. 15. ita respondet, vt existimet finem influere in eiusmodi effectus mediante actione, qua producuntur, vel etiam applicantur ad finem consequendum. Nã, vt ait, effect⁹ exteriores, qui per actiones producuntur, in tãtum esse possunt effectus causæ finalis; inquãtum actiones per quas fiunt, aliquo modo causantur à causa finali, & ab ea pendent. Fundamentum ex eo sumit: quia ex Aristotele causa finalis non causat actu, nisi quando agens actu aliquid causat propter finem: ob quam rationem sicut cessante actione agentis, effectus, qui adhuc permanet, iam non causatur, sed causatus est: ita etiam cessante illa actione iam actu nõ causatur à fine, sed causatus est, & manet ordinatus in finem, vel per intrinsecam habitudinem, seu propensionem, vel per denominationem extrinsecam ab actione præterita. Et inde infert num. 18. ipsam actionem agentis simul esse effectum causæ finalis, & causalitatem finalem respectu ipsius rei factæ: etenim res facta mediante illa actione pendet à tali fine. Iã verò nihil aliud est esse causalitatem, quam esse quasi viam, qua effectus pendet à tali causa.

Hæc tamen philosophia & in se, & in 4
suo fundamento deficit. Deficit quidẽ in se; quia falsum est finem influere in hosce effectus mediante actione agentis, qua producuntur, si de mediatione formali sit sermo. Nam quanuis verum sit finem non influere in hos effectus, nisi actione agentis simul comitante in fluxum finalem, & coexistente cum illo: etenim finis non influit in effectum, nisi causa agente in eundem simul influente; tamen falsum est actionem agentis formaliter esse ipsum influxum, quo finis influit in effectum: iam enim ostendimus influxum finalem non esse ipsam actionem agentis; quod non solùm verum est quatenus influxus causæ finalis terminatur in actionem, vt in proprium effectum, id, quod in superiorib⁹ diligenter ostendimus: sed nec etiam verum est, quatenus influxus causæ finalis

nalis terminatur ad ipsum effectum, vt statim ostendemus.

5 Deficit etiam illa philosophia in fũdamento: quoniam falsum est hos effectus in tantum esse effectus caussę finalis, inquantum actiones, per quas fiunt, caussantur aliquo modo à caussa finali, & ab ea pendent. Hoc esse falsum euidenter cõuincitur ex effectis, quę à Deo ad extra producuntur: qui possunt pendere à bonitate Dei tanquam à caussa finali, etsi actio Dei, per quam fiunt, nõ dependeat ab eadem Dei bonitate in genere caussæ finalis: vt facilè videri potest, si supponamus opinionem D. Thomę satis probabilem, actionem qua Deus se solo ad extra aliquid producit, esse actionem immanentem, & non transeũtem: hanc enim non pendere à bonitate Dei tanquam à caussa finali negari non potest.

Si verò dicas opinionem D. Thomæ communiter reijci; fateor, sed illam adduxi, vt ostenderem, dependentiam finalem effectus per actionem producti per se non depẽdere ab hoc, quod caussalitas per quam producitur sit etiam effectus caussę finalis: quanuis enim facilè admittam actionem, qua effectus producitur semper pendere à caussa finali tanquam verum eius effectũ (quia vt diximus, caussalitas caussæ agentis verè est effectus caussæ finalis) nunquã tamen admittam effectus istos in tantũ pendere à fine, inquãtum actiones per quas fiunt caussantur à fine: quasi depẽdentia finalis effectus per se, & veluti essentialiter pẽdeat ex dependentia finali actionis, per quam fit: id enim falsum est: quoniam etsi illa dependentia effectus à fine pendeat à præcitata dependentia, dependentia necessariæ cõcomitantiæ; non tamen pendet dependentia intrinseca, & essentiali.

6 Fundamentum etiã, quo Suarius nititur, eodem pede claudicat, quia ex dependentia concomitantiæ infert depẽdentiam formalem: fatemur nanque cũ Arist. caussam finalem actu non caussare, nisi agens actu causset: & subinde cõcedimus cessante actione agentis, cessare & caussalitatem finalem: at tamen non video, quomodò inde inferatur actionem agentis formaliter esse caussalitatem finalem, qua finis influit in effectum. Nec enim ratio adducta in probationem huius concomitantiæ id probat; sed euidenter peccat fallacia æquiuocationis: nam rem factam pendere à tali fine mediante illa actione, potest habere duplicem sensum: vel enim intelligi potest de mediatione coexistentiæ, & concomitantiæ: vel de mediatione formalis dependentiæ. Si posteriori modo intelligatur; falsa est, vt diximus, si modo priori; verissima est; sed ex ea non benè infertur actionem agentis esse ipsam caussalitatem, qua finis iufluit in effectum.

7 Adducitur verus dicendi modus. Omisso igitur superiori dicendi modo: si quæras, quomodò finis influat in effectum per actionem agentis productum? respondendum erit, finem eadem numero finali caussalitate, & influxu, quo influit in actionem agentis tanquã in effectum, influere in ipsum effectum per actionem productum, ita vt eadem numero tractione, qua finis ad se trahit ipsam actionem, vt fiat gratia sui: eadẽ etiam trahit effectum actionis, vt sui gratia fiat. Qui influxus, vt diximus, distinctus est, tum ab ipsa actione agẽtis; tum ab illius effectu. Hoc posterius iam ostendimus in superioribus. Illud verò prius inde ostenditur; quia actio, & effectus eius non sunt duo obiecta, sed vnũ ex vtroque veluti compositum: nam sicut visio Dei, & Deus visus nõ sunt duo obiecta totalia, sed vnum: ita etiam ædificatio domus, & domus ædificata vnũ obiectum sunt in ordine ad caussalitatem finalem: non verò duo. Et ad hunc sensum puto esse verisimum effectus externos, qui producuntur, non posse terminare caussalitatem finalis caussę, nisi prout illa est sub actione caussę agẽtis. Quem sensum si faceret præcedens opinio (quam explicat Suar. in d. n. 15.) eam vtraque manu reciperemus.

ARTICVLVS VI.

Vtrum assecutio finis sit effectus caussæ finalis?

APplicatis medijs resultat assecutio finis: nam finis adeptus est vltimũ in ordine executionis. Quare meritò inquirẽdum est, an ipsa finis adeptio, siue finem esse realiter adeptum, sit effectus eiusdẽ finis, vt exerceat caussa-

Pro parte negatiua 1. argumentũ.

causſalitatem finalem? Et pro parte negatiua prima ratio dubitandi ſumitur, quia aliás ſequeretur finem eſſe cauſſã ſui ipſius, quod videtur abſurdum. Sequela patet, quoniam nihil eſſe poteſt cauſſa realis productionis rei, niſi ſit etiam cauſſa rei productæ: ſed finis in ordine executionis producitur per actionem, qua acquiritur, & poſsidetur: ergo ſi finis eſt cauſſa actionis, per quam acquiritur; finis eſt cauſſa ſui ipſius. Maior huius diſcurſus ſatis eſt nota in philoſophia: quia res quęque media actione producitur. Minor probatur: quoniã finis, v.g. ſanitas à parte rei, & in ordine executionis verè producitur: etenim forma ſubſtantialis, quę eſt finis generationis, verè producitur per ipſam generationem: & ſanitas, quæ eſt finis curationis, verè producitur per ipſam curationis actionem: ergo ſi ipſa ſanitas eſt cauſſa finalis ipſius curationis, vtique ipſamet erit cauſſa ſui ipſius.

2 Secundum argumentũ.

Deinde ipſa adeptio finis, vt apprehenſa, eſt quæ cauſſat: ipſa enim, vt apprehenſa, mouet agens motione metaphorica, & finali: ergo ſi ipſamet adeptio finis in ordine executionis eſt effectus cauſſæ finalis, ipſa erit effectus ſui ipſius.

3 Tertium.

Tertio operatio à voluntate operata interdum eſt cauſſa finalis, vt viſio beata, cõtemplatio citharizatio, & alię ſimiles; cuius operationis executio, ſiue adeptio non diſtinguitur ab ipſamet operatione: ergo ſi adeptio finis eſt effectus ipſius finis, idẽ cauſſat ſe ipſũ.

4 Vltimum. *Ariſtot.*

Poſtremo illud in hoc art. facit difficultatem; quoniam adepto fine ceſſat actio agentis, ex Ariſt. 1. de Generat. ca. 7. tex. 55: ceſſante autem actione agentis, ceſſat etiam cauſſalitas finalis, vt omnes philoſophi agnoſcunt: ergo nec adeptio finis, nec finis adeptus poteſt eſſe effectus cauſſæ finalis.

5 Reſolutio.

His tamen non obſtantibus dicendũ eſt non ſolùm adeptionem finis, ſed etiã ipſum finem adeptum eſſe effectum finalis cauſſæ: etenim & ſanitas adepta, & actio qua illa acquiritur, ſunt effecta eiuſdem ſanitatis, vt eſt cauſſa finalis. Hæc videtur recepta ſentẽtia inter Philoſophos, qui hac de re ſcripſerunt: illã tanquam verã ſupponit Fonſeca 5. Metaph. cap. 2. q. 10. ſect. 2. ad finem. §. *At obijciet aliquis*: Curſus Conimb. 2. Phyſic. cap. 7. q. 22. art. 1. §. *Circa ipſam tamen poſſeſſionem*, & art. 2. ad 2. Suarius in Metap. diſp. 23. ſect. 3. n. 21. & 22.

Fonſec.

Hæc opinio, quod attinet ad aſſecutionem finis ex eo confirmatur, quia adeptio paſsiua finis eſt effectus actionis agentis: acquiritur enim finis illius actione, vt per ſe patet, & docet Ariſt. 2. Ethic. ad Eudemũ pag. 1008. in principio, & 2. Phy. cap. 2. tex. 23: dum ait finem (aſſecutum intellige) eſſe vltimum, & terminum actionis agentis: ſed id, quod eſt effectus actionis agentis eſt etiam effectus cauſſæ finalis, vt eſt recepta philoſophia: ergo adeptio paſsiua finis eſt effectus cauſſæ finalis. Ex quo infertur id, quod ſecundo loco dicebamus, ipſum inquam finem aſſecutum eſſe effectum ſui ipſius, vt eſt cauſſa finalis: nihil enim poteſt eſſe cauſſa actionis, qua res fit, quin ſimul ſit cauſſa rei, quæ fit. Accedit etiam, quia finis, qui eſt primus in intentione (nimirum cauſſando) eſt vltimus in executione tanquam effectus vltimo à fine cauſſatus: omnia enim, quæ in ordine executionis fiunt, cauſſantur à fine, cum ab agente cauſſentur. Igitur cum finis aſſecutus habeat cauſſam efficientem, habebit etiam cauſſam finalem, amore cuius ab agente eſt aſſecutus.

6 Probatur prior pars cõcluſionis. *Ariſt.*

Posterioris partis probatio.

Nec huic veriſsimæ reſolutioni obſtant argumenta; quæ initio rationem dubitandi faciebant. Nam ad primum reſpondetur 1 in cæteris cauſsis à finali abſurdum eſſe quod idem ſit cauſſa ſui ipſius: in finali tamen cauſſa id non eſſe abſurdum, vt bene aduertit Suarius vbi ſupra n. 22. Nam repugnantia, quæ in cęteris cauſsis reperitur, non interuenit in cauſſa finali: ideo enim in cæteris cauſsis id repugnat; quia cũ cauſſare non poſsint, niſi ſint actu: ſi idem ſe ipſum cauſſaret, idem eſſet actu, antequam eſſet. Quæ ratio omninò ceſſat in cauſſa finali: quæ ad cauſſandũ non modo non requirit realem exiſtentiã, ſed omnino requirit ſe actu non eſſe (loquimur de fine *cuius*) etenim mouet, vt realiter exiſtat: ſatis eſt igitur, ſi exiſtat exiſtentia obiectiua, vt mouere poſsit voluntatem agentis, eamque allicere ad ipſius realem conſecutionem, & exiſtentiam.

7 Ad 1. argument. reſpõdetur 1.

Reſpon-

Respondetur 2.

Respondetur secundò non esse alienum à Philosophia idem posse influere in se ipsum, secundum aliam, & aliã rationem: ad hoc enim satis est, si influẽs in se ipsum sit aliquo modo distinctum à se ipso, vt influxum recipit. Iam verò finis vt influens in seipsum non omnino est idem secum, prout sui ipsius influxũ recipit, tum quia influit, vt obiectiuè existens; recipit autem influxum, vt à parte rei reponitur in actuali existentia; tum etiam, quia influit mediante affectu amoris, & intentionis, actioneq; agentis; recipit autem influxum immediate in sua entitate naturali; tum denique, quia finis *cuius* (de quo solo agimus) non est caussa adęquata, & totalis sui ipsius, sed concurrit ad sui realem adeptionem tanquam caussa partialis simul cum fine *cui*, & interdum cum fine obiectiuo, & cum vtroque constituit vnam caussam finalem adęquatam, & totalem, vt patet ex ijs, quæ diximus tam de fine *cui*, quàm de fine obiectiuo: etenim ęgrotus amans sui ipsius sanitatẽ finaliter influit in ipsam sanitatem, tãquam in effectum: & Deus visus est adæquata finalis caussa influens in actualẽ visionis beatificæ assecutionem. Quam solutionem inuolutè, & satis confusè adducit Suarius in dicto n. 22.

8 Secundi argum. solut.

Ad secundum distinguendum est antecedens: nam si intelligatur de adeptione finis transitiuè, idest de actione, qua finis immediatè in se ipso comparatur, & acquiritur; siue ille sit finis formalis, siue obiectiuus, siue vterque simul (finis enim formalis, quantunuis sit operatio, semper acquiritur per aliquã agentis actionem) si inquam antecedẽs ita intelligatur; negandum erit: quia adeptio finis non est finis, qui mouet, sed est actio agentis ad quam eliciendam mouet finis, qui per eam comparatur: etenim actio physica, qua sanitas immediatè producitur, non est finis, sed ipsa sanitas, quæ producitur. Similiter nec actio, qua elicitur visio beata est quæ influit vt finis; sed ipsamet visio, qua Deus videtur: quæ ipsa est quædã qualitas, vt aliquando dicemus.

Porrò si antecedens intelligatur de adeptione finis in sensu intransitiuo: id est de adeptione, quæ est finis formalis componens vnum adęquatum finem cũ fine obiectiuo (qualis est visio beata, quæ est formalis finis, quo intellectus Deo vnitur tanquam fini obiectiuo: similiter etiam possessio pecunię, quę est formalis finis auari) admittendum est antecedens, simul cum consequentia; quia nullum est absurdum si ipsa adeptio, vt apprehensa sit caussa sui ipsius in esse reali existentię, vt immediatè diximus ad primum argumentum.

Solutio tertij.

Tertium argumentum aliqua tangit, quæ explicatione indigebant: cæterum quia difficultas, quam argumentum inferre nititur, ex dictis iam est soluta, non est quod in eo immoremur.

10 Difficultas ex vltim. argum. nata.

Postremum argumentum petit difficultatem; quì fieri possit, vt finis adeptus sit effectus caussæ finalis, si adepto fine non datur finalis caussalitas? quam difficultatem in terminis tangit Cursus Conimb. vbi supra in dicta q. 23. art. 2. in 2. argum. nec aliter eam soluit, quàm admittendo actiones, quibus finis quæritur & procuratur vt adipiscendus, adepto fine omnino cessare. Quæ tamen solutio potius confirmat rationem dubitandi, quam eam soluat: hoc enim inquirimus; quomodò finis adeptus possit esse effectus sui ipsius, si illo adepto omnino cessat finalis caussalitas.

Non placet solutio.

Pro illius explicatione notandũ

Quare pro huius difficultatis solutione aduertendum est nullum dari locum difficultati in finib⁹, qui per actionem instantaneam comparantur; siue illam præcedat motus, vt contingit in forma substantiali, quæ est finis generantis, & acquiritur per generationem, quam antecedit alteratio; siue præcedat aliquid, quod sit veluti dispositio: vt contingit in visione beatifica, quã præcedunt merita viæ, produciturque per instantaneã actionem intellectus. In his igitur finibus cessat omnino argumenti difficultas: quoniam licet pro instanti, in quo finis primo est adeptus, cesset præcedens motus, qui ad mutationem instantaneam terminatur: non tamen cessat ipsa actio instantanea, qua finis pro illo instanti acquiritur. Vnde nec cessat caussalitas finalis, quæ actionem agentis comitatur.

Tota difficultas versatur circa finẽ, qui per motum, actionemvè successiuã acquiritur, qualis est sanitas, quæ acquiritur per alterationẽ: etenim adepto fi-

to fine ceſſat agentis actio, & cum ea ſimul ceſſat finalis cauſſalitas. Sed etiam in his finibus omninò ceſſaret difficultas, ſi vera foret opinio Suarij, quam ſcripſit in Metaphy. diſp. 18. ſect. 2. numer. 16. & in 3. tomo ad 3. partem diſp. 8. ſect. 2. fol. 96. col. 1. §. *Vltimus ergo ac verus dicendi modus.* In quibus locis aſſerit vltimum mutatum eſſe motus, & actionis cuiuſcunque ſucceſsiuæ eſſe mutationem quandam inſtantaneam, qua cõſumatur terminus præcedentis motus, & acquiritur quoddam indiuiſibile formæ, quod ipſum in toto antecedente tẽpore non erat acquiſitum. Quæ mutatio, ſiue mutatum eſſe eſt quidam terminus extrinſecus motus, quia in eo primo non eſt motus: at tamen eſt terminus intrinſecus ipſius formæ conſũmans, & perficiens illius entitatem, eo modo, quo punctus terminat, & conſũmat entitatem lineæ. Hanc doctrinam explicat in intenſione formarum, v. g. caloris, vt tria, vel vt ſex: nam in inſtãti: in quo calor eſt vt ſex, eſt primũ non eſſe calefactionis: primum tamen eſſe caloris vt ſex, ideo quia tunc primò eſt acquiſitum indiuiſibile quoddam caloris; quod antea non erat acquiſitũ; quo indiuiſibili conſummatur calor vt ſex, & reponitur in tali gradu.

Hac ſuppoſita doctrina (quæ, vt ait conſtat ex Philoſophia) facilè ſoluetur poſtremum argumentum: quoniam etſi cum primum finis eſt adeptus ceſſet actio agentis ſucceſsiua, quia verè tunc primùm non eſt: tamen non ceſſat mutatio, quæ eſt terminus illius, licèt extrinſecus, veraque acquiſitio indiuiſibilis, quo finis materialiter ſumptus intrinſecè conſummatur, & perficitur. Quare nec ceſſabit cauſſalitas eiuſdem finis, quæ concurrit cum omni actione agentis.

11 Hæc ſolutio facilis eſſet, ſi vera foret vtraque philoſophia, quam tanquã veram ſupponit Suarius, indiuiſibilium inquam in ſubſtantijs, & qualitatibus, & mutationis inſtantaneę in vltimo mutato eſſe motus. Quarum poſteriorem poſuit in citatis locis: priorem verò excogitauit in Metaphyſica diſput. 40. ſect. 4. numer. 28. & clariùs ſect. 5. num. 50. cum ſequentibus. At verò vtraque philoſophia noua eſt, & viris doctiſsimis paradoxa; nec deſunt, qui ingeniũ viri eruditiſsimi appellent mirabile, ex eo, quod vt nouas opiniones defendat; nouam excogitet philoſophiam. Vnde Bellomontan. iure admiratur viri ingenium, quod ſine neceſsitate philoſophiam inuſitatam pronunciet. Ego autem non ſolùm nouitatem admiror; ſed maximè quod auſus ſit ſcribere ſuã iſtam philoſophiam ex philoſophia cõſtare: cum & noua ſit, & ſine vllo auctore; quin potius nihil minus ſit cum philoſophia conſentiens, quam admittere indiuiſibilia realia, ac poſitiua in ſubſtantijs materialibus, & in qualitatibus, quæ intenſionem, ac remiſsionem ſuſcipiunt. Etenim hæc indiuiſibilia in terminis, ſiue copulatiuis partium gradualium qualitatis, ſiue terminatiuis totius qualitatis confeſsione omnium philoſophantium non ſunt neceſſaria, vt alibi latiùs demonſtrabimus. Nunc ex eo hãc indiuiſibilium philoſophiam eſſe improbabilem probatum volumus; quoniam ad copulandas partes quantitatis continuæ, terminandamque totam quantitatem probabiliſsimum eſt non dari indiuiſibilia entitatiua: ſed ad id ſatis eſſe negationes vlterioris extenſionis, ſiue potius modos quoſdam eſſendi puros, quos huiuſmodi negationes conſequantur, vt præter Nominales, & Durandum docuerunt viri doctiſſimi in Schola realium: vt patet ex doctiſsimo Fonſeca in quinto Metaphyſi. capit. 13. quæſtion. 6. ſect. 4. concluſi. prima, & Benedicto Pereira libr. 10. de rerum naturalium principijs cap. 6. nec id omnino reſpuit Curſus Conimbricenſis 6. Phyſicor. cap. 2. q. 1. artic. 2. poſt principium, & ante eos Sotus ibi quæſt. 1. §. *Duo ſunt termini*: cur igitur admittenda erunt in ſubſtantia, & qualitate? quin potius omnes, qui in quantitate admittunt indiuiſibilia, vna confeſsione fatentur ea non eſſe admittenda, aut in qualitate, aut in ſubſtantia. Ita expreſsè Capreolus in 2. diſt. 2. q. 1. art. 3. Ad tertium Gregorij contra ſecundam. fol. 46. column. 1. in principio, & diſt. 18. q. 1. art. 3. Ad tertium contra primam, fol. 206. col. 3. Hiſpalen. in ſecundo diſt. 2. art. 4. Burlæus in 1. Phyſicor. ad text. 15. Soncinas in quinto Metaphy. quæſt. 20. Ad primum, & quartũ.

Fonſeca. *Pereira.* *Sotus.* *Capreolus.* *Gregor.* *Hiſpalẽſis.* *Burlæus.* *Soncinas.*

Tolet. Cursus Conimbr.6. Phy. cap.2. q.1.art. 3.Ad 6. Tolet. ibi ad text.23. q.1.Ad 9. fol.181.col.3.Bellomont.ad 1.2.disp.80 cap.5.n.27. & 31.& disp.82.cap.6. n.27. & hanc esse omnium confessionem testatur.Fonseca in dicta q.6. sect. 4. in 3. p.1.cõclusion.Quomodo igitur constat ex philosophia indiuisibilia in substantijs,& qualitatibus esse admittenda?

Fonseca.

12 Non admisis autem indiuisibilibus, aut substantialib⁹,aut qualitatiuis corruit fundamentum nouę alterius philosophiæ, quæ docet motum semper terminari, atque consummari aliqua mutatione instantanea, qua producatur, aut acquirat aliquod indiuisibile, quo intrinsecè, & entitatiuè terminetur, & consumetur forma certa,quę in illo instanti primo incipiet:etenim noua ista, & alijs incognita mutatio solum fuit excogitata ad defendendam nouam indiuisibilium philosophiam. Amplectenda potius est vera philosophia antiquorũ, & cæterorum omnium recentiorũ philosophorum,quam amplexus est Cursus Conimb.8.Phy.cap.8.q.2.ar.3.post primam conclusionem, quæ docet in toto tempore antecedente collectiuè sumpto nihil deesse illius formæ, sed totã suã entitatem habere,quam habet in instãti illius terminatiuo.At tamen illam habere non eodem,sed in diuerso acquisitionis statu: quia scilicet in toto tempore antecedente totum illud habebat adhuc sub motu,& in acquiri: siquidem in toto illo tempore semper fuit mot⁹: at verò in instanti immediatè sequenti iam totum illud habet sub statu quieto,& sub acquisito esse:ideo quia in illo iam motus primo non est. Itaque desitio motus suo modo efficit formam esse in acquisito esse.

13 Ex hac doctrina infertur vera solutio argumenti: nam licet in instanti, in quo finis primo est adeptus,iam non sit actio agentis, nec influxus causæ finalis: non proinde finis acquisitus desinit esse effectus causæ finalis etiam pro illo instanti:sicut nec desinit esse effectus causæ efficientis.Rationem huius philosophiæ nititur reddere Fonseca in 5. Metaphy.cap.2. dicta q.10. sect.2. in fine: sed quia solutio non facilè percipitur; facilius dicemus non esse de ratione effectus,qui per motum fit, vt pro instanti,in quo primo factus est;aliqua actione fiat; sufficit enim, vt effectus dicatur quod pro illo instanti immediatè consequatur ad actionẽ immediatè terminatam ad illum, & ab ea reali quodã transitu veluti resultet. Quæ doctrina non potest non admitti in formis; quæ per motum acquiruntur: nam cum illæ pro instanti:in quo primò sunt acquisitæ, nihil de nouo acquirant, quod non fuerit in toto antecedẽte tempore; sed solum acquirant nouum acquisitionis statum,vt diximus;non indigent,vt pro illo instanti adhuc permaneat actio in aliqua mutatione instantanea, qua terminetur: quin potius ex se postulant,vt nulla tunc detur mutatio. Satis igitur erit, quod actio productiua illi⁹ formæ fuerit pro toto præcedente tempore,in quo toto fuit in acquiri. Accedit eò, quoniam cum omnis actio consideretur vt via, & effectus vt terminus viæ: semper in omni actione effectus considerandus est,vt quid immediatè consequens ad suam actionem, & vt habens se ad illam ordine quodam successiuo: vel sola consideratione rationis (vt fit in effectis, quæ fiunt per mutationem instantaneam,in quibus fieri non distinguitur à facto esse, nisi sola consideratione) vel ordine realiter successiuo: vt contingit in formis, quæ per motum acquiruntur; in quibus factum esse sub certo gradu realiter consequitur ad totum tempus antecedens collectiuè sumptum, in quo toto totum illud esse erat in fieri.Quare ad argumentum postremum concesso antecedente neganda est consequentia propter rationem immediatè explicatam: potest enim finis adeptus esse effectus actionis, quæ primo non est pro illo instanti: sed tamen immediatè fuit pro toto tempore antecedente.

Solutionis confirmatio

ARTICVLVS VII.

Vtrum amor,& delectatio,siue gaudium de fine adepto sit effectus finis.

1 SVperest disputare de actibus volũtatis, qui versantur circa finem iã consecutum; vtrum scilicet sint & ipsi causæ finalis veri effectus? Pro explicatione præmittendum est ad finem actu

Præmissum ad explanationem quæstionis.

actu assecutum duos actus cõsequi: vnũ amoris: alterum delectationis. Vtrum verò amor iste sit actus distinctus ab amore, qui ante præsentiam finis caussabat illius assequẽdi desiderium? & vtrũ amor sit actus realiter distinctus à delectatione, an sola ratione? quæstio est inter philosophos: cuius solutio ad nostrum institutum parũ refert: quia quocunque modo distinguatur, semper locus est quæstioni, an eo modo, quo distinguũtur, sint verè effectus finis?

§. 1.

De actu Amoris.

2

Fundamentum.

QVod attinet ad actum amoris quæstioni affirmatiuè respõdet Suari⁹ in Metaphy. disp. 23. sect. 3. n. 14. Fundamentum inde sumit, quia vel idem numero est amor, quo voluntas versatur circa finem iam possessum, & circa finẽ non dum possessum: vel saltem est eiusdem rationis: sed amor circa finem non dum possessum est effectus finis: ergo etiam, vt est circa finem iam possessum erit effectus illius. Patet consequentia (inquit) quia eodẽ modo caussatur amor in vtroque statu ab ipso fine alliciente. Deinde id confirmat, quia omnes rationes, quibus probatur priorem amorem esse effectum finis, probãt id ipsum de amore posteriori. Quin potius D. Tho. 1. 2. q. 23. art. 4. & q. 26. art. 2. eodem modo tribuit caussalitatẽ finis in vtrunque amorem.

Confirmatio.

D. Thom.

3

Dubium est

Sed in hoc fundamento supponitur id, de quo est maxima controuersia: nam, vt patebit in quæstione sequenti, viri doctissimi negant simplicem amorem finis caussari à fine, vt à caussa finali. Quam sententiam nos multò probabiliorem existimamus. Nec D. Thom. in locis citatis explicat, in quo genere caussæ causset amorẽ; an in genere caussæ efficientis, an finalis. Deinde supponitur vtrunque illum amorem, vel esse eundem numero, vel saltem esse eiusdẽ rationis: vtrunque est dubitabile: quanuis ad propositum parúm referat, siue hoc, siue illo modo dicas.

4

Aduertendum ad resolutiocm.

Ego pro resolutione, & maiori quæstionis intelligentia prẽmittendum puto duplicem caussalitatem admittendã esse in fine: vnam, qua vt non dum habitus influit in sui assecutionem: alteram, qua vt iam assecutus influit in conseruationem sui iam assecuti. Hanc duplicem finis caussalitatem contra Fonsecã cum Caietano admisimus supra q. 6. ar. 7. n. 14. & 15. vbi ostendimus vtranq; esse distinctam: nam finis habet priorem caussalitatẽ simul cum caussalitate agẽtis, & dependenter ab ea: ita vt cessante illa cesset etiã prior illa finalis caussalitas, quia iam finis non influit, nec influere potest ad sui consecutionem. Posteriorem verò, quæ cessante priori immediatè consequitur, iam non habet finis dependenter à priori caussalitate agẽtis, qua seipsum agebat in finẽ: quia etsi agens adhuc concurrit eliciendo amorem erga finem assecutum: tamen eum non elicit vt agens seipsum in finem; sed vt actũ: nã cũ illa actio fine assecuto naturaliter cõsequatur; voluntas ad eã nõ agit se, sed agitur à Deo producente in ea talem propensionem, ob conseruandum assecutum finem. Hęc in præcitato loco diligentiùs ostendimus.

Caietum.

Ex his iam patet propositã quæstionem duobus modis posse intelligi: vno modo, vt amor iste cõparetur cũ priori caussalitate, qua finis cum agente influebat in sui assecutionem: altero modo, vt amor ille comparetur cum caussalitate posteriori, quam finis, vt iã possessus de nouo exercet. Cõmuniter tñ intelligitur, & excitatur quęstio in priori sẽsu, & in eo disputatur à Suario. Nos cum eo affirmatiuè respondemus: fundamento tñ longè diuerso. Quod autẽ amor ille, prout à priori amore distinguitur, sit verus effectus finis influentis ad assecutionẽ sui; ex eo euidenter demõstrarur: quoniam ille amor verè est effectus agentis, cuius actione finis est assecutus: etenim agentis actio non solùm terminata est ad assecutionẽ finis; sed etiam ad amorẽ inde naturaliter resultãtẽ: diuerso tamẽ modo; quia ad assecutionẽ terminatur intrinsecè immediatè, & primo; ad amorẽ verò extrinsecè, mediatè, & secundariò. Nam sicut generatio hominis intrinsecè terminatur ad hominem; extrinsecè verò, & tãquam ad terminum secundariũ terminatur ad risibile, quia est passio naturaliter consequens: ita in proposito. Quod si amor ille verè est effect⁹ agentis; vtique verè est effectus finis: quia agens nihil agit, nisi gratia finis.

5

Duplex quęstionis sensus.

In primo sẽsu eadem affirmatiua sẽtẽtia amplectitur, diuerso tamen fũdamento.

6 Confirmatur præcedens doctrina.

Idem confirmatur ex cõmuni doctrina, quæ docet finem, cuius assequendi gratia agens operatur, non esse solam simplicem assecutionem finis; sed assecutionem perfectam,& consũmatã;quę tunc datur cum finis acquiritur cũ omnibus naturalibus perfectionibus, quæ assecutionem comitantur. Sicut enim adeptio finis, & illa naturalis perfectio non sunt duo bona,sed vnum bonum cõpletum;ita non sunt duo fines, sed vnus finis completè assecutus. Ob quam rationẽ docebimus cum D. Thoma adeptionem finis, & delectationem non esse duos fines,sed vnum finem completè adeptum. Idem igitur dicendum est de amore. Quare si adeptio finis est effect' caussæ finalis;ita etiam amor,quo talis adeptio naturaliter perficitur. Quin potius ipsa caussalitas posterior suo modo erit effectus prioris, saltem tanquã prioris cõsũmatio,vt voluit Caiet. 1.2. q.1.ar.1. §. *Ad quorũ euidentiã*, quẽ in hoc probat Fõsec.in 5.Metap.c.2.q.10.sect.3.

Caiet.

Fonseca.

7 Obiectio.

Contra hanc resolutionem poterit quis obijcere: quoniã amor finis antecedens cõsecutionẽ, non est effectus finis:ergo nec amor cõsequens finẽ adeptum. Antecedens probarunt viri doctissimi,quorum sententiam tanquam probabiliorem inferiùs defendemus. Consequentia probatur 1.quia invnoquoq; statu amor est vnus,& idem numero:ergo si in vno statu non est effectus caussæ finalis,nec etiã erit in altero. 2:quia si essent duo numero amores, eadẽ ratio militat in vtroque. Ad hoc argumentũ ex mente Suarij negandum est antecedens:nã oppositum illius sumit pro medio ad probandã nostram conclusionẽ. At non est quòd conclusionem indubitatam medio dubio cõfirmemus. Quare concesso antecedente negãda est cõsequentia,propter disparem rationem, quæ vel in vtroq; amore,vel in vtroque eiusdẽ amoris statu reperitur: nã amor ante consecutionem finis non potest esse gratia ipsi' finis amati;quia ille amor non supponit alium priorem amorẽ. Iã verò finis non potest exercere finalem caussalitatem,nec illius bonitas, nisi vt amata,quod est illius opinionis fundamentũ. At verò finis assecutus cùm verè sit amat',potest finalizare,vt idẽmet amor(si ponatur idem numero) iam nõ sit simplex affectus,sed sit amor cõprehensionis, & detentionis finis assecuti. Itaque assecutio finis amati facit,vt idẽ numero amor,qui antea non erat comprehensio finis; modo sit comprehẽsio, ac tentio illius. Etenim inter actus voluntatis enumeratur cõprehensio, quã non distinguimus ab amore,quovoluntas in finem præsentem tendit, vt suo loco dicemus. Quare si iste amor est realiter distinctus à priori;vtiq; prior erit solum simplex affectus, iste verò erit affectus qualificatus, quia est affectus cõprehensiuus,& assecutiuus finis. Si verò fuerit vnus, & idem numero amor, ille ipse in priori statu erit affect' simplex: in posteriori verò erit affectus assecutiuus,acveluti tẽtiuus,vt ita loquamur. Quam efficaciam ideo habet,quia finis iam amatus realiter acquiritur. Vnde patet ratio discriminis inter amorem finis ante assecutionem, & post; & ideo non valet consequentia,vt diximus.

8 Eadem sententia in alio sensu approbatur.

Hæc de amore finis assecuti, prout comparatur ad caussalitatem,qua finis in sui assecutionem influebat. Porrò si comparetur cum caussalitate, quam finis assecutus exercet, vt conseruetur; res est clarior: constat enim apud eos, qui hãc caussalitatem admittunt,amorem istum à natura esse institutum ad conseruandam consecutionem, & possessionem ipsius finis. Et hęc de amore.

§. 2.

De actu delectationis.

9

QVod verò attinet ad actum delectationis,quovoluntas cõquiescit in fine adepto (quem supponimus esse actum à voluntate elicitũ & realiter distinctũ ab amore:)ad quæstionem propositam respondendum est affirmatiuè, delectationẽ esse effectum finis,quæ est sententia Suarij in Metap. disp.23. sect.3.n.15. quo in loco non satis distinctè loquitur, ideo quia duplicem (de qua supra egimus) caussalitatẽ finis non distinguit, nos delectationem cum vtraque caussalitate conferemus.

10 Prima propositio.

Sit prima propositio: Delectatio de assecutione finis verè est effectus eius caussalitatis, qua finis simul cum agente in sui assecutionem confluebat. Probatẽ eodẽ fundamẽto,quo idẽ de amore diximus:nam finis,cuius assequẽdi gratia

tia agens operatur, nõ est sola simplex assecutio finis; sed assecutio illius perfecta, & consũmata, ideſt cõiuncta cum omnibus perfectionibus, quę assecutionem illam naturaliter comitantur, & perficiunt, vt diximus: causſalitas enim intrinsecè terminata ad vnum effectum extrinsecè terminatur ad omnia, quæ illum effectum naturaliter perficiunt, & comitãtur: sed delectatio est perfectio, & consũmatio assecutionis ipsius finis, vt expressè docet Arist. 10. Ethic. cap. 4. Quod adeò verum est, vt delectatio dicatur non solùm finis assecutionis, & ideo bonum illius: sed etiam finis architectus, & principalis, vt patet ex Arist. 7. Ethic. cap. 11. & 12. Ergo si assecutio finis est effect⁹ illius causſalitatis finalis ipsa etiã delectatio erit effectus eiusdẽ.

Arist.

Aristot.

Ex quo fundamẽto grauissimi Theologi docuerunt in ordine ad operantẽ, qui gratia finis semper operatur, adeptionem finis, & delectationem non esse duo bona, sed vnum bonum completũ: similiter nec esse duos fines, sed vnum finem consũmatè adeptum, vt patet ex D. Tho. 1.2.q.2.art.6. Ad 1. & q.34. ferè per totam, & 3. contra Gent. cap. 26. Ad 3. obiectionem, vbi Ferrariẽsis. idẽ D. Tho. in 4. dist. 49. q. 3. ar. 4. quęstiũc. 3.

D. Thom.

Ferrari.

D. Thom.

11 Secunda propositio.

Secunda propositio: Delectatio, si cõferatur cum causſalitate; quam finis iã adeptus exercet, vt cõseruetur; verè est effect⁹ illius causſalitatis. Hæc propositio, quãuis ad nostrũ institutũ nõpertineat, quia agim⁹ de effectis causſalitatis, quã simul cum operante finis exercet; ex eo probatur, quia ex intẽtione Dei auctoris naturæ, delectatio est propter operationem, qua finis assecutus est, vt modò supponimus cum Arist. 10. Ethic. cap. 3. & 4. & cum D. Tho. 3. contra Gẽt. c. 26. & cum cõmuniori sentẽtia Theologorum, cuius examen in alium locum relinquimus.

Arist.

D. Thom.

QVÆSTIO IX.

De actionibus, quæ pertinent ad ordinem intentionis.

1

EXPLICATIS his difficultatib⁹, quæ ad ordinem executionis spectabãt; supereſt, vt de actionibus disseramus, quę ad ordinem intentionis pertinent. In quo ordine primùm inuenitur simplex amor finis. Deinde eiusdẽ finis intentio. Tertio, desiderium illius assequendi. Quarto, & vltimo electio mediorum: cum qua enumerantur consultatio, & iudicium, quæ electionem præcedunt.

Ex his, quæ diximus supra q. 1. cõstat non solùm controuersum esse, an causſa finalis erga istas actiones aliquam exerceat causſalitatem: sed etiam an circa omnes, an verò circa aliquas duntaxat eã exerceat. Sunt enim, qui volunt nullas huius ordinis actiones pendere ex causſalitate finis. Oppositũ docent alij: inter quos est non mediocris dubitatio quænam actiones istius ordinis sint effecta causſæ finalis: variæ enim sunt de hoc opiniones; dum hi omnes actiones eius ordinis inter effecta finalis causſæ enumerant, illi verò solas eas, quæ circa media explicitè, & determinatè versantur. Alij solum excipiunt simplicem amorem finis: alij deniq; etiã excipiunt simplex desiderium finis amati.

Quę in hac q. sunt inquirenda.

Nos pro huius varietatis resolutione quinque inquiremus. Primo, vtrum finalis causſalitas in ordine intentionis reperiatur. Secundo, vtrum supposito quod reperitur; an in solas eas exerceatur, quę circa media explicitè insist ũt. Tertio; vtrum intentio finis sit effectus causſæ finalis. Quarto, vtrũ simplex desiderium finis inter effectus causſę finalis enumerari debeat. Postremo, an simplex amor finis depẽdeat à fine tanquã verus effectus illius. Ex quibus articulis facilè apparebit, quænam in quaque opinionum veritas reperiatur.

ARTICVLVS I.

Vtrum finalis causſalitas reperiatur in ordine intentionis?

2 Pars negatiua nõnullis placuisse Fonseca.

PArtem negatiuam placuisse nõnullis fatetur Fonseca in 5. Metaphy. cap. 2. q. 10. sect. 2. qui voluerũt nullas actiones, quibus aliquid aut intẽditur, aut eligitur dependere á fine tanquam à causſa finali. Imò testatur hanc esse communem sententiam. Sed miror quod affirmet eam sententiam esse cõmunem, cuius auctorem nullũ inuenies.

3 Oppositam sententiam tenet cõmunis ferentium confessus.

Hac tamen sententia non obstante, constitutum sit sine vllo vel apparenti fundamento asseri in ordine intentionis nullos dari effect⁹ causſæ finalis. Pro qua

qua opinione inuenio communem scribentium consensum. Nam præter Fonsecam loco citato contra eam docuerunt Gregorius, Gabr. Heruæus, Ferrarien. Medina, Cordubensis, Soncinas, Iauellus, Molina, Cursus Conimb. Suari', & Bellomontanus, vt patebit ex ijs, quę de illorum sententijs statim dicemus.

Fundamentum. Fundamentum ex eo sumitur; quoniam omne, quod eo modo, quo ab agente fit, fit gratia finis; necessariò enumerari debet inter effecta finis: vt patet ex finis definitione. At plurimæ dantur actiones ad ordinem intentionis pertinētes, quæ eo modo, quo fiunt, fiunt gratia finis: etenim qui consultat, & de consultatis iudicat, & tandem eligit: hęc omnia facit gratia obtinendi finem, vt experientia notum est: quis enim negabit consultantem, aut eligentem ideo consultare, & eligere, vt finem cōsequatur? Quod si has actiones elicit gratia finis; vtique finis ad eas concurrit, vt gratia ipsius fiant.

4 Nec aduersarijs admittendum est sola media, quibus obtinetur finis esse finis effecta: id enim sine fundamento asseritur; quoniam id omne dicitur effectus finis, quod fit propter finem, & ab eius amore pendet. Iam verò non sola media, quorum actione finis obtinetur, fiunt propter finem: sed etiam consultationes, & electiones, & pleraque alia, quæ circa media versantur. Alioquin nec imperium, nec vsus, quo media applicantur, inter effecta finis connumerari posset; quod friuolum est asserere.

ARTICVLVS II.

Vtrùm causalitas finalis in solas eas actiones ordinis intentiouis exerceatur, quæ circa media explicatè consistunt.

1 Duplex quæstio in hac inuoluitur. IN hac quæstione propter dictionem exclusiuam duæ continentur. Prima est circa præjacentem affirmatiuā, an finalis causalitas exerceatur in actiones, quæ in ordine intentionis circa media explicitè, & determinatè insistūt? Secunda est circa præjacētem negatiuam; an causalitas finalis exerceatur in aliquam actionem ordinis intentionis, quæ circa media non insistat?

2 Resolutio primę quæstionis. Quoad priorem quæstionem statuēda est hęc conclusio tanquam certa, & indubitata. Non est negandum omnes actiones, quę in ordine intentionis versātur, circa media, verè, & propriè, imò & proprijssimè esse effecta finalis causæ. Huiusmodi actiones sunt electio, & quæ illam præcedunt, consultatio, & iudicium: hę enim actiones versantur circa media, vel inuestiganda, vel dijudicanda, vel denique eligenda.

3 Probatur ex Arist. varijs in locis. Hæc assertio inter omnes est indubitata, si auctores opinionis art. præcedenti expugnatæ excipias; & meritò, quia electionem esse gratia finis multis in locis docet Arist. id expressè docet lib. 2. Physic. cap. 5. tex. 49. *Eorum*, inquit, *quæ fiunt, alia fiunt, alia non fiunt alicuius gratia: & horum alia per electionem fiunt: alia non per electionem.* Optimus locus 6. Ethic. cap. 2. tex. 8. & 9. vbi præter alia ita scribit: *Appetitus autem, eaque ratio, quæ alicuius est gratia, electionis principium est.* Et inde cō cludit mentem actiuam, & quæ alicuius est gratia esse principium electionis. Celebris est locus apud eundem Arist. lib. 2. Ethic. ad Eudemum pag. 1006. n. 45: *Nemo*, inquit, *finem, sed ea, quæ fini consequendo conferunt, eligit: quemadmodum nemo sanum esse, sed ambulare, sedere sanitatis gratia. Et in vniuersū declarat semper eligens, quod cuius rei gratia eligat.* Et in eodem libr. parum ante finem in hunc sensum multa docet ita concludens: *Etenim, vt finis rectus præfigatur, electionis munus est.* Idem de consultatione, deliberatione, & iudicio, quę actiones antecedunt electionem, affirmat Arist. in eodem libr. 2. Ethic. ad Eudemum pag. 1008. in principio, ita inquiens: *Et quia consultantes omnes gratia alicuius consultāt, & scopum habent præfixum certum.* Et statim: *Tendit eò consulēdo, quomodo hic finis in ipsum adducatur vel quomodo ipse perduci in finē possit.* Cū igitur hæc sit expressa doctrina Arist. non est cur in citādis auctorib⁹ immoremur maximè cū id euidenti ratione demonstretur. Etenim electio versatur circa actiones nostras: finis verò est principiū omniū nostrarū actionū ex Arist. 2. Ph. c. 9. tex. 89. Vnde electio omniū consensu semper dicit ordinem ad cōsecutionem finis; cuius amore prędēte deliberatione, & iudicio eligit media. Iam verò finis nō solū verè influit in ea, quę amore sui fiūt: sed etiā influit modo pfectissimo, quo potest, vt aduertit Curs. Con. & satis patet ex definitione finis.

Ratione etiam ostenditur.

Arist.

Nec

4 Obuiã itur cuidam obiectioni. *Vasquius.*

Nec huic veriſimæ reſolutioni obſtat, quòd electio cauſſetur ab intentione finis in genere cauſſę efficientis, vt plurimorum habet opinio non parum probabilis, quam defendit Bellomontanus 1. 2. diſp. 23. cap. 4. nu. 21. nonobſtat inquã, quoniam, vt illam ſententiam admittamus (quæ tamen pleriſque non admittitur) ex ea non infertur finem non cauſſare electionem in genere cauſſæ finalis, vt idem Bellomontanus benè aduertit 1. 2. diſp. 3. cap. 3. Ad 2. rationem: quoniã actus electionis cõferri poteſt, vel cum ipſo actu intentionis, vel cum ipſo fine intento. Ab actu intentionis efficienter dependet: à fine vero intento, ſolum finaliter.

5 2. quæſtio.

Maior difficultas eſt circa prędictam negatiuam: an finis finaliter nõ influat in alias actiones, quæ ad ordinem intentionis ſpectant: nempe in ſimplicẽ amorem finis, deſiderium illius conſequendi, & intentionem, quam voluntas habet aſſequendi finem per media indefinite ſumpta? Partem affirmantem latè defendit Bellomontanus 1. 2. diſp. 3. cap. 2. & 3. vt clare explicat, tum in ſolutione ad tertium, tum ad finem capitis tertij. Huius opinionis tacito auctore meminit Curſus Conimb. in 2. Phy. cap. 7. q. 22. art. 1. in 1. opinione. Eandẽ Suarius tribuit Gabrieli, Gregorio, Herueo, atque Medinæ, vt patet in Commẽtarijs ad 1. 2. in præfatione q. 5. Sed nec Gabr. nec Greg. in locis ab eo citatis, quidquam loquuntur de deſiderio, aut intentione, nec etiã Medina: Herueus vero expreſsis verbis oppoſitum docet de actu intentionis, vt dicemus.

Eius pars affirmatiua

2. quæſtionis Reſolutio.

Sed quicquid ſit de iſtorum ſententia pro reſolutione quæſtionis aſſerendum eſt finem finaliter influere in actũ intẽtionis, & in actum deſiderij, vt ex duobus articulis immediatè ſequẽtibus patebit. An vero influat etiam in ſimplicem actum amoris, quo volũtas tendit in finem, vltimus articulus explicabit.

ARTICVLVS III.

An intentio finis ſit effectus cauſſæ finalis?

1 Statuitur affirmatiua.

PArtem negantem ſolus Bellomontanus (ni fallor) amplexus eſt 1. 2. diſp. 3. cap. 2. & 3. Sed pro parte affirmante ſtatuenda eſt hæc aſſertio. Intentio (id eſt affectus, quo voluntas intendit finem, vt aſſequẽdum per media indefinitè ſumpta) inter effecta finalis cauſſæ, non ſolùm verè, & propriè, ſed etiam perfectiſsimo modo eſt enumeranda. Prior aſſertionis pars pleriſque placuit, vt tacito nomine auctoris teſtatur Curſus Conimbr. 2. Phyſi. cap. 7. q. 22. art. 1. in 1. opinione: quam ibidem probat §. *Hæc tamen controuerſia.* Eandem expreſsè probauit Fonſeca in 5. Metaphy. cap. 2. q. 10. ſect. 2. §. *Sed dicendum eſt,* & §. *Quod verò obiectum eſt.* Probauit Suarius in Metaphyſica diſp. 23. ſect. 3. num. 8. & 9. & in Commentarijs ad 1. 2. in prę-fatione q. 2. Ante illos idem verbis expreſsis docuit Herueus quodlib. 1. q. 8. fol. 17. col. 1. §. *De hoc dubium eſt*: vbi propoſita quęſtione, an finis ſit cauſſa finalis actus, qui dicitur intentio, his verbis reſpondet: Ad hoc dicendũ, quod ipſius actus intendendi, nihil prohibet ipſum finem mouentem eſſe cauſſam efficientem, & finalem. Quare Herueus pro parte oppoſita falſò citatur à Suario, vt ſupra aduertimus. Facilè hęc pars demonſtratur; quoniã intentio verè, & propriè fit gratia finis: ergo verè, & proprie eſt effectus finis. Conſequentia patet: nam ſi finis eſt id, gratia cuius aliquid fit; vtique id, quod fit gratia finis, verè, & proprie erit effectus finis. Porrò antecedẽs videtur notum: quoniam voluntas amore finis allecta intendit aliqua media gratia conſequendi finẽ. Vnde intentio eſt affectus voluntatis tendens in finem, non abſolutè, vt ſimplex voluntas finis: ſed vt cõſequendum per media.

Fonſeca.

Herueus.

2 Posterioris partis cõfirmatio.

Ex hoc fundamento infertur confirmatio poſterioris partis: nam ille effectus dicitur perfectiſsimo modo pertinere ad cauſſam finalẽ, qui pendet à fine finalizante per ſui amorem: definitio enim finis tunc explicat perfectiſsimũ finalizandi modum, cum particula, *cuius gratia*, idem ſignificat quod *amore cuius*: tunc enim finalizat cum habitudine ad media, & cum ordine ad conſecutionẽ ſui. Quod reperitur in hac finalizatione.

3

Contra hanc poſteriorem partẽ exiſtimat Curſus Conimbricenſis loco citato: at illius fundamentum, licet fortè

locum habeat in simplici amore finis: qui finalizatur non alio amore finis, sed ex sola illius obiectiua bonitate, nullũ tamen locum habere potest in actu intentionis; qui non ex sola nuda bonitate finis dependet, sed ex amore illius.

4 Obiectiocõtra posteriorẽ partem.

Contra priorem assertionis partem aduersarium habemus Bellomõtanum: illius tamen argumenta non respiciunt actum intentionis, sed solùm simplicem finis amorem, & cõplacentiam, de quo statim agemus. Obijci tamen solet hoc argumentum: quia si intentio fieret gratia finis intenti daretur processus in infinitum: siquidem omnis intentio finis esset effectus alterius intentionis. Negatur tamen consequentia, vt benè aduertit Fonseca, & ante eum Herueus locis citatis: falsò enim supponit omnẽ amorem finis esse illius intentionẽ; etenim omnes amamus virtutem (quæ etiam in hoste diligitur) nec tamen omnes virtutem intendimus; idest assequi proponimus, aut studemus. Itaq; (vt benè aduertit Fonseca) intendimus finẽ amore finis: ipse tamẽ amor finis, simplexq; illius complacentia, qua allecti illum intendimus; non est intentio, seu propositum illius consequendi; sed simplex quidam illius affectus terminatus ad illum absolutè; idest sine vlla relatione, aut affectu consecutionis eius: in quo distinguitur ab intentione, siue proposito; quia intentio semper terminatur ad finem relatè, hoc est vt consequendũ per aliqua media: & inde est, vt intentio, siue propositum non sit impossibilium; benè tamen voluntas, idest primus actus voluntatis, qui terminatur ad ipsum finẽ, vt ait Aristot. lib. 1. Magnorum moralium capit. 18. & lib. 3. Ethicor. cap. 2. text. 16.

Solutio.

Aristot.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum simplex desiderium finis inter effecta causæ finalis enumerari debeat.

PRO clariori quæstionis resolutione præmittendum est. Primo, duplex dari desiderium: vnum, quo desideramus finem, alterum, quo desideramus ea, quæ sunt ad finem, vt docet D. Thom. Opusc. 61. cap. 3. Paulus enim desiderabat esse cum Christo, tanquam finem; simul etiam desiderabat dissolui, tanquam medium, vt esset cum Christo. Nam sicut voluntas fertur, tum in finẽ, tum etiam in media; & amat non solùm finem, sed etiam media, quanuis diuerso modo; quia finem vult, & amat propter se, media autem propter aliud; ita etiam cum eadem differentia desiderat tam finem, quam etiam media. Vnde desiderium sæpe recurrit cum electione, vt benè aduertit Bellomont. 1.2. disput. 40. cap. 2. num. 8. & 9. In proposita difficultate quæstio excitatur de solo desiderio finis: nam desiderium, quod fertur in media, cum recurrat cum electione, absque dubio est effectus finis.

1 Primũ præmissũ ad resolutionem quæstionis.

Præmittendum secundò desiderium finis esse actũ distinctum à simplici amore, & complacentia finis. Vtrum verò realiter ab eo distinguatur, alterius est quæstionis: verior sententia realem distinctionem agnoscit. At quod sit actus distinctus ab amore finis, euidẽter colligitur ex D. Thom. 1.2.q.25.art.2. &.q.26.art.1. in Corpore, & Ad primum: dũ ait desiderium consequi ad amorem, siue complacentiam finis.

2 2. præmissũ

Vtrum verò, & quomodo distinguatur ab intentione, potest esse difficultas. Nec enim desunt, qui desideriũ cũ intentione confundant. Iuxta quam sententiam facilis foret difficultatis solutio: siquidem iam constitutum est intentionem esse effectum finis. At communior, & verior opinio desiderium finis distinguit ab intentione: quod expresse probat Cursus Conimb. in dicta q.22.art.1. in principio: & satis supponit Fonseca in dicta q.1.sect.2. §. *Quod obiectum est*, & probat Bellomontan. 1.2. disp.40.cap.2.

Quo pacto autem ab illa distinguatur, non omnino constat. Nã Bellomon. in dicto cap.2.num.6. penes hoc distinguit desiderium ab intentione, quod intentio fertur in finẽ; non absolute, sed relatè, idest, vt consequendum: Desiderium autem solùm fertur in illum absolutè, quia in illum fertur, non tamen vt consequendum. Sed in hoc non est audiendus, tum quia repugnat D. Thom. 1.2. q.26.art.2. in corpore, ex quo colliges appetitum per actum desiderij tendere in finem, vt consequendum: quod etiam tanquam notissimum affirmat Cursus

3

Conimb.

Conimbr. in dicta q. 22. art. 1. in principio; tum ēt quia nisi desiderium terminaretur in finem, vt consequendum, nō posset distingui ab actu simplicis amoris eiusdem finis: per quid enim ab illo distingueretur? nam cum sit primus voluntatis motus in finem, vt sæpe docet D. Thom. maximè 1. 2. q. 26. art. 2. in corpore, & ad 3. & clarius in 3. dist. 16. q. 2. art. 3. quæstiuncula 2. ad 3. quomodo in illum mouetur, nisi affectu habendi; etenim quod placet, haberi concupiscitur. *D. Thom.*

Quare existimo desiderium cum intentione in hoc conuenire, vt vterque actus terminetur in finem, vt consequēdum: in hoc tamen differre; quia desiderium terminatur in finem vt consequēdum absolutè, & simpliciter, id est abstrahendo à medijs, quibus haberi debet: intentio verò non ita, sed cum relatione, & habitudine ad media indefinitè sumpta. Ita fit vt desiderium terminetur in assecutionem finis sine relatione ad media: intentio verò cum actuali relatione ad illa. Posse autem finem etiā vt consequendum, absolutè tamen appeti ex eo facilè probari potest, quia omnes finem amatū desideramus: (etenim desiderium naturaliter consequitur ad amorem boni) nec tamen omnes intendimus adhibere media, quibus illum cō sequamur: plerique enim finem amatū habere desiderant, affectu quodam simplici, & inefficaci; & ideo de medijs nihil curant. At intentio non ad quodcunque desiderium consequitur, sed solùm ad desiderium efficax. Vnde omnes admittunt dari duplex desiderium efficax scilicet, & inefficax. Quæ distinctio in intentione admitti non potest; quia omnis intētio in suo ordine est efficax; omnis enim intendit finem cōsequi per aliqua media; & inde est; vt intellectum efficaciter applicet ad mediorum excogitationem.

§. I.

Resoluitur quæstio.

4 Auctorum sentētię. HIs præmissis accedendum est ad resolutionem quæstionis, quę vel non tāgitur à doctoribus, vel vno & altero verbo à paucis explicatur. Quidam negant desiderium inter effecta causalitatis finalis esse enumerandum. Ita Fonseca in 5. Metaphy. cap. 2. *Fonseca.* q. 10. sect. 2. §. *Quod verò obiectum est*, cum quo consentit Bellomontan. 1. 2. disp. 2. cap. 2. & 3. affirmat tamen Ferrariensis 3. contra gent. cap. 64. §. *Circa id, quod addit D. Thomas*, dū affirmat desideratū esse causam desiderij per modum finis: & ad hunc sensum interpretatur D. Thomam ibi, dum asserit desiderans à desiderato moueri: quæ verba putat esse intelligenda de motione finali. Eandem sententiam probare debent ij, qui generaliter affirmant finem verè, & propriè finalizare omnes actiones, quæ spectāt ad ordinem intentionis. Quæ fuit opinio Cursus Conimb. in 2. Physi. cap. 7. q. 22. art. 2. & Suarij in Metaphysica disp. 23. sect. 3. n. 8. & 9. & aliorum, quos inferius citabimus. *Ferrar.* *D. Thom.*

Ego opinionem affirmantem puto esse verisimam. Vnde hæc statuatur assertio: Probabilior est sententia, quæ inter effecta causę finalis enumerat actum desiderij. Hæc assertio non placet Fonsecę, vt diximus: sed cum ex illius doctrina, quod ex amore finis fit, verè fiat gratia finis: necessario concluditur desiderium fieri gratia finis; quia volūtas ex amore finis in ipsum mouetur: etenim desiderium cōsequitur amorem vt omnes agnoscunt cum D. Thom. 1. 2. q. 25. art. 2. & 9. q. 26. art. 2. & clarius in 3. dist. 27. q. 1. art. 1. ad 1. 5 Resolutio. *Fonseca,* *D. Thom.*

ARTICVLVS V.

Vtrum simplex amor finis, quo voluntas in fine complacet, sit effectus finis?

1 DE simplici amore finis, simpliciq; voluntatis complacentia in fine maxima est cōtrouersia, tam inter philosophos, quā inter Theologos, an verè pendeat à fine, vt effectus eius? De qua controuersia duæ circunferuntur oppositę sententię.

§ 1.

Proponuntur fundamenta partis affirmantis.

2 Pars affirmatiua. PArs affirmans simplicem amorem finis verè esse effectū illius, vt exercet causam finalem, communiori recentiorum iudicio comprobatur Eā affirmat Molina 1. p. q. 5. disp. 1. ad finē, latè *Molina.*

latè Suarius in Metaphy. disp. 23. sect. 3. num. 8. Eandē probat Cursus Conimb. 2. Physi. cap. 7. q. 22. art. 1. §. *Hæc tamen cōtrouersia*: cuius sententia hac conclusione explicat: simplex amor finis verè, & propriè est effect⁹ finis ita vt finis suā finalē causalitatē in illum vere, & propriè exerceat; non tamen perfectissimo modo: docet enim duplicia esse effecta finis: alia, quæ verè, & propriè, alia, quæ nō solùm verè, & propriè, sed perfectissimo modo effecta illius sunt: simplex igitur voluntatis amor, qui ad finē terminatur; verè, & propriè est effectus finis: quanuis à fine nō fiat perfectissima finalizandi ratione: hoc enim modo solùm influit in electionem mediorum, cęteraque actiones, quæ prehabita intētione finis circa media insistunt. Quam sententiam sumi etiam ex Gabriele in 2. dist. 38. q. vnica art. 1. not. 2. refert Suarius, quanuis Gabriel nō satis expressè id asserat. Non deerit, qui hanc affirmātem sententiam tribuat Soto 2. Physic. cap. 5. in Cōmentario text. 49. Dum habet intentionē vltimi finis esse propter ipsum finē: sed cū intentio finis sit actus distinctus ab amore finis; non est certū an Sotus huius fuerit sententiæ. Cursus Conimbr. & Suarius hanc opinionē tribuunt Henrico de Gandauo 2. p. summę art. 46. q. 6. fortè voluerunt citare art. 36. q. 6. sed an illam tenuerit sententiam non satis ex eo patet.

Gabr. *Sotus,* *Henricus.*

In confirmationem huius sententiæ plurima argumēta proponūtur. Primo, omnis actus humanus est effectus causę finalis: sed amor simplex finis est actus human⁹: ergo est effectus causę finalis. Maior patebit in sequenti argumento. Minor probatur; quia simplex amor finis verè procedit ab homine, vt rationalis est, & vt est liber saltem pro statu viæ.

Primū arg. partis affirmatiuæ.

Secundò, voluntas dum vult finē agit propter finem; ergo volitio finis, verè ē effectus finis. Cōsequentia est nota ex definitione finis; nam cum finis sit id, cuius gratia aliquid fit; vtiq; quod fit gratia finis, vere erit effectus illius. Vnde hęc duo conuertūtur, esse propter finem, & esse effectum finis: sicut etiam esse ab agente, & esse effectum agentis. Antecedens verò probatur: tum; quia illa actio non fit temerè, & casu: sed ex instituto tendit in definitum scopum; tum secundò, quia homo in ea actione ita operatur, vt ipse seipsum dirigat, & moueat in talem finem, & in formalem bonitatem eius; tum tertiò, quia illa actio verè est ab obiecto voluntatis sub ratione finis: verè enim est ab eo sub ratione boni, & conuenientis. quod satis est, vt verè dicatur esse propter finē ex doctrina D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1. Tū denique; quia illa amoris actio elicitur à voluntate ex præcognitione finis, quem per eam consequitur. Hoc autem satis est, vt sit propter finem ex doctrina D. Thom. 3. contra gent. cap. 2. ratione. 5.

3 Secundum.

Prima ante cedētis con matio.

Secunda. Tertia. *D. Thom.* 4 Cōfirmatio. *D. Thom.*

Tertiò, homo dum vult finem, operatur vt proximè, & immediatè motus ab ipso fine secundum propriam, & formalem rationem eius: ergo volitio finis est causata ex propria motione finis, vt exercet finalem causalitatem. Consequentia (vt inquiūt) est nota, quia causalitas finis proprijsimè cōsistit in illa motione secundum rationem formalē finis. Antecedens etiam, vt aiunt, clarū est; quia homo illum actū operatur illectus, & attractus à fine cognito, quatenus est bonum quoddam propter se diligibile, quæ est propria, & formalis ratio finis.

4 3. Argum.

Quartò, amor rei, quæ est finis, verè causatur à bonitate illius, vt cognita, & vt mouente appetitum ad illam amādam propter suam bonitatem: igitur talis amor causatur ab illa re, vt à fine: ita vt, verè sit propter illam tanquam propter finem; non quidem extrinsecū, sed intrinsecū; qui moueat nō vt extrinseca ratio eliciēdi amorē, sed vt intrinseca; quia mouet per intrinsecam suam bonitatem, quod non tollit quominus finis ille verè suam causalitatem exerceat in talem actum amoris: nam intētio, quam admittimus verè esse propter finem, nō est propter finem extrinsecū, sed intrinsecum; in quem immediatè tendit propter ipsum, & propter intrinsecam illius bonitatem.

5 Quartum.

Quinto, simplex amor finis virtuali reflexione in seipsum cadit: ita vt ipse in se sit non quidem formaliter, sed virtualiter volitus: ergo talis actus est propter finem. Antecedens conceditur: Cōsequentia est apertissima; quia licèt ille act⁹ amore illo virtualiter reflexo possit

6 Quintum.

sit amari propter suam honestatem: tamen reuera amatur propter obiectum, in quod directe tendit, tãquam propter finem: etenim non est volitus, nisi vt ille amantem vniat, & coniungat obiecto amato. Quod si admittatur amorẽ illũ in se amari propter finem; concedendũ est illum amorem verè esse caussatum ab ipso obiecto tanquam à fine finaliter in illum influente.

6 Sextu arg. Sexto, id confirmant ex cõmuni modo loquendi: dicimus enim nos amare finem propter seipsum, & propter suam bonitatem. Sed particula, *propter*, attributa fini cũ proprietate declarat caussalitatem eius. Vnde cum Deum super omnia amamus, dicimur illum amare vt vltimum finem; quia verè exercet caussalitatem finis circa nostrũ amorẽ.

7 Septimum. Septimo, amor finis potest ordinari in ipsum amantem, vt in finem, *cui*, nẽpe vt ipsum perficiat: ergo ex hoc saltẽ capite potest, & debet dici effectus finis.

8 Octauum. Octauo accedat fundamentum Cursus Conimbrisensis, quod pro hac parte videtur magis vrgere: nam finis mouet volũtatem ad sui amorẽ motu metaphorico: illam enim mouet attrahendo, & alliciendo sua bonitate, vt planũ est; hæc autem motio ad solam caussam finalem pertinere potest: cui proprium est caussare per motionem metaphoricam, vt iam ostendimus: ergo finis suã finalem caussalitatem vere exercet in actum amoris: nam amor iste per se pẽdet ab illa metaphorica motione, in qua iuxta cõmunem sententiã consistit vera caussalitas caussæ finalis.

9 Nonum. Nono, alij apud Bellomontanum ex eo sumunt argumentum, quia in ratione finis includuntur duo: vnum est, vt ipse gratia sui appetatur: alterum est, vt aliquid appetatur gratia illi⁹. Ex quo inferunt munus caussę finalis in vtroq; reperiri; in eo inquam, vt ametur gratia sui: & in eo, vt gratia ipsius amentur alia: ergo sicut finis exercet suam caussalitatem in ea, quæ gratia illius appetuntur; ita etiam eam exercibit in voluntatem, quando gratia sui ab ea simpliciter appetitur.

10 Decimum. Decimo, apud eundem Bellomantanum quidam ita arguunt: finis exercet munus caussę finalis quando mouet ad appetẽda media: ergo idẽ munus exercebit quando mouet ad simplicem sui amorem. Cõsequentiam inde deducũt: quoniam si finis ideo exercet caussalitatem finalem, quia tribuit medijs rationem boni, & appetibilis; à fortiori illam exercebit, cùm ratione propriæ bonitatis trahit ad se voluntatem.

Vndecimũ. Vndecimo, arguunt alij, quoniam id, quod habet caussam efficientem, habet etiam caussam finalem; vt cõmuniter docent philosophi: sed amor finis habet caussam efficientem; ipsam scilicet voluntatem à qua elicitur: ergo habebit caussam finalem. Nec aliam nisi ipsum finem sua propria bonitate atrahentem ad se voluntatis affectum, & amorem.

Duodecim. Duodecimo, apud eundem Bellomõtanum insurgunt nonnulli; quoniam finis vt possessus sua bonitate allicit voluntatem ad actũ delectationis, & quietis, idq; per veram caussalitatem: ergo nondum habitus per veram caussalitatem alliciet voluntatem ad simplicẽ sui amorem.

11 Postremo eadem sententia à nonnullis comprobatur aliquibus testimonijs D. Thomę. Primum habetur 1.2.q.1.ar. 1. ad 2. dum ita ait: *Quidquid homo faciat verum est dicere, quod homo agat propter finẽ: etiam agendo actionem, quæ est vltimus finis.* Quod si visio beatifica, quę est vltimus finis, fit propter finem, & per verã caussalitem finis: eadem ratione amor beatus, quo voluntas adhęret Deo visõ fiet ex caussalitate ipsius finis obiectiui, nimirum Dei visi. Secundum testimoniũ sumitur ex q.22. de Verit, art.2. vbi ait: *Sicut influere caussæ efficientis est agere, ita influere caussæ finalis est appeti.* Sed finis verè appetitur, cùm simplici amore gratia sui amatur: ergo finis vera caussalitate influit in talem amorem. Tertium testimonium sumitur ex 3. cõtra gent. cap. 2. dum ait, *finem esse id, quo tendit impetus agentis*: sed voluntas amoris impetu tendit in rem, quæ est finis: ergo talis res verè est finis talis impetus. Quartum, testimonium adducit Suarius ex 4. dist. 49. q.1. art.1. glossa 2. dum ait: *velle non esse aliud, quam ordinari aliquid in finem: & ideo necessario supponere aliquem finem.*

Quintum accipi potest ex 1.2.q.1.ar. 1. quatenus ait: *omnem actionem humanam esse propter finem.* At amor finis est actio humana. Ex eo etiam, quod ibidem ait

13. Argum. ex locis D. Tho de fũptum.

1. locus.

2. Locus.

3. Locus.

4. Locus.

5. Locus.

q.1.ar.1. *illorum agentium motus esse voluntarios, cum vtrunque, scilicet, quod agunt, & quod propter finem agunt, est ab intrinseco.* At nullus negabit amorem finis esse actum voluntarium.

6.Locus. Sextum etiam testimonium sumi potest ex eodem 1.2.q.6.art.2. cum asserit *de fine esse deliberationem*: at omnis actus deliberatus est effectus finis, cùm omnis sit propter finem. Elegans locus ha-

7.Locus. betur 1.p.q.82.art.4.dum ait, *voluntatẽ moueri ab intellectu per modum finis quatenus scilicet intellectus voluntatem mouet proponendo illi obiectum, nempe bonum, à quo voluntas mouetur per modum finis.* Quæ D.Thom.doctrina videtur cõmuniter recepta, non solùm à Thomistis, sed etiam ab Henrico, & Scoto, vt modo supponimus.

Vlt.Locus. Vltimum testimonium sumit Suarius
Capreol. à Capreolo in 1.dist.1.q.1.Ad 1.contra tertiam, dum asserit amorem, qui antecedit finis consecutionem, ordinari vt in finem in consecutionem, & fruitionem rei amatę, & isto modo esse effectũ
Henricus. causę finalis. Refert etiam Henricum, quem fallò citat, citare tamen volebat 2.p.Summę art.49.q.6. Hęc sunt huius partis affirmantis omnia fundamenta.

§. 2.

Refertur, & confirmatur pars negatiua.

12 Pars negatiua. PArtem tamen negantem, quod scilicet finis in actum amoris, quo voluntas in illo cõplacet, nullam exerceat finalem causalitatem, probarunt grauissimi Theologi, tam ex antiquioribus, quàm ex recentioribus. Ex antiquioribus hanc sententiã probauit O-
Ochamus chamus in 2.q.3.art.2 lit.G.Gabriel in 2.dist.1.q.5.art.1.notabili.2.§. *Sed in hoc differunt*, & §. *si diceres amor, &c.* & §. *Item causa finalis*: quibus in locis verbis adeo expressis affirmat amorẽ finis nõ causari à fine, vt à causa finali, vt mirandũ fit cur Bellomontanus hanc sententiam apud Gabrielẽ non inuenerit. Et quanuis idem dicat de Herueo. & Gregorio;
Herueus. tamen asserendum est vtrunque hanc probasse opinionẽ: nam Herueus quodlibet.1.quæst.8.fol.17.col.1.§. *Nam scien. dum*, explicans omnes causas amoris finis, & eorum, quę sunt ad finem: amori mediorum duplicẽ tribuit causam, efficientem inquam, & finalem: amori tamen, quo amatur finis, solũ tribuit efficientem. Ex quo euidenter patet Herueum hanc negantem sententiam probasse. Quod etiam ex eo mihi persuadeo; quia causalitas finalis, quã admittit, nullo modo potest conuenire amori finis. Ob eandem rationem pro hac negante sententia citandus est Gregor.de *Gregor.* Arimino in 1.dist.1.q.1.art.2.in confirmatione primæ conclusionis lit.P.Dum affirmat causalitatem finis in eo esse positã, vt amore finis aliquid fiat. Quare cum amor finis non fiat amore finis; alioquin daretur processus in infinitũ: vtique dicendum est Gregorium in hac esse sententia. In eadem expresse fuit *Ferrarien.* Ferrarien.1.contra gent. cap.57. in expositione 5.rationis, §. *Ex antecedente hic sumpto*: vbi admittit finem amari absque vlla finali causalitate: vnde cap.44.eiusdem libri fol.48.column.3.in 6.ratione solam causalitatem per modum causę formalis tribuit appetibili.

Ex recentioribus eandem negantem sententiam probarunt Fonseca 5.Meta *Fonseca,* physices cap.2.q.18.sect.2.§. *Quod verò obiectum est*, & latè Bellomontanus. 1.2. *Medina.* disp.3.cap.2.satis insinuat Medina 1.2. q.1.art.1.§. *Quæstio aliæ solet moueri; ad finẽ*, & q.9.art.4.§. *Sed tota difficultas*; eandem annuit licèt non satis clare Cordub.lib. *Cordub.* 1.Quæstionarij q.42.ad 2.argum. pag. 331.col.1.

13 Primũ negatiuę sententię fundamentum. Huic opinioni non desunt etiam sua fundamenta. Primum, veluti à priori sumitur ex definitione finis: est enim id, cuius gratia cætera fiunt vt patet ex *Aristot.* Arist.lo.2.Physi.cap.3.tex.29.& 31.& in 3.Metaphysi.cap.2.tex.2. In qua definitione verba illa, *cuius gratia*, idem valent, atque, *cuius amore*, vt sit sensus: finis est id, cuius amore aliquid fit. Qua explicatione supposita facile est partem istam negantem demonstrare: quoniam ex ea constat finẽ nihil finalizare, nisi mediã te sui amore; ita vt, quod ex fine fit, amore finis fiat: sed amor finis nõ potest esse ex amore finis: alioquin res abiret in infinitum: ergo amor finis non est, nec pendet à fine, vt à causa finali. Minor huius discursus est notissima. Porrò quod particula, *cuius gratia*, idem valeat, quod *amore cuius*, docuerunt Gregor.in *Gregor, Herueus.* 1.dist.1.q.1.art.2.in probatione primæ conclusionis lit. P. Herueus quodlib. 2.

q.1.

q.1.art.2.fol.34.col.4.§.*Primo sic*,& §.*Ex his ergo*. Et rursus fol.35.col.4.§. *Ad tertium*. Idem repetit in eodem quodlib.2. q.8.art.1.fol.48.col.3. post principium: quibus in locis contra nonnullos latè defendit hanc interpretationem. Quã sæpissime supponit Gabriel in 2. dist.1. q.5.art.1.Corol.5.lit.B.in fine;& notabili 1.lit.F. Satis eam insinuat Ochamus 2.q.3.art.1.lit.C.in medio, & art. 2.lit. G. Eandem expressit Ferrariensis in 1. cõtra gent.cap.44.§.*Sciendum* 2.Expressius Fonseca in 5.Metaphy.cap.2.q 10. sect.2.§.*Minor est dubitatio, Quod verò obiectum est*.Medina 1.2.q.1. art. 1. §. *Quæstio alia solet moueri*,Cumelius 1.p.q.5.art4.q. 2.concl.2.Iauellus in 5.Metaphysi. q. 5. concl.1.Ibi Soncinas q. 2. in 1.ratione, Alphonsus à vera Cruce in 2.Physi.speculatione 3.fol.82.col.1. Benedictus Pereira lib.8. de principijs rerum naturalium cap.2.ante finem, & cap.3. in fine, & nouissimè Bellomontanus 1.2.disp.3. cap.2.post principium.

Gabr. Ochanus Ferrarien. Fonseca, Medina. Cumel. Iauellus. Soncinas. Alphõsus à vera Cruce, Pereira.

Quo in loco ex eo hanc expositionẽ confirmat,quoniam nisi ita explicetur, non satis explicari poterit motio metaphorica,qua finis omnium consensu dicitur finaliter caussare. Etenim, vt ait, ad motionem metaphoricam non satis est,quod finis absolutè moueat voluntatẽ agentis eã ad se alliciendo; & trahendo: quoniã quodlibet obiectũ mouet suam poãm, & facultatẽ alliciendo eã ad se: inde enim est,vt quælibet poã cõsentaneè ad suã naturã in suum obiectũ feratur,& operetur:& tũ non omne obiectũ dicitur mouere suã potentiam motu metaphorico. Igitur ea ratione dicet finis motione metaphorica mouere voluntatem agentis ad agendum; quia eã mouet mediante suo amore.

13 2.fundamẽtum.

Secundo eãdem sententiã Bellomõt. in d.disp.3.cap.2.à posteriori putat esse demõstratã;quia sequeretur bruta animantia,dũ amore feruntur in bonũ agere propter finẽ: ita vt talis amor sit ab illo bono tanquã ex fine verè in illũ influente.Cõsequens tñ est falsum,vt inferius ostendemus.Sequelã ex eo probat; quoniã sicut homo mouetur in bonum propter ipsum bonũ ab eo scilicet allectus,& attractus: ita etiã bruta quando appetunt bonũ delectabile, feruntur in ipsum bonũ propter ipsum: etenim feruntur in illud allecta ab ipsa obiecti bonitate.Sed satis est voluntatem ferri in bonũ propter ipsum, vt dicatur agere propter finẽ: ergo hoc ipsum satis erit, vt bruta propter finem verè,& propriè dicantur agere, quæ fuit sequela. Nec satis est (inquit Bellomõtanus)si respõdeas voluntatẽ ñ ex ea prẽcisa rõe agere propter finẽ;quia fertur in bonũ propter ipsũ,vt in argumento supponit:sed ideo prẽcise quia fertur in bonũ cũ cognitiõe boni, vt formaliter est bonũ,& cõueniens; quod sine cõpositione fieri non põt. Iã verò bruta etsi feruntur in bonũ propter ipsum bonũ,id est allecta ab ipso bono, nõ tñ feruntur in bonum cũ cognitiõe boni,vt formaliter est bonũ,& cõueniens;quia ad hoc necessaria est cõpositio.Quarebruta ferunt quidẽ in rẽ, quæ est cõueniens, & cõsentanea suę naturæ; non tñ quatenus est cõueniens,& cõsentânea; quia ipsã conueniẽtiam,vt est talis,non cognoscunt. Non inquã satis est hæc solutio (inquit Bellomontanus) quoniã bruta non feruntur in bonũ,nisi cognitũ formaliter sub ratione boni,& cõuenientis:quã cognitionem habent absq; vlla cõpositione per simplicẽ apprehensionẽ boni præsentati sibi sub ratione cõuenientis per species insensatas: etenim vt bonũ formaliter sub rõe conuenientis cognoscat, minimè opus est, vt cognoscatur relatio conuenientiæ, per quam formalitatẽ boni explicamus. Quod si semel admittatur bruta ferri in bonũ cũ cognitione rationis formalis boni;vrget argumentũ (inquit Bellomontanus:) eo enim necessariò euincitur ad causalitatẽ finalẽ nõ satis esse finem sua bonitate allicere volũtatẽ, vt in ipsũ proter ipsũ ferat:sed necessariò requri,vt ex amore finis velit aliquid ,ppter ipsũ finẽ.Quod nec brutis cõuenire põt,nec cõuenitvolũtati,vt simpliciter amore ferẽ in finẽ.

Tertiò eadem sententia cõfirmatur: quoniã finis nõ põt suam causalitatem exercere,nisi in actionem,ad quã agens á seipso mouet,& nõ ab alio extrinseco. Sed volũtas ad simplicẽ amorẽ finis nõ à seipsa mouetur,sed à principio extrinseco:ergo finis non potest exercere finalem causalitatem in illum amorem. Minor ex eo probatur; quia finis non exercet suã causalitatẽ, nisi in actionẽ, 3.fundamẽtum.

quam agens propter finem elicit: etenî cauſſalitas finalis nunquam datur ſine cauſſalitate agentis propter finem, vt omnes agnoſcunt. At nullũ agẽs põtage re, ppter finẽ, niſi à ſeipſo moueat in finẽ dirigendo ſcilicet, & ordinando in finẽ ſuam actionem: vt eſt cõmunis doctrina: ergo finis non põt finaliter influere, niſi in actionem, ad quã agens à ſeipſo mouetur: quæ fuit maior.

D Thom. D. Anſel. Ariſtot.

Porrò minor expreſſe aſſeritur à D. Thom. 1.2.q.9.art,4. & à Caietan. ibi, & à Thomiſtis cõmuniter. Quin potius eã aſſerit D. Anſel. de caſu Diaboli cap. 12. Satis eam probat Ariſt. lib. 7. Ethic. ad Eudemũ cap. 18. & lib. 2. Magnorum moraliũ cap. 8. dum docet primã bonã voluntatem eſſe ab aliquo exteriori principio, à bona ſcilicet fortuna. Et videt id ratione confirmari; quia nihil poteſt mouere ſeipſum ad agendũ, niſi agat ex conſilio, & deliberatione; quæ videtur eſſe cõmunis philoſophia: de qua D. Th. in d.q.9.ar.3. & ibi cõmuniter interpretes, probat Curſus Conimb. 2. Phy. cap. 6.q.2.art.2. nã, quæ ſine conſilio; & deliberatione agunt, nõ tam ſeipſa agere, quã a bilio agi cẽſenda ſũt; vt docuit Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 27. ſed volũtas amorẽ finis elicit abſq; vllo cõſilio, aut deliberatione; quia de fine non datur conſultatio ex Ariſt. 3. Ethic. cap. 3. tex. 22. & 2. Ethic, ad Eudemum fol. 1008. in princ. docet D. Tho. 1.2.q.14.ar.2. ergo voluntas ad amorem finis nõ mouet à ſeipſa, ſed à principio extrinſeco; quæ fuit minor. Cõcludendũ eſt igitur amorẽ finis nulla ratione dici poſſe effectũ finis pr out exercet munꝰ cauſſę finalis.

D. Thom. Damaſce. Ariſt. D. Thom.

§. 3.

Reſoluitur quæſtio pro vtraq; parte: ſed negans opinio probabilior aſtruitur.

16 NOs controuerſiã iſtam hac vnica concluſione dirimimus: vtraque opinio, affirmãs ſcilicet, & negãs eſt probabilis: mihi tñ longe probabilior videtur opinio, quæ negat. Prima pars huiꝰ aſſertionis ex eo facilè patet; quia vtraq; opinio doctiſſimos habet patronos, & vtriuſq; probabilitas argumẽtis hinc inde adductis, & ſolutionibus ſtatim adhibendis ſatis confirmatur.

Poſterior verò pars multis mihi ſuadetur: & primũ; quia inter recentiores eſt lõge cõmunior: nã præter Molinam, Curſum Conimb. & Suariũ; cęteris omnibꝰ, qui hac de re ſcripſerũt, vnanimi ferè cõſenſu placuit: nã eã probauerũt Fonſeca, & Bellomõ. quos ſupra citaui: & præter eos Medina. 1.2.q.1.art.1.§. *Alia quæſtio ſolet moueri*, & q.9.ar. 4. §. *Sed tota cauſſalitas finis*. Cumelius 1.p.q.5.ar.4. q.2. Notabili 3. & conl. 1. & 2. ſatis eam inſinuat 1.2.q.29.ar.2.diſp.3.ad 2. principale, dũ docet omne agẽs propter finẽ ſeipſum mouere ex appetitu, & amore finis: ex quo neceſſario infertur volũtatẽ amando finẽ non agere propter finẽ; quia ad illum amandũ non ſe mouet ex amore finis. In idẽ recidit Bañes 1.p. q.80. art. 2. dubitatione 1. quatenùs in 3. & 4. concluſione aſſerit finem, prout eſt in ſolo deſiderio, ſiue amore, non finalizare: ſed ſolũ prout eſt in intentione. Citari põt Sõcinas. 5. Metaph. q. 2. §. *Ex hoc probatur*, dũ ait, *finem eſſe id, cuius gratia, nihil aliud eſſe, niſi finem amatum mouere ad amorem aliorum.* Accedat & Iauellus in 5. Metaph. q. 5. cõcl. 1. dũ ait cauſſalitatem finis in eo eſſe poſitam, vt ſui amore, ſiue deſiderio moueat agentem. Omitto innumeros alios, qui in eandẽ ſententia m ſcribunt.

2. Cõfirmatio ſenten. negatiuę. Fonſeca. Medina. Cumel. Bañes. Soncinas. Iauellus.

Deinde moueor; quia ex ãtiquioribꝰ pro parte affirmante nullũ inuenio patronũ: cũ tamen pars negans pro ſe habeat quã plurimos Nam verbis expreſſis probata eſt Ochamo, Gregor. Gabr. Herueo, & Ferrarienſi, quos ſupra citauimus. Eandẽ expreſſè probauit Caiet. 1.2.q.9.ar.4. ad finẽ Cõment. dũ ait volũtatẽ ad 1. actũ non cõcurrere agẽdo propter finẽ. Quin potius hanc ſententiã mihi ſumo ex D. Thoma in Cõmen. ad 2. Phy. cap. 5. ad tex. 39. quo loco cõplacentiam in fine enumerat inter ea, quæ ab Ariſt. ibi dicũtur non fieri propter finem, ita inquiens: *Sed ſciendum eſt quod ea dicit non propter aliud fieri, quæ propter ſe fiunt: in quantum in ſe ipſa habẽt delectationem, vel honeſtatem, propter quam ſecundum ſe ipſa placent.* Vbi aduertendũ eſt, ea ab Ariſt. dici propter finẽ, quæ vel appetunt, vel fiũt propter finẽ. Quare hic eſt ſenſus diuiſiõis, quã ibi facit Ariſt. Eorũ, quę fiũt, vel appetuntur, quædam fiunt, aut appetuntur propter finẽ; quædam minimè. Quare cũ D. Tho. ea, quę fiunt

17 2. confirmatio. Ochamus, Gregor. Gabr. Herueus. Ferrar. Caiet. D. Thom. Ariſtotel.

fiunt, aut appetuntur propter se, enumeret inter ea, quæ non fiunt propter finē: vtiq; ex sententia D. Thomę. amor siue cō placentia in fine non fit propter finem. Quam etiā sententiam satis conuincit doctrina D. Thom. de Verit. q. 21. ar. 2. in principio, dū asserit de ratione finis esse vt sit appetitus, & desideratꝰ ab ijs, qui finem nondū attingūt: quasi nullā causalitatem finalem exercere valeat, nisi amatus sit, & ab agente desideratus.

D. Thom.

18

3. Cōfirmatio.

Tertio ex eo moueor; quia negantē partem satis videtur confirmare definitio finis: in qua illa verba, *cuius gratia*, idem valent ac, *cuius amore*, quę est communis ferè omnium explicatio, quam latè supra ostendimus: ita explicarunt Ochamus, Gregorius, Gabriel, Heruęꝰ, Ferrariensis, Medina. Cumelius, Soncinas, Iauellus, Benedictus Pereira, Fonseca, Bellomontanus, Alphonsus à vera Cruce, & plerique alij. Quam explicationem satis indicat D. Thom. in dicta q. 1. de Verit. ar. 2. dum ait de ratione finis esse, quod sit appetitus, & amatus. Satis etiam insinuat Albertus Magnus in 2. Physi. tract. 24. dum ait, *finem intentū mouere agens ad agendum: finis autem nō amatus non intenditur.* Et hunc esse verum sensum illorum verborum facilè colliges, si aduertas verba illa, *cuius gratia*, siue, *cuius causa*, si illorum significatio expendi debet, non idem valere quod, *cuius bonitate*; etenim nec verbum, *gratia*, nec verbum, *causa*, significant bonitatem: benè tamen amorem, & intentionē, qua agēs ad aliquid agēdū applicat: vt facile est colligere ex latinis dictionarijs. Quare si propia, & vera illorū significatio expē di debet; idē erit, *cuius gratia*, atq; *cuius amore*, siue, *cuius intentione*. At inquies verba græca Aristo in omnibꝰ locis, in quibus finē describit, solū habere, *finis est id propter quod cætera fiunt*: ita enim habet litera Græca τὸ οὗ ἕνεκα, quæ idem valent, atq; *propter quod*, quæ verba satis accōmodatè patiunt sensum aduersarijs probatū, vt ideo sit, *propter quod*, ac, *cuius bonitate*. Respōdemus verba quidem græca posse habere vtrūq; sensum: at nostrum ex eo iudicandū esse menti Aristo. magis accōmodatū, quod oēs Aristotelis versores iuxta nostrū sensū verba græca verterunt, vt finis sit id cuius gratia. Quæ verba iuxta propriam significationem, non significant bonitatē, sed amorem ipsius bonitatis.

Ochamus
Gregor.
Gabr.
Herueus.
Ferrarien.
Medina.
Cumel.
Soncinas.
Iauellus.
Pereira.
Fonseca.
Alphōsus à vera Cruce,
D. Thomas
Albertus Magn.
Aristot.

Obiectio.

Solutio,

Postremò accedit, quoniā argumēta partis negātis longe sunt vrgentiora, & magis cum principijs veræ philosophię consentanea, quàm argumenta partis affirmantis, vt in solutione eorū aduertemus. Superest vt argumēta partis affirmantis primo loco dissoluamus.

Postrema cōfirmatio.

§. 4.

Pro opinione negante soluuntur argumenta, quæ pro affirmante obijciuntur.

19

ARgumenta, quę contra opinionem negantē adducuntur, facilè soluētur; si statuamus finē suā causalitatē exercere nō posse, nisi vt amatū: ita vt amor finis sit quid prērequisitū, vt finis suā causalitatē exerceat. Quo fundamentū pro parte negante defendēda cōstituunt Ochamꝰ, & cæteri, quos pro ea citauimꝰ: qui oēs ita definitionē finis interpretantur, vt illa verba, *cuius gratia*, idē valeāt quod, *cuius amore*. Quod fundamē tū ideo mihi videt probabilissimū; quia illud satis euidēter declarat D. Tho. de Verit. q. 21. art. 2. dum ait: *De ratione finis esse, vt sit appetitus, & desideratus ab ijs, qui finē nondum attingunt.* Id etiā declarat D. Tho. 1. 2. q. 28. art. 6. quo in loco ex eo, quod finis est bonū amatū cōcludit ōne agēs agere ex aliquo amore. Vbi id etiā confirmat ex Dionysio cap. 4. de diuinis Nominibus affirmante, *omnia agere quæcūque agunt propter amorē boni.* Euidētius adhuc id significat D. Tho. in 3. dist. 27. q. 1. art. 1. dum cōcludit, *amorem esse amanti principium operandi.* Ex quibus euidenter constat fundamentū, quo hęc nitituropinio satis esse de mente D. Thomæ, sumique ex D. Dionysio.

D. Thom.
D. Thom.
D. Dionys.

20

Dubitatio.

Siquis quærat, an amor finis concurrat ad causalitatē finalē, vt ratio formalis finalizādi; an verò, vt sola cōditio finalizātis? repōdendū est quæstionem nō carere dubitatione. Mihi magis placet solū concurrere vt conditionē finalizātis, sicut cōcurrit cognitio eiusdem finis, vt in superioribus latè diximꝰ; etenī rationes, quibꝰ id de cognitione ostēdimus, idē cōuincunt de amore: nā nec Arist. nec D. Thomas præter bonitatē aliquid desiderarūt, vt res, quę est finis, fieret in actu primo finalizandi. Et merito: quoniam cum esse amatum nihil aliud ponat in re, quæ est finis, nisi

Responsio.

relationem rationis, aut denominationem quandam extrinsecam sumptã ab amore; nullam potest illi tribuere efficaciam ad causandũ, qua constituatur in actu primo causæ finalis. Quod inde etiam cõcluditur, quoniam esse amatũ, sicut & esse cognitum nihil ponit in re, quę est finis, nisi quandam existentiam obiectiuam in voluntate. Existentia autem, siue realis sit, siue obiectiua, non potest esse ratio formalis causandi. Vide quæ de cognitione diximus.

21 Solutio Primi argumẽti affirmatiuę partis, iũx quorundã sentẽtiã,

His prœmissis accedamus ad solutionem argumentorũ. Ad primũ facilis est solutio apud eos, qui putant primũ voluntatis actum, quatenus fertur in finẽ, qui in quocũq; negotio primũ voluntati offertur, non esse actũ liberum, sed necessariũ, tam quoad specificationẽ, quã quoad exercitium. Hac supposita opinione negãdum est actum illum esse humanum secundũ considerationem moralẽ, secundũ quam Theologi de actu humano loquuntur: omnis enim actus humanus debet esse liber saltẽ quoad exercitiũ, vt inferius ostendemus. Ad argumentum igitur neganda erit minor.

Alia solutio iuxta aliorũ opinionẽ

Maior erit difficultas, si cum cõmuniori sententia dicamus primum volũtatis actum, quo fertur in finem, esse actum liberum, saltem quoad exercitiũ: maximè si simul admittamus omnem actum liberum esse actum humanũ. Hac enim posita sententia amor finis, cum sit actus liber, erit actus humanus. Iam verò omnem actum humanum esse propter finem expressè docet D. Thom. 1.2. q. 1. art. 1. in vltimis verbis. Cui difficultati occurrere debuerat Bellomontanus, cui negãs ista opinio probata fuit. Nec video quomodo sufficienter possit huic difficultati satis fieri, nisi vel negãdo omnem actum liberum esse humanũ; vel negando omnem actum humanum esse propter finem. Vtraque enim assertio suam habet probabilitatem. Ad argumetum igitur, vel neganda est maior, iuxta hanc posteriorem sententiã: vel neganda est minor iuxta priorem. Quod horum sit veriusvide lib. 2. q. 2.

D. Thom.

22 Solutio. 2. De qua inferius q. 16. ar. 5. & lib. 2. q. 2. ar. 2.

art. 2.

Ad secundum negandum est antecedens iuxta probabiliorem sententiam, quam latè defendemus in quæstione, vtrũ omnes hominis actiones sint propter finem, & ibi explicabuntur, quę in confirmationem illius adducũtur. Nũc breuiter ad primam confirmationem neganda est sequela; quia, vt aliquid temere non fiat, nec à casu, non necessariò requiritur, quod verè fiat propter aliquem finem: sed satis est, quod fiat cum cognitione, aduertentia, & ordinatione intellectus dirigentis volũtatem ad illud: hoc autem conuenit voluntati tendenti in finem: quanuis enim in illum non tendat, eo finaliter causante talem tendentiam: tendit tamen in illũ cũ cognitione, & aduertenti a bonitatis.

1. Cõfirmationis solutio.

23 2 Cõfirmationis solutio.

Ad secundam confirmationem antecedentis negandum est voluntatem, dũ volendo fertur in finem, seipsam agere in eum: etenim vt voluntas dicatur seipsam agere ad aliquam operationem: necesse est, vt seipsam agat per impulsũ à seipsa sibi impressum vt ex D. Thoma, & veriori sententia explicat Bellomontanus 1.2. disp. 38. cap. 3. num. 10. Talis autem est amor finis, qui voluntati est primum, & proximum mouendi principium, vt ex D. Dionysio cap. quarto de diuinis Nominibus docet D. Thom. 1.2. quæstione 28. artic. sexto, & in tertio distinct. 27. quæstio. prima, articulo primo. Vide D. Thomam 1.2. quæst. 9. artic. quarto, & de malo quęstio. sexta, artic. primo in corpore. Quare cum voluntas non dirigat se in finem ex amore finis, sed ex naturali inclinatione in bonum sibi naturaliter impressa, non dicetur seipsam agere in finem: sed agi in eum, vt ex sententia D. Thomę, & D. Anselmi suo loco ostendimus.

D. Thom.

Dionysius D. Thom.

24 Soluitur 3. Cõfirmatio

Ad tertiam confirmationem negandum est actionem amoris, quem voluntas primo elicit circa finem, esse, pendereque ab obiecto voluntatis sub ratione finis formaliter, hoc est sub ratione finis prout exercet causalitatem finalem: solùm enim pendet ab eo sub ratione finis fundamentaliter, siue materialiter sumpti: est enim ab eo sub ratione boni, & conuenientis, quod non satis est vt dicatur esse ab illo, prout est formaliter finis: nam vt bonum constituatur in actu primo causę finalis necessariò requirit, quod sit amatũ, vt ex fundamẽto prœiacto est videre. Nec oppositũ docuit D. Thom. 1.2. q. 1. ar. 1. vt in prœcitata quęstione latius ostẽdemus.

Tandem

25 Vlt. confirmationis solutio.

Tandem ad postremam antecedētis confirmationem admittimus actionem amoris elici á voluntate, præuia cognitione finis, quocunque modo cognitio finis ad illum amorē concurrat: de hoc enim est inter auctores cōtrouersia; cuius resolutio ad institutū parum refert: siue enim concurrat efficienter, vt pleriq; volunt: siue formaliter, vt alij malunt; nunquam tamen efficit, vt bonum cognitum concurrat vt caussa finalizatiua illius amoris: nec oppositum docuit Diuus Thomas, vt suo loco dicemus.

26 Solutio tertij argum. principalis.

Ad tertium argumentum negandum est antecedens, quanuis aduersarijs videatur non esse negandum; in quo apertissimè petunt principium; nam cū tota huius quæstionis controuersia posita sit, an volitio finis pendeat à fine, vt à caussa finali; non est, quod illud antecedens, tanquam indubitatum proponat. Nec illius probatio vim habet; quoniam admittimus voluntatem elicere volitionem, & amorem finis attractam, & allectam à fine, quatenus est quoddā bonum propter se diligibile: inde tamē non infertur voluntatem elicere eam propter finem, vt est caussa finalis: ad hoc enim necesse erat, vt voluntas eam eliceret attracta, & allecta ex amore finis: in qua sola tractione posita est caussalitas finalis apud auctores, qui partē negantem defendunt: est enim de ratione finis, vt non nisi amatus finalizet, vt ex D. Thoma, imò potius ex D. Dionysio ostendimus. Quorum opinio non gratis fingitur, sed probabilissimo nititur fundamento: nam cum proprium sit agentis propter finem (vt nunc de illo loquimur) agere se in finem, vt docet D. Thomas receptus 1. 2. quæstio. prima, articul. secundo, vtique finis suam caussalitatem exercere non poterit, nisi in actionem, ad quam agens non ab alio, sed à se ipso moueatur: id quod inter Philosophos, & Theologos esse notissimum cum D. Thoma suo loco ostendemus. At constans est Doctrina D. Thomæ à doctissimis Theologis recepta voluntatem tūc demum se in finem agere, cum ex amore finis aliquid operatur, vt expressis verbis docet D. Thom. 1. 2. quæstione nona, artic. 4. & de Malo quæst. 6. art. primo, & prius docuerat D. Anselmus de casu Diaboli cap. 12. & ex recentioribus idem asseruit Bellomontanus 1. 2. disput. 38. num. 10. Quod si voluntas non potest agere propter finem, nisi ex amore finis aliquid agat; necessariò infertur caussalitatem finalem formaliter esse positam in motione, & tractione voluntatis à bonitate finis, non quidem simpliciter sumpta (vt aduersarij volunt) sed, vt amata, vt ex D. Dionysio, & D. Thoma sæpius aduertimus.

D. Thom.

D. Thom.

D. Ansel.

Ex qua doctrina colligitur duplicem 27 distinguendam esse voluntatis tractionem à bono sibi obiecto: vnam simplicem, qua voluntas simplici volitione cō placentię tendit in finem: alteram, qua voluntas in illum tendit cum ordine ali quo, & respectu ad illius consecutionē. Cum verò ratio finis, vt induit rationē finalis caussæ, intrinsecè includat respectum, & ordinem ad consecutionem sui ipsius (est enim finis id, cuius consequē di gratia aliquid fit): hic autem respectus, & ordo non includatur in priori tractione, quæ fit à bonitate vt solùm cognita, sed solùm in posteriori, quæ fit à bonitate, vt iam amata; necessariò infertur bonum prout solùm est cognitum, non posse exercere caussalitatem finalem; sed solùm vt est amatum. Et ratio est; quia voluntas ad bonum, vt solùm est cognitum, non à se ipsa mouetur, sed ab alio, vt diximus: cum tamen ad illud, vt iam est amatū, seipsam moueat ad tale bonum, & propter tale bonū. Quæ omnia suo loco diligentiùs explicabuntur. Hęc enim diximus, vt ostendamus argumentum in hoc deficere, quòd tanquam certissimum supponat formalem rationem finis, vt est caussa finalis, solùm esse positam in motione, & tractione voluntatis à fine cognito, quatenus est bonū quoddam per se, & propter se diligibile: hoc enim inter auctores nec est omnino certū, nec indubitatum.

28 Solutio 4. argumenti.

Ad quartum respondetur in eo apertissimè committi fallaciam à pluribus caussis ad vnā caussam, si in antecedente sit sermo de caussalitate abstrahēdo ab hoc, vel illo caussalitatis genere. Nā ex eo quòd amor finis absolutè est caussat° ab obiecto; infertur illum caussatū esse in genere caussæ finalis: quæ est falla-

cia à pluribus cauſsis ad vnã cauſſam: etenim poterat amor ille cauſſari ab obiecto, vel in genere cauſſæ efficientis, vt pleriq; putant: vel in genere cauſſæ formalis illum ſpecificando, vt alij exiſtimant. Quod ſi antecedens ſumat amorem finis eſſe cauſſatum à bonitate finis in genere cauſſę finalis: iam apertiſsimè petit principium; quia poſtulat ſibi concedi id, in quo poſitus eſt ſtatus controuerſię. Quare cũ ſine probatione antecedens illud ſumatur tanquam verum, euidenter patet argumẽti inefficacia.

29 Quin potius ſi diligenter attẽdamus argumentum ſuo ſe iugulat gladio; dum ſumit amorem finis eſſe propter ipſum finem; non quidem extrinſecum, ſed intrinſecum: vt potè quia ad ipſum finem, propriamque illius bonitatem immediatè terminetur: inde enim infertur amorẽ finis non pendere à fine tanquam à cauſſa finali: nam cum finis inter cauſſas effectui extrinſecas enumeretur, non poterit finalizare, niſi prout eſt extrinſecus actui quem finalizat. Nec fundamentum, quo nititur Suarius in dicta diſputat. 23. ſectio. 3. num. 11. aliquid efficit; quoniam intentio (quam eſſe verum finis effectum ſuperius admiſim⁹) licèt terminetur ad ipſũ finem, propriamque illius bonitatem: tamen non terminatur ad ipſam abſolutè, & præciſè ſub ratione bonitatis: ſed ſub ratione bonitatis vt acquirendæ: ob quam rationem intentio finis aliquo modo ſortitur rationem medij, & eſt veluti quædam inchoatio acquiſitionis, vt idem Suarius fatetur ibi numero 12. Quare immediatum, & intrinſecum obiectum intentionis (quæ eſt actus voluntatis) eſt res, quæ eſt finis, eiuſque bonitas, vt acquirenda. Cum verò voluntas ad hunc actum eliciendũ moueatur ex amore finis (nec enim voluntas intenderet finem acquirere, niſi illum amaret:) hinc eſt vt ipſe finis, eiuſque bonitas abſolutè ſumpta ſit finis extrinſecus intentionis: etenim ideo intendit finem acquirere, quia finem in ſeipſo amat. Argumentum igitur multiplicem patitur defectum.

Soluitur ad uerſarii argumentum.

30 Ad quintum negari debet antecedẽs ab ijs, qui putant volitionẽ finis, prout primo fertur in finem, eſſe actum neceſſarium, & quoad ſpecificationẽ; & quoad exercitium: quoniam illa virtualis reflexio actus in ſeipſum ſolùm concedenda eſt in actibus liberis, & nullo modo in actibus neceſſarijs, vt contra Suarium huius argumenti auctorem latè oſtendimus in diſputationibus noſtris de voluntario, & inuoluntario: vbi pro noſtra ſententia citauimus Caietanum 1. 2. quæſt. 9. artic. quarto, §, *Scito ſecundo* & Bellomantanum latè id diſputantem ad primam ſecũdæ, diſp. 23. cap. primo, numero ſecundo, & cap. 2. num. 4. & 5. & cap. tertio, numero 16. imò etiam D. Thom. 1. 2. quæſt. 9. artic. 4. & quæſt. 16. artic. 4. ad tertium, & q. 17. artic. quinto ad tertium, & Scotum in quodlib. q. 16. articulo primo lit. D.

Caiet. *D. Thom.* *Scotus.*

Admittendum tamen eſt antecedẽs, ſi cum alijs ſentias amorem finis eſſe actum liberum: quia in actibus liberis datur illa virtualis reflexio, de qua agit in antecedẽte. Sed planè non video, quo modo inde inferri poſsit, amorem finis eſſe propter finem, tanquam propter cauſſam finalem: nec enim ratione formæ, nec ratione materiæ poteſt vim habere talis conſequentia. Non quidem ratione formę; quia vim habere non poteſt, niſi quis dicat, actum eſſe virtualiter volitum per volitionem virtualiter reflexam cadẽtem ſupra ipſummet actum, conuincere actum ipſum eſſe propter finem; quaſi ſic fiat ſyllogiſmus: actus virtualiter volitus eſt propter finem; ſed amor finis eſt virtualiter volitus: ergo eſt propter finem. In quo ſyllogiſmo maior ſine vllo fundamento ſumitur: nam cum nihil ſit propter finẽ niſi ſit volitũ ex amore finis iuxta noſtrum fundamentum ſæpius repetitum: poſsit autem dari actus virtualiter volitus, qui ex amore finis non ſit volitus: ipſe nimirum actus primus voluntatis immediatè tendens in finem, non erit à nobis concedenda, ſed neganda potius illa maior.

Quin potius melius philoſophabitur, 31
qui dixerit actum eſſe virtualiter volitũ nihil immutare de natura ipſius actus. Quod ex eo fundari poteſt: quia voluntas eodem modo mouetur ad actum virtualiter reflexum, quo mouetur ad actum directum, & virtualiter volitum: nam ſicut bonum ſua bonitate

mouet

Solutio quĩti.

mouet voluntatem ad eliciendum actũ amoris, ita etiam eandem mouet, vt virtualiter velit illum actum. Simili modo sicut bonum amatum mouet voluntatem ad eligendum medium; ita etiam mouet eam, vt velit medium eligere. Quare actus virtualiter reflexus eandẽ causſalem dependentiã ab obiecto habebit, quam habet ipſe actus directus, & virtualiter volitus. Quare actum eſſe virtualiter volitũ nihil immutat de natura ipſius actus. Et ſubinde melius philoſophabitur, qui dixerit actum virtualiter reflexum pendere ab obiecto in genere cauſſę finalis, cum actus, ſupra quẽ cadit, finaliter ab eo dependet: non dependeret autem; ſi ille ſimiliter non haberet finalem dependentiam. Quare cum dubium ſit, an amor finis pendeat à fine in genere cauſſæ finalis; vtique dubium etiã erit, an reflexio ipſius amoris ſimili modo pendeat à fine.

Sed nec conſequentia valere poteſt ratione materiæ: nam ſi ratione materiæ firma eſſet, vtique ex eo eſſet, quia actus amoris circa finem non alia de cauſſa eſt virtualiter volitus, niſi vt voluntas per illum vniatur obiecto, quod videtur denotare dependentiam finalem. Sed hoc non firmat illã conſequẽtiam; quia reſpondemus vnionem illam voluntatis cum obiecto eſſe finem operis, non tamen voluntatis operantis: nã cum ad talem actum, & vnionem volũtas non ſe ipſam moueat, ſed à Deo moueatur, vt cum D. Thoma ſupponimus; vtique talis vnio non erit finis propter quem voluntas operatur (nec enim operatur ex amore illius vnionis) ſed ſolũ erit finis operis intentus à Deo voluntatem dirigente; Deus autem ideo voluntatem naturaliter ad illum actum inclinauit, vt per illum actum vniretur cũ bono cognito.

32 Solutio ſexti argum.

Ad ſextum argumẽtum ſumptum ex communi modo loquendi reſpondetur veras eſſe communes illas locutiones, nempe nos amare finem propter ipſum finem, & propter ſuam bonitatem: negamus tamen aduerbium, propter, in illis locutionibus denotare cauſſalitatẽ finalem exercitam erga actum ipſum amoris, quia ſolùm denotat rationem volendi, cum bonitas ſit ratio formalis volendi finem, quod ſatis eſt, vt voluntas verè dicatur amare finem propter ipſum finem. Et licèt particula, propter, communiter denotet cauſſalitatẽ finalem: tamen non ſemper eam denotat, ſed interdum cauſſalitatem aliarũ cauſſarum, vt expreſſè docet D. Thom. de potentia q. 5. ar. 5. in quinta illius articuli quæſt. ad 3. & ſatis inſinuat Ariſt. 2. Phy. cap. 7. tex. 68: dum definiens cauſſam in tota ſua communitate inſinuat, *Cauſſam eſſe id, propter quam res eſt*: hanc enim definitionem cauſſæ in communi colligunt omnes interpretes. Si verò interroges quando particula (propter) verè denotet cauſſalitatem finalẽ? Reſpondebo tunc eam denotare, cum relata ad voluntatem denotat eam hoc velle, quia vult illud. Quod inſinuat D. Tho. 1. p. q. 19. art. 5. in fine corporis, dũ ait: *Voluntatem, quæ aliquid vult propter finem, non ita ſe habere, vt velit hoc eſſe propter illud, ſed ita potius, vt velit hoc, quia vult illud*; ita vt duo actus interueniant, quorum vnus ſit cauſſa alterius, vt expreſsis verbis declarat in corpore illius articuli. Hoc ipſum explicauit Bellomontanus 1. 2. diſp. 4. cap. 4. ad primam rationem, ſatis conſentaneè ad fundamentum ſuperius iactum: nam cum finis non finalizet niſi vt volitus, & amatus; tunc voluntas dicetur aliquid velle propter finem, cũ illud vult, quia vult finem. D. Thom. D. Thom.

Ex quibus euidẽter deducitur in hac propoſitione, voluntas amat finẽ propter ſe, particulam (propter) non denotare cauſſalitatem finalem, quia cõſtat voluntatem non elicere amorem finis ex præcedente volitione bonitatis eius: alioquin amor finis non eſſet primus actus, quo voluntas tendit in finem, vt ſupponimus. Denotabit igitur ſolam negationẽ incluſam in habitudine, quã finis habet ad ſuam bonitatem: quatenus ita eſt volitus propter ſuam bonitatem, vt in illo ordine ſit volitus independenter à bonitate alterius, per quã bonitatis independentiam res, quæ eſt finis, primò conſtituitur in eſſe finis: quia ex ea habet vim vt gratia ſui poſſit alia finalizare. 33

Secundo ex dictis colligitur Deum, quando à nobis amatur propter ſe ipſum; non exercere cauſſalitatem finis reſpectu talis amoris: quidquid in argumento oppoſitum ſine fundamento

supponatur: sed per talem independentiam constituitur in actu primo, proximaque potentia, vt possit actiones nostras finalizare propter se. Quomodò autem talis amor sit meritorius, statim explicabitur.

34 Septimi argumenti solutio.

Pro solutione septimi argumenti aduertendum est in proposita difficultate non inquiri, an amor finis debeat dici effectus alicuius causæ finalis: sed solùm inquiri, an debeat dici effectus ipsius finis *cuius*: ita vt ipse finis *cuius*, v. g. sanitas, exerceat suam finalem causalitatem in ipsum sui amorem, sicut eam exercet in alios voluntatis actus, qui ad ipsam sanitatem intrinsecè, vel extrinsecè terminantur. Quare licèt admittamus amorem finis *cuius* simul cum ipso fine ordinari ad finem *cui*, tanquam ad causam finalem sui, non proinde inferri potest amorem illum finaliter dependere à fine *cuius*, v.g. à sanitate. Ratio discriminis est; quoniam amor sanitatis nullo modo potest causari à priori aliquo amore, quo voluntas in sanitatem tendit. Oppositum cernitur in eodem amore sanitatis, si conferatur cũ amato, qui est finis *cui*: hic enim amor verè, & realiter causari potest ex amore, quo amatur Petrus, tanquam finis *cui*: nam licèt amor ille sit vnus, & idem actus, qui terminatur & ad sanitatem, vt bonum volitum, & ad Petrum, cui illud est volitum; tamen ille idem actus amoris, quo volo sanitatem Petro, verè causatur ex amore, quo absolutè amo Petrum: etenim ideo volo sanitatem Petro, quia Petrum absolutè amo. Cum igitur & amor sanitatis, & sanitas ipsa amata, verè ex priori amore causetur; poterit quis dicere, nec sine probabilitatis apparentia, amorem sanitatis pendere à Petro tanquam à vero fine *cui*: non tamen pendere à sanitate tanquam à fine *cuius*, idque propter rationem discriminis allatam. Quare etiamsi argumentum concluderet, nihil tamen concluderet contra nostrã resolutionem: quod aduersarij non aduerterunt.

35 Alia eiusdẽ argum. solutio.

Posset secundò dissolui argumentum negatione antecedentis, iuxta sententiam, quæ negat finem *cuius* ordinari ad finem *cui*, tanquam ad veram causam finalem. Quam sententiam tanquã probabiliorem defendimus supra q.2. ar.3. §.2.n.5. Quod si sanitas v.g. non amatur propter Petrum, tanquam propter verum finem; vtique nec amor sanitatis pendebit à Petro tanquam à vera causa finali. Fatemur amorem finis *cuius*, v. g. sanitatis aliquo modo dirigi ad finẽ *cui*, nempe ad Petrum, vt benè aduertit Fonseca in 5. Metaphy. cap. 2. q. 10. sect. 2. §. *Huic dubitationi*: negamus tamen ordinari in illum tanquam in verum finẽ: nam cum ordinetur ad illum, vt perfectio, & bonum eius, vtique ordinabitur ad eum, tanquam ad subiectum perfectibile. Nec valet: sanitas concupiscitur Petro: ergo ordinatur ad Petrũ tanquam ad finem, vt benè annotauit Caiet. 2.2.q.17.art.5. §. *Ethic incipit*: vbi docet non esse idem concupiscere alicui, & concupiscere propter illum. Quæ resolutio ex eo cõfirmatur: quoniam eodem numero amore, quo amatur sanitas, amatur Petrus: illa quidem amore concupiscentiæ; hic autem, amore amicitiæ. Fieri autem nequit, vt voluntas, quando mouetur ex causalitate finis, vno, & eodem actu terminetur in finẽ, & in id, quod est ad finem, vt docet D. Thomas receptus 1.p.q. 19. art. 5. & est communis philosophia. Fieri igitur nõ potest, vt Petrus vllam exerceat causalitatem finalem erga amorem, quo sanitas illi amatur.

Fonseca. *Caietan.* *D. Thom.*

36

Sed respondebit aliquis amorem sanitatis volitæ Petro, licèt non causetur ex ipso amore, qui terminatur ad Petrum, vt argumentum concludit: causari tamen ex alio amore realiter distincto, quo Petrus absolutè amatur, & qui illi est ratio, vt ei cõcupiscatur omne bonum conueniens: ratione cuius amoris antecedentis & sanitas, & illius volitio veram habet finalem dependẽtiam ad Petrum absolutè amatum. Dicendum est amorem sanitatis, quæ est bonum quoddam particulare volitum Petro, verè, & realiter causari ex amore, quo Petrus absolutè amatur: causari tamen non in genere causæ finalis, sed efficientis: ratio est, quia vnus actus amoris potest efficienter causari ab alio amore præcedente, vt patet: non potest tamen causari finaliter, nisi á bono, quod est obiectũ præcedentis amoris: etenim amor sanitatis nõ est causa finalis,

finalis, aut medicinæ, aut volitionis ei⁹, sed ipsa sanitas. Iam verò in proposito casu bonum particulare sanitatis, quod ego volo Petro, non potest finaliter dependere à bono communiter, & in genere sumpto, ad quod amor antecedēs Petri terminatur. Quod ex eo probari videtur, quia finis debet, vel realiter, vel modaliter distingui distinctione disparata ab eo, quod est ad finem: nec satis est distinctio oppositionis subalternatæ, quę datur inter superius, & inferius: iam verò bonum, ad quod amor præcedentis amoris terminatur, distinguitur à bono sanitatis, quæ amatur Petro tanquam superius ab inferiori.

37 Octaui argumenti refutatio.

Ad octauum argumentum, vt respōdeamus, prænotandum est, hoc loco nō inquiri de cognitione finis; an scilicet illa concurrat ad primum voluntatis actum (ad amorē inquam finis) vt caussa illius; sed sermonem esse de ipso fine, siue bono, quod est obiectum voluntatis: de hoc enim solo dubitatur, an concurrat ad actum amoris finis, vt caussa finalis: nullus autem dixit cognitionem finis concurrere ad actus voluntatis in genere caussæ finalis, vt quod: licèt enī non defuerint, qui dixerint cognitionē finis esse rationem formalem finalizandi (quam sententiam superius impugnauimus:) nullus tamen vnquam dixit cognitionem finis esse caussam finalem, quæ cū re, quæ est finis, simul exerceat caussalitatem finis.

Hoc supposito, argumentum, quo aliqui putant se rem obtinuisse, non vno, sed multis modis refringi potest. Vno modo negatione maioris: falsum enim est finem metaphoricè mouere voluntatem ad amorem finis: quod satis significauit Ochamus in 2. q. 3. lit. G. §. *Dico quod si amor*, & post eum Bellomont. in 1. 2. disp. 3. cap. 2. in principio, dum explicat opinionem Gregorij, & ad vltim. argum. Quæ sententia satis erit firma, si existimas finem ad suum amorem cōcurrere in genere caussæ efficiētis: quæ fuit opinio doctissimorum virorum; eā inter recentiores probauit Fonseca in 5. Metaphy. cap. 2. q. 10. sect. 2. §. *Quod verò obiectum est*, & Iauellus ibi q. 6. ar. 3. ad 2. argum. Ex antiquioribus id docuerunt Ochamus vbi supra, & Gabr. in 2. dist. 1. q. 5. art. 1. lit. F. §. *Si diceres*, Herue⁹ quodlib. 1. q. 8. fol. 17. col. 1. post mediū. §. *Vnde sciendum est*, & quodlib. 2. q. 1. fol. 36. col. 1. in fine. Hac verò opinione supposita concedendum est finem ad amorem sui non cōcurrere motu metaphorico, sed verò influxu, & reali actione: nam motio caussæ finalis ex Arist. 1. de Generation. cap. 7. tex. 55. ideò dicitur metaphorica; quia cū verè non sit motio actiua, explicari non potest, nisi ad modum motionis actiuæ, vt latè superiꝰ ostendimus. Quare qui in fine respectu sui amoris agnoscunt veram motionē actiuam, non possunt illi nō negare motionem metaphoricam.

Prima solutio. — Ochamus. — Fonseca. — Iauellus. — Ochamus. Gabr. — Herueus. — Aristot.

38 2. Solutio.

Alio modo incedit Bellomontanus, nec longè à mēte Ochami; vterque maiorem illam negandam esse censet: quia volunt motionem caussę finalis ideò dici metaphoricam; quia finis non mouet per se ipsum, suamque intrinsecam formam, vt mouet caussa efficiens, sed per sui amorem, ac desiderium: finis enim ideo mouet, quia amatus est, ac desideratus: motio autem amoris, & desiderij non est realis, sed metaphorica. Quare cum finis ad amorem sui non moueat mediāte alio amore (daretur enim abitio in infinitum) sed moueat immediatè per suam intrisecam perfectionem, & bonitatem: hinc est, vt finis ad sui amorem non possit voluntatem metaphoricè mouere. Meritò igitur neganda est maior argumenti, cuius probatio nullam videtur habere vim, si Bellomontano credimus: etenim ad motionem metaphoricam non satis est potētiā ab obiecto trahi, alliciuè (quia omnis potentia animæ, & facultas trahitur, & allicitur à suo obiecto, cum quęlibet operetur circa illud consentaneè ad suam naturam) & tamen non omnis facultas animæ metaphoricè mouetur à suo obiecto. Igitur ad motionem metaphoricam non satis est quod voluntas ab obiecto, & fine alliciatur, & trahatur: sed vlterius requiritur, vt obiectum per sui desiderium, & amorem eā alliciat, & trahat: hoc autem modo finis non trahit voluntatem ad amorem sui, vt iam diximus. Hæc ad mentē Bellomontani dicta sunto.

39

Hæc prima solutio probabilis est, & defendi potest, imò defēdi debet ab ijs, qui putant finē efficienter mouere voluntā-

Fertur iudiciũ de præcedenti solutione.

luntatem ad amorem sui, quia motio verè actiua, & physica non potest esse metaphorica, vt ex Arist. iam diximus. At tamen nec opinio, quæ fini tribuit causalitatem efficientem respectu sui amoris, ab omnibus recipitur. Oppositum enim docet communior opinio inter Theologos, quã probarunt Capreolus in 2. dist. 25. q. 1. art. 3. ad 1. contra primam, & ad argumenta Heruei contra tertiam, fol. 241. col. 4. in principio, & Ferrarien. 1. contra Gent. cap. 44. §. *Licet autem vtraque opinio*, latè Bellomon. 1. 2. disp. 36. cap. 3. & 4. n. 17. & 21. videtur consentire D. Thomas 1. 2. q. 9. ar. 1. & 1. p. q. 82. art. 4. & de verit. q. 22. ar. 12. nec similiter ab omnibus recipitur illa sententia, quæ fini denegat motionem metaphoricam respectu sui amoris. Nã hanc motionem, esse metaphoricã admittit Ferrarien. vbi supra, quantunuis fini deneget finalem causalitatem respectu illius: cuius opinionem ego puto esse probabilissimã: existimo enim omnem motionem, quæ fit attrahendo, alliciendovè potentiam, esse metaphoricam, siue attractio illa fiat mediante amore, siue eo non mediante sola attrahentis bonitate: quidquid in oppositum doceat Bellomõtanus. Et in hoc potius sentio cum Suario in Metaphysica disp. 23. sect. 4. n. 80. asserente motionem dici metaphoricam, quæ fit ab obiecto trahente, & alliciente. Quod etiam satis explicauit Fonseca 5. Metaph. cap. 2. q. 10. sect. 4. in principio, & q. 12. sect. 3. pag. 159. in fine, in quibus locis metaphoricum motum semper declarat per motum allicientis, & trahentis. Quare cum finis ad sui amorem moueat volũtatem trahendo illam, & alliciendo, vt omnes agnoscunt; vtique concedendũ erit finem etiam ad sui amorem metaphoricè mouere voluntatem. Nec antiquiores aliam motionem tribuerunt fini respectu voluntatis, nisi metaphoricam, vt videre est apud Gandauensem 2. p. Summæ art. 49. q. 6. lit. L. & N. Alens. 1. p. q. 17. memb. 3. Scotum 1. sent. dist. 1. q. 4. ad secundũ principale. Consentiunt moderni, vt Soncinas in 5. Metaphy. q. 2. §. *Sciendum est secundò*, Cursus Conimb. in 2. Physic. cap. 7. q. 21. concl. 1. cum plerisque alijs. Nec audiendus est Bellomontanus, dum ait ad motionem metaphoricam non satis esse motionẽ, quæ fit alliciendo, & trahendo potentiam: nam cum præter concursum obiectiuum, quo concurrit ad specificandum actum voluntatis; concurrat etiã concursu distincto ratione bonitatis, & amabilitatis: bonum enim, vt bonum, amatur gratia sui: iam inquiram qualis nam debeat esse is concursus, & hæc motio, si nec est efficiens, nec metaphorica? Nec fundamentum quo nititur vim habet: quia falsum est cæteras potentias animi trahi, allicivè à suis obiectis: etenim isto modo trahere solùm conuenit obiecto voluntatis, idque ratione bonitatis; cui proprium est mouere alliciendo, & trahendo res ad se: obiecta verò aliarum potentiarum, vel concurrunt efficienter, vel solùm formaliter specificando tanquam formæ extrinsecæ.

Capreol. Heruæus. Ferrarien. D. Thom. Fonseca. Gandauensis. Alensis. Scotus. Soncinas.

41 Alia via soluitur idem argumentũ.

Quare melius soluemus argumentũ, si concessa maiore negetur minor, si illa intelligatur de fine, prout exercet causalitatem finalem: nam quanuis mouere attrahendo voluntatem solius sit finis; non tamen solùm conuenit fini, vt est causa finalis, vt opinio, quam defẽdimus supponit. Cuius doctrinam esse veram ex eo facilè intelliges, si expendas rem, quæ est bona, ratione suæ bonitatis inter alia, duo præcipuè consequi: vnum est, quod gratia sui ametur: alterum est, quod ipsius gratia amentur alia: vtraque enim ratio reperitur in fine ratione suæ bonitatis. Quæ duæ rationes ita ad bonitatem consequuntur, vt non disparatè conueniant; sed vna ex altera oriatur: nam ideo quia bonũ est amabile propter se, & solius sui gratia; consequitur, quod alia amentur gratia ipsius; & inde est vt prior habitudo sit posterioris fundamentum. Cum verò ratio formalis finis, prout est causa finalis, formaliter posita sit in sola posteriori habitudine, vt patet ex definitione finis; fit, vt prior habitudo non sit formaliter finalis causalitas, sed fundamentum causalitatis finalis. Cum verò bonitas sub priori habitudine habeat aliquem effectum erga voluntatẽ (est enim illius obiectum:) nullum autẽ habeat, nisi voluntatem allicere, & trahere ad amorem sui, vt omnes admittunt: & hunc effectum exerceat tanquã

ratio

ratio fundans finalem causſalitatem, vt iactum fundamentum probat: necessariò concedendum est allicere voluntatem, eamque trahere non solùm conuenire fini, prout exercet causſalitatem finalem; sed etiam prout in actu primo causſę finalis constituitur per priorem habitudinem, cuius oppositum assumebat minor, quam negamus. Et hoc modo optimè soluitur argumentum, quod Cursui Conimbricensi erat insolubile.

42 Noni argumenti solutio. Ad nonum argumentum respondet Bellomontanus in dicta disp. 3. cap. 30. Ad primam rationem: sed facilius solues ex his, quæ diximus: admittimus enim in ratione finis illa duo includi: negamus tamen munus causſæ finalis in vtroque formaliter reperiri: nam quanuis (bonum amari propter se) sit fundamentum causſalitatis finalis, non tamen formaliter est ipsa finalis causſalitas: hæc enim formaliter consistit in hoc, quòd gratia ipsius alia appetuntur. Ad argumentum igitur concesso antecedente neganda est illatio: quia licet in ratione finis illa duo includantur; non tamen vtrunque in eo formaliter includitur, quatenus est causſa finalis, sed vnum includitur, vt fundamẽtum causſalitatis: alterum verò, vt formalis ratio ipsius causſalitatis. Et ideò in solo posteriori exercetur causſalitas finalis, non autem in priori.

43 Soluitur decimum argumentum. Argumenti decimi facilis est solutio: neganda est enim consequentia, cuius probatio supponit causſalitatem finalẽ formaliter positam esse in hoc, quod tribuit medijs rationem boni, & appetibilis, quam opinionem superiùs impugnauimus. Et quanuis illa vera esſet, ex ea non bene sumitur argumentum à fortiori ad causſalitatem amoris ipsius finis. Et ratio est, quia amor, & bonitas mediorum pendet à fine, vt amato, & mediante illius amore: cũ tamen amor finis non supponat finem, vt iam amatum: sine quo non datur causſalitas finalis, vt sæpè diximus.

44 Ad vndecimum argumentum Bellomon. in dicta disp. 3. cap. 3. ad 3. admittit amorem finis nullam habere causſã finalem actu, quanuis habeat causſam efficientem: nec enim (vt ait) necesse est assignare causſam finalem actu cuiuis operationi naturæ rationalis, etiamsi habeat causſam efficientem: etenim amor beatificus est à voluntate effectiuè: nec tamen habet causſam finalem, quia Deus hanc causſalitatem erga illũ non exercet. Quare ad argumentũ putat maiorem esse negandam,

Sed cum ratum, ac firmum sit in philosophia ibi dari causſam finalem, vbi datur causſa efficiens, & è conuerso; vt docet Cursus Conimb. 2. Phy. cap. 7. q. 9. art. 2. §. *At enim istiusmodi*, & Suarius in Metaphy. disp. 26. sect. 3. nu. 3. non videtur maior illa simpliciter neganda, sed distinguenda potius: nam tritum illud proloquium: *Id quod habet causſam efficientem, habet etiam causſam finalem*, potest intelligi duobus modis. Vno modo, vt habeat causſam finalem præstitutam sibi ab ipso efficiente, dum illud operatur. Altero modo, vt illam habeat præstitutam, vel ab ipso efficiente, vel ab alio, à quo efficiens in illa operatione dirigitur. Si propositio illa intelligatur hoc posteriori modo, verisima est: quia in hoc sensu omne agens agit propter finem, vt inferiùs dicemus, quare in eodem sensu omne, quod ab aliquo agente fit, necessariò fit propter aliquem finem. Porrò si priori modo intelligatur propositio, neganda est, quia non omne agens in hoc sensu agit propter finem; sed illud solùm, quod à se ipso ad agendum mouetur, vt suo etiam loco dicemus. Maior autem in vero sensu admissa nihil contra nostram resolutionem potest syllogizare: quoniam admittimus amorem, quo voluntas tendit in finem, habere causſam finalem: non quã voluntas sibi proponat, dum elicit talem amorem: sed quam proposuit sibi Deus, à quo voluntas in tali amore eliciendo dirigitur: nec enim ad illum voluntas à se ipsa mouetur, sed à Deo, vt ex mente D. Thomæ in propria huius rei quæstione latiùs ostendemus. Solutio satis est de mẽte Gabrielis in 2. dist. 1. q. 5. art. 1. conclusion. 7. In idem recidit solutio, quã breuissimis verbis subtiliter tetigit Fonseca 5. Metaphy. cap. 2. q. 10. sect. 2. §. *Quod verò obiectum est*, dũ ait: amorem finis habere quidem causſam finalem; non ipsius amantis (cum ab eo per illum simplicem amorem nihil adhuc intendatur) sed ipsius operis. Itaque id, quod habet causſam efficientem,

D. Thom.

Gabr.

Fonseca.

tem,

tem, habet etiam causſam finalem, vel ipſius operantis; vel ſaltem ipſius operis; quia licet id, quod fit, interdum ab operante non dirigatur in finem, ſemper tamen dirigitur in illum; vel ab ipſo operante, quando ſe ipſum dirigit, vel à causſa aliqua ſuperiori; quando ſcilicet operans à Deo dirigitur. In quo ſenſu amor beatificus causſam finalem habet, vt ſuo loco demonſtrabimus.

45 Ad 12. argumentum reſpondet Bellomontanus in dicta diſp. 3. cap. 3. ad vlt. ſed non aduertit ad vim argumenti ideo quia ad aliam difficultatem diuertit: etenim argumentum petit, cur finis poſſeſſus finalizet actum delectationis, & quietis: non poſſeſſus verò non finalizet amorem ſui? Cui difficultati Bellomôtanus non occurrit. Nos dicimus primò difficultati non eſſe locũ, ſi quis cum Fonſeca 5. Metaphyſic. cap. 2. q. 10. ſect. 3. exiſtimet nullam in fine acquiſito, & poſſeſſo admittendam eſſe vlteriorem causſalitatem reſpectu delectationis, & quietis; ſed omnino cũ actione agentis ſimul ceſſare causſalitatem finis: hac enim ſuppoſita opinione ad argumentum negandũ eſt antecedens.

Soluitur 12 argum iuxta Fonſecæ ſententiam.

Nos tamen contra Fonſecam ſentimus, & in fine iam acquiſito, & poſſeſſo admittimus nouam, ac veram causſalitatem finalem reſpectu delectationis, vt ſuperiùs cum Caietano, & Suario aduertimus: diximuſque causſalitatem illam finalẽ non eſſe causſalitatẽ operantis, ſed ſolum operis: quoniã voluntas non elicit delectationem propter conſeruationẽ finis, ſed delectatio illa dirigitur, & ordinatur in talem finẽ à Deo auctore voluntatis. Ex hoc autem antecedente ita explicato non bene infertur conſequens: quoniã ex fine operis finalizati à fine poſſeſſo, fit illatio ad finem operantis finalizantẽ amorem finis non dum poſſeſſi. Nec video vndè valere poſsit talis conſequentia.

Diluitur etiã alio modo.

§. 5.

Soluitur poſtremum argumentum, & explicantur teſtimonia in contrarium adducta.

46 Explicatur 1. locus Diui Thomæ.

SVpereſt reſolutio poſtremi argumenti, & vt reſpondeamus ad teſtimonia D. Thomæ, quæ pro aduerſaria ſententia adducuntur. Primum teſtimonium ſumptum ex 1. 2. q. 1. art. 1. ad 2. pluribus negotium faceſsit: & verè, niſi conſideratiùs expendatur, difficultatem ingeret. Pro illius explicatione nonnulla ſcribit Bellomontanus in dicta diſp. 3. cap. 3. ad primum teſtimonium. Facilè autem explicabitur, ſi expendamus D. Thomam ibi non agere, niſi de actione humana, quæ eſt vltimus finis, non quidem formalis, ſed obiectiuus; ſi qua tamen poteſt eſſe actio, quæ in ſenſu explicato poſsit eſſe vltimus finis obiectiuus. Statuit igitur D. Thomas nullam actionem elicitã à voluntate poſſe eſſe illo modo vltimum finem: ſed ſi qua fuerit, eam eſſe debere actionem humanam imperatam, ita enim ſcribit: *Vnde relinquitur, quod ſi qua actio humana ſit vltimus finis, quod ipſa ſit imperata à voluntate.* Et ex hoc concludit, quidquid homo faciat (deliberatè ſcilicet, & ex imperio voluntatis) ſemper id facere propter finem. Et hanc concluſionem adeò veram eſſe putat, vt etiam ſit vera, ſi homo fecerit actionem, quæ eſt vltimꝰ finis; v.g. citharizationẽ, ſpeculationem. Quæ actiones ſuarum artium ſunt vltimi fines non formales tantum, ſed obiectiui, de quibus agit Ariſt. in 1. Ethic. cap. 1. à quo ſumitur argumentum, quod nititur diſſoluere. Nam has etiam actiones quando homo facit ex imperio voluntatis, eas facit propter finem: quia quælibet earum ſecundum ſe accepta, & amata eſt finis ſui ipſius prout ex imperio voluntatis exercitè fit. Hęc ex D. Thoma. Nec video quo modo inde colligatur ſimplicẽ amorem finis ex mente D. Thomæ eſſe propter finem: nam etſi ipſa actio (quãdo eſt vltimus finis) prout actu imperatur à voluntate, ſit propter finem (quia citharedus propter finem citharã pulſat, nempe propter ipſam actionem citharizandi) tamen ſimplex amor ipſius actionis non eſt propter finem; quia ex ſententia eiuſdem D. Thomæ non fit ex imperio voluntatis. *Ariſtot.*

Inde colliges nihil minus colligi ex D. Thoma hoc in loco, quàm viſionem beatam eſſe propter finem: nam quãuis ſit vltimus finis: tamen nec eſt vltimus finis obiectiuus, nec eſt actio humana imperata à voluntate, ſed naturalis, vt 47

ſuo

suo loco dicemus. Et ita cessat difficultas sumpta ex verbis D. Thomæ.

48 Expositio secundi loci.

Ad 2. testimonium ex q. 22. de Verit. ar. 2. respondet Bellom. in d. disp. 3. c. 3. in solutione secundi testimonij. Pro clariori resp̃sione aduertim⁹ propositionem D. Thomæ (finem appeti esse finem influere) nõ esse explicandã in sensu formali; quasi ipsum finem appeti formaliter sit ipsum influere: sed explicandã esse in sensu causali; quia scilicet finẽ appeti, siue amari verè est causa, quod finis influat: finis enim ex eo, q̃d amat̃, & appetitur, cõstituitur in actu primo influendi, consequiturq̃; virtutẽ ad influendũ. Quare sicut ignem esse calidũ est ignem calefacere nõ formaliter, sed causaliter, quia ex eo, quod est calidus habet vim ad calefaciendũ: ita finẽ appeti est finem influere, trahereq; actionem agentis, vt ipsius gratia fiat; causaliter tñ, non verò formaliter. In quo sensu ꝓpositio D. Thomæ potius nostrã sententiam confirmat: quoniã si finem appeti (quod est finẽ amari) causaliter est finem influere; profectò finis, nisi amatus influere nõ potest. Quomodo igitur influet in ipsũ amorem sui? etenim, antequã ametur, nõ potest dici amatus vt possit finaliter influere in sui amorẽ. Ex quo patet defectus argumẽti, quod sumitur ex verbis D. Thomæ: nã etsi finis verè appetitur, cùm simplici amore gratia sui amatur; tamen non dum est amatus, vt influat.

49

Ad 3. testimoniũ ex 3. cõtra Gent. ca. 2. in princ. respondet Bellomõtanus assertum D. Thomę intelligendum esse nõ de fine formaliter, idest prout exercet causalitatẽ finalẽ: sed de fine fundamẽtaliter, prout scilicet est bonũ, cui conuenit munus causæ finalis. Finis igitur (idest res, quæ est finis, & bonũ) est, quò tendit impetus agẽtis, quãuis non semper tendat, quia exercet munus causæ finalis. Igitur impet⁹ agẽtis (siue ille sit primus, siue secũdarius) semper tendit in id, quod est finis: quãuis nõ semper tẽdat in illud, prout exercet mun⁹ causæ finalis: quod cõtingit, quãdo agens simplici amore, ac veluti naturali impetu tendit in finẽ. Subtilis est explicatio, & in se vera. Accõmodatius ad mentẽ D. Tho. dices sensũ esse hunc: finẽ esse id, in quod cõsequendũ tẽdit agẽtis impetus, idest actio: quẽ sensum explicant verba immediatè sequẽtia, quibus propositio illa ꝓbatur: *hæc enim adipiscens dicitur adipisci finem*: Illud inquã, cuius gratia agebat. Quæ explicatio vera est, etiãsi finis accipiatur prout est causa finalis, quid quid repugnet Ferrariẽsis. Quin potius data explicatio supponit finẽ ibi accipi prout exercet finalẽ causam: nã illa verba (ad quod consequendũ) idem valent quod (cuius consequendi gratia) & erit sensus: *Finis est cuius consequendi gratia tẽdit impetus agentis*: iã verò tendentia agentis propter consequendũ finem non fit sine cõcursu causalitatis finalis. Ex quo patet ex propositione D. Thomæ nõ bene inferri finem suã causalitatẽ exercere in impetũ amoris, quo voluntas tẽdit in finẽ, quia ille impet⁹ adhuc est simplex, & sine intẽtione cõsequendi finẽ, vt supponimus. Ad argumentũ igitur dicimus voluntatẽ impetu amoris verè tendere in finem: non tamen tendere in illum vt consequendũ; sine qua intentione finis suam causalitatem exercere nõ potest.

Ferrarien.

50 Expositio quarti loci.

Quartũ testimonium sumptum ex 4. dist. 49. q. 1. ar. 1. quęstiũc. 2. in corpore parũm vrget: quãuis Suarius putet hoc testimonio aduersariam sententiã optimè confirmari: nam in illo testimonio finis sumitur non formaliter, sed fundamẽtaliter: in quo sensu passim sumitur à D. Thoma, cæteris q; Theologis: ita enim sumitur 3. contra Gent. ca. 16. dum dicitur: *Bonum in quantum bonum est finis*, quod falsum est, nisi finis sumatur fũdamẽtaliter. Fatemur igitur velle (qui est primus actus volũtatis) nihil esse aliud, quàm ordinare aliquid in bonum, quod est finis. Secus dicendum esset, si D. Thomas assereret velle esse ordinare aliquid in finem, vt finis munus exercet.

D. Thom.

51 Explicatur quintus locus.

Quintum testimonium ex 1. 2. q. 1. ar. 1. nihil vrget eos, qui volũt amorẽ finis, prout primò in finem tendit, esse actum necessarium: negabunt enim amorem finis, vt sic, esse actum humanum. Si verò putas eũ esse actũ liberũ, vel dices non omnẽ actũ liberum esse humanũ (quod maximè videt cõsentire cũ mẽte D. Th.) vel nõ omnẽ actũ humanũ esse ꝓpter finẽ: sed illũ dũtaxat, qui pfectè est humanus. Quæ harũ opinionũ sit verior, expẽdemus inferiùs in quæstione. An omnes hominis actiones sint propter finem.

52 Sexti testimonij explanatio. *D.Thom. Arist.*

Ad 6.testimonium ex 1.2.q.6.ar.2.negandũ est D Thomã ibi aut docere, aut supponere deliberationem esse de fine: nã oppositum docuit 1.2. q.14.art.2. cũ Arist.3.Ethic.c.3. & lib.2.Ethic. ad Eudemũ pag.1008.in princ. Quæ doctrina est verissima, si sermo sit de fine absolutè sumpto, & prout mouet voluntatẽ ad sui amorẽ: nã si sermo sit de fine ad certam materiã cõtracto; de eo potest esse deliberatio, vt suo loco explicabimus. Quod verò in loco citato D. Tho. illud nec doceat, nec supponat, aduertunt interpretes ibi cum Medina q.2.& post eũ Bellom.1.2.disp.4.c.3.n.7. qui plures explicationes afferunt, minus tñ cõueniẽtes cum mente D. Thomæ, vt nos eo in loco ostendimus in Cõm. ad literam illius art. vbi nouam scripsimus verborũ explicationem, vt D.Tho. dixerit, *Deliberans de fine, & de ijs, quæ sunt ad finem*, non quod deliberatio obiectiuè sit de fine, sed solùm prę suppositiuè: quatenus omnis deliberatio supponit volitionem finis. Vide, quæ ibi diximus.

Medina.

53 Septimi loci explicatio.

Ex 7.testimonio (quod quibusdam videtur vrgens) nequaquam colligi potest finem, dum voluntatem mouet ad sui amorem exercere munus causę finalis: nam ex illo loco solùm habetur intellectum mouere voluntatem per modũ finis, quod ideo verum est, quia proponit voluntati obiectum, nempe bonũ, quod eam mouet per modum finis. Porrò bonum dupliciter mouere potest voluntatem per modũ finis: vno modo formaliter, & vt est causa finalis: altero modo fundamentaliter, & sine vlla finali causalitate; id, quod suprà ostendimus ad 8. & 9. argum. ex duplici ratione, quæ in fine reperitur: vna, quod amẽ propter se, & solius sui gratia: altera, quod alia amentur propter ipsũ. Ex posteriori habet, quod formaliter sit causa finalis: ex priori autem solùm id habet fundamentalirer, quia non dũ vim habet, vt alia amore sui sint volita. Solùm igitur fundat in ipso bono virtutem, vt possit finaliter causare. Quare in argumento committitur fallacia à pluribus causis ad vnam causam.

54 Vltimi testimonij expositio. *Capreolus.*

Postremum testimonium sumit Suar. ex Capreol.1.sent.dist.1.q.1.art.3. ad 1. contra tertiã: quin potius idem Suarius cum Cursu Conimbr. sumit testimoniũ ex Henrico 2.p. Sũmæ ar.49.q.6. quanuis ab vtroq; falsò citetur artic.46.q.6. Ad hoc respondetur 1. testimonia illorum doctorum, quanuis aperta forent, non tanti esse, vt nostram sententiã reddant minus probabilẽ, quam cõmunior & antiquiorum, & recentiorum consensus probabiliorem effecit: imò etiã grauissima auctoritas D. Thomæ, quæ sola satis esset, vt nostra sententia probabilissima censeretur. Respondetur 2. testimonia illorum doctorum aduersariã sententiam non probare. Nam Capreolus in loco citato solùm habet delectationem esse finem amoris; quod etiam affirmat D. Thomas in locis ab eo citatis: neuter tñ loquitur de amore, qui est simplex voluntatis actus immediatè ad finem terminatus: sed de amore earum rerum, quę gratia delectationis consequendæ amantur: iste enim amor à delectatione tanquam à vera causa finali causatur. Nec Capreolus vllum verbũ fecit de amore immediatè terminato ad ipsam delectationẽ, quæ vt finis proponitur. Denique in toto discursu illius articuli, aut solutionis argumentorum nihil in Capreolo inuenies, quod possit conferre ad confirmandam aduersariã sententiam.

Henricus.

Porrò Henricum semel, & iterum legi in dicta quæstione 6. nec aliquid inueni, ex quo colligi possit eũ in ea fuisse sententia, vt finis exerceret munus causę finalis erga amorem, quo voluntas illi primùm adhęret. Nam in ea quę stione litera L. solùm dicit finẽ mouere voluntatem alliciendo eam ad se desiderandum: hęc autem verba non declarant, quomodo finis voluntatẽ moueat ad talem actum, an simpliciter, & sine vlla finali causalitate, an per veram causalitatem. Et hæc dicta sufficiant pro defensione sententiæ negantis.

§. 6.

Defenditur opinio affirmans, & soluuntur argumenta opinionis negantis.

55

Diximus §.3. opinionem, quæ affirmat finem veram causalitatem exercere in amorem, quo voluntas in illũ fertur; suam etiã habere probabilitatẽ: habet enim doctissimos patronos. Quare pro illa etiã propugnãdum est. Et vt argumenta aduersaria facilius

Vberior explicatio affirmatiuæ sententiæ.

cilius soluũtur, illud tanquam vnicum huius opinionis fundamentũ statuendũ est, ad causſalitatem finalem exercendã nõ necessario requiri, vt agens aliquid agat amore finis; cuius oppositũ opinio negãs supponit: sed satis esse, quod agẽs aliquid agat propter bonitatẽ finis sibi ab intellectu propositam: id quod Arist. teste Cursu Conimb. non obscurè indicauit, cùm in definitione finis vsus est verbis illis generalibus (cuiꝰ gratia aliquid fit:) nam idem est (cuiꝰ gratia) atq; (cuius bonitatis gratia) vt satis insinuauit Cursus Conimb. in 2. Phy. c. 7. q. 22. ar. 1. §. *Hæc tamen controuersia*, & §. *Itaq; generalis ratio*: & expressius Suar. in Metap. disp. 23. sect. 3. n. 10. & 16. Quam expositionẽ ex eo corroborant, quod finis per suam bonitatem cognitam immediatè mouet voluntatem alliciendo eã ad sui amorem: quæ motio, cum sit metaphorica, ad nullam aliam causſandi rationẽ pertinere potest, quàm ad finalem. Igitur, vt finis exerceat causſalitatem finalem, satis est, vt moueat voluntatem, vt gratia suæ bonitatis amorem eliciat. Quod adhuc cõfirmatur, quia finis per solam suam bonitatem perfectè cõstituitur in actu primo causſandi. Cur igitur non finaliter causſabit sui amorem? etenim etiam tũc aliquid fit gratia suæ bonitatis. Ex quo infertur causſalitatẽ finalem in sua ratione essentiali nõ necessario includere, quod respiciat medium cõsequendi finem: vt benè aduertit Suariꝰ in d. sect. 3. n. 7. & 12. Et ratio est, quia non solùm media sunt propter finem: etenim non sola illa fiunt gratia finis, sed pleraq; alia, quæ medij rationẽ non habent: vt videre est in actu desiderij, & intentionis, quæ cũ immediatè versentur circa ipsum finem, non habẽt rationem medij ordinati in finem.

Arist.

56

Et vt hæc melius intelligantur, notãdum est negari nõ posse causſalitatẽ finalẽ magis relucere in ipsis medijs, & in actionibus, quæ circa media explicitè insistũt, quales sunt consultatio, siue deliberatio, consiliũ, electio, & vsus, & si quæ sunt aliæ, quæ prehabita intẽtione finis explicitè ferũtur in media: vnde in hæc omnia causſalitas finalis exercetur perfectissimo, quo potest, modo. Attamẽ nõ proinde benè inferẽ causſalitatẽ finalem in sola illa verè, & propriè exerceri: quia pleraq; alia, quæ explicitè nõ sunt media, ita à fine dependẽt, vt illius solius gratia, ac propter illius bonitatẽ fiant. Cui argumento est, quoniã ad illa aliquo modo rationẽ medij participãt, etiã in ordine ad consecutionem finis: quãuis ratio medij in illis nõ ita manifestè appareat: vt subtiliter aduertit Suar. in d. sect. 3. n. 12. Quod in actu intẽtionis facilè intelligitur: intentio enim, licèt immediatè feratur in ipsum finẽ, tñ non fertur in illũ absolutè, sed vt cõsequendũ: voluntas enim allecta amore finis, eiusq; desiderio excitata intendit finis consecutionẽ per aliqua media indeterminatè sumpta. Quare aliquo modo explicitè insistit circa media, quibꝰ obtinẽdus est finis. Desideriũ etiã quo finis haberi cõcupiscitur, si nõ explicitè, tñ implicitè, & virtualiter insistit circa media: cũ enim terminetur in finẽ nõ absolutè, sed vt consequendũ, vtiq; virtualiter, & implicitè terminatur in media. Solus amor finis in hac materia difficultatẽ parit: cũ enim ex se abstrahat, tum à desiderio cõsequendi, tum ab intentione cõsecutionis per media (quia potest quis amare id, quod nec desiderat, nec intendit cõsequi) nec implicitè, nec explicitè terminatur in media, quibus in ordine executionis finis acquiri debet. Attamen, si res ista benè expendatur, simplex amor finis, quãdo est efficax, nõ est omnino alienus à virtuali insistentia circa media. Nã cũ excitet voluntatẽ, tum ad desiderãdã consecutionem finis; tum ad illam intendendã per aliqua media; vtiq; virtualiter circa illa insistit. Quarè cũ amor finis aliquo modo virtualiter, & implicitè insistat circa media, quæ sunt ad finẽ consequendum: vtiq; ipse etiã erit gratia eiusdẽ, quãuis non ita explicatè, vt cæteræ actiones, quę explicatiùs feruntur in ipsa media.

Ex quibus colliges constituendã esse differentiã inter effecta finis; ita vt alia verè, & propriè: alia magis ꝓpriè, ac perfectiori modo sint illiꝰ effecta: id, quod benè aduerterũt Curs. Co. & Suar. locis citatis. Nã si causſalitas finis in his effectis perfectiori modo exercetur, quàm in illis, vt ex dictis iam constat: vtique inter effecta finis alia alijs perfectiori modo participabunt rationẽ effectorũ. Et quanuis Cursus Conimb. duo tãtum

57

genera constituat, velitque vt inter effecta finis, alia vere, & propriè: alia non modo verè, & propriè, sed perfectissimo modo effecta illius sint; in quorũ posteriore cõtineãtur actiones, quę in media explicitè ferũtur: in priori verò cętera numerẽtur. Ego ad tria genera rẽ istam puto esse reducendam, vt alia effecta verè quidem, & propriè sint effecta finis: alia perfectiori modo: alia denique, quę perfectissimo modo dicãtur effecta caussæ finalis. Hæc autẽ tria genera distinguenda puto penes triplicẽ caussandi modũ, qui in caussa finali reperitur, si benè philosophamur, quorũ vnus aliũ in caussando excedit: constat enim caussam finalem, v.g. sanitatẽ, aliqua finalizare ex intentione finis amati: nimirũ media, quibus acquiri debet, & actiones, quæ circa illa media explicitè insistũt. Quomodò finalizat medicinam, deambulationem, & alia, quæ ad sanitatem consequendã conducunt; simul etiã consultationem, & electionem horum mediorum. Nullus etiã probabiliter negare potest eãdem sanitatem quædã finalizare sine intentione ex solo amore finis: hoc enim modo iuxta cõmunem, & veram sententiam finalizat ipsum actum intentionis, quẽ elicit nõ ex alia intentione, ne in infinitum detur abitio: nec illum finalizat ex sola bonitate finis, sed ex amore, & desiderio illius: voluntas enim allecta amore, & desiderio sanitatis intendit eam consequi per aliqua media indeterminatè sũpta: & ob id intellectũ ad illorũ inuestigationẽ excitat. Tandẽ apud eos, quorũ sententiam modo probamus, eadem sanitas finalizat sui amorem immediatè ratione suæ bonitatis, & solius illius gratia alliciendo voluntatem, non ex intẽtione, nec ex amore sui, vt patet. Itaque in caussa finali triplex finalizandi ratio reperitur. Prima est ipsa bonitas finis nudè sũpta: secunda, amor ipsi⁹ bonitatis: vltima tandẽ, ipsi⁹ bonitatis intẽtio. Quarũ prima ad duas sequẽtes necessariò supponit: secũda verò ad solã tertiã.

58 Nec dubitari potest inter hos modos tertiũ esse omnium perfectissimũ: secũdum autem primo præstare. Nã quæ ex bonitate finis amata simul, & intẽta finalizãtur; explicitè, & directè fiunt gratia cõsequẽdi finem: in quo caussalitas finalis potissimũ consistit. At quę ex bonitate finis amata, non dum tñ intenta finalizãtur; cũ nõ insistant circa media, nisi aut implicitè, aut saltẽ indeterminatè; vtiq; nõ finalizãtur perfectissimo modo, sed adhuc imperfecto, cũ adhuc indeterminatũ sit per quæ nã media finis acquiri debeat. Attamen perfectiori modo finalizantur, quàm finalizetur simplex amor finis, qui ex sola bonitate finis finalizatur: cuius finalizãdi ratio, quanuis sit vera, & propria; est tñ adeò imperfecta, vt in ea ratio caussalitatis finalis vix appareat. Concludendũ est igitur amorẽ finis verè, & propriè esse effectum caussæ finalis: non tamen esse effectum illius modo perfectissimo.

59 Soluitur primum argumentum negatiuæ sententiæ.

His ita positis, soluẽda sunt argumẽta, quæ pro negãte opinione in contrariũ adducũtur. Et ad 1. neganda est maior: nã licèt finis amore sui plura finalizet, imò etiã sui intẽtione præhabita: tñ generalis ratio finalizãdi nõ necessariò exigit, vt finis sit amatus. Cũ verò definitio finis explicet generalem rationẽ caussæ finalis, quæ adæquatè posita est in hoc quod finis gratia suæ bonitatis voluntatẽ moueat; negandũ est verba illa (cuius gratia) posita in definitione finis idẽ denotare, quod (cuius amore:) etenim, vt dictũ est, idẽ valent, atq; (cuius bonitatis gratia.) Quãuis oppositũ doceãt doctores, qui in argumẽto citãtur. Nec probatio Bellomõtani vim habet ad confirmandã illorum doctorum interpretationẽ: supponit enim nullam dari motionẽ metaphoricã, nisi fiat mediante amore; quod falsum esse cum cõmuni sententia latè ostendimus supra §. 4. in 1. solutione primi argumenti: vbi etiã probauimus cõtra eundẽ Bellom. ad motionem metaphoricam satis esse, quòd fiat alliciẽdo, & trahẽdo volũtatẽ, siue illa amore finis trahatur, siue à sola nuda bonitate. Diximꝰ etiã cæteras potẽtias à volũtate nec trahi, nec allici à suis obiectis. Vide, quæ ibi diximus.

60 Solutio secundi.

Ad 2. neganda est sequela: cuius probatio primũ deficit, quia supponit bruta ferri in bonũ ꝓpter ipsũ bonũ: quod esse falsum ostẽdemus inferiꝰ q. 13. ar. 3. Deinde deficit, quia illo admisso, adhuc sequela est infirma: etenim suo loco ostẽdemꝰ nõ satis esse vt agẽs dicatur agere ꝓpter finem, quod feratur in bonũ formaliter

maliter cognitum,& sub ratione cõuenientis: sed adhuc opus esse,vt se ipsum moueat in illud,quod brutis nõ conuenit; conuenit tamen voluntati,prout amore fertur in bonum, de quo alibi diligentiùs disputandum erit.

61 Solutio tertij.

Ad tertium admittenda est maior, & neganda minor: ad cuius probationem dicendum est maiorem solùm esse verã de deliberatione latè sumpta: falsam tamen, si deliberatio propriè, & stricte sumatur prout sumitur ab Arist. D. Alselmo, & D. Thom. adductis in contrarium:hæc tamen difficultas alibi diligẽtiùs examinabitur. Atque ita facilè poterit hæc opinio defendi: quanuis opposita nobis videatur lõgè ꝓbabilior.

Aristotel. Anselm. D.Thom.

QVÆSTIO X.

De ijs, quæ possunt caussalitatem finalem exercere.

POST disputationem de causalitate finalis causæ, & de eius effectis:ordine consequitur disputatio de ijs, quæ causalitatem finalẽ exercere possũt. Et pertinet hęc disputatio ad subiectũ, quod potest habere vim causandi.Hęc disputatio vnica quęstione absoluetur: in qua inquiruntur octo. Primò, an bonum honestum exerceat causalitatem finale? Secundò; an illã exerceat bonũ delectabile, siue iucundũ? 3. an bonum vtile,siue medium possit exercere causalitatem erga media priora. 4. an media habeant causalitatem finalem erga actus voluntatis. 5;an minus bonum prætermisso maiori bono possit exercere causalitatem finis. 6. an malũ sub ratione mali possit id ipsum participare? 7. an id etiam conueniat enti, quod est indifferens? 8. quid de relationibus dicendum sit? 9.& vlt. An priuationib⁹, & negationibus id possit accõmodari?

Quæ sint in hac quæstione inquirẽda.

ARTICVLVS I.

An bonum honestum exerceat causalitatem finalem?

1 Conclusio articuli.

AD primum facilis est solutio: est enim apud omnes Philosophos indubitatum bonum honestum exercere posse causalitatem finalem. Id tanquã notissimum docuit Arist.8.Ethic. ca.2. tex.3. dum ait: *Quare fit vt amabilia sint ipsum bonum(honestum intelligit) & iucũdum, vt fines.* Ratione ostenditur: quoniam finis ideo vim habet finalizandi,quia in se,& propter se est amabilis, & appetibilis: etenim sui amabilitate trahit,& allicit, vt gratia sui aliquid fiat. Sed bonum honestum est amabile propter se,& ratione suæ formalis bonitatis ex Arist. vbi supra,dum ait: *Amabile autem bonum*: honestum scilicet. Ergo bonum honestum vim habet ad finalizandum. Accedat etiam ratio Arist. in d.cap.2. in principio: vbi ex eo, quia bonum dicitur vtile, ideo quia aptum est, vt per illud acquiratur bonum honestum,infert bonũ honestum esse amabile vt finem: quasi sic arguat:illud bonum habet rationem finis,quod efficit, vt aliquid ameẽ, quia vtile est, & conducens ad ipsius consecutionem: sed bonum honestum efficit, vt ratione ipsius consequendi ametur medium tanquam bonum. Ergo bonum honestum habet rationem finis.

Ratio conclusionis.

Arist.

Quin potius dicendum est hanc finalizãdi virtutem maximè reperiri in bono honesto: nam si aliquod bonũ potest finalizare, profecto maximè id poterit bonum honestum. Tum quia inter cętera bona simpliciter est bonum; quod satis significauit Arist.in dict. cap.2.quatenus diuidẽs amabile in tria membra, bonum honestum simpliciter appellauit bonum, inquiens: *Amabile aut bonum, aut iucundum, aut vtile*: quasi ipsum bonum honestum simpliciter, & sine addito dicatur bonum. Tum etiã, quia etsi ratio boni in bono delectabili etiã per se reperiatur,vt dicemus in art.sequenti: tã si cõsiderentur ea,quę de vtroque bono docet D.Tho.1.p.q.5.ar.6.in corp.&ad 2. ratio boni aliquo modo primùm reperitur in bono honesto, quàm in bono delectabili; quoniã bonũ honestum est bonũ,quod simpliciter appetiẽ ratione sui:delectabile autẽ appetitur, vt quies in ipso bono honesto, & tãquam quædã perfectio ipsi⁹,vt scilicet possessio boni honesti addito bono delectabili diuti⁹ cõseruetur,& permaneat. Tũ 3.quia res quæ est bonum honestum, totaliter, & sub omni sua ratione est bonum naturæ, cui est bonum: quod non reperitur in bono delectabili: si expendimus

2

Arist.

D.Thom.

D. Thom. mentem D. Thomæ in dicto art. 6. ad 2. nam res, quæ causlat delectationē, quāuis sit bona naturæ, cui concupiscitur, quatenus eam causlat, tamen ex alia ratione potest esse illi disconueniens, vel quia inhonesta, vel quia noxia saluti. Ex quibus omnibus iam patet rationē boni & amabilis maximè reperiri in bono honesto, & perfectiori modo quàm in cæteris bonis. Quare si bonitas est formalis ratio finalizādi, vt in superioribus ostendimus; vtique virtus finalizandi maximè reperietur in bono honesto. Porrò honestum hoc loco illud dicitur, quod vel est, vel saltem existimatur, & apparet honestum, quanuis in se honestum non sit, vt docet Arist. 8. Ethic. cap. 2. tex. 4.

3 Obiectio. Contra hanc verisimam resolutionem vnica tantum potest fieri obiectio: quoniam id nō potest exercere causalitatē finis, quod non est amabile propter se, sed propter aliud. Sed bonum honestum non amatur propter se, sed propter rem, cui est cōueniens: sanitas enim (quę est bonum honestum) non amatur, nisi propter hominem, cui est volita: ergo bonum honestum non potest exercere causalitatem finis.

Solutio. Respondetur negatione minoris: ad probationem dicimus bonum honestū, quod ipsum est finis *cuius*, licèt ametur, & concupiscatur alteri, nempe fini *cui*: quia illi est conueniens: non tamē amatur propter illum, cum non ordinetur ad illum tanquam ad finem, sed tanquā ad subiectū perfectibile per ipsū. Quare, si propriè loquendum est, sanitas nō amatur propter hominē, licèt ametur homini, vt benè aduertit Caiet. 2. 2. q. 17. ar. 5. & nos cum illo aduertimus supra q. 2. ar. 3. §. 3. n. 7. vbi ostendimus finem *cuius* non ordinari ad finem *cui*, tāquam ad verum finem. Iam verò sanitatem, & quodcunque aliud bonum honestū amari homini, non impedit, quominus sanitas non sit amabilis propter se: quin potius maximè id confirmat, quia infert sanitatem amari, vt perfectionē quandam: at quælibet perfectio est amabilis propter se. Igitur à fortiori non impediet sanitatem exercere causalitatem finalem; vt benè aduertit Suarius in Metaphysic. disputation. 23. sect. 6. numer. 10.

Caiet.

ARTICVLVS II.

Vtrum bonum iucundum, siue delectabile exerceat causalitatem finis?

1 Pars negatiua suadetur ex testimonijs Platonis, & Arist. AN bonum delectabile valeat exercere causalitatem finalē non caret difficultate, si hac de re, tam Platonem, quàm Aristotelem consulamus: Plato enim (si vera sunt, quæ Arist. refert 10. Ethic. cap. 2. & 3.) existimauit nullam delectationem esse bonū per se. At sine bono per se non datur virtus finalizandi. Quare apud Platonem bonum delectabile non potest habere rationem finis.

2 Aristoteles autem in citato loco admittit quidem aliquam delectationem esse per se bonum, & appetibile: non tamen omnem, vt expressè affirmat in dicto libr. 10. cap. 3. in fine ita scribens: *Voluptatem igitur nec summum bonum esse: nec expetibilem omnem: & voluptates nonnullas esse per se expetibiles perspicuum esse videtur.* Quod si apud Aristotel. non omnis delectatio est per se bonum, & expetibile; profecto apud eundem non omne bonum delectabile poterit exercere causalitatem finalem.

3 Ratione eadem pars cō firmatur. Quin potius etiamsi admittamus omnem delectationem esse quoddam bonum: non est tamen admittendum bonū delectabile esse amabile propter se, sed semper erit tale propter aliud. Nullum igitur eorum poterit exercere causalitatem finis. Consequentia patet. Antecedens probatur: primò, quia bonum delectabile est bonum alteri, ei nimirū, quod delectatur. Secundò, & vrgentius, quoniam delectatio est propter operationem tanquam propter finē: est enim perfectio quædam instituta à natura ad perficiendam operationem, quam consequitur: ideò enim natura operationibus delectationem indidit, vt agēs operationi insitat. In quam sententiam videtur inclinasse Arist. 10. Ethic. cap. 4. in fine, quanuis quæstionem definire noluerit; probarunt tamen eam D. Thom. 3. contra Gent. cap. 26. & in 4. dist. 49. q. 3. art. 4. quęstiunc. 3. & 10. Ethic. cap. 4. lect. 6. com. vlt. Sequuntur omnes Thomistæ 1. 2. q. 4. art. 2. vbi Caiet. Conrad., & Medina, Ferrarien. etiam in dict. cap. 26. Capreolus in 4. in dicta dist. 49. q. 2. art.

Arist. *D. Thom.* *Caiet.* *Conradus.* *Medina.* *Ferrarien.* *Capreol.*

Valentia. *Ochamus.* art. 3. ad 2. contra primam fol. 192. col. 2. & 3. Valentia 12. disp. 1. q. 4. puncto 1. Probauit Ochamus in 1. dist. 1. q. 3. art. 4. lit. B.

4 Affirmatiua sententia approbatur. His tamẽ nõ obstãtibus pars affirmatiua probanda est: fuit enim verbis expressis probata Arist. 8. Ethico. cap. 2. *Aristot.* tex. 3. his verbis: *quare fit, vt amabilia sint ipsum bonum, scilicet honestum, & iucũdum, vt finis.* Fauet Arist in 7. Ethic. cap. 11. tex. 50. vbi agens de voluptate & dolore ita scribit: *Hic enim architectus est finis: ad quẽ vidẽtes vnũquodque, aut malũ, aut bonum simpliciter dicimus.* Sensus est, ideo ad philosophum pertinet disputare de dolore, & voluptate; quia ex voluptate, & ex dolore iudicamus aliquid esse malum, vt fugiamus: vel bonũ, vt prosequamur tanquam finem: quanuis locus iste aliã habet explicationem. Accedere etiam potest locus Aristo. 7. Ethicorum cap. 12. *Aristot.* tex. 54. vbi dicitur, *quasdam delectationes esse operationes, & finem:* nimirum agentis propter eas operantis.

5 Ratio conclusionis. Ratione id ipsum probatur; quia finis ideo vim habet finalizandi; quia in se, & propter se, est amabilis. Sed bonũ delectabile est amabile propter se, & ratione suę propriæ ac formalis bonitatis. Ergo bonũ delectabile potest exercere causalitatem finis. Maior patet ex dictis supra art. 1. minor ostenditur quoad singulas partes: nam quod bonũ delectabile sit quoddam bonum amabile; dubitari nõ potest: experimur enim delectationem allicere ad se appetitũ. Quod verò sit amabile propter se, idest absolutè, & nõ in ordine ad aliud; patet ex vulgata diuisione boni, in qua bonũ delectabile simul cum bono honesto distinguitur à bono vtili, quod est bonum *Aristot.* ad aliud: vt patet ex Aristo. 2. Ethicorũ *D. Thom.* cap. 3. tex. 9. & lib. 7. cap. 2. tex. 3. & ex D. Thom. 1. p. q. 5. art. 6. & 2. 2. q. 145. ar. 3. Nõ distingueretur autẽ, si esset bonũ propter aliud, & nõ propter se. Accedat eo *Aristot.* auctoritas Eudoxi Philosophi, quẽ refert Arist. 10. Ethic. cap. 2. tex. 3. qui docuit delectationem, esse propter se expetibilem, & non propter aliud: idque confirmabat communi omnium consensu; quia, vt ait, *neminem interrogas, cuiusnã gratia capiat voluptatem: propterea quod per se ipsam expetibilis est ipsa voluptas.* Nã plures operantur precisè propter delectationem, vt docet experientia. Quod argumento est bonum delectabile habere in se, vnde ametur, & expetatur; etiam si præcisum sit ab alio fine extrinseco.

Denique quod bonum delectabile sit 6 amabile propter suam propriam bonitatem distinctam à bonitate boni honesti, euidẽter colligitur ex dicta diuisione boni: in qua bonũ delectabile cõdistinguitur à bono honesto. Quod verissimum est, siue bonũ delectabile sit idẽ quod ipsa delectatio; quod videtur insinuare D. Thom. 1, p. q. 5. art. 6. siue sit *D. Thom.* idem, quod res siue obiectũ, ex quo nascitur delectatio, quod alij existimant.

Nam si bonum delectabile idem est, quod delectatio: nullus dubitabit bonũ delectabile habere bonitatem distinctã à bonitate boni honesti: constat enim bonitatem, & conuenientiam delectationis habere peculiarem vim, & modũ mouẽdi appetitum: illum enim mouet, vt est appetitus particularis appetens sibiipsi bonũ suum: cũ tamen bonũ honestum illum non moueat, nisi vt est appetitus communis totius appetẽtis, cuius munus est appetere bonum, & toti, & singulis partib⁹. Accedit etiam; quia conuenientia delectationis habet terminum longe distinctum à conuenientia boni honesti; quia conuenientia boni honesti respicit naturam, quam bene constituit, vel secundum esse naturale, vel secundum esse morale: conuenientia verò delectationis respicit assecutionem ipsam boni honesti, ex qua resultat, vt alibi diligentius ostendimus.

Porrò si bonum delectabile idem est, quod obiectũ, ex quo nascitur delectatio: nec sic dubitari potest, quin bonũ delectabile habeat propriam sibi bonitatem distinctam à bonitate boni honesti. Id enim necessariò concedes, si consentias opinioni, quæ in obiecto, ex quo nascitur delectatio, etiam secluſa delectatione admittit propriam bonitatem & conuenientiam prẽter bonitatem, & conueniẽtiam boni honesti: quam opinionem plures probarunt, & cum illis Bellomontanus 1. 2. q. 4, ar. 2. in dubitatione circa textum numero 29: Cui ego potius subscribo. Si in illo obiecto nullam aliam bonitatem, & cõuenientiam agnoscis, prẽter conuenientiam boni honesti, (quæ sententia pluribus etiam

placuit

placuit, & Suario in Metaphysica disp. 10, sect. 2. num. 19.) teneris dicere obiectum illud non dici bonum delectabile, nisi prout includit delectationem, cum qua facit vnum obiectum totale, quod appellatur bonum delectabile. Hoc autem modo nullus negabit bono delectabili propriam bonitatem longe diuersam à bonitate & conuenientia boni honesti: etenim ratio formalis attrahendi appetitum in bono honesto est bona cõstitutio naturæ: boni autem delectabilis, est ipsa delectatio orta ex bonitate honesta. Ex quibus iam constat veri simam esse minorem superioris discursus bonum scilicet delectabile, vt tale est, esse bonum quoddam amabile propter se, & ratione suæ propriæ bonitatis. Ex quo infertur, bonum delectabile, vt tale est, posse exercere propriam, & veram causalitatem finis. Quod erat à nobis probandum.

7 Præmissum ad argumẽtorũ solutionem.

Pro solutione argumentorum, quę initio in contrarium sunt adducta; præmittendũ est antiquos philosophos solùm de hoc disputasse, an omnis delectatio, in genere moris esset per se bona? an verò mala? quem sensum satis explicant rationes, quibus suam quisque confirmat opinionem. Omnem delectationem in genere moris esse malã existimauit Plato, si Aristo. credimus è cõtrario omnem in genere moris esse per se bonam, & nullam esse malam, docuit Eudoxus Philosophus. Mediam tenet viam Aristo. qui putauit nonnullas esse per se bonas, nonnullas verò prauas. Quod non tollit, quominùs omnis delectatio, qua delectatio est ratione sui sit bonum quoddam delectabile in genere rei: & subinde in se ipsa per se appetibilis ratione naturalis cõformitatis, quã habet ad appetitũ, quem perficit, quãtumuis in genere moris, & in ordine ad rectam rationem interdum non sit per se bona, sed mala: Etenim delectatio ex vi suæ bonitatis potest attrahere volũtatem ad appetitum sui contenta malitia morali, si quando per intellectum, cum illa sibi præsentatur: hęc enim est vis, & efficacia voluntatis vt non obstãte malitia morali, quæ delectationem cõmitatur, possit eligere bonum delectabile, vt tale est. Ex quo infertur malitiam moralem non impedire, quominus bonum delectabile ratione sui exerceat causalitatem causæ finalis: nam & si illam non exercet in eo, qui honeste operatur; quia impeditur à malitia morali, quæ in isto fortior est, & efficacior ad auertendum voluntatem, quam delectatio sit ad illam conuertendum: tamen in homine male operante verè exercet causalitatem finalem; cum & iste male agendo agat propter finem. Et quanuis bonum delectabile, quando ex se est malum in genere moris, in eodem genere sit solùm bonum apparens in eo, qui vel ex ignorantia, vel ex passione, vel ex actuali inconsideratione operatur propter delectationem; quia verè apparet esse moraliter bonum, cũ tamen non sit: tamen in genere rei non est apparens bonum, sed verè, & realiter bonum.

8 Solutio argumẽti ex auctoritate Platonis, & Aristot. de prompti.

His suppositis iam patet solutio ad id, quod tam ex Platone, quàm ex Arist. objicitur: nam ex eo quod aut nulla delectatio in genere moris est per se bonum; vt voluit Plato: aut non omnis, sicut voluit Aristotel. non bene infertur nullam delectationem esse per se bonũ in genere rei: etenim hęc duo bene cõstãt inter se, omnem scilicet delectationem in genere rei esse per se bonum; & tamen non omnem esse per se bonũ in genere moris. Iam verò vt bonum delectabile possit exercere causalitatẽ finalem, non necessariò requiritur, quòd sit per se bonum in genere moris: sed satis est quod tale sit in genere rei, quãuis cognoscatur esse malum in genere moris, vt patet ex ijs, quæ immediatè diximus.

9 Solutio rationis contrariæ.

Ad id, quod vltimo objicitur, dicendum est bonum delectabile ex intẽtione quidem naturæ instituentis delectationẽ, non esse amabile propter se, sed propter operationem, vt argumentum probat: quod non impedit, quominùs ex intentione operantis creati sit propter se amabile: operans enim pro sua libertate potest pręstituere sibi finem, quẽ voluerit, & propter illum operari. Et inde est, vt finis operis, siue Dei instituentis naturam, sępe sit longe diuersus à fine operantis, vt diximus supra q. 4. art. 5. num. 3. etenim incontinẽs carnalem copulam, quam natura in bonum prolis ordinauit, operatur propter delectatio-

lectationem. Cui resolutioni nõ obstat, quod bonum delectabile ametur propter hominem: nam id etiam conuenit bono honesto: amatur autem propter hominem, tanquam finem, *cui*; quod non impedit, quominùs in se ipso verè, & priè sit finis, *cuius*. Vide Suarium in dicta disp. 23. sect. 6, n. 10.

ARTICVLVS III.

Vtrum bonum vtile siue medium possit exercere caussalitatem finalem erga media priora?

§. 1.

Præmittuntur nonnulla ad faciliorem explicationem.

1 Primũ præmissum. TERTIO loco accedit bonũ vtile, quod in diuisione boni constituit tertium membrum. De quo exquirendũ est, an possit exercere caussalitatem finalem? sed præmittendũ est bonum vtile ab Aristot. 8. Ethicor. cap. 2. tex. 3. illud dici, per quod efficitur aliquod bonum per se, ita enim scribit: *atq; vtile videbitur esse, per quod efficitur aliquod bonum, aut voluptas.* Ex quibus verbis omnes colligunt, bonum vtile non esse bonum propter se, sed propter aliud; quia nimirum est medium ad consequẽdum aliquod bonum. Ex quo infertur bonũ vtile, & bonum mediorum ad finem, reciprocari inter se; quia omne bonum vtile, quatenùs vtile, est medium conducens ad consecutionem finis: & omne medium quatenùs medium, est vtile ad finis consecutionem. Quare eadem est quæstio de caussalitate finali boni vtilis & de caussalitate finali mediorum ad finem. Cõmuniter excitari solet quæstio subhis terminis: an media ad finẽ possit exercere caussalitatem caussę finalis?

Aristot.

2 2. Præmissũ Præmittendum est secundò media ad finem in duplici genere inueniri: nam quædam sunt, quæ nulla ratione per se appetuntur, sed solùm in ordine ad finẽ: vt potio amara, scisio venę, & id genus alia. Quædam verò eiusmodi sunt, vt nõ solùm propter finem, sed etiam propter se expeti possint, propter aliam, & aliã rationem bonitatis, quam in se habent: veluti cibus, qui simul est salubris, & suauis: exercitatio corporis moderata, quæ simul est salutifera, & delectabilis. De posteriori genere mediorum nulla est dubitatio, quin sub ea ratione, qua sunt per se expetibilia, possint exercere finalem caussam; quia sub illa ratione non sunt media, nec bona vtilia, sed bona delectabilia: vt bene aduertit Fõseca in 5. Metaphysicæ cap. 2. q. 10. ar. 1. in fine, & Suarius in Metaphysica disp. 23. sect. 6 nu. 11. *Fonseca.*

Tota ergo difficultas est de medijs prioris generis, atque etiam de ijs, quæ pertinẽt ad genus posterius, quatenùs habent rationem mediorum, & bonorũ vtilium. Nec de ijs est cõtrouersia, quatenus media sunt, & fiũt propter finem: quia vt sic dubio procul sortiuntur rationem effectus, est igitur controuersia de ijs medijs, quę licet nulla ratiõe per se expetantur: tamen habẽt alia media priora, quę immediatè expetuntur propter illa: vtrum scilicet possint exercere caussalitatem finis respectu præcedẽtium, quanuis sint media respectu finis: quidam enim negant: alij affirmant. 3

Sed vt hęc difficultas distinctè explicẽtur, præmittendum est tertió, media ista conferri posse, vel cum medijs antecedentibus: vt verbi gratia attenuatio cum purgatione: purgatio cum potione, &cæ. sæpe enim contingit, vt ad cõsecutionem finis intenti sint necessaria plura media inter se subordinata, vt patet in exemplo allato. Vel cum actionibus voluntatis, quarum ipsa media fũt obiecta, quibus mediantibus ordo executionis continuatur cum ordine intẽtionis. Duę igitur quęstiones circa media excitari possunt. Prima, an media ipsa verè, & propriè finalizẽt media antecedentia, quæ fiunt propter ipsa? v.g. an extenuatio humorũ, quę propter sanitatem est volita, exerceat caussalitatem finis erga de ambulationẽ, aut medicinam, quę ad extenuandos humores eligitur? Secunda quæstio est, an media ipsa habeant aliquam caussalitatem erga actiones voluntatis, quę ad ipsa media terminantur? v.g. an de ambulatio concurrat, vt caussa finalis ad actũ electionis, qua eligitur propter sanitatẽ? vtraq; quæstio est controuersa: & vtraque ex diuersis pendet principijs: quare per se singulatim explicabit, prima in hoc articulo, secunda in sequenti. 4 3. Præmissũ. Duę quæstiones sunt hic agitãdæ

§. 2.

§. 2.

Ponuntur fundamenta partis affirmantis.

5 Fundamẽta partis affirmatiuæ prioris quæst.

PRima quæstio inter Doctores est maximè controuersa. Grauissimi partem affirmantẽ defendunt, docentque media illa enumeranda esse inter causas finales: nõ quatenùs in finẽ principalem referuntur, sed quatenùs media priora fiunt, & amantur, propter ipsa. Inde inferunt omnia media, quę inter primum medium, & finem interiacent, esse veros fines; non quidem vltimos, sed intermedios; & subinde à ratione causæ finalis solùm excludi primũ medium; illud scilicet, quod in executione primò sumitur. Quanuis non desint qui huic etiam medio veram rationem finis tribuant; non respectu alterius prioris medij externi; quia nullum aliud habet prius, sed respectu actionis voluntatis, qua eligitur, & ad executionem applicatur. Sed hoc pertinet ad secundam quæstionem. Priorem tamen sententiam expresse docuit Gabriel in 2.d.1.q.5.L.C.D. satis est de mẽte Ochami in 2.q.3.art.2.Corol.2.& 3.L.P.q. R. ante eos hanc sententiam probauit Ægidius in 2.dist.38.q.2.artic. 2. & videtur mihi fuisse sententia D. Thomæ 1. 2. q. 12.art.3.& 3.contra gentes cap. 2. in 4. ratione: sed de hoc statim nonnihil dicemus.

Gabr. Ochamus Ægidius. D.Thom.

6 Prima probatio auctoritate Arist.

Hæc opinio primo probatur auctoritate Aristot.2.Physicorum cap. 3. text. 29. & 5. Meth. cap. 2. in illis verbis: *& quæcunque mouente alio inter ipsum, & finẽm fiunt; vt inter medicum & sanitatem macies, aut purgatio, aut medicamenta, aut instrumenta.* Sẽsus enim est: insuper, & finis dicuntur, quęcunque mouente alio inter ipsum, & finem sunt: idque respectu pręcedentium, vt attenuatio est finis purgationis: purgatio medicamentorum: & medicamenta instrumẽtorum, quibus cõficiuntur. Ita locum explicauit D. Tho. in 2.Physi. d.cap.3. lect.5. & in 5. Meta. d.cap.2.lect.2. & post eum Sotus in d. c. 3.secundi Physicorum, probat Fonseca in d.cap.2.quinti Metaphysicę in explicatione textus litera L.

D.Thom. Sotus. Fonseca.

7 1.Ratio pro eadẽ sententia.

Deinde probatur rationibus: prima est; quia definitio finis verè conuenit ijs medijs: nam purgatio v. g. verè est gratia extenuationis: & potio verè conficitur gratia purgationis: nam voluntas monetur ad eligẽda illa media amore bonitatis, quę in illis reperitur.

Secundò, quia ista media respectu 2.Ratio. præcedentium ideo reijciũtur à ratione finis; quia non habent in se ipsis propriam, & intrinsecam bonitatẽ. At hoc est falsum; quia habent in se ipsis bonitatem distinctam à bonitate finis. Cur igitur non habebunt caussalitatẽ finis? 3.Ratio.

Tetiò, quia vnum medium verè ordinatur ad aliud: v.g. potio amara ad extenuationẽ humorum: quin potius ita vnum mediũ ordinatur ad aliud, vt verè dicatur amari propter illud. Hoc autem ex se denotat veram finis caussalitatem: tum quia vnũ est gratia, & amore alterius, quę est definitio finis: tum quia hoc genere locutionis denotatur motio metaphorica voluntatis, quæ soli caussæ finali conuenit.

§. 3.

Ponuntur fundamenta partis negantis.

8

PArtem negantem probauerũt quidam ex nouioribus, inter quos est Suarius in Metaphysica dispu. 23. sect.2.num.5.& latius sect.6.num.11. cũ sequentibus, Bellomontanus 1.p. dispu. 82.cap.2.num.8.& 1.2.disp.4.cap.2.& q. 12.art.2.nu.10.& 11.in annotatione ad articulum, ex antiquioribus, qui eam probauerit inueni neminem. Probatur autem his argumentis.

Et primo locis Aristot. verè expressis. Primus habetur 8.Ethic.cap.2. tex. 3. *atqui vtile videbitur esse, per quod efficitur aliquod bonum, aut voluptas: Quare fit, vt amabilia sint ipsum bonũ & iucundum, vt fines.* Vbi annotãda est illatio Aristot. ex eo enim quod bonum vtile dicitur medium ad consequendum bonum, aut honestum, aut iucundum; intulit bonum honestum & iucundum esse amabilia, vt fines. Cuius illationis sensus videtur esse exclusiuus: quasi significet sola illa duo bona esse amabilia vt fines, bonũ autem vtile, minimè; cum intentio agentis in illo nõ sistat, sed aliò tendat.

Partis negatiuę probatio ex locis Aristotelis.

Secundus locus habetur primo magnorum moraliũ cap. 2. vbi ita scribit: *bonorum alia sunt fines, alia non: quemadmodũ sanitas quidem, finis: at sanitatis caussa neutiquã finis* 9 2.Locus Aristot.

finis est. Vbi sanitatis causſam vocat omnia media, quę sunt causſatiua sanitatis.

3. Locus. Fauet locus secundo Physicorum cap. 3. tex. 29. & 2. Metaph. cap. 2. tex. 2. quatenùs vult omnia intermedia inter agẽs & finẽ esse gratia finis, de quo loco plura statim.

10 Ratio pro eadẽ parte. Ratione etiam probatur: quoniam sola illa res potest exercere causſam finalem, quę in se, & ex se habet bonitatẽ, propter quam ametur. Sed res, quę est bonum vtile, & quæ ideo precisè est bonum; quia est medium ad finem, vel non habet in se ipsa intrinsecam bonitatẽ, propter quam ametur: vel si eã habeat, non habet eam ex se ipsa, sed dependenter ab alio. Ergo res, quę est bonũ vtile, & medium ad finem, non potest exercere causſalitatem finis. Discursus est optimus: & maior certa; quia finis ex eo precisè est finis; quia est bonum amabile propter se: ideo enim cætera trahit, vt fiant ipsius gratia; quia in se ipso, & ex se ipso habet bonitatẽ, propter quã ametur. Minor verò est notissima, si cũ nonnullis dixeris, bonum vtile, & media ad finem nõ habere in se bonitatem aliquam intrinsecam, sed denominari bona immediatè à bonitate, quę est in fine, tanquã à forma extrinseca: quę fuit opinio Suarij in Metaphysica dispu. 10. sect. 2. num. 22, 23. 24. & disp. 23. sect. 6. n. 6. 12. quam plerique nouiorum probauere. Similiter etiam erit nota, si cum alijs veriùs dixeris media ad finem habere in se bonitatem intrinsecam; dependentem tamen à bonitate finis: nam ex hoc infertur bonitatem medij non esse ex se, & propter se appetibilẽ. Itaq; siue hanc, siue illã de bonitate mediorũ, opinionẽ sequaris, semper hoc erit obtentum, vt media non habeant bonitatem amabilem ex se, & propter se, sine qua bonitate nihil potest exercere causſalitatem finis: etenim de ratione finis est vt propter se, & propter suam bonitatem faciat, vt cætera quæ fiunt, propter ipsum fiant: vt colliges ex Aristot. 1. Ethic. cap. 7. tex. 25. 26. dum insinuat vltimum in vnaquaq; seriè ideo dici finem; quia omnia in eadem serie fiunt ipsius gratia. Quod etiam colliges ex secundo Physicorum cap. 3. tex. 29. & 5. Metaph. cap. 2. tex. 2. fiunt, inquam, ipsi' gratia; quia agentis intẽtio in illius bonitate sistit; quę tamen non sistit in bonitate medij: nam quanuis agentis intẽtio, vnum medium dirigat ad aliud medium, ita vt per vnum intendat aliud: nõ tamen ita illud intendit, vt in eo sistat. Hęc sunt huius opinionis præcipua fundamenta.

Aristot.

§. 4.

Pars negans tanquam probabilior eligitur, & oluuntur argumenta partis affirmantis.

EGo puto opinionem negãtem esse longe probabiliorem; quia & melioribus nititur fundamẽtis, & auctoritatibus Aristotel. ferè expressis. Ad quam accessit Fõseca in 5. Metaph. cap. 2. q. 10. sect. 1. in fine. Nam quanuis asserat intermedia (de quibus est controuersia) inter fines esse annumeranda; addit tamen non esse annumeranda simpliciter, sed secundum quid, & reductitie. Quibus verbis ad sententiam negantem expresse accedit. Videtur etiam pro eadem sententia facere D. Tho. prima parte q. 5. art. 6. ac 2. dũ ait: *vtilia dicuntur, quæ non habent in se vnde desiderentur: sed desiderantur, vt sunt ducentia in alterum: sicut sumptio medicinæ amaræ* Quod si in se nõ habent, vnde appetantur; nulla ratione poterunt habere rationem finis. Soluenda sunt igitur argumenta partis affirmantis. 11

Fonseca, *D. Thom.*

Ad primum sumptum ex Aristotele 2. Physicorum & 5. Metaphysicæ, dicendum est locum illum neganti sententię potius fauere, vt superiùs aduertimus. Nam quam longe sit à mente, & instituto Aristot. velle ostendere intermedia illa habere rationem finis respectu præcedentium, & literæ series, & ratio Aristotel, euidenter ostẽdit: cõstat enim Aristotel. probare illa intermedia fieri gratia sanitatis, Erit igitur sensus: non solùm sanitas est finis deambulationis; sed etiam omnium eorum, quę inter medicum, & sanitatem interiacent. Quæ fuit explicatio Alexandri Aphrodisæi, & Scoti in dict. cap. 2. quinti Metaphysicæ Ægidij, Toleti, & Cursus Conimbricensis in dict. cap. 3. secundi Physicorum. Quam nos olim probauimus in Commentarijs ad vtrunque locum, & supra q. 1. ar. 2. sect. 2. cũ Bellomontano 1. 2. disp. 4. & hanc esse mentem Aristot. 12

Soluitur argum. ex locis Aristot. pro parte affirmatiua de sumptũ.

Aphrodisæus. *Scotus.* *Ægidius.*

pro-

probare possumus,primò ex litera græca,quam ibi adduximus, cuius verba ,p verbo ita reddenda sunt: *& quæcunque mouente alio inter:* (*supple*) *sunt ipsius finis:vt sanitatis attenuatio, vel purgatio,aut pharmaca, aut organa.* Quę verba ita fideliter in latinũ versa clariora sunt,quã vt nostra indigeant explicatione ad impugnandum e nsum aduersarijs probatum. Deinde id ipsum probant verba immediatè cõsequentia; *vniuersa enim hæc ipsius finis gratia sunt.* Quę cum contineant probationẽ verborum præcedentium,manifestè ostendunt Aristotel. agere de illis intermedijs,non respectu mediorum præcedẽtium,sed in ordine ad sanitatem, quã constituit omnium illorum vnicum finem: aliter confirmatio esset extra rẽ; quidquid Fonseca plura supplẽdo frustra laboret probationem illam accõmodare,sed accommodare non potuit.

13 Accedit tertiò,quia Aristot.generaliter loquitur de omnibus intermedijs, quæ interiacent inter medicum,& sanitatem: & tamen non omnia illa habent alia priora, quorum fines dicantur, vt patet in primo medio in executione sũpto. Non est igitur dubitandum quin sensus aduersarijs probatus repugnet, & menti,& probationi Aristot. Vnde nõ est audiendus Suarius in dict. dispu.23. sect.6.num.13. dum cũ aduersarijs supponit Aristotelem in illis locis cõferre intermedia cum medijs prioribus,velleque ea esse fines priorum, non prout finis induit rationem causæ finalis, sed prout induit rationẽ puri termini. Quæ solutio in duobus deficit: primò, quia probat sensum aduersariorum à mente Aristo,alienum. Deinde,quia nõ possũt illa intermedia induere rationem finis vt est terminus, quin simul induant rationem causę finalis: de quo statim nõnihil dicemus.

14 Aduertẽtia ad soluendã primã rationem.

Pro explicatione primæ rationis aduertẽdum est definitionem finis ita esse explicandam; vt sit id,gratia cuius aliquid simpliciter fit. Tũc autem aliquid simpliciter fit gratia alterius, cum fit propter ipũ sine vlla in intentione agẽtis per se dependentia à bonitate alterius. Quod dicimus propter dependẽtiam finis medij á fine vltimo; vt cum quis sumens potionem simul intendit sanitatem,& vacationem studij.: aut cũ dans elèmosynam simul intendit honestatem virtutis, & satisfacere pro peccatis. Duos enim fines in eadẽ serie intendi posse, ita vt vnus sit proximus, & alter vltimus, ostẽdimus supra q. 3. ar. vnico num,10.contra Bellomontanum. hæc enim dependentia finis proximi nõ est per se dependentia,quia potest quis sanitatem appetere non appetendo vacare studio, & potest quis dare elèmosynam propter virtutis honestatem,interim non intendendo satisfacere pro peccatis. Igitur de ratione finis est, vt gratia ipsius aliquid fiat absq; vlla per se dependentia à bonitate alterius:nã si aliquid fit gratia alicuius cum per se dependẽtia à bonitate alterius,cuius gratia & ipsum per se fit: iam illud non fit simpliciter gratia ipsius, sed gratia illi⁹ alterius.

Solutio primæ ratiõis.

Hoc supposito negandum est definitionem finis cõuenire intermedijs respectu priorum mediorum: & ratio est, quoniã etsi priora illa aliquomodo fiãt propter ipsa; Simpliciter tamen nõ fiũt eorum gratia, sed gratia principalis finis: vt optime aduertit Fons. in 5.Meta. dict.cap.2.q.10.sect.1. ad finem. Igitur illa intermedia habent quidẽ aliquẽ modum causæ finalis: attamen nõ sunt causæ finales,quia nunquam finalizant, nisi cum dependentia à bonitate illius, cuius gratia,& ipsa appetuntur:etenim purgatio licet aliquo modo trahat potionem,vt fiat gratia ipsius: tamen simpliciter illam non trahit gratia sui;quia eam non trahit nisi cum dependentia à sanitate.

Fonseca.

15 Solutio 2. ratiõis iũx diuersas opiniones.

Ad secundam rationem admittent maiorem, qui in ea fuerint opinione, vt medijs intrinsecam bonitatem denegent: negabuntque minorem. Et suppo sita illa opinione euidẽter constat media posteriora non finalizare priora ratione sui, sed ratione finis, vt ab ipsis participati. Nam cum non finalizent priora media,nisi media bonitate:nullã autem aliam habeant nisi bonitatem finis, à qua tanquam à forma extrinseca denominantur bona:fit,vt ipse finis potius finalizet,nõ quidẽ simpliciter(quia finis ratione sui immediate nõ finalizat media illa remota) sed solũ prout participatur ab illis medijs: bonitas enim sanitatis vt participata per extrinsecã denomina-

nominationē à purgatione, qua media, sanitas est cōparanda, immediatè finalizat potionem amarā: & vt participata à potestate, finalizat cōfectionē potionis, & instrumēta, qb⁹ potio debet cōfici, & ob istam participationē bonitatis finalis dicuntur media aliquo modo finalizare: prout scilicet ipsa, vt participantia bonitatem finis, immediate finalizant: cum tamen simpliciter non finalizent gratia sui, sed gratia finis.

Porrò iuxta nostrā opinionem negāda est maior; quia nō ideo precisè reijciuntur media à ratione finis, quod non habeant propriam, & intrinsecam bonitatem: (hanc enim illis concedimus) sed quia illam bonitatem habent perse dependentem à bonitate finis: ratione cuius essentialis dependentiæ alia non simpliciter fiunt gratia ipsorū, sed gratia bonitatis finis; obquam rationē ipsa quidē aliquo modo finalizāt priora media; non tamen simpliciter, sed secundū quid, & caussalitate, quæ reductitie ad caussalitatem finalem reducitur vt bene aduertit Fons. vbi supra.

Fonseca 16

Soluitur 3. Ratio.

Ad 3. rationem admittendum est vnum mediū vere ordinari ad aliud posterius medium, non solùm materialiter: quatenus prius est caussa posterioris: sed etiam formaliter quatenus perfectio naturalis prioris medij est bona & conueniens posteriori, quidquid Suarius repugnet. At tamen non ordinatur ad illud simpliciter, & absolutè illi⁹ gratia: sed prout illud pse ordinatur ad bonitatē finis. Et inde est, vt licet mediū prius aliquo modo ametur propter medium posterius; quia voluntas vult pri⁹ cum intentione posterioris: tñ non simpliciter amatur propter illud posteri⁹ medium, & gratia illi⁹: sed cum dependentia per se abonitate finis; quæ depēdentia in ordine ad posterius licet aliquo modo pertineat ad caussam finalem, non tamen est vera, & propria dependentia caussæ finalis; cum simpliciter non fiat gratia illi⁹, nec simpliciter ab eo trahatur, vt diximus. Et inde est, vt sicut medium posterius in ordine ad prius aliquo modo participat rationem finis, ita etiam aliquo modo participet rationem motionis metaphoricę.

§. 5.

Partem affirmantē habere etiā probabilitatem & in quo sensu defendi debeat.

QVanuis partem negantē putem⁹ esse longe probabiliorem: nō negamus tamen affirmanti suam probabilitatem: cuius probabilitatis non leue fundamentū est, quod antiquioribus est probata: Egidio inquam, Ochamo, & Gabrieli: cum tamen pars negās quibusdam tantum placeat nouioribus & quod apud me plurimū valet, pro affirmante absq; dubio habemus D. Tho. ita enim scribit. 1.2.q.12. ar.3. *simul autē intendit aliquis & finem proximum, & vltimū, sicut confectionem medicinæ, & sanitatem.* Quibus verbis expresse docet non solùm sanitatem esse finē eorū, quę propter ipsā fiunt, sed etiam confectionem medicinæ esse finem eorum, quæ ad illius confectionem præparantur. Expresior locus in 3, cōtra Gēt. c. 2. in 4. ratione, ita scribit: *omnia intermedia inter agens & vltimum finem, sunt fines respectu principiorum, & principia actiua respectu sequentium.* Idem docet in 5. Metaph. lectione 2. cōm. 1. ad finem, vbi ad hunc sensum explicat Aristotelem eo in loco vt superius adduximus. 17

Confirmatur amplius pars affirmans auctorib. D. Tho.

D. Thoma.

D. Thom.

Nec satis est, si cum Suario in d. sect. 6. num. 13. dicas D. Thom. loqui de fine, non prout induit rationem caussæ finalis, sed puri termini: hæc enim explicatio longe est à mente D. Thomę 1.2. loco citato. Id quod, primū ostendit præsupposita doctrina eiusdem Suarij vbi supra nu. 14. docet enim finem semper induere rationem caussę finalis, cū terminat sub ratione boni: quibus verbis satis significat finem, quādo induit rationem puri termini non terminare sub ratiōe boni, sed sub alia ratiōe materiali, quæ in ipso reperitur. Hac supposita doctrina euidenter colligit D. Thomā non agere de fine, prout induit rationem puri termini: quoniam agit de fine, prout terminat actum intentionis, vt manifestè constat ex litera, & tota illa quæstio. Intentio aut semper terminatur ad bonum sub ratione boni, vt docet D. Tho. de Veritate quęstio. 22. articul. 13. in fine, & in hoc sensu dicitur terminari ad finem. ergo D. Tho. non agit de fine, prout induit rationē puri termini, sed prout induit rationem caussę finalis. 18

D Thom.

Accedit eo, quia in eodem sensu D. Tho. accepit finem, cum in dict. ar. 3. docet intentionem simul terminari ad finem vltimum, & medium (ad sanitatē inquàm, & ad confectionem Medicinę) in quo docuit ar. 2. intentionem semper esse finis, quanuis non semper sit vltimi finis: nam ex hac posteriori propositione intulit priorem, quam posuit in d. ar. 3. Sed in hac posteriori propositione in vtroq; membro accepit finem non prout induit rationē puri termini, sed ꝓut induit rationē caussæ finalis (etenim in hoc sensu cōmunis philosophia docet intentionem terminari ad bonum, & ad finē) ergo in vtroq; mēbro propositionis prioris accepit finem prout induit rationem caussæ finalis. Nec enim dici potest intentionem ad vnum finē illorū terminari sub ratione puri termini, & ad alium sub ratione caussæ finalis: ne cogamur dicere D. Tho. in eadē ꝓpositione commisisse apertam, & inutilem æquiuocationem.

19 Nec etiā satis videtur esse explicatio Bellomont. ad 1.2.q.12.ar.2. in annotatione ad art. nu. 11. D. Tho. eo in loco agere de intentione nō proprie, & presse sumpta, sed in latiori significatione in qua potest etiā terminari ad ea, quę sūt ad finem. Nō satis est inquam: tum; quia non explicat, quę nā sit hæc latior significatio intentionis, sed nec explicare potest: tum secundo, quia D. Thomas in d. ar. 3. de ea intentione agit, de qua egerat in 1. & 2. ar. in quibus egit de intentione presse sumpta. Tū 3. quia in d. ar. 3 ait voluntatem vna, & eadem intentione terminari ad finem, medium, & vltimum, iam verò ad finem vltimum terminari non potest, nisi ꝑsse sumpta: tum deniq; quia vis nostri argumenti nō est posita in hoc, quod intentio presse, aut late sumatur: sed in hoc potius, quod D. Tho. similiter appellat fines media illa, quę priora alia media respiciunt. Cui difficultati non respōdet Bellomontanus.

Soluitur obiectio ex D. Thom.

Credo igit D. Tho. probasse opinionē affirmantē. Cui nō obstāt verba eiusdē D. Th. 1.p.q.5.ar.6. ad 2. dū ait: *vtilia dicūtur, quæ nō habent in se, vnde desiderentur. Sed desiderantur, vt sunt ducentia in alterum; sicut sumptio medicinæ amaræ.* Sensus .n. est bona vtilia ñ habere in se vnde ꝓpter se simpliciter desiderent, & sine dependentia ab alia bonitate: sed semp desiderari cū dependentia. Quod ñ tollit, quin respectu præcedentiū possint desiderari, si ñ simpliciter, tamen cum dependentia. Quod satis est, vt exerceant rationem finis.

30 Maior eius dē opinionis cōfirmatio ex locis Aristot.

Ex his pēt opinionē affirmātē satis reddi ꝓbabilē auctoritate Patronorū. Sed vt eius probabilitas magis appareat, & quā sit consentanea cū doctrina Aristotelica, aduertendū est Arist. 1. Ethc. c. 7. tx. 27. & 28. iuxta cōmunē ōnium interpretū explicationē, triplex cōstituere genus finis: primū est eorū, qui simplicit sunt impfecti, vt quia ex sua natura habent, vt expetant nōsimpliciter, sed cū dependētia ad alios fines: inter hos enumerat diuitias, fistulas, & alia huius generis instrumenta. Qui fines finalizant pleraq;, q̄gratia ipsorū fiūt: homines. n. plura faciunt gratia congregandarum diuitiarum: quæ tñ non appetunt ratione sui, sed cum quadā per se dependentia ad conseruationē vitæ. Alterum genus finiū, qui ita expetuntur gratia sui, vt ipsi gratia alterius nunquam expeti possint. Et hic est solus finis vltimus, in quo ponitur felicitas: is. n. ita expetit gratia sui, vt per se habeat nō posse appeti gratia alterius. Tertiū genus finiū inter duo priora genera tanquam medium interiacet, & est eorum finiū, qui ita sunt per se expetibiles, vt non repugnet & ipsos appeti gratia alterius: vnde & in eadē serie possunt simul appeti modo quodam subalternato, nō quidem ex sua natura, sed ex sola intentione agentis: & ideo vnus eorum dicitur finis proximus, alter vero vltimus in eadem serie.

Inter hos fines ex sententia Aristotelis ibidem hoc interest, quòd fines primi generis per se sunt fines imperfecti; quia nimirum nunquam possūt simpliciter appeti gratia sui, suæque bonitatis, sed semper appetuntur cum dependentia ad alium finem. Fines verò secundi, & tertij generis sunt fines ex sua natura perfecti; quia quilibet eorum per se est expetibilis sine dependentia saltem actuali ad alium finem. Inter quos fines vnus est alio perfectior, vt Aristoteles eo in loco ostendit. Media autem, de quibus agimus, pertinent

rent ad primũ genus finium, ad quod ptinent omnia bona vtilia, quę habẽt alia priora, quæ illorum sunt gratia. Isti fines ex sua intrinseca ratione habẽt, qđ sint fines medij, & nulla rõe vltimi, & ob id dicuntur imperfecti. Cui doctrinæ cõcinit cõmunis Philosophorũ, & Theologorum doctrina, quæ duplex genus finis distinguit: nã alius dicitur vltimus, & alius medius, quam diuisionem contra Bellomont. late defendimus supra q. 3. ar. vnico. Sed aduertendum est ex finibus medijs, quosdam esse, qui per se, & sua natura sunt medij, ita vt nunquam possint esse vltimi: quosdam verò, qui solum sunt medij ex ordinatione operantis, qui pro sua libertate bonũ, quod est propter se bonum, & expetibile, potest in aliud bonum referre. Ad priores fines reuocantur media ad finẽ, quę ex sua natura sunt media. Inter posteriores enumerari possunt fines, qui in tertio genere collocantur.

22 His præmissis dicendum est opinionem affirmãtem in hoc sensu admittere media ad finem esse veros fines inordine ad media præcedẽtia; vt tñ asserat esse fines per se imperfectos, & solũ esse fines medios, & nunquam vltimos. Nec proinde admittit esse fines secundum quid, & reductitie: (quidquid Fonse. oppositum velit) sed in illis verã rationẽ finis agnoscit, quanuis minus perfectã cum illorum gratia vere aliquid fiat, licet non præcisè, & independenter gratia illorum: hęc enim independentia, licet requiratur, vt finis dicatur perfectus, non tamen vt dicatur verus. Nec impropbabiliter id dicitur, cum colligatur ex Arist. in d. cap. 7. primi Ethic. & ex D. Tho 1.2. q. 12. ar. 2. ad 3. ex Aristo. quidẽ, quia agens de caussa finali, cuius gratia aliquid fit, (quę est vera ratio finis) triplicem eam distinxit, diuisitq; in imperfectam, perfectam, & perfectissimam. Ex D. Tho. autẽ; quia docuit intẽtionem, ex se quidem esse finis, nõ tamẽ semper esse vltimi finis: cum tñ intentio semper terminetur ad verũ finem. Quare iuxta hanc doctrinam finis absolute sumptus est id, cuius gratia aliquid vere fit, siue fiat solius illius gratia, siue cũ dependentia ad alterum.

23 Ex his facile dissoluipossũt argumẽta partis negantis posita §. 2. Nã ad primũ locum ex 8. Ethic. cap. 2. tex. 3. dicendũ est Aristote. ibi agere de fine vltimo, & perfecto: quem sensum manifeste indicat illatio, quam in argumento expendimus. Nec est admittendum illationis sensum esse exclusiuum: Aristot. enim in cap. 3. sequente fatetur bonum vtile esse bonum amabile. Et cap. 4. satis indicat bonum vtile posse amari vt finẽ: docet enim posse vnum hominem ab alio amari propter vtilitatem, quam inde consequitur. Itaque infert Aristo. bonum delectabile & honestum esse fines vltimos: quod non tollit, quominus bonum vtile sit finis medi⁹: id enim admisit 1. Ethic. cap. 7. vt ostendimus.

Explicatio primi loci Aristot. pro parte negatiua adducti

In eodem sensu explicandus est secũdus locus ex primo Magnorum Moralium cap. 2. vt intelligatur de fine vltimo in aliqua serie: etenim Aristot. intẽtio est inuestigare, & venari finem simpliciter vltimum, & perfectum, cui intentioni soli fines vltimi inseruire poterant.

Explicatio 2. loci.

Terti⁹ locus est pro nobis, si admittimus explicationem D. Thom. Soti, & Fonsec. sed quoniam putamus eam esse violentam, & alienam à mente Aristot. vt diximus §. 3. Respondemus Aristotelem docuisse quidem omnia illa inter media esse gratia finis vltimi, scilicet sanitatis, de qua agit: negamus tamen inde inferri ea nõ esse fines respectu præcedentium.

Exponitur 3. locus.

Ad rationem dicimus ea bene probari media ad finem esse non posse finem perfectum, & vltimum, de quo solũ vera est maior: non probari tamen nõ posse esse finem imperfectum, & medium, vt appellant: maior enim si generaliter intelligaẽ de quocũq; fine, negãda erit.

Solutio rationis.

ARTICVLVS V.

Vtrum media habeant caussalitatem finalem erga actiones voluntatis, quæ ad illa terminantur.

§. 1.

Explicatur opinio affirmans.

SVPEREST vt conferamus media cum actu electionis cæterisque actibus voluntatis, quæ ad media terminãtur, tanquam ad obiecta. Consi- 1

tat enim voluntatem allectam amore finis ex illis medijs,quę ab intellectu sibi proponunt, eligere ea, quę ad finis consequutionem magis conducunt; deinde per actum vsus applicare poās ad exequutionem illorū. Inquirunt igitur quidā ex nouioribus,vtrūsicut finis iuxta plurimorum sententiā exercet caussalitem finalem in simplicem amorem, quo voluntas in illum fertur: ita etiam media exerceant caussalitatem finis in actum electionis,quo eligunt: & in actū vsus,quo à voluntate applicantur ad finem consequendum.

3 Affirmatiua sentent.

Partem affirmantem plerią; probauerunt, quam hac conclusione bimembri declarant. Media cōparatiōe actuū quibus à voluntate expetuntur, habēt propriam rationem finis,nō tamen potissimam.Duplicem philosophantur, & distinguūt finalem caussalitatem: siue potius duplicem rationem caussalitatis finalis. Vnam,qua finis gratia sui amoris finalizat: alteram, qua finalizat solius suæ bonitatis gratia. Et quanuis prior finalizandi ratio sit prȩcipua, & perfecta: hæc tamen posterior vera est & propria. Huius distinctionis in hoc lib. sæpe meminimus, eam videtur docuisse Curs.Conimb.2.phys.cap.7.q.22. ar.1.§.*Hæc tamen cōtrouersia*, Suar. in Met. disp.23.sect.3.num.8. tribuit Gabr.in 2. dist.25.ar.1.notab.2.& Greg. ibi q.1.a. 1.statim in principio. Et quanuis neuter illorum duplicem istam finalizandi rationem sub terminis explicatis proponat:ex vtroq; tamen euidenter colligitur duplex ratio finalizandi, propria inquam, & magis propria (proprijsima,quam addunt, ad rem modo non facit) vna finis finalizat,vt volitus,& amatus, altera solùm, vt obiectum, sub qua ratione non potest finalizare,nisi sub ratione suæ bonitatis.Vnde nobiscum videntur consentire. Nec audiendus est Bellomont.1.2.disp.4.c.2.§.*hanc sententiā*, dum negat Greg.autGab.docuisse caussam finalem accipi modis ibi explicatis,sed finem, quem distinguit à caussa finali: oppositum enim colligitur exGabriele in verbis immediate præcedentibus, dixit enim finem interdum accipi prout idem est,quod caussa finalis,finēque sub illa ratione tripliciter accipi.

Gabriel Gregor,

4 Hac distinctione prȩmissa nouiorum nonnulli dicunt media verā finis caussalitatem exercere, erga actum electiōis, quo eligunt; non tamen caussalitatem perfectissimam. Huius assertionis posterior pars inde ostenditur, quia perfectissima ratio finalizandi in hoc est posita,vt bonum amatum,vi sui amoris excitet voluntatē ad eligenda media gratia ipsius.Quod non conuenit medijs in ordine ad actum, quo eliguntur, nec. n. media antequam eligantur sunt amata; quia peractum electionis primo amantur: nec voluntas ex amore medij appetit aliquid, quod excitet ad eligendum medium,sed immediate tendit in illud.

Probatur posterior pars præcedentis sententię.

Prior pars multis potest confirmari: primò, quoniā negāri nō potest media ratione suæ bonitatis mouere voluntatem ad electionem sui: voluntas enim ñ solùm est finis, sed mediorum ad finem ex D.Thoma 1.2.q.8.ar.2. & 3. & de veritate q.22.ar.13.ad 5.& q.23.art. 1. ad 3.& passim alibi.Mouent autem voluntatem motu metaphorico, attrahendo nimirum,& alliciendo eam, quæ motio ad caussam finalem pertinet.

1 Prabatio prioris partis.

D.Thom.

Deinde,definitio finis verè,& proprie cōuenit medijs in ordine ad actum suæ electionis.Igitur erga illū exercent veram caussalitatem finis. Consequentia patet. Antecedens probatur, quoniam finis est cuius gratia aliquid fit,idest,propter cuius bonitatem aliquid fit,vt explicant Curs.Conim.2.Phys.cap.7.q.21. ar.1.§.*Hæc tamen controuersia*.&.§.*itaque generalis ratio*, Suar.in Cōmentarijs ad 1.2. q.2.prefationis, & satis in metap,dispu. 23.sect.3.nu.8. & 16. sed voluntas elicit actum electionis,per quem tendit in media,idq;gratia bonitatis mediorū:ideo enim hoc mediū prę cæteris eligit;quia melius est ad consequendum finem.

2.Ratio.

3.Ratio.

Tertio omne obiectū voluntatis habet rationem, & caussalitatem finis erga actum,quem terminat, sed medium est obiectum voluntatis in actu electionis,ergo medium, quoad illum actū habet caussalitatem finis.Min.patet; quia illud est obiectum potentiæ,circa quod potentia versat:voluntas autem versatur circa media. Maior ex eo videtur probari; quia finis est obiectum voluntatis ex D.Thom.1.2.quæstione prima, art.1.bonum enim, & finis idem sunt ex Aristot,2.Phys.cap.3.

D.Thom. Arist.

Quartò,

4. Ratio. Quartò; finis rõe suæ bonitatis verã exercet causalitatem finalem erga simplicem sui amorem iuxta opinionẽ probabilem dequa in præcedẽte disp. Ergo media eandẽ causalitatem exercebunt erga actum electionis, nulla enim dabit ratio discriminis.

vlt. Ratio, Postremo, nihil impedit, quominùs media exerceant veram causalitatem finalem erga actũ suæ electionis: nam habent in se ipsis bonitatem formalẽ distinctam à bonitate finis, vt supra ostendimus. Igitur cur non dicentur causa finalis suæ electionis?

Hęc sunt huiꝰ opinionis fundam. potiora; quam plerią; nouiorum prabauere, & mihi satis eam probarũt Greg. & Gab. quidquid Bellomont. contradicat: agentes enim de fine, vt est idem quod causa finalis docent obiectum volitõis verè & propriè esse finem illius: & cum tradant generalem doctrinam, eam intelligunt de obiecto cuiuscunque volitionis, siue illa sit amor, siue desideriũ, siue electio, &c.

Gregor. *Gabr.*

§. 2.

Explicatur pars negans.

6 Negatiua sententia à quibus auctoribꝰ probetur. NEgantem sententiã probauerũt plurimi ex recentioribus Theologis, eam probare debent, qui volunt finem non exercere causalitatẽ finalem erga simplicem sui amorem, sed ad illũ cõcurrere in genere causæ efficientis: idem enim dicent de medijs, quatenus sunt obiecta electionis, maximè cum doceant finem non finalizare, nisi per bonitatem, vt amatam: quæ finalizandi ratio, sicut nõ datur in fine respectu sui amoris, ita nec datur in medijs respectu suæ electionis. In hac opinione videtur esse Suarius in dict. disp. 23. sect. 6. num. 16. si diligentius legatur.

Vnde probetur hęc sententia. Hæc opinio ijsdẽ ferè argum. probari potest, quibus in prędcedente sect. probat vnum medium repectu alterius prę cedentis nõ exercere rõem finis. Nam

Aristot. Arist. 8. Ethi. cap. 2. tex. 3. satis declarat sola bona honesta, aut iucũda esse amabilia, vt fines. Iam verò media, vt media nec sunt bona honesta, nec iucunda, sed tantum vtilia. Hanc etiã sententiam confirmare videt ratio ibi adducta, dũ probat ea sola bona exercere causalitatẽ finalẽ, quę sũt bona amabilia propter se, Media aũt nõ amant propter se, sed propter finem vt ibi ostensum est.

§. 3.

Resoluitur pars negãs tanquã probabilior.

7 Prędfertur negatiua sũ tentia. SIcut in sect. prędcedente §. 3. illorũ sẽtentiàm longe probabiliorẽ existimauimus, quæ medijs respectu prædcedẽtium denegat causalitatẽ finis: ita nunc longe probabiliorẽ existimamus hãnc negantem partem: habet. n. fundamenta longe meliora, & cũ mente Arist. magis cõsentientia. Cui fauent verba D. Tho. 1. p. q. 5. ar. 6. ad 2. nam si sũptio medicinæ amaræ non habet in se, vnde rõe sui desideretur, sed solũ desiderat prout ducit ad sanitatem: vtią; iam non gratia sui mouet voluntatem ad sui electionem. sed gratia sanitatis: quod non satis congruit cum ratione finis. Soluẽda sunt igitur argumenta in contrariũ.

Aristot. *D Thom.*

Solutio Primę rationis cõtraria. Ad 1. in confirmationem prioris partis adductũ Respondendũ est primo, media mouere voluntatem ad sui electionẽ, solũ in genere causæ efficientis, quæ est plurimorum opinio; iuxta quã negãdum est media mouere voluntatem motu metaphorico; quia motio effectiua nõ potest dici metaphorica, vt colliges ex Arist. 1. de gener. c. 7. tex. 55. Hęc tũ solutio supponit opinionem satis dubiam.

2. Eiusdẽ argum. solutio Quare 2. loco respõderi potest negãdo media ratione suæ propriæ bonitatis mouere voluntatem: media. n. non habent propriã bonitatem, sed dicuntur bona per bonitatem finis denominatione quasi extrinseca, quę est multorum sentẽtia. Sed hæc etiã opinio supponit opinionẽ, quę pluribꝰ, non placet existimantibus media habere bonitatem propriã, distinctam à bonitate finis.

3. Solutio. Tertio loco solui potest si dicas, id qđ quibusdã placet, media mouere quidẽ voluntatem per bonitatem propriã, & tanquam obiecta formalia illius: at tñ eam mouere non tanquam obiecta primaria, sed secundaria, quæ non gratia sui mouent, sed gratia alterius nempe finis. Quibus non conuenit motio metaphorica: quoniã licet moueant voluntatem alliciendo eam, & attrahẽdo: nõ tñ mouent attrahendo per amorem, & desiderium: etenim primus actus, quo voluntas in ea tendit, est electio: quam & si antecesit amor finis, non tamen antecesit aliquis amor iplorum me-

diorũ determinate, & in se ipsis: vt autẽ motio dicatur metaphorica necesse est, vt moueat attrahendo voluntatem per amorem, & desiderium sui, quæ est sententia Bellomontani 1.2. disp. 3. cap. 2. sed nos eam reiecimus in superiore disputatione.

4. & germana solutio. Vera igitur argumẽti solutio in hoc est posita, vt dicam⁹ media mouere quidem voluntatem per propriam bonitatem dependentem tamen à bonitate finis. Et prẽterea mouere voluntatem motione Metaphorica: nam cum eam non moueant efficienter, non possunt nõ mouere alliciendo, & attrahendo: in quo posita est vera ratio Metaphoricæ motionis, vt supra cõtra Bellomontanum ostendimus. Negamus tamen motionem istam soli causæ finali, quæ vera sit causa finalis, conuenire: nam cõuenit ẽt illis, quæ rationem causæ finalis aliquo modo participant, & dicũtur causa finalis secundum quid & reductiue: media verò in ordine ad voluntatẽ aliquo modo se habent, vt causa finalis, sicut sectione prẽcedente ad mentem Fonſ. diximus. Faciunt ad cõfirmationẽ huius solutionis, quę diximus in disp. præcedente in 2. solutione 8. argu.

Fonseca

8 Solutio 2. rõis cõtrariç. Ad secundum negandũ est definitionem finis vere & proprie conuenire medijs, quantũuis illa verba, *cuius gratia*, id valeant quod, *cuius bonitatis gratia*, quoniã definitio finis ita est explicanda, vt finis sit cuius bonitatis gratia aliquid simpliciter fit, vt diximus sect. præcedente §. 3. ad 1. rationem: quod non conuenit medijs: nam & si voluntas eligit hoc mediũ gratia suę proprie bonitatis: illud tñ nõ eligit prẽcise gratia illius, sed dependẽter à bonitate finis.

9 Solutio 3. rationis. Ad 3. neganda est maior: datur enim instantia in fine, qui terminat actum amoris absq; vlla finali causalitate iuxta veriorẽ sententiã. Quod si oppositã probes: maior solum erit vera de obiecto voluntatis principali, & primario, non de secundario, ad quod media reuocantur, & adhũc sensum explicandus erit D. Tho. dũ ait, *finem esse obiectũ volũtatis*, primariũ inquã, & principale; quomodo aũt intelligenda sit illa propositio, quam ex Arist. pleriq; deducũt; *finis & bonum idem sunt*, alibi ostendim⁹, ea enim nõ est vera in sensu formali, nec eitã in sensu materiali, nisi bonũ sumat pro bono, quod est simpliciter bonũ: quale nõ est bonũ vtile, sed honestum, & iucundum.

D. Thoma.

4. Rõis enodatio. Ad 4. respõderi potest 1. negando id, quod in antecedente supponit: opinio n. contraria lõge est verior, vt diximus in disp. prẽced. Respõdeẽ 2. admisso antecedẽte consequentiã nõ valere, ppter disparẽ rationẽ: finis. n. habet bonitatẽ intrinsecã absolutã sine vlla p se dependentia à bonitate alterius, quę bonitas est proximũ fundamentũ causalitatis finalis: bonitas aũt mediorũ nõ est talis quia vel habent solã bonitatẽ extrinsecã, vel non habent bonitatem indepẽdẽtem. Et inde infertur solutio ad postremũ argum. Quoniã ad veram causalitatem finalẽ necessaria est bonitas intrinseca & absoluta, quæ prẽcise sui gratia, & independenter ab alio finalizet.

Vltim. rõis Solutio.

Nõ negabo partem affirmantem aliquo etiam modo defendi posse: fateor tamen eam mihi nõ esse admodum probabilem; quia non video, quomodo vera ratio finis possit accõmodari medijs in ordine ad actus internos, quorũ sunt obiecta. Nec. n. illis accõmodari potest vera ratio finis vltimi, aut intermedij, ad quæ duo membra ônis verus finis reducitur. Nõ accõmodari rõem finis vltimi in aliqua serie, per se constat: quod non conueniat ratio finis intermedij, inde patet; quia inter fines intermedios datur essentialis subordinatio: nam medicamentũ fit propter purgationẽ, purgatio propter sanitatem. Hanc autem subordinationẽ non video inter media, & actus internos, quorũ sunt obiecta.

ARTICVLVS V.

Vtrum minus bonũ possit exercere causalitatẽ finalem prætermisso maiori bono.

1 Ratio dubitandi pro p. affirmatiua. PArs negatiua hãc habet rõem dubitãdi: quoniã bonum ideo exercet causalitatẽ finis, quia mouet volũtatẽ, vt gratia & amore suæ bonitatis aliquid agat. Sed min⁹ bonũ ñ potest ita mouere voluntatẽ, vbi ex aduerso se se objcit mai⁹ bonũ. Ergo min⁹ bonũ prętermisso maiori, nunquã poterit exercere rõẽ finis. Maior est nota, minor ostẽditur, quoniã si de rõe boni quatenus est bonũ, est mouere voluntatẽ; vtiq; de rõe maioris boni erit magis mouere volũtatẽ. Et percõsequens concurrentibus ex

ex aduerso duobus bonis maius bonum mouebit voluntatem,& non minus.

Resolutio. Hoc tamen non obstante dicendum est minus bonum interdū posse exercere munus caussæ finalis, quanuis ex aduerso simul cōcurrat aliud maius bonū. Id quod fatetur Suarius in Metap. disp. 23.sect.5.n.11.Conclusio experiētia est notissima: experimur enim sæpissimè nos moueri à maiori bono, & tamen eo prætermisso gratia minoris operari: etenim propositis illis duobus bonis adhuc voluntas est libera, & quoad exercitium,& quoad specificationem vtriusque,vt modò supponimus.

Soluitur ratio dubitandi. Et hinc soluitur ratio dubitādi:quoniam & si maius bonum ex se sit efficacius ad mouendum voluntatem, & ad finaliter caussandum: quia tamen ea nō necessitat, nec quoad exercitium, nec quoad specificationē, adhuc relinquit locum,vt minus bonum possit voluntatem allicere,vt prætermisso maiori bono gratia sui operetur: etenim motio, qua bonum mouet voluntatem, dependet à determinatione, & cooperatione ipsius voluntatis: sine qua non datur caussalitas finalis.

ARTICVLVS VI.

An malum sub ratione mali possit exercere caussam finalem?

Duplex sensus qnęstionis. PRæsens quæstio duplicē potest habere sensum:primus est,an malum sub ratione mali possit finalizare sui ipsius prosecutionem, & assecutionem? Alter est, an malum sub ratione mali, vere finalizet fugam,vt euitetur? Qui sensus sunt inter se diuersi, & diuersas habent tum dubitādi, tum decidendi rationes,quæ sigillatim explicabuntur.

§. 1.

An malum possit finalizare ad sui prosecutionem?

1 Sentētia Nominaliū circa primā q. *Ochamus.* RAtionem dubitandi præbuerunt Nominales,qui volunt voluntatē posse ferri motu prosecutionis,& amoris in malum sub ratione mali. Quę fuit sententia Ochami 3.q.13.ad tertiū dubium liter.S.T. quem refert, & videtur probare Almainus Tract. 3. Moralium c.4.ad finem. Maior in 4. d.49.q.7. concl.2.Hieronym. Angestus in suis moralibus c.2.notabil.2. lit.I.fol.15.verso, non repugnat Scotus in 1.d.1.q.4. ad 1. argum.pro opinione, §. *Ad* 3. & clariùs in 2.dist.43.q.2. Ex qua sententia plane infertur posse malum sub ratione mali exercere caussalitatē finalem,nō solùm mouendo voluntatem,vt simpliciter feratur in ipsum; sed etiam, vt gratia ipsius aliquid operetur.

Maior. Angestus. Scotus.

Primum argumentum pro hac parte. Quoniam verò fundamentum huius opinionis ex antecedente desumitur(illo enim supposito non potest non concedi hæc opinio) proinde tota difficultas erit in ꝓbatione antecedētis.Quod primo confirmatur: quia nulla poterit ratio adduci, quæ conuincat non posse voluntatem ferri in malum,sub ratione mali:sicut etiā non afferetur ratio, quæ concludat non posse voluntatem odisse bonum,sub ratione boni.

2.argum. Deinde arguit Ochamus: quoniā sequeretur neminem posse mereri,aut demereri circa obiectum propositum vt malum,v.g. circa colēdum falsum Deū. Quod est falsum.Sequela ꝓbatur: quoniam si voluntas non potest velle illud obiectum, nempe colere falsum Deum. Igitur nunquam circa illud poterit peccare peccatum commissionis. Ergo nolendo colere falsum Deum mereri non potest. Hanc consequētiā inde probat, quoniā secundum leges ordinarias nullus fugiendo aliquod obiectum potest mereri,nisi possit peccare illud volēdo.

3.argum. Tertiò arguunt aliqui ex mēte Ochami, quia sequeretur dari aliquod obiectum circa quod viator nec mereri possit,nec demereri. Probat sequela, quia circa summam miseriam præsentatam sub ratione omnis mali necessariò illā odiret,si vera est nostra sententia.Ergo non merebitur illam odiendo. Nec demerebitur eam volendo, quia eam velle non potest.

4.argum. Quarto nullū est obiectū circa quod lege ordinaria secluso priuilegio non possit voluntas mereri, aut demereri. Sed circa obiectum malum potest mereri, nolendo illud; ergo poterit demereri illud volendo.

5.argum. Quintò, quia sequeretur quod voluntas creata non posset tēdere in aliquod obiectum sub ea ratione, sub qua non

potest in illud tendere voluntas diuina. Consequens est falsum, ergo, &c. Falsitas consequentis inde patet, quia sequeretur, quòd voluntas creata non posset peccare, sicut nec diuina potest. Prima sequela ex eo probatur, quia voluntas diuina potest tendere in omne bonum subtractũ deformitati, licet nõ feratur in deformitatem concommitantem.

6.argum. *Scotus.* Sextò arguitur ex mente Scoti in 2. loco citato, potest quis nullo errore in intellectu præcedẽte velle habere odiũ Dei. Ergo potest ferri in malum sub ratione mali. Probatur consequẽtia; quoniam non potest ferri in odium Dei sub aliqua ratione boni, nisi præcedat obcæcatio intellectus, vt patet: nullam tamen præcedere supponimus.

7.argum. *D.Thom.* Septimò: quia aliàs nũquam dabitur peccatum ex malitia: quod est contra communem doctrinam, de qua D.Tho. 1.2.q.78. ar.1. Sequela probatur: quoniam peccatum ex malitia dicitur peccatum ex certa scientia, vt quia peccãs cognoscat peccatum esse, & malum id, quod facit, ex D.Tho. vbi sup. ar.1.

Vltimum argum. *D.Thom.* Postremò. Possumus aliquem odisse. Ergo possumus velle malum, vt malum est. Antecedens experientia est notum. Consequentia ostenditur: quoniã odisse, non est aliud, quàm velle malum sub ratione mali ex D. Thoma recepto 1.2. q.29.art.2.

3 Hęc sunt argumenta, quibus hæc opinio videtur cõfirmari: quam, vt Nominales faciant probabilem, aduertunt bonum duob⁹ modis vsurpari. Vno modo prout idem est, quod honestum, iucũdum, & vtile. Altero modo, prout idẽ est, quod volibile, seu appetibile. Cum vero malũ cõtrarietur bono, vt docet Arist. malum dupliciter etiam vsurpatur: vno modo, prout contrariatur triplici explicato bono: alio modo, prout idem est, quod nolibile, seu fugibile. Inquiunt igitur voluntatem affectu prosecutionis non posse velle aliquid, nisi sub ratione boni sumpti secundo modo: sicut etiam non potest aliquid nolle, nisi sub ratione mali secundo modo accepti: quia implicat voluntatem velle, nisi id, quod est volibile: aut nolle, nisi id, qđ est nolibile. At tamen si bonum, & malũ primo modo sumantur, voluntas potest velle malum, & nolle bonum. Ex qua doctrina constat apud Nominales bonum sumptum priori modo non esse adæquatum fundamentum boni secũdo modo sumpti: quasi sola illa tria bona sint appetibilia, & volibilia: quia fieri potest (inquiunt) vt malum triplici illi bono oppositum sit etiam volibile, & appetibile. Similiter etiam malum priori modo acceptum non esse adæquatum fundamentum mali, prout malum idem est, quod nolibile: quia potest contingere, vt bonum honestum, iucundum, & vtile sub proprijs rationib⁹ formalibus sint nolibilia siue fugibilia à voluntate.

Duplex boni vsurpatio ex sententia Nominaliũ.

§. 2.

Voluntatem non posse ferri in malum, prout cõtrariatur bono honesto, iucundo, & vtili.

HAnc sententiam Nominalium in suo fundamento repugnare cum consensu Aristotelis, Diony. August. Anselm. D. Thom. & omnium rectè sentientium affirmat Suarius in Metap. disp.23.sect.5.n.3. Quin potius affirmat Bellomontanus 1.2.disp.31.c.2.n.4. sententiam oppositam naturaliter animis hominum ita insitam inhærere, vt Nominales manifestè desipuisse nemo non videat, & meritò sanè: quoniam docente id Seneca lib.4. de beneficijs.cap.17. *Nequitia odio, pudorique est: nec quisquam tantum à naturali lege descuit, & hominem exuit, vt animi causſa malus sit.* Vnde D. Thomas Nominalium dogma tanquam impossibile reijcit inquiens: *impossibile est, quod aliquod malum inquantum huiusmodi appetatur*, ita 1.p.q.19.art.9. & q.62.ar.8. Vnde 1.2.q.8.ar.1. & q.29.art.4. ad 2. & q.78. art.1. ad 2. & mille alijs in locis scribit voluntatem esse tantũ boni, & non mali. In quo conueniunt cæteri omnes scribentes. Ita D.Bonau. in 2.d.34.ar.1.q.3. & Richard.ar.2.q.3. Gab.q.1.ar.3.dub. 1.Ægid.quodlib.3. q.16. Marsilius in 2. q.16. art.5. concl.5. Scotus in 4.d.49.q. 10.§.*Quantum ad 2.art.* Caiet.2.2.q.14.ar. 1. Lichet. in 2. d.43. q. 2. Cordub. lib.2. quæstionarij q.12.§.*Sed ne tam sicco.* folio 69.colu.1. Valent.1.2.disp.2.q.3.punct. 1. Asorius lib.1.instit.moralium c.20.q. 5. Conrad. cum cæteris interpretib⁹ D. Thomæ 1.2.q.8.art.1. Vbi latè Medina, Bellomont. & Suar. locis citatis, vt innumeros alios omittam: qui omnes agunt de

4 Præcedens sentẽtia cõmuni omnium consensui repugnat.
Arist. *Dionys.* *August.* *Anselm.* *D.Thom.* *D.Thom.* *D. Bonau.* *Richard.* *Gabr.* *Ægid.* *Marsil.* *Scotus.* *Caiet.* *Lichetus.* *Corduba.* *Asorius.* *Conrad.* *Medina.*

de malo, prout cõtrariatur triplici bono, honesto inquam, iucundo, & vtili.

5 Impugnatur præcipuum Nominalium fundamentum ex locis Arist.

Huius communis sententiæ demonstratio pendet ex impugnatione fundamenti, quo nituntur Nominales, dum affirmant malum, quod triplici bono explicato contrariatur esse posse appetibile, volibileque à voluntate: etenim si semel ostẽsum fuerit id esse falsum, omnino euanesceret Nominalium opinio.

Arist. Quòd illud fundamentum sit falsum primò deducitur ex Arist. 8. Ethic. c. 2. tex. 3. vbi primùm statuit nihil à voluntate amari posse, nisi ipsum amabile: id est, quod fundat, & induit rationẽ amabilis, ita enim ait: *Non enim omne quod uis amari videtur, sed ipsum amabile.* Quidquid enim amatur sub ratione amabilis amatur: amabile autem, appetibile, & volibile idem omnino sunt. Illa conclusione præmissa ostendit Arist. quænã possunt induere rationem amabilis, seu appetibilis ita scribens: *hoc autem (scilicet amabile) aut bonum, aut iucundum, aut vtile esse videtur.* Idem explicat Arist. eodẽ libr. c. 5. text. 23: *Nam amabile quidem, & id expetibile esse videtur, quod est absolute bonum, aut iucundum, & cæter.* Ex quibus verbis euidenter constat Aristotelem explicare adæquatum fundamentũ appetibilis, seu amabilis, id est explicare ea, quæ adæquate possũt esse, & denominari amabilia, & appetibilia: & tamẽ nõ explicat, nisi tria illa bona, honestũ, iucundum, & vtile: quasi sola ista tria possint fundare in se formalem rationẽ appetibilis, & ab illa denominari. Quod esset falsum, si malum, quod triplici illi bono contrariatur, posset esse amabile, volibileque à voluntate.

Aristot.

6 *Arist.* Secundò eadem veritas contra Nominales euidenter deducitur ex Arist. 3. Ethic. c. 4. tex. 23. vbi inquirit, quænã à volũtate sunt affectabilia, quod idem est, atque inquirere, quænam possunt à voluntate esse volita. Refert duas opiniones: prima docebat illud solum bonum esse affectabile, quod est vere bonum: secunda illud solum bonum, quod cuique apparet bonum. Vtranque conciliat inquiens: *Dicendum est, simpliciter quidem, & re vera verum bonum esse affectabile à voluntate: vnicuique verò id, quod vnicuique videtur.* Sensus est: si expendamus rei naturam illud solum bonum esse affectabile, quod est verũ bonum: at tamen in ordine ad ipsum appetentem, illud solum bonum, quod ipsi videtur, & apparet bonum: ex qua resolutione illud annotandum est. Aristotelem cum omnibus illis Philosophis in hoc conuenire, vt ratio appetibilis soli bono conuenire possit, vel vero, vt prima asserebat opinio: vel quod appetẽti videtur bonum, etiam si bonum non sit, vt secunda opinio docebat. Ex qua doctrina absque dubio colligitur solum bonum esse volibile. In qua propositione bonũ non potest accipi secundo modo, vt idem sit, quod volibile: esset enim propositio nugatoria, quia esset sensus, solum volibile esse volibile. Quare bonum ibi accipitur pro bono honesto, iucũdo, & vtili: quia verè solum triplex illud bonum potest esse volibile. Ex quo infertur malum, quod triplici illi bono contrariatur, nulla ratione volibile dici posse. Quem sensum confirmat consequentia, quã Arist. ibi facit inquiens: *Nam si sit affectabile, erit continuò bonũ.* Quasi valeat hæc consequentia: hoc est appetibile, ergo est bonum: in qua ne sit nugatoria; in consequente bonum non idem est, quod volibile: sed idem, quod honestum, iucundum, & vtile: quia hoc tantum bonum potest fundare rationẽ appetibilis, & volibilis.

7 *Aristot.* Tertiò, Arist. 1. Ethic. c. 1. doctrinam moralem exorsus est sumpta hac generali propositione: *Omnis ars, omnisque doctrina, atque actus itidem, & electio bonum quoddam appetere videntur. Quapropter bene veteres bonum ipsum id esse dixerunt, quod omnia appetunt.* Quo in loco bonum non idẽ est, quod volibile, sed id, quod conueniens, in quo fundatur ratio appetibilis, seu volibilis. Et hic sensus est dignꝰ tanto Philosopho, & propositione, quæ est fundamentum totius scientiæ moralis. Quid enim scitu dignum assereret Aristoteles, si ab hac propositione totius moralis doctrinæ sumeret initium: *omnis ars, omnis doctrina, actus, & electio appetunt appetibile.* Quid item haberet energiæ veterum axioma: volibile est, quod omnia volunt? Valeant igitur Nominales, & maneat sensus tanto dignus Philosopho.

Quartò. Confirmatur ex verbis Diui Anselmi in lib. de cõcordia liberi arbitrij,

Idem fundamentum cõuellit autoritate D. Anselmi.

trij,& prædistinationis,vbi sic ait: *Nihil vult voluntas, nisi commoditatem, aut rectitudinem: quidquid enim aliud vult, aut propter commoditatem, aut rectitudinem vult: & ad has,etiam si fallitur, putat se referre, quod vult.* Quibus verbis, vt recte annotauit Bellomontanus,vbi sup.n.9. expositio Nominalium accõmodari non potest:quia expresse declarant bona, propter quæ voluntas omnia vult,esse,vel commoditatem,vel rectitudinem. Nomine rectitudinis intelligit bonum honestum: cõmoditatis verò, bonum tam delectabile,quam vtile.

8

Eadem veritas ratione ostenditur.

Sed ratione eadem veritas ostenditur:quoniam bonum, quod diuiditur in honestum,iucũdum,& vtile,formaliter est idẽ,quod conueniens:malum autem huic bono contrarium formaliter, non est aliud, quàm discõueniens. Sed volũtas ex sua natura habet, quod affectu amoris,& prosecutionis non feratur in aliquid, nisi sub ratione conuenientis. Ergo voluntas non potest ferri in aliquod obiectum affectu amoris, nisi sub ratione boni, vel honesti, vel iucundi, vel vtilis, & nulla ratione poterit ferri sub ratione mali,quod triplici illi bono contrariatur. Consequentia est nota. Maior recepta inter Philosophos. Minor probatur 1. auctoritate Damasceni lib.2.de fide c.22: *Voluntas* (inquit) *fertur ad agendum in illis rebus, quæ naturæ consentaneæ sunt.* Deinde, quia Deus institutor voluntatis ad hũc finem homini eã concessit,vt quærat,quæ conuenientia sunt;fugiat,quę disconueniunt: quin potius hæc est natura cuiusque appetitus, cum sit inclinatio quędam:inclinari autem nihil potest nisi in id,quod sibi conueniens est, vt aduertit D.Thomas 1.2. q.8.art.1. Vnde res quæque inde habet, quod sit appetibilis,& volibilis,quia est conueniens:ob quam rationem doctrina communis habet bonum, & appetibile esse idem, vt colliges ex D.Thoma 1.p.q.5.art.1. & ar.3.& 4. vtrobique ad 1.Sunt,inquam idem non formaliter:nã formaliter distinguũtur,vt patet ex Capreol.in 2.d.2.q.3. ad vltimã contra secundam,Caietan.1.p.q.5.art.1. Fonsec. in 4.Metaph.c.2. q.7. sect.5. pag.146. in principio. Suario in Metaphy. disp. 10. sect.1. n.18. Sunt igitur idem fundamẽtaliter:quia id,quod est bonum,est etiã appetibile: & quidquid est appetibile est bonum.

Damasc. *D.Thom.* *D.Thom.* *Capreol.* *Caiet.* *Fonsec.*

9

Confirmatur ex Aristot.

Hæc omnia confirmãtur ex eo, quod docet Arist.8.Ethic. c.5. tex.21. *maxime namque natura videtur molestiam fugere, oblectamenta autem sectari.* Quomodo igitur poterit malum appetere? Dionys.de diuinis nominibus c. 4. *Nemo proposito sibi malo facit,quod facit.* Ex quibus verbis desumptum est vulgatum axioma, nemo attendens ad malum operatur. August. etiam 2. Confessionum à cap. 4. vsque ad 10.&in Enchiridio c.86. *Beati volumus esse: & miseri non solum esse nolumus, sed nec velle possumus.* Vide Boetium lib.4.de cõsolat. prosa 2. Ex dictis iam euidenter constat voluntatem nullo modo posse ferri in malum, vt malum est,affectu amoris, & prosecutionis,sed solum affectu odij,& fugæ.

Dionys. *August.* *Boetius.*

§. 3.

Malum non posse exercere caussalitatem finalẽ ad sui assecutionem.

10

Decisio quæstionis.

SEd iam ad propositam quæstionẽ redeamus, quæ inquirit an malum sub præcisa ratione mali possit exercere caussalitatẽ finalẽ in ordine ad sui prosecutionem? Pars negatiua;quãuis non sub his terminis,in sensu tamen est apud omnes indubitata, & oppositа non solùm falsa est, sed à recta ratione longe aliena. Eam docuit D.Thom.1.p. q.48. art.1.ad 2. Idem colliges ex eodẽ de malo q.1.art.1. vbi in secunda ratione ex eo probat malum non esse aliquid in rebus,quia non potest esse finis.

D.Thom.

Fundamentum.

Necessariò id demonstratur ex fundamento,quod gessimus §.2. nihil enim exercere potest caussam finalem in ordine ad sui consecutionem, nisi prius ametur à voluntate: quod enim non est volitum & amatum,non potest mouere volũtatem, vt aliquid illius gratia operetur,sed malum vt malum est,& discõueniens, non potest vlla ratione amari á voluntate, vt iam ostendimus. Ergo malum vt malum est, non potest exercere caussalitatem finalem ad sui consecutionem.

Cõfirmatio

Confirmari potest, quoniam vt superiùs ostendimus, bonum, vt est bonum, & conueniens, est proxima ratio finalizandi, ita vt nulla res possit finalizare consecu-

consecutionem sui, nisi quia est bona,& conueniens,vt habet receptissima philosophia. Sed malum, vt malum est, est contrarium bono,& conuenienti, vt patet;ergo nullo modo potest fundare rationem caussæ finalis.

11 Probatur in super auctoritatibus Aristot.

Hæc fuit Arist. philosophia: ita enim finem coniunxit cum ratione boni,&cõuenientis, vt vbique locorum insinuet hanc consequentiam esse necessariam: est finis, ergo est bonum. Eam colliges ex Arist.in 1.Ethic. c.2.in princ. *Si igitur quispiam rerum agendarum est finis, quem nos propter se ipsum, cætera autem propter hunc volumus:constat hunc talem finem summum bonum esse.*& c.7. eiusdẽ lib.tex. 26. *Quare si quis omnium rerum agendarum sit finis, is ipsũ bonum agendum erit.* Accedat locus ex 2. Physic.c.3.tex.31.& 5.Metap.c.2.tex.3. *Quædam autem caussæ sunt, vt finis, bonumque aliorum: id enim gratia cuius cætera fiunt, optimum esse solet, ac finis illorum.* Optimus locus ex 2.Metap.c.2. tex.8. *Sed qui faciunt infinitum,latet eos, quod boni naturam auferũt.* Ex quibus verbis omnes colligunt ex sententia Arist. sublato fine tolli omnẽ naturam boni;quasi censeat ex positione finis necessariò inferri poni naturã boni.Vltimus locus sit 1.Ethic. c.7.tex. 25. vbi inquirenti quidnam sit vnicuiq; bonum? Respondet, *an non id, cuius gratia alia geruntur*? Quę responsio non esset accommodata, nisi omnis finis esset bonum.

Cõfirmatur præterea auctoritate Dionysij.

Eandem veritatẽ verbis ferè expressis significauit D.Dionys. de diuinis nominibus cap.4.vbi ex eo probat omnia, quæ fiunt fieri gratia boni tanquã gratia finis,quia nemo proposito sibi malo facit, quod facit. Igitur, si gratia mali nullus operatur,vtique malum,vt malũ est,non poterit esse finis.Ex his Dionys. verbis desumptum est celebre axioma: *nullus intendens ad malum operatur.* Inde docent Theologi malum non posse ab aliquo per se intendi. Ita ex Dionys. D. Thomas 1.p.q.62.ar.8. & 1.2.q.29.ar.4. ad 2.& q.88.ar.1.ad 2. D. Bonau. in 2.d. 34.ar.1.q.3.Richar.ibi ar.2.q.3. Gab.q. 3.dub.1. cum cæteris. Iam sic: nihil potest exercere rationẽ caussæ finalis, nisi per se ab operante intendatur, vt patet ex diffinitione finis, sed nemo potest p se operari intendens ad malum, vt malum est,ex prȩcitata doctrina;ergo malum, vt malum est, non potest exercere munus caussæ finalis.

D.Thom. *D. Bonau.* *Richard.* *Gabr.*

Alia eiusdẽ senrẽtiȩ cõfirmatio.

Confirmari id potest,quia malum,vt malum,non potest esse caussa per se alicuius,sed solum per accidẽs, vt ex eodẽ Dionys.vbi sup.docet D.Tho.1.p. q.48. ar.1.ad 4.& q.49.ar.1.& 1.2.q.29. art.4. ad 2.& de malo q.1. artic.3. sed finis est caussa per se, vt patet: ergo malum, vt malum est,non potest esse caussa finalis.

Probatur denique auctoritatibus D. Thomæ.

Postremo;accedat communis doctrina D.Thom.bonum vt bonum,importare rationem finis,ita 1.p.q.5. ar.2. ad 1. & 2.& ar.4.& q.48.ar.1.ad 2.& 3. contra Gent.c.2.3.16.& 17.cuius doctrinę sensum explicat in d. ca.17. dum ait vnumquodque ideò habere rationem finis, quia est bonum.

§. 4.

Soluuntur argumenta in contrarium.

12 Solutio primi argum.

AD primum eorum, quę in contrarium adducuntur, negandum est antecedẽs: implicat enim malum sub ratione mali esse volibile, vt ostensum est:nihil autem potest esse finis,nisi sit volitum.

Solutio secundi.

Ad secundum neganda est sequela: quia vere potest quis peccare,&demereri circa obiectum propositum vt malum, etsi proponatur per se sub ratione mali, v.g. potest quis peccare circa colendum falsum Deum,quantumuis proponatur precise sub ratione mali, seclusa quacunque ratione boni. Quoniã licet facta illa hypothesi necessiteturvoluntas circa tale obiectum, quoad specificationem; quia si debet operari circa illud necessariò operabitur nolendo: tamen quoad exercitium libera est, vt possit suspendere talem actum: quæ suspensio aliquando potest esse peccatum,si nimirum currat præceptum abominandi illum cultum. Ad probationẽ sequelæ admittẽdum est data hypothesi voluntatem non posse peccare circa illud obiectum committendo: quia non potest illud velle. Ex quo non bene infertur voluntatẽ non posse mereri nolendo talem idololatriã: quoniã ad meritum satis est, quòd liberè illam nolit: vt vero eam liberè nolit, satis est, quòd possit non fugere,& suspendere actum, quæ dicitur libertas quoad exercitiũ.

Nec

Nec admittenda est doctrina,quam supponit Ochamus secundum leges ordinarias neminem posse mereri fugiendo aliquod obiectum,nisi possit peccare illud volendo : quoniam ad meritum non necessariò requiritur libertas ad contraria, quę dicitur quoad specificationem , sed satis est libertas ad contradictoria , quæ dicitur quoad exercitium. Vide Medinam 1.2. q.8.ar.1. ad vlt.

Medina.

13 Solutio tertij.

Ad tertium eadem ratione neganda est sequela.Ad probationem respondetur voluntatem viatoris proposita sũma miseria sub ratione omnis mali , & secluſa ratione cuiuscunque boni non posse mereri , aut demereri eam volendo , quia non potest eam velle : poterit tamen mereri , aut demereri circa illã: quia nolendo illam, mereri potest , demereri verò omittendo nolitionis actũ concurrente præcepto.

14 Quarti solutio. *Valentia.*

Ad quartum respondet Valentia 1.2. disp.2.q.3.punct.1.§.*Sed non superest.* facilior erit solutio, & magis accommodata ad intentionem argumenti, si maiore , & minore concessis in terminis in quibus proponũtur,negetur consequẽtia;quia datur medium in quo cernatur demeritum. Nam quanuis circa obiectum,quod proponitur sub ratione mali, non possit voluntas demereri volendo illud : potest tamen demereri suspẽdendo nolitionem eius, quando concurrente præcepto tenetur positiuè nolle tale malũ. Quare maior propositio verificatur in terminis , quibus proponitur: quoniam non potest dari obiectum malum circa quod voluntas non possit mereri , aut demereri: si non nolendo, aut volendo;saltem nolendo,& omittẽdo nolitionem. Porro si maior ita proponatur,vt nullum detur obiectum circa quod lege ordinaria non possit voluntas mereri , aut demereri volendo, aut nolendo,falsa est , si tale obiectum sub eadem ratione formali consideretur: nam circa obiectum malum propositum sub pręcisa ratione mali volũtas non erit libera contrariè , sed solum cõtradictoriè. Vnde nunquam poterit illud velle , & subinde , nec demereri volendo:bene tamen omittendo illius nolitionem,vt sæpè diximus. Quod si velis obiectum illud considerare solum materialiter ; admittẽda est propositio,vt bene aduertit Valentia, quia nullũ potest dari obiectum malũ,quod non possit considerari sub aliqua ratione boni, vt possit appeti:sicut etiam nullum potest dari obiectum bonũ,quod non possit considerari sub aliqua ratione mali , vt fugiatur. Vnde non esse (quod est maximum malum)appeti potest sub ratione huius boni , quod est carere præsẽti miseria.Similiter & beatitudo(quę est summum bonum) potest respui ratione annexæ difficultatis. Sed tũc nec malum appetitur sub ratione mali , nec bonum respuitur sub ratione boni:sed illud sub ratione boni appetitur, hoc autem respuitur sub ratione mali.

15 Solutio quinti. *Caiet.*

Ad quintum respondet Caiet. 2.2. q. 14.art.1.negando sequelam.Cuius probatio , vt ait est inefficax : quia in actu malo,præter subſtractũ , nihil aliud agnoscit,nisi solam malitiam: cum tamen simul cum illa consideranda sit bonitas quædam illi coniũcta,vera vel apparẽs, quæ est ratio formalis appetendi talem actum.Nam in actu fornicationis,præter ipsum subſtractum, & pręter deformitatem moralem (quæ est formaliter malitia) datur ibi bonitas delectabilis, quæ est ratio,cur talis actus appetatur. Quanuis igitur volũtas creata non possit tendere in illud obiectum sub ratione malitiæ præcisè sumptæ : potest tamen ferri in illud sub ratione bonitatis annexæ,quæ est ratio peccãdi : sub qua ratione voluntas diuina non potest in illud tendere. Et ita facilè explicatur proposita difficultas. In quam explicationem tendunt omnia,quæ Caiet. tam optimè,quàm subtiliter philosophatur, quem refert , & sequitur Cordub. in d. q.12.Libri secundi sui quæstionarij.fol. 69.colum.2.§.*Sed certe rationes supra dictæ,* vbi refert Lichetum in 2.d.43.q.2.

Corduba. *Lichetus.*

16 Responsio sexti.

Ad sextum admittendum est antecedens : quia verè potest dari peccatum in voluntate nullo præcedente errore in intellectu , vt latè diximus in 2. apud Scotum d.6.disp.1. art.3.sect.4. concluſ. 4.& notarunt Caiet.2.2.q.14.ar.1.Corduba lib.2.q.12.§.*Ad 2. probationem,* fol. 69.colum. 2.& Bellomont.1. 2. disp.31. c.3.n.12. An verò dari possit peccatum in voluntate absque aliquo defectu in intellectu : alterius est quæstionis, modò satis nobis est posse dari peccatum in

Scotus. *Caiet.* *Cordub.*

voluntate, absque vllo præcedente errore in intellectu. Quare admisso antecedente neganda est consequentia, quia licet nullus præcedat error in intellectu, adhuc potest apprehendi odiũ Dei non præcisè sub ratione mali, sed sub aliqua ratione boni commodi, vel delectabilis, & sub ea amari. Quare negandum est, quod sumitur ad probandam consequentiam: quia verè potest concipi odium Dei sub aliqua ratione boni absque vlla excęcatione, quę in intellectu præcedat.

17 Solutio septimi.

Ad septimum neganda est sequela: quia peccatum ex malitia non ideo dicitur ex malitia, quòd voluntas sciens & prudens directe tendat in malum, vt malum est, idest vltimate, quia malum est: quidquid Nominales id insinuent, & suppositа eorum opinione id significet Scotus in 2.d.43.q.2.litera A. Nec item dicitur ex malitia, quia voluntas absq; vlla passione appetitus sensitiui, & absque vllo errore intellectus ex pura sua libertate peccat, quanuis hoc doceat Scotus vbi supra litera B. nemo enim (vt ait Seneca lib.4.de beneficijs c.17.) tantum à naturali lege desciuit, & hominem exuit, vt animi caussa malus sit. Animi, inquam caussa, id est caussa solius voluntatis, & libertatis. Ita enim fieret, vt vix dari posset peccatum malitiæ; cum tamẽ plerunque detur. Quare peccatum ideo dicitur esse ex malitia, quia sciens aliquid esse peccatum, vult illud committere, propter aliquod bonum, quod per se intendit. Etenim, qui sic peccat dicitur peccare ex volũtate per se, ac liberè inordinata: dum propter minus bonum, quod amat, eligit priuari maiori bono. Vide D. Thomam 1.2.q.78.art.1.

Scotus. *Seneca.* *D.Thom.*

18 Vltimi arg. solutio. *Medina.*

Ad postremum argumentum, relictis ijs solutionibus, quas affert Medina 1.2.q.8.art.1.ad 2. & impugnat Bellomõt. in d.disput.31. c.3. n.13. pro solutione aduertendum est negari non posse, malum, vt malum est, esse posse rem volitam, & terminum volitionis: id enim argumentum allatum necessariò conuincit: & inde etiam conuincitur, quia desperantes appetunt mori, & non esse. Solum igitur negatur, malum, vt malum est, esse posse rationem volendi. Vnde quando malum, vt malum terminatiuè appetitur tanquam res volita, necesse est habeat coniunctam aliquã rationem boni, sub qua fiat volitum: sicut etiam bonum, vt bonum est, potest esse nolitum, & obiectum fugæ: non tamen sub ratione boni, sed sub ratione alicuius mali, quod cum bono illo coniungitur. Vnde, *non esse*, quod est malum, appetitur, vt euitetur præsens aliqua miseria: & beatitudo, quæ est quoddam bonum, sæpè respuitur propter laborem, quem illius assecutio habet annexum. Itaque licet ratio boni, & ratio mali inter se sint contrariæ, tamen vna potest alteram efficere in ordine ad appetitum, vt iam diximus. His suppositis ad argumentum admittimus nos posse aliquem odisse, & subinde velle illi malum, vt malum est: at tamen volumus inimico illud malum, quia inimicũ malè habere iudicamus esse bonum nostrum: sicut etiam ille, qui desperat, & appetit non esse, ideo illud appetit, quia se non esse iudicat sibi bonum, tãquam medium euadendæ miseriæ, qua premitur.

§. 5.

An malum sub ratione mali verè finalizet fugam, vt euitetur?

19 Ratio dubitandi, pars affirmatiua. *D.Thom.*

RAtio dubitandi est, quoniam finis est obiectum voluntatis, vt docet cõmunis philosophia, quã expressit D. Thomas 1.p.q.8. ar.1.ad 2. & 1.2.q.1.ar.1.ad 2. & q.7.art.4. & passim alibi. Quin potius à plerisque ponitur esse obiectum adæquatum illius, vt supr. aduertimus q.5.art.4. §.1. Sed obiectum voluntatis non solum est bonũ, sed etiam malum: habet enim voluntas duos actus, volitionem, inquam, & nolitionem, quorum alter fertur in bonum; alter in malum. Ergo non solum bonũ erit finis respectu prosecutionis, sed etiam malum in ordine ad fugam.

Confirmatio.

Confirmatur, quoniam de facto voluntas mouetur ab obiecto malo ad illud fugiendum: quin potius pleraque eligit gratiã vitandi illud malum, vt docet experientia. Ergo non solum malũ vt malum est, potest habere rationem finis in ordine ad actum fugæ: sed etiã malitia sub ratione malitiæ potest esse ratio formalis caussandi fugam mali.

20

His tamen non obstantibus dicendũ est, malum, vt malum, nullã veram caussalita-

Resoluitur p negatiua sententia.

salitatem finis habere posse etiam in ordine ad fugam sui. Dixi (veram, & propriam) quia non est negandum malum habere aliquam similitudinẽ causſæ finalis in ordine ad fugam sui. Et inde est vt prudentia ad euitandum aliquod malum, quod futurum timetur, excogitet media, & applicet ad malum illud fugiendum: sed si bene hac de re philosophamur, malum illud, cuius fuga intenditur, nullam verè exercet causſalitatẽ finis. Et ratio est, quia nihil potest hanc causſalitatem exercere, nisi, quod propter se, & sui non vero alterius gratia mouet voluntatem ad agendum, vt patet ex diffinitione finis: est enim id, gratia cuius aliquid fit. At malum non mouet voluntatem ad procuranda media, quibus euitetur, gratia sui, sed in virtute boni, cuius est priuatio: ideo enim quisque intendit fugere mortem, quia vult vitam. Vnde D. Dionys. in d.c. 4. de diuinis nominibus docet malũ nõ agere, nisi in virtute boni, quod etiam docuit D. Thom. in 3.d.27.q.1.ar.3.ad 3. & meritò: quia sicut malum non est cognoscibile, nisi ratione boni, vt omnes docent cum D. Thom. 1. p.q.14. art. 10. ad 4. ita etiam non potest influere ad sui fugam, nisi in virtute boni, quod fugato malo acquiritur, vel conseruatur. Etenim voluntas ideo affectu nolitionis & fugæ tendit in malum, quia affectu amoris, & prosecutionis tendit in bonum, cuius est priuatio. Ob quam rationem bonum, vt bonum est, simpliciter, & absolutè dicitur obiectum volũtatis: quoniam licet voluntas tendat etiam in malum tanquam in obiectum; quia tamen tendit in illud fugiẽdo propter amorem boni, proinde bonum dicitur simpliciter esse obiectum voluntatis. Simili ratione bonum simpliciter dicitur finis; quia licet malum aliquo modo influat in fugam sui: ideo tamen influit, quia bonum, cuius est priuatio, influit in prosecutionem sui.

Conclusionis ratio.

Dionys.

D. Thom.

D. Thom.

21 Soluitur ratio dubitandi.

Ex his patet solutio ad rationem dubitandi, nam admittimus finem esse obiectum voluntatis, si non adæquatum, saltem primarium, & principale. Admittimus etiam non solum bonum, sed etiã malum esse voluntatis obiectum: in hoc tamen sensu, vt bonum sit primariũ obiectum, & per se, ideſt, ratione sui: malũ verò solum sit secundariũ, & ratione boni, vt optime docuit D. Thomas 1. p.q. 20.ar.1. Ex quo non bene infertur malũ habere rationem finis in ordine ad fugam: quia nihil potest habere rationem finis, nisi, quod propter se ipsum, & ratione sui est obiectum voluntatis.

D. Thom.

Solutio confirmationis

Ad confirmationem similiter dicendum est: quia malum, vt malum est, dum mouet voluntatem ad exquirenda media, vt occurratur impendenti malo, habet quandam similitudinem causſæ finalis: non tamen veram causſalitatem finalem: cum non moueat ratione sui, sed in virtute boni, quo priuat.

ARTICVLVS VII.

An res indifferens possit habere rationem veri finis?

1 Angesti sẽtentia, & ratio.

IN hac quæstione rationem dubitandi fecit Hieronymus Angestus in suis moralibus ca.2. notabili 2. litera I. fol. 16. vbi concluſ. 3. affirmat voluntatem posse ferri in obiectum, in quo nec reperiatur ratio boni nec mali, v.g. posse velle Petrum esse hominem, quauis nulla in hoc obiecto repræsentetur aut bonitas, aut malitia. Quam opinionem non aliter confirmat, nisi quia cõuinci non poterit id esse impossibile: Corroborari id potest ex opinione, quę asserit rationem entis, vt ens est, esse voluntati formalẽ rationẽ volendi. Ita asserit Almainus tract. 3. moraliũ c.4. ad finem, vbi affirmat hanc fuisse opinionẽ Ochami, cui etiam eam tribuit Suar. in Metap. disp.23. sect.5.n.3. Inde infertur rem, quæ nec bona est, nec mala, posse interdum exercere finalẽ causſalitatẽ; nam si res, quæ est indifferẽs, potest, pter se amari: profecto alia etiã poterũt amari, pter ipsã: q̃ est vera ratio finis.

Confirmatur 1.

Confirmatur 2.

Confirmari potest, & non leuiter, hęc opinio, si diligentiùs consideremus cõtrouersiam à Theologis agitatã 1. 2.q. 18.ar.9. & in 2.d.41. an possit dari actus humanus singularis, qui in genere moris sit indifferẽs? In qua cõtrouersia omnes supponunt voluntatem etiã deliberatã ferri posse in rẽ indifferentẽ, vt est indifferẽs: alioquin quomodo posset ista re cõtrouersia? Supponũt autem voluntatem in eam ferri, vt in finem.

Hæc

2 Angesti sẽtentia ab õnibus reijcitur.

[Hæc tamen sententia ab omnibus reijcitur tanquam aliena à Peripatetica Aristotelis Philosophia. Pro cuius expugnatione præmittendum est non esse dubium, quin dari possit indifferens præcisione intellectus: quia potest intellectus concipere aliquod ens, interim non considerando in eo, vel rationem boni, vel rationem mali, sed solam rationem entis. Poterit tamen aliquis dubitare, an à parte rei detur aliquid, qđ verè sit indifferens? Resolutio sit à parte rei nihil dari posse, quod absolutè, & respectu cuiuscunque subiecti sit indifferens, idest, quod nulli sit aut bonum, aut malum: dari tamen posse aliquid, quod alicui sit omninò indifferẽs secũdum omnem rationem tam bonitatis, quàm malitiæ.

Dubitatio. Resoluitur.

Prior pars probatur.

Prior pars ex eo patet, quia non potest dari ens, quod alicui non sit bonum & conueniens, vt ex Metaphy. supponimus, & aduertit Fonsec. lib. 4. Metaphy. c. 2. sect. 5. concl. 4. & latè ostendit Suarius in Metaphy. disp. 10. sect. 3. num. 6. cum sequentibus, & in hoc sensu explicanda est conuertentia boni cum ente, de qua Arist. 1. Ethic. cap. 6. & D. Thomas 1. p. q. 5. artic. 3: quia scilicet omne ens est alicui conueniens. Cum igitur omne ens sit bonum, & conueniens, si non omni, saltem alicui subiecto: nulla ratione dari potest aliquid, quod à parte rei sit absolutè indifferẽs. Id, qđ bene aduertit Suar. in Met. disp. 23. sec. 5. n. 7.

Fonseca. *Arist.* *D. Thom.*

Posterioris partis probatio.

Posterior pars inde videt nota, quoniam dari potest ens, quod respectu alicuius subiecti, sub omni ratione boni, & mali sit indifferens, & quãuis Suar. in d. nu. 7. de hoc dubitet: puto tamen non posse dubitari: quoniam sæpissime cõtingit, vt leuare nunc fistucam, sit absolutè mihi indifferens: vt quia nec honestum est nunc, nec inhonestum, nec iucundum, nec molestum, nec vtile, nec incommodum. Ex his patet dari posse indifferens, non solum præcisione intellectus, sed etiam à parte rei: si non absolute respectu omnis subiecti; bene tamẽ respectu alicuius. Quare relinquit loc' quæst. an id, quod est, & concipitur tanquam indifferens, possit fundare rationem causæ finalis, ita, vt illã exerceat.

3 Conclusio articuli.

Omissa opinione affirmatiua, quæ ex doctrina Angesti deducitur; omnino respondendum est negatiuè. Quod etiã placuit Suario in d. n. 7. potest 1. id conuinci authoritate Arist. in 7. Metaphy. c. 2. tex. 3. vbi ex eo, quod in immobilib⁹ nec reperitur ratio boni, nec mali, infert in illis non reperiri rationem causæ finalis; ergo nec reperietur in indifferenti, quatenus indifferens est, & separatur à ratione boni. Deinde cõuincitur ex destructione fundamenti aduersariæ sententiæ: nam cum nihil possit fundare in se rationem finis, & finalizare, nisi sit volitum; si semel ostensum sit voluntatẽ nulla ratione ferri posse in indifferens, sub ratione indifferentis, demonstratũ erit indifferens nullo modo posse exercere rationem finis. Porrò, quod voluntas ferri non possit in indifferens, quatenus indifferens, probant omnia, quibus in præcedenti art. §. 2. ostendimus voluntatem ferri non posse in malũ sub ratione mali: etenim ex Aristotel. vt ibi diximus, nihil àvoluntate amari potest, nisi sit amabile: at ex eodem Arist. nihil est amabile, nisi bonum, ergo, &c.

Probatur auctoritate Aristot.

Ratione etiam ostenditur.

Accedit philosophia Aristotelis ab omnibus probata, quæ finem ita coniũgit cum ratione boni, & conuenientis, vt valeat hæc consequentia, est finis, ergo est bonum, vt iam ostendimus, quod etiam docet Dionysius, vt ibi diximus. Non est igitur dubitandum, quin contraria sententia sit contra doctrinã Peripateticam: imò contra naturam appetitus, qui ex sua natura inclinat in id, quod conueniens est. Accedat doctrina D. Thomæ 1. p. q. 5. artic. 3 ad 4. dum ait: *Entia metaphysica ideo non posse habere rationem finis, quia abstrahunt à bono, & sunt indifferentia.*

Cõfirmatur. *Dionysius.* *D. Thom.*

Ex dictis patet, quam friuola sit ratio dubitandi, quę in opinione Angesti fundatur. Etenim, cum voluntas ex sua natura feratur in id, quod est bonum, & conueniens, fugiatque id, quod habet rationem mali, & disconuenientis: fieri non potest, vt feratur, aut prosequendo, aut fugiendo in id, quod nec sub ratione boni præsentatur, nec sub ratione mali. Vnde id, quod proponitur abstractum abstractione præcisiua, tum à ratione boni, tũ à ratione mali, nullo modo potest mouere voluntatẽ, quãdiù est in illa abstractione, de quo vide D. Th. 1. p. q. 5. a. 3. ad 4. & de verit. q. 21. ar. 1. ad 4.

4 Occurritur rationi dubitandi.

D. Thom.

Soluitur prima confirmatio.

Opinio autem, qua sententia Angesti corroboratur, absurdior est: nã si ens abstractione pręcisiua abstrahit tam à bono, quàm à malo, quomodo poterit esse ratio volendi? Nam si ex se indifferens est ad bonum & malum, cur potius erit ratio volendi, quam nolendi? Nec enim potest ratio discriminis assignari. Fieri autem non potest, vt idem manens sub vna, & eadem ratione entis simul sit ratio volendi, & ratio nolendi: hi enim actus sunt contrarij.

5 Diluitur 2. cõfirmatio.

Confirmatio posterior facilè dissoluitur, si aduertas in citata controuersia sermonem esse de re indifferenti in genere moris, idest de re, quæ ex suo genere nec est moraliter bona, nec moraliter mala. Nam inter hęc duo extrema dantur plura, quæ in tali genere sũt indifferẽtia, vt modò supponimus. Porro ea, quæ in genere moris sunt indifferentia, non necessariò sunt indifferẽtia in genere rei, sed pleraque eorum possunt esse bona in tali genere, & subinde appeti à voluntate: nec enim sola bonitas moralis est appetibilis, sed etiam bonitas naturalis, vt omnes concedũt. Talia sunt ambulare tempore frigoris, sputis reumata iacere, & alia huius generis, quæ ex se sunt commoda naturæ, & subinde appetibilia, tanquam bona honesta honestate naturali. Dixi (pleraque eorum) quoniam plura sunt, quæ non solum in genere moris sunt indifferentia, sed etiam in genere naturæ, saltẽ collata cum aliquo subiecto, vt superius aduertimus. Exemplum poni potest in leuatione festucæ, quando inde nihil fertur commodi.

6

Aduertendum etiã voluntatem posse ferri in rem indifferentem in genere moris, si in genere rei sit bona sub aliqua ratione bonitatis. Etenim satis est bonitas in genere rei, vt voluntas possit in eam ferri etiam propter se. Quis enĩ negabit posse aliquẽ deliberatè velle sputis reumata proijcere, ideo præcise, quia natura isto modo exoneratur? Quod si res, quæ in genere moris est indifferens simul etiam sit indifferens in genere naturæ, voluntas nequaquam poterit per se, & solius illius gratia in illud ferri, cum nullam vt sic habeat bonitatem: poterit tamen in illud ferri gratia alicuius boni concomitantis: nam sicut malum ratione alicuius boni annexi potest esse volitum: ita res ex se indifferens in genere rei, potest esse volita ratione annexi boni. Poterit igitur quis velle festucam leuare nulli⁹ alterius rei gratia, nisi vt suam exerceat libertatem: ita vt pro ratione sit sola voluntas.

Ex hoc primùm infertur ex præcitata controuersia, cuius fit mentio, nihil inferri posse contra datam resolutionem: quoniam id, quod est indifferens in genere moris necessario debet esse bonum, & appetibile in genere rei, vel ratione sui, vel ratione alterius. Infertur secundò fortè conciliari posse oppositas illas sententias, vt ille actus humanus, & singularis sit indifferens in genere moris, qui terminatur in obiectũ, quod in genere naturę est bonum: secus si omnino sit indifferens.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum relationes, vt tales sunt, possint exercere causalitatem finis?

1 Prima sententia Heruei.

IN hac quæstione varias inuenio opiniones. Prima absolutè negat, ita Herueus quodlib. 2. q. 1. ad 8. fol. 36. colu. 3. ad finem: cum enim relationes, vel nihil, vel minimum habeant de entitate, & perfectione, friuolum est, inquit, asserere voluntatem agere propter relationem. Confirmari potest, si verum est nullam relationem perfectionẽ dicere.

2 Secunda sẽtentia Fonsecæ.

Secunda sententia est opposita, quæ docet non solùm relationes reales, sed etiam rationis posse exercere caussam finalem. Ita Fonseca in 4. Metaphysic. cap. 2 q. 7. sect. 8. ad tertium. §. *Ad priorem verò impugnationem*, & in 5. cap. 2. q. 11. sect. 4. ad postremum, quem refert, & sequitur Cursus Conimbr. lib. 2. Physicor. cap. 7. q. 3. artic. 2. §. *Quæritur etiam.* Idem quod antea concesserat quæst. 19. eiusdem capitis art. 3. ad tertium. Etenim homines multa faciunt, vt dignitates acquirant, non tantum ratione potestatis annexæ, & opum, quæ acquirũtur: sed etiam, vt ab alijs magni æstimentur, quod est aliquid solius rationis. Quibus verbis satis explicant se loqui de relationibus ipsis, vt relationes sunt.

Tertia

Tertia interiacet sententia,quã probauit Suarius in Metaphy. disp.23. sect. 6.num.20.nullam relationem,vel rationis, vel prædicamentalem esse propter se amabilem, sed solum ratione sui fundamenti, vel propter concomitantiam sui termini. Nam (vt ait) qui amat famam non amat relationem resultantẽ, sed realem existimationem sui, quia hanc putat sibi esse conuenientem. Secus dicendum de relationibus transcẽdentalibus creatis,& de diuinis.

Pro resolutione dicendum 1.

Pro resolutione certissimum est relationes diuinas obtinere hanc caussalitatem, vt bene annotauit Suar. nam siue dicas eas dicere perfectiones, siue d neges, semper verum erit eas contineri intra obiectum beatitudinis: etenim non solum essentia nos beat, sed etiam personæ, vt suo loco dicemus. Vnde Philippus visionem patris desiderabat.

2.dicendũ.

Nec etiam dubitari potest relationes transcendẽtes agere posse caussam finalem, cum sint veræ perfectiones, ac vera bona. Vnde appetimus scire,videre, & plerosque alios actus, qui essentialiter includunt relationem transcẽdentalem.

3 3.dictum.

Quod verò attinet ad relationes rationis, potius placet opinio Suarij, quã Fonsec. nam si quæ relationes rationis sunt amabiles; illæ non ratione sui amantur: sed ratione eorum, á quibus pendent. Nam qui dignitates appetunt, licet eas non tam quęrant ratione opũ, aut potestatis adiunctæ: quam vt ab alijs magni æstimentur: tamen appetunt magni æstimari, non ratione illius entis rationis, quod ex conceptione excellentiæ resultat,sed ratione ipsius cõceptionis, & iudicij, quod alij de propria ipsorum excellentia formant: hoc enim iudicium amant, & appetunt tanquam sibi bonum,& conueniens. Quam sententiam ideo mihi persuadeo, quia

Fonseca.

teste eodem Fons. in 4.Metaph.loco citato,relationes rationis non sunt bonæ bonitate, quæ possit mouere appetitũ. At verò implicat aliquid ratione sui agere caussam finalem, quod ratione sui non est bonum. Nec video, cur bonum, quod est proxima, & adæquata ratio finalizãdi,abstrahat à bono,quod conuertitur cum ente reali.

De relationibus realibus,quæ prędicamẽtales dicuntur; cum in se ipsis sint vera entia,habeãtque veram bonitatẽ, ac perfectionem, vt Suar. admittit in Metaphy.disp.10.sect.3.nu.15. non video, cur negari debeat eas agere posse finalem caussalitatem, etiã ratione sui, & prout ex fundamento, & termino resultant. Quare in hoc placere non potest opinio Suarij: contra quem facit id, quod diximus sup.disp.1. finem,& bonũ conuerti: ita vt omnis finis sit bonum, & omne bonum (saltem quod est absolutè bonum) possit esse finis. Non est tamen negandum relationem huius generis ratione sui vix aut nunquam esse finem operãtis,qui appetitu animali,aut rationali operatur: nam cum sint minimæ entitatis, vix aut nunquam possunt mouere appetitum animalis, aut hominis. Vnde in ordine ad rationalem appetitum censentur tanquã entia indifferẽtia in genere rei. At verò non sunt tales in ordine ad appetitum naturalẽ: cum in genere rei sint perfectiones, & habeant propriam bonitatẽ cuique subiecto conuenientem: ob quam rationẽ possunt agere caussam finalem in ordine ad Deum Auctorem naturæ. 4

ARTICVLVS IX.

Vtrum ratio caussæ finalis reperiatur in priuationibus,& negationibus.

SI credendum est Suario in Metaph. disp.23.sect.6.n.19. pars affirmatiua quibusdam placuit. Fundamentum est,quia priuationes,& negationes quanuis absolutè nullam in se includãt bonitatem: tamen vt sunt remotiones alicuius mali,habent rationem boni, & couueniẽtis, possuntq; finalizare. Quod experientia videtur notum: quia plerique appetunt mori, & non esse appetitu adeo efficaci, vt gratia non essendi aliqua operentur, plures enim se occidunt;& damnati adeo efficaciter appetunt nõ esse,vt si possent,omnia facerẽt, vt desinerent esse. Quòd si nihil faciunt, nec vlla applicant media ad non essendũ, hoc ideo est, quia nulla suppetunt: etenim Apoc.6. *mors fugiet ab eis.* Inde inferunt, bonum, quod est proxima ratio finalizandi, non esse bonum, quod conuertitur cum ente reali, sed bonum,

1 Suarius qui busdam tribuit partem affirmatiua. Fundamentum.

Apocalyp

quod conuertitur cum ente, prout ens sub se comprehēdit etiam priuationes, & negationes.

2 Fertur iudicium circa præcedentē opinionem.

Hæc opinio, si intelligatur de priuationibus, & negationibus secundum se, omnino repugnat Philosophiæ: quia nihil potest exercere causalitatem finis, nisi per se sit bonum, & appetibile: omnis enim finis est bonum. Sed nulla priuatio, aut negatio est bona, aut appetibilis per se, & ratione sui. Ergo nulla priuatio sumpta secundum se potest esse causa finalis. Minor facilè ostenditur, si duplex distinguatur genus priuationum: nam quædam sunt priuationes alicuius boni, vt non esse, non viuere, non videre, & alia id genus. Alia sunt priuationes alicuius mali, vt carentia miseriæ, doloris, &c. In priuationibus prioris generis minor est manifesta: quoniā priuationes huius generis secundum se essentialiter sunt quædam mala: etenim malum essentialiter nihil est aliud, quā priuatio boni, vt aduertit D. Tho. 1. p. q. 14. art. 10. Malum autem secundum se non potest esse appetibile, vt iam ostensum est. Idem etiam patet in priuationibus posterioris generis: quoniam carentia mali non habet rationē boni ratione sui, sed ratione boni positiui cui opponitur malum, cuius dicitur carentia, v.g. carentia doloris est bonum, nō prēcise ratione sui, sed ratione indolētiæ, siue sanitatis, cui contrariatur dolor, & quę ad carentiam doloris consequitur. Ex quibus patet veritas minoris subsumptæ, nullam sc. priuationem, aut negationem ratione sui esse bonum & appetibile. Quare nec poterit esse causa finalis.

D. Thom.

3 Obiectio.

Sed dicet aliquis priuationes, & negationes, licet secundum se non sint bonę, & appetibiles; tamē esse tales ratione alicuius annexi: etenim (non esse) à pleriſque appetitur, quę est priuatio alicuius mali, & miserię, quæ comitatur esse: sicut etiam carentia mali est appetibilis ratione boni, quod cum tali carentia per se coniungitur. Poterunt igitur finalizare, si non ratione sui, saltem ratione boni, quod secum annexum habent. Ad hoc respondemus, non esse negandum priuationem, & negationē dici, & esse posse bonas, & appetibiles, ratione alicuius boni, cum quo coniunguntur: idem enim communiter docent Theologi, vt patet ex D. Thom. 1. p. q. 5. art. 2. ad 3. & de veritate, q. 21. art. 5. & q. 22. art. 1. ad 7. & in 4. d. 5. q. 2. art. 1. & latè Ferrarien. 3. contra Gentes ca. 19. §. *Circa istam probationem.* Heru. quodlib. 8. q. 8. & est vulgata Philosophia. At tamē inde nō inferri priuationes habere vim causandi finaliter: nam cum non moueant appetitum ratione sui, sed in virtute boni annexi, non possunt sibi vendicare vim causandi finaliter: quia de ratione causæ finalis est, quod moueat appetitum virtute propria, & non aliena, vt supra diximus art. 6. nu. 20. Quin potius ex illa philosophia infertur priuationes potius habere rationem medij ad obtinendum tale bonum, quā rationem finis: vt bene aduertit Suar. in d. disp. 23. sect. 6. n. 19. Quæ doctrina est manifesta, saltem in priuationib⁹ prioris generis, in illis, scilicet, quæ sunt priuationes alicuius boni. Constat enim (non esse) non amari ab eo, qui se ipsum occidit, nisi quia per non esse liberatur à miseria, cui subiacet. Vnde bonum carentiæ illius mali potius finalizat appetitionem non essendi tanquam medium accommodatum ad obtinendum bonū (carere inquā miseria) quod appetitur.

D. Thom. *Ferrar.* *Heruæus.*

4 Quædam argumenti ad uersariorū solutio.

Ex dictis patet solutio ad fundamentum aduersariæ sententiæ: quoniā priuationes secundum se nunquam finalizant, sed prout coniunctæ sunt cum bono aliquo, in virtute cuius mouent appetitum ad aliquid operandum propter ipsas. Sed non videtur hæc solutio satisfacere: quoniā supponit (non esse) appeti ratione alicuius boni positiui, & in virtute illius: quod tamē videtur falsum. Etenim nullum bonum positiuum dari potest sine aliquo esse. Iam verò (non esse) simpliciter tollit omne esse; ergo falsum est non esse simpliciter appeti in virtute alicuius boni positiui. Admittendum quidem est (non esse) nō appeti nisi quatenus causat carentiam summæ miseriæ: & prætereà talem carentiam, cum sit carentia summi mali, habere rationem boni. At, quod carentia summæ miseriæ (quæ est quædam priuatio) finalizet in virtute alicuius boni positiui, quod ex illa consequatur, id videtur inintelligibile, imò impossibile, vt argumentum probat.

Non placet

Difficul-

Solutio.

Difficultatem paucis se dissoluisse putat Suarius in d.disp.23.sect.5. num. 19. in fine. In ea dissoluenda multum insudat Ferr.3.contra gent.cap. 19.§. *Sed remanet adhuc dubium*: verum ex illorum dictis non facilè patebit solutio argumẽti, si illius difficultas diligentiùs vrgeatur. Etenim si carentia summæ miseriæ mouet in virtute alicuius esse, quo homo non sustinet priuari, vt ait D. Thom. 1.p.q.5. art. 2. ad 3. quod ipsum esse est beatitudo, vt bene explicat Ferrar. vbi supra: quì fieri potest, vt appetens non priuari hoc esse, appetat simpliciter nõ esse: si simpliciter nõ esse tollit õne esse,

Ferrarien. *D.Thom.* *Ferrar.*

Alia solutio.

Mihi non alia occurrit via soluendæ difficultatis, nisi dicamus carẽtiã summæ miserię finalizare quidem in virtute beatitudinis, quod est quoddam bonum positiuum, cuius appetitus, quoad specificationẽ ita est naturalis, vt nullꝰ posset eam nolle. At tamen non finalizare secundũ adæquatam rationẽ beatitudinis, sed inadæquatam tantũ: quatenus scilicet beatitudo includit carentiam miseriæ. Hanc autem, & si falsò, cõcipiunt tamen vt posibilem haberi sine aliqua positiua rationebeatitudinis. Itaque damnati ex appetitu beatitudinis secundum hãc præcise rationẽ quatenus scilicet includit carentiam miseriæ, appetunt non esse simpliciter, tanquam medium accõmodatum ad consequendum bonum, quod intendunt, nempe carere miseria; nam licet, *non esse simpliciter*, tollat esse positiuum, quod includitur in beatitudine: non tamen tollit omnem rationem negatiuã ipsius beatitudinis, quæ est carentia miserię, quam per tale medium intendunt. Et hęc dicta sint de quinta ista quęstione.

QVÆSTIO XI.

EXPLICATIS omnibus, quæ ad caussalitatẽ caussę finalis pertinẽt: superestdisputarede agentibꝰ propter finem, vt tandem nostra disputatio perueniat ad hominem, cuius finem vltimum inquirimus. Porrò de agentibus propter finemprimum inquiremus in genere, an õne agens agat propter finem? Deinde ad singula agentia descẽdendo, inquiremus, an natura agat propter finem? Tertio, an bruta gratia finis agant? Quarto, an Deo id conueniat? Quinto idẽ inquiretur de Angelis subsṫntisq; separatis? Postremo quæstionem eandem de homine instituemus.

ARTICVLVS VNICVS

An omne agens agat propter finem?

§. 1,

Referuntur, & reijciuntur duæ opiniones negatiuæ.

CIRCA propositam difficultatem pro parte negatiua duas inuenio opiniones. Prima estvniuersaliꝫ negatiua, quæ affirmat nullũ agens agere propter finem. Secunda admittit aliqđ quidem agens propter finem agere, nõ tamen omne.

1 1.Sententia

Priorem sententiam probauere veteres, qui voluerunt omnia tam in naturalibus, quam in humanis euenire casu, & fortuito. Quam sententiam plerosque ex veteribus phil. probasse, refert Cursus Conimb. in secundo Phyc. in Cõmentario ad cap.4. in principio. Ex qua sententia infertur nullum agens agere propter finem: nam quæ casu, & fortuito fiunt, non fiunt gratia finis; ergo si omnia fortuito, & casu contingunt, nullum erit agens, quod agat propter finem.

2.Sentẽtia.

Hæc tamen sententia in suo fundamento statim à suo principio tanquam absurda, & abhorrens à communi hominum sensu omniũ consensu reiecta fuit. Impugnari solet tanquam minꝰ philosophica in 2.Phy.cap.8.& 9. vbi latissime eam impugnat Curs Conimbr. q. 1. artic. 1. dissoluitque in 2.& 3. omnia argumenta quibus pręcitati Philosophi suum errorem confirmabant. Nobis satis nunc sit contra hunc errorem scripsisse Aristotelem 2.Physic. cap. 8. & 9. lib. 2. de Generat. cap. 6. tex. 44. & 1. de partibus animalium cap. 1. Plato in Trimęo, Phędone, Philebo, & Politico, Cicero lib. 2. & 3. de natura Deorum, Trimegistus in lib. de potestate, & Sapient. Plutarchus lib. 1. de placitis Philoso-

2 Reijcitur 1. sententia

Aristot. *Plato.* *Trimigist.* *Cicero.* *Plutarcus*

phorum cap. 1. Seneca in lib. de prouidentia, qui omnes ex principijs naturalibus hãc sententiam impugnarunt tãquam naturali rationi contrariam.

Lactanti°. D. Athan. Theodore. Chrysosto. Nazianz. Basilius. Ambrosi. Augustin.

Sed & illam repugnare fidei catholicę pp. docuerunt. Contra hunc errorẽ scripserunt Lactantius in lib. de ira Dei cap. 1. & in lib. de opificio Dei, Diuus Athanasi. in oratione aduersus Idola, Theodoretus lib. 1. de ꝓuidentia, Chrysostom. in eodem Opusc. Nazianz. oratione secunda de Theologia, D. Basil. & D. Ambr. in lib. Hexęmeron, D. August. lib. primo de ordine, & plerique alij, qui hanc sententiam, tanquam contrariam fidei condemnarunt. Quare cum fundamentum huius sententię hæreticum sit, & à vera Philosophia alienum non indiget alia impugnatione.

Funamẽt a 2. Sentẽtia.

Posteriorem sententiam videntur ꝓbasse veteres, qui negarunt naturam agere propter finem, de quibus Aristoteles in 2. Physic. cap. 8. hi enim non satis declararunt, an idem de intellectu sentiant, quod de natura senserunt, sed cuiuscunq; hæc opinio fuerit, potest non nullis argumentis corroborari.

2. ex Arist.

Primo ex Arist. 2. Physi. c. 5. tx. 39. vbi ita ait: *eorum, quæ fiunt, alia fiũt, alia non fiunt gratia alicuius.* Cum verò ea, quæ fiunt, ab aliquo agente fiant, vtiq; eadem erit diuisio agentium ex mente Aristo. vt alia agant propter finem, alia verò minimè.

Secundum.

Deinde, operationes, quæ dicuntur hominis (quales sunt, quæ fiũt sine vlla deliberatione, aut cogitatione: vt fricatio barbæ, motio manꝰ, aut pedis, & alia id genus; vere fiunt ab homine: & tamen non fiunt propter finẽ, vt docet D Tho. cõmuniter receptus 1.2.q.1.ar.1,

Tertium.

Tertio multa fiunt ab homine otiose: at quod otiose fit non fit propter finem; nam ideo dicitur otiosè factum, quia sine fine est factum.

Quartum.

Quarto, voluntas vt simplici amoris affectu vult finem, vere operatur simplicem amorẽ finis: elicit enim illum actũ. At amor finis non fit propter finẽ, vt ex veriori sententia iam ostendimus, ergo non omne agens agit propter finem.

Vltimum.

Postremo, multa fiunt casu, & fortuna, vt docet Aristo. 2. Physic. cap. 5. cõmuniter receptus à Theologis, quæ verò casu aut fortuna fiunt ñ fiũt propter finẽ, opponuntur. n. casu fieri, & à proposito fieri; ergo non omne agens agit propter finem.

§. 2.

Statuitur vera sententia.

4 Resolutio.

HIS tamen non obstantibus, iam tranſijt in axioma philosph. omne gens agere propter finem, quam sententiam expresse docuit Aristote. in 2. Physic. c. 5. tex. 49. *Sunt autem*, inquit, *alicuius gratia, quæ à mente agi possunt, & quæ à natura.* Cum Aristot. consentit vniuersa Schola peripatetica: nec opus est in re notissima referre auctores: satis sit hanc conclusionem in hac generalitate statui à D. Thoma 3. contra gent. cap. 2. vbi pluribus eam confirmat. Demõstra re nititur eandem idem D. Thomas 1.2. q. 1. ar. 2. & aliquo modo eam cõfirmat 1.p.q.44.ar.4.

Probatur primo.

Hoc philosoph. axioma in sua generalitate primum probari potest à sufficienti partium enumeratione: quoniam omne agens, vel est agens per naturam, vel per intellectum: sed tam agens per naturam, quam per intellectum, semper agit propter finem. Ergo omne agens agit propter finem. Maior est notissima, Minorem probat Aristot. in 2. Physic. vbi supra, & probabitur diligentius quoad singulas partes in sequentibus quęstionibus.

Aristot.

5 Probatur 2.

Secundo, probatur à posteriori atq; ab effectu: quoniam peccatum non reperitur nisi in ijs, quæ sunt propter finem: peccatũ enim in eo cernitur, quod res deficit ab eo, ad quod ordinat. Sed peccatum reperitur in õni genere agẽtis: in agente quidem à proposito: quia grammaticus sæpe loquitur incongrue & medicus interdum ægroto officit. In agente verò naturali; quia dantur pleraque mõstra in rebus naturalibus, quæ dicuntur peccata naturę.

6 Probatur 3.

Tertio, probatur à priori: quoniam õne agẽs, dũ agit; determinatũ est ad ꝓducendum certum aliquem effectum: nõ potest autẽ ita determinari, nisi prius determinetur ad aliquid, quod illi sit finis, in quem tendat. Ergo omne agens agit propter finem. Huius discursus cõsequentia est nota. Maior autem inde patet; quia nisi esset determinatum ad hunc

hũc effectũ, indifferẽs esset ad ꝓducẽdũ particulares effect⁹, & p cõsequẽs nullũ eorum poterit operari. Minor verò (in qua vis argumenti posita est; quia diceret Democritus illam determinationẽ à casu fieri: Annaxagoras verò, eã fieri ex necessitate materię) ita videtur demonstrari: quoniam cõstat omne agẽs ad agendum moueri ex proprio appetitu: ergo illa determinatio fiet ab appeti tu ipsius agentis: id, quod euidens est in agentibus liberis: hæc enim non determinantur ad agendum, nisi ex appetitu rationali. Idem etiam dicendũ erit in agentibus naturalibus, quia ista ex proprio naturali appetitu, & inclinatione ad agendum mouẽtur. Appetitus autem, cum nõ possit ferri, nisi in bonum: omne autem bonum habeat rationem finis: vtique appetitus non poterit determinare agens, nisi ex aliquo bono, & fine, quę fuit minor. Concludendum est igitur omne agens priusquam agat, determinari per appetitum ex aliquo certo bono, quod illi consequendum, tanquam finis proponitur. Sumitur ratio ex D. Thoma. 1.2.q.1.art.2. & 3. contra gent.cap.2.ratione. *D. Thoma.*

Aduertendum tamen est interesse plurimum inter agentia libera, & naturalia: quoniam libera, cum agãt ex cognitione intellectiua, possintq́, de rerum delectu consultare, non habent appetitum determinatum ad aliquod genus boni, sed indifferens, & indeterminatum, potentem tamen à se ipso determinari proposito sibi aliquo certo bono tanquam fine: agentia autem naturalia habent appetitum determinatũ ad certum genus boni, & finis, idq; ab Auctore naturæ, à quo diriguntur. Aduertendum etiam finem ab appetitu propositum non determinare agentem ad certum effectum secundum numerum, sed secundum speciem: licet enim actiones sint circa singularia, & agens intendat effectum singularem, & non cõmunem: tamen singularem effectum intendit, nõ secundum rationem indiuiduam, sed secundum cõmunem, & specificam, quoniam secũ um istam nititur sibi assimilare passum. A quo verò desumenda sit determinatio effectus quoad singularitatem, ita vt potius hunc numero, quam illum producat? Alterius est quæstionis de qua vide hìc Medinam, diligentius id explicarunt Curs. Conimb. 2. Physicorum cap.7.q.15.ar.2.conclus.2. Fonsec. in 5. Metaph.cap.5.q.14.sect.3.ante finẽ & latius in 1.Met.cap.2.q.3.sect. 8. Suarius in metaph.disp.19.sect.1.nu.11. *Medina.*

§. 3.

Soluuntur argumenta in oppositum.

PRimum argumentum mihi est difficillimum. Vnde diuisio illa Arist. variè explicatur. D. Thom. ibi ita explicat, vt nomine eorum, quę non fiũt propter finem, intelligantur ea, quæ propter se fiunt, qualis est finis, quia in vna quaque actione ab agẽte intẽditur: iste enim non fit propter finem, sed propter se, suamque bonitatem. Sed hęc explicatio nec in se vera est, nec difficultatẽ tollit. Non est in se vera; quia assecutio finis, quanuis non fiat gratia alterius finis, est tamen gratia sui ipsius, vt habet rationem finalis causæ: nam vere est effectus illius, vt iam ostendimus. Nõ tollit autem difficultatem: quoniam ex ea sequitur nõ õne agẽs agere ꝓpter finẽ. 7 *A. Primi argum. explicatio D. Th.*

Cõmunis sent. ita diuisionẽ explicat, eorum, quæ fiunt, quædam fiant ex fine deliberato, quędam verò non ita fiant, vt cum fricatur barba, &c. Ita explicat Commentator, probant D. Thomas Egidius, Sotus, & Toletus, cęterique cõmuniter. Iuxta quam explicationem diuisio nec nostro axiomati repugnat, nec est vniuersalis, & adæquata, quasi subaltero illorũ membrorum comprehendãtur omnia, quę fiunt, sed erit inadæquata, vt sit sensus: inter ea, quę fiunt, quędã fiunt ex deliberatione propter finem, quædam non ex deliberatione, quod nõ tollit, quominùs & ipsa fiãt propter finem, vt dicemus ad secundum. Hæc explicatio difficultatem argumẽti soluit: non videtur tamen admittenda, tũ quia diuisio coincideret cum subdiuisione, quę statim fit ab Aristotele: tum etiam quia ad intentum Aristotelis nihil conduceret. 2. Solutio. *Ægidius. Scotus. Toletus.*

Quare dicendum puto diuisionẽ ex mente Aristot. ita esse explicandam; vt ea, q̃ fiũt q́dã fiãt gratia alicuius, nimirũ per se; quædam non fiant gratia alicuius per se, sed solùm per accidens. Quę sensus ad intentum Aristotelis maximè cõducit 3. Solutio. *Aristot.*

ducit, vt patet ex ijs, quæ immediate docet tx. 50. & 51. & hoc modo diuisio nihil obstat nostræ sententiæ.

8 2. Argum. Solutio. Ad secundum respondeẽ actiones indeliberatas, quæ dicuntur hominis, quãuis non fiant propter finem ex directione hominis, fieri tamen ex directione, & intentione Auctoris naturæ, de quo plura in sequenti quęstione.

9 Solutio 3. Ad tertium admittimus multa fieri ab homine otiosè: negamus tamen ea, non fieri propter finem: actiones enim non ideo dicuntur otiosè; quia carent fine, vt male argum. supponit: sed quia carent debito fine, vt bene aduertit Medina 1.2, q.1.ar.2.ad primum, & docuit D. Greg. Homilia 6. in Euangelia. Quomodo autem intelligendus sit finis debitus, vt actiones nondicantur otiosę alio in loco explicari solet.

Medina. Gregor, Naz.

18 Solutio. 4. Ad quartum dicendum est argum. non habere vim apud eos, qui putant amorem finis esse propter finem: sed nec vim habet si oppositam sententiam sequaris: quoniam licet nõ fiant propter finem ab ipsa voluntate se ipsam dirigẽte: fit tamen propter finem ab eadẽ voluntate directa à Deo Auctore naturæ, vt ex mente Gãbr. diximus supra disp. 4. q. 3. ar. 5. §. 4. ad 11. argum.

Vltimi solutio. Ad postremum dicendum est ea, quæ fiunt casu aut fortuna in hoc distingui ab ijs, quę per se fiunt; quia hęc per se & ꝓpposito sunt intenta ab agente, ita vt per se agat, & operetur gratia eorũ: illa verò non sunt ab agente intenta per se, sed peraccidens, quatenùs accidit illa esse coniuncta cum effectu per se intento. Quare argumẽtũ abutitur terminis dũ sumit ea, q̃ casu fiũt, aut fortuna, ñ fieri ꝓpt̃ finẽ nãq̃ę, fiũt ꝓpter finẽ sũt media, quibus intenditur alicuius consecutio: casualia verò, & fortuita non sumũtur vt media ad cõsecutionem alteri⁹, sed sunt effectus, qui coniunguntur cum effectu per se intento ab agente, quod propter illum tanquam propter finem operatur. Quare consequentia postremi argumenti non valet, quin potius ex hoc quod multa fiunt casu, & fortuito, potius argui debet omne agens agere propter finem: quoniam non potest dari effectus fortuitus, nisi detur effectus per se intentus ab agente.

QVÆSTIO XII.

An natura, id est agentia, quæ cognitione carent, agant propter finem?

VT ea, quæ in prędẽti quęstione generaliter dicta sunt, fiant euidentiora: operepretiũ erit, id de singulis agentium generibus specialiter inquirere, quod de omnibus generaliter in prędente quęstione inquisiuimus. Et primo inquirendũ est de natura hoc est, de agẽte, quod sine cognitione operatur. De hoc autem duo inquiremus. Primum, an & ipsum agat propter finẽ? Deinde an ad finem ab alio dirigatur.

ARTICVLVS I.

An natura agat propter finem.

PARTEM negantem probauerunt plerique ex veteribus Philosophis: plures enim (si Arist. credimus in 2. Physic. cap. 8. tex. 86.) simpliciter negarunt naturam ex ijs esse, quæ alicuius finis gratia operãtur; vel quia existimarũt ónia necessario fieri eo modo, quo fiunt, quæ opinio tribui solet Anaxagoræ, & Empedocli, vel quia voluerũt omnia temere & casu euenire, quod censisse Democritum, & Epicurum plerique scribunt. Huius opinionis aliquot fundamenta breuiter tetigit Arist. vbi supra: plura alia in clariori forma refert Curs. Conimb. 2. Physic. cap. 8. & 9. q. 1. a. 2. Primum sumitur ab absurdo. Sequeretur enim naturam se exhibuisse in hominem, vt nouercam, vt matrem aũt in belluas: nam ratio agentis propter finem postulat, vt ea, quæ excellunt, beneficentius tractet: cum tamen beneficentius natura egerit cum belluis, quam cũ hominibus, vt ibi Curs. late ostendit.

Pars negatiua.

Anaxagor. Empedocl. Democri. Epicureus Aristot.

1. Fundamẽtum.

Secundum fundamentum sumitur ex eo, quod in natura multa fiunt prępostera, & incomposita: cum tamen ea, quæ fiunt propter finem, ordinate fiant.

2. Fundamẽtum.

Postremo inde sumitur; quia pleraq; existunt in natura prorsus inutilia. Iam verò

Postremũ.

verò ea, quæ propter finem aguntur, habent aliquem vsum, & vtilitatem.

3 Plato Aristot. Hanc opinionem tanquam absurdã, & à communi philosophantium iudicio abhorrentem incusauit Plato in Timęo Phædone, Philebo, & Politico, si vera scribit Curs. Conimb. Eandem tanquã impossibilem reiecit Aristo. 2. Physi. c. 8. text. 77. Imò adeo est absurda, vt sua absurditate satis refutetur. Quare omnes Philosophi, tam antiquiores, quàm posteriores vnanimi consensu docent naturã agere propter finẽ, quod iã versum est in axioma Philosophicum, quod Molina. Aristot. multis rationibus confirmauit Aristo. in dict. cap. 8. plures adducit Curs. Conimb. vbi supra. Et post eum Suar. in Metaph. disp. 23. sect. 10. nu. 2. late Moli. 1. p. q. 2. ar. 3. §. *Quarta ratio sumi potest.*

1. Ratio. Placet maxime ratio Arist. in d. tx. 77. & 85. quoniam ea, quæ natura fiunt, aut semper ita fiunt, aut plerunq;, vt docet experientia, ergo non fiunt, aut casu, aut fortuna: Hęc enim raro fiunt. Quod si quæ natura fiunt, nec casu, nec fortuna fiunt, vtique fiunt gratia alicuius finis.

2. Ratio. Aristot. Placet etiam ratio, quæ tangitur ab Aristot. in dict. cap. 8. tx. 82. quia cõstat naturam quãdoq; peccare: interdum enim generantur monstra, quę sunt peccata naturæ. Peccatum autem non reperitur nisi in ijs, quæ sunt propter finem: nec enim alio modo cõmittitur, nisi cũ adest deuiatio à fine, vt cõmunis docet Philosophia, de qua D. Thom. 1. 2. q. 21. art. 1. & 2.

D. Thm.

3. Ratio. Nec displicebit ratio, quã ex D. Tho. adduximus in prędcedente quæstione: constat enim naturam ad agendum moueri ex appetitu, & inclinatione naturali: cũm omne agens ad agẽdum per appetitum proprium determinetur; ergo natura agit propter finem. Valet consequentia; quia appetitus non fertur nisi in bonum, & in finem. Quare natura operabitur propter finem, in quem tendit appetitus, à quo ad operandum mouetur.

Præter has rationes placere debent quę eleganter concinnantur à Curs. Conimbr. & à Suario vbi supra: adeo enim euidenter rem istã conuincunt, vt null' nisi amens dissentire queat.

4 Diluitur. 1. argum. Sed nec fundamenta in contrarium vim habent: nam ad primũ neganda est sequela: nec verum est naturam benificentiùs cum belluis egisse, quam cũ hominibus: vna enim mens, & ratio, qua hominem ornauit, instar est omnium, quæ belluis concessa sunt. De quare videndus est Lactantius in lib. de opificio Dei cap. 2. & Galenus 1. de Vsu partiũ: ex quibus aliqua adducit Cursus Conimbr. vbi supra, q. 1. art. 3. ad 1.

Lactant. Galenus.

Ad secundum negandum esse antecedens docet August. lib. 3. de Trinit. cap. 2. & libr. 5. de Genesi ad literam cap. 21. & D. Damascen. lib. 2. de Fide cap. 7. ex quibus habes illas naturæ tam inferiorum, quàm superiorum corporum excursiones, & exorbitantias nequaquã sine ordine contingere, quanuis is interdum non appareat. Vide quæ ex his PP. annotauit Curs. Conimb. in dicto art. 3. ad secundum.

Diluitur. 2. argum. Augustin. Damas.

Tertium tandem fundamentum euertitur ex illo vulgato axiomate Deum, & naturam nihil fecisse frustra. Quare nihil est in rerum natura, quod superfluũ existimari possit: quanuis vsus illi[s] nos lateat. Vide, quæ tam de rebus minimis quàm de nociuis ex Aristotele, Plinio, August. & nonnullis alijs PP. breuiter scribit Curs. Conimbr. in dicto artic. 3. ad tertium.

5 Soluitur 3. argum.

ARTICVLVS II.

Vtrum natura agat propter finem directa à se, an ab alio?

1. Præmissum ad explicationẽ quæstionis D. T

PRO explicatione quæstionis prę-mittendum est Cum D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 2. duobus modis intelligi posse agens aliquod sua actione tendere in finem: Vno modo, vt in finem à se ipso dirigatur: altero modo, vt in eundem dirigatur ab alio. Quod exemplo sagittę facilè explicat. Nam sagitta ita in scopum tendit, vt non á se, sed à sagittãte dirigatur in eum: cuius oppositum cernitur in sagittante: is enim in illum scopum à se ipso dirigitur. Hoc prędmisso iã datur locꝰ propositę quæstioni nam cũ apud omnes constet naturam agere propter finem, merito inquiri potest, an ita agat, vt se ipsam in finem dirigat; an verò ab alio in finem dirigatur?

§. 1.

§. 1.

Refertur & impugnatur opinio asserens naturam dirigere se in finem.

2 Phletonis sententia

QVod natura dirigat se in finem videtur probasse Phleto, siue Gemistus auctor Græcus, si vera sunt, quæ de eo scribit Curs. Conimb. 2.Physic.cap.9.q.2. art. 3. in principio. Is enim in lib. quē scripsit de his, in quibus Aristoteles à Platone dissentit, inuehitur in Aristotelem, quod naturæ deliberationem negauerit, simul admittēs eam agere propter finem: quasi existimet omnia, quę propter finem operantur egere deliberatione, & cōsilio. Porrò si admittit naturam agere ex deliberatione; non potest nō admittere naturam agere se ipsam in finem: quod enim ex deliberatione operatur, seipsum mouet in finem porpter quē operatur.

3 Reijcitur præcedens Sentent.

Sed hæc Phletonis opinio irridenda potius est, quam coarguenda. Nam insensili naturæ deliberationem tribuere hominis est delirantis: cum deliberatio sine ratione non detur. Quis autem, nisi delirans, naturę tribuet rationem? In hoc etiam reprehendēdus est Phleto, quod ex eo, quod Arist. naturæ deliberationem negauit, infert eū negare naturam propter finem agere: quasi hæc duo repugnent, agere propter finē, & non agere ex deliberatione: in quo quam cæcutiat nullus non videt; quia deliberatio nō est necessaria vt agēs dicatur propter finem agere, vt idem Arist. expresse docuit in 2.Physic.cap.8.tx.86. vbi reputat absurdum id existimare.

§. 2.

Expenditur opinio, quæ negat naturam dirigi in finem ab aliqua intelligentia.

4 Refertur alia sent.

EST hac de re secunda opinio affirmans nec Aristotelicè, nec physice dici agētia naturalia in suis actionibus ideo agere propter finē, quia ad illum ab intelligentijs diriguntur. Ita existimauit Benedi. Pereira libr. 8. de principijs rerum naturalium cap. 3. §. *hæc dicuntur ab ijs.* Et quidē, quod id Aristotelicè non dicatur, inde probat; quia apud Aristo. intelligētiæ, aut prorsus ignorant species rerum sublunarium: aut certe eas non cognoscunt, nisi eminenter atq; in vniuersali dūtaxat. Hāc fuisse mentem Atistotelis; docuèrunt Commē tator aduersus Algaselū, & 12.Meta.tx. 51.Mirand.li.12.de euers.sign.certā.sectio.1.Grego. in primo.d.35. q. prima, Iand.12, meta. q. 21. quin potius ita de Aristotele docent Clemens Alex. lib.5. Stromatum, Theodoret. lib. de curandis Græcanicis affectionibus. Nyssenus siue Nemesius lib. 8. philosophię cap. 4. Ambros. lib.1. de officijs cap.12. Epiphani. de hęresibus hęresi vltima, Nazianz. oratione prima de Theologia, Nycętas in oratione eiusdem Nazianz. 16. & Euseb. lib.15 de pręparatione Euangelica cap.4. Quod si nec Deus, nec intelligentiæ apud Aristo. hæc inferiora cognoscunt: vtique Aristotelicè non asseritur Deum, & intelligentias res istas inferiores in suis actionibus dirigere in finem.

Benedict°. Pereira. Aristot.

Cōmentator. Mirand. Gregor. Iādunus. Clemēs Alexand. Theodore. Nissenus. Ambros. Epiphan. Nazianz. Nicetas. Euseb.

Sed nec philosophicè id dici, ex eo probat, quia cum singulis rebus naturalibus insitæ sint qualitates actiuę, per quas ad suas actiones, & fines determinētur: profecto superuacanea est talis motio, & directio. 5 1.Argum.

Secundo; quia si fingamus mundum esse sine intelligentijs, adhuc leuia in superum, grauia verò in infimum locum mouebuntur, ergo in suis motibus à directione mentis omnino non dependent 2.Argum.

Tertio, quia quem Philosop. non pudebit respondere ideo ignem producere calorem, quia mouetur, & dirigitur ab intelligentia? Postremo; quia si agētia naturalia agerent directa à mente diuina, nunquam in suis actionibus errarent, nec deficerēt à cōsecutione intenti finis: cuius oppositum docet experientia: interdum enim generantur monstra, quę dicuntur naturę peccata. 3.Argum. Vltimum. 6

His argumentis inductus Benedictus Pereira nō admittit naturam ideo agere propter finem; quia ad illum ab intelligentijs dirigitur: sed ideo potiº; quia virtus actiua, & actio cuiusque agētis naturalis determinata est ad talē finem. Et ita concludit, naturam quidē agere propter finem: ad illum tamen nec se ipsam mouere; nec ad eundem ab alio dirigi, sed à sola sua naturali inclinatione, & propensione,

§. 3.

Ponitur vera resolutio.

Hæc

7 Resolutio. HÆc tamen opinio, quanuis eruditissimo Philosopho placuerit, nõ est digna, quę vel à philosopho, vel à Theologo recipiatur. Quare dicẽ dum est, naturam ideo agere propter finẽ, quia ab intelligentia dirigit in finẽ. Quod adeo verum est, vt nisi natura ab aliqua mente superiori gubernaretur, & dirigeretur in finem, nihil intenderet tanquam finẽ: & subinde nec dici posset agere propter finem, quod aduertit D. Thomas prima parte q. 103. art. 5. ad 1. Etenim impossibile ẽ naturã agere propter finem, & non dirigi in illum ab aliqua intelligentia cognoscente finem ex D. Thom. 3. contra gent cap. 64. ratione quarta.

D. Thom.

1. Probatio ex cõmuni philosop. cõsensu. Hęc Philosophia ex eo primum probari debet, quod vno excepto Pereira (vt ipsemet fatetur) omnes hanc probant, & confirmant philosophiam. Et mirum est, si omnes in hac philosophia sint allucinati, vno dempto Pereira. Et quanuis Pereira à citatione Doctorum nos deobliget; videndi tamen sunt D. Thomas 1. part quęst. 103. artic. 1. & 1. 2. quæst. 1. art. 2. & 3. cõtra gẽtes cap. 24. Albert. Mag. 2. Physi. cap. 2. Simplici' cum cęteris Aristotelis interpretibus, tam antiquioribus, quàm modernioribus in secundo Physic. cap. 8. vbi Curs. Conimbricen. quæstio. 2. artic. 2. & 3. Suarius in Metaphysic. disput 23. sectio. 10. num. 5, cum sequentibus, late Moli. prima parte, quæstione 2. artic. 3. in 4. ratione pro minore folio. 47. columna prima.

D. Thom. Albertus Mag. Simplicius Molina.

Probatur ex Aristo. Deinde probatur ex Aristotele 4. de generatione animalium cap. secundo, dum ait: *omnia quæ natura, vel arte efficiuntur, ratione aliqua esse, & fieri:* Quod non aliter potest esse verum, nisi quia à superiore mente in illis efficiendis natura dirigitur. Ex quo Aristotelis loco forte desumptum est illud tritum axioma: *Opus naturæ est opus intelligentiæ*, de quo Auerroes 12. Metaph. comment. 18. & Themist. primo Physic. tex. 81. & primo de Anima tex. 23. & D. Thom. 3. contra gentes. cap. 24. At opus naturæ non potest dici opus intelligentiæ ab intelligẽtia, quæ formaliter sit in ipsa natura (natura enim est rationis expers) sed ab intelligentia, à qua natura dirigitur, & in qua quasi operatur: nam ob hanc causam operationes naturæ Deo attribuuntur, quasi operãti in natura, vt ait D. Thom. prima parte quæst. 105. art. 5. in fine. Ob eandem rationem natura dicitur artis diuinę, vt appellat D. Thom. 3. contra gẽt. cap. 3. dicitur etiam docta, atque erudita in suis operib', vt ait Hippocrates in lib. de arte, & post eũ Galen. lib. 1. de Vsu partium, & lib. 6. de locis affectis: non diceretur aũt in agẽdo erudita, nisi ab aliqua intelligentia diligenter erudiretur. Denique huic sententię satisfauet Aristotel. primo de Cœlo cap. quarto, text. 32, dum asserit. *Deum, & naturam nihil facere frustra.* Quib' verbis natura in agendo propter finem videtur Deo subalternari. Optimus mihi locus apud Aristotelem primo Metaphysic. cap. 3. ad finẽ, vbi laudat eos Philosophos, qui dixerunt, *mentem facere in tota rerum natura id, quod mens nostra in nobis efficit:* vt sicut mens nostra in nobis facit, vt gratia boni ac finis operemur; ita mens illa superior facit, vt natura gratia alicuius boni operetur. Quare naturam in agendo dirigi à mente quadam suprema, & fuit opinio quorundã Philosophorũ, & Aristotelis, qui in hoc eos maximè laudat

Hippocra. Galenus.

Aristot.

Auerroes Themisti'

8 Ratio Theologica. Sed & Theologice inde ostẽdi potest prędata Philosophia: quoniam natura, nisi à Deo dirigeretur in finem, quem, intendit, & propter quem agit; non gubernaretur à Deo; quod dicere est impium iuxta illud Sapientiæ. 14. *Tua autem Pater gubernat omnia prouidentia.* Sequela probatur: quoniã gubernare aliquid non est aliud, quam illud in suum finem dirigere, vt docet D. Thomas 1. p. q. 103 art. 1. & 2. & 3. contra gentes c. 64. ratione tertia. Quare nisi natura in suis actionibus à Deo dirigeretur, vtiq; à Deo non gubernaretur. Vnde apud D. Thomam in d. q. 103. ari. 5. valet hæc consequentia. *Omnia à Deo gubernantur, ergo omnia ab illo diriguntur in finem.*

Sapientia. D. Thom.

9 Ratio philosophica. Philosophice etiam id ipsum demonstratur: quoniam constat ipso Pereira consentiente, naturam non agere temere & à casu, sed gratia alicui' finis, vt ostẽdimus. At, quod non temere, sed per se ac rectã aliquo tendit ordinate progreditur in id, quo tendit. Ordinare autẽ opus est rationis, & intellectus, ex Aristotele in 1. Metaphy. Oportet igitur

Aristot.

concedere naturam, quæ se ipsam ordinare in finem non potest; quia ratione caret, ab aliqua intelligentia in operando in finem ordinari, quæ ratio tangitur à D. Thoma tertio contra gẽtes capit. 24. & optime explicatur à Cursu Conimbricensi in dicta quęstio. secunda, articulo tertio, & ad hanc rationem reducenda est probatio Molinę loco citato satis confusa.

D.Thom.

Molina.

10 Alia ratio ex D. Tho. & Ferrar.

Accedat & alia ratio ex D.Thoma in dicto capit. 24. quod enim mouetur ab aliquo per se, & non per accidens, dirigitur ab eo in finem sui motus, & operationis. Sed natura per se non per accidens mouetur ab aliqua intelligentia. Ergo ab ea in suis actionibus dirigitur. Maior tanquam nota proponitur à D.Thom. & à Ferrarien. ibidem. Minor probatur: tum, quia tota natura per se ad agendũ mouetur, & applicatur à prima causa, vt patet, tum etiam quia corpus cœleste per se mouetur ab intelligentia: mouet autem suo motu corpora ista inferiora.

11 Alia eiusdẽ D. Thomę ratio.

Sed adhuc adduci potest ratio sumpta à certo, & determinato cursu naturæ in agendo, qua vtitur D. Thomas prima parte quęstione 103.arti.primo, ad primum nam, sicut motus sagittæ ad determinatum finem, demonstrat aperte, quod sagitta dirigitur ab aliquo cognoscente: ita etiam certus cursus rerum naturalium manifeste declarat res illas ratione aliqua gubernari, & dirigi. Nam sicut mittens sagittam eam dirigit imprimendo impulsum directum ad talem finem, & non ad alium: ita etiam Deus naturę auctor dirigit res naturales imprimendo illis naturalem inclinationem in determinatum finem.

Vltim. ratio

Postremo confirmatur deducendo ad absurdum: quoniam, nisi ita res se habeat, non poterit dari vera causalitas finalis in operationibus naturæ. Quod est falsum vt inferius ostendemus. Sequela probatur; quia causalitas finalis, cum sit motio Metaphorica, vel saltẽ non detur sine illa exercita erga causam agentem, nõn potest exerceri, nisi erga causam agentem cũ cõmissione, vt patet.

§. 4.

An qua intelligentia natura in suis actionibus dirigatur?

12 Ratio dubitandi ex D. Tho.

DVbitari tamen potest, à quanam intelligentia natura in suis actionibus dirigatur? Ratio dubitandi sumitur á Diuo Thoma tertio contra gentes cap. 24. vbi non obscure videtur significare naturam dirigi ab intelligentia, quę mouet corpus Cœleste, dum ait: *Non solum corpora Cœlestia, sed etiam omnia inferiora in suos fines dirigi ab intelligentia Cœlorum motrice.* Et inde infert quodlibet opus naturæ ab intelligentia illa dirigi in suum finem. Cõsentit Ferrarien. in eodem loco.

At tamen Curs. Conimbr. in 2. Physi. cap. 8. quæst. 2. artic. 3. non putat naturam ab alio dirigi in finem, nisi à Deo, qui cum sit auctor totius naturæ, singulis rebus suos fines præscripsit. In qua etiam sententia videtur etiam Molina 1.par. quęst. 2. art. 3. §. *Quarta ratio*, fol. 43, col. 2. & fol. 47. §. *Secũda pars minoris.*

Dicendum tamen est naturam in omnibus suis actionibus dirigi à Deo in suos fines: non esse tamen excludendas intelligentias Cœlorum motrices ab ea directione. Quod natura à Deo in suos fines dirigatur, est expressa sententia D.Thomæ prima secundę, quæst. 1. art. 2. ad tertium vbi generaliter docet omne, quod caret ratione, moueri in finem à Deo. Quam doctrinã etiam colliges ex D.Thoma prima parte q. 22. art. 2. & quæst. 103. articul. 3. 5. & 6. & 3. contra gentes cap. 64. ratione 3. quibus in locis ostendit omnia à Deo gubernari, & dirigi in suos fines. Nam cum omnia à Deo in esse producantur, necesse est, vt omnia ab eodem in suos fines producantur: ad quem enim pertinet rem producere in esse, ad eum pertinet eam producere in finem, vt docet D. Thomas in dicta q. 103. art. 1, in fine.

13 Conclusio.

D.Thm.

D.Thom.

Quod vero non excludantur intelligentiæ Cœlorum motrices ex mẽte D. Thomæ ita probari potest: quoniam Deus, licet omnia se ipso immediate gubernet: non excludit tamen à gubernatione rerum alias causas, quarum ministerio vtitur in rerum gubernatione vt docet D. Thom. prima p. q. 12. ar. 3. & q. 103. ar. 6. & 3. contra gent. c. 77. & 78.

D.Thom.

quare

quare cum gubernare aliquid non sit aliud, quam illud in suum finem dirigere, vt supra diximus ex D. Thoma prima parte, quæstione 103. articu. 1. & secundo, vtique Deus ita pleraque dirigit in suos fines, vt à tali directione alias causas non excludat, sed eas secum assumat. Huiusmodi autem causæ sunt intelligentiæ Cœlorum motrices, à quibus inferiora ista reguntur, vt idem Diuus Thomas docet tertio contra gentes capit. 78. Nam ista inferiora essentialiter subordinata esse corporibus Cœlestibus, tanquam causis vniuersalibus, ab eisque pendere, & quoad suum esse, & quoad operari communis est sententia & Philosophorum, & Theologorum, quam optime declarat Fonseca libro septimo Metaphy. cap. 7. quæstio. 3. sectio. 10. ad vlti. Non est igitur negandum agentia naturalia in suis operationibus dirigi, tum à Deo tanquam à primo gubernatore, tum etiam ab intelligentijs Cœlorum motricibus coassumptis à Deo ad illorum gubernationem.

D. Thom.

Fonseca.

§. 5.

Quomodo natura ab intelligentia dirigatur ad suos fines?

14 Dubitatio. ANtequam ad solutionem argumẽtorum accedamus, vt difficultas magis explicetur, operæ pretiũ erit explicare, quo modo natura dirigatur in finem à Deo. An scilicet per aliquam nouam directionem, quæ tunc actu datur, cum natura actu operatur? An verò per illam primam, & antiquam directionem, qua in prima cuiusque naturę molitione vnamquamque in suũ finem ordinauit? Etenim Deus cum vniuersum condidit, sicut singulis particulares præscripsit fines, ad quos rectà tenerent: ita singulis determinatas indidit formas, & inclinationes, quibus ad suos fines peruenirent.

15 Huic dubitationi fortasis respondebit aliquis, Deũ non primo, sed posteriori modo dirigere in finem operationes naturę quasi illa prima directio, quæ singulas naturas, dum eas condidit ad proprios fines ordinauit, dando singulis formas ad illum finem inclinatas, virtualiter permaneat in singulis operationibus naturæ: eo modo, quo intentio finis virtualiter manet in medijs, quamuis illa ab agente in finem actu non dirigantur: Etenim plerique Philosophorum non alia ratione probant agentia naturalia dirigi in finem à primo agente, nisi quia Deus illis cõtulit naturas, & potentias ad proprios suos fines inclinatas, vt colliges ex Molina prima parte, quæstione secunda, articul. tertio §. *Prima pars minoris*, & §. *fatemur quidem res omnes*, pag. 47. colum. prima, & secunda, & inferius quæstione decima quarta, articulo decimo tertio disputatione septima, §. *Nec verò, vt hic Auctor affirmat*, pagin. 192. columna prima.

16 Dubitationis explicatio. Ego tamen longe aliter dicendum esse puto: & pro explicatione supponendum est cum D. Thom. prima parte, quæst. 22. articul. tertio, & quæstio. 103. articulo sexto; diuinam prouidentiam qua res omnes in suos fines diriguntur, dupliciter considerari posse, vno modo secundum se, altero modo prout est in executione. Priori modo consideratur, prout est ratio quædam, & dispositio rerum omnium existens in mente diuina: Posteriori modo prout dispositio in mente diuina statuta, & decreta, in actuali rerum gubernatione, ponitur in executione. Hoc loco non est sermo de directione naturæ priori modo sumpta; quia constat naturam operari iuxta ordinem, & dispositionem diuinæ artis in mente diuina existentis, qua Deꝰ per se immediate cunctas res ordinat in suos fines. Solùm igitur est sermo, quo pacto Deus operationes naturæ actualiter dirigat in finem. Et dicendum puto Deum ideo res naturales in suis operationibus in finem dirigere; quia simul cum illis in easdem operationes influit, & concurrit. Itaque ideo dicitur dirigere naturam in finem; quia eandem actionem, quam natura elicit, ipse etiam elicit cum actuali intentione finis. Hęc explicatio ex eo videtur ostendi, quoniam tam Theologi, quàm Philosophi inde probant omnia subijci diuinæ prouidentiæ; quia omnia ad agendum indigent diuino concursu, vt operentur: Vide Fonsecã sexto Metaphysi. capite secũdo, quæst. 5. sectione 3. litera B. Præterea inde etiã probant diuinã prouidentiam in executione plurima face-

re, & prouidere mediate, hoc est mediante causa secunda; quia non solùm simul cum causa secunda, aliqua producit & conseruat: sed etiam; quia plurima agit simul cũ ea, vt idê Fonseca loco citato aduertit litera C. quare cum diuina prouidentia in executione nihil sit aliud, quam gubernatio: gubernatio autem sit ipsa rerum directio in finem, ex Diuo Thoma 1. parte quæstio. 103. articul. primo & secundo: fit Deum ideo dirigere naturales causas in fines; quia earum operationes simul cum illis elicit cum intentione finis, ad quem ipsa natura inclinatur. Quę explicatio non longe est à mente eorum, qui putant, ideo opus naturæ dici opus intelligentiæ; quia Deus per suum cõcursum eas mouet, & applicat ad suas naturales operationes. Et quanuis in modo applicandi cum præcitatis Auctoribus non consentiat Molina in dicta disput. septima loco citato: tamen in in hoc cũ illis conuenit, vt putet ideo opus naturæ dici opus intelligentiæ; quia Deus cum eadem natura ad operationem cõcurrit: ita vt operatio naturæ sit etiam operatio primæ intelligentiæ, vt patet ex dicto loco, & inconcordia disput. 32. in principio, & satis consentit D. Thomas prima parte, quæstione 105. artic. quinto in fine, dum ait *Deum in omni natura operari:* quod non alia de causa verum habet, nisi quia Deus eandem quam natura, operationem operatur, cum ea simul concurrens. Nobiscum consentire videtur Suarius, dum in Metaphysi. disput. 23. sectio. 10. numero sexto asserit adęquatum principiũ actionum naturalium esse agens ipsum naturale, simul cum Deo primo agente, & ob id opus naturę dici opus intelligentiæ, dirigique ab ea.

D.Thom. *Molina.* *D.Thom.*

§. 6.

Quo modo in naturalibus actionibus detur vera causalitas finalis?

17 Prima Ratio dubitandi.

VNa adhuc supereſt non leuis difficultas, quonã pacto vera causalitas finalis reperiatur in actionibus naturæ? Rationem dubitandi facit: quoniam causalitas finis, vel est motio metaphorica agentis, vel non datur sine tali motione, vt patet ex his, quæ diximus de causalitate finali. Sed motione metaphorica non potest moueri, nisi id, quod, cum cognitione operatur. Ergo cum natura sine cognitione operetur, non potest in illa reperiri vera causalitas finis.

2. Ratio. Deinde finis (verbi gratia, locus superus respectu ignis) non se habet, vt principiũ respectu ascensus ipsius ignis, sed tantum vt terminus. Etenim locus sursum respectu ignis, non concurrit vt principium motus, quo ascendit, sed solum vt terminus. Iam verò constat finem non exerecre causalitatem finalem, vt est terminus actionis, sed vt est principium eius.

18 1. Dicendi modus. His argumẽtis permoti quidam simpliciter negarunt finem exercere veram causalitatem finalem in agentia naturalia, aut in actiones illorum, vt refert Suarius in Metaphysica, disput. 23. sect. 10. nu. 4.

Oppositam sententiam alij simpliciter probauerunt, eodem teste, volueruntq; simpliciter admittendum esse in operationibus naturalibus reperiri veram causalitatem finalem. Fundamentum est; quia non posset natura propter finem simpliciter agere, nisi in illius actione daretur vera causalitas finalis. Quod etiam suadet artificium, quo natura operatur, & industria, qua suas exercet operationes.

Vtriusque sententiæ cõciliatio. Vtramque opinionẽ veluti conciliat idem Suarius numero quinto, & sexto, docet enim de operationibus naturalibus dupliciter agi posse. Vno modo prout sunt ab ipsis naturalibus agentibus: altero modo, prout sunt à prima intelligentia, quæ vt prima causa generali concursu concurrit cum illis. Si primo modo considerentur, in illis non esse propriam causalitatem finalẽ, vt argumenta primæ opinionis conuincunt; quia illæ operationes vt sic, solùm respiciunt finem, vt terminũ & obiectum. At posteriori modo, in ills dari veram causalitatem finis; quia illæ operationes, vt sic vere sunt actiones Dei ad extra, in quib⁹ vera reperit causalitas finis, vt inferi⁹ dicem⁹. Cõcludit tãdẽ in ipsis actionib⁹ naturalib⁹ vt sũt ab ipsis naturalibus agẽtibus dari

dari veram causſalitatem finalem, non ſimpliciter, ſed prout illæ ſubſunt directioni, & intentioni primę intelligentiæ. Et hanc vltimam explicationem maximè probo: Ex qua infero hoc ſatis eſſe, vt ipſa natura non ſolùm proprie dicatur dirigi in finem, ſed etiam operari propter finem: quia vt ſic cum prima cauſſavnum conſtituit principiũ adæquatum ſuarum operationum, vt idem Suarius aduertit num. ſexto. Accedit etiam; quia ex ſua eſſentia habet natura, quod in agendo ſubalternetur primæ cauſſę, illique ſubſtet. Quod ſatis eſt, vt propriè dicatur agere propter finẽ, & ab illo finaliter moueri. Et ad hunc modum vtriuſque opinionis argumenta facilè ſoluuntur,

§. 7.

Soluuntur argumenta Benedicti Pereira ſumpta ab Ariſtotele.

19 Circa Ariſtot. ſententiam dubitatio.

SVpereſt vt reſpondeamus ad argumenta Benedicti Pereira. & primũ reſoluendum eſt, an noſtra, & communis reſoſutio ſit contra Ariſtotelis mentem. In qua dubitatione fatemur plures exiſtimaſſe Ariſtotelem non agnouiſſe in Deo horum inferiorum cognitionem, & prouidentiam. Quę fuit ſẽtentia illorum patrum qui in argumento citantur. In quã etiam inclinat Bellomon. 1. p. diſp. 87. cap. 1. numer. 1.

20 aliorũ opinio. *Ariſtot.* *Palatius.* *Valentia.* *Banhes.*

At tamen non deſunt, qui dicant, iniuriam irrogare Ariſtoteli, qui hunc errorem illi imponunt. Ita Marſil. in 1. q. 38. art. 3. in 2. coroll. poſt ſecundam cõcluſionem Palat. in primo diſt. 35. diſp. 1. fol. 187. columna 3. Valentia. 1. tom. quęſt. 14. punct. 3. §. *quarto accedit.* Et q. 21. puncto 2. Banhes 1. p. quęſt 14. art. ſexto §. *ſecundum eſt notandum*; Suar. in Metaphyſi. diſputa. 23. ſectio 10. num. 9, & *Molina.* Latius diſput. 31. ſect. 15. num. 41. Molina 1. p. q. 14. ar. 5. & 6. diſput. vnica §. *tertio probatur* pag. 144. col. 2. hãc putat eſſe opinionem veriſimiliorem etiam Curſ. Conimbr. 2. Phyſic. cap. 9. q. 2. a. 3. vltimis verbis. Et hęc videtur fuiſſe ſen- *D. Thm.* tentia D. Thom. 1. p. q. 14. artic. 11. & 1. contra gent. cap. 50. & profecto dignum eſt, quod de tanto philoſopho ita cenſeamus: maxime cum ex pluribus illius placitis hæc eius mens, ſi non euidẽter, vrgenter tamen colligi videatur: & quæ in contrarium adducuntur, bonam patiuntur explicationem. Vrget maximè, vt hanc mentem Ariſtoteli concedam[2], *Ariſtot.* id quod ex lib. 4. de generatione animalium cap. 1. ſuperi[2] adduximus: *ŏnia, quæ natura vel arte efficiuntur, ratione aliqua eſſe efficique.* Hæc autem ratio nõ poteſt eſſe niſi mens aliqua ſuperior, quæ ſit ſupra totam naturam. At quo modo poteſt mens iſta, & ratio omnia hæc inferiora dirigere, niſi illa cognoſcat, & gubernet.

Concinit id, quod ſuperius adduximus ex primo Metaph. cap. 3. ad finem: *Ariſtot.* laudat enim Ariſtotel. eos philoſo. qui cũ viderẽt ordinẽ vniuerſi in his inferioribus nec fortunæ, aut caſui poſſe attribui, nec igni, aut terræ, alicuivè materiali principio, quaſi coacti agnouerunt mentem quandam in natura, quę in rebus naturalibus agat, ordinãdo earũ operatioẽs, qđ mẽs noſtra in nobis agit. At quomodo mens iſta vnica (quẽ Deum eſſe nullus negat) in natura omnia operatur, & dirigit, ſi horum inferiorum cognitionem, & curam non habet?

Accedat tertius locus ex 3. Metaph. cap. 4. text. 15. & 1. de Anima cap. 5. tex. 80. vbi Empedoclem ad hoc inconueniens deducit, quod ex ſua poſitione ſequatur Deum ignorare ea, quæ nos cognoſcimus. Ex quo loco D. Thomas 1. p. q. 14. art. 1. §. putat ex mente Ariſtotẽ- *D. Thom.* lis Deũ cognoſcere iſta ſingularia, quæ nos cognoſcimus.

Sed & quarto facit, quod ex aliquibus 21 Ariſtotelis locis euidẽter patet Deum aliqua horum inferiorum cognoſcere. Nam decimo Ethicor. cap. 8. aperte concedit eos qui mentem excolũt Deo chariſsimos eſſe, & eſſe ſub illi[2] cura. & 1. Economicorum cap. 3. docet *nãm maris & fœminæ diuina prouidentia inſtitutam, & ordinatam eſſe ad ſocietatem.* Quod ſi ſemel admittatur apud Ariſtotelem Deum aliqua horum inferiorum cognoſcere, *Ariſtot.* cur apud eundem non cognoſcet ŏnia?

Vrget & quinto loco id, quod de bona fortuna ſcribit Ariſtoteles libro *Areſtot.* 7. Ethicor. ad Eudemum cap. 18. pag. 1048. vbi admittit duplicem dari bonam fortunam: naturalem vnam; qua

ex bono contemperamento bonaque Cœli constellatione quis operatur: diuinã alteram, qua bene fortunatus dicitur agere ex impetu, & Imperio diuino. Et hanc dicit esse apud homines frequentiorem. Porrò si ex doctrina Aristotelis datur bona fortuna diuina, & *Aristot.* hæc apud homines est frequentior: profecto fatendum est Aristotelem docuisse Deum hæc inferiora, & cognoscere, & interdum curare. Etenim hęc diuina fortuna in Deum reducitur, in quẽ huius omnes bonæ fortunæ euẽtus reduci debent. Accedit sexto locus Aristotelis secundo magnorum moraliũ cap. octauo quatenùs docet *Deum ita esse præficiendum dominum, vt bona malaque meritis distribuat.*

22 Et quanuis in eo erret, quod docet bonam fortunam hominum iniquorum non esse in Deum referendam, vt quia malorum hominum curam non habeat: in eo tamen recte sentit, quod Deus sit malorum ac bonorum pro meritis distributor.

Postremo hanc fuisse Aristotelis mentem dubitari non poterit, si liber de Cœlo, & mundo ad Alexandrum est *Aristot.* legitimus partus Aristotelis sicut creditur: In eo enim non semel, & iterum, sed sæpius Deum omnium Auctorem facit. Cum verò constantissimum sit apud omnes Deum non ignorãter operari, sed per intellectum, & voluntatem: si Deus ex Arisotele est omnium rerum etiam inferiorum Auctor: vtique omnia etiam inferiora distincte, & clare cognoscet.

Porrò quod in eo libro Deus ab Aristotele ponatur omnium rerum Auctor, patet ex illis Verbis: *Itaque vetus fama est, & quidẽ hæreditaria mortalium omnium vniuersa à Deo, & propter Deum nobis esse constituta: nec verò vlla natura per se sufficit orbata salute, quam ille ferat.* Et statim *Deus enim sine dubio seruator omnium est, & parens eorum, quæ in mundo conficiuntur:* & multis interpositis: *decentius existimabimus Deum constitutum esse summo in loco, & virtutem eius per vniuersum Orbem diffundi, Solem, & Lunam versare, & Cœlum totum conuertere, auctoremque esse salutis rerum, quæ terra continentur.* At etiam hęc illius verba: *nam omnes aeris, terræ, aquæ res, Dei opera dicere poteris.* Denique ad calcem totius libri; ita concludit: *recte quoque dicitur salutis, & libertatis auctor: & vt generatim rem proponam, cœlestis, & terrenus vniuersæ naturæ, & fortunæ cognominis est. Quippe cum auctor sit rerum omnium.* Quod si Deus apud Aristotelem auctor est omnium etiam inferiorum; profecto apud Aristotelẽ omnium etiam erit cognitor.

Hæc maximè vrgẽt, vt dicamus Aristotelem agnouisse in Deo inferiorum horum cognitionem, & prouidentiam: maximè cum, quę in contrarium adducuntur, non cogant, vt dicamus Aristotelem hanc cognitionem Deo denegasse.

24 Explicãtur aliqua Aristotelis loca in cõtrariũ.

Nam locus 12. metaphysic. cap. 9. tx. 51. quod est pręcipuum aduersariorum fundamentum, parum vrget: quoniam in eo sensu negat Deũ cognoscere alia à se; quia negat Deum extra se nihil intelligere: cùm quo bene constat Deum apud Aristotelem in se ipso, & in sua essentia omnia perfectissime intelligere. Nam Augusti. in lib. 83. quęstionum q. 46. ita negat Deum intelligere extra se rem aliquam, vt admittat Deũ in se omnia intelligere. In quo sensu Aristotelem intellexere D. Thom. Egidi[9] & Scotus ibi: Marsilius, Palati[9], & Bañes in locis supracitatis, & post eos Suarius in Metaphy. disp. 3. section. 16. num. 42. & optimè Molina 1. parte quęst. 1. artic. 5. & 6. disput. vnica 9. ad quartum dicendum pag. 167. columna prima: & hunc fuisse sensum Aristotelis colligi potest tum quia ex locis superius adductis euidenter constat Aristotelem agnouisse in Deo cognitionem plurimarũ rerum: nec est admittendum sibi fuisse contrarium: tum etiam, quia rationes, quibus ducitur in eo loco, vt dicat Deum non cognoscere alia à se hunc sensum, & nõ alium suadent: Etenim ex duplici absurdo colligit Deum alia à se non cognoscere. Primum est; quia res ipsæ, quas intelligit, nobiliores forẽt diuina intellectione. Alterum est; quia in Deo esset intellectio ignobilis: *quia*, vt ait, *de quibusdam etiam cogitare absurdum est, & melius quædam non videre, quam videre.* Quæ rationes nõ habent vim, nisi ponat Deus intelligere ex se, res alias: nam si Deus ex se aliqua intelligit, ita ea intelligit, vt ab ipsis ad intelligendum moueatur. Ex quo bene infertur primum absur-

Augusti.

D. Thoma.
Ægidius.
Scotus.
Marsilius.
Palatius.
Banhes.
Molina.

absurdum: nec enim obiectum intelligibile dicit nobilius intellectione, quia eam terminat: sed quia ad eam mouet. Infertur etiam absurdum secundum: nã ea sola intellectio ex obiecto suam sumit nobilitatem, quę ab eo motiuè dependet: & cum pleraque obiecta sint in se vilissima, vilesceret intellectus, si ab illis ad ea intelligenda moueretur. Nõ est igitur, quod Bellomont. hunc Arist. locum nobis objiciat.

25 Alterius loci expositio

Nec secundo quidquam contra nos facit id, quod Arist. docuit 12. Metaph. c. 7. tex. 37. Deum scilicet (quem primũ mouẽs immobile appellat) mouere primum corpus mobile, & ab hoc cætera moueri: quoniam etsi forte inde infertur Deum ex sententia Aristot. non esse secundum suam substantiã vbique, sed solum in loco supero (quæ forte fuit [illegible] ad Ale[illegible] r[illegible] n[illegible] se[illegible] [illegible]gnoici, quæ à nostra substantia longè distant, vt fatetur D. Tho. 1. p. q. 8. art. 3. ad 2. Quare non cogit argumentum, vt dicamus Aristotelem cũ illis sensisse, qui de Deo dixerunt Iob. c. 22. *Super cardines Cœli ambulat, nec nostra considerat.* Cum ex pluribus locis constet Deum plura cognoscere ex his inferioribus.

Augusti.

D. Thom.

Iob.

26 Exponitur alius locus Arist.

Postremo nõ obstat, quod lib. 2. magnorum moralium c. 8. negauerit Arist. casus fortuitos posse Deo attribui, ne illum iniustum fateri cogamur: quoniã vt demus (quod tamen est dubium) Aristotelem negare casus fortuitos posse Deo attribui, non tamen cogimur fateri Deum non cognoscere hæc inferiora. Nam aliud est Deum omnia inferiora cognoscere: & aliud Deum in his inferioribus omnia dirigere, & prouidere. Primum non negauit Arist. bene tamen secundum, quia non omnia diuinæ prouidentiæ subiecit. Et inter alia diuinæ prouidentiæ denegauit ea, quę subiecit fortunæ naturali. Nec mirum si de diuina prouidentia circa ista inferiora & humana non ea firmitate, & cõstantia, qua par erat, loquutus fuit, vt bene aduertit Molina 1. p. q. 22. artic. 1. disp. 2. §. *Tertium est.* & satis patet ex illis verbis 10. Ethic. c. 8: *Nam si Dij curam humanarũ rerum, vt existimatur, aliquam habent, &c.* Nec implicat Deum ista omnia inferiora cognoscere, & tamen non omnia in illis dirigere, & curare. Si verò inferas Deum ex sententia Arist. non dirigere naturam in suum finem, neganda est consequentia: quia bene constat naturã in suis actionib⁹ à Deo dirigi ad suum per se finem, non tamen ad finem peraccidens, qualis est fortuitus: nam agens per intellectum se ipsum dirigit priori modo, non posteriori. Quare Aristoteles errauit, dum casus fortuitos à diuina subtraxit prouidentia: sed pugnantia non dixit.

D. Thoma. Ægidius. Scotus. Marsilius. Palatius. Banhes. Molina.

Libr. 7. Ethic. ad Eudemũ. cap. 18.

Molina.

§. 8.

Soluuntur argumenta Pereiræ petita à Philosophia.

27 Solutio primi argumẽti.

Ad nec argumenta Bened. Pereira obabunt esse minus philosophi- dicta, quæ diximus. Ad primum andum est superuacaneam esse motionem, & directionem primæ intelligentiæ. Nam ex eo, quod res naturales ꝑ qualitates sibi inditas ad suas actiones, & fines determinantur, bene infertur eas non temere, sed ordinate tendere in finem: ordinatio autem dari non potest sine intellectu. Accedit etiã, quoniam determinatio rerum naturaliũ ad certam actionem, & finem, non tollit ab illis essentialem subalternationẽ in operando ad primam causam, quæ est intellectualis: ratione cui⁹ operari nequeũt, nisi ad earum operationem simul concurrat Deus illam eliciens cum intentione finis, ad quem talis actio dirigitur. Quare argumentũ retorquetur inarguentem.

28 Solutio secundi.

Ad 2. omissis ijs, quæ pro soluendo hoc argumento scribit Suarius in dict. disp. 23. sect. 23. n. 9. Respondendum est cum Cursu Conimbr. 2. Physic. c. 9. q. 2. art. 3. falso supponi grauia posse deorsũ moueri, & leuia sursum, si tollatur prima intelligentia: hac enim sublata quoad esse, natura, sicut nec aliqua creatura, nõ posset subsistere. Siverò dicas posse Deum naturã conseruare, negare tamen illi generalem concursum: dicam naturam in illo casu subsistere quidem: operari tamen nequaquam posse: cũ in operãdo essentialiter depẽdeat à prima causa, vt vulgata agnoscit philosophia.

ex bono contemperamento bonaque Cœli constellatione quis operatur: diuinã alteram, qua bene fortunatus dicitur agere ex impetu, & Imperio diuino. Et hanc dicit esse apud homines frequentiorem. Porrò si ex doctrina Aristotelis datur bona fortuna diuina, & *Aristot.* hæc apud homines est frequentior: profecto fatendum est Aristotelem docuisse Deum hæc inferiora, & cognoscere, & interdum curare. Etenim hęc diuina fortuna in Deum reducitur, in quẽ huius omnes bonæ fortunæ euẽtus reduci debent. Accedit sexto locus Aristotelis secundo magnorum moraliũ cap. octauo quatenùs docet *Deum ita esse præficiendum dominum, vt bona malaque meritis distribuat.*

22 Et quanuis in eo erret, quod docet bonam fortunam hominum iniquorum non esse in Deum referendam, vt quia malorum hominum curam non habeat: in eo tamen recte sentit, quod Deus sit malorum ac b[illegible]rum pro meritis distributor.

Postremo mentem dub[illegible] de Cœlo, & mũ[illegible] *Aristot.* legitimus partus Aristo[illegible] ditur: In eo enim non semel, & iterum, sed sæpius Deum omnium Auctorem facit. Cum verò constantissimum sit apud omnes Deum non ignorãter operari, sed per intellectum, & voluntatem: si Deus ex Aristotele est omnium rerum etiam inferiorum Auctor: vtique omnia etiam inferiora distincte, & clare cognoscet.

Porrò quod in eo libro Deus ab Aristotele ponatur omnium rerum Auctor, patet ex illis Verbis: *Itaque vetus fama est, & quidẽ hæreditaria mortalium omnium vniuersa à Deo, & propter Deum nobis esse constituta: nec verò vlla natura per se sufficit orbata salute, quam ille ferat.* Et statim *Deus enim sine dubio seruator omnium est, & parens eorum, quæ in mundo conficiuntur:* & multis interpositis: *decentius existimabimus Deum constitutum esse summo in loco, & virtutem eius per vniuersum Orbem diffundi, Solem, & Lunam versare, & Cœlum totum conuertere, auctoremque esse salutis rerum, quæ terra continentur.* At etiam hęc illius verba: *nam omnes aeris, terræ, aquæ res, Dei opera dicere poteris.* Denique ad calcem totius libri; ita concludit: *recte quoque dicitur salutis, & libertatis auctor: & vt generatim rem proponam, cœlestis, & terrenus vniuersæ naturæ, & fortunæ cognominis est. Quippe cum auctor sit rerum omnium.* Quod si Deus apud Aristotelem auctor est omnium etiam inferiorum; profecto apud Aristotelẽ omnium etiam erit cognitor.

Hæc maximè vrgẽt, vt dicamus Aristotelem agnouisse in Deo inferiorum horum cognitionem, & prouidentiam: maximè cum, quę in contrarium adducuntur, non cogant, vt dicamus Aristotelem hanc cognitionem Deo denegasse.

24 Explicãtur aliqua Aristotelis loca in cõtrariũ.

Nam locus 12. metaphysic. cap. 9. tx. 51. quod est prꝫcipuum aduersariorum fundamentum, parum vrget: quoniam in eo sensu negat Deũ cognoscere alia à se; quia negat Deum extra se nihil intelligere: cum quo bene constat Deum apud Aristotelem in se ipso, & in sua essentia omnia perfectissime intelligere. Nam Augusti. in lib. 83. quꝫstionum q. 46. ita negat Deum intelligere extra se *Augusti.* [illegible]mittat Deũin se om-[illegible]uo sensu Aristote-[illegible]hom. Ægidi⁹ & Sco- *D. Thoma. Ægidius. Scotus.* [illegible]Palati⁹, & Bañes in locis supracitatis, & post eos Suarius in Metaphy. disp. 3. section. 16. num. 42. & optimè Molina 1. parte quꝫst. 1. artic. 5. & 6. disput. vnica 9. ad quartum dicendum pag. 167. columna prima: & hunc fuisse sensum Aristotelis colligi potest tum quia ex locis superius adductis euidenter constat Aristotelem agnouisse in Deo cognitionem plurimarũ rerum: nec est admittendum sibi fuisse contrarium: tum etiam, quia rationes, quibus ducitur in eo loco, vt dicat Deum non cognoscere alia à se hunc sensum, & nõ alium suadent: Etenim ex duplici absurdo colligit Deum alia à se non cognoscere. Primum est; quia res ipsæ, quas intelligit, nobiliores forẽt diuina intellectione. Alterum est; quia in Deo esset intellectio ignobilis: *quia*, vt ait, *de quibusdam etiam cogitare absurdum est, & melius quædam non videre, quam videre.* Quæ rationes nõ habent vim, nisi ponat Deus intelligere ex se, res alias: nam si Deus ex se aliqua intelligit, ita ea intelligit, vt ab ipsis ad intelligendum moueatur. Ex quo bene infertur primum absur-

Marsilius. Palatius. Banhes. Molina.

absurdum: nec enim obiectum intelligibile dicit nobilius intellectione, quia eam terminat: sed quia ad eam mouet. Infertur etiam absurdum secundum: nã ea sola intellectio ex obiecto suam sumit nobilitatem, quę ab eo motiuè dependet: & cum pleraque obiecta sint in se vilissima, vilesceret intellectus, si ab illis ad ea intelligenda moueretur. Nõ est igitur, quod Bellomont. hunc Arist. locum nobis objiciat.

25 Alterius loci expositio

Nec secundo quidquam contra nos facit id, quod Arist. docuit 12. Metaph. c. 7. tex. 37. Deum scilicet (quem primũ mouẽs immobile appellat) mouere primum corpus mobile, & ab hoc cætera moueri: quoniam etsi forte inde infertur Deum ex sententia Aristot. non esse secundum suam substantiã vbique, sed solum in loco supero (quæ forte fuit illius sententia in lib. de Cœlo, & mundo ad Alex.) tamen non bene infertur Deũ non cognoscere ista inferiora, quæ non nisi mediatè mouet: etenim constat posse à nobis cognosci, quæ à nostra substantia longè distant, vt fatetur D. Tho. 1. p. q. 8. art. 3. ad 2. Quare non cogit argumentum, vt dicamus Aristotelem cũ illis sensisse, qui de Deo dixerunt Iob. c. 22. *Super cardines Cœli ambulat, nec nostra considerat.* Cum ex pluribus locis constet Deum plura cognoscere ex his inferioribus.

24 Explicãtur aliqua Aristotelis loca in cõtrariũ.

Augustin.

D. Thom.

D. Thoma. Ægidius. Scotus. Marsilius. Palatius. Banhes. Molina.

Iob.

26 Exponitur alius locus Arist.

Postremo nõ obstat, quod lib. 2. magnorum moralium c. 8. negauerit Arist. casus fortuitos posse Deo attribui, ne illum iniustum fateri cogamur: quoniã vt demus (quod tamen est dubium) Aristotelem negare casus fortuitos posse Deo attribui, non tamen cogimur fateri Deum non cognoscere hæc inferiora. Nam aliud est Deum omnia inferiora cognoscere: & aliud Deum in his inferioribus omnia dirigere, & prouidere. Primum non negauit Arist. bene tamen secundum, quia non omnia diuinæ prouidentiæ subiecit. Et inter alia diuinæ prouidentiæ denegauit ea, quę subiecit fortunæ naturali. Nec mirum si de diuina prouidentia circa ista inferiora & humana non ea firmitate, & cõstantia, qua par erat, loquutus fuit, vt bene aduertit Molina 1. p. q. 22. artic. 1. disp. 2. §. *Tertium est.* & satis patet ex illis verbis 10. Ethic. c. 8: *Nam si Dij curam humanarũ rerum, vt existimatur, aliquam habent, &c.* Nec implicat Deum ista omnia inferiora cognoscere, & tamen non omnia in illis dirigere, & curare. Si verò inferas Deum ex sententia Arist. non dirigere naturam in suum finem, neganda est consequentia: quia bene constat naturã in suis actionib⁹ à Deo dirigi ad suum per se finem, non tamen ad finem peraccidens, qualis est fortuitus: nam agens per intellectum se ipsum dirigit priori modo, non posteriori. Quare Aristoteles errauit, dum casus fortuitos à diuina subtraxit prouidentia: sed pugnantia non dixit.

Libr. 7. Ethic. ad Eudemũ. cap. 18.

Molina.

§. 8.

Soluuntur argumenta Pereiræ petita à Philosophia.

27 Solutio primi argumẽti.

Sed nec argumenta Bened. Pereira probabunt esse minus philosophicè dicta, quæ diximus. Ad primum negandum est superuacaneam esse motionem, & directionem primæ intelligentiæ. Nam ex eo, quod res naturales ꝑ qualitates sibi inditas ad suas actiones, & fines determinantur, bene infertur eas non temere, sed ordinate tendere in finem: ordinatio autem dari non potest sine intellectu. Accedit etiã, quoniam determinatio rerum naturaliũ ad certam actionem, & finem, non tollit ab illis essentialem subalternationẽ in operando ad primam causam, quæ est intellectualis: ratione cui⁹ operari nequeũt, nisi ad earum operationem simul concurrat Deus illam eliciens cum intentione finis, ad quem talis actio dirigitur. Quare argumentũ retorquetur inarguentem.

28 Solutio secundi.

Ad 2. omissis ijs, quæ pro soluendo hoc argumento scribit Suarius in dict. disp. 23. sect. 23. n. 9. Respondendum est cum Cursu Conimbr. 2. Physic. c. 9. q. 2. art. 3. falsò supponi grauia posse deorsũ moueri, & leuia sursum, si tollatur prima intelligentia: hac enim sublata quoad esse, natura, sicut nec aliqua creatura, nõ posset subsistere. Siverò dicas posse Deum naturã conseruare, negare tamen illi generalem concursum: dicam naturam in illo casu subsistere quidem: operari tamen nequaquam posse: cũ in operãdo essentialiter depẽdeat à prima causa, vt vulgata agnoscit philosophia.

29 Solutio tertij. Ad tertiũ respondetur illam responsionem illi soli philosopho pudori futuram, qui philosophiam non tenuerit: nã qui philosophiam recte calluerit, rogãti, cur lapis incẽtrum, vt in finem feratur, satis appositè ac philosophice respondebit, quia ab Auctore naturæ per formam, & grauitatem eò destinatur, vt bene aduertit Cursus Conimb. loco citato.

30 Solutio vltimi. Ad postremum neganda est sequela, quam etiam negat Suarius in d. disput. 23. sect. 10. n. 11. & ratio est, quia intentio Dei cum naturali caussa concurrẽtis, quatenus refertur ad solum finem particularẽ, ad quem simul cum natura operante cõcurrit; non est absoluta, sed quasi conditionata: quia nimirum sub ea conditione per concursum à se præstitum finem illum intendit, si materia fuerit disposita, & impedimenta remoueantur, vt bene aduertit Suar. in d. nu. 11. & in materia de prouidentia explicauit Fonsec. in 6. Metaphy. c. 2. q. 5. sect. 4. lit. F. & M. & satis insinuauit Bellomont. ad primam part. disp. 87. c. 4. n. 18. Quo in loco bene aduertit Deũ prouidentia sua dirigentem secundã causslam decreuisse operari pro natura ipsius caussæ, quæ cum ex sua natura sit cõtingens, & impedibilis, non decreuit cum illa operari, nisi impedibiliter: & subinde sub conditione, si non impediretur. Quorum auctorum doctrina, vel ex eo vera apparet, quia intentio Dei generaliter dirigentis naturalẽ caussã, prout refertur ad solum finem particularem illius, cõformari debet naturæ ipsius concursus, quo cum ea concurrit, cùm talem concursum dirigat in finẽ, vt modò supponimus. Iam verò cõcursus generalis, quo Deus concurrit, & simul influit, modificatur iuxta naturam ipsius caussæ secundę, & subit conditionem eius: nam vtriusque est vnus, & idẽ numero. Quare cũ ille cõcursus, vt est à caussa secunda, ex sua natura sit contingens, & impedibilis; vtique vt est á Deo, & rationem generalis subit, etiam erit impedibilis, & contingens. Quare si intentio dirigens talem concursum conformari debet naturæ concursus, vtiq; non poterit esse intentio absoluta, & efficax, sed cõditionata, quæ à Theologis dicitur antecedens. Hæc autem potest à fine intento deficere. Si quis obijciat hanc directionem, qua Deus naturã dirigit in suis operationib⁹ pertinere ad executionem diuinæ prouidentiæ: diuinam autem prouidentiam certam esse & infallibilẽ, nec posse vnquam frustrari à fine intento. Respondendum est diuinam quidem prouidentiam complete consideratam, prout sc. sumitur secũdum completam rationem prouidẽtię, qua Deus toti vniuerso prouidet, certam esse & infallibilem: secus dicẽdum esse, si incomplete consideretur, & prout solum refertur ad solas naturas singulorum agentium, quia vt sic, cum nõ sit absoluta, sed conditionata, vt diximus, potest interdum à fine intento deficere. Quam doctrinam optime explicat Fonsec. loco citato, & iuxta eã conciliari possunt oppositę sententiæ circa infallibilitatem diuinæ prouidentiæ.

Obiectio.

Expeditur.

Fonseca.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum bruta animalia agant propter finem?



ONSEQVENTER disputandum est de brutis animantibus, quæ ex cognitione operantur. De his primum inquirẽdum est, an agant propter finem? Secundò, an dirigant se in finem? Tertiò, an bruta cognoscant finẽ formaliter? Quartò, an in illis reperiatur propria caussalitas finalis?

Proponuntur inquirẽda.

ARTICVLVS I.

An bruta agant propter finem?

PArtem negantem probare videntur Veteres illi, qui absolutè negauerunt naturam agere propter finem: etenim eos nomine naturæ comprehendisse etiam bruta animantia, satis insinuauit Arist. in 2. Physic. c. 8. dum tex. 80. contra eos ostendit, bruta animantia operari gratia alicuius: quasi supponens philosophos illos sub natura comprehendere etiam bruta.

1 Opinio negatiua.

Aristot.

Sed profectò sine vllo fundamento brutis negabitur operatio tendens in finem. Vnde Arist. in d. text. 80. contra

2 Statuitur affirmatiua sẽtentia.

Veteres

Veteres maiori cum ratione hoc putat concedendum esse brutis, quàm naturæ: cum illarum operationes tanto ingenio,& artificio ordinentur,vt pleriq; dubitent,an illa mente aliqua,& ratione moueantur. Quare si omnes Philosophi citati q. præcedente Veterũ opinionem tanquam absurdã accusarunt; dum negauit naturę operari propter finem: vtique maiori cum ratione eandẽ tanquam absurdiorem accusabunt, dũ hoc ipsum denegat brutis animãtibus. Nam quæ argumẽta euincunt naturam agere propter finem: ea etiam euincũt bruta ꝓpter finẽ agere. Etenim si ideo naturę operanti finis præficit,quia ea,q̃ à natura fiunt,aut semper,aut plerũque fiunt:profectò à brutis casus,aut fortuna longè aberit, sed dabitur illis ordinatio in finem,cum illorũ operatio, aut semper, aut plerunq; eodem modo fiãt, vt docet experientia.

Prætereà si ex eo natura agit propter finem, quia in natura interdum dãtur peccata: vtique in brutorum operationibus peccata etiam reperiuntur. Quin potius in brutis hoc ipsum magis apparet,quam in natura. Nam ea agere alicuius boni gratia, & propter finem euidenter ostendit illorum in fœtibus educandis ingenium & amor, artificiũ in operando,in se tuendo solicitudo,industria, & sagacitas: & pleraque alia, quæ de brutis scribit Plinius lib. 6. suæ historiæ, & Plutarch. in lib. de industr. animalium,&plures alij probati auctores,quos refert Cursus Conimb.2.Physicor.cap.9.q.3.art.1.

Plinius. *Plutarch.*

ARTICVLVS II.

Vtrum bruta dirigant se in finem: an ab alio dirigantur?

§. 1.

Bruta se ipsa non dirigere in finem.

1 Quorũdam placitum.

QVod bruta animantia ita operentur propter finem, vt se ipsa dirigant in finem, non possunt non probare,qui brutis tribuunt intellectum, & rationem,licet imbecillioré, quàm sit in hominibus. Quam opinionẽ plerique tribuunt Porphyrio libr. 3. de abstinentia. Eiusdem dogmatis fuisse Anaxagorã,&Pythagoram scripsit Plutarchus lib.5. de placitis. c.20. In quod etiam ille inclinat in dialogo,qui inscribitur,quòd brutis ratio insit,teste Cursu Conimb.lib.2.Physic.c.9.q.3. art.1.in principio,vbi art.2. refert non defuisse ex Recentioribus, qui huius dogmatis patrocinium susceperint. Quare cũ omne agens per intellectum, & rationem se ipsum moueat in finem, dirigatq; in eum suas actiones, vt fatetur D. Thom. ab omnibus receptus 1.2.q.1.art.2. qui superioris fuerint opinionis, non possunt non probare bruta se ipsa dirigere in finem.

Porphyr. *Anaxag.* *Pythagor.* *Plutarch.* *D.Thom.*

2 Præcedens sententia de lirium reputatur.

Hæc tamẽ opinio ipso suo fundamẽto se ipsam destruit: est enim delirio simile brutis tribuere rationem,quantũuis imperfectam,& sopitam. Quare cõtra istum errorem vbique docuit Aristot.ita 2.Physic.cap.8. tex.80. lib.2.de anima c.3.tex.158.& lib.3.c.3.tex.162. & c.11.tex.57.in Ethicis lib.7. c.6. tex. 23.& lib.10. c.8.tex.30. in fine, denique lib.1.magnorum moralium c.18. Vidẽdi sunt Nemesius in libr. de natura hominis c. 2. & post alios Curs. Conimbr. loco citato,vbi diligenter dissoluit,quę in fauorem huius erroris adducuntur. Nam si semel admittamus brutorũ animas esse intellectiuas; vtique non possumus non admittere, eas esse immortales: naturalis enĩ & vera philosophia ex intellectualitate animæ recte cõcludit illius immortalitatem, vt supponimus: inde enim fides docet animam rationalem esse immortalem, vt patet ex Concilio Lateranẽsi sub Leone 10.sect. 8.quin potius non possumus non admittere bruta esse liberi arbitrij, quia libertas ex intelligentia emanat, vt modò supponimus cum Suario in Metaph. disp.19. sect.2.n.18. At animas brutorũ esse liberi arbitrij, nec admittit Philosophia,nec patitur fides Catholica.

Aristot. *Nemesius.* *Conc. Lat.*

Destructo igitur fundamento necesse est corruat ædificium:quia sicut certissimum est omne agens per intellectũ se mouere in finem: ita etiam est indubitatum nullum agens posse se in finem agere,quod rationis particeps non est: hæc enim motio, & directio non fit sine cognitione finis,& ordinatione mediorum ad finem, vt inferiùs dicem⁹, quod munus rationis est proprium. Concludendum

Damasc. dendum est igitur bruta non agere se in finem, quod placuit Damasceno 2. de fide c. 27.

3 Obiectio. Obijci tamen potest, quia Philosophorum consensu omnia viuentia non ab alio mouentur, sed à se ipsis, vt patet ex Arist. 8. Physic. c. 4. tex. 29. & 1. de anima c. 2. tex. 19. & lib. 2. c. 2. tex. 13. docet Plato 10. de legibus, & in phædro. Quare si bruta operãtur propter finẽ, vtiq; à se ipsis mouebuntur ad finem.

Arist. *Plato.*

Solutio. Huic obiectioni occurrendũ est moueri à se ipso, non vno modo dici, sed pluribus, vt bene aduertit Fons. 9. Metaph. c. 1. q. 5. sect. 1. lit. B. Vno modo idẽ est atque libere moueri: alio modo idẽ est, quod moueri sponte, nimirum affectu cupiditatis: tertio idem est atque rem motum à se ipsa inchoare, postquã naturaliter quieuit. Hoc tertio modo (vt ait Fonsec.) omnia viuentia à se ipsis mouentur, etiã stirpes. Secundo modo à se ipsis mouentur omnia animalia. Primo modo sola agentia per intellectum. Doctrina igitur à Philosophis tradita intelligenda est de moueri à se ipso, prout tertio modo sumitur: in hac autem disputatione sermo est de moueri à se ipso, prout sumitur primo modo.

Fonseca.

Alia solutio Sed clariùs, & magis ad nostrum institutũ rñdebis duodus modis dici posse agens à se ipso moueri. Vno modo secundum cõsiderationem physicam: altero secundum moralem. Bruta igitur secundum considerationẽ physicã mouentur à se ipsis: non tamen secundum considerationem moralem. Ratio discriminis est, quia considerati physica expendit motũ, prout est in genere rei: in quo genere pendet motus à suo motore caussavè efficiente: vnde secundũ considerationem physicam ea dicũtur moueri à se ipsis, quæ mouentur à motore interno. Et quia omnia viuẽtia ab interno motore mouentur ex Arist. in d. c. 4. tex. 29. octaui Physicorũ, ideo omnia viuentia secundum considerationẽ physicam mouentur à se ipsis. Porro cõsideratio moralis expendit motum, prout spectat ad genus moris. In genere autem moris motus dependet à fine: quia finis in hoc genere est principiũ omniũ actionum, vt habes ex Arist. 7. Ethicor. c. 8. & 2 Ethicorum ad Eudemum pag. 1008. & 14. Metaph. c. 4. Finis autem sub formali ratione finis mouere non potest, nisi sub eadẽ ratione cognoscatur. Quare secundum moralem considerationem ea sola dicentur se ipsa mouere, quæ ex cognitione finis, vt finis est, ad agendum excitantur, & diriguntur. Quod solis agentibus per rationẽ competit.

Arist. *Arist.*

§. 2.

Bruta non à solo instinctu naturali, sed ab intelligentia dirigi in finem.

CVm ex dictis constet bruta nõ dirigi in finem à se ipsis, explicandũ est à quonam dirigantur? Cui difficultati respondebit Bened. Pereira id, quod de agentibus naturalibus respõdit: bruta, scilicet non ab aliqua intelligentia dirigi, sed ab instinctu naturali cuique proprio: eadem enim ratio est de brutis, quæ est de natura. Imò maiori cum ratione id dicendum erit de naturali instinctu brutorum, quod dictum ab eo fuit de naturali propensione naturæ. Primò, quia instinctus ideo dicitur instinctus, quia bruta eo instigãtur: instinctus enim ab instigando dicitur. Deinde, quia Arist. 3. de anima c. 3. tex. 162. ait, *imaginationem, & phantasiam esse id, cuius ductu bruta operantur*: iam verò instinctus naturalis brutorum est actus phãtasiæ. Tertiò, quia instinctus naturalis in brutis, si non est ratio, vt Porphyrius falsò existimauit; est tamen rationis imitatio, vt docet Arist. 1. Metaph. c. 1. & lib. 8. de historia animalium cap. 1.

5 Refertur q̃dam sententia ex mente Benedicti Pereira

Probatur 1. 2. ex Arist.

Tertio. *Porphyr.* *Arist.*

Hac tamen opinione nõ obstante dicendum est bruta non à solo instinctu naturali, sed ab aliqua mente, & intelligentia superiori dirigi in finem, propter quem operantur. Ita D. Thom. 1. p. q. 103. ar. 5. ad 2. & clarius 1. 2. q. 1. art. 2. & 3. contra Gent. c. 24. & est opinio communiter recepta. Quæ primò confirmatur auctoritate D. Damesceni lib. 2. de fide c. 27. vbi docet bruta non agere se ipsa, sed ab alio agi in finem.

6 Quid tenendum sit.

D. Thom.

Probatur 1. ex Damasc.

Deinde confirmatur ex Arist. 1. Metaphy. cap. 3. ad finem, quatenus laudat eos, qui dixerunt mentem in tota natura facere id, quod mens nostra in nobis efficit. Vbi natura sumitur, prout distinguitur à ratione, & non solùm complectitur agentia, quæ cognitione carent: sed etiam bruta, quæ cognitione sensitiua

7 2. ex Arist.

tiua ducuntur. In quo etiam sensu accipitur natura ab Arist. 4. de generatione animalium c. 2. dum ait: *Omnia, quæ natura efficiuntur, fieri ratione.* Idest mente quadam superiori, qua tota natura ratione carens dirigitur.

8 Tertium fundamentum.

Tertiò; quoniam bruta non temere, & à casu operantur, sed ordinatè progrediuntur in id, quò tendunt: nam licet in diuersis belluarum speciebus diuersæ cernantur inclinationes, & instinctus naturales: tamen, quæ sunt eiusdem speciei certum habent operandi modũ à quo non deflectunt, & ad hæc opera ita determinantur, vt non ad alia. Hæc autem stabilis operum ordinatio, ac certus operandi modus manifestè declarat belluas in suis operationibus ab aliqua mente dirigi, atque gubernari, cui talis ordinatio tribuatur, vt docet D. Thom. 1. p. q. 103 artic. 1. & 3. contra Gentes c. 24. *D. Thom.*

9 Quartũ argumentum.

Accedit quartò, quia negari non potest, cum id fides certissimè doceat, bruta in suis operationibus à Deo gubernari: Deus enim sua prouidentia gubernat omnia Sapient. 14. At gubernare aliquid non est aliud, quàm illud in suum finem dirigere, vt patet ex D. Thom. 1. p. q. 103. ar. 1. & 2. & 3. contra Gẽt. c. 64. *D. Thom.*

Sit igitur cõstitutum bruta non à solo suo naturali instinctu, sed à Deo dirigi in finem, tanquam à primo gubernatore, ac dirigente: quod non impedit, quominus in hac directione, ac gubernatione etiam coassumat intelligentias Cœlorũ motrices, iuxta ea, quę in præcedenti q. art. 2. §. 4. de natura diximus. Quo modo autem Deus dicatur brutorum operationes dirigere? explicabimus ibi §. 5.

ARTICVLVS III.

Vtrum bruta cognoscant finem formaliter?

1 Resolutio.

ANTEQVAM explicemus, an bruta ita agant propter finem, vt in illis reperiatur vera causalitas finis? Operæpretiũm erit explicare, an bruta formaliter cognoscant finẽ, propter quem operantur? Indubitata est sententia negatiua: quia omnes agnoscunt bruta apprehendere quidẽ finem: quia apprehendunt bonum, à quo mouentur, non tamen apprehendere, aut cognoscere finem formaliter, ideſt, sub ratione finis. Ita D. Thomas in hac q. 1. art. 2. & inferiùs q. 6. art. 2. quem cæteri omnes sequũtur, vt videre est apud Suarium in Metaph. disp. 23. sect. 10. n. 13. & 14. & Bellomontanũ 1. 2. disp. 3. vt alios omittamus. Probatio huius resolutionis facilis est, si expendamus formalem rationem finis positam esse in ordine, & proportione finis ad media, & mediorum ad finem: nam si finis est id, gratia cuius aliquid fit; vtique finis hanc proportionem habet ad media, vt ipse sit amabilis propter se, media vero propter ipsum. Hanc autem proportionem nullus potest cognoscere, nisi qui potest medium ad finem ordinare: quod solius est rationis. *D. Thom.* Probatio.

Huic resolutioni duo obijci possunt. Vnum est, quoniam bruta cognoscunt bonum formaliter, ideſt, sub expressa ratione boni; ita vt cognoscant non solùm rem, quæ est bona, & conueniens: sed simul etiam ipsam formalem bonitatem, & conuenientiam. Ergo bruta cognoscunt finẽ formaliter sub ratione finis. Probatur consequentia, tũ, quia bonum, & finis, idẽ sunt: tum etiã, quia eadem est ratio in bono, & in fine. 2 Prima obiectio.

Alterum est: quoniam bruta mouentur ad bonũ vtile, vt expresse docet D. Thomas 1. p. q. 78. art. 4. & Caiet. 1. 2. q. 4. art. 2. Non mouerentur autem ad bonum vtile, nisi cognoscerent finem sub ratione finis: cum vtile dicat relationẽ, & ordinem ad finem, vt est id, gratia cuius aliquid fit. 2. Obiectio. *D. Thom.* *Caiet.*

Prior obiectio mouet difficultatem inter nonnullos agitatam, an bruta cognoscant bonum formaliter, vt bonũ est & conueniens? Affirmat Bellomont. 1. 2. q. 3. c. 2. §. *Deinde eadem sententia*. Idem repetit inferiùs disp. 44. c. 4. nu. 10. & in comment. ad artic. 5. quæstionis 12. vbi affirmat bruta ita cognoscere bonum sub ratione boni, vt cognoscant & ipsã rem bonam, & conuenientiã illius: imò addit bruta adeo cognoscere bonũ sub ratione boni, vt moueantur propter ipsum. Fundamentum est, quia appetitus bruti nõ potest ferri in bonum, nisi sub ratione conuenientis, vt per se patet. Ergo non potest apprehẽdere bonum, nisi simul etiam apprehendat, & cognoscat 3 Dubitatio ex 1. obiect. orta. Primum fundamentum.

noscat ipsam conuenientiã. Consequẽtia patet, quia sicut color non potest esse ratio formalis videndi, nisi simul etiã sit visus: ita conuenientia non potest esse ratio formalis volendi, nisi simul etiã sit volita. At si ipsa formaliter est volita, vtique formaliter erit cognita.

4 Secundum.

Deinde, bruta quasdã res affectu suo prosequuntur; quasdam vero fugiunt. Ergo ex parte obiecti datur distincta ratio formalis: vna, quæ sit ratio boni, vt eam bruta prosequantur: altera, quæ sit ratio mali, vt eam fugiant. Ergo vtraque ratio cognoscitur á brutis. His rationibus persuasus Bellomõtanus, putat admittendũ esse antecedens. Quare ad argumentum negabit consequentiã. Ratio discriminis apud eũ hęc est, quoniam formalis ratio boni potest apprehendi, & cognosci per simplicem apprehensionem, simplexque iudicium, absq; collatione, & compositione: nam licet formalis ratio boni, & conuenientis sit relatio, non tamen opus est, vt apprehẽdatur conceptu, & notitia relatiua. Totum oppositum reperitur in fine sub ratione formali finis: quia hæc non potest cognosci sine expressa collatione, & cõpositione cum medijs.

Solutio primæ obiectionis iuxta præcedentẽ sententiam.

5 Alia sententia iudicat verior.

Sed verior videtur sententia, quę negat bruta cognoscere bonum formaliter, ita vt ipsam conuenientiam in se ipsa cognoscant. Quæ est opinio apud Philosophos magis recepta, & placuit Suario in d.disp.23.sect.10.n.13. & 14. Nec enim video, quo modo conuenientia in se ipsa apprehendi possit, nisi conceptu quodam abstracto à bono conueniẽte: quam abstractionem facere non potest bruti æstimatiua. Similiter in se ipsa concipi non potest, nisi cõceptu relatiuo, & cum compositione ad propriã naturam, cui illud bonum est cõueniẽs: quam compositionem bruta nequeunt efficere. Quare bruta instinctu naturali, sicut apprehendunt res, easque cognoscunt apprehensione quadã simplici; ita iudicio quodam simplici iudicãt rẽ esse conuenientem: hoc est non apprehendendo, nec iudicando eam sub propria ratione conuenientiæ, sed solũ apprehendendo, & iudicando conuenientiam in concreto absque vlla abstractione ipsius. Itaque nec apprehendũt, nec cognoscunt conuenientiã, vt quod, sed solùm vt quo. Et eodem modo iudicium æstimatiuę non terminatur ad cõuenientiam, vt quod, sed solùm vt quo.

6

Ex hac doctrina facilè destruitur fũdamentum Bellomontani: nec enim opꝰ est vt id, quod cognoscitur vt quo, cognoscatur etiam vt quod, cuius oppositum supponit vtraque Bellomontani ratio. Quare ad primam admittimus appetitum bruti non ferri in bonum, nisi sub ratione conuenientis: negamus tamen inde inferri illum non posse ferri in bonum, nisi simul apprehendat ipsam conuenientiam in se: quia fit argumentum ab obiecto vt quo, ad obiectum vt quod: quod non valet in potentijs, quæ rationem formalem obiecti non possũt abstrahere à ratione materiali. Nec est verum visum terminari ad colorem, vt quod: quia solum ad illum terminatur, vt quo.

Soluitur 2.

Secunda etiam ratio eodem modo soluitur: quoniam agnoscimus ex parte obiecti appetitus bruti dari duplicem rationem formalem: vnam, quæ est ratio prosequendi: alteram, quæ est ratio fugiendi. Illa est ratio conueniẽtiæ, quę est formalis ratio boni: hæc est ratio disconuenientiæ, quę est formalis ratio mali. Cum verò inde infertur vtranque rationem cognosci à brutis, admittenda est consequentia, si consequens intelligatur de cognitione vt quo: neganda tamen, si sermo sit de obiecto cognito vt quod. Ex his pãtet solutio prioris obiectionis: negandum enim est antecedens, vt patet.

Alia solutio primæ obiectionis ex dictis colligitur.

Ad posteriorem obiectionem negãdum est bruta moueri ad bonum vtile, quatenus est vtile, idest sub formali ratione vtilis ad aliud: quia, vt diximus, bruta apprehendere non possunt proportionem, & habitudinem medij ad finem. Nec oppositum docuit D. Thomas in citato loco; quoniam solum dixit bruta non tantum moueri propter bonum delectabile sensibus externis: sed etiam propter cõmoditates, & vtilitates, quæ sensibus externis non percipiuntur: sed sunt rationes quædam, & delectationes insensatæ, quæ per species insẽsatas apprehendunt ab æstimatiua bruti. Quare eo in loco commoditas, & vtilitas sumuntur pro bono insensibiliter delectabili: quale est bonum amicitiæ, vel inimicitiæ:

7 Diluitur 2. obiectio.

micitiæ: ideſt conuenientis, vel diſconuenientis ad conſeruationem propriæ naturæ. Vide de hoc Bellomontanum 1. 2. q. 4. art. 2. in Commentario, §. *Si ergo ſermo ſit* ad finem.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum in actionibus brutorum reperiatur vera cauſſalitas finis?

1 QVæſtionem iſtam excitat Suarius in Metaphyſi. diſp. 23. ſect. 10. num. 15. Facilè reſoluetur, ſi præmittamus de operationibus brutorum dupliciter agi poſſe, ſicut de operationibus naturę ſupra aduertimus q. 2. ar. 2. §. 6. Vno modo, prout ſubſunt directioni ſuperioris intelligentiæ, qua diriguntur. Altero modo, prout ſunt, & emanant ab ipſis brutis. Si priori modo cõſiderentur, nulli dubium eſt, quin in illis operationibus detur vera cauſſalitas finalis, ſicut datur in operationibus naturæ, vt iam oſtendimus in d. §. 6. Nã cum bruta ſimul cũ prima cauſſa conſtituant vnum principiũ adęquatum ſuarum operationum: & Deus illas operationes verè propter finem operetur, vt q. ſequenti oſtendemus: vera in illis reperitur cauſſalitas finalis.

2 In quo ſit quæſt. difficultas. Tota difficultas eſt de illis operationibus, vt à brutis emanant. Cui difficultati facilè reſpõderent, qui putant bruta nihil verè cognoſcere, & ſubinde nihil appetere appetitu elicito, ſed ſolo naturali, vt lapidem: negarent enim in actionibus brutorum veram cauſſalitatem finalem. At tamen huius opinionis fundamentum non ſolùm eſt contra eui dentem experientiam, ſed contra vulgatiſsimam Philoſophiam, quæ agnoſcit bruta eſſe animalia ſenſitiua, & cum cognitione operari.

3 Qua ſuppoſita Philoſophia illud pro parte affirmatiua primùm vrget, quia euidẽter experimur bruta à bono cognito excitari, & allici ad operandũ, moueriq́ue ab illo motione metaphorica, quæ eſt ipſa cauſſalitas finalis, vel ſine ea non datur. Deinde vrget ſagacitas, & prudentia, qua pleraque eorum operantur: ea enim ſagacitate, & induſtria opera ſua perficiunt, vt plane oſtendãt ſe proportionem mediorũ cognoſcere.

Dicendum tamen eſt cauſſalitatẽ finalem aliquo modo reperiri in operationibus brutorum, prout ab ipſis emanant: propriè tamẽ & verè in illis, vt ſic, non reperiri: quia cauſſalitas finalis verè, & propriè nõ exercetur, niſi in operationibus, quę ab agente eliciũtur cũ intentione, & ordinatione earum ad finem. Etenim finis mouet, vt gratia, & intentione ipſius aliquid hat. Hanc autẽ intentionem, & ordinationẽ non habẽt operationes brutorum, vt ab ipſis ſunt, ex D. Tho. 1. 2. q. 12. ar. 5. & ibi interpretes. Non eſt tamen negandum finalem cauſſalitatem aliquo modo participari à brutis, cum alliciantur ex motione finis verè, & propriè metaphorica. Quæ motio eſt materialis quædã finalizatio. Itaque in operationibus brutorum, vt ſunt ab ipſis, reperitur cauſſalitas finalis materialiter ſolùm, & imperfectè: non perfectè, & formaliter, vt bene cõcludit Suari⁹ in d. diſp. 23. ſect. 10. n. 15.

4 Reſolutio. *D. Thom.*

QVÆSTIO XIIII.

An Deus agat propter finem?

1 Multiplex quæſtionis ſenſus aperitur. SInomen actionis fuſiſſimè ſumatur, duplex actionũ genus in Deo diſtingui poteſt: vnum actionũ ad extra: alterum actionũ ad intra. Quod adhuc ſubdiuidi poteſt: quia aliæ ſunt actiones notionales, vt generatio, & productio: aliæ ſũt actiones immanentes, vt intellectio, & volitio. Quare de Deo, vt agens eſt, nomine agẽtis fuſiſsimè ſumpto, tripliciter agi poteſt. Vno modo, vt eſt agẽs ad extra, vt quando aliquid ad extra producit, velut cauſſa particularis, vt quãdo creat. Vel vt agẽs vniuerſale, vt quãdo ſimul cum cauſsis ſecundis aliquid efficit; ſecundo modo, vt ad intra producit perſonam, vt quando Deus pater generat Filium: & Pater & Filius producunt Spiritumſanctum. Tertiò, vt ad intra abſque vlla reali productione immanẽter agit, vt cũ intelligit, & vult. De Deo autem agente duo inquiri poſſunt: vnum eſt, an Deus verè agat propter finẽ: alterum eſt, an ita agat propter finẽ, vt eius actio ſit ꝓpter finem, proinde v-

Quę sunt in hac quæst. inquirēda.

trūque erit de Deo inquirendum. Quatuor igitur in hac quęstione inquirem'. Primū est, an Deus ad extra agat propter finem? Secundum, vtrū actiones Dei ad extra sint propter finem? Tertium, an actus notionales sint propter aliquē finem? Quartum denique, an actiones immanentes verè pendeant à fine.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus ad extra verè agat propter finem?

§. 1.

Adducuntur argumenta pro parte negatiua.

2 Negatiuæ partis primum fundamentum.

PARS negatiua nonnullis rationib' videtur confirmari. Primò, quoniam si Deus ageret propter finē, haberet aliud principiū propter quod ad agendum moueretur: agens enim propter finem mouetur à fine, propter quem agit. At Deus non habet aliud à se, à quo moueatur. Quo argumento Aristoteles 12. Metaphy. cap. 10. text. 35. impugnauit opinionem Anaxagoræ dicentis primum bonum (nimirum Deū) esse primum mouens: quia scilicet primum mouens esse non potest, nisi agat propter finem: at propter finem agere non potest, vt probat adductum argumentum.

Arist.

3 2. fundamētum.

Secundo, vel ille finis propter quem Deus agit, est Deus, vel aliquid præter Deum: non Deus: quia cū Deus sit causa efficiens, non potest esse causa finalis: hæ enim duæ causæ non coincidunt, ex Aristotele in 2. Physicorum. Accedit etiam, quia causa finalis est prior causa efficiente: est enim omnium causarū prima, vt ostendimus, daretur igitur in Deo prius, & posteri'. Non aliud à Deo: quia Deus à nullo alio à se potest moueri. Agens autem propter finem mouetur à fine.

Arist.

Tertium.

Tertiò, omne agens propter finē dependet à fine, tanquam à causa sui ipsius, sed Deus, etiam vt est agens, non potest esse causatus ab aliquo fine. Ergo nec potest agere propter finem. Minor est nota: Maior inde probatur: quia ex Aristotele 10. Physicorum capit. 3. causæ sibi inuicem sunt causæ: quare cum agens sit causa ipsius finis, finis erit causa ipsius agētis, quę fuit maior.

Arist.

Quartum

Quartò, causalitas finis, vel posita est in metaphorica motione agentis: vel saltem dari non potest sine illa. Sed voluntas Dei non potest ab aliquo fine metaphoricè moueri. Ergo nec Deus potest agere propter finem.

Quintum.

Quintò, Deus non potest agere propter finem, nisi finis propter quem agit, vera causalitate finali illum moueat ad agendum. Sed Deus nec à se ipso, nec ab aliquo alio fine potest vera causalitate finali moueri ad agendum, vt patet. Ergo nec Deus potest agere propter finē.

Vltimum.

Postremò, agere propter finem non est aliud, quàm actionem agentis ab ipso agente esse propter finem. Sed nulla actio Dei ad extra potest esse propter finem. Ergo Deus ad extra non agit propter finem. Maior videtur vera: minor probatur, quoniam actio Dei ad extra, est ipsa Dei substantia. Dei autem substantia non est propter finem.

§. 2.

Deum ad extra agere propter finem.

4

IN hac quæstione supponimus Deum ad extra operari non solùm immediatè, tanquam causam particularē: sed etiam mediatè tāquam causam generalem cooperando cum causis secūdis: id enim docet tum fides, tum sana Philosophia, quidquid senserit Aristoteles. Hac veritate suppositā statuendum est tanquam indubitatum, & concessum Deum ad extra agere propter finem. Hanc veritatem supponit Diuus Thomas 1. part. quæst. 44. artic. 4. & ibi interpretes: idem D. Thomas in secundo d. 1. in secunda part. distinctionis q. 1. artic. 1. & 2. & lib. 3. contra Gentes cap. 17. & 18.

Statuiturve ra sententia

D. Thom.

5 Prima ratio.

Quæ veritas, facta nostra suppositione tanquam indubitata, asseritur ab Aristotel. 12. Metaphy. cap. 10. tex. 55. vbi ex opinione Anaxagoræ ponentis Deū esse primum principium mouens infert Deum agere propter finem. Quam consequentiam inde deducit, quia omne agens agit propter finem. Qua sola ratione nostram conclusionem probauit D. Thomas in dict. art. 4. Quod axioma maximè habet verum in agente per intellectum ex Aristotele 2. Physicorum c. 5. text. 49.

Arist. Anaxagoras.

D. Thom. Arist.

Accedit

Secunda ratio.

Accedit etiam, quia aliàs, quæ à Deo fierent, à casu fierent: quæ enim fiunt, si propter finem non fiunt, à casu fiunt.

6 Tertia ratio

Tertiò, quia ad quem pertinet omnia gubernare, ad eum pertinet omnia agere propter finem: quia gubernare est ordinare rem in finem, propter quē facta est. Sed ad Deum pertinet omnia gubernare iuxta illud Sapientiæ 14. *Tu pater omnia gubernas prouidentia*, & docet Diuus Thomas 1.p. quæst. 12. articul. 2. ergo ad Deum pertinet omnia agere propter finem.

Sapientia. D.Thom.

7 Quartū fundamentū ex Scriptura sacra. Prouerbia. *Paulus ad Ephes.* *Paulus ad Romanos.*

Quod etiam euidenter probatur ex sacra Pagina: nam Prouerbiorum 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est dominus.* Vbi particula *propter* denotat habitudinem finalem. Paulus etiā ad Ephesios 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* At qui operatur secūdum consilium, propter finem operatur. Idem Paulus ad Romanos 8. *Quæ à Deo sunt, omnia ordinata sunt.* At quæ ordinate fiunt, propter finem fiunt. Denique Sapientiæ 8. de diuina sapientia dicitur, *quod attingit à fine vsque ad finem, & disponit omnia suauiter*: non alia ratione, nisi quia omnia propter finem operatur. Ex quibus patet propositam conclusionem, & secundum Philosophiam, & secundum fidem esse verisimam.

Sapientia.

§. 3.

Deum ad extra verè operari propter finem, id est propter aliquam causſam finalizantem.

8 Aliquorum in hac re sẽtentia.

QVANVIS proposita conclusio vera sit, & indubitata, dubitari tamen potest, an Deus agat propter finem, qui sit causſa finalizans. Nec enim desunt, qui insinuent non absurdè dici posse, Deum ad extra omnia quidem operari propter finem: nihil tamen operari per veram, & propriam causſalitatem finalem, sed per modum quendam eminentiorem liberū ab omni causſalitate. Qui dicendi modus etsi non omnino placet Suario, non tamen omnino displicet illi in Metaphysi. disputation. 23. section. 9. numer. 8. Vbi aduertit duo illa secum non pugnare: quia apud Gabrielem, & nonnullos alios finis, & causſa finalis non omnino sunt idem: finis enim vt sic solùm dicit terminum ad quem tendit operatio agentis: causſa verò finalis superaddit motionē agentis ad operandū, causſatam ab ipso fine. Iam verò potest dari finis, qui terminet actionem agentis, absque hoc, quod moueat agens ad actionem. Igitur non repugnat dari finem terminantem operationem agentis, qui verè & propriè non sit causſa finalis. Quare dici poterit Deū operari ad extra propter se, suamque bonitatem, tanquam propter finem, ideſt terminum, in quem omnia Dei opera ordinentur, absque vlla finali causſalitate.

9 Resolutio.

Hic tamen dicendi modus est omnino reijciendus: quia nullus est alicuius notæ auctor, qui neget Deum ad extra agere propter aliquam causſam finalē. Et in hoc sensu intelligunt Deum agere propter finem. Hunc sensum manifestè expressit Aristoteles 12. Metaphy. cap. 10. text. 55. dum ait: *Deum, si cum Anaxagora admittatur esse primum mouens, agere gratia alicuius.* Quæ verba explicant causſam finalem. Eundem sensum explicauit Paulus ad Ephesios 1. *Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Vbi verbum *Consilium* accipitur in propria significatione secluſa imperfectione inquisitionis, & prout idem est, quod iudicium certum de agendis. In qua significatione cum perfectionem importet, propriè est tribuendum Deo, vt notat Diuus Thomas 1.2. quæst. 14. artic. 1. ad 2. Iam verò consilium semper versatur circa media, quæ ad veram causſam finalem referuntur ex Aristotele 3. Ethicorum cap. 5. quare meritò plerique ex hoc loco Pauli nostram deducunt conclusionem, inter quos est Suarius in Relectione de libertate diuinæ voluntatis disputation. 1. section. 2. numer. 15.

Probatio ex Aristotele. *Paulus.* *D.Thom.* *Arist.*

10 2. probatio.

Quam eandem resolutionem idē Suarius cum alijs ex eo etiam confirmat: quia Deus est causſa finalis omnium rerum, ex Aristot. in d. cap. 10. & D. Thomas cum communi Theologorum 1. p. q. 44. ar. 4. Sed non facilè patet quomodò inde inferatur Deum agere propter causſam finalem: nam vt dicatur causſa finalis omniū rerum, satis est, quod omnia agentia inferiora operentur ꝓpter Deum, tāquam propter vltimā causſam finalem, quanuis Deus non operetur

Arist. *D.Thom.*

propter se, tanquam propter finalem causſam: firma tamen erit illa consequẽtia, si supponatur Deum ad extra operari: nam si Deus aliquid operaretur ad extra non propter se ipsum, vt causſam finalẽ; Deus non esſet causſa finalis omnium rerum: nec enim esſet causſa finalis eorum, quæ ipse ad extra operatur: si enim esſet finalis causſa eorum, vtiq; fieri non posſet, nisi Deo ad ea concurrente vt causſa finali: quidquid enim fit, necessariò fit dependenter à sua causſa finali.

11 Probatur 3.

Tertiò, ille dicendi modus facilè impugnabitur hoc discursu: quia Deus ad extra ita operatur propter finem, vt finis propter quem operatur, vera causſalitate finali concurrat, saltem ad effectum ipsius Dei. Ergo Deus ad extra verè, & propriè operatur propter causſam finalem. Antecedens inde demonstratur, quia Deus ad extra operatur propter suam bonitatem, tanquã propter finem, vt omnes Theologi cum aduersarijs agnoscunt. Sed Deus ratione suæ bonitatis est vera causſa finalis omnium quæ fiunt: vt ex Aristotele, & D. Thoma, & communi immediatè diximus. Ergo Deus ad extra ita operatur propter finem, vt finis vera causſalitate finali concurrat, saltem ad effectum, qui à Deo producitur, quod fuit antecedens. Porrò consequentia euidenter ostenditur, tum ex sententia aduersariorum, tum etiam ratione. Ex sententia quidem aduersariorum: quia ideo negant Deum ad extra operari propter causſam finalem, quia non admittunt finem vllum vera causſalitate concurrere ad eundem effectum. Quare si finis, idest diuina bonitas, exercet ibi veram causſalitatem finalem, vt in antecedente probatum est; vtique Deus agit propter veram causſam finalem, & meritò, quia nihil aliud est agens operari propter finem finalizantem, quàm operari propter finem, qui sua finali causſalitate simul cum agente concurrit ad eundem effectum.

Arist. *D. Thom.*

12

Concludendum est igitur Deum ad hunc sensum ad extra operari propter finem, vt operetur propter finem verè finalizantem illum eundem effectum, quem Deus effectiuè operatur. Et oppositum implicat in adiecto: quia implicat agens agere propter finem sub ratione boni, & finem ibi verè non finalizare.

Occurritur obiectioni.

Nec obstat, quod finis, & causſa finalis interdum non sint idem: quia finis, qui sub ratione boni est finis, omnino est idem cum causſa finali: finis enim vt sic est id gratia cuius aliquid fit: hæc verò est formalis ratio causſæ finalis.

§. 4.

Deum ad extra omnia operari propter se ipsum tanquam vltimum finem: interdum tamen operari propter aliquod creatum, tanquam propter finem proximum.

13

CVM iam constet Deum ad extra operari propter aliquã causſam finalem; consequenter explicandum est, propter quemnam finem operetur? An omnia operetur propter se ipsum suamque bonitatem? An verò interdũ operetur propter aliquod creatum?

Sensus difficultatis.

14

In hac difficultate illud est certissimum Deum ad extra operari propter se ipsum, suamque bonitatem, tanquam propter finem: id enim docet Sapiens Prouerbiorum 16. *Omnia propter se metipsum operatus est dominus.* Id etiam patet, quia finis respondet principio. Sed Deus est primum principium, quod omnia operatur. Ergo ipse est finis; propter quem omnia operatur. Deinde, Deus est bonum per essentiam. Ergo est vniuersale bonum, cuius participatione omnia intendit. Ergo est vniuersalis finis, cuius gratia omnia facit, & ad quẽ tendit omnis diuina gubernatio. Vide D. Thomam 1. part. q. 44. artic. 4 & q. 103. artic. 2. & 4.

Quid in ea certum sit. *Prouerb.* *D. Thom.*

15

Controuersia tamen est, vtrum Deus omnia operetur propter solã suam bonitatem tanquam propter finem proximum, & immediatum omnium operationum diuinarum? An verò interdum immediatè operetur propter aliquem finem particularem creatum? Quidam volunt Deum ad extra nihil proximè operari propter finem creatum: sed omnia immediatè operari propter solam suam bonitatem. Ita docuisſe nonnullos probat Suarius statim citandus; expressè id probat Vasques Bellomontan.

Quorũdam opinio.

1.part. disput. 82. cap.2. & q.44. art. 4. in commentario, & satis insinuat 1. 2.

Primum argumentum.

disput.4. c.2. Hæc opinio primùm probatur ex cõmuni quadam doctrina D. Thomæ,& Theologorum, nihil mouere posse diuinam voluntatem, nisi solã bonitatem diuinã, ita D.Tho.1.p.q.19.ar. 1.ad 3.& ar.2.ad 2.Alens.1.p. q.28.ar.3. & q.25.memb.3. Henr. quodlib.4. q.19. Gab.in 1.d.41.q.vnica ar.2.in fine,Ferr. 1.contra Gent.c.86. Driedo de concordia liberi arbitrij 1.p. c.4. ad 4.Iam sic: sola diuina bonitas potest mouere diuinam voluntatem: ergo sola diuina bonitas potest esse finis Dei operãtis. Antecedẽs patet ex pręmissa doctrina.Cõsequentia probat, quia omnis finis mouet voluntatem operantis. Ergo si nihil aliud à diuina bonitate potest diuinam volũtatem mouere, sola diuina bonitas potest esse finis Dei operantis.

D.Thom. Alensis. Henric. Gabr. Ferrarien. Driedo.

16 2. argum.

Deinde sic arguit Bellomõtanus: quia Deus omnia operatur propter bonitatem suam, tanquam propter finem. Ergo Deus non potest operari propter alium finem, sed omnia immediatè propter suam bonitatem. Antecedens patet ex ijs,quæ initio diximus. Cõsequentiã inde probatBellomõtanus,quia in qualibet agendi serie, vnus tantum dari potest finis, cuius gratia agens operatur, nec enim admittendi sunt fines intermedij, vt idem latè probat in d. disp. 4.

3.argum.

Denique videtur esse præter diuinã perfectionem aliquid aut velle,aut operari propter aliquem finem creatum. Quare iuxta hanc sententiam sola bonitas diuina habet rationem finis respectu Dei operantis, cætera verò habent rationem mediorum; quæ à Deo quidem sunt volita, tanquam quædam obiecta materialia, in quibus tota ratio volendi est sola diuina bonitas. Cõcludit igitur Bellomontanus Deum velle quidem,& efficere,vt hoc sit propter illud: non tamen velle,aut efficere hoc propter illud, sed omnia propter se ipsum.Cui videtur concinere D. Thomas

D.Thom.

1.p.q.19. artic.5.dum ait: *Deum velle hoc esse propter hoc: non tamen propter hoc velle hoc.*

17 2.sententia.

Secundam de hac re sententiam fortasse quis colliget ex D Thoma, & Ferrarienſi, vt dicamus Deum quamplurima operari propter aliquem finẽ creatum,non tamen omnia. Etenim primos effectus,quos Deus vt naturę institutor operatus est ad extra, operatus sit immediatè propter se ipsum: cæteros verò, quos vt naturæ prouisor operatur, eos operetur immediatè propter aliquem finem particularem. Itaque vniuersum creauit Deus immediatè propter suam bonitatem. Cœlum etiam, & terram, & si quæ sunt aliæ partes vniuersi principales, ac veluti essentiales, quas ex nihilo produxit. Hæc facilè quis colliget ex D. Thoma 3.p. q. 19. ar. 5.ad 3. & ex Ferrarienſi 1. contra Gentes cap.87. §.*aduertendum, quod primi effectus*,& satis videtur esse de mẽte D.Thomæ ibi c.86.

D.Thom. Ferrarien.

18

Ego tamen sum in opinione ex diametro oppositа priori: & ideo nec vnã nec alteram puto esse veram: quin potius existimo Deum ad extra immediatè, & proximè nihil operari propter suam bonitatem, sed propter aliquem finem creatum: quanuis omnia vltimatè operetur propter se ipsum. Quare cõtra duas præcedentes sententias duas statuo conclusiones.

Prima conclusio

Prima conclusio: Deus ad extra quã plurima immediatè operatur propter aliquem finem creatum. Hæc opponitur priori sententię. Probaturque Suario in Metaphysic. disp.24. sect.2. num. 9. & 10. & vt puto, à nemine reijcitur, vno excepto Bellomontano. Probatur primum:quia nullum est inconueniens, nullamq; denotat imperfectionem Deũ proximè aliquid efficere propter aliquem finem creatum. Quod ex eo probatur,quia Deum aliquid operari propter aliquem creatum finem, non est aliud, quàm Deum eam rem, quam operatur, proximè ad aliam, tanquam in finem illius ordinare. Hoc autem nullam denotat imperfectionem: quin potius id spectat ad diuinam prouidentiam, & optimam vniuersi gubernationem. Etenim ex sententia Theologorum ad diuinam prouidentiam spectat res omnes ordinare, non solùm ad finẽ vniuersalem & separatũ (qualis est diuina bonitas)sed etiam ad fines singulis proprios, & intrinsecos: ordinat enim singulas cuiusq; rei partes ad bonum,& perfectionem totius:singulas etiam rerum species, & gradus ad vni-

Probatur 1.

uersi pulchritudinem: denique defect', qui in rebus reperiũtur, permissiue ordinat ad vniuersi integritatem, & perfectionem, vt habes ex D. Thom. 1.p.q. 22.ar.6.& 4.& q.103.ar.1.ad 3. Quare si Deum vnam rem ad finem suum proximum ordinare, nullam denotat imperfectionem, sed perfectionem potius diuinæ gubernationis: cur imperfectionẽ denotabit Deum rem, quam ad extra operatur, gratia alterius etiam ob bonitatem ipsius rei, tanquam propter finem operari?

19 Probatur 2. Deinde, quod in ordine intentionis est ratio, cur aliud sit à Deo volitum: id in ordine executionis est finis, gratia cuius illud aliud est à Deo operatũ, sed in ordine intentionis, non sola diuina bonitas est ratio, quod alia à Deo sint volita, sed vna res creata est etiam ratio, cur alia res sit volita à Deo: ergo in ordine executionis vna res creata vere est finis, propter quem alia à Deo caussatur, & efficitur. Consequentia est nota. Minor est D. Thomæ 1.p.q.19.ar. D.Thom. 5.ad 3.& 1.contra Gentes cap.86.& 87. bonum enim vniuersi (vt ait) est ratio, quare Deus vult vnumquodque bonum particulare: & bonum totius est ratio, quare Deus vult singulas illius partes: de quo multa diximus contra eundem Bellomontanum supra q.1.ar. 2. sect. 2. §.2. Porrò maior inde fit nota quia absolutè loquendo, quod in ordine intentionis est ratio volendi aliud, id in ordine executionis est ratio alliciens, & mouens ad operandum illud: nam si sanitas in intentione est ratio volẽdi medicamentum: ea in executione allicit ægrotum ad illud sumendum. Quod verò allicit agens ad operandum, id est finis, gratia cuius operatur. Quare cum vna creatura sit ratio volendi aliam, vt ex D. Thoma diximus: vtique vna creatura in extecutione erit finis, gratia cuius Deus aliam operatur. Si perfectio vniuersi est finis, propter quẽ Deus operatur singula, ex quibus vniuersum cõstat: etiã totũ est finis, gratia cuius Deꝰ operatur partes. v.g. Deus creat animã propter hominem, hominem autẽ propter vltimum finẽ. Simili modo creauit animalia, & herbas, & alia propter hominem.

20 Secunda cõclusio. Deus ad extra omnia immediatè operatur ꝓpter aliquẽ finem creatum. Hæc statuitur contra posteriorem sententiã, mihi autẽ ex eo euidenter demonstratur, quia singula, quæ Deus, vt Auctor naturæ operatur ad extra, sunt partes vniuersi. Iam verò Deus singulas vniuersi partes immediatè operatur propter ipsius vniuersi pulchritudinem, & perfectionẽ, vt docet D. Thomas in locis superiꝰ citatis. Accedit, quia partes totius efficit propter ipsum totum, v.g. materiam, & formam propter totum: animã rationalẽ ꝓpter hominem: denique omnes perfectiones accidentales propter substantiã. Nec aliquid dabitur à Deo actu operatum, vel immediatè per se ipsum, vel mediãte caussa secunda, quod non habeat aliquem finem proximum, propter quẽ sit. Quare licet Deus omnia vltimatè operetur propter suam bonitatem: immediate tamen omnia operatur propter aliquem finem proximum creatum. Secunda cõclusio. D.Thom.

21 D.Thom. Ferrarien. Nec huic assertioni obstat cõmunis doctrina D. Thomæ 1.p.q.19.ar.5. ad 3. & 1.contra Gent. c.86.& 87. explicata à Ferrarienſi in d. c.87. §. *Aduertendum*, Deũ scilicet primos effectus immediatè voluisse propter suam bonitatẽ: cætera verò immediatè propter aliquem finẽ creatum: non obstat inquã, quoniã doctrina illa intelligenda est in ordine intẽtionis, in quo datur dispositio rerũ omniũ in ordine ad voluntatem diuinã: de quo solùm ibi agit D. Tho. In hoc autem ordine primi effectus sunt voliti à Deo immediatè propter suã bonitatẽ: nã cum sint primi nõ habent alios priores, quorũ volitio sit illis ratio volẽdi, sed prima radicalis, & immediata ratio est sola diuina bonitas. Hoc autẽ nõ est verũ de primis effectibus in ordine executionis: hi enim cũ sint effectus particulares, & partes totius vniuersi, nõ possunt fieri à Deo immediatè propter suã bonitatẽ, sed propter perfectionẽ, & pulchritudinẽ vniuersi. Itaq; pulchritudo, & perfectio vniuersi est immediatè intenta à Deo, vt exequẽte, manifestatio autẽ diuinæ bonitatis est vltimate intẽta. Quod euidenter demõstratur ex illo vulgato Philosophię pronũtiato: quod est primũ in intẽtione, est vltimũ in executione: & è cõtrario, quod est primum in executione, est vltimũ in intentione.

Quare

22 Quare cũ bonitas diuina sit primum volitum in intentione diuinæ prouidẽtiæ : & post eam immediate sint voliti primi effectus, nẽpe vniuersi perfectio, & pulchritudo : & vltimo sint volitæ partes ipsæ tam essentiales, quàm accidentales Vniuersi : fit, vt in intentione Dei exequentis, primi effectus, nempe partes essentiales huius Vniuersi (Cœlum inquam, & omnia elementa) nõ sint immediate volitæ propter diuinã bonitatem, sed propter pulchritudinem, & perfectionem vniuersi. Quod docuit D. Thomas vbi supra, dum ait. *Deum voluisse hominem habere manus, vt deseruirent intellectui: voluisse autem intellectum propter ipsum hominem: hominem autem propter pulchritudinem vniuersi : denique ipsam pulchritudinem propter diuinam bonitatem.* Quibus verbis satis explicauit ordinẽ intentionis Dei exequentis, suppositio ordine intẽtionis omnia in sua mente disponentis. Quare vtrunque ordinem sic debemus philosophari, vt Deus in interna mentis dispositione (quæ ad ordinẽ intentionis pertinet) primo intenderit bonitatem suã: deinde Vniuersum perfectum omnibus essendi gradibus ad naturalem perfectionẽ spectantibus: Tertio, singulos gradus, vt sunt partes ipsius Vniuersi, corpora inquam cœlestia, quatuor elementa, & cætera, quę ĩmediate ab ipso erãt producenda. Porrò in ordine executionis primo inceperit à creatione Cœli, & terrę, quæ creauit immediate intendens ipsam Vniuersi perfectionem, & ea mediante intendẽs vltimate manifestationem diuinæ bonitatis.

D.Thom.

21 D.Thom.

23 Colligitur totiusc õtro uersię conclusio.

Ex quibus iam patet non solùm veritas nostrę secundę assertionis, sed etiã resolutio totius controuersiæ. Concludendum est enim Deum ad extra agentem omnia operari immediatè propter aliquem finem creatum: mediate verò & vltimate propter diuinam bonitatẽ. Quod non solùm verum est in dispositione, & prouidentia rerum secundum esse naturale, sed etiam secundum esse supernaturale. Nam quanuis secundũ ordinem supernaturalis prouidentiæ, & dispositionis, prima, & immediata ratio primi effectus (qui est hominum prædestinatio, & electio ad gloriam) sit diuina bonitas (nulla enim alia datur ratio prędestinationis) : tamen in ordine executionis ratio prima, & immediata primi effectus (qui est vocatio) non est diuina bonitas, sed impij iustificatio: Deus enim exequens prædestinationis ordinem, vocat impium, vt eum iustificet: iustificat, vt glorificet: glorificat, vt in eo diuina bonitas manifestetur. Ita fit, vt immediatus finis Dei impium vocantis sit illius iustificatio: iustificationis finis immediatus sit glorificatio: huius immediatus finis sit diuinę bonitatis manifestatio, vt ait D. Thomas 1. p. q. 19. art. 5. ad 3.

D.Thom.

Argumenta Bellomontani supra §. 4. adducta facilè diluuntur. Ad primum respondendũ est, & antecedens esse falsum, & consequentiam esse inutilẽ. Primum iam ostendimus supra q. 3. art. vnico num. 10. ad 2. in prima solutione: vbi diximus non solam diuinam bonitatem esse Deo rationem volendi: sed etiam vnam rẽ creatam posse Deo esse rationem volendi aliam rem: nec oppositum docuisse aut D. Thomam, aut Doctores, qui in argumento citantur.

Solutio argumenta.

Concesso tamen antecedente in terminis, in quibus proponitur negari potest consequentia. Cuius probatio claudicat in antecedente; nec enim est necesse, vt omnis finis moueat agentẽ motione, quæ sit vera causalitas finalis, vt late ostensum est supra. Vnde nec diuina bonitas, dum rationem finis exercet eam exercet, aut exercere potest, erga diuinam voluntatem, & intra illam, vt ibi diximus. Quare etiam si daremus vnam rem creatam esse non posse Deo rationem volendi aliam rem: nec mouere posse diuinam voluntatem ad agendum (quod tamen est falsum) adhuc vna res creata potest esse verus finis, propter quem Deus immediate operetur.

Solutio. 2.

Ad secundum admittitur antecedẽs: quia vt diximus, Deus omnia operatur vltimate propter suam bonitatem. Negãda tamen est consequentia. Cuius probatio doctrinam falsam assumit, vt contra eundem Bellomontanum ostendimus in dict. q. 1. loco citato.

25 Solutio. 3.

Ad tertium negandum est esse prẽter diuinam perfectionem Deum operari propter finem creatum, dummodo vltimate operetur propter se ipsum, vt diximus in primo argumento primę conclusionis.

§. 5.

Deum operari ad extra propter finem, cuius, & propter finem, cui.

76 Dubitatio. CVm duplex sit finis, *cuius*, & *cui*, merito inquiri potest, an Deus ad extra operetur gratia vtriusq; finis?

Resolutio. Respondendum est affirmatiue. Nam quod operetur propter finem, *cuius*, inde patet, quia Deus operatur propter

Probatio. D. *Thom.* suam bonitatem cõmunicandam, & manifestandam, vt docet D. Tho. 1.p. q.44. art.4. Quæ actualis diuinę bonitatis cõmunicatio, vel ẽ quædã extrinseca Dei perfectio (vt quidam male volunt) vel saltem est actus maximè decens diuinã bonitatem, & cum ea maximè congruens. Quæ congruentia est veluti quoddã bonum, cuius gratia Deus ad extra operatur. Similiter Deus creat singula bona particularia propter pulchritudinẽ vniuersi. Hæc autem pulchritudo est quoddam bonum, quod Deus vniuerso intendit. Simili modo Deus dat homini gratiam propter vltimum finem; nempe gloriam, quam tanquam vltimum bonũ intendit homini. Quare dubitari non potest Deum ad extra operari propter finem, *cuius*.

Quod verò etiam operetur propter finem, *cui*, manifeste patet: intẽdit enim manifestationm suæ bonitatis, vt ipse in

Richard. suis creaturis glorificetur, vt bene aduertit Richardus in 3. dist. 26. artic. 7.q. 2. in fine corporis. Vnde ipse Deus est finis, *cui*, omnium suarum operationum ad extra; quia omnia operatur ꝓpter suam gloriam: & in hoc sensu proprie intelligitur illud pro verbiorũ ibi,

Prouerbia. *omnia propter semetipsum operatus est dominus*. Quin potius non solùm operatur ad extra propter seipsum tanquam finem, *cui*, vltimatum: sed etiam propter aliquem finem, *cui*, creatum. Nam pulchritudinem vniuersi ipsi vniuerso intẽdit tanquam fini, cui vult tale bonum. Similiter quãdo homini largitur gratiã, & gloriam, vtrunque operatur propter hominem tanquam propter finem, cui, vt amico bona illa intendit.

§. 6.

Soluuntur argumenta initio proposita.

27 1. Solutio. AD primum eorum, quæ initio articuli in contrarium adduximus, negan-

da est sequela: quia non est necesse, vt Deus ab alio, quam à se ipso ad agendũ moueatur: cum ipse idem sit α & ω, princi- *Apocalyp.*
piũ & finis, vt dicitur Apocalypsis cap. 1. primum enim principium efficiens, & finale est vnum secundum rem, & multa secundum rationem, vt aduertit D. *D. Thom.*
Thomas 1.p.q.44.art.4.ad 4. idem enim Deus vt est summum bonum, potest seipsum mouere, vt est primũ agens. Quare futile est argumentum, quo Aristoteles contra Anaxagorã insurgit: supponit enim omne agens propter finem necessario moueri à principio alio realiter à se. Quod & si forte verum est in agente creato, non est tamen verum in increato; quia Deus potest à se ipso moueri allicique ad agendũ; quia talis motus est pure, & simpliciter metaphoricus nullam in se includens caussalitatẽ, vt ad quartum dicemus.

Ad secundum dicendum est Deũ agere ad extra, & ꝓpter se, & propter alia: 28 Solutio. 2.
propter se quidem, vltimate: proximè autem propter alia, vt §.4. diximus.
Ad primam impugnationẽ prioris partis negandum est caussam efficientem, & finalem non coincidere: oppositum enim probat illud Apocalypsis. *Ego sum* α & ω *principium & finis*, & docent Theologi cum D. Thoma 1. parte q.44.art.4.ad *Apocalyp.* *D. Thom.*
4. Imò etiam hæc est sententia Aristot. qui concedit formam substãtialem esse caussam efficientem generationis: quæ tamen teste eodem Aristotele est generationis finis. Falsum est igitur Aristo- *Aristot.*
telem vnquam docuisse finem, & efficiens nõ coincidere: nam in 2. Physicorũ cap. 7. solùm asseruit in generationibus caussam efficientem specie distingui à forma genita, quæ est finis. Quod non intelligas materialiter, sed formaliter, quia diuersæ sunt vtriusque caussalitates.

Ad secundam eiusdem prioris partis impugnationem, respondet D. Thomas *D. Thom.*
vbi supra in Deo dari prius, & posteriꝰ secundum rationem, & in ordine ad nostrum intelligendi modum: & subinde prius secũdum rationem esse Deum sub ratione boni mouere seipsum ad agendum quam Deum aut agere, aut velle agere.

Porro impugnatio posterioris partis facilè soluitur ex dictis §.4. cõstat enim Deum

Deum in ordine intentionis, & respectu suæ voluntatis à nullo alio à se posse primo, & immediate moueri, sed à sola sua bonitate: mediate tamen posse moueri ab aliqua re creata: nam perfectio vniuersi est Deo ratio volendi bona particularia, ex quibus integratur: & homo à Deo volitus est ratio, cur Deus illi velit intellectum, vt sit homo: & manus, vt ea, quę necessaria sunt intellectui, operetur, ex D. Thoma 1. p. q. 89. ar. 5. ad tertium & 1. contra gent. cap. 86. & 87. At, quod in ordine intentionis est Deo ratio volẽdi aliud, id in ordine exe cutionis est finis, propter quẽ Deus ad extra operatur, vt diximus §. 4.

D. Thom.

29 Solutio 3.

Ad tertium, quidam putant maiorẽ in vniuersum esse negandam; quia axio ma Aristotelis, sicut non est vniuersale in omnibus causis, vt plerique putant: ita non potest vniuerse intelligi de omni efficiente & fine. Quare apud istos axio ma Aristotelicum non vniuerse intelligi debet, sed indefinite, seu non repugnãter: nec enim repugnat aliquas causas esse sibi inuicem causas: & de facto in aliquibus reperitur hęc mutua causalitas, vt idẽ Suarius aduertit disp. 27. sect. 2. num. 2.

Aristot.

Alij putant axioma Aristo. esse vniuersaliter verum de causis efficientibus, & finalibus inter se comparatis: si tamẽ id intelligatur quoad aliquod esse vel simpliciter, vel secundum quid. Vnde fatentur: finem semper causare aliquod esse saltem secundum quid in omni efficiente, quia in eo causat vel motionem, qua ad agendum mouetur, quã do est capax motionis: vel actionem, qua efficiens denominatur. Ita docuit Fonseca in 5. Meta. c. 2. q. 16. sect. 3. con clusione 2. & 3. Apertius sectione 4. ad secundum. Deus igitur supposita hac sententia, vt est vltimus finis, licet non sit causa sui; est tñ causa suæ actionis ad extra. Cum veró Deus ab ea denominetur agens; vtique sub hac denominatione, quæ est extrinseca, potest suo modo dici causatus à se ipso.

Fonseca.

Hæc posterior solutio debet esse indubitata apud eos, qui volunt Deum ad extra operari actione vere, & mere transeunte, id est quę nõ solùm productiuè, sed etiam subiectiue est transiens recepta in creatura: hæc enim, vt in sequẽti articulo dicemus, vere causatur à Deo, vt á fine. Cum igitur ab hac cõstituatur, & denominetur actu agens, tanquam à forma extrinseca: vtique Deus vt est agens, & in esse extrinseco agentis vere dependet à se ipso, vt est vltimus finis. Et hæc est solutio Suarij in dicto num. 11. in secunda solutione, & satis explicat Fonseca loco citato sect. 4. ad 2. Non est tamen indubitata apud eos, qui putant actionem Dei ad extra non esse vere transeuntẽ, sed immanẽtẽ trauseũtemaũt solũ virtute ratione effectus. Hac enim opinione suppositа non apparet, quo modo Deus, vt est agens, dependeat à se ipso, vt est vltimus finis, quo ad aliquod esse secùdum quid: nam ipsa actio, cum sit idem cum diuina essẽtia, nec potest dare aliquod esse secundum quid, nec ab aliqua causa finali dependere. Circa hanc difficultatem plura dicenda sunt in sequenti articulo: interim, qui illam opinionem probauerit, confugiat ad priorem solutionem, quæ facilis est, & expers omnis difficultatis.

31 Solutio. 4. *Soncinas.*

Ad quartum argumentũ facilis esset solutio, si vera foret opinio Soncinatis in 5. Metaphysicę, q. 2. in fine corporis, & ad tertium. vbi veram causalitatem finis tribuit diuinæ bonitati erga voluntatem, & volitionem diuinam. Vnde agnoscit bonitatem Dei Metaphorice mouere diuinam voluntatem, ad amorem tum essentiæ, tum creaturarum. Verum hanc opinionem non modo vt falsam, sed vt omnino temerariã inferius reijciemus.

Quaread argumentũ neganda est maior, si de causalitate finis vniuerse, & respectu cuiuscunque agentis intelligatur: nam & si finis causalitatem habet respectu agentis creati, eam tamen habere non potest respectu increati: Hoc enim à bonitate sua trahitur per simplicem quandam allectionem liberam ab omni causalitate, causaliuè dependentia: & subinde absque omni Metaphorica motione, vt supra ostendimus, & inferius ostendendum est diligentius. Nec hoc impedit, quo minùs Deus vere & proprie dicatur agere propter finem: nam cum propria finis causalitas per se primo sit posita in esse id, cuius gratia aliquid fit: ad hoc autẽ satis sit, quod agens suas actiones ordinet ad finem:

nem: & hoc autem Deo agenti ad extra verisime conueniat, siue agat actione mere transeunte, siue actione, quæ solũ productiue sit transiens: fit. vt De us vere possit agere propter finem; quanuis ab ipso fine Metaphorica motione sibi propria non moueatur. Quæ omnia colliges ex Fonseca 5. Met. c. 2. q. 10. sect. 4. §. *Videntur tamen hi Auctores*, Cursu Conimbricens. 2. Physicorum cap. 7. q. 21. art. 2. & 3. & q. 22. art. 2. ad primũ, & Suario in Metaphysica disp. 23. sect. 9. num. 9. Quin potius si vniuerse loquendum est de causalitate finali, non est necesse, vt agens suas actiones destinet, & dirigat ad cõsecutionem finis: sed satis est, si rem volitam propter finem ordinet in ipsum finem. Ita insinuat D. Thomas 1. p. q. 19. a. 1. ad 1. & aduertit Caiet. 1. p. q. 44. ar. 4. §. *Circa prædicta*, & ibi Bañes in 3. notabili, & expressius Valentia 1. p. disput. 3. de Deo creatore q. 1. puncto 3. §. *pro huius dubij solutione*, & §. *Vnde ad ipsam rationem dubitandi in fine*. Vnde teste Caietano communiter dicitur, Deũ agere propter finem, nõ sui, sed rerum, quas producit.

Fonseca. *D. Thom.* *Caietan.* *Bañes.* *Valentia.*

32 Solutio 5. Ad quintum neganda est maior: quanuis enim agens creatum forte non possit agere propter finem, nisi à fine vera causalitate moueatur ad agendũ: id tamen non est verũ in agente increato, vt supra ostendimus, & aduertit Suarius vbi supra, assignatque hanc discriminis rationem; quia agens creatũ nõ potest aliquid operari, nisi prius realiter se ipsum moueat ad operandum: tũ volendo, & amando finem: tum etiam illum desiderando, & consecutionẽ eius intendendo, ac denique media eligendo ad illum consequendum: quę omnia sicut facere non potest sine causalitate efficiente, qua illos actus eliciat: ita nec sine finali causalitate, qua illos eliciat gratia finis, vt ostendimus, dum de effectibus causæ finalis disputauimus. At Deus sine vlla sui mutatione, aut causalitate potest velle, & amare rem aliquam, & ad illius productionem se se applicare. Ita fit vt finis propter quem agit, diuina in quam bonitas, possit finaliter influere in effectum à Deo productum, quanuis nullam causalitatem veram finalem exerceat intra ipsum Deũ, qua illum moueat, aut ad volendum, aut ad operandũ. Quod in superiorib⁹ sæpe aduertimus.

Ad postremum respondetur primo negando maiorem; quia, vt diximus ad quartum, vt agens dicatur agere propter finem, non necesse est, vt actio eius sit propter finem. Secundo neganda est minor, de qua in sequẽti articulo latior erit sermo.

33 Vltimi argumẽti solutio

ARTICVLVS II.

Vtrum actiones Dei ad extra sint propter finem.

1 QVÆSTIO ista eadem est cum illa, quæ inquirit an Deus, quatenùs est agens, habeat causam finalem? Vt colliges ex Caietano 1. p. q. 44. art. 4. §. *Circa prædicta*, & aduertit Suarius in Metaphy. disp. 23. sect. 9. nu. 10. Nam si actio agentis habet causam finalem, ita vt ipsa sit propter finem: agens etiam, quatenùs est agens, finalẽ habebit causam, ita vt in esse agentis dependeat à fine, tanquam à causa talis esse. *Caietan.*

§. 1.

Quid dicendum sit apud eos qui volunt Deum ad extra operari actione vere transeunte.

2 1. Aduertẽdum. PRo resolutione aduertendũ est cõtrouersiam esse inter Theologos, an actio, qua Deus ad extra operatur, sit vere & formaliter transiens? An verò sit formaliter immanens, virtute tamen transiens? Quidam priorem amplectuntur partem, alij posteriorẽ: nec desunt, qui putent Deum interdum vno & interdum alio modo operari ad extra. Sed quoniam nõ est animus hoc loco examinare, quæ nam illarum verior sit; Volui iuxta singulas quæstionem ex explicare.

3 2. Aduertẽdum. Aduertendum secundo fuisse nõnullos; qui voluerunt, Deum ad extra nihil operari nisi actione formaliter transeunte, receptaque in ipsa creatura. Ita Egidius de esse; & essentia q. 7. in prima via, & in 2. dist. 1. q. 3. Thomas de Argẽtina in 2. d. 37. q. 1. art. 1. in principio, & in 2. d. 19. q. 1. art. 1. explicauit Aureol⁹ apud Capreolum in 2. d. 1. q. 2. ati. 2. Ochamus d. 43. q. 1. litera E. F. Gregorius in 2.

Egidij. *Argent.* *Aureol.* *Ocham.* *Gregor.*

in 2.d.1.q.6. Cursus Conimb.8.Physicorum cap.2. q.1.ar.3.Molina 1.p.q.25.ar. 1. disp.1. conclusione 3.& q.45. art.3. §. *Sententia hæc*, Suarius in Metaphysi. disp. 20.sect. 5.num. 36. & disp.23. sect.9.nu. 12.Bellomontanus 1.p.disp.102. cap.6. nu.20.& est inter recentiores communissima,quam ego puto esse longe probabiliorem.

Molina.

4 Resolutio iuxta quorũ dam sententiam.

Hac supposita sententia certissimũ est, omnem actionem Dei ad extra esse propter finem.Ponitur à Suario in Metaphysica disp.28.sect.9. num.10. & 12. Insinuatur à Valentia ad primam part. disp.3.de Deo creatore, q. 1. puncto 3. in fine.

Valentia.

Probatur.1

Persuadetur primò; quia supposita hac sententia necessario fatendum est actionem ad extra esse aliquid creatũ: & cum habeat caussam efficientẽ (etenim actio aliquo modo fit ab agente)nõ potest non habere caussam finalem, ad quam ordinetur.

5 2.Probatur

Deinde ex eo demonstratur; quia finis propter quem Deus operatur, mouet Deum ad operandum, non quidem vt vera caussa finalis,sed vt ratio finalis agendi, vt in superioribus ostendimus. Ergo Deus operationẽ ad extra simul cum effectu dirigit in finem: nec enim potest à fine præconcepto ad operandũ moueri, quin operationem dirigat in ipsum finem: ad hoc enim mouetur ad operandum à fine, vt propter ipsum operetur.Nec vlla aduersus hanc resolutionem excitari potest difficultas, si semel opinionem prædictã admittamus.

6

Hæc Resolutio verissima est, siue dicas actionem istam transeuntẽ esseDeo rationem agendi, concursumque, quo simul cum creatura in effectum concurrit: Siue id neges, & solùm cõcedas esse effectum, quo effectiue Deus concurrit ad effectum creaturæ. Pro cuius explicatione aduerte fuisse nonnullos, qui volunt Deum interdum aliqua operari actione mere transeunte: Deus enim ad effectum causlæ secundæ concurrit eadem met actione,qua secunda caussa ad eum concurrit: eadẽ enim calefactione cum igne calefacit lignum. Addunt tamen Deum illa actione operari, non tanquam actione: quasi illa Deo sit formaliter actio, qua operatur;sed tanquã effectu,quo mediante effectiue concurrit ad producendum effectum creaturę. Ita vt actio illa transiens, v. g. calefactio,non sit Deo agendi ratio, aut concursus, quo formaliter concurrit (hic enim apud istos ponitur in Deo:) nec sit actio respectuDei,quanuis calor productus sit ab eo: sed solùm sit effectº quo mediante aliũ effectum efficit. Ita expresse docet Fonseca in 3. Metaphy. cap.15.q.8.sect.2.ad finem,& in 7. Metaphysi.cap.8.q.3. sect. 3. litera D. F. & q. 4.sect.4.litera D. discedit igitur in duo bº ab opinione superius explicata;quia non putat Deum ad extra omnia operari actione mere transeunte, sed aliqua duntaxat: ea autem non operari tanquam ratione agendi concursu ve formali: imò etiam nec tanquam formali actione,sed solùm tanquam effectu. Explicauimus doctissimi viri opinionem, non vt eam probemus (eam enim alibi impugnauimus) sed vt aduertamº illas actiones transeũtes,eo etiã modo, quo à doctissimo viro admittuntur, & prout sunt à Deo, esse propter finem. Nam præter argumenta superius posita (quę in hoc etiam sensu rem euincunt) vrget hæc demonstratio; quia õnia, quæ Deº ad extra operatur, sunt propter finem: siue Deus illa immediate se solo operetur,siuè mediante caussa secunda: nam Sapientię 16.generaliter dicitur Deum omnia propter se ipsum operati. Quare cum illæ actiones sint veri effectus Dei, non possunt nõ fieri à Deo propter ipsummet Deum, tanquã propter finẽ.

Fonseca.

§. 2.

Quid dicendum sit,si Deus ad extra operetur actione immanente?

7 Aduertẽtia ad resolutionem quę stionis iuxta aliorum sententiam

Maior difficultas est, si supponamus Deum agere ad extra actione, quæ secundum se ad creaturã non transeat, sed in Deo maneat,transeunte solo effectu producto. Pro cuius resolutione aduertendum est,dari celebrem opinionem, Deum ad extra nihil operari actione mere transeunte,idest, quæ & productiue, & subiectiue sit trãsiens: sed omnia operari actione, quæ licet productiue sit transiens, nõ est tamen transiens subiectiue; quia in Deo manet, quæ opinio à suis Auctoribus non vno modo explicatur. Quidam volunt

lunt Deum ad extra omnia operari actione formaliter immanente, virtute tamen transeunte; quia omnia operatur per actum practicum diuini intellectus, & voluntatis, nimirum per intelligere, & velle practicum: quæ actio licet virtute sit transiens; quia producit effectum transeuntem; formaliter tamē est immanens; quia est actus intellectus & voluntatis, à quibus potentijs non distinguūt potentiam actiuam, siue executiuam Dei. Opinio ista celebris est inter Thomistas, imo indubitata apud recentiores eorum. Ita Capreolus in primo sententiarum dist. 27. quæst. 1. art. 1. conclusio. prima, & in 2. dist. 1. q. 2. art. 1. conclusio. 2. §. *Ex quibus patet*, & art. 3. ad. 6. & 15. Aureoli contra primā. Ferrariens. in 2. contra gentes cap. 18. Cumelius 1. parte, q. 25. artic. 1. q. vnica concl. 5. Banhes 1. parte, q. 45. artic. 2. concl. secunda: putat veriorem Caiet. prima p. q. 25. art. 1. §. *Ad cuius euidentiā*.

Capreolus
Ferrar.
Cumel.
Banhes.
Caietan.
8

Consentire videntur, qui volunt creationem actiue sumptam esse diuinam voluntatem pro vt habet habitudinem rationis ad creaturam, quod sentire videntur Albert. Mag. in 2. dist. 1. art. 6. & de Coæuis q. 1. art. 2. & in 1. p. sūmæ tractatu 6. q. 26. litera C. & tract. 13. q. 52. in principio, & post eum Bassolius in 2. dist. 1. q. 6. art. 1. non dissentiūt Scotistę si diligentius expendantur, vt videre est apud Herreram in 2. disp. 1. q. 11. notabili 3. cum Thomistis consentit Fonseca in 5. Metaphy. capit. 2. q. 5. sect. 3. §. *tertium est*, & latius ibi q. 13. sect. 2. post principium, & c. 15. q. 8. sect. 3. ad finem, & lib. 7. Metaphy. cap. 8. q. 3. & 4. & post eum Valētia ad primam part. disp. 3. de Deo creatore q. 1. puncto 3. §. *Quo circa non mihi*.

Alb. Mag.
Bassol.
Herrera.
Fonseca.
Valent.

9
Sen entia Caiet.

Alij affirmant Deum ad extra agere operatione non quidem immanēte, sed formaliter transeunte: eam tamen manere in Deo, nec distingui ab essentia diuina. Ita expresse Caietan. prima p. q. 25. art. primo §. *Ad cuius euidentiam scito*: vnde mirum est, quod pro priori sententia communiter referatur: docet enim disertis verbis probabile esse apud D. Thomam potentiam actiuam Dei distingui ab intellectu, & voluntate, quanuis sit executiua decreti ab intellectu, & voluntate constituti: hanc enim sententiam D. Thomas eo loci ad quartum tanquam probabilem amplectitur. Ex quo infert admittendam esse actionem formaliter transeuntem mediam inter potētiam actiuam Dei, & effectum: nam cum admittatur potentia actiua media inter voluntatem & effectum; non potest (inquit Caietanus) non admitti actio media inter effectum & potentiam actiuā, quæ sit vere ac formaliter trāsiens, cū non sit actio aut diuini intellectus, aut voluntatis. Putat tamen Caietanus hāc actionem, quatenùs est actio, non exire ad creaturam, sed manere in Deo: quod etiam docuit 1. p. q. 46. arti. 1. ad 9. & 10. in ea enim est sententia, vt putet actionem formaliter transeuntē etiam in creatis non recipi in passo, sed manere in agente. Interest autem maximè inter hanc Caietani sententiam, & præcedentem, quanuis communiter ad hoc Doctores non aduertant. Quoniā in priori opinione inter velle Dei practicū, & effectum nulla mediat actio; quia ipsum velle diuinum est actio, à qua immediate emanat effectus, & ob id Deus dicitur agere sola actione immanente: at in opinione Caietani inter velle Dei practicum & effectum mediat actio potentiæ actiuæ, quę est alia à voluntate: & cum non sit actio intellectus, & voluntatis, non potest dici immanens, sed formaliter transiens, quanuis maneat in agente.

D. Thom.
Caietan.

10

Hæc diximus, vt notum fieret discrimen inter vnam & alteram opinionem: quanuis ad nostrum institutum parum referat, an actio, qua Deus ad extra operatur, sit immanens ad modum prioris opinionis; vel transiens, vt explicat Caietanus, Nam quæstionis difficultas solùm est posita in eo, quod supponitur actionem Dei manere in Deo, & identificari cum diuina essentia: hoc enim supposito dubitari potest, an talis actio vere sit propter finem?

11

De quo non conuenit inter Theologos. Nam Caietanus 1. p. q 44. art. 4. §. *Circa prædicta*, putat adhibēdam esse distinctionem: quoniam actio ista, vel sumitur materialiter quantum ad rem, quæ est actio, vel formaliter secundum rationem actionis. Si sumatur materialiter, nullum habet finem: bene tamen si sumatur formaliter. Primum probat; quia

Caietan.

quia actio illa quantũ ad id, quod est, est diuina essentia: manet enim in Deo. Posterius cõfirmat, quoniã cum Deus agat propter finẽ, vt iam est constitutũ, vtiq; actio, qua agit, quatenus actio est, habebit finẽ. Accedit, quoniã finis est caussa caussarũ. Erit igitur caussa caussalitatis caussæ agentis: & per consequens erit finis actionis, quę est agẽtis caussalitas. Itaq, apud Caietanũ Deus agens ad extra non solùm habet finẽ effectorũ, quæ producit, sed etiã suę actionis. Quare habebit finem sui ipsius, non absolute, sed quatenus est agens. Hãc Caietani sentẽtiã Bañes 1.p. in d.ar.4. §. *Pro solutione huius dubij*, putat magis esse consentaneã veritati, & doctrinę D. Thomę. Additq; actionem Dei tunc accipi formaliter, vt est actio, cũ accipit̃ p respectu ratiõis ad creaturã productam: nam actio diuina (vt ait) sumpta formaliter intrinsece includit illum respectum rationis: quãuis non constituat actionem diuinam in ratione actionis.

Bañes.

12 Caietani sententiã plures Thomistarũ teste Suario plane rejiciunt: eã tãquã falsissimam reijcit Valẽtia ad 1.p. disp. 3. de Deo creatore q.1. puncto. 3. §. *Pro huius dubij solutione*, & §. *Quo circa non mihi*. Et esse reijciendã, si actio Dei manet in Deo, affirmat Suar. in Meta. disp. 23. sect. 9. nu. 11. & Bañes facile concedit eã displicere posse. Fundamentũ Valentiæ inde sumitur; quia actio formaliter sumpta nõ minùs est idem realiter, & formaliter cũ diuina essentia, quã sit quatenus est res. Suarius verò ita arguit: quoniã, vel actio Dei, vt est actio, addit aliquid rei ipsi Deo, vel nihil: si addit, nõ potest esse in Deo, quia nihil reale potest de nouo aduenire Deo: si nihil: vtiq; vt sic, nõ potest habere finẽ. Siquis dicat (inquit Suar.) actionẽ Dei formaliter addere respectũ rationis (quæ fuit sentẽtia Bañes) obijcit primo; quia inde sequit̃ opinionẽ Caietani coincidere cũ opinione Soncinatis, de qua in art. 4. Deinde sequitur amorẽ Dei, vt libere terminatũ ad creaturas habere caussam finalẽ; quia in illa terminatione libera dat̃ identitas realis cum essentia diuina, & modus siue respectus rationis. cõsequẽs tamen non est admittendum.

Valent.

Fundamentũ Valentię contra sententiam Caietani

13 Ego puto opinionẽ Caietani esse probandam, si actio Dei ad extra manet in ipso Deo sicut supponim⁹. Pro explicatione præmittendũ est primo diuinam actionẽ secũdum totum id quod intrinsece dicit, includere actũ diuinę potentiæ (siue ille sit distinct⁹ ab actu diuinæ voluntatis, siue idem sit cũ eo) & rationem formalem, qua actus ille per se 1. constituitur in ratione cõpleta actiõis. Si vero quęras per quidnã diuinus ille actus per se primo reponatur in esse actionis? Respondendũ est primũ nõ cõstitui in tali esse per respectum rationis ad rem productam; quia talis rationis respectus posterior est ipsa actione, vt est actio, cũ in ea iam cõpleta fundetur. Deinde nõ cõstituitur per aliquid reale superadditũ eidem actui. Tũ quia actio creata, quatenus est actio, nihil reale superaddit actui potentiæ actiuæ. Tum etiam: quia nihil reale superadditum Deo vllus vnquam Theologorum agnouit. Constituitur igitur per se primo in esse completo actionis, vt actio est; quia est in actuali concursu faciẽdi id, quod ad extra fit: ita vt actus potentiæ actiuę Dei ex eo formaliter, & cõplete sit actio quod actu concurrit ad effectũ ad extra & ad illũ terminatur. Porro actũ illũ esse in actuali concursu operãdi rẽ adextra, nihil est aliud, quam quidã modus se habendi ad rem, quę extra fit, vt modo supponimus. Inde inferes actionem, vt est formaliter actio, supaddere supra actũ potentiæ actiuæ Dei modum quendã se habendi ad rem productã: quẽ nõnulli vocant caussalitatẽ Dei agentis, siue (qđ idem est) rationẽ agendi, vt Fons. 5. Metaph. c. 2. q. 13. sect. 3. rat. 4. & sect. 4. ad 2. & q 18. sect. 3. & clari⁹ atq; latius in 7. Meta. c. 8. q. 4. sect. 5. cõcl. 8. & 9. Nec lõge à mente Caiet. 1.p. q. 45. ar. 4. §. *Circa prædicta*: vbi actionẽ, put manet in agẽte appellat caussalitatem rationem vè agendi ipsius. Hæc omnia supponim⁹ tanquam probabilia, de illis alibi copiosius actùri: modo satis sit actionem diuinam formaliter, & complete sumptam in hoc dicendi modo esse ipsum actum potentiæ actiuæ non absolutè, sed prout, ita se habet ad rem, quæ extra fit: siue, (& in idem recidit) quatenus est in actuali concursu faciendi rem; & inde est, vt actio diuina dicat actum secundum potentiæ actiuæ, prout est sub ratione agendi

Primũ præmissũ ad explicationẽ sententiæ Caietan.

Fonseca.

Caietan.

causſalitate vè , quę causſalitas ab ipſo actu noſtrò intelligendi modo diſtingui tur, tanquam modus ſe habendi à re, quæ ita ſe habet. Vide Fonſecam in 7. Metaph.cap.8.q. 4. ſectione 5. litera O. Exemplis res fiet euidentior. Nam apud eos, qui potentiam actiuam Dei non diſtinguũt abintellectu &volũtate, actio, qua Deus extra operatur, eſt ipſũ diuinum velle non abſolutè, ſed prout in actu exercito eſt practicum, id eſt, prout eſt in actuali concurſu faciendi rem ad extra. Etenim diuinum velle ſi abſolutè conſideretur, eſt actus voluntatis prout eſt potentia appetitiua, quæ vt ſic, ſolùm dicit ſimplicem inclinationem ad obiectum, vel decretum, quod obiectum externe fiat. At prout eſt velle practicum, & prout ſe habet in actuali concurſu faciendi, eſt actus potentię actiuę : quæ potentia actiua eſt diuina voluntas nõ abſolutè, ſed prout eſt diuina potentia practica efficaxque ad operandum ad extra. Cuius actus eſt velle diuinum, vt eſt in actuali concurſu operandi.

14 Porro ſi velis potentiam actiuã Dei diſtingui ab intellectu,&voluntate(quę eſt opinio plurimorũ)tunc actio diuina formaliter nõ erit ipſum velle diuinum, ſed actus quidã noſtro intelligẽdi more ab eo diſtinct⁹ : quæ actio prout eſt ſub causſalitate effectiua,& ſub ratione agẽ di,dicit̃ actio formaliter, & complete. Ipſa aũt ratio agendi ſiue causſalitas ſuperaddita actui tanquã modus ſe habẽdi,idẽtificat̃ tã realiter,quã formaliter, tũ cũ ipſo actu potẽtię actiuæ, tum cum ipſa potentia actiua,tũ deniq; cũ diuina eſſentia:diſtinguit̃ tñ abillis ſolo noſtro modo intelligẽdi. Quæ õnia ſupponim⁹ cumCaietan.& cumFonſeca locis cita.

15 Secũdo prę mittendũ eſt actionẽ diui nã etiã formaliter ſumptã (ſiue ſit velle Diuinũ,ſiue actus ab eo diſtinctus) ſecũ dũ id,qd̃ eſt,eſſe æternã, virtute tñ terminatiue noſtro intelligendi modo eſſe tẽporalẽ.Late id oſtendit Fonſeca.in 7. Metap.c.8.q.4.ſect.5.cõcl.10.& 11.Quę doctrinaaſſerẽda eſt abijs qui volũt actionẽ Dei ad extra manere in Deo. Hac opinione ſuppoſita nõ põt negari actionẽ illã eſſe æternã,quaten⁹ dicit actũ potentiæ actiuæ Dei:act⁹ enim ille identifi cat̃ cũ diuina eſſentia.Idẽ dicendũ eſt,ſi actio ſumat̃ formaliter pro modo ſe habendi,quẽ ſuper addit; quia modus iſte (quẽ causſalitatẽ appellam⁹) realiter,& formaliter identificat̃ cũ eſſentia.Quare ſecundũ id qd̃ eſt,eſt æternus.Confirmat̃ ex Aug.16.deCiui.Dei c.6.vbi fatet̃ actionẽDei eſſe ęternã.Quòd verò talis actio etiã ſumpta formaliter virtute ſit tẽporalis ,pbat Fõſeca loco cit. litera, D.actio enim illa ita causſat effecta Dei tẽporalia,ac ſi illa eſſet formaliter temporalis.Quod etiã ſit temporalis termi natiue,probat Fõſec.vbi ſup.cõcl.11.litera L.quia actio illa æterna nõ ab æterno terminata eſt ad effectũ, ſed in tẽpore:vnde ex Aug.vbi ſup.illa actio ſempiterna manẽs,tẽporaliter operatur.Nec implicat actionẽ Dei eſſe ab æterno, & effectũ eſſe in tẽpore,vt oſtendit Alber. Mag. in lib.Dionyſij de Cœleſti Hierarchia c.4.& D.Tho.1.p.q.46.ar.1. ad 9.& 10.Quod breuiterpoteſt explicari;quia actio illa ſecundnm ſe ęterna nõ fuit ab æterno definita,vt ab æterno eſſet completa,& terminata,ſed in tẽpore.Igitur illa actio fuit abæterno ſub rõe formali actionis(quia potẽtia actiua Dei nũquã potuit eſſe in potentia ad ſuũ actum, ſed ſemper fuit cũ illo) at tñ ille actus in ſe ęternus ab ęterno fuit terminatiue temporalis, quia ab ęterno decretũ fuit, vt vis illa ęterna nõ eſſet incõpletione productione vè exercita effectus,niſi in tali tẽpore,vt explicat Auguſt.loc.cit.& Caietan.1.p.q.46.ar.1. Inde inferт actionẽ illã noſtro intelligẽdi modo habere cõpletionẽ temporalem; quia illam causſalitatem,& actualem modum ſe habendi non concipimus,niſi in tempore. Vide Fonſecam vbi ſupra litera P. Prę mittendũ 3.actionẽ diuinam, prout ad extra terminatur ad creaturas,eſſe liberã quia potuit Deus nolle ſe cõmunicare. Quod cum ſit de fide,negari nõ poteſt.

Ex his patet explicatio & confirmatio opinionis Caietani.Nam actio diuina,quãuis ſecũdũ id qd̃ eſt,ſit æterna,& ideo,vt ſic,careat causſa finali: tñ ſub ratione formali actiõis, ,put ille act⁹ ęter n⁹,(v.g.velle diuinũ) ſubeſt modo ſe habẽdi in actuali cõcurſu faciẽdi rẽ extra, terminatiue eſt tẽporalis , & libera. Et ſubinde terminata diceт ſecundũ Cõſiliũ volũtatis diuinæ, iuxta Paulũ ad Epheſios 1. Cur igitur negabim⁹ actionẽ illã

Auguſtin.

Fonſeca.

Albertus Mag.

Dionyſ.

D.Thom.

Auguſt.

Caietan.

3.premiſsũ

16 Defenditur ſentẽtia Caietani.

Paulus ad Epheſ.

2. prę miſsũ ad explicandam Caietani ſententiã *Fonſeca.*

illã formaliter sumptã secundũ illã liberã terminationẽ ad creaturas pendere à diuina bonitate, tãquã à caussa finali? ita vt dicam⁹ bonitatem diuinã vere finalizasse terminationẽ talis actionis. Itaq; bonitas diuina nõ est caussa finalis volendi creaturas, quatenùs volitio dicit decretũ, & definitionem ꝑducendi (ita enim solũ cõcurrit, vt ratio volendi) est tñ caussa finalis ipsius actus, qui est formalis actio, non secundum id qđ est, sed quoad terminationem actualem duntaxat. Hæc subcensura.

71 Soluitur fũdamentũ Valentię.

Quæ verò in contrariũ adducuntur, facile solui possunt. Ad fundamentũ Valentiæ respõdetur illã identificationem nõ tollere, quin act⁹ ille, vt est sub explicato modo se habendi (.i. vt est in actuali cõcursu faciendi) sit terminatiue temporalis, & liber: & subinde aptus, vt quatenus est temporaliter terminabilis, & liber, possit à bonitate diuina finalizari.

18

Ad fundamentum Suarij dicim⁹, formalitatem actionis diuinæ ad extra nec esse relationem ratiõis (hęc enim est qđ posterius ipsa actione) nec esse aliquid rei sup additũ: sed esse modũ quendã se habendi, vt Fõseca nõ sine probabilitate contendit. Cuius sententia de caussalitate efficiente ponenda in agẽte quãuis nõ admodũ sit probabilis in agentib⁹ creatis, admittenda tñ est ab ijs, qui volunt *Deũ* ad extra operari actione in Deo manente: in hac enim opinione nõ possunt nõ admitti caussalitates efficiẽtes in ipso Deo, secundũ se æternę, terminatiue tẽporales, & liberę; & subinde in sua terminatione pendẽtes à bonitate diuina, tanquã à caussa finali illi⁹ terminationis: nec enim necessaria est realis distinctio inter finẽ, & operationẽ agentis: sed satis est distinctio rationis, vt bene aduertit Bañes loco cit. Et hæc dicta sint de actione Dei ad extra.

Bañes.

ARTICVLVS III.

An actus notionales, qui sunt ad intra, sint propter finem.

1

ACtus notionalis apud Theologos dicitur, qui significat originẽ personę diuinę ab alia persona: vt patet ex *D.* Thoma 1.p.q.41.ar.1. Cum verò duplex sit origo in diuinis: vna, qua filius originatur à Patre: altera, qua Spiritus Sanctus à Patre & filio procedit duplex datur in diuinis actus notionalis; generatio inquam, qua significatur origo Filij à Patre: & processio, qua exprimitur origo Spiritus Sancti à Patre & filio. Iã patet sensus quæstionis: idẽ enim est inquirere, an act⁹ notionales in diuinis sint ꝑpter finẽ? & inquirere, an Pater generet Filium, & cum Filio ꝑducat Spiritum Sanctum alicuius finis gratia?

D.Thom.

2 Resolutio. Probatur 1. ex D.Tho.

Resolutio absq; vlla controuersia est negatiua, & apud omnes indubitata. Primo, quia *Deus* nec est, nec esse potest propter aliquem finẽ, ex *D.* Thom. 1.p.q.41. ar.2. ad 3. nam cum essentialiter sit suũ esse, est omnino incausſatus. Sed quælibet persona producta est Deus. Ergo nulla persona producta est, aut esse potest propter aliquẽ finẽ. Igitur nec Pater generat filiũ propter finẽ, nec cũ Filio propter finẽ producit Spiritũ *Sãctũ*.

3 2. Probatur

Deinde, vbi datur caussa finalis, ibi datur necesse est caussa efficiens, iuxta receptam Philosophiam, de qua Curs. Conimb. 2. Physicorũ cap. 7. q. 9. ar. 2. ad finem. In diuinis autẽ ad intra nulla datur caussa efficiens; quia nec filius fact⁹ est, nec Spiri⁹ *Sãct⁹*, vt fides docet in Symbolo Athanasij; ergo in diuinis ad intra nullus potest dari finis finalizãs aut personas diuinas, aut actus notionales, quibus producuntur.

4 Vltimo probatur.

Postremo id ostenditur de singulis actibus notionalib⁹. Nã, quod generatio Filij nõ sit à Patre gratia alicuius finis, inde probari potest; quia ea, quę sũt propter finem, sunt à voluntate, tanquam à principio. Voluntas enim mota à voluntate finis operatur ea, quæ sunt ad finẽ. At Pater diuinus licet generet Filiũ voluntate concomitante: non tñ illũ generat voluntate principiante, vt oẽs Theologi agnoscunt cũ D. Thom. 1.p. q.41.a. 2. Quod verò nec processio Spiritus Sãcti sit propter finem; inde patet: quoniã & si Spiritus Sanctus procedit à voluntate vt principio: procedit tñ ab illa, vt natura est ex *D.* Tho. in d.ar.2.ad 3. Quæ producit, nõ vt allecta. & mota à bonitate, amoreq; essentiæ (sine quo non datur finalis caussalitas) sed vt fœcũdata amore ipsius bonitatis.

D.Thom.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum actus immanentes in diuinis sint propter finem?

1 ACTVS immanentes hoc loco illos appellamus, qui sunt actus vitę; aut sensitiuæ, aut intellectiuæ: quales sunt oēs, & solæ actiones potentię cognoscentis, & appetentis: siue illæ immateriales sint, & incorporeæ, vt intellectio & volitio: siue corporeę & materiales, vt visio, auditio, & oēs operationes appetit⁹ sensitiui. Dicunt aūt immanētes; quia & secundū se, & secundū suos termi nos manēt intra potentiā operantē. Ita fit, vt actus immanentes in Deo dicant actus intellectus, & volūtatis, quatenus formaliter sunt tales: intellectio inquā, quatenus formaliter est intellectio, & volitio quatenus formaliter est volitio: quā reduplicationē ideo adiūgim⁹; quia hi actus accipi possūt, quaten⁹ sunt practici, & quatenus sunt actus potētię actiuę: quomodo & si formaliter sunt actus immanētes sunt tn virtualiter transeuntes: de quibus, vtsic iam egimus ar. 2.

§. 1.

Refertur opinio affirmatiua Soncinatis.

2 Sententia Soncinatis. QVanuis nullus sit, qui dicat caussalitatem finalē exerceri circa actus intellectus diuini: non desunt, qui affirment in actibus diuinę voluntatis reperiri verā, & propriā caussalitatē finis. Ita docuit Soncinas in 5. Metap. q. 1. in fine corporis & ad tertiū: quo in loco hāc causalitatē vere, & ꝓprie agnoscit nō modo circa actus liberos diuinæ voluntatis, qui circa creaturas versantur: sed etiam circa actum dilectionis, qua Deus seipsum diligit, qui actus in Deo est necessarius.

3 Primū fundamētū prę cedētis sententiæ. Hāc sententiā ex eo principaliter cō firmat; quia vera, & ꝓpria caussalitas finalis posita est in motione metaphorica voluntatis à bonitate obiecti. Sed bonitas diuinæ essētię verè, & proprie mouet diuinā voluntatē motione metaphorica, tū ad amorē sui, tū ad amorē creaturarū. Ergo bonitas diuinæ essentiæ verā caussalitatem finalē exercet circa actus diuinæ voluntatis, siue ad essentiā, siue ad creaturas terminent. Maior cōtinet propriā ipsius Soncinatis sententiā circa caussalitatē caussæ finalis. Minorem tanquam notam supponit. Probari potest, tum auctoritate Boetij lib. 3. de Consolatione prosa 3. dum ait: *Diuinam bonitatē pepulisse Deū, vt res externas operaretur.* At cum nec mouerit, nec pepulerit realiter, vt patet: vtiq; pepulit, & mouit metaphoricè. Tum etiam ex D. Thom. 1. p. q. 19. ar. 1. ad 3. & ar. 2. ad 2. vbi expresse fatetur diuinam bonitatē, mouere voluntatem Dei. *Boetius.* *D. Thom.*

Deinde ex mente eiusdē Soncinatis sic arguit: Deus tā seipsū, quā creaturas amat ꝓpter bonitatē suā, vt patet. Ergo Deus se ipsum, & creaturas amat propter finē. Probat consequentia; quia amare propter aliud idem est, quod amare gratia illius. 4. 2. Fundamētum. Tertio effectus Dei, vt sunt à Deo, habent caussam finalem, vt patet: sed caussa finalis nō potest exercere suā caussalitatē in effectū, nisi caussalitate sua moueat agens ad agendū. Ergo eadem caussa finalis, quæ exercet suā caussalitatem in effectus Dei ad extra, eam etiam exercebit in actū voluntatis diuinæ, vt vellit agere. Tertium.

Quarto, quod agenti volūtario est ratio operandi, est etiā caussa volendi. sed in Deo dat ratio operandi res; quia ex Aug. lib. 83. quæstionū non est dicendū Deū irrationabiliter cōdidisse ea, quæ cōdidit. Ergo in Deo dat caussa volendi. 5 Quartum. *Augustin.*

Postremo, si volūtas Dei nullā habet caussam suę voluntatis, nihil à Deo factū habebit caussā, nisi simplicē Dei volūtatem, ac beneplacitū; qd est falsū. Falsitas cōsequentis patet; quia scientię inquirūt caussas rerū, q̄ sunt factæ à Deo. Sequela probatur: quoniā ea, quæ fiunt à volente, si propter nullā caussam fiunt, pendent ex sola simplici volūtate. Ergo si voluntas Dei nullam caussam habet; omnia, quæ á Deo fiunt, nullam aliam caussam habebunt, nisi voluntatem Dei. Vltimum.

Hęc ꝓ sententia Sōcinatis adduxim⁹ Nec deerit, qui dicat eā esse verā, si sermo sit de caussa finali secundū nostrū intelligendi modū; non tn secundū realem caussalitatem. Et pro se forte citabit Ferrar. 1. contra gent. c. 87. vbi fatetur diuinā bonitatē secundū nostrū modū intelligendi esse caussam diuinę volūtatis; non tamen realem caussalitatem.

§. 2.

Asseritur pars negatiua.

OPinio illa Sōcinatis nō modo est falsa, sed etiam temeraria, quatenus asserit actum diuinæ voluntatis habere caussam finalem, ipsam scilicet diuinam bonitatem: ita vt Deus moueatur ab ea, tanquam à vera caussa finali,

li, tum ad diligendũ se; tum ad volẽdum creaturas. Soncinatẽ in hoc incõsidera te fuisse locutũ meritò affirmat Cursus Conimb. 2. Physi. cap. 7. q. 21. ar. 2. cõcl. 2. in fine. Eius opinionẽ esse omni ratione improbabilẽ asserit Suar. in Metaph. disp. 23. sect. 9. n. 3. in princ. & num. 4. ad finẽ. Contra eandem docuit Fonseca 5. *Fonseca.* Metaph. c. 2. q. 10. sect. 2. ad finẽ, & sect. *Molina.* 4. pag. 142. Molin. 1. p. q. 19. ar. 5. & ões *D. Thom.* interpretes D. Thom. ibi. Quin potius contra eandẽ docẽt ões Theologi, dũ vno consensu generaliter negant dari aliquam causſam voluntatis diuinę: ita docuit D. Thom. 1. p. q. 19. ar. 5. vbi om- *D. Thom.* nes interpretes, idem D. Thom. 1. cõtra gent. cap. 87. vbi Ferrar. Alexander etiã Alensis 1. p. q. 35. ar. 3. Quæ vniuersalis negatio comprehendit etiam causſam finalẽ, cum illa vere sit causſa. Vnde D. Thomas ex illa generali doctrina cõclu dit, *Deum non velle hoc propter hoc*, ideſt nõ velle hoc, quia vult hoc, tanquam finem: quasi ideo velit se ipsum, & creaturas; quia vult suam bonitatẽ. Possumus etiã *Augustin.* contra Soncinatem adducere Augusti- nũ in lib. 83. quęstionũ q. 28. vbi ait; *Non esse quærendam causſam, quare Deus voluerit creare mundum.* Quę verba euidenter negant dari causſam finalem diuinæ volun tatis, qua voluit mundũ creare. Etenim non negat August. non esse quęrendam causſam creationis mũdi; quia eam expresse admittit 5. de Ciuit. Dei c. 21. sed solũ negat esse quęrendã causſam ipsius actus: quo voluit mundũ creare; quia ta lis actus in se, suaq; entitate nullã causſam habet, aut habere potest.

8 Quã resolutionẽ inde videt Aug. con firmare; quia causſa finalis virtute est ef ficiẽs: quasi ita argumẽtet; nulla res po test habere causſã finalẽ, nisi etiã habeat causſã efficientẽ: quã Philosophiam esse receptã docet Curs. Conimb. 2. Phy. c. 7. q. 9. ar. 2. ad finẽ, & tanquã notissimã supponit Suar. in Metaphy. disp. 12. sect. 3. n. 5. & disp. 23. sect. 9. nu. 3. sed actꝰ diui næ voluntatis non potest habere causſã efficientem; cum sit ens increatũ: ergo nec potest habere causſam finalem.

Deinde; actus diuinæ voluntatis siue sumatur, vt terminat ad diuinã essentiã, siue, vt terminat ad creaturas; cũ sit idẽ realiter cũ diuina essentia, est ens increatũ. Ergo est ẽs õni rõe incausſatũ, hoc est expers õnis dependentię causſalis. 9

Tertio Diuina bonitas est idẽ cũ actu diuinæ volũtatis, vt patet. Ergo nullam causſalitatẽ potest exercere erga talem actũ; quia causſa debet distingui ab effe ctu: quod maximè verũ est in causſa effi ciente, & finali, quæ sunt causſę extrinse cæ. Hac rõe vtitur D. Tho. 1. cõtra gent. c. 87. & ibi Ferrar. qua euidẽter demõ- stratꝰ actum diuinę volũtatis nullo modo habere posse ad intra aliquam causſam.

Postremo; quãdo finis exercet causſa litatẽ in volitionẽ mediorũ; volitio finis est actꝰ distinctꝰ à volitione medij; quia tũc volitio medij causſatur à volitione finis. Ergo vbi finis, & mediũ vno actu sũt volita, finis nõ potest exercere suã causſalitatẽ in volitionẽ medij: sed bonitas diuina vno, & eodẽ actu est volita cũ diuina essentia, & cũ creaturis; quia Deus vno actu vult bonitatem suã, & se ipsum & creaturas, ex D. Tho. 1. p. q. 19. ar. 5. & *D. Thom.* 1. cõtra gent. c. 87. Ergo bonitas diuina nullam potest exercere causſalitatem fi nalem in actum diuinæ voluntatis.

Hęc resolutio adeo est vera, vt nec nostro intelligẽdi modo bonitas diuina vllã exerceat causſalitatẽ in diuinã volũ tatẽ: quidquid oppositũ insinuare videat Ferrar. vbi supra: talis enim intelligẽdi *Ferrar.* modꝰ esset falsus. Quomodo aũt Ferrar. doctrina intelligi debeat explicat Suar. in d. disp. 23. sect. 9. nu. 3. quem vide.

§. 3.

Vtrum in Deo admitti debeat ratio volendi ea, quæ vult.

A Duertendũ est differre plurimũ in 10 ter esse rationẽ volendi, & volendi causſam, vt aduertit D. Tho. 1. cõ- tra gent. c. 86. & 87. & vtrobiq, Ferrar. *D. Thom. Ferrarien.* Nã causſa semper significat quid diuer sum à causſato: quã tñ diuersitatẽ ratio nõ importat, vt patet in diuinis attribu tis: potest enim vnũ attributũ esse ratio alterius, nõ tñ causſa: nullus enim dixit ĩmutabilitatẽ in Deo esse causſã ęterni tatis, cum tñ ões concedãt eã esse ra- tionem per quã æternitas Deo cõuenit; vnde æternitas ꝑmutabilitatẽ demõ- stratꝰ in Deo, vt doceri solet 1. p. q. 10. a. 2. & 3. Ita fit, vt actꝰ diuinę volũtatis, quã uis nõ habeat diuinã bonitatẽ ꝑ causſa finali, eam tñ habeat pro finali ratione: nã bonitas diuina (quę est omniũ finis) quanuis nõ sit Deo causſa volendi crea-

turas, est tamen ratio volendi eas: ideo enim eas vult, vt in illis ostendat suæ bonitatis communicationem.

11 Solutio.

Dubitari potest, an sola bonitas diuina sit Deo ratio volẽdi aliquod obiectum, an verò volitio vnius rei creatę possit Deo dici ratio volendi aliã? v.g. vtrum volitio dandi sanitatem Petro sit ratio volendi illi medicinam, qua consequatur sanitatem? Negat Bellomontanus ad 1. 2. disp. 4. cap. 1. & 2. & disp. 82. cap. 2. num. 7. vbi admittit volitionem bonitatis diuinæ esse Deo rationẽ volẽ di creaturas, tam in generali, quàm in particulari: negat tamẽ volitionẽ vnius creaturæ esse Deo rationem volendi aliam. Vnde cõcludit *D*eum velle, vt vna creatura ordinetur ad aliam: non tamẽ vnam propter aliam tanquam propter rationem volẽdi. Pro hac sententia allegat *D*. Thomam 1. p. q. 19. artic. 1. ad tertium, & art. 2. ad 2. & art. 5. & primo contra gent. cap. 86. & 87. Alens. 1. p. q. 28. memb. 3. ar. 3. & q. 35. m. 3. Henricũ quodlib. 4. q. 19. litera O. *D*riedonem de concordia liberi arbitrij 3. p, cap. 4. fol. 22. pag. 1.

D. Thom. Alensis. Henricus. Driedo.

12 Oppositaſẽ tentia defenditur,

Oppositam sententiam contra Bellomontanum defendimus supra quæstio. 3. art. vncio num. 19. ad secundum, quam eandẽ nunc probamus, & statuimus nõ solùm diuinam bonitatẽ esse posse *D*eo rationem volendi creaturas, v.g. vniuersum: sed etiam vnam creaturam à *D*eo volitam posse esse *D*eo rationem volẽdi aliam, v.g. volitionem abundantiæ frumenti posse *D*eo esse rationẽ volẽdi pluuiã: ita vt velit pluuiam propter frumẽtum. Quę est sentẽtia Caietani 1. p. q. 19. ar. 5. vbi cæteri interpretes. *D*urandus etiam ita sentit in 1. dist. 41. q. 2. num. 5. Cordubensis lib. 1. quæstionarij q. 56. opinione 5. §. *Si secundo quæratur*. late Suarius in rellectione de libertate diuinæ voluntatis disp. 1. sect. 2. num. 20. & 21. hanc fuisse sententiam *D*. Thomæ d. cap. 86. & 87. ex verbis eius euidenter ostendimus vbi supra: vbi etiam diximus, nec *D*. Thomam, nec Alensem, nec Gandauẽsem, nec denique *D*riedonem nobis repugnare, sed potius sentire nobiscum.

Caietan.

Corduba. Durand.

D. Thom.

§. 4.

Soluuntur argumenta adducta pro Soncinate.

PRimum argumentum initio adductum pro Soncinate facile soluitur iuxta eam sententiam, quam in disputatione de causalitate finali secuti sumus: Maior enim est neganda: causalitas enim finalis formaliter non est posita in motione metaphorica agẽtis; quia dari potest finalis causalitas sine vlla agẽtis motione: & dari potest mutatio metaphorica agentis sine vlla causalitate finali.

Quod verò attinet ad minorem, vt explicemus, quomodo bonitas diuina diuinam moueat voluntatem, aduertendum est motionem duobus modis dici posse metaphoricam, vt in dicta quæstione diximus. Vno modo, tota liter, & adæquate: altero modo inadæquate solùm. Nam cum motio in sua ratione includat esse causam (quæ est ratio generica illius,) & esse talem causam, nempe esse causam, quę causat agendo (quæ est ratio specifica motionis) metaphora potest cadere, vel supra totam, & adęquatam rationem motionis, vel solùm supra rationem specificam. Si metaphora cadat supra totam rationem motionis genericam, & specificam, tunc motio dicitur totaliter, & adęquate metaphorica; quia nec vere agit, nec vere causat, sed vtrunq; uendicat sibi per quandam translationẽ. Porro si metaphora solùm cadat supra rationem specificã motionis; quia et si vere, & realiter mouet; non tamen mouet vera actione, sed per motionem, quæ translatitie dicitur actio. Tũc motio dicitur metaphorica solũ inadæquate; quia vere est causa, non tñ vere agit, sed solùm translatitie, & per metaphorã. Vidè quę diximus in dicta quæstione. Quod igitur attinet ad minorẽ, dicimus bonitatẽ diuinã mouere quidẽ metaphorice diuinã voluntatẽ, motione tñ quę totaliter est metaphorica; quę motio est lõge alterius rationis à motione metaphorica, qua finis mouet agens ad agendũ: hęc enim motio dicit metaphorica solũ inadęquate; quia licet vere, & realiter moueat causando: non tñ mouet vere, & realiter agẽdo, sed solũ metaphoricè; quatenùs finalis causatio videtur esse actio, cum verè non sit actio.

13 soluitur 1. argum. Soncinatis.

Ad secundũ cõcesso antecedẽte negãda est cõsequẽtia: nam qñ Deus dicitur 14 amare

Solutio secundi arg.

amare se, & alia propter suam bonitatem; particula *propter* non significat veram causſam, sed rationem tantũ amãdi: vt bene aduertit Suarius in d. disput. 23. sect. 9. n. 7. & patet, quia Deus non potest esse finis sui ipsius; iam verò bonitas Dei, & voluntas Dei sunt ipse Deus. Quare ad probationem consequentiæ negandum est amare vnum propter aliud, semper idem esse, quod amare vnũ gratia alterius, ita vt ex amore illi⁹ moueatur voluntas ad amandum aliud: nã ad veritatem illius propositionis satis est, quod vnum sit voluntati ratio amãdi aliud.

15 Solutio tertij.

Ad tertium neganda est minor: licet enim illa vera sit in agente creato, in quo finis non potest exercere causſalitatem in effectum externum, nisi prius eam exerceat intra ipsum agens, & in internas illius actiones: tamen non est vera in ordine ad agens increatũ: quia in eo finis potest exercere causſalitatẽ finalem in effectum ad extra, absque eo quod aliquam causſalitatem exerceat intra ipsum Deum, & in internos illius actus. Ratio discriminis est, quia actus interni in Deo carent causſa finali, cum efficientem non habeant: oppositũ reperitur in actibus internis agentis creati: hi enim sicut verè dependent à causſa efficiente, ita etiam verè dependent à fine. Cum verò finis non moueat ad agendum, nisi secundum esse, quod habet in intellectu; priusquã moueat agẽs creatum ad agendum externè; necessariò illum mouet ad agendum ad intra, cuius oppositum reperitur in agẽte increato. Minor igitur illa generaliter sumpta est falsa: quia absolutè loquendo, vt finis exerceat suam causſalitatẽ in effectum, actionesvè externas agentis, non necesse est, prius exerceat aliquam veram causſalitatem intra ipsum agens, aut in internas illius actiones, vt nos iam aduertimus, & aduertit Suarius in dicta disputatione 23. section. 9. numer. 9.

16 Solut. quarti. *D. Thom.*

Ad quartũ neganda est maior ex mẽte D. Thomæ 1. p. q. 19. art. 5. ad 1. quia in Deo datur ratio volendi aliquid, in quo non datur volendi causſa, vt ex dictis patet. Quin potius etiam in agente creato datur instantia apud eos, qui volunt simplicem amorem finis non esse effectum ipsius finis: cum tamen finis sit ratio volendi ipsum finem.

D. Thom. Solutio vlti mi argum.

Ad postremum respõdet D. Thomas in d. ar. 5. ad 2. & 3. Clariùs respondebis negando sequelam: quia licet nulla detur causſa volitionis diuinæ, adhuc voluntas *Dei* potest velle, vt vna res creata sit causſa finalis alterius: *Deus* enim de facto voluit, vt manus in homine esset gratia totius hominis, & medicina esset gratia sanitatis. In probatione sequelę in illo deficitur, quia ex causſa volitionis fit transitus ad causſam volitorum: qui transitus est ineptus. Pro resolutione admittimus ea, quæ fiunt à Deo non ob aliam causſam, nisi quia Deus voluit ea fieri, pẽdere ex sola simpliciDei voluntate: negamus tamẽ omnia, quæ fiunt à Deo ob nullam aliam causſam fieri, nisi quia *Deus* voluit ea fieri: quia *Deus* multa voluit fieri, ideo quia aliorum volitio pręcesſit. Nam ex eo, quia voluit fieri vniuersum integrũ, & perfectum; voluit, vt in vniuerso fierent omnes essendi gradus, &c. Nec valet, volitio *Dei* nullam sui ipsius causſã habet; ergo non voluit *Deus*, vt hoc fieret propter illud. Quod in proposito est diligenter aduertendum.

QVÆSTIO XV.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum Angeli agant propter finem?

1 Pars affirmatiua.

PARS affirmatiua apud omnes est indubitata, quam solùm negare potuerunt Philosophi veteres, qui voluerunt omnia in rerũ natura casu, & fortuito euenire: quorum dementiam impugnauimus supra q. 1. huius disputationis. Hæc veritas in speciali primo demonstratur ex generali Philosophorum axiomate, omne agens agere propter finem, ratione cuius apud Aristotelem hæc consequentia est necessaria: est agens, ergo agit propter finem, vt patet ex Arist. 12. Metaph. c. 10. tex. 55. Quod de agente per intellectum esse verissimum patet ex Arist. 2. Physi. c. 5. tex. 49.

Probatur 1.

Arist.

Vnde idem Aristotel. cæteriq́ue Philosophi omnes, nõ alio medio conuincũt, Deum agere propter finem: nisi quia ad extra multa operatur. Quare cum Angeli in vniuersi gubernatione plura agant, vt docet Philosophia, & fides: indubitatum erit Angelos agere propter finem.

2 Probatur 2. *Arist.*

Deinde specialiter demonstratur ex doctrina Aristotelis 12. Metap. c. 7. tex. 36. & 37. primum mouens, nempe Deũ, mouere hæc inferiora, vt finem amatũ: quia nimirum ipse est finis, propter quẽ omnes intelligentiæ mouent suas sphæras: eas enim mouent, vt primo mouenti assimilentur: quæ est communis explicatio ex Cõmentatore, Auic. D. Thoma, cæterisque interpretibus. Vide Sõcinatem 12. Metaph. q. 37. Iauellũ q. 15.

Comment. Auicen. D.Thom. Soncinas. Iauellus.

Probatur 3.

Tertiò; quia iam constat inter Philosophos naturam ideo agere propter finem, quia ad suum finem dirigitur, non solùm à prima intelligentia, sed etiam ab alijs, quæ mouent cœlestes orbes, à quibus inferiora reguntur; ita D. Thomas 3. contra Gent. c. 24. ab illis autem non posset dirigi in finem, nisi ipsę agerent propter finem.

3 4. probatio.

Ex quo sumitur quarta confirmatio: quia constat intelligentias non solùm mouendo cœlestes orbes (id, quod Philosophi agnouerunt) sed etiam per se ipsas mediate, vel immediate ista inferiora gubernare: omnes enim sunt administratorij spiritus, vt ait Paulus ad Hebræos 1. Gubernare autem non est aliud, quàm rem gubernationi subiectã in suum finem dirigere, ex D. Thoma 1. p. q. 103. art. 1. & 2.

Paulus.

D.Thom.

Vltima probatio.

Postrema confirmatio sumitur ex loco Pauli immediatè citato, ita enim ait: *Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?* Omnes igitur ex Paulo nõ solùm mittuntur à Deo ad inferiora gubernanda, vt electi salui fiant: sed etiam ipsimet ea, quæ administrant, ideo administrant, vt electi salutem consequãtur. Accedat illud Gabrielis Archangeli, Danielis 9. *Ecce vir Gabriel, quem videram, locutus est mihi, dixitque: Daniel nunc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres.* Egressus est igitur Angelus docẽdi gratia, & statim addit: *Ego autẽ veni, vt indicarem tibi, &c.*

Paulus.

Daniel.

Quæ diximus satis sint ad confirmationem veritatis apud omnes indubitatæ. Quæ de actionibus Angelorum hoc loco dici poterant, facilè patebunt ex ijs, quæ de actionibus hominum in sequenti quæstione dicemus.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum homini conueniat agere propter finem?

DVPLEX potest esse huius quæstionis sensus: prim°, vt abstrahamus ab hoc, vel illo modo operandi propter finem, idest, siue homo operetur dirigendo se in finem; siue operetur directus ab alio. Secundus sensus est magis specialis, prout illud agens dicitur agere propter finẽ, quod ex cognitione finis se ipsum in finem dirigit. Quos duos sensus explicãt duo Philosophorum axiomata, quę videntur inter se contraria. Vnum affirmat omne agens agere propter finem, sumiturque ab Arist. 2. Physic. c. 5. text. 49. & vsurpatur passim à D. Thoma 3. contra Gent. c. 2. & 1. p. q. 44. art. 4. & 1. 2. q. 1. artic. 2. Alterum asserit proprium esse naturæ rationalis agere propter finem, de quo D. Thomas in d. art. 2. Primum axioma verum est in priori sensu: secundum autem in posteriori. Inquirendum est igitur, an homo agat propter finem altero horum modorum: an etiam vtroque?

1 Quæstionis sensus explicantur.

Arist. D.Thom.

Vt hoc melius explicetur præmittẽdum est, in homine reperiri actiones duplicis generis; quædam enim pendẽt à voluntate, vel elicitiuè, vel imperatiuè: quædam autem omnem voluntatis actum antecedunt. Prioris generis sunt actiones voluntatis, quę sunt circa finẽ: inter quas, quædam antecedunt consecutionem finis, vt amor, desiderium, & intentio, quædam verò adsunt post finis consecutionem, vt delectatio. Deinde actiones, quæ sunt circa media, vt electio, consensus, & vsus. Tertiò denique actiones, quæ à voluntate imperantur: de quibus omnibus actionibus agit D. Thomas 1. 2. à q. 11. vsque ad 18. exclusiuè. Ad genus posterius spectant primò actiones merè naturales potentiæ vegeta-

2

D.Thom.

vegetatiuæ, quarum nulla subiacet imperio voluntatis. Deinde actiones potentiarum, quæ licet interdum subiaceant imperio voluntatis; non tamen semper, nec quoad omnes suas actiones: vt quia pleraſque habeant, quę præueniunt omnem actionem voluntatis, vt cernitur in intellectu, sensu, & appetitu. Harum actionum, quasdam esse liberas, & quasdam necessarias: quasdam deliberatas, quasdam verò indeliberatas, nullus est, qui ignoret. Sicut etiam nullus ignorat hominum alios esse integræ mentis, alios non integræ.

3 Præmittendum est etiam, quatuor præcipue modis intelligi posse, hominẽ operari propter finem: actualiter, scilicet, virtualiter, habitualiter, & interpretatiuè. Quorum explicatio maximè conducit, tum ad explicationem quæstionis propositæ: tum etiam ad cognitionem eorum, quæ in materia morali in hac 1. 2. doceri solent.

4 Quæ sunt in hac quæstion. inquirenda. His ita præmissis plura sunt in hac quæstione inquirenda. Primum inquirendum est in genere; An homini conueniat agere propter finem? Secundò, vtrùm omni homini id conueniat? Tertiò, an id conueniat homini solùm in actionibus liberis? Quartò, an in omnibus actionibus, quæ insistunt his, quæ sunt ad finem, homo à se ipso dirigatur in finem? Quintò; an hoc illi conueniat in omnibus actionibus, quæ versantur circa finem? Sextò, vtrum homo operetur propter finem in actionibus, quæ à voluntate non procedũt? Septimò, quãdo homo dicatur operari propter finẽ actualiter, virtualiter, habitualiter, & interpretatiuè? Octauò, quænam actiones hominis dicantur humanæ; quæve dicantur hominis? Postremò, vtrum agere propter finem sit proprium naturæ rationalis?

ARTICVLVS I.

Vtrùm homini conueniat agere propter finẽ?

§. 1.

Confirmatur pars negans.

1 PRIMVM igitur inquirendum est, an homini conueniat agere propter finẽ? De qua quęstione in terminis disputat D. Thomas in hac quęst. 1. art. 1. & 3. contra Gent. cap. 2. & opusculo 3. cap. 100. *D. Thom.* Pars negatiua ita suadetur. Primò, quia particula *propter* designat habitudinem caussæ: sed finis nõ potest esse causa actionis, quam operatur homo: cum potius eam consequatur, quàm antecedat: finis enim est quid vltimum, ad quod actio terminatur, vt sæpe docet Aristoteles. Negatiuæ partis fundamenta. Primum.

Secundò, multa agit homo sine deliberatione nihil de fine cogitãs; vt cùm fricat barbam, vel inconsiderate mouet pedem, & cætera. Ergo non semper agit propter finem. Secundum.

Tertiò, dantur plures actiones humanæ, quæ sunt fines vltimi agentium, vt contemplatio, citharizatio, vt docet Arist. 1. Ethicorum cap. 1. Ergo hę fieri non possunt ab homine propter finem; alioquin non essent vltimi fines. Tertium. *Arist.*

Quartò, prima volitio finis est vera actio, & tamen non est propter finẽ: daretur enim processus in infinitum. Ergo homo non semper agit propter finem. Quartum.

Quintò, in homine dantur plures actiones voluntatis non liberę, sed necessarię: vt patet in amore beatifico: in electione vnici medij, supposita efficacivolitione finis: denique in actibus voluntatis indeliberatis. Hę autem actiones non fiunt propter finem: nam cum non sint liberę, nõ sunt humanę, ex D. Thom. in hac q. 1. ar. 2: iam verò solæ actiones humanę sunt propter finem, ex D. Thoma in eodem loco. Quintum. *D. Thom.*

Sextò, in homine dãtur plures actiones, quæ à voluntate non procedunt, vt patet in actionibus animæ vegetatiuæ, & in plerisque animę tam sensitiuę, quã intellectiuæ, in illis inquam, quę omnẽ actionem voluntatis præueniũt. Deniq; actiones appetitus sensitiui à voluntate non eliciuntur. Omnes autem istæ actiones non possunt esse propter finẽ. Sextum.

Postremò, nõ omnis homo agit propter finem: amentes enim, & pueri ante vsum rationis, & dormientes non videtur agere posse propter finem; quia non possunt conferre medium cum fine, nec cognoscere eorum proportionem: alioquin possent peccare. His argumentis videtur suaderi aut hominẽ non agere propter finem, aut saltem non omnem hominẽ, nec in omnibus suis actionib⁹. Vltimũ fũdamentum.

§. 2.

§. 2.

Resoluitur Quæstio.

3 Resolutio. His tamen non obstantibus resoluendum est pro parte affirmatiua; vel vniuersaliter: si generaliter loquamur de agere propter finem: vel indefinitè, & particulariter: si agere propter finē propriè sumatur. Pro explicatione resolutionis repetēdum est quod in prologo huius quæstionis iam aduertimus: agere propter finem accipi posse dupliciter. Vno modo generaliter abstrahendo ab hoc, quod agens agat vel directum ab alio, vel dirigendo se ipsum: qui modus agendi propter finem est imperfectus: qui enim ab alio agitur in finem, impropriè dicitur agere propter finem. Altero modo specialiter, prout agere propter finem, idem est, quod dirigere se in finē: qui modus agendi propter finem est perfectus, & proprius. Quæstio igitur duplicem habet sensum, & in vtroque est resoluēda.

Præmissum ad resolutionem explicandam.

4 Prima conclusio. Sit prima conclusio; si quæstio excitetur in priori sensu, non solùm omnis homo agit propter finem; sed etiam in omnibus suis operationibus, siue naturales fuerint, siue humanę. Conclusio in hac generalitate probatur vulgato Philosophorū proloquio: omne agens agit propter finem: quod in hac generalitate verissimum est in omni agente, & in omni actione: & hanc esse Peripateticā doctrinam docet D. Thomas 3. contra Gentes cap. 2. & 1. p. q. 44. art. 4. & 1. 2. q. 1. art. 2. patet ex Arist. 2. Physicorum c 5. nu. 49. dum ait tam naturam, quàm intellectum agere propter finem.

D. Thom.

Arist.

5 Secunda cōclusio. Si quæstio excitetur in sensu posteriori, ac proprio, sit secunda assertio: Necessariò cōcedendum est hominem agere propter finem dirigendo se in finem. Conclusio ista ab omnibus admittitur: nec negatur, nisi à veteribus, qui docuerunt omnia fieri à casu, & fortuito: vel ab hæreticis, qui liberum arbitrium homini negant. Probatur tamen ab omnibus Catholicis, cuius latiorem probationem differimus in secundū librum q. 2. art. 1. vbi cum D. Thoma inquirendum erit, an homini conueniat agere propter finem? vbi quęstionē excitabimus in sensu explicato in hac cōclusione. Satis nunc sit hominē pleraq; operari propter finem non ab alio, sed à se ipso directum. In quibus autem operationibus ita operetur, ex sequētibus facilè patebit.

§. 3.

Soluuntur argumenta in contrarium.

6 Argumenta, quæ initio adduximus excepto primo nō impugnant nostram secundam assertionem, quę à nobis est principaliter intenta: nam cum illa non sit vniuersalis, sed indefinita; nihil obstabit, si admittamus, nec omnem hominem dirigere se in finem, nec in omni actione. De veritate tamē singulorum argumentorum in sequentibus agemus diligentiùs. Ad primum ergo, quod directè secūdam conclusionem impetit, ad mentem D. Thomæ hìc art. 1. ad 1. admissa maiore, neganda est minor. Ad probationem dicendum est finem non esse causſam actionis agētis, prout in executione est vltim⁹: sed prout in intentione est primus. Nec est inconueniens, quod finis, qui secundum esse existentię, & in ordine executionis est effectus actionis agentis; secundum esse essētiæ in ordine intētionis sit causſa eiusdem actionis: id enim & Auicēna sæpe docuit, & Arist. sæpius insinuauit, vt contra Ochamum, & Gabrielem alibi ostendimus. Quomodò autē esse cognitum concurrat cum fine ad finalizandum, alterius est quæstionis, de qua egimus in superioribus.

Solutio primi fundamēti. *D. Thom.*

7 Porrò si argumenta adducta afferantur aduersus primam assertionem, infirma sunt: & primum iam solutum est: nā in illis actionibus, in quibus homo se ipsum non dirigit, sed dirigitur; finis, vt est in intentione dirigentis, non est vltimus, sed primus: vnde potest esse causſa actionis, quæ est ab homine.

Ad secundum respondetur actiones, quæ indeliberatè, & sine aduertētia fiūt ab homine, dirigi in finem, non ab ipso homine, sed à superiori mente, à qua homo dirigitur. Vnde non dicuntur actiones humanę, sed hominis, de quibus agē dum est art. 4.

Secundi solutio.

Ad tertium respondetur actiones, de quibus in argumento, dici quidem vltimos fines artium, à quibus traduntur: non tamen necessarió esse vltimos fines artificum illas exercentium: possunt enim eas exercere gratia alterius finis,

Solutio tertij.

vt

vt inferiùs ostendemus. Et quanuis interdum ab ipsis operantibus tanquam vltimi fines constituantur, ita vt ipsas propter se ipsas operentur: adhuc sunt propter finem, non absolutè; sed prout ab homine propter propriam ipsarum bonitatem liberè exercentur. De quo plura inferiùs.

8 Solut. quarti. Ad quartum dicimus, dubitari posse, an homo ad primam volitionem finis se ipsum dirigat, ita vt eam eliciat propter finem? Quidã affirmant, alij negant: nemo tamen dubitat, hominẽ illa actione ferri in finem, vel dirigendo se in illum, vel directum ab alio. De quo inferiùs.

Solutio quinti. Ad quintum, etsi controuersum est, an actiones illæ sint propter finẽ in sensu secundæ conclusionis: nulla tamẽ est controuersia, quin in sensu primæ conclusionis sint propter finem. De quo etiam inferiùs.

Solutio sexti. Ad sextũ inferius ostendemus actiones illas fieri ab homine propter finem; si non à se, saltem à Deo.

Ad postremum patebit solutio ex sequenti articulo.

ARTICVLVS II.

Vtrùm omni homini conueniat agere propter finem?

§. 1.

Arguitur pro parte negatiua.

1 Duplex quæstionis sensus. QVÆSTIO ista sicut & superior, duplicem potest habere sensum. Prior est, an omni homini conueniat agere propter finem, siue à se, siue ab alio in illum dirigatur? & in hoc sensu quæstio non est dubitabilis: constat enim seruato hoc sensu omne agẽs agere propter finem. Solus igitur posterior sensus ad institutum pertinet, an sc. omni homini conueniat agere propter finem dirigendo se in illum? nõ quidem in omnibus operationibus, sed saltem in aliquibus. Excitatur autem quæstio propter amentes, pueros antevsum rationis, & dormientes: de quibus quæstio est dubitabilis, quanuis à Doctoribus ferè non tangatur.

2 Partem negatiuam probare debent, qui negant istos aut ratione vti, aut voluntate aliquid operari; vt quia solo sẽsu, & appetitu sensitiuo operentur. Ita sensit Henr. quodlib. 1. q. 15. & videtur esse D. Thom. 1.2.q.10.art.3.vbi expresse negat in amentibus dari aliquem rationis, aut voluntatis motum, & 1. 2. q. 6. art. 7. ad 3. asserit in amentibus cognitionem totaliter auferri. Qua suppositа opinione concedendũ est istos homines nullo modo agere propter finẽ; sed in omnibus suis operationibus ab alio in finem dirigi: nam appetitus sensitiuus non potest agere propter finem, nisi per rationem, & voluntatem in eũ moueatur. Quare si in his hominibus nec ratio aliquid agit, nec voluntas, sed solus appetitus sensitiuus; vtique in suis operationibus non se agunt, sed aguntur in finem.

Quo ex capite quidam negatiuam tueantur sẽtentiam, *Henric. D.Thom.*

Eandem negatiuam sententiam probare debent, qui admittunt istos agere quidem intellectu, & voluntate; non tamen liberè operari, sed necessario ad modum brutorum; quæ videtur esse sententia D. Thomæ 1.2.q.10. artic. 3. dum negat in amentibus esse aliquem rationis, & voluntatis motum, esseque de illis eandem rationem, sicut de animalibus brutis, quæ ex necessitate agunt. Quod idem insinuat 2.2. q.154. art.5. & hanc sententiam certam esse docet Medina in d.q. 10. art. 3. & Adamgodam in 1. sentent. d. 1. cum pluribus alijs. Iam verò in operationibus necessarijs homo non se ipsum dirigit in finem, sed ab alio dirigitur.

3 Eãdem sententiam alij aliunde deducunt. *D.Thom.* *Medina. Adamgod.*

Tertiò, si dormientes, amentes, & pueri possent agere propter finem; vtique possent conferre media cum fine, & cognoscere proportionem vnius ad alterũ: inde enim habet operatio agẽtis, quod sit propter finem. Cõsequens tamen est falsum: quia eadem ratione possent hi conferre vnum medium cum alio, & de vtroque consulere, & iudicare, & tandẽ eligere: quæ omnia sine libertate dari non possunt, qua omnes isti carent.

4 Pro eadem sentẽtia tertium arg.

Postremò: solus actus humanus est propter finem: sed nullus actus istorum potest dici humanus. Ergo nullus erit propter finem. Maior est D. Thom. 1.2. q.1. art.1. Minor probatur, quia ex eodem D. Thoma actio ex eo dicitur humana, quia procedit ex voluntate deliberata, dominaque suæ actionis: tales autem

5 Vltimum. *D.Thom.*

autem non sunt actiones istorum hominum: cum enim non habeant liberũ arbitrium, nec possunt deliberare, nec sũt suorum actuum domini. Quod si nulla horum operatio est humana; vtique nulla erit propter finem, si vera est maior sumpta ex D.Thoma.

§. 2.

Istos verè operari intellectu, & voluntate.

6 Præmissum adresolutionẽ difficultatis.

PRo vera difficultatis resolutione illud, tanquam certissimum præmittendum est, & statuendum cõtra Henricum tam dormientes, quàm pueros, & amentes verè operari non solùm sensu, & appetitu sensitiuo, sed etiã intellectu, & voluntate.

Et quod attinet ad dormientes eos in suis insomnijs verè operari intellectu, & voluntate communis est omnium Philosophorum sententia, quam idemmet Henricus probat quodlib. 6. q. 9. eam docuit D.Thom. 1.p. q.84. art.8.ad 2. & 2.2.q.154.art.5. & q.172.art.1.ad 2. de veritate q.28.art.3.ad 6. & in 4. d.9. q.1. art.4. ad 3. & 4. latè probat Victoria in relectione de vsu rationis 1. p. q. 1.n.4. §. *Non est idem habere*, Adrianus de Eucharistia in q. de pollutione nocturna, Medina 1.2.q.10. art.3. Bellomontanus ibi disp.35.c.3.n.17. Cursus Conimbr.3.de Anima c.13.q.5.art.4.ad 1. Cumelius Cordub. & Molina in locis inferiùs citandis. Hæc doctrina confirmatur tum ex sacris literis; tum experientia, tum etiam ratione. Ex sacris quidẽ literis: quoniam Salomõ dormiens accepit sapientiam 3.Regum 3: Si verò locum explices, non de somno naturali, sed de somno Prophetiæ, de quo Num. 12. adducam apertissimum testimoniũ Iob 38. vbi plures dicuntur á Deo erudiri *In visione nocturna, quando sopor solet occupare homines, & in lectulo suo dormiunt.*

D,Thom. Victoria. Adrianus Medina. 3. Regum. Iob.

Experimur etiam in somnijs optimos sæpe fieri syllogismos, etiam de rebus vniuersalibus: interdum etiam, quando motus vaporis est modicus, diiudicamus id, quod apparet esse somnium, & non rem veram. Denique ratio id ipsum suadet: quoniam in somno non semper ligatur imaginatio, sed interdum manet libera: vnde proponit phantasmata ordinata earum rerum, quarum species manent in intellectu. Cur igitur ad actũ non poterit reduci intellectus? imò intellectus dormientis, teste D.Thoma de veritate loco citato, propter ligationẽ sensuum habilior est, & magis dispositus, vt à Deo, vel ab angelo illustretur, iuxta ea, quæ adduximus in testimonio Iob. Nõ est igitur dubitandũ dormientes in suis insomnijs vti & intellectu, & voluntate. D.Thom.

Quod verò attinet ad amentes, & pueros idem omnino est dicẽdum. Pro hac sententia quidam citant D.Thomam in 4.d.9.q.1.art.4.ad 3.& 4.& 1.p.q.84. art. 8.ad 2. sed in his locis solùm agit de dormientibus, nec verbum facit de amentibus, aut pueris. Citari posset 1.2.q.10. art.3.& 2.2.q.154.art.5. Præter D.Thomam id docuerunt Adrianus, Victoria, Medina, Cordub. Cumelius. Molin. Bellomont. & Angestus cum cæteris, quos statim citabimus. Adde Cursum Conimbr.3.de Anima c.13.q.5. art.4.ad 1. Et videtur esse res absque dubitatione. Primò, quia experimur tã pueros, quã amentes de multis iudicare, de quibus non potest iudicare sensus: plures enim amentium loquuntur de spiritualibus, quorum etiam habent desiderium, quæ non cadunt sub sensum. Videmus etiam amentes, & pueros plura inter se conferre, & quibusdã spretis amplecti alia: quæ comparatio est veluti quædam cõsultatio, quam veluti quædam electio comitatur: cum verò hæc non faciant naturali aliquo instinctu (eo enim carent) vtique ea facient intellectu, & voluntate. Denique experimur amentes nonnullos facere discursus, & syllogismos. Vidi enim amentem, qui putabat se esse Spiritum sanctum tertiam Trinitatis personam, & inde plura inferebat corollaria. Sensus autem, nisi cum ratione, & intellectu coniugatur non discurrit, vt modò supponimus: 7 D.Thom. Adrian. Victoria. Medina. Cordub. Cumelius. Molina. Angestus.

Sed etiam ratione id confirmatur: nã pueri, & amentes vtuntur sensibus, & phantasmatibus: quid ergo impedit, quominus intellectus ab illis moueatur simul, & voluntas mediante intellectu? nulla potest reddi ratio sufficiens, ne id fiat. Respondebunt fortasse aduersarij ligatam esse rationem, ne moueri queat à phantasmatibus rerum sensatarum: cõfirmabuntq; id ex verbis D.Tho.1.2. 8

q.10.

q. 10. ar. 3. dum negat in amentibus dari vllum motum rationis, aut voluntatis: non alia de causſa, niſi quia in illis ratio totaliter eſt ligata. Sed profecto non video, vnde ratio in iſtis ligari queat ne à rebus ſenſatis moueri poſsit ad apprehenſionem, & iudiciũ, nam licet admitti debeat rationem in iſtis ligatam eſſe, ne liberum vſum habeat circa rem ſenſatam quoad iudiciũ boni vel mali: quia paſsio efficit, vt ſemper iudicet eam eſſe bonam, nec poſsit eam concipere, vt malam; tamen non video, cur admittẽdum ſit rationem ita eſſe ligatam, vt nõ poſsit à phantaſmate moueri ad apprehenſionem rei ſenſatæ non ſolũ ſimplicem, ſed etiam iudicatiuam: etenim licet ligatis ſenſibus tam externis, quàm internis ratio totaliter ligetur, ne in vllum actum exeat, ſed omnino ceſſet: quia intellectus in agendo pendet à ſenſibus: tamen ſolutis ſenſibus ſaltem internis ratio etiam nulla vehementi paſſione ligari poteſt, ne omnino exeat in actum: bene tamen ne exeat in iudiciũ contrarium paſsioni, à qua mouetur; vt colliges ex D. Thom. 1. p. q. 84. ar. 8. ad 2. vbi inſinuat in dormientibus intellectum ideo non ligari, ne vllum ferat iudicium, quia in illis non ligatur imaginatio formans phantaſmata: quaſi ſentiat ſolutis phantaſmatibus non poſſe rationem ligari, ne de rebus ſibi propoſitis iudicet: quanuis ex illorum inordinatione ligetur, ne ordinate iudicet. Quare cum in amentibus, & pueris phantaſia non ſit ligata; ratio ligari non poteſt, ne prodeat in iudicium propoſiti ſibi phantaſmatis; quanuis ex vehementi paſsione ligari poſsit, ne aliter iudicet, atque paſsio proponit.

Soluitur. *D. Thom.*

9 *D. Thom.* Et hoc docuiſſe Diuum Thomam loco citato in dicta quæſt. 10. articul. 3. facilè videbit, qui diligentiùs expenderit, quæ docentur in corpore articuli: inquirens enim, an voluntas neceſſariò moueatur ab appetitu ſenſitiuo? docet voluntatem duobus modis poſſe immutari à paſsione ſenſitiua: vno modo, vt totaliter ligetur ab ea; altero modo, vt aliquo modo maneat liber vſus rationis: additque priori modo voluntatem neceſſariò moueri à paſsione, non tamen poſteriori. Fatetur igitur Diuus Thomas voluntatem à paſsione moueri quidem; non tamen ita, vt poſsit illi non conſentire; ſed ita, vt neceſſariò conſentiat. Et hoc modo aſſerit voluntatem moueri in amentibus: quia in illis non liberè, ſed neceſſariò mouetur iudicio appetitus ſenſitiui. Quare cum D. Thomas ibi aſſerit in amentibus non dari aliquem rationis, aut voluntatis motum; non excludit omnem motionem rationis, & voluntatis; ſed omnem rationis vſum liberum, & indifferentem ad iudicandum pro vtraque parte de bonitate, aut malitia obiecti ſibi propoſiti: vt quia ita moueat intellectum, vt illum neceſsitet ad iudicium paſsionis, & voluntatem ad conſenſum illius. Et in hoc ſenſu Diuum Thomam intellexit Medina ibi in principio cõmentarij, & eſt communis, & vera explicatio: quam mihi ſatis inſinuant illa verba Diui Thomæ: *aliquando autem ratio non totaliter abſorbetur à paſsione, ſed remanet quantum ad aliquid iudicium rationis liberum.* Quæ verba ſignificant in priori membro rationem dici totaliter ligatam, & abſortam; non quod rem ſenſatam non apprehendat, aut abſolutè non iudicet de illius bonitate: ſed quia nullus in ea manet liber vſus rationis, vt poſsit aliter iudicare, quam iudicet paſsio. Quẽ ſenſum ſatis expreſsit Diuus Thomas ibi ad ſecundum; dum ait vtranque hominis naturam, intellectiuam inquam, & ſenſitiuam in amentibus eſſe vniformem; modo tamen contrario, atque vniformis reperitur in virtuoſis: & ratio eſt, quia in virtuoſis pars ſenſitiua ſubijcitur rationi: in amentibus autem ratio abſorbetur à paſsione: abſorbetur inquam, hoc eſt ſubijcitur iudicio paſsionis. Non eſt igitur dubitandum exiſtimaſſe D. Thomam amentes intellectu, & voluntate operari. Vnde 1. 2. q. 6. artic. 7. ad 3. eodem modo eſt explicãdus: vt ſcilicet totaliter auferat cognitionem; non quidẽ abſolutè, ſed quoad vſum in vtranque partem.

Medina. *D. Thom.* *D. Thom.*

§. 3.

Reſoluitur Quæſtio.

10 HAc ſuppoſita veritate iam datur locus propoſitæ quæſtioni: quoniam conſtat ea, quæ intellectu & voluntate agunt, agere poſſe propter

finem: quare si amentes, pueri, & dormientes intellectu, & voluntate operãtur, vt contra Henricum constituimus; optime de illis inquiri potest, an operẽtur propter finem? & ratio dubitãdi sumitur ex controuersia inter Theologos agitata, an hi homines operentur liberè, an solũ necessariò: nec enim in hoc omnes conueniunt, & quidẽ si libere operãtur, non videtur negandũ eos operari propter finẽ: sin minùs, non operari.

11 Aduertẽtia ad resolutionem.

Pro resolutione aduertendũ est omnes in hoc cõuenire, vt negent in his hominibus dari liberum arbitrium, vnde nec in illis admittunt dari posse peccatum ob defectum vsus rationis, & deliberationis, saltem in materia morali. Controuertunt tamẽ, an operentur necessariò, an liberè. Quidam in illis admittunt libertatẽ in voluntate; negãtq; voluntatem in illis necessitari ad operandum; vt quia possit nõ operari etiã positis omnibus necessarijs ad operandum. Ita Victoria in Relect. de vsu rationis 1.p.n.4.propositione 3. Angestus in Moral. c.6. Cordub. lib.1. quęstionar. q.23.dub.9.notab.3.fol.202.& libr.2. q.10.de ignorantia, §. *respondeo ad replicam.* fol. 61. Cumelius 1.2.q.71.ar.6 disp.1. cõcl.2.& q.74.ar.3.disp.1.cõcl.1. & 5.& q.89.ar.6.disp.1. in 1.premisso, & latiùs 1.p.q.14.ar.13.disp.2. in noua appẽdice secundæ editionis, Molina 1.p.q.14.ar. 13.disp.2.Bellomont.1.2.disp.35. c.3.n. 17.& disp.139.c.1.n.1.& in comm.ad q. 13.ar.2.n.15. Suarius in cõment. ad 1.2. disp.2.quæstiũc.2.ad finẽ, & plures alij.

Controuersia. Quorundam sententia. *Victoria.* *Angestus.* *Cordub.* *Cumel.* *Molina.*

12 Aliorum opinio. *Medina.* *Adam.* *Caiet.*

Oppositum plures alij defendunt, volũtq; istos omnes non libere, sed necessariò operari, quod tanquã certum statuit Medina 1.2.q.10.ar.3.concl.2. probauit Adam in 1.Sent.q.2. cum quibusdam ex recentioribus. Citatur pro ea Caiet. 1.2. q.77. ar. 2. sed nihil inuenio, quod huic faueat opinioni. Videtur in eam propendere D.Tho.in d. q.10.ar.3. dũ ait in amentibus eandẽ reperiri rationem, sicut de animalibus brutis, quæ ex necessitate sequuntur impetum naturæ. Vtrãque opinionem probabilem iudicat Victoria, & Cordubens. locis citatis, quanuis in priorem potius eant, vt patet ex Victoria vbi supra propositione 5.n.6. & ex Cordubensi lib.2. citato loco pag. 62. col. 1. Quænam verior sit expendere non est huius loci: placet magis prima opinio propter experientiam. Nos iuxta vtranque quæstionem dissoluemus nonnullis statutis conclusionibus.

D.Thom. *Victoria.* *Cordub.*

Sit prima conclusio: qui in amentib⁹ pueris, & dormientibus libertatem nõ agnoscunt, negare tenentur eos agere propter finẽ. Cõclusio facilè probatur, si supponamus hanc sententiã in eo fundari, quod voluntas ad istorũ operationes solũ concurrit vt natura determinata ad vnũ, vt putant Victoria, & Cordub. apud quos hæc est natura voluntatis, vt sit libera, si intellectus sit solutus, & non impeditus, capaxq; deliberationis, & consilij: sin minùs, voluntas solũ se habebit, vt natura: nam licet libertas formaliter sit in voluntate, tanquam in subiecto; est tamen in intellectu, tanquã in caussa, & radice, vt communis Theologorum docet cum D.Tho.1.2.q.6. ar. 2.ad 2. Vnde si intellectus non est indifferens ad oppositа, nec est capax deliberationis; ipsa etiam voluntas non erit capax libertatis, sed naturaliter aget tanquam determinata ad bonum sibi præsentatum, non solum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium. Quod fundamentum inde corroboratur, quia si voluntas in istis ex se haberet libertatem, non posset non esse libera ad operandum, quia nihil haberet, à quo necessitaretur, vt latè probat Victoria vbi supra propositione 3. Quare si semel admittatur voluntatem in istis necessariò operari; nõ potest nõ admitti, ideo necessitari, quia in illis nõ potest cõcurrere, nisi per modũ naturę.

13 Prima conclusio. Suppositio ad probationem conclusionis. *D.Thom.*

Hoc supposito fundamento euidens fit probatio conclusionis. Nam ex principio huius articuli iam constat illud agens nunc dici agere propter finem, quod se ipsum agit in finem: nec satis esse, quod ab alio dirigatur: in hoc enim sensu quæstionem excitamus. Sed volũtas, quando concurrit, vt natura, non mouet se ipsam, sed mouetur à Deo, à quo habet naturalem inclinationem ad bonum, ex D. Thoma 1.2.q.9.artic.4. Ergo si in istis hominibus voluntas solùm concurrit vt natura, dici non possunt agere propter finem. Vide quæ inferiùs dicemus artic.4.

Probatur cõclusio. *D.Thom.*

Contra hanc conclusionẽ obijci potest: 14

Obiectiocõtra conclusionem.

test: quoniam horum hominum operationes vere sunt effecta causſæ finalis. Ergo verè sunt propter finem. Consequentia inde patet: quoniam actum esse effectum finis, infert illum esse propter finem: nam sicut conuertuntur esse effectum agentis, & esse ab agente: ita esse effectum finis, & esse propter finẽ. Porro antecedens probatur primò, quoniã operatio istorũ vere est ab obiecto voluntatis cognito sub ratione finis: est enim ab eo sub ratione boni, & conuenientis; hoc autem satis est, vt dicatur esse effectus finis ex doctrina D. Thomæ 1.2.q.1.art.1.& 3. contra Gent. c.2. ratione. 5. Deinde non est negandum volũtatem in istis moueri à bono sibi præsentato motu quodã metaphorico: voluntas enim ab illo bono trahitur, & allicitur: quæ motio pertinet ad solã causſalitatem causſæ finalis, vt Philosophi volunt. Tertiò, quia bonum præsentatũ mouet horum voluntatem influendo in eam sui appetitum. At influere causſæ finalis nihil est aliud, quàm appeti, ex D. Thoma de veritate q.22.art.2. Quartò denique voluntas istorum tendit in obiectum sibi præsentatum gratia bonitatis obiecti, quod est propriũ finis. Hæc omnia videntur probare operationes amentium, & aliorum verè esse effecta causſæ finalis.

Prima antecedentis probatio. — *D. Thom.* — 2. probatio. — 3. probatio. — *D. Thom.* — 4. probatio.

Cõfirmatio præcedentis rationis

Confirmatur hæc ratio: quoniam si aliquid deesset, quominus horum hominum operationes essent propter finem; esset defectus libertatis, sine qua actio non potest esse propter finẽ. At hoc est falsum: quia potest dari causſalitas finalis sine actionis libertate; vt patet in amore beatifico, & in electione, quãdo solum datur vnicum medium.

15 Solutio obiectionis. Respõsio ad primã probationem.

Ad hanc obiectionem negandum est antecedens, supposita opinione, quòd in illis voluntas concurrit vt natura. Ad primam antecedẽtis probationem negandum est horum operationes esse ab obiecto voluntatis sub formali ratione finis: nam quanuis sint ab obiecto sub ratione boni, & conuenientis: (bonum enim est finis materialiter, siue fundamentaliter, cum ratio formalis finis fũdetur in ratione formali boni) id tamẽ nõ sufficit, vt fint ab obiecto sub ratione formali finis, vt diximus q.7. ar.5. §. 4. ad hoc enim præter alia necessariò requiritur, vt sint ab obiecto attrahẽte & alliciente voluntatẽ, vt se ipsam moueat ad operandũ aliquid gratia ipsius, vt diximus in d.q.7.ar.5.§.6.ad 2: nã cũ finis sit id, gratia cuius aliquid fit; non solùm includit, quod moueat voluntatẽ, vt ipsum velit gratia sui (quod habet quatenus est quoddã bonũ) sed etiam, quod aliquid aliud velit, gratia ipsius: velit, inquã, non ab alio mota, sed à se: semper enim in hac quæstione supponimus illud agẽs dici agere propter finẽ, quod se ipsum mouet in finem; attractũ tñ, & allectum ab ipsa bonitate rei, quæ est finis, vel nudè sumpta, vt nõnulli volunt: vel vt amata, vt alij rectius existimant, de quo supra in d. q.7.art.5. & ad hunc sensum intelligendus est D. Thom. in locis in argumento citatis. Ad secũdam probationem patet solutio ex ijs, quæ diximus in d.q.7.ar.5. §.4. ad octauum argum. Nam in primis negari potest id, quod negari non posse argumentum supponit: grauissimi enim Philosophi negant bonum mouere voluntatem motu metaphorico: id negant Ocham[9], Gabriel, Herueus, Fonseca, Iauellus, & Bellomontanus, quos ibi citauimus.

Respõsio secundę probationis. — *Ochamus. Gabriel. Herueus. Fonseca. Iauellus.*

16

Deinde admisso illo motu metaphorico, non proinde infertur obiectum voluntatis eã mouere, vt causſam finalem: quoniã causſalitas finalis nõ est posita in illa motione metaphorica, vt in superioribus ostendimus. Nõ negamus mouere voluntatẽ attrahendo ad amorem sui, soli[9] esse finis, hoc est boni, quod est finis: non tñ solum illi conuenit, vt formaliter est finis; nam etiã illi conuenit, quatenus formaliter est bonũ amabile propter se; quod est proximum fundamentũ finis, vt formaliter est finis: nam quia bonum sub ratione boni est amabile propter se, ideo finalizat, vt alia fiãt gratia sui; quæ est formalis ratio finis, de quo latè diximus in d. §. 4. ad 8. arg. Quare in amentibus bonũ præsentatũ volũtati (quod alioquin esset finis, si subiectũ esset capax finalizationis) metaphorice mouet voluntatem; non tamen vt bonum finalizans: quia illam mouet, non vt est libera, sed vt est natura.

Respõsio ad 3. prob.

Ad tertiam probationẽ concedimus id, quod sumitur: negamus tamen causſalitatem finalem formaliter esse positam in hoc influxu. Propositio D. Tho-

mæ intelligẽda est non in sensu formali, sed caussali, vt diximus in d.q.7.art.5.§. 5.ad secundum testimonium: bonum enim à voluntate appeti, & amari propter se,& gratia sui, est in caussa, vt alia gratia illius amentur: si tamen amans capax fuerit finalizationis ex tali bono; quod non admittimus in amentib⁹. Ex dictis patet etiam solutio ad quartã probationem antecedentis.

17 Solutio confirmationis

Ad confirmationem admittimus actiones istorũ ex defectu libertatis non esse propter finem: agens enim necessarium, etiamsi ex cognitione agat, non agit propter finem, vt dicemus ar.4.vbi ostendemus amorem beatificum non esse propter finem: electionem autem vnius tantùm medij non esse simpliciter necessariam, sed ex suppositione, quod finis efficaciter appetitur: cuius appetitio non est necessaria, sed libera. Secus dicẽdum esset, si finis naturaliter esset volit⁹. Vide, quę dicẽda sũt in ar.4.

18 Secunda cõclusio,

Secunda conclusio: qui admittunt amentes, pueros, & somniantes liberè operari, admittere debẽt eos aliquo modo operari propter finem, ita vt se ipsos in finem agant. Hanc conclusionem probatam video Suario in commentar. ad 1. 2. disp.2. quęst iuncula 2. ad finem, §. *Hic verò quæret aliquis*, & facilè probatur; quoniam, vt actio ab agente fiat propter finem, non necessariò requiritur, vt sit à libero arbitrio, sed satis est, si fiat cum cognitione boni ex parte intellectus, & ordinatione ad finẽ ex parte voluntatis. Sed suppositia illa sententia isti operantur cum cognitione boni, & ordinatione actionis ad finem. Ergo concedendum est illos operari propter finem. Maior probatur; quoniam actio, quæ fit ex cognitione finis cum ordinatione ad finem, non potest non fieri gratia finis. Minor autem ostenditur; quoniam libertas etiam imperfecta, nõ solùm supponit cognitionem boni sub ratione boni, & conuenientis, quanuis imperfectam; sed præcipuè versatur circa intentionem, & desiderium illius cõsequendi per aliqua media, vt supponimus. Ergo si in amentibus, cæterisque admittitur libertas, quanuis imperfecta, necessariò admittendum est illos operari cum aliquali cognitione boni, quatenus est bonum, & præterea cum intentione, & ordinatione actionis ad illud consequendum. Quod probat experientia: nam si amentes interrogentur, cur appetant cibum? respondebunt, quia comedere est sibi bonum. Etsi rogentur, cur vtantur medicina? respondent, quia confert ad sanitatem. Quod satis arguit illos media cum fine aliquo modo conferre, & vnum ad aliud ordinare. Nam interdum vtuntur quadam sagacitate, ac veluti prudentia, vtendo quibusdam dolis, & insidijs ad decipiẽdum. Quæ omnia non sunt tribuẽda instinctui alicui naturali, cum illo careãt; sed rationi, veluti ratiocinanti, ordinãtique vnum ad alterum, tanquã ad finẽ.

Probatiocõ clusionis.

19 Tertia conclusio.

Tertia conclusio: amentes, pueri, & dormientes, quanuis aliquo modo operentur propter finẽ: non tamen ita perfectè, vt operantur homines cordati, & qui perfectum habent vsum rationis. Hæc est indubitata: quia indubitatum est habentes vsum rationis perfectissimo modo agere propter finem: quia se ipsos agunt in finem ex perfecta cognitione finis, & perfecta deliberatione, qua media cum fine conferunt. Quare cum indubitatum sit illos non habere perfectum vsum rationis, nec omnimoda frui libertate, saltem in genere moris (ob quam rationẽ in suis operationibus non peccant) indubitatum etiam erit illos non ita perfectè operari propter finem, atque operantur homines vigilantes, & cordati.

§. 4.

Soluuntur argumenta initio adducta.

20 Occurritur primo arg.

SVperest soluere argumenta, quę §. 1. adducta sunt, quatenus secundã conclusionem videntur impugnare. Ad primum sumptum ex opinione Henrici patet solutio ex resolutione §. 2. vbi ostendimus istos intellectu, & voluntate operari. Nec huic sententiæ refragatur D. Thomas, dum ait, in amentibus cognitionem totaliter auferri: quia intelligitur, quod auferatur quoad vsum consultationis, & iudicij in vtranque partem: intellectus enim in illis alligatus est passioni amentiæ, vt nõ possit iudicare honestum, nisi quod passio amentię honestũ iudicat: ob quam rationem in illis omnino tollitur liberũ arbitriũ in genere moris, & hęc est cõmunis explicatio, vt diximus in fin. §. 2.

D. Thom.

Ad

Occurritur 2. Ad secundum argumentum neganda est opinio, quæ supponitur, vt patet ex secunda conclusione: aliquam enim in

Occurritur 3. illis agnoscimus libertatem.

Ad tertium admittimus amentes cũ cæteris posse aliquo modo cõferre media cum fine, & aliquo modo cognoscere proportionem vnius ad alterum sub aliqua ratione boni delectabilis, & vtilis: non tamen sub ratione boni honesti, & moralis: quia non possunt bonitatem, quam cognoscunt, conferre cum recta ratione, quæ est regula in genere moris: vnde incapaces sunt consultationis, & iudicij in tali genere, & expertes liberi arbitrij.

21 Occurritur vltimo. Postremi argumenti solutio pendet ex resolutione quæstionis, quænam actiones dicantur humanę? de qua in secundo libro agendum est: nunc dicimus controuersiã esse non de re, sed de modo loquendi: nam si actio ideo dicitur humana, quia est ab homine secundum modum operandi soli homini propriũ (qualis est modus operandi libere) actiones istorum dicendæ sunt humanę; quoniam ab illis eliciuntur liberè. Porrò si actio dicitur humana, quia est elicita à libero arbitrio, & ab homine suarum operationum domino; humanæ dici non possunt: quia isti non operantur ex libero arbitrio, nec ex pleno dominio in suas operationes. Quæ autem harum opinionum sit verior explicabitur libr. 2.

ARTICVLVS III.

An homo operetur propter finem in actionibus, quæ à voluntate non procedunt?

§. 1.

Nonnullis præmissis resoluitur quæstio.

1 Præmissum ad resolutionem quæstionis. CVM iam sit constitutum omnem hominem agere propter finem; inquiri potest, an in omnibus suis actionibus propter finem agat? pro cuius explicatione repetendũ est id, quod initio huius quęstionis præmisimus: in homine reperiri actiones duplicis generis: quasdam; quæ à voluntate pendẽt, vel elicitiuè, vel imperatiue: quasdam autem; quæ nullo modo pendent à voluntate. Prioris generis sunt omnes actiones, quæ à voluntate eliciuntur, & illæ, quę ab ea imperantur: quales sunt actiones potentiarum, quæ imperio voluntatis subijciuntur. Ad posterius genus spectant actiones, quę fiunt voluntate ad eas non concurrente: vt sunt actiones potentiæ vegetatiuæ, quę fiunt sine cognitione: actiones etiam illarum potentiarum, quæ licet interdum subiaceant imperio voluntatis; non tamen semper, nec quoad omnes suas actiones; vt quia pleraſque habeant, quę omnem voluntatis actionem præueniunt: vt cernitur in intellectu, sensu, appetitu, & in plerisque alijs potentijs, quę sola imaginatione moueri possunt. Actiones prioris generis omnes dicuntur voluntarię, quia sunt à voluntate, vel elicitiuè, vel imperatiue. Quæ sunt posterioris generis dicuntur non volũtariæ.

His duobus membris quidam addũt tertium membrum eorũ, quæ licet nec eliciantur à voluntate, nec imperẽtur; sunt tamen volita ab ea, tanquam quædam obiecta, circa quæ voluntas versari potest: potest enim voluntas complacere in aliqua re, quæ in fieri ab ea non pendet: gaudere enim potest de actione potentiæ vegetatiuæ; & de morte Petri, quã ipsa nõ imperauit, & de iniuria sibi ab aliquo illata. Deniq; Martyres gaudebant de tormentis illatis sibi à Tyrannis. An hoc tertium membrũ ad institutũ pertineat, §. 4. expẽdemus. 2

Ex his iam patet sensus propositę quęstionis; supponimus enim dari plures actiones in homine, quæ à volũtate nullo modo procedunt; & inquirimus, an in illis homo operetur propter finem? Sit conclusio negatiua: actiones, quæ nullo modo cadunt sub humanam voluntatẽ; ita vt nec elicitiue, nec imperatiuè ab ea pendeant; nullo modo sunt ab homine propter finem, sed homo in illis ab alio dirigitur in finem. Hæc indubitata est, & facilè demonstratur, quoad priorem partem: quoniam in tota hac disputatione illud solum agens agit propter finem, quod in agendo se ipsum dirigit in finem: sed homo in his actionibus se non dirigit in finem. Ergo illas non operatur propter finem. Maior sæpe in his disputat. supponitur. Minor probat: quoniã finis omniũ causarũ est prima causa, à qua tã in naturalibus, quàm in moralibus primo incipit motus, vt cum Aristotel. lib. 11. Metaph. cap. 1. tex. 36. 3 Conclusio.

& alijs in locis docet communis philosophia. Nullum igitur agens potest mouere, nisi à fine ad agendum moueatur: à fine autem moueri nō potest, nisi mediante voluntate, cuius obiectum est finis: & inde est, vt voluntas in omni agēte propter finem sit primum mouens. Ergo de primo ad vltimū homo se mouere non potest ad aliquid agendum, nisi prius à volūtate moueatur. Ex quo patet veritas minoris propositionis; hominem scilicet non posse se ipsum mouere ad operationes, quæ nullo modo pendent à voluntate. Ex quo patet veritas posterioris partis: nam cum illæ actiones sint propter finem; si homo in illis à se ipso non mouetur à fine; vtique ab alio mouebitur.

§. 2.

Corollaria ex præcedente resolutione.

4 Primum corollarium. EX data resolutione primò infertur hominem non agere propter finem operationes animæ vegetatiuę: cōstat enim hominem illas agere sine cognitione tanquam agens naturale ex determinatione naturę: agēs autem naturale, vt distinguitur ab agēte per cognitionem, & voluntatem, cū se ipsum non agat in finem, non dicitur agere propter finem.

5 2. Corollar. Secundò infertur non solùm primam intellectionem, quam in vita habuim⁹; sed primam, quæ in quocunque negotio sese nobis offert; nullo modo esse propter finem: quia homo ad illam intellectionem non cōcurrit motus à voluntate, sed omnino naturaliter, vt modò supponimus.

6 Tertium corollarium. Infertur tertiò visionem diuinę essētiæ in patria, cum sit prima operatio intellectus beati, nullo modo à beato elici propter finem: nam cum antecedat omnem actum voluntatis in patria; non potest beatus mouere se ad illam motione voluntatis, sed mere naturaliter eam elicit ad præsentiam diuinę essentiæ.

4. Corollar. Tandem infertur, nec actiones sensuum externorum, nec etiam internorum fieri ab homine propter finē, quādo hi sensus ab imperio rationis non mouentur. Tales sunt actiones horum sensuum, quæ antecedunt omnem actū intellectus, & voluntatis. Nam, cum intellectus pendeat à sensu (iuxta illud Aristotelis nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu) oportet, vt priusquam intellectus aliquid intelligat, & voluntas aliquid velit, vt præcesserit sēsatio illius obiecti tam in sensibus externis, quàm internis. Has igitur operationes homo nō agit propter finem, quia ad illas à se non dirigitur, sed ab alio. Solū supereſt difficultas de actionibus appetitus sensitiui, de quibus in sequenti §.

§. 3.

Soluitur difficultas de appetitu sensitiuo.

IN actionibus igitur appetitus sensitiui potest esse aliqua dubitatio sūpta non solùm ex communi ratione appetitus sensitiui, quę homini cū brutis est communis; sed etiam ex propria ratione appetitus sensitiui, vt est in homine. Nam appetitus sensitiuus, prout communis est homini cum brutis, mouetur ex cognitione boni, & appetibilis: quæ motio non potest pertinere, nisi ad causalitatem finalem; cum sit quædam motio metaphorica, quæ soli causæ finali conuenit. 7 Dubitatio. Pro parte affirmatiua prima dubitandi ratio.

Deinde appetitus sensitiuus, vt est in homine, mouetur à cogitatiua, siue æstimatiua ipsius hominis: hæc autem ex sua natura potest discurrere, saltem circa particularia obiecta, & subinde potest rationem boni cognoscere, & vnum medium cum alio conferre, illudque ordinare ad bonum sensibile apprehensum. Cur igitur non poterit vnum propter aliud appetere, tanquam propter finem? 8 Secunda ratio.

Tertiò, quia Diuus Thomas 3. contra Gentes cap. 2. in fine, & ibi Ferrariensis docent actiones, quæ sunt ab aliqua imaginatione, quanuis non sint per intellectum ad aliquem finem ordinatæ; esse tamen ordinatas ad aliquem finem ab ipsa imaginatione. 9 Tertia ratio *D. Thom. Ferrarien.*

Quartò accedit, quoniā cōmunis opinio Theologorū agnoscit peccatū saltē veniale in appetitu sensitiuo D. Thom. 1. 2. q. 74. art. 3. ad 4. vbi Caietanus, Cōradus, Medina, Cumelius, Porreta cū cęteris. D. Bonauent. in 2. d. 24. 2. p. ar. 3. q. 2. Richard. art. 4. q. 1. Durand. q. 5. cum cæteris, Bellomontanus 1. 2. disp. 104. per 10 4. Ratio. *D. Thom. Caiet. Conrad. Medina. Cumelius. D. Bonau. Richard. Dur.*

per totam maximè cap. 5. At peccatum, cum sit actus humanus, non potest dari, nisi in operante propter finem. Nec obstat, quod peccatum veniale repertum in sensualitate nõ est actus perfecte humanus ex D. Thoma vbi supra ar. 3. ad 3. quoniam licet non sit actus perfecte humanus, satis est, quod imperfecte sit talis, vt possit esse propter finem.

11 2. Ratio. *Caietan.* Quinto confirmatur ex opinione Caietani in d.q.74.ar. 4.vers. ad hoc dicit, qui in appetitu sẽsitiuo agnoscit innatã quandam, & propriam sibi libertatem absq; vllo ordine ad voluntatem imperantem; ex eo prẽcise, quod secundum se nascitur ex anima, in qua volũtas sedem habet: ratione cuius innatę libertatis potest in appetitu sensitiuo dari peccatum veniale independenter á voluntate, vt idem Caietanus existimat. Porro si in appetitu sensitiuo ponatur hęc innata libertas; non video cur non admittatur eum agere propter finem. Hæc sunt, quæ rem istam dubiam reddunt.

12 Aduertẽtia ad resolutionem. Pro resolutione aduertendum est nõ esse hoc loco sermonẽ de appetitu sensitiuo (qui à Theologis cõmuniter dicitur sensualitas) prout subest directioni intellectus, & motioni voluntatis; quia vt sic, actiones illius pendent à voluntate, & dicũtur volũtariæ, vt docet *D.* Thomas in d.q.74.ar.3. Est igitur sermo de appetitu sensitiuo, prout mouetur independenter à voluntate, & intellectu: qđ contingere in motibus subitis docet *D.* Thomas 1.2.q.17.ar.7. & q. 50.ar.3. & q. 56.ar.4. Etenim & si appetit⁹ sensitiuus in homine ex se subiacet rationi; non tñ illi subijcit subiectione despotica, quæ est in seruo, sed politica, & regali, quæ non totaliter est subiecta superiori.

D. Thom. *D. Thom.* Resolutio. Hoc supposito dicendum est appetitum ita consideratum nullo modo agere propter finem. Quod satis significat D. Thom. in d.q.74.ar.4. dum ait, *Sensualitati non conuenire ordinare aliquid in finem; sine qua ordinatione nullum agens operatur propter finem.* Accedit etiam, quoniam appetitus sensitiuus, quando non operatur ex imperio rationis, operatur ex instinctu naturę, ex D. Thoma in d. q. 50. ar. 3. vnde in operando determinatus est ad vnum ita vt positis omnibus ad agẽdum requisitis, non possit non operari. Quę verò operantur ex instinctu naturæ se ipsa non dirigunt ad agendum, sed ab alio diriguntur: vnde non agunt ꝓpter finem. In hac conclusione nobiscum consentit Suarius in Metaphysic. disp. 23. sect. 10. in vltimis verbis.

13 Soluitur 1. ratio dubitandi. Quæ pro ratione dubitandi sunt adducta, parum efficiunt. Ad primum agnoscimus appetitum sensitiuum, prout cõmunis est homini cum brutis, moueri ad operandum à bono cognito, & motione quadam metaphorica: negamus tamen moueri ab eo, vt à bono exercẽte causalitatem finalem: vel quia talis motio metaphorica formaliter non est finalis causalitas: vt supra ostendimus: vel quia tunc solùm est causalitas finalis, cum bonum mouet vt cognitum, tũ sub formali ratione boni, tum sub formali ratione finis: quomodo nõ mouet appetitum sensitiuum, vt talis est: sicut etiam non mouet appetitum brutorum, vt supra ostendimus. Mouetur igitur appetitus sensitiuus ab eo, quod est bonũ, & finis: nõ tñ sub rõe boni & finis. Vnde talis motio dici põt materialis quędã finalizatio; non tamen formalis, sine qua agens non potest agere propter finem.

13 Difficultas ex 2. argumnata. Secundum argumentum tangit difficultatem, an cogitatiua hominis possit discurrere, quę longiorem postulabat explicationem. Sed, quod attinet ad prę sens institutum; si sermo sit de cogitatiua secundum se, vt non coniuncta intellectui: & de discursu proprie sumpto (prout propria virtute vnum ex alio infert) puto verisimam esse sententiam; quę cogitatiuæ hominis omnem discursum negat; imo, & compositionem: quæ fuit sententia Francisci Toleti 3. de Anima cap. 3. quęst. 7. conclu. 2. fol. 146. colun. 4. quam vt veram probat Bellomontanus 1.2.disp.104.cap.2.num.3. & omissis Toleti fundamentis (quæ vel falsum summunt, vel principium petũt) hanc sententiam desumo ex doctrina D. Thomæ multis in locis. Nam 1.2. q. 50.ar.3.in corp. & ad 1. absolutè docet vires sensitiuas, secũdũ qđ operãt suo ꝓprio operandi modo, independenter ſ. ab imperio rationis; operari ex instinctu naturæ, & cum determinatione ad vnum: & solùm dici rationales, cum ex imperio rationis operantur. Ergo ex mente D. Thomę cogitatiua hominis,

7 Dubitatio.

Pro parte affirmatiua prima dubitandi ratio.

8 Secunda ratio.

9 Tertia ratio *D. Thom. Ferrarien.*

10 4. Ratio. *D. Thom. Caiet. Conrad. Medina. Cumelius. D. Bonau. Richard. Dur.*

nisi subdatur imperio rationis, non potest vlla ratione dici potẽtia rationalis sed naturalis solùm determinata ad vnum: cui, vt sic repugnat vnum cũ alio aut componere, aut cõferre: aut ex vno aliud deducere. Quod satis docuit idem D. Thom. 1.p.q.82.ar.2. ad 3.dum generaliter asserit. *Vim sensitiuam non esse collatiuam diuersorum, sed vnum tantum apprehendere, & secundum illud determinate mouere appetitum;* quod intelligi non potest, nisi de vi sensitiua, prout sibi relicta absque rationis imperio mouet: nam cogitatiuæ hominis, prout subijcitur rationi conuenire collationem vnius cum altero docuit D. Thom. 1.p.q.78. ar.4.in corp. vbi ad 5.rem istam manifeste exposuit, dum affirmauit cogitatiuam hominis non habere eminentiam conferendi, cõponendi, & discurrendi, secundum id, quod est proprium sensitiuæ partis; sed per affinitatem, & propinquitatem ad rationẽ vniuersalem secundum quandã refluentiam, quæ refluentia ex mente D. Thomę posita est in reflexione, quam intellectus facit ad singularia, coniungendo se ad phantasmata sibi per cogitatiuam ministrata, qđ etiã patet ex D. Thom. in Opusculo de potentijs animę cap. 4. ad finem. Ex hac igitur refluentia, & reflexione cogitatiua participat quendã componendi, & discurrendi modum satis improprium. Denique in his discursibus cogitatiuam dirigi ex ratione vniuersali egregie explicat D. Thomas 1.p. q.81.ar.3.in corp.

D. Thom. *D. Thom.* *D. Thom.*

15 Soluitur 2. ratio dubitandi.

Ad argumẽtum igitur negandum est cogitatiuam non coniunctam cum intellectu posse aut cõponere propositiones circa singularia, aut circa eadẽ discurrere. Nec est audiendus Caietanus 1.2.q.74.ar.4.dum oppositũ docet, quãuis Curs. Conimb.3. de Anima cap.3.q. 2.ar.2.tacite cum Caietano consentiat. Nec D. Thomas in loco cit. à Curs. Conimb. loquit in nostris terminis, sed solùm de cogitatiua, vt coniuncta est cũ intellectu discurrente. Et in eodem sensu explicãdi sunt, qui cogitatiuæ discursum tribuunt: similiter & Aristoteles, si quando memoriæ sensitiuę ratiocinationem concedit.

Caietan. *D. Thom.* *Arist.*

16 Solutio 3. rationis dubitandi.

Ad tertium dicendum est D. Thomã solùm dicere, quæ ab imaginatione sine intellectu fiunt, ad aliquos fines tendere, at tamẽ prẹter ordinem intellectus: quod verò tendant ad finem ab ipsa cogitatione, non asserit D. Thomas, sed solus Ferrarien. in quo vel deceptus fuit, vel in bono sensu est explicandus, vt sc. ordinentur ab imaginatione, non à se, sed ab alio mota.

17 Solutio 4.

Ad quartum dicendum est ex Catholicis neminem vno excepto Caietano admittere peccatum, quanuis minimũ veniale in appetitu sensitiuo, nisi prout ille imperio rationis, & voluntatis aliquo modo subijcitur, ita vt eius actus habeat rationem volũtarij, vt patet ex D. Thoma d.q.74. ar.3. Quam doctrinã nos tanquam verisimam supponimus: vide interim Bellomontanum 1.2.disp. 106.cap.2.num.7. cũ sequentibus. Quare negandũ est in nostris terminis posse aliquod peccatum vel minimum in appetitu sensitiuo reperiri.

D. Thom.

18 Soluitur vltima dubitandi ratio.

Ad postremum dicendum est opinionem Caietani de libertate innata appetitus sensitiui secluśa omni dependẽtia à voluntate, non solùm reijci ab omnibus posterioribus vt falsam, sed vt ferè temerariam. Eam late impugnant Cumelius 1.2.q.74.ar.3. concl. 1. maximè in 4. argumento, Medina ibi ar.3. Valẽtia 2 tomo disp.6.q.4.punct.2. ad finem §. *Ex quibus intelligitur*. pag.659. A. Bellomont.disp.104.cap.1.num. 3. vbi testat omnes, qui post Caietanum scripserunt hanc sententiam confutasse. Vnde mirũ est, quod Curs. Conimbr.3.de Anima c. 3.q.2.ar. 2. affirmet cõmunem Theologorum doctrinam statuere appetitum sensitiuum non nihil participare libertatis ex eo, quod ab eadem anima dimanat, à qua dimanat voluntas. Quod falsissimum est: si sermo sit de appetitu secundum se, & prout non subest motioni voluntatis liberæ. Quod modo supponimus.

Cumel. Medina. Valentia.

Nec fundamentum aliquid facit: nã appetitum sensitiuum ab eadem anima fluere, à qua fluit voluntas; quanuis satis sit, vt hanc habeat excellentiã, quod vt subest rationi, & voluntati, aliquod vestigium tum discursus, tum libertatis participet, quãuis imperfectissimũ, & sub ratione satis distrahente à ratione discursus, & libertatis: non est tamẽ satis, vt vestigium illud habeat secundũ se, & cum indepedentia ab imperio rationis

tionis, & voluntatis: nam vt sic operatī ex instinctu naturæ, vt docuit D. Thom. 1.2.q.50.ar.3. Ob quam rationem operationes inde procedentes nullo modo dici possunt humanæ, nec etiam imperfecte, sed solùm dicuntur operationes hominis; de quo lib.2. latius dicendum erit.

D. Thom.

§. 4.

An ea, quæ à voluntate, vt à causſa non pendēt, possint ab ea ordinari in finem.

19 DVbitari potest, an, quæ à voluntate nec eliciuntur, nec imperātur, possint aliquo modo esse propter finē? Respondendum est, ista quidem nec fieri, nec esse posse propter finem; posse tamen ob homine ordinari in finē. Etenim potest quis velle sui vegetationem propter finem, vt viuat. Potest etiā homo eas passiones, & iniurias, quę sibi inferuntur, ob eum finem velle, vt Deo placeat. Hæc igitur, quanuis non sint voluntaria causſaliter; quia à voluntate nec eliciuntur, nec imperantur; sunt tñ voluntaria obiectiue; quia sunt quædā obiecta libere volita propter aliquem finem.

Responsio.

Aduertendū est tamen hæc non posse ab homine in finem ordinari, nisi homo aliquid operetur propter finem. Nam quanuis homo non operetur ipsum obiectum, quod ordinat in finem: tamen vere, & propriè operatur volitionem, qua ipsum volitum ordinat in finē. Quare licet ex parte ipsius actus, qui est pp ter finem; aliud sit actum fieri propter finem, & aliud actum ordinari in finem: ex parte tamen hominis operantis semper dabitur actus, qui sit propter finem; quia semper debet dari volitio, qua obiectum ordinetur in finem.

ARTICVLVS IIII.

An homo operetur propter finem operationes, quæ à voluntate necessario fiunt?

§. 1.

Præmittuntur nonnulla.

1 COnsequenter agendum est de operationibus, quæ à voluntate pendent: pendent autem illæ, quæ à voluntate vel eliciuntur, vel imperantur, quę omnes dicuntur voluntarię. Harū alias esse necessarias, & alias liberas, certissimum est: voluntas enim interdum operatur naturaliter, interdum libere. Nunc de solis necessarijs dicendū erit. Inquirimus igitur Vtrum homo, actus voluntatis necessarios operetur propter finem?

2 Quid in hac quęst. inquiratur, quid item supponatur

In qua quęstione vnum inquirimus, & aliud supponimus: inquirimus enim, an actº necessarij fiant ab homine propter finem? Et supponimus dari aliquos voluntatis actus necessarios. De qua suppositione dubitatio est inter Doctores: nam Scotus absolutè negat in voluntate nostra dari aliquem actum simpliciter necessarium quoad specificationem & exercitium. Quin potius docet volūtatem beati non necessario, sed libere amare Deum clare visum; ita vt possit amare, & non amare; quanuis nunquam non amabit. Ita Scotus 1.sentent.d.1.q. 4. §. *negatiua istius articuli*: cum eo consentiunt non solum qui sunt ipsius Scholæ, sed etiam plures alij. Qua suppositā sententia propositæ quęstioni nullus relinquitur locus.

Probatur id quod suppo nitur.

At tamen contraria sentētia est omnino vera, quoniam certissimum est fal tem in patria dari actū voluntatis quoad specificationē, & exercitium simpliciter necessarium: amorem scilicet beatificum, & beatificam fruitionem. Quā sententiam probauit D. Thomas 1. p. q. 82.ar.2. & ibi Caietanus, idem D. Thom. 3. contra gent. cap.62. & ibi Ferrarien. Capreolus in 1.d.1.q.3.ar.1. concl.4. & 5. Durand. in 4.d.48.q.2. & d.49. q.8. nu. 16. Maior ibi q.8. Paludanus q.7.ar.2 n. 22. Egidius quodlib.5.quęst.6. Henricus quodlib.12.q.5. in corpore, & ad 1. late Bellomontan. 1.2. disp.16. cap.2. Suar. in Metaphysic. disput. 19. sect.8. num.8. Vtrum autem in via dari possit aliquis actus vtroq; modo simpliciter necessarius? dubitant Theologi. Negantē partem late probat Suar. loco cit. à num.7. & est cōmunis: affirmantem plures defendunt, sed præcipue Caietanus 1.2.q. 9.ar.4. apud quos amor finis, qui primo voluntati proponitur est necessarius etiam præcedente aduertentia, & rationis iudicio Nullus etiam negat motus voluntatis subitos, qui dicuntur primò primi, aliquam necessitatem sibi vendi

D. Thom. *Caietan.* *Ferrar.* *Capreolus* *Durand.* *Maior.* *Palud.* *Egid.* *Henric.* *Caietan.*

care

care; vt quia ex defectu aduertentię, & deliberationis, non sunt liberi, nec nostræ subsunt potestati. Quare tam in patria, quam in via relinquitur locus quæstioni propositæ.

3 Præmissum adresolutionem. Sed vt quę dicio melius explicetur, præmittendum est, duobus modis posse cõtingere actum voluntatis fieri necessarium: vno modo ex perfectione, tum ipsius obiecti, tum modi applicandi illud ad mouendum voluntatem per cognitionem perfectissimam: quod in sola patria cõtingit in amore Dei clare visi: nam Deus sua perfectione omnibus modis subijcit sibi voluntatem: & præterea proponitur voluntati, tanquam bonum summum, per cognitionem perfectissimam cum plena aduertentia, & iudicio. Altero modo contingit necessitas ex imperfectione, tũ ipsius obiecti, tũ modi apponẽdi illud, quia scilicet nec obiectum est tantæ perfectionis, vt omnino subijciat sibi voluntatem; nec proponitur cum plena aduertentia, & iudicio, sed imperfecte, & sine deliberatiõe: & hoc modo dicuntur necessarij motus primó primi, siue sint spirituales, & immediate tangant voluntatem: siue sint rerum sensibilium, & mediante appetitu sensitiuo voluntatẽ indeliberate moueãt. Vtrum verò sit addendus tertius modus apud eos, qui dicunt simplicem amorem finis esse necessarium, alterius est quæstionis. Si tamen admittẽdus est, ad nostram pertinet quæstionem: & licet proponatur ex plena aduertentia & iudicio bonitatis finis; non tamen proponitur præmissa aliqua deliberatione.

§. 2.

Resoluitur quæstio pro parte negatiua.

4 Quorũdam sententia. QVidam ex nouioribus adhibita distinctione quęstionẽ resoluũt: putãt enim eos actus, qui necessitatem cõsequũtur ex perfectione, vere esse propter finem: secus, si nãciscuntur necessitatem ex imperfectione. Inde inferunt amorem beatificum in patria vere esse propter finem: non tamẽ motus subitos, qui in voluntate excitãtur, & dicũtur primó primi. Ita Suarius in comment. ad 1. 2. disp. 2. quæstiunc. 2. & in Meta. disp. 23. sect. 3. n. 17. & ante eũ quidã ex nouioribus idẽ probauerũt.

Ego oppositam sententiam puto esse verissimam. Vnde hanc statuo generalem assertionem: nullus actus, qui ex volũtate necessario procedit, potest esse propter finem. 5 Statuitur cõclusio.

Hanc assertionem primo confirmabimus; quia illa necessario colligitur ex D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1. vt patet ex hac demonstratione: apud D. Thomam illæ solę actiones sunt propter finẽ, quæ sunt humanę: apud eum solę actiones liberæ sunt humanę: ergo apud eum solæ actiones liberæ sunt propter finem. & per consequens ex sententia D. Thomę nulla actio necessaria erit propter finẽ. Probatio.

Ad hanc demonstrationem Suarius in dictis cõmentarijs negat maiorem; quia D. Thom. non dixit solam actionem humanam esse propter finem; sed solùm asseruit omnem actionem humanã esse gratia finis. Et hãc solutionem probat, si actio humana idem est, quod actio libera. Porro si actio dicatur humana; quia processit à plena hominis aduertentia, putat minorem esse negandã; qa nõ omnis actio humana est libera. Nec oppositum (vt ait) docuit D. Thom. quoniam cum ait actionem esse humanam, cuius homo est Dominus; sub dominio comprehendit non solùm id, quod est liberũ, sed etiam id, quod est volũtarium. Sed quam aliena sit vtraq; solutio à mente, & litera D. Thomæ, ostẽdemus lib. 2. hoc posterius, q. 1. ar. 2. §. 2. illud prius, q. 2. artic. 2. *D. Thom.* 7

Secundo id ipsum ratione confirmatur: quoniam constat illud tantum agẽs agere propter finem, quod á se ipso, & non ab alio mouetur: sed voluntas ad actiones necessarias ab alio, & non à se mouetur. Ergo volũtas actiones necessarias non elicit propter finem. Maior est cõmune axioma receptum etiam ab aduersarijs. Minor probatur primo, quia voluntas principium eorum, ad quę ipsa seipsam mouet, vt patet. At omne id, cuius voluntas est principium, potest esse, vel non esse, ex doctrina D. Thomæ de potẽtia q. 2. ar. 3. Ergo ad ea, quæ non possunt non esse, voluntas non erit principium se ipsam mouens. 8 Probatur 2. *D. Thom.*

Deinde voluntas ad ea, quę aliter se habere non possunt, non concurrit, vt voluntas, sed vt natura, & admodum naturæ, vt docet D. Thom. 1. p. q. 41. art. 2. con- 9 Cõfirmatur

concurrit enim, vt determinata advnũ; siquidem nec aliud, nec aliter potest agere. Sed receptum est in Philosophia naturam non se agere ad suas operationes, sed agi ab alio, vt in superioribus diximus. Ergo voluntas ad operationes necessarias nõ seipsam agit, sed agitur.

Probatur 3.

Accedit tertio, quia voluntas nõ potest se ipsam mouere ad agẽdum, nisi ex deliberatione, & consilio, vt satis significat D. Thomas 1.2.q.9. ar.4. At ea, quæ agit ex deliberatione, & cõsilio, non agit necessario, sed libere, vt est vulgata Philosophia. Ergo ad actiones necessarias se ipsam non agit: quę fuit minor. Concedendum est igitur voluntatem actiones necessarias nõ elicere propter finẽ.

D.Thom.

§. 3.

Inferuntur nonnulla corollaria.

EX hac resolutione infertur primo omnes actus, qui à voluntate fiunt cum inaduertentia, & inconsideratione rationis nullo modo fieri propter finem. In hoc corollario omnes conuenimus: nam cum huiusmodi actus prẽueniant omnem rationis aduertentiã, & deliberationem, fiunt á voluntate, nõ vt est voluntas (quia hæc sine deliberatione non datur:) sed vt est quędãm natura ad vnũ determinata, vt plures aduerterunt, & inter eos Bellomontanus 1.2.disp. 106.cap.1.nu.1. vnde dicuntur actiones hominis, & non humanæ, vt patet ex D.Thoma 1.2.q.1.ar.1. in corpo. & ad 3. & passim alibi. Huius generis sunt omnes motus indeliberati externi vt fricatio barbę, motus pedis, & aliæ huius generis actiones externæ, de quibus D.Thomas vbi supra. Eiusdem generis sunt omnes motus subiti voluntatis, qui à Theologis dicũtur primò primi, qui omnem rationis aduertentiam prẽueniunt, nec sunt in hominis potestate: obquam rationem, quanuis voluntarij sint, nullam peccati etiã minimi rationem habere possunt, vt supponimus, videndus inter alios Bellomõtanus 1.2. disp.106.cap.3.

10 Primũ corollarium.

D.Thom.

Secundo infertur amorem beatificũ patriæ nulla ratione fieri propter finẽ. Hanc assertionem probauit Curs. Conimbr.in Ethicis disp.4.q.1.ar.2.in fine, dum istum amorem refert ad actiones, quæ dicuntur hominis, quarũ nulla est propter finem. Eandem confirmãt ea, quæ diximus: nam ex doctrina D. Thomæ solę actiones humanæ sunt propter finem; & prẽterea solę actiones liberæ sunt humanę, & subinde solę liberę sunt propter finem. Sed ex D.Thoma, & cõmuni sententia amor ille est actus necessarius: ita 1.p.q.45.ar.1.& q. 82. art. 2. vtrobique Caietanus, Ferrar.3.contra gent.cap.62. Capreol.in 1. d. 1. q.3. & contra Scotum id affirmat Suarius in Metaph.disp.19, sect.8.nu.8. Bellomont. 1.2. disput. 16.cap.2. Quam sententiam tanquam verisimam supponimus. Ergo si solę actiones liberæ sunt propter finem; vtique amor beatificus non erit propter finem.

11 2.Corollar.

D.Thom. Caietan. Ferrarien. Capreol.

Accedit ratio superius adducta, quoniam agens, quod se ipsum ad agendum non mouet, non agit propter finem. Voluntas autem beati ad amorem Dei nõ mouet se ipsam, sed mouetur ab Auctore naturę mediante inclinatione naturali naturaliter determinata ad amorem illius obiecti, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium. Ergo voluntas beati non elicit amorem propter finem. Maior est vulgatum axioma: Minor probatur: primo, quia eam ponit D.Thomas 1.2.q.9. art.4.ad 2. si solutio conferatur cum doctrina articuli. Deinde, quia ad actiones necessarias voluntas non mouet se ipsam, vt ostendimus. Tertio, quia voluntas ad amorem patriæ concurrit vt natura, & ex instinctu naturæ, naturalique inclinatione, vt passim docet D.Thomas receptus 1.p.q.45.ar.2.vbi late Caiet. idem D.Thomas 1.p.q.82.ar.1.in fine, & 1.2. q.9.ar.4.& q.17.ar.5.ad 3.& est cõmunis doctrina, quam etiam Suarius fatetur in Metaphy.d.19.sect.8.num.5.

12 Præcedẽs doctrina cõfirmatur.

D.Thom. Caietan.

Postremo, quoniam voluntas ad amorem finis in via non mouet se ipsam, vt ex sententia Damasceni, & Anselmi, imò etiam Aristotelis, & D.Thomę latius ostendimus in superioribus. Ergo à fortiori, nec seipsam mouebit ad amorem vltimi finis clare visi: nam, quę rationes concludunt in amore viæ, multo euidẽtius conuincunt in amore patriæ.

Damascen. Anselm. Arist. D.Thom.

Huic Corollario nõnulios habem° aduersarios, & inter alios Suarium. Obijcit primo, quia omnes rationes, quę p-bant amorem finis esse propter finem, habent etiam locũ in amore beatifico.

13

Secundo,

Secundo. Secundo, quia cum illa necessitas proueniat ex summa perfectione obiecti beatifici, & modi, quo perfectio diuina per visionem præstantissimam applicatur voluntati: necessitas non potest impedire, quominus amor ille sit propter finem.

Tertio. Tertio, quia bonitas diuina trahit voluntatem beati ad amorem sui: quæ motio, cum sit metaphorica, pertinet ad solam caussam finalem. Porro, si admittatur amorem illum esse ex caussalitate finali, admittendum erit eum esse propter finem: quia idem sunt, *esse propter finem, & esse ex caussalitate finali.*

Qnarto. Quarto, quia vt actio sit propter finem, non requiritur, quod sit libera, sed satis est, quod fiat cum perfectissima aduertentia rationis. Ergo cũ amor beatificus fiat cum tali aduertentia, vt patet; quantunuis non sit liber, sed necessarius, erit propter finem. Consequentia est nota: prima pars antecedentis ex eo probatur; quia existente vnico medio, electio est necessaria: & tamen electio est propter finem. Secunda pars inde patet, quia vbi adest talis aduertẽtia, cognoscitur ratio finis, & proportio mediorum ad finem. Potest igitur volũtas se ipsam mouere ad agendum propter finem, quanuis actio sit necessaria.

14 Respondetur ad 1. obiectum. Hæc nostram assertionem non expugnant. Ad primum respondetur in eo supponi amorem finis esse propter finẽ: cuius oppositum verior docet sentẽtia; & quanuis suppositionem admittamus: (nam satis est probabilis, vt inferius dicemus ar. 6.) negandum erit eandẽ esse vtrobique rationem: nam in via volũtas est libera, vt supponunt illius auctores; vnde potest se ipsam mouere ad talem amorem: quod tamen facere non potest in patria, vbi ad amorem mouetur, vt natura, & ex instinctu naturę, cuius proprium est non à se, sed ab alio dirigi in finem.

15 Ad 2. Ad secundum probandũ foret, quod sumitur: illa enim obiecti perfectio omnino subijcit sibi voluntatem beati, vt iam non concurrat, vt voluntas, sed vt natura, quæ non seipsam mouet in finẽ, sed mouetur.

Ad 3. Ad tertium respondetur ex eo, quod voluntas ex diuina bonitate trahitur ad amandum; non bene inferri voluntatẽ agere propter finem, vt in superioribus iam late ostendimus, & inferius dicemus.

16 Ad 4. Ad vltimum neganda est vtraq; pars antecedentis: nam iam ostendimus necessario requiri actionem esse liberam, vt sit propter finem. Probatio prioris partis parum habet efficaciæ; vt iam diximus ar. 2. concl. 1. in fine: nam necessitas electionis vnici medij non est simpliciter necessitas, sed solùm ex suppositione, quod finis efficaciter sit volit°: cum tamen in via non necessario, sed libere appetatur: secus esset dicendum, si finis appeteretur necessario, & in fieri, & in permanere; quia tunc nec volitio finis, nec electio talis medij esset propter finem, quia agens ad vtrunq; non à se moueretur, sed ab alio. Probatio etiam posterioris partis deficit: quoniã aduertentia finis, & cognitio proportionis actus ad finem tunc satis est, vt finis possit finalizare, cum obiectum cognitum non necessitat voluntatem, nec illã omnino sibi subijcit, ac determinat ad actum: secus si obiectum eam omnino necessitat, & determinat. Et ratio est; quia in priori casu obiectũ non est primũ, ac totale mouens; quia non est principium sufficienter determinans indifferentiam voluntatis; quæ nisi determinetur, non potest agere. Oportet igitur, vt ipsa volũtas per suam innatam libertatem se ipsam determinet: quod facit, dum finaliter mota à bonitate finis sibi obiecti seipsam mouet, & dirigit ad illũ consequendum. At in posteriori casu obiectum ipsum ratione suæ infinitatis est principium primo, & totaliter determinatiuum voluntatis ad talem actum: & proinde impedit, quominus voluntas se ipsam ad actum determinet. Vide D. Thom. 1. p. q. 82. ar. 2. ad 2. & hæc pro defensione secundi corollarij. *D. Thom.*

17 3. Corollarium. Tertio principaliter infertur apud eos, qui volunt voluntatis primum actum erga finem esse necessarium etiã in via; dicendum esse voluntatem primum illum actum non agere propter finem: hac enim suppositа opinione ad illum actum voluntas concurrit, non vt voluntas, sed vt natura: quæ non agit se in finem. Et hæc de actibus voluntatis necessarijs.

A R-

ARTICVLVS V.

Vtrum homo agat propter finem actiones, quæ insistunt ijs, quæ sunt ad finem.

1 Quid sit in hoc certissimum.

COnsequenter agendū est de actionibus, quę à voluntate libere fiūt; & inquirendū, an homo illas operetur propter finem? in qua quęstione certissimum esse debet, tā iuxta principia fidei, quàm rationis naturalis hominē pleraq; agere propter finē: id enim iam ostendimus ar. 1. Cū verò actiones necessarias non agat propter finem, vt immediate constituim⁹, infertur hominē non posse agere propter finē, nisi quę libere operatur. Et merito sane; nā cū in ijs ad agendū sit indifferens; determinari debet ad agendum ex amore finis, cui tanquam primo mouenti subordinatur. Quod etiā satis insinuat sacra Scriptura, vt patet ex Psalmo 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionē,* & 1. Petri 1. *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.* Supereſt igitur explicandū, an homo in omnibus actionibus liberis agat propter finem.

Psal. 118. *Petrus.*

2 Præmissum ad explicationē quæstionis.

Et vt id clarius explicetur præmittē dū est oēs actiones hominis liberas vel versari circa media ad finem, vel circa ipsum finē. Et in ordine intentionis sola electio cū consultatione, & iudicio illā antecedentibus insistit ijs, quæ sunt ad finem: intellectus enim imperatus à voluntate inuestigat media, & eadē iudicat & tandem voluntas eligit: cęterę ōnes actiones, quæ pertinent ad ordinem intentionis insistūt circa finē: finem enim respicit, non solùm simplex amor finis, sed etiā desideriū, & intentio, vt omnes agnoscūt. Porro in ordine executionis insistunt medijs, nō solū actiones internæ vsus, & imperij, quib⁹ potentię externæ ad agendū applicātur, sed etiā ōnes externę actiones, quę assumuntur ad cō sequendū finem. At circa finem primo versatur ipsa formalis assecutio finis: deinde circa illū iam assecutū versantur amor, & delectatio. Duo igitur erunt inquirenda: primum, an homo omnes actiones medijs insistentes operetur propter finē? deinde, an propter finē operetur omnes, quæ insistunt fini. De priori quæstione in hoc articulo agendū erit.

3 Quorundā sententia circa primum quęsitum.

Non defuerunt, qui senserint non omnes actiones, quæ medijs insistunt, fieri propter finem: putauerunt enim solas actiones externas, quæ in ordine executionis circa media versant, fieri propter finem; non verò eas, quæ in ordine intentionis insistunt medijs; quales sunt cōsultatio, & iudiciū de medijs, & eorū electio. Hanc opinionē quibusdā placuisse refert. Fons. in 5. Metaph. c. 2. q. 10. sect. 2. Auctores tamen, qui ita senserint, nō refert: ego tamen inueni neminem.

Fonseca.

4 Prima Conclusio.

Pro resolutione sit prima conclusio: actiones, quę in ordine intentionis insistunt medijs (vt consultatio, & electio) ab homine fiunt propter finem. Conclusio ista ex dictis supra in quæstione de effectis caussæ finalis adeo est nota, vt non facilè credam eam alicui displicuisse: nam verbis expressis de eligente eam scripsit Aristot. lib. 2. Ethic. ad Eudemū pag. 1006. n. 45. ita ait: *Nemo finem, sed ea, quæ fini consequendo conferunt, eligit: quemadmodum nemo sanum esse; Sed ambulare, sedere, sanitatis gratia; & in vniuersū declarat semper eligens: quod cuiusque gratia eligit.* Quare ex Aristotele, qui eligit ambulare, id eligit gratia alicuius finis: & vniuersaliter loquendo omnis eligens alicuius gratia eligit. Optimus locus 6. Ethicor. cap. 2. text. 8. & 9. *Appetitus (inquit) & ratio, quæ alicuius est gratia, est electionis principium.* Sensus est: intellectus, & appetitus quę sunt electionis principia, sunt gratia alicuius: quia scilicet intellectus deliberans de medio, & voluntas eligens medium deliberatum; gratia alicuius finis deliberat, & eligit. In terminis proponitur assertio ab Aristot. in d. lib. 2. Ethic. ad Eudemum pag. 1008. in principio: *Et quia consultantes* (inquit) *omnes gratia alicuius consultant, & scopum habent præfixum certum.* Et statim: *tendit eo consulendo, quomodo hic finis in ipsum adducatur; vel quomodo ipse perduci in finem possit.*

Aristot.

Arist.

5 Rationibus probatur cōclusio. Primo.

Ratione id ipsum cōfirmatur: quoniā ex Aristot. 2. Phys. cap. 5. tex. 49. ea, quæ per electionem fiunt, fiunt alicuius gratia. Ergo electio ipsa fit etiam gratia alicuius. Probatur consequentia: tum, quia media sunt propter finem mediante electione: nisi enim eligerentur, non applicarentur ad finē. Igitur à fortiori electio erit propter finē. tum etiam, quia electio, cū sit libera, vir

tute est volita: eo autē modo est volita quo sunt volita media, ad quæ terminatur: media autem sunt volita propter finē, vt statim dicemus. Ergo & ipsa electio erit volita propter finem.

6 Secundo. Iuuat etiam alia ratio: quoniā quicquid homo operatur allect⁹ amore assequendi finem, operatur propter finem, vt patet ex definitione finis. Sed homo eligit media, & de illis deliberat, & iudicat motus amore consequendi finem: voluntas enim amando finem cum intētione illius assequendi mouet intellectū ad deliberandum de medijs, & seipsam ad media eligenda, vt habet communis Philosophia. Ergo homo eligit media propter finem.

Tertio Denique electio omnium consensu est actus volūtatis, quo amplectitur media ad consecutionē finis accōmodata, de quo Theologi apud D. Tho. 1.2.q.13. *D.Thom.*

7 His rationibus ōnes vnanimi (vt puto) consensu consultationem, iudicium, & electionem inter effecta causſę finalis enumerarunt, vt supra vidimus. At idē est esse effectum causſæ finalis, & fieri propter causſam finalem. Quare nostrā sententiam approbarunt Fonsec. in 5. Metaph. cap. 2. q. 10. sect. 2. Cursus Conimb. 2. Physic. c. 7. q. 22. ar. 1. late Suar. in Metaph. disput. 23. sect. 3. n. 6. & 7. & in Cōment. ad 1.2. in prę fatione q. 2. Bellomont. ibi disput. 3. cap. 2. & antiquiores quos citabimus. *Fonseca.*

8 2. Cōclus. Secunda conclusio: actiones vsus, & imperij, quibus mouentur potentiæ ad executionem mediorum, absque dubio fiunt propter finem. Et ideo homo imperans illis potētijs, & illis vtens in executionem mediorum, gratia finis intenti imperat; & gratia illius vtitur, tū potentijs exequentibus, tum operationibus earum. Hæc etiam conclusio est apud omnes indubitata, de qua vide Suarium in Metaph. disp. 23, sect. 3. nu. 5. &

Probatur prior pars. Satis probatur ex recepta diffinitione vsus: vsus enim est actus, quo aliqua res sumitur ad aliquem finem assequendū: *Augusſt.* *Vti enim* (ex August. lib. 10. de Trinit. c. 11.) *Est sumere aliquid in facultatem voluntatis, non propter ipsum, sed propter aliud.* Quod ipsum satis explicauit eodē lib. cap. 10. & clarius lib. 1. de doctrina Christiana cap. 4. inquiens: *Vti est id, quod in vsum venit, ad id, quod amas, obtinendum referre.* Ex quibus id ipsum concludit D. Thomas cum Theologis 1.2.q.16.ar.3. affirmans vti semper esse eius, quod est ad finem. *D.Thom.*

De imperio autem idem dicendum est: nam imperium in ordine executionis antecedit vsum ex D. Thoma 1.2. q. 17. ar. 3. quod enim imperium imperat, vsus exequitur. Sed vsus imperatus semper est ad finem, vt immediate diximus. Ergo imperiū semper erit propter finē. Accedit etiam, quia ex eodē D. Thoma in d.q.17.ar.4. imperium, & actus imperatus, & si in genere rei sint actus diuersi; tamē in genere moris sunt vnus act⁹. Sed actus imperatus semper est propter finem, vt patet. Ergo imperium erit propter aliquem finem. Denique tam imperium, quàm vsus sunt ex motione voluntatis intendentis consequi finem: quod autem est ex amore finis, semper est propter finem. 9 Posterior pars probat *D.Thom.*

Tertia cōclusio: omnes actiones exterius imperatæ: omniaq; effecta, quæ in ordine executionis fiunt circa executionem mediorum; omnia inquam ista operatur homo propter finē. Expressis verbis colligitur ab Arist. 2. Physi. c. 3. tx. 29. & 5 Metaph. cap. 2. post principiū: *Quæcunque* (inquit Arist.) *Alio mouente inter ipsum, & finem fiunt: vt inter medium, sanitatemque macies, aut purgatio, aut medicamenta aut instrumenta: vniuersa enim hæc ipsius finis gratia fiunt.* Ex quib⁹ verbis patet hominē omnia ea agere propter finē, quę inter ipsū, & finē interiacent, siue illa sint operationes, siue opera, effectaq; illarū: medic⁹ enim qñ purgat infirmū, ipsam purgationē facit gratia consequēdę sanitatis: similiter etiam qñ præparat medicamentū, & cætera. Quod etiā ratio demonstrat: quoniam agens vtitur istis medijs: null⁹ aūt aliqua re vtit̄, nisi in ordine ad finē, vt immediate dixim⁹. Nec in re notissima op⁹ est ampli⁹ īmorari. 10 3. Cōclusio *Arist.* Ratio conclusionis.

Obijci tñ potest quoniā si homo oēs istas externas actiōes earūq; effecta vere, & ꝓprie propter finē operāt̄; ōnia ista haberēt realē, & intrinsecā depēdentiā à tali fine tanquā à causſa suæ entitatis. Quod falsū esse ex eo patet; qa finis ille ñ influit in istas externas actiones nisi mediāte actione interna vsus, & imperii. Igit̄ finis immediate mouet volūtatē, vt imperet, & vtatur actionib⁹, & eorū effectis: mediate verò ordinat eas in finem. 11 Obiecto.

Accedit

Confirmatur. Accedit etiam, quoniã finis ille nihil realitatis ponit in istis actionibus, nec in earũ effectis, sed solũ denominationem quandã ab imperio relictã: cui argumẽto est, qđ realitas earũ actionũ, & effectuum imutata maneret; si aut propter aliũ finẽ, aut á casu fieret sine vllo fine.

Confirmatur 2. Adde etiã; quia causalitas finis non potest identificari cum his externis actionibus, vt patet: cum tũ causalitas finis identificetur cum actione agentis.

12 Solutio Hæc nõ impugnant principalem cõclusionẽ; sed postulãt, vt explicetur, quo modo finis influat in istas actiones externas. Quã difficultatem latius explicauimus supra q. 4. ar. 4. de effectis caussæ finalis: vbi diligentius expendimus sententiã Suarij, qui putat finem eadem causalitate influere in actiones istas externas, qua influit in internas vsus, & imperij, diuerso tñ modo; quia in internas influit proximè, & intrinsece, in has verò solùm extrinsece, & remote; quia in illas influit, quatenus in genere moris hę subalternantur internis, & vnũ censentur cum illis. Sed nos hanc Suarij sententiam in præcitata quæstione non recepimus: quin potius docuimus finẽ propter quem homo has operationes, & earũ effecta operatur, immediate influere in eas, & ineffecta earũ, cũ immediate eas attrahat, vt fiãt gratia sui. Vide, quæ ibi diximus, nec enim opus est acta agere.

ARTICVLVS VI.

Vtrum homo agat propter finem actiones, quæ insistunt fini?

1 SVperest explicare, an homo operetur propter finem actiones, quę fini insistunt, tam in ordine intẽtionis, quàm executionis. Supponimus ex dictis in ordine intentionis immediate versari circa finem simplicem amorem finis: desiderium illius consequendi: & intentionem. In ordine vero executionis circa finem versari actionẽ, qua finẽ assequimur: amorem de illo acquisito, & delectationem: & quanuis hac de re latius egerimus supra in q. de effectis caussæ finalis; ad absolutam tamen præsentis quęstionis explicationem spectat sequentes statuere conclusiones.

3 1. Cõclusio. Sit prima conclusio: homo intendẽs finem non solùm proprie operatur propter finem; sed etiam perfectissimo modo. Prior pars non potest non probari illis, qui volunt intentionem finis verè, & proprie esse effectum caussæ finalis: nec enim potest esse effectus finalis causę, nisi homo ipsam intentionem finis vere agat propter finem. Quod verò intẽtio finis vere sit effectus caussæ finalis placuit Fonsec. Cursui Conimbr. & Suario, quos in illa quæstione sequuti sumus: vbi etiam ostendimus Heruęũ nobiscũ consentire, falsoq; referri à Suario pro opposita sententia. Porro assertio ex eo manifeste patet; quia homo allectus amore finis intẽdit aliqua excogitari media ad consequendum finem.

Probatio prioris partis. *Fonseca.*

Posterior pars ex priori deducitur: nã tunc homo perfectissimo modo dicit aliquid agere propter finẽ; cũ amore finis seipsum mouet ad agendũ propter finẽ. Homo autẽ amore finis se mouet ad intendendũ media, quib⁹ finis acquiratur. Contra priorem partem solùm habemus Bellomont. qui tamen nullum contra eam adducit argumentum. Cõtra posteriorem habemus Cursum Conimb. fundamentum tamen debile est. Vide, quæ diximus in q. citata.

Secunda cõclusio, homo desiderãs finẽ, agit ꝓpter finẽ. Probat, quia desideriũ finis ennumerat inter effecta finis. Et quãuis id displiceat Fons. placuit tamẽ Cursui Conimb. & Suar. Iã verò qđ á fine finaliter efficit; ab agente efficit gratia finis. Adde etiã, quia homo abamore finis mouetur, vt desideret finẽ: quod aut fit alicuius gratia; propter finẽ fit. Quomodo desideriũ distinguat, tũ à simplici amore finis, tũ ab intẽtiõe eiusdẽ finis? in illo loco annotauimus.

3 2. Cõclusio. Probatur. *Fonseca.*

Tertia cõclusio: Vtrũ homo amet finẽ propter finẽ; ita vt ipsũ amoris actũ eliceat gratia finis, inquẽ amore tendit? quęstio est pro vtraq; parte probabilis: mihi negatiua est lõge ꝓbabilior. Quęstionẽ istã late disputauimus in d. q. de effectis caussæ finalis. Quare non est: quod eadem iterum repetamus, illud tñ aduertã quæstionem hanc solũ habere locum apud eos, qui volunt simplicem amorẽ finis esse actũ liberũ: nam si act⁹ est necessarius, vt pleriq; volunt, nullus relinquit quæstioni locus: nullus enim voluntatis actus necessarius esse potest propter finem, vt diximus ar. 4.

4 3. Cõclusio. Supra q. 9. art. 5.

5 4. Cõclusio.

Pro actionib⁹, quæ in ordine executionis ímediate versantur circa finem; sit 4.conclusio.Consecutio finis vere fit ꝓpter finem:hęc enim actio vere est effectus finis, vt late ostendimus in prędicitata quęstione;vbi ónes in cõtrariũ difficultates fusè satis dissoluimus,medic⁹ igitur actione productiuã sanitatis egit propter finem, & homo iustus actionem qua meritotie acquisiuit sibi beatitudinẽ,operat⁹ est ꝓpter ipsã beatitudinẽ: itaq; visio diuinæ essentiæ sub rõe præmij operãtib⁹ ꝓmissi fuit effect⁹ sui ipsius, vt erat in viatore se ipsã finalizans.

6 Vltima Cõclusio.

Quinta, & vltima conclusio,amor,& delectatio, quæ finem assequutũ consequuntur, non possunt enumerari inter effecta finis finalizantis sui consequtionem. Hæc conclusio euidenter demonstratur: quoniã constat inter philosophos tunc primum cessare caussalitatẽ finalem,cum primum cessat caussalitas agentis: finis enim nõ finalizat,nisi mouendo agens ad agendum.Ad acquisito fine omnino cessat actio agentis, vt docet Aristo.1.de generatione cap.3.tex. 55.Ergo acquisito fine omnino cessat finalis illius causlatio. Vtrum verò finis iam acquisitus vlteriorem habeat caussalitatem finalem erga actum amoris, & delectationis, alterius est quæstionis Negare videtur Fonseca: videtur concedere Caietanus cũ Suario. Hanc posteriorem sententiã veriorem existimauimus supra q.3.ar.7.§.5. Talis autem finalizatio longe est diuersę rationis à finalizatione, quã non dum habitus sui ipsius assequutionem finalizabat. Vide, quę diximus in d.§.5. Et hæc dixisse satis sit de actionibus, quas homo exercet propter finem.

Probatur. *Arist.* Dubitatio. Resoluitur. *Fonseca.* *Caietan.*

ARTICVLVS VII.

Quot modis actio fiat propter finem.

1

COnstituim⁹ hominem actiones suas,si non ónes,saltem aliquas agere ꝓpter finẽ.Id autem cõtingit ñ vno,sed plurib⁹ modis: cui⁹ explicatio ad plurimarũ difficultatum solutionem plurimũ conducit:erit igitur,operæpretium explicare, quot modis possit agẽs suã actionẽ ad finem referre? Antiquiores duos tantũ modos admittebãt;actu sc.& virtute: at Scot⁹ in 4.d.6.q.6.& in 2.d.41.q.1.tres modos admisit; actu.sc. virtute,& habitu:sequuntur Gabr.in 2.d.41.q.vnica.ar.3.dub.2.vbi etiã Maior q.1.idem Gab.in 4.d.6.q.1.ar.1.notabili 3.Sot⁹ in 4.d.1.q.5.ar.8.pag.115.& satis est de mente Richardi ibi ar.1.q.3. Sed iam vsus obtinuit, vt quatuor modi principales proponãtur, vt explicauit Suar.in 3.tom.disp.13.sect.3.in princi. itaq; actio potest referri in finẽ,vel actu vel virtute,vel interpretatiue,vel habitualiter. Singulos modos explicabim⁹, vt pateat,quęnã sit cuiusq; ꝓpria ratio.

Opinio antiquiorum. *Maior.* *Gabr.* *Iotus.* *Richard.*

§. 1.

De relatione actuali in finem.

2

HOmo tũcdicitur actu agere ꝓpter finem, qñ à fine actu cõcepto, & intẽto seipsum mouet ad actionẽ gratia consequendi finẽ:vt cũ ex amore actuali Dei mouet ad dandã Eleemosynã: ita vt eleemosynam actu referat in Deũ:vel in actu signato;formãdo sc.hũc actum,volo dare eleemosynam propter Deũ,vel in actu exercito,vt cũ dat eleemosynam cum aduertentia amorisDei.

Quare ad actualem relationẽ primũ requiritur, quod actu adsit intentio assequendi finẽ.Deinde,qđ ex illa actuali intẽtiõe homo moueat seipsũ ad actionẽ: nisi enim det actio, quæ referatur in finem: nunquã poterit dari relatio in finem. Tertio requiritur, quod finis actu cognoscatur, qñ actio refertur:finis enim,nisi actu sit cognitus,nõpotest actu finalizare,referreque actionem, vt fiat gratia sui. Quarto adhuc requiritur,qđ actualis intentio cõsequẽdi finem actu coniungatur cum ipsa actione,& opere quod actu refertur.

Quod requirar ad ectalem relationam.

3

Quod doctissime vnico verbo significauit Bellontanus 1.2.disp.6.c.1. in 2. notab. dum ait hãc actualem relationẽ futurã esse simul cũ opere,actione ve, q in finẽ refertur. In quo melius loquitur quam Suarius in 1.2.disp.2.quæstiunc. 4.in princ.vbi disputationi relinquit,an requiratur actualis intentio finis propter se; an sufficiat actualis electio, vel vsus propter finem actu cognitum, nam vt eleemosyna actualiter dicatur facta propter Deum; non solùm requiritur, quod De⁹ sit actu cognitus, dum illa fit. Sed entiam, vt sit actu intentus, ita vt actualiter intẽdatur Deo placere p talẽ eleemosynã:actio enim non potest actu esse

esse gratia finis, nisi actu adsit intentio eam dirigens in finẽ. Admittimus vsũ tum actionis, tum operis externi interdum dari posse absq; actuali cognitione finis, intentioneq; illius assequẽdi: at tñ nullo modo potest esse actu propter finem, nisi adsit actualis intentio referens in finẽ. Et in hoc distingũuntur actiones externæ ab electione: quoniam electio medij non potest, non esse simul cũ actuali intentione consequendi finem: at tñ actio externa dari potest sine vlla actuali intẽtione; quia potest quis ex priori intẽtione dare eleemosynã, quanuis nihil de Deo per eã cõsequẽdo cogitet.

4 Quatuor igit̃ sunt necessaria, vt actio aliqua actu referatur in finem, nimirũ, quod adsit actualis intentio assequẽdi finem: qđ ex illa intentione agẽs seipsũ moueat ad agendũ: quod actu finem cognoscat, & amet: deniq; quod actu intẽdat per illam actionem consequi finem: & ex hoc vltimo resultat actualis causalitas finis; ex hac enim intentione immediate fit, vt actio fiat gratia finis.

§. 2.

De relatione virtuali in finem.

5 PRęter relationẽ actualem actionis, operisq; in finẽ omnes admittũt relationem virtualẽ: nec enim opus est, vt qui operat̃ propter finẽ, semper actu cogitet de fine, vt docet D. Tho. 1.2 q. 1. ar. 6. ad 3. Vnde inter Philosoph. morales cõstat intẽtionẽ virtualẽ sufficere ad operãdũ bene, vel male moraliter. Simili modo cõsensus totius Ecclesiæ in hoc cõuenit, vt ad valorem Sacramenti nõ sit necessaria in ministro actualis intẽtio conficiendi Sacramentũ, sed sufficiat virtualis, de quo D. Thom. cũ cæteris in 4. d. 6. Quid tñ sit ista virtualis intẽtio, siue relatio in finem? Et qñ illa detur? operosum est explicare, vt inquit Nauarrus in cap. inter verba concl. 5. corol. 20. n. 40. Erit igirur operepretiũ hunc nodum dissoluere.

D. Thom.

D. Thom. Quid sit virtualis intentio.

Nauarr.

6 In quo omnes conueniant.

In hoc ferè omnes cõueniunt, vt virtualis intentio, & relatio in finẽ sit illa, qua fit, & intendit̃ aliqd opus ex virtute actualis intẽtionis prȩcedentis: quomodo ille, qui actu proposuit visitare Dñi Sepulchrũ dum est in itinere, quod ex vi prioris intentionis est aggressus, virtute intendit Sepulchrũ visitare; quanuis nullã actualẽm intentionẽ habeat illius visitandi: quando iter facit, & cõtinuat in virtute, & efficacia primę intẽtionis. Oportet igitur, vt actualis intentio, quę prȩcesserit, actu causauerit volitionẽ alicuius, medij cum actuali relatione in finem, vt manẽte illa volitione medij, & vsu illius, ipsa dicatur virtute manere, atq; referre in finem cætera, quæ sequũtur. In hac resolutione video cõuenire ferè oẽs Theologos, qui hac de re scribunt. Satis id explicat D. Bonauent. in 2. d. 41. ar. 1. q. 3. ad 3. n. 33. expresius Scotus ibi q. 1. litera A. Maior q. 1. Gabriel q. vnica ar. 3. dub. 2. idem Scot⁹ in 4. d. 6. q. 6. litera A. vbi etiã Gabr. q. 1. a. 3. dub. 1. Sot⁹ in 4. d. 1. q. 5. a. 8. in secunda propositione. Ex recentioribus optime rem explicauit Bellom. 1. 2. disp. 6. cap. 2. non longe ante finem, & disp. 32. c. 2. in principio, & disp. 75. c. 2. nu. 5. denique disp. 217. cap. 1. n. 6. & 7. Azorius lib. 1. instit. Moralium cap. 8. Suarius ad 1. 2. disp. 2. quæst. iunc. 4. & 3. tom. disp. 13. sect. 3. in 2. dicto. pag. 186. litera A.

Bonau. Scotus. Maior. Gabr. Sotus.

Ex qua resolutione infer̃t, tria requiri, vt actio agentis dicat̃ virtute referri in finẽ nimirũ, qđ prȩcesserit actualis intentio finis assequendi: qđ illa intentio nunquã fuerit reuocata, nec aliquomodo p cõtrariã voluntat̃ interrupta: deniq; qđ maneat in aliqua suavirtute, hoc est in aliqua volitione medij actu relati in finẽ per actualẽ intentionẽ, quę præcesit. De primo nulla est dubitatio; qđ enim nunquã fuit, nõ potest vitute manere; nec similiter dubitari potest de secũdo: intẽtio enim actualis interrupta, vel p contrariã voluntatẽ, vel alio modo, nõ potest influere; nec in genere rei; quia non est, nec in genere moris; quia virtus in medijs relicta fuit destructa per cõtrariam voluntatem. Tertium verò est apud omnes receptissimum.

7 Tria requiruntur ad virtualẽ relationem.

Igitur vt actualis intẽtio dicatur virtute manere in actionib⁹, quæ sola virtute in finem referũtur, requiritur, vt intẽtio ipsa actualis assequendi finem mouerit, nõ modo intellectũ ad deliberandũ, & voluntatem ad eligẽdum; sed etiã ad vsũ alicui⁹ medii, applicãdo potentias exequẽtes ad executionẽ illi⁹. Quare op⁹ est, vt actualis intẽtio p̃cedẽs causauerit actualẽ volũtatẽ medij cũ actuali relatione illius ad finẽ, & hac volũtate manẽte, illa dicit̃ virtute manere, v. g. vt

8

actualis voluntas occidēdi Petrū,& actualis intentio executionis huius homicidij dicat̄ virtute manere, opus est vt talis intentio post consultationē,& electionē mediorū,causset voluntatē,&vsū ālicui⁹ medij, voluntatē, sc. præparādi ensem,& hāc prę parationē actu referat in tale homicidiū:qua relatione facta in ipsa ensis prę paratione virtute manet illa intētio,quāuis actu cessauerit.Itaq; si vnū tantū est electū mediū, assūptūq; ad talem finē,satis est,quod à principio fuerit actu ordinatū , quāuis illa actualis relatio postea nō adsit.Porro si ad cō sequendū finē pluribus opus est medijs; tunc requirit̄,vt ex primo medio (quod actu fuit ordinatū in finem) cōnexione quadā fiant cætera media: ita vt ex volūtate primi medij deriuetur, & suo modo causset̄ voluntas secundi medij; & ex hac volūtas tertij & ita connexione quadam vsq; ad vltimū.V.g. voluit quis occidere Petrū,ex vi huius intentionis incepit prę parare ensem: opus adhuc est,vt ex illa volitione præparādi ensem suo modo oriat̄ volūtas inquirendi Petrū.Et sic de cæteris medijs ad illū finē ordinatis. Idē dices de eo,qui ex actuali intentione faciendi sacrū domū exiuit,vt iret in Eccleſiā, sacris ibi se induceret,librum sumeret,& cætera;vtiq; vt hęc omnia virtute referant̄ in finē intētum,opus est,vt ex illa actuali intētione actu exierit domū: & vt inde deriuetur intentio in secundū mediū,& ex secūdo in tertiū,vsq; ad realē sacrificij oblationē. Hęc omnia satis diluc̄ide explicauit Bellomont.locis citat. ex D. Bouauent. Scoto,Gabriele,& alijs allegatis.Concludendum est igitur ad relationem virtualem necessarium esse, vt actualis relatio prę cedēs maneat in aliquo suo effectu,quem ipsa actu retulerit in finem.

Bonauent. Scotus. Gabriel.

9 Dubitatio. Richardi responsio.

Sed iā se offert difficultas,quænam,& qualis sit hæc virtus,qua mediāte actualis intentio,quæ nō est,dicat̄ virtute influere,& referre media in finē ? Primo loco respōdet Richard.in 4.d.6.a.1.q.3. ad 2.volūtatē intēdēdo finē imprimere in potētia motiua,&in organis externis quandā qualitatē,quę permanet cessante actuali intētione:à qua qualitate actiones, & media assūpta dirigūtur in finē.Et videt̄ Richard. hac in re ita philosophari, vt philosophamur in motu proiectorū:agēs enim in proiecta imprimit quēdā impetū, quo mouentur , quanuis proijciens desinat esse : sicut igit̄ proijciēs etiā qñ non est,dicit̄ mouere proiecta;quia mediāte virtute à se relicta ea mouet: ita in proposito actualis intentio impresit in potentijs motiuis quādam qualitatem ordinatiuā actionū in finē , & in hac dicit̄ virtute permanere.

10 Præcedens respōsio reijcitur. *Scotus. Gabri. Suar. Sotus.*

Hāc tñ philosophiā non recipit Scot. dist.6.litera D.*Sed mirū*,nec etiāGabr. ibi.q.1.a.3.dub.1.displicet Suar.3.tom. disp.13.sect.3.pag.187. colu.1. ridiculā appellat Sot⁹ in 4.d.1.q.5.ar.8.pag.115. col.2.sed nec mihi placet: tum, quia nō est satis probabile voluntatem, dū mouet potentias externas ad vsum, & executionem actus imperati,imprimere in illis aliquā qualitatē, qua vt principio actiuo excitent̄,&impellant̄ ad agendū, quod modo supponim⁹,tū secundo:quia etsi aliqui probauerint talē philosophiā null⁹ tñ probauit qualitatem illā permanere voluntate ab actione desistente.tū tertio,quia nō intelligo,quomodo qualitas illa potest in genere moris dirigere in finē actiones potentiarū exequentiū: etenim facile intelligo per actionē voluntatis (quæ dicit̄ intentio) alias actiones in genere morispalsiue dirigi in finē:qđ vero dirigāt̄ per qualitatē, quæ non sit actio immanens recepta in voluntate intelligere non possum.

11 Scoti sentētia & Gab.

Secūdo loco difficultati ocurrit Scot⁹ loco cit.admittēs in appetitu sensitiuo,siue in phātasia certā quandā dispositionē,qua mouet potētias cessante actu voluntatis:cūScoto transit Gabriel ibi: Sed min⁹ placet solutio,quoniā ñ negam⁹ posse potētias externas interdū moueri ex imaginatiōe,&appetitu sēsitiuo negam⁹ tñ posse ad finē moueri ex sola imaginatione,& appetitu: quoniā appetit⁹ sensitiu⁹ ex sua natura, & put nullā habet dependentiā à voluntate, nullam habet dispositionem innatā sibi, vt possit alias potētias in finem mouere:nihil enim potest aliud mouere in finē, nisi posit agere propter finē:appetitus aūt sensitiuus cōsideratus, vt independēs à voluntate non potest agere propter finem, vt ostendimus artcul. 3. §. tertio Quare si cessante actu volūtatis potest alias potentias mouere in finem vtique id erit ex aliqua noua dispositione , & quali-

Nō placet.

qualitate, quam accepit à voluntate intendente finem.

12 At mirum etiam erit, quod voluntas intendendo finem cauſſet in appetitu ſenſitiuo nouam aliquam qualitatem: quare ſicut Scoto diſplicet qualitas impreſſa in potentia motiua, ita etiam nobis diſplicet qualitas impreſſa in appetitu ſenſitiuo.

13 Tertiam ſolutionem excogitauit Suarius in d. diſp. 13. ſect. 3. pag. 187. colu. 1. B. dicēs ad virtualē intentionem, relationemq́; non eſſe neceſſariam formalem, & propriam intentionem finis: neceſſariam tamen eſſe actualem voluntatem, & attentionem, quæ verſetur circa actionem externam. Additque hanc attentionem re vera eſſe à parte rei; quanuis propter ſui remiſsionem, & debilitatem eam nō ſemper experiamur. In hac igitur actuali attentione medij, tanquam in ſua virtute virtualiter manet actualis intentio finis; quæ præceſſit. Qui dicendi modus probatus fuit Gabrieli in 4. d. 6. q. 1. ar. 1. notab. 3. ad finem, maximè in corollario.

Gabr.

Iudiciū de præcedenti ſententia. *D. Thom.*

Suarius tamen, quanuis iſtum modū dicendi putet probabilem; non tamen putat eſſe neceſſarium: & in hoc quidē recte: quoniam ex ſententia D. Thomæ 3. p. q. 64. ar. 8. ad 3. actio externa poteſt fieri ex intentione præcedente ſine vlla actuali attentione: quod etiam concedit D. Thomas 2. 2. q. 83. ar. 13. hoc enim experientia docet; nec enim quis ſemper actu cogitat de ambulatione, quam quis gratia ſanitatis ex vi prioris intentionis elegit, & applicauit; ſed interdum ad alia diſtrahitur: & tamen illa deambulatio adhuc dicitur virtute volita propter finem.

14 Approbatur quartus dicēdi modus.

Quare eſt quarta huius difficultatis explicatio, vt actualis illa relatio, & intentio dicatur virtute manere in actu ex illa imperato, & applicato ad conſecutionem finis; qui actus ab illa non pēdet in cōſeruari. In hoc igitur actu permanente dicitur illa actualis intentio virtualiter permanere. In hac ſolutione conſiſtit Scotus vbi ſupra, & Gabriel in citatis locis, ad eam acceſsit Sotus, ſi bene expendatur, dum ait: non eſſe aliud intentionem actualem virtute permanere, quam illam initio mouiſſe mēbra in illum finem. Denique in hac ſolutione quieſcit Suarius. Et verè in ea eſt quieſcendum, ſi expendamus hoc negotium in genere moris, ad quod ſpectant hæ relationes: in hoc enim genere actiones externæ & media ad exequutionem aſſumpta nihil realitatis aſſequuntur ex imperio voluntatis; ſed vel ſolam denominationem extrinſecam; vel relationem quandam rationis; vel ad ſummum debiliſsimum quendam eſſendi modum, quem ſolus Philoſophus moralis conſiderat. Quare ſatis eſt actiones iſtas, & media aſſumpta, ordinata fuiſſe ad finem, vt ſecundum conſiderationem moralem retineant illam ordinationem. Et ſi forte plura media ſūt neceſſaria ad finis conſecutionem; ſatis eſt primum fuiſſe actu ordinatum, vt cętera virtute dicantur ordinata: nam in genere moris omnia illa media cenſentur vnum tantum medium; maximè cū inter ſe in ordine ad talē finem habeāt colligationē, ratione cuius primo actu ordinato in finem, cætera cenſentur virtualiter ordinata in eundem.

§. 3.

De relatione interpretatiua.

15 QVando, & quomodo detur intētio, ſeu relatio interpretatiua finis, non ſatis clarè explicant Theologi, vt videre eſt apud Medinam 1. 2. q. 76. ar. 3. poſt principium, Suariū in Comment. ad 1. 2. diſp. 2. quęſtiunc. 4. §. *Circa quartum modum*, & q. 6. ar. 1. quæſtiunc. 4. §. *Quarto diuidi poteſt*, & 3. tom. diſp. 13. ſect. 3. in principio, Bellomontanum 1. 2. diſp. 24. c. 1. n. 3.

In quo diſtinguatur relatio interpretatiua à duabus præcedentibus.

Pro explicatione illud tanquam fundamentum ſtatuendum eſt relationem, ſeu intētionem interpretatiuam in hoc per ſe diſtingui tum ab actuali, tum à virtuali; quia ad vtranque requiritur actualis intentio, quæ vel exiſtat, vel extiterit manens tamen virtute, vt ex dictis patet: oppoſitum tamen reperitur in relatione interpretatiua: hæc enim ex ſua natura poſtulat, vt nulla præceſſerit actualis relatio finis, qui interpretatiue intenditur: opus eſt igitur, vt finis, propter quem agens interpretatiue agit, ſit intentus in alio. Et quanuis Theologi hac de re ſcribentes id non ita diſtinctè explicent: exempla tamen,

quæ adducunt id satis euidenter significant: in nullo enim præcessit expressa intentio talis finis: & ideo dicunt intẽtionem interpretatiuam non dari, nisi in voluntario indirecto: hoc est in voluntario non in se, sed in alio.

16 Primũ corollarium. Ex hac resolutione infertur primò, agens, quod operatur propter aliquem finem vltimum in illa serie, interpretatiue operari propter finem, ad quem finis actu intentus ex sua natura refertur, qui communiter dicitur finis operis, v.g. qui eleemosynam largitur pauperi propter bonitatem misericordiæ; interpretatiue dicitur etiam operari propter Deum, diuinamq; bonitatem, in quam misericordia ex sua natura est referibilis, vt optime aduertit Suarius in d. quæstiunc. 4. in fine: etenim iste nec actu, nec virtute intendit Dei bonitatem, quia nullam illius actualem habuit intentionem: verum quia finis actu intentus, ipsa inquam misericordia ex sua natura referibilis est in Deum finẽ simpliciter vltimum; ideo interpretamur illius voluntatem, vt etiam vltimate intenderit ipsum Deum: id enim exprimeret, si de hoc interrogaretur. Scio plures hanc intentionem, & relationem appellare virtualem, non virtute operantis, sed operis, vt patet ex Bellomõtano 1.2. disp. 6. c. 1. notab. 2. & disp. 32. c. 2. non repugnabo, si relationem virtute operis distinguant à relatione virtute operantis, quam explicauimus: hæc enim coincidit cum nostra interpretatiua.

17 Secundum. Secundò infertur homicidium caussatum ex ignorantia culpabili (vt cum quis in medio foro iaculatur caussa recreationis, & occidit hominem) esse volitum intentione non virtuali, sed interpretatiua, vt bene aduertit Medina 1. 2. q. 76. ar. 3. post principium. Facilè demonstratur corollarium: quoniam iste nullam habuit actualem intentionẽ occidendi, ergo nec actu, nec virtute voluit illud homicidium in se, sed solum in sua caussa; quia voluit mittere sagittã in loco publico: at tamen illud voluit quadam volitione interpretatiua.

Medina.

Idem dicendum erit de eo, qui casu, & sine vlla culpa putans se occidere feram, occidit inimicum: ita tamen dispositus, vt si sciret esse inimicum, vellet occidere: talis actio nullo modo dici potest actu, aut virtute relata in homicidium: quia tunc nec de occidendo homine cogitauit: & tamen interpretatiue relata dicetur in illud homicidium; quod voluit in emissione sagittæ ex voluntate, quæ caussam dedisset illi actioni, si inimicum cognosceret.

18 Tertium corollarium. Tertiò infertur eum, qui sciens, & prudens se in ebrietate hominem occidere; si inebrietur, & hominem occidat; actu, & explicite non voluisse homicidium; & subinde actionem ebrietatis, nec actu, nec virtute in homicidium relatam esse, sed solum interpretatiue, vt satis significat Suarius in d. disp. 13. section. 3. in principio: & recte sane: quia cum nulla præcesserit actualis intentio homicidij; nec actu, nec virtute ebrietas potest in homicidium referri, sed solum interpretatiue, quicquid aliter quidam dixerint: nostra tamen opinio verissima est.

19 Vltimum. Postremò infertur voluntatem principis, quam per Epijkiam colligimus, dici non posse virtualem; quia nulla præcessit actualis volitio, qua princeps actu declarauerit non esse suæ mentis actum illum cum talibus circunstantijs sua lege prohibere: sed dicendam esse interpretatiuam, quia illã deducimus ex voluntate, quæ & si nunquam fuit in principe; foret tamen, si occurrentes circunstantias cognouisset. Quicquid contradicat Bellomontanus in d. disp. 24 c. 1. n. 3.

Obiectio. Obijcit tamen voluntatem illam deduci ex generali quadam, & actuali voluntate, qua per legem illam voluit præcipere id, quod rationi esset conueniẽs. Ergo virtualiter voluit in illo casu non obligare. Obiectio friuola est: quia illa generalis volitio forte nunquam fuit in principe: & quanuis fuisset; ad rem non faceret: quia generalis illa intentio non potest dici intentio actualis nõ obligandi in hoc casu; quæ tamen erat necessaria ad virtualem intentionem.

Dilutio.

Hæc de relatione, & intentione interpretatiua. Vtrùm verò illa satis sit ad reddendum actum moralem, & humanum, & quomodò, alterius est quæstionis. Nunc regulas generales iacimus.

§. 4.

§. 4.

De relatione habituali.

20 QVanuis aliqui ex antiquioribus relationem, seu intentionē habitualem non distinguant à virtuali, vt patet ex D. Bonauentura in 2. d.41.ar.1.q.3.ad vltimum: communior tamen sententia eam à virtuali distinguit, vt Scotus ibi q.1.litera A. Gabriel q.vnica ar.3. dub.2. Idem Scotus in 4.d. 6.q.6.& ibi Gabriel q.1.ar.1. not.3. Sotus in 4. d.1.q.5. ar.8. propositione prima, Suarius 3. tomo disp. 13. sect. 3. in princip. satis significauit D.Thomas 1. 2.q.88.art.1.ad 2.& 2. 2. q.24. ar.10. ad 2. vbi Caietanus ante finem commenti, idem D.Thom.q.3.de malo,ar.7. quorū sententia est verisima, si sermo sit de intentione habituali strictè sumpta.

D. Bonau. *Scotus.* *Gabr.* *D.Thom.*

21 Quo pacto attribus prioribus hæc relatio differat.

Quomodo autem distinguatur à tribus prioribus,facilè patebit,si aduertamus relationem habitualem à suis auctoribus non eodem modo explicari. Et quātum potui colligere duobus modis dari potest.Vno modo,quando quis habet habitum proprie sumptum inclinantem in aliquē finem: qualis est charitas, quæ inclinat, vt omnia in Deum dirigamus. Ita relationem habitualem explicat D. Thomas cum Caietano, & cæteris citatis: omnes enim relationē habitualem eam appellant, quæ fit ab habitu existente in homine, & inclinātē ad talem finem: inclinante inquam, non quidem influēdo in actionem, quæ dicitur habitualiter ordinari: sed quia quantum est de se, potest influere in eā, ordinareque illam in finem. Quod optime explicauit Caietanus loco citato, dum ait,hominem habitu amare Deum non esse aliud, quam hominem habere habitum charitatis, quo possit Deum amare:& subinde agens actionem referre in finem habitualiter, idem esse,atq; hominem habere habitum, quo possit actionem illam referre, quanuis eam actu non referat.

D.Thom. Caiet.

22 Confirmatur explicatio, quoniam si habitus v.g.charitatis simul cum volūtate influat in aliquam actionem referendo eam in Deum finem supernaturalem;iam non habitualiter, sed actualiter potiùs, actualique suo influxu ordinat in finem: quare habitualis relatio non dabitur per actualem influxum habitus in actionem, sed per solam concomitantiam, & assistentiam habitus in operante absque vllo illius influxu.

23 Ex quo infertur talem actionem ab habitu nihil recipere,vel in genere physico, vel in genere moris: & subinde ex tali relatione actionem nec moralem dici posse,nec humanam,in quo conueniunt omnes, vt patet ex Soto loco citato, & satis expressit Scotus in 4. d. q. 6. §. *Ad propositum dico*, litera E. Gabriel ibi q.1.ar.2.concl.5. & probatur; quoniam,qui ex habitu currendi, quem habet,curreret ad ludum: & ex illo cursu sanitatem consequeretur; non diceretur eam consequutus à proposito, & actu humano,sed à casu:& tamē ille cursus fuit ex habituali intentione,siquidē actus ad talem cursum mouit: vt alia omittamus in re notissima: nam cum illa relatio naturalis sit; non potest actū, quem solum habitualiter refert in finē facere moralem,aut humanum.

Sotus. *Scotus.* *Gabr.*

24 Corollariū.

Ex qua resolutione infertur solā relationem habitualem charitatis in Deū non satis esse, vt actio aliàs moraliter bona,& iusta sit meritoria: quoniā meritum non datur, nisi ex intentione finis,quę moralis sit,& humana,efficaxq; vt finis per modū finis influat in actionem; talis autem non est sola habitualis relatio charitatis,vt ex dictis patet, & bene aduertit Bellomōtanus 1.2. disput.217. c.7. in fine. Vtrum autem talis actio alioquin humana,& bona aliunde sit meritoria? alterius est quæstionis. Negant quamplurimi Theologi, & omnes,qui putant has operationes esse indifferentes in genere meriti. Alij affirmant:nempe, qui docent in iusto nullā dari posse actionem moraliter bonam, quæ sit indifferēs in genere meriti. Horum opinio satis erit probabilis,si cum Bellomontano loco citato dicas actiones istas esse quidem meritorias, nō ex vi relationis habitualis, & subinde nec ratione circunstātiæ finis habitualiter intenti: quia talis habitualis intentio non est moralis, aut humana, quæ secū afferat finis intenti influentiam: erunt igitur meritoriæ ex circunstantia personę: quia charitas eam reponit in statu filij Dei: status autem personæ sicut conducit ad augendum meritum; ita

etiam

etiam satis est ad reponendam actionē ex se bonam in ratione condignæ vitæ æternæ. Vide Bellomontanum loco citato.

Ex quibus patet relationem istā habitualem, vt à suis auctoribus exponitur, per se distingui à tribus præcedentibus: ab actuali quidē, & virtuali: quia nullam requirit actualem intentionem finis vel præsentem, vel præteritam; vt in finem inclinet: ab interpretatiua autem; quia nec requirit, vt finis, in quem inclinat, sit in alio volitus.

25 Alia explicatio habitualis relationis.

Altero modo à nonnullis explicatur hæc habitualis relatio, seu intētio finis: vt relinquatur ex aliqua actuali intentione finis, quę in nullo suo effectu virtualiter manet, sed solum habitualiter, ideo, quia semel habita non fuit retractata, qualis dat in eo, qui omnes suas actiones, vel vitæ, vel alicuius diei generaliter retulit in Deū: qui tamen; quando operatur, operationem suā, nec actu nec virtute in Deum refert, sed solū habitualiter; quia cēsetur habitu permanere prima relatio, quandiu non reuocatur. Ita relationē habitualem explicauit Suar. ad 1.2. disp. 2. quæstiunc. 4. & 3. tomo disp. 13. sect. 3. §. *Dico secundò.*

26 Hæc relatio à quibusdam dicitur virtualis; sed sine fundamento: quia nō potest non distingui à relatione virtuali iam explicata: nā in illa relatio actualis præcedens, quanuis actu non sit, quando agens operatur; manet tamen in sua virtute, vt §. 2. ostendimus: hæc autem relatio, de qua agimus, nec in se, nec in aliqua sua virtute manet, sed solum in habitu; ideo quia non est reuocata. Qui manendi modus non debet censeri peregrinus: quoniam omnes doctores admittunt consensum in actu peccati, qui transijt, habitu manere, donec per consensum contrariū retractetur, per displicentiam inquam contritionis: vnde peccator, qui per actum peccati actualiter fuit à Deo aduersus habitualiter dicitur manere auersus, quandiu se in Deum non conuertit. Cur igitur illa actualis intentio operandi propter Deū, non dicetur habitualiter manere, quādiu non fuerit reuocata? Admittenda est igitur hęc habitualis intentio, tanquam distincta à tribus præcedentibus: nam ab actuali distinguitur, quia non est simul cum actione, quæ in finem refertur: à virtuali autem; quia non manet in sua virtute: ab interpretatiua verò; quia finis, ad quem actionem refert, fuit volitus in se ipso, & non in alio.

27 Vtrum autem hæc relatio habitualis satis sit, vt conferat operi moralem aliquam bonitatem, aut meritum? quæstio est inter doctores controuersa. Affirmabunt, qui volunt eam satis esse, vt opus iusti dicatur meritorium. Ita Capreolus in 2. d. 40. q. 1. ar. 3. ad 1. contra 2. & in 1. d. 1. q. 3. ar. 1. contra primam, Caietanus 1. 2. q. 1. ar. 6. ad 1. Scoti, Cōradus ibi, Sotus lib. 3. de natura, & gratia c. 4. Maior in 2. d. 41. q. 1. concl. 5. cū alijs ex recentioribus, qui omnes putant opera iusti esse meritoria ex efficacia relationis actualis, qua iustus omnes suas actiones in Deum retulit: quasi illa relatio vim habeat, vt quando iustus operatur, concurrat finis vltimus ex vi, & efficacia illius primæ relationis.

Capreolus. *Caiet.* *Coradus.* *Sotus.* *Maior.*

28 Oppositam sententiā defendunt quā plurimi Theologi, qui volunt hanc relationem non satis esse ad tribuendum actioni moralitatem. Hæc fuit opinio D. Bonauent. in 2. d. 41. art. 1. q. 3. ad vlt. probarunt Scotus, Gabriel, Durand. & Paludanus, quos refert, & sequitur Bellomontanus in d. disp. 217. c. 4. num. 36. Accedit Suarius in d. disp. 13. sect. 3. §. 2. *dico.* Confirmari potest, quia hæc intētio non satis est ad sacramentū, vt omnes volunt in 4. d. 6.

D. Bonau. *Scotus.* *Gabr.* *Durand.* *Palud.*

Quæstio mihi est dubia: posterior mihi est probabilior, sed non est animus rem istam diligentiùs expendere hoc loco: quia eius resolutio pendet ex varijs principijs. Nunc satis sit tetigisse quatuor generales modos, quibus homo potest agere propter finem. Et de fine vltimo in cōmuni hæc diximus: in sequenti libro disputabimus de fine vltimo, propter quem homo operatur.

(**)

Finis Libri primi.

LIBER

LIBER SECVNDVS

DE VLTIMO FINE HVMANARVM ACTIONVM.

Præfatio in sequentem Librum.

IN superiori libro explicauimus omnia, quæ ad rationem finis in communi pertinent; & metaphysicas difficultates, quæ de fine secundũ generalem rationẽ finis, tam à metaphysicis, quàm à Theologis solent explicari, qua potuimus diligentia, discussimus. In hoc secundo libro disputandũ erit de fine vltimo hominis, humanarumq; actionum: de quo D. Thom. disputationem instituit in 1. q. huius primæ secundæ: relictis enim, quę ad Metaphysicam spectabãt; eas solùm excitauit quęstiones, quæ ad Theologiam finis humanæ vitę proximè accedebant: nam (vt ait in præfatione ad 1. q.) ex fine accipiendæ sunt rationes eorum, quæ sunt ad finem. Et primò disputat de vltimo fine humanę vitæ, ideſt humanarum actionum sub formali ratione vltimi finis: deinde agit de vltimo fine sub ratione summi boni, ideſt beatitudinis, ad cuius consequutionem humana vita ordinatur: nam quanuis vltimus finis, & summum bonum materialiter coincidant; formaliter tamen distinguuntur, vt diximus in superiori libro. Seruato autem naturæ, & doctrinę ordine, prius disputandum erat de summo bono sub ratione finis vltimi, quam sub ratione beatitudinis: cum enim beatitudo sit nostrarum actionum præmiũ per ipsasmet assequendum; ordo naturę & doctrinę postulabat, vt priùs de summo bono explicaretur ratio finalizatiua actionum, in quibus reperitur meritum; quam ratio præmiatiua illarum, in qua posita est beatitudo.

D. Thom.

QVÆSTIO I.

NOS in explicandis huius libri quęstionibus hoc ordine procedemus: primùm inquirem° quænã actiones hominis sint humanæ? Deinde; vtrũ homo agat propter finem. Circa primum duo inquirenda erunt: primùm; quænam actiones dicantur propriæ hominis, quatenus est homo? Secundò; vtrum omnes, & solæ actiones, quæ sunt propriæ hominis, quatenus est homo; sint actiones humanæ?

Quæ sunt in hac q. inquirenda.

ARTICVLVS I.

Quænam actiones dicantur propriæ hominis, quatenus est homo?

HVNC articulum excitamus, vt in sequentibus disputationibus omnis tollatur æquiuocatio: vnde non est, quod argumentis adductis quæstionem dubiam faciamus. Ad quęstionem igitur respondet Caietanus in hac

hac q. 1. art. 1. illam actionem esse propriam homini, quæ propriè, & formaliter est actio: secus si fuerit actio fuso satis actionis nomine. Quod si ab illo inquiras; quænam actio propriè, & formaliter sit actio? respondet illam dici propriè, & formaliter actionem, quam agens á se ipso motum agit, & non ab alio. Quare actiones, quas homo à se ipso motus agit, sunt actiones propriè hominis; secus verò dicendum est de illis, ad quas homo ab alio agitur; quanuis homo per eas differat ab irrationabilibus: quanuis enim per eas ab illis differat in essendo, atque etiam in operando: non tamen differt in agendo; quia ille agendi modus etiam conuenit brutis, & alijs agentibus: illa enim non agũt se ad agendum, sed ab alio aguntur.

Medina. Hæc tamen explicatio nõ placet Medinæ in hoc artic. 1. nec alijs, nec mihi: tum quia rem potius confundit, quàm explicat: tum etiam quia auctores operationes omnes, tam eorum, quæ se ipsa agunt ad agendum; quam eorum, quæ ad agendum ab alijs aguntur, indistinctè appellant actiones: & D. Thom. in hoc art. appellat actiones, tam quę sunt humanæ; quàm quę sunt hominis.

D. Thom.

2 Præmissum ad resolutionem.

Pro clara resolutione præmittẽdum est duobus modis actionem dici posse homini propriam: vno modo quoad substantiam, siue entitatem actionis; altero modo, quoad modum operandi ipsã actionem. Priori modo omnes, & solæ illę actiones dicuntur homini propriæ, quę emanant à potentijs, quæ soli homini conueniunt; vt intelligere, velle, ridere, & si quæ sunt aliæ huius generis. Posteriori modo omnes, & solę illæ actiones dicuntur propriè hominis, quæ eliciuntur, & fiunt ab homine modo operandi homini proprio. Quam distinctionem saltem in sensu admittunt omnes interpretes D. Thomę in hoc art. 1. & Cursus Conimb. in Ethicis disp. 4. q. 1. art. 1. Interest autem plurimum duplex hoc genus distinguere: quoniam constat plures actiones, quę homini sũt propriè primo modo, nõ esse proprias secundo modo: prima enim intellectio est homini propria primo modo; quia solus homo intelligit: at tamen non est illi propria secundo modo, quoad modum operandi: quia fit ab homine modo operandi naturali; qui modus operandi nõ soli homini conuenit, sed etiã agentibus irrationabilibus. Ambulatio etiam, non est propria homini priori modo; quia etiam bruta ambulant: est tamen illi propria secundo modo; quia libere fit: qui modus operãdi solius est hominis.

3 Responsio articuli.

Supposito isto duplici genere propriæ operationis; poterit quis inquirere; de quonam genere sit quęstio in hoc articulo? Respondendum est sermonem esse de actionibus proprijs secundo modo; in quo omnes conueniunt: & ratio est; quia actiones prioris generis dicũtur propriè homini secundum physicã considerationem, cuius est naturas rerum considerare: posteriores verò appropriantur homini secundum considerationem moralem; quia secundum illas homo est studiosus, vel prauus. Cum verò in his libris cum D. Thoma consideremus hominem, vt philosophi morales: ideo proprietatem actionum spectamus non quoad substantiã, sed quoad modum agendi, qui ad moralem spectat. Concludendum est igitur in hac disputatione eas solas actiones dici homini proprias, quatenus est homo; quæ fiunt ab homine modo operandi proprio soli homini, quod in hac materia sit primum fundamentum.

4 Dubitatio. Resp̃sio ex mente Caietani.

Sed iam insurgit nonnulla difficultas; quinam operandi modus dicatur proprius hominis, vt homo est? Cui difficultati poterit quis respondere ex mẽte Caietani vbi supra, agere se ad actionem, & non agi; esse modum agendi proprium homini, vt est homo: quia iste agendi modus soli homini conuenit. At non recipitur hęc responsio: non quod falsa sit (coincidit enim cum communi modo dicendi) sed quia apud Philosophos morales nõ est satis vsurpata: nec enim rationem moris in actionib⁹ quisquam desumpsit ex hoc capite.

Non recipitur.

Communis igitur opinio docet solũ modum operandi libere esse proprium homini, quatenus est homo, nam modus agendi aut naturaliter, vt distinguitur à voluntario; aut necessario, vt distinguitur à libero; conuenit etiam alijs agentibus. Ex quo infertur solas actiones liberas esse proprias homini, quatenus est homo: quia modus operandi libere

Communis solutio.

libere nulli agenti corporeo conuenit, nisi homini.

5 Alterius dubij solutio.

Siquis autem inquirat; quid nam sit operari libere? Respondendum erit cũ cõmuni sententia, operari libere idem esse, quod operari ex voluntate deliberata, per liberum inquam arbitrium, & cum dominio suarũ actionum: quod dominiũ in eo est positũ, vt præmissa deliberatione expressa, vel tacita possit homo agere, vel non agere. Ita explicat D. Tho. in hac q. 1. a. 1. cõmuniter receptº. D. Thom.

6 3. dubium.

Sed dubitabit adhuc aliquis; an solus iste modus operandi sit proprius homini, quatenus est homo? Rationem dubitandi faciunt, qui in amentibus, pueris, & dormientibus, admittunt liberam voluntatem ad operandum, & non operãdum sine libero arbitrio, & dominio agendi: cuius opinionis auctores allegauimus superiori lib. q. 16. art. 2. §. 3. qua supposita sentẽtia videtur dicendũ modum operandi per liberum arbitriũ, & cum dominio operationum esse quidẽ soli homini proprium: at tamen non solum hunc operãdi modum esse illi proprium: quia modus operandi libere, id est cum facultate ad operandum, & non operandũ absq; libero arbitrio, & dominio actionis, soli etiã homini conuenit.

7 D. Thom. Dubij tertij solutio.

Ab hac difficultate liber erit, qui denegat omnẽ voluntatis libertatẽ amẽtibus, pueris, & dormientibus; vt quia isti omnia operantur necessariò: quam sententiã nõnullos probasse nec displicuisse D. Thomę ostẽdimus in d. §. 3. Sed quoniam oppositã sententiã ibi existimauimus probabiliorẽ; respõdemus secundum considerationem moralẽ (quæ sola ad nostrum pertinet institutũ) vnicum tantũ dari operandi modũ homini proprium: nempe modum operandi ex deliberatione, & dominio liberi arbitrij: & ad hunc sensum intelligendũ esse D. Thomã, dũ in hoc ar. 1. significat hũc operandi modũ cõuenire homini, vt distinguitur ab agente irrationali. Vnde quãuis modus, qui fit cũ libertate, & indifferentia ad agendũ, & non agendum absq; dominio in agẽdo, soli homini cõueniat, vt homo est: non tñ conuenit ei, prout secundũ moralẽ considerationẽ spectatur: nã, etsi modº ille aliquid participat de libero arbitrio (quia includit indifferentiã in agẽdo; quæ est quædam pars liberi arbitrij) tñ non pertinet ad moralẽ cõsiderationẽ, vt omnes admittunt, & cum illis Curs. Conimbr. in Ethicis disp. 4. q. 1. ar. 1. ad argum. sed potius ad considerationẽ physicam hominis: ob quam rationem libertas illa voluntatis à plerisq; appellatur naturalis, vt patet ex Cumelio 1. p. q. 14. art. 13. disp. 2. in noua appendice secundę editionis, & 1. 2. q. 74. ar. 3. disp. 1. concl. 5. & q. 89. ar. 6. disp. 1. in primo præmisso. Ex quibº omnibus iam patet resolutio quęstionis: respondemus enim solas actiones ex voluntate deliberata procedẽtes esse proprias hominis, quatenº est homo moraliter consideratus: quę est sententia D. Tho. in hac q. 1. art. 1. ab omnibus recepta: nam per solas istas actiones homo bene, vel male operatur: est dignus laude, vel vituperio: denique per solas eas tendit ad assecutionẽ sui finis. Cumel. Totius quæstionis resolutio. D. Tho.

ARTICVLVS II.

Vtrùm omnes, & solæ actiones, quæ homini conueniunt, vt est homo, sint humanæ?

§. 1.

Proposita vera sententia arguitur contra illam.

SEnsus articuli est euidẽs ex ijs, quę diximus in præced. ar. conclusũ est enim solas actiones liberas ex libertate arbitrij procedẽtes (quales sũt actiones deliberatæ) esse actiones proprias homini, quatenus est homo: nunc inquirimus, an omnes, & solæ actiones deliberatæ dicantur humanæ?

Huic quæstioni respondet D. Thomas in hac q. 1. art. 1. hac vnica conclusione. Omnes, & solæ actiones deliberatæ sunt humanę. Quam conclusionem repetit ar. 3. & satis eam insinuat 1. 2. q. 18. art. 5. & 9. & q. 19. ar. 1. ad 3. & in 2. d. 25. q. 1. ar. 3. & sæpe alibi. Eam hoc discursu demonstrat in d. ar. 1. solæ illæ actiones dicuntur humanæ, quæ sunt propriè humanis, in quantum homo: sed homo, vt homo est, in hoc differt à brutis, quod est dominus suarum actionum. Ergo solę illæ actiones erunt humanæ, quarũ homo est dominus. Est autem dominus suarũ actionum per liberum arbitrium, quod per se includit voluntatem deliberatã. Ergo illæ solæ actiones dicuntur humanę, quę ex voluntate deliberata procedũt. 2 Responsio ex D. Tho. Probatio.

3 Prima obiectio. D. Thom.

Hanc resolutionem nonnulla videntur dubiã reddere. Primum est; quoniã ex sententia D. Thomę actus dicitur humanus, quia est voluntarius, vt patet 1.2.q.6.art.1. & q.7.art.4. & q.18.art.6. & q.71.art.6. denique q.74.ar.1. At voluntarium latius patet, quàm deliberatum ex Damasceno lib.2.de fide c.24.

Damasc.

Secunda.

Secundò; omnis actio moraliter bona, aut mala, est vere humana. At plures sunt moraliter malæ nulla prævia deliberatione. Ergo non oportet actionem esse deliberatam, vt sit humana. Consequentia cum maiore patet: minor ostẽditur; quoniam, qui sine deliberatione facit rẽ ex genere malã, agẽdo peccat.

Tertia.

Tertiò, actio indifferens est humana: hæc non procedit ex voluntate deliberata. Ergo non est necessaria deliberatio, vt actio sit humana. Maior inde patet, quia talis actio est moralis: antiqui enim actionem moralem diuiserunt in bonam, malam, & indifferentem: minor autem probatur: quoniam actiones illæ, cum sint otiosæ, non sunt propter finem, & subinde nec sunt deliberatæ.

Quarta.

Quartò; visio beata, similiter & amor beatificus sunt actiones maximè humanæ: & tamen non sunt actiones liberæ, nec procedunt ex deliberatione; cum sint necessariæ.

Vltima.

Postremò; volitio finis est actio humana: est enim actio libera: & tamen nõ est deliberata: quia ex Aristotele de fine non deliberamus.

§. 2.

Refertur, & reijcitur quorundam sententia.

4 Quorundã sententia.

HÆc omnia argumenta, vel saltem illorum aliqua coegerunt quosdam Theologos, vt dicerent non esse opus actionem esse deliberatam, vt dicatur humana: imò nec humanam dici ex hac præcisè caussa, sed ex ea potius, quia est ex plena potestate voluntatis, & procedit ex aduertentia rationis; siue illa sit deliberata, siue necessaria. Hanc sententiam plerisque placuisse refert Suarius ad 1.2.q.1.disp.2.quæstiunc.2. Nec eam ibi reijcit, sed vt probabilem admittit. Iuxta quem dicendi modum respondendum erat ad quæstionem, omnes quidem actiones deliberatas esse humanas; non tamen solas. Sunt quidem omnes humanæ: quia omnes procedũt ex plenaria potestate voluntatis simul cum plena intellectus aduertentia, vt patet. At tamen non solæ illæ dicuntur humanæ: quoniam visio diuinę essentiæ, & amor eiusdem in patria maximè sunt actus humani, vt in 2. argumento tangitur: sunt enim ex plena potestate voluntatis simul cum plenissima rationis aduertentia. Nec obstabit eas esse actiones necessarias: quonim hæc necesitas non oritur ex imperfectione aduertentię, sed ex perfectione obiecti. Similiter etiam amor finis erit actus humanus; quoniam quantumuis non sit ex deliberatione; est tamen cum perfecta cognitione finis. Et iuxta hunc modum dicendi solæ illæ actiones non dicentur humanæ, quæ ex defectu considerationis, & aduertentię consequuntur necesitatem; vt motus subiti, qui dicuntur primo primi, & cæteri, qui ex incõsideratione procedunt, vt fricatio barbæ, & cætera, quę omnes actiones dicũtur hominis, & nõ humanę.

5 D. Thom.

Si his obijcias D. Thomam in hoc ar. 1. verbis expresis asserere solas eas actiones propriè esse humanas, quarum homo est dominus: cum tamen non sit dominus vel visionis, vel amoris beatifici; respondent D. Thomam vel sub nomine dominij cõprehendisse non solùm liberum, sed etiam voluntarium: vel saltem solùm egisse de homine viatore: in quo nulla est actio humana, quę non sit libera. Ex qua solutione patet auctores huius opinionis existimare se D. Thomę non repugnare.

6 Reijcitur præcedens opinio.

Hęc tamen opinio non est admittenda: quia rationem humanę actionis, nec in genere rei, nec in genere moris adæquatè explicat. Pro cuius explicatione aduerte actionem dici, & esse humanã, quia est ab homine operante, vt homo est: homo autem dupliciter considerari potest, & debet; vno modo in genere rei expendendo ipsam entitatem actionũ: altero modo in genere moris, expendẽdo actionum moralitatem. Tunc autem ratio humani in actione adæquatè explicabitur; cum illa in quolibet illorum adæquatè explicabitur. Itaque si homo cõsideretur in genere rei ratio humani adæquatè erit explicanda per propriã rationem, secundum quam in genere rei adæquatè est humana. Simili modo si ho-

si homo consideretur in genere moris; ratio humani explicanda erit secundũ rationẽ adęquatã illius generis: quod non facit explicatio præcedens: asserit enim actionem dici humanam, quia est ex plena voluntatis potestate,& procedit ex plena aduertentia rationis: quæ explicatio nec est conueniens,nec adęquata,siue homo in hoc, siue in illo genere consideretur. Non est quidẽ adæquata, si homo consideretur in genere rei: quoniam in tali genere consideratur entitas, & substantia actionis secũdum rationem homini propriam: entitas autẽ actionis humanę in genere rei solùm dicitur humana, quia à solo homine potest fieri, siue illa dependeat á plena voluntatis potestate, siue non dependeat: vnde prima intellectio,quę omnem voluntatis potestatem antecedit, verè dicitur humana,quanuis non pendeat àvoluntate: motus etiam subiti intellectus, & volũtatis verè sunt humanę actiones in genere rei;quia à solo homine fieri possunt. Porro si homo consideretur in genere moris; ideo illa explicatio non est recipienda; quia pluribus actionibus accõmodatur, quæ non sunt morales, & subinde nec humanæ in genere moris: constat enim nec visionem beatam, nec amorem patriæ esse actiones humanas in hoc genere;cum sint actiones necessariæ,& naturales.

5 D. Thom.

7 Præcedens sentẽtia D. Thomæ cõtradicit.

Sed mirum est, quod fautores huius opinionis putãt se nõ contradicere D. Thomæ:& quod volũt D.Thomã sub nomine dominij cõprehẽdisse non solũ liberũ,sed etiã voluntariũ, quãuis liberũ nõ sit. Quod ęquo animo nõ fero; cũ ex verbis D. Thomæ luce clarius constet solas liberas actiones esse humanas: liberas inquã,hoc est,quarũhomo ita est dñs,vt possit eas operari,& non operari;ita enim scribit in d.art.1.in princip. *illæ solæ actiones dicuntur humanæ,quæ sunt hominis, inquantum est homo*,& explicans horum verborũ sensum addit: *solas actiones vocari propriè humanas, quarum homo est dominus per liberum arbitrium*: & tandẽ concludit: *eas solas actiones esse propriè humanas, quæ ex voluntate deliberata procedunt*. Quæ verba repetit in hac q.ar.3.& clariùs q. 6.ar.2.vbiverbis expressis deliberationem ponit in eo, atq; libertatem; quod homo potest moueri in finẽ, & non moueri. Euidenter igitur patet D. Thomã egisse de solo dominio,quo homo per liberam voluntatem potest agere,& non agere:non verò de voluntario in cõmuni, prout sub se complectitur actionem necessariam.Igitur velint,nolint, fateri debent se in sua explicatione contradicere D.Thomæ.

6 Reijcitur præcedens opinio.

§. 3.

Confirmatur vera sententia initio posita.

8 D.Tho. opinio amplectenda.

OMissa hac opinione amplectẽda est opinioD.Thomę,quã expressit in hac q.1.ar.1.omnes sc.& solas eas actiones proprie dici humanas, quę à volũtate deliberata procedũt:ita vt actio ideo dicatur humana, quia est actio moralis, & libera. Quod satis expressit D. Ambrosius in præfatione in Lucã non procul à fine,dũ ait mores ꝓpriè dici humanos. Aduertendũ est igitur id, quod superiùs aduertim⁹, actionẽ dici humanam, quia est ab homine, quatenus est homo, vt docet D. Thom. in principio dicti art. 1. quod perinde est atq; dicere actionem dici humanã, quia est ab homine,quatenus operatur vt homo. Homo autem operans vt homo duobus modis potest considerari: physicè sc.& moraliter. Priori modo cõsideratur homo penes entitatẽ, & substantiam actionum:in quo sensu omnes & solæ illæ actiones dicuntur humanæ, quæ à solo homine fiunt, quæcunq; illæ sint. Vnde videre,audire, comedere, & aliæ huius generis actiones non sunt humanæ; quia brutis etiã conueniunt. At intelligere, velle, ridere, & aliæ similes dicuntur humanę; quia nulli conueniũt nisi homini. Posteriori modo cõsideratur homo, non penes entitatem,& substantiam actionum;sed penes bonitatẽ, aut malitiam moralem illarum. Secundum quam cõsiderationem non omnes actiones,quæ secundum substantiã sunt homini propriæ, dicuntur illi conuenire,prout est agens morale: prima enim intellectio antecedens omnem actũ voluntatis secundum substantiam est humana:non tamen in genere moris, quia non est moralis: at tamen omnes,& solæ actiones ex voluntate deliberata ꝓcedentes in hoc genere dicuntur humanæ; quia homo ex his solis actionibus meretur laudem,aut vituperium.

D. Ambr.

Aduertẽtia ad explicationem veræ sentẽtię.

Si inquiras secundum quam considerationem homo à nobis in his disputationibus spectetur? facilis est solutio, homine sc. hoc loco solùm considerari, vt est quoddã agens morale: consideratur enim, prout ordinatur in finem vltimũ à se proprijs actionibus assequendũ: per actiones nimirũ dignas præmio. Quia verò D. Thomas in prologo huius libri expresit se acturũ fore de homine, prout est agens quoddã morale, & liberum; proinde eas solas actiones appellauit humanas, quę ex volũtatis deliberatione, liberoq; illius dominio procedebãt: quia solæ istę cõueniunt homini, vt est agens morale, & liberum agens suas actiones cum pleno in eas dominio: qui modus operãdi, & soli homini cõuenit, & solum, prout est agens morale.

§. 4.

Quænam deliberatio requiratur, vt actio sit humana.

9

Duplex datur deliberatio.

D. Thom.

Iauellus.

D. Thom.

SEd statim se se obijcit difficultas; de quanam volũtatis deliberatione intelligenda sit hæc D. Thomæ resolutio, & doctrina? Nam duplex apud viros doctos datur deliberatio: vna perfecta; imperfecta altera. Perfecta est, quæ fit cum inquisitione consilij, de qua D. Thom. inferiùs q. 14. Imperfecta est, quæ non prærequirit inquisitionem, & consilium; sed solum dicit simplicẽ quãdam intellectus alicuius boni propositionẽ; quam voluntas simpliciter, libere tamen acceptat. Quam duplicem deliberationem admiserunt Suar. in Met. disp. 19. sect. 8. n. 20. Bellom. 1. 2. disp. 45. c. 3. in fine, & ante eos Iauellus li. 3. Eth. c. 2. §. *pro euidẽtia*, & lib. 8. c. 5. §. *Sed aduerte*. Inter vtranq; hoc constituũt discrimẽ, vt deliberatio propriè sumpta solũ sit de medijs ad finem, in quibus ex parte intellectus datur inquisitio cum consilio: ex parte autem voluntatis electio. Quæ verò est impropria, potest etiã esse de fine, vt plures colligunt ex D. Tho. 1. 2. q. 6. art. 2. Hoc præmisso iam relinquitur locus dubitationi; de qua nã deliberatione intelligenda sit resolutio D. Thomæ? an sc. vt actio propriè sit humana, sit necessaria deliberatio propriè sumpta; an satis sit deliberatio latè accepta? Nec deest ratio dubitandi pro vtraq; parte. Nam durũ est negare amorem finis (quem liberum supponimus) esse actionem humanam. Porro si hoc concedas; teneris concedere illam esse propter finẽ: quia ex D. Thoma in d. ar. 1. omnis actio humana est propter finẽ. Hoc autem non admittit communior, & verior sententia, quam superiori libro vt probabiliorem defendimus.

D. Thom.

10

Primũ præmissum.

Pro vera huius difficultatis resolutione pręmittendum est primò, liberũ ita se habere, vt vnum sit alio magis perfectè liberum, vt omnes Philosophi agnoscunt, & annotauit Suar. in Met. disp. 19. sect. 8. n. 19. Cũ verò voluntas eo perfectius libere operetur; quo perfectius se ipsam mouet ad agendum: moueat autem se perfectius ad volitionem mediorum, quàm ad volitionem finis (nam ad volitionem mediorum mouet se ipsam ex volitione finis: ad volitionem autem finis, ex naturali propensione) fit vt voluntas libertatem suam perfectius, & euidentius exerceat circa media, quàm circa finem.

11

Secundum præmissum.

Iauellus.

Præmittendum est secundò; liberum eo ipso, quod est liberũ, ex sua ratione includere electionem quandã vnius præ alio, vt bene aduertit idem Suarius cũ Iauello, & Bellomontano locis citatis. Quæ veritas facilè patet, quando volũtati proponuntur plura bona, & vnum præ alio eligitur. Habet etiã locum eadẽ veritas, quando vnũ tantum bonum proponitur, circa quod voluntas est libera, & quoad specificationẽ, & quoad exercitiũ: nam in ordine ad istud bonũ libertas quoad specificationẽ (quæ dicitur cõtrarietatis) in eo cernit, quod potest illud velle, & nolle: nam quanuis in volũtate detur naturalis quædã affectio ad bonum, vt bonũ est, & sub cõmuni ratione boni: tñ ad hoc particulare bonũ nõ habet affectionẽ determinatã; vnde potest illud nolle: licet enim, quatenus est bonũ, nõ possit illud nolle: bene tñ, quatenus est particulare quoddã bonũ: nõ quidẽ ratione alicui⁹ collationis cũ alio bono; quia supponimus nullũ aliud illi prẽsentari: nec ratione alicui⁹ discõuenientię; quia nulla tunc illi proponitur: sed ratione imperfectæ bonitatis; quę imperfectio sicut nõ tollit cõtrarietatẽ obiectorũ, vt aliud bonũ potius, quã istud placere possit: ita nõ tollit contrarietatẽ actuum circa illud ipsum; ita vt voluntas in illud potius tendat

dat nolendo, quã volendo: in quo motu nõ potest non dari virtualis quædã electio; nõ quidẽ in ordine ad obiecta (quia vnũ tantũ proponitur) sed in ordine ad actus cõtrarios voluntatis: quia voluntas, ideo quia libera, eligit nolitionem præ volitione, aut è cõtrario. Simili modo eadem electio nõ potest non dari in libertate quoad exercitiũ; quæ dicitur libertas contradictionis, & expenditur penes velle, & non velle, siue potius penes actũ, & suspensionem actus: proposito enim voluntati aliquo particulari bono potest voluntas pro sua libertate aut agere, aut suspendere actũ. In cuius libertatis exercitio non potest non reperiri virtualis quædã electio: nã si libere operatur; eligit operationem potius, quàm suspensionem illius: quod ipsũ nihil est aliud, quã vnum alteri præponere, & vno relicto alterum assumere: hoc autem formaliter est virtualis electio.

12 Tertiũ præmissum.

Præmittendum tertiò; plurimum interesse inter liberũ, quod perfectissimè est liberum, & versatur circa media: & liberum, quod non ita perfecte est liberum, & versatur circa finem: nam liberũ circa media, cum ad illa moueatur ex amore finis iã voliti, & intenti, indiget consultatione, & iudicio dictante de bonitate mediorum ad finem: cũ enim voluntas determinata media nequeat eligere, nisi eorum bonitas sibi ab intellectu proponatur; non potest moueri ad volenda media, nisi præcedat consultatio. Ob quã rationem electio mediorũ est perfectissima electio, & suam libertatem perfectissimo modo exercet; vt quia eam exerceat per impulsum sibi à se ipsa impressum: mouetur enim ex libero amore finis, liberoq; illius assequẽdi desiderio, & intentione. At verò liberum, quod versatur circa finem: cum in illum simpliciter tendat motu solius cõplacentiæ, absque vlla intẽtione medij: nulla indiget noua inquisitione, aut cõsultatione: an in illum debeat tendere: sed ad illam tendentiã satis est notitia præcedens bonitatis, cũ naturali inclinatione voluntatis ad bonũ. Et ob id dixit Arist. non esse consultationẽ de fine. Verum cũ in illa etiã tendentia sit libera: nõ potest voluntas in actu exercito velle tale bonũ sine aliqua simplici electione: quę posita est in libera determinatione voluntatis potius ad velle, quã ad nolle, aut ad nõ velle. Quæ libera determinatio, sicut supponit reflexã quãdã veluti electionẽ, qua voluntas veluti eligit velle potius, quàm nolle: ita etiã supponit virtualẽ quandã cõsultationẽ reflexam, reflexumq; iudicium, quo intellectus virtualiter iudicauit melius esse velle illud bonũ, quã nolle. Et ad hũc sensum admittenda est doctrina Iauelli, Suarij, & Bellomontani; dum volunt in omni libero reperiri aliquam consultationem, atque deliberationem.

Arist.

13 Quartũ præmissum.

Præmittendum est 4. id, quod de libero diximus, dicẽdum etiã esse de actione humana: siquidẽ actio ideo dicitur humana, quia libera. Igitur cũ liberum ita se habeat, vt vnum alio sit perfectius; actio etiã humana vna erit perfectior alia. Nã quãuis omnes actiones humanę soli homini cõueniant in genere moris: tñ in eodẽ genere ratio liberi, moralis, & humani perfectiori modo cõuenit his actionibus, quam illis ex eo, quod homo magis se ipsum moueat ad istas, quã ad illas: etenim ad simplicem amorẽ finis, etsi moueatur libere; nõtñ mouetur per impulsum, quẽ ipsa sibi impresserit: sed ex inclinatione naturali ad bonum: cum tamen ad eligenda media determinetur ex libero amore finis, liberaq; illius assequendi intentione.

14 Resolutio.

His ita præmissis ad propositã dubitationẽ respõdendũ est actiones perfectissime humanas procedere ex volũtate pfectissime deliberata: at tñ vt actio simpliciter dicatur humana, satis est, qđ procedat à deliberatione latè sũpta. Prima pars asserti clara est: siquidem actio, quę perfecte est humana, est perfecte libera, ex 4. notab. actio autẽ perfectè libera perfectã deliberationẽ requirit, ex præmisso tertio. Ergo actio perfectè humana pfectã exigit deliberationẽ. Posterior autẽ pars asserti ex eo probatur; quia vt actio simpliciter sit humana, satis est, quod sit libera: at vt actio sit libera, satis est deliberatio late sũpta, nec est necessaria deliberatio pfecta libera enim volitio finis nõ potest nõ dici actio humana: & tñ circa finẽ non est cõsultatio ex Arist. 3. Eth. c. 2. & 3. quod intelligendũ est de perfecta cõsultatione. In eodẽ sensu intelligẽdus est D. Thomas 1. 2. q. 14. art. 2. ad 2. quatenus ait:

Prima pars probatur.

Posterior ostenditur.

Arist.

De operatione humana, quæ est finis, quatenus talis est, non esse consilium. Intellige perfectum, & absolutum. Datur igitur apud D. Thomam operatio humana, quæ non procedit ex perfecto cõsilio. Quod etiã colliges ex eodem Thoma in d. q. 14. ar. 4. dum cum Aristotele admittit operationes humanas absque inquisitione, & deliberatione: illas sc. quæ vel non sunt dubitabiles, vel sunt de rebus minimis, vel de rebus quoad fieri determinatis. Quæ doctrina intelligenda est de consultatione, & consilio presse sumptis: nã consilium latè sumptum includitur in omni libero, vt diximus.

15 De qua autem actione humana egerit D. Thom. in hoc ar. 1. res est mihi dubia. Nam quod de omni actione humana egerit, siue perfectissime sit humana siue non, illud videtur suadere, quod cæteras omnes actiones, quæ humanæ nõ sunt: vult esse actiones hominis. Quod esset falsũ, si ageret de solis actionibus perfectissime humanis. Datur enim instantia in simplici volitione finis, quæ perfecte nõ est humana: nec tamen dici potest actio hominis, cũ fiat cum aduertentia intellectus, & cũ deliberatione latè sumpta. At tamen, quod egerit de solis actionibus perfectissimè humanis; illud maxime vrget: quoniã in fine corporis cõcludit omnes actiones humanas esse propter finẽ: quod esset falsum apud illos, qui volũt volitionẽ finis proprie non esse propter finẽ: nisi dicas D. Thomã vel esse in opposita sententia, vel solũ egisse in conclusione de actionibus perfecte humanis. Sed de hoc in seq. q.

§. 5.

Soluuntur argumenta initio proposita.

16 Solutio primi. EXplicanda restant argumenta §. 1. adducta. Ad primũ respondetur in illis locis, in quibus actio dicitur humana, quia voluntaria; voluntarium accipi, prout idẽ est, quod liberum, siue deliberatum: nam D. Thomas in omnibus illis refert se ad hunc articulum, in quo actio dicitur humana, quia libera. Damascenus autem non ita accepit voluntarium, dum ait voluntarium latius patere, quàm liberum: de quo dici solet cum D. Thoma q. 6.

D. Thom. & Damasceni loca explicantur.

17 Dilutio 2. Ad secundum negandum est dari posse actiones moraliter malas nulla præcedente deliberatione formali, vel virtuali. Quod tanquam verissimum supponimus. In quo sensu intelligimus doctrinam D. Thomæ, dum ait actionem humanam procedere ex voluntate deliberata: id enim intelligendum est de deliberatione formali, vel virtuali, expressa, vel interpretatiua.

18 Refutatio tertij. Ad tertium dicimus magnam esse inter Theologos quæstionem, an dentur actiones morales indifferentes, saltem in indiuiduo? Qui negant liberi sunt ab hac difficultate. Qui verò affirmant negabunt minorem. Cuius probatio falsum assumit: quoniam actiones illæ verè sunt propter finem; indifferentem tamen: de quo aliquid dicemus in seq. q.

19 Quarti explicatio. Ad quartum; quod attinet ad visionẽ beatam, quidam iudicant eam dici posse humanam, ideo; quia licet sit necessaria in se; fuit tamen libera in sua caussa; nimirum in actione meritoria viæ. Ita significat Medina in hoc art. 1. p. 4. col. 1. Sed alijs id non placet; nec satis placuit ipsi Medinę, qui potius cum illis cẽset, qui negant eam esse actionem humanam: & recte quidem; quia, cum sit prima operatio patriæ, antecedit omnem actum voluntatis. Nulla autem actio inuoluntaria dici potest humana. *Medina.*

Quod verò attinet ad amorem patrię, non desunt, qui eum enumerent inter actiones humanas: non quod ab intrinseco sit liber (vt Scotus existimat) sed quia etsi necessarius; oritur tamen à voluntate; non rapta ab obiecto, vt appetitus brutorum, nec determinata ab auctore naturæ; vt appetitus naturalis, sed vt applicante se ipsam ex aduertentia, & iudicio rationis efficaciter iudicante obiectum illud esse dignũ amore. Sed hæc sententia sibi contradicit: dum fatetur amorem illum esse necessarium, & simul esse humanum in genere moris, in quo solo loquimur. Quare negandum est amorem beatificum esse actionem humanam, prout de ea nunc loquimur.

20 Responsio ad vltimum Ad postremum negabunt maiorem qui putant simplicem amorem finis esse actionem necessariam. Porro, qui volunt eam esse liberam, negabunt in ea non reperiri aliquam deliberationem: quanuis enim non reperiatur deliberatio presse sũpta; reperitur tñ deliberatio latè accepta, vt dixim° §. 4. notab. 2.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Ordo seruã dus.

DEINDE considerandum est de homine in ordine ad finem. De quo tria inquiremus: primum est; an homini conueniat agere propter finem? Secundum; an actiones hominis specificentur à fine? Tertiũ denique, quomodo actiones hominis se habeant ad finem vltimum?

Circa primum: primo loco inquiremus id, quod proponitur. Deinde, an omnes actiones hominis sint propter finẽ? Tertio, an soli homini conueniat agere
D. Thom propter finem? De duobus primis agit D. Thomas in primo art. huius 1. q. de 3. agit in secundo art.

ARTICVLVS I.

Vtrum homini conueniat agere propter finem?

1 ACTVRVS D. Tho. de homine in ordine ad finem vltimum assequendũ proprijs actionibus; in primo art. statim inquirit, an homini conueniat agere propter finẽ? Hæc enim quæstio est cæterarum omnium fundamentum. De hac quæstione egimus in superiori libro q. 16. art. 1. Sed secundę conclusionis ibi positę confirmationem ad hunc locum retulimus: vt ordinem D. Thom. in hoc 2. lib. obseruaremus.

§. 1.

Refertur opinio negatiua.

2 NEgantem partem huius quæstionis probaueruntveteres quidam Philosophi, qui docuerunt non solum in actionibus naturalib⁹ omnia casu, & fortuito euenire; sed etiam in humanis. Ita censuisse quosdam ex veteribus refert Cursus Conimbr. 2. Physic. in Commẽtario ad cap. 4. in principio. Ex qua sententia infertur non conuenire homini agere propter finem: sed quidquid ab homine fit; à casu, & fortuito fieri.

3 Eadem est hęreticorũ. Eandem negantem partem probare debent illi nostri temporis hęretici, qui docent per peccatum Adami extinctũ in nobis fuisse liberum arbitriũ; Deũq; omnia in nobis operari. Quod si verum foret; foret etiam verum hominem nihil agere propter finem in sensu quæstionis propositæ: in qua illud agens dicitur agere propter finẽ, quod á se ipso mouetur ad agendum, ita vt ipsum met suas actiones operetur: posito autẽ hoc errore homo nihil operatur, sed omnia in eo operatur Deus. Ergo nihil agit homo propter finem.

Quod si dicas hæreticos illos non negare homini liberum arbitrium ad omnes actiones, sed ad eas solas, quæ ad salutem spectant; adhuc infertur negandum esse ab istis hominem ea, quæ ad salutem spectant, non posse propter finem operari. Quare apud istos actiones hominis vel omnes, vel saltem aliquæ sunt quidem propter finem, non vt sunt ab homine, sed vt sunt à Deo: Deus enim eas propter aliquem finẽ operatur, homine solùm passiue concurrente.

4 Non dissentiunt Nominales aliqui. Nec ab hac negante sententia longe absunt Nominales, qui volunt nullam caussam secundam efficere suas actiones; sed omnes fieri à caussa prima ad præsentiam caussæ secundæ: hac enim opinione posita sequitur hominẽ nihil agere propter finem; cum in suis actionibus dirigatur potius ab alio, quam se ipsum dirigat. Hę sunt sentẽtię, siue potius hi sunt errores, qui pro parte negãte referri possunt.

Fundamentum. Pro eadem hoc argumentum potest adduci: quoniam particula *propter* denotat habitudinem caussæ; vt patet: finis autem non potest esse caussa actionis, quam operatur homo; quia finis, nõ antecedit actionem hominis, sed consequitur ad eam: actio enim terminatur ad consecutionem finis. Hęc pro parte negatiua.

§. 2.

Resoluitur pars affirmatiua.

6 Aduertentia ad resolutionem. PRo explicatione aduertendum est in tota ista disputatione de fine hominis illud agens dici agere propter finem, quod seipsum in finem agit, vt patet ex D. Thoma in hac 1. q. art. 2. vt in superiori libro sæpe aduertimus, maximè q. 16. ar. 1. nam in hoc sensu homo dicitur agens morale. Quare, cũ inquirimus, an homo agat propter finem? Inquirimus, an homo ita agat propter finem,

nem, vt non ab alio, sed à seipso in finẽ dirigatur.

6 Cõclusio. Hoc ita præmisso sit conclusio affirmatiua: homini cõuenit agere propter finem. Conclusio apud omnes est indubitata. Confirmari potest, & auctoritate sacrarum literarum, & Aristotelis testimonio. Ex testimonio quidem Aristotelis: quoniam 2. Physic. cap. 5. tex. 49. ita habet: *Sunt autem alicuius gratia, quæ à mente agi possunt, & quæ à natura.* Quod verò mens ita sit gratia finis, vt se ipsam moueat in finem, satis significat Aristo. ante verba præcitata, dũ ait: *Eorum, quæ fiunt, alia fiũt, alia non fiunt alicuius gratia: & horum, alia per electionem, alia non per electionem.* Et inde colligit esse propter finem, & ea, quæ à mente fiunt, & ea, quę à natura. Quasi significet ea, quę per electionem fiunt, fieri à mente: à natura verò, quę per electionem non fiunt. Idem satis significat in eodem cap. 5. tex. 51. & 52. vbi insinuat ea, quæ à mente fiunt, ex electione fieri. Ad electionem autem mens se ipsam agit, vt patebit in 2. art. Quare ex sententia Aristotelis mens ita agit propter finem, vt se in finem moueat: vnde simpliciter agit propter finem.

7 Probatur ex sacris literis. *Ecclesiasticus.* Fauent etiam sacræ literæ: nam apud Ecclesiasticum 15. Legimus: reliquit Deus hominem in manu cõsilij sui, & adiecit mandata, & præcepta sua. *Si volueris præcepta seruare, conseruabunt te.* At si homo non ageret se in finẽ; frustra in manu sui cõsilij relinqueretur: frustra etiã à Deo modo promissionibus ad virtutem alliceretur, modo minis deterreretur à vitijs ideo enim hęc omnia à Deo homini proponuntur, vt vel amore præmij, vel timore pœnæ seipsum agat, vt prosequatur bonum, & auocetur à malo. Eandem conclusionem satis explicat vsitatus scripturæ loquendi mod⁹: dicitur enim Psalm. 118. *Inclinaui cor meũ ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.* Quę verba satis clarè significant hominem ita agere propter finem, vt se in eũ agat: Propheta enim cor suũ, hoc est suam voluntatem inclinauit ad seruanda præcepta; vt beatitudinem vltimum nostrarum actionum finem consequeretur. Petrus etiam 1. cap. 1. *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum.* Credimus enim, quę fides docet ea intentione, & fine, vt beatitudinem consequamur. Ad fidem autem voluntas libere se mouet. Ad Roman. 8. *Propter te mortificamur tota die.* Et rursus: *Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Vt alios locos omittamus in confirmanda veritate omnibus nota, & per experientiam notissima. Constat enim hominem plura operari non casu, & fortuito in incertũ tendentẽ, sed dirigentẽ suas operationes in scopum certum, & determinatum.

Psalm. *Prima Petri. 1.* *Ad Rom. 8.*

§. 3.
Rationibus idem probatur.

8 Quorundm ratio. RAtio etiam naturalis eandem veritatem demonstrat. Quidam putant eam à priori demonstrari ratione, qua D. Thomas ar. 1. demõstrat actiones humanas esse propter finem, in hunc modum: actiones, quę procedunt ab aliqua potentia, causantur, & fiunt ab ea secundum rationem sui obiecti. Sed obiectum voluntatis est finis. Ergo actiones voluntatis sunt propter finem.

Sed ratio ista longe est á demonstratione. Primo; quia ratio ista generaliter concludit de omnibus actionibus volũtatis, siue illæ liberæ sint, siue necessarię: etenim in omnibus vtraq; pręmissa verificatur. Cõstat autem non omnes actiones voluntatis esse propter finem, vt patebit ex sequenti articulo: & de necessarijs contra quosdam ostendimus libro 1. q. 16. art. 4. Peccat igitur ratio vel in forma, vel in materia, vel in vtroque: quod vltimum mihi est verius. Nã minor est satis dubia; vt patet ex dictis lib. 1. q. 2. art. 4. Maior etiam, quem faciat sensum, non satis apparet: vnde variè ab interpretibus explicatur. Inter alias explicationes illa est cõmunior; vt idem sit actiones caussari à potentia secundum rationem sui obiecti, atq; ab ea fieri cum respectu, & ordine ad suũ obiectum, & vt per eas potentia in illud tendat: quem sensum explicauit Caiet. ibi §. *In calce eiusdem articuli*, & insinuat Conradus in fine corporis, & satis explicat Bellomont. disp. 1. cap. 2. §. 3. *pars nostræ sententiæ.* Sensus igitur erit: actiones potentię caussari à potentia, vt per eas tendat in suum obiectum, quę propositio

In quo peccet. *Caietan.* *Conradus.*

positio intelligi potest, tam de obiecto intrinseco actionis, quam de extrinseco. Si intelligatur de intrinseco obiecto; minor est falsa: quia finis non est obiectum intrinsecum omnium actionũ voluntatis. Si verò intelligatur de obiecto extrinseco; dubitari potest, an sit vera: & vt admittatur; ex illa, & ex minori sub sumpta solùm colligitur voluntatem suis actionibus tendere in finem: at, quod tendat in illum mouendo se ad illum, ex præmissis deduci non potest. Libenter fateor me huius argumenti efficaciam ignorare.

9 Vera ratio cõclusionis à priori.

Omissa hac ratione possum⁹ ppositã veritatem, & à priori, & à posteriori demonstrare. A priori quidem; quia nullum agẽs potest aliquid agere, nisi prius determinetur ad certum effectum producendũ: quandiu enim indifferens est ad plures effectus, nullum eorum poterit producere; quia nulla est ratio, cur potius hunc, quam illum producat. Cũ verò nullum agens possit ad agendum moueri, nisi ex proprio appetitu (appetitus enim est principiũ omnis motus) nullum agens indifferens ad plures effect⁹ poterit determinari, nisi ex proprio appetitu. Appetit⁹ autẽ hominis est voluntas: hæc autem non potest ferri, nisi in bonum cognitum. Ergo homo nõ poterit in actionem prodire, nisi per volũtatem determinetur ad agendum ex intentione alicuius boni, quod intellect⁹ proposuit consequendum, & voluntas amauit cum intentione illius assequendi. Homo igitur, quãdo agit, simul agit propter finem, & dirigit se in finem: cũ enim sit natura intellectualis, non solũ apprehendit finem sub ratione boni, & cõuenientis, sed etiam sub ratione finis sui consecutionem finalizãtis: & ab hoc amore excitatur, & mouetur ad agendum propter talem finem.

10 2. Ratio.

Secundo cõfirmatur ex eo, quod omne agens in agendo subordinatur fini, & ab eo in agendo dependet: finis enim inter causas est omniũ prima, vt est vulgatum Philosophorum placitum. Hæc autem agentis dependentia à causa finali in eo est posita; quia nihil potest agere, nisi ad agendum moueatur ex desiderio, & intentione consequendi finem: & meritò, quia inter Philosophos constat in agente libero primum dari simplicem amorem finis: deinde illius assequendi desiderium; tertio intentionem, & propositum consequendi illum per aliqua media: præmissa autem mediorum deliberatione, & electione incipit ordo executionis ab applicatione medij, quod semper applicatur cum intentione consequẽdi finem. Hęc passim explicant Philosophi, & inter alios Fonseca 5. Metaph. cap 2. q. 10. sect. 2. ad finem, & clarius Cursus Conimb. 2. Physicorum cap. 7. q. 22. art. 1. in principio. Porro si dependentia agentis liberi in agẽdo per se est posita in hoc, quod moueatur ad agendum ex intentione consequendi finem; bene infertur hominẽ à se ipso moueri ad agendum gratia cõsequendi finem amatum. *Fonseca.*

A posteriori verò ex eo probatur eadem veritas; quia in actionibus hominis sæpissime reperitur peccatum, homo enim plerunque ab scopo deficit: at peccatum non reperitur, nisi in his, quæ sunt propter finem. 11 3. Ratio à posteriori.

Postremo; hoc interest inter agens naturale, & mentem; quod natura agit propter finem ab alio directa; vt lib. 1. q. 12. ar. 1. & 2. Diximus: cũ tamen mẽs agat propter finem ex electione, ex Aristotele 2. Physic. cap. 5. tx. 49. 51. & 52. & hæc satis pro confirmatione veritatis notissimæ. Vltima.

§. 4.

Ad argumenta initio adducta.

NEc, quæ initio adduximus, quidquam officiunt: nam sententia veterum, qui fortunę omnia tribuerũt; statim à suo principio tãquãabsurda reiecta fuit, & impugnata ab Aristotele, Platone, Cicerone, Trimegistro Plutarcho, & Seneca, vt ostendimus lib. 1. q. 11. art. vnico §. 1. Quin potius eam tanquam fidei Catholicę contrariã, & diuinam prouidentiam de medio tollẽtem cõmuni consensu impugnarunt Patres cum tota Ecclesia, vt in præcitato loco aduertimus. 12 Veterũ sententia reiecta ab Aristot. & ab aliis.

De hæreticis autem liberũ arbitriũ negantibus non est curandum. Cum in fide errent, & in pomeridiana luce cęcutiant alibi impugnandi. Et eadem ratione parui facienda est sententia Nominalium, dum agentibus creatis actiuitatem denegant: eorum enim opinio,

&

& Philosophiæ aperte repugnat, & principijs fidei contradicit: quam alio in loco diligentius impugnauimus.

13 Euertitur fundamentum. Argumentum porro, quod in contrarium fecimus, iam dissoluim⁹ lib. 1. q. 16 ar. 1. §. 3. nunc breuiter dicimus in illa propositione particulã (propter) denotare habitudinem causæ finalis: similiter admittimus finem in ordine executionis nõ esse causam actionis, per quã fit: esse tamen veram illius causam in ordine intentionis, & prout mente cõcipitur: nec hoc esse vllum inconueniens, vt ibi ex Aristotele, & Auicena ostendimus.

ARTICVLVS II.

Vtrum omnes actiones hominis sint propter finem?

§. 1.

Adductis argumentis pro negatiua nonnulla præmittuntur.

DE hoc agit D. Thomas in hac q. 1. ar. 1. Pars negatiua suadetur primo; quia actiones animæ vegetatiuę non fiunt ab homine propter finem: nec enim pendent ex volũtate hominis, sed naturaliter fiunt.

1 D. Thom. Primum argum.

Secundum. Secundo, dantur plures actiones, tam sensus, quàm intellectus, quę prẽueniũt omnem actum voluntatis, & per consequens non dicuntur voluntariæ. Vnde nec possunt esse propter finem; quia finis est voluntatis obiectum.

Tertium. Tertio, in homine dãtur plures actiones voluntatis, quę non libere, sed necessariò fiunt, vt est amor beatificus: in his homo se ipsum non dirigit: igitur eas non agit propter finem.

Quartum. Quarto, multa agit homo sine deliberatione nihil cogitans de fine; vt cùm fricat barbam, & inconsiderate mouet pedem, aut manum: quæ non fiunt propter finem.

Quintum. Quinto, prima volitio finis est ab homine, & est actio libera, atque moralis: & tamen non est propter finem. Ergo nec omnis actio humana est propter finem,

Sextum. Postremo, dantur plures actiones humanæ, quę sunt vltimi fines agentium, vt citharizatio, contemplatio, & cęteræ huius generis, Ex Aristotele 1. Ethicorũ cap. 1. hę autem actiones, cum sint vltimi fines, non possunt esse propter finẽ.

Præmissum ad resolutionem. Pro resolutione huius quæstionis prę mittendum est sermonem esse hoc loco de homine, eiusque actionibus non secundum cõsiderationem Physicam, sed secundum considerationem moralem, & prout homo est quoddam agens liberum, vt diximus in præcedenti art. & q. etenim D. Thomas in hoc libro Philosophum agit moralem: vnde hominẽ moraliter contemplatur. D. Thom.

2 Ex quo infertur nõ esse sermonem in hac quęstione de operationibus animæ vegetatiuæ; quia eas homo non operatur, nisi vt agens omnibus modis naturale: cuius actiones ad mores non pertinent. Infertur secundo non esse sermonem de actionibus non voluntarijs, quanuis secundum suam substantiã sint proprię hominis; quales sunt actiones tam sensus, quàm intellectus, quæ præueniunt omnem actum voluntatis: hæ enim fiunt etiam naturaliter, prout natura à voluntate distinguitur. Nec tertio sermonem esse de actionibus voluntarijs, quę à voluntate fiunt, non libere, sed necessariò: qualis est amor beatificus patriæ: qui licet sit voluntarius, non tamen fit à voluntate, prout est voluntas, sed prout est natura: quæ licet agat præuia cognitione (in quo distinguitur à natura condistincta contra voluntatem) non tamen agit libere, sed necessariò: in quo coincidit cum natura propriè sumpta: & dicitur natura, vt distinguitur à libero: actiones enim huius generis, cum libertatem non participent, non possunt dici morales.

4 sermo igitur est de homine, prout est agens cum libertate, & dominio suarũ actionum: sub hac enim sola consideratione pertinet ad Philosophiam moralem. Et quanuis dentur plures actiones quæ secundum substantiam sunt actiones hominis, quatenus est homo: tamen inter modos agendi solus iste (agere in quam libere, & cum dominio in actionem) est proprius hominis, quatenus est homo; quia inter agentia corporea solus homo agit cum hoc dominio. Cũ verò solus Philosophus moralis consideret in actionibus non tantum substãtiam, quantum modũ, quo fiunt; & mod⁹ proce-

procedendi libere ab agente sit propri' hominis, quatenus est agens; ideo solæ illæ actionis, quæ libere fiunt, dicuntur conuenire homini, quatenus est homo.

5 Ex his patet duo actionum genera reperiri in homine, vt agit per voluntatem: alię enim sunt liberæ; aliæ sunt necessariæ. Prioris generis dicuntur humanæ: posterioris autem dicuntur hominis. Vnde iã celebris est diuisio actionum hominis, vt est agẽs voluntarium, in actiones hominis, & in actiones humanas. Quæ diuisio sumpta est à D. Thoma in hac q. 1. ar. 1. apud quẽ actio dicitur humana; quia est ab homine, quatenus est homo, id est, quaten' agit cum libertate, & dominio in actionem. Qui modus agendi soli est proprius.

Illud repetendum est, quod quæstione 1. ar. 2. §. 4. aduertimus: actiones humanas subdiuidi in eas, quę proprie sũt humanę nõ tamen modo perfectissimo: & in eas, quę non solùm sunt proprie humanę, sed modo perfectissimo rationẽ humani participant: quales sunt, quæ rationem liberi participant modo perfectissimo: vt pote; quia procedunt à volũtate deliberata deliberatione perfecta.

§. 2.

Resoluitur quæstio quatuor conclusionibus.

9 1. Cõclusio PRo resolutione sit prima cõclusio: simpliciter concedendum est omnes actiones, quę perfectissimo modo sunt humanæ, esse propter finem. Indubitata est, & sequenti discursu demonstratur: actiones, quæ perfectissimo modo sunt humanæ, procedunt à voluntate, quę perfectissimo modo est libera. Sed omnes actiones, quę procedũt à voluntate perfectime libera, sunt propter finem. Ergo omnes actiones, quæ perfectissimè sunt humanę, sunt propter finem. Maior patet ex dictis supra q. 1. ar. 2. §. 4. notabili. 4. Enim verò actio ex eo simpliciter dicitur humana; quia est libera: igit, quę perfectissimo modo fuerit libera, perfectissimo etiam modo erit humana. Minor autem facilè patebit, si aduertamus illas actiones esse perfectissime liberas, quę insistunt circa media: quales sunt electio, & quæ illã cõmitantur, consultatio, & iudicium: & prętera, quæ ex electione exequuntur, & applicant media: in his enim actionibus præcipue enitet libertas, vt omnes agnoscunt. At huius generis actiones esse propter finem, concors est scribentium consensus: vt aduertimus lib. 1. q. 16. ar. 5. nu. 4. ita iudicarunt Fonseca, Conimbricenses, Suarius, Bellomontanus, cum omnibus antiquioribus, vide ibi n. 7. id docuit verbis expressis Aristoteles 6. Ethicorum cap. 2. tex. 8. & 9. & lib. 2. Ethic. ad Eudemum p. 1006. nu. 45. & p. 1008. in principio, quo in loco ita scribit: *Consultantes omnes gratia alicuius consultant: & scopum habent præfixum certum.* Et statim: *Tendit eo consulendo; quomodo hic finis in ipsum; adducat vel quomodo ipse perduci in finẽ possit.* Adde Aristotelem 2. Physi. cap. 5. tex. 49. *Eorum, quæ fiunt, alia fiunt, alia non fiunt gratia alicuius: & horum; alia per electionem fiunt; alia non per electionem.* Id ipsum demõstratur ratione ibi adducta. Quidquid enim homo operatur allectus amore assequendi finem, operatur propter finem: vt patet ex definitione finis: sed homo omnes istas actiones operatur allectus amore assequendi finem (voluntas enim amando finem cum intentione assequendi illum mouet intellectum ad deliberandum, & se ipsam ad eligendum, & ad vsum mediorum, vt vulgata habet Philosophia) ergo homo hasce operationes agit propter finem. Quę ratio nõ solùm cõcludit de actionib', quæ electionem proprie sumptam aut antecedunt (vt consultatio, & iudicium) aut consequuntur, vt imperium, & vsus, vt patet ex d. q. 16. ar. 5. sed etiam de illis, quę circa finem insistunt, & ad electionem, & vsum mouent, vt desiderium, & intentio, vt late diximus in d. q. 16. art. 6. Non est igitur dubitandum de veritate primę conclusionis.

Fonseca. *Aristot.*

Dubitari tamen potest; an omnes actiones humanæ absolute loquendo (siue sint perfectissimè humanę, siue non sint) fiant propter finem? Ratio dubitãdi sumitur; quia cõtrouersũ est, an simplex amor finis sit ppter finẽ? Affirmãt plures recentiorũ Molina, Suar. & Cursus Conimb. Negat cõmunior antiquiorum sententia cum pluribus ex nouioribus, Ochamus, Gabr. Greg. Heru. Ferrariẽs. Medina, Cordubens. Fõseca, & bellomont. Priores citauimus lib. 1. q. 9. ar. 5. nu. 1. posteriores ibi nu. 12. Vtrãque opinionem ibi defendimus; negantem

7 Dubitatio.

lon-

longe probabiliorem diximus, in qua sententia modo permanemus.

8 Pro resolutione 2. Cõclusio.

Pro resolutione sit secunda conclusio: probabilius est non omnes actiones humanas esse propter finem. Hanc non possunt non probare, qui putãt vel simplicem amorem finis, vel desideriũ, vel intentionẽ nõ esse gratia finis: Enim verò negari non potest istas tres actiones esse humanas. Quare cum probabilius sit amorem finis nõ esse propter finem, vtique probabilior erit nostra secunda assertio, quam opposita.

Fundamentum ex eo sumitur; quia supponitur tanquam certum, illud solũ agens agere propter finem, quod seipsũ mouet ad finem. Cum verò voluntas ad simplicem amorẽ finis se ipsam nõ moueat, sed ab alio moueatur, infertur voluntatem amorem finis non agere propter finem. Probatio minoris (in qua posita est difficultas) sumenda est ex doctrina, quam aduertimus lib. 1. q. 9. ar. 5. nu. 23. vt aliquod agens dicatur seipsum agere ad operationem, necessariũ esse, vt seipsum agat per impulsum à se ipso sibi impressum: quod etiam docuit Bellomont. 1.2. disp. 38. c. 3. nu. 10. qui impulsus est amor, & volitio finis. Est igitur necessarium, vt agens dicatur se mouere ad agendum, quod ex amore finis ad agendum moueatur. Quod primum

Dionysius. probatur ex doctrina Dionysij cap. 4. de diuinis Nominibus, amorem inquocũque agente esse principium ad agendũ, ita enim ait: *Propter amorem boni omnia agunt, quæcunque agunt.* Ex quibus verbis

D. Thom. D. Thomas 1.2. q. 28. ar. 6. concludit omne agens agere ex aliquo amore, idem repetit in 3. d. 27. q. 1. ar. 1, vnde D. Thomas multis in locis docet voluntatem ex hoc seipsam mouere; quia vult finem, ita enim scribit 1.2. q. 9. arti. 3. *Similiter voluntas, per hoc, quod vult finem mouet seipsã ad volendum ea, quæ sunt ad finem.* Quod ibidem repetit ad 1.2. & 3. Idem D. Thom. ibidem ar. 4. ita habet: *Et quidem sicut dictum est, ipsa mouet seipsam, in quantum per hoc quod vult finem, reducit seipsam ad volendũ, quæ sunt ad finem.* In eodem sensu de malo q. 6. ar. 1. Docet voluntatem ad exercitiũ actus moueri à se ipsa ex prima volitione finis. Nam & ipse intellectus seipsum non mouet ad intelligendum, nisi à cognitione principiorum. Voluntas igitur ex volitione finis mouebit seipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem. Quare, vt homo dicat seipsum agere ad aliquã actionem, necessum est, vt seipsam agat per impulsum amoris finis, quem ipse libere sibi impresit. Hac supposita doctrina facile probatur maior, voluntatem, scilicet, ad amorem finis se ipsam non mouere: etenim amorem finis non præcedit alius amor, á quo seipsam moueat. Ob hanc rationẽ D Tho. 1.2. q. 9. ar. 4. in corp. & ad 2. & 3. expresse docet voluntatem ad finis amorem non seipsam mouere, sed esse motam; & satis id explicat 1.2. q. 111. ar. 2. & id cõ

D. Thom.

Arist. firmat auctoritate Aristotelis 7. Ethic. ad Eudemum cap. 18. & lib. 2. Magn. Moralium cap. 8. quibus in locis docet primã voluntatem esse ab aliquo exteriori principio: idem cũ D. Thoma docuit

Anselmus D. Anselmꝰ in lib. de casu Diaboli c. 12.

9 Obiectio ex D Tho. Soluitur 1.

Huic cõclusioni obstat generalis doctrina D. Thomæ in hac q. 1. ar. 1. vbi in vltimis verbis concludit omnes actiones humanas esse propter finem. Cui obiectioni respondendum est D. Thomam in ea esse opinione, vt dicat volitionem finis non esse actum liberum, sed necessarium, & ideo non esse actum humanum. Respondetur secundo D. Thomam non admittere sententiam, quam putamus probabiliorem: quod tamen nõ admitterem, iuxta ea, quæ diximꝰ lib. 1. q. 9. a. 5. n. 17. Quare magis placet cõclusionẽ D. Tho. intelligẽdã esse de solis actionibꝰ, q̃ perfectissimo modo sunt humanæ.

Secundo.

Tertia conclusio: non est negandum probabiliter affirmari posse omnes actiones humanas esse propter finem. Hęc conclusio probanda est illis, qui volunt non solùm desiderium, & intentionem, sed etiam finis amorem esse propter finem. Hac enim posita opinione nulla dabitur instantia. Et cõclusio est satis cõsentiens cum vltimis verbis D. Thomæ positis in d. ar. 1. quibus generaliter asserit omnes humanas actiones esse propter finem. Et quidem, quod amor finis sit propter finem, tanquam opinionem probabilem late defendimus lib. 1. q. 9. ar. 5. nu. 55. Qua posita sententia negandum est amorem esse primum principiũ omnis actionis, si absolute loquamur; quia voluntas sine amore finis se ipsam mouet in finem ex sola bonitate boni particu-

3. Cõclusio

01

particularis sibi per intellectum propositi: quod satis docuit D. Thomas 1.2.q. 6.art. 1. dum scribit notitiam finis esse principium intrinsecũ, nõ solũ vt agens agat, sed etiam, vt agat propter finẽ mouendo scilicet seipsum in finem. Quod verò ex Dionysio, Anselmo, & D. Thoma in contrarium adduximus, intelligendũ est de motione, qua homo plena libertate, perfectissimoq; dominio seipsum ad agendum mouet; non verò de motione, qua voluntas seipsam mouet, libere quidem; concurrente tamen naturali quadam propẽsione ad bonũ reperta in voluntate ex sentẽtia D. Tho. ita intelligẽdi 1.2.q.10.ar-1. & clari' q.17.a.5. ad 3.

D. Thom.

Dionysij, Anselmi, & D. Tho. loca explicantur.

11 Notatio ad explicationem. 3. Cõclusio.

Pro cuius explicatione notandũ est voluntatẽ in õni actu liberoseipsam mouere ad agendũ: cũ enim de ratione actus liberi sit fieri cũ dominio volũtatis, & cum indifferentia ad agendũ, aut non agendum, etiam postquàm ab intellectu obiectiue determinatur; hanc indifferentiã ipsa met voluntas pro sua ingenita libertate determinat: & hinc est, vt voluntas ad õnem actũ liberũ determinet seipsam. Opus est igitur, vt ex parte voluntatis præter notitiã boni deẽ aliquod determinatiuũ illius indifferentiæ actiuæ ad agendũ. Hoc aũt, si bene philosophamur, est duplex: vnũ est naturalis propẽsio ad bonũ: alterũ est amor ipsi' boni. Primũ determinat voluntatem ad amorem boni, siue finis: secundũ verò eã determinat in ordine ad prosecutionẽ ipsius boni, & finis iã amati: enim verò voluntas determinatur ad bonũ ex naturali propensione impressa ab Auctore naturæ, vt docent Thomistæ cũ D. Tho. 1.2.q.10.ar.1. & q.17.a.5. ad 3. Ad prosecutionẽ aũt boni determinat ab amore finis: amor enim finis est principiũ õnium actionum, quæ ad consecutionem illius conducunt, vt patet ex D. Thoma 1.2.q.9.ar.4. &.q.28. art.6. & in locis supra adductis. Interest tñ maximè inter hanc, & illã determinationem: quoniã determinatio, quę prouenit ex amore finis, est ab ipsa met voluntate, quæ libere amat finem: vnde ipsa sola voluntas ad talem motionem immediate concurrit, obquam rationẽ sola volũtas seipsam mouet ad agendũ propter finẽ; nec ad hoc indiget alio extrinseco mouẽte. Porro ad mouendũ se in finẽ, nõ sola voluntas concurrit, vt mouens ad actionẽ, sed etiam Deus auctor naturæ mediante propensione naturali ad bonum, quam voluntati indidit: & ob isti causssam volũtas dicitur moueri ad amorem finis, non à se, sed a Deo, vt patet ex D. Thoma 1.2.q. 9.ar.4. & q. 17. ar.5. ad 3. quod intelligendum est in hoc sensu, vt non moueatur solum à se, sed simul etiam à Deo, mediante præcitato impulsu. Et hoc modo omnia conciliantur; quia voluntas ad vtrunq; actum (amorẽ scilicet finis, & illius effectionem) libere mouetur: sed ad hanc, à se sola; ad illũ autem à se, & à Deo.

12

Ex quo colliges rationem, cur volũtas ad agendũ propter finem concurrit pleno dominio: non tñ ad amandũ finẽ. Ratio est; quia ad agendũ propter finẽ mouetur à principio mouente, cui ipsa voluntas simpliciter dominatur: potest enĩ ñ persistere in tali amore, & subinde tollere à se tale principium: at verò ad amorem finis mouetur à principio, cui ipsa absolute ñ dominatur, ita vt possit illud à se abijcere; quia illa propensio semper manet; quãuis illi in agendo nõ omnimode subijciatur, ex eo; quia potestas boni, quod obiectiue mouet volũtatem, non excedit potestatem voluntatis; vt quia illi præsentatur sub ratione particularis boni, vt colliges ex D. Thoma 1.p.q.82.ar.2.ad.2.

D. Thom.

Ex his iam facile patet voluntatẽ nõ tãtũ mouere seipsam ex amore finis: sed etiã ex propensione naturali, quã habet ad bonũ, siue finem quod satis est, vt dicatur mouere se ad amandum finẽ propter ipsum finem. Et hoc modo tertia conclusio facile defenditur.

13 4. Cõclusio

Quarta cõclusio: solę actiones humanę sunt propter finẽ. Hęc conclusio ostẽditur, quoniam omnes actiones, quę fiũt ab homine, vel sunt hominis, vel sunt humanæ. Actiones humanę sunt propter finẽ, vt ostensum est: non tñ actiones hominis; quia sunt indeliberatæ. Ergo solę actiones humanæ sunt propter finem. Hęc cõclusio satis est de mente D. Thomæ, & communiter recipitur.

Quidã ex recẽtioribus (quorum sententiam putat probabilem Suarius 1.2. quæst. 1. disput. 2. quęstiunc. 2.) hanc conclusionẽ nõ recipiunt; si actio humana idem est, quod libera, vt supponim': datur

datur enim actio propter finem, quę nō est humana. Amor scilicet beatificus: qui in sensu explicato non est actus humanus; quia nō est liber: & tamen est ꝓpter finē, quod putant se probasse. Negant deinde D. Thom. pro nobis esse: nec enim vnquam dixit solam actionē humanam esse propter finem; sed solùm asseruit ōnes actiones humanas esse gratia finis: cum quo stat aliquas actiones non humanas esse propter finē. Quin potius, quod assertio exclusiua non sit de mēte D. Thomæ inde deducit Suarius; quod
D.Thom. D. Thomas in 2.ar. immediate inquirit; Vtrum agere propter finē sit proprium homini? Quod superflue inquireret, si in 1.art. conclusiisset solas actiones humanas esse ꝓpter finē: inde enim bene inferret solū hominē ꝓpter finē agere.

15 Solutio instantiæ. Sed nec audiendi sunt in sua instātia; nec in explicatione D. Thomæ. Nō sunt audiendi in instantia: quoniam lib. 1. q. 16. ar. 4. §. 2. & 3. late ostendimus amorē beatificum nō esse propter finem. Quod verō mentem D. Thomę non perceperint,
D.Thom. facile demonstrari potest. Nam
Explicatio. quanuis D. Thomas expresse non ponat propositionem exclusiuam: tamen ex discursu articuli euidenter constat mēte, & sensum D. Thomę esse exclusiuū. Aduertendum est igitur D. Thomam in discursu articuli duo tantum actionum genera in homine agnoscere: actiones, scilicet humanas, & hominis. Patet itē D. Thomam eas actiones appellare hominis, quæ non sunt humanę, ita enim scribit: *Illæ ergo actiones proprie humanæ dicuntur, quæ à voluntate deliberata proceduntsi quæ autem aliæ actiones homini conueniunt; possunt dici quidem hominis, sed non proprie humanæ.* Inter istas actiones hoc discrimen ponit, vt actiones humanæ sint propter finem (id enī expressit in fine corporis) actiōes hominis nō itē, vt expressit ad 3. & omnes interpretes fatentur esse doctrinam D. Thomæ actiones hominis nō esse propter finem, sed humanas.

His præiactis facile domonstratur exclusiuam conclusionem, *Solas inquam actiones humanas esse propter finē*; esse de mēte D. Thomę: quod hoc discursu conficio: *Omnes actiones, quæ fiunt ab homine, vel sunt humanæ, vel hominis.* Hanc probant verba superius posita. *Sed actiones hominis non sunt propter finem:* patet ad 3, & est cōmune proloquium huius articuli: *Actiones verò humanæ sunt propter finem:* Ita concludit in fine corporis. *Ergo ex actionibus, quæ fiunt ab homine, solæ humanæ sunt propter finem.* Hæc consequentia ex regulis exponibilium est nota: ita enim exponetur: omnes actiones humanę sunt propter finē: & nulla actio non humana est propter finem. Ergo solę actiones humanę sunt propter finem; Minor huius discursus patet; quia omnis actio non humana est actio hominis; nulla autem actio hominis est propter finem.

Obiectio verò ex Suario facile eliditur, si aduertas D. Thomam in primo articulo solùm egisse de actionibus, quæ ab homine fiūt: ita enim inquit in principio articuli: *Dicendū, quod actionum, quæ ab homine fiunt; illæ, &c.* Patet etiam ex verbis supra allatis: *Si quæ autem aliæ actiones homini conueniunt.* Igitur has solùm actiones diuidit in humanas, & hominis, & concludit ex illis actionibus solas humanas esse propter finem. Quare adhuc relinquitur locus inquirendi, an solus homo agat propter finem, de quo in sequenti articulo. 16

§. 3.

Soluuntur argumenta initio allata.

AD primum eorum, quæ in contrarium allata sunt, patet solutio: quoniam non est sermo, nisi de actionibus, quæ conueniunt homini, prout est agens morale: cuius generis nō sunt actiones animę vegetatiuæ. 17 Solutio 1.argum.

Quomodo soluitur secundum argumentum; quia illę actiones non sunt morales. Secundi.

Similiter soluitur tertiū; quia amor beatificus nec est actus humanus; nec est propter finem, vt patet ex quarta conclusione. Tertij.

Ad quartū admittim' actiones istas non esse propter finem; quia sunt actiones hominis, vt aduertit D. Thomas in hac quęstione prima, artic. 1. in corp. & ad 3. Quarti.

Quintū argumentū tangit duas quæstiones satis controuersas: prima est; an volitio finis sit actio necessaria? Secūda an si est actio libera, sit ꝓpter finē? Illi, q putāt primā volitionē finis esse necessa- Quinti.

riam

facile admittunt eã nõ esse propter finẽ, quia non est actio moralis, aut humana. At, qui volunt eam esse liberã, & humanam; si simul existimant eã non esse propter finẽ; libenter cõcedent nõ omnes actiones humanas esse propter finẽ, iuxta secundã conclusionẽ: quã nos existimamus probabiliorẽ. Ad. D. Thom. iam respondimus ad finem conclusionis secũdæ. At, qui putant amorẽ finis esse ꝓpter finem: cum simul defendant omnes actiones humanas esse propter finem; ad argumentũ negabunt minorem: quã sententiam nos vt probabilem defendimus lib. primo quæstione 9. ar. 5. nu. 55.

18 Solutio vltimi.

Ad postremũ argumentũ facilis est solutio, si dicamus actiones, de quibus agitur, dici ab Aristot. vltimos fines, nõ quidem operãtis, siue artificis; sed ipsarum artium, à quibus traduntur, vt ipse met Aristot. explicat, & cum eo D. Tho. 1. p. q. 103. ar. 2. ad 2. ars enim citharista pro vltimo fine habet citharizationem; sicut etiam scientia speculatiua nihil nisi speculationem intendit: in quo distinguitur à practica; ars enim domificandi nõ domificationem intendit, sed domum. Illæ igitur actiones, quę suis artib⁹, seu scientijs sunt vltimus finis, possunt non esse tales ipsis artificibus: possunt enim ab illis referri ad alios fines; quia scientificus potest speculari, vel propter ipsum scire, vel propter gloriã vel deniq; propter Dei cultum, & bonũ cõmune Ecclesiæ: sicut etiam citharista potest actionem artis referre vel ad lucrum, vel ad animi recreationem: & sub hac ratione dicuntur humanæ, & sunt propter finem, etiam quando fiunt propter se ipsas.

Arist. *D. Thom.*

19 *D. Thom.*

Quod vt melius intelligas aduerte diligenter conclusionẽ D. Thomę in hoc ar. 1. ad 2. dum asserit actionem õnem humanã fieri propter finem; etiã si quis agat actionem humanã, quam sibi tanquã finem vltimũ constituit: nã si homo actionem aliquã humanam (v. g. speculationem alicuius veritatis) pro vltimo fine sibi proponat; adhuc eam exercet propter finem; ipsam nimirum speculationem propter se sumptã. Similiter si pro vltimo fine sibi cõstituit dationem eleemosynę: adhuc enim ipsa datio eleemosynę, vt voluntariè exercita, exercetur propter seipsam, vt est quoddã bonũ terminãs volitionẽ. Itaq; ipsa met actio propter se sumpta, & ratione suæ bonitatis potest esse finis sui ipsius, vt est libere exercita. Aduertendũ est enim, qd licet actio humana v. g. eleemosyna habeat, quod sit humana ex eo, quod libere exercetur: potest tñ dupliciter cõsiderari; vno modo in actu exercito, altero in actu signato. Tunc considerat in actu exercito, cũ consideratur, vt actu exercetur, & libere elicitur: in actu verò signato cõsiderat, cũ ipsa in seipsa cõcipit tanquãquoddam obiectum bonũ, & appetibile, & hoc modo concipitur antequã exerceatur, & actu imperetur: pri⁹ enim datio illa eleemosynæ concipitur ab intellectu, vt bonum quoddam, & vt tale amatur à voluntate; quam ipsamet à parte rei imperetur, & exerceatur. Ipsa igitur actio humana secundum se sumpta, & prout in actu signato est humana, ratione suæ bonitatis potest esse finis sui ipsius, prout exercite est humana. Et ad hunc sensum intelliges *D.* Tho. loc. cit. & ea, quę Caiet. in fine sui cõmẽti, subtiliter qdẽ, sed satis obscure docet.

D. Thom. *Caietan.*

Ex qua doctrina infertur verissimũ esse id qd D. Tho. ibi asserit nullũ sc. actum elicitum á voluntate esse posse vltimum finẽ, propter quẽ voluntas operet: quod tñ intellige de actu elicito, quo volũtas imperat actionẽ aliquã humanã: hęc enĩ nõ potest esse vltimus finis; quia volũtas hunc actũ elicit propter actionem illã humanã, quã fieri imperat: quã eandem in actu signato pri⁹ voluit vt finẽ. Quod tñ non impedit, quin aliquis actus volũtatis à volũtate quidẽ imperatè eliciẽdus, possit esse vltim⁹ finis, propter quẽ voluntas agat: quãuis Medina, & cõmuniter Thomistæ id negẽt: nam potest voluntas imperare sibi, vt vacet Deo, eũq; amet: qui quidẽ actus volitus vt finis in ordine intentionis; in ordine executionis debet elici ab ipsa voluntate; imperatè tamen: & subinde per aliam volitionẽ, quavolũtas imperet sibi executionẽ illi⁹ actionis, quã vt finẽ sibi voluit. Quãdo igitur voluntas à se ipsa imperata in ordine executionis elicit amorem Dei, quẽ eliciendũ sibi ꝓposuit: talis act⁹, vt imperatè volitus, & elicitus, est humanus, & idem ipse in ordine intentionis volitus, & obiectiue amatus propter propriam bonitatem, finalizauit se ipsũ

20

in ordine executionis modo humano exequendum. Igitur quando D. Thomas negat actum elicitum à voluntate esse posse finem, propter quem voluntas operetur; agit de actu, qui solùm est elicitus vt imperans: iste enim semper supponit alium actũ priorem, amorem scilicet illius imperati, qui finaliza re non poterat imperium sui, nisi ante imperium esset à volũtate iam amatus. Quare actus voluntatis in ordine executionis imperatè eliciendus à voluntate potest esse vltimus finis, propter quem volũtas operetur, vt patet in exẽplo amoris Dei iam adducto. Quod est in hac materia diligentissime aduertẽdũ, vt intelligantur ea, quę satis obscure docet D. Thomas in d. art. 1. ad 2.

ARTICVLVS III.

An soli homini conueniat agere propter finem?

1 D. Thom. DE hoc agit D. Thomas in hac q. 1. art. 2. nam cum in 1. ar. ostendisset inter actiones hominis solas humanas esse propter finẽ; consequenter inquirendum erat; vtrum inter agentia solus homo propter finẽ ageret: ita fit, vt exclusiua præcedentis articuli: *Solæ actiones humanæ sunt propter finem*; non impediat huius articuli excitationẽ, quãuis quidã Modern⁹ de hoc dubitauerit. Et aduertendũ est D. Thom. in 2. art. inquirere, vtrũ agere propter finem sit proprium rationalis creaturæ? vbi nomine, *rationalis creaturæ*, intellexit hominẽ: angelus enim est natura intellectualis. Nos autẽ maioris claritatis gratia quæstionẽ de homine excitauimus. In quo articulo hominẽ conferimus nõ cũ angelo (constat enim angelũ esse liberę naturę, & ob id agere propter finẽ) sed cũ agentibus corporeis; nimirũ cũ agẽte naturali, siue agat sine cognitione, vt est natura, siue cũ cognitione, quale est brutũ. Titulus quęstionis, cũ sit exclusiuus, duas cõtinet exponentes. Prima, an homo agat ꝓpter finẽ? Secunda, an aliquod aliud agens præter hominẽ finẽ intendat? Priorẽ iã expediuim⁹ in duobus præcedentibus articulis: in hoc articulo expediemus posteriorem.

2 Quorũdam sententia. Quod non solus homo agat propter finẽ mouendo scilicet se in finẽ, docuerunt quidã ex antiquis Philosophis, qui tam naturę, quàm brutis intellectũ, & rationẽ tribuerũt. Ita de natura docuisse Plethonẽ, siue Gemistũ græcũ auctorẽ testatur Curs. Conimb. lib. 2. Physic. cap. 9. q. 2. ar. 3. in princ. De brutis idem existimasse Porphyriũ lib. 3. de abstinẽtia pleriq; referunt. Anaxagorã item cũ Pythagora eiusdẽ fuisse sententiæ refert Plutarc. lib. 5. de placitis cap. 20. à qua idem Plutarch. non longe abest in Dialogo, quem inscripsit, quod brutis ratio insit. Nec defuerũt ex recentioribꝰ, qui huic opinioni patrocinarentur, si credendum est Curs. Conimb. vbi supra q. 3. ar. 1. in principio. Enim verò si, aut natura, aut bruta pollent intellectu, & voluntate; non carebũt deliberatione, qua seipsa agant in finẽ. Vnde necessariò inferretur agere propter finem non soli homini conuenire. *Plethon.* *Porphyriꝰ* *Anaxago.* *Pythagor.* *Plutarchꝰ*

Sed cũ duæ sententię delyrio sint simi- Reijcitur.
les, vt late ostendimus lib. 1. nõ est quod in illarũ impugnatione iterũ imoremur Destructo aũt fundamento destruat ędificiũ necesse est. Quare cũ nullum agẽs intellectu, & ratione carẽs possit se mouere in finẽ; quia hoc propriũ est agẽtis liberi: solꝰ autẽ homo inter agentia corporea præditus sit intellectu, & voluntate, vtiq; solus homo potest agere propter finem. Quæ dicenda erant in confirmationem articuli petẽda sunt ex quæstione an natura, & bruta agant ꝓpter finem, de qua late egimus lib. 1.

QVÆSTIO III.

De specificatione actionis humanæ ex fine.

POstituimus in præcedente q. actiones humanas esse ꝓpter finẽ: inquirendũ erat secundo loco, an illę sumerent suã specificationẽ à fine? Nã explicato principio effectiuo entitatis; ordo naturæ postulabat, vt explicaretur principiũ specificatiuũ essentiæ. Et ob hanc rationẽ D. Thom. in hac q. 1. postquã in duobꝰ primis articulis constituit actiones humanas esse ꝓpter finẽ; statim in 3. art. inquirit, an actiones humanæ accipiant speciem à fine? Quam etiam quæstionem excitat inferius q. 18. art. 6.

Sed

Sed quoniam accurata huius quęstionis explicatio plura supponit, tum de distinctione esse moralis ab esse naturali earundem humanarũ actionum: tum etiam de distinctione actuum humanorum, per quos voluntas versatur circa finẽ, tum deniq; de bonitate, & malitia morali humanorum actuũ, quæ longam postulant disputationẽ, quæ potius pertinet ad tractatũ de bonitate, & malitia humanorũ operũ, de qua late disputat D. Thom. in hac 1.2.q.18.19.& 20. ideo huius quæstionis explicationẽ relinquimus, eã aliquando fauente Deo diligentius explicaturi in præcitato tractatu de bonitate, & malitia actuum humanorum, quare ad quęstiones consequẽtes accedamus.

PRÆFATIO IN sequentes quæstiones.

Ordo deinceps seruandus,

IVXTA ordinem initio huius libri propositum considerãdus est homo in ordine ad vltimum finem: quam considerationẽ aggreditur D. Thomas ab articulo quarto huius quæstionis primæ, eamq; persequitur vsque ad finem quęstionis. De homine igitur in ordine ad finem vltimum primum considerandũ est; an in finibus detur processus in infinitum; an verò deueniendum sit ad finẽ vltimum? Deinde agendũ erit de vnitate, aut pluralitate finis vltimi. Tertio de appetibilitate illius. Postremo de cõ cursu vltimi finis cũ finibus proximis.

QVÆSTIO IIII.

Quę sunt in hac quęstione inquirẽda.

QVOD attinet ad primum, de processu in infinitum in finibus multa inquirẽda sũt. Primo inquirendum est, in quo posita sit essentialis subalternatio finium? Secũdo, an in finibus essentialiter subordinatis dari possit ascendẽdo sursum versus infinitus processus? Tertio, Vtrum dari possit infinitus processus cum dependentia ab vno fine posito extra totam seriem? Quarto, Vtrum sit possibilis infinitus processus descendendo deorsum versus per medios fines? Postremo, Vtrum ex negatione processus in infinitum bene inferatur dari vltimũ finem simpliciter.

ARTICVLVS I.

In quo posita sit essentialis subalternatio finium?

§. 1.

In quo posita sit subalternatio caussarum, & quotuplex detur?

1 *Scotus. Fonseca.*

DE subalternatione caussarum agit Scotus in 1. distinct. 2. quæstio. 1. articulo primo litera I. diligentius Fonseca 2. Metaphysic. cap. 2. quæstio. 1. sectio. 2. Subalternatio autem ex eodem Fonseca in sua ratione includit plurium caussarum in agendo dependentiam in ordine ad eundem effectum. Quare caussæ dicuntur subordinatæ, quæ in caussando effectum inter se aliquam habent dependentiam. Hæc potest esse duplex, vna per se, altera per accidens. Quod tanquam vulgatissimum supponit Diuus Thomas in hoc articulo quarto. Tunc datur dependentia per se, cùm caussæ in agendo effectum ita se habent, vt vna necessariò postulet aliam: per accidens autem tũc erit; cùm respectu effectus vna aliam necessariò non exigit. *D. Thom.*

2 Dubitatio.

Dubitari tamen potest, vtrum idem sit caussas esse per se ordinatas; & esse ordinatas essentialiter? Quidam hæc duo distingunt; vt Capreolus in secundo distinctione 20. quæstione prima, articulo tertio in fine ad quartum argumentum, quem sequuntur Conradus, & Medina in hoc articulo: nam pater, auus, proauus, & reliqui ascendentes habent per se ordinem ad filium genitũ; quia nec iste filius esse potest, nisi ab hoc patre; nec iste pater nisi ab hoc auo, & sic consequenter: & tamen inter *Capreolus Medina.*

se non habent essentialem subordinationem vt patet.

Alij putant idem prorsus esse causas esse per se ordinatas, & esse ordinatas essentialiter. Ita Fonseca vbi supra, & satis videtur de mẽte D. Thomæ in hoc articulo quarto; dum asserit in ijs, quę per se habent ordinem, non dari progressum in infinitum: quę doctrina vera est in solis essentialiter ordinatis, vt ex dicendis patebit.

Fonseca. *D.Thom.*

Controuersia dirimenda est, vt hæc posterior opinio vera sit, si proprijsime loquendum est: prior verò, si nomen *Ordinis per se*, sumatur vt late fusum & prout distinguitur à per accidens: nec enim negandus est per se ordo inter causas diuersorum generum; quarum concursum in agendo nullus philosophorum accidentarium vnquam appellauit; cum vna sine alijs causare nequeat: at tamen inter eas non datur ordo essentialis, nec essentialis subalternatio, vt ex dicendis patebit. Simili modo dicendum erit de ordine Patris, & ascendentium: nec enim ordinem illum dixerim simpliciter peraccidens; sed inter eos aliquam perfeitatem admiserim: non tamen essentialem. Quare, vt res fiat planior, tres constituemus subalternationes causarum: per se, & peraccidens: diuiso priori membro in subalternationem essentialem, & non essentialem.

Solutio.

§. 2.
Explicatur ratio subalternationis essentialis.

3 AD ordinem subalternationemque essentialem causarum illud omnium consensu simpliciter est necessariũ, vt vna causa ex sua natura dependeat ab alia in causando; quod sine probatione sumit Scotus vbi supra; probat tamen Fonseca ex communi proloquio Aristotelis 2. Physic. cap. 2. tex. 26. *Sol & homo generant hominem.* Quæ verba significant hominem in generando à cõ cursu solis necessariõ pendere tanquã causam in agendo inferiorem. At causa superior est causa inferioris ex eodem Aristotele d. cap. 2. text. 10. & in 2. Metaphysic. cap. 2. text. 6. non quidem in conseruando, vt male putat Durandus 2. d. 1. q. 5. sed in agendo, & quoad suam actionem; ita vt eam elicere non possit, nisi causa superior simul eandẽ eliciat: quæ est communis Philosophia, de qua Fonseca loco citato, Cursus Conimbr. 2. Physicorum cap. 7. quęst. 12. art. 2. §. *Porro nostra conclusio*, & art. 3. ad 3. latissime Suarius in Metaphysic. disput. 21. sectio. 1. & 2. Quam tanquam verissimam supponimus. Quare causas esse essentialiter subordinatas nihil aliud est, quam vnã ab alia ita dependere, vt alia simul cum ea concurrat, non solùm ad ipsum numero effectum, sed etiam ad ipsum caussandi actum, siue caussalitatem. Quare à ratione essentialis subalternationis reijcitur dependentia, & subordinatio reperta inter quatuor causarum genera inter se cõparata: quoniam licet habeant per se dependentiam, & subordinationem in ordine ad vnum, & eundem effectũ; quẽ sine mutuo omnium concursu nequeũt caussare: in sua tamen caussalitate vna non habet dependentiã ab alia: sed quæ libet est suę causalitatis integra, & totalis causa. Quod fuit fundamentum Fonsecæ, vt affirmaret vnũ genus caussæ nullo modo dici posse alteri essentialiter subordinatum. A fortiori à ratione essentialis subalternationis reijcitur dependentia, quæ cernitur inter patrẽ; & auum respectu filij geniti. Nã licet pater aliquo modo pendeat ab auo; non tamen pendet in caussando, sed solùm in essendo, quatenus, nisi ab eo esset genit[a] non posset & ipse filiũ generare: quę dependentia, licet aliquam includat ordinis perfeitatem; illa tamẽ est adeo impropria, vt non dubitauerit Auicen. 6. suæ Metaphy. cap. 5. eam appellare accidentariã, quem Scotus loco citato probat: nã patrẽ esse genitũ ab auo solũ cõcurrit ad generationẽ filij, vt quoddam prærequisitum, vt pater generet.

Scotus. *Fonseca.* *Aristot.* *Aristot.* *Durand.* *Auicena.* *Scotus.*

Ex his, quæ diximus, primum colligimus in causis essentialiter subordinatis non solùm opus esse, vt vna sit superior altera; sed etiam vt ratio caussandi superioris sit nobilior, & perfectior, quam inferioris. Quod post Scotum aduertit Fonseca: nam cum vna caussa ab altera in caussando pẽdeat; nõ potest caussa inferior nõ habere modũ caussandi longe inferioris rationis, & ordinis.

4 Primũ consectarium. *Scotus.* *Fonseca.*

Ex

Ex quo rursus collige causſas essentialiter subordinatas nō posse esse eiusdem speciei,& rationis:quod etiam aduertit Fonseca : quę enim causſę eiusdē sunt speciei , ex sua natura sunt in causſando virtute pares.Debent tamen esse eiusdem generis: quia in eodem genere vna potest in sua causſalitate pendere ab alia ; ita vt illius causſalitas non sit integrum, & sufficiens principium : secus dicendum esset,si diuersi forent generis : quælibet enim in suo genere ad suam causſalitatem sufficiens est , & independens ab alia.

Tertium. *Fonseca. Scotus.* Denique colligitur testibus Fonseca, & Scoto omnes causſas essētialiter subordinatas simul concurrere ad eūdem effectum: etenim in omnibus datur vna causſalitas ab omnibus emanans. Vtrū verò in earum cōcursibus detur aliqua naturę prioritas? Alterius est quæstionis, quę ad nostrum institutum minimè pertinet.

§. 3.

In quo sit posita eſsentialis subalternatio finium.

5 Alia corollaria. Primum. EX ijs,quæ dicta sunt,licet colligere,in quonam sit posita essentialis finium subalternatio ? Primum enim requiritur , vt dentur plures fines, qui actionem agentis finalizent. Deinde;vt vnus ex se in finalizando pendeat ab alio;ita vt vterque concurrat ad eūdem actum finalizationis,quicunque ille sit. Tertiò;quod vnus eorum sit inferior, & proximus , & alius superior habens nobiliorem finalizandi rationem. Quartò denique,vt inferior suam causſalitatem non exerceat,nisi alius ad eādem simul concurrat. Itaque duos, aut plures fines inter se essentialiter subalternari non est aliud, quàm vnū ab alio ita dependere,vt alij cum eo simul concurrant , non modo ad eundem effectū, sed ad eandem causſalitatem,qua causſatur effectus.

Secundum. Tertium. Quartum.

6 Primum dubium. Vasquij sententia. Sed possunt nonnulla hoc loco inquiri. Primum est; an aliquorum finiū subalternatio sit posſibilis ? Rationē dubitandi facit opinio Bellomontani,qui ab scholis relegat omnes fines intermedios, tam proximos, quàm remotos; & vnicum tantum admittit finem in qualibet intentionis serie , qui solus finalizet omnia illius seriei intermedia. Cōstat autem ex supradictis non dari essētialem subalternationem,nisi plures fines in eadem serie concurrant. Et quidem si hęc opinio vera foret;vtique inter fines nulla posſibilis esſet subalternatio in serie operantis. At opinio illa veluti singularis, & paradoxa ab omnibus reijcitur : paradoxum enim videri debet negare subalternationem essentialem inter fines , nam illam dari tanquam notissimum supponit D.Thomas cum cęteris omnibus in hoc ar.4. & facilè probatur ex vulgata diuisione finis in vltimum,& non vltimum,siue mediū, quam contra Bellomontonum defendimus superiori libro q. 2. Admittendum igitur est dari fines, qui ex sua natura in alium finem sunt referibiles : licet enim finis sub ratione finis sibi vendicet esse bonum appetibile propter se , & in hoc distinguatur à medio : id tamen nō excludit, quod possit appeti propter alium finem etiam in eadem serie , vt latè demonstrauimus in d.q.2.& ratio patet; quia non omnia , quæ habent bonitatem propter se appetibilē,excludunt referibilitatem in aliam bonitatem: nā bona per participationem , quantūuis habeant bonitatem propter se appetibilem ; eam tamen habent ex sua natura referibilem ad vltimam bonitatem imparticipatam , vt patet ex Aristotele 1. magnorum Moral. c.1. Ex quo necessario colligitur non idem esse *appetibile propter se*,& *vltimate appetibile:* quia nō idem est *bonum ex se bonum*, & *bonum imparticipabile :* datur enim bonum participatum , quod est bonum propter se. Itaq; dantur plura bona , quæ licet habeant alia bona ad se referibilia ; ipsa tamen ad alia referūtur: sanitas enim licet sua bonitate finalizet medicamenta;est tamen referibilis ad felicitatem , cuius est quędam particula, vt docet Aristoteles: vnde potest etiam propter felicitatem appeti in eadē serie, in qua propter alia appetitur, de quo latè in d. q.2.

Ab omnib⁹ reijcitur. D.Thom. Ariſt.

Secundò inquiri potest;quinam fines habeant hanc essentialem subalternationem ? Respondetur omnes fines non vltimos essētialiter subalternari finivltimo : probatur ex eo ; quoniam ad ordinem agentium sequitur ordo in finibus , vt monstrat D. Thomas 3. contra

7 Secundum dubium. D.Thom.

Gentes c.17. Sed omnes cauſſæ ſecundę in agendo eſſentialiter ſubalternantur primæ cauſſæ, vt habet recepta philoſophia. Ergo omnes fines non vltimi in finalizando eſſentialiter ſubalternãtur fini vltimo, & omnium ſupremo, à quo virtutem finalizandi participant, tanquam à prima idea finium. Poteſt etiã dari inter fines non vltimos eſſentialis ſubalternatio, idque ex natura ipſorum finium, nam finis artis frenifactiuæ (quę eſt fabricatio freni) ex ſua natura ordinatur ad finem equeſtris: & hic ad finẽ artis militaris: hic autem ad victoriã, quæ eſt vltimus finis á duce intentus. Similiter dicendum eſt de finibus officiorum ciuitatis in doctrina politica; omnes enim per ſe ordinate reſpiciunt vnum politicæ finem, pacificum inquã reipublicæ conuictum, quem rector ciuitatis immediatè intendit. Denique factio potionis ex ſua natura reſpicit purgationem: purgatio extenuationem; hæc autem ſanitatem.

8 Tertium dubium. Rationesdubitandi pro parte negatiua.

Poſtremò dubitari poteſt; an omnis ſubalternatio finium, quæ fit ab operãte, ſit eſſentialis? Ratio dubitandi eſt: quia ex intentione operantis vnus finis poteſt alteri ſubalternari, quanuis ex ſua natura non ſit illi ſubalternatus: poteſt enim quis deſiderare ſanitatem, vt expeditius vacet aut ſtudio, aut negotiationi, quorum finium dependentia non poteſt non eſſe accidentaria. Deinde ex intentione agentis poſſunt ſubalternari, quæ eiuſdem ſunt ſpeciei, nec habent ordinem ſuperioris, & inferioris, vt patet in agricola, qui expetit frumentum, vt eo ſato accipiat aliud. Poteſt adhuc operans, quę ex ſua natura ſunt ſuperiora, & nobiliora ordinare ad inferiora, & minus nobilia tanquam ad finem: quod eſſentiali ſubalternationi repugnat.

9 Communis & affirmatiua ſententia probatur cũ Fonſeca. Fundamentum.

Nihilominus tamen communis philoſophorum doctrina, quam probat Fõſeca 2. Metaph. c.2.q.1.ſect.2. ad finem, in omni operantis coordinatione agnoſcit veram, & eſſentialem finium ſubalternationem. Fundamẽtum ex eo ſumi poteſt, quoniã ratio eſſentialis ſubalternationis per ſe ſumitur ex dependentia in finalizando, quę reperitur in vno bono in ordine ad aliud: hęc autem fundatur in vtilitate, quę in vno bono reperitur, ſi cum alio conferatur. Cum verò nullum poſsit dari bonum quantumcunque perfectum, in quo non reperiatur aliqua ratio vtilitatis reſpectu aſſecutionis alterius boni, etiam minoris: quanuis ex ſua natura non ſit ordinatum ad eam: ideo non datur bonũ, quod aliquo modo non ſit ordinabile ad aſſecutionem alterius, quod ſatis eſt ad fundandam eſſentialem ſubalternationem. Exemplis fiet res clarior, nam Incarnatio Verbi diuini (quæ eſt bonum maximè perfectum) ex natura ſuæ perfectionis habet rationem valoris infiniti: quæ valoris infinitas vtilis eſt ad ſatisfaciendum pro peccatis humanæ naturæ, & ratione huius vtilitatis incarnatio aliquo modo finalizata eſt à bonitate Redemptionis generis humani: ita vt volitio redẽptionis, quæ fuit in Deo, finalizauerit actum incarnationis: quãuis incarnatio ipſa ex ſua natura intrinſece non ſit ordinata ad redemptionẽ. Incarnatio igitur abſolutè eſt bonum quoddam ſuperius, quàm redemptio: tamen ſub ratione illius vtilitatis minus eſt bonum, & aliquo modo ordinabile ad redemptionẽ. Quod ſatis eſt, vt ſubalternatio illa ex parte Dei non inſtituentis quidem rerum naturas; ſed naturas inſtitutas diſponentis, non ſit per accidens, ſed per ſe. Primum exemplum.

Idem reperitur in exemplo agricolę: quoniam frumentum ex natura ſua eſt ſeminabile, & eius ſeminatio vtilis eſt ad recipiendum frumenti copiã; & ideo in ſubalternatione frumenti ad copiam eiuſdem frumenti aliqua reperitur ratio eſſentialis ſubordinationis. Quanuis autem duo illa frumenta ſint eiuſdẽ ſpeciei in genere naturæ: non tamen in genere bonitatis: quia copia frumenti appetitur propter ſe: ſeminatio autem eiuſdem propter aliud. Denique in quocunque bono, quod ex intentione operantis in aliud ordinatur; ſemper reperitur aliquod fundamentum vtilitatis ad aſſecutionem boni, quod propter ſe amatur. Quare ſiue fines ex ſua natura ſint inter ſe ſubalterni, ſiue ex intentione operantis ſubalternentur; ſemper inter eos cernitur vera ratio eſſentialis ſubalternationis; quanuis in vna illa ordinatio ſit perfectior, quã in alia. 10 Secundum.

Intereſt tamen plurimum inter vnũ, & al-

& alterum subalternandi modum: quoniam quæ sola intentione operãtis subalternantur, dependentiam, & concursum consequũtur ex sola intentione operantis; & ideo opus est, vt ab operante ad aliud referantur, vt subalternari dicantur: quod tamen non necessariò requiritur in ijs, quę ex natura rei sunt inter se subalternata; quãuis enim agẽs inferiores fines non ordinauerit ad superiores, tamen semper dicitur virtute hos velle propter alios, vt inferiùs ostẽdemus.

ARTICVLVS II.

An in finibus essentialiter subordinatis ascendẽdo dari possit progressus in infinitum?

1 In parte negante cõsentiunt omnes Philosophi.

INITIO huius quæstionis illud supposuimus summum semper fuisse philosophorum cõsensum infinitionem in causis essentialiter subordinatis esse simpliciter impossibilẽ: nullus enim ita insaniuit, vt diceret rem eandem ab infinitis causis essentialiter subordinatis aut pendere, aut pendere posse, vt bene aduertit Fõseca 2. Metap. c. 2. q. 1. sect. 4. pag. 350. Vnde Arist. 2. Metaphy. c. 2. in principio affirmat impossibilitatem illam esse omnibus perspicuam: nec in hoc habuit aduersarium, sed finxit, vt veritatem rationibus demõstraret. Eandem sententiam in causis finalibus probauit idem Arist. in d. c. 2. tex. 8. & 9. & in 2. Ethic. c. 2. in principio, & & vtrobique omnes Aristotelis interpretes. Ex Theologis D. Thomas in hoc art. 4. vbi Caiet. Conradus, Medina, Porrecta cum cæteris. Idem D. Thomas 1. contra Gent. c. 38. argument. 4. vbi Ferrariensis, latè Scotus in 1. d. 2. q. 1. ar. 1. §. *Iuxta tres conclusiones*, litera N. & in 2. Metaphysic. q. 6. vbi Fonseca q. 1. sect. 4. Cursus Conimbr. in Ethicis disp. 2. q. 3. latissimè Suarius in Metaph. disp. 24. sectio. 1. vt alios ommittamus.

Fonseca. Aristot.

D. Thom. Caietan. Conradus. Medina. Porrecta. Ferrarien. Scotus.

2 Huius sentẽtiæ demonstratio ex Aristot.

Tota difficultas posita semper fuit in demonstranda hac veritate: omnes autem, quę hac de re fiunt demonstrationes reuocantur ad vnicam Aristotelis, quæ ponitur 2. Metaph. c. 2. text. 8. nam in illa finium subordinatorum infinita serie vel deuentum est ad aliquem finẽ, qui nulli sit gratia, cæteri verò omnes sint gratia illius: vel ad nullum deuentũ est. Si deuentum est ad talem finem; non datur progressus in infinitum, vt patet, & vt indubitatum omnes supponunt. Si verò ad nullum talem deueniri potest (vt aduersarij fatentur) nullus finis datur. Quod omnes reputant absurdum etiam aduersarij.

Hanc consequentiam Arist. ibi non probat; quia eam iam probauerat tex. 6. & 7. agens generaliter de causa: nec enim potest dari causalitas in causis essentialiter subordinatis, nisi detur primum, à quo causalitas incipiat. In abitione autem in infinitum non datur vnũ primum, à quo incipiat causalitas. Ergo si datur infinita abitio omnino tollitur causalitas, & omnis ratio causæ: qui discursus ad causam finalem facilè applicari poterat.

Hæc est Aristotelis demonstratio, qua vsus est in d. c. 2. tex. 6. & 7. & 8. Physic. c. 5. tex. 34. 35. & 36. quæ hoc nititur principio, vt omnino tollatur causalitas in subordinatis, si non datur primũ in causando independens. Hoc fuit vnicum medium, quo D. Thomas hìc art. 4. demonstrat impossibilem esse infinitionẽ in finibus essentialiter subordinatis. Quo etiã ptinet ratio adducta à Caietan. 1. p. q. 2. ar. 3. dum ait sublato primo mouente cætera mouentia non habere completam causalitatem, vt possint agere. Eo etiam tendit ratio Fonsecæ in d. q. 1. sect. 4. ratione vltima, quia scilicet sublato vltimo fine non manet vlla regula, vllavè quasi mensura appetendi quæ sunt ad finem.

D. Thom. *Caietan.* *Fonseca.*

3 Ego tamen in hac probatione Aristotelis ab auctoribus tam diligenter elaborata semper desideraui probationem illius maioris, quę est totius demõstrationis fundamentum: nimirum non posse dari vllam causalitatem, nisi in coordinatione causarum detur vnum primum, à quo causalitas incipiat. Nã quanuis propositio in se sit verissima; ab aduersarijs tamen in sua proteruia persistentibus non poterat non negari: vnde non erat ab Aristotele sine probatione sumenda.

Sed diligentiùs expendens verba Aristotelis inueni illius propositionis probationem sumptam ex eo, quod in causarum essentiali coordinatione dantur

causæ

cauſſæ mediæ: at vbi dantur mediæ cauſſæ non poteſt non dari prima, quæ ſit cauſſandi primum principium. Ex quo optime infertur in per ſe ſubordinatis ſublato primo cætera neceſſariò auferri. Hanc probationem expreſſe ponit Ariſtoteles in d. c. 2. his verbis: *Vtroque modo impoſsibile eſt in infinitum progredi: illorum enim, cùm media ſint, neceſſe eſt finem eſſe.* Quę verba apertiſsimè ſignificant Ariſtotelē inde probare in eſſentiali cauſſarū ſubordinatione ſurſum verſus dādum eſſe vnum finem illius coordinationis; quia in illa dantur media ſubordinata: quaſi dicat; vbi dantur media per ſe ſubordinata, detur neceſſe eſt primum, & vltimum, inter quæ illa mediēt. Id quod euidenter expreſsit Ariſtoteles tex. 6. in illis verbis: *mediorum ſane; quorum extra aliquid vltimum, & primum eſt.* Extra inquam; quia nec primum, nec vltimum participat rationem medij, ſed alterius eſt rationis: cùm enim media ita cauſſent, vt in cauſſando pendeant ab alio; id, quod ibi fuerit primum, ita cauſſabit, vt independenter cauſſet, & inde habet, quod in cauſſando ſit primum. Quod verò in infinita illa coordinatione non detur primū expreſſe ſcripſit Ariſtoteles in d. tex. 6. inquiens: *infiniti omnes partes ſunt mediæ.* Hæc videtur optima demonſtrationis Ariſtotelicæ explicatio. Vnde ſuperſedendum puto à pluribus, quæ à recentioribus adducuntur.

Ariſt.

4

Ex hac Ariſtotelis demonſtratione pendet veritas eorum, quæ Ariſtoteles infert in d. c. 2. nā poſita infinita abitione in finibus tollitur cauſſalitas finalis. Tollitur item natura boni, vt affirmat Ariſtoteles ibi tex. 8. quia natura boni eſt fundamentum finalis cauſſalitatis. Tollitur tertiò omnis conſultatio, & electio, & denique omnis actio, vt docet ibi Ariſtoteles tex. 8. & 9. & 2. Ethic. ca. 2. etenim nihil horum fit, niſi amore finis.

Ariſt.

Rurſus ex eadem demonſtratione infertur non ſolùm impoſsibilem eſſe infinitionem categorematicam, ex qua, ſublata prima cauſſa, tollitur cauſſalitas: ſed etiam infinitionem ſyncategorematicam, qua de vno fine aſſumpto proceditur ad alium ſuperiorem: quia vbi dantur mediæ cauſſę neceſſariò dantur vltima vltra, quam non liceat aſcēdere, de quo ar. 5.

Contra hanc veriſsimam reſolutionem duo obijci poſſunt, quæ oportet explicare. Primum eſt; quia dantur plura per ſe ordinata, in quibus abitio in infinitum aſcendēdo non repugnat. Quod patet primum in numeris in quibus nō repugnat hęc infinita abitio, vt Mathematici cum Ariſtotele fatentur: addita enim vnitate ad præcedentem numerū reſultat numerus ſuperior. In numeris autem per ſe reperitur ordo prioris, & poſterioris: nam poſt binarium non poteſt ſequi, niſi ternarius: ternarium autem per ſe conſequitur quaternarius, & ſic conſequenter. Similiter in figuris dari poteſt iſta infinitas: quia ex doctrina Mathematicorum cuicunque figuræ addatur noua linea, reſultat alia ſpecies figuræ. Eodem modo datur abitio infinita in actibus reflexis voluntatis, vt patet: vt omittamus infinitatem generationum deſcendentium ab alio.

5 Prima obiectio.

Secundò obijcitur; quoniam, vt ſe habent principia in ſpeculandis rebus; ita ſe habent fines in rebus agendis teſte Ariſtotele 2. Phyſicorum c. vltimo tex. 89. Sed à primis principijs ad concluſiones poteſt dari proceſſus in infinitū ſemper aſcendendo: mathematici enim ex alijs concluſionibus ad alias, & alias procedunt, & ſine vllo termino poſſunt procedere. Ergo ab vno fine poteſt dari proceſſus ad alios, & alios ſine exitu.

6 Secunda obiectio. *Ariſt.*

Hęc facilè ſoluuntur. Ad primum dicimus hoc loco ſermonem eſſe de illis, quæ inter ſe habent ordinem eſſentialem: talis autem non reperitur in numeris, vt docet D. Thomas in hoc ar. 4. ad 2. Quæ doctrina veriſsima eſt, ſi numeri expendantur ſecundum cōſiderationem phyſicam, & quoad eſſe reale, quod habent in rebus: accidit enim, quod vni numero addatur aliqua vnitas, & ſimiliter quod aliqua dematur. Imò fieri poteſt, vt plures vnitates ſimul aut addātur, aut tollantur; quod euidenter probat nec aſcenſum numerorum, nec deſcēſum eſſentiali ordine procedere, ſed accidentario. Porro, ſi numeri conſiderentur mathematica conſideratione, prout ſc. abſtrahunt à materia, & ſpectantur ſecundum ſolas ſuas rationes eſſentiales (quo tantūmodò ſunt entia

7 Solutio primę obiectionis.

D. Thom.

per

per se, vt plerisque placet) adhuc dicẽdum est eos in ascensu non habere ordinem essentialem, quanuis illũ habeãt in descensu. Primum patet; quia in essẽtialiter ordinatis inferiora per se pendent à superioribus iuxta naturam dependentię, quæ dari potest in numeris, quæ solùm est in essendo. At numeri inferiores in essendo non dependent à superioribus: essentia enim ternarij, & est & concipitur sine vlla dependentia à quaternario, vel quinario: non tamen sine binario, quia illum in sua compositione essentiali includit. Et ob hanc rationem in ascensu numerorum potest dari abitio in infinitum, non tamen in descensu, vt patet.

8 Idem dicendũ est de figuris siue physicè considerentur, siue solum mathematicè; nam secundum esse physicum accidit, quod figurę pręexistenti addatur, vel dematur vna linea: secundum esse mathematicũ inferiores figuræ essentialiter non dependent à superioribus: quanuis superiores in se includant inferiores: vnde ascensus potest esse infinitus; non tamen descensus, quia tandem deueniendum est ad figuram duarum linearum.

9 Porro infinita abitio in actibus reflexis voluntatis ideo non repugnat; quia ordine accidentario inter se ordinantur, vt ait D. Thomas in d. ar. 4. ad 3. Nã si voluntas reflectitur supra eundẽ actũ; omnes reflexiones sunt eiusdẽ speciei, inter quas non datur essentialis ordo. Accedit etiam; quia prior non per se dependet à posteriori, quod ordini essentiali repugnat. Ob quam rationem non datur essẽtialis ordo inter eas, quæ subalternato ordine reflectũtur, vt hęc super primam, & tertia supra secundã, &c. prior enim non dependet à posteriori, vt patet. Denique abitio infinita in generationibus hominum quanuis habeat inter se aliquam perfeitatẽ (quia filius pendet à patre, & pater ab auo, & sic consequenter) tamen ex sententia Auicenę ille ordo est accidentarius, nec potest dici essentialis; tũ quia omnes sunt eiusdem speciei, nec subalternantur sicut inferior, & superior. Tũ etiam; quia descendendo priores non dependent à posterioribus: pater enim non dependet à filio; & quia retrocedẽdo ad ascendentes, datur aliquis per se ordo; ideo in illis non potest dari processus in infinitum: nec enim generationes potuerunt esse ab ęterno, vt cõtra Aristotelem in 8. Physic. demõstrari solet.

D. Thom.

Ad secundum dicimus propositionẽ, & similitudinem Aristotelis non esse intelligẽdam quoad omnia, sed solũ quoad dependentiam conclusionis à principijs: sicut enim conclusio per se pendet à principijs quoad veritatem, & necessitatem: ita media per se pendent à fine quoad appetibilitatem. In quo sensu argumentum nostram doctrinam potius confirmat: nam sicut conclusio nõ potest dependere à principijs subalternatim infinitis; sed necessariò deueniẽdum est ad primum principium: ita etiã media non possunt essentialiter dependere ab infinitis finibus subalternatim positis, sed necessariò deueniendum est ad vnum finem, qui vt amatus finalizet media.

10 Occurritur secundæ obiectioni.

Illud etiam in hoc argumento aduertendum est, conclusiones posteriores essentialiter pendere à prioribus; priores autem à posterioribus nequaquam, vt patet. Ob quam rationem in descensu à conclusionibus ad principia nõ datur processus in infinitum, vt docuit D. Thomas 1. Posteriorum. In ascensu verò fortè non repugnabit, vt argumentũ nititur probare, quare argumẽtum aduersus nos nihil valet, quia agimus de finibus, qui ascendendo essentialiter subordinantur.

D. Thom.

ARTICVLVS III.

Vtrum dari possit infinitus ascensus finium cum dependentia ab vno extra posito?

1 IN artic. præcedente considerauimus abitionem in infinitum in finibus essentialiter subordinatis; & docuimus illam esse impossibilem non admisso vno, à quo causalitas incipiat: sed quoniam fingi potest aduersarius, qui defendat infinitam illam abitionẽ admisso vno primo, non quidem intra seriem existente, sed extra: operæpretiũ erit expendere, an hoc modo possibilis sit infinita finium in ascendendo abitio?

Pro

2 Præmissum

Pro explicatione aduertendum est, non esse nouum in ordinatione causarum admitti primam causam non intra seriem, sed extra: in hoc enim sensu in serie agentiũ creatorum admisit primam causam Scotus 1. Senten. d. 2. q. 1. ar. 1. litera k. & in 2. Metaph. q. 6. & Fõseca ibi c. 2. q. 1. sect. 3. in 3. ratione pro secunda conclusione pag. 343. & Cursus Conimb. 8. Physic. cap. 5. q. 1. ar. 2. & in finibus finem extra seriem admisit D. Thomas 1. p. q. 103. ar. 2. Posset igitur aliquis fingere infinitam finium seriem posito tamen vno vltimo fine extra seriem posito, à quo totius collectionis motus initium sumat. Hunc autem non posse non admitti, si series sit infinita, hæc ratio demonstrat: quoniam tota illorum finium collectio categorematicè sumpta non potest non esse vnũ causatum, vnumque dependens in causando: quia quodlibet illius ita causat, vt causetur: & in causando ab alio depẽdeat. Cumverò nihil à se ipso causetur, sed ab alio, vt demonstrat Aristoteles in 8. Physic. non potest non admitti ab aduersarijs aliqua causa non causata, quæ sit extra totam seriem, & à qua tota illius collectionis causalitas essentialiter dependeat. Quare licet non admissa vna prima causa, & vno primo fine necessariò auferatur causalitas, aut finis: tamen admissa prima causa extra totam collectionẽ non tolletur causalitas, nec finis. Enitendum est igitur, vt ostendamus hanc etiam considerationem esse fictitiam, & incomposibilem cum infinita illa subalternatione: nisi enim id ostendamus, non omnino demonstrabitur impossibilitas infinitionis finium.

Scotus. Fonseca. *D. Thom.*

3 Suarij sententia.

Suarius in Metaph. disp. 24. sect. 1. n. 4. simpliciter asserit inuoluere contradictionem dari aliquem finem extra totam illam collectionem: implicationem tamen probat inferius n. 7. Primò; quia alias iam non sumeretur tota collectio infinita. Secundò, quia aliàs tota collectio non posset causare, nisi innixa illi: & rediret eadem quæstio: nam si ille finis dicatur independens; ille erit vltimus, quem quærimus: dependens autem esse non potest; aliàs contineretur in priori collectione. Sed vtraque ratio debilis est: debilitas primæ est manifesta; quid enim impedit considerare vnã collectionem infinitam dependentium; & extra illam concipere vnum finẽ per se independentem? Ad secundam rationem admitteret aduersarius totam illã collectionem non posse causare, nisi innixam illi primo, & independenti fini. Nec rediret eadem quæstio: quoniam ille finis apud aduersarium esset independens, quia poneretur principium totius causalitatis: non proinde tamen esset vltimus finis, quẽ inquirimus: nos enim inquirimus vltimum finem, à quo descendat prima causalitas in aliquem determinatum finem: talis autem non esset iste vltimus extra positus, vt ex dicendis patebit.

Prima ipsi⁹ ratio. Secunda. Vtraq; debilis est.

4 Vera demõstratio præcedentis sẽtentiæ ex Aristot.

Veram igitur demonstrationem primò sumimus ex medio, quo vsus est Aristoteles in art. præcedente: ex illo nãque euidenter colligitur primam causam, ex qua causalitas dependet, non posse collocari nisi intra ipsam seriem: nam cum in ipsamet serie inueniantur causæ mediæ; in eademmet reperiri debet causa prima, quæ initium tribuat causandi.

5 Alia ratio.

Deinde euidenter implicat illa infinita essentialiter dependere ab aliquo vno existente extra seriem. Pro huius explicatione aduertendum est in causarum subalternatione singula tam inferiora, quàm superiora non cuicunq; indiscriminatim immediatè subalternari; sed alicui certo, & determinato: ita vt sicut quodlibet inferius diuisim acceptum proximè pendet in causando à certo, & determinato superiori, à quo virtutem immediatè accipiat; Ita etiam quodlibet superiùs diuisim sumptum habet certum, & determinatum inferius, cui virtutem causandi proximè cõmunicet, & eo mediante cæteris secundum ordinem superioris, & inferioris. Ex quo manifestè infertur essentialem causarum subordinationẽ sibi vendicare, vt nulla earum causare possit, nisi simul omnes ad causandũ concurrant: etenim vna causante, nec superiores possunt non causare, nec inferiores omnes: non quidẽ superiores; quia hæ in causando à superioribus, vel immediatè, vel mediatè pendẽt. Nec etiã inferiores, quia motæ ab hac vna non possunt non causare; aliàs non daretur per se

Arist.

se ordo in illarum subordinata caussalitate.

6 Hac supposita doctrina admittendũ est hanc etiam legem seruandam esse in illa caussarũ infinitione, vt nulla illius coordinationis suam possit exercere caussalitatem, nisi tota illa simul cõcurrente. Hoc supposito facilè demonstrari potest infinitam illam collectionem non posse essentialiter dependere ab aliquo vno posito extra seriem. Nam quãdo hoc vnum incipit suam virtutem toti collectioni cõmunicare; vel eam immediate cõmunicat alicui certo, ac designato illius: vel nulli certo eam immediate cõmunicat. Hoc posterius vix cõcipi potest: quia implicat caussandi vim alicui communicari, & nulli determinato cõmunicari. Si autem virtus alicui certo immediatè cõmunicatur, & eo mediante cæteris; infertur primò hanc virtutem non fuisse communicatam superioribus, quæ sunt infinita, & subinde dari caussalitatem in hac serie non concurrentibus omnibus ad eam; quod repugnat, vt diximus. Infertur secundò hoc vnum, cui virtus caussandi immediatè communicatur, caussare independenter à superioribus, quod est contra naturam subordinationis essentialis. Et pro demonstranda hac impossibilitate hæc satis sint.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum sit possibilis infinitus descensus in finibus mediis.

DEmonstrauimus impossibilẽ esse progressum in infinitum ascendendo sursum versus in finibus; sed tandem in ordine intentionis figẽdum esse appetitum in aliquo fine certo, cuius amor, & intentio moueat appetitum agentis, tum ad excogitanda media, quibus finem assequi possit: tum ad applicanda media ad executionem assecutionis eiusdem. Supereſt, vt expendamus; an constituto illo primo, & supremo fine, possit dari processus in infinitum descendendo deorsum versus ad ea, quæ ad consecutionem finis sunt necessaria? Nam de hoc etiam descensu egit Aristoteles libr. 2. Metaphy. c. 2. text. 6. & 7. *Arist.*

Et ne in his parum necessarijs speculationibus diutius immoremur, asserimus cum Aristotele, & omnibus philosophis hanc etiã infinitionẽ esse omnino impossibilẽ; vtquia illa posita omnis auferatur caussalitas quoad executionẽ, in qua adeptio finis principaliter est posita. Nec aliquis ita poterit proteruire, vt oppositum asserat; nec oppositũ vnquam aliquis asseruit: Aristoteles enim (vt iam diximus) in hoc nõ habuit, sed finxit sibi aduersarium. 2 Assertio ex Aristot.

Demõstratio ita potest confici: quãdo in illa essentiali finium subalternatione descendimus à fine amato ad ea, per quæ est acquirendus; vel peruentũ est ad vltimũ, à quo incipiat executio: vel non potest ad vltimum perueniri. Si detur primum euidenter tollitur infinitas in descensu: quia sistitur in hoc vltimo, à quo executio incipit. Si verò ad vltimum peruenire non potest; necessariò tollitur executio, & actualis caussalitas finis; quod est contra experientiam: plura enim agentia intentum finẽ assequuntur. Hæc vltima consequentia inde probatur: quoniam sicut in ascensu, si non datur primum, à quo ordo intentionis incipiat, tollitur caussalitas: ita si in descensu non detur vltimum, à quo incipiat executio, nulla dari potest caussalitas, cum illa in sola executione reperiatur. Iam verò in infinitione descensus nullum potest dari vltimum, ad quod ordo intentionis terminetur. Conclusionis demonstratio.

Accedit; quia in tali descensu dantur caussæ mediæ inter superiorem, & inferiorem, vt patet. At in essentialiter subordinatis, si dantur caussę mediæ nõ potest non dari in ascensu caussa prima; in descẽsu verò caussa vltima, vt diximus ex Aristotele in art. præcedente. Quare in tali descensu non potest non admitti vltimum, in quo descendendo sistatur, vt inde executio incipiat. Alia ratio.

Itaque sicut agentis intentio ascendendo figatur oportet in aliquo primo, à quo incipiat motus intẽtionis: ita descendẽdo opus est, vt intẽtio terminetur ad aliquod vltimũ, à quo incipiat executio; alioquin agens ad deliberandũ cõsiliandumq; à fine amato frustra moueretur: frustra enim deliberamus de medijs, si tandem ad nullum deueniendum est, à quo executio possit incipere. 8

4 Obiectio. *Dionysius.* Contra hanc resolutionem obijci potest; quoniam bonum secundum suã rationem est diffusiuum sui ex Dionysio c. 4. de diuinis nominibus. Ergo ex bono procedit bonum: ex hoc, cum sit sui diffusiuum, potest procedere aliud bonũ, & sic in infinitum. Sed bonum habet rationem finis. Ergo in finibus non repugnat processus in infinitum. Respondendum est ex propositione Dionysij, nec in ascẽdendo, nec in descendendo posse inferri progressum in infinitũ. Non quidem in ascendendo: quia si subtilius res ista cõsideretur cum D. Tho. in hoc art. 4. ad 1. ex illa propositione potius colligitur dari vltimum finem: nã si bonum ex sua ratione est sui diffusiuũ; cum non sit de ratione boni esse ab alio bono: dãdum est vnum summum bonum, quod à se sit bonum; & subinde tale bonum erit vltimus finis independens ab alio fine: quod enim non habet caussam efficientem, nec habet finalem iuxta veram philosophiam. In illo igitur bono, & fine sistat oportet ascensus in finibus.

Respõsio. *D. Thom.*

5 At, quod nec in descendendo ex doctrina Dionysij inferatur processus in infinitum, facilè patebit, si aduertamus bonum sub quadruplici caussarũ genere posse se se diffundere, & se se alijs cõmunicare, vt palàm est, & aduertit Cursus Conimb. in Ethic. disp. 1. q. 1. ar. 2. At tamen non est de ratione boni, vt sub illo quadruplici genere se se cõmunicet: nam summum bonum (qui est Deus) se alijs cõmunicare potest sub duplici tãtum caussarum genere, efficiẽte sc. & finali; nec enim Deus se cõmunicat, vt forma, vel vt materiam: ex neutra autem istarum cõmunicatione sequitur processus in infinitum ordine essentialiter subalternato. Nã in genere caussæ finalis solum se cõmunicat Deus cõmunicatione quadã metaphorica alliciẽdo sc. & mouendo appetitum agentis ad agẽdum propter se ipsum: quæ cõmunicatio, atque diffusio sui cum solum sit metaphorica non producit aliquod bonũ, cui conueniat se ipsum alijs rursus cõmunicare. Hoc enim modo se cõmunicat Deus in solo genere caussę efficientis. Quanuis autem omne, quod à Deo effectiuè producitur, sit quoddã bonũ: non tamen omne tale bonum habet eũdem modum se cõmunicandi: nam si tale bonum est aliquis actus, & forma, solum se potest cõmunicare actuando materiam, & ibi finitur communicatio talis boni. Si verò tale bonũ est materia; hæc solùm se potest communicare cõmunicatione materiali, quę posita est in sustentatione formæ, & hæc etiam ibi sistit. Porro, si bonum à Deo productũ est subsistens; quanuis demus illud posse se communicare generando aliud sibi simile cum eadem generandi potentia: posità; hæc cõmunicatio in infinitum abire: talis tamen communicatio non fit ordine per se essentiali, sed accidentario, vt diximus art. 2. Et hoc modo facilè dissoluitur hoc argumentum, in cuius solutione plerique laborant.

ARTICVLVS V.

An ex demonstratione articuli secundi bene inferatur dari vltimum finem simpliciter.

1 STatuimus in artic. 2. deueniendum esse ad vnum finem vltimum. verũ, quia duplex est finis vltimus; vnus simpliciter vltimus, alter vltimus secũdum quid, & in tali genere: controuertunt doctores; an demonstratio adducta concludat dandum esse vnum finem simpliciter vltimum; an verò vltimum secundum quid? Hoc posterius plerique defendunt, voluntque conclusionem D. Thomæ hìc artic. 4. *ponendum esse vltimum finem*, explicandam esse de vltimo fine secundum quid. Præter alios ita existimauit Fonseca 2. Metaph. c. 2. q. 1. sect. 4. ad finem secundæ conclusionis, & sect. 7. ad 2. & satis Bellomontanus hoc loco disp. 4. c. 3. §. *bis sane rationibus.*

Quorũdam sententia. *Fonseca.*

Oppositam sententiam videtur probasse Medina in hoc art. 4. in tertia dubitatione, §. *Pro huius tamen rei explicatione*: quo loco putat ex præcitata demonstratione bene inferri dandum esse vnũ finem simpliciter abstrahendo à vero, vel existimato, cui omnes alij sint subordinati. Et ad hunc sensum explicandum esse D. Thomam. Nec longè ab hac sententia est Suarius in Metaphy. disp. 24. sect. 1. n. 10.

Alia sententia Medinæ.

Ego cum hac posteriori sententia puto esse dicendum. Sed pro clariori resolutione sequentes statuo conclusiones. Sit prima conclusio: ex negatione ab itio-

2 Prima conclusio.

abitionis in infinitum in finibus non ne ceſſariò infertur dari vnum finem ſimpliciter vltimum, & vniuerſalem, in quẽ omnia referantur, & à quo tota finium vniuerſitas pendeat. Concluſio videtur indubitata: placuit Suario: facilè probatur, quoniam ex hac negatione, etſi bene infertur dandum eſſe vnum vltimum finem intentum ab agente; non tamen bene arguitur illum vltimum finẽ futurum eſſe vniuerſalem, & communẽ ad quem omnia agentia ſuas actiones referant: nam ſi in diuerſis rebus diuerſi darentur fines vltimi; adhuc quælibet illarum in ſuis actionibus non in infinitum abiret, ſed quælibet terminaretur ad aliquem finem non communem omnibus. Ergo ex negatione proceſſus in infinitum non bene demonſtratur vnus vltimus finis vniuerſalis, & communis omnibus agentibus, ſed ex alio principio longè diuerſo id erit demonſtrandum, vt ex dicendis patebit. Ob hanc rationem D. Thomas in vltimo art. huius primæ quæſtionis inquirit, an detur vnus finis vltimus communis homini cũ cæteris rebus: quod tamen non inquireret, ſi ex concluſione huius articuli quarti putaſſet ſatis demonſtratum eſſe dari vnum vltimum finem, & vniuerſalem omnibus rebus.

3 Secunda cõcluſio. Secunda concluſio. Nec etiam ex negatione infinitionis finium bene demõſtratur dandum eſſe vnum vltimum finem vniuerſalem, & communem toti humanæ vitæ, hoc eſt omnib⁹ humanis actionibus. Hæc etiam debet eſſe indubitata, quia ijſdem medijs probatur. Enim verò, quanuis ex negatione infinitionis fortè demonſtretur dandũ eſſe vnum vltimum finem, qui à quolibet homine in ſuis actionibus intendatur: nõ tamen inde demonſtrari poteſt vnus vltimus finis vniuerſalis, & communis omnibus hominib⁹, ad quẽ omnes actiones omnium hominũ dirigantur. Quod euidenter demonſtrat varietas opinionũ, quę de felicitate inter philoſophos reperitur: ſinguli enim Philoſophi in ſingulis ſuis actionibus vnum finem vltimum conſtituebant iuxta eam, quã de felicitate habebant opinionem. Et ob hanc rationem D. Tho. ar. 7. huiꝰ primæ quæſtionis de nouo inquirit; an omniũ hominum ſit vnus finis vltimus. *D. Thom.*

4 Tertia concluſio. Tertia concluſio. Ex negatione infiniti proceſſus in finibus non ſolũ infertur dandum eſſe vnum vltimum finẽ in qualibet intentionis ſerie, qua homo agit propter finem; ſed etiam in ſingulis hominibus dandum eſſe vnum finem ſimpliciter vltimum, ſaltem ſecundum ſuã exiſtimationem: quæ fuit ſecunda ſentẽtia initio poſita, quam probamus.

Probatur prior pars. De priori huius aſſertionis parte nulla poteſt eſſe dubitatio, cùm eam quotidiana doceat experientia: qui enim propter finem agit, ſuam intentionẽ figit in aliquo fine, à quo moueri incipit: ægrotus enim ex amore ſanitatis mouetur ad ſumendam medicinã, interim de alio vlteriori fine nihil cogitans, & ſatis ex negatione proceſſus in infinitũ euidenter colligitur in finibus eſſentialiter ſubordinatis actualem, & categorematicam infinitionem non eſſe poſsibilẽ. Quin potius nec illa poſsibilis eſt in ordinatis per accidens: nam quanuis agens in his finibus poſsit in infinitum ſyncategorematicè procedere: categorematice tamen infinitos fines actu intendere nõ poteſt. Oportet igitur, vt in qualibet humana actione intentio agẽtis actu terminetur ad aliquem certum finem, bonumq;, quod propter ſe amet, vt poſsit ad agendum moueri: qui finis, quanuis ex ſe non ſit vltimus; in illa tamen ſerie vltimus erit.

5 Poſterioris partis probatio. Poſteriorẽ aſſertionis partem (in qua eſt poſita difficultas) primũ colligemus ex progreſſu, quem in excitandis articulis ſeruauit D. Thomas: nam in art. 4. *D. Thom.* ideo conſtituit non dari proceſſum in infinitum in finibus, vt ſimul conſtitueret dandum eſſe vltimũ finem ſimpliciter humanarum actionũ: nã in art. 5. demonſtrat in vno homine non poſſe dari duos vltimos fines, quã cõcluſionẽ intelligit de finib⁹ ſimpliciter vltimis: nullus enĩ dubitauit in vno homine dari poſſe plures fines vltimos ſecũdũ quid, & in genere: ſũt enĩ plura bona, quę à nobis appetĩ poſſũt, nõ modo ſucceſſiue, ſed etiã ſimul, vt patet ex D. Tho. 1. 2. q. 12. ar. 3. Hoc autẽ ideo conſtituit, vt oſtenderet illum finẽ vltimũ, quẽ eſſe dandũ immediatè conſtituerat, eſſe vnicum tantum: quod eſſet falſum, ſi in ar. 4. ſermo eſſet de fine vltimo ſecundum quid. Ideo autẽ in art. 5. conſtituit illum finem vltimum

(de quo in art. 4.) esse vnicum in singulis hominibus; vt ostendat in 6. art. singulos homines agere propter finem vltimum, quē sibi quisque constituit. Non est igitur dubitandum mentem D. Thomæ in art. 4. fuisse dandum esse vnum finem simpliciter vltimum humanæ vitę.

6 Probatur 2. Quod etiam euidenter deducitur ex demonstratione, qua progressus in infinitum ostenditur impossibilis: Aristoteles enim non solùm docuit non dari infinitum processum in finibus in sensu categorematico: sed nec in sensu syncategorematico: quoniam nō solùm actu non dātur infiniti fines, sed nec dari possunt in syncategorematico ascēsu. Primum sensum esse impossibilē ex eo demonstrauit Aristoteles; quia illa infinita abitio tolleret primum finem, & ex consequenti omnem finalem causalitatem. Secundum autem sensum inde demonstrauit impossibilem; quia vbi datur medium necessariò debet dari vltimum. Et cum in finibus dentur fines medij, non potest non dari finis vltimus. Quæ demonstratio conuincit impossibilem esse infinitionem finium sumptā syncategorematicè; & proinde simpliciter deueniēdum esse ad vltimum finē simpliciter, qui vel re ipsa, vel secūdum nostram existimationem sit vltimus.

7 Tertio. Id etiam discursus iste conuincit: nā omnis appetitio terminatur ad aliquē finem vltimum. Ille igitur vel est vltim' simpliciter: vel non. Si est, habemus intentum. Si non est: ergo in finalizando ab alio dependet: & cum hæc dependētia in infinitum ire nequeat: tum, quia in tali serie dātur medij fines: tum, quia si tollatur vltimus, tollitur finis: vtique talis finis erit vltimus simpliciter, vel in se, vel quoad nos.

Si quis respondeat à parte rei dari illam infinitam finium subalternationē: quodlibet tamen agentium posse suam intentionem figere in quolibet illorum non referendo illum ad alium finē: responsio futilis est: quia facta illa suppositione nullus illorum finium vim habet finalizandi, nisi dependenter ab alio.

Dicendum est igitur ex vi allatæ demonstrationis necessariò inferri dandum esse finem simpliciter vltimum vel in se, vel quoad nos. Vtrū autem ille sit vnus finis tantum? Vtrum etiā propter illum omnia sint agenda? Id explicandum erit in sequentibus quæstionibus.

QVÆSTIO V.

QVEINDE agendum est de vnitate, & pluralitate finis vltimi. Sed quia vnitatem vel pluralitatem illam duobus modis cō siderare possumus: vno modo iuxta hominum existimationem: altero modo secundum rei veritatem: primò considerandum est de vnitate, aut pluralitate vltimi finis secundum hominum existimationem: deinde secundum rei veritatem. Ordo seruā dus.

Quod attinet ad primum; primò inquirendum est, quidnam generaliter loquendo existimauerint homines de vnitate, aut pluralitate vltimi finis? Secundò; an vnius hominis possint esse plures vltimi fines; ita vt possit homo ferri in plures fines, tanquam in vltimos? Tertiò, an qui mortaliter peccat, habeat plures vltimos fines? Quartò, id ipsum inquirendum est de iusto peccāte venialiter? Tandem expendetur; an possit quis simul ferri in plures fines non simpliciter vltimos?

ARTICVLVS I.

Quænam fuerit generalis hominis existimatio de vnitate, & pluralitate vltimi finis?

QVæstionis resolutio facilis erit, si nonnulla prę mittamus. Primū est; quæstionem solum excitari de fine simpliciter vltimo. Quoniā constat vnum hominem non solum successiuè, sed etiam simul, imò vna eademq; actione intēdere posse plures fines proximos, de quo in vltimo articulo. 1 Primū præmissum.

Prę mittendum est secundò, nomine vltimi finis intelligi bonū aliquod perfectissimum continens totale appetit' cōplementum. Potest autem à nobis dupliciter cōsiderari: vno modo in vniuersali: altero in particulari. In vniuersali; quando consideratur secundum cōmunem, & vniuersalē rationem sūmi boni, nullam rem particularem denotando, in qua vniuersalis ratio summi boni reperiatur: In particulari autem; quando denotatur res aliqua certa. Secundum.

His

2 Prima conclusio.

His præmissis sit prima conclusio: finis vltimus sumptus sub communi ratione vltimi finis, est vnicus tantum, tũ à parte rei, tum secundum hominũ existimationem. Probatur ex Aristotele 1. Ethic. c.4.text.14. vbi agens de summo bono ita scribit: *Nomine igitur omnes ferè de ipso consentiunt: nam & vulgus, & elegantes felicitatem inquiunt esse.* Felicitas autem, & finis vltimus, idem sunt. Quare cum formalis ratio felicitatis sit vnica tantum (summa nimirum bonitas) vtique & finis vltimus in communi vnicus tantum erit: tum à parte rei; quia nihil nos realiter beat, nisi sub ratione veræ, & summæ bonitatis: tum hominum existimatione: quia omnes appetunt esse felices, & beati, vt ex Aristotele, & Augustino communiter refertur.

Arist.

3 Secunda cõclusio.

Secunda conclusio: finis vltimus in particulari sumptus (pro re, inquã, quæ est vltimus finis) non est vnus apud omnes, sed plures. Hæc Aristoteles loco citato: *De felicitate quænam sit, dissentiunt: & nõ similiter vulgus, & sapientes eam assignant.* De varietate opinionum, de re, quæ est felicitas, & vltimus finis multa dicem⁹ in libr. sequenti. Igitur non vnus est vltimus finis in particulari apud omnes. Vtrum autem sicut in diuersis hominibus diuerse de vltimo fine opinantib⁹, dantur plures fines vltimi; ita in vno, & eodem homine plures dari possint? Est controuersia, de qua in sequenti artic.

Arist.

ARTICVLVS II.

Vtrum vnius hominis possint esse plures vltimi fines?

§. 1.

Ponitur pars affirmatiua cum variis illius explicandæ modis.

CVM apud diuersos homines iuxta cuiusque existimationem plures constituantur fines vltimi, vt immediatè diximus: inquirendũ est; an vnus, & idem homo possit plures vltimos fines sibi constituere, in quos, vt in vltimos feratur. Quam quæstionem excitat D. Thomas hoc loco art. 5.

D.Thom.

2 Probatur 1.

Pars affirmatiua multis solet confirmari. Primò; quoniam potest quis simul velle tria bona, v.g. diuitias, honores, & voluptates, ita vt nec illa ordinet in aliquem vlteriorem finem; nec vnum eorum in aliud, sed quodlibet propter se appetat. Ergo potest quis simul habere plures fines vltimos. Consequentia patet: antecedens probatur, quoniam ex sententia D. Thomæ 1.2. q 12. art.3. ab alijs recepta potest quis simul intendere plura ad inuicem non ordinata.

D.Tho.

Secundo.

Secundò; multa bona inueniũtur, quę inter se non opponuntur, nec mutuo se excludunt. Cur igitur illa tanquam vltimi fines non appetentur?

Tertio.

Tertiò; qui vltimum finem sibi præstituit v.g. voluptatem; libere illum sibi præstituit, vt summum bonum. Potuit igitur vltimum finem sibi cõstituere in alio bono, v.g. in honore: cur igitur electo vno bono aliud vt vltimum finem non poterit sibi constituere? Nam constitutio prioris finis non ademit libertatem ad alium finem.

3 Quarto.

Quartò; quælibet diuina persona est summum bonum: & perconsequens, qui adhæret vni personæ, is illi adhæret vt vltimo fini etiam vt ab alia distinguitur: sed potest quis adhęrere omnibus tribus personis, & cuique vt ab alijs distinguitur. Ergo illis adhærebit, vt tribus vltimis finibus.

Quinto.

Quintò potest; quis desiderare duo aliqua bona sub disiunctione, doctoratum v.g. vel episcopatum; eo voluntatis affectu, vt si alterum haberet, nihil amplius sibi desiderandum supereſſet: in hoc casu iste in quolibet illorum vltimum finem sibi constitueret. Ergo vltimum finem constituet in duobus: nam in quolibet ex ęquo illum constituit independenter ab alio. Cur igitur simul, & copulatiue non cõstituet illa duo bona, vt vltimos fines? Nam si existimat se quolibet illorũ sufficienter beari; à fortiori existimabit se vtroque sufficientissimè beandum.

4 Vltimò.

Postremò; quod homo sæpe sæpius duos fines vltimos sibi cõstituat; ex multis patet: primò in eo, qui actu fertur in plura obiecta mortalia nullam inter se habentia subordinationẽ: is enim duos fines vltimos actu sibi constituit; secundò patet in iusto venialiter peccante: habet enim pro vltimo fine, & Deum, & creaturam sine vlla vnius ad alterũ depẽdẽtia. Tertiò; peccator, quãdo primo iustificatur: nam in eodẽ instãti, & Deũ habet pro vltimo fine, quia illum diligit

super omnia, & adhuc est in peccato, quia peccatum non expellitur, nisi per gratiam. Quartò; quoniam angelus cũ primum peccauit, peccando quieuit in creatura tanquam in vltimo fine: nec tamen est auersus à Deo, vt fine naturali, nec enim primum contra Deum ita peccare poterat. Postremò; puer existens in originali non est auersus à Deo fine naturali, & tamẽ cõuersus est ad creaturam tanquam ad vltimũ finẽ.

5 Hæc sunt, quæ hanc partem affirmatiuam videntur confirmare: cui non defuere patroni si Medinæ credimus in *Medina.* principio huius quinti articuli. Nec ex Philosophis veteribus defuerunt, qui hanc probauerint sententiam: Augu- *August.* stinus enim 19. de Ciuitate Dei c.1.2.& 3. ex Varrone refert quosdam veterum beatitudinem collocasse in pluribus bonis; ita vt illa omnia non propter aliud, sed propter se ipsa vltimatè appeterẽtur. Id aperte colliges ex verbis Augustini loco citato ca. 1. Ita enim scribit: *Hæc igitur quatuor, ideſt voluptas, quies, vtrũq; prima naturæ, ita sunt nobis, vt vel virtus, quã postea doctrina inserit; propter hæc appetenda sit: aut ista propter virtutem: aut vtraque propter se ipsa*, & statim: *virtuti porro voluptas iungitur; quando neutra earum propter alterã: sed propter se ipsas ambæ appetantur*. Quod ibi sæpius repetit, maximè c.4. vbi enumeratis varijs opinionibus ita concludit: *Illi autem, qui in ista vita fines bonorum, & malorum esse putauerunt, siue in corpore, siue in animo, siue in vtroque: atque vt id explicatius eloquar, siue in voluptate, siue in virtute, siue in vtroque.* Ad sensum superius explicatum, vt neutra propter alteram, sed vtraque propter se appetatur. Ex quibus verbis patet Philosophos illos admisisse dari plures fines vltimos; quos quisque illorum tanquã simpliciter vltimos sibi appeteret.

Hanc affirmantem sententiam, si quidam vera referunt, plerique probant cum modificatione tamen. Quidam enim eam admittũt in hoc sensu, vt vnus finis positiuè appetatur, alter verò solum negatiuè: quatenus scilicet voluntas eum ad alium finem non refert. Huius opinionis forte quis contendat esse Bellomontanum hoc loco disp.5. c.3.§. *Hanc tamen solutionem*: sed si diligentiùs legatur eam non habet. Alij agnoscunt plures fines vltimos ab vno homine appeti posse, non actu, sed virtualiter, & interpretatiuè. Nec desunt, qui in vno homine plures vltimos fines recipiant, quorum alter sit actu intentus, alter solo habitu. Denique alij hoc admittunt in finibus, qui non specie, sed solo numero distinguantur. Has opiniones aliquibus fuisse probatas satis significat Cumelius 1.2.q.71. disp.11. fol.194. col.1. & fol.198. col.etiam 1. *Cumel.*

§. 2.

Opinionem negatiuam esse verisimam.

6 Præmissum ad negatiuę sententiæ, probationem.

His tamen non obstantibus opinio simpliciter negãs simpliciter est probanda. Sed vt distinctius procedamus, præmittendum est sermonem hoc loco esse de fine simpliciter vltimo, qui vt vltimus ab homine concipitur, & habetur. De hoc autem inquirimus an vnus, & idem homo possit sibi constituere duos vltimos fines, non quidẽ successiuè, ita vt vno relicto transeat ad alterum: id enim non repugnat: nam qui nunc in diuitijs finem vltimum ponebat, potest mutata opinione illum ponere in honoribus, vel etiam in Deo vero: & forte Philosophis antiquis hęc cõtigit mutatio: nam Christianus, dũ mortaliter peccat non in Deo vero, vt antea, sed in creatura finem vltimum ponit: à qua ad Deum transit, dum per pœnitentiam conuertitur. Quare quęstio in eo versatur, an idem homo simul possit habere plures fines; totales scilicet, quorum quilibet ab homine concipiatur, vt summum bonum, ac per se sufficiens ad beandum: nam si sermo sit de finibus partialiter sumptis vnum totalem integrantibus; nullus dubitare potest vnum, & eundem hominem habere posse plures fines. Nec de ratione vltimi finis est, quod sit quid simplex, ac per se vnum: finis enim naturalis huius vitæ duas operationes complectitur: speculatiuam vnam circa primam causam; practicam alteram, quæ est operatio secundum virtutem: & vtraque per se est de intrinseca ratione beatitudinis naturalis, vt modò supponimus. Quin potius inter Theologos maxima est cõtrouersia, an beatitudo patrię per se includat vnam tantum, an plures operationes. Denique Aristoteles in Ethicis *Aristot.* consti-

constituit vltimum finem non solùm in operatione secundum virtutẽ, tanquã in parte præcipua felicitatis, sed etiã in affluentia bonorum externorum, tan quam in parte minus principali, requisi ta tamen ad felicitatem. Agimus igitur de fine vltimo totali; siue illud sit simplex quoddam bonum, siue sit ex pluribus integratum, quod in sua totalitate sit, aut existimetur summum bonum.

7 His ita præmissis opinio negatiua cõ firmatur; quoniam hæc fuit receptissima inter Philosophos opinio. D. Thom. in hoc art. 5. vbi Caietanus, Conradus, Medina, & reliqui interpretes. Repetit eandem D. Thomas 1.2.q.12. ar.5. ad 1. in 3.d.31.q.1.ar.1.de malo q. 14. art. 2. late Cumelius. 1.2.q.71.ar.6.disp.11. cõclusi. 1.3.& 4. Bellomontanus hìc disp.5. c.3. Valentia 2.tomo disp.1. q.1. pũct. 6. Suarius in Metaph.disp.26. sect.5. in vltimis verbis, de qua etiam Scholastici in 2. d. 38. Sed vt hęc sententia distinctius explicetur nonnullæ sunt statuendæ conclusiones.

8 1. Cõclusio. Prima conclusio: impossibile est, vt vnus homo plures vltimos ac totales fines actu, & copulatiue appetat; ita vt vtrunque velit consequi, & quemlibet illorum tanquam vltimum, & sufficientem. In hoc sensu est de mente eorum, quos citauimus, & in terminis eam statuit Cumelius vbi supra conclusione 3. Generaliter confirmari potest: quoniã inter Philosophos cõstat plures causas totales non posse concurrere ad vnum numero effectum. Quæ sententia, si sermo sit de potentia naturali causarum, est apud omnes indubitata, vt patet ex Caietano 1.p.q.52.ar.3.§. *Ad hoc breuiter dicitur.* Et.3.p.q.67.a.6 §. *Ad hoc dubiũ:* Fõseca in 5.Metaphy.cap.2.q.15.sect.2.ad finem, Suario in Metaphy.disp. 26. sect. 4. nu. 14. Rubeo lib. 2. Physicorum tractatu 7. q.2.in 3. opinione: quin potius cõmunior opinio docet etiam per potentiam diuinã id esse impossibile. Quę est sententia Scoti in 3.d.1.q.2.& in 4.d. 6.q.2.art.1. & est cõmunior inter Thomistas, Capreolus in 2. d.2. q.1.ar.3. ad argumenta Scoti contra 3.& in 3.d.1.q. 1. art. 3. ad argumenta Scoti contra 2. Ferrariensis 3.cõtra gentes cap.68. Cumelius in d.conclusione 3. Palatius in 3. d.1.disp.3. fol.18. col. 2. Marsilius 1.de generatione q. 8. Soncinas 5. Metaphy. q. 6. Iauellus q. 7. videtur consentire D. Th omas 1.p.q.52.ar.3.& in 1. d.37. q.3 ar. 3. quibus in locis simpliciter asserit id esse impossibile: & satis est de mente Aristotelis in 2.Physicorum cap.3. tex. 30.& 5.Metaph.cap.2.& in eisdem locis cõmentator, Themistius, Albertus Magnus, & D. Thomas. Quod si hæc doctrina generaliter est vera in alijs causis, etiam verificanda erit in causa finali.

Caietan. *Conrad.* *Medina.* *Cumel.* *Valentia.* *Cumel.* Probatur 1. *Caietan.* *Eonseca.* *Rubeus.* *Scotus.* *Capreolus* *Ferrar.* *Cumel.* *Palatius.* *Marsilius.* *Soncinas.* *Iauellus.* *D.Thom.* *Arist.* *Alb.Mag.*

2 Sed specialiter hæc veritas demonstratur ex ratione vltimi finis; & quatenus est finis vltimus, & quatenus est summum bonum. Quatenus est finis vltimus; quia de ratione finis vltimi est, vt non sit alterius gratia; & cætera omnia sint propter ipsum, vt patet ex verbis Aristotelis 2.Metaphy.cap.2.tex. 8. *Item ipsum, cuius gratia finis: tale autẽ est, quod non est alterius gratia; sed eius gratia cætera.* Agit autem de vltimo fine, vt patet ex verbis immediate sequentibus. Porro si de intrinseca ratione vltimi finis est, vt ita non sit alterius gratia, vt cætera omnia sint gratia ipsius: euidenter implicat posse dari, aut concipi plures vltimos fines: nam cum vnus nõ possit ad alium referri: est enim vltimus: vtique iam alter nõ erit vltimus: si quidem de eo non verificatur, quod cęteri omnes ad illum referantur. Igitur ex ratione vltimi finis euidenter colligitur implicatio.

2. Probatur *Arist.*

10 Probatur 3. Sed ex ratione summi boni, quam vltimus finis per se includit, eadem implicatio manifeste deducitur, vt patet ex D. Thoma in hoc ar.5. in prima demõstratione, nam de essentiali ratione sũmi boni est, quod per se ita sit perfectũ, & sufficiens, vt se solo complete satiet appetitum, trahens secum omnia bona: etenim ex Aristotele 9. Ethic. cap.9. in principio, & tex. 36. in fine: *Beato insunt omnia bona;* & in fine capitis: *Id, quod est expetibile, id adsit ipsi oportet; vel egen° erit hac ex parte.* Ex ratione igitur summi boni manifeste deducitur implicare dari plures fines vltimos: sequeretur enim neutrum per se esse sufficiens; quia neutrum secum traheret omne bonum per se expetibile: quin poti° extra quod libet illorum daretur bonum ex sua natura maximum secundum appetentis existimationem. Neutrum igitur per se

D.Thom. *Arist.*

complete appetitum satiaret; quia semper constitueret appetitum egentem alterius boni. Quæ etiam ratio euidēter demonstrat implicationem.

11 Alia ratio D. Thomæ.

Duas alias demonstrationes adducit D. Thomas in hoc ar. 5. quarum altera sumitur ex eo, quod vltimus finis est bonum ad quod voluntas se habet per modum naturæ. Altera verò ex eo, quod omnes actiones humanę suam specificationem saltem genericam accipiunt à fine vltimo. Cęterum; quia vtrunq; medium non est apud omnes indubitabile; ab vtriusq; explicatione supersedemus: satis enim sunt ad probandam implicationē ea, quę adduximus.

12 2. Cōclusio. *Cumel.* Probatur.

Secunda conclusio: sed nec possibile est duos vltimos fines concipi disiunctiue appetendos, idest, fieri non potest vt quis ad duos fines vltimos ita se habeat, vt vnum, vel alterum sibi appetat. Hęc cōclusio in terminis ponitur à Cumelio in d. disp. 11. concl. 4. facile probatur, quoniam duæ à nobis allatæ demōstrationes, etiam in hoc casu implicationem concludunt. Nam si finis vltim⁹ ex se habet, quod cętera omnia ipsius sint gratia; quì fieri potest, vt quis duo aliqua bona formaliter inter se distincta tanquam vltimos fines cōcipiat; ita vt altero illorum contentus quiescat? Nam cum neuter illorum finium sit gratia alterius; vtique neuter ex se habet, quod cętera sint ipsius gratia.

Et eadem ratione, si de ratione vltimi finis est, quod in ea sint omnia bona, ita vt nullum bonum per se expetibile extra illud sit: vtique cum vnum illorū in altero non sit; & vtrunque supponatur per se appetibile; profecto neutrū erit vltimus finis; quia neutrū in se continet omne bonum: vnde neutrum potest appetitū ita satiare, vt adhuc aliud bonum non desideret. Quare duo vltimi fines nec disiunctiue cōcipi possunt.

13 3. Cōclusio.

Tertia conclusio: non solùm duo fines vltimi formaliter distincti dari, aut concipi non possunt; sed nec duo solùm numero differentes. Probatur, quia fieri non potest, vt duo summa bona solo numero distinguātur: nec enim possunt dari duo vltimi fines solo numero distincti, quin simul dentur duę causæ primæ distinctæ solo numero: at dari non posse duas primas causas, quę solo numero distinguantur, Metaphysici demonstrant, vt supponimus.

14 4. Cōclusio. Probatur 1.

Quarta conclusio: qui admittit plures fines vltimos, quorum vnus actu sit vltimus, alter verò solùm virtute; longe abest à vera huius rei Philosophia. Probatur primo; quoniam, quæ virtute, aut habitu appetunt, actualiter possunt appeti. Ergo, si duo vltimi fines actu simul appeti non possunt; vtique nec ita appeti poterunt, vt vnus actu, alter virtute appetatur.

Secundo. Secundo, quia vel vnus illorum determinate semper appetitur actu, & alter solùm virtute; vel indeterminate modo iste actu appetitur, & modo sola virtute. Primum non est admittendum: tum quia vltimus finis non semper actu appetitur: tum secundo; quia fieri non potest, vt aliquid virtute appetatur, si actu nunquam appeti potest: esset enim frustra talis appetibilitas. Posterius autem sine vllo fundamento asseritur.

Tertio. Tertio, quoniam de ratione vltimi finis est, vt vel actu vel virtute à cæteris appetatur. Cui conditioni nullus dabitur locus, si duo fines illo modo concipiantur, vt vltimi: nam cum neuter eorum sit alterius gratia; neuter ab altero appetetur.

15 Vltima conclus.

Postrema conclusio: qui plures vltimos fines agnoscunt, quorum alter positiue, & per affirmationem sit vltimus, alter solùm negatiue; propriā, nisallor, ignorant vocem. Aduertendum igitur quosdam recētiorum eum finem appellare vltimum negatiue, siue per negationem; qui ad alium vlteriorem non refertur, ad eum tamen cętera non referuntur. Sed hoc est abuti non solùm vocibus, sed proprijs rerum conceptib⁹: nā ex Arist. 2. Meta. c. 2. tex. 8. de intrinseca ratione vltimi finis est, vt ita nullius sit gratia, vt cætera omnia gratia illius sint: iste est recte philosophantium communis conceptus. Quomodo igitur appellari debet finis vltimus, cui deest vltimi finis ratio intrinseca? Quod si pro libito talem finem vis appellare vltimū; Philosophia pro libito introducta inanis est, & impositio nominis propria auctoritate excogitata contra receptam omnium impositionem obscurat poti⁹, quam explicat Philosophiæ difficultates. Quare non est audiendus Azorius,

nec

nec cum eo Bellomontanus: sed de hoc rursus in sequenti articulo.

§. 3.

Soluuntur argumenta in contrarium.

16 Solutio 1. argum. ARgumenta initio adducta facile soluuntur. Ad primum omissis varijs,& peregrinis solutionibus negandum est posse tria illa bona, vt tres fines totaliter vltimos ab aliquo expeti; sed solùm partialiter. Quod obijcit ex D.Thoma intelligitur de finibus proximis, de quibus in vltimo articulo.

Solutio.2. ex D. Tho. Ad 2. respondendum est cumD.Thoma in hoc ar.5.ad 2.illa bona, quæ materialiter non opponuntur; opponi in ratione perfecti, & vltimi boni: implicat enim vt plura, quatenus plura, habeant rationem boni perfecti, vt patet ex demõstrationibus adductis.

Solutio.3, ex D. Tho. Ad tertiũ respondet D.Thomas eodẽ loco ad 3. in voluntate libera non esse potestatẽ,vt faciat opposita simul esse. Quare licet possit diuisim velle quodlibet illorum oppositorum; non tamen potest ea velle coniunctim.

17 Solutio.4. Ad quartum concedimus quamlibet diuinam personam esse summum bonũ, & vltimum finem: id tamen quælibet non habet, prout ab alia distinguitur: nec enim hoc habet á proprietate distinguente personas, sed à natura diuina illas ineffabiliter vniente. Vnde vna persona,quæ est ab alijs distincta,est vltimus finis: non tamen prout est distincta ab aliis,sed prout simul cum alijs est Deus: quo modo sicut cum illis est vnus Deus; ita etiam cum illis est vnum bonum summum,& vnus vltimus finis.Negandum est igitur, qui adhæret vni personę, vt est ab alijs distincta, ad hærere illi vt vltimo fini adæquate.

Solutio.5. Ad quintum; negandum est id, quod supponitur;quia implicat concipere alterutrum illorum,vt bonum sibi sufficiens,& vt vltimum finem. Vide secundã conclusionem.

Solutio vltimi. Ad postremũ negandum est antecedens. Ad primam, & secundam probationem patebit solutio ex ar. 3. & 4.

Ad tertiam negandum est peccatorẽ cum primum conuertitur, habere pro vltimo fine creaturam, sicut etiam negandum est pro illo instanti in priori aliquo naturæ esse in peccato: nam primum illud instans conuersionis,dilectionis Dei,&gratię est primũ non esse peccati: vnde fieri non potest,vt idem met instans temporis intrinsece mensuret esse peccati: hoc enim totum tẽpus immediate præcedens adæquate mensurauit. De quo multa diximus in tractatu de Sanctificatione Virginis. Et hæc solutio clarior, & melior est, quàm solutio Cumelij loco citato ad 3.

Ad quartam probationem dicendum est angelum,dum peccando auersus est à Deo fine supernaturali,consequenter auersum etiam fuisse à Deo,vt est naturalis finis,vt cõmuniter docetur in materia de peccato angelorũ, vbi nos multis id ostendimus.

Ad vltimam probationem negandũ est id, quod supponitur; quia pueri in originali existentes auersi sunt à Deo; tum, vt est finis supernaturalis, tum, vt est naturalis. De hoc plura diximus in materia de peccato originali.

ARTICVLVS III.

Vtrum,qui plura peccata mortalia committit. habeat plures fines vltimos?

HVNC articulum excitamus pro resoluenda vulgari difficultate, quæ contra resolutionem præcedentis articuli excitatur. Diximus fieri non posse, vt quis plures totales fines vltimos sibi constituat. Contra hanc resolutionem in vltimo argumento eiusdem articuli vulgatam fecimus obiectionem; quia potest homo velle duo obiecta mortaliter mala, ita vt vnum non velit gratia alterius, sed vtrunque gratia sui. Ergo potest quis velle duos fines vltimos, & totales. In qua consequentia supponitur peccantem mortaliter adhærere creaturæ,tanqua vltimo fini: & quoniam de vtroque est inter Theologos dubitatio; de vtroqne erit hoc loco agendum. Primum igitur expendemus; an qui mortaliter peccat,constituat finem vltimum in bono creato. Deinde supposita sententia affirmante tanquam certa inquirendum est; an in casu proposito peccator ille duos vltimos fines sibi constituat.

PARS

PARS PRIMA ARTICVLI.

Qui peccat mortaliter vltimum finẽ constituere in re creata.

2 Adriani sẽtentia.

CIRCA priorem difficultatem cõmuniter refertur Adrianus quodlib.7.ar.3.negans peccantem mortaliter creaturam sibi proponere tanquam vltimum finem. Et quanuis Adrianus non ita generaliter loquatur; vt quia solùm asserat non oportere, vt omnis mortaliter peccans finem vltimum cõstituat in creatura; satis est, vt pro negante parte vere adducatur, quod non neget aliquem peccatorem posse suum vltimum finem in creatura collocare. Sed quidquid sit de mente Adriani hæc negatiua pars communiter his confirmatur rationibus.

1. Argum. Primo, Adrianus argumentum sumit ab eo, qui ex indiscreto zelo mortaliter peccat putans se obsequium præstare Deo, Ioannis 16. Roman. 10. In quibus nõ creatura, sed Deus est vltimus finis.

Secundum. Secundo arguit ex illis, qui ignoranter peccant: in quibus cum ignorantia non potest esse adhæsio in creatura, tanquam in vltimo fine.

Tertium. Tertio, arguit; quia multi peccant spe veniæ, qui non videntur intendere non habere Deum pro vltimo fine.

Quartum. Quarto, quia fieri potest, vt qui peccat, eo sit animo, vt pro fide, aut honore Dei vitam profundat.

3 Quintum. Quinto, quia non bene infertur: *Peccat mortaliter propter bonum creatũ. Ergo plus amat bonum creatum, quam Deum*: Potest enim quis peccare in gratiam amici, vt si propter illũ falsum iuret: & tamen minus amare illum, quam seipsum: nam licet propter illum peierauerit: non tamen propter illum se, vel minimo obijciat periculo. Similiter potest filius in patrem peccare propter seruum, quando illũ liberat à nece, quàm pater vult seruo inferre: & tamen non plus amat seruum, quam patrem. Eadem igitur ratione poterit quis in Deum peccare propter aliquod bonum creatum: quod tamen non plus diligat, quam Deum.

Sextum. Sexto, qui peccat v.g. propter voluptatem; eo tamen animo, vt propter illã non totam suam erogaret substantiam plus suam diligit substantiam, quam diligat voluptatẽ: & tamen potest eo animo esse, vt totam prodigeret substantiam, vt fidem conseruaret. Ergo signũ est, quod non plus diligat voluptatem, quam Deum.

Vltimum. Postremo, vt demus peccatorẽ plus diligere illam creaturam, quam Deum; non proinde bene infertur peccatorẽ illam creaturam diligere, vt vltimum finem; quia fieri potest, vt aliam creaturam magis diligat. Hæc sunt argumenta, quæ pro Adriani opinione cõmuniter afferuntur.

4 Præcedens sententia reijcitur communiter ab Scholasticis. D. Thom.

Hæc tamen opinio Adriani cõmuniter reijcitur à Theologis: qui absq; vlla dubitatione concedunt eum, qui mortaliter peccat finem vltimum constituere in aliqua creatura. Ita *D.* Thomas in hac q.1..ar.7.ad.1.& clarius q.89.ar.1.ad 3. & 2.2.q.24.ar.10.ad 2.& q.45.ar.1. ad 1. & in 1.d.1.q.3. ar.1. ad 4. de Veritate q. 28, ar.2. & de malo q.7. ar.9. Probant Albertus Magnus in 2.d.42. ar.3. & ibi D. Bonaueptura ar.2.q.1. Durandus q. 6. Scotus in 1.d.1.q.5.§. *Ex his*, & §. *Ad primum*, late id cõfirmat Medina in hoc ar. 5. Cumelius 1.2.q.71.ar.6.disp. 11. ad 1. pag.193.col.2.& q.77.ar.4.in dubio annexo pag.436. col.1. Caietanus cum cæteris in hoc ar.5.& 1.2.q.77.ar.4. Bellomontanus hìc disp.5.cap. 1. Valentia 2. tomo.disp.1.q.1.punct.6. conclu.2.pag. 31. Probat Sylvester cum cæteris Thomistis, & cũ illis Caietanus verbo peccatum.

Alb. Mag. *Bonau.* *Durand.* *Scotus.* *Medina.* *Caietan.* *Valentia.* *Sylvester.*

5 Eadem est Patrum doctrina. *Hieronym.*

Quæ fuit cõmunis doctrina patrum, dum explicant illud Pauli ad Philippenses 3. *Quorum Deus venter est*, & quatenus docent peccatum dominari ipsis peccatoribus, vt patet ex Hieronymo in cap. 50. Isaiæ ad illa verba; *In iniquitatibus vestris venditi estis.* Sed satis rem euincit Augustinus, dum affirmat omnem humanã peruersitatẽ in hoc esse positam, vt fruamur vtendis, & vtamur fruẽdis, vt patet lib.83.quæstionum q.30.dum ait: *Omnis itaque humana peruersio est, fruendis vti velle, & vtendis frui.* & 10.de Trinitate cap.10. *Nec est alia vita hominis vitiosa, atque culpabilis, quàm male vtens, & male fruens.* Itaque cuiusque peccati mortalis peruersio in hoc consistit, quod peccator creatura fruitur, qua vti debebat. Frui autem apud Augustinum non est aliud, quam alicui tanquam vltimo fini adhærere, ex

Augustin.

Augu-

Augustino lib. 10. de Ciuit. cap. 10. & lib 1. de doctrina Christiana cap. 4. 5. & 21.

6 Nec est audiendus Adrianus, dum ait Augustinum intelligendum esse de fruitione non proprie, sed late sumpta: tum quia falsa esset data doctrina; nec enim est peruersio frui vtendis, si frui idē est, quod vti. Tum etiam; quia oppositum manifeste colligitur ex cap. 10. libri decimi de Trinitate: definiens enim fruitionem proprie sumptā, immediate addit vitam peruersam in hoc poni, quod vtendis fruimur; hęc enim sunt Augustini verba: *Fruimur cognitis, in quibus voluntas, ipsis propter se ipsa delectata, conquiescit, nec est alia vita hominis vitiosa atq; culpabilis, quā male vtens, & male fruens;* male inquam fruens illa fruitione, quam explicauerat. Quare non est dubium apud Augustinū peruersionem cuiuscunq; peccati mortalis positam esse in fruitione creaturę, cui peccator propter seipsam adhæret, tanquā vltimo fini. Quod satis expressit Augustinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 24. in hæc verba: *Vnde hæc obscuratio?* (explicat verba Pauli: obscuratum est cor eorum) *Nisi ex auersione à lumine sapientiæ? Vnde autem hæc auersio? Nisi, dum ille, cui bonum est Deus, sibi ipsi vult esse bonum suū, sicuti sibi est Deus.* Quibus verbis manifeste docet peccatorem ideo à Deo auersum esse; quia dum vult sibi suum bonū, vult se esse sibi Deum, & vltimum finem, quo fruatur. Quod etiam ibi cap. 25. videtur expressisse, dum ait: *Si autem tanquam obuius placet sibi ad peruersę imitandum Deum; vt potestate sua frui velit; tanto fit minor quanto se cupit esse maiorem.* Peccator igitur ideo peruersus est; quia bono creato frui vult tanquam vltimo fine.

7 Probatur ex Paulo ad Philip. 3. Fauent huic opinioni sacræ literæ in suo loquēdi modo. Quoniam Paulus ad Philip. 3. agens de peccatore ita scribit *Multi enim ambulāt, quod sæpe dicebant vobis (nunc autem, & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum.* Venter igitur, atque etiam gloria humana est eorum Deus: non alia ratione, nisi quia omnia in ventrem, & gloriam terrenam tanquam in Deum referunt: quę est cōmunis explicatio ex Chrysostomo ibi homilia 13. In eodem sensu Paulus ad Ephes. 5. auaritiā appellat, *idolorum seruitutem*: quia auari in pecunia suum idolū Deumque constituunt: quæ est cōmunis omnium explicatio. Eadem ratio cernitur in cæteris omnibus peccatis; bonū enim, quod in illis quęritur, est ipsius peccantis idolum, & Deus, & subinde vltimus finis.

Chrisosto. Ad Ephes. 5.

8 Sed & ratione Theologica id demonstrabitur, si præmittamus peccantem mortaliter auerti a Deo vltimo fine, ac summo bono. Hæc est de fide: ponitur in Tridentino sessione 6. cap. 5. & in terminis Isaiæ 1. *Væ genti peccatrici, &c. dereliquerunt Dominum.* Quin potius, & *spreuerunt*, vt dixerat initio capitis. cap. 30. in principio: *Væ filij desertores*, quia nimirum deseruerunt Deum. Hieremię 2. *Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ.* Vnde cum peccator pœnitet, dicitur conuerti ad Deum Ecclesiast. 5. Isaiæ 45. & Hierem. 4. cōuertūtur inquam; quia auersi erant. Hæc autem auersio, cum sit actio humana non potest fieri sine conuersione ad aliquem finem creatum, cui peccator adhæreat, vt bene aduertit Caiet. 1. 2. q. 87. ar. 4. §. *Ad hoc dicitur*; & D. Thomas 2. 2. q. 45. artic. 1. ad 1. Quod satis docent Theologi, dum in quolibet peccato duo philosophantur: auersionem inquam à Deo bono incommutabili, & conuersionem ad aliquod commutabile bonum creatum. Ex Augustino lib. 2 de libero arbitrio cap. 19. & cum eo omnes Theologi, & satis colligitur ex verbis Hieremię 2. *Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ; & foderunt sibi sisternas dissipatas.* In hac conuersione hoc reperitur, vt peccans plus diligat creaturam, quam Deum: quod generaliter annotauit Augustinus lib. 21. de ciuitate Dei cap. 26. ante finem, & D. Ambrosius, atque Hieronymus ad illa verba Matthęi 10. *Qui amat patrē, aut matrem plusquam me.* Quod satis colligitur ex verbis Isaiæ 1. *Ipsi autem spreuerūt me.* Et ex illis 1. Regum 2. *Qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Matthęi 6. *Non potestis duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vnum sustinebit & alterum contemnet.* Accedat Augustinus 14. de Ciuitate cap. 28. dum ait; *Amorem sui peruenientem vsque ad Dei contēptum ædificasse terrenam ciuitatem*; quia nimirum omnis peccator Deum contemnit. Cōtēptus autem in eo est positus, quod bonū creatum pluris ęstimet, & plus diligat, quam bonum increatum: vt colliges ex verbis

Cōcil. Trid Isaiæ c. 1. & 30. Hierem. c. 2. Ecclesiast. 5. Caietan. D. Thom. Augustin. Herem. 2. Augustin. Ambros. Hieronym Isaiæ. 1. Primo Regum. 2. Matth. 6. Augustin.

verbis Ioann. 12. agens enim de principibus, qui credentes in Christum eum non confitebantur, ita scribit: *Dilexerũt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Et Matthæi 10. ideo plures Christo non adhæserunt; quia plus patrem, & matrem amauerunt, quam Christum.

Ioan. 2.

Matth. 10

9 Ratio Theologica pro eadem sententia.

His suppositis Theologicè ita demõstrari potest peccantem mortaliter cõstituere vltimum finem in creatura: nã is, qui mortaliter peccat, auertitur à Deo vltimo fine, & summo bono: & ita conuertitur ad bonum creatũ, vt illud plus diligat, quam Deum. Ergo, qui mortaliter peccat, adhęret creaturę tanquã vltimo fini. Antecedens ex dictis patet. Consequentia primo probatur; quia cũ talis conuersio sit actio humana, non potest non esse propter aliquem vltimum finem actu, vel virtute amatum. Iste finis non est Deus; quia peccator ab eo auertitur. Ergo est aliquod creatum.

10 Secundo, quia bonum illud creatum prefertur summo bono, qui est Deus. Ergo peccator ad illud conuertitur tanquam ad bonũ sua estimatione summũ: iam verò ratio vltimi finis inseparabilis est à ratione summi boni.

Tertio, id satis significant illa verba Isaię 30. *Sperantes auxilium in fortitudine pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Ægypti.* Et clarius verba Christi Matth. 6. *Non potestis duobus dominis seruire: Deo, & mammonæ*, quasi significet, qui à seruitute Dei auertitur nolens illi subdi tanquam supremo Domino, atque vltimo fini, cõuerti ad seruitutem mammonę, ita vt illi tanquã Domino supremo atq; summo bono subijciatur,

Isaias 30.

Matth. 6.

§. 2.

Quo pacto peccans mortaliter constituat vltimũ finem in creatura?

11 EX dictis patet non esse simpliciter, & absolute negandum peccatorẽ, dum mortaliter peccat, vltimum finem constituere in creatura. Sed quo pacto in ea vltimum finem constituat? Nec eodem modo, nec satis explicatur à Theologis. Multa indigeste nec satis constanter cõgerit Cumelius 1.2.q.71. ar.6.disp.11.in solutione difficultatum pag.193.& q.77. ar. 4. in dubio annexo pag.432. cuius distincta explicatio ad veram difficultatis intelligentiam maxime conducit. Si vera sunt, quę Cumelius scribit. Plures ex discipulis D. Thomæ putant peccatorem non ita constituere vltimum finem in creatura, vt formaliter, & expresse illum in ea collocet, sed solùm virtualiter, & interpretatiue, atq; veluti negatiue: quatenus scilicet peccator nõ ordinat actionem suam in vltimum finem verum, sicut tenetur; nec creaturæ adhæret tanquam medio ex se ordinabili in vltimum finem

Cumel.

Prima explicatio.

12 2. Explicatio Vasquij. Secundam explicationem excogitauit Bellomontanus hoc loco disp. 5. cap 1. §. *Hinc etiam colligi potest.* vbi distinguit triplicem finem vltimũ; primus est, qui est vltimus tam operis, quàm operãtis. Alter vltimus operis tantum, & nõ operantis: quem subdiuidit; quoniam opus vnius, etsi actu non refertur in vltimum finem verum; est tamen in illum referibile: opus verò alterius nec refertur in finem vltimum verum, nec in illũ est referibile; quia illi opponitur. Primũ igitur genus vltimi finis dicitur, & operis, & operantis; quia opus ipsum, idest bonum, quod est finis, est finis vltimus, & in illum operãs cætera omnia refert: hoc modo & Deus, & beatitudo est vltimus finis. In secundo genere vltimi finis opus est vltimum, ad quod intentio operantis actu terminatur: non tamen est vltimus finis respectu operãtis; quia operans cætera õnia non refert in illũ, tanquam in bonum optimum, & maxime amabile. Hoc genus subdiuidit, vt patet ex dictis. Putat igitur Bellomontanus peccatorem vltimum finem constituere in creatura tertio explicato modo; quia scilicet creatura est vltima vltimitate operis: nec enim est referibilis in vltimũ finem verum, sed illi opponitur, non tamen est vltimus vltimitate operantis; quia peccator non refert se, & cætera omnia ad illam creaturam, tanquam ad bonum optimum, & maxime amabile.

13 Ad illã accedit Azor. Ad hanc proxime accedit Azorius lib. 1, institutionum Moralium cap. 1.q. 5.& 7. vbi duplicem distinguit vltimum finem: per affirmationem vnum: alterũ per negationem. Vltimum finem per affirmationem vocat; in quem omnia referuntur, vt Deus. Vltimum verò per negationem illũ appellat, qui in nihil aliud refer-

refertur;non tñ in eum cætera referuntur. Finis vltimus per affirmationem coincidit cũ fine, quem Bellomont. appellat operis,& operantis:vltimus autẽ per negationẽ coincidit cũ fine,quiBellomontano est operis, & non operantis.

14 Reijcitur prima explicatio 1.

Nulla harũ explicationũ est admittẽda.Primã non admisit Cumel. & aliena satis est à verahui⁹ rei Philosophia:intẽtio enim virtualis non datur,nisi præcedat aliqua actualis .Pugnat igitur secũ hæc explicatio,dum negat peccatorem finẽ vltimum expresse,& formaliter collocare non posse in creatura: bene tñ virtualiter : hæc enim duo secum pugnant, si de intentione proprie virtuali sit sermo. Nec à repugnantia liberabitur,si ad veram intentionẽ interpretatiuam recurrat; quæ includit volitionẽ finis intenti non in se,sed in alio, in quo secundum moralem quandã interpretationem dicitur volitum,vt explicauim⁹ lib.1.q.16.ar.7. nam quocunq;modo intentionẽ interpretatiuam explicet,illa semper supponit id, qđ interpretatiue est volitum , potuisse esse actu volitũ in se ipso : cuius tamen oppositum supponit hęc explicatio;dum negat peccatorem formaliter,& expresse posse vltimũ finem in creatura collocare.

15 Secundo.

Accedit eo;quoniã, qui peccat mortaliter ,actu adhæret creaturę,cum illã actu plus diligat, quam Deum. Ergo si inde bene infertur peccatorem adhærere creaturæ , vt vltimo fini; profecto admittendum est eum non virtualiter solùm,& interpretatiue;sed formaliter, & expresse affectu suo illi hærere : nec enim dicendum est peccatorem solùm virtualiter, & interpretatiue plus diligere creaturam,quam Deum: repugnat enim verba Ioannis. 12. *Quoniam gloriã hominum dilexerunt magis , quam gloriam Dei* Verba etiam Matth. 10. *Qui amat patrẽ, aut matrem plusquam me,non est me dignus.*Et apertius verba Hieremię 2. *Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ: & foderunt sibi cisternas dissipatas.* Quæ verba denotant actualem affectum, quo voluntas practice,& à parte rei spreto, ac relicto Deo, libere adhęret bono creato.

Ioan..12

Matth. 10 Hierem.2.

Tertio.

Denique in hoc etiam reijcienda est hęc explicatio, quatenus intentionem virtualem , & interpretatiuam ponit in intentione negatiua. In quo dupliciter errat : primo ; quia intentio virtualis & interpretatiua, quanuis aliquando consequatur ex negatione , nimirum ex aliqua omissione , vt aliqui volunt: ipsa tamen in se non est negatiua , sed positiua. Secundò errat ; quoniam illa non ordinatio actionis in vltimum finẽ, illa item negatio adhæsionis medio ex se ordinabili in illum ; etiam conuenit ei, qui venialiter peccat: vere enim nõ ordinat actionem in vltimum finem verum:nec adhęret medio per se ad illum referibili . Quare qui mortaliter peccat,aliquid amplius habere debet.

16 2. Explicatio impugnatur. Primo.

Explicatio Bellomontani ficitia est, & pro libito adinueta ; vnde reijcienda venit. Primo ; quia parit confusionem ijs , qui finem operis, & operantis iuxta communem explicationem longe aliter dedicerunt .

Secundo.

Deinde ; quia posterius genus vltimi finis in duo membra condiuisum repugnat intrinsecæ rationi vltimi finis, vt supra diximus : is enim duo includit, & quod in nullum alium referatur , & quod omnia ad illum referantur; adeo, vt dempta , vna , vel altera particula iam non possit dici vltimus finis , siue opus attendas , siue operantem. Sicut enim ratio boni , quod est vltimus finis , per se includit vtranque illam conditionem ; ita vt si alteram tollas, tollas necesse est rationem vltimi finis: ita etiam nullus potest vltimum finem intendere ; nisi duplicem illam conditionem in sua intentione includat ; vt sc. bonum illud , quod vt vltimum finem intendit in aliud bonum non referat, & præterea , vt ad illud referat cætera omnia bona , si non actuali affectu , saltem virtuali , aut interpretatiuo. Quare fictitium est illud genus vltimi finis, quod Bellomontanus , & Azorius confixerunt : nam & si admittendus est finis vltimus per negationem in vlteriorem finem: nullo tamẽ modo admitti debet vltimus finis per negationem relationis cæterorum omnium in illum.

17 Vera explicatio.

Dicendum est igitur peccatorẽ finẽ vltimum ponere in creatura tum ; quia illã nõ gratia alterius amat , sed ꝓpter se tãquam summum bonũ, etenim creatura fruitur ex sentẽtia Augustini : tum etiã ; quia secundũ affectũ cętera õnia

bona in illã refert ſaltẽ interpretatiue; & quidẽ quod peccator creaturę adhæreat, vt ſũmo bono modo ſtatim explicãdo, dubitari non poteſt. Nã cũ bonũ illud pluris æſtimet, quã diuinum bonũ, vt iã oſtenſum eſt, vtiq; illud ſua æſtimatione amat, vt ſummũ. Quod aũt cętera omnia bona ſecundũ pręſentem affectũ referat in illam, tanquam in ſummũ, & vltimum bonum patet ex locis Pauli ad Philip. 3. ad Epheſ. 5. iuxta communem explicationem: nam ideo gulę deditis venter eſt ipſe Deus; & auaro pecunia eſt idolum; quia ille in ventrem, hic in pecuniam omnia refert, quæ eſt cõmunis explicatio ex Chryſoſtomo homilia 33. in Epiſtolã ad Philip. Ex quo patet quam aliena ſit à mente Pauli, & Chryſoſtomi explicatio Bellomõtani, & Azorij.

Ad Philip

Chryſoſto.

Quod veró peccator ſecundum prę-ſentem affectum cætera omnia referat in creaturam, cui adhæret non quidem actu, ſed interpretatiue, facile probatur; quia eo ipſo, quod peccans mortaliter adhæret creaturæ, vt bono ſecundum ſuam ęſtimationem ſummo ſecundum moralem conſiderationem habet affectum interpretatiuum referendi cętera bona in illam: hęc enim eſt natura ſummi, vt cętera bona ſui gratia finalizet. Etenim, quod à parte rei conuenit verò ſummo bono; conuenit bono, quod eſtimatur vt ſummum, vnde vt ſic finalizabit finalizatione ſummi boni. Quod in hac materia eſt annotandum.

Ex qua reſolutione patet falſam eſſe doctrinam Medinæ, & Valentiæ, dum ſoluendo argumenta Adriani putant peccatorem non ita adhęrere creaturæ, vt abſolute, & ſecundum omnem rationẽ illi adhęreat, vt ſummo, & vltimo bono, & ſubinde fieri poſſe, vt ſub alia ratione non eam æſtimet vltimum finem, quod putant probari argumento quarto Adriani cum ſequentibus. Sed profecto non mihi videntur bene Philoſophari; etenim ex dictis patet ex ratione vltimi finis concedendum eſſe iſtum ſecũdum præſentem affectum cætera omnia ad hoc bonum referre, illaq; minus ęſtimare. Nec oppoſitum probant argumẽta Adriani, vt videbimus.

18 Medinę, & Valentię doctrina falſitatis cõuincitur.

§. 3.

Quænam creatura ſit peccatori vltimus finis?

ANtequam Adriani argumenta diſſoluamus, operępretium erit explicare, in qua nam creatura, qui mortaliter peccat, ſuũ vltimũ finẽ cõſtituat? Rem iſtam obſcuram fecit Caietanus, tum in hoc art. 5. tum inferius q. 87. ar. 4. paulo poſt principium §. *Ad hoc dicitur*: quibus in locis docet peccatorẽ in quibuſcunq; peccatis ſuum vltimum finẽ collocare in ſe ipſo; ita vt ipſe met ſit ſibi vltimus finis. Quam ſententiã nõ eſſe intelligendam de vltimo fine *cui*, ſed de vltimo fine *cuius*, contra nonnullos contendit Cumelius: ita vt ipſe peccator in ſuis actionibus ſeipſũ appetat, & quęrat, vt bonũ ſibi ipſi appetitũ, & amatum, tanquã finẽ *cuius*. Ita habes ex Cumelio 1.2.q.71.ar.6.diſp.11.cõcl.2.pag. 189. & inferius in ſolutione difficultatis pag. 194. col. 2. & pag. 195. verſiculo tertia ſolutio & pag. 196. §. *Verum tamen hoc argumentum*. Et latiſsime q. 87. ar. 4. in dubio annexo maxime pag. 433. Quibus in locis non ſolùm confuſe, & parũ Philoſophice, ſed adeo late nodum iſtũ tractat, vt eum implicet potius, quam explicet. Ex his, quæ indigeſte congerit, pro hac ſententia hæc potui colligere.

19 Caiet. ſententia.

Explicatur à Cumelio.

1. Argum.

Primum fundamentum ſumit; quia omnia, quę peccator appetit, ad ſeipſum refert: quod multis chartis diffundit.

Secundum.

Secundo, quia peccator omniũ conſenſu eſt finis *cui*, Suarũ omniũ appetitionũ, & operationũ. Ergo eſt etiam finis *cuius*. Conſequẽtiam probat; quia de ratione finis, vt finis, eſt, quod ſit cuiꝰ gratia aliquid fit: hæc enim eſt illius definitio. Ergo ſi finis *cui* eſt finis, non poteſt non eſſe finis *cuius*. Quare ſi peccator eſt vltimꝰ finis *cui*, ſuarũ actionũ, non poteſt nõ eſſe finis *cuius*. Ita pag. 196. & pag. 434.

Tertium.

Tertio, finis *cuius*, eſt ꝓpter quẽ alia quęrunt, & qui excitat amorẽ mediorũ. Sed peccator quærẽs bonũ delectabile, vel qđcũq; aliud; illud quęrit ꝓpter ſe & ꝓpter amorẽ ſui. Erit igit ipſe vltimꝰ finis *cuius*. Deniq; peccator tribuit actualẽ appetebilitatẽ omnibus, quę deſiderat. Hęc autem cauſſalitas propria eſt finis *cuius*. Ergo peccator ſeipſum ſibi conſtituit, vt vltimum finem *cuius*. Ad hæc reducuntur omnia Cumelij fundamenta.

Quartum.

Pro

20 Prima Cõclusio.

Pro resolutione sit prima conclusio: peccator, dũ peccat seipsum sibi propo nit, vt finem vltimũ *cui*. In hac teste Cumelio omnes conuenimus: probat; quia peccator in omnibus suis actionibus se ipsum amat amore amicitiæ: bona igit õnia, quę appetit, sibi appetit, vt fini *cui*. Et cũ seipsum nõ referat in Deum (quia iuxta doctrinã Augustini sępe repetitã ita se amat, vt Deum contẽnat) omnia in seipsum refert, vt in finem vltimũ *cui*. Et in hoc distinguitur iustus à peccatore: quoniam iustus omnia etiam operatur propter se, tanquam propter finem *cui*: vnde ipsam beatitudinem tam formalem, quàm obiectiuam sibi appetit, vt fini *cui*: at tñ non sibi ea vltimate appetit: cum ideo ea appetat sibi, vt in se ipso glorificetur Deus.

2. Cõclusio.

Secunda conclusio; si proprie loquẽdum est, peccator nõ constituit seipsũ, vt vltimũ finẽ *cuius*: sed hunc finẽ constituit in aliquo bono creato, qđ tanquam summũ bonum sibi concupiscit. Hęc cõclusio exceptis Caietano, & Cumelio, est omnib⁹ cõmunis. Suadetur primò; quia satis consentit cum phrasi sacrę Scripturæ: etenim Paulus ad Ephes. 5. satis explicat vltimum finem auari esse pecuniam, dum auaritiam vocat, *Idolorum seruitutem*: ideo quia ad possessionem pecuniæ tanquam ad summum bonum omnia refert. Et ad Philip. 3. dum ait: *Quorũ Deus venter est*; satis significat vltimum finẽ dilicioſi esse ventrẽ, vt pote; quia ætli met in dilicijs summũbonũ esse collocatũ. Hoc etiam explicat querela Dei, de qua Hierem. 2. *Dereliquerunt me fontẽ aquæ viuæ.* (idest summũ bonũ) *Et foderũt sibi cisternas dissipatas, quæ cõtinere non valẽt aquas.* Quæ verba non satis apte accõmodari possunt, nisi bonis creatis, quę peccator sibi, vt vera bona, & solida, errando eligit. Nec bene accõmodant amori proprio, quo peccator se amat: nã amor ille si ordinat⁹ fuerit, aquas veras valebit cõtinere. Ex quibus colliges in peccatore nõ esse distinguendũ duplicẽ finẽ, v.g. in auaro proximũ scilicet ipsã pecuniã, & vltimũ; amorẽ proprium: quomodo enim pecunia esse potest idolum auari; si nõ est bonũ summũ, nec vltim⁹ finis eius? Colliges secundo falsum esse, quod Medina in hoc ar. 5. affirmat, in §. *Quod vt apertius*, bona illa (quę appellat fines proximos) non plus amari à peccatore, quam Deum: id aperte falsum est, quãuis probẽt Cumelio vbi supra pag. 54. col. 2. repugnat enim euidenter verbis Ioan. 12. *Quia magis dilexerunt gloriam hominum, quàm Dei gloriam.*

Probatur 1. ex scriptura Sacra Ad Ephes. 5.

Ad Philip 3.

Hierem. c. 2.

Medina, & Cumel. falsitatis cõuincuntur.

Ratione etiã Philosophica cõclusio facile ostẽditur, si aduertam⁹ doctrinã cõmunem, quę docet finem *cuius*, siue vltimus sit, siue non vltim⁹, solùm amari amore concupiscẽtię; quia semper amatur, vt bonum ad alterum, id est, alicui concupitum. Ex qua verissima doctrina, si bene philosophemur, infertur peccatorem se ipsum, non intendere, vt finẽ *cuius*: enim verò amor ad seipsum terminatus non potest non esse amor amicitiæ, cum non terminetur ad bonum sibi concupitum, sed ad seipsum, cui bonum concupiscitur. At finis *cuius*, non potest amari amore amicitiæ, sed necessario amatur amore concupiscentiæ, cũ ametur vt bonum alteri. Quare peccator, vt est ipse; nõ potest esse finis *cuius*, sui ipsi⁹.

21 Probatur ratione.

Responsio pro Caiet.

At inquiet Caietanus argumentum conuincere peccatorem, vt est formaliter ipse, non esse finem *cuius*, respectu sui ipsius: bene tamen, vt ipse est participatus in alio desiderato bono: quã solutionem sępe repetit Cumelius. Sed explicet nobis Caietanus, quomodo ipse peccator participet à bono sibi concupito, vt ipse in eo se ipsum participet: sed non facile id explicabit. Deinde inquiro; an ipse peccator vt participatus à bono desiderato distinguat ab ipso bono v.g. à pecunia, à voluptate: ita vt ipse ponat in numero cum tali bono: an verò non distinguatur, sed idem sit cũ illo. Priori modo intelligi non potest; quia ipse nõ est totale bonum, nec totalis finis vltimus, sed ipse cũ alijs. Porro, si posteriori modo intelligatur, à nostra sententia nõ discedit; quia vere constituit vltimũ finem peccatoris à bono creato distincto à se. Quod verò peccator in illo bono sit participatus? parum refert.

Improbatur

Alia Caiet. & Cumelij responsio reijcitur. 1.

Sed nec admittendi sunt Caiet. & Cumelius, quatenus docẽt peccatorẽ, ideo seipsũ constituere vltimũ finẽ sibi; quia amor proprius sui ipsius est vltimus finis ad quem omnia refert. Non sunt inquã audiendi; quia hæc Philosophia primũ deficit; quia personam peccatoris, & amorem proprium pro eodem accipit.

22

Secundo. Secundo, quia amor proprius non est bonum in seipso amatum, vt finis, *cuius*; sed est caussa, quod ipsi peccatori amẽtur pecunia, & alia bona. Tertio, quia amor ꝓprius, quo quisq; seipsum amat, est amor amicitię: terminatur enim ad propriam peccatoris personam, cui vult omnia, quæ vult. Amor autem amicitiæ non terminatur ad finem, *cuius*, nec ad bonum concupitum. Quin potius amor proprius effectiue caussat omnẽ amorem cõcupiscentiæ, quo finis *cuius* concupiscitur: ideo enim, quia me ipsum amo, vt amicum; cõcupisco mihi ea bona, quę vt conuenientia concipio. Ob quam rationem ad omnẽ amorem concupiscentię terminatum ad finem cuius præsupponitur amor proprius, tanquam realiter distinctus. Quomodo
23 igitur in peccatore amor proprius erit vltimus finis *cuius*, & vltimum bonum concupitum?

Tertio.

Ex quibus omnibus patet peccatorem, dum mortaliter peccat, non constituere seipsum vltimum finem, & summum bonum, sed rem, quam sibi concupiscit, vt asserit secunda conclusio.

Respõsio ad 1. argumẽtũ Cumel.

Quam argumenta Cumelij non impugnant. Nam primum, in quo late spaciatur, solum probat peccatorem esse sibi vltimum finem *cui*: ad se enim tanquam amatum amore proprio amicitiæ refert omnia bona, quę peruerso amore concupiscentię sibi desiderat.

24 Ad 2.

Secundi argumenti consequentia est inutilis, si sermo sit de vtroque illo fine formaliter sumpto: vtrunque enim diuersam habere rationem finis late ostẽdimus lib. 1. In eo autem deceptus est Cumelius, quod definitionem finis explicare nesciuit. Nam quanuis vterque finis sit gratia, cuius aliquid fit, vt multis ostendimus lib. 1. non tamen vterq; eodem modo est *gratia cuius*: finis enim *cuius*, est finis, cuius assequẽdi gratia aliquid fit: finis verò *cui*, est cuius perficiendi gratia fit aliquid. Vnde dicitur finis in cuius gratiam agens operatur, vt lib. 1. late ostendimus. Quare hæc consequentia: *Finis cui est finis. Ergo est finis cuius*; peccat fallacia consequentis; quia argmuentaꝫ affirmatiue à superiori ad inferius. Sed nec valet consequentia, si sermo sit de fine sũpto materialiter: nã res, quæ est finis *cui*, terminat amorẽ accitiæ, & amaꝫ ꝓpter bonitatẽ suã absolutã: at res, quæ est finis *cuius*, terminat amorẽ cõcupiscẽtiæ, & amaꝫ ꝓpter bonitatẽ relatã, vt lib. 1. late diximus.

25 Ad 3.

In 3. argumento maior est neganda, si intelligatur, quod alia quærantur ꝓpter solũ finẽ *cuius*: nam etiã quęruntur propter finem *cui*: imò nihil appeti potest propter finem *cuius*, quin etiam simul appetatur propter finem *cui*: vterq; enim finis finalizat actionẽ agentis, quãuis diuerso modo: nam finis *cuius*, finalizat alteri; finis autẽ cui finalizat sibi: ille finalizat assecutionem sui in gratiã alterius; quia finalizat vt bonum conueniens alteri; iste finalizat sui perfectionem, atque consũmationem; quia finalizat vt bonum absolutum, de quo latiꝰ diximus in lib. 1. Vterque etiã finis excitat sui amorem in operãte: quoniã finis *cuius*, excitat, vt amore conuenientię ꝓprię ametur alteri: finis *cui*, vt amore bonitatis absolutæ eius perfectio, & consumatio ab agente intendatur.

Ad 4.

Ex quo patet solutio quarti argumẽti: vterque enim finis communicat medijs appetibilitatem, diuerso tamen modo: quoniam fiuis *cuius* facit, vt media sint apta ad communicandã alteri ipsiꝰ finis bonitatem: finis autem *cui*, efficit, vt media apta sint ad perficiendam, & consummandam bonitatem essentialem eius. Et ita liberata manet nostra secũda assertio ab impetitiõe Cumel. Sed iã ad soluẽda argumẽta Adriani redeamꝰ.

§. 4.

Soluuntur argumenta Adriani.

16 Prę missum ad diluẽda argumenta Adriani.

PRo solutione argumẽtorũ Adriani prę mittẽdum est duobus modis intelligi posse peccatorem constituere in creatura vltimum finem. Vno modo expresse: & formaliter, quod alij vocant speculatiue: altero modo interpretatiue, quod alij appellant practice. Tũc expresse formaliter, vel si mauis, speculatiue illud facit cum peccator formali iudicio iudicat. *In hac reponendus est mihi finis vltimus*: at verò tunc solùm interpretatiue, aut practicè; cum à parte rei diuina spreta lege libere adhæret creaturæ. Peccator igitur priori modo non facit creaturam suum vltimum finem (esset enim hæreticus, si summam bonitatem creaturæ isto modo tribueret) bene tamẽ posteriori modo; quoniam

quoniam ex eo, quod Deo spreto, & cõtra diuinã voluntatẽ, quã vel cognoscit, vel tenetur cognoscere, ad creaturam conuertitur; secundum quandã moralẽ interpretationem videtur illud iudiciũ habere: quæ interpretatio absque hæresi in illo considerari potest.

25 Ad 3.

27 Solutio. 1. Hoc supposito ad primũ argum. Adriani negandũ est Deũ esse vltimũ finẽ illi, qui zelo indiscreto peccat: id, quod fatetur Paulus ad Rom. 10. de Iudæis zelo legis Christianos persequentibus, dũ ait illos zelo suo nõ Dei iustitiã quæsiuisse, sed suam, suæq; legis, cuius erant æmulatores, ita ait Paulus. *Testimonium perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, sed nõ secundum scientiam: ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dñi nõ sunt subiecti;* ideo igitur ex Pauli sententia æmulatio illa, quæ apparenter erat Dei; vere tamen non erat: quoniam voluntarie ignorantes Dei iustitiam (quã per ambitionẽ, & superbiã, vt ait Chrysostomus nolebant agnoscere) voluntarie suam iustitiam statuebant. Similiter igitur, qui zelo indiscreto peccat, dum non vult veritatem scire (idq; propter affectionem, quam habet ad falsitatem, quam defendit) non quærit honorẽ Dei sed suum cõmodum. Vnde spreto Deo quadam morali interpretatione adhæret creaturæ. Hæc igitur moralis interpretatio in ignorantia affectata fundatur, quam ideo affectat; quia ad falsam creaturæ bonitatem afficitur.

Ad 4.

28 Solutio. 2. Ex quopatet solutio ad secundum: adhæsio enim creaturæ vt fini vltimo optime cõstat cũ ignorantia affectata; quia ideo vult ignorare; quia interpretatiue vult creaturæ vltimate adhærere.

16 Præmissum ad diluẽda argumenta Adriani.

29 Solutio. 3. Ae tertium dicendum est, peccatorẽ peccare, *Spe veniæ*, sicut non tollit eum, cum peccat, plus amare creaturã, quã Deum; ita non tollere, quin pro tunc creaturæ tanquam vltimo fini practice, & interpretatiue adhæreat. Quare spes veniæ solùm infert peccatorem nõ habere voluntatem practicam, & interpretatiuam semper adhærendi illi creaturæ: non tñ infert eum pro tunc interpertatiue ñ adhræere illi, vt vltimo fini.

30 Ad 4. respõdetur Ad quartũ ex mente Bellomontani in d. disput. 5. cap. 1. ad finem respondendum erit fieri quidem posse, vt qui peccat taliter sit dispositus, vt pro fide vitam profundat: at tamen cum peccat, actu nõ esse in illo animi proposito, nec illius recordari: quasi sentiat fieri non posse, vt stãte illo actuali proposito peccator. M. peccet. Itaq; actuale illud ,ppositũ impediet interpretatiuã peccatoris voluntatem adhærendi creaturæ, vt vltimo fini; quã tamen non impediet pro propositum habituale. Sed non video, cur primum illud admitti non debeat.

Adducitur alia.

Secundo igitur occurri potest peccatorem, dum peccat, adhærere quidẽ illi creaturæ, v.g. voluptati; non tamen ita absolute, vt quoad omnẽ aliam rationẽ bonitatis sic illi adhæreat: ac proinde fieri posse, vt peccator, qui secundũ affectũ huic creaturæ vltimatę adhæret, sub alia ratione illam minus æstimet. Sed hanc solutionem (quæ satis est de mente Medinę, & Valentiæ) tanquam minº Philosophicã superius non admisimus: etenim si peccator adhæręt huic bono, vt summo, & vltimo; non potest non omnia bona saltem interpretatiue ad illud referre tanquam adbonum, cui simpliciter adhęret: & hoc esse satis cõsentaneũ mẽti Pauli iuxta explicationẽ Chrysostimi, & aliorũ iam ostendimus.

Non admittitur.

Quare ad argumentum non admittimus peccatorẽ pro tẽpore, quo peccat, habere verum animi propositum æstimandi plus bonum fidei, quam bonũ, cui adhęret: non negamus tñ habere posse aliquam velleitatem fallaxque propositum relinquendi prędens bonũ, si instaret fidei articulus.

Vera solutio.

31 Ad 5. Ad quintũ dicimº consequentiã esse legitimã: nam electio illa vnius prę alio v.g. boni creati prę diuino bono, quę datur in peccatore, manifeste arguit maiorẽ amorẽ erga bonũ creatũ: qđ satis significauit Ioan. c. 12. dũ timoris pharisęorũ, ne Christũ publice confiterent, hãc fuisse causam dicit; *Quia dilexerũt gloriam humanã magis, quã gloriam Dei.* Quin potius illa electio arguit Dei contemptũ, & minorẽ illius æstimationẽ. Ad instantiam sumptã ab eo, qui ,ppter amicũ in Deũ peccat multis respondent Medina, Valentia, & Bellomont. sed ni fallor, rẽ claram reddũt obscurã. Facile occurri potest instantiã nõ esse ad rẽ; quia nos agimº de peccatore in ordine ad Deũ, inter quos hoc reperiũ, quod Deus cõtẽnitur, peccator autẽ diligitur: in instantia

Ioan. c. 12

autē cōparatur peccās cū amico: inter quos non datur habitudo amoris vnius cū contēptu alteri⁹: etenim peccās iſte nō diligit amicū cum contēptu ſui ipſi⁹ quin potius cū ſui ipſius amore. In illo enim actu peccaminoſo diligit amicum amore amicitię, & cū amicus ſit alter ego ſeipſū etiā diligit. Quare ſi invtroq; caſu ſimilitudo ſeruāda eſt; cōparatio poti⁹ debet eſſe inter amicū, qui diligit, & Deū, qui contēnitur. In qua comparatione abſq; dubio magis diligit amicum quā Deum. Dices cōparationē fieri inter amicum, & ſe ipſum peccantem non abſolute, ſed vt priuatum gratia, quam propter amicū perdit: quomodo peccā do, & malū ſibi inferendo magis diligit amicum, quā ſe. Reſpondemus nec iſto modo bonā fieri cōparationem: quoniā cōparatur amicus, qui diligit, cum ipſo peccante, cuius perſona offenſiue nō cōtemnitur, ſed amicabiliter poti⁹. Quod longe aliud eſt. Vnde non magis amicū diligit, quā ſe: ſed ſeipſū diligit in amico & ſeipſum in amico pluris æſtimat, quā Deum.

32 Quod verò attinet ad exēplū filij; in hoc eſt diſſimilitudo; quod fili⁹ liberando ſeruū à nece non præfert bonū ſerui ipſi parenti, ſed malo, quod pater intendit patrare: vnde non vt offendat patrē ſeruū liberat, ſed potius in gratiā patris ne peccet in ſeruū; & per conſequēs patrē potius diligit, quā ſeruum. Quod ſi vis filium in offenſam patris ſeruū liberare: dicam filium ſecundum illum præſentem affectum ſeruū magis diligere, quam patrē: & illum in quocunq; caſu poſtpoſiturum patri, ſi res ſecundum præſentem affectum ſit interpretanda.

33 Ad ſextū reſpōdetur; ſi affectus ille præſēs voluptatis expendatur; plus illā voluptatē æſtimari, quā totam ſubſtātiā quamuis à principio, ſi tota ſubſtantia: eroganda foret; non plus æſtimaretur: vnde non peccaret. Ad 6.

Ad poſtremū reſpōdendū eſt peccatorē plus diligere illā creaturam, quam Deum, & illā nō diligere vt vltimū finē, vt iam oſtēdimus. Nec eſt verū peccatorē tunc plus diligere aliā creaturā, ſi iudicandū ſit ſecūdū illū præſentē affectū: nā ōnia refert ad illā, vt iam dixim⁹. Et hęc qđ attinet ad ſentētiā Adriani, & ad finē vltimū eius, qui peccat mortaliter. Ad vlt.

SECVNDA PARS ARTICVLI.

Qui plura peccata mortalia peccat non habere plures vltimos fines.

34 SVppoſita ſuperiori reſolutione cōtra Adrianū; peccatorē, dum mortaliter peccat, vltimū ſuum finē conſtituere in creatura, ad quam conuertitur, iam relinquitur locus quæſtioni in articulo propoſitę; an tunc duos intendat vltimos fines?

Prima reſponſio. Cui difficultati varij varie reſponderunt. Prima reſponſio (ſi Cumelio credimus) fuit illorum, qui voluerunt peccata illà non ſimul fuiſſe cōmiſſa, ſed ſucceſsiue: & ſubinde nunquam peccatorē illū ſimul habuiſſe plures vltimos fines, ſed vnum tantum; quoniam præcedens peccatum, cum non maneat, niſi ſolo reatu, non habet vltimum finem.

inepta iudicatur. Hæc opinio, ſi alicui placuit, inepte illi placuit: tum quia repugnat experientiæ: poteſt enim quis ſimul actu intēdere duo peccata inter ſe diſparata, tū etiam, quia peccatum, quod actu tranſiit, quandiù nō reuocatur, ſemper manet habituali quodam affectu, vt dixim⁹ lib. 1. q. vltima ar. vltimo: vnde peccator habituali affectu (quem nonnulli appellant virtualem) adhuc adhæret creaturę, vt vltimo fini. Quare hanc opinionem merito reiecit Cumelius 1.2.q. 71. ar. 6. diſp. 11. in ſolutione difficultatum pag. 194. & 195. vtrobique col. 1. *Cumel.*

35 Secunda ſolutio eſt eorum, qui volūt peccatorem conſtituere in creatura finem vltimum, nō expreſſe, ſed virtualiter, & interpretatiue: nec putant incōueniēs plures fines vltimos hoc modo ſimul intendi. In hac ſententia fundamētum falſum eſt, vt patet ex prima parte huius articuli: & concluſio eſt impoſsibilis, vt oſtendimus ar. 2. Quare à Cumelio loco citato refutatur §. *Tertia interpretatio.* & q. 77. ar. 4. in dubio annexo cōcl. 3. pag. 433. 2. Reſpōſio *Cumel.*

26 Tertiā ſolutionē excogitauit Bellomont. in d. diſp. 5. c. 3. §. *Hāc tamē ſolutionē*, ſumptam ex doctrina, quā dederat c. 1. vbi diſtinxerat triplicē vltimū finē: tertius erat, quē appellauit vltimū finem operis non operantis: peccatorem autē hoc modo vltimū ſuū finē ponere in creatura; nec putat difficile, nec incōueniēs. 3. Reſpōſio Vaſquij.

Ad

Et Azorij. Ad hanc solutionem proximè accedit opinio Azorij lib. 1. institutionum moralium c.1.q.vltima;vbi duplici præmisso fine per affirmationem vno, altero per negationem; existimat posse quem intendere plures fines vltimos per negationem: peccatorē autem solum per negationem suum finem vltimum constituere in creatura. Sed nos in præcedente art. latè impugnauimus has vltimi finis diuisiones, vt minus philosophicas, & theologas.

Iam supra est impugnata.

37 Quarta solutio Caietani. Quarta igitur solutio fuit Caietani in hoc ar. 5. & inferiùs q.87.art.4. §. *Ad hoc dicitur.* quibus in locis docet peccatorē, quanuis in plura creata bona feratur, gulæ sc. voluptatis, &c. in illa tamen non ferri, vt in vltimum finem, sed omnia referre ad se ipsum, vt in finem vltimum. Quam Caietani sententiam latè

Et Cumelij. defendit Cumelius in locis citatis pag. 194. 195. 196. 433. qui duplicem distinguit finē in qualibet peccatoris actione: proximum vnum: diuitias, scilicet in auaro; voluptates in delicioso, &c. alterum remotū, & vltimum; ipsum scilicet peccatorem, propriumque sui ipsius amorem, in quem vltimatè cætera bona refert veluti quædam media ad vltimatum finem ita scribit in d.disp.11. in solutione difficultatis pag. 194. col. 2. §. *Rursus obserua*; & q.77.art.4. in dubio annexo, §. *Sed vt explicentur hæc*, pag. 496. colum. 2. Quę distinctio sumpta est ex Medina in hoc ar. 5. §. *Quod vt apertius nobis.*

Reiecta est supra. Sed hanc Caietani sententiam isto modo explicatā (forte enim alia fuit mens Caietani) iam superiùs impugnauimus.

38 Vera difficultatis solutio. Quare vera difficultatis resolutio erit, si dicamus peccatorem, qui pluribꝰ est implicatus peccatis, nec actu, nec habitu, nec formaliter, nec interpretatiuè habere plures vltimos fines totales: bene tamen plures partiales constituentes vnum vltimum finem ex pluribus aggregatum: suum inquam bonū proprium, quòd sibi quærit tanquam vltimo fini *cui*. Itaque in peccatore vnicus tantum datur finis *cui*, nempe ipsemet peccator: vnicus item vltimus finis *cuius*; nempe bonum proprium: quod interdum erit aliquid vnum, si vno tantū peccato implicatur: interdum erit ex pluribus bonis aggregatū; ita vt quodlibet illorum sit finis vltimus non totalis, sed partialis. Hanc opinionem plures probasse refert Cumelius loco citato pag. 194. col. 2. & pag. 433. in tertia opinione; fuit etiam Conradi in hoc articulo. Et hanc esse Caietani sententiam plerique putauerunt: nec sine maximo fundamento si attentius legantur, quæ scribit in hoc ar. in fine commenti: *quoniam omnia appetit, vt conferentia ad bonū proprium: ita, quod huiusmodi bona non appetuntur, vt fines vltimi simpliciter; sed vt fines vltimi partiales, vt scilicet partes boni proprij, quod est simpliciter finis vltimus illius, & intētum in omni peccato mortali.* Quare ex sententia Caietani illa bona, quę integrāt bonum proprium peccatoris, dici non possunt fines proximi referibiles ad bonum proprium tanquam ad finem vltimum: tum; quia à Caietano dicuntur fines vltimi. Tum; quia ex Caietano partialiter integrant vnum finem vltimum, bonum scilicet proprium: cum tamen fines proximi cum fine vltimo non cōcurrant vt fines partiales integrantes vnum totalem: sed quilibet in suo ordine est totalis. Quare satius est Caietanū explicare, vt dictio *propter se ipsum* idem sit, *quod proprium bonum* ad quod cætera bona, vt bona partialia referuntur. Et in hoc sensu optime explicantur, quæ scribit q.87. ar.4. & in eodem sensu explicandus est Valentia in d. puncto 6. pag.32. §. *Tertia quoque assertio*; & pag.34. §. *postremò ex illa*. Cuius solutio nobiscū conuenit, si intelligat peccatorem esse sibi vltimum finē *cui*: aliter longè abest à vero: quia peccator cum cæteris bonis, quæ appetit sibi, non potest partialiter integrare vnum totalem finem *cuius*. Et hæc de isto articulo.

Plures eam probant teste Cumel.

Est Conradi, & forte Caietani.

& Valentię.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm iustus venialiter peccans habeat plures fines vltimos?

1

HVNC etiam articulum excitamus in defensionē veritatis, quā in secundo articulo superiùs resoluimus: neminem scilicet posse simul intendere duos vltimos fines. Contra istam veritatē quidam arguunt sumentes argumentum ex iusto venialiter peccante: hunc enim habere Deum pro vltimo fine totali, nullus negabit: cū Deū

Ratio dubitandi p parte affirmatiua.

diligat super omnia. At, quod simul habeat pro vltimo fine creaturã inde probant; quoniam illa actio venialiter mala est humana. Habebit igitur aliquem finem vltimum. Ille nõ potest esse Deus; quia actio ratione suæ malitiæ non est referibilis in Deum. Ergo pro fine vltimo habebit creaturam.

§. 1.

Ponitur prima solutio.

2 Ad solutionem præcedentis alia dubitatio excitatur.

HVius difficultatis solutio pendet ex resolutione alteri⁹, quę Theologis negotiũ facessit; an iustus venialiter peccans vltimum finem collocet in creatura, quam inordinatè diligit. Cuius quæstionis partem affirmãtem quamplurimi defendũt, inter quos Bellomontanus hìc disp.5.c.2.qui putat peccatorem non vti, sed frui creatura, quam per peccatum veniale diligit: nã cum ex sententia Augustini inter vsum, & fruitionem non detur actus medius; amor autẽ ille non possit dici vsus; quia vsus semper est ad Deum, ad quẽ amor ille venialis referri non potest: necessariò infertur talem amorem esse fruitionem, voluntq́ue hanc non solum in mortali culpa, sed etiam in veniali reperiri. Porro, si peccator fruitur re, quam per peccatum veniale diligit; vtique eã habet pro vltimo fine: quia fruitio nõversatur, nisi circa finem vltimum, vt ex sẽtentia Augustini docent Theologi cum D. Thoma 1.2.q.11. Quare ad difficultatem initio allatam omnes huius opinionis auctores admittunt iustum venialiter peccantem habere pro vltimo fine, & Deum, & creaturam.

Vasquij sententia.

August.

D. Thom.

Iuxta illam solutio rationis dubitandi.

3 Obiectio.

Si verò illis obijcias inde inferri dari in iusto duos vltimos fines; quilibet eorum pro sua, quam hac de re habet, sententia obiectionem soluit. Quidam non putant esse absurdum eundem hominem habere duos fines vltimos; si alterum habeat habitualiter, & permanẽter; alterum verò actualiter, & transiũter. Iustum autem venialter peccantem habere Deum pro vltimo fine habitualiter, & permanẽter: creaturam autem actualiter, & transiunter solum. Ita Cumelius 1.2.q.109.artic.2.disp.6.fol.57. pag.1.

Aliorum sẽ responsio.

Cumel.

4 Alij idem de peccante venialiter dicunt, quod dixerunt de eo, qui mortaliter peccat: nec enim reijciunt duos fines vltimos virtualiter, & interpretatiuè intentos, & hoc modo creaturam pro vltimo fine habet, qui peccat venialiter. Ita existimasse plerosque Thomistarum multi referũt. Tertio loco quidam admittunt in hoc iusto creaturam esse vltimum finẽ operis, non verò operantis: quoniam iustus peccando venialiter; etsi creaturam non refert in alium finem; sed eam diligit propter se; non tamen cętera omnia in eam refert, tanquam in vltimum finem: ob quam rationem creatura est vltimus finis operis non tamen operantis. Nullum autẽ est inconueniẽs, si in aliquo dentur duo vltimi fines; quorum alter sit vltimus & operis, & operantis (qualis est Deus in hoc iusto) alter operis tantum non verò operantis; quomodò creatura iusto, vt vltimus finis proponitur. Ita censuisse nonnullos refert Cumelius 1.2.q.71. ar.3.disp.11. in solutione secundi argumenti pag. 197. col. 2. Quam in effectu probauit Bellomontanus loco citato, §. *Verum iuxta ea*.

Quorũdam tentia.

Tertius dicendi mod⁹

Tandem alij putant iustum cõstituere vltimum finem in creatura non simpliciter, sed secũdum quid: quem finem alij vocant finem vltimũ negatiuè; quia scilicet in alium vlteriorem finem non refertur. Itaque iustus venialiter peccans habet Deum vltimum finem ratione charitatis: ratione autem peccati venialis habet creaturam, quæ est vltimus finis non simpliciter, sed secũdum quid: quatenus voluntas pro sua libertate in illo fine sistit, eum non referendo in alium. Nec putant esse inconueniens in vno homine dari duos fines vltimos isto modo. Et hæc est cõmunior recentiorum sententia, admittuntq́ue iustum non vti, sed frui creatura fruitione non simpliciter, sed secundũ quid & putant in hoc sensu istam doctrinam negari non posse.

5 Quarta opi nio.

§. 2.

Creaturã in peccato veniali non esse finem vltimũ: nec peccantem ea frui, sed vti.

IN hac solutione illud non possum nõ reprobare, quod in peccato veniali (saltem iusti) admittatur creaturæ fruitio,

6 Resolutio.

fruitio. Et quanuis Bellomontanus scribat id nullo modo negari posse, & plures nouiorum cũ eo consentiant, si sermo sit de fruitione secundum quid: ego tamẽ omnem rationem fruitionis à veniali culpa relegandam esse puto, & in ea solum vsum esse admittendum: & hãc puto fuisse sententiam D. Thomæ satis consentaneam cum mente Augustini, & cum vera huius rei Theologia.

7 Probata fuit D. Thomæ.

Quod hæc fuerit expressa sententia D. Thomæ, euidenter patet ex locis, in quibus hac de re scripsit. Nam generaliter scribens de peccato veniali 1. 2. q. 88. ar. 2. ad 3. ita ait: *Ille, qui peccat venialiter inhæret bono temporali, non vt fruens; quia non constituit in eo finem: sed vt vtens referens in Deum non actu, sed virtute.* & q. 7. de malo ar. 1. ad 4. ita habet: *Ille, qui peccat venialiter non fruitur creatura: sed vtitur ea.* At inquit Bellomontanus D. Thomam in hoc sensu esse intelligendũ, vt ideo non fruatur; quia non fruitur, vt vltimo fine opposito vero fini vltimo. Sed oscitanter hoc dixit: nam expresse D. Thomas ait peccantem venialiter ideo creatura nõ frui, quia in ea finem non cõstituit: imò eam refert in finem, tanquam medium: vt satis etiam expresit de malo loco citato ad 3. Iam verò, sicut relatio in finẽ excludit omnem rationem vltimi finis siue oppositi, siue non oppositi: ita etiã sic constituit rationem vsus, vt omnem excludat rationem fruitionis, cuius ratio sine ratione vltimi finis, nec cogitari potest. Reijcienda est igitur Bellomõtani explicatio, non solum tanquam aliena à mente D. Thomæ; sed tanquam repugnans, & menti, & verbis.

8 Consentit cum doctrina Augustini plurimis in locis.

Consentit hoc ipsum cum mente, & doctrina Augustini. Enim verò siquis Augustinum hac de re loquentem attẽtius legerit; inueniet eum, sicut admittit fruitionem bonam, & malam: ita etiã vsum bonum, & malum; diuerso tamen modo: quoniam malam fruitionem non agnoscit, nisi quando vtendis fruimur: at verò malum vsum agnoscit, non solũ quando fruendis vtimur (quod non potest non esse malum) sed etiam quando vtendis non bene vtimur, sed malè, quẽ appellat abusum: qui propriè loquendo non datur, quando fruẽdis vtimur; quia fruendis nunquam bene vti possumus: datur igitur verè, & propriè, quando vtendis non bene vtimur: quia tunc illis non vtimur ad id, ad quod vtilia sũt: quo modo, si illis vteremur, bene vtiq; vteremur. Vnde, & ipsis peccatis (idest rebus, quæ obiectiuè sunt malæ, siue V. siue M.) bene vti possumus; si nimirum ea fugiamus: quia ad hoc solum sunt vtilia. Igitur Augustinus in ipsis rebus vtendis, & bonum vsum agnoscit, & malum. Quod euidenter colliges ex Augustino in lib. 83. quæstionum q. 30. agens enim ibi de ijs, quibus est vtendum; post quam docuit vtendum esse omnibus vtilibus, vt quoquo eorum opus est, ita scribit: *quare abuti rectius dici solent, qui non bene vtuntur: non enim quicquam prodest id, quo male vtitur.* Et lib. 1. de doctrina Christiana c. 4. inquit: *frui est amore alicui rei inhærere propter se ipsam. Vti autem, quod in vsum venerit ad id, quod amas, obtinendum referre: si tamen amandum est, nam vsus illicitus abusus potius nominandus est.* Ecce referre id, quo vtendum est, ad id obtinendum, quod amas, est abuti eo: quo tamen bene vtereris, si ab illo abstineres. Etenim malis bene vtimur cum illa fugimus.

9

Non est igitur dubitandum apud Augustinum dari malum vsum in ijs, quibus vtendum est, non fruendum, distinctum à mala fruitione, qua vtendis fruimur: nam fruitio solum est mala, cum fruimur vtendis; iste autem abusus non est vtendorum fruitio, sed malus tantũ vsus illorum. Quam resolutionem mihi euidenter probat Augustinus libr. 8. de Ciuitate Dei ca. 9. *Multi enim amando ea, quæ amanda non sunt, miseri sunt: & miseriores, cum fruuntur.* Ecce non omnis inordinata, & vitiosa dilectio est fruitio, quia fieri potest ex mente Augustini, vt aliquis amet, quæ amanda non sunt; & tamen non fruatur. Cum verò nullus actus sit medius inter dilectionem, quæ est fruitio, & eam, quæ est vlus (vt cum Augustino lib. 1. de doctrina Christiana c. 31. fatentur aduersarij) profecto si talis in ordinata dilectio, non est fruitio, vt Augustinus supponit; vtique erit vsus, siue abusus.

Hac doctrina supposita explicent nobis aduersarij, vtrũ talis abusus sit peccatum mortale, an solum veniale? Dicere non possunt esse mortale; quoniam, qui mortaliter peccat, nõ abutitur, sed fruitur eo bono, quod diligit, vt fatẽtur aduer-

aduersarij, & patet ex art. præcedente. Quod si est peccatum veniale; fateantur, oportet dari veniale peccatum, in quo peccans diligat creaturam vtendo non fruendo. Et cum non sit maior ratio in hoc, quam in illo veniali; vtiq; generaliter vera erit doctrina D. Thomæ peccantem venialiter adhærere temporali bono non fruendo, sed vtendo.

10 Quam doctrinam adhuc confirmare possumus; quoniam apud Augustinum (si attentiùs expendatur) fruitio non potest nõ esse peruersitas mortalis. Quod mihi euidenter probant præfata verba Augustini in d.c.9. Inquiro enim, an illi, qui amando, quæ amanda non sunt, non tamen fruendo, miseri sunt; sint miseri miseria mortali, an veniali? Non miseria culpæ mortalis; quia non datur mortalis culpa sine fruitione boni commutabilis: etenim consentientibus etiam aduersarijs, qui mortaliter peccant, vtendis fruuntur. Ergo erunt miseri culpa veniali: fient tamẽ culpa mortali miseriores, si illis fruantur. Qui locus ad rem euincendam videtur satis euidens.

11 *Ad Philemonem.* Quod etiam nõ inepte deducitur ex Augustino lib. 1. de doctrina Christiana c. 33. explicans enim verba Pauli ad Philemonem: *te fruar in Domino.* ita scribit: *quod si non addidisset in Domino, & te fruar tãtum dixisset: in eo constituisset spem beatitudinis suæ.* Ecce ex Augustino fruitio alicuius rei ex sua natura infert adhæsionem in bono, à quo spes beatitudinis pendet. Quod etiam satis exposuit Augustinus c. 22. eiusdem libri, dum absolutè docet; *quod propter se diligitur, in eo constituitur vita beata.* Iam verò, qui aliquid præter Deũ ita diligit, vt in eo spes beatitudinis, siue etiam ipsa beatitudo ponatur; non venialis est culpa, sed mortalis. Vnde lib. 15. de Ciuitate Dei c. 7. generaliter docet ad terrenam ciuitatem pertinere *vti Deo, & frui mundo*: quia nimirũ fruitio alicuius creati boni ad solos spectat terrenę ciuitatis habitatores. Quo modo igitur Augustinus iusto venialiter peccanti dabit fruitionem? Quare cum in lib. 83. quæstionum q. 30. affirmat omnem humanam peruersitatem in hoc esse positam, *vt quis velit vti fruendis, & vtendis frui*; de peruersitate culpæ mortalis intelligendus est, quidquid reclamet Bellomontanus: sicut enim vsus fruendorum sine mortali peruersitate non datur, vt patet: ita fruitio vtendorum sine eadem non dabitur. Quod ego colligo ex Augustino in eadem quęstione 30: statim enim admittit vsum malũ vtendorum, qui non est fruitio, de quo superiùs.

Nec huic verisimæ resolutioni obstant verba Augustini in 1. de doctrina Christiana c. 3. *Si eis, quibus vtendum est frui voluerimus, impeditur Cursus noster, & aliquando etiam deflectitur, vbi ijs rebus, quibus fruendum est obtinendis, vel retardemur, vel etiam reuocemur inferiorum amore præpediti.* 12 Obiectio ex Augustin. Diluitur. Nam quanuis superficie tenus intellecta videantur significare dari fruitionem vtendorum venialem; dum significant dari fruitionem, qua non deflectimur, nec reuocamur à summo bono; sed solum retardamur, atque impedimur: tamen diligentius expensa de sola fruitione mortali intelligũtur: qua semper auertimur à summo bono: quanuis non semper ita auertamur, vt omnino, & finaliter ab eo obtinendo deflectamus, & reuocemur; sed solùm impediamur, & retardemur; quia ad bonum incommutabile tandem conuerti debemus, & hęc est vera illorum verborum intelligẽtia.

Quod verò hæc resolutio de relegãda fruitione à dilectione peccatiuenialis sit satis consentanea cum vera huius materiæ theologia, facilè patebit: quoniã patet seruatis veræ Theologiæ principijs in peccato veniali non dari adhæsionem in creatura tanquam in vltimo fine: sine qua non datur fruitio. Ratione probatur eadẽ resolutio.

Porrò, quod peccans venialiter creaturæ, vt vltimo fini non adhæreat; constanter docuit D. Thomas 1. 2. q. 88. ar. 1. ad 3. & 4. & q. 89. ar. 1. ad 3. & in 1. d. 1. q. 3. ad 4. & de malo q. 7. artic. 1. ad 3. in quibus locis expresse id affirmat: quin potius in eisdem, & 1. 2. q. 72. ar. 5. multis ostendit peccatum veniale non versari circa finem, sed circa ea, quæ sunt ad finem, quæ doctrina ab omibus Thomistis recepta, ex eo mihi, vel euidenter probatur, quod secundum fidem iustus venialiter peccans non auertitur à summo bono, quin potius habitualiter, & interpretatiuè semper ei adhæret, & cum hac adhęsione nullo modo constare potest alius finis simpliciter vltimus qualis definitur ab Aristotele 2. Meta. 13 *D. Thom.*

c. 2.

Arist. c.2.tex.8.& de quo solo agimus: implicat enim apud bonos philosophos dari duos tales fines, aut à parte rei, aut in alicuius existimatione. Quare cũ apud iustum, etiam si venialiter peccet, Deus vere sit finis vltimus, qui non modo nõ est propter alium finem, sed etiam cætera sunt propter ipsum; nulla ratione fieri potest, vt aliqua creatura apud iustum vltimi finis rationem habeat.

14 Reijcitur 1. solutio. Prima autem solutio, quę placuit Cumelio, indigna est philosopho: quia illa actualis adhęsio, quantũuis sit transiẽs, non potest non tollere rationem vltimitatis à Deo summo bono: quia omnino deficit essentialis conditio finis vltimi: nec enim ad illum cętera bona referuntur; siquidem hoc bonum, cui iustus actu aliter, & trãsitoriè, vt vltimo bono adhæret; ad diuinum bonum nec actu refertur à peccante; nec referri potest, si vt vltimus finis concipitur: nec denique ex sua natura est referibile. Aduerto etiam contra Cumelium; fieri posse, vt iustus non transiunter solum, sed permanenter adhæreat bono illi vltimo; quia fieri potest, vt illi' peccati habeat habitum: & ita dabuntur duo vltimi fines, quibus iustus habitualiter, & permanenter adhæreat.

15 Refellitur secunda. Secunda etiam solutio non est digna impugnatione: quoniã, qui peccat, aut mortaliter, aut venialiter, non potest virtualiter, & interpretatiuè adhærere bono creato; quin aliquando illi actu adhęserit. Vide, quę dicta sunt supra ar. 2. contra hanc solutionem.

Obiectio. Sed occurrere possunt auctores tertiæ solutionis; argumentũ nostrum optime procedere in bono creato, quod opponitur summo bono increato, quale est bonum peccati mortalis: non tamen procedere in bono creato, quod bono increato nõ opponitur. quale est bonum, cui per peccatum veniale adhęretur: hoc enim potest existimari vltimus finis, quamtunuis iustus habitualiter vero vltimo fini adhæreat: siquidem

Soluitur. illa duo bona non opponantur. At hæc imaginatio (quæ à Bellomõtano est primo excogitata) non videtur satis philosophica: primò; quia libenter admittimus illud bonum creatũ venialiter malum absolutè non ita opponi bono increato, vt dilectio illius repugnet dilectioni boni increati: nec enim destruit principium charitatis: at tamen nõ possumus admittere tale bonum non opponi bono increato, si concipiatur, vt vltimus finis; quia vt sic, iam concipitur, non vt bonum à nobis vtendum, sed vt bonum fruendum: & per consequens vt bonũ, in quo sita est nostra vita beata iuxta doctrinam, quam ex Augustino supra retulimus ex 1. de doctrina Christiana c.22. & 33. Augusti.

16 Refutatur tertia solutio. At occurret iam tertia solutio, quã cum alijs probauit Bellomontanus; bonum illud creatum solum esse finem vltimum respectu operis, & per negationem (vt alij volunt) non verò respectu operantis: quoniam operans ita ei adhęret, vt illud ad alium finem non referat; non tamen, vt ad illud cætera referat, tanquam ad summum bonum. Sed in hac solutione superius ar. 2. & 3. illud reprehendimus, quod in effectu negat id, quod affirmat: sæpe enim diximus, ad rationem vltimi finis duo requiri: non esse propter alium finem, & cætera esse propter illum.

Quare, qui creaturam diligit per peccatum veniale, si ad illam, vt ad finem vltimum cætera omnia non referat, vt auctores isti fatentur; vtique dici non potest illam sibi tanquam finem vltimũ constituere; quantumuis actu eam non referat in alium finem. Consentiant igitur nobiscum in modo loquendi, cum in re conueniant; & vniformis erit omnium doctrina.

17 Vltima solutio in re ipsa vera est. Auctores autem vltimæ solutionis, dum fatentur creaturam in peccato veniali non esse finem vltimum simpliciter, sed solum secundum quid, nobiscũ in re conueniunt: quod enim secundum quid est tale, simpliciter nõ est tale iuxta vulgatam philosophorum doctrinã. Porro à nomine fruitionis abstineant: hęc enim, & si distingui potest in fruitionem perfectam, qualis est patriæ: & in imperfectam; qualis est viæ: non tamen bene diuiditur in fruitionem simpliciter, & secundũ quid; sicut nec vsus: siquidem inter fruitionem simpliciter, & vsum simpliciter nullus datur actus medius ab vtroque distinctus; vnde illud bonum, quod in peccato veniali reperitur, simpliciter est vtibile, & nullo modo fruibile sine mortali culpa. Quomodò

modo autem peccans venialiter sistat in dilectione creaturæ, quam propter se diligit; & ea non fruatur, sed solum vtatur? Nodus est in sequenti §. explicãdus.

§. 3.

An, & quomodò bonum creatum venialiter malum referatur in vltimum finem?

18 REiecta igitur præcedẽte opinione difficultatem initio allatã secundo loco dissoluunt alij, negãdo iustum venialiter peccantem habere provltimo fine creaturam: quod erat allatæ difficultatis totale fundamentũ. Sed iam insurgit non facilis dubitatio; an, & quomodò bonum creatum, quod per peccatum veniale diligitur, referatur in vltimum finem? Etenim, si illud non amatur, vt vltimus finis, sicut resoluimus; vtique amabitur, vt bonum, quo vtitur iustus in ordine ad vltimum finẽ: nam omne agens agit propter finem vltimum, vt inferiùs q. 7. ostendemus.

Primus dicendi mod⁹ Auctores huius sententię in duos diuiduntur soluendi modos principales. Primus modus dicendi nonnulli iustum istum suam actionem venialem aliquo modo referre ad aliquem finem vltimũ in particulari, sed solum ad vltimum finem in cõmuni sub ratione conuenientis, & satiatiui appetitus. Itaque peccans venialiter sua actione non intendit Deum, vt vltimum finem: quia actio illa, cum sit mala positiuè non est referibilis in Deum; & quanuis ratione habitus charitatis habitualiter intendat Deum, vt vltimum finem, non proinde censetur habere duos vltimos fines: quoniam vltimus finis in communi nõ ponit in numero cum vltimo fine in particulari: quia vnus est vltimus finis, vt res; alter verò, vt ratio formalis vltimi finis. Hanc fuisse plurimorum opinionẽ refert Cumelius, imò putat probabilẽ 1.2.q.71.ar.6. disp.11. ad secundum argumẽtum principale in tertia solutione pag. 198.

Cumel.

19 Non placet Hæc tamen solutio placere non debet: quoniam & si omne agens agit propter finem in communi, vt propter finẽ quo, siue sub quo: quia ratio finis in cõmuni est ratio formalis, & vltima, sub qua appetitur, quicquid appetitur: non tamen omne agens agit propter vltimũ finem in communi, vt propter finẽ, qui vltimo appetitur: sed propter aliquam rem, in qua ratio illa communis vltimi finis reperitur: de quo q. 7. Quare, qui peccat venialiter, quãuis intendat particulare illud bonum, quod diligit, sub communi ratione boni (quia hæc in cõcreto semper est ratio formalis tendẽdi, in quodcunque tendatur bonum) nõ tamen refert illud in bonum in communi, tanquam in rem, quæ vltimo intenditur (ratio enim vltimi boni in communi nullam rem certam cõnotat) sed tanquam in rationem formalem vltimam, sub qua intenditur illud particulare bonum.

20 Secunda sẽtentia Diui Thom. Secunda sententia est D. Thomæ, qui putat creaturam venialiter dilectã referri in Deum, non quidem actu, sed habitu, charitatis inquam. Hæc fuit constans opinio D. Thomæ. Ita 1.2.q.88.ar.1.ad 3. vbi expresse docet; *qui peccat venialiter bonum temporale, cui inhæret, in Deum referre non actu, sed habitu.* 2.2. q.24. ar.10. ad 2. ita ait: *quod enim amatur in peccato veniali, propter Deum amatur habitu, sed nõ actu.* Idem docet de malo q.7.ar.1.ad 4. & ar. 2.ad 1. & satis insinuat in 1. d.1. q.3. ad 4. Quæ doctrina sub eisdem terminis recipitur à Thomistis: à Caietano 2.2. q.24.ar.10.ad 2. Conrado infra q.88.ar. 1.ad 2. & 3. à Medina in hoc ar. 5. cum cæteris. Consentiunt Aragonius noster 2.2.q.24.ar.10. in fine commentarij, Suarius 1. tomo ad 3.p.disp.4.sect.11. ad finem primi dicti pag.131. col.1. in principio. Sed quãuis hi omnes consentiãt in dicto D. Thomæ: non tamen omnes conueniunt in modo explicandi hanc habitualem relationem. Et omissis quã pluribus explicationibus, quæ vel friuolę sunt; vel ad rem non faciunt, duæ sunt celebriores.

Caiet. Conrad. Medina. Aragon.

21 Prima explicatio secundæ sententiæ. Prima est Caietani, quem Aragonius cum plerisque alijs sequitur: hi putant nihil esse aliud peccatum veniale habitu in Deum referri, quam peccatum veniale habere secum concomitantem, & assistentem habitũ charitatis, quo posset propter Deum amari, si ex sua natura esset amabile propter Deum, & in illum referibile. Laudat explicationem Bellomõtanus, si opinio D. Thomę probanda est.

Secunda explicatio est aliorum, qui putant

2.explicatio putant peccatum veniale immediatè,& ratione sui non referri in Deum: bene tamen mediatè,& ratione personæ,quę ratione habitus charitatis in Deum refertur. Hanc explicationem plures Thomistarũ probasse testatur Medina; quã licet inuitus, vt probabiliorem probat in fine commenti.

22 Neutra explicatio recipitur.

Hæc D. Thomæ sententia siue hoc, siue illo modo explicetur, etiam ipsis Thomistis est difficillima; vnde à nouioribus cõmuniter non recipitur: quia durum videtur malum ipsum veniale secundum se ipsum referri in Deum vltimum finem, siue relatione immediata, vt sentire videtur Caietanus; siue etiã mediata, vt existimat Medina.

Contra vtrumque dicendi modum illud expendo, hanc consequentiam esse inutilem: *persona iusti per charitatem habitualiter ordinatur in Deum. Ergo quicquid in eo inest, per eandem charitatem habitualiter ordinatur.* Cuius consequentiæ nullitatem facilè intelligemus; si rectè intelligamus, quid sit personam iusti per charitatem in Deum habitualiter ordinari. Pro cuius vera explicatione aduertendum est charitatem considerari posse, vel vt influit in actum; vel vt disponit, & afficit subiectum. Si consideretur, vt influit in actum; ordinatio illius expenditur penes directionem illius, vel illũ eliciendo directè in Deum; vel eum imperatiuè dirigendo in eundem. At quatenus consideratur, vt afficit subiectũ, & personam; in eo sensu dicitur ordinare in Deum; quia personam reddit Deo charam, & dignam vita æterna. Priori modo nunquam ordinat, nec refert in vltimum finem, nisi voluntate operante, & intendente finem, propter quem agit. Posteriori modo non exigit operationem: quia persona habens charitatem, etiam quando non operatur, ordinatur in Deum ordinatione habituali, & in actu primo; quatenus per charitatem est Deo grata, & digna æterna beatitudine. Itaque nihil est aliud charitatem habitualiter aliquid ordinare in Deum, quam dignificare illud in sua ipsius entitate, vt sit dignum vita æterna: & in hoc sensu dicitur habitualiter ordinare in Deũ actiones moraliter bonas, quanuis in eas non influat: quia sc. ratione dignitatis personę facit eas dignas gloria, vt diximus lib. 1. q. 16. ar. 3. §. 4. Ex quo infertur ea solũ habitualiter per assistentiam charitatis in Deũ referri; quæ in sua natura apta sũt ad hãc cõdignitatatẽ, in qua sola ponitur habitualis relatio. Ad quod non aduertit Caietanus, cũ dixit non oportere, vt quod habitualiter per charitatem in Deũ referri debet; sit ex sua natura amabile propter Deum: oppositum enim euidenter probat ratio relationis habitualis per coassistentiam: quæ in eo per se ponitur, quod facit rem esse dignam acceptatione diuina.

23 Caietani responsio. Refellitur.

Sed respondet Caietanus: vt aliquid habitu referatur in Deũ; satis esse, quod ex efficacia charitatis posset referri; si illud ex sua natura esset referibile. Sed (nisi fallor) solutio indigna est tanto ingenio: ita enim fieret, vt actiones animæ vegetatiuæ per charitatem in Deũ habitu referrentur; quoniam in charitate inest efficacia referendi illas, si ipsæ essent referibiles; fieret etiam, vt impossibilia simpliciter dici possent Deo possibilia: siquidem Dei omnipotentia ex se est efficax ad illa faciẽda, si essent factibilia. Quod sihęc hypothetica (alioquin vera) non satis est, vt impossibilia simpliciter, & categoricè dicãt possibilia: vtiq; eadẽ ratione illa hypothetica vera nõ erit satis, vt simpliciter, & categoricè peccata venialia dicantur habitu in Deum referri. Firmũ igitur sit nostrum fundamentum; efficaciam sc. charitatis in hoc esse positam, vt habitu solùm ea referat in Deum, quę ex sua natura sunt referibilia. Cum verò cõstet peccatum veniale non esse aptum condignificari per charitatem assistentẽ; vtique nec erit sua natura aptum per eam in Deum referri.

Illud etiã contra D. Thomę doctrinã expẽdi potest; quoniã solutio accõmodari non potest ad peccata venialia illius, qui charitate est priuatus: etenim nec ille constituit vltimum finẽ in hoc bono creato, cum per illud non auertatur à Deo: in quo tamen peccatum nec actu, nec habitu in Deum refertur.

§. 4.

Resolutio difficultatis.

24 Primũ præmissũ ad resolutionem.

PRo vera resolutione primò statuẽdum est in peccato veniali creaturam non constitui vltimum fi-

nem; quod ideo statuimus; quia ratio vltimi finis in aliquo bono creato tollit adhæsionem in bono increato, tanquam in vltimo fine: nec enim possunt dari duo vltimi fines, nec duo summa bona, quibus quisque nostrũ adhæreat. Vnde, si in peccato veniali bonum creatum esset vltimus finis, impediretur influxus charitatis, vt expresse docet D. Thomas 1.2.q.89.art.1.ad 3. & satis innuit in omnibus citatis locis. Ex quo inferes longè abesse à mente D. Thomæ distinctionem Bellomontani, qua finis vltimus diuiditur in eum, qui opponitur vero summo bono: & in eum, qui illi non opponitur, sed cum eo simul esse potest. Ex dictis enim euidenter patet rationem vltimi finis in aliquo bono creato non posse non opponi summo vero bono. Inferes etiam in peccato veniali nullo modo reperiri fruitionem: quia fruitio sine vltimo fine non datur.

D. Thom.

25 Secundò statuendũ est bonum creatum, cui peccator venialiter adhæret, amari citra Deum, idest minus, quàm ametur Deus: dilectio enim illius boni secum patitur Deum à peccante diligi super omnia. Expresit id D. Thomas 1. Sent. d.1. q.3. ad 4. & satis colligitur ex eo, quod immediatè statuimus. Ex hoc infertur tale bonum veniale esse obiectum vsus, quem Augustinus abusum vocauit.

Secundum præmissum.

26 Statuendum est tertiò; eum, qui venialiter peccat, agere propter illud bonum, tanquam propter finem: nam cum talis actio sit humana, non potest non esse propter aliquem finem, iuxta ea, quæ in hoc libro resoluimus. Cum verò illud bonum non intendatur à peccante tanquam vltimus finis: vtique intendetur tanquam finis proximus amabilis propter se, suamque bonitatem: est enim de ratione finis, vt propter se ametur. Hinc iã insurgit difficultas: quia omnis actio humana non solum est propter finem; sed etiam propter vltimum finem. Hoc autem bonum creatum non est vltimus finis, vt diximus in primo asserto: nec etiã est Deus: quia opinionem D. Thomæ non recepimus. Quem igitur habebit finem vltimũ? Is est status difficultatis.

Tertiũ præmissum.

Status controuersiæ.

27 Occurrunt quamplurimi ex recentioribus non esse opus, vt omnis actio humana positiuè referatur in aliquem finem vltimum: sed satis esse, si ad aliquem vltimum finem negatiuè referatur, quem appellant vltimum secundũ quid: id autem putant se euidenter probasse sumpto exẽplo idololatræ; qui & si ratione status refertur habitualiter in idolum: tamen quando bene moraliter operatur, non refert illud opus in idolum; sed illius intentio fertur, & sistit in fine virtutis, tanquam in fine vltimo negatiuè: hæc enim est nostræ voluntatis libertas, vt possit sistere in tali fine, qui non est vltimus simpliciter, sed secundum quid, & negatiuè: sic (inquiunt) cõtingit in iusto venialiter peccante: licet enim ratione status referatur in Deum verum: tamen ratione actionis peccati non tendit in illum, sed in bonum creatum, quod est illi finis vltimus negatiuè.

Quorũdam responsio.

Sed hæc solutio, nisi aliud addatur, non satisfacit: nam exemplum sumptũ ab idololatra assumit vnũ falsum: quoniam actio illa moraliter bona, quanuis actuali operantis relatione sistat in illo bono virtutis; vlterius tamen tendit relatione operis: vnde licet ille finis sit vltimus negatiuè ex parte operantis: quia illum actu non refert in finem vlteriorem: absolutè tamen non est vltimus; quia relatione operis vlterius tendit. Nec libera voluntas potest illam relationem impedire; nisi fortè velit in illo bono virtutis vltimatè sistere tanquam in summo bono: quod sine graui culpa fieri non potest. Quare exemplum potius facit in oppositum, quam soluat difficultatem.

Non satisfacit.

18 Quæ adhuc augeri potest ex secundo præmisso: quoniam peccans venialiter non fruitur bono, quod diligit; sed vtitur: nec enim his Theologis admittimus fruitionem secundum quid, quæ media sit inter fruitionem veram, & vsum. Merito igitur adhuc inquiritur vltimus finis actionis venialiter malæ.

19 Dicimus igitur pro resolutione difficultatis doctrinam illam, omne agens agere propter finem simpliciter vltimum solum esse veram in actionibus, quæ proximè tendunt in finem honestum; secus si tendant in finem venialiter malum. Ratio discriminis est; quoniam

Resolutio.

niam finis honestus ex sua natura est referibilis in verum finem vltimum, vt dicemus quæst. 7. Vnde licet possit esse vltimus finis negatiuè respectu operantis, vt iam diximus: non tamen respectu operis: quia opus ex sua natura non est irreferibile in vltimum finem, sed referibile potius. At finis proximus venialiter malus ex sua natura est irreferibilis in verum vltimum finē: vnde non solum potest esse vltimus negatiuè ratione operantis, sed etiam ratione operis. In his igitur finibus venialiter malis admittendam puto distinctionem finis, in vltimum simpliciter, & secundum quid, si



hoc sensu nullum est
ri in eodem homine
nec enim vnus alter
terque simul amari
minus ametur, quàm
D.Thom. Diuo Thoma quæst.
ad 1. & in 1. d. 1. quæ
inde actio ista venia
esse humana: quia ad
actionis satis est, quo
timum secundum rel
tis: nam referibilita
finem non pendet e
voluntate, sed ex na

30 Obiectio. Huic tamen resolutioni fortè quis obijciat id, quod ex Aristotele sæpe diximus de ratione vltimi finis esse, quod cætera referantur in illum. Quì igitur fieri potest, vt Deus sit vltimus finis venialiter peccanti, si bonum illud, quod diligit, nec refert in Deum, nec diligit propter Deum? Respondetur primò do

Soluitur 1. ctrinam Aristotelis ita esse intelligendam, vt cætera omnia, quæ verè sunt bona, in illum referantur: secus si fuerint

Secundo. solum apparenter bona. Altero modo; vt cętera omnia vel positiuè, vel saltem negatiuè sint in illum referibilia. Mala autem venialia licet ex sua natura positiuè non sint referibilia in Deum; sunt tamen negatiuè: quatenus scilicet non impediunt aliorum referibilitatem, cũ quibus sunt cõiuncta: in quo distinguũtur à malis, quæ sunt peccata mortalia: hæc enim non modo non sunt referibilia in Deum; sed impediunt, & excludũt aliorum referibilitatem. Quare peccata mortalia sunt irreferibilia irreferibilitate contraria: venialia autem solũ negatiuè. Quæ omnia non longè sunt à mente Scoti in 4. d. 49. q. 10. litera O. Scotus.

Quod siquis hanc referibilitatem voluerit appellare habitualem, & ita intelligere doctrinam D. Thomæ; facilè annuam, & admittam actionem venialiter malam esse propter Deum; non quidem positiuè, ideſt referibilitate suę naturę: sed negatiuè; quatenus non excludit referibilitatem aliorum in Deum. Cui explicationi aliquo modo fauent, quę scribit D. Thomas 1. 2. q. 88. ar. 1. ad 2. & q. 89. artic. 1. Peccata igitur venialia non D.Thom. abducũt à via, sed manentẽ in ea remorantur: non auertunt à fine; sed deordi-

nt media ad finem: non offendunt præ
ptum; sed citra præceptũ deordinãt.

ARTICVLVS V.

rùm possit quis ferri in duos fines non simpliciter vltimos?

VT, quæ pertinent ad quæstionem de pluralitate finis, absoluamus; inquirendum est; an possit quis nul ferri in duos fines nõ vltimos, sed oximos ad inuicem non subordina-

s. Quæ quæstio excitatur à D. Thoma
feriùs q. 12. ar. 3. & ibi solet explicari. D.Thom.
Sed non erit extra institutum eam hoc loco explicare, cum agamus de pluralitate finiũ, qui ab homine intendũtur.

In hac quæstione illud certissimum 2
est posse voluntatẽ velle duos fines etiã Primum assertum.
non vltimos, si inter se sunt subordinati. Ita D. Thomas in dicta q. 12. artic. 3. & est conclusio indubitata, vt videre D.Thom.
est apud Ægidium in 2. d. 38. quæst. 2. Ægidius.
Richardum ibi artic. 3. quæst. 3. Satis Richard.
est nota vel ipsa experientia: potest enim quis simul intendere cõfectionem medicinæ, & sanitatem. Vtrum verò vno, vel diuerso actu intendantur, modo non curamus: nam siue hanc, siue illam opinionem probes; semper nostra assertio salua manet. Et quidem si cum Diuo Thoma existimas voluntatem vno, & eodem actu velle media, & finem: minus dubitabilis erit conclusio: quia cessat difficultas; an in eadem voluntate possint dari simul plures actus. Porro si cum alijs putas media, & finem diuersis actibus appeti (quæ est verior sententia) adhuc nostra assertio

nem; quod ideo statuimus; quia ratio vltimi finis in aliquo bono creato tollit adhæsionem in bono increato, tanquam in vltimo fine: nec enim possunt dari duo vltimi fines, nec duo summa bona, quibus quisque nostrũ adhæreat. Vnde, si in peccato veniali bonum creatum esset vltimus finis, impediretur influxus charitatis, vt expresse docet D. Thomas 1.2.q.89.art.1.ad 3. & satis innuit in omnibus citatis locis. Ex quo inferes longè abesse à mente D. Thomæ distinctionem Bellomontani, qua finis vltimus diuiditur in eum, qui opponitur vero summo bono: & in eum, qui illi non opponitur, sed cum eo simul esse potest. Ex dictis enim euidenter patet rationem vltimi finis in aliquo bono creato non posse non opponi [illegible] ro bono. Inferes etiam in pe[illegible] niali nullo modo reperiri fr[illegible] quia fruitio sine vltimo fine n[illegible]

D. Thom.

25 Secundò statuendũ est bon[illegible] tum, cui peccator venialiter [illegible] amari citra Deum, idest min[illegible] ametur Deus: dilectio enim i[illegible] secum patitur Deum à pecca[illegible] super omnia. Expresit id D.T[illegible] Sent.d.1.q.3.ad 4. & satis coll[illegible] eo, quod immediatè statuimus[illegible] infertur tale bonum veniale [illegible] ctum vsus, quem Augustinus [illegible] vocauit.

Secundum præmissum.

26 Statuendum est tertiò; eum, qui venialiter peccat, agere propter illud bonum, tanquam propter finem: nam cum talis actio sit humana, non potest non esse propter aliquem finem, iuxta ea, quæ in hoc libro resoluimus. Cum verò illud bonum non intendatur à peccante tanquam vltimus finis: vtique intendetur tanquam finis proximus amabilis propter se, suamque bonitatem: est enim de ratione finis, vt propter se ametur. Hinc iã insurgit difficultas: quia omnis actio humana non solum est propter finem; sed etiam propter vltimum finem. Hoc autem bonum creatum non est vltimus finis, vt diximus in primo asserto: nec etiã est Deus: quia opinionem D. Thomæ non recepimus. Quem igitur habebit finem vltimũ? Is est status difficultatis.

Tertiũ præmissum.

Status controuersiæ.

27 Occurrunt quamplurimi ex recentioribus non esse opus, vt omnis actio humana positiuè referatur in aliquem finem vltimum: sed satis esse, si ad aliquem vltimum finem negatiuè referatur, quem appellant vltimum secundũ quid: id autem putant se euidenter probasse sumpto exẽplo idololatræ; qui & si ratione status refertur habitualiter in idolum: tamen quando bene moraliter operatur, non refert illud opus in idolum; sed illius intentio fertur, & sistit in fine virtutis, tanquam in fine vltimo negatiuè: hæc enim est nostræ voluntatis libertas, vt possit sistere in tali fine, qui non est vltimus simpliciter, sed secundum quid, & negatiuè: sic (inquiunt) cõtingit in iusto venialiter peccante: licet enim ratione status referatur in Deum verum: tamen ratione a[illegible] cati non tendit in illum, sed [illegible] reatum, quod est illi finis [illegible] gatiuè.

Quor sidam responsio.

[illegible] solutio, nisi aliud addatur, [illegible] it: nam exemplum sumptũ [illegible] ra assumit vnũ falsum: quo[illegible] illa moraliter bona, quan[illegible] perantis relatione sistat in [illegible] rtutis; vlterius tamen ten[illegible] e operis: vnde licet ille fi[illegible] us negatiuè ex parte ope[illegible] illum actu non refert in fi[illegible] rem: absolutè tamen non [illegible] quia relatione operis vlte[illegible] Nec libera voluntas potest illam relationem impedire; nisi fortè velit in illo bono virtutis vltimatè sistere tanquam in summo bono: quod sine graui culpa fieri non potest. Quare exemplum potius facit in oppositum, quam soluat difficultatem.

Non satisfacit.

18 Quæ adhuc augeri potest ex secundo præmisso: quoniam peccans venialiter non fruitur bono, quod diligit; sed vtitur: nec enim his Theologis admittimus fruitionem secundum quid, quæ media sit inter fruitionem veram, & vsum. Merito igitur adhuc inquiritur vltimus finis actionis venialiter malæ.

19 Dicimus igitur pro resolutione difficultatis doctrinam illam, omne agens agere propter finem simpliciter vltimum solum esse veram in actionibus, quæ proximè tendunt in finem honestum; secus si tendant in finem venialiter malum. Ratio discriminis est; quoniam

Resolutio.

niam finis honestus ex sua natura est referibilis in verum finem vltimum, vt dicemus quæst. 7. Vnde licet possit esse vltimus finis negatiuè respectu operantis, vt iam diximus: non tamen respectu operis: quia opus ex sua natura non est irreferibile in vltimum finem, sed referibile potius. At finis proximus venialiter malus ex sua natura est irreferibilis in verum vltimum finē: vnde non solum potest esse vltimus negatiuè ratione operantis, sed etiam ratione operis. In his igitur finibus venialiter malis admittendam puto distinctionem finis, in vltimum simpliciter, & secundum quid, siue negatiuè. Et in hoc sensu nullum est inconueniens dari in eodem homine duos fines vltimos: nec enim vnus alteri repugnat: sed vterque simul amari potest: cum vnus minus ametur, quàm alter, vt patet ex Diuo Thoma quæst. 7. de malo artic. 1. ad 1. & in 1. d. 1. quæst. 3. ad 4. Nec proinde actio ista venialiter mala desinit esse humana: quia ad rationem humanę actionis satis est, quod habeat finem vltimum secundum relationem operantis: nam referibilitas operis in vltimū finem non pendet ex libera operantis voluntate, sed ex natura ipsius operis.

D. Thom.

30 Obiectio. Huic tamen resolutioni fortè quis obijciat id, quod ex Aristotele sæpe diximus de ratione vltimi finis esse, quod cætera referantur in illum. Quì igitur fieri potest, vt Deus sit vltimus finis venialiter peccanti, si bonum illud, quod diligit, nec refert in Deum, nec diligit propter Deum? Respondetur primò doctrinam Aristotelis ita esse intelligendam, vt cætera omnia, quæ verè sunt bona, in illum referantur: secus si fuerint solum apparenter bona. Altero modo; vt cętera omnia vel positiuè, vel saltem negatiuè sint in illum referibilia. Mala autem venialia licet ex sua natura positiuè non sint referibilia in Deum; sunt tamen negatiuè: quatenus scilicet non impediunt aliorum referibilitatem, cū quibus sunt cōiuncta: in quo distinguūtur à malis, quæ sunt peccata mortalia: hæc enim non modo non sunt referibilia in Deum; sed impediunt, & excludūt aliorum referibilitatem. Quare peccata mortalia sunt irreferibilia irreferibilitate contraria: venialia autem solū negatiuè. Quæ omnia non longè sunt à mente Scoti in 4. d. 49. q. 10. litera O.

Scotus.

Quod si quis hanc referibilitatem voluerit appellare habitualem, & ita intelligere doctrinam D. Thomæ; facilè annuam, & admittam actionem venialiter malam esse propter Deum; non quidem positiuè, id est referibilitate suę naturę: sed negatiuè; quatenus non excludit referibilitatem aliorum in Deum. Cui explicationi aliquo modo fauent, quę scribit D. Thomas 1. 2. q. 88. ar. 1. ad 2. & q. 89. artic. 1. Peccata igitur venialia non abducūt à via, sed manentē in ea remorantur: non auertunt à fine; sed deordinant media ad finem: non offendunt præceptum; sed citra præceptū deordināt.

D. Thom.

ARTICVLVS V.

Vtrùm possit quis ferri in duos fines non simpliciter vltimos?

VT, quæ pertinent ad quæstionem de pluralitate finis, absoluamus; inquirendum est; an possit quis simul ferri in duos fines nō vltimos, sed proximos ad inuicem non subordinatos. Quæ quæstio excitatur à D. Thoma inferiùs q. 12. ar. 3. & ibi solet explicari. Sed non erit extra institutum eam hoc loco explicare, cum agamus de pluralitate finiū, qui ab homine intendūtur.

D. Thom.

2 Primum assertum. In hac quæstione illud certissimum est posse voluntatē velle duos fines etiā non vltimos, si inter se sunt subordinati. Ita D. Thomas in dicta q. 12. artic. 3. & est conclusio indubitata, vt videre est apud Ægidium in 2. d. 38. quæst. 2. Richardum ibi artic. 3. quæst. 3. Satis est nota vel ipsa experientia: potest enim quis simul intendere cōfectionem medicinæ, & sanitatem. Vtrum verò vno, vel diuerso actu intendantur, modo non curamus: nam siue hanc, siue illam opinionem probes; semper nostra assertio salua manet. Et quidem si cum Diuo Thoma existimas voluntatem vno, & eodem actu velle media, & finem: minus dubitabilis erit conclusio: quia cessat difficultas; an in eadem voluntate possint dari simul plures actus. Porro si cum alijs putas media, & finem diuersis actibus appeti (quæ est verior sententia) adhuc nostra assertio

D. Thom. Ægidius. Richard.

salua permanet: quia nullum est inconueniens dari simul plures actus circa obiecta subordinata: nec enim inde infertur voluntatem velle plura per modum plurium, sed per modum vnius: quod nec in intellectu repugnat etiam apud D. Thomam, vt patet in d. q. 12. art. 3. ad 3. & 1. p. q. 85. art. 4. Possunt igitur dari in voluntate plures actus, siue descendas ab intentione finis ad electionem medij; in quo descensu intentio finis est causa electionis: siue ascēdas ab electione ad volitionem consequendi finem: nihil enim impedit, quominus in voluntate dentur duæ volitiones duorum finium subordinatorum.

D. Tho.

3 Secundum assertum.

Deinde certissimum est posse voluntatem simul velle duos fines ad inuicē non ordinatos; si tamen sumantur non per modum plurium, sed per modum vnius. Pro quo prænotandum est cum Bellomontano inferius q. 12. art. 3. in commentario n. 13. tunc plura per modum plurium intendi; cum vnum non modò non refertur ad aliud, sicut ad finem; sed nec cum eo in aliqua ratione conuenit, sub qua appetatur: nam licet inter se per modum finium non ordinētur: si tamen vnum cum alio conuenit, vel secundum communem aliquam rationem, sub qua appetatur: vel constituat vnum tertium; iam illa plura non appetuntur per modum plurium. Exēplis res explicabitur cum D. Thoma in d. q. 12. art. 3. ad 2. intendit aliquis acquirere vinum, & vestem; ita vt nec vinum referat ad vestem, vt ad finem; nec contra: si tamen illa intendit sub ratione lucri, quod principaliter intendit; tunc illa duo intendit per modū vnius. Simili modo intendit quis calorem, & frigus non referendo vnum in aliud, vt in finem; sed prout integrant vnā caussam sanitatis: vtique illa plura appetit per modum vnius: quia vtrumque appetit sub ratione caussæ sanitatis. Itaque ex D. Thoma, quę sunt plura secundum rem, prout sunt vnum secundum rationem possunt terminare motum intentionis.

D. Thom.

Ex his iam patet explicatio secundi asserti: dicimus enim posse voluntatem simul velle duos fines inter se non subordinatos: dummodo sumantur, prout conueniunt in aliqua vna ratione, vt explicauimus. Hæc conclusio ita explicata est Diui Thomæ in dicta quæstion. 12. artic. 3. obscurè quidem in corpore; expressius ad 2. & 3. nam, quod docuit in corpore voluntatem posse simul velle plura non subordinata, & quæ à parte rei sunt plura; explicat ad 2. vt intelligatur, dummodò illa plura sumantur, prout sunt vnum secundum rationem: nam hoc etiam modo plura possunt ab intellectu intelligi. Quare non est dubitandum nostrum assertum esse de mē te Diui Thomæ in dicto art. 3. Expressius illud declarauit de veritate quæst. 13. art. 3. post principium in hęc verba: *Intentio autem vnius non potest ferri ad multa simul; nisi forte illa multa hoc modo sint ad inuicem ordinata, vt accipiantur quasi vnum.* Vnde interpretes illum ita intellexere, vt Caietanus, Medina, & Conradus, adde Bellomontanum, & Valentiam secūdo tomo disputation. 2. quæst. 7. punct. secundo.

D. Thom.

Caietanus. Medina. Conradus. Valentia.

Conclusio ita explicata experientia est nota: mercator enim sępe eligit aliquod medium, quia videt illud magis conducere ad plura acquirenda, v. g. vinum, oleum, pecuniam, &c. quæ omnia intendit sub vna ratione lucri. Medicus item hoc potius eligit medicamentum, quam illud; quia videt aptius esse ad plura, quæ intendit, nempe ad purgandam bilem: purificandum sanguinem, & alia, quæ in ordine ad sanitatem appetit. Quam assertionem auctores ita intelligunt, vt illa plura non pluribus, sed vno tantum actu intendātur: quod satis expressērunt Medina, & Conradus, & satis est de mente D. Thomę in dicto artic. 3. ad 2. Quæ sententia in nostris terminis videtur certa: quoniam plures illi fines non specificant motum intentionis, vt sunt plures, aut secundum suas speciales rationes; sed prout in vna communi ratione vniuntur.

5 In quo sit cōtrouersia.

Illius pars negatiua. Medina. Conradus. Valentia.

Est tamen controuersia non parua; an possit voluntas simul velle plures fines per modum plurium: ita vt nec vnus sit propter alium, nec cum alio in vna ratione conueniat? Partem negantem expresse probauit Medina in dicta quęstion. 12. articul. 3. vbi etiam Conradus, & satis Valentia in dicta disputatione secunda, quęstion. 7. punct. 2.

4

Quæ

D.Thom. Quæ opinio absque dubio est D. Thomæ, tum de veritate q. 13. art. 3. in verbis citatis; tum etiam in d. q. 12. art. 3. vbi resolutionem corporis explicat in solutione secundi, & tertij, vt sit intelligenda, dummodo illa plura in vnam rationem vniantur, & conueniant; satis etiam id significat ad 3. vbi ait idem de voluntate dicendum esse, quod dicitur de intellectu: iam verò apud Diuum Thomam intellectus plura per modum plurium intelligere non potest.

6 Probatur 1. Hæc opinio primum probari potest; quia non videntur admittendi plures fines proximi, qui intendantur per modum plurium. Tum quia omnes ordinantur ad operantem, vt ad finem *cui*. Tum quia omnes conueniunt in vnam rationem commodi ipsius operantis. Tum denique quia omnes ordinantur in vnum finem vltimum simpliciter, in quo conueniunt. Quare suppositio videtur impossibilis.

7 Secundò. Deinde; vt admittamus plures fines disparatos per modum plurium: voluntas illos velle non poterit: nam apud D. Thomam intellectus non potest plura intelligere per modum plurium, vt patet ex Diuo Thoma 1. p. q. 85. artic. 4. cuius sententia omnibus Thomistis placet: & præterea Alensi 4. p. q. 98. Alberto Magno in 3. d. 30. artic. 4. & Durando in prologo q. 1. numer. 24. & satis deducitur ex Aristotele 2. Topicorum cap. 4. dum ait: contingit plura scire: intelligere autem vnum. Ergo voluntas non potest velle plura per modum plurium: tum; quia est eadem ratio. Tum quia voluntas supponit intellectum dirigentem, & ordinantem.

D.Thom. Alensis. Albertus. Durandus. Aristot.

8 Tertiò. Tertiò; quia vel illi plures fines intenderentur vnavoluntatis actione, vel pluribus. Non vna: tum; quia intentio est quidam veluti motus: vnus autem motus non potest simul terminari ad plures terminos. Tum etiam; quia actus exterior sumit speciem à fine proximo: vnus autem actus non potest essentialiter constitui in duplici specie. Tum denique; quia illi fines, cum sint omninò disparati, & accepti, vt plures, erunt in sua serie, & ordine causæ totales illius actus: iam verò duæ causæ totales eiusdem effectus dari non possunt. Nec etiã possunt illi fines intendi pluribus actibus: sequeretur enim dari plures causas totales eiusdem effectus in genere causæ efficientis: nam actus illi interni simul concurrent ad vnum actum externum, qui vtriusque finis fuerit medium. Hæc sunt huius opinionis fundamenta.

9 Controuersiæ resolutio. His tamen non obstantibus asserendum est posse voluntatem intendere, & velle plures fines etiam per modum plurium. Quæ fuit opinio Ægidij in 2. sent. d. 38. q. 2. ar. 2. & in 5. quodlib. q. 22. & de cognitione Angelorum q. 7. Richardi in 2. d. 38. ar. 3. q. 3. & satis supponit D. Bonauentura ibi ar. 1. q. 3. Gregorius in 1. d. 1. q. 1. art. 3. concl. 2. Est communis inter recentiores. probat Fonseca in 5. Metaphy. c. 2. q. 15. sect. 4. in fine, Cursus Conimb. 3. de anima c. 8. q. 6. ar. 2. Bellomontanus hìc q. 12. D. Thomę ar. 3. in commentario nu. 15. Suarius hoc loco disp. 3. quæstiuncula 2. Rubeus 2. Physicorum tractatu 7. q. 2. in fine. Quorum opinio experiẽtia est nota. Etenim eãdem medicinam quis velle potest, tum propter sanitatem, tum propter dulcedinem: potest similiter quis vnum od isse, & amare alterum: sicut enim hi fines inter se nullam habent repugnantiam; ita nec intentiones illorum vllam habebunt, vt simul sint. Non est tamen negãdum voluntatem non tanto conatu ista plura per modum plurium appeturã; quanto illa appeteret per modum vnius: vt annotarũt Ægidius, & Richardus.

Ægidius. Richardus: D. Bouau. Gregor. Fonseca. Vasques. Rubeus.

10 Responsio ad primum argum. Ad primum in oppositum respondẽdum est experientiam ipsam docere dari posse plures fines, qui per modum plurium voluntatem moueant. Nec primarium aliquid probat: quoniam relatio horum finium in vnum finem *cui* non impedit illorum pluralitatem: nam sicut finem *cuius* referri, & ordinari ad finem *cui* non impedit, quominus finis *cuius* sit vltimus in suo ordine, vt omnes fatentur: ita etiam non tollit, quominus plures fines *cuius* in suo ordine sint plures, & diuersi fines. Quin potius si recte philosophamur, non oportet; vt omnes fines *cuius* appetantur propter vnum solum finem *cui*: ęgrotus enim, qui sibi appetit sanitatem; potest appetere Deo gloriam, & honorem, & bonum aliquod suo amico; ita fit, vt voluntas possit habere simul plures fines *cuius*, & *cui*.

Nec similiter secunda probatio rem efficit. Primò; quia admittimus omnes illos fines inter se diuersos, & non subordinatos in hoc conuenire, quòd sint bona propria, & propria cõmoda operantis. Inde tamen non infertur illos constituere vnum finem ex illis integratum. Pro quo aduerte plura bona tunc vnum bonum integrare, cum quodlibet illorum veluti materialiter concurrit sub vna formali ratione boni: vinũ enim, vestis, &c. ideo respectu mercatoris integrant vnum lucrum, quia conueniunt in ratione lucri, quod quatenꝰ est lucrum, est specialis quædam ratio boni. Similiter ligna, lapides, calx, &c. materialiter integrant vnum bonum, quia cõueniunt in vna ratione domus, quę continet specialem boni rationẽ. Porro ratio commodi non est aliqua formalis ratio boni, sed solum est conditio quædam appetendi: etenim bonũ commodum, & bonum proprium idem sunt. Iam verò ratio proprij est conditio boni ad finalizandum: non verò ratio finalizans, vt diximus supra libr. 1. Accedit, quia operans non considerat, nec formaliter intendit hanc vnitatem commodi in illis repertam, sed potest velle quemlibet illorum finium propter suam bonitatem, non conferendo illos inter se, nec referendo ad aliquam communem rationem, vt docet experientia.

Tertia denique probatio facilè soluitur; quoniam ordinatio illorum finiũ ad vnum finem vltimum simpliciter nõ tollit finalizationes singulorum in ordine ad agens esse plures; quoniam vltimus finis licet concurrat cum illa actione, vt est à Deo: non tamen, vt est à nobis: vt inferiùs q. 8. ar. 2. dicemꝰ. Quare non falso, sed vere supponimus dari posse plures fines proximos, qui vt plures, & per modum plurium intendi possint.

11 Ad secundũ ex mẽte Caietani.

Ad secundum argumentum, si credẽdum est Bellomontano in d. q. 12. ar. 3. n. 12. Caietanus ibi admittit intellectũ non posse intelligere plura per modum plurium: posse tamen voluntatem plura per modum pluriũ intendere. Quare apud Caietanum concesso antecedẽte, neganda est consequentia ob rationẽ, quam Bellomontanus ex mente Caietani affert. Sed, an hęc fuerit mens Caietani, mihi non constat.

Alia solutio

Ad argumentum igitur antecedens negari debet: nam intellectum posse plura simul intelligere per modum pluriũ, receptior est sententia inter nouiores, vt patet ex Cursu Conimb. 3. de Anima c. 8. q. 6. ar. 2. quæ fuit Scoti in 1. d. 3. q. 6. Licheti ibi, Mayronis q. 1. Bargij q. 4. Gregorij in 1. d. 1. q. 3. ar. 3. concl. 1. Ocham. in 2. d. 21. Gabrielis in 1. d. 1. cõcl. 6. Marsilij q. 11. quam nos longè probabiliorem duximus in libris de Anima.

Scotus. *Licbetus.* *Mayron.* *Bargius.* *Gregor.* *Ocham.* *Gabr.* *Marsil.*

Ad tertium dicendum est intẽtiones non posse non esse plures, si fines illi fuerint intrinseci: vt siquis velit dare eleemosynam, & sumere disciplinam: quia actus interiores sumunt speciem ab obiecto, fineque intrinseco, vt resoluit D. Thomas in 3. art. huius quæstionis primæ. Quare tot erunt intentiones distinctę, quot fuerint obiecta motiua voluntatis. Alia igitur erit volitio eleemosynæ, & alia disciplinæ; & proinde mouebunt ad diuersa media. Et in hoc casu neutra argumenti pars locum habet.

Ad 3.

D. Thom.

Porrò, si fuerint fines extrinseci (qualis est quicunque finis collatus cum volitione medij) distinguendum est: quoniam si fines illi extrinseci diuersa finalizarunt media (vt si quis simul intendens vanam gloriam, & consecutionem dignitatis; ad illam elegit eleemosynã: ad hanc verò captare gratiam ministri regis) tunc nulli dubium, quin plures dẽ tur intentiones, & electiones: quia dantur plura media extrinsecè ordinata ad plures illos fines: nec in hoc casu datur locus difficultati argumenti.

13

At verò si illi fines finalizarũt vnum tantum medium (vt siquis volens opus misericordiæ exercere, & simul satisfacere pro peccatis eligat eleemosynam, eamq; ordinet ad vtrunque illum finẽ) in hoc casu dubitari potest, an dentur plures intentiones, an vnica tantum ratione vnius medij. Quidam putant non posse non admitti plures; quia actus interiores specificantur à fine: vnus autẽ actus non potest essentialiter esse in duplici specie. Sed cum electio mediorum non essentialiter specificetur, nisi ab ipso medio; à fine autem accidentaliter tantum: omninò corruit fundamentum.

Quare

14 Quare probabilius puto vnum tantum dari actum electionis medij, v. g. eleemosynę: & ad illum simul concurrere duos illos fines. Vtrum autem concurrant vt causſæ totales ? Dubium esse potest. Affirmat Fonseca vbi supra; quia nullum putat absurdum duos fines totales concurrere ad vnum effectum: quanuis id negetur duobus efficientibus: rationem discriminis non est nostrũ modò assignare. Probabilior videtur mihi hæc opinio.

Fonseca.

Vtrum verò sicut est vnus numero actus electionis; ita etiam sit vna numero intentio, pendet à quæstione; An intentio, & electio, quando simul concurrunt, sint actus distincti. Si probas esse vnum tantum actum respectibus distinctum; vnam admitte intentionem cum diuersis respectib' ad diuersos istos fines. Porro si probas esse actus distinctos vel realiter, vel formaliter; est præmanibus obiectio; quia inde sequitur dari plures causſas totales efficientes: nam illæ intentiones effectiue concurrũt ad motum potentiæ exequentis, v.g. ad motum manus largientis eleemosynam.

Obiectio.

15 Nititur difficultatem dissoluere Suarius: Et primo recurrit ad simultatem moralem: quasi neget illas internas intentiones posse concurrere ad eundem externum motum simultate Physica, id est, in vno temporis instanti. Sed nõ placet; quia non solùm est difficultas; an plures causſę totales effectiuè possint ad eundem effectũ numero coniunctim concurrere; sed etiã disiũctim: vt omittamus experientiam, & rationem docere plures fines posse simul in vno temporis instanti à voluntate intendi: in quo sensu defenditur opinio.

Deinde recurrit ad cõmunem solutionem, neutram illarum intentionum cõcurſuram cum toto suo conatu: quod commune est causſis efficientibus, quando plures alioquin per se sufficientes, simul advnumeffectum applicantur: neutra enim agit tota sua virtute. At non omnino satisfacit solutio.

Adducitur alia.

Non inepte dicemus potentias illas inferiores effectiue applicari ad agendum per vsum actiuum, qui est actus voluntatis, vel realiter distinctus ab electione, & intentione, vt quidã volũt: vel identificatus cum electione, à qua sola ratione distinguitur. Quare motus ille exterior vsusq; passiu' potentiæ externę nõ fit effectiue à pluribus causſis, sed ab vna tantum: quanuis ab intentione consequatur quandam extrinsecam ordinationem. Optima est solutio voluntatẽ non dici effectiue mouere potentias inferiores per aliquem positiuum influxũ veramque actionẽ: sed ideo præcise, qa ex appetitu voluntatis mouetur anima ad mouendas potẽtias externas. In quo sensu nullum est inconueniens dari plures causſas totales eiusdẽ effectus, etiã in genere causſæ efficientis.

QVÆSTIO VI.

RESOLVIMVS In quęstione prędedẽte vltimum finem sumptum in particulari nõ esse vnicum, sed plures; si hominum existimatio vera vel falsa expendenda est: nam quanuis in vno quoque vnicus tantum sit finis vltimus simpliciter; apud diuersos tamen non vnus est, sed plures. Consequenter inquirendum est, vtrum à parte rei vnicus tantum sit vltimus finis? De quo tria inquirenda sunt. Primum, an ratione naturali demonstretur dari vnicum tantum finem simpliciter vltimum? Secundũ; vtrum ille vnus finis sit omniũ hominũ finis? Tertiũ, an sit etiam finis omniũ in vniuersum creaturarum.

Ordo seruãdus.

ARTICVLVS I.

An ratione naturali demõstrari possit dari vnicum tantum verum finem simpliciter vltimũ?

QVOD detur vnus tantumverus finis simpliciter vltimus, docet fides Catholica. Sumitur ista veritas ex illo prouerbiorum 16. *Omnia propter se metipsum operatus est Dominus.* Quę verba generaliter comprehendunt omnes res creatas. Accedit illud Apocalyp. 21. & 22. *Ego sum α & ω principium, & finis.* In demonstranda hac veritate totus est Augustinus 19. de ciuitate Dei, & in re notissima supersedamus à citatio-

1 *Quod supponitur de fide est.* *Prouerb. 16.* *Apocalyp. 21.*

ne Patrum. Locus optimus habetur apud magnum Dionysium cap.10. de diuinis nominibus, dum ait: *Deum ad se omnia sicut ad plantationem omnitenentem conuertere*: quia scilicet omnia à se creata ad seipsum primum omnium auctorem tanquam ad vltimum finem reducit.

2 Primaratio pro parte negatiua.

Tota versatur difficultas, an ratione naturali hæc veritas demonstrari possit? Ratio dubitandi inde sumitur; quoniã etiã si per fidem nobis innotescat Deũ propter semetipsum omnia creasse, id tamen ratio naturalis ostendere nõ potest: nam si quod esset medium accommodatum, illud sumeretur ex eo, quod Deus ad extra agit propter finem. Cũ verò in eius intentione non sit admittẽdus processus in infinitum; ageret propter aliquem finem vltimũ. At iste processus nõ legitime cõcludit: licet enim bene concludat Deum in qualibet sua actione habere vnicum finem vltimum, propter quem agit: non tamen concludit Deum omnium suarum actionũ vnicum tantum habere finem, ad quem omnes in vniuersum actiones dirigat. Enim verò, vt Deus dicatur agere propter finem, satis est, quod singulas actiones eliceat propter vltimum aliquem finem earum rerum, quas producit: quod optime constat cum pluralitate finium vltimorũ: sicut enim res productæ à Deo natura, & essentia sunt diuersæ; ita diuersos habẽt fines vltimos, quorum quilibet singulis sit vltima perfectio.

Secundò; ratio naturalis non potest demonstrare Deum esse omnium rerũ vltimum finẽ. Ergo naturaliter demõstrari nequit dari vnum aliquem verum finẽ simpliciter vltimum. Consequentia patet; quia si aliquis daretur; ille esset Deus. Antecedens probatur quoniam ratio naturalis non potest excogitare vnam aliquam rationem formalem, sub qua Deus sit omnium rerum vltimus finis: vt enim admittamus Deum sub ratione veri, & intelligibilis esse finẽ creaturæ rationalis; ille vt sic nõ potest esse finis aliarum creaturarũ. Vnde Aristoteles, qui tanta cum diligentia de vltimo fine Philosophatus est; solùm egit de vltimo fine creaturę rationalis; quasi tacite admittat aliarum rerum dari aliũ finem.

Tertio, Aristoteles agnouit duos vltimos fines, vnum vitę contemplatiuæ; alterum vitę actiuę. Quin potius vltimus finis vitę actiuæ (agere scilicet secundum virtutem) non videtur vnicus finis, quia singulæ virtutes suum habent proprium finem vltimum non ordinatum ad alias virtutes. 4 Tertia.

Postremo; non datur vnicus vltimus finis formalis in omnibus rebus, vt cum D. Thoma in sequente articulo ostendemus. Ergo nec dabitur vnus tantum finis obiectiuus: nec enim dabitur dispar ratio. Vltima.

His tamen non obstantibus dicendũ est lumine naturali cuicunque intellectui bene dispposito ostendi posse verum vltimum finem esse vnicum tantũ. Qua de re late scribunt D. Thomas 1.p.q.44. ar.4. & q.65. ar.2. & q.103. ar.2. & 3. contra gent. cap.17. & 18. Aliquid tetigit in ar.5. huius quęstionis. In omnibus his locis id annotarunt cõmuniter scribentes Gregor. in 2.d.1.q.2.ar.2. Cumelius in d.q.65.a.2. in dubio circa discursum, breuiter Bellomõt. hìc disp.5. cap. 4. & Valentia 1.tom. disp.3.q.1.punct.3. Latius Suarius in Metaphysi. disp.24. sect. 1. à nu.9. 5 Resolutio. *D. Thom.* *Gregor.* *Cumel.* *Valentia.*

Hæc veritas ex eo primum confirmatur; quia apud veteres Philosophos satis fuit cognita: plures enim vnum rerũ omnium finem posuerunt; alij quidem obscurius; alij autem clarius. Obscuriꝰ id docuerunt, qui voluerunt amorẽ esse omnium rerum principium, vt Hesiodꝰ poeta, Parmenides, & Trimegistus in Pimandro. Amor enim, cum moueat, vt bonum, non aliud potest esse principiũ, quam finis mouens, vt amabilis. Clarius id expresit Plato tum in Timæo, tum lib.4. de Legibus. Sed omnium clarissime Aristot. in lib. de Cœlo, & mundo ad Alexandrum, & 12. Metaphy. vbi cap.7. cum sequentibus ostendit dari vnã substantiam, quę mouet vt amata, & subinde per modum finis. Et cap. vltimo clare probat dari vnum principem, qui sit principium omnium, tum vt mouens, tũ vt finis bonumque separatum, ad quod, & totum vniuersum, & singulę illius partes, vt ad vltimum finem referantur. 6 Probatur auctoritate *Hesiodus.* *Parmenides.* *Trimegist.* *Plato.*

Sed ratione generaliter demonstrabitur, si supponamus non esse hoc loco quæstionem; an in rebus detur vltimus finis 7 Prima demonstratio

finis: quoniam sicut inter Philosophos est celeberrimum dari causſam finalem vt ex Aristotele ostendimus lib. 1. Ita est receptissimum in finibus non dari abitionem in infinitum, & subinde certissimum est dari vltimum finem simpliciter. Quod verò iste non possit esse nisi vnicus euidenter demonstratur ex definitione finis vltimi, quam tradidit Aristoteles 3. Metaphy. cap. 2. tex. 3. clari⁹ 1. Ethic. cap. 7. tex. 29. est enim ille, *qui nunquam ob alium expetitur: cæteri autem omnes ipsius gratia expetuntur*. Quæ definitio euidenter excludit pluralitatẽ à fine simpliciter vltimo: nam vt in illis verificaretur prima definitionis pars: quia neuter propter alium finem vnquam expeteretur: secunda tamen pars neutri posset conuenire: quia si vnus ad alterũ referretur; iam ille vltimus esse non posset. *Aristot.*

8 Secunda.

Et quanuis hæc demonstratio satis esse debeat ad conuincendam propositam veritatem: tamen vt veritas magis eluceat sit secunda demõstratio, quam Aristoteles 12. Metaphy. cap. vltimo sũpsit ex ordine vniuersi, quam late exornat Gregorius in 2. d. 1. q. 2. art. 2. in hunc modum: quę sunt naturaliter ordinata vnum habent bonum, & vnum finẽ. Sed omnes partes vniuersi, & ipsum etiã vniuersum naturalem habent ordinationem. Ergo totum ipsum vniuersum vnũ habet finem, á quo per se pendeat. Minor huius discursus & patet experiẽtia, & late explicatur ab Aristotele ibi, & corroboratur auctoritate sacræ Scripturę; *quæ à Deo sunt, ordinata sunt.* Maior verò probatur ab Aristotele citato loco in illis verbis: *Sed sunt ad quidpiam: ad vnũ namque coordinata sunt omnia.* Quibus verbis ex eo probat omnia, quę sunt in vniuerso, respicere vnum finem, quia omnia inter se sunt ordinata: quasi doceat fieri non posse, vt aliqua inter se bene disponantur, atque ordinentur, nisi in vno aliquo fine vniantur, & conueniãt. *Arist.*

9 Tertia.

Tertiam demonstrationem sumit D. Thomas 3. contra gentes cap. 17. in prima ratione ex natura boni: nam bonum in quantum bonum, est finis: ratio enim bonitatis est proxima ratio finalizandi, vt ostendimus lib. 1. Ergo solum summũ bonum erit vltimus finis; ita vt ratio vltimi finis non possit fundari, nisi in ratione summi boni: & merito; quia ratio vltimi finis requirit, vt nunquã propter aliũ finẽ appeti queat: quã conditionem non ex alio capite sibi vẽdicat, nisi quia fundatur in ratione summæ bonitatis, quæ à se, & nõ ab alio est bonitas. Quare si bonum, vt est bonum, fundat rationem finis; vtique nihil, nisi summum bonum poterit fundare rationem vltimi finis. At summum bonum nõ potest esse, nisi vnicum, vt ex Metaphy. supponim⁹. Ergo vltimus finis non potest esse, nisi vnicus. *D. Thom.*

10 4. Demonstratio.

Quarta demonstratio sit: datur vnũ tantum primum principium actiuũ omnium rerum. Ergo datur vnus tantum finis vltimus rerum omniũ. Antecedens est notum lumine naturali, de quo Aristoteles 8. Physicorum, & 12. Metaphy. cap. vltimo, *D.* Thomas 1. p. q. 11. ar. 3. & q. 44. ar. 1. vbi omnes interpretes: latissime id demonstrat Suarius in Meta. disp. 29. Porro consequentiam inde deducimus: quoniam hoc vnum actiuum principium omnia operatur propter se metipsum tanquam propter vltimum finem. Ergo ipsummet est vltimus finis omnium rerum, imò etiam, & vnicus; patet hæc posterior consequẽtia; quia idẽ finis est operationis, & rei operatę. Antecedens verò eiusdem discursus non solum confirmatur ex illo Prouerbiorũ 16. *Omnia propter se metipsum operatus est Dominus*; sed etiam ex Aristotele 12. Meta. cap. vltimo tex. 55. vbi ex eo, quod primum principium agit propter finem infert contra Anaxagoram dandum esse aliud principium, prẽter primum illud, nempe principium finale: *nisi sit* (inquit) *vt nos dicimus.* Hoc est nisi dicamus ipsũ primum principium agere propter se ipsum, vt interpretatur D. Thomas ibi lectione 9. Sed & ratione idem antecedens ostenditur: quoniam ex Aristotele multis in locis, maxime 1. Ethic. cap. 7. tex. 25. & 26. vnicuique agenti vltim⁹ finis suarum actionum est illi optimum, & maximum bonum. Sed nihil potest esse maximum bonum primo mouenti, nisi sua bonitas, suaque perfectio. Ergo primum agens omnia operatur propter suam bonitatem: supponimus enim tanquam indubitatum primum agens propter finem non posse non agere propter aliquem vltimum finem; qui sit illi summum *Prouerb. 16.*

mum, atque perfectũ bonũ; quod ipsum vnicum tantum esse potest.

Plures alias demonstrationes vide apud D. Thomã 3. contra gent. cap. 17. & 1.p.q.44.ar.3.& q.65. art. 2. & q.103. art. 2.

Solutio primi argum. Nec aliquid faciunt, quæ initio adduximus pro ratione dubitandi. Nam primũ argumentum soluitur dicendo efficaciores,& euidentiores demonstrationes adductas à nobis esse: sed demonstrationem, de qua agitur, optimã esse, si ita explicetur; vt Deus ad extra agat propter vltimũ finẽ, qui illi sit bonũ optimum. In quo sensu optime infertur Deum vnicum tantum vltimum finem habere omnium suarum actionũ: siquidem nullus finis rerum creatarum, qui non sit ipse Deus, potest esse Deo agenti bonum optimum,& summum. Quod fuit fundamentum Aristotelis 12. Metaphy. cap. vltimo, de quo in quarta demonstratione. *Arist.*

12 Solutio 2. Ad secundum negatur antecedens: quia ratio naturalis euidenter demonstrat Deum esse illum vltimum finem rerum omnium, quẽ dari à parte rei euidenter demonstrauimus; de quo D. Thomas 1.p.q.44.ar.4. *D. Thom.* Ad probationem dicimus Deum sub ratione bonitatis esse vltimum finem rerũ omnium, de quo latius in tertio articulo.

Solutio 3. Ad tertium respondetur Aristotelẽ non posuisse duos fines simpliciter vltimos: sicut nec posuit duas felicitates simpliciter distinctas,& non subordinatas: etenim sicut felicitatem vitę actiuæ ordinauit ad felicitatem vitæ contemplatiuę; ita finem vnius ordinauit ad finem alterius. De quo suo loco plura sunt dicenda.

Solutio 4. Ad quartum admittendum est antecedens,& neganda consequentia: quia fieri potest, vt quæ cõueniunt in vno fine obiectiuo, non conueniant in formali: quia vnus finis à diuersis rebus diuerso modo acquiri potest. Sed de hoc in 3.artic.

ARTICVLVS II.

Vtrum omnium hominum sit vnus vltimus finis?

1 *D. Thom.* Partis negatiuæ 1. argum. DE hac quæstione agit D. Thomas ar.7.huius q.1. pro parte negante tripliciter argumentatur. Primo; quoniam, qui mortaliter peccant auertuntur à bono incõmutabili,& finem vltimum sibi constituunt in bono creato. Ergo non omniũ est vnus vltimus finis.

2 Secundum. Secundo; si omnium hominum esset vnus finis vltimus; non essent in hominibus diuersa studia viuendi: quia vita hominis secundũ vltimum finem regulatur. Consequens autem manifeste est falsum.

3 Tertium. Tertio, non omnes homines habent easdem actiones. Ergo non omnium hominum est vnius vltimus finis. Antecedens est notum. Cõsequentia probatur; quia finis est terminus actionis: actiões aũt diuersæ diuersos habent terminos.

Confirmatur. Confirmatur, quoniam cum finis sit terminus actionis: & actiones sint singularium; finis erit quid singulare: non igitur erit aliquid omnibus cõmune: sed singulis hominibus singuli erunt fines.

4 Aduertẽtia ex D. Tho. Quæstio ista facile habet solutionẽ; si aduertamus cũ D. Thoma in hoc ar.7. de fine vltimo dupliciter agi posse: vno modo secundũ rationem formalem vltimi finis in cõmuni: quę posita est in bene, ac beate se habere: quomodo vltim' finis sumitur formaliter, & in cõmuni. Altero modo secundũ id, in quo ratio formalis vltimi finis cõplete reperitur: quomodo vltimus finis accipitur materialiter,& in particulari; nimirũ pro re, quæ est vltimus finis.

5 1. Cõclusio. *D. Thom. Bonauent. Durand. Valentia. Augustin.* Sit prima cõclusio: si sermo sit de vltimo fine in cõmuni; vnus est omnium hominum vltimus finis. Cõclusio est D. Thomę in hoc ar. 7. apud omnes interpretes ibi indubitata, & apud Scholasticos in 2.d.38.vbi D. Bonauentura ar. 1. q.4. Durandus q.4.num.5. Valentia hìc disp.1.q.1.puncto 7. Eãdem probat Augustinus lib.10.cõfessionum cap.20. & lib.7.de libero arbitrio cap.14. & lib.8. de ciuitate Dei cap.8.& lib. 17.cap.1:& lib.13.de Trinitate cap. 3. Eam expressit Aristo. multis in locis 1.Ethic.cap.4. tex.14.vbi agens de sũmo bono ita ait; *Nomine igitur omnes fere de ipso consentiunt: nam, & vulgus, & elegantes felicitatem inquiunt esse*; cap. etiam 7. eiusdem libri text. 31. postquam multis ostendit felicitatẽ (quæ est cõmunis ratio vltimi finis) ab omnibus expeti, ita scribit: *Igitur quoddam, & sufficiens* (bonũ) *videtur esse felicitas: cum sit rerum agendarum omniũ finis: sed* *Aristot.*

forsitan

forsitan felicitatem quidem summum esse bonũ dicere, ab vniuersis conceditur; lib. 1. Rhetoricorum cap. 5. in principio ita habet: *Vere autem, & vnicuique priuatim, & publice omnibus finis quidam est, quem conijcientes, alia persequuntur, alia fugiunt: is verò est (vt vno verbo dicam) felicitas.* Eam etiam notam facit experientia, quia omnes appetũt perfectionẽ suam compleri: suaque desideria perfecte satiari, ac vitam ducere omnibus bonis affluentem, omnique vacantem miseria. Id quod Augustinus confirmat corrigens vrbanam cuiusdã mimi facetiam; qui cũ promisisset se in theatro dicturũ quid omnes in votis haberent; dixit. *Omnes vultis vili emere, & care vendere: verius dixisset* (inquit Augustinus) *omnes vultis esse beati: miseri esse non vultis:* quia vere omnes homines id ipsũ appetunt. De quo Augustinus lib. 13. de Trinitate cap. 4. *Pro verissimo, certissimoq; posuimus beate viuere omnes homines velle.* Et infra scribit: *Nec de hoc Academicus ille Cicero dubitauit: qui cum vellet in Hortensio dialogo ab aliqua re certa, de qua nullus ambigeret, sumere suæ disputationis exordium: beati certe inquit omnes esse volumus.*

Augusti. *Cicero.*

6 2. Cõclusio. Secunda conclusio: si sermo sit de fine vltimo in particulari, hoc est de re, quæ est vltimus finis verus, vel existimatus; non est vnus omnium hominum finis vltimus. Ita D. Thomas in hoc ar. 7. Conclusio est indubitata, sũpta ab Aristotele 1. Ethic. cap. 4. vbi postquam dixit omnes tam sapientes, quàm insipiẽtes in vno vltimo fine formaliter sumpto cõsentire: de vltimo fine sumpto materialiter pro re, quæ est vltimus finis, ita scribit: *De felicitate autem, quænam sit; dissentiunt: & non similiter vulgus, & sapientes eam assignant.* Et cap. 7. tex. 31. *Sed forsitan felicitatem quidem summum bonum dicere, ab omnibus conceditur; desideratur autem, vt dilucidemus, quidnam sit ipsa. dicatur* 1. Rhetoricorum cap. 5. agens de re, in qua sita est felicitas, ita ait: *De hac enim, & de ijs, quæ ad hanc conferunt, de eius quoque contrarijs, suasiones, dissuasionesque ab omnibus suscipiuntur*: quia nimirum ea de re non omnes eandem habent opinionem. Varias esse de hac re sententias patebit ex sequẽti libro q. 2. in præfatione. Vnde Augustinus lib. 13. de Trinitate cap. 4. de hac varietate admiratus ita scribit: *Mirum est; cum capessendæ, atque retinendæ beatitudinis voluntas vna sit omnium: vnde existat de ipsa beatitudine rursus varietas, & diuersitas voluntatum: non quod aliqui eam nolint; sed quod non omnes eam norint.*

D. Thom. *Augusti.*

Vide de hoc optimã similitudinẽ adductam à D. Thoma in hoc art. 7. omnes enim appetunt dulcedinem in cõmuni: at tamen non omnes eadem dulcedine in particulari delectãtur: sed alius dulcedine vini, alius mellis, &c. Similiter in beatitudine: omnes enim in cõmuni eã volunt: quia ratio formalis eius omnibus est nota, ab omnibus amata, & concupita; at quodnam bonorum sit summũ bonum, & vltimus finis; non omnium est idem iudicium; quia nec omnium est eadem cognitio, nec idẽ affectus appetẽdi. 7 *D. Thom.*

Tertia conclusio; si sermo sit de fine vltimo materialiter, & in particulari, qui à parte rei vere est omnium hominũ finis vltimus; vnus est tantum vltimus finis õniũ hominũ. Cõclusio satis euidenter deducitur ex resolutione præcedentis articuli: ostendimus enim, & secundum fidem, & secundum rationem naturalem vnum tantum dari vltimũ finem omnium rerum. Quod satis expressit D. Ambrosius in Psal. 118. in hæc verba: *Ille, qui verus est finis, non vnius est finis, sed omnium.* *Ambros.*

8 Vltima cõclusio. Postrema conclusio; Deus in se ipso est finis simpliciter vltimus omnium hominum, & totius humanæ vitæ: quẽ non solùm vt vltimum agnouit fides Catholica; sed agnouerunt omnes, qui secundum appetitum bene dispositũ philosophati sunt. Hęc est de mente D. Thomæ in hoc ar. 7. & in ar. 8. Probatur primũ ex eo, quod Deus est finis totiꝰ vniuersi, vt dicemus art. sequenti. Sed quia speciali quodam modo est finis hominum, & totius creaturæ intellectualis; Ideo specialiori modo eam nunc ostendemꝰ. Illius veritas patet euidenter ex Apocalypsi 21. & 22. *Ego sũ α & ω; primus, & nouissimus, principium, & finis.* Quæ verba intelligũtur de beatitudine supernaturali hominibus promissa, vt euidẽter patet ex antecedentibus, & consequentibus: nã cap. 21. immediate additur: *Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis: qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus,* & cap. 22. immediate adiungitur: *Beati qui lauant stolas suas, vt sit potestas eorum in ligno vitæ.* Expressius id declarant verba immediate antecedentia

D. Thom. *Apocaly.*

cedentia in eodem cap. 22. *Esse venio cito, & merces mea mecum est.* Mecum inquam est merces mea; quia ego ipse sum merces, & summum bonum à beatis possidendum iuxta illud ad Abrahã Genes. 15. *Ego sum Deus tuus, & merces tua magna nimis;* satis id expressit Dauid Ps. 72. *Quid mihi est in Cælo? & à te quid volui sup terrã? Defecit caro mea, & cor meũ Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Facit locus Psal. 99. *Scitote, quoniam ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Alij legunt: *& sibi nos.* Eandẽ veritatem cognouit Aristoteles, dum felicitatem naturalem humanæ vitę posuit in sola contemplatione, & speculatione primæ intelligẽtiæ, quam Deum appellauit. Et hęc satis ꝑ hac veritate.

Genes. 15.

Psal. 99.

Aristot.

9 1. Argum. solutio.

Argumenta in contrarium facile soluuntur. Primum confirmat primam, & secundam conclusionẽ: peccator enim licet auertatur à verò vltimo fine: non tamen auertitur à fine vltimo formaliter; quia in ipso peccato quęrit appetitus sui satietatem, quod asserit prima assertio. Dum autem relicto vero vltimo fine suum vltimum finem constituit in creatura; satis confirmat non vnum esse vltimum finem verũ, vel existimatum, sed plures: quod asserit assertio secunda.

10 2. Solutio ex D. Tho.

Ad secundũ respondet D. Thomas in hoc ar. 7. diuersa studia, institutaque viuendi contingere ex opinione, siue existimatione vltimi finis in particulari: nam licet ratio formalis vltimi finis in cõmuni sit ratio mouendi appetitum; res tamen, quæ existimatur vltimus finis, est, quæ appetitum mouet: finis autem sumptus in particulari non est vn⁹, sed plures, si hominum opiniones spectemus. Quare argumentum secundam assertionem confirmat; cæteras non impugnat.

11 Solutio 3.

Ad tertium concesso antecedente neganda est consequentia. Ad probationem respondetur finem vltimum nõ esse terminum actionis, nisi remotum: proximus enim terminus est finis proxim⁹, quem operans actu intendit. Is autem non est vnus, sed plures. Quare argumẽtum solum concludit de fine proximo, non de fine vltimo.

Soluitur cõ firmatio. D. Thom.

Ad confirmationem D. Thomæ in d. ar. 7. ad 3. dicendum est: quod licet actiones sint singularium: fluunt tamen à natura, tanquã à principio agendi, quæ tendit in singularia sub vna cõmuni ratione: & ideo non singulariter, sed vniuersaliter in ea tendit. Vide *D.* Thomã, & Conradum.

Conradus.

ARTICVLVS III.

Vtrum Deus sit etiam finis vltimus omnium aliarum rerum?

DE hac quęstione agit D. Thomas in vltimo articulo huius quæstionis primę. Pro parte affirmante nõnulla argumenta obijcit. Primo sic; finis respondet principio, sed Deus, qui est principium hominũ, est etiam principium omnium aliorũ. Ergo idem vltimus finis est cõmunis homini, & alijs omnibus.

1 D. Thom. Pro parte affirmatiua arguitur. Primo.

Secundo, Dionysius cap. 10. de diuinis nominibus docet Deum conuertere omnia in se ipsum, tanquam in vltimum finem. Ergo omnia conueniunt in Deo, tanquam in vltimo fine.

Secundo ex Dionysio.

Tertio, obiectum voluntatis est finis: sed obiectum voluntatis est bonum vniuersale: bonum autem vniuersale est finis omnium rerum. Ergo idem finis est hominis, & aliarum rerum.

Tertio.

Si recte expẽdamus D. Thomã in vltimis verbis ar. 8. satis videtur insinuare partem negantem esse asserẽdam: vnde pro parte affirmante initio adduxit argumenta, tanquam pro parte minime probanda. Sed vt hæc difficultas clari⁹ resoluatur, prẽmissa cum D. Thoma duplici acceptione finis; dirimetur quęstio nonnullis adhibitis assertionibus.

D. Thom.

Præmittendum est igitur finem dupliciter vsurpari ab Aristotele. Vno modo pro re, quæ est finis: altero modo pro adeptione ipsius: primus finis dicitur finis, vt res: secundus, dicitur finis, vt vsus. De qua diuisione multa diximus in 1. lib. q. 2. Quo in loco aduertimus non satis constare à quonam loco Aristotelis in 5. Metaph. D. Thomas hãc diuisionem collegerit: nam locus ex cap. 17. tex. 22. non satis fauet huic diuisioni: forte eam desumpsit ex cap. 16 tex. 21. Sed id parum refert, cum iam constet diuisionem istam esse cõmunem in sensu, in quo à D. Thoma explicatur; quantumuis varijs nominibus à varijs explice-

Aristot.

D.Thom. explicetur: nã à D. Thoma in hoc ar.8. finis vt res dicitur finis *cuius*; finis, vt adeptio rei dicit finis *quo*. Ab aliis adeptio rei dicit finis formalis: res autẽ ipsa dicitur finis obiectiuus, & sub his nominibus celebrior est diuisio. Sed cũ de sensu constet; de nominibus non est curandum. Præmissa igitur hac diuisione statuendæ sunt nonnullæ conclusiones.

3
1.Cõclusio. Sit prima cõclusio; Deus (qui est finis vltimus, vt res, siue obiectiuus) est finis vltimus cõmunis homini cũ cæteris omnibus rebus. Conclusio est indubitata. Ita D. Thomas in hoc ar.8. & 1. p. q. 44. ar.4. & q.65.ar.2. & q.103.ar.2. & 1. contra gentes cap.75. & lib.3.cap.17. de Veritate q.5.ar.6. ad 4. & q.22.ar.2. deniq; in 2.d.38.q.1.ad 1. vbi D. Bonauentura, Gregorius, Durandus cũ cęteris. Vnus fuit Origines, qui huic veritati contradixit: docuit enim lib.1. Periarchon creaturas non fuisse creatas à Deo ex intẽtione: sed per accidens, vt in eis, tanquã in ergastulis punirentur spiritꝰ, qui peccassent. Et quanuis hanc Originis sententiã plures suo tẽpore fuerint secuti teste Cyrillo lib.1. in Ioannẽ cap.9. ad finẽ: illa tñ statim à principio impugnata fuit à patribꝰ tanquam sacris literis cõtraria: tũ in alijs articulis; tũ etiã, quatenꝰ negabat creaturã corporalẽ fuisse creatã propter ipsum Deũ, idest. vt in ea Dei bonitas manifestaretur. Cõtra quẽ errorem late scripsit Cyrillus vbi supra Augustinus lib.11. de ciuitate Dei c.23. D. Thomas 1.p.q.65.ar.2. vbi latissime Bañes, Valẽtia 1.tom.disp.5.q.1. pũct.2.

D.Thom. Bonauent. Gregor. Durandus

Cyrillus. Augusti. D.Thom. Bañes. Valentia.

4
Probatur ex Scriptura. Nostra igitur cõclusio ex scripturis euidenter demonstratur. Apertissimus locus prouerbiorũ 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Locus etiam Apocalyp.21. & 22. *Ego sum α, & ω, principium, & finis.* Qui locus apertissimus est, vt demonstretur Deum esse vltimũ finẽ hominis, qui est creatura corporea. Nec veritas ista latuit veteres Philosophos, vt diximus supra ar.1. Eã enim aliquo modo explicarunt, qui docuerunt amorẽ esse omniũ rerũ caussam, & principiũ, vt Hesiodus, Parmenides, Trimegistꝰ, & alij: amor autẽ nõ potest mouere, nisi, vt bonũ, & vt finis: existẽs enim in prima caussa efficiente õnia ꝓduxit ob suã bonitatẽ. In quo sensu pleriq; hãc veritatẽ colligũt ex verbis Genes. 1. *Et spiritus Dñi ferebatur super aquas*, per spiritũ Dñi intelligẽtes amorẽ diuinũ: quo Deꝰ allectus voluit rebus suã bonitatẽ communicare ad ipsius met bonitatis manifestationẽ. Clarius hãc veritatẽ expressit Plato lib. 4. de legibus: clarissime Aristot. lib.12. Metaph. cap. vltimo tex. 55. iuxta expositionẽ D. Thomæ de qua supra ar.1. optimus locus 2. lib. de Cœlo cap.12. tx.64. ei verò, quod quã optime se se habet, nõ est opus actione: est enim id gratia, cuius omnia agunt. Multis rationibus hanc veritatẽ probat D. Thomas 3. cõtra gẽt. cap.17. Alijs vtitur 1. p.q.44.ar.4. & q. 65.ar.2. & q.103.art.2. quas in re certissima referre, aut latius explicare nõ licet. Satis sit generalis ratio sumpta ex natura boni: nã si bonum quatenus bonũ est, est finis; quia quatenus bonũ est ratio finalizandi; vtiq; bonũ, quod fuerit vniuersale bonum, erit vniuersalis omnium rerum finis vltimꝰ. Nã ratio caussę finalis, cũ ex sua natura perfectionẽ dicat, nõ modo nõ erit denegãda enti sũme perfecto, sed concedẽda potius in sũmo perfectionis gradu: talis autem est ratio finis vltimi. Merito igitur D. Ambrosius Psal.118. hęc scripsit verba: *Ille, qui verus est finis, non vnius est finis, sed omnium.*

Aristot. Plato. D.Thom, Ratio conclusionis. Ambros.

2.Cõclusio.

5
Ratio D. Thom. Secunda cõclusio; si finis accipiatur ꝓ consecutione rei; nõ est vnus finis vltimꝰ hominis, & aliarũ rerũ. Hãc cõclusionẽ probat D. Thom. quia homo cõsequit Deũ cognoscendo, & amãdo; cætera verò õmnia illũ consecunt participãdo illius bonitatẽ, tũ quoad esse, tũ quoad agere. Hãc doctrinã latissime explicat D. Tho. 3. cõtra gẽt. à c.17. vsq; ad 25. quo in loco ita discurrit. Nã c.17. docet Deũ esse vltimũ finẽ rerũ õniũ. Et id magis explicãdo ostẽdit c.19. Deũ esse finẽ omniũ nõ actione efficiẽdũ, sed assequẽdũ; c.19. asserit cõmune esse õnibus creaturis, vt tũc dicant vltimũ finẽ consequi cũ diuinę bonitatis participatione Deo assimilant: creaturę enim ideo dicunt bonę, quia cõgruæ sunt ad manifestãdã diuinã naturã: eam autẽ manifestãt, cũ participant diuinũ esse, illiq; assimilantur, tanquã exemplatæ suo exemplari: quod multis ostendit c.19. Quare, sicut creaturę, dum sunt à Deo cõditę, cõditæ sunt propter Deũ; quia Deus illas cõdidit, vt in eis diuina reluceret bonitas, &

Ratio D. Thom.

Gen.1.

similitudo; ita dum appetũt aut seipsas perficere, aut propria actione alijs se cõmunicare; vtrunq; appetunt propter Deũ: quia in vtroq; nituntur Deo assimilari, vt late demonstrat D. Thom. à c. 19. vsq; ad cap. 24. Homo autem licet cũ cæteris hoc habeat cõmune, vt Deũ tanquam vltimum finem pertingat, dũ diuinam assimilationem, aut in essendo, aut in agendo participat: habet tamen quẽ dã specialẽ modum assequendi Deũ per cognitionem, & amorem; vt annotauit D. Thomas lib. 3. contra gent. cap. 25. & de veritate q. 5. ar. 6. ad 4. Ex quibus patet veritas nostræ secundę assertionis longe diuersum esse finem hominis, & aliarum rerum, si sermo sit de fine pro assecutione rei, quę est finis.

6 3. Cõclusio. *D. Thom. Valentia.* Tertia conclusio: absolute loquendo affirmandum est, non eundem esse vltimum finẽ hominis, & aliarum rerũ. Cõclusio satis est de mẽte D. Thomæ in hoc ar. 8. vt supra aduertimus, ponitur à Valentia 2. tomo disp. 1. q. 1. puncto 8. ad finem. Fundamentum ex eo sumitur, quoniam vltimus finis simpliciter sumptus idem est, quod beatitudo ex Augustino lib. 19. de ciuitate Dei cap. 1. & lib. 13. de Trinitate cap. 3. & 4. Beatitudo autem soli homini conuenit ex Augustino in præcitatis locis, & in lib. 83. quęstionum q. 5. & patet ex Aristotele 1. Ethicorum cap. 9. tex. 45. & lib. 1. Ethicorũ ad Eudemum paulo ante finem. Accedit etiã, quoniam cum absolute sermo est de fine, semper concipimus finem, qui adæquate est finis integratus ex re, & ex adeptione rei, vt annotauit Caietanus 1.2. q. 1. ar. 1. ante finem. Quare, cũ non idẽ sit adæquatus vltimus finis hominis, & aliarũ rerum; cũ adeptio vltimi finis nõ sit omnibus eadem; si simpliciter loquamur, negandum est vltimum hominis finem esse cõmunem cęteris rebus.

Fundamentũ ex Aug. *Aristot.* *Caietanus*

7 Resolutio totius articuli. *Augusti. D. Thom.* Sit igitur vltima huius articuli resolutio, in hoc distingui creaturas rationales à cæteris; quod assecutio vltimi finis est illis beatitudo: non tamen cęteris. quod ex Augustino locis citatis docuit D: Thomas in 2. d. 1. q. 2. ar. 2. ad 2. nam assecutio vltimi finis, nisi sit cum cognitione, & amore coniuncta, quies dici potest, beatitudo nõ potest. Vnde Deus inde bonus; quia habet esse modo sibi conuenientissimo: inde tamen beatus; quia illã sui esse ad se ipsum congruentiam (quam bonitatem dicimus) & cognoscit, & diligit.

8 Solutio 1. argum. Argumenta initio adducta non impugnant nostram resolutionem. Nam primum probat Deum esse vltimum finem hominum, & aliarũ rerũ: quod in prima conclusione asseruimus: Deus autem est res, quæ est finis, quæ est homini communis cum cæteris.

2. & 3. Solutio. Secundum argumentum simul cum tertio in eodem sensu explicantur: vnde solum probant communitatem in re, quę est finis: non verò in assecutione finis.

QVÆSTIO VII.

IVXTA ordinem à nobis præscriptum pręfatione ad quartam quęstionẽ huius libri; consequẽter agendum est de appetibilitate vltimi finis: Vtrum scilicet homo omnia velit propter vltimum finem? De qua quęstione agit D. Thomas in art. sexto huius primæ quæstionis. Et quoniam varia est acceptio finis vltimi, vt distincte procedamus; de singulis acceptionibus finis sigillatim inquirendum erit. Quibus duas alias quęstiones adiungemus pro cõplemento totius materiæ.

Ordo seruãdus. Primo igitur inquirendũ est; vtrũ actio humana sit propter vltimũ finem in cõmuni. Secundo; an omnis actio humana sit propter vltimum finem in particulari, quem quisq; sibi vere, vel falso constituit? Tertio; vtrum omnia appettamus propter Deum verum vltimum finem? Postremo; vtrũ actiones humanæ, vt sũt à Deo, sint propter finem vltimum?

ARTICVLVS I.

Vtrum actio humana sit propter vltimum finem in communi?

§. I.

Reiecta sententia negante probatur, quæ affirmat.

1 VLtimum finem accipi bifariam in cõmuni scilicet & in particulari: iã superius

superius aduertimus. Dicitur accipi in communi, non quasi sit vnum bonum genericum abstractum, tanquam superius ab omni particulari ratione boni; vt male explicauit supplementum Gabrielis in 4.d.49.q.1. ar. 2. in principio; sed quia est bonum quoddam summum, atque perfectum, cumulus, atque complementum omnium bonorũ, nullam rẽ determinate connotando, sed indeterminate, & in confuso. Quare dicitur finis vltimus in cõmuni, non per abstractionem à ratione speciali bonitatis: cũ potius denotet aggregationem omniũ bonitatum: sed per abstractionem á re, in qua talis bonitatis cumulus reperitur. Quare vltim' finis in particulari erit ille, qui determinate ponitur esse vltimus finis, & summum bonum. Ex quo iam patet titulus quęstionis: inquirimus enim, an actio humana sit propter vltimum finem in communi; hoc est vtrum vltimate intendat, summam omnium bonitatem, quam beatitudinem appellant.

Supplementũ Gabrielis.

2 Negatiua sẽtentia.

Partem negantem probauit Scotus in 1.d.1.q.4.§. *Ad argumenta pro opinione*, vers. *ad 2.* & in 4.dist. 49. quęst. 10.§. *Ex his sequitur.* litera N. quibus in locis agẽs de beatitudine, tam in particulari, quã in communi absolute negat voluntatẽ semper appetere, & agere propter beatitudinem. Id etiam negauit Basolius in quarto dist.49.q.6. art.3. ad finem, & Nicolaus de Nise in resolutione Theologica fol. 616. qui omnes in hoc distinguunt appetitum naturalem à libero, vt naturalis semper appetat propter suam vltimam perfectionem, non tamen voluntas libera.

Scotus. *Bassolius.* *Nicolaus de Nise.*

Primum fũdamentũ.

Quam sententiã primo confirmãt: quia non semper cogitamus de vltimo fine, quando operamur, finis autem non potest finalizare, nisi actu sit in intẽtione.

Secundum.

Deinde, potest volũtas aliquid velle, non solùm non referendo illud in vltimum finem etiam in communi; sed etiã nolendo illud in vltimum finem referre: est enim libera.

Tertium.

Tertio sequeretur nullum dari actũ iocosum: nullum item otiosum: nullum denique indifferentem: nec enim iocus datur, nec otiositas, nec indifferentia, vbi datur relatio in finem vltimum.

Hęc tamen sententia ita generaliter prolata ab alijs communi consensu reijcitur: fatentur enim omnem humanũ actum esse propter vltimum finem saltẽ in cõmuni, qui est beatitudo in cõmuni. Ita absolute D. Thom. in hoc ar. 6. & 1. p.q.60.ar.2.& in 4.d.49.q.1.ar.3. quæsti uncula 4. Conradus, & Medina, & Caietanus hìc, idem Caietanus 1.part.q. 82. ar.2. §. ad euidentiam huius ambiguitatis, Capreolus in 1.dist.1.q.3.ar.1.cõcl. 1.fol. 32.colum.3. & 4. Bonauentura in 2.dist.38.ar.1.q.1.ad 1.nu.8. Richardus ibi art. 2.q.3. Durandus quęst. 4. ex recentioribus Fonseca 2. Metaphys. cap. 2.q.1. sect. 7. ad 2. Cursus Conimbri. in Ethicis disp.2.q.3.ar.1.concl.2. Valẽtia 2.tom. disp.1.q.1.punct.5. Bellomõt. hìc disp.6.c.1.& 2. Suarius in Metaph. disp. 24.sect.2.n.14.& 15. Azorius lib.1. institut.moraliũ cap. 1. q. 6. qui ônes cõueniũt, vt ônia à nobis appetãtur propter vltimũ finẽ, beatitudinẽq; in communi.

Reijcitur. *D.Thom.* *Conradus.* *Medina.* *Caietan.* *Capreolus* *Bonauent.* *Richard9.* *Durand.* *Fonseca.* *Valentia.* *Azorius.*

4 Probaturau ctoritatib9 Aristotelis.

Quæ veritas primo ostendi potest; qa hæc est Aristotelis doctrina, vbi de vltimo fine, & felicitate sermo incidit: Nam primo Ethic.cap.primo ab hac veritate Ethicam doctrinam exorsus est inquiens: *Omnis ars, omnisque doctrina, atq; actus, itidem, & electio bonum quoddam appetere videntur.* Hanc generalem propositionem intelligendã esse de bono in cõmuni satis significat, dũ adiungit: *Qua propter bene veteres bonum ipsum id esse dixerunt, quod omnia appetunt.* Sed expressius id significauit in eodem libro cap.2. in principio: *Si igitur quispiam rerũagendarum est finis, quem nos propter se ipsum, cætera autem propter hunc volumus.* Addimus Aristotelem ibi cap.7.tex. 25. inquirens enim, quodnam sit summum bonum, quem vltimum finem, & felicitatem appellat, ita scribit: *Quid igitur vnicuique bonum est, an non id gratia cuius cætera aguntur.* Et tex.29. *Eum igitur perfectum simpliciter* (agit de vltimo fine) *Qui per se semper est, & nunquam ob aliud expetendus: talis autem finis ipsa felicitas maxime esse videtur: hanc enim propter se ipsam semper, & nunquam ob aliud quicquam expetimus: honorem enim, voluptatem, mentem, virtutem denique omnem, & propter se expetimus, & felicitatis gratia.* Primo etiam Rhetoricorum cap. 5. in principio ita ait: *Vnicuique, & priuatim, & publice finis quidã est; is verò, vt vno verbo dicam, felicitas.* Adde Aristotelem 2. Metaphysic. cap.2. tex.8.

vbi vltimum finem in communi ita diffinit: *Tale autem est, quod non est alterius gratia; sed eius gratia cætera.*

5 Cicero. Hanc esse verissimam omnium sententiam affirmat Cicero lib.1. de finibus bonorum his verbis: verissime Philosophi appellant id, propter quod omnia appetuntur. Cum illis concinit Augustinus 19. de Ciuitate Dei cap. primo inquiens: *Illud est finis boni nostri, propter quod appetenda sunt cætera: ipsum autem propter se ipsum.* Et ibi lib.4.cap.23. *Quis enim optat aliquid propter aliud, quam vt felix fiat?* Et lib. 8.cap.octauo agens de summo bono: *quo referentes omnia, quæ agimus, &c.* Et statim: *Ideo quippe & finis est dictus; quia propter hunc cætera volumus.* Optima sunt verba Augustini 13. de Trinitate cap.quinto: *Quapropter, quoniam verum est, quod omnes homines esse beati velint, idque vnum ardentissimo amore appetunt: & propter hoc cætera, quæcunque appetunt* Sed longe meliora, quæ scribit 11.de Trinitate cap.6. *Omnes istæ, atq; aliæ tales voluntates suos proprios fines habent, qui referuntur ad finem illius voluntatis, qua volumus beate viuere.* Vide illum lib.10. Confessionũ cap.20.& 21. Dionysium de diuinis nominibus cap.4. Anselmũ de casu Diaboli cap. 12. Boetium 3. de consolatione prosa 2.

Augusti. Dionysius. Anselmus Boetius.

Prima ratio. Rationibus etiam veritas hæc cõfirmari potest. Prima sumitur ex philosophia: quoniã nullus proximus finis potest mouere appetitum, nisi concurrente simul vltimo fine in communi, vt q. 8. ostẽdemus: nõ potest autem cõcurrere vltimus finis, nisi aliquo modo per actionem sit intentus. Ergo vltimus finis in omni actione intenditur.

6 Secunda. Secunda ratio: quoniam quidquid homo appetit, id appetit subratione boni Vel igitur id, quod appetit, est summum bonum: & appetitur vltimus finis. Vel est bonum imperfectũ: & appetitur vt tendens ad sui perfectionem; quod non est aliud, quam appeti propter vltimũ finẽ.

7 Tertia. Scotus. D.Thom. Tertia deniq; ratio sumitur ab alijs agentibus: nã agens naturale sua actione intendit vltimam sui perfectionẽ, vt Scotus fatetur, & late probat D. Thom. articulo 8. huius quæstionis: omnia enim naturalia agentia intendunt assimilari Deo, qui est vltimus, & supremus illorum finis. Ergo, & agens liberum in omni sua actione intendet suum vltimũ finem, atque beatitudinem.

Ex quibus euidenter patet simpliciter cõcedendum esse omnem actionem humanam esse propter vltimum finem, beatitudinemque in communi: simpliciter enim hoc asseritur ab Aristotele, Augustino, & alijs patribus: suffragantur etiam Philosophiæ principia, vt vidimus, nec vt puto, Scotus absolute eam voluit negare. Argumenta autem illius solùm probant vltimum finem nõ semper à nobis expresse appeti, quod statim concedemus; nam & quando voluntas expresse non vult actum suum referre in beatitudinem in communi, vt suam libertatem experiatur; eo ipso eã appetit, vt dicemus.

§ 2.

In quo sensu hæc sententia sit probanda.

8 Præmissum ad resolutionem. VT appareat verus sensus sententiæ affirmantis, præmittendum est multis modis actionem aliquam posse in finem referri, vt late diximus libroprimo, quæstione 16. artic. septimo vbi omnes modos ad quatuor principales reduximus; nam referri potest actio in finem, vel actu, vel virtute, vel interpretatiue, vel habitualiter. Explicandum igitur est, quonam modo omnis actio humana ad vltimum finem, siue beatitudinem in communi referatur?

1. Cõclusio. In qua difficultate inter omnes conuenit actionem humanam non semper actu, & expresse referri ad finem vltimum in communi. Conclusio ista est D. Thomæ in hoc artic.6. ad 3. & in quarta distinct.49. quæst. prima, art.3. quæstiuncula quarta ad sextã. Consentiunt omnes, quos pro affirmante parte citauimus, & in hoc sensu nobiscum consentit Scotus cum Bassolio, & Nicolao de Nise. Experientia enim satis docet nos plura velle: & appetere nihil cogitantes de beatitudine, atque fine vltimo in communi. Iam verò non datur actualis appetitio finis alicuius, nec actualis relatio actionis in illum; nisi detur actualis illius cognitio, & actualis intentio agendi propter illum.

D.Thom.

9 2. Cõclusio Secunda conclusio: Non satis probabiliter dicitur omnem actionem humanam virtute esse propter vltimum finẽ in communi in hoc sensu, quod omnis referatur in vltimum finem propter actualem

actualem aliquam volitionem illius, quæ virtute maneat in omnibus sequẽtibus actionibus. Cõclusio ista cõtrouersa est; quia plures in hoc sensu illam admiserunt docentes omnẽ actionem humanam prẽcessisse vnam, quę actualiter fuerit vltimi finis in cõmuni, quę virtute in alijs manet. Ita nõnullos sensisse refert Medina in hoc ar. 6. concl. 4. vbi tanquam probabilem eam sequitur: videtur esse D. Thomæ in eodem art. & in 4. loco citato ar. 4. ad 6. dum ait virtutẽ primæ intentionis, quę est respectu vltimi finis manere in quolibet appetitu cuiusq; rei, quantumuis de vltimo fine actu nihil cogitetur. Quod etiam docuerunt Richardus in 2. d. 38. ar. 2. q. 3. ad 3. Durandus ibi q. 4. num. 8. Caietan. in hoc ar. 6. ad 1. Scoti, Capreolus vbi supra fol. 32. col 4. §. *Ex qnibus patet*, & satis videtur expressisse D. Thomas 1. p. q. 60 ar. 2. dum ait ex voluntate naturali, qua homo vult, finem caussari omnes alias voluntates, cum homo quidquid vult, propter finem velit.

Medina. *D. Thom.* *Richardus* *Durandus* *Caietanus* *Capreolus.* *D. Thom.*

10 Hęc sententia mihi non videtur satis probabilis: & Medina vbi supra putat oppositam esse longe probabiliorem: esse certam putat Suarius in Metaphy. disp. 24. sect. 2. num. 16. late Bellomont. hic disp. 6. cap. 1. §. *Verum hic modus explicandi.* Ego subscribo: tum; quia non puto oppositam sententiam placuisse D. Thomæ, vt statim dicam. Tũ etiã, quia non facile explicabitur; quomodo omnem actionem humanam, in qua de fine vltimo nõ cogitatur, semper præcedat actualis aliqua volitio vltimi finis: hoc enim, quanuis fingendi detur licentia, tribus solùm modis potest contingere vno modo; vt dicamus ante singulas proximorum finium actuales appetitiones, in quibus de vltimo fine nõ cogitatur, semper præcessisse actualẽ aliquam volitionẽ vltimi finis. Secundo, vt dicamus in singulis annis, mensibus, diebus, aut horis primã volitiõẽ actu esse de vltimo fine.

Ratione probatur cõclusio.

Tertio denique, vt prima actio in singulis hominib⁹, cũ vsus rationis accedit, sit actualis amor vltimi finis. Duos priores dicendi modos ipsa reprobat experientia; tertium admittunt aduersarij: quod esse maxime probabile putat Medina in hoc ar. 5. concl. 3. in fine; & videtur esse D. Thom. in hoc ar. 5. ad 3. vbi ita scribit: *Virtus primæ intentionis, quæ est respectu vltimi finis manet in quolibet appetitu cuiuscunq; rei etiam si de vltimo fine actu non cogitetur.* Per actum primæ intentionis intelligunt primam cuiusque hominis actualem volitionem. Sed hæc opinio, nec videtur probabilis: nec satis esset, vt cęteræ actiones virtute illius ad vltimum finem referrentur. Vtrunque breuiter ostendamus.

Medina. *D. Thom.*

11 Quod opinio illa, nec apud Thomistas debeat esse probabilis; facile ostenditur: quonam licet communis Thomistarum cum D. Thoma existimet, vnumquenque nostrum, cum ad vsum rationis peruenit, ex præcepto teneri se in Deum conuertere: inde nullus bene inferet primam hominis actionem esse actualem amorem vltimi finis, & beatitudinis in communi: tum quia omnes Thomistæ fatentur illi præcepto satisfactum iri; si in primo actu implicite appetatur vltimus finis, v. g. si quis proponat bene viuere, vt cum D. Thoma de veritate q. 14. ar. 11. ad 1. Docet Medina cum alijs 1. 2. q. 89. a. 6. Tum secũdo; quia nullus eorum negat potuisse quemque nostrum præceptum non seruare adhęrendo alicui bono creato mortali affectu. Quę duo euidenter demonstrant non necesse esse, vt prima hominis volitio sit actualis, & formalis amor vltimi finis.

11 Prima pars minoris prę cedẽtis, probatur 1.

Secundo confirmatur; quoniam sicut in scientijs non necesse est actu progredi à primis principijs: quale est: *De quolibet vera est affirmatio, vel negatio*: ita etiam in agibilibus non est opus, vt appetitio incipiat ab actuali volitione beatitudinis, & vltimi finis in communi; ita vt primus actus sit iste: *Volo esse beatus, aut volo in omnibus bene habere, & nõ male*; Sed potest incipere ab alijs actibus terminatis ad bona particularia.

12 Secundo.

Tertio, quia fieri potest, vt tam intellectui, quam voluntati primo proponantur obiecta particularia, & non illa vniuersalia: oppositum enim sine vllo probabili fundamento asseritur. Quin potius si bene philosophamur à particularib⁹ obiectis necesse est, incipiat actio intellect⁹, & prim⁹ appetitionis motus: nã licet appetit⁹ tã naturalis, quã elicit⁹ specificet p bonũ in cõmuni,

13 Tertio.

tanquã per obiectum primũ,& adæquatum; per particularia autem bona, tanquam per obiecta secundaria: tamen in executione,& practicè non eodem ordine tendit in suum obiectum; sed prius tendit in bona particularia, quã in vniuersalia,& sub ratione vniuersali: intellectus enim via inuentionis procedit à sensibilibus, tanquam à notioribus; similiter igitur appetitus procedet primũ à bonis particularibus; siquidem hęc primo ab intellectu proponãtur, quam vniuersalia. Et quanuis non possint proponi, nec appeti, nisi sub ratione boni: tamen non opus est, vt proponantur sub ratione boni abstracta,& in cõmuni; sed sub ratione concreta,& particulari huius boni: nam & intellectus non primo intelligit ens sub ratione abstracta entis, sed sub ratione concreta in hoc particulari ente, vt cum Caietano diximus in lib 1. Physic. Quare fieri potest, vt in primo instanti vsus rationis voluntati primo proponãtur aliqua bona particularia,& per se amabilia; cur volũtas illa non appetet sub propria illorum bonitate? Etenim sicut ex parte intellectus nihil est, quod eum necessitet ad primò intelligendum bonũ in cõmuni; sed potest intelligere quodcunq; aliud obiectũ sibi propositum: ita ex parte volũtatis nihil datur, cur illi necessaria sit prima appetitio,& intentio beatitudinis in cõmuni: nec enim cum probabilitate dici potest illam generalem appetitionẽ boni summi in cõmuni esse necessariam, vt voluntas velit bona particularia: cum propria illorum amabilitas sit sufficiẽs ratio, vt voluntas in ea tendat.

Caietan.

Si verò dicas hanc necessitatem non prouenire ex parte intellectus, aut voluntatis; sed ex parte diuinæ gubernationis: cum enim Deus suo præcepto obligauerit quenquam nostrũ, vt in primo voluntatis actu se, aut explicite, aut implicite in Deum conuertat, vt docet communis Thomistarum cum *D.* Thoma 1.2. b.89.ar.6. nec Deus desit in necessarijs; ipse à sua lege obligatur ita circa singulos homines res disponere, vt vltimus finis in cõmuni sit primũ obiectum intellectui occurrens voluntati propositũ. Sed cũ tale præceptum non plurimum habeat probabilitatis; quin potius nimium includat rigoris; non videtur admittendũ. Vnde non est, quod necessitatẽ proponendi tale obiectũ sua mam[9] ex diuina gubernatione: vt omittamus naturaliter fieri non posse, vt vltimus finis sub illa abstractione primũ offeratur intellectui, qui immediate nõ mouetur, nisi à sensibilibus. Ex quibus patet nõ satis esse probabile primã hominis volitionẽ esse vltimi finis in communi.

D.Thom.

14 Posterior pars minoris probatur.

Quod verò nec talis prima actio (si admitteret) satis esset, vt cęterę ônes actiones in illius virtute ad vltimũ finem referrẽtur; late probat Bellomôt. in d. disp.6.cap.1. in secũda impugnatione. Et facile probari potest, si ea, quæ diximus lib.1.q.16.ar.7. de relatione virtuali, diligentius expendant: voluntas enim finis non dicitur manere, nisi manente aliqua volitione medij finalizata ab eodem fine: quia virtus caussæ non dicit manere, nisi in suo effectu: effectus autẽ volitionis finis est volitio medij actu applicati ex actuali finis volitione. Op[9] est igitur, vt volũtas finis aliquo modo connectatur cum sequentibus operib[9], actionibus, & volitionibus successiua quadã connexione; ita vt volitio huius medij à fine actu caussata causset volitionẽ secũdi medij,& sic cõsequẽter: vbi autẽ hæc mediorũ cõnexio cum actuali volitione finis interrupta fuerit; interrũpatur necesse est virtus volitionis finis: de quo late in d.ar.7. §. 2. Dici autẽ non potest cum probabilitate primãvolitionẽ beatitudinis in cõmuni, quã in primo instanti vsus rationis habuimus (si tamen eam habuimus) hac cõnexione per medios effect[9], mediasq; volitiones vsq; ad finẽ vitę cõnexã esse. Quare volitionem illam (etiam si admittatur) non satis esse, vt cæterę omnes vsque ad vltimum vitæ spiritum consequentes in illius virtute in vltimum finem referantur; probant D. Bonauentura in 2. dist. 41.art.1.quæst.3.ad finem num. 32. Richardus ibi art.1.q.2. cum omnibus recentioribus, inter quos Bellomontanus vbi supra,& disp.32. cap.2.& dispu. 75.cap.2.nu.4.

Bonauent. *Richard9.*

15 1.Obiectio

Contra hanc resolutionem duo obijci possunt. Primum: quoniã media circa fines particulares appeti non possunt, nisi finis ipse particularis actu prius appetatur. Ergo nec fines interme-

termedij appeti poterunt, nisi vltimus finis aliquando fuerit actualiter appetitus. Alterum est: quoniam fieri non potest, vt quis conclusionibus assentiatur, nisi principijs actu prius fuerit assentitus. Ergo fieri etiã nequit, vt quis finibus intermedijs consentiat, nisi vltimo fini actu priùs consenserit: nam ex Aristotele sicut se habent principia ad cõclusiones; ita finis ad intermedia.

Secunda.

16 Occurritur primę.

Hæc facilè dissoluuntur. Ad primum respondetur ex finibus particularibus cuiusque seriei non posse sumi argumẽtum ad vltimum finem: ratio discriminis est; quia vltimus finis in vnaquaque serie est primum, quod actu mouet in illa serie; & subinde actu finalizat omnia illius media: quod facere non potest, nisi actu & cognoscatur, & appetatur. At vltimus finis in communi non finalizat actu, sed solum virtute modo explicando in vltima quæstione art. vltimo: quam virtualem caussalitatem exercere potest, quanuis actu nunquam fuerit in se ipso intentus, vt patebit ex sequenti conclusione.

17 Satisfit 2.

Ad secundum admittendum est antecedens de principijs primis cuiusq; scientiæ: secus de principijs vniuersalissimis omnium scientiarum: ratio differentiæ in eo est posita; quoniam prima principia cuiusque scientiæ actu, & formaliter ingrediuntur primã demõstrationem scientiæ: vnde non possunt non cognosci in se ipsis. Porro prima principia vniuersalissima, & omnibus scientijs communia nullius particularis scientiæ demonstrationẽ saltẽ ostẽsiuam formaliter, & in actu, vt vocant, signato ingrediuntur, sed virtute duntaxat, vt cum Aristotele in 1. Posteriorum c.8. docent Logici.

Arist.

18 Tertia conclusio.

Tertia conclusio: omnis actus humanus refertur in vltimum finem, beatitudinemque in communi saltem referibilitate interpretatiua; quam plerique; vocant virtualem virtute operis non operantis. Hæc conclusio est de mente omnium, eam docuit Durandus in 2. d. 39. q. 4. n. 5. satis est de mente D. Thomæ in hoc ar. 5. si prima illius ratio diligẽtius expendatur, & in 4. loco citato ad 6; tãgitur à Medina in hoc ar. 5. concl. 4. ad finem, & à Suario in Metaphy. disp. 24. sect. 2. n. 15. & satis eam expressit Fonseca in 2. Metaphy. c. 2. q. 1. sect. 7. ad 2.

Durandus
D. Thom.
Medina.
Fonseca.

Notandum ad probationem conclusionis.

Pro illius explicatione breuiter repetenda sunt, quæ lib. 1. q. 16. ar. 7. §. 3. diximus de relatione, intentioneque interpretatiua, prout distinguitur ab actuali, virtuali, & habituali: hæc enim est alicuius finis, qui non fuit actu in se ipso volitus, sed solum in alio; qui ipse ex sua natura refertur in finem, qui interpretatiuè dicitur intendi. Exemplis res fiet clarior. Petrus largitus est eleemosynam pauperi ex affectu misericordiæ: dicitur interpretatiuè eleemosynam referre in Deum, quem nec actu, nec virtute intendit, ex eo precisè, quia eleemosyna ex sua natura referibilis est in Deum finem vltimum: ex hoc enim interpretamur hanc fuisse illius voluntatem; quia re vera hoc ipsum intenderet, si de hoc aduerteretur. Eàdem ratione siquis in medio foro iaculatus recreationis gratia occidit hominem: homicidium nec actu, nec virtute voluit; quia nunquam de illo cogitauit: voluit tamen illud interpretatiuè nõ in se, sed in ipsa iaculatione in tali loco: quia dũ illam vult cum probabili periculo homicidij: interpretamur eum voluntatẽ habuisse occidendi.

Dicimus igitur eum, qui humano more propter aliquod particulare bonum operatur; quanuis nec actu, nec virtute illam actionem referat in vltimum finẽ in communi: bene tamen eam referre interpretatiua quadam intẽtione; quatenus illud particulare bonum ex sua natura respicit finem vltimum, & beatitudinem in cõmuni: nõ tanquam medium ex sua natura institutum, & ordinatum ad consecutionem finis in communi: sed vt quoddam bonum imperfectum, & inchoatum, quod ex sua natura appetit suam perfectionem, & consummationem.

19

Et vt hoc melius intelligatur, aduerto, opus, quod operans actu intendit, duobus modis referri posse in vltimum finem: vno modo tanquam medium accommodatum ad finem consequendũ; altero modo tanquam particulã quandam, & quandam inchoationem vltimi finis. Priori modo refertur eleemosyna & quodcunque aliud opus virtutis: quia quodlibet illorum accommodatum est ad consequendum vltimum finem. Po-

fleriori modo refertur quodlibet bonum, quod ex sua natura non est summum, sed particulare, & incompletum: nam ex D. Thoma in hoc ar. 6. hæc est natura cuiuscunque boni imperfecti, vt tendat ad perfectum: inchoatio enim perfectionis naturaliter ordinatur ad sui perfectionẽ. Priori modo non quodcunque bonum refertur in vltimum finem in particulari: nam peccata nõ ita referuntur, vt dicemus in sequenti ar. cum tamen posteriori modo quodcũq; bonum referatur ad vltimum finem in communi. Igitur in hoc sensu nostram statuimus cõclusionem, vt omnis actus humanus referatur in vltimum finem in communi referibilitate interpretatiua non quidem medij ad consecutionem finis: sed boni inchoati, & imperfecti, quod appetit consummari.

D.Thom.

20 Conclusionis demonstratio.

His ita præmissis iam facilè est conclusionem demonstrare: nã omnis actio humana est propter aliquod bonum sub ratione boni. Vel igitur est sub ratione boni in communi: & habetur intentum; vel est sub ratione boni particularis: & tunc interpretatiuè appetitur bonum in communi; quatenus quodlibet bonũ particulare, & imperfectum ex sua natura est propter sui ipsius consũmationem, quæ est formalis ratio boni in cõmuni: vnusquisque enim, dum intendit perfici hoc particulari bono; ideo id intendit: quia intendit consummari omni bono.

Ex qua demonstratione colliges cõclusionem propositam non solum esse veram in actionibus studiosis; sed etiã in actionibus prauis: nam hæ etiam terminantur ad aliquod bonum. Quin potius vera est in ijs, qui vitam sibi volunt adimere: omnes enim hi in bonum feruntur sub aliqua beatitudinis conditione: illi quidem; vt appetitum satient boni concupiti possessione: hi verò; vt à præsentibus miserijs liberentur, quæ est quædam beatitudinis conditio. Imò siqui fuerint, qui beatitudinem in communi ea intentione respuant, vt suã experiantur libertatem; ij appetunt aliquam beatitudinis particulam; bonum scilicet libertatis, quo satiari volunt. Ita fit, vt nolendo beatitudinem; eam virtute, & interpretatiuè velint.

21 Verissima est igitur communis sententia omnem actum humanũ esse propter vltimum finem in communi. Hanc veritatem argumenta Scoti non impugnant. Non primum, quia licet non semper, dum operamur actu, aut virtute cogitemus de vltimo fine in communi: de illo tamen semper cogitamus saltẽ interpretatiuè, vt habet tertia conclusio; finis autem, quanuis actu non possit finalizare, nisi quando actu concipitur; virtute tamen, & interpretatiuè finalizat actu non conceptus.

Responsio ad primum Scoti initio propositũ.

22 Ad 2. Ad secundum facilis esset solutio, si cum Thomistis negaremus posse volũtatem pro sua libertate nolle vltimum finem in communi: nam ex Augustino nullus non vult esse beatus: sed nec argumentum vim habet, etiamsi id Scoto admittatur: nam, vt diximus ad finem conclusionis tertiæ, ille, qui ita nollet beatitudinem in communi; virtute eam vellet.

Augusti.

23 Ad tertium Ad tertium neganda est sequela cum D. Thoma in hoc ar. 6. ad 1. nam tres illi actus, qui obijciuntur, finem habent intrinsecum aliquod bonum, quod agẽs in illis quærit; actiones enim ludricæ, & iocosæ ordinantur in bonum ludentis, quatenus habent adiunctam aliquã delectationem ex D. Thoma vbi supra, & 3. contra Gentes c. 2. ad finem, & cap. 25. in sexta ratione, & 2. 2. q. 168. ar. 2. ad finem. Idem dicendum est de actu indifferenti ex obiecto: in eo enim etiam aliquod bonum quæritur. Quod non impedit, quominus dici possint otiosi, & moraliter mali: quoniam actus non dicuntur otiosi, quod careant aliquo fine, aliquovè bono, propter quod immediatè fiant: sed quod careant aliquo fine extrinseco, pio, & honesto, ad quem referantur: vt ex D. Gregorio docet D. Thomas in 2. d. 40. q. 1. ar. 5. ad 8. & in 4. d. 9. quæst. 1. quæstiuncula secunda ad 3. Otiositas igitur actionis posita est in carentia finis non in communi, sed in particulari; in quem proprius finis intrinsecus, natura ita instituente, referri debet.

D.Thom.

D.Gregor.

ARTICVLVS II.

Vtrùm omnis actio humana sit propter vltimum finem in particulari?

§. 1.

§. 1.

Refertur affirmatiua opinio.

1

EGimus de fine vltimo in communi: agendum nunc est de eodem in particulari. De quo duobus modis agi potest: vno modo abstrahendo à vero, vel existimato; altero modo agendo de solo vero, qui est Deus optimus, & maximus. Hoc posteriori modo agemus de vltimo fine in sequenti art. nunc de eo agimus priori modo. Inquirimus igitur, an omnia appetam' propter vltimum finem, quem in particulari nobis constituimus? v. g. an fidelis omnia appetat propter Deum? Infidelis verò propter idolum?

2 Affirmatiua sententia.

Partem affimantẽ plerisque placuisse nonnulli referunt; nec desunt, qui eã tribuant illis Theologis, qui putant omnia opera infidelium esse peccata mortalia: quod plures asseruisse testãtur Richardus in 2. d. 41. ar. 1. q. 3. probarunt Gregorius in 2. d. 38. q. 1. & Reuerendissimus Episcopus Conimbricensis dominus Gaspar Cassalius nostræ Eremitanæ religionis decus lib. 1. de quadripartita iustitia à c. 21. vsque ad 27. Volunt igitur Theologos istos ex eo capite docuisse omnia infidelium opera esse peccata mortalia, quia omnia ex infidelitate procedebant. Et verè hanc sentẽtiam probassent; si ex illo cap. omnia infidelium opera damnassent: nec enim ex infidelitate illorum opera nasci poterant, nisi quia omnia in falsum Deum ab infidelibus referuntur. At tamen citati Theologi nihil minus voluerunt, quam ex illo capite infideliũ opera dãnare, quod alibi ostendimus. Sed quicquid de hoc sit pars illa affirmans nonnullis argumentis confirmatur.

Richard. *Gregor.* *Cassalius.*

3 Primum argum. *Arist.* *Cicero.* *Dionys.* *August.* *Boetius.* *Anselmus.* *D. Thom.*

Primò; Auctoritate Aristotelis 1. Ethic. c. 1. 2. & 7. & 1. Rhetoricorum c. 5. in principio, & Ciceronis lib. 1. & 2. de finibus bonorum, Dionysij de diuinis nominibus c. 4. Augustini lib. 19. de Ciuitate c. 1. & alijs in locis sæpe citatis Boetij libr. 3. de consolatione prosa 2. Denique Anselmi de casu Diaboli c. 12. Qui omnes docent omnia fieri propter finem vltimum. Quod etiam simpliciter docuit D. Thomas in hoc ar. 6.

4 Secundum.

Secundò; quilibet homo habet vnum vltimum finem suarum actionum ex ar. præcedente. Ergo quilibet homo omnia agit propter vltimum finem. Patet consequentia: quia de ratione vltimi finis est, vt cætera omnia propter ipsum appetantur, & fiant, vt sæpe docuimus ex Aristotele 2. Metaph. c. 2. tex. 8. *Aristot.*

5 Tertium. *Arist.*

Tertiò; in causis essentialiter subordinatis nulla potest causare, nisi prima simul concurrente ex Aristotele 2. Metaph. c. 2. tex. 6. & lib. 8. Physicorum c. 5. & diximus supra q. 4. ar. 1. Sed nullus est finis proximus, qui vltimo fini non sit essẽtialiter subordinatus, vt ibi dixim' §. 3. Ergo necesse est, vt vltimus finis ad omnem actionem humanam cõcurrat. Non potest autem concurrere, nisi homo propter illum agat: concursus enim finalis in hoc est positus, vt aliquid fiat finis gratia. Ergo in omni actione homo agit propter vltimum finem.

Confirmatur. Confirmatur; quia eodẽ modo se habet vltimus finis ad causalitatem finalem cuiuscunque finis proximi; quomodò se habet primum agens ad omnem actionem agẽtis secundi. Ergo vltimus finis actu etiam concurret ad omnem causalitatem finis proximi. Quod erit falsum, nisi homo omnia agat propter finem vltimum.

6 Quartum.

Quartò; omnis humana actio est propter vltimum finem in communi, vt patet ex præcedente ar. Ergo omnis actio humana erit propter vltimum finem in particulari. Probatur cõsequẽtia, quoniam ratio vltimi finis in communi reperitur in vltimo fine in particulari.

§. 2.

Refertur opinio negans.

7 Pars negãs, *Scotus.*

PArtem tamen negantem absolutè plerique probauerunt: Scotus sc. in 1. d. 1. q. 4. §. *Ad argumenta pro opinione.* Et in 4. d. 49. q. 10. litera N: quibus in locis absolutè negat voluntatẽ semper appetere vltimum finem, beatitudinemque in particulari. Id ipsum probat Bassolius in 4. d. 49. q. 6. ar. 3. ad finẽ. Probat eandem Bellomõtanus hìc disp. 6. cap. 3. *Bassolius.*

8 Probatur 1.

Hæc sententia his rationibus confirmari potest; primò: quia non semper cogitamus de vltimo fine in particulari, vt patet experientia. Ergo non omnia agimus propter vltimum finem in particulari.

ticulari. Probatur consequentia; quia finis non finalizat, nisi cognitus.

Secundò. Secũdò, quia potest voluntas aliquid velle non solum non referendo illud in vltimum finem in particulari; sed etiã nollendo illud referre, vt patet ex libertate voluntatis.

3. Tertiò; si omnes referrentur in vltimum finem nullus daretur actus iocosus: nullus ociosus, nullus denique indifferens contra experientiam, & cõmunem doctrinam. Sequela patet; quoniã actus iocosus, si referatur in vltimum finem, desinit esse iocosus: desinit etiam

4. esse ociosus, & indifferens.

Quartò; sequeretur omnia opera infidelium esse peccata mortalia vitij infidilitatis: referrentur enim ad Deum falsum. Similiter opera fidelis existentis in peccato mortali essent peccata: fierent enim propter creaturam, cui tãquam vltimo fini adhæret: consequens tamen de fideli nullus dixit: de infideli vero nullus bene dixit.

Confirmatur. Confirmatur; quoniã sequeretur iustum in omnibus operibus mereri: omnia enim ageret propter Deum summe dilectum. Consequẽs tamen non omnes admittunt.

5. Quintò; quia iustus venialiter peccans non operatur propter vltimum finem, quem sibi cõstituit: nec enim opera venialia in Deum possunt referri.

Vltimò. Postremò; si homo omnia appeteret propter vltimum finem; ille suo influxu cõcurreret ad omnem actionem, quod non videtur concedendum.

§. 3.
Resolutio Quæstionis.

9 NEutra harum opinionum est absolutè vera: sed opus est distinctione; quoniam vel sermo est de relatione ex parte operantis: vel ex parte operis, finisque proximè intenti.

Prima conclusio. Sit prima conclusio: non est necesse, vt actio humana ex parte operantis sẽper actu referatur in vltimũ finem, quẽ operans sibi præfiniuit, siue verus ille sit, siue falsus. Hęc nota est experientia: plura enim quotidie deliberatè agimus nihil de Deo cogitantes: nec infidelis semper cogitat de idolo: nec peccator de fine vltimo creato, cui adhæret. Nec solum non operãtur omnes propter vltimum finem, quem aut verè, aut falso sibi constituerunt: sed plerique bene intelligunt se contra illum agere, vt patet in illis, qui peccant ex malitia, siue fideles sint, siue infideles.

10 2. Conclus. Secunda conclusio: nec similiter necesse est, vt omnis actio humana ab operante virtute referatur in suum vltimũ finem in particulari: virtute inquam, hoc est in virtute alicui⁹ actualis actionis, qua voluit omnia in vltimum finem referre. Quare nec omnes actiones hominis fidelis virtute referuntur in Deũ verum: nec actiones idolatræ in suum idolum. Hæc neminem habet contradictorem in terminis, in quibus proponitur: nam licet quidam existiment omnem actionem humanam, actu, vel virtute esse propter vltimum finem in cõmuni: nullus tamen (quem viderim) hoc asseruit de fine vltimo in particulari: nec enim probabilis est opinio, quod prima actio hominis totius vitę debeat expresse, & formaliter in Deum terminari. Qua suppositа opinione, conclusio Probatur 1. euidenter demõstratur in prima actione, quam quisque habuit in primo vsu rationis: hæc enim non necessariò formaliter terminatur in Deum; sed satis est, si terminetur implicitè; ita vt primus actus sit *volo bene viuere*; iste enim actus expresse non terminatur in Deũ: nec etiam in virtute alicuius præcedẽtis actus: quia nullum habuit priorem, in cuius virtute referatur.

11 Secundo. Idem de cæteris omnibus actionibus dicendum erit, nec enim cum probabilitate affirmari potest omnes actiones in quolibet homine habuisse vnam omnibus priorem terminatam ad finem vltimum in particulari, in cuius virtute in eundem referantur; & quanuis illa præcesserit: non erit sufficiens, vt in sua virtute referantur cæteræ, vt in præcedente ar. concl. 2. latè diximus.

12 Tertio. Tertiò ex eo euidẽter probatur: quia sequeretur opera infidelium, quantumcunq; ex genere bona sint, semper prouenire ex infidelitate: quia omnia in virtute illius actionis, qua idolum in Deũ sibi elegit, in idolum tenderent. Consequens tamen, vt puto, nullus admisit: nã etsi plerique putent omnia infidelium opera esse peccata: non tamen affirmãt

ea

ea procedere ex infidelitate: nec enim infidelis ex infidelitatis errore semper perstituit finem in suis actionibus, ex D. Thoma 2.2.q.10. art.4. & in 2. d. 41. q.1.art.2.ad 4.& 5.

D.Thom.

4. Quartò, id ostenditur ex actionibus mortaliter, aut venialiter malis: hæ enim, nec actu, nec virtute ab operante in vltimum finem relatę fuerunt. Et has duas primas conclusiones solum probant argumenta partis negantis.

13 Tertia conclusio. Tertia conclusio: Nec similiter est necesse, vt omnes actiones humanæ referibilitate operis referantur in vltimum finem, quem sibi quisque, vel verè vel falsò constituit. Hęc facilè patet in actionibus moraliter bonis: quanuis enim hę actiones in homine fideli referibilitate operis referantur in Deum vltimum finem verum, vt patebit ex sequenti ar. tamen in homine infideli hãc referibilitatem non habent: quia opus illud ex sua natura, non habet referibilitatem, nisi in vltimum finem, à quo entitatem, & bonitatem participat: quam tamen non participat ab idolo, sed à solo vero Deo. Actiones igitur moraliter bonæ in homine infideli nec ex parte operantis, nec ex parte operis necessariò referuntur in idolum: secus dicẽdum est, si fiant ab homine fideli: quanuis enim ab operante non semper referantur in vltimum finem: semper tamẽ referuntur ex parte operis, vt est communis doctrina Theologorum ita explicanda in 2. d. 38. vbi Magister cum D. Thoma q.1.art.1.& 2. D.Bonauentura, & Richardo art.1. q.3. Ægidio q.1.art. 2.& 3. Durando q.4. Soto 1. de natura, & gratia c.20. Fonseca 5. Metaphy. c.2.q. 12.sect.6. Patet etiã conclusio in actionibus moraliter malis, quæ siue in homine fideli, siue in infideli ex parte operantis referuntur in vltimum finem lõgè diuersum, tum à vero Deo, tum ab idolo: cum referantur ad bona creata, quibus peccator vltimatè adhęret.

Probatur.

Magister.
D.Thom.
D. Bonau.
Richard.
Ægid.
Durandus.
Sot.
Fonseca.

14 Dubitatio. Vtrum verò detur vnus finis omniũ malarum voluntatum? Alij negant, vt Richardus, Bonauẽtura, Ægidius, & Durandus. Alij affirmant, vt Magister, & Fonseca. Sed conciliari possunt, si dicamus non dari vnum finem simplicem, ad quẽ omnes malæ actiones ratione operis referantur; bene tamen dari vnum finem ex pluribus partialibus aggregatum. Prior pars est nota: quia non datur vnum malum, quod sit causa omnis mali, vt contra Manichæos fides docet. Posterior pars ex eo est euidens; quia singulæ actiones prauæ vltimo terminantur ad singula bona creata, tanquam ad partiales fines vltimos; quorum aggregatio est vnus vltimus finis totalis peccatoris. De quo plura diximus supra q. 5. art. 3.

Diuersæ sẽtentiæ. Concilientur.

§. 4.

Soluuntur argumenta partis affirmantis.

EX dictis patet veram esse opinionem negantem, si explicetur, vt à nobis est explicata. Nec obstant, quæ pro parte affirmante in contrariũ adduximus. Ad primum dicimus Aristotelem, & patres intelligendos esse de vltimo fine in communi. Quod facilè quisque intelliget, si legerit, quæ ex illis adduxim' in præcedẽte articulo. Quod verò D. Thomas ita sit intelligendus, affirmant omnes illius interpretes, Caietanus, Conradus, Medina, & alij. 15

Soluitur 1. argum.

Caiet.
Conrad.
Medina.

Ad secundum negamus consequentiam: ad probationem dicimus non esse de ratione vltimi finis, quod cætera omnia propter illum semper actualiter appetantur: sed quod propter illum ab operante sint expetibilia, siue sine errore, vt cum finis vltimus est summum bonum: vel cum errore; vt cum solum existimatione est tale. Nec est intẽtio Aristotelis, quod omnia ex sua natura sint referibilia in quemcunque vltimum finem; sed in illum, qui vere est vltimus. Et præterea intelligendus est, quandiu vltimus finis supponitur, & amatur, vt vltimus: nam siquis vltimum finem contemnit, & ad alterum conuertitur; iam prior non est illi vltimus finis, sed posterior. Itaque quandiu aliquod bonum existimatur, & habetur, vt vltimus finis: quicquid ab operante appeti potest ad illud ab eodem est referibile. 16

Solutio secundi.

Ad tertium admittimus in omnibus finibus essentialiter subordinatis; siue ex intentione agẽtis, siue ex natura rei subordinentur; vltimum finem concurrere cum cæteris proximis, vt patebit ex sequente quæstione: negamus tamen essentialem subordinationẽ dari in ordine 17

Solutio tertij.

dine ad quencunque finem: nam quanuis ex intentione operantis quicunque finis essentialiter subalternari possit vltimo fini falso: quia potest infidelis omnes suas actiones actu dirigere in idolum: tamen à parte rei non datur essentialis subordinatio, nisi in ordine ad finem vltimum in communi, & ad finem vltimum in particulari, qui sit verus, vt ex sequente articulo patebit. Vterque autem verè concurrit cum omnibus finibus proximis modo explicando in sequente quæstione. Quare finis falsus, quem infidelis sibi proponit, non concurrit cum omnibus finibus proximis ab infideli concupitis; nisi quando ipse infidelis eos actu subalternat ad idolũ: alias concurrere non potest; quia cum illis nullam habet ex natura rei essentialem subalternationem.

18 Solutio cõfirmationis

Ad confirmationẽ neganda est maior, si intelligatur de quocunque fine vltimo vero, vel existimato: ratio est, quia omnia agentia secunda ex sua natura essentialiter subalternantur primo agẽti: at tamen non omnis finis proximus ita subalternatur cuicunque fini vltimo: nec enim datur subalternatio ad finem falsum. Porro, si maior intelligatur de vltimo fine vero, adhuc non recipitur ab omnibus; quoniam fines proximi moraliter mali non essentialiter subalternantur Deo vltimo fini vero: cum tamen omnia agentia secunda in agendo essentialiter subalternentur primo agenti. Nos tamen in illo sensu maiorẽ admittimus: putamus enim Deum vltimum finem ad omnem actionem humanam, etiam malam finaliter concurrere, vt explicabimus in sequenti articul. Cum verò in hoc articulo abstrahamꝰ ab vltimo fine vero, vel existimato: in quo sensu non omnia ad quencunque finem vltimũ referuntur, non mirum est, si non quicunque finis vltimus, concurrat ad omnes actiones illius, qui illum pro vltimo fine habet.

19 Solutio vltimi.

Ad postremum concedendum est antecedens in sensu explicato in præcedẽte ar. & negãda est consequentia: dispar enim ratio reperitur in vtroque fine: nam vltimus finis in communi est formalis ratio boni, qua omnia appetuntur, etiam, quæ apparenter sunt bona: ab omni enim bono formaliter participatur: non sic res habet in omni vltimo fine in particulari.

ARTICVLVS III.

Vtrum omnia appetantur propter Deum verum finem vltimum?

EX dictis constat non omnia appeti propter vltimum finem, qui falso existimatur vltimus: inquirendum est, an aliquo modo dici possit omnia à nobis appeti propter Deum verũ hominis vltimum finem. Res est controuersa. Quidam partem affirmantem probant, vt Medina in hoc ar. 6. concl. 5. quem plures recentiorum sequuntur, satis insinuat Valentia 2. tomo disp. 1. q. 1. puncto 5. in fine: qui omnes volunt cuncta, quæ vult homo, velle propter Deum; etiam dum peccat: nam etiã tũc operatur propter Deum, vt est bonum quoddam vniuersale. Pro qua sententia citant D. Thomam in 4. d. 49. q. 1. art. 3. & de veritate q. 22. ar. 2. & 1. Ethicorũ lectione 1. & 3. contra Gentes à c. 17. cũ sequentibus: & hanc sententiam nõnullis confirmant argumentis.

1 Affirmatiua sententia. *Medina. Valentia.* *D. Thom.*

Sententiam tamen negantem aliqui ex nouioribus amplectuntur, si sermo fit de actibus hominis, prout procedũt ex directione hominis. Hanc sententiã probat Bellomontanus hoc loco disp. 6. c. 3. §. *Ego vero quanuis admittam*, cum quibusdam ex recentioribus. Totum fundamentum sumitur ex actionibus peccaminosis: quia durum satis est, & offẽsiuum piarum aurium dicere latronem dum furatur: propter Deum furari; & adulterum adulterari propter Deum: nam quanuis inficiari non possimus (inquiunt) hominem aliquando zelo falso ex ignorantia profecto peccare eo fine vt placeat Deo, vel religionẽ eius tueatur, prout ipse existimat: tamen cum aliquis peccat, nec vllo zelo pietatis erga Deum ducitur ad peccandum; nunquã dicemus eum peccare, aut velle peccare propter Deum: velle enim facere aliquid propter Deum solum dicimus; vel, cum quis actu cogitans de Deo aliqua voluntate erga eum ducitur ad peccãdum, vt in casu proposito: vel quando facit aliquid, quod re vera placet Deo: id vero, quod Deo displicet; quis dicet fieri

2 Pars negatiua. Fundamentum.

fieri propter Deum? Hæc est horum auctorum sententia, hoc fundamentum.

3 Vtraque sẽtentia conciliatur.

Ego tamen hasce opiniones cõciliari posse semper existimaui: vt affirmãs vera sit de Deo, prout est finis vltimus cõmunis homini cũ omnib⁹ creaturis: negans verò; de Deo, vt speciali quodam modo est vltimus finis hominis. Pro cuius explicatione aduertendũ est Deum, quãuis sub ratione sũmi boni sit finis vltimus rerũ creatarum (Deus enim omnia creauit propter se metipsũ. i. propter suã bonitatem Prouerb. 16.) non tamen eodẽ modo nec sub eadem ratione bonitatis esse omniũ rerũ vltimũ finem: quia speciali modo est finis vltim⁹ creaturæ rationalis: quod elegantissimè aduertit D. Thom. de Verit. q. 5. ar. 6. ad 4. & 3. cõtra Gent. c. 25. Ex quo idem diximus supra q. 6. ar. 7. in 2. cõclusione. Duplex igitur ratio bonitatis distingui debet in bonitate diuina: vna, qua est entitatiue participabilis, tanquam bonũ quoddam ideale, & exemplare. Altera; qua est participabilis obiectiuè, vt bonum quoddã beatificans. Sub priori ratione est vltimus finis assequendus per assimilationẽ entitatiuã ad diuinã bonitatem: idq; per aliquam diuinæ bonitatis participationẽ. Sub posteriori verò est vltimus finis acquirẽdus per cognitionẽ, & amorẽ: ita colliges ex D. Thoma in locis immediatè citatis, & in 4. d. 49. q. 1. ar. 3. quæstiũc. 4. ad 2: vbi hoc discrimẽ videtur ponere inter vnũ, & alterum finẽ: quia hoc posteriori modo intẽditur per mediũ, quo per modũ meriti Deus acquiritur: nõ tã modo priori.

Præmissum ad explicationẽ illius.

Prou. 16.

D. Thom.

D. Thom.

4 Prima conclusio.

His suppositis statuimus duas cõclusiones, quibus sententiæ oppositæ, quas citauimus, conciliantur. Sit prima conclusio: non est necesse, vt omnia, quæ ab homine appetuntur, semper explicitè, vel implicite appetantur propter Deũ, vt speciali modo est vltimus finis hominis possidẽdus per cognitionẽ, & amorem. Satis significatur à D. Thoma tum in hoc ar. 6. tum in 4. d. 49. q. 1. ar. 3. fere per omnes quæstiunculas: hoc enim discrimẽ ponit inter vltimũ finem in cõmuni, & in particulari; quod vltimus finis in cõmuni semper appetitur ab homine, etiam dum peccat: non tamen vltim⁹ finis in particulari: quia iste à peccante non appetitur. Quod intelligendum est de Deo vltimo fine, prout est beatificatiuus hominis: nam sub alia cõsideratione etiã à peccante appetitur, vt ex D. Thoma statim dicemus.

D. Thom.

Probatur etiã conclusio ex actionib⁹ peccaminosis: hæ enim, nec ex parte operãtis, nec ex parte operis, vt sũt à peccante vllo modo referri possunt in Deũ finem beatificatiuum: tantum enim abest, vt fiant, tanquam merita assecutiua Dei, vt potius auertant ab ipso Deo. Et in hoc sensu verissima est sententia, quę negat: nec in eo habet affirmantem sibi oppositam.

5 Probatur.

Secunda conclusio: necesse est, vt omnia ab homine, aut explicitè, aut implicitè appetantur propter Deum, vt est vltimus finis communis homini cum cęteris rebus, assequendus per entitatiuã assimilationem, & imitationem diuinæ bonitatis, vt est idea, & exemplar rerũ omnium. In quo sensu vera est prima opinio, & in eodem à suis auctoribus intelligitur, vt facilè patet ex fundamentis, quibus eam confirmant. Hæc assertio satis est de mente D. Thomæ, dũ generaliter docet omnem creaturam in suis actionibus Deum appetere, vt patet de veritate q. 22. ar. 2. & lib. 3. contra Gentes c. 17. 18. & 19. de peccatore id specialiter affirmat in 4. d. 49. q. 1. ar. 3. quæstiuncula 4. ad 2. & 3: omnis enim peccans in sua actione appetit Deo assimilari, eumque imitari, vt ibi ex Augustino lib. 2. Confessionum D. Thomas affirmat: cum verò finis vltimus rerum omnium, quatenus sunt quidam Dei effectus, sit assimilari Deo, vt est bonum quoddam ideale, & vniuersale in participando, vt docet D. Thomas in locis citatis, & 1. p. q. 6. ar. 1. & q. 44. ar. 4. non est, quod in hac veritate probanda immoremur.

6 Secunda cõclusio.

D. Thom.

Augusti.

D. Thom.

Illud tamen aduerto; non esse simpliciter asserendum peccatorem peccare propter Deum; seu potius peccando agere propter Deum: quia iste loquendi modus ex communi acceptione denotat id, quod fit; amore Dei fieri: quod lõge est à mente nostræ assertionis. Hoc tamen non tollit, quominus recte dici possit, peccatorem peccando Dei assimilationem intendere saltem implicitè & propter illam operari. Quare sensus nostræ assertionis verus est: modus loquendi,

7 Aduertẽtia

quendi, quo explicetur, sit casus, & alienus ab vlla piarum aurium offensione.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum actiones humanæ, vt sunt à Deo, sint propter vltimum finem?

1 VVlgata est Philosophia primam caussã cõcurrere ad omnes actiones secũdarum caussarum. Deus igitur ad omnes actiones humanas simul cum voluntate concurrit. Cum verò Deus ad extra agat propter finem, vt diximus in superiori libro; inquiri potest, an omnes illas ad se ipsum, tanquã ad vltimum finem explicitè referat? Rationem dubitandi faciũt actiones peccaminosæ: nam, cum bonitati diuinę repugnent; quì fieri potest, vt Deus illas referat ad ostensionem suæ bonitatis?

Ratio dubitandi.

Hoc tamen non obstante dicendum est omnes humanas actiones, vt sunt à Deo; explicite esse propter Deum vltimum omnium rerum finem, saltem quatenus est bonum quoddam ideale, atq; vniuersale in participando. Quæ sententia innuitur à D. Thoma 3. cõtra Gent. c. 17. ratione 6. & 7. vbi Ferrariensis, & est cõmunis inter nouiores, de qua Fõseca in 5. Met. c. 2. q. 12. sect. 6. pag. 165. & Suar. in Met. disp. 24. sect. 2. n. 8. & 11.

2 Resolutio.

D. Thom. *Ferrarien.* *Fonseca.*

Probatur 1. ex 16. Prouerb.

Primò deducitur ex illo Prouerb. 16. *Omnia propter se metipsum operatus est Dominus.* Deinde suadetur ratione: quia diuina bonitas fuit Deo non solum immediatus finis, sed etiam vltimus, propter quem Deus se voluit rebus communicare: eadem igitur diuina bonitas est Deo ratio volendi omnia, quæ vult.

2.

3 Tertio.

Tertiò; quoniam sicut Deo, ideo, quia est agens liberũ, conuenit agere ad extra propter finem: ita etiam ex eo, quod est perfectissimum agens; conuenit illi agere perfectissimo modo: at perfectissimus modus operandi propter finẽ est explicitè agere propter finem vltimũ: vltimus autem finis omnium est Deus, iuxta illud Apocalyp. 21. & 22. *Ego sum α, & ω, principium, & finis.* Ergo Deus ad extra semper agit propter se ipsum, tanquam propter vltimum finem. Vtrum autem etiã agat nobiscum propter proximos fines creatos, alterius est quæstionis. Multi negant: alij concedunt, & hæc est nostra sententia. Vide Ferrariẽsem 3. contra Gentes c. 17.

Apocal. *Ferrarien.*

Præcedens sententia non solum vera est in omnibus actionibus bonis; in quibus nulla datur dubitatio: sed etiam in peccaminosis, ex quibus dubitãdi ratio insurgebat: nam licet, vt peccaminosæ sunt, non possint in Deum referri: tamen, quatenus actiones sunt, cùm vt sic ad aliquod bonum terminentur, habent referibilitatem ad diuinam bonitatem, non beatificè acquirendam, sed entitatiuè manifestandam.

4 Satisfit rationi dubitandi.

Quomodò autem peccator Deo, vt vltimo fini, in his actionib⁹ subalternetur, in sequente quæst. explicandũ erit.

QVÆSTIO VIII.

& vltima.

IVXTA ordinem propositum in præfatiuncula ad quæstion. 4. huius libri vltima disputatio erat de concursu vltimi finis cum finibus particularibus, & proximis: cuius quæstionis mentio apud antiquos vix reperitur: à quibusdam nouiorum excitatur, sed à paucis pro dignitate explicatur. Vt illam ea, qua potuero claritate explicem; difficultatem primùm excitabo de vltimo fine in particulari: postea de vltimo fine in communi.

Quæ nam sint in hac q. inquirenda.

Multa igitur in hac quæst. sunt explicãda de cõcursu vltimi finis cũ cæteris finibus proximis. Primo loco præmittẽtur ea, quę sunt necessaria ad intelligẽtiã propositæ quęstionis. Secũdò, inquiretur; vtrũ vltimus finis in particulari simul cũ proximis finibus cõcurrat ad actionẽ agentis propter finem. Tertiò; quomodò idem finis concurrat ad motionem agentis, vt propter finem agat. Quarto; in quonam posita sit essentialis subalternatio proximorum finium cum fine vltimo. Postremo eadem inquiremus de vltimo fine in communi.

ARTICVLVS I.

Præmittũtur nõnulla necessaria ad intelligendũ, an vltimus finis cum proximis cõcurrat.

1 Primũ præmissum.

VT ea, quæ de cõcursu vltimi finis dicẽda sunt, intelligãtur; nõnulla præmittenda erunt. Primum est primam caussam in genere caussæ efficientis per se, & immediatè concurrere cũ omnibus caussis efficientibus, nõ solùm dando illis virtutem ad agendũ; sed

sed immediatè influēdo in eandē actionem, & effectum: ita vt eadēmet actio, quæ est ab agente secundo, sit etiam ab agente primo. In hoc cōmunis cōuenit philosophia. Inquirimus igitur; an vltim⁹ finis (qui in genere caussæ finalis est primus in finalizando) per se, & immediatè concurrat cū omnibus finibus secūdarijs, & proximis; non solum cōmunicando illis bonitatē, & appetibilitatē qua valēt finalizare: sed etiā sua formali bonitate, & propria appetibilitate influendo in eandem finalem caussalitatē, qua secundarij fines actionem agentis, & effectum illius finalizant, v.g. sanitas sua propria bonitate sanitatis finaliter influit in electionem huius medicamenti: in confectionem eius, & deniq; in sūptionem illius: ægrotus enim ex amore sanitatis mouetur ad eligendū hoc medicamentum, ad illud conficiendū, & denique ad sumendū illud. Quæritur vtrū Deus, qui est vltimus finis sua diuina bonitate influat, & finalizet easdem actiones: ita vt eadem caussalitas finalis, quę est à sanitate, sit etiā à diuina bonitate? Et ita patet sensus ꝓpositæ quæstionis.

2 Secundum præmissum.

Secundò præmittendum est caussam duobus modis influere in caussalitatem & in effectum: vno modo immediatè, & proximè; altero modo mediate, & remote. Immediatè tunc influit, cum tam caussalitas, quā effectus immediate proficiscitur à virtute caussæ: hoc pacto ignis immediatè calefacit; quia ab illius calore immediatè exit calefactio. Mediatè vero tunc dicitur caussa influere; quando actio, siue caussalitas immediate non fluit à propria virtute caussę; sed à virtute, quam caussa alteri ad agendū cōmunicauit: hoc modo generans dicit generare mediāte semine: & ignis calefacere mediāte calore, quē in ligno ꝓducit: pater etiā dicitur generare nepotē; quia filio suo dedit virtutem generandi illum. Ille igitur finis dicetur immediatè influere in caussalitatem finalem, qui sua formali, & actuali bonitate, & appetibilitate mouet agens ad agendum illius consequendi gratia: quomodo sanitas influit in sumptionem medicinæ. Ille verò finis dicitur influere mediatè, & remotè, qui ideo solum influit; quia alteri fini tribuit bonitatem, & appetibilitatem, qua finalizat. Sensus igitur propositæ quęstionis est; vtrum vltimus finis sua propria bonitate, ac formali appetibilitate influat cum sanitate v.g. in sumptionē medicinæ: ita vt eadem finalizatio immediate sit, & à sanitate, & à Deo vltimo fine? An verò solum influat mediate, & remote, ideo præcisè, quia Deus sanitati eam bonitatem cōmunicauit, qua finalizat?

Præmittendū est tertiò agentia duobus modis agere immediate immediatione virtutis, vt nos olim admonuim⁹, & postea admonuit Fonseca in 5. Met. c. 2. q. 9. sect. 4. Vno modo; quia agunt virtute non accepta ab alio. Altero modo, quia ab eorum virtute proficiscitur & emanat actio, siue illa virtus accepta sit ab alio, siue non accepta. Priori modo solus Deus dicitur agere immediate immediatione virtutis: agentia verò secunda sēper agunt mediatè; quia omnia virtutem agendi acceperunt à Deo; Deus autē à nullo. Posteriori modo nō solum Deus, sed etiam agentia secunda agere possunt, & agunt immediate immediatione virtutis: quia non solus De⁹ immediatè elicit actionē ad extra, sed etiam caussa secunda: ignis enim immediate calefacit.

3 Tertiū prę-missum. *Fonseca.*

Duobus igitur modis intelligi potest finem finalizare immediate immediatione virtutis: vno modo; quia finalizat virtute ab alio nō accepta, sed sibi propria. Altero modo; quia sua virtute immediatè finalizat. Priori modo solus Deus immediate potest finalizare; quia solus ille bonitatem (quæ est virtus finalizandi) sibi habet essentialem: cæteri autem fines solum finalizabunt mediate; quia bonitatem, qua finalizant, non habent à se, sed à Deo. At tamen posteriori modo tam finis vltimus, quam fines proximi, & secundarij possunt immediate finaliter influere; quia tam vltimus, quàm cæteri possunt sua bonitate immediatè mouere ad agendum. In hac disputatione solum agimus de immediatione virtutis sumpta posteriori modo.

Quartò prę̄mittendū est id, quod latè explicauimus lib. 1. q. 6. ar. 5. §. 8. nullum finē posse exercere suā caussalitatē finalē, nisi pri⁹ metaphoricè moueat agens, alliciendo illud, vt velit agere propter finem: in qua metaphorica mo-

4 Quartū præmissum.

tione quidam formaliter ponunt causalitatẽ finalem: quibus nos constanter repugnauimus causalitatẽ finalem cõstituentes in attractione tum actionis, tum effectus, vt fiant, & sint gratia finis: sed parum refert ad nostrum institutũ motionem illam esse, vel non esse finis causalitatem: quia semper concedendum est finem non posse actionem, & effectum finalizare, nisi prius metaphoricè moueat, & alliciat agens ad agendũ. Quare, vt omnia distincta explicentur; conferendus est tam finis vltimus, quam proximus tum cum actione, & effectu agentis; tum cũ ipsa agentis motione. De primo agemus in art. 2: de secundo autem in art. 3.

ARTICVLVS II.

Vtrum vltimus finis sumptus in particulari cum finibus proximis simul concurrat ad actionem, effectumque agentis?

1 NVllus vnquã dubitauit finẽ proximum (qui in vnaquaq; serie est vltimus suo influxu finali immediate influere in omnes tum actiones, tum etiam effectus, qui in eadem serie continentur: omnia enim, veluti quędã media fiunt gratia ipsius finis, vt docet Aristoteles 2. Metaphy. c. 2. tex. 2. & 2. Physicorum c. 3. text. 29. Quare de solo fine vltimo potest esse dubitatio.

Arist.

Prima obiectio pro parte negatiua.

Pro parte negatiua primò obijci potest: quia finis non potest influere, nisi sit cognitus ab operãte, vt diximus lib. 1. Sed pleraque agentium secundorum agunt nihil cogitando de vltimo fine, vt in præcedente quæstione diximus. Ergo non semper vltimus finis actu cõcurrit cum finibus proximis.

2 Secunda.

Eadem difficultas reperitur in agẽtibus, quę intellectu carent: nam bruta immediatè moueri nequeunt à diuina bonitate, quam non cognoscunt: agentia autem naturalia in solos suos fines particulares tendunt; non vero in diuinam bonitatem. Quanuis autem dicantur intendere assimilari bonitati diuinæ; id non fit cum formali relatione ad eam; sed cum sola relatione fundamentali; quatenus sc. intendunt suum bonũ creatum, in quo Deo assimilantur: hęc autem intentio non satis est, vt Deus vere dicatur cum illis concurrere, tanquam finis vltimus.

Quęstio ista adeo est difficilis, vt plures cõquerantur, quod nullus Theologorũ satis declarauerit modum influxus, quo vltimus finis cũ finibus proximis, & particularibus cõcurrit. Pro vera difficultatis explicatione pręmittẽdũ est; quod sicut eadẽ agentis actio in genere causę efficientis est à duplici agente, primò sc. & secundo: Deo inquã, & homine: ita etiam in genere causæ finalis eadem actio est à duplici fine; proximo sc. & vltimo: quorum quilibet in eam finaliter influit immediatè immediatione suæ propriæ bonitatis. Quare finis vltimus sub duplici habitudine respicere potest actionem, quæ est propter finem: vno modo, prout est à Deo: altero modo prout est ab homine. Quare, vt hæc difficultas & cõcursus vltimi finis, moduſq; illius clarius explicetur; oportet illum primo loco expendere, prout cõcurrit ad actionem, vt est à Deo, ab ipso Deo ordinata in finem: deinde; prout cõcurrit ad eãdem, vt est ab homine operante. Duæ igitur sunt statuendæ conclusiones.

3 Præmissum ad resolutionem.

4 Prima conclusio.

Prima cõclusio: Deus, vt est vltimus finis, concurrit cũ omni fine proximo suæ bonitate per se, & immediate influendo in omnem actionẽ humanã, vt est à Deo. Hanc conclusionem quidã putant à cæteris fuisse intactã; asseruntq; D. Thomã cæterosq; Theologos cõcursum vltimi finis ita declarasse; vt solum remotũ cõcursum ad motiones proximorũ finium tribuere videãtur; quin potius arguunt Fõsecam, quod immediatum cõcursum vltimi finis affirmauerit; nõ tamen declarauerit. Ita Suar. in Met. disp. 24. sec. 2. n. 7. Ego tamen hanc nostrã cõclusionem inuenio, tum apud D. Thomam, tũ apud doctissimum Fõsecam. Quod eam expresserit D. Thomas, agnoueritq; immediatum cõcursum vltimi finis, vt est à Deo in omni secundi agentis operatione, satis euidenter mihi probat Diuꝰ Tho. 3. cõtra Gent. c. 17. in 6. ratione: dũ ex eo, quod supremũ agens Deus omnia agit propter suũ finem, hoc est propter suã bonitatem, infert Deũ omnes secũdorum agentium actiones ordinare in suũ ꝓpriũ finẽ: quę ordinatio nõ potest fieri, nisi proprius ipsiꝰ Dei finis (diuina sc. bonitas) immediatè influat in ipsas actiones, vt à Deo ordinãtur: nã finalis causalitas in hac ordinatione est posi-

D. Thom. Fonseca.

ta, vt

ta, vt idē Suarius fatetur vbi supra n. 12. At quod Fōseca nō modo affirmauerit immediatum influxum vltimi finis; sed etiā modū illius explicauerit, facilè colliges ex eodem in 5. Metaphy. c. 2. q. 12. sect. 6. pag. 165. vbi ita scribit: *Itaque in omni actione, vt actio est, Deus est finis vltimus ex intentione sua,* & inferius ad 1. *Dicendum est actionem, quæ peccatum est, non esse propter Deū ex intentione peccantis: sed tamen esse propter Deum ex intentione Dei ad illā concurrētis.* Porro, si in omni actione ex intentione Dei Deus est vltimus finis; vtiq; in omni actione, vt est à Deo, Deus, vt vltimꝰ finis immediatè influit; nam ex eodem Suario, vbi supra finis immediate influit in omnem actionem, quæ ex intentione agentis propter illum fit.

5 Quorundā probatio.

Conclusionē nonnulli ita confirmāt: Deus in omni actione caussæ secundæ operatur propter finem: sed non potest operari propter aliū finē, nisi propter se ipsum vltimum finem. Ergo Deus, vt finis vltimus cōcurrit cū fine proximo, propter quē caussa secunda operatur. Maiorē admittit vera Theologia: minorem quidā ex nouioribus ex eo probant, quia non decet diuinā perfectionē agere propter aliquē finem creatū: sed quęcunq; facit, solū facit propter suam bonitatē, tanquā propter finē. Sed lib. 1. latè hanc opinionem impugnauimus: diximusq; multa Deū proximè efficere propter finem creatū, cum habitudine tamen, & ordine ad suā bonitatē, vt ad vltimū finem suarum actionū. Nobiscū cōsentit Suariꝰ in d. disp. 24. sect. 2. n. 10.

Supra estim pugnata.

6 Vera cōclusionis ratio.

Conclusionē igitur ita confirmamus: quoniā omnis actio secundorū agentiū est à Deo expresse, & formaliter operāte propter suā bonitatem, tanquā propter vltimū finem, vt iam ostendimus ar. 4. quæstionis præcedētis: Deus enim nō potest ab alio fine, aliavè bonitate primò moueri, & allici, nisi à sua propria. Ergo diuina bonitas, vt est finis vltimꝰ, immediatè influit in omnē actionē secundorū agentiū, vt est à Deo. Probatur hæc consequētia: quia finis immediatè influit in omnē eā actionē, quæ ex formali, & expressa intentione agentis est propter ipsū: & per consequens Deus, vt est finis vltimus, immediatè cōcurrit cū fine proximo immediatè influēdo in eādē actionē, vt est à Deo primo agēte.

7

Quod non solum verum habet, quando Deus illam secundi agentis actionē in nullum alium creatum finem dirigit: sed in solam suam bonitatem; verū etiā quando per illam actionem intendit aliquem finem creatum vnam creaturam proximè in aliam ordinando v.g. quando concurrit ad actionem meritoriam hominis eam ordinando in gloriam suo tempore conferendam: & quando concurrit cum sumptione medicinæ volēs ægroto eandem sanitatem, quā sibi vult ægrotus: in his enim omnibus, quanuis in ordine executionis proximè velit actionem meritoriam propter gloriam; & sumptionē medicamenti propter cōferendam sanitatem: tamen vtrūque illum finem expresse, & formaliter vult propter suā bonitatē, tanquam vltimū finem: tum; quia bonitas diuina in ordine intentionis fuit primū volita; & ratio, vt Deus illas actiones vellet propter creatos illos fines. Tum etiam; quia Deus semper operatur præstantissimo modo: & subinde vno simplicissimo actu omnia reducit ad supremam caussā; quæ est sua bonitas. Cum igitur etiam in his casibus actionem dirigat ad finē creatum cum actuali intentione, & relatione illius in se ipsum: infertur etiam in illis vltimū finem cum fine proximo immediatè concurrere ad eandē actionem: ita vt fiat proximè propter finem creatum; vltimatè tamen, & principaliter propter vltimum finem.

8 Occurritur obiectioni.

Nec est, quod nobis obijciātur actiones moraliter malæ, & peccaminosæ: quoniam licet illæ, vt sunt peccaminosæ, non sint referibiles ad vltimum finē, vt quia repugnent diuinæ bonitati: tamen vt sunt actiones, & entia non per se includunt defectum malitiæ. Cum verò sint quædam entia entitatiuè bona; sicut sunt à Deo prima caussa efficiente: ita etiam sunt à Deo vltimo fine: nam & Deus primum efficiens illas propter se ipsum, vt vltimum finem operatus est. Quare diuina bonitas immediate ad illas concurrit simul cum fine proximo peccantis: non tamen vt est à peccante.

Pro quo aduertendum est peccatorē nō moueri ad operādum ex malitia obiectiua; quia nullus attendens ad malū operatur ex Dionysio c. 4. de diuinis no minibus: *Dionys.*

minibus: sed mouetur ex bonitate entitatiua delectationis, vel vtilitatis, quã appetit: hanc enim per se intendit; malitiam verò solum peraccidẽs, vt docet D. Thom. 1.2.q.72.art.2. Non est igitur mirũ, si finis vltimus (diuina scilicet bonitas) simul concurrat cum fine proximo peccantis influendo in eandẽ actionem. Ex quibus patet nullam esse actionem creaturæ causatã à fine proximo, in quam immediatè non concurrat vltimus finis, prout illa est à primo agẽte.

9 Secunda cõclusio. Secunda conclusio: Deus, vt est vltimus finis, non semper concurrit immediate cum fine proximo ad omnẽ actionem, vt est ab operante: semper tamen concurrit mediatè, remotè, & virtualiter. Conclusio facilè demonstratur ex Probatur. resolutione quæstionis præcedentis: nã si homo nõ semper actu, & explicite mouetur ad agendum ex bonitate Dei in se ipsa, & secũdum se ipsam intenta; sed vt plurimũ solum mouetur ex bonitate finis proximi, prout participatio quædam diuinæ bonitatis. Ergo non omnis actio humana, prout est ab homine, est à diuina bonitate immediatè influente in eam; sed solum mediatè, & remote: quatenus scilicet mouet, & concurrit per bonitatem creatã, quam proximo fini immediatè influenti cõmunicauit. Quæ consequentia ex eo est nota; quia nullus finis potest se ipso actu, & immediatè influere in actionem agentis; nisi actu, & explicitè sit ab agente intentus. Quare si diuina bonitas non semper ab agente explicitè intenditur; sed solum implicitè, & virtualiter; quatenus participatur à bonitate creata, quæ actu intenditur; vtique non semper immediatè cũ fine proximo influet in actionem agentis, vt est ab agente: sed solum virtualiter, & remotè.

10 Totius articuli resolutio. Ex quibus difficultas satis clare manet explicata. Resolutio sit finem vltimum diuinam scilicet bonitatem semper immediatè concurrere ad actionẽ agentis secundi, prout ipsa est à Deo: non tamen semper; prout est ab operãte. Dixi *non semper*; quoniam interdũ potest immediatè concurrere ad actionẽ etiam, vt est ab operante: si nimirũ operans actu, & explicitè actionem referat ad Deum vltimum finem: tunc enim in eam immediatè influit; tum vt est à Deo, tum, vt est ab homine: idq; vna, & eadem finali causalitate in ordine ad actionẽ, & effectum, per eam productum.

11 Solutio primæ obiectionis. Nec huic resolutioni aliquid obstãt, quæ initio articuli rationem dubitãdi fecerũt. Nam prima obiectio solũ probat vltimum finẽ non semper immediatè influere in actionem simul cum fine proximo, quatenus ipsa est ab operante: non tamen quatenus est à Deo. Ratio discriminis est: quoniam homo operãs non semper explicitè intendit vltimum finem; quem tamen Deus semper explicitè intendit.

Solutio secundæ. Eodem modo soluitur secunda obiectio: nec enim vltimus finis ad actiones istorum agentium potest immediatè cõcurrere, vt illæ sunt ab agentibus; quia ab illis nunquam potest cognosci, & intendi: quod non impedit, quominus ad easdẽ immediatè concurrat, vt illę sunt à Deo concurrẽte vt prima causa: quia Deus ita concurrens explicitè se ipsum cognoscit, suamq́ue bonitatem, propter quam agit.

ARTICVLVS III.

Vtrum vltimus finis cum finibus proximis simul concurrat ad motionem agentis, vt propter finem agat?

1 Diximus in 4. notabili primi articuli nullum finem posse exercere suam causalitatem finalem, nisi prius moueat, & alliceat agens, vt velit agere propter finem. Et ob hanc causã statuimus conferre vltimum finem tum cum actione agentis, tum cum motione illius ad agendum. Primum præstitimus in præcedente art. In hoc præstabimus secundũ. Inquirimus igitur; an sicut vltimus finis cum omni fine proximo immediatè concurrit ad omnẽ actionem agentis: ita etiã simul, & immediate cõcurrat ad mouendũ, & alliciendũ agẽs, vt propter finem agat. De qua quæstione specialiter excitanda est dubitatio: quia iuxta cõmuniorẽ sententiã (quã putam' falsã) in hac etiã motione, quæ est metaphorica, posita est causalitas finalis. Cũ verò omnis actio agentis secũdi sit à duob' agẽtibus: à Deo sc. & à causa secũda; merito inquirim', vtrũ sicut vltim' finis cõfertur cũvtroq́; agẽte: quia vtrũq́ue suo modo mouet; ita etiã finis proximus vtrũque moueat ad agẽdum?

Pro

2 Pro resolutione sit prima conclusio:
1.Cõclusio. finis vltimus cum fine proximo, nõ semper immediate concurrit ad motionem agentis secundi immediate illum mouẽdo ad agendum: semper tamen cũ illo concurrit mediate, & remote.

Probatur prior pars. Prior pars sit euidens ex secunda cõclusione secundi articuli: quia finis nõ potest immediate mouere, & allicere agens, vt sui gratia agat; nisi actu sit ab agente cognitus, & volitus; nec enim alio modo finis potest finaliter caussare. Sed nullum agens non rationale potest vltimum finem actu cognoscere, & intẽdere: homo autem pleraque operatur nihil cogitans de vltimo fine, vt patet ex quæstione præcedẽte. Ergo vltimus finis non semper immediate influit in
Posterior ostenditur. motionẽ metaphoricã agentis secundi.

Posterior autem facile etiam probatur: quoniã finis proximus semper immediate influit in caussam agentẽ; quia amore suæ bonitatis illã mouet, vt velit agere illius consequendi gratia. Sed illa bonitas est quædã participatio bonitatis vltimi finis, vt patet. Ergo vltimus finis dicitur mouere caussam agẽtem, nõ quidem immediate ratione suæ bonitatis; sed mediate ratione bonitatis, quam proximo fini communicauit. Itaq; eodem modo, quo dicitur mediate influere in actionem agẽtis, vt est ab agente; eodẽ influit in agentis motionẽ. Nec de hoc potest esse aliqua dubitatio

3 Secunda conclusio: quanuis vltimus
2.Cõclusio. finis, bonitas, scilicet diuina, nõ semper immediate influat in actionem immediate mouendo agens ad agendum, vt diximus in prima conclusione: semper tamen immediate influit in actionem immediate alliciendo Deum, vt velit agere propter ipsam. Hæc est indubitata: quia Deus ad omnem actionem ad extra semper allicitur, & trahitur à sua diuina bonitate: hæc enim illi in omnibus est prima volendi ratio.

4 Vtrum vero finis proximus simul cũ fine vltimo Deum ad agendum alliciat, & trahat? non conueniunt omnes. Quidam absolute negant reputantes incõmodum, quod Deus à bonitate aliqua creata ad agendum alliciatur: docẽtq; Deum ad extra nihil agere propter aliquem creatum finem; nec vnam creaturam in aliam ordinare, tãquam in finẽ. Sed hanc sententiam iam reiecimus supra ar.2.concl.1.& latius in 1.libro: Deus enim, & si omnia operatur propter bonitatem suam: singula tamen facit propter particulares fines, quos singulis rebus præfixit: cum referibilitate tamen ad suam bonitatem.

Sit igitur tertia conclusio: non est in 3.Cõclusio.
cõmodum, vt finis proximus simul cum fine vltimo sua bonitate alliciat Deum primum agentem ad aliquid proxime agendum propter ipsum: nam cum vna creatura sit propter aliam (pars enim est propter totũ, & herbæ propter animalia: & res vniuersi propter ipsam vniuersi pulchritudinem) ordinatissimum est, vt Deus vnam velit propter aliam, vt aduertit Suarius in d.disp. 24. Metaphysi.sect.2.nu.9.& 10. De quo iam diximus superiori libro.

ARTICVLVS IIII.

In quo posita sit essentialis subalternatio proximorum finium cum fine vltimo?

QVÆSTIO proposita ex ijs, quę diximus in 2.& 3.articulo, facile soluitur. Sed vt res fiat euidentior sequentes statuimus conclusiones.

Sit prima conclusio: essentialis sub- 1.Cõclusio.
alternatio finis proximi ad finem vltimum non est expẽdenda penes concursum mediatum, & remotum vtriusque ad eandem caussalitatem finalem: sed penes concursum immediatum vtriusq; ita vt caussalitas finis proximi immediate etiam sit à fine vltimo. Hæc con- Probatur.
clusio euidẽter deducitur ex ijs, quę de essẽtiali caussarum subalternatione aduertimus supra q.4.art.1. nam ad hanc requiritur, vt vtraque caussa (superior inquam, & inferior) simul, & immediate concurrat ad eandem caussalitatem; ita vt eadem caussalitas immediate sit ab vtraque. Ob quam rationem ad essentialem subalternationem duorum agentium non satis est, quod virtus agentis inferioris sit participata à virtute superioris agentis: nec enim satis esset Deũ tribuisse igni virtutẽ calefaciendi, nisi simul cum igne immediate concurreret eandem calefactionem; ita vt eadem calefactio, quæ immediate est ab igne, sit etiam immediate à Deo. Similiter

igitur, non satis est ad subalternationē finis proximi,& vltimi, quod finis proximus bonitatem,qua immediate finali zat, habeat á fine vltimo: sed opus est, vt ad eandem finalizationem vterque finis immediate sua propria bonitate concurrat; ita vt eadem finalizatio immediate sit ab vtroque fine. Ex quo inferes finem proximum per se non subalternari fini vltimo in ordine ad actionē agentis prout est ab ipso agente: quia finis vltimus immediate non concurrit ad talem actionem,vt sic,sed solùm mediate,& remote, vt patet ex conclusione secunda articuli secundi.

2 2.Cōclusio. Secunda conclusio: essentialis dependentia finis proximi ad finem vltimum per se non ponitur in ordine ad motionem metaphoricā secundi agentis. Hęc Probatur. conclusio facile ostenditur: quoniam essentialis dependentia duarum causarum in hoc est posita, vt inferior non possit caussare, nisi caussa superior simul cum ea ad eandem caussalitatem immediate concurrat. Sed finis proxim⁹ immediate influit in motionem metaphoricam,qua agens ad agendū allicitur,vltimo fine ad illam immediate non concurrēte. Ergo finis proximus in tali motione essentialiter non pendet à fine vltimo. Maior est euidens ex conditione essentialis subalternationis caussarum,de qua diximus supra q.4.a.1. Minor autē patet ex prima cōclusione prę cedentis articuli. Etenim,quando agēs operatur nihil de vltimo fine cogitans vltimus finis sua propria bonitate,& immediate non mouet operans, sed solum mediate,& remote.

3 3.Cōclusio. Tertia conclusio:essentialis subordinatio finis proximi ad finem vltimū in hoc est posita,quod finis proxim⁹ actionem agentis finalizare non potest, nisi vltimo fine eandē finalizante eadem nu Probatur. mero finali caussalitate. Conclusio ex suis terminis est nota: nam sicut caussa secunda in agendo essentialiter dependet à prima; quia agere non potest, nisi caussa prima ad eandem numero actionem (quę est agentis caussalitas) immediate concurrente: ita etiam finis proximus v. g. sanitas non potest finalizare medicamentū,nisi vltimo fine sua ipsius bonitate illud ipsum immediate finali zante. Necessitas autē huius subalternati concursus radicaliter sumitur ex necessitate subalternati concursus inter agens secundum, & primum:nam ex eo,quod agens secundum agere non potest,nisi primū ad eādem numero actionem simul concurrat: necessariò infertur finem proximum non posse finalizare, nisi vltimo fine ad eandem numero finalizationem immediate concurrente: nam cum vtrunq; agens non possit agere, nisi propter finem, vt patet,necesse est,vt vtrunq;à suo proprio,& immediato fine finaliter moueatur, antequam agat. Primum autē agens non potest immediate ad agendum moueri, siue potius allici,nisi à se ipso suaq;propria bonitate. Quare si proximus finis v. g. sanitas debet mouere ægrotum,vt gratia sui velit medicamentum; vtique diuina bonitas debet immediate mouere Deum,vt gratia sui velit ęgroto illud ipsum medicamentū. Quare sicut Deus & ægrotus in genere caussæ efficientis simul concurrunt ad eandem actionem medicamenti:ita etiam diuina bonitas, & sanitas finaliter concurrunt, vt medicamentū gratia vtriusq; finis conficiatur: sanitas quidem; vt fiat gratia sui, vt est ab ægroto: diuina bonitas:vt fiat gratia sui, vt est à Deo.

Et in hoc sensu intentio secūdi agētis subalternatur intentioni agentis primi: quatenus scilicet id, quod agens secundum actu intendit, vt finem sibi bonum;intendat etiam Deus ad diuinam bonitatem manifestandam. Vnde oportet, vt id, quod agens secundum per se intendit, semper sit referibile ad vltimum finem: quia ratione essentialis subalternationis necessariò debet à Deo in vltimum finem referri. 4 Ampliusex plicatur.

Quod etiam seruatur in actionibus peccaminosis: nam illud bonum, quod peccator per se intendit (v.g. delectatio vel vtilitas) cum sit entitatiue bonum,& quędam diuinę bonitatis assimilatio; referibile est in Deum referibilitate operis;& à Deo primo agente actu refertur in diuinam bonitatem, quanuis non prout est à peccatore volitum: quia à peccatore volitum est, cum disconuenientia ad rectam rationem,cum qua non est in Deū referibile; nec Deū, vtsic allexit,vt ad illud agendū concurreret. Quare licet intentio ipsius peccato-

catoris in modo, quod in illud bonũ peccaminosum tendit, non subalternetur intentioni Dei primi agentis: tamẽ per se subalternatur illi intendentia ad bonum peccaminosum. Et in hoc sensu admittendum est, quod asserit Fonseca in 5. Metaphysic. cap. 2. q. 12. sect. 6. §. *Quod demum*, dum ait peccatorem in expetẽdo non subalternari Deo appetenti: id enim, nisi intelligatur quoad modũ expetendi, non est simpliciter verum: quoniam peccator, quauis in modo appetendi tale bonum nõ agat propter Deũ, sed ab eo potius auertatur: in ipsa tamẽ appetitione terminata ad tale bonum, quod aliàs est peccaminosum, implicite, & virtualiter intendit Deum vltimum finem, vt cum D. Thoma explicauimus in quæstione præcedente art. 3. concl. 2.

D. Thom.

ARTICVLVS QVINTVS, & Vltimus.

Vtrum, & quomodo fines proximi subalternentur fini vltimo in communi.

A

SVpereſt, vt aliquid dicamus de subalternatione finium proximorũ cũ fine vltimo in cõmuni. Nam inter eos dari essentialem subalternationem omnes admittunt: modum tamen illius nullus explicauit: cum tamen indigeat explicatione.

Aduertẽtia ad explicationem.

Aduertendum est finem in communi accipi posse dupliciter: vno modo solũ formaliter pro cõmuni, & formali ratione finis vltimi, & beatitudinis in abstracto: & hoc modo nõ est aliud, quam bonitas sũma, & vltima. Altero modo, vt significatur in concreto, & prout cõnotat rem, in qua summa bonitas reperitur: inconfuso tamen. Et quamuis hoc modo, si spectemus hominum incipientium existimationẽ, pro pluribus possit supponere: tñ vere, & à parte rei solùm supponit pro Deo: quia solus Deus in se, & ex se habet summã bonitatẽ. ita fit, vt quãdo finis vltimus sub hac confusione cõcipitur; Deus ipse cõcipiat, & cõcupiscatur; non quidem distincte, sed cõfuse Porro ita in cõmuni conceptus, & significatus adhuc concipi potest, vel in suppositione simplicici, vel in suppositione personali confusa.

His ita prẽmissis sit prima cõclusio: finis vltimus sumptus solùm formaliter & in abstracto non potest finalizare, *vt quod*, sed solùm, *vt quo*. Concurret igitur vt finalizans, vt ratio formalis, non verò vt res, quæ finalizat, *vt quod*. 1. Cõclusio.

Secunda conclusio: finis in cõmuni sumptus in concreto, & veluti in suppositione simplici intelligi quidem potest; finalizare tamen non potest. Primũ patet: quia in illa vniuersalitate non exuit rationem entis intelligibilis; exuit tamen rationem bonitatis in actu exercito; quia vt sic realem existentiam habere nequit: nec enim vniuersalia in sua vniuersalitate possunt existere. Quare cum vltimus finis, vt sic à nullo acquiri possit; nulli potest esse conueniens, & subinde non poterit finalizare sui acquisitionẽ. Ita fit, vt quando vltimus finis, & beatitudo in cõmuni confuse concipitur, & appetitur; non accipiatur in suppositione simplici, sed personali. 2. Cõclusio.

Tertia conclusio: finis vltimus in cõmuni concrete, & personaliter sumptus semper, & immediate influit in actionẽ agentis, prout illa est à Deo: non tamen semper immediate influit in eam, prout est ab homine: bene tamen mediate, & remote. 3. Cõclusio.

Prima pars nota est, si termini perciantur: nã si quis appetat beate viuere; illa actio, & est ab appetente, & à Deo: si illã expendamus, vt est à Deo; cum vltimus finis in cõmuni supponat pro Deo, immediate concurret ad eam; quia Deus ad eam concurrens, vt primum agens se ipsum distincte concipit, & distincte propter se ipsum illam agit. Probatur prima pars

Secunda pars etiam est nota: quoniã secundum agens non semper actu, & explicite operatur propter vltimum finẽ in cõmuni; sed vt plurimum implicite, vt iamdiximus in qnæstione præcedente ar. 1. Ergo vltimus finis in communi non semper immediate influit in actionem, vt est ab homine; sed mediate tantum, & remote: iuxta ea, quę diximus in quæstione præcedente artic. 1. & 2. Et de hac quæstione, & libro hæc diximus. 2. Ostenditur.

(·?·)

FINIS II. LIBRI.

LIBER TERTIVS

DE BEATITVDINE OBIECTIVA AD PRIMAM SECVNDÆ QVÆSTIO SECVNDA.

PRÆFATIO.

1 IN superiori libro egimus de vltimo fine hominis: & cum vltimus finis hominis sit beatitudo humanæ vitæ; consequẽter agendũ erit de beatitudine hominis; de qua agit D. Thomas à quæst. 2. huius libri vsq; ad quęstionem quintã. Notandum est in homine creaturaque rationali beatitudinẽ re ipsa idem esse cum vltimo fine; quia id, quod homini est summum bonum, & beatitudo; eidẽ est vltimus finis, cuius gratia omnia homo operatur. Non tamen inde colligas id, quod alicui est beatitudo, eidem esse vltimum finem: id enim verum non est in Deo: quia Deus est sibi sua beatitudo (Deus enim se ipso, suaq; bonitate est essentialiter beatus ex Augustino 11. de Ciuitate Dei cap 11. & lib. 12. cap. primo) & tamen nõ est sibi vltimus finis; qa habet esse omnino independens ab omni causalitate, vt ex D. Thoma. 1. p. q. 41. ar. 2. ad 3. diximus in superiori libro disp. 6. quæstio. quarta, art. 3. & 4. Quare licet id, quod alicui rationali naturæ est vltimus finis, sit eidem beatitudo: non tamen, quod alicui est beatitudo, semper erit ei vltimus finis. Quare etsi beatitudo, & vltimus finis interdum subiecto coincidant; ita vt id, quod alicui est beatitudo, sit ei vltimus finis: formaliter tamen differunt: quia sub ratione beatitudinis solùm denotatur ratio boni perfecti, & consummati; sub hac enim ratione beat: sub ratione autem vltimi finis denotatur causalitas finalis; quatenus id, quod est beatitudo, excitat ad sui amorem, & consecutionem.

D. Thom.

August.

D. Thom.

2 De beatitudine igitur disputaturi hunc ordinem obseruabimus: vt primũ disputemus de beatitudine secundum se: deinde de adeptione illius. Cum verò beatitudo duobus modis accipi soleat; vno modo pro beatitudine simplici, & sumpta essentialiter: altero modo pro beatitudine accepta pro statu omnium bonorum aggregatione perfecto, Primum agendum est de beatitudine essentialiter sumpta: deinde de beatitudine sumpta pro statu illo. Beatitudo autem essentialiter accepta diuidi solet in beatitudinem obiectiuam, & formalem: prius igitur agemus de beatitudine obiectiua, & postea de formali.

Ordo seruãdus.

De beatitudine autem obiectiua in hoc libro acturi primum dicemus nonnulla de beatitudine in communi: deinde dicemus in speciali de beatitudine obiectiua.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

De beatitudine in communi.

QVOD attinet ad primum, explicanda est in primis propria vocis significatio. Deinde quot modis accipiatur beatitudo ? Tertio, an illa sit vna species an plures ?

ARTICVLVS I.

Quæ sit propria significatio huius vocis (beatitudo.)

1 VT incipiamus à quęstione quid nominis quæ ex doctrina Aristotelis ſonibus aliis supponitur ; beatitudo absolute sũpta varijs modis à Doctoribus explicatur. Definitur à Ciceron 3.lib.Tuscul.quæstionum : *Secretis malis omnibus cumulata bonorũ complexio* : Consentit Augustinus dum ait: *Beatitudinem esse omnium bonorum summam,& cumulũ.* à Boetio 3. de Consolatione prosa secũda dicitur, *Status bonorum omnium aggregatione perfectus.* Hę tamen explicationes statui potius beatitudinis,quã ipsi beatitudini accommodantur: cum tamen inquiratur generalis quædam descriptio, quæ omni beatitudinis acceptioni conueniat. Quare aptior videtur descriptio posita ab Arist.1.Ethicorũ cap. 4.tex.14.& cap 7. tex. 31. *Vt beatitudo sit summum bonum hominis:* Hoc enim, vt ait, ab vniuersis beatitudini cõceditur:omnes enim, dum beatitudinem absolute concipiunt,& nominãt, eam concipiũt, & nominant sub ratione summi boni; & verè cõceptus iste cõmunis est beatitudini, quocunque accipiatur modo: si tamen accõmodate ad propriam cuiusque naturam explicetur. Nam beatitudo essentialiter sumpta,essentialiter est sũmum bonum: formaliter quidem, si est beatitudo formalis: obiectiue autem,si est beatitudo obiectiua.Beatitudo verò sumpta pro statu, suo etiã modo est summum bonũ, scilicet collectiue ; quia est collectio,& aggregatio omnium bonorum.

Arist. *Cicero.* *Augusti.* *Boetius.* *Aristot.*

Hæc igitur sit beatitudinis,vt est beatitudo generalis explicatio. Beatitudo est summum atq; perfectum hominis bonum. Quod eo ipso,quòd est summũ bonum,est bonum perfectum & sufficiens. Perfectum quidem ;quia omnia propter ipsum, ipsum verò propter nullum est. Sufficiens autem ; quia ipsum solum,si habetur, facit vitam ratione sui eligibilem , & nullius alterius indigentem ; vt colliges ex Aristotele in d.cap.7.tx.31. Vnde consequitur rationem vltimi finis ipsius hominis. Et hæc de generali explicatione beatitudinis dicta sint. 2 Beatitudinis definitio. *Arist.*

ARTICVLVS II.

Quot modis accipiatur , & diuidatur beatitudo.

HIC articulus viam munit ad quęstionem an est? Nec satis explicabitur,nisi prius prę̃mittantur variæ beatitudinis acceptiones, & diuisiones. 1

Ommissa diuisione beatitudinis in veram , & falsam ; quia beatitudo falsa non est beatitudo,licet habeat beatitudinis apparentiã: vera beatitudo duobus modis accipitur. Vno modo ꝓ beatitudine essentiali,quę est quædam perfectio simpliciter significata per nomẽ beatitudinis. Altero modo pro statu ipsius beatitudinis , quatenus complectitur omnes perfectiones accidẽtarias quidem, sed intrinsecas illi, & per se eã comitãtes : quomodo beatitudo dicit collectionem, siue aggregationem omnium bonorum,& perfectionũ,quę beatitudinem essentialem comitantur. Priori modo accipitur,cum solus Deus dicit esse nostra beatitudo: & præterea cum dicitur consistere in optima operatione hominis : in assecutione summi boni : denique cum dicitur conuenire homini non secundum corpus,sed secũdum animam. Hæc enim , & alia huius generis attributa solũ conueniunt beatitudini,quę essentialiter est beatitudo: vel obiectiua,vel formalis,vt patet.Posteriori modo sumitur à Boetio 3. de Consolatione prosa 2.cum dicitur , *Status bonorum omnium aggregatione perfectus.* Et à Cicerone 3.Tusculanarum quæstionũ cum dicitur, *Bonorum omnium secretis malis* *Boetius.* *Cicero.*

lis omnibus cumulata complexio. Et cum ab Auguſt. appellatur, *Summa, & cumulus bonorum omnium.* In eadem ſignificatione eam accepit Gregor. Nyſſenus in libro de beatitudinibus, cum ait: *Beatitudo comprehenſio quædam eſt omnium earum rerũ, quæ nomine boni intelliguntur: à qua nihil abeſt eorum, quæ pertinent ad bonorum deſiderium, & cupiditatem.*

Auguſt.

Hoc loco agendum erit de beatitudine ſumpta priori modo; quia hæc ſola in Scholaſticam diſputationẽ venit: poſterior enim coadiuuat ipſam beatitudinem eſſentialẽ ex D. Thoma. in 4. diſtinctione 49. q. 1. ar. 2. quęſtiuncula 1. ad primum.

D. Thom.

§. 2.
Prima diuiſio beatitudinis.

2

1. Diuiſio beatitudinis.

BEatitudo igitur eſſentialiter ſumpta primum diuiditur ratione ſubiecti, quod beatur, in eam, quæ eſt ſingulorum hominum: & in eam, quæ eſt Ciuitatis, & Reipublicæ. De qua diuiſione egit Ariſtot. lib. 7. polyticorum cap. 1. & 2. Hæc diuiſio, cum ſolum ſumatur ex parte ſubiecti, accidentaria eſt; nec rationem beatitudinis diuerſificat. Quin potius vna, & eadem eſt vnicuiq; hominum, & Reipublicę beatitudo: vt docet Ariſtoteles in d. cap. 2. in principio, & cap. 3. ad finem: nam (vt ait) in eo conſiſtit cuiuſque Reipublicę beatitudo, in quo cuiuſque priuati hominis beatitudo eſt poſita. Quare de Reipublicæ felicitate nihil ſpecialiter dicemus: ſatis enim manebit explicata, ſi cuiuſque priuati hominis felicitas explicetur.

Ariſt.

Ariſt.

§. 3.
Secunda diuiſio beatitudinis in obiectiuam & formalem.

3

2. Diuidi tur.

SEcundo diuiditur beatitudo in obiectiuam, & formalem: obiectiua dicitur ipſum obiectum, quod nos beat: formalis verò adeptio obiecti beantis, quę, vt ſuo loco dicemus, eſt operatio, qua obiecto beanti coniungimur. Hæc diuiſio ſub his terminis celebris eſt inter Nouiores. Ita omnes interpretes D. Thomę 1. 2. q. 2. & 3. Ea vtitur Suarius ibi diſp. 4. q. 1. & Bellomontanus ob ſeruatione prima ad totam ſecundam quęſtionem, & inferius diſp. 8. cap. 3. n. 16. Curſ. Conimbr. in Ethicis diſp. 2. q. 2. ar. 2. ad ſecundum; ante eos Caietan. 1. p. q. 26. ar. 3. Sotus in 4. diſtinct. 49. q. 1. ar. 2. concl. 2. Nam & finis iam communiter diuiditur in obiectiuum, & formalem, de quo nos late egimus in ſuperiori libro. Coincidit hæc diuiſio cum ea, qua beatitudo ab Antiquioribus diuiditur in beatitudinem, quę eſt res: & in eã quæ eſt adeptio rei: de qua D. Thomas 1. 2. q. 2. ar. 7. & q. 3. art. 1. & 8. ad 2. & q. 11. ar. 3. ad 3. etenim beatitudo, quę eſt res, eſt obiectum ipſum beatificum, quo obiectiue beamur. Adeptio verò rei beantis eſt ipſa operatio, qua formaliter beamur. Coincidit rurſus cum ea, qua beatitudo diuiditur in beatitudinem, *cuius*, & beatitudinẽ, *qua*, de qua D. Thomas 1. 2. q. 1. ar. 8. melius loquuntur, qui priorem beatitudinem appellant, *quæ*, poſteriorem, *qua*, & ſatis ad mentem D. Thomę in d. ar. 8. coincidit inquã, quia beatitudo, *quæ*, eſt ipſum obiectũ beans: beatitudo autem, *qua*, eſt operatio, qua formaliter beamur. Cum igitur de re conſtet, non eſt curandum de nominibus. Nos cũ pluribus loquemur, & beatitudinẽ, quę eſt res, & quæ dicitur, *quæ*, appellabimus obiectiuam: beatitudinẽ verò, quę dicitur adeptio rei, ſiue, *qua*, vocabimus formalẽ: vtraque enim locutio naturã beatitudinis explicat verbis Philoſophię accõmodatioribus: vt omittamus prędicatam diuiſionem ſub illis verbis ſatis inſinuaſſe D. Thomam 1. p. q. 26. ar. 3. vt patet ex Caietano in eodem loco.

Caietan. Sotus.

D. Thom.

D. Thom.

4

Illud tamen eſt hoc loco aduertendũ beatitudinem nõ diuidi in obiectiuam, & formalẽ tanquam in duas partes ſubiectiuas, ſiue induas ſpecies, quarũ quęlibet per ſe ſit integra quædam, & totalis beatitudo: ſed tanquam in duas partes eſſentiales vnius totalis beatitudinis, quæ ex vtraque integratur: vt optime aduertit Cõradus 1. 2. q. 5. ar. 2. & ante eum Caietanus 1. 2. q. 1. ar. 1. ad 2. D. Thomę, & ſatis exprefsit D. Thomas 1. 2. q. 11. ar. 3. ad 3. aduertunt omnes nouiores, inter quos Bellomontanus 1. 2. diſp. 8. cap. 3. num. 16. ad finem. Quod ipſum de diuiſione finis in obiectiuum, & formalem annotauit Suarius in Metaphy. diſp. 23. ſect. 2. nu. 12. cum Bello-

D. Thom.

monta-

montano, & alijs, quos superiori libro citauimus. Enim verò, sicut finis obiectiuus non potest esse nobis bonus, nisi sit á nobis per aliquam operationem assecutus, & ob id ex ipso, & assecutione eius componitur, & integratur vnus finis totalis, ad quem intentio agentis adæquate terminatur, & propter quem adequate omnia operatur (auarus enim non intendit pecuniam absolute, sed vt suam, & à se possessam): ita etiam beatitudo obiectiua (nimirum Deus) non potest nos beare, nisi nobis per formalem beatitudinem beatificè coniungatur; vnde ex vtraque integratur vna totalis beatitudo, nempe Deus visus, quē adequate appetimus. In hoc igitur toto composito distinguemus duas partes: obiectum scilicet ipsum, quod nos beat: & adeptionem illius, qua formaliter beamur. Priorem partem appellamus beatitudinem obiectiuā: posteriorem autem; formalem. Vtraque ita se habet, vt neutra sinealtera possit beare

5 Dubitatio Aliquorum opinio.

Aduertendum est secundo, nō cōstare inter Doctores, an vtraq; pars huius cōpositi debeat dici beatitudo? Sūt, qui dicunt, si proprie loquendū est, solam adeptionem obiecti beatifici dici posse beatitudinē. Alij è cōtrario volūt beatitudinē simpliciter prolatam pro solo obiecto accipi. Priorē dicendi modum probauit Sotus in 4. distinct. 49. q. 1. ar. 1. in principio, & videtur fuisse sententia Durādi ibi q. 1. quatenus docet beatitudinē simpliciter prolatā accipi nō posse pro re, quæ nos beat. Sed pro adeptione illius. Sola igitur beatitudo formalis est simpliciter beatitudo: obiectiua verò solùm impropriè. Fundamentū est, quia beatitudo simpliciter sūpta est id, quo formaliter dicimur beati: igit̄ erit in nobis inhærens: talis autē nō est Deus, sed adeptio Dei. Fauet huic sententiæ D. Thomas, qui adeptionem Dei appellat beatitudinem per essentiam: Deum autem dicit esse causam, siue obiectū beatitudinis, vt patet 1. 2. q. 1. ar. vltimo ad argumenta, & q. 3. ar. 1.

Aliorū responsio.

Sotus.

Durandus

D. Thom.

6 Henricus.

Posteriorē modū dicendi probare videtur Henricus in summa ar. 49. q. 5. litera N. O. P. X. & q. 6. litera G. H; Fundamentum est; quia beatitudo simpliciter sumpta habet rationē vltimi finis: iam verò adeptio obiecti beatifici, non est finis vltimus; cum referatur ad ipsum obiectum beatificum, tāquam in finem, gratia cuius est. Ob quam rationem Sotus vbi supra dixit adeptionē beatitudinis, si proprie loquendum est, non esse vltimum finem nostrum.

7 Resolutio.

Dicendum tamen est vtranque partialem beatitudinem veram habere, & propriam rationem beatitudinis: nā, tā finis obiectiuus, quam formalis veram habet rationem finis, vt in superiori libro late ostendimus. Et quidem, quod vtraque beatitudo, tum apud Arist; tū apud Patres dicatur beatitudo non negant aduersarij: quin potius fatentur vtrāque promiscue dici beatitudinem. Et in hoc quidem rectè: nam, quod Deus dicatur beatitudo nostra, colligitur ex illo Genesis 15. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Nomine mercedis intelligitur vita æterna, & suprema beatitudo, vt est communis explicatio. Itē Ioannis 11. *Ego sum resurrectio, & vita:* Nimirum æterna, iuxta illud primæ Ioānis primo. *Annuntiamus vobis vitam æternā, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Et cap. 5. in fine: *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Deniq; Augustinus 19. de Ciuitate Dei cap. 26. *Vita beata hominis Deus est.* Et lib. 12. de Ciuitate cap. primo: *Non est creatura rationalis bonum, quo beata sit, nisi Deus.* Tractatu 70. in Ioannem: *Ipse est vita æterna, in qua futuri sumus.* Vnde Deus dicitur nostrum præmium: nostra vita: nostra gloria, & denique finis noster: ex August. 22. de Ciuitate Dei c. 30. & lib. 10. cap. 4. Quod etiam colliges ex Aristotel. 12. Metaphysic. cap. 10. tex. 52: vbi concludit Deum in se esse bonum quoddam totius vniuersi, & finem, ad quem omnia ordinantur.

Genes.

Ioannes

1. Canonica Ioannis.

August.

August.

9 Aristot.

Quod verò beatitudo formalis, & apud Aristo. & apud Patres, imo, & in sacris literis dicatur beatitudo, facile patet: quoniam Arist. passim docet felicitatē in operatione esse sitam: & operationē secundū virtutem, & ipsam causarū altissimarum contemplationem sępe appellat felicitatem. Aug. etiam lib. 1. de morib. Ecclesię Catholicę c. 25. cognitionē veritatis appellat vitā æternā, id est beatitudinē. Quod etiā repetit lib. 1. retractat. c. 1. & probat ex verbis Christi Ioannis 17: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum*

August.

Ioannes.

Christum. Non est igitur negandum vtrãque beatitudinis partem, & ab Arist. & a Sanctis appellari beatitudinem.

9 Quod vero vtraq; veram, & propriã rationem beatitudinis habeat, inde patet: quoniã vtraq; habet verã, & propriã rationem summi boni, & vltimi finis in suo genere. Et Deum in se esse summũ bonum, & vltimum finem creaturæ rationalis nullus dubitabit: id enim expresse docet Augustin. de Ciuitate Dei lib. 10. cap. 4. & lib. 12. cap. 1. & lib. 22. c. 3. In hoc sensu dicitur merces nostra Genesis 15. & vita æterna primę Ioãnis primo & 5. Id etiam cognouit Aristot. 12. Metaphy. cap. 10. tex. 52. vt supra diximus. Cum igitur Deus in se vere, & proprie sit summum bonum nostrum, & vltimus finis, non potest non habere veram, & propriam rationem beatitudinis. Nec fundamentum Soti aliquid officit: quoniam beatitudo simpliciter sumpta, idest, secundum totalem rationem beatitudinis est id, quo beamur: non tamen secundum suam totalem rationem, est id, quo intrinsecè beamur; cum enim beet, & vt res, vt adeptio rei, secundum vnam sui partem beat, vt forma extrinseca, & secundum alteram, vt forma intrinseca; & vtroque modo beat; vt quo: Etenim Deum esse id, quo beatus fit beatus, docet Augustin. 7. de Ciuitate Dei cap. 30. & lib. 10. capit. 4. & libro 12. cap primo, vt ex dictis patet.

Augustin. Genes. Ioannes. Arist. Augustin.

10 Ipsa autem adeptio rei, quæ beat, nõ dicitur à D. Thoma beatitudo per essentiam, quasi sola illa habeat essentialem beatitudinis rationẽ: sed quia res, quæ beat, per eam formaliter reponitur in esse essentiali beatitudinis: Enimverò res, quę est beatitudo obiectiua, & sũmũ bonum nõ habet completam rationem beatitudinis, nisi fiat bonum proprium eius, qui beatur: iuxta illud Arist. amabile quidem bonum, vnicuique autem proprium. Fit autem bonum propriũ beati per ipsam ipsius boni adeptionẽ.

Aristot.

11 Quòd verò ipsa adeptio summi boni (quam appellamus beatitudinem formalem) veram, & propriam habeat rationem beatitudinis, inde ostenditur: quia Aristotel. vix aliam beatitudinem agnouit, nisi formalem (vbique enim felicitatem in operatione ponit, operatio autem nõ potest esse beatitudo, nisi formalis) hanc autem passim appellat summum bonum, vt 1. Ethicorum cap. 2. tex. 8. & cap. 4. tex. 13. & cap. quinto, tex. 16. 7. polyticorum cap. 8. eandem esse vltimum finem docet primo Ethicorum cap. 7. & primo Rhetoricorum cap. 5. & primo Magnorum moralium cap. 2. cum quo consentit Augustin. 11. de Trinitate cap. 6. vbi verbis disertis affirmat voluntatem videndi Deum habere pro fine ipsam visionem. Consentit D. Thomas 1.2. q. 3. ar. 1. in corp. & ad 2. & 3. cum igitur beatitudo formalis secundum se vere sit summum bonum, participatum tamen; & vere sit vltimus finis hominis; non video, cur illi neganda sit vera, & ppria ratio beatitudinis. Nec ea, quę obijcit Henr. aliquid efficiũt: quia non potest Philosophicè negari beatitudinẽ formalẽ verè, & proprie esse vltimũ finem: vt superiori lib. ostendimus.

Augustin. D. Thom. Henric.

Aduertendum est Tertio, beatitudinem, vt est quoddam totum integratum ex vtraque partiali beatitudine, habere quidem vnam completam rationem beatitudinis vniuocam, quæ vniuoce conuenit singulis completis beatitudinibus: est enim nihil aliud, quam summum bonum adeptum. Ipsas tamen partiales beatitudines inter se collatas nõ habere vnam rationem vniuocam, sed solùm analogam docuit D. Bonauentura in 4. dist. 49. ar. 1. q. 1. & satis est de mente Henrici in summa art. 49. quæst. 5. ad 3. litera N. etenim vna est beatitudo vt res, altera vt possessio rei vna est beatitudo vt, *quæ*; altera vt, *quo*. Quarũ neutra potest complete beatificare, sed incomplete solum, ac veluti partialiter: sub diuersa tamen ratione beandi: quia vna beat, vt res, quæ ratione sui est bonum per se appetibile & amabile: altera beat, vt adeptio: siue possessio illius boni. Ex quo infertur beatitudinem formalem participare rationem beatitudinis per beatitudinem obiectiuam; nec enim visio Dei haberet rationem beatitudinis, nisi Deus esset nostra beatitudo: nam sicut auarus non appeteret: possessionem pecuniæ, nisi appeteret ipsam pecuniam, tanquam causam suæ felicitatis: ita etiam homo non appeteret visionem Dei tanquam summum bonum, nisi appeteret Deum fontẽ omniũ bonorũ.

12

Bonauent. Henricus.

Quare

Quare ratio bonitatis, & appetibilitatis, quæ reperitur in beatitudine formali, in eam diriuatur ex beatitudine obiectiua: vnde ratio beatitudinis prius conuenit obiectiuę, & posterius formali. Quare sine fundamento Ægidius, & Thomas de Argentina reprehẽduntur à Bellomontano 1.2. disp. 8. cap. 3. num. 16. quod dixerint nostram beatitudinem prȩcipue esse ipsum Deũ, operationem verò minus principaliter: in hoc enim satis Theologicè, & Philosophice loquuntur: cum beatitudo formalis, & bonitatem, & rationem finalizandi consequatur ex beatitudine obiectiua, habeatque suam perfectionẽ per vnionem ad illam, vt docet D. Thomas 1.2. q. 3. ar. 8. Neque huic doctrinæ officit, quod ex vtraque fiat vna beatitudo completa: & vna sine altera non possit esse beatitudo: cum his enim optime constat vnam beatitudinem esse altera prȩstantiorem. Ex quo colliges vnam ab Auctore naturæ in alteram ordinatã esse, tanquam in finem operis adȩquatum: Deus enim visionẽ diuinæ essẽtiȩ ordinauit ad videndum Deum. Itaque vna potest esse finis operis respectu alterius, non tamen finis operãtis, quod est aduertendum.

Ægidius. Argentin. *D. Thom.*

§. 4.
Tertia diuisio in naturalem, & supernaturalem.

13 TErtio diuiditur beatitudo in naturalem, & supernaturalem. Naturalis est, quę est proportionata humanæ, naturę ad quã homo per sua naturalia peruenire potest. Supernaturalis est, quę naturam humanam excedit: vnde nec ad eam perueniri potest, nisi humana natura diuinitus eleuetur. Diuisio ponitur à D. Thoma 1. p. q. 62. art. 1. & 1.2. q. 62. ar. 1. in corp. & ad 3. & in 3. d. 23. q. 1. ar. 4. quæstiuncula 3. ad 2. innuitur ab eodẽ D. Thoma 1. p. q. 75. ar. 7. ad 1. & 1.2. q. 3. ar. 5. Nam duplicem finẽ naturalem, & supernaturalem expresse docuit idẽ D. Thomas 1. p. q. 23. ar. 1. Et multis alijs locis, vt vidimus superiori libro. Diuisionem probant omnes interpretes D. Thomæ locis citatis: probãt Caietan. prima p. q. 62. ar. 1. Medina 1.2. quæst. 3. art. 8. Petrus Ledesma de diuina Perfectione quæst. 6. & q. 8. ar. 4. Fonsec. 1. Metaphysic. cap. primo, q. 1. sect. 6. & q. 2. sect. 3. Cursus Conimbr. lib Ethicorum disp. 3. quæst. 3. ar. 2. Suarius in Metaph. disp. 30. sect. 11. num. 11. & 36. Henr. lib. primo de fine hominis cap. 1. §. 4. Satis eã admittit Scotus in 3. quæst. Prologi ad 3. primę quæstionis litera. S. Ex quibus patet diuisionẽ esse celebrẽ apud Theologos; quanuis non inueniatur apud Arist. Æthnicosq; Philosophos, quibus beatitudo supernaturalis fuit ignota.

Caietan. Medina. Petrus Ledesma. *Fonseca.* *Scotus.*

14 Non defuerunt tamen, qui putauerũt eam non esse admittendam eo ducti fũdamento, quod beatitudo naturalis admittenda nõ sit, si vera, & propria ratio beatitudinis sit expendenda. Ita constãter scripsit Bellomont. 1. p. disp. 226. c. 2. & 1.2. disp. 12. cap. 3. nu. 11. Quare in eo solùm sensu admittit hãc diuisionem, si beatitudo in latiori quadam ratione sumatur: nimirum pro illa, quę solum habet vestigium quoddam, & quandã imaginem beatitudinis. Hãc sententiã sumpsit ex Cano de locis Theologicis lib. 9. cap. 9. vbi multis ostendit nullã dari in hac vita naturalẽ felicitatẽ. Eiusdẽ sententiæ fuit Sotus in 4. dist. 49. q. 2. ar. 1. §. *Hæc quæstio multa*, vbi affirmat beatitudinẽ veram nõ esse duplicẽ, sed vnicã, visionem scilicet Dei. Vnde ibi ar. 2. post tertiã conclusionẽ affirmat in hac vita nõ esse reperibile summũ bonũ. Sed vel mutauit sententiã, vel sui oblitus est: quoniã lib. 1. de natura, & gratia c. 3. in tertia consideratione hominis Physici agnoscit in homine duplicẽ vltimũ finẽ, naturalem inquã, & supernaturalẽ: nec semel admittit beatitudinẽ aliquã viribus naturæ acquiripossse, vt scribit in 4. dist. 49. q. 2. ar. 2. concl. 3. & 5. Quid Scotus senserit mihi nõ est certũ; quanuis à quibusdã in oppositum allegetur ideo, quia putat visionem Dei esse finem nobis naturalem. Sed negandum non est Scotum nostrã diuisionẽ admisisse in 3. q. prologi litera S. Cũ qua sententia minime pugnat beatitudinẽ patrię esse nobis finẽ naturalẽ, supernaturaliter tñ cõsequẽdũ: quoniã cũ hoc simul stat prȩter hunc finem dari aliũ, qui & appetitione, & assecutione sit homini naturalis. Quod mihi manifestè significãt verba Scoti in 1. q. prologi ad argumẽta ꝓ opinione Arist.

Cano. *Sotus.* *Scotus.* *Scotus.*

litera Q. vbi agens de felicitate naturali, quam agnouit Aristotel. ita ait: *Si felicitas nostra consisteret in speculatione illa suprema, ad quam possumus nunc naturaliter attingere; non diceret Philosophus naturam deficere in necessarijs: nunc autem concedo illam posse naturaliter homini acquiri: & vltra hoc dico aliam eminentiorem posse naturaliter recipi. Ergo in hoc magis dignificatur natura, quã si suprema sibi possibilis poneretur solùm esse ista naturalis.* Ex quibus verbis euidenter patet Scotum admittere beatitudinem naturalem, quam agnouit Aristotel. viribus naturæ acquisibilem; & præter eã dari alterã eminentiorem, quæ nobis esset appetitu naturalis; acquisitione tamen supernaturalis. Cum Scoto simpliciter transit Lichetus: nec est ex Scotistis, qui hoc neget. *Lichetus.*

15 Vnus est Herrera, qui particularem videtur eligere dicendi modum, si recte considerentur ea, quæ scribit apud Scotum in primo disput. 1. q. 8. putat enim beatitudinem naturalem viribus nostris commensuratam; possibilẽ fuisse, & nobis, & Angelis: quia vtraque natura potuit à Deo in finem naturalem ordinari: de facto tamen nullum dari in nobis, aut in Angelis finem illo modo naturalem: vt quia de facto in solùm vltimum finem alterius vitę ordinati sumus à Deo: qui etsi nobis, vt per illam extrinsecam ordinationem elenatis, sit naturalis in ordine ad appetitum: consecutione tamẽ est supernaturalis. Hęc colliges ex Herrera loco citato in 4. notabili, & conclusione 4. & 5. & clarius disp. 17. q. 6. §. *Tertia tamen sententia*. *Herrera.* *Herrera.*

Sed quidquid senserit Scotus, & Scotistæ cum Soto (nec enim de illorum sententia nunc inquirimus) non est, cur recedamus à celebri apud Theologos diuisione beatitudinis in naturalem, & supernaturalem. Diuiditur autem non iam in partes essentiales, sed in subiectiuas: etenim dandam esse beatitudinem appetitu, & assecutione naturalem specie distinctam à beatitudine suprema alterius vitę; In sequenti articulo ostendemus.

§. 5.

Beatitudo alia perfecta, alia imperfecta.

16 QVarto loco diuiditur beatitudo in perfectam, & imperfectam. Quæ diuisio celebris est apud D. Thomam, ea vtitur 1. 2. q. 3. ar. 2. ad 4. & ar. 3. & 5. atq; 6. & quæst. 4. 5. 6. 7. & 8. & passim alibi. Quę diuisio duobus modis explicari potest: vno modo, vt sit diuisio beatitudinis in cõmuni adæquate continens omnem beatitudinem. Altero modo, vt sit sub diuisio vtriusque beatitudinis, naturalis inquam, & supernaturalis. In priori sensu vtitur hac diuisione D. Thomas incitatis locis vbi beatitudinem supernaturalem appellat perfectam, naturalem verò imperfectam. Et hoc modo diuisio ista coincidit cum præcedẽte, qua beatitudo diuiditur in naturalem, & super naturalem: hæc enim sola perfecta est, illa imperfecta. Expenditur autem in hac diuisione beatitudo ex parte obiecti, à quo specificatur. Et hoc modo omnis, & sola beatitudo supernaturalis est perfecta; quia sola illa potest perfecte beare. Naturalis autem ex parte obiecti essentialiter est imperfecta; quia non potest facere aliquem simpliciter, & absolute beatum, sed solùm in tali genere. *D. Thom.*

Porro, si beatitudo expendatur ex 17
parte modi possidendi summum bonũ naturale, vel supernaturale: tunc diuisio ista est subdiuisio vtriusque membri diuisionis prędcedentis: vtraque enim bipartito diuiditur in perfectam, & imperfectam: hęc ad mortalem istam vitam pertinet: illa ad futuram. Vtraque tamen subdiuiditur in perfectam, & imperfectam: supernaturalis enim futurę vitæ est omnino perfecta, quæ verò in hac vita haberi potest, imperfecta est, vt patet. Similiter naturalis beatitudo subdiuiditur: nam quæ in hac vita haberi posset, esset imperfecta in suo genere; quæ autem post hanc vitam, vel ab anima separata, vel ab homine resuscitato possideri posset, longe esset perfectior. De quo in suis locis dicemus. Beatitudinem imperfectam huius vitę tam supernaturalem, quàm naturalem admittit Sotus in quarto distinctio. 49. quęst. secunda, artic. 2. cõclusio. 3. & 5. *Sotus.*

§. VItimus.

Beatitudo alia practica, alia speculatiua.

Tandem

18 TAndem beatitudinẽ diuidi in practicam, & speculatiuam communis est doctrina Theologorũ in 4. d. 49. cum D. Thoma 1.2 q.5.ar.4. & Paludano in d.dist.49.q.3. ar. 2. Fundatur in Aristotele 10.Ethicorum cap.7. 8. & 9. Diuisio tamen accomodari non potest beatitudini supernaturali futuræ vitæ; hæc enim formaliter est speculatiua: & non practica, iuxta veriorem sententiam. Bene tamen accommodari potest beatitudini tam naturali, quàm supernaturali vię: ad vtranque enim requiritur perfectio nõ tantum cognitionis, sed etiã operationis: vnde ad vtrãque est necessaria tũ scientia, tum etiã virtus, vt supponimus.

D.Thom. Palud. Aristot.

Aduertendum tamen vtranque beatitudinem diuidi in priuatam, quę ad hominem priuatum pertinet respectu sui: & in politicam, siue ciuilem, quæ spectat ad hominem, prout est politicus, & in Reipublicę luce versatur. Hęc de diuisionibus beatitudinis tetigisse satis sit.

ARTICVLVS III.

Vtrum præter beatitudinem supernaturalem de facto admittenda sit naturalis beatitudo?

§. 1.

Præmittuntur nonnulla.

QVoniam nõ solùm Ethnici Philosophi cũ Aristotele, sed etiã Philosophi Christiani cũ D. Thoma multa scripserunt de beatitudine commensurata naturę hominis, quam appellant naturalem; operæpretium erit, antequã de beatitudine in speciali disseramus; examinare, an præter beatitudinem supernaturalem, quæ futura est in patria; hæc etiam de facto sit admittẽda, quę & appetitione, & assecutione sit naturalis? Quod dicimus propter eos, qui beatitudinem supernaturalem patrię contendunt esse naturalem, non quidem assecutione, sed appetitu: vt quia, licet, non nisi supernaturaliter acquiri à nobis possit, naturaliter tamen à nobis appetitur, quasi finis noster naturalis. Cuius quæstionis resolutio ad nostram disputationem parum refert: quoniam siue illa simpliciter sit dicenda supernaturalis, siue solùm quoad assecutionem; semper inquiri potest, an præter illam detur alia beatitudo, quæ naturalis sit, tum quoad appetitionem, tum etiam, quoad assecutionem. De hoc enim nonnulla est inter Theologos controuersia.

2 In hac quæstione supponimus dari quandam supernaturalem hominis beatitudinem, quę est vltimus finis noster supernaturalis: visionem scilicet diuinę essentię, eiusque fruitionem, quam in futuro sęculo speramus. De qua suppositione non potest dubitari ab aliquo fideli; est enim de fide certissimum dari hanc supremam beatitudinem: nam in Symbolo fidei articulus vitæ æternę futuri sæculi proponitur nobis credendus, iuxta illud Matthęi. 25. *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis Regnum ab origine mundi,* & in fine capitis concludit Euangelista: *Et ibunt hi (scilicet mali) in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.* Denique Marci 10. & Lucæ 18. vita ętерna promittitur in futuro sæculo his, qui propter Christum reliquerint Patrem, & Matrẽ, &c. Hęc autem æterna beatitudo dicitur supernaturalis, vel simpliciter, vel saltem secundum assecutionem: quia nisi per media supernaturalia comparari non potest.

Symbolum fidei Matthæi. Marcus. Lucas.

3 Prętер istam supernaturalem beatitudinem (quę sola est beatitudo perfecta, & absoluta) danda est quædam supernaturalis beatitudo, quæ in via reperitur. Id, quod supponendum est tanquam certissimum, cum eam admittant omnes Theologi cum Soto in 4. dist. 49. quęstio. secunda, articulo secundo, conclusio. 3. & quinta, Cano, & Bellomontanus, ille lib. 9. de locis Theologicis cap. 9. hic verò prima parte disput. 226. cap. tertio, num. 9. & prima secundæ, disput. 12. cap. 3. num. 13. Et in hoc quidem recte: quoniam loquuntur consentaneè. ad D. Thomam 2.2. quęst. 186. articulo primo ad 4. & de veritate quęstio. 14. artic. 2. & in 3. distinct. 27. q. 2. ar. 2. & ad Augustinum 11. de Ciuitate Dei capitul. 12. vbi docet non solum dicendos esse beatos, qui diuina fruunt essentia iã de sua perpetuitate securi, sed in hac vita beatos posse nõ nullos dici. Quin potiꝰ affirmat primos

Soto. Cano. D.Thom. Augustin.

parentes in ſtatu Innocentiæ beatos fuiſſe: *Quis enim, inquit, primos illos homines in paradiſo negare audeat beatos fuiſſe ante peccatum?* Et de ijs, qui in hac vita iuſti ſũt, ita addit: *Cum hodie non imprudenter beatos vocemus, quos videmus iuſte, & pie cum ſpe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere ſine crimine.* Ecce ex Auguſt. nec imprudenter admittimus dari in hac vita ſupernaturalem beatitudinem: nec niſi audacter negabitur aliquos in hac vita dici poſſe beatos. Et merito (vt ait Ludouicus Viues in eodẽ loco) quia Chriſtus Matth. 5. ait: *Beati, qui eſuriũt, & ſitiunt iuſtitiam.* Et rurſus: *Beati mundo corde, quia ipſi Deum videbunt.* Ex quo loco Theologi deducunt octo beatitudines huius vitæ, de quibus diſputat D. Thomas 1.2.q.69. & Scholaſtici in 3. diſt. 34. & Diuina Scriptura paſsim appellat beatũ, qui hoc vel illud fecerit: Pſamo 1. *Beatus vir, qui timet Dominum.* Et in alio Pſalmo: *Beati immaculati in via* Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Qui locus, &ſi ab aliquibus explicetur de cognitione intuitiua patrię, vt patet ex D. Thoma. 1. p. q. 10. ar. 3. tamen communiter exponitur de cognitione per finem, vt patet ex Aug. & ex cæteris interpretibus ibi. In quo ſenſu illa verba: *Hæc eſt vita æterna;* non ſunt explicanda in ſenſu cauſali (quicquid velit Toletus) ſed in ſenſu formali, vt interpretatur Euthymius cum Maldonato, vt ſit ſenſus: hæc eſt vita æterna, quam ego Diſcipulis iam dedi, cognoſcere ſcilicet te ſolùm Deum, ideſt, totam Trinitatem, & ſimul Filij incarnationẽ: dederat autem Diſcipulis cognitionem non viſionis, ſed fidei. Quare negari non poteſt dari in hac vita quandam ſupernaturalem beatitudinẽ; quæ licet imperfecta ſit: vera tamen eſt. Ita vt non imprudẽter vocetur beatitudo, vt patet ex verbis Auguſtini.

Ludouicus Viues. Matthæus. D.Thom. Pſalm. 1. Ioannes. D.Thom. Auguſt. Toletus. Euthimio. Maldonat.

4 Obiectio. Si verò obijcias beatitudinem iſtam eſſe beatitudinem ſolum in ſpe, quatenus habet ſpem obtinendi beatitudinẽ patriæ, vt docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 69. ar. primo & tertio, iuxta illud Pauli ad Romanos 8. *Spe ſalui facti ſumus.* Beatitudinẽ autem ſolùm in ſpe non eſſe veram beatitudinem, quæ faciat beatum, ex Ariſtot. 1. Ethicorum cap. 9. tex. 45. dũ negat pueros dici poſſe felices, quãuis concedat eos habere felicitatem in ſpe, quatenus de illis ſperatur, quod ſuo tempore ſecundum virtutem operabũtur. Si inquam ita obijcias; reſponden dum eritbeatitudinem ſupernaturalem viæ dici beatitudinem in ſpe; non præciſe ex eo, quod in ſpe eſt beatitudo patriæ: ſed ex eo, quod in ſe ipſa eſt operatio perfectiſsima habẽs coniunctam ſpem cõſequendi beatitudinem patriæ. Quare, etſi actu careat operatione patrię (quia hanc ſolùm habet in ſpe) non tamen caret operatione, quæ eſt ſummum bonum viæ: idque propter ſpem coniunctam conſequendi viſionem patriæ. Obquam rationem dicitur ſemen cœleſtis beatitudinis, & quędam actualis illius operatio. Et ita explicandus eſt D. Thomas: nec enim dicit eſſe beatitudinem patrię ſolùm in ſpe; eo modo, quo beatitudo pueri eſt beatitudo, quę ſperatur futura: ſed dicit eſſe beatitudinem actualem in ſe ipſa, cum ſpe conſequendi beatitudinem patriæ. Vnde multum differt à beatitudine in ſpe, quę eſt in puero: hęc enim nullam dicit operationem, quæ actu ſit cum ſpe futurę operationis. Et hunc ſenſum ſatis inſinuant verba Auguſt. ideo enim dicit iuſtos eſſe beatos, quia iuſte, & pie viuunt (ecce operationem perfectam virtutis) cum ſpe futuræ immortalitatis.

Solutio.

Ex his patet ſenſus propoſitæ quæſtionis: inquirimus enim, an præter beatitudinem ſupernaturalem, tam patriæ, quàm viæ, admittenda ſit beatitudo quędam naturalis, quæ ſit vltimꝰ finis naturę humanæ commenſuratus, tum in appetendo, tum in aſſequendo? Nec enim in hoc omnes conſentiunt. Quidam enim negant: alij affirmant: media via quidam incedunt, quorum opinio videtur probabilior: ſed ſingulas ſententias perſequamur.

§ .2.

Ponitur opinio negans.

5 PArtem negantem propoſitę quæſtionis probauit Canus licet obſcure libro nono de locis Theologicis capite nono pagin. 521. Expreſſius Bellomotanus prima parte diſput. 226. cap. 2. num. 3. & 4. & 1.2. diſput. 12. cap.

cap. 3. n. 11. quibus in locis multis contendit, si propriè loquendum est, nullã admittendam esse beatitudinem naturalem : quia nulla operatio naturalis beare potest intellectualẽ creaturã, & in hac opinione constanter perseuerat.

Sotus. Pro eadẽ sententia citari potest Sotus in 4. dist. 49. q. 2. ar. 1. post principiũ §. *Hæc quæstio multa*, quatenus asserit veram beatitudinem vnicam tantum esse, visionem Dei: nisi velis eum interpretari de vera, idest perfecta beatitudine, ne sibi cõtradicat; quia, vt diximus, in homine agnoscit duplicem vltimum

Scotus. finem. Nonnulli pro hac opinione citãt Scotum, quatenus docet supremam patriæ beatitudinem esse naturalem homi nis finem. Sed profectò Scotum præter beatitudinem patriæ admittere alium finẽ in precedenti articulo collegimus. Nec satis est, vt Scotum ad sententiam Bellomõtani trahamus, quod dicat beatitudinem patriæ esse finem naturalem: nam cum illum ita ponat naturalem, vt dicat supernaturaliter esse assequendũ; non bene infertur eum negare finem alium in homine, qui non solum appetatur naturaliter; sed etiam naturaliter comparetur.

7 *Herrera.* Non est negandum Herrerã præstãtissimum Scotistam peculiarem excogitasse dicendi modum: beatitudinem naturalem possibilem quidem fuisse: de facto tamen nullam dari, aut in nobis, aut in Angelis: vt quia de facto in solum finem alterius vitę à Deo simus ordinati: qui licet nobis per talem ordinationem iam eleuatis sit naturalis in ordine ad appetitum; consecutione tamen est supernaturalis. Hæc collegimus ex Herrera in primum Scoti disp. 1. q. 8. notabili 4. & concl. 4. & 5. & clarius disp. 17. q. 6. §. *tertia tamen sententia.* Quare Herrera partim consentit cum Bellomontano; partim ab eo dissentit. Dissentit quidem, quatenus admittit possibilem nobis fuisse naturalem beatitudinem: si nimirum homo in puris naturalibus relinqueretur, nec eleuaretur ad superiorem finem: consentit verò; quatenus de facto nullam aut in homine, aut in Angelis naturalem beatitudinẽ agnoscit; sed eam solum, quæ futura est in patria.

8 Bellomontanus in citatis locis multa congerit in confirmationem suæ sententiæ, quorum vim non facilè intelliges, nisi aduertas illum eo tendere, vt ostẽdat in Angelo, & homine in puris naturalibus cõstituto nihil dari posse, quod nomen beatitudinis mereatur. Hominẽ verò tunc in puris naturalibus considerari, cum consideratur cum solo dono creationis secluſa, quacũque gratia ab illo dono distincta. Quare existimat nullam esse felicitatem homini, aut Angelo naturalem; ideo quia nulla est, quæ ex solo dono creationis possit illi conuenire. Hoc autem esse quam manifestissimum multis nititur probare.

9 Primum fũdamentum sententiæ negatiuæ. Et primum: quia nihil, quod cum summa miseria peccati simul esse potest, meretur nomen veræ beatitudinis. Sed quidquid conuenit homini, aut Angelo pro statu puræ creationis hoc est cum solo dono creationis, potest esse simul cum summa peccati miseria. Ergo nihil est in homine, aut Angelo in tali statu, quod nomen beatitudinis mereatur. Cõsequentia patet, similiter, & maior, quia vera felicitas constare non potest cum summa miseria: beatitudo enim, si vera est, excludit si non omnem, saltem summam miseriam, qualis est miseria peccati. Minorem non probat, sed supponit: ex his tamen, quæ scribit, probari potest: quia nec Angelus, nec homo ex sua natura est impeccabilis, vt patet. Ergo donum creationis non satis est, vt peccatum excludat; sed adhuc est opus noua gratia Dei, etiam vt non peccetur contra præcepta naturalia, vt cũ Theologis ipse probat 1. p. disp. 231. & 1. 2. disp. 189.

Ex quo infert hoc peculiare esse creaturæ rationali, vt ad sui beatitudinem, vltimamque perfectionem indigeat peculiari dono gratiæ præter donũ creationis: & in hoc distingui ab irrationali creatura: hæc enim ad consequendam suam vltimam perfectionem nullo indiget nouo Dei dono distincto à dono creationis. Rationem discriminis ex eo sumit, quod creatura irrationalis suapte natura ad vnã partem, & ad vnum operandi modum est determinata; & ideo solùm indiget generali influxu, vt suam consequatur naturalem perfectionem, vltimumque finem, qui generalis influxus naturaliter illi est debitus. Secus in homine & Angelo; nam cum neuter ex

vi suæ creationis fit advnũ modũ operãdi determinat°, vterq; indiget noua gratia distincta à dono creationis, ne in operando errare possit. Quare si ab illis secludamus omnem gratiam Dei distinctam à dono creationis, possunt errare etiam contra præcepta naturalia. Ita fit, vt dono creationis non repugnet esse simul cum summa miseria, quæ fuit minor.

10 Secundum fundamentum.

Secũdò, quia de ratione beatitudinis est perpetua aut saltem diuturna duratio in possessione summi boni. Sed in statu puræ naturæ ex solo dono creationis nec daretur perpetua, nec diuturna duratio in aliquo illius status bono. Ergo in illo statu nulla vera beatitudo potest consistere. Maior ab omnibus conceditur: nec enim per operationem, quæ cito transit, quantumuis sit perfectissima, potest homo esse beatus. Minor probatur, quia in illo statu seclusa omni gratia à dono creationis distincta, nec intellectus posset diu perseuerare in naturali Dei contemplatione: nec voluntas in naturali rectitudine operando secũdum virtutem: enim vero status ille non esset potẽtior nostro naturę lapsæ; in quo nec adest diuturna in bono perseuerantia, nec bonorum stabilis sufficientia.

11 Tertium fũdamentum.

Tertio; si præter beatitudinem supernaturalem daretur naturalis beatitudo; vtique præter Deum, vt est obiectũ beatitudinis supernaturalis, daretur aliquod summum bonum, cuius consecutione possemus esse beati. At præter Deum, vt est obiectum supernaturalis beatitudinis nullum datur tale summũ bonum. Ergo præter beatitudinem supernaturalem nulla potest dari naturalis beatitudo. Consequentia est nota simul cum maiore: quia de ratione beatitudinis est, quod sit assecutio summi boni. Minor probatur: quia experiẽtia constat appetitum nostrum non satiari vllo eorum bonorum, quæ in hac vita viribus naturæ consequi possumus; nec etiam ipso Deo naturaliter cognito; quia nec Deus, nisi clare visus, appetitum satiare potest, iuxta illud Psalmi: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Quod etiam satis explicauit Aug. lib. 1. Confessionum cap. 1. *Inquietum est cor nostrum donec perueniat ad te*. Cuius inquietudinis ratio ea est, quia nullum datur bonum creatum; quod per se sit sufficiens bonum: cum nullum detur, quod per se sit omne bonum. Imò nec Deus nisi clare visus se se nobis coniungit sub ratione omnis boni; quod si nullum bonum, nisi Deus clare visus potest satiare hominis appetitum; vtique nullum bonum, præter Deum clare visum, potest esse summum nostrum bonum; & subinde nulla potest dari beatitudo naturalis.

Psalm. *Augustin.*

12 Quartũ fundamentum.

Quartò, Deus clare visus est vltimus finis naturalis hominis. Circa hunc finẽ nulla beatitudo versari potest, nisi sola beatitudo supernaturalis patriæ. Ergo præter hanc nulla datur naturalis. Minor patet; Maiorem probant præstantissimi Theologi. Consequentia ex eo probatur, quia nulla beatitudo dici potest naturalis, nisi versetur circa finem vltimum naturalem: & cum iste non sit nisi vnicus (quia vnius rei vnicus tantũ potest dari vltimus finis) profecto si Deus clare visus est vltimus finis naturalis; circa quem sola beatitudo supernaturalis versatur; vtique præter beatitudinem supernaturalem nulla dari potest naturalis beatitudo. Hæc sunt potiora huius sententiæ fundamenta.

§. 3.

Explicatur sententia affirmans.

13

PArtem tamen affirmantẽ probare videtur communissima ferè omnium Theologorum sententia. Eã tanquam verissimam supponunt omnes qui admittunt beatitudinem diuidi in naturalem, & supernaturalem. Ita D. Thomas 1.p. q.23.ar.1. & q. 62. ar.1. & q.75.ar.5.ad 3.&q.110.ar.3.& in 3.dist. 23.q.1.ar.4. quæstiunc. 3. in corpore,& ad 2. Caietanus 1.p.q. 62. ar.1. & q. 82. ar.1. §. *Circa hanc conclusionem*, vbi admittit rationem naturalis beatitudinis saluari in cognitione Dei, quę naturaliter haberi potest. Medina 1.2.q. 3.ar.8. Petrus Ledesma de diuina perfectione q. 8.ar.4.pag.512.colum.2.& q.6.pag.422. Banhes 1.p.q.12.ar.1.dub.2.& q.62.ar. 1.notabili 2.& 3. & dub.1. ad argumenta, Viguerius in institutionibus Theologicis cap.14. verso 1. Curs. Conimbr. in libr. Ethicorum disp.3. q.3.ar.1. Bellarmin. in libr. de gratia primi hominis cap.

D.Thom. *Caiet.* *Medina.* *Petr. Led.* *Banhes.* *Viguerius.* *Bellarm.*

Herrera. cap. 7. in fine, Herrer. lib. 1. de fine hominis cap. 1. §. 4. in tex. & in Glosa, M.
Molina. Molina 1. p. q. 62. ar. 1. & q. 63. ar. 1. & 2. disp. vnica, Suarius in Metaphy. disp. 30.
Scotus. sect. 11. n. 11. & 36. Eam admittit Scotus in 1. q. prologi litera S, & in 3. q. liter. D.
Sot. expresit Sotus lib. 1. de natura, & gratia cap. 3. in 3. consideratione hominis, & in 4. dist. 49. q. 2. ar. 2. conclusione 3. & 5. Qui omnes non solum tanquam notissimum supponunt dari beatitudinē naturalem distinctam à supernaturali: sed etiam affirmant eam de facto viribus naturæ obtineri posse.

14 Primum argumentum sententię affirmatiuæ. Hæc sententia primò ostenditur ab ijs, qui putant beatitudinem supernaturalem patriæ esse simpliciter, & appetitione, & assecutione supernaturalē: sumuntque argumentum ex naturali appetitu ad beatitudinem in cōmuni, quē omnes agnoscunt. Et ita argumentantur: in homine datur naturalis appetitus ad beatitudinem in communi, ergo datur in eo naturalis appetitus ad particularem aliquam beatitudinem: non ad beatitudinem futuræ vitæ; ergo ad aliam, quę sit homini connaturalis, quā homo viribus naturæ consequi valeat. Totus discursus est legitimus; minorē posterioris supponunt Auctores huius argumenti simul cum antecedēte prioris discursus: consequentiam autem inde probant; quia si nulla in particulari beatitudo daretur, quæ ab homine naturaliter appeteretur; nec sane in ipsā beatitudinem in communi natura humana naturaliter esset propensa, quēadmodum si nulla specialis forma posset in materia naturaliter acquiri, materia naturaliter non esset propensa in formam in communi: ne in ea esset frustra talis propensio. Quare si in homine admittitur naturalis ꝓpensio in beatitudinem in communi; non potest non admitti naturalis propensio in aliquam particularem beatitudinem, saltem indeterminatè vide Fonsecam 1. Metaph. cap. 1. q. 2. sect. 3. ad 3.

Fonseca.

15 Secundùm argumentū. Secundo; potuit Deus hominem non ordinare in finem supernaturalem visionis diuinæ essentiæ, sed vel in puris naturalibus illum creare, hoc est sine vlla gratia, aut dono sanante naturam: vel in statu naturæ integræ sine vlla gratia gratum faciente; ita quodam dono rebellionem potentiarum continente, vt vigorosus esset, ac virtuosus ad seruandam rectitudinem naturalem, sed homo vno, vel altero modo cōditus nō posset non ordinari in aliquem finem vltimum sibi connaturalem, cuius assecutione beatus esset, ergo præter beatitudinem supernaturalem datur aliqua naturalis beatitudo. Discursus est optimus, maior ex eo probatur, quia omnes ferè Theologi hominem in hac vita constitutum sub quadruplici statu considerant, & distingunt: in puris scilicet naturalibus: in statu naturæ integræ: in statu naturę lapsæ: & in statu gratiæ gratum facientis: vt videre est apud Caietanum 1. 2. q. 85. ar. 3. vbi etiam Conradus, & Medina: idem Caietanus 1. 2. q. 109. ar. 1. Sotus 1. de natura, & gratia à cap. 3. cum sequentibus, Bellomontan⁹ 1. 2. disp. 185. c. 12. n. 59. & 60. vt omittamus eos, qui hominem in puris naturalibus conferunt cum homine in statu naturæ lapsæ: inter quos Scotus in report. dist. 29. q. 2. & dist. 35. q. 1. ante medium, vbi Gab. q. 1. ar. 3. dub. 3. Alb. Pighius controuersia 1. Driedo de gratia & libero arbitrio tractatu 4. cap. 1. in fine. Non considerarent autem quadruplicem istum statum hominis, nisi existimarent quemlibet illorum esse homini possibilem.

Caietan. *Conrad.* *Medina.* *Sotus.* *Scotus.* *Gabr.* *Albertus.* *Pighius.* *Driedo.*

Deinde probatur: quia hominem ordinari in beatitudinem supernaturalē non est debitum naturæ humanæ: est enim præmium homini ex gratia Christi præparatum, vnde à Paulo ad Romanos 5. dicitur: *Gratia Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Porro si vita æterna est gratia; vtique nec ipsa, nec ordinatio hominis ad ipsam erit debita naturæ humanæ: quia gratia, quæ est ꝓ Christum, excedit omnem conditionem, & proportionem naturæ humanæ; vt omnes Theologi docent contra Pelagianos, cum D. Thoma 1. 2. q. 111. ar. 1. ad 2. & q. 114. ar. 5. Quod si homo potuit creari absque gratia, & sine vlla ordinatione ad illam; vtique potuit homo creari à Deo absque vlla ordinatione ad finem supernaturalem. Denique cū id nullam includat repugnantiam, vera est maior nostri discursus: quam satis insinuauit D. Thomas 1. 2. q. 109. ar. 5. ad 3. dum ordinationem istam ad finem supernaturalem

Paulus. *D. Thom.* *D. Thom.*

pernaturalem ponit vt posibilem, non vt debitam.

Porro minor ex eo deducitur, quoniam ad Deum naturæ auctorẽ pertinet res omnes, quas condit in finem ordinare: iuxta illud Pauli ad Romanos 13. *Quæ à Deo sunt, omnia ordinata sunt.* & Sapientiæ 8. *disponit omnia suauiter.* Vnde omnia cuiuscunque sint ordinis, diuinæ subsunt prouidentię, vt fides docet; quę non est aliud, quam ratio ordinis rerũ in finem in mente diuina existens. Deus igitur, si hominem conderet in puris naturalibus sine gratia, non posset illum non ordinare in aliquem finem vltimũ sibi cõnaturalẽ, cuius assecutione beatus esset: quæ fuit minor. Quare præter finem supernaturalem admittendus est naturalis finis.

Paulus. *Sapientia.*

16 Tertium argumentum. *Arist.*

Tertiò; quia omnes Philosophi agnouerunt in homine vltimam beatitudinẽ, vt patet ex Aristotele 1. & 10. Ethicor. Non agnouerunt autem supernaturalẽ beatitudinem, quæ in clara Dei visione consistit: hæc enim longè superat naturale lumen nostri intellectus. Vnde, qui rectius philosophati sunt, eam posuerũt in contemplatione primæ causę adiuncta operatione secundum virtutem. Nõ est igitur negandum præter beatitudinem supernatuaralem admittẽdam esse naturalem naturaliter homini debitam. Nec enim dicendum est philosophos in hoc errasse. Nam & si errarunt, qui beatitudinem collocauerunt in diuitijs, aut voluptate, cæterisque rebus, quas ratio naturalis mõstrat beare nõ posse: non tamen errarunt, qui beatitudinem posuerunt in optima animi operatione, qualis est contemplatio Dei, vt est prima causa, & operatio secundum virtutem, vnde in hoc probati sunt à D. Thoma, & à Theologis.

17 Quartũ argumentum. *D.Thom.* *Caietanus.* *Banhes.* *Viguerius.* *Scotus.*

Quartò; quoniam communis Theologorum sententia non solum agnoscit posibilem fuisse beatitudinem naturalem; sed in aliquibus eam de facto agnoscunt: etenim Angelos fuisse creatos in beatitudine naturali docet D. Thom. 1.p.q.62.ar.1. vbi omnes Thomistæ Caietanus, Banhes, & cæteri interpretes, & Viguerius in institutionibus Theologicis cap.14. versu 1. Scotus in 2.dist. 3.q.9.§. *ad quæstionem*, versiculo *Quod autem tale*, & distinctione 4. q. 1. in primo argumento in principio quæstionis, Durandus ibi quæst.1.

Durand.

Pueros etiam, qui sine baptismo decedunt frui naturali beatitudine, quam plurimi docuerunt Theologi: ita Ambrosius Catharinus in opusculo de statu puerorum decedentium sine baptismo in c. de statu, & loco illorum, ad finẽ Opusculi, vbi ita concludit: *Ergo istis pueris, qui humanam naturam sine crimine habebũt illa, quæ humanæ naturæ conuenit, & quodammodò ipso iure debetur, felicitas dabitur.* Quã etiam sententiam asserit in c. 5. ad Romanos ad illa verba, per vnum hominẽ folio 55. colum. 1. late Sabonarola in libro de Triumpho Crucis, Albertus Pighius 1. controuersia, §. *De ipso vero damnationis modo*, & §. *Horum animas supernaturalem, & cætera.* Esse probabilem sententiam existimat Medina, placuisseq; pluribus Theologis 1. 2. q. 83. ar. 4. & in 2. opinione, & ad finem commenti: eã tribuit D. Thomæ in 2. dist. 33. q. 2. ar. 2. in corp. & ad 5. & de malo q. 5. ar. 3. probauit Michael Flauius in 2. dist. 43. q. vnica. Videtur esse Scoti ibi, dum pueris istis concedit excellentiorem de Deo cognitionem naturalem, aliarumque naturalium rerũ, quam philosophi pro huius vitæ statu habuerint: vnde inquit *aliqualem beatitudinem naturalem de Deo cognito in vniuersali poterunt attingere.* Consentit Lyra Ecclesiastes c. 4. ad illa verba: *qui non dum natus est*, dum ait pueros istos habere vitam magis delectabilem, quã posit haberi in vita præsẽti, testaturq; hanc esse omnium doctorum opinionẽ. Probat Thomas de Argentina in 2. dist. 33. q. vnica ar. 3. conclusione 2. ad 1. & concl. 3. ad 2. Viguerius in suis instit. Theolog. cap. 14. in principio versu 1.

Sabonarol. *Alb.Pigh.* *Medina.* *D.Thom.* *Michael Flauius.* *Scotus.* *Eccleſiaſt.* *Lyra.* *Argentin.* *Viguerius.*

18 Vltimũ argumentum.

Postremo, hominis excellentia (ad quam aduersarij recurrunt) non est satis, vt hominem priuet ordinatione ad finem naturæ humanæ accõmodatum: nam licet homo eius sit excellentiæ, vt ad altiorem finem, quam ex sua natura habeat, sit supernaturaliter eleuabilis; hoc non impedit, quominus simul ordinetur ad finem suæ naturæ debitũ, quem viribus naturæ acquirat: sicut enim principia supernaturalia ex sua natura supponunt in homine ordinationẽ ad finem supernaturalem: ita principia naturalia inferunt hominis ordinationem

D. Thom. nem ad finem illi cõnaturalem: vt satis docuit D. Thomas 1.2.q.82.ar.1.in corpor.dum ait: per principia naturalia ordinari hominem ad finem connaturalẽ, atque ideo indigere supernaturalibus principijs ad finem supernaturalẽ. Quibus verbis supponit in homine sicut reperitur duplex principiorum genus, supernaturalium sc. & naturalium; ita in eo simul dari duplicem ordinationem ad duplicem finem. Quod clarius colliges ex solutione ad 3.dum ait hominem per rationem, & voluntatem naturaliter ordinari ad Deum, prout est naturę principium, & finis secundum proportionem naturæ. Porro si illa ordinatio naturalis est, vtique necessaria est supposita voluntate creandi hominẽ. Quare illa simul existet, cum gratuita ordinatione illius ad supernaturalem beatitudinem. Ob quam rationem, nec Angelus propter ordinationem ad supernaturalem finem desijt ordinari ad finẽ suum naturalem, quem (vt diximus) de facto fuit cõsequutus: nec homo ad eũdem ordinari desijt, vt colliges ex Diuo Thoma de malo q.5.art.3: dum docuit ad cognitionem naturalem pertinere scire se esse ordinatum ad finem naturę suæ debitum: & ob id pueros in Limbo, dum naturalem sui cognitionẽ habent, naturaliter cognoscere se ordinatos ef se ad finem naturalem: quod non esset, si ordinatio ad finem supernaturalem (quam etiam habent per supernaturalem, & generalem Dei prouidentiam) excluderet ab eis ordinationem ad finẽ sibi connaturalem. Hæc sunt huius sententiæ præcipua fundamenta.

D. Thom.

§. 4.

Resoluitur difficultas.

19 Resolutio. EGO puto difficultatem istam ita resoluẽdam esse, vt dicamus beatitudinem naturalẽ, prout distinguitur à supernaturali alterius vitę, possibilem quidẽ fuisse; de facto tamen nullam dari. Hanc sententiam quibusdam Thomistarum probatam fuisse, tacito nomine auctorum, refert Bellomontanus 1.2. cap.2.nu.10. voluerunt enim in eo, qui ordinatus est ad finem supernaturalem, nullam esse posse naturalem beatitudinẽ: quasi supponant, nisi Deus libera voluntate homines ordinasset ad supernaturalem beatitudinem, eos ordinandos fuisse ad beatitudinem ipsis connaturalem, Quæ etiam fuit sententia Francisci de Herrera in disputationibus ad 1.sc.disp.1.q.8.si recte considerentur ea, quæ scribit notabili 4.& cõclusion.4. & 5. & clarius disp.17. q.6.§. 3. *tamen sententia*, cuius mentem explicauimus supra ar.2. in 3.diuisione beatitudinis. Satis nobiscum cõsentit Suarius in commentarijs ad 1. 2. q. 1. disp. 4.quæstiunc.3. in fine primæ diuisionis. Insinuat nostram sententiam Scotus in 2.distin.33. q.1.litera D. dum ex eo probat nunquam aliquem futurum in puris naturalibus, quia Deus naturam, quam fecit, semper perducit ad finem, nisi ex parte eius adsit impedimentum, vel defectus. Quibus verbis supponit, cum ordinatione hominis ad finem supernaturalem (de quo solo agit) nõ posse dari finem præcisè naturalem. Sed quidquid sit de mente Scoti, resolutio nostra est verissima.

Herrera. Scotus.

20 Prior pars resolutionis vnde probatur. Priorem illius partem mihi demonstra: secunda ratio partis affirmantis: nec enim potest negari potuisse Deum hominem non ordinasse in beatitudinẽ supernaturalẽ: nam sicut naturalis beatitudo est donum gratiæ: ita etiam voluisse Deum hominem ad illam ordinare, fuit maximum gratiæ donum: siue sermo sit de ordinatione efficaci prædestinationis, siue de inefficaci, quaDeus voluit omnes homines saluos fieri: vtrumque enim gratis voluit, & omnino libere, quia vtrumque est supra naturalem hominis capacitatem; potuit igitur Deus hominem creare, vel in puris naturalibus, vel in statu naturæ integræ: quid enim hoc implicat? Porro si ita illum creasset, vtique eum in aliquem finem connaturalem ordinasset, vt supra ostendimus, & satis docet D. Thomas 1. 2.q.62. ar.1.ad 3. dum ait hominem per rationem, & volũtatem naturaliter ordinari ad Deum, prout est finis connaturalis naturæ humanæ. Etsi in finẽ naturalem ordinatus fuisset, vtique illum viribus naturæ assequi potuisset, cuius assecutione fuisset beatus; beatitudine imperfecta quidem, perfectissima tamẽ pro illo statu, cui nihil deesset de ratione veræ beatitudinis, vt patebit ex solutionibus argumentorum.

D. Thom.

Poste-

21 Posterior pars vnde cõfirmetur.

Posteriorem partem ratio illa facilè demonstrat: quia supposita ordinatione hominis ad claram Dei visionem, nõ potest homo appetere cognitionẽ Dei naturalem, tanquam summum bonum, & vltimum finem: quia illum non appeteret propter se, & cætera omnia propter ipsum: quin potius & ipsam appeteret propter aliud bonum, & ita in illius assecutione non quiesceret, sed vlterius tenderet: quod veræ beatitudini repugnat: est enim de ratione illius, quod simpliciter sit summum bonum, cuius gratia cætera omnia simpliciter appetantur, & ipsa propter nullum: vt docet Aristot. 1. Ethicorum c. 7. tex. 29. his verbis, *& cum (finem scilicet) perfectum simpliciter, qui per se semper est, & nunquam ob alium expetendus: talis autem finis ipsa felicitas maxime esse videtur: hanc enim propter se ipsam semper, & nunquã ob aliud quidquam expetimus.* Hoc igitur sit vnicum huius opinionis fundamentum: nam hoc ipso, quod quis ad finem supernaturalem ordinatus est tanquam ad summum bonum à se appetitum, cõtemplatio Dei naturalis, quãtuncumque perfectissima, iam non est ei summum bonum, sed illam appetit propter vlteriorem alium finem, quod tollit ab ea rationem beatitudinis.

Arist.

Ex hoc infertur admittendam esse diuisionem beatitudinis in naturalem, & supernaturalem, tanquam in duas species, quidquid Bellomontanus, & Canus reclament: nam quanuis de facto nulla detur naturalis beatitudo; satis est illã fuisse possibilem, vt diuisioni locus detur.

§. 5.

Soluuntur argumenta partis negantis.

22

Sententia negatiua priori nostræ resolutionis parti contradicit: quatenus absolutè negat dari posse vllam beatitudinem naturalem, quæ veram habeat, aut habere possit rationẽ beatitudinis, quare illius argumenta sunt dissoluenda.

Solutio primi fundamẽti.

Ad primum, quod est totum Bellomõtani fundamentũ respõderi potest multis modis. Et primo, quoniam admisso toto argumenti discursu absolutè non concluditur, nullam naturalem beatitudinem esse possibilem: nam quanuis daremus eam dari non posse in homine aut angelo creato pro statu puræ creationis, id est pro statu, in quo considerator cum solo creationis dono: quia donum illud præcisè sumptum non satis est ad excludendam peccati miseriam, sed adhuc necessaria est noua Dei gratia, vt homo non peccet contra præcepta naturalia: non proinde infertur beatitudinem naturalẽ simpliciter esse impossibilem: quia posset Deus hominem, quem crearet absque vlla ordinatione ad finem supernaturalem, plurimis donis, & auxilijs communire, ne peccaret: quę dona, & auxilia, licet simpliciter nõ essent debita naturæ, sed gratis donata: non tamen essent ordinis supernaturalis secundum suam substantiam, & suo modo essent ordinis naturalis, ad solum finem naturalem disponentia. Potuit enim Deus creare Adamum absque gratia cum sola iustitia originali: quæ licet gratis esset naturæ collata; erat tamen donum naturale. Potuit etiam Deus Adamo sic creato, gratis concedere non solum auxilium, vt posset non peccare (quod de facto illi contulit) sed etiam auxilium, ne actu peccaret: quod ad donum perseuerantiæ spectat, quo in rectitudine naturali, in qua conditus esset, perseueraret. Quod si admittatur (nec enim id implicat) vtique concesso toto discursu, nihil concluderetur contra priorem partem nostræ sententiæ: possibilem sc. & fuisse, & nunc esse beatitudinem purè naturalem. Consonat cum hac sententia, quoniam talis prouidentia, licet in rigore non esset naturaliter debita homini: eam tamen Deus sibi ipsi deberet, hoc est suæ sapientiæ, & bonitati: maximè si hominem ordinasset ad illam beatitudinem consequendã sub ratione præmij, si in officio stetisset, statuta pœna, si sua culpa ab eo defecisset; tunc enim Deus suæ bonitati debebat, natura humana aliquo modo id efflagitante, vt de auxilijs specialib⁹ illi prouideret, ordinis tamẽ naturalis: quibus vigorosus esset, & potens impedimenta se offerentia, superare. De quo latius dicendum erit, cum de adeptione beatitudinis sermo erit. Hæc solutio facilis est, & euitat extrinsecas difficultates.

Deinde responderi potest maiorem intelligi posse, vel de simultate tẽporis, 23

vel

vel de simultate status. Si intelligatur primo modo, facit hunc sensum: nihil habere potest rationem beatitudinis, quod simul tempore est, vel esse potest cum miseria peccati: in quo sensu propositio est vera, & minor falsa: quia non solum beatitudo perfecta, sed nec imperfecta huius vitæ potest simul coexistere cum miseria peccati; quoniam omnis beatitudo includit, vel essentialiter, vel saltem radicaliter rectitudinem voluntatis, vt suo loco ostendemus. Porro si maior intelligatur de simultate status, vt sit sensus: nihil potest habere rationem veræ beatitudinis in statu, qui potest admittere miseriam peccati (in quo sensu videtur sumi à Bellomontano) propositio absolutè, & generaliter intellecta est falsa, quoniam status viæ est status, in quo reperitur peccatum, vt patet: & tamen in via dari potest, & de facto datur beatitudo supernaturalis, vt supra §. 1. ostendimus ex sententia Augustini: & eadem ratione dari posset beatitudo naturalis imperfecta, si Deus creasset hominem in aliquo statu absque ordinatione in finem supernaturalem: posset enim iste homo operari secundum virtutem propter Deum naturaliter cognitum, in quo posita est beatitudo vera naturalis viæ, vt supponimus. Quare miseriam peccati posse reperiri in aliquo statu absolutè loquendo non tollit, quin in eodem statu reperiri queat vera ratio beatitudinis imperfectæ tam supernaturalis, quam naturalis.

24 Quod si maiorem intelligas de beatitudine perfecta (quam supponimus solùm dari posse post mortem) fortè admittemus maiorem: quia perfecta beatitudo omnem excludit miseriam, vel absolutè, si est supernaturalis patriæ, vel pro illo statu, qualis esset beatitudo naturalis, si Deus hominem ad supernaturalem non condidisset: hæc enim excluderet omnem miseriam repugnantem naturali beatitudini: & maximè miseriam peccati: quia perpetuam voluntatis rectitudinem includeret, vt suo loco dicemus. Admissa tamen maiori in hoc sensu argumentum non concludit nullam dari posse beatitudinem naturalem, quæ perfectè nos beet: sed solum concludit talem beatitudinem non esse possibilem pro statu viæ; in quo statu sicut beatitudo non includit omnimodam perpetuitatem (est enim imperfecta) ita nec excludit omnimodam miseriam. Quod satis significauit Arist. dum asseruit homines pro vita præsenti posse esse beatos, non simpliciter, sed vt homines: post mortem tamen, & pro statu animæ separatæ dari posset, imò daretur perfecta beatitudo excludens omnem miseriam peccati: quia licet anima ex sua natura non sit impeccabilis: deceret tamen diuinam bonitatem, atq; prouidentiam, eam reddere impeccabilem ab extrinseco donis gratuito quidem collatis; fini tamen, & beatitudini naturali proportionatis. Nec enim admittendum est, si inspiciamus, tum naturam creaturæ rationalis, tum etiam diuinæ bonitatis dari creaturam in puris solum naturalibus, cum solo creationis dono productam, vt superiùs iam aduertimus, & suo loco ostendemus. Et id tantum probant ea, quæ à Bellomontano in argumento adducuntur.

25 Solutio secundi fundamenti.

Argumentum secundum similem habet solutionem: nam si quid concludit solum concludit non posse dari beatitudinem naturalem perfectam in homine in puris naturalibus constituto, & cum sola gratia creationis: ex quo non bene infertur beatitudinem naturalem absolutè non esse possibilem: quia posset Deus hominem illum, pluribus gratijs iuuare, gratuito quidem donatis, at tamen ad ordinem naturalem spectantibus, quibus homo ille posset à peccato abstinere. Quomodò autem cum beatitudine naturali perpetuitas stare possit, ostendemus suo loco.

26 Solutio tertij ex Molina.

Ad tertium neganda est minor. Ad probationem respondet Molina 1. p. q. 12. ar. 1. disp. 2. ad 2. Scoti pag. 103. col. 2. non esse de ratione vltimi finis naturalis, quod comparatus ita integrè compleat appetitum, vt omnino quiescat. Materia enim ordinatur ad formam, tanquam ad naturalem finem, & visus ad visionem: cum tamen nec materia acquisita forma satietur, nec visus vlla visione. Satis est igitur (inquit ille) ad rationem naturalis finis, quod sit supremum bonum, ad quod appetitus naturaliter inclinet.

Sed iuxta hanc doctrinam non esset de ratione beatitudinis, quod quietet, &

satiet appetitum: quod tamen admittere, nec peripateticũ est, nec consentiẽs cum doctrina Aristotelis, qui 1. Ethicorum cap. 7. summum bonum (in quo felicitatem ponit) appellat bonum perfectum, ac per se sufficiens. Perfectũ quidem; quia omnia propter ipsum, & ipsũ propter nullum est: sufficiens verò; quia ipsum solum, si habeatur, facit vitam ratione sui eligibilem, ac nullius alterius indigentem, vt supra art. 1. diximus ex Arist. in d. c. 7. text. 29. in fine. Est igitur de ratione summi boni, in quo beatitudo ponitur, quod sit bonum sufficiẽs, & subinde quietans appetitum: accõmodate tamen ad statum appetitus, & ad beatitudinis naturam. *Aristot.*

Alia solutio ex Fonseca.

Quare doctius ad argumentũ occurrit Fonseca 1. Metaph. cap. 1. q. 2. sect. 3. ad 4. si homines naturali felicitate fruerentur, nec fide tenerent beatitudinem supernaturalem sibi esse propositam; futurum, vt nihil amplius absolutè desiderarent. Vnde fieret, vt appetitus naturalis integrè, ac perfectè quiesceret in summo bono naturali: nam cum felix ille esset prudens, & sapiens, iudicaret quodcunque aliud bonum, quantocũq; suo bono melius, esse sibi simpliciter impossibile, nec posset illud ratione sui status inordinatè desiderare absoluto desiderio: velleitas autem, seu voluntas cõditionata, qua in illud sine vlla inordinatione ferri posset, nullam appetui inquietudinem afferret. Id autem, quod ex Augustin. adducitur, putat esse vocem hominis credentis, & sperantis futurã beatitudinem supernaturalem alterius vitæ: qua doctus cognitione, non solum quodcũque naturale bonum iudicat nõ esse summum: sed etiam spei suæ satiandæ minus sufficiens. Idcirco inquietum cor habet, donec supernaturale bonum consequatur: quod tamen quietum haberet, si naturali felicitate frueretur absque vlla, aut cognitione, aut spe supernaturalis beatitudinis. Quæ solutio prius fuit Medinæ 1. 2. q. 3. art. 8. ad 2. post tertiam conclusionem, tangit Herrera ad primum disp. 1. q. 8. argum. 7. pro quarta conclusione. *Augustin.* *Medina.* *Herrera.*

27 Solutio vltimi fũdamẽti.

Ad postremum neganda est maior, quia Deus clarè visus nullo modo potest esse finis naturalis hominis: quod absque dubio affirmandum est, si nullus appetitus naturalis ad claram Dei visionem in homine admittatur. Quæ est communior, & mihi verior opinio, quã probat Caietanus 1. p. q. 1. ar. 1. & q. 12. ar. 1. Ferrariensis 1. contra Gentes c. 5. Medina 1. 2. q. 3. ar. 8. conclusione 4. latè Fonseca 1. Metaph. cap. 1. q. 2. per totã, latissimè Molina 1. p. q. 12. ar. 1. disp. 2. Suarius in Metaph. disp. 30. sect. 11. n. 36. Bellomontanus 1. 2. disp. 22. cap. 2. cum sequentibus, ex Scotistis Herrera in 1. disp. 1. q. 8. & plures alij, quos suo loco referemus: non enim potest dari appetitus naturaliter innatus ad finem supernaturalem, cum vnaquæque res naturaliter propendeat in vltimam suam naturalem perfectionem. *Caietan.* *Ferrar.* *Medina.* *Fonseca.* *Molina.* *Herrera.*

Debet etiam maior negari, etiamsi cum alijs admittamus appetitum innatum, & naturalem ad claram Dei visionem: adhuc enim non est admittendus naturalis appetitus ad eam, tanquam ad finem naturalem: nam etsi visio illa potest esse actus, & perfectio naturalis in ordine ad potentiam: nunquam tamen potest dici finis, nisi in ordine ad media: & cum media non sint, nec esse possint naturalia, sed necessario sint supernaturalia; vtique nec poterit talis visio dici naturalis finis, vt suo loco diligentius explicabimus. Et ita explicata manent argumenta negantis sententiæ.

§. 6.

Soluuntur argumenta partis affirmantis.

OPinio affirmatiua cum eleuatione, & ordinatione hominis ad beatitudinem supernaturalẽ admittit non solùm dari posse naturalem beatitudinem; sed etiam de facto fuisse datam Angelis in sua creatione, & Adamo in statu innocentię, & dari quotidie in pueris sine baptismo decedentibus. Et eadem ratione concedet in beatis tam Angelis, quàm hominibus vtramque reperiri beatitudinem: nam vtramque simul admittit in via in plerisque, qui cum vtraque Dei cognitione, naturali, inquam, & supernaturali vtramque habent summam illius dilectionem. In quo hæc opinio nostræ resolutioni contrariatur: existimamus enim dari quidem tam in via, quàm in patria bonum illud, in quo posita est naturalis beatitu- 28

beatitudo: cæterum non dari sub ratione sūmi, & vltimi boni appetibilis propter se, & non propter aliud: & proinde habere non posse rationem beatitudinis. Quod est vnicum nostræ assertionis fundamentum. Quare soluenda sunt argumēta illius opinionis, quatenus huic nostræ resolutioni contradicunt.

29 Refutatio primi argumenti partis affirmātis.

Ad primum argumētum admittimus visionem claram Dei nullo modo dici posse finem nostrum naturalem. Vnde admittimus id, quod argumentum nititur probare: nimirum prēter beatitudinem supernaturalem dandā esse quādam naturalem beatitudinem, ad quā, & sub ratione communi, & sub ratione particulari appetitus noster feratur. Inde tamē non infertur in nobis, qui ad beatitudinem supernaturalem eleuati sumus, de facto dari beatitudinem istā naturalem, sub ratione formali beatitudinis. Nam licet admittamus de facto dari in nobis illud bonum connaturale, & illa connaturalis perfectio, quæ est cognitio naturalis Dei, vitaque secundum virtutem: negamus tamen dari in nobis illud bonum sub ratione sūmi boni, & vltimæ perfectionis propter se, & nō propter aliud diligibilis: in quo posita est formalis ratio beatitudinis. Quare argumentū solum concludit dari in nobis illud bonum, illamque perfectionem, quæ est beatitudo: non tamē dari in nobis sub ratione formali beatitudinis.

Et vt hæc melius intelligantur, aduertendum est appetitum innatum ad beatitudinem in cōmuni (qui omnium consensu in nobis datur) & ad beatitudinē connaturalem in particulari (qui etiam non potest non admitti) ferri non posse in eam sub ratione formali beatitudinis: cum enim is appetitus nō sequatur formam apprehensam, sed naturalem; solum fertur in ipsam beatitudinē, quatenus est quoddam bonum, & quædam perfectio cōnaturalis sibi: nec ferri potest sub ratione formali beatitudinis. i. sub ratione formali vltimi finis. Cum enim sit appetitus naturalis, non agit se in finē, sed agitur ab Auctore naturæ, vt diximus in superiori libro. Quare talis appetitus non potest nos beare, siquidē sine cognitione vltimi boni non datur beatitudo. Beamur igitur per actionem appetitus eliciti: quia is appetit⁹ fertur in beatitudinem nostrā, non solum quatenus est quoddā bonum, sed etiā quatenus est quoddam bonum summum, & perfectio quædā vltima, sub qua ratione concurrit ad nostram beatitudinē, vel essentialiter (vt quidam volunt) vel solum concomitanter, vt alij existimāt. Cum verò in nobis iam eleuatis ad altiorem beatitudinem bonum illud nobis cōnaturale, sine errore apprehendi non possit sub ratione boni propter se solum, & non propter aliud diligibilis, sed apprehendi debeat cum referibilitate ad Deum clarè visum; fit, vt appetitus elicitus non possit, nisi inordinatè ferri in tale bonum sub ratione formali beatitudinis: sine quo bonū illud beare non potest, & ita facilè intelligitur explicatio argumenti.

Secundum argumentum solum probat naturalem beatitudinem esse possibilem: si Deus hominem crearet, interim eum non ordinando in beatitudinē supernaturalem. Quod concedimus.

30 Refutatio secundi argumenti.

Ad tertium admittimus Philosophos agnouisse bonū, quod in ordine naturæ est optimum: ideo autem in eo collocasse beatitudinem, quia tale bonum suapte natura non ordinatur ad aliud bonū superius, & subinde in suo ordine propter se, & non propter aliud est diligibile. Et ob id rectissimè esse philosophatos: non ita philosophaturos, si lumine fidei illustrati intelligerent Deum ordinasse hominem ad bonum altius, & diuinius: cui bonum naturale, si nō ex sua natura, tamen ex diuina, & gratuita ordinatione iam est subalternatum; ita vt iam non liceat illud propter se tantum diligere, cum teneamur illud supernaturali beatitudini subordinare.

Refutatio tertii.

Ad quartū; quod attinet ad Angelos posset quis respōdere cum Bellom. 1. p. disp. 226. c. 2. in principio, & 1. 2. disp. 12. c. 3. n. 15. in fine, Theologos, qui citātur, ideo dixisse angelos fuisse creatos in beatitudine naturali, quia cognitio naturalis, quam habuerunt de Deo, erat quoddā vestigiū, quædāvè assimilatio veræ beatitudinis. At quā aliena sit hec explicatio à mēte D. Thomæ, & aliorū, ex eo patet, quia omnes loquūtur de vera beatitudine naturali, quam distingunt contra supernaturalem.

31

Alia solutio.

Melius dicemus Angelos ideo à D. Thoma, & alijs dici creatos in beatitudine naturali, quia creati sunt cum illo naturali bono, ac perfectione, quæ in ordine naturali est vltimum bonum, & vltimus finis naturæ angelicæ; quamuis in illis non habuerit rationem beatitudinis, ex eo, quod natura angeli non cõplacuerit, nec quieuerit in illo bono, tanquam in bono summo propter se, & non propter aliud deligibili: illustrati enim lumine fidei, sciebant se fuisse ordinatos in beatitudinem longe altiorẽ: & subinde se non posse ordinatè deligere illud bonum, nisi cum subordinatione ad bonum supernaturale, quod illis est vltimus finis, beatitudoque supernaturalis.

32 Quod verò attinet ad pueros, qui sine baptismo cum originali decedunt; inter omnes cõuenit illos perpetuo exclusos esse à beatitudine supernaturali contra quendam Vincentium hæreticum, qui voluit pueros istos post diem iudicij ad regnum Cœlorũ forè admittendos: & contra quosdam nostri temporis hæreticos, qui volunt vel omnes, vel saltem, qui ex parentibus fidelibus nascuntur statim ad regnum Cœlorum admitti: quorum errorem conuincunt verba Christi Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei*. Vnde Tridentinum sessione 5. can. 4. de peccato originali hos pueros à regno Cœlorum perpetuò excludit.

Ioannes.

Trident.

De beatitudine naturali est totá cõtrouersia. Auctores citati affirmant: negant tamen Sotus primo de natura, & gratia cap. 14. §. *Et ideo tandem*, Herrera in disput. ad 2. disp. 27. q. 2. concl. 3. Petrus à Soto de institutione sacerdo. lect. 6. de Baptismo, §. *Hinc etiam cauendæ sunt*, vbi inter cauendas nouitates Catharini alienas à fide hanc enumerat. Eam esse dogma inconsideratum asserit Palat. in 2. dist. 33. disp. 2. conclusione 2. pag. 116. colum. 2. affirmans hoc dogma vel nihil differre ab errore Pelagij, vel non nihil illi suffragari; hanc sententiam, vt defenditur à Catharino non congruere cum testimonijs sacræ Scripturæ, & traditione Ecclesiæ affirmat Valentia 2. tom. disp. 6. q. 17. puncto 4. pag. 810. non consentire cum fide docet Cumelius 1. 2. q. 83. ar. 4. in disp. de pœna peccati originalis 4. p. concl. 4. pag. 618. column. 1. Denique illam, vt hæreticam reijcit Bellarminus libr. 6. de amissione gratiæ, & statu peccati c. 6. & 7. Quorum ego sententiam tanquã verissimam suppono: de quo alio in loco diximus latiùs.

Sotus.

Herrera.

Valentia.

Cumel.

Bellarm.

33 Responsio vltimi argumenti.

Ad postremum libenter admittimus in homine ordinationem ad finem suæ naturæ accommodatum: negamus tamen in eo dari ordinationem in illum finem, tanquam in vltimum, in quo ille possit ordinate quiescere: quia non potest illum appetere sine subordinatione ad finem supernaturalem, gratia cuius actu, vel virtute illud appetat. Hæc autem subalternatio finium, & si non tollit rationem finis: tollit tamen rationẽ finis vltimi, de cuius ratione est, vt nec actu, nec virtute sit in alium finem referibilis, vt sæpe diximus.

QVÆSTIO II.

De Beatitudine obiectiua.



EXPLICATIS ijs, quæ spectant ad communẽ rationem beatitudinis, considerandum est de partibus essentialibus, ex quibus beatitudo componitur: de obiecto inquam, quo beamur, vt (quod) & de assecutione illius, qua beamur vt (quo.) Prior dici solet beatitudo obiectiua, posterior beatitudo formalis: vtramq; habereveram rationem beatitudinis in suo genere, iam ostendimus. De beatitudine obiectiua primùm erit agendũ, deinde de formali. 1

Circa beatitudinem obiectiuam varia fuerunt Philosophorum dogmata: nec enim alia de re apud Philosophos tanta dogmatũ varietate vnquam certatũ fuit, vt de hominis felicitate. Aug. 19. de Ciu. Dei c. 1. citat Varronem colligentẽ ducentũ, & octoginta octo philosophorũ sententias. Multa de hac varietate scribit Arist. 1. & 10. Ethicor. & lib. 1. & 2. Ethic. ad Eudemum lib. 7. Politicorum, & libr. 1. Rhetoricorum c. 5. & pal- 2

Auguſt.

Arist.

Cicero. & passim alibi. Cicero item in libris de finibus bonorum, & malorum, & in libris Tusculanarum quæstionum, atque in paradoxis. Adde Senecam in libr. de vita beata. Ex Patribus Lactantius libro tertio de diuinis institutionibus, & in libr. de falsa sapientia à cap. 7. Boetius de consolatione, Clemens Alexãd. 2. lib. Stromatum circa finem, Eusebius lib. 11. de præparatione Euangelica c. 20. D. Ambrosius 2. de diuinis officijs cap. 2. August. libr. 19. de Ciuitate Dei cap. 1. 5. & 6. & lib. 13. de Trinitate cap. 4. & in libr. de beata vita, D. Thomas in hac secunda quæstione, & 3. contra Gẽtes à cap. 25. Omnes opiniones non dico scrutari, sed recensere supervacaneum esse docet Aristotel. primo Ethicorum cap. 4. sed eæ, inquit, scrutandæ sunt, quæ aliquam videntur habere rationem.

Lactãtius. *Boetius.* *Cle. Alex.* *Eusebius.* *D. Ambr.* *August.* *D. Thom.* *Arist.*

3 Deinde præmittendum est, tanquam disputationis fundamentum beatitudinem, vt supra diximus, esse statum omnium bonorum aggregatione perfectũ. In quo non vnum, sed plura reperiuntur bona: imò omnia bonorum genera, vt docet Aristoteles 7. Politicorum capit. 7. vbi explicatis pluribus bonorum generibus, ita concludit: *Ista omnia adesse felici homini oportet.* Quod latè persequitur 1. Rhetoricorum cap. 5. Verum non omnia bona æqualiter se habẽt ad beatitudinem: sed in vno essentialiter consistit; cætera ad ornamentum illius, decoremque spectant, tanquam partes accidentariæ: vel ab intrinseco, vt proprietates; vel ab extrinseco bonum illud vnicum ornantes. Id, quod non solum docuerunt Theologi, sed etiam Aristotel. primo Ethicorum cap. 7. quo loco docet beatitudinem non in pluribus esse positam; sed in vno omnium bonorum optimo, & expresit id ipsum 7. Politicorum capit. 1. & alijs in locis. Quare omnia bonorum genera in statu beatitudinis inueniuntur; in vno tantum essentialiter consistit; cætera illi adiacent, vel tanquam proprietates, vel tanquam indumenta, quibus perficitur, vel instrumenta, quibus vtitur.

Arist. *Arist.* *Arist.*

4 Ex quo infertur esse de ratione illius boni, quod illud comitentur omnia bonorum genera, tam interna, corporis inquam, & animi, quam externa: comitentur inquam, vel tanquam proprietates ex eo manantes: vel secũdum debitum decentiæ, quasi cætera bona debeantur possidenti bonum illud optimum. Ex quo rursus colligitur beatitudinem eo esse perfectiorem, quo maiori cum necessitate, aut debito cætera omnia eam comitantur. Et inde est, vt beatitudo patriæ sit simpliciter perfectissima, vt quia omnia bonorum genera simpliciter consequuntur possessionem Dei clare visi. Cæteræ verò non ita sunt perfectæ: quia licet suo modo possideant summum bonum: non tamen illud possident modo perfectissimo, quo possideri potest: ob quam rationem non omnia bona sunt illi simpliciter debita. Ex quo infertur superiorẽ doctrinam ita esse explicandam, vt omnia bona beatitudinem comitentur, non simpliciter, sed iuxta capacitatem status, modumque possessionis, quo bonum summum possidetur. Hæc omnia ex dicendis fient euidentiora.

5 His præmissis, vt ad institutum reddeamus, beatitudo obiectiua idem est, quod obiectum, quod nos beat. Hoc autem generaliter loquendo est summum bonum, & vltimus finis. Bonum autem, vel est increatum, vel creatum: creatũ autem vel est huius mundi visibilis, vel mundi inuisibilis: si huius mundi visibilis, vel est homini externum, vel internum: internum rursus, vel pertinet ad corpus, vel ad animum. Hæc omnia ferè colliges, tum ex Platone 3. de legibus, tum ex Aristotele 1. Ethicorum c. 8. & 7. Politicorum cap. 1. & primo mag norum Moralium cap. 3. & 1. Rhetoricorum cap. 5. Quare vt de singulis his bonis inquiramus, quatuor à nobis sũt ordinatè inquirenda. Primum, vtrum beatitudo posita sit in aliquo bono externo? Secundum, an consistat in bono corporis? Tertium, an in aliquo bono animi? Quartum, an posita sit in bono aliquo creato? Quintum denique, an, & quomodo posita sit in solo bono increato?

Plato. *Arist.*

Vt ab imperfectioribus ad perfectiora procedamus, primo loco inquirendũ est; an nostra beatitudo obiectiua posita sit in aliquo bono externo? Aduertẽdum est autem bona ista externa appellari bona fortunæ, inter quæ à Platone,

& Aristotele principaliter enumerantur diuitię, honores, gloria, siue fama, & principatus siue dominatio. Quibus Aristoteles adiungit nobilitatem, liberorum procreationem, amicorum societatem, & alia huius generis. Primũ igitur inquiremus generaliter, an in aliquo bono externo per se posita sit beatitudo obiectiua? Secundo, an posita sit in diuitijs. Tertio, an in honorib⁹? Quarto, an in fama, seu in gloria? Quinto denique, an in potestate mundana?

Ordo procedendi.

ARTICVLVS I.

An beatitudo obiectiua consistat in bonis fortunæ?

DVAS de proposita thesi quæstiones inuenio excitatas apud Antiquos. Prima directè inquirit, quod in titulo proponitur. Secunda, an supposito, quòd in illis beatitudo essentialiter non cõsistit; an illa aliquo modo ad beatitudinem pertineant. Vtrumque per se examinabimus.

§. I.

Beatitudinem in bonis externis fortunæ non consistere.

NOn defuerunt ex antiquis Philosophis, qui in bonis externis beatitudinẽ collocarint: alij quidẽ in omnibus simul: alij in aliquo illorũ iuxta cuiusque placitum: vt ex dicendis facilè patebit.

Arist. Partẽ tamen negãtem probarunt ij, quos Aristoteles 1. Ethicorum cap. 5. tex. 19. appellat elegantes; ideo quia elegãter de beatitudine philosophati sũt. Horum sententiam Christiana Philosophia confirmauit, tam in supernaturali beatitudine, quam etiam in naturali.

Prima conclusio. Sit prima conclusio: beatitudo super naturalis tam patriæ, quàm vię non potest consistere in bonis externis, quæ fortunæ dicuntur. Hæc est de fide, & apud fideles notior, quam indigeat probatione: patebit facilè ex ijs, quæ de singulis fortunæ bonis dicentur.

2 Secunda cõclusio. Secunda conclusio: nec beatitudo naturalis potest essentialiter consistere in bonis externis. Hanc latè confirmat Aristoteles 1. Ethicorum cap. 5. & 7. Politicorum c. 1. quo in loco beatitudinem à bona fortuna, quæ circa bona externa versatur, putat esse distinguendam. Latè D. Thomas 1. 2. q. 2. artic. 4. Latissimè Ioannes Maior in 4. dist. 49. q. 1. Pluribus, & euidentibus rationibus generaliter demonstrari potest.

Aristot. *D. Thom.* *Ioãn. Mai.*

Probatur 1. ex Arist. Primò, quia de ratione beatitudinis est, quod sit bonum optimum, & perfectum, ex Aristotele primo Ethicorum cap. 7. & libr. 10. cap. 6. Ergo ex sua natura excludet omne malum, quod ex se est malum, quale est malum moris: constat enim inter omnes, malos felices esse non posse. At bona externa fortunæ esse etiam malis hominibus communia, probatione non indiget: quin potius à viris malis, & facilius obtinentur, & abundantius possidentur.

3 2. probatio. Secundò; beatitudo, cum sit bonum perfectum, non solum non poterit communicari homini malo, sed ex sua natura nullo modo poterit esse principium alicuius mali, ex Aristotele 1. Ethicorũ cap. 12. in fine. At bona externa, quamplurimis sunt incentiua malorũ, vt notum est.

Arist.

3. probatio. Tertiò; beatitudo ex sua natura habet, quod sit bonum per se sufficiens, nullius alterius indigens, vt passim docet Aristoteles 1. Ethicorum cap. 7. lib. 10. c. 6. & lib. 7. Politicorum c. 1. optimũ enim non esset, si alterius extrinseci boni esset indigum; sed bona externa ex sua natura non sunt per se sufficientia, sed indigent quamplurimis alijs bonis, sine quibus nequeunt sufficere: indigent enim corporis incolumitate, sapientia, & virtute, vt bene dirigantur.

Arist.

4 Quarta probatio. Quartò; beatitudo est bonum diuinum, ad quod consequendum homo ordinatur absque dependentia à fortuna, causisque externis, ex Aristotele primo Ethicorum capit. 9. felix enim (vt ait) per se ipsum, & in se ipso felix est, ex eodem Aristotele septimo Politicorum capite primo ante finem. Sed bona externa potius pendẽt ab externa caussa, præsertim à fortuna, quam ab aliqua interna, vt constat. Ergo nulla ratione potest in illis beatitudo essentialiter consistere.

Arist.

Quinta

5 Quinta ratio est Aristo. 7. politicorũ
5. Probatio. Aristot. cap. 1. quia de ratione beatitudinis est, vt eo sit melior, quò in maiore habetur excessu: nam, cum non habeat finem, gratia cui⁹ sit; nec etiã habebit aliquod medium, in quo consistat, ita vt extrema sint vitiosa, sed bona externa habent finem, propter quem expetuntur (sunt enim bona vtilia, & propter aliud) & præterea ex sua natura vendicant sibi quoddam medium, ita vt vitiosa sint, si illud excedant, adeò, vt vel noceant, vel ad nihil prosint. Quod etiam docuit
Aristot. Aristo. lib. 2. Magn. moral. cap. 3.
6. Probatio. Sexta ratio Aristotelis: quia homines externis bonis non conseruant virtutes, sed virtutibus bona externa: excessus enim externorum bonorum moderari debent virtute. At beatitudo nõ dirigitur ab alio, sed alia dirigit. Ergo non potest per se consistere in bonis externis.

7. Probatio. Septima ratio Aristo. quoniam externa bona ad corpus potius pertinẽt, quam ad animum. Ergo non sunt bona omnium prẽstantissima: constat enim bona animi potiora esse, quam corporis, primo Ethicorum cap. 8. & lib. secundo Ethicorum ad Eudemum in principio.

6 Postrema ratio est Aristotel. 7. poli-
8. Probatio Aristot. ticorum capit. 1. sumpta ex testimonio ipsius Dei, qui se beatum profitetur non bonis externis, sed se ipso.

Hæc argumenta desumpta à ratione beatitudinis, satis superq; demonstrant beatitudinem nulla ratione posse per se consistere in bonis externis. Ad quam probandam veritatem satis esse debet eorum bonorum denominatio: dicunt enim bona fortunę: quæ, cum ista sit cęca inordinate, & sine vllo delectu bonis, & malis cõmunicantur. Cum sit in cõstans; non possunt esse diuturna, sed caduca. Et cum sit caussa externa; nõ possunt non esse bona nobis extrinseca, & ordinis omnino inferioris: nec possunt non pendere à caussa incerta; vt nobis etiam inuitis sine vlla culpa amittãtur. Quæ omnia vere pugnant cum ratione beatitudinis etiam naturalis.

§. 2.

Bona externa comitari, & extrinsecus perficere beatitudinem.

VTrum bona externa aliquo modo ad beatitudinẽ pertinerent? fuit olim controuersia inter Stoicos, & Peripateticos, vt annotauit D. Thomas 1. Ethicorum cap. 8. lect. 12. com. 2. Stoici negabant, inde moti; quia homo bonis externis nullo modo potest esse bonus: cum tamen ad beatitudinem nihil pertinere possit, quod bonum homini non sit. Affirmabant tamen Peripatetici: quoniam, etsi bona externa inter bona infimum locum obtinent; boni tamen rationem sortiuntur, si non absolute; per analogiam tamen ad bona per se: sunt enim adiumento ad operandum opera virtutis. Quæ sententia, quod attinet ad naturalẽ huius vitę beatitudinem, admittitur ab Aristo. 1. Ethicorũ cap. 8. ad finem, & 7. politicorum cap. 1. vbi docet beatum bonis externis indigere; quia illis ad bene operandum plurimum iuuatur. Vnde primo Rhetoricorum cap, 5. inter beatitudinis particulas bona ista enumerat, quasi partes extrinsecus eam perficientes. Non ad hũc sensum, quod sine illis non detur beatitudo secundum se sufficiens: sed quia illis adiunctis beatitudo omnibus modis sufficiens sit, & ob id perfectior, accidẽtaliter tamen, vt declarat 1. Ethicorũ cap. 7. vbi ostendit beatitudinem huius vitę extrinsecum recipere incrementũ. Quod suo modo etiam conuenit beatitudini patriæ. De qua re plura inferius dicemus.

Stoici à sententia

Peripatetico rum

Obijcies bona externa ex consilio 8
Christi Euãgelico potius esse contemnẽ Obiectio.
da, quam quęrenda: & subinde ea potius esse beatitudini impedimento, quam adiumento. Respondendum est argumẽ Responsio.
tum concludere in ordine ad beatitudinem patriæ, quam speramus: huic enim bona externa potius sunt impedimento quam adiumento; quia illorum cura, & solicitudo impedit, quominus homo diuinis liberi⁹ vacet: quæ vacatio est medium illius consequendę, perfectius, & tutiùs. Vnde bona externa potius iuuant huius beatitudinis consecutionẽ, dum contemnuntur, quam dum possidẽtur. Non sic dicendum esset in statu, in quo beatitudo naturalis haberet rationem veræ beatitudinis. Naturalem igit beatitudinem bona externa potius perficerent, quam impedirent.

ARTICVLVS. II.

Vtrum beatitudo consistat in diuitijs?

atur
Q.
frores
c

DVO fuerunt circa diuitias errores extremi. Alter beatudinẽ perfectam in illis ponebat: Alter eas adeò alienabat, & relegabat à vera beatitudine, vt putaret eas esse p se malas. Priorem errorem quibusdam placuisse refert Arist. auctorem tamen non nominat. Posteriorem sequuti sunt Manichęi

ust.

teste Augustin. Epist. 89. ad Hilarium q. 4. & alibi sæpe. Veritas incedit media via, nec enim putat diuitias esse summũ bonum: nec admittit eas esse per se malas.

2 Primũ præmissum.

Pro resolutione præmittendum est, sermonem esse de diuitijs temporalib⁹, quæ sunt bona fortunæ. Hę duplices distinguntur ex Aristot. 1. politicorum c. 5. & 6. & D. Thoma prima secundæ, q. 2. ar. 1. Quædam sunt naturales: & quędã artificiales. Naturales dicuntur, quas natura suppeditauit ad defectus hominis tollendos: vt cibus, potus, indumẽta, habitacula, vehicula; prędia item & plãtę, atque iumenta, quę omnia in seruitiũ hominis natura produxit. Artificiales sunt, quas natura non instituit: sed ars humana adinuenit ad subueniendũ eisdem defectibus, vt pecunia: est enim inuẽta, vt esset commune prętium pro facienda commutatione pro diuitijs naturalibus, si quando deessent: Etenim ad comparandas naturales diuitias inuentus est nummus, vt loco citato ait Aristoteles.

Aristot. *D. Thom.*

3 2. Prœmissũ *Augustin.*

Secundo præmittendum est contra errorem Manichęi, diuitias secundum se suapteque natura nõ esse malas. Idq; cõtra Manichæos multis docet Augustin. d. Epist. 89. q. 4. & super Psalm. 51. ostendens posse diuitem saluari, quod & fides docet, & ratio naturalis. Fides quidem; quia Eccles. 31. diues beatus prędicatur si circa diuitias recte se gesserit: quamuis enim fateatur ibi hoc arduum esse, & difficile: supponit tamen esse possibile: vnde homini diuiti magnam ostẽdit retributionem, si vixerit sine macula, nam & Patriarchas olim fuisse diuites, testatur Scriptura, de quorum salute non dubitatur. Deus etiam Salomoni diuitias dedit innumeras, vt habetur 3. Regum 10. & 2. paralip. cap. 1. & pro diuitijs naturalibus adducitur illud Genesis 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erãt valde bona.*

Eccles. iast. 3. Reg. 10. 2. Paral. 1

His ita præmissis sit prima conclusio. Indubitatum est apud Christianos beatitudinem patriæ in diuitijs nõ esse positam. Hæc conclusio, non solùm fit euidens ex eo, quod fides beatitudinem patrię solùm collocat in Deo clare viso & amato; sed etiam supposita illius reuelatione lumine naturali est euidentissima.

4 1. Cõclusio.

Primo, quia lumen naturale euidenter ostendit diuitias huius sęculi nõ esse vltimum finem, & supremũ hominis bonum, de quo statim. Deinde quia experientia docet eas possessores suos ad futurã vitam migrantes omnino deserere ab alijs possidendas: iuxta illud Lucæ 12. de diuite: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parasti cuius erunt.* Et Psalm. 48. *Simul incipiens, & stultus peribũt: & relinquent alienis diuitias suas.* Primæ Thimoth. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium, quod nec auferre quid possumus.* Denique Apocalyp. 18. enumeratis huius sæculi diuitijs diuiti mortuo ita improperatur: *Et poma desiderij animæ tuæ discesserunt à te, & omnia pinguia, & præclara perierunt à te.* Et tandem pro omnibus diuitibus concluditur; *Et amplius illa iamnõ inueniunt.* Quomodo igitur supernaturalis patriæ beatitudo in illis cõsisteret? Sed nec ad illam poterunt vlla ratione conducere, vt ostendit D. Thomas 1. 2. q. 4. ar. 7. De quo suo loco dicemus.

Probatur ratione.

Lucas. *Psalm.* 1. ad. Thimot. *Apocalyp.* *D. Thom.*

5 2. Cõclusio.

Secunda conclusio: sed nec beatitudo supernaturalis imperfecta huius vitæ per se est posita in diuitijs. Est de fide. Euidenter probatur ex illo Christi consilio Matth. 5. & Lucæ 6. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum.* Vbi beatitudo Euangelica potius collocatur in contemptu diuitiarũ, quã in possessione earum. Ob quam rationẽ beatior iudicatur, qui, & affectu, & effectu diuitias relinquit, quam, qui solo affectu, iuxta illud Christi responsum ad adolescentem diuitem Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Cui perfectioni si solemne paupertatis votum addatur iã adderit apostolica perfectio, quę posita est in solemni abdicatione omnium temporalium bonorum, vt fides docet,

Matth. *Lucas.* *Matth.*

&

& satis explicat locus Matth. 19. vbi Petro interroganti : *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo dabis nobis?* Respondit Dominus: *vos, qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes tribus Israel.* Quare tantum abest, vt beatitudo supernaturalis vię posita sit in possessione diuitiarum: vt potius constituatur in earum contẽptu, & abiectione. Quod euidenter demonstrat bonum diuitiarum, nec etiam in via esse summum bonũ, qui enim fieri potest, vt bonum summum viæ consilio Euangelico contemni, ac fugi suadeatur? Quod etiam argumentum sumi potest, quoniam in sacris literis iubemur

Matth. nõ thesaurizare nobis thesauros in terra, Matthæi 6. thesaurizare inquam, amore, & affectu: ita vt in diuitijs: tanquam in optimo vitæ bono sperem*us*.

Paulus, Quẽ sensum explicat Paulus 1. Thimot. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sperare*

Eccleſiast. *in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo.* Eccle siast. 31. *Beatus dives, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris.* At sicut, quod optimum est viæ, summe est in via prosequẽdum; ita, quod optimum est vię censeri debet maxime vtile, & accommodatum, vt eo mediante speremus consequi, quod optimum est patriæ. Confirmatur etiam, quia ex sacris literis cõstat diuitias nõ esse summum bonum vię: nam Prouer-

Prouerbia biorum 22. *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ: supra argentum, & aurum gratia bona.* Sapientiæ 7. *Diuitias nihil esse duxi*

Sapientia. *incomparatione illius.* Vnde 2. Paralipom.

Paralipo- cap. 1. Laudatur Salomon, quod à Deo non postulasset diuitias, sed Sapientiã. Denique ex sacris literis constat diuitias esse instabiles, faciles, fallaces, solicitudinib⁹ plenas, reperiri in malis, esse bonorum impedimentum, & incentiuũ malorum. Quæ omnia cum summo bono viæ conuenire nequaquam possunt. Vtrum autem ad veram viæ beatitudinem aliquo modo conducant? suo loco dicemus.

6 2. Cõclusio Tertia conclusio, perfecta beatitudo naturalis, si daretur, nequaquam in diuitijs posset collocari. Dixi, *si daretur*: quia de facto naturalis beatitudo dari non potest, vt supra diximus. Dixi *perfecta*: quia si naturalis beatitudo daretur, illa duplex foret: vna perfecta post mortem, altera imperfecta huius vitæ. Ex quibus patet Aristotelem aut nihil, aut parum de hac beatitudine loquutum fuisse.

Probatur à posteriori His præmissis conclusio probatur à posteriori, quoniam ex prima conclusione patet, diuitias huius sęculi nobiscum ad futuram vitam non cõmigrare. Perfecta autem naturalis beatitudo non daretur nisi post mortem, vt diximus, igitur perfecta beatitudo naturalis non est in diuitijs collocanda: quin potius si in alia vita forent, illę nequaquam homini conducerent. Nam cum seruato ordine pure naturali non daretur resurrectio; sola anima separata beata foret. Illa autem non pateretur eos defectus, ad quos tollendos natura diuitias naturales suppeditauit: nec enim indigeret cibo, & potu, aut indumẽtis, aut corporalibus instrumentis ad naturales actiones obeundas. Quod si ex diuina libertate homines tunc resurgerent, vtique resurgerẽt immortales, nec indigerent diuitijs.

7 Probatur cõclusio à priori. Eadem cõclusio à priori demonstratur, quia beatitudo in eo per se collocatur, quod est bonum propter se, & non gratia alterius, ex Aristotele 1. Ethicorum cap. 7. tex. 29. & sępe alibi. *Arist.* At diuitiæ non sunt gratia sui, sed quæruntur propter aliud 1. Ethicorum cap. 5. tex. 21. artificiales namq; sunt propter naturales; quia nummus ad comparandas naturales diuitias inuentus est, 1. politicorum cap. 5. & 6. quin potius etiam expetuntur propter honorem, ex Aristot. 4. Ethicorum cap. 5. tex. 54. diuites *Aristot.* enim in hac esse videntur excellentia, vt omnia suo modo possideãt, dum omnia possunt emere: ob quam excellentiam videntur digni honore, ex Aristo. dict. cap. 3. tex. 53. & 2. Rhetoricorum c. 16. nuturales autem diuitię à natura tributæ sũt homini ꝓ sustentanda vita, tollendosque defectus corruptibilitatis ex Aristotele lib. 1. politicorum cap. 5. *Aristot.* & 6. Quare cum vtrumque diuitiarum genus sit, & appetatur gratia alterius; neutrum potest esse bonum, in quo beatitudo posit constitui.

8 Secundo, quia summa hominis felicitas non subiacet fortunę, Aristot. 7. politicorum cap. 1. & 1. Ethicorum cap. 9.

nam

nam, cum fortuna sit cęca, non potest eligere, quę meliora sunt Ex Aristotel. Problemate 8. sectionis 29. & quidem intolerabile esset malum, si hominis felicitas fortunæ subiaceret, ex Arist. in d. cap. 9. felix enim proprium finem consequitur non per accidēs, & fortuito, sed studio rationis. At diuitias subiacere fortunæ, quis negabit? lege Aristotelē 7. Politicorum cap. 1. Igitur lumen naturale euidenter demonstrat beatitudinem naturalem perfectam nequaquam consistere in diuitijs, quin potius, nec ad illam possunt vlla ratione conducere, cum in illa non reperiantur defectus naturales, ad quos tollendos ex sua natura sunt institutæ, de quo plura suo loco.

Aristot

6

4. Cōclusio. *Plato. Socrates. Plutarch. D.Thom. Aristot Cicero. August: Gregor.*

Quarta conclusio, sed nec beatiudo naturalis huius vitę potest per se consistere in diuitijs. In hac conuenere omnes fere Philosophi antiqui: ita Plato, Socrates, & Plutarchus relati à D. Thoma 3. contra gentes cap. 30. probarunt Aristo. 1. Ethicorum cap. 5. tex. 21, Tullius Paradoxo 1. Seneca in lib. de beata vita. Ex Patribus Augustinus sermone 28. de verbis Apostoli, & sermone 4. ad Fratres in Eremo. D. Gregorius 3. p. Pastoralis admonitione 27. Chrysost. *Chrysost. Basilius. Bernar.* Homilia 64. & 70. in Matthæum, Basilius in duabus Homilijs contra diuitias, D. Bernardus in sermone de conuersione ad Clericos cap. 12. vt alios in re notissima omittamus.

10 Prima ratio. Secunda.

Confirmatur primo, quia diuitię non sunt gratia sui, sed propter aliud, vt diximus conclusioue. 3. Deinde, quia homo est finis, *cui*, diuitiarum: natura enim diuitias instituit in gratiam hominis: lā vero beatitudo obiectiua hominis est bonum ipso homine nobilius, alioquin non posset illum beare.

Tertia.

Tertio, quia subiacent fortunę: sunt enim instabiles, & fallaces, & talis naturæ, vt homine inuito amittantur: cum tamen beatitudo obiectiua sit bonum, quod non facile aufertur ab homine, ex 1. Ethicorum cap. 5. tex. 19. nec per violentiam: totum enim positum est in hominis potestate: & vita, quæ per violentiam potest auferri, beata esse nō potest, ex sententia Ciceronis.

Arist.

Quarta.

Quarto, quia cōmunes sunt bonis, & malis: quin potius à prauis, vt plurimū possidentur, vt aduertit Aristotel. problemat. 8. sect. 29. eas vt plurimum pessimi mores comitantur ex Arist. 2. Rhetoricorum cap. 16. *Aristot.*

11 1. Ad Timoth.

Quod argumento est diuitias, quamuis per se malę non sint, dū tamen plus nimio amantur: malorum potius, quam bonorum esse occasioni: quod non solū docent sacræ literæ, sed etiam Aristot. Nam Paulus primæ ad Timotheū 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli: & desideria multa inutilia quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem: radix enim omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Eccle- *Eccleſiast.* siast. 31. *qui aurum diligit, non iustificabitur: multi dati sunt auri casus, & facta est in specie illius perditio illorum: lignum offensionis est aurum sacrificantium: væ illis, qui in sectantur illud; & omnis imprudens deperiet in illo.* Vnde diuitię spinis comparantur à Christo Matthęi 13. Marci 4. Lucę 8. Aristot. etiam 2. Rhetoricorum cap. 16. aperte docuit mores pessimos diuitias comitari: & diuites vt plurimum contumelioſos esse: & superbos. Idem affirmat 2. Magnorum moralium cap. 3. ante finē Contra diuitias plura dixerunt Patres, vide Basilium, & Bernardum vbi supra. Quę omnia, quam sint aliena à beatitudine naturali nullus non videt: nam cū illa sit bonum hominis optimum, nec à fortuna pendet, vt casu potius, quam studio comparetur; nec potest secum compati morum malitiam; nec deniq; ad malū occasionē præbet, sed adbonū.

Matth. Marcus. Lucas. Aristot. Basilius. Bernardus

12 Quinta.

Quinto accedit demōstratio moralis eius enim est naturæ beatitudo, vt bonitas illius in eius possessione, ac retentione potius eluceat, quam in vsu, & distributione ad alterum: nam, cum ex sua natura sit bonum, amatur vt proprium: quia ex Aristotele 8. Ethicorum cap. 2. *Amabile quidem bonum. vnicuique autem proprium:* Et quatenus est optimū, nobis potius & respectu nostri erit optimū ex Aristotele 1. Magnorum moralium c. 1. Ita fit vt beatitudo beet, quatenus possessa ex Aristotele 1. Ethicorum cap. 6. Bonum igitur, in quo ponitur, eius est naturæ, vt eius bonitas potius eluceat, quia possidetur, quam quia in alios distribuitur. Cuius oppositum reperitur in bonitate diuitiarum: quoniam ex

Aristot.

Aristot.

Aristot.

Aristot. 1. Rethoricorum cap. 5. esse diuitem potius consistit in vtendo diuitijs, quam in possidendo illas. Quæ etiã fuit sententia Boetij 2. de Consolatione prosa 5. in principio. Et merito sane; quia vsus pecuniarum potius consistit in dando, quam in possidendo, ex Aristotele 4. Ethicorum. Nam cum libertatis (quæ circa pecunias versatur) duo sint actus; vti inquam pecunijs: & eas conseruare: melior est, & laudabilior vsus pecuniarum, quam illarum conseruatio, vt docet D. Thomas 2.2.q.117.

Boetius.

D. Thom.

13

Quin potius conseruatio pecuniæ nõ est laudabilis, nisi ordinetur ad illius vsum, cum ratio poposcerit; Nam, & ab vsu pecuniæ nomen accepit liberalitas: vsus enim, & elargitio pecuniæ ostendit animum dantis liberum esse ab affectu, & amore pecunię, vt ex nomine græco, ἐλευθερι ότης facile colligit Caietanus in d.q.117. Quare si bonitas diuitiarũ in vsu earum potius elucet, quam in earum possessione: vtique non possunt diuitiæ habere rationem boni, nisi vtilis, & in ordine ad aliud.

Ex ijs, quę immediate diximus colligitur postrema nostræ veritatis demõstratio: nam si liberalis ideo laudandus: quia dum pecunias errogat, ostendit animum ab earum amore liberum: vtique diuitiæ non possunt esse summum vitæ huius bonum: etenim animus beati debet summo amore inhęrere bono, quo beatur; & eo est beatior, quo ardentiori amore illi inhæret. Et hęc satis sint pro resolutione totius articuli. Quæ in oppositum adducuntur, facilem habẽt solutionem. Videndus est D. Thomas 1.2.q. 2. ar. 1. Vtrum autem diuitiæ ad perfectionẽ naturalis beatitudinis viæ conducant? suo loco explicabimus.

Postrema ratio.

D. Thom.

ARTICVLVS III.

Vtrum beatitudo consistat in honore?

§. 1.

Arguitur pro parte affirmante.

1

PArtem affirmãtem probatam esse his, qui vitam ciuilem sectantur; videtur insinuare Arist. 1. Ethicorũ cap. 4. tex. 14. & cap. 5. tex. 19. vbi eos appellat viros elegantes, & ad agendũ idoneos. Ita confirmatur.

Aristot

Primo, quia honor est præmium virtutis, 1. Ethicorum cap. 5. tex. 19. & 20. & lib. 4. capit. 3. text. 49. & 51. & lib. 8. tex. 79. Iam verò beatitudo ponitur in eo, quod est virtutis prẽmium 1. Ethicorum cap. 9. rex. 43.

Primũ argumentũ Aristot.

Secundo, in eo est ponenda felicitas quod maxime conuenit Deo, & viris excellentissimis: his enim non potest cõuenire nisi id, quod maximum est. Sed honor soli Deo conuenit, vt docet Paulus 1. Corinthiorum 2. *Soli Deo honor, & gloria.* Quod etiam agnouit Aristot. 4. Ethicorum cap. 3. tex. 49. & lib. 8. cap. 14. tex. 79.

2

Secundum.

1. ad Cor. 2

Aristot.

Tertio, beatitudo posita est in bono maxime desiderabili: omnes enim maxime appetunt beatitudinem, sed nihil ab hominibus ardentius expetitur, quam honor: siquidem nullius boni iacturas iniquiori animo ferunt, quam honoris: quem illæsum conseruare omnes volunt 5. Politicorum cap. 1.

Tertium.

Postremo, beatitudo ponitur in eo bono, quod vltimo desideratur: tale enim non potest non esse bonum optimũ. Sed honor vltimo loco quæritur, & desideratur: studiosus enim vltra virtutẽ desiderat honorari.

Vltimum.

§. 2.

Resoluitur pars negatiua.

3

PRo resolutione prẽmittendum est honorem definiri ab Aristotele 1. Rhetoricorũ cap. 5. vt sit existimationis benefactiuæ iudicium. Quibꝰ verbis definitur honor per caussã. quia vt immediate ait: *Honorantur atque merito, qui beneficia contulerunt, deinde, qui conferre queant.* Sed nõ sola beneficentia est honoris caussa: plerique enim alios honorant, à quibus nullum se beneficium cõsecuturos sperant, vt colliges ex Aristo 8. Ethicorum cap. 8. tex. 38. Quare generaliter definitur honor à D. Thoma 2.2. q. 103. art. 1. & 2. vt sit testificatio, siue protestatio excellentię eius qui honoratur: quam definitionem colligit ex 8. Ethicorum loco citato. Vel si mauis, honor est actus exhibitus alicui in signum, testimonium ve bonæ existimationis, reuerentiæ, & veneration is ob aliquam

Prẽmissum ad resolutionem.

Aristot.

Aristot.

D. Thom.

aliquam excellentiam, quæ difficile acquiritur. Exhiberi autem potest honor vel quoad Deum, vel quoad homines, ex D. Thoma vbi supra. Si exhibetur quoad Deum; actus ille potest esse aliquis interior cordis motus. Porro quoad homines: solùm erit actus exterior: quia coram hominibus non potest testimonium ferri, nisi per signa exteriora, & corporalia verborum, vel factorum, & aliarum rerum exteriorum. Nam ab Aristotele 1. Rhetoricor. cap. 5. variæ enumerantur honoris partes, actusque honorarij: ad honorem enim pertinent sacra, quibus honoramus Deum: decantationes carminum, laudumque recitationes: primi in locis publicis cõsessus, imagines: corporis inclinationes, aliaq; huius generis signa, quæ in veneratione ceduut, cultumq ue personæ: significatur enim his actibus bonitas, & excellẽtia illius.

Arist.

3

4 Asseritur negatiua sẽtentia Arist.

Explicata Propria honoris ratione, & natura pars negans est omnino vera: nullam scilicet beatitudinem non modo supernaturalem, sed nec naturalem per se positam esse in honore. Fuit semper apud omnes indubitata: docuit eam Aristoteles 1. Ethicorum cap. 5. tex. 19. D. Thomas q. 2. art. 2; 3. contra gentes cap. 28.

D. Thom.

1. Ratio.

Prima, & generalis ratio sumitur ex propria ratione, & natura, tum beatitudinis, tum honoris: constat enim beatitudinem obiectiuam (de qua sola agimus esse bonũ optimum propter se semper, & non propter aliud expetendum, 1. Ethicorum cap. 7. tex. 29. honorem autem nõ esse propter se expetendum, sed propter aliud euidenter constat tum ex Aristotele, tum ex propria honoris ratione: ex Aristotele quidem 8. Ethico. cap. 8. tex. 38. *Non per se autem, sed peraccidens videntur honorem expetere: nam pleriq; gaudent, cum honorantur ab ijs, qui sunt in potestatibus propter spem: putant enim se, si quo indigeant, id ab illis impetraturos gaudent igitur ipso honore, vt signo beneficij suscipiendi, qui autem appetunt à bonis viris, atque scientibus honorari; confirmare opinionem eam, quam ipsi habent de se, affectant. Gaudent igitur, quia sunt boni: credentes eorum iudicio, qui id dicunt.* Eodem argumento Aristot. 1. Ethico. cap. 5. tex. 19. probauit beatitudinem in honore non poni, quia vt ait: *Honorem homines persequi videntur, vt se ipsos bonos esse credant; Itaque à prudentibus, & apud eos, qui ipsos cognoscunt: & ob virtutem honoribus affici quærunt.* Constat igitur ex sententia Aristotelis honorẽ nec appeti, nec quęri propter se, sed propter alium finem. Quod etiam patet ex propria honoris natura: cum enim solum exhibeatur, vt signum, & testimonium excellentiæ: expetaturque solùm gratia illius agnoscẽdæ, euidenter constat honorem non esse in genere bonorum simpliciter: sed bonorũ vtilium: testimonium enim excellentiæ ad ipsam excellẽtiam ordinatur, vt in finem, vt bene annotauit Caietan. 2. 2. q. 129. ar. 1. cum verò excellentia sit in homine, veluti quid diuinum datum à Deo, vt alijs prosit, teste D. Thoma q. 131. ar. 1. fit, vt testimoniũ excellentię in quo honor formaliter est positus) nec expeti debeat, nec placere, nisi in quãtum ex hoc paratur homini via, vt prosit alijs, vt ibi annotauit D. Thom. Quæ prorsus euincunt honorem ex sua natura non collocari, nisi in genere bonorũ vtilium, vt testatur Caietan⁹ vbi supra: cum tamen beatitudo consistat, in solo bono simpliciter per se, & non propter aliud expetendo.

Aristot.

Aristot.

Aristot.

Caietan.

D. Thom.

5 1. Illatio ex præcedente ratione.

Ex hoc inferuntur duo, ex quibus idẽ euidenter demonstratur. Nam primum infertur honorem non esse bonum optimum homini: nam cum honor non propter se quęratur, sed propter virtutis excellentiam, vt patet ex diffinitione honoris; vtique ipsa virtutis excellentia præstabilior est honore. Quo argumento vtitur Aristoteles 1. Ethicorum cap. 4. tex. 19. in fine ad nostrum institutum demonstrandum. Confirmari potest ex doctrina Aristot. 8. Ethicorum cap. 8. vbi docet prętabilius esse amari, quam honorari: non ob aliam rationẽ, nisi quia amari homines per se gaudent; honorari autem propter aliud, vt ibi ostendit. Quare si excellentia digna est, & amore, & honore, & amari præstantius bonũ est, quam honorari: vtiq; beatitudo potius collocanda erat in ipso amari, quam in honorari.

2. Illatio.

Denique infertur honorem expeti non posse vt finem, in quo quis quiescat, nisi inordinate, & ambitiose. Quod enim per se non est bonum, non potest ordinate expeti, vt finis, ex Aristotele 8. Ethico-

D. Thom. Caietan. Ethicorum cap. 2. tex. 3. D. Thmas 2. 2. q. 131. art. 1. vbi videndus est Caietanus. Et D. Thomas ibi ad tertium concludit eos, qui solum propter honorem vel bona faciunt, vel mala vitant, non

6 esse virtuosos; quod etiam patet ex Aristotele tertio Ethicorum cap. octauo, tex. 45. dum ait non esse fortes, qui ob honorem pericula aggrediuntur; quod quam alienum sit à ratione beatitudinis, nullus non videt: nam propter illam tanquam propter finem vltimum operari, non solum studiosos facit, sed etiam beatos.

6 2. Ratio. Secunda demonstratio sumitur ex alia honoris proprietate: nam cum honor sit testimonium excellentiæ, quę est in honorato, vt diximus; honor ex sua natura habet, quod potius sit in honorante, quam in honorato: etenim actus ille testificans excellentiam in honorante est, & ab eo per se pendet, non verò ab ipso honorato. Ergo honor ipse nõ solum non potest esse beatitudo formalis (hęc enim formaliter est in ipso beato) sed nec potest esse beatitudo obiectiua: quoniam de ratione illius est, vt per proprias ipsius beati operationes, & acquiratur, & realiter possideatur: aliàs non posset esse proprium beati. Honores autem assequimur aliorum actionibus.

Hæ duæ demonstrationes generaliter ostendunt nullam beatitudinem in honoribus per se locandam esse: sed in singulis beatitudinibus hoc specialiter demonstremus.

7 Specialiter probatur cõclusio, de beatitudine supernaturali patriæ. *Augusti.* Et quidem de beatitudine supernaturali patriæ facile id demonstrabitur: quoniã in patria nec honores mũdani inueniri poterunt; cũ vani sint, & quidã fumus nullius ponderis, vt ait Agu. 5. de Ciuitate cap. 15. nec honores huius sæculi: nam & hi, vt ab hominibus instituti sunt, cũ sæculo trãseunt. Qui verò ibi

Psalm. 8. inueniuntur honores (inueniuntur autem quã plurimi, iuxta illud Psalmi. 8. *Gloria & honore coronasti eum Domine.* Qui

1. Petri. locus non solũ de Christo intelligit, sed etiã de vno quoq; beato. 1. Petri 1. *Vt probatio fidei vestræ multo prætiosior auro inuenia tur in laudem, gloriam, & honorem in reuelatione Iesu Christi.* Id est in patria, quando

Ioann. 12 Christus reuelabitur. Ioannis 12. *Si quis mihi ministrauerit, honorabit eum Pater meus.* Deniq; Apocalyps. 21. de Cœlesti Hierusalẽ scribitur: *Et Reges terræ afferent gloriam suã, & honorem in illam.* Per Reges terrę intellige beatos homines.) Qui in quam honores ibi inueniuntur; hi veri sunt, & solidi: tribuuntur tamen cuique beatorum, tum à Deo, tum ab alijs beatis propter excellentiam beatitudinis iuxta cuiusq; gradũ. Quare in patria honor beatitudinem consequitur tanquã illius comes: vt beatitudo nõ sit ipse honor, sed res honorabilis, quæ honorem sibi vendicat. Quod est de mente Aristotelis primo Magnor. moral. cap. 2. in principio.

Apocalyp.

Aristot.

A beatitudine autem supernaturali viæ tantum abest, vt ea posita sit in honore hominum, vt potius ponatur in contumelijs, persecutionibus, & vituperijs, quando hæc fiunt propter iustitiam: iuxta illud Matthæi quinto. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: beati estis cum maldixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos mentientes propter me.* Iacobus in

8 Idem probatur in beatitudine supernaturali viæ.

Matth.

sua Canonica cap. sexto: *Beatificamus eos, qui sustinuerunt.* Paulus primę Corinth. 4. *Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus.* Vnde viri virtute insignes perfectiq; religione laudantur, quod honores fugiũt & contẽnunt. Bonum autem in quo supernaturalis beatitudo vię formaliter consistit, nec contemni potest, nec fugi: cum per se optimum sit, & appetibile.

1. ad Cor.

Quod verò attinet ad beatitudinem naturalem, quod illa (si daretur) nec in hac vita, nec in alia posita sit in honoribus, à priori demonstratur ex eo, quod honor, non propter se, aut appetitur, aut tribuitur, sed propter excellentiam virtutis. Ex eo item, quod consecutio honorum non actionibus nostris fit, sed aliorum, cum honor potius sit in honorante. Igitur cum honor nec sit bonum in nobis, nec à nobis eius assecutio pendeat, non potest beatitudo in eo cõsistere. Accedit, quia honor nõ est summũ bonũ naturale huius vitæ, nec est nobis propriũ, nec eius naturæ, vt à nobis inuitis nobis auferri nequeat. Obquas rationes Aristot. in d. c. 5. honorẽ reiecit à ratione beatitudinis, cum August. sermone 12. de verbis Domini c. quinto. *Bonum est (inquit) quod non potes inuitus amittere: potes honorem*

9 Ostenditur cõclusio in beatitudine naturali.

Aristot. Aguſt.

perdere, bonum, quo vere bonus es, nec inuitus accipis, nec inuitus amittis. Cum tamē honorem, & multi accipiant inuiti, & inuiti amittant, & quia bonum honoris huius est naturę, quantumuis ille inter externa bona sit maximum; à magnanimo nō pluris fit, sed potius suo modo contemnitur, ex Arist. 4. Ethic. c. 4. tex. 54. ideo quia existimat nullum honorem dignū esse accumulata virtute: si verò magnos honores sibi delatos, tanquā sibi debitos acceptet, ideo illos acceptat, quia maiora bona ab alijs sibi exhiberi non posse videt, ex Aristot. dicto cap. 4. tex. 53. & D. Tho. 2. 2. q. 129. ar. 1. ad 3. & ar. 2. ad 3. cum tamen bono virtutis (in quo naturalem beatitudinem agnoscit) maxime lętetur, tanquam bono omnium optimo, in cuius possessione quiescit.

Aristot. *D. Thom.*

10 Addere his possumus, quoniam bonū honoris non est eius naturæ, vt eo male vti non possimus: nam ex Augusti. sermone 12. de verbis Domini cap. 3. honor bonum est, si tamen eo benè vtamur: nam plerisque fuit occasio mali: *Honorem (inquit) habere vis? bonum est: sed & hoc, si bene vtaris: quam multis honor occasio exitij fuit: quam multis honor ministerium boni operis fuit.* Quin potius frequentius est occasio mali. Vnde ex Augustin. sermone 62. ad fratres in Eremo: *Quanto maior honor datur, tanto maius periculum comparatur: sunt enim tales elati, superbi, &c.* Cum igitur honore possimus male vti, & frequentius male vtamur, quam bene: non potest in eo consistere beatitudo etiam naturalis: quæ eius est naturæ, vt nec mali possit esse occasio: nec ea possimus male vti. Vnde, nec in malis hominibus reperitur.

Augusti. *Augusti.*

At quamuis nulla beatitudo per se consistat in honore: nulla tamen est beatitudo, quæ non habeat honorem sibi comitē: honor enim est comes virtutis, & excellentiæ, ex Aristotel. primo magnorum moralium capit. secundo. Vtrum verò, & quomodo honor sit appetibilis? Vide D. Thomam secunda secundæ quęst. 131.

Arist. *D. Thom.*

§. 3.

Soluuntur argumenta.

11 Primi argumenti solutio.

NEc huic resolutioni obstant, quę initio in contrarium adduximus Ad primum respondendum est ex mente D. Thomę 1. 2. quęstione 2. articul. 2. ad primum, & clarius 2. 2. quęst. 131. art. 1. ad 2. honorem considerari posse, vel ex parte eorum, quibus tribuitur: vel ex parte tribuentium. Si primo modo consideretur, negandum est honorem esse verum, & proprium virtutis præmium: alioquin posset quis propter solùm honorem studiose operari: cuius oppositum supra docuimus, cum Aristotele 3. Ethicorum cap. 8. tex. 45. & D. Thoma 2. 2. quæst. 131. artic. 1. ad 3. At si expendatur secundo modo: non est negandum honorē habere aliquam speciem, & rationem præmij: quia aliquo modo, & instituitur, & exhibetur in retributionem virtutis: nam Respublica bene instituta ea, quæ potest, virtuti præmia instituit: vt homines allecti amore pręmij ad res præclarissimas alliciantur. Cum verò statuere in præmia alia bona non possit, nisi externa, quia hæc sola habet, quæ largiatur: inter quæ honor habet locum præstantissimum ex Aristotele 4. Ethicorum cap. 3. tex. 49. ideo virtuti, virisque studiosis ob res pręclarissimas honores decernit; non tanquam præmium virtuti condignum (virtuti enim nullus honor cumulate dignus dari potest, ex 4. Ethicorum cap. 4. tex. 53.) sed tanquam maius eorum, quæ exhibere potest: vt ita testimonium ferat, atque manifestet excellentiam virtutis, quam tanquam bonum pulchrum manifestari condecet. Itaque honor non est studioso pręmium virtutis, propter quod operetur: est tamen aliquo modo præmium, quod studioso propter virtutem, tanquam propter finem offerri debet. Vnde nunquā virtutis est finis, sed semper medium ad illam, tanquam ad finem ordinatum.

D. Thom. *Arist.* *D. Thom.* *Arist.*

Ad secundum respondetur, beatitudinem in eo bono esse ponendam, quod per se, & ratione sui maxime conuenit Deo, & viris excellentissimis: tale autem bonum nō est honor: licet enim honor soli Deo, & viris virtute excellentibus conueniat, ex Arist. quarto Ethicorum capitul. quarto text. 59. non tamen illis conuenit ratione ipsius honoris, sed ratione virtutis, & excellētiæ, ob quam sunt honore digni. Itaque beatitudo

11 2. argum. responsio.

titudo in eo bono est ponenda, quo solus Deus, & viri studiosi sunt excellentes, ex D. Thoma 1. 2. q. 2. ar. 2. ad 2. honor autem non est tale bonum, quo Deꝰ & viri studiosi excellentes sunt; sed quo illorum excellentia manifestatur. *D. Thom.*

13 Solutio 3. Ad tertium dicendum est, beatitudinem positam esse in eo bono, quod sicut in se, & ratione sui est omnium optimum: ita per se, & non per aliud est maxime expetibile: talis autem non est honor; quia non ratione sui expetitur, sed ratione excellentię, in qua beatitudo consistit. Vnde honor consequitur beatitudinem tanquam comes, & proprietas inseparabilis: & ob id desiderium honoris consequitur in nobis desiderium beatitudinis. Quod si aliqui honorem appetunt, solum propter ipsum honorē, aut grauiter ferunt honoris iacturam, ratione solius honoris: id prouenit ex depranato ambitionis affectu: nam vir studiosus, & magnanimus, sicut propter honorem solùm non operatur, ita consecutione honorum, nec immoderate lætatur, nec nimiũ dolet illius iactura, ex Aristotele 4. Ethicorũ cap. quarto tx. 53. nam suam intelligens excellentiam; sicut putat se dignum honore oblato: ita putat se indignum oblata in honoratione. *Arist.*

14 Solutio vlt. argum. Ad postremum neganda est minor: nec enim qui vere studiosus est, vltimũ suum bonum ponit in honore, nec in eo quiescit: alioquin nõ studiosus esset, sed ambitiosus. ex D. Thom. 1. 2. q. 2. ar. 2. ad 2. & 2. 2. q. 131. a. 1. Vnde studiosꝰ quisq; honorē appetit, & eo gaudet, vt ab ijs, quos prudentes agnoscit, suę excellentiæ habeat testimoniũ, vt ex Aristot. 1. Ethicor. c. 5. tex. 19. sæpe diximus. Quin potius studiosus, & felix, cũ vere sit magnanimus honores ęstimat, vt parua bona, & minora, quam sibi debeãtur, ex 4. Ethicor. c. 4. tex. 53. & 54. ob quã rationem ibi dicitur contẽptor honorũ. Imò studiosus appetit honorari, vt eius excellẽtia bonorũ, & sapiẽtum testimonio in honorem Dei, & aliorum vtilitatem manifestetur, vt superioribus diximus; qui autem virtute vere Christiana est studiosus, honorem potius contemnit, quã appetit, nisi aut ratione status, aut officij, teneatur eum, tanquam sibi debitum exigere, sed de his plura dicere non est huius loci. Vide Buridanum 1. Ethicorum q. 8. *D. Thom.* *Aristot* *Buridan.*

ARTICVLVS IIII.

Vtrum beatitudo consistat in fama, siue gloria?

§. 1.

Argumenta pro parte affirmante.

QVanuis Aristoteles nullum referat, qui felicitatem in gloria collocauerit; hæc tamen opinio nõ poterit displicere ijs, qui beatitudinẽ posuerunt in fine vitę ciuilis, quos elegantes vocat Aristo. 1. Ethicor. cap. 5. quare sicut quidam felicitatem posuere in honore, quia vitę ciuilis erat finis, ita eam ponere debebãt in gloria, cum vita ciuilis gloriam pro fine videatur habere. Quæ sententia ita suadetur. 1 *Arist.*

Primo; quia teste Cicerone, pArchia poeta, *Optimus quisq; maxime gloria ducitur.* Est igitur gloria inter cętera bona maxime appetibilis: & proinde in ea ponẽda est beatitudo. 1. Ratio. *Cicero.*

Secundo, per famam, & gloriam homines quodãmodo æternitatem sortiũtur, vt ex Boetio de cõsolatione lib. 2. prosa 7. deducit D. Thom. 1. 2. q. 2. ar. 3. Ex quo infertur gloriã esse bonũ maxime stabile, quę est beatitudinis cõditio. 2. Ratio. *Boetius.* *D. Thom.*

Tertio, inter omnia bona gloria est maxime diffusiua sui; etenim per gloriã, & famam homines in aliorum notitiam veniunt. Quæ proprietas est maxime propria beatitudinis. 3. Ratio.

Quarto, beatitudo patrię per se ponitur in gloria: nam hęc promittitur nobis in pręmium ex D. Thoma de malo q. 9. ar. 1. ad 5. & patet ex Paulo ad Romanos. 8. *Non sunt condignæ passiones huius mũdi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Quæ verba satis indicant gloriam esse mercedem, & pręmium laborũ vię. Psalm. 8. *Gloria & honore coronasti eum Domine.* Et Psalm. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Quibus in locis nomine glorię intelligitur patrię beatitudo nobis in pręmium promissa. 4 Ratio. *D. Thom. Ad Roma.* *Psal. 8. & 18.*

Postremo, beatitudo Dei per se ponit in gloria: hoc est in notitia ineffabili, qua seipsũ, suarũq; perfectionũ abyssum cognoscit, & cõprehẽdit; quatenꝰ. i. per eã ipse sibi abęterno innotuit. Ergo & beatitudo nostra per se etiam ponenda est in gloria. 5. Ratio.

§. 2

De multiplici acceptione gloriæ.

2

ANtequam ad quæstionis explicationem accedamus, vt omnis tollatur æquiuocatio, explicanda primum est multiplex acceptio huius nominis *gloria*. Hoc nomen multipliciter accipi docuit D. Hieronymus in cap. 5. ad Galatas. Obseruauerunt Capreolus in distinctione 26. quæst. 1. art. 3. ad primam contra secundam, & in 4. distinct. 49. quæst. 1. art. 3. ad quartam probationem quarti argumenti contra primam, Conrad. 1.2. quæst. 2. art. 3. Sotus in 4. distinctione 49. q. 3. art. 4. post textã conclusionem.

Hieronym Capreolus

Conradus. Sotus.

3

Interdum accipitur pro hominis maiestate, hoc est pro apparatu, & amplitudine dignitatis, & opulentiæ, vt ait D. Hieronymus vbi supra, ita accipitur Genesis 45. *Ite (inquit Ioseph fratribus) annunciate Patri meo gloriam meam.* Id est, omnem meam maiestatem regiam opulentiam, & apparatum. Exodi 24. *Operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini super Sinai*, & statim: *Erat enim species gloriæ Domini quasi ignis ardens.* Item Exodi 33. *Ostende mihi gloriam tuam.* Exodi 40. *Gloria Domini impleuit templum.* Iudith primo. *Et gloria quadrigarum suarum.* Matth. 4. *Ostendit illi regna mundi, & gloriam eorum.* Id est, apparatum, & opulentiam. Quare in sacris literis in hac significatione nomen istud frequentissime vsurpatur: etenim maiestas, & apparatus præse fert quendam splendorem, & sui manifestationẽ.

1. Gloriæ acceptio.

Hieronym Genes.

Exodus.

Iudith.

Matth.

4

Interdum accipitur pro statu beatitudinis, quatenus scilicet beatitudo dicitur status omnium bonorum aggregatione perfectus: ita accipitur in Psalmo. *Exultabunt Sancti in gloria.* Id est in beatitudine cœlesti. Apud Theologis sæpissime accipitur pro ipsa formali beatitudine: ita accipiunt, dum docent: gloriã esse meritorum præmium: maiorẽ esse in vno, quam in alio, & cæt. Quarto loco sumitur etiam à Theologis pro illa claritate, & splendore, qui tum in anima beati, tum etiam in beato corpore admittitur. Tandem accipitur gloria pro clara frequentiq; notitia alicuius cum laude coniuncta: quam appellam' famam. Ita gloriam definit Tullius in libro de inuentione, *Gloria est frequens fama cum laude.* Et pro Marcelo. *Gloria est illustris, & peruagata fama meritorum.* Gloria etiã dicitur *clara, frequensque cum laude notitia.* Ex glosa D. Ambrosij ad Romanos 1. & ex August. in lib. 83. quęstionũ q. 31. circa finem. Quę omnia coincidunt: nam fama, cum à fando dicatur, non datur sine notitia eius, quod fatur.

Psalm.

3. Acceptio

4. Acceptio

5. Gloriæ vsurpatio. Tullius.

D. Ambr. D. gust.

Hoc vltimo modo proprijssime accipitur gloria apud Latinos: quin potius hæc est genuina huius vocis significatio. Gloria enim ex natiua significatione, idem est, quod claritas, lux, & splendor: non quicunque (quia splendor, & claritas ignis, aut rei luminosę non dicitur gloria) sed ille sol', qui in intellectuali substantia ob aliquam rem pulchram reperitur: vnde gloria idem est, quod clarificatio alicuius personæ ob aliquod opus laude dignum: vt facile colliges ex August. in Ioannem tractat. 82. & tractat. 100. non longe à principio, & tractat. 104. non procul à fine, docent dictionarij latini. Quare gloria, pprijssime sumpta nõ est aliud, quam notitia, & fama cum laude coniuncta, vt ex Cicerone, Ambrosio, & Augustino dixim' expressit Aristot. primo Rhetoricor. cap. 5. dum ait: gloria est, cum virtuosus à cunctis existimatur, aut id habere putatur, quod omnes, vel plures, vel probi, vel prudentes expetunt. Quia verò maiestas, id est apparatus, & amplitudo alicuius dignitatis, & opulentię ex se est quid conspicuum, & expetibile, redditque habentem omnibus clarũ & notum; ideo appellatur gloria: non quod ipse apparatus formaliter sit gloria: sed quia causat gloriam, hoc est notitiam, & claritatem apud alos. Et eadem ratione status beatitudinis interdum appellatur gloria: habet enim ille status maiestatẽ quandam, & quẽdã apparatũ ex sua natura dignũ manifestatione, & notitia. Simili etiã modo tũ ipsa formalis beatitudo, tum splendor ille, non solũ glorioſi corporis, sed etiã animę (qui à pleriſq; ponitur distinctus à visione, & illã antecedens) à Theologis appellatur gloria; quia tam beatitudo, quã splẽdor ille beatũ faciunt apud alios notum. Itaq; gloria accipi potest, vel causaliter, vel formaliter: formaliter sumitur pro illa clara notitia, quæ ab alijs de persona habetur ob rẽ laude

D. Ambr. D. gust.

Aristot.

dignam

dignam. Caussaliter verò pro re, quæ cũ sit laude digna, causſa est, vt persona ab alijs omnibus cum laude cognoscatur, atque omnium ore celebretur.

6 Hoc loco sermo est de gloria formaliter sumpta, prout scilicet dicit notitiã claram frequentẽq; cũ laude coniunctã. De hac expresse inquirit D. Thom. 1. 2. q. 2. ar. 3. vbi cunq; hanc excitat quæstionem. De eadẽ agit Arist. 1. Rhetori. c. 5. dum inter partes felicitatis enumerat glõriam, & dum cap. 11. affirmat gloriam esse quid iucundissimum. Cicero etiam, dum ait optimum quenque maxime duci gloria: omnes enim maxime appetunt sui nominis celebritatem claramque notitiam. Hæc gloria, si proprie sumatur, posita est in notitia approbationeque multorum, vt aduertit D. Thom. 2. 2. q. 132. art. 1. gloriari enim vt ait Salustius in Catilinari, non est ad vnum: quin potius nec ad se: gloria enim inter bona externa ab omnibus numeratur. Porro largius accepto gloriæ nomine potest gloria consistere in cognitione paucorum: imò, & vnius: quin potius & sui solius, vt bene aduertit D. Thomas vbi supra, quidquid reclamet Martinus in prima quæstione de inani gloria: etenim cognitio, & approbatio, qua aliquis bonum suum cognoscit, & approbat, dicitur gloria à Paulo ad Galatas 6. *Opus suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantum habebit gloriam, & non in altero.* Et 2. Corinthi. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Nam, & apud quosdam Theologos notitia illa ineffabilis, qua Deus se ipsum suarumque perfectionũ abyssum cognoscit, & comprehendit, quatenus per eam ipse sibi abæterno innotuit, dicitur, & est gloria Dei, cuius splendor est Christus ad Hebræos 1. vt obseruauit Sotus in 4. distinctione 49. quæstio. 3. art. 4. post sextam conclusionem. In hac tamen quæstione gloria sumitur prout est multorum clara, & cum laude notitia, & fama.

D. Thom. *Aristot* *Cicero.* *D. Thom. Salustius* *D. Thom.* *Ad Galat.* *2. Corinth.* *Ad Hebr, Sotus.*

7 Gloriam ita sumptam distingui ab honore manifestum est: quia honor ponitur in testimonio, quod alij de excellentia reddunt: gloria autem posita est in clara, & frequenti notitia eiusdem excellentiæ: quæ notitia sæpissime ex honore procedit: clarescit enim hæc excellentia ex proborum hominum cõmuni testimonio; vnde gloriam esse effectum honoris docuit D. Thomas in dicta quæstione 132. art. 1. Vtrum verò & quomodo gloria distinguatur à laude? merito inquiri potest. Affirmatiue respondet D. Thomas secunda secundæ quęstio. 103. art. 1. ad 3. dum ait gloriam esse laudis effectum, ab eaque oriri. Quod etiam probat Bellomontanus libro primo de Adoratione disput. prima cap. primo num. 3. & 1. 2. q. 2. art. 3. in Commentario: apud quos idem erit dicere, gloria est notitia cum laude, ac dicere, est notitia à laude profecta, & caussata. Vnde illud Quintiliani: *cõsentiens laus bonorum, gloria appellatur.* Non est intelligendum formaliter, sed caussaliter: quoniam excellentia laudati clarescit ex communi, & frequenti proborum laude.

D. Thom. *D. Thom.* *Quintilia.*

§. 3.
Explicatio Quæstionis.

8 EXplicato quæstionis sensu facile quęstio explicabitur, si duplicem distinguamus gloriã proprie sumptam: est enim quædam, quæ est apud homines: altera, quæ est apud Deum, vt colliges ex D. Thoma 1. 2. quęstione 2. art. 3. Illa posita est in clara alicuius excellentię notitia apud homines: hæc vero consistit in cognitione approbationeque, quam Deus habet de excellentia alicuius. Vtramque gloriam distinxit Christus Dominus Ioannis 5. *Dum ait: claritatem ab hominibus non accipio.* & statim: *Quo modo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis; & gloriam, quæ à solo Deo est non quæritis?* Paulus etiam Romanorum quarto: *si Abraham ex operibus iustificatus est: habet gloriam: sed non apud Deum.* Gloria, quæ est apud homines, appellari solet humana; quia ex hominibus dependet: sicut etiam gloria, quę est apud Deum dici potest diuina; non quod illa sit gloria Dei, sed quod pendeat à Deo. Porro gloria humana potest distingui in eam, quæ pure est humana; & in eã, quę non est pure humana. Pure humana dicitur illa, quæ in hac vita apud homines adhuc mortales habetur, & de bonis excellẽtijsq; huius vitę, quæ enim habetur apud homines beatos in

D. Thom. *Ioan. 5.* *Ad Rom.*

patria,&de bonis,atq;excellẽtijs patrię etsi formaliter est humana(quia vere est apud homines) non tamen est pure humana: quia per se comitatur gloriam, quę est apud Deum,& sine illa nõ datur, tanquam decor illius: qui enim apud Deum in patria est glorioſus, simul etiã est glorioſus apud Angelos, & Sanctos, vt aduertit Caiet. 1.2.q.2.ar.3.

Caietan.

9 Conclusio. His ita prę̃missis sit conclusio generalis: nulla beatitudo potest per se, & essentialiter cõsistere in gloria,& fama.

1.Ratio cõclusio. Agimus autem de beatitudine obiectiua. Recipitur ab omnibus, & in sua generalitate demonstratur primo,quia de ratione beatitudinis obiectiuę est,quod per propriam actionem beati possidea tur,tanquam bonum sibi proprium.Gloria autem, nec haberi potest, nec possideri per propriam actionem eius, cuius est gloria, nec realiter potest cum illo vniri, nam cum gloria essentialiter sit notitia, ex sua natura est actio immanens existens in illis, qui excellentiam, & cognoscunt, & laudant: in eo verò, qui laudatur, solum inest terminatiue, & per extrinsecam quandam denominationem.

10 2. Ratio. Deinde,beatitudo cũ sit bonum optimum non est collocanda in passione, sed in operatione, vt suo loco dicemus: gloria autem per se ponitur non in operatione, sed in passione: quia ponitur in notitia excellentię, non quatenus denominat cognoscentem, sed cognitum: Etenim glorioſus quis dicitur, quia famose est ab alijs cognitus, & laudatus. Constat autem perfectius, & nobilius esse cognoscere, quam cognosci: siquidem non cognoscunt, nisi, quæ in rebus sunt nobiliora: cognoscuntur autem etiam, quę in rebus sunt infima. Vnde Deus, qui cognoscendo se est beatus, formaliter est talis, quatenus se ipsum cognoscit, non verò quatenus à se ipso est cognitus: cum tamen dicatur apud se ipsum glorioſus nõ quatenus se ipsum cognoscit, sed quatenus cognitus est à seipso, vt cum Soto diximus superius §. secundo in fine. Quod argumento est cognoscere esse quid perfectius,quã cognosci. Ex quo infertur beatitudinẽ non esse positam in gloria, quæ nihil aliud est quam cognosci.

Soto.

11 3.Ratio. Tertio, quoniam beatitudo est bonũ simpliciter perfectum, & propter se ipsum simpliciter appetibile, Gloria autem formaliter sumpta, non est aliquid per se, ac propter se appetibile. Ergo in gloria, vt est gloria non potest per se consistere beatitudo. Discursus optimus. Maior per se nota. Minorem demonstrat D. Thomas 2. 2. q. 132. ar. 1. ad 3. & de malo q. 9. ar. 1. Nam gloria posita est in ipso cognosci ab alijs: hoc autem per se sumptum nullam importat hominis excellentiam;quia solũ ponit in homine denominationem quandam extrinsecam, quæ ratio concludit etiam ipsum cognosci à Deo, vt sic nullam ponere in homine perfectionẽ. De quo inferius agemus. Quod autem per se nullam importat perfectionem, non est per se appetendum, quia bonũ ideo appetitur, quia perfectum: vnde, quod per se non est perfectum, nec per se est bonum. Gloria igitur formaliter sumpta, nec per se est bonum,nec perfectũ, nec appetibile, quomodo igitur in ea ponetur beatitudo? Ex quo fundamento colligitur vera,& propria ratio, cur vanum sit, & vitium appetere gloriam præcise ꝓpter ipsam gloriã: appetitur enim tanquam per se bonũ, quod nõ est bonum per se, de quo plura inferius.

D.Thom.

12 4 Ratio. *Arist.* Quarto,quia beatitudo est bonum in sua natura ita perfectum in suo ordine, vt semper per se,& nunquã ꝓpter aliud sit appetendum: ita enim scribit Aristot.1. Ethicorũ cap.6. tex. 29. agens de fine, in quo ponitur felicitas: *Cum igitur perfectum simpliciter dicimus, qui per se semper est,& nunquam propter alium expetendus:* Studioſe scilicet: & ordinate: nam inordinate etiam ipsum summum bonum malitia appetentis potest in alium finẽ ordinari. Gloriam laudabiliter, & studioſe appeti posse, & debere propter aliud, docent omnes Theologi: potest enim quis laudabiliter gloriã appetere eam referendo in debitum finem, puta in gloriam Dei, & salutẽ proximorum: ita D. Thomas 2.2. quæstione 132. art. primo in fine corporis, & ad primum, & 3. de malo quęstione 9. artic. 1. & 2. ab omnibus receptus,de quo præter Sumistas verbo,inanis gloria,late Nauar. in tractat. de horis canonicis c.6.cõcl. 22.n.62.videt est etiã in cap.inter verba,concl.5.Corolar.33.n.57. post. Maiorem,

D.Thom.

Nauar.

Abulens. *Caietan.* *Valentia.* *Azorius.* iorem, Abulensem, & Caietanum, quos citat, vide Valentiam 3. tom. disp.8. q. 3.puncto 2. & Azorium libr. 4. institut. moralium cap.13. & quidem,quod gloria propria etiam apud homines in gloriam Dei possit laudabiliter appeti euidenter docuit Christus Matth.5.*Luceat, inquit, lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona,& glorificent Patrem vestrũ, qui in Cœlis est.* De quo latè August. lib.5. de Ciuitate Dei cap. 14. & in sermone Domini in monte c.7.&in hoc sensu explicari etiam potest illud Pauli 1. Cor. 1. *Qui gloriatur in Domino glorietur:* vt non solum liceat gloriari apud Deum, sed etiam apud homines, dummodò in gloriam Dei, talis gloria referatur. Quod verò etiam liceat gloriam propriã appetere etiam apud homines in vtilitatẽ proximorũ, colligit D.Thomas de malo, vbi supra ex Paulo 1. Corinth. 10. *Vnusquisque proximo suo placet in bonum in ædificationem*: illa enim bona proximi existimatio, & complacentia boni nihil aliud est, quam gloria: quam licet appetere in ędificationem.Sed de hoc alibi agendum erit. Nobis satis sit posse gloriam laudabiliter appeti propter aliud bonum, tanquam propter finem: inde enim euidenter ostenditur nõ posse beatitudinem per se cõsistere in gloria.Qui autẽ sint illi fines,propter quos gloria laudabiliter appeti potest,explicat D. Thomas 2.2. q.132. ar.1.in corp. & ad 3. & latius Nauarrus in tractatu de horis canonicis c. 6. concl.22. n. 63. nam quãuis semper appeti debeat propter gloriam Dei, tanquam propter finem simpliciter vltimum; potest tamen laudabiliter appeti propter vtilitatem spiritualem, tum propriam, tum etiam proximi: quia non solum appeti potest, vt ædificetur proximus: sed etiam, vt ipse appetens magis in virtute confirmetur, & in laudes diuinas ardentius prorumpat,exD.Thoma vbi supra ad3. Nauar.& cęteris,quos citauimus.Quin potius potest expeti gloria,etiam apud homines, vt ipsa virtus innotescat. Nã virtus ex sua natura est digna,quæ cognoscatur. Quare sicut honor ex sua natura ordinatur in excellentiam,tanquã in finem; quia est illius testificatio: ita etiam gloria ex sua natura ordinatur in excellentiam,tanquam in finem;quia ex sua natura est ipsius excellentiæ notitia, & claritas: notitia autem, & claritas à natura instituta sunt gratia manifestandi obiectum, quod ex se dignũ est claritate. Quod sentit D.Thomas 3. contra Gentes cap.29.ratione 4.

D.Thom. *Matth.* *August.* *1.ad Cor.* *D.Thom.* *1.ad Cor.* *D.Thom. Nauarr.*

13 Vltima ratio.

Postrema cõfirmatio ex dictis infertur: constat enim ex dictis gloriam ex sua natura non collocari in genere boni simpliciter,sed solùm in genere boni vtilis. Quod,quam longè absit à vera ratione beatitudinis, confirmat omnium consensus, omnes enim beatitudinem ponunt in bono per se, & non propter aliud 1. Ethicorum c.7. text. 29. Quod vero gloria formaliter sumpta solũ collocetur in genere bonorum vtilium,omnes insinuant cum D.Thoma 2.2.q.132. ar.1.ad 3.& de malo q.9.ar.1. in corpore, & inter alios expresit Nauarrus in c.inter verba 11.q.3. concl.4. nu. 18. Quam veritatem euidẽter demonstrat argumentum tertium,ex eo enim patet gloriam formaliter sumptam nullã ponere perfectionem in appetente,& subinde non esse per se, ac simpliciter bonum, sed ratione finis inducere posse boni rationem. Quin potius ipsa formalis ratio gloriæ ostendit eam ex sua natura esse ad aliud ordinatam; nempe ad manifestandum excellentiam alicuius boni, quod dignum est apud alios clarescere ex D. Thoma vbi supra. Vnde conueniunt omnes gloriam formaliter sumptam esse rem ex sua natura indifferẽtem in genere moris, qua quis, & bene, & male vti potest, vt docet D. Thomas in d.q.132.ar.1.in corp.& ad3. & clarius quodlibeto 10. ar.13; aduertit Nauarrus vbi supra concl. 5. n. 2. & post eum notauit Azorius.

Ariſt. *D.Thom.* *Nauarr.* *D.Thom.*

14

Ex quibus collige gloriam per se, & ratione sui expeti non posse, nisi vane, & vitiose vitio, quod appellatur vana gloria, vt ostendunt omnes Theologi- cum D. Thoma in d. q.132. ar.1. & 2; & q.9. de malo artic.1. & 2; & quodlibeto 10.ar.13.Nauarr. in Manuali cap.23.n. 9.& latius in cap.inter verba concl.4.& 5.& de horis canonicis c.6. corol.22.n. 33. cum sequentibus, Valentia 3.tomo disp.8. q.3. puncto 2. pagina 2141. Azorius in sua summa Morali lib.4. c.13. q. 3.Cuius verisimę doctrinę propria ratio inde sumitur, quoniam cum gloria

D.Thom. *Nauarr.* *Valentia.* *Azorius.*

ex sua natura sit de numero bonorum vtilium, vt diximus, non potest appeti vt finis, nisi inordinate, & vane, vt de honore docuit Caiet. 2.2.q.131. art.1. ad finem, §. *Ad secundam verò obiectionem:* appetitur enim tanquam finis, & bonũ propter se, quod ex sua natura nec finis est, nec propter se bonum, quod habet rationem vanitatis, vt ex doctrina D. Thomæ colliges. Adde etiam, quia isto modo id, quod est maius bonum ordinatur ad minus bonum tanquam ad finem: quia bonum excellentiæ, & virtutis (quod est maius) ordinatur ad bonũ gloriæ, quod est minus, vtpote, quia est bonum concomitans virtutem: hoc autem vanum est, & vitiosum, ex D. Thoma in 2. distinct. 38. q. 2. ar. 1. ad finem, & ar. 2. in tertio argumento, Maiore in 4. distinct. 25. q. 2. sub finem, ex quibus id asseruit Nauarrus de horis canonicis cap. 6. corol. 11. n. 12. & corolario 24. n. 37. Quibus adiungi potest ratio Augustini lib. 10. Confessionum c. 36. in fine, vbi ideo putat reprehendendũ esse, qui propter gloriam propriam, tanquam propter finem aliquod bonum operatur, quia plus gaudet se laudari, quam habere bonum, vnde laudatur. Quæ ratio cum præcedẽte coincidit, tum etiã, quia plus illi placet donum hominis (nẽ pe se cognosci ab homine) quam donũ Dei, bonum inquam, quod à Deo accepit, & à quo laudatur.

Caiet. *D.Thom.* *D.Thom.* *Nauar.* *August.*

15 Alia ratio sumi potest ex eodem Augustino de spiritu, & litera cap. 10: quia ille, qui sic gloriam humanam captat, gloriatur de bono tanquam suo, cum tamen illud sit à Deo: nam si de illo gloriaretur tanquam accepto; vtique illud tribueret Deo, tanquam principali auctori. Sed hac de re alibi latius: modo satis est ad nostrum institutum gloriã formaliter sumptam ex sua natura collocari in genere bonorum vtilium, vt absolutè, & generaliter concludamus beatitudinem collocari posse in gloria secundum se, & formaliter sumpta. Quę generalis cõclusio fiet euidẽtior ex ijs, quæ dicemus de singulis gloriæ speciebus.

August.

§. 4.

Idem ostenditur de singulis gloriæ speciebus.

16 Hæc, quæ de gloria in communi diximus efficaciter probant nullam beatitudinem etiã naturalem posse per se consistere in gloria apud homines, quam pure humanam diximus. Sed operę pretium erit eandem veritatem euidentius confirmare rationibus petitis ex ipsius natura. Et prima sumitur ex D. Thoma 1.2. q.2. ar.3: quoniam cum notitia humana non sit caussa rerum, sed potius à reb⁹ caussetur; gloria apud homines. quæ formaliter est notitia humana, non erit caussa humani boni, sed ab ipso humano bono caussabitur. Vnde gloria apud homines poti⁹ erit caussata ab ipsa hominis beatitudine, quæ in hac vita datur, quam sit ipsa beatitudo.

Beatitudinem nõ posse consistere in gloria pure humana.

Prima ratio ex Diuo Thom.

Confirmatur, quoniam gloria humana, etiam, quæ vera est, & de vero bono habetur, ex sua natura ordinatur in ipsum verum bonum, tanquam in finem, non igitur potest esse beatitudo. Consequentia patet, quia, quod in aliud ordinatur, non potest esse summum bonũ, nec beatitudo. Antecedens probatur, quoniam cũ gloria formaliter sit quædam manifestatio boni; ordinata est ab auctore naturæ ad manifestandum bonum, cuius est notitia.

Confirmatur.

Secundò; quoniam gloria apud homines adhuc mortales est effectus honoris, & laudis; & ideo minus bonum, quam honor, & laus; sed in honore non ponitur beatitudo, ergo nec potest poni in gloria. Minor probata est articulo 3. Maior inde patet, quoniam bonitas, & excellentia alicuius ideo apud homines clarescit, quia per exhibitionẽ honoris, & laudis homines de illa testificantur ex D. Thoma 2.2.q.103.ar.1. ad 3. & q.132.ar.2. & 3. contra Gentes cap. 29. Quin poti⁹, vt ibi ait D. Thomas plerique ideo gloriam apud homines quęrunt, vt ab illis honorentur: pluris honorem æstimantes, quam gloriam.

17 Secunda ratio.

D.Thom.

Tertiò; gloria apud homines, licet inter bona enumeretur ab Arist. 1. Rhetoric. c. 5; & ab Ecclesiastico c. 41. dum ait: *Cura de bono nomine,* & Prouerbior. 22: *melius est bonum nomen, quam diuitiæ multæ:* tamen ab eodem Arist. enumeratur inter bona externa, quæ sunt infimi generis, & parui facienda: vnde Paulus 1. Corint. 4. parui faciebat gloriam apud homines inquiens: *mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut humano die.* At beatitudo

3. ratio. *Arist.* *Ecclesiast.* *Prouerb.*

1. ad Cor.

titudo etiam naturalis ex se est summum bonum, & pluris faciendum: imò omnia facienda propter ipsum.

18 Quarta ratio. *D. Thom.* Quartò, gloria apud homines adhuc mortales, ex sua natura est res inde differens, vt aduerterunt D. Thomas 2.2. q. 132. ar. 1. in corp. & ad 3. & quodlibeto 10. ar. 13. Nauarrus in cap. inter verba *Nauarr.* concl. 5. n. 2. Azorius lib. 5. instit. moralium cap. 13. nam, & illam bene, & male possumus acquirere, & acquisita bene, vel malè vti. Primum docet Salustius in *Azor. Salustius.* Catilinam relatus à D. Thoma 2. 2. q. 131. ar. 1. ad 3. *Gloriam* (inquit) *bonus, & ignauus æque sibi exoptant: sed illevera via vitur. hic quia bonæ artes desunt, dolis, & fallacijs contendit.* Secundum patet experientia: nam etsi gloria apud homines etiam in hac vita, laudabiliter imò etiam meritoriè appeti, & quæri valeat, vt colliges ex D. Thoma q. 132. a. 1. ad 1. & 3. latè docet Nauarrus in d. concl. 5. n. 1. cum sequentibus, & patet ex illo Matthæi 5: *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in Cœlis est.* Vnde Ecclesiastici 49. in fine: *Seth & Sem apud homines gloriam adepti.* Tamē nullus dubitauerit plerosq; gloriam hominum vitiose, & vane captare: id satis patet ex ijs, quæ docuit Christus Matth. 6. de Hypocritis gloriā hominum quærentibus, & Ioannis 12. *qui dilexerunt magis gloriam hominum, quam Dei,* & de Pharisæis Ioannis 5: *quomodò poteſtis credere, gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam, quæ à Deo est non quærentes.* Vnde de vana gloria plura scribuntur à Theologis. Quin potius plerisque fuit occasio mali, vt de Romanis docet Augustinus 5. de Ciuitate Dei à cap. 12. & ex eo confirmatur, quoniam gloria humana ex sua natura subiecta est vanitati, vt sit inanis, & caduca, quod facilè patet, tum ex natura ipsius gloriæ: tum ex parte hominum, apud quos habetur: tū denique ex parte rei, de qua quis gloriatur. Quæ triplex ratio vanitatis explicari solet à Theologis cum D. Thoma 2.2. q. 132. ar. 1. & de malo q. 9. ar. 1.

D. Thom. Nauar. Matth. Ecclesiast. Matth. Ioan. 12. Ioan. 5. Augusti. D. Thom.

19 *Tullius.* Ex parte quidem ipsius gloriæ id facilè ostenditur. Nam cū appetitus gloriæ sit homini maximè naturalis (vnusquisque enim gloria ducitur, vt ait Tullius pro Archiapoeta) ipsamet gloria humana mouet animos mortalium, vt velint ab hominibus prædicari, vt ait Augustinus vbi supra, & satis explicauit in libr. 83. quæstionum q. 31. ad finē, & D. Bernardus ad illa verba Pauli, qui gloriatur in Domino glorietur. Appetitus autem gloriæ humanæ sistens in ipsa gloria inanis est, & vitiosus, primo, quia appetitur, tanquam per se bonum, quod nō est bonum, nisi propter aliud. Deinde, quia maius bonum ordinatur in minus bonum, & ob alias rationes, quæ suadent appetitum vltimate terminatum ad gloriam apud homines vanum esse, & vitiosum, quem tam sacra, quam naturalis philosophia reprobat, vt patet ex verbis Christi Matth. 6. *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*, & inferius: *Te autem faciēte eleemosinam nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Vbi ex August. per dexteram intelligitur voluntas boni operis, per sinistram, appetitus humanæ gloriæ: tunc autem sinistra manus nescit bonum opus dexteræ, cum nullus in operādo adest appetitus gloriæ humanæ. Vide Paul. 1. Thessalo. 2. *Ita loquimur (inquit) non quasi hominibus placentes.* Et statim: *Nec quærentes ab hominibus gloriam, nec à vobis, nec ab alijs.* Vnde ad Galatas 1. *Si hominibus placere vellem Christi seruus non essem.* Hanc veritatem cognouisse philosophiam antiquorum multis poterat ostendi: satis sit illud Persij satyra 1. *Sed recti finemque, extremumque esse recusō: Euge tuum & belle.* Cuius appetitus vanitatem satis expressit Christus, dū Matth. cap. 16. sæpius repetit: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*: illam inquā mercedem, quam appetiuere: nimirum notos esse, & glorioſos apud homines. His verbis significans mercedis vanitatem, & inanitatem. Ratio ex dictis patet, quia gloria apud homines præcisè sumpta nullam in ipso appetente perfectionem importat. Quare cum gloria apud homines ex sua natura maximè alliciat inordinatum appetitum hominis ad sui desiderium; manifeste patet gloriam humanā ex se vanitati esse subiectam.

Augusti. Bernardus Matth. Augusti. 1. ad Thes. Ad Galat. Persius. Matth. 16.

Potest etiā euanescere humana gloria ex parte hominum, apud quos quæritur: si nimirum quis ex solo ipsorum hominum iudicio firmus, & certus fiat, de veritate suæ excellentiæ, dum eam

20

videt

videt ab hominibus approbari. Pro cuius intelligentia aduertendum est gloriam, quã apud homines habemus, laudabiliter placere posse, si ideo placeat, vt aliorum testimonio nostram virtutẽ, & excellentiã cognoscentes reddamur de ea certi, vt ita studeamus in ea perseuerare, & ad maiora proficere, vt patet ex D. Thoma 2.2.q.132. art.1. ad 3. Quod de appetitu honoris dixerat Aristoteles 1. Ethicorum c.5. tex.19. & lib. 8.c.8. tex. 38. Hæc igitur certitudo, & firmitas, si solo hominum testimonio nitatur, vt certo credamus id, de quo laudamur, veram esse virtutem, verãq; excellentiam; vana erit: quoniam testimonium hominum, quatenus est hominum absolutè nec firmum est, nec certum, vt ait D. Thomas. Non est firmum; quia ex sua natura inconstans est, & variabile, iuxta illud Iob. 14. de homine: *& nunquam in eodem statu permanet*, & c.20. *cogitationes illorum varie succedunt sibi, & mẽs in diuersa rapitur*. Vt monstrat experientia: quod enim nunc placebat, mox displicet. Nec etiam est certum, sed incertum potius, & ex sua natura fallax, iuxta illud Psal.115: *omnis homo mendax*. & Psal. 61. *veruntamen vani filij hominum: mendaces filij hominum; in stateris, vt decipiãt in vanitate in id ipsum*, & Sapientię 13. *vani autem sunt omnes homines in quibus non subest sapientia Dei*. Cum igitur hominũ iudicia ex sua natura sint inconstantię, & falsitati subiecta; ex sua natura erunt vana. Vnde, qui solo hominum iudicio certus, & firmus redditur de sua bonitate, & excellentia, vt de ea glorietur; non vere, sed vane gloriatur: nam cum sæpissime decipiantur homines, & decipiant, plerũque contingit, vt gloria, & fama, quæ apud illos est, fallax sit; & fucata: vt quæ, vel falsis populi rumoribus collecta sit, vel ob res vanas, & caducas acquisita.

D.Thom. Arist. Iob: Psal.115. Psalm.61. Sap.

21 Ex quo etiã patet gloriam apud homines posse euanescere ex parte rei, de qua est: fit enim sæpissime, vt quis apud homines claresçat de re falsa: quia homines, & fallere possunt, & falli: vel de re fragili, & caduca, quæ sicut non est digna laude, ita nec gloria. Atque vanitatem explicat Propheta Psal. 61. in verbis superius citatis: ex quibus patet homines in ipsismet suis statèris, quibus omnia librant, in ipsum devanitate decipi: quia, & decipiunt, & decipiuntur: decipiunt; dum re vana, & caduca (quam falso iudicant veram) alios faciunt glorioso; decipiuntur: quia interdum laudant alios de excellentia, & bonitate, quæ non est in illis, ipsa ipsorum hypocrisi, & fictione decepti. Vnde Paulus 2. Corinth. 10. consulit, vt qui gloriari desiderat, non in homine, sed in Deo glorietur, quia vt ait: *non qui se ipsum commendat ille probatus est* (idem dicito de eo, quem homines cõmendant) *sed quem Deus commendat*; cuius testimonium firmum est, & certum.

Psal.61. 2. ad Cor.

Hæc, quę de gloria pure humana diximus satis euidenter ostendunt nullã beatitudinem in ea posse collocari.

22

Quæ veritas de beatitudine supernaturali patriæ euidentior est, quam probatione indigeat: vbi merces à solo patre est, iuxta illud Matth.6: *alioquin mercedem non habebitis apud patrem*, & statim: *pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*. Denique beatitudo patriæ in sola patria reperitur.

Matth.

De beatitudine autem supernaturali viæ facile id ostenditur 1. ex Paulo ad Galatas 1: *an quæro hominibus placere? si hominibus placerem, Christi seruus non essem*. In qua seruitute beatitudo supernaturalis viæ per se est posita, & hanc Paulus appetebat. Deinde patet ex verbis Christi Matth.6. attendite, ne iustitiã vestrã faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem nõ habebitis apud patrem. Cum tamen beatitudo viæ apud patrem magnam habeat mercedem propter spem supernæ mercedis. Denique beatitudo viæ Matth.5. in hoc maxime collocatur à Christo, quod propter iustitiam quis apud homines inglorius sit, infamis, & plenus ignominijs: *Beati estis (inquit) cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me*. Quæ omnia contraria sunt gloriæ, quæ apud homines est.

23 Ad Galat. Matth. Matth.

Porro de beatitudine naturali huius vitæ id satis docuit Persius in d. satyra 1. dum nonvult laudem hominum, & gloriam apud illos esse finem boni operis. Quod satis est de mente Aristotelis 3. Ethic.c.8.tex.45. vbi negat virtutẽ fortitudinis ijs, qui pericula aggrediũtur, vel propter honorem, vel propter gloriam

24 Probaturcõclusio in beatitudine naturali viæ. Persius. Arist.

riam captandam: quod non negaret, si beatitudo naturalis per se posita esset in gloria apud homines. Cum Aristotele consentit D. Thomas 2.2.q.123. ar.1. & clarius q.132.ar.1.ad 2. ex Aug.5. de Ciuitate Dei cap.12. 19.& 20. dum ait: *non esse veram virtutem, quando gloriæ humanæ seruitur.* Faciunt, quæ diximus, vt ostẽderemus beatitudinem naturalem non esse positam in honore. Nam gloria humana nec est bonum in nobis, nec eius acquisitio, & possessio à nobis dependet: nec eius est naturæ, vt à nobis, inuitis nobis, nequeat auferri: nec denique ex sua natura est bonum, quo virtus cumulate præmietur: vnde pluris æstimari non debet, sicut de honore ob eandẽ rationem ex Aristotele, & D. Thoma supra diximus. Quod satis est de mente Pauli 1. Corinth. 4. dum pro minimo habet ab hominibus iudicari: vnde nec gloriam humanam querit 1. Thessal. 2. Nec solum est parui facienda, sed melius est illius cupiditati resistere, quam cedere, vt expresse docet Aug. 5. de Ciuit. c. 14. imò sanius iudicat, qui gloriæ amorem vitium esse cognoscit, ex Aug. ibi c. 13. Vnde contra cupiditatem humanę gloriæ multa scripsit in d. libr. 5. à cap. 12. In cuius vituperium illud adduci potest, quod in patria (in qua est vera beatitudo) non dabitur.

D. Thom. Augusti. 1. ad Cor. Ad Thess. Augusti.

25 Nec in gloria, quæ nõ est pure humana, beatitudo patriæ collocanda est

Gloria porro, quæ non est pure humana (qualis est, qua vnusquisque beatorum apud angelos. & beatos in patria claresçit) quanuis vera sit gloria (supponit enim diuinam approbationẽ, & cõmendationem) non tamen in ea beatitudo patriæ ponenda est. Primò, quia gloria apud beatos minus bonum est, quam gloria apud Deum: beatitudo autem patriæ in summo bono patriæ collocatur. Secundo, quia illa clara apud beatos notitia est effectus caussatus ab excellẽtia ipsius beati: ab illa, inquam, qua Deus beato per visionem immutabiliter adhæret, & ad illam manifestandam, tanquam in finẽ ex sua natura ordinatur: ideo enim beatorum quisque in patria apud supernos ciues cum laude celebratur, quia visione, & amore inamissibiliter adhæret Deo: cuius excellentię notitia ab auctore naturæ per se ordinata est in manifestationem talis excellentiæ. Quin potius ipse beatus gloriam illam non per se appetit, sed vt in illa laudetur, & glorificetur Deus, tũ à se, tum à cæteris beatis. Vnde Deus ipse gloriam, quam apud homines habere vult, non vult propter ipsam gloriam: sed immediate propter nos, mediate verò propter gloriam suam ex D. Thoma in d.q.132. ar.1. ad 1. Denique Deus ipse non ideo formaliter est beatus, quia apud angelos, & homines est glorioſus: alioqui ab æterno glorioſus non foret. Licet autẽ à Deo in hac materia ad nos argumentari, quia beatitudinem obiectiuam habemus cum illo communem.

Probatur 1.

Secundo.

D. Thom. 3.

Tandem, vt rem istam concludamus, nec beatitudo nostra per se poni potest in gloria nostra, quæ est apud Deum: hoc est in notitia, quam Deus habet de nostra bonitate, & excellẽtia, qua apud Deum noti, & clari sumus. Quod expresse sit D. Thomas cum Caiet. 1.2.q.2. ar.3. Nam quanuis gloria, quæ est apud Deũ, per se, sit verissima, & solida, ex D. Thoma in d.ar.3. & 2.2.q.132.ar.1.ad 2: quin potius, quanuis tanquam vera sit à nobis quærenda, vt satis colligitur ex verbis Christi Ioannis 5: *& gloriam, quæ à Deo est, non quærẽtes*, & clarius ex Paulo 2. Corinth. 10: *Qui gloriatur in Domino glorietur: non enim, qui se ipsum commẽdat ille probatus est, sed quem Deus commendat* (quia sc. in suo iudicio falli non potest) tamen ipsa in se, & quatenus formaliter est ipsum cognosci à Deo, nõ solum non est summum bonum, sed nec est per se bonum: non est summum bonum; quia maius bonum est cognoscere Deum, quam cognosci à Deo. Quod facilè probatẽ ex eo, quia omnia entia etiam infima, & imperfecta cognoscuntur à Deo: cum tamen cognoscere Deum, non nisi in entibus perfectis reperiatur, tanquam perfectio simpliciter: & inde est, vt Deus, quãuis sit formaliter glorioſus, quia à se cognoscitur; non tamen est formaliter beatus, nisi quia seipsum cognoscit, vt bene aduertit Sotus in 4.dist.49.q.4.ar. 1. post sextam conclusionem. Quare eadẽ ratione nos formaliter erimus beati, quia Deum clare cognoscemus; non vero, quia ab eo cogniti erimus: alioquin cum ab æterno ab eo simus cogniti, ab æterno beati fuissemus. Quare cõcedendum est cognosci à Deo, quanuis bonum

26 Beatitudo non potest collocari in gloria nostra quæ est apud Deum.

D. Thom. Caiet.

Ioan. 5.

2. ad Cor.

Sotus.

bonum sit; non tamen esse summum bonum. Quin potius, nec est per se bonũ, si formaliter consideretur, vt est quoddam cognosci à Deo: etenim, vt sic nullam perfectionem ponit in rebus cognitis, sed solum quandam extrinsecam denominationem. Quare ipsum cognosci à Deo, non est appetendum propter ipsum cognosci præcise sumptum, sed propter aliud: Antecedenter quidem; propter nostram beatitudinem, cuius caussa fuit ipsum cognoscere approbatiuum Dei ex D. Thoma ita intelligendo 1.2.q.2.art.3. finaliter vero: propter gloriam Dei ad quam omnis nostra gloria, etiam illa, quæ est apud Deum, tanquam in finem referenda est. *D.Thom.*

27 Sed, vt hæc melius intelligantur, aduertẽdum est duplicem scientiã (quod ad institutum attinet) poni in Deo: vnã visionis, quam vocant speculatiuam: alteram approbationis, quam practicam appellant: quia est rerum caussa. Igitur gloria hominis, quæ est apud Deum, accipi potest, vel pro notitia visionis, qua Deus videt hominis bonitatem, & excellentiam; vel pro notitia approbationis, qua Deus volens approbat, & approbando caussat bonitatem, & excellentiam hominis. Si sermo sit de gloria, idest de notitia visionis, qua Deus speculatiue videt excellentiam, quæ est in homine: nec in patria, nec in via beatitudo potest in illa consistere. Probatur, quia hæc visionis notitia supponit ipsã excellentiam, cuius est notitia, & manifestatio, & suo modo ab ea dependet, & quodammodo caussatur. Vnde quatenus nos denominat, minus bonum videtur esse, quam ipsa nostra bonitas, & excellentia. Adde etiam, quia in nobis maius bonum est cognoscere Deum, quam cognosci à Deo, vt supra ostendimus. Quare cum ex se, nec in via, nec in patria sit summum bonum nostrum, non potest in ea beatitudo collocari.

28 Accedit; quia licet illa diuina notitia sit in Deo quoddam per se bonum, & perfectio simpliciter: tamen quatenus ad nos terminatur, & suo modo dicitur esse in nobis, nullam ponit perfectionẽ, cum solam ponat extrinsecam quandã denominationem, in qua fundatur relatio rationis. Vnde ipsum cognosci à Deo (quo reddimur glorioſi) solum enumeratur inter bona vtilia: quod ideo expetimus, quia est veluti quoddam testimonium, quo certi sumus de veritate, & soliditate nostræ bonitatis, & excellentiæ, vt de honore docuit Aristot. 1. Ethic.c.5.tex.19.& lib.8.c.8.tex.38. est enim in vtroque eadem ratio. Ex quo cum Aristotele inferre possumus bonitatem, & excellentiam, ob quam clari sumus apud Deum, præstantius bonum esse, quam ipsam gloriam apud Deum. i. quam ipsum cognosci à Deo: hoc enim à nobis appetitur, tanquam testimoniũ & confirmatio nostræ bonitatis. Quod testimonium non solum appetimus, vt certi de nostra reddamur bonitate; sed in via, vt studeamus perseuerare, & ad maiora proficere: in patria verò, vt in nobis Deus glorificetur. Quę omnia cõfirmant beatitudinem tam in via, quam in patria potius collocãdam esse in excellentia, & bonitate, ob quam apud Deum clari reddimur. Vnde non solum dici potest beatitudinem nostram perfectam, vel inchoatam esse caussam nostræ gloriæ apud homines, vt docet D. Thomas 1.2.q.2.ar.3: sed etiam suo modo esse caussam gloriæ apud Deum. *Arist.* *D.Thom.*

29 Si verò sit sermo de gloria apud Deũ, quæ ponitur in notitia approbatiua nostræ excellentiæ; & bonitatis, quæ Deo est nota: inde probat D. Thomas in d. ar.3. beatitudinem in ea non posse collocari: quia beatitudo pendet ab hac notitia sicut ex caussa: cum notitia ista sit caussa rerum. Quæ ratio ex eo vim habet, quia Deus est auctor, & caussa nostræ beatitudinis, iuxta illud Psal.83: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*: illud etiã Psalmi 90: *Glorificabo eum, & ostendam illi salutare meum*. Igitur beatitudo non potest poni in ipsa scientia approbatiua: sed ponenda est in aliquo bono, per ipsam scientiam nobis applicato. *D.Thom.* *Psal.83.* *Psal.90.*

Accedit eo; quoniam licet beatus, quem Deus approbando nouit ad beatitudinem, dicatur approbatus ad eam, quatenus est terminus talis notitiæ: tamen non dicitur beatus formaliter, ex hoc approbari: sed ex bono, ad quod approba-

probatur. Igitur beatitudo (quæ à Deo verè cauſſatur) in illo bono cauſſato ponenda eſt, & non in ipſo approbari, in quo formaliter gloria conſiſtit: nam & ipſum approbari, non ſolùm antecedit natura ipſum bonum, ad quod approbatur, ſed etiam tempore; imò, & æternitate: cum tamen homo in tempore ſit beatus.

Conſtat igitur ex his omnibus beatitudinem noſtram nulla ratione poni etiam in gloria, quæ eſt apud Deum. Hæc tamen gloria erit comes perpetuus noſtræ beatitudinis, vt ſuo loco dicemus.

§. 5.

Soluuntur argumenta in oppoſitum.

30 Solutio primi argumẽti.

NEc argumenta in oppoſitum facta vim habent. Ad primum admittimus omnes gloria duci: id enim præter Tullium fatetur Auguſt. Pſalmo 189. ad illa verba, *Exultabunt Sancti in gloria*, vbi ait, *neminem eſſe, qui gloriam non amet*. Quod etiam aſſerit Valerius Maximus lib. 8. cap. 15; dum ait: *Nullam eſſe tantam humilitatem, quæ dulcedine gloriæ non tangatur*; hoc eſt, nullum eſſe à Deo vilem, & abiectum hominem, qui non tangatur gloriæ deſiderio. Vnde appetitus gloriæ etiam in malis reperitur: bonus enim, & ignauus gloriam exoptant. Quod adeo eſt naturale, vt vix, aut nunquam compeſci ab hoc deſiderio poſsit homo, vt ait D. Bernardus in ſermone ad illa verba Pauli: *qui gloriatur, in Domino glorietur*: nam cum gloria beatitudinem comitetur; ſicut nullus eſt, qui non appetat beatitudinem; ita nullus eſt, qui non appetat gloriam. Quare libenter admittimus omnes duci gloriæ ſtudio. Negamus tamen appetitum gloriæ, ſi ordinatus ſit, eſſe omnium maximum: quia natura bene ordinata, & regulata ſecundum rectam rationem non appetit gloriam tanquã bonum ſimpliciter, ſed tanquam bonum vtile, & ad aliud: vnde magis appetit id, cuius gratia gloriam appetit: finis enim magis appetitur, quam ea, quę ſunt ad finem. Quod ſi de appetitu gloriæ inordinato, & vitioſo ſermo ſit; non negamus apud pleroſque appetitũ gloriæ eſſe maximum; ita vt gloriam appetant, tanquam ſummum bonum: ſed hoc non poteſt in argumentum trahi: quia beatitudo in eo bono ponitur, quod ab omnibus ordinate, & laudabiliter maximè appetitur.

Tullius. *Auguſt.* *Val. Max.* *D. Bernar.*

31 Solutio ſecundi arg.

Secundum argumentum agit de gloria humana, quæ in hominum notitia & memoria eſt poſita: quam plerique immortalẽ tũc reddi volunt, cũ ſcriptorum annalibus ad tẽpora futura trãſmittitur: ſumiturque argumentum ex verbis Boetij: cum tamen Boetius eo in loco verba illa referat non ex propria ſententia, ſed ex ſententia illorum, qui gloriam, tanquam ſummum bonum captabant: oſtenditque horum hominum cogitationem vanam eſſe, & inanem: tum, quia plures ſuis temporibus maximè glorioſos, quorum præclara geſta plurimorum annalibus ſcripta fuerunt; temporis obſcura vetuſtas ſimul cum annalibus obliuione deleuit. Tum etiã, quia, vt fama illorum per omnia ſæcula conſeruatis annalibus permaneret; adhuc fama immortalis non eſſet, cum tẽpora finem habitura, cum æternitate comparari nequeant. Quare ex verbis Boetij nullum argumẽtum ſumi poteſt: quin potius ex ijs, quæ docet, expreſſe probatur gloriam, & famam apud homines non eſſe bonum per ſe ſtabile, vt etiam docet D. Thomas in d. ar. 3. ad 3: nã vel falſo rumore facile perdi poteſt, vel temporis diuturnitate deleri obliuione. Adde tertiò, quod gloria apud homines per ſe non habet ſtabilitatem in futuris temporibus, ſed per accidẽs, quia ad poſteros tranſmitti cum diuturnitate nequit, niſi ratione annaliũ, quorum pleraque tempora ſunt inopia. Accedit, quoniam & ſi ſtabilitatem admitteremus (quam admittimus in gloria patriæ) non inde infertur beatitudinem in gloria ponendam eſſe: quia ſtabilitas iſta, etſi comes eſt beatitudinis: non eſt tamen ſolius beatitudinis. Nam & ea, quæ beatitudinem conſequuntur, ſtabilitatem habent, quanuis eam habeant ex beatitudine.

Boetius. *D. Thom.*

32 Solutio tertij.

Ad tertium reſpondetur, primò ex mente D. Thomæ hic ar. 3. ad 2; gloriam non eſſe ſui diffuſiuam, ſed bonum: hoc enim per aliorum notitiam diffunditur, dum clareſcit. Quare notitia, & gloria, eſt id, quo bonum diffunditur; non id, quod diffunditur.

D. Thom.

Alia eiusdē argumenti solut 10.

Respondetur secundò diffusibilitatē boni, quæ est proprietas boni, potius cōsistere in reali sui diffusibilitate, quā in diffusibilitate per notitiam, quæ est diffusio quædam solum intentionalis. Et quanuis hæc etiam diffusio conueniat bono, quia bonum, ideo quia decorum est, est manifestatiuum sui ex Diuo Thoma 2.2. q. 132. ar. 1. tamen bonum, non ideo habet beandi rationem, quia manifestatiuum sui; sed qui a est sui ipsius realiter cōmunicatiuum. Vndē beatitudo obiectiua non ideo beat, quia se aliorū notitijs manifestat: sed quia realiter se communicat. Quare ex ipsa diffusione per notitiam, non bene infertur gloriam esse obiectiuam beatitudinem.

D Thom.

33

Solut. quarti argumenti ex D. Th.

Ad quartum D. Thomas hìc ad primum negat gloriam, quæ est ab hominibus, esse præmiū beatitudinis nostræ. Negat deinde Paulum loco adducto loqui de hac gloria, sed de ea, quæ est à Deo, qui in gloria Patris coram angelis Dei suos confitetur, & agnoscit. Quibus verbis satis significat gloriam, quæ est à Deo, dari nobis in præmium, non verò gloriam, quæ est ab hominibus. Quod etiam docet in d. q. 132. artic. 1. ad secundum.

D. Thom.

Obiectio.

Si verò obijcias beatitudinem nostrā obiectiuam, nec etiam poni in gloria, quæ est apud Deum: occurrit Conradus D. Thomam per gloriam, quę est à Deo, non intelligere gloriam, quæ est notitia, quam Deus habet de homine, sed de gloria Dei apud homines, ideſt de gloria, quæ est notitia, quam homo in patria habet de Deo; quæ est nostra beatitudo, & præmium virtutis, & meritorum. In quo sensu etiam intelligit Diuū Thomam 2.2. loco citato, dum ait, gloriam, quæ habetur à Deo, dari nobis in præmium, gloriam inquam, ideſt visionem Dei, quam homo habet in patria, quę à Deo est. Confirmat hanc explicationem ex Diuo Thoma de malo q. 9. artic. 1. ad quintum; dum ait gloriam, quæ nobis datur in præmium, consistere in cognitione Dei. Si obijcijas Diuū Thomam in titulo quæstionis, & in corpore egisse de gloria hominis apud Deū & proinde ad primum de eadem esse intelligendum: respondet æquiuocationem tolli, quia ista gloria est effectus prioris.

Solutio ex Conrado.

Vtrum Conradus satisfaciat? aliorū sit iudicium; facilius soluetur argumentum negando maiorem, si intelligatur de gloria formaliter sumpta, siue apud homines, siue apud Deum. Nec oppositum probant, quæ in contrarium adducuntur: respondetur enim, non omne, quod promittitur in præmium esse nostram beatitudinē essentialē, sed, quod promittitur, tanquam essentiale præmium: talis non est gloria, sed Deus clare visus. Concedimus igitur gloriam, honorem, & cætera bona, quæ statum beatitudinis integrant, promitti nobis in præmiū: & forte ita accipitur in Psalmo 16: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* ideſt, cum fuero in illo statu beatitudinis omnibus bonis affluente. Eodē modo exponi potest illud Pauli ad Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius mundi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis,* ideſt ad omnia bona gloriæ, quæ in patria consequemur: nam in eodem accipitur nomen gloriæ in simili sententia Pauli 2. Cor. 4: *id enim, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Vbi status beatitudinis propter omnium bonorum superabundantiam appellatur pondus gloriæ. Vnde Paulus ibi inter bona gloriæ enumerat liberationē à seruitute corruptionis, quæ in redemptione corporis ponitur. Quare libenter concedimus gloriam, & honorem promitti nobis in præmium, vt patet ex Paulo ad Romanos secundo: *His, qui sunt secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem.* & Psalmo octauo: *Gloria, & honore coronasti eum Domine.* At tamen cum nō promittatur, tanquam præmium essentiale, non bene inde infertur beatitudinē essentialiter positā esse in gloria apud Deum: nam gloria apud angelos, & beatos etiam erit nostrum præmium. Nec Diuus Thomas oppositum docuit: sed secundam argumenti solutionem posuit. Nam cum sibi obijceretur gloriā promitti nobis in præmium, respondet gloriam, quæ nobis in præmium promittitur, esse gloriam, quæ ponitur in clara Dei visione. Et subinde negat gloriam propriè sumptam non esse nobis præmium essentiale, sed accidentale.

Aliter occurritur argumento.

Tsal. 16.

Ad Rom. 8.

2. ad Cor.

Ad Rom. 2.

Psalm. 8.

34

Ad vltimum dicendum est beatitudinem

Vltimi arg. solutio.

dinem formalem Dei per se positam esse in ipso cognoscere se ipsum: quia formaliter est beatus per visionem claram sui ipsius. Ipsum tamen esse beatitudinē obiectiuam sibi, vt est sibi cognitus: terminans enim nostro intelligendi modo suam sui ipsius visionem se ipsum beat: & eodem modo, vt à nobis cognitus est nostra obiectiua beatitudo. Ex qua doctrina inferri posset, Deum, vt glorioſū habere rationem beatitudinis obiectiuæ, si vera foret sententia Soti in 4. distinct. 49. q. 3. ar. 4. post sextam conclusionem gloriam essentialem Dei formaliter sumptam positam esse in ipso esse cognitum à se: ita vt Deum à se ipso esse cognitū formaliter sit Deum apud se esse glorioſum gloria essentiali, quam ab æterno habuit: nam cum Deus, vt cognitus sit, & nobis, & sibi beatitudo obiectiua, vt omnes fatentur: si Deum esse glorioſum formaliter est Deum esse, & sibi, & nobis cognitū: vtique Deus vt glorioſus erit beatitudo obiectiua tam sibi, quam nobis.

Sotus.

35

Soti doctrina refellit.

Sed non puto veram esse doctrinam Soti: quia gloria formaliter sumpta nō dicit quancunque notitiam, sed notitiā cum laude, vt omnes agnoscunt: talis autem non est notitia, quæ, & in Deo, & in creatura est beatifica: hæc enim tam in Deo, quàm in beatis antecedit omnē laudem Dei. Hoc in beatis ostenditur. primo, quia ex quorundā sententia laus Dei in beatis non reperitur, nisi in politia vespertina, in qua beati versantur circa res in proprio genere: quod videtur placuisse Caietano 2. 2. q. 52. ar. 3. Iā verò visio beatifica antecedit omnem actum politiæ vespertinæ. Iuxta quam opinionem Deus non est apud beatos glorioſus, nisi in vespertina politia: siquidem in hac sententia nunquam est cognitus cum laude, nisi in ea. Secundò, licet admittamus laudem Dei etiā dari in politia matutina (quæ est verior sententia) adhuc in ea politia visio beatifica prior est, quam actus laudis. Tum, quia est actus libere à beatis exercitus circa Deum, vt supponimus ex D. Thoma Opusc. 63. c. 5. & 6. Tum etiam, quia laus illa procedit ab ipsa notitia beatifica, vt est practica, vt etiam supponimus, id suo loco diligētius explicaturi. Quare cum notitia beatifica, quæ est in beatis, quatenus est beatifica, nō sit cōiuncta cum laude, non potest Deus per illam dici glorioſus apud beatum, & per consequens, nec Deus erit beatitudo obiectiua beato formaliter per notitiā, quæ est gloria. Erit igitur nobis obiectiua beatitudo, vt cognitus quidem; nō tamen, vt glorioſè cognitus.

Caietanus.

D. Thom.

Quin potius ipsa visio beatifica nostro modo intelligendi antecedit omnē rationem laudationis, quam Deus erga se habere potest; si tamē aliquam apud se potest habere. Nam cum laus nō debeatur nisi de illis, quę in finem ordinātur, vt docet Arist. 1. Eth. c. 12. tex. 54. & D. Thomas 2. 2. q. 103. ar. 1. ad 3: non debetur Deo secundum se, & secundū suā essentiam, & perfectionem, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 91. ar. 1. ad 1; & satis significat Arist. in d. c. 12; dum ait: neminē esse, qui laudet Dei beatitudinem, & diuinitatem: omnes tamen eam colere, reuereri, & honorare: debetur tamē laꝰ Deo secundum suos effectus, quatenus sc. summa cum prudentia omnia ordinat, vt D. Thomas docet in d. q. 91. & in 4. distinct: 15. q. 4. ar. 3. quæstiūc. 2. ad 1; & de verit. q. 23. ar. 1. ad 4. Quare quātumuis Deus à se ipso cognoscatur secundum omnem suæ essentię perfectionem, tam formalē, quam eminentialē: non tamen habet, vnde se ipsum laudare possit, antequam post liberam volūtatem condendi mūdum cognoscatur, vt ordinans in finē suas creaturas. Quā cognitionem nostro intelligendi modo antecedit visio sui ipsius, qua formaliter est beatus. Quare si admittenda est in Deo aliqua gloria apud se ipsum, qua ab æterno apud se dicatur glorioſus: illa non est admittenda ante notitiam ordinationis, & dispositionis, qua res cōditas summa cū sui ipsius laude gubernat. Vnde Deus nō potest dici beatitudo obiectiua per notitiā, quæ formaliter est gloria, vt modo de gloria agimꝰ. Cui illud etiā est argumēto, quod gloria Dei apud se (si qua dari debet) dici nō potest Deo essētialis; cum supponat liberam rerum ordinationem, quæ sola potest esse Deo ratio laudis. Hęc autem libera rerū ordinatio potuit in Deo nō esse, vt patet. Quare non est audiendus Sotus, dum admittit aliquam gloriā (de qua modo est sermo) Deo essentialem.

36

Arist. D. Thom.

Arist.

D. Thom.

37 Ad institutum igitur reuertentes ad argumentum negandum est beatitudinem Dei per se poni in gloria, qua Deus est sibi cognitus: nã beatitudo formalis Dei solum ponitur in ipsa visione sui ipsius, quatenus est actio immanens: beatitudo autem obiectiua Dei, quãuis sit ipse Deus, vt est à se cognitus: non tamẽ est Deus, vt est cum laude cognitus à se, & subinde nec est Deus, vt apud se est glorioſus: cum ante talem notitiam nostro modo intelligendi iã se ipsum bearit, vt ostendimus.

Aliter solui tur idem ar gumentum. Adde etiam argumentum inutilẽ habere consequentiam, etiamsi admittamus antecedens: datur enim longe dispar ratio inter gloriam, quam Deus de se apud se habet, & inter gloriam, quam nos apud Deum habemus: nam Deus, vt sibi cognitus, beatificè sibi potest coniungi, quia ipse est sibi beatitudo obiectiua. At homo, vt cognitus à Deo, non necessario infert Deum beatifice homini coniungi: hoc enim modo non coniungitur, nisi per notitiam, qua Deus est homini formaliter cognitus.

ARTICVLVS V.

Vtrum beatitudo in potestate mundana consistat?

§. 1.

Ponuntur argumenta partis affirmatiuæ.

1 *Arist.* PArtem affirmãtem plurimos probasse colliges ex Arist. 10. Ethic. c.6.tex. 28. & 7. Politicorum c.2. post principium. Quorum sententia his

Primum ar gumentum. argumẽtis potest corroborari. Primo; quia felicitas posita est in optima vita actioneque. Optimum autem est bene agere. Sed qui cæteris principatur, & præest, potest agere res plurimas, & pulcherrimas. Ergo in principatu posita est felicitas.

Secundum. Secundò, in eo felicitas principaliter est posita, quo Deo magis assimilamur: nam in assimilatione cum Deo posita est cuiusque rei beatitudo. At homines magis assimilantur Deo ratione potestatis, & principatus: nam qui alijs principantur, & præsunt, appellantur dij in

Exod. illis verbis Exodi 22: *Dijs non detrahes*, id est superioribus, & prætectis.

3 Tertium. Tertiò, beatus est, qui sibi, & alijs sufficit: nam beatitudo posita est in bono optimo, & per se sufficiente: sufficiente, inquam, sibi, & alijs ex Arist. 1. Ethicor. ca. 7. & 8. Sed, qui cæteris dominatur sibi, & alijs sufficit. Ergo in dominatione posita est beatitudo. *Arist.*

Quartum. Quartò, beatitudo sita est in bono optimo, & maximè sui diffusiuo. Sed tale est posse se, & alios regere: hoc enim bonum ad omnes diffunditur. Ergo in regendi potestate beatitudo est posita.

Postremum. Postremò, beatitudo est maxime appetibilis. Ergo sita est in eo bono, quod per se opponitur malo maximè fugibili. Tale autem est malum seruitutis: hãc enim omnes maxime fugiunt: dominatio autẽ per se opponitur seruituti. Ergo dominatio est summum bonum, in quo ponitur beatitudo.

§. 2.

Præmissis nonnullis resoluitur pars negatiua.

PRo resolutione præmittendum est triplicem à Philosophis distingui potestatem, siue dominationem: despoticam, æconomicam, & politicã, vt patet ex Aristotele 1. Politicorum cap. 1. 2. & 3. Prima eos respicit, qui lege sunt serui. Secunda domum, & familiam. Tertia ciuitatem, & regna: & hæc appellatur potestas ciuilis, & regia: appellatur etiam potestas mundana à D. Thoma hoc loco, & 3. contra Gentes c. 31. ideo, quod mundi legibus, pompisq; subiaceat. Hoc loco solum est sermo de dominatione ciuili: de hac enim sola poterat esse dubitatio. Nam dominatio despotica, quæ seruos respicit, cum nõ sit naturalis, sed violenta, & contra naturam, vt omnes docent cum Aristotele primo Politicorum cap. 2. & 3; non est capax beatitudinis: quia beatitudo est bonum naturæ consentaneum. Æconomica autem, siue domestica, & si est naturalis, cum ex sua natura sit pars ciuitatis, ex sua natura est subiecta dominationi ciuili, ex Aristotele vbi supra. Sola igitur dominatio politica & ciuilis inter species dominationis est perfecta, & habet rationem totius. Quare cum maius sit bonum, de ea dubitari poterat, an ad beatitudinem pertineret.

3 Præmissum ad resolutio nem. *Arist.* *D.Thom.* *Arist.*

Quin

Quin potius sermo est hoc loco de sola dominatione ciuili, in qua vn⁹ principatur: siue illa sit regia, in qua vnus tantum dominatur; siue sit mista ex regia, & Aristocratica, in qua vnus quidem perficitur, ita, vt sub eo aliqui principentur: vtraque enim hæc dominatio est præstantior, quam pura Aristocratica, in qua non vnus, sed plures ex optimatibus principantur: & quam pura democratica, in qua principantur populares; quæ est doctrina Platonis in libris de Republica, & Aristotel. libr. 3. Politic. c. 4. & lib. 7. c. 3. D. Thomas 1. p. q. 103. art. 3. & 1. 2. q. 105. ar. 1. in corp. & ad 2. Cum igitur regius principatus, vel ex Regio cum alijs commistus ex sua natura sit perfectior, quam aristocraticus, & democraticus; profecto si in principatu beatitudo esset ponenda, in eo poneretur.

Plato. Arist. D. Thom.

4 Resolutio. His ita præmissis affirmandum est beatitudinē non posse collocari in principatu, & dominatione ciuili. Et quidē, quod beatitudo supernaturalis patriæ in hoc principatu non collocetur, res est notior, quam in dubitationem possit cadere: quia beatitudo patriæ non est de hoc mundo, sicut nec regnum Christi. Quin potius nec collocatur in aliquo principatu, dominationeque in alios: nam cum ibi solus Deus dominetur, & in sacris literis regnum Cœlorū dicatur regnum Dei; vtique solus Deus esset beatus: aut solus Christus cum Deo; cum regnum Cœlorum etiam dicatur regnum Christi ad Ephesios cap. quito, *Fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in regno CHRISTI, & Dei*: cum tamen fides doceat in patria omnes esse beatos. Quin potius nec Deus ideo dicitur beatus, quia omnibus principatur: alioquin ab æterno beatus non esset: posuissetque non esse beatus. Vnde nec Angeli ideo beati sunt, quia dominātur aut principantur: alioquin nō omnes essent beati, quia non omnes sūt dominationes, aut principatus; imò actus dominandi, & principandi non sunt omnium præstantissimi: spectant enim ad secundam hierarchiam, quæ subest primæ, cuius actus nobiliores sunt, ex Diuo Thoma 1. parte, q. 108. & Magistro cum Theologis in 2. distinctione 9.

Probatur in beatitudine supernaturali patriæ.

Ad Ephes. c. 5.

D. Thom. Magister.

Sed nec beatitudo supernaturalis huius vitæ potest consistere in principatu: etenim Christiana Philosophia contulit dignitatum fugam, & contēptum exemplo Christi, qui in montem fugit cumvoluerunt eum regem facere Ioan. 6. Quo ducti exemplo Sanctorum plurimi mundanos principatus non solum reliquerunt, sed eos velo, ac remo (vt aiunt) fugerunt. Vnde & Patres multa scripserunt de contēptu mundanæ dignitatis. Satis sit illud Sapientiæ 7: *Datus est mihi spiritus sapientiæ, & præposui illam regnis, & sedibus.* 5

Ioan. 6.

Sap 7.

6 Probatur cōclusio nis beatitudine naturali. Quod verò beatitudo naturalis huius vitæ, nec in dominatione ciuili poni debeat, docuerūt omnes antiqui Philosophi. Ita docuit Anaxagoras teste Aristotele 10. Ethic. cap. 8. tex. 32. quē ibi laudat, idem Arist. 7. Politicor. cap. 2. ad finem, & cap. 3. in principio, vbi videndus est, & in 1. Ethic. cap. 12. in principio. Quin potius si expendamus verba Aristot. 1. Rhetoric. cap. 5. non solum affirmat felicitatem non cōsistere in dominatione, & principatu: sed nec illum enumerat inter particulas felicitatis, hoc est inter illa bona, quæ felicitatem comitantur: imò illum videtur excludere, quasi felicitati contrarium, ita enim scribit: *Sunt autem in homine, quæ in anima, & quæ in corpore sunt: extra vero, nobilitas, amici, pecunia, honores: ad hæc oportere arbitramur potentiā, & fortunam non esse: hoc enim pacto vita erit tutissima.* Nomine autem potentiæ intelligit dominationem. Cum Aristotele, & Anaxagora consentit Seneca in libro de beata vita, vbi plura scribit in huius veritatis confirmationem, & Boetius libro secundo de Consolatione, prosa sexta; & libro tertio prosa quinta. Vide Diuum Thomam prima secundæ, quæstione secunda, articulo quarto, & 3. contra Gentes cap. 31. & Opusculo 2. cap. 108.

Anaxagoras. Arist.

Arist.

Seneca. Boetius.

D. Thom.

7 *Arist.* Hanc sententiam quidam ex Antiquis Philosophis, si credimus Aristoteli primo Politicōrum capite secundo; inde confirmabant; quia volebant omnem dominationem, & principatum esse præter naturam iniustam, & violentam, quos tamen ibi redarguit Aristotel. quoniam licet dominatio despotica naturalis non sit, sed violenta, &

iure belli potissimum introducta: duæ tamen aliæ species dominationis sunt vere naturales, & de numero vtilium, vt multis ibi probat Aristot. Quam veritatem omnino cõuincunt principatus, & denominationes, tam cœlestis, quam Ecclesiasticæ hierarchiæ; quas iniustas esse nefas est dicere. Quin potius principatus ciuitatũ, & regnorum, tanquã iustos, & à iure naturali deriuatos fuisse iure gentium accommodatissime introductos probat Paulus ad Romanos 13: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: nõ enim est potestas, nisi à Deo, quæ autẽ sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, sibi damnationem acquirunt.* Vnde ad Titum 3: *admone, inquit, illos principibus, & potestatibus subditos esse, dicto obedire.* Quod etiam docuit Petrus 1. c. 2. *Subiecti igitur stoti omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, quasi præcellenti: siue ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudẽ vero bonorum: quia sic est voluntas Dei.* Denique Sapientiæ 6: *Audite ergo Reges, & intelligite iudices finium terræ: præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis.*

Ad Rom. 13. Ad Titum 3. 1. Petri. Sapient. 6.

Omisso igitur horum fundamento sit prima ratio; quoniam mundana potestas (sicut, & quæcunque alia) ex sua natura est ad finem: nam ex sua natura dicit potentiam ad agendum, cuius actio est propter finem; tum; quia omne agẽs agit propter finem: tum etiam, quia ex sua natura instituta est gratia populi, cuius bonum semper intendit, vt docẽt omnes Philosophi cum Aristotele 3. Politicorum c. 4. & lib. 7. c. 3. & D. Thoma 1. p. q. 92. ar. 1. ad 2. & q. 96. ar. 4: rex enim dicitur à regendo: regere autẽ est actus prudentiæ, cuius proprium est dirigere in finem. Ex quo fundamẽto D. Thomas hìc art. 4. nostram confirmat sententiã: nam inde deducitur principatum dici non posse summum bonum obiectiuè: quia potius est principiũ optimę actionis, quam finis eius. Iam verò bonum, quod obiectiue est summum, est obiectum, & finis optimæ actionis, per quam acquiritur. Quod non conuenit principatui: licet enim possit esse principium optimæ actionis ciuilis; per eam tamen non acquiritur, sed per electionem populi, vel per hæreditariam successionẽ. Quæ non sunt optimæ actiones. Ita fit, vt optima actio principatum supponat, non acquirat.

8 Prima ratio

Aristot. D. Thom. D. Thom.

Cõfirmatur, quoniam non solum humana potestas instituta est ab Auctore naturæ propter finem; sed à nobis interdum potest studiose appeti propter finem: plerique enim potestatem appetunt propter honorem, ex Arist. 4. Ethi. c. 3. tex. 54; idque ordinate: cum tamen beatitudo nõ nisi inordinate valeat appeti propter aliud, vt in superioribus iam ostendimus.

9 Confirmatur.

Deinde; mundana potestas secundum suam naturam instabilis est, & parum constans: tum, quia à fortuna plurimum pendet: tum etiam, quia pendet ab hominum iudicijs, & opinionibus, quæ instabiles sunt, & eò magis, quò sunt plurium, vt colliges ex Arist. 5. Politicorũ ca. 11. Iam verò naturalis felicitas non pendet à principio extrinseco, ex communi sententia Philosophorum, de qua Lactantius lib. 3. de sapientia c. 7. & 8. Vnde Arist. recte dixit felicem quenq; dici secũdum propriam naturam: quia nimirũ in propria cuiusque operatione posita est felicitas: nam, cum naturaliter ad eam quisque ordinetur, ordinari debet per causas internas, non externas, vt aduertit D. Thomas in hoc ar. 4.

Secunda ratio. Arist. Lactantius D. Thom.

Tertiò; humana potestas non potest hominem quietum reddere: est enim plena solicitudinibus, & aculeis formidinum plurimum subiecta. Vnde Boetius 3. de consolatione prosa 5: *Potestas (inquit) humana solicitudinũ morsus expellere, formidinumque aculeos vitare nequit.* Deinde ait: *potentem censes, cui satellites latus ambiũt: qui quos terret, ipse plus metuit?* Et inde est, vt potentiam, & imperium comitentur odium, & timor: iuxta illud Senecæ: *Simul ista posuit conditor mundi, odium, & regnum.* Vnde ortum est vulgatum dicterium: *necesse est multos timeat; quem multi timent.*

10 3. Ratio. Boetius. Seneca.

Quartò; quia beatitudine nemo potest male vti: est enim per se summum bonum. At mundana potentia, & benè, & male potest quis vti: plurès enim fuere Tyranni. Cum igitur etiam in malis reperiri valeat, & plerũque reperiatur, qui felices dici non possunt, non potest in ipsa beatitudo poni.

11 Quarta ratio.

Postre-

Vltima. Postremo, beatitudo est bonum omnibus commune. At non omnes homines apti sunt dominari. Sunt enim quidam, qui natura sunt domini; quia natura sua apti sunt imperare: alij verò natura sunt serui; quia natura parent, & obediunt, vt multis ostendit Aristo. 1. politic. cap. 2. & 3. Accedit; quia imperium paucis potest contingere, & de facto pauci imperant: cum tamen beatitudo singulis pateat: nullus enim est, qui nõ possit esse beat°. Et de his satis.

Aristot

§. 3.

Soluuntur argumenta.

12 Solutio Primũ argum. QVæ obiecimus parum officiunt. Ad primum respõderi potest argumentum (si quid probat) solũ probare beatitudinem formalem positam esse in dominatione: non verò obiectuã, de qua est sermo: hæc enim, & si per optimam actionem acquiritur, non tamen posita est in actione optima: sed in bono optimo per actionem optimã acquisito: tale autem non est principatus. Sed nec argumentum vim habet in beatitudine formali: primo, quia beatitudo naturalis formaliter posita est in actione, vt dicemus: Principatus vero non est actio, sed potentia ad agendum. Secundo, quia actio dominationis potest esse bona., vel mala: is enim, qui principatur, sicut potest agere res pulcherrimas: ita agere potest, & plerunq; agit res turpes, & minime honestas, qđ beatitudini repugnat. Postremo, quia actio dominatiua non potest esse omnium optima: quia est gratia aliorum, & non propter se. Quo argumento Aristot. 7. politic. cap. 3. probat optimam vitam tam ciuitatis, quàm singulorum non posse poni in actione imperantis. Ad argumentum igitur neganda est maior, si sermo sit de beatitudine obiectiua, quia non semper ponitur in actione: concedenda tamen de beatitudine formali, & neganda minor: quia actio dominandi non est sui gratia, sed ad alios. Ita soluit Aristot. vbi supra.

Arist.

Arist.

13 Solutio 2. Ad secundum ex mente Diui Thomæ ar. 4. huius quæstionis ad primũ neganda est minor: nam licet homines in potestate constituti Deo assimilentur, quo ad potestatem: non tamen quoad bonitatem: Deus enim est sua bonitas, nec potest male vti sua potestate: qua tamẽ homines sępe male vtuntur. Quare per solam potestatem non maxime assimilamur Deo, sed per bonitatem. Probãt Conradus ibi: & Ferrariensis 3. contra gentes cap. 31. in fine. Facilius solues cũ Cursu Conimbric. in Ethicis disputatione 3. q. 1. ar. 3. ad 2. homines dominatu fieri Deo maxime similes: nõ tã illi assimilari similitudine excellentiori, & quæ propius accedat ad Dei beatitudinem: magis enim assimilãtur contemplatione, & operatione secundum virtutem. Quare concessa maiore neganda est minor. Cui nihil fauet, quod in sacra Scriptura principes appellantur dij: quoniam sic appellantur, quia Deus ad immitationem sui, quatenus est iudex illis sua iudicia credidit, vt explicauit Augustinus. q. 86. in Exodum: quæ appellationis ratio minus est perfecta, quã illa, obquam viri virtutis studiosi in eisdem literis sacris dij appellantur.

Conradus. Ferrar.

August.

Ad tertium dicendum est beatitudinem positam esse in bono, quod per se sufficit habenti sine bonis externis, quãuis interdũ illis iuuetur, & perficiatur, vt sępe docet Aristoteles: tale autem bonũ non est ciuilis dominatio: hæc enim per se nõ est bonum sufficiens, quia per se pendet ab alijs.

14 Solutio 3.

Aristot.

Ad quartum dicendum est ex mente D. Thomę in dict. ar. 4. ad 2. beatitudinẽ sitam esse in eo bono, quod per se est optimum: tale autem bonum non est principatus, cum ex se indifferens sit ad bonum, & malum: sicut autem optimum est bene vti potestate in regimine multorum: ita pessimũ est ea male vti. Adde etiam, quia nec ipsum bene vti potestate est ex se omnium bonorum optimum, quia non est gratia sui, sed aliorũ, vt diximus ex Aristotele.

15 Solutio 4. ex D. Tho.

Ad postremum dicendum est seruitutem dupliciter accipi: vno modo pro seruitute legali, quę iure belli est introducta: altero modo pro subiectione, qua quis est alteri subditus, vel subiectione æconomica, vel politica: qua filius Patri, & ciues principi subijciuntur. Posteriores duas seruitutes homines naturaliter non fugiunt: quin potius secundũ naturam alij alijs subijciuntur; vt mulier viro, filius patri, famulus hæro, ciuis regi. Si igitur sermo est de sola ser-

16 Solutio vlti mi.

uitute legali, argumentum ad rem non pertinet: quoniam quęstio non est de dominatione despotica, sed de politica: de qua falsa est minor.

17 Quin potius nec argumentum concludit de dominatione despotica; quoniam, & si homines naturaliter fugiunt seruitutem legalem: non tamen eam fugiunt, tanquam summum malum (nam etiam serui possunt esse felices non solũ beatitudine supernaturali, vt fides docet; sed etiam naturali: si in suo statu secundum virtutem operentur) sed quia est impedimentum bono vsui potestatis, quam homo à natura habet in suas actiones, vt optime docet D. Thomas in ar.4. huius quæstionis ad 3. Quare cũ seruitus legalis, & si malum quodam est, non tamen sit summum malum: non bene infertur dominationem esse summũ bonum.

D.Thom.

Et hæc de isto articulo, & de tota quęstione prima, quę de bonis externis agit. Nam licet plura alia sint bona externa, vt patet ex Aristot. 1. Rhetoricorum cap.5. ea, de quibus disputauimus sunt potiora. Quare si in illis nulla potest collocari beatitudo, vtique nec in alijs.

Aristot

QVÆSTIO III.

Vtrum beatitudo obiectiua posita sit in aliquo bono corporis?



VM iam constet beatitudinem obiectiuam non consistere in bonis externis: inquirendũ est, an ea consistat in bonis nostris internis? Bona autẽ interna, vt ex Platone, & Aristotele iã diximus, vel pertinent ad corpus, vel ad animum, & cùm ab imperfectioribus ad perfectiora procedamus, Primo loco inquiremus, an beatitudo nostra obiectiua posita sit in bonis corporis? de qua re disputat D. Thomas 1.2.q.1.ar.5. & in 4 distinctione 49.q.1.ar.1. quæstiũcula 1. & 3. contra gentes cap.32. & 33. & Opusc.2.cap.264. interpretes Aristo. in primo Ethicorum cap.7. & 8. Nos in hac quæstione primũ inquiremus, quęnam bona ad corpus pertineant? Secundum, an beatitudo nostra obiectiua ponatur in bonis animæ vegetatiuę? Tertium, an in cognitione animæ sensitiuę? Quartum, vtrum in bonis animę appetitiuæ maxime in voluptate?

Plato.
Aristot.
D.Thom.
Arist.

ARTICVLVS I.

Quænam bona cum bonis corporis enumeranda sint?

RAtione dubitandi fecit Aristoteles, qui in locis, vbi agit de bonis corporis, inter ea nunquam enumerauit voluptatem, corporeasque delectationes, vt videre est in primo libro Rhetoricor.cap.5. & in primo Magnorum moralium cap.3. Quin potius voluptatem ad bona animi expresse refert in primo Ethicorum cap.8.tex.40. *Nam voluptate quidem affici, ex ijs est, quæ ad animũ pertinent.* Expresis suis lib.1. Magnorũ moralium d.cap.3. *Quæ porro in anima definita sunt bona, trifariam distribuuntur: in prudentiam, in virtutem, & in voluptatem.* Idem repetit 2. Ethicorum ad Eudemum in principio. Et fortasis huius opinionis fuit D. Thomas, tum 1.2. quęstio. secunda, tum 3. contra gentes loco citato, vbi voluptatem à bonis corporis videtur distinguere. nam postquam ar.5. excitauit quæstionem, an beatitudo consistat in bonis corporis? ar.6. excitat, an ea cõsistat in delectatione? quasi supponat delectationem non pertinere ad bona corporis. Quod etiam argumentum summi potest ex ijs, quę scribit 3. contra gentes: nam cap.32. constituit beatitudinem non consistere in bonis corporis: deinde cap.8. statuit, eam non consistere in parte sensitiua: distinguẽs bona partis sensitiuæ à bonis corporis.

1 Ratio dubitandi ex Aristoteles.

D.Thom.

His tamen non obstantibus dicendũ est voluptatem sensitiuam, omniaq; partis sensitiuæ bona cõnumeranda esse cũ bonis corporis: omnia enim secundum suam naturam sunt corporea, & ideo, prie loquendo ad bona corporis pertinent. Ad quæ primũ pertinẽt bona animæ vegetatiuæ, sub qua continetur anima, quatenus dat esse corporeum: deinde bona animæ sensitiuę, vt colliges ex Aristotele primo Ethicor.cap.7.tex.32. & 33.

2 Resolutio.

& 33. Ad vegetatiuam spectant, primũ quidem ipsum esse, seu viuere: quod appellatur bonũ substantiale corporis, & subintelligitur sub nomine sanitatis ab Aristote vbi supra. Deinde pulchritudo, virium robur, debita magnitudo, vitæ longęuitas, & siquæ sunt alia huius generis bona, quæ à plerisque accidentalia dicuntur; quia ornant, & perficiũt bonum substantiale corporis, ipsum inquam esse, & viuere. Ad animam sensitiuam spectant omnes actiones sensuum, tam externorum, quàm internorum: inter quas delectatio, siue voluptas sensitiua locũ habet præcipuũ, quę est actio appetitus concupiscibilis: & ob id D. Thomas in locis citatis specialem de voluptate quæstionem excitauit: non quod existimaret eam ad bona corporis non esse referendam; sed quod à plerisque magni æstimabatur: vnde circa eam inter antiquos magna excitata est quæstio.

D.Thom.

3 Explicatur ratio dubitandi.

Pro explicatione rationis dubitandi notandum est Aristotelẽ tanquam notissimum supponere felicitatẽ non posse conuenire homini, nisi quatenus est rationalis, & subinde ratione animæ, quæ vel secũdũ se sit rationalis: vel aliquo modo rationem participet: felicitas enim sine cognitione non datur, cũ ex sua ratione sit bonum, & finis: finis autem nisi cognitus non finalizat. Inde est, vt in disputatione de felicitate nomine animæ eam solam animam intelligant, quæ rationem habet: vel essentialiter; qualis est anima intellectiua: vel per participationem, qualis est sola sensitiua, nõ verò vegetatiua: hæc enim, cũ in suis actionibus nõ subijciatur rationi, dicitur irrationalis: & ob id bona animę vegetatiuæ, nec iuuare possunt felicitatem, nec inter felicitatis particulas ab Aristotele enumerantur, vt patet ex primo libro Magnorum moralium cap. 4. ad finem. Supponuntur igitur ad felicitatem, non tamen sunt particulæ illius: vnde nec illorum meminit Arist. lib. 2. Ethicor. ad Eudemum in principio: vbi docet omnia bona, quę ad felicitatem pertinent, vel esse externa, vel esse in animo, quasi bona corporis ad felicitatem per se non conducant, vt appeti possint.

Aristot.

Aristot.

4 Itaque Aristoteles illa sola bona appellat corporea, quæ sunt omnino irrationabilia, vt quia imperio rationis nullo modo subdantur: quæ verò rationẽ aliquo modo participant, siue essentialiter, siue participatiue; ea enumerat cum bonis animæ. Prioris generis sunt bona corporis, quę spectant ad animã, tam vegetatiuam, quam nutritiuam: vt sanitas, robur, statura, pulchritudo, & alia huius generis enumerata ab Aristotele primo Rhetoric. cap. 5. Posterioris generis sunt, quę pertinent ad vitam sensitiuam; & ad hoc genus reuocat Aristoteles voluptatem sensitiuam: quæ licet nõ sit rationalis per essentiam, est tamen talis per participationem, quia suo modo imperio voluntatis subditur. Vnde merito pertinet ad bona animi ratione materię subiectæ. Nos tamen, quia bona animæ sensitiuæ (in quibus est sensitiua voluptas) verè sunt corporea, inter bona corporis ea enumerabimus: at bona corporis distinguemus in duas classes: in prima collocabimus bona corporis prioris generis, quæ ad animam spectant vegetatiuam. In secunda verò bona corporis posterioris generis. Et vt in summa dicam bona corporis distinguemus à bonis animæ intellectiuæ.

Aristot.

ARTICVLVS. II.

An beatitudo obiectiua ponatur in bonis animæ vegetatiuæ?

1 *Carneades Ferrari.*

PARTEM affirmantem probauit Carneades quidam Academicus, si credendum est Ferrariẽsi 3. contra gentes cap. 32. & quanuis hoc de nullo Philosopho facile crediderim; opinio ita corroborari potest.

Primũ fundamẽtũ partis affirmantis.

Primo; quia summum hominis bonũ positum est in ipso hominis esse: sed bona valetudo siue sanitas cõseruat esse hominis. Ergo beatitudo posita est in bona corporis valetudine. Minor patet experientia, & auctoritate Platonis in Gorgia, vbi bona valetudo iudicatur optimum bonorum. Maior probatur, tum; quia ex sententia Magni Dionysij esse melius est, quam viuere, & quã cætera, quæ consequuntur. Tum etiam; quia remoto esse remouetur omne bonum. Denique, quia esse ab omnibus summe appetitur.

Plato.

Se-

Secundum.

Secundo, per locũ à contrarijs; Mors est omnium terrebilium terribilissimũ. Ergo esse, & viuere erit omnium desiderabilium desiderabilissimum. Esse autem, & viuere est bonum corporis.

Tertium. *Ecclesiast.*

Tertio, Ecclesiastici 30. dicitur, non est census supra censum salutis corporis. Ergo salus corporis est quid optimum.

Quartum. *Porphyri⁹*

Quarto, quod beatitudo sita sit in pulchritudine, suadetur; quia forma digna est imperio, vt patet ex Porphyrio in cap. de specie: adde etiam, quia virtutem reddit gratiorem, & amabiliorem, iuxta illud Virgilij: *Gratior, & pulchro veniens in corpore virtus.*

Virgilius.

Postremo.

Postremo, quanto aliquid est cõmunius, tanto est diuinius: sed bona corporis sunt homini cum brutis communia, non verò bona animi. Ergo sunt bona diuiniora, inquibus beatitudo poti⁹ collocetur.

2 Statuitur vera sententia. *D.Thom. Aristot*

Opinio tamen Carneadis deridenda potius est, quam impugnanda. Contra quam agit D. Thomas artic. 5. huius quæstionis secundæ, & inferius q. 3. ar. 3. & in 4. distinctione 49. q. 1. ar. 1. quæstiuncula prima, & in 3. cõtra gentes cap. 32. Eam reijcit Aristo. primo Ethicor. cap. 7. tex. 32. & 33. & cap. 8. tx. 39. & lib. 1. & 2. Magnorum moralium vtrobiq: cap. 3. expressius in Rhetorica ad Alexandrum in cap. de speciebus laudandi.

Probatur in beatitudine Patriæ.

Id in beatitudine supernaturali patriæ indubitatum est: cum apud omnes fideles indubitatum sit nostram beatitudinem obiectiuam esse Deum visum. Deinde indubitatum est animas absq; corpore de facto iam potiri supernaturali beatitudine, vbi existunt sine corpore.

3 Idẽ ostẽditur in beatitudine supernaturali viç. *Roma. 14. Sapient. 6.*

Batitudinem autem supernaturalem viæ in bonis animæ vegetatiuę non potni satis declarat Paulus ad Roman. 14. *Non est enim Regnum Dei esca, & potus*, sine quibus nec datur nutritio, nec vegetatio. Accedit Sapientiæ 6. *Melior est Sapientia, quam vires; & vir prudens, quam fortis.* Iam verò beatitudo viç cõstitui debet in bono viæ nobilissimo.

Probatur cõclusio in beatitudine naturali.

Beatitudo autem naturalis perfecta (si post hanc vitam daretur) nequaquã ponenda esset in bonis animę vegetatiuę; quia in statu illo homines immortalitatis dono perficerentur, nec indigerent corporis nutritione, aut vegetatione.

Beatitudinem naturalem huius vitæ in bonis animæ nutritiuæ collacari non posse expresse docuit Aristoteles in d. cap. 7. libri primi Ethicorum tex. 32. & 33. *Vere, inquit, homini commune videtur esse cum plantis: opus autem proprium quæratur. segreganda est ergo nutriendi, augendique vita.* A ratione scilicet felicitatis. Idẽ insinuauit eodem libro cap. 8. tex. 39. dum posita triplici bonorum diuisione, externorum, corporis, & animi, concludit bona animi esse excellentiora, & in his, non verò in illis collocãdã esse felicitatem. Quo etiam argumento vsus est lib. 1. & 2. Magnorum moraliũ cap. 3. & in Rhetorica ad Alexandrum in cap. de speciebus laudandi dicens: *Robustos namque, & pulchros nequaquam laudare, seu dicere beatos conuenit.* Ex quibus locis Aristotetelis tria colligimus argumenta, quibus hæc veritas probari potest. *Aristot.*

Primum est, quia vita vegetatiua nobis communis est cum plantis. Ergo in ea non potest collocari huius vitæ beatitudo. Nam cum beatitudo sit propria homini, nec plantis conueniat, debet collocari in aliquo bono, quod homini sit proprium. 1. Ratio eadem parte.

Cõfirmatur

Confirmatur, quia bona huius animę non solum sunt nobis cõmunia cũ belluis; sed in illis perfectiori modo reperiuntur: plura enim animantia in bonis corporis excellunt homini: tum, duratione vitę, tum corporis viribus, tum etiam velocitate. Quare si animantia dici non possunt felicia, sed solus homo, vt ait Arist. 1. Ethicor. cap. 7. profecto felicitas non potest collocari, nisi in bono homini proprio. Hoc argumento vtitur Aristoteles in d. cap. 7. *Aristot.*

Secundum argumentum sumitur ex eodem in 1. Ethicor. cap. 8. tex. 39. & lib. 1. & 2. Magnorum moralium cap. 3. quoniam bona vitæ vegetatiuæ sunt minora, quam bona animi. Imò referuntur ad bona animi, tanquam in finem. Nam ex D. Thoma 1.2.q.2.ar. 5. homo ita cõstat ex corpore, & anima, vt esse corporis ab anima pẽdeat, tanquam à forma. Et inde est, vt corpus etiam actuatum anima vegetatiua sit propter intellectiuam animam, vt instrumentũ propter motorem: opera enim illius deseruiũt animę 4 2. Ratio. *Aristot.* *D.Thom.*

animę intellectiuę, vt talis est.

Tertium argumentū sumitur ex Rhetorica ad Alexandrum loco citato: quia beatitudo in ijs bonis collocanda est, quę vel laude, vel honore sint digna: beatitudo enim res est honorabilis, vt ait Aristoteles 1. Ethicor. cap. 12. & quanuis beatitudo, quę summa est, & perfecta honorabilis potius sit, quam laudabilis, ex Aristot. in d. cap. 12. ea tamen, quę est in via, etiā est laudabilis, cū consistat in actione secundum virtutem: vnde & meritum habet. At ea, quę pertinent ad vitam vegetatiuam, vt pulchritudo, robur, & cętera huiusmodi laudē non merentur; cum ex electione non fiant, sed à natura existant, vt videtur sensisse Aristoteles in d. loco Rhetoricorum, quanuis idem Aristoteles in d. cap. 12. doceat bona corporis ex eo esse laudabilia, quatenus alicuius laudabilis actionis sunt principia.

Aristot.

Aristot

4 Quartum argumentum adducit D. Thomas in dicto ar. 5. quia si in bonis corporis animę vegetatiuę beatitudo poneretur; fieret, vt conseruatio corporis in esse, esset vltimus hominis finis: quod est falsum. Sequela inde patet, quia bona animę vegetatiuæ conseruāt esse corporis, tum vt sit: tum vt melius sit, & ad hoc sunt instituta. Quare si in bonis animæ vegetatiuę beatitudo collocatur; vtique collocabitur in ipsa cōseruatione corporis, tanquam in optimo illius vitæ bono. Falsitas ex eo patet: quia cum homo ad vlteriorem finē referatur, nō potest habere pro vltimo fine conseruationem sui esse: sicut, quia nauis instituitur ad nauigandum, non potest nauta habere pro fine conseruationem nauis.

4-Ratio ex D.Thom.

7 Postremo accedunt rationes generales: quia bona animę vegetatiuæ sunt bonis cum alijs communia, ex sua natura instabilia, & dispositiones facile mobiles à subiecto, vt dicitur in prædicamentis cap. de qualitate: nostrę voluntati non subijciuntur: aduenunt sępissime nobis nolentibus, vel non cooperā tibus. Quę omnia repugnant beatitudini.

Vlt. ratio.

8 Argumenta in oppositū facile soluūtur. Ad primum neganda est maior, siue sermo sit de esse participato, siue de diuino. Nam esse participatum, si sumatur secundum se, & abstractum à cæteris essendi modis, imperfectius est cæteris omnib⁹: quę enim vniuersaliora sūt: imperfectiora sunt: vnde esse viuens præstantius est, quam esse: & inter viuētia prędstant, quæ intelligunt, vt docet Dionysius: vnde in rebus creatis ipsum esse perficitur, quando coniungitur, & actuatur per speciales essendi modos. Verba autem Dionysij, quę obijciuntur, intelligenda sunt de esse, quod per essentiā est tale: hoc enim in se vnite, & eminenter continet omnem essendi perfectionem, omnesque essendi modos, qui in creatis reperiuntur, ex D. Thoma in dicto ar. 5. ad 2.

Occurritur 1. fundamēto.

Dionysius.

D.Thom.

Quin potius esse diuinum, si sumatur secundum se, vt formaliter virtualiter distinguitur à viuere, & intelligere ipsius Dei, vt sic non præstat cęteris modis essendi, qui in Deo formaliter inueniuntur: imò secundum nostrum modū intelligendi illis perficitur: obquam rationem beatitudo diuina non est posita in ipso esse diuino sub prędsisa essendi ratione; sed potius in ipso intelligere, & velle, quo Deus se ipsum intelligit, & in sua perfectione complacet, vt fatentur Theologi. Quare nec in Deo, nec in nobis beatitudo per se est posita in ipso esse sub præcisa essendi ratione. Vnde maior simpliciter est neganda. Ad primam probationem ex Dionysio iam diximus. Quod verò esse cæteris bonis supponatur, potius arguit imperfectionem, cum natura ab imperfectis generationem incipiat. Summe autem appetitur, non ratione sui, sed ratione summi boni, quod secum coniunctum habet.

9 Ad secundum concedimus mortem inter mala corporalia esse maximum: ex quo solum infertur bonam valetudinem inter corporalia esse potius.

2. Fundamē to occurrit.

11 Ad tertium eodem modo respondetur: nam Ecclesiasticus ibi comparat bona corporis cum bonis externis, quę quæ nomine census explicauit. Sensus igitur est bonum salutis (quod est bonum corporale) longe esse præstantius, quam omnes diuitias, quod esse verissimum etiam Aristoteles docuit: ita D. Thomas in d. art. 5. ad 1. Quin potius Ecclesiasticus significat sanitatem inter bona corporalia obtinere principē

3. Fundamē to occurrit.

lo-

locum: quod etiam docuit Plato in Gorgia, dum ait: *Optimum esse valere: secũdo formosum esse: tertio diuitias possidere.* Quibus verbis sanitatem anteponit cæteris bonis, tam corporis, quàm externis.

Ad quartum dicendum est venustatem corporis, & oris conciliare amorẽ virtuti; quia virtus amabilior est in pulchro, quam in turpi homine: inde tamẽ non benè infertur venustatem bonitate præstari virtuti.

Occurritur vltimo argumento.

Postremum argumentum solues, si dixeris maiorem esse veram de bono communi per participationem vnius, & eiusdem rei: talsam tamen de communi secundum prædicationem. Ita ex D. Thoma docet Ferrariensis 3. contra gẽtes cap. 32.

D. Thom.

ARTICVLVS III.

Vtrum beatitudo obiectiua consistat in bonis vitæ sensitiuæ, quatenus est cognoscens.

1 TAmet si nullus fuerit ex Philosophis, nec ex Hæreticis, qui beatitudinem etiam naturalẽ posuerit in bonis vitæ sensitiuę, quatenus est cognoscens: exit animus tamen hunc articulum, tũ vt omnia bona corporis percurrantur, quod fecit D. Thomas 3. contra gẽtes cap. 33. tum, vt sensum propositę quæstionis explicaremus, cuius explicatio ad explicationem sequentis articuli conducet.

D. Thom.

2 Explicãtur sensus quæstionis.

Aduertendum est igitur bona vitæ sensitiuę, tam vt est cognoscens, quàm vt est appetens, esse operationes immanẽtes: etenim bonũ visus est videre, auditus audire, phantasię phantasiare; & denique appetitus appetere. Cum verò operationes hę sine obiecto nõ dentur, possunt ipsa obiecta inter bona vitæ sensitiuæ suo modo enumerari: ita tamen vt operationes sint bona intrinseca, obiecta verò extrinseca. Cum verò hoc loco sit sermo de beatitudine obiectiua, potest quęstio proposita duobus modis explicari. Vno modo, an ipsa operatio, quę anima sensitiua sua obiecta cognoscit, sit obiectum beans hominem. Cognigtionem enim esse bonum, quod secũdum se hominem perficit, nullus dubitat: an verò ita sit hominis bonum vt quod, vt sit optimum illius bonum? Hoc inquiri potest. Altero modo potest quæstio explicari, non de ipsa cognotione sensitiua, sed do obiecto sensibili: vt sit sensus, an aliquod obiectum sensibile, quatenus tale est, sit summum hominis bonum per sensibilem cognitionem homini acquirendum. Prior sensus magis est accommodatus ad rem propositam: est enim hoc loco sermo de bonis intrinsecis animæ sensitiuæ, quale non est obiectũ sensibile. Sed vt res fiat euidentior, in vtroque sensu quæstionem explicabimus.

3 Resoluitur quæstio in vno sensu.

Quod attinet ad priorẽ sensum quæstionis facilè ostendi potest cognitionẽ sensitiuam, nec esse nec esse, posse beatitudinẽ obiectiuam. Et quidem, quod supernaturalis beatitudo patrię in ea sita non sit ex eo ostenditur, quoniam animæ beatæ iam suam habent essentialem beatitudinem, vt fides docet, vbi nullam habent sensitiuam cognitionem. Et cũ post resurrectionem eandem habere debeant beatitudinem obiectiuam, quam modo habent; nec tunc cognitio sensitiua erit illis obiectiua beatitudo.

4 Quod verò in via supernaturalis beatitudo nõ collocetur in cognitione sensitiua, patet ex verbis Christi: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quẽ misisti Iesum Christum.* Cognoscant, inquã, cognitione fidei, quæ non est sensitiua. Sed nec beatitudo naturalis in ea collocari potest. Primo, quia illa minus bonum est, quam cognitio intellectiua. Deinde quia ex sua natura non est bonum propter se, sed propter aliud: est enim ex sua natura ordinata ad cognitionem intellectiuam, illique subordinata. Vt ommittamus eam à natura institutam esse propter obiectum, vt illud, scilicet, apprehendat; actus enim sunt propter obiecta, & ab illis sumunt perfectionẽ essentialem. Tertio, quia pleræque cognitiones sensitiuæ tristitiam afferũt cognoscenti: vt patet in gustatione amari: in visione turpis: in tactu ignis, & in alijs pluribus, quorũ obiecta maximè cõtristant. Denique sunt bona, quæ communia sunt homini cum belluis, & bonis cum malis.

Solutio in alio sensu.

Sed nec beatitudo obiectiua potest consistere in aliquo bono corporeo, & sensibili: quia inter entia, quę corporea sunt,

sunt, minoris sunt perfectionis. Nullum igitur corpus sensibile potest esse summum hominis bonum.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrum beatitudo obiectiua posita sit in voluptate sensibili?

§. 1.

Refertur opinio affirmans.

1 DVplicem esse voluptatẽ, siue delectationẽ dubitari nõ potest: quia cõstat tã corpus, quã animũ suas habere delectationes. Hoc loco inquirimus de voplutatibꝰ corporis: tũ; quia sermo est de bonis, quę ad vitã sensitiuã spectant: tũ etiã, quia hæ simpliciter dicuntur voluptates, vt quia õnibus sint notissimę, vt ex Aristo. 7. Ethic. c. 14. ad uertit D. Thom. art. 6. huiꝰ secundę quęstionis; inquirimus etiã de beatitudine obiectiua: in quo sensu quęstionẽ excitauit D. Tho. in d. ar. 6. quicquid Bellomõtanus putet rationẽ D. Thomæ de beatitudine formali cõcludere: sed nec mẽtẽ D. Thom. nec vim rationũ satis ꝑpẽdit.

Aristi.

D. Thom.

2 Refertur quorundam error.

Quod beatitudo obiectiua consistat in voluptate corporis, ꝓbauerunt illi, de quibus Salomon Ecclesiastes cap. 5. scribit: *Hoc itaq; visum est mihi bonũ, vt comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo: hæc est pars illius.* Et Sapientię 2. *vbique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & sors nostra.* Idest in hoc positũ est summum bonum nostrum. Eandem sententiam probasse nonnullos testatur Aristot. 1. Ethic. ad Eudemũ post principium ita inquiens; *Nam prudentiam alij, alij virtutem, alij verò voluptatem, vt summum aliquid eligunt.* Et inferius: *Voluptarius verò corporis voluptatem expetit: qua propter aliũ, quam priores felicem, beatumque arbitrantur.* Et rursus. *Cæterum, qui Sardanapalum, aut Smyndiridem, Sybaritam, aut alium quenquã vitæ voluptariæ indulgentem beatum prædicant; hi in lætando felicitatem posuisse vidẽtur.* Et 1. Ethic. cap. 5. tex. 17. & 18. affirmat vulgus, homineſque importunissimos ita sensisse. Imò eam tribuit Eudoxo 1. Ethic. cap. 12. tex. 54. & lib. 10. cap. 3. tx. 3. Eudoxum enim agere de voluptate corporea facile colliges ex ijs, quæ ibi scribit Aristoteles. Aristippo eandem sententiam tribuit Lactantius lib. 3. de vera Sapientia c. 7. & 8. atq; etiã Diodoro, & Hieronymo Rhodio. Cõmuniter tribuitur hęc sententia Epicuro, cuius secta ob hãc caussam iudicatur infamis: Epicurum felicitatẽ posuisse in voluptate sensitiua affirmat D. Thomas 3. cõtra gent. cap 27. pleriq;, tamen Epicurũ ab hac liberant infamia; voluntq; eum felicitatẽ posuisse quidẽ in voluptate nõ corporis, sed animi; ita de Epicuro sensisse Ciceronem 2. de finibus bonorũ, & malorum pleriq; referunt: affirmat Lactantius vbi supra, consentit Seneca in lib. de beata vita cap. 13. & cum eo Diogenes, atq; Laertius lib. 10. de vitis Philosophorum, Non desunt, qui velint Epicurum in voluptate, tam animi, quam corporis posuisse felicitatem. Verisimilior videtur eorũ sententia, qui volunt Epicurum in sola corporea voluptate felicitatem posuisse, non quidẽ immoderata, quæ est vitiosa, sed moderata, quæ bona est, & cõiuncta cum virtute: quod etiam placuit Ferrarienſi in d. cap. 27. tertij contra gent. nisi enim Epicurus ita sensisset non tanta laboraret infamia.

Diodorus. *Hieronym Rhodius.* *Epicurus.* *D. Thom.* *Cicero.* *Seneca.* *Diogenes.* *Laertius.* *Ferrariẽ*

Sed quicquid sit de Epicuro, opinionem istam probauerunt, tã Iudęi, quàm Sarraceni: hi enim felicitatem etiam futuræ vitæ in vita corporis voluptuosa collocarunt, vt affirmat D. Thomas in dicto. capit. 27. in fine. Cum illis consentit Cerinthus hæreticus cum Diodoro, qui felicitatem nostrã per mille annos post hanc vitam constituerunt in voluptatibus corporis, vt referunt Castro aduersus hæreses verbo *beatitudo* hæresi secunda Sixtus Senensis in sua Biblioteca lib. 5. ãnotatione 233. & lib. 6. annot. vltima.

Iudæi. *Sarraceni.* *D. Thom.* *Cerinthus.* *Castro.* *Sixtus Senensis.*

3 1. Fundamẽtum præcedẽtis erroris *Eudoxus.* *Arist.* Tertium.

Fundamenta huius sententię (si tamẽ sententia dici potest) ex Eudoxo refert Aristo. 10. Ethic. cap. 2. Primũ est, quiaõnia, tã rationis capacia, quàm expertia appetũt voluptatem. Ergo voluptas est bonum maximum.

Deinde, voluptas non expetitur propter aliud, sed ꝓpter se. Ergo est bonũ optimũ. Consequentia patet, quia hæc est conditio summi boni. Antecedẽs ꝓbabat Eudoxus; quia nullus quærit ab alio, cuius rei gratia lætetur: nõ alia de caussa, nisi quia per se est notum voluptatem propter se expeti.

Tertium. Tertio; delectatio adiuncta cuiq; bonorũ facit illud eligibilius, & appetibilius: Ergo auget bonitatem cuiq; bono. Ergo est cõplementum omnium bonorũ.

4 Quarum. Quarto, dolor, & tristtia est summum malũ ab omnibus maximè fugiendũ. Ergo voluptas doloricontraria est summũ bonum. Consequentia probatur per locum à contrarijs. Antecedens videtur esse Augustini 1. Soliloquiorum cap. 12. post principiũ, vbi docet, quod sicut sũmum bonum est in meliore parte hominis, quę est animus: ita summum malum est in deteriori parte, quę est corpus, nimirum dolor sensitiuus. *August.*

Quintum. Quinto loco arguunt alij: operatio appetitur propter voluptatem, & non è contrario: voluptas enim operationẽ perficit, & ideo operatio ad eam, tanquam ad finem ordinatur. Ergo summũ bonum non est positum in aliqua operatione etiam secundum virtutem, sed in voluptate inde percepta.

Vltimum. *Apocalyp.* Postremo loco Hęretici confirmabant suũ errorem ex c. 20. Apocalypsis: *Vixerunt, & regnauerunt cũ Christo mille annis: cæteri vero mortuorum non vixerunt, donec consũmentur mille anni.* Accomodatius adduci posset, quia in vtroq; testamẽto promittitur nobis cibus, & potus in futura vita, tãquam optimum illius bonum, vt patet Isaias 45. *Serui mei comedent; vos autem esurietis: Serui mei bibent; vos autem sitietis.* Lucę 17. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater, vt edatis, & bibatis supra mensam meam in regno meo.* *Isaias.* *Lucas.*

§. 2.

Præcedens opinio generatim impugnatur.

5 HÆc sentẽtia omniũ Philosophorũ iudicio nõ solum impugnatur, vt falsa: sed etiam reijcitur, vt insana, & infamis: quin potius à Philosophis Christianis dãnatur, vt hæretica. Quod euidentius patebit, si singulas beatitudinis species percurramus. Prius tamen cum D. Thoma art. 6. huius quæstionis secundę generatim impugnabitur argumento sumpto à natura voluptatis, siue delectationis. Constat enim ex ipsa essentia voluptatis eã esse accidens quoddam, quod tanquam proprietas naturaliter consequitur ad beatitudinẽ obiectiuã à nobis assecutã, & possessã: vel ad aliquã eius partẽ: Etenim delectatio cõsequitur adeptionẽ boni connenientis: ideo enim quisq; delectatur, quia habet bonũ conueniẽs sibi; qđ ipsũ si fuerit sũmũ, erit beatitudo: sin minꝰ, erit aliqua beatitudinis particula. Ergo ipsa delectatio, quatenus talis, non est beatitudo obiectiua, sed ad eã tanquã proprietas consequitꝫ: nam si delectatio ex sua natura consequitꝫ adeptionẽ boni, qđ essẽtialiter est beatitudo obiectiua, vel perfecta, vel participata: vtiq; ipsa in se non poterit esse obiectiua beatitudo: alioquin daretur delectatio ipsius delectationis ex bono assecuto, & abitio quędã in infinitũ. Cõcedendũ est igitur ipsum delectationis obiectũ habere rationem beatitudinis obiectiuę, non verò ipsam delectationẽ in se sumptã. Vides quomodo ratio *D.* Thomę optime cõcludat delectationẽ esse nõposse beatitudinem obiectiuã, de qua agit in tota quæstione secunda; quãuis Bellomont. significet argumentũ nõ probare de beatitudine obiectiua, sed formali, in hoc tñ allucinaꝫ. Hęc autẽ ratio aliquo modo tangitur à quibusdã Philosophis apud Arist. 7. Ethic. c. 11. tex. 52. in princ. & in fine. Vide, quę dicemus inferius §. 5. Sed iã singulas beatitudinis species percurramus, vt appareat qua censura in singulis digna sit prędcedens opinio. *Arist.*

§. 3.

Sententiam affirmantem esse hæreticam de beatitudine supernaturali Patriæ

VT incipiamꝰ à beatitudine futuræ vitę, qđ ea nõ sit posita in vita corporis voluptaria, & delicioſa euidẽter ostendiꝫ ijs, qui fidẽ admittũt. Et primũ quoniã animæ beatę iã perfruũtur essentiali beatitudine, vt de fide supponimꝰ definitũ ab Innocentio 3. in cap. Apostolicã de Prębyt. nõ bapt. & à Bened. 12. in Extrauagant. *Benedictus Deus.* Sed animæ beatę, cũ sint separatæ à corpore, nullas habent delicias corporeas, vt patet. Ergo beatitudo patrię in his delicijs non poniꝫ. Et cũ talis earũ beatitudo perpetuo permanere debeat, vt fides etiã docet: vtiq; post resurrectionẽ illę etiã erũt beatæ, non verò delicijs corporeis, quibus corpora beatorũ nõ carebunt, lõge tamen melioribus, & purioribus, quam sint carnales deliciæ huius vitæ, quæ ibi non erunt. 6 1. Ratio. *Innocent.* 3. *Benedict.* 12.

Secunda

2. Ratio. Ad Rom. 14.

Secundo cõtra Cerinthũ Castro vbi supra expendit illud Pauli ad Rom. 14: *Nõ est enim regnũ Dei esca, & potus, sed iustitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Vbi per regnum Dei intelligit regnum supernæ beatitudinis: per escã verò, & potũ carnales epulas, & delicias. In quo sẽsu verba illa Pauli intellexit *D.* Anselm. apud quẽ hic est verborum sensus: regnũ Dei, propter quod laboramꝰ, & currimus, nec per escam, nec per potum constat: hoc est in esca, & potu nõ consistit: *sunt enim* (inquit) *hæc aliena à regno Dei, & ab illa Sanctorum futura conuersatione: non erunt ibi carnales epulæ, sed regnum Dei est iustitia, pax, & gaudium: quia in ijs consisti regnum æternæ beatitudinis.* Sed si mens Pauli diligentius inspiciatur regnum Dei eo in loco non satis accommodate sumitur pro regno Cęlorum, sed pro regno, quo Deus per gratiã in nobis regnat: quæ fuit explicatio. *D.* Thomę ibi lect. 2. Caiet. Toleti, & Bened. Perei. disp. 3. & aliorum: nã illis verbis reddit Paulus rationem, cur non sit danda occasio infirmioribꝰ, vt blasfemetur bonũ Christianę libertatis ad indifferenter vtendum omnibus cibis: quoniã (vt ait Paulus) *regnum Dei* (quo sc. per gratiam in nobis nunc regnat) *non pendet* substantialiter *ab esca, & potu*, ideſt, à libertate, qua omnibus cibis vti possumus: *sed à iustitia, à pace, & a gaudio in Spiritu Sancto*, in quibus seruientes Christo (vtcõsequenter addit Paulus) *placemus Deo, & sumus omnibus probati.* Hæc igitur non sunt relinquenda pro aliorum scãdalo: cum tamen interdum relinquenda sit libertas vtendi quibuscunque cibis, quam Christus nobis donauit, si alij inde scandalizantur: quia sc. regnum gratiæ, & amicitiæ cum Deo nõ necessario pendet ab esu, vel non esu cuiuscunque cibi. Hæc est vera, & literalis Pauli explicatio, ex qua nullum potest sumi argumentum pro nostra conclusione.

D. Ansel. *D. Thom. Caietan. Toletus. Pereira.*

8 Probaturex Matthæi 22.

Optimum argumentum sumitur ex Verbis Christi Matthæi 22. *In resurrectione, nec nubent, nec nubẽtur: sed erunt homines, sicut angeli Dei.* Ideſt. puri & liberi à voluptatibus carnalibus huius vitæ: quia nec veneri indulgebunt, nec sumẽt cibum: in quibus duobus principaliter cõsistit vita corporis voluptaria. Quibꝰ Christi Verbis, satis euidenter expugnatur error, ñ solũ Iudæorũ, & Sarraceno rum, sed etiam Cerinthi, qui beatitudinem futuram in voluptatibus, tam cibi, & potus, quam veneris collocabant.

9 Probaturex loco Ioãnis

Contra quos etiam possunt adduci verba Christi Ioannis 6. *Operamini non cibum, qui perit: sed, qui permanet in vitã æternam.* Quibus explicat salutem beatitudinis futuræ nõ esse positam in isto corporali cibo, quo in hac vita vtimur: alioquin ille in hac vita operandus foret. Quod si iste cibus periturus est, nec in futura vita inueniẽdus; vtique in eo cibo non poterit consistere patriæ beatitudo, sed in alio longe excellentiori, qui ab hominibus videri non potest, vt dixit angelus Tobiæ 12. *Cum essem vobiscum, videbar quidem vobiscum manducare, & bibere: sed ego cibo inuisibili, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Cui sententiæ si adiungamus in patria eandem beatitudinem obiectiuam esse communem angelis, & nobis, vt est de fide: conuincitur beatitudinem nostram futuræ vitę non esse positam in delicijs vitæ sensitiuæ, cũ deliciæ animæ intellectiuæ longe sint præstantiores.

Tobiæ 12.

§. 4.

Hæreticam etiam esse de beatitudine supernaturali huius vitæ.

10 Probaturex loco Pauli.

SEd nec beatitudo supernaturalis huius vitę collocari potest in vitę sensitiuæ voluptatibus. Pro qua veritate forsitan quis adducet verba Pauli ad Romanos 14. *Regnum Dei non est esca, & potus.* Sed ex ijs, quę diximus supra, patet verba illa, nec huic sententię fauere posse. Nam quanuis ibi sermo sit de regno Dei huius vitæ, nimirum de regno gratiæ, qua Deus in nobis regnat: tamen ibi non est sermo de esca, & potu, prout vitam delicioſam denotant: sed de libertate Christiana, qua fideles sunt à Christo donati, vt indifferenter omnibus cibis vti possint: non quidem ad deliciandum corpus, sed ad sustentandum. Optimus erit locus primæ Corinth. 8. *Esca nos non commẽdat Deo: nec enim si non mãducauerimus, deficiemus: nec si mãducauerimus, abũdabimus.* Sẽsus est: esca sũpta, vel nõ sumpta non facit Deo esse acceptos, & gratos. In quo posita est huius

Reijcitur.

Probaturex Paulo 1 Ad Cotinth.

Ex epistol. ad Hebr. vitæ beatitudo. Facit illud ad Hæbreos 2. *Bonũ est virtutibus stabilire cor, non scis.* Facit optime illud Christi Dñi Matth. 22. *Ex Matth.* *Operationi non cibum, qui perit, sed, qui permanet in vitam æternam.* Cum tñ Christus iubeat, vt quam diligentissime operemur nostram salutem, in qua beatitudo est posita.

11 Ratione ostenditur. *Castro.* Accedit ratio, qua vtitur Castro vbi supra: quoniã in eo bono ponitur beatitudo supernaturalis uiæ, quod est via ad futuram patriæ beatitudinem: sed nihil magis impedit beatitudinis cõsecutionem, quã carnales deliciæ (ebriosi enim regnũ Dei non possidebunt, vt ait Paulus 1. Corinth. 6. & clarius ibi c. 15. *Caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt*: nomine: *carnis, & sanguinis* intelligẽs carnis dilicias.) Ergo hui' vitę beatitudo in voluptatibus sensitiuis poni nõ potest. *1. ad Cor.*

§. 5.

Turpiter errare, qui beatitudinem naturalem ponunt in voluptate corporea.

12 Probatur auctoritatibus Platonis, & Aristotelis. AGendũ est deinde de beatitudine naturali, de qua inter antiquos Philosophos, fuit olim maxima cõcertatio. Partẽ affirmantẽ plures probauerunt, quos iã citauimus. Hęc tñ sententia probatissimorum Philosophorũ iudicio nõ solum falsitatis accusatur, sed etiã turpitudinis, imó, & insanię. Hanc sectã dãnauit Plato cũ Arist. 10. Ethic. c. 2. 3. & 4. Idem Arist. 1. Ethic. cap. 7. tex. 33. vbi post quam docui vitã nutriẽdi, & augendi segregandam esse à ratione felicitatis: de sensitiua ita scribit. *Hãc sentiẽdi sequitur vita & ipsam etiam homini cũ equo, ac boue omnique animali constat esse communem.* Et clarius 1. Ethic. cap. 5. tex. 17. & 18. ita air. *Vulgus igitur mancipij simile penitus esse videtur: pecorum vitam diligendo.* *Arist.* Late hãc sententiã improbat lib. 1. Eth. ad Eudemũ post medium, quẽ vide. Contra eãdẽ sectã multa scripserũt Cicero de finibus bonorũ, & malorum. Seneca de beata vita, Lactãtius lib. 3. de vera Sapientia cap. 7. & 8. Boetius lib. 3. de Cõsolatione prosa 7. D. Thomas in hac secunda quęstione ar. 6. & latius 3. contra gentes cap. 27. & de veritate q. 2. ar. 12. & multis potest hæc insania conuinci.

13 1. Ratio. Primo: quia nulla delectatio sensibilis potest esse finis. Ergo nulla potest esse beatitudo obiectiua. Consequentia patet, quia beatitudo secũdum se est finis. Antecedẽs multis probat: in primis ex ipsa natura delectationis sensibilis: hæc enim ex sua natura habet, quod vel sit generatio id est motus, & acquisitio alicuius, quod est naturæ sensibili conueniens; vel est cum tali generatione, & motu. Quę propositio probata fuit quibusdam Philosophis apud Aristotelem 7. Ethic. cap. 11. tex. 52. in principio, & in fine, quã de delectatione sensibili verã esse admittit Arist. ibi c. 12. tx. 54. dũ soluit illorũ Philosophorũ argumẽta, vbi etiã D. Tho. & 1. 2. q. 34. ar. 3. nã delectatio sensibilis ex se oritur ex concupiscẽtia alicuius conuenientis naturæ: vnde supponit in natura sensibili deficere ali quod bonũ conueniẽs naturę, qđ per generationẽ; motumve acquiritur. Quare ex sua natura delectatio potius cõsequitur bonum per generationẽ, tanquã finẽ acquisitum. Quod verò consequitur id, qđ est finis, nõ potest esse finis. Deinde probatur idem antecedẽs, si vera est opinio quę docet ônem delectationẽ esse propter operationem, quę est verior opinio, & cõmunior. quã in delectatione sensibili docet D. Tho. 3. contra gent. c. 26. in septima ratione, & c. 27. in princ. Hac autem opinione suppositа nõ potest nõ cõcedi illud antecedens: quod enim nõ est propter se, sed propter aliud, nõ potest esse finis. Quod ipsum etiã est dicendũ, quãuis dicamus operationes sensitiuas esse propter sensitiuã delectationẽ, quæ fuit plurimorũ sententia: constat enim delectationẽ sensibilẽ ex sua natura ordinatã esse ad alium finẽ. delectationem quidẽ ex cibo, & potu ad cõseruationẽ corporis; ex venere autẽ ad generationẽ prolis, vt patet. Delectatio igitur sensibilis nõ potest esse vltimus finis, & per cõsequens nec sommũbonum naturale, in quo naturalis beatitudo collocetur. *Arist.* *D. Thom.* *D. Thom.*

14 Secundo, summum bonum hominis, cum in homine sit quid optimum, non potest consistere, nisi in eo bono, quod ad partẽ hominis nobilissimam spectat: ita enim fiet, vt tale bonum homini cõueniat, quatenus est homo: tales autem nõ sunt voluptates corporeæ, cum conueniant homini secundum partem sensitiuam, quæ in homine inferior est.

Tertio

3.Ratio. Tertio, summũ bonũ naturaliſq; beatitudo hominis nõ poteſt eſſe nobis cõmunis cũ belluis; beatitudo enim nõ cõuenit animãtibus, ſed ſoli homini, vt docet Ariſt. 1. Ethic. c. 9. tex. 45. & lib. 10. c. 8. tex. 30. ad finẽ, & tanquam axioma ab omnibus Philoſophis receptiſsimũ ſupponit Lactantius lib. 3. de vera Sapient. c. 7. & 8. At voluptas ſenſibilis eſt nobis cõmunis cum belluis, vt patet. Ergo illa non poteſt eſſe hominis beatitudo. Ratio eſt Ariſto. in 1. Ethi. c. 7. tex. 33. Quã ſatis explicauit eodẽ lib. c. 5. tx. 17. & 18.

Ariſt. *Lactanti⁹.* *Ariſt.*

15 4.Ratio. Quarto, delectatio corporea, & ſenſibilis nõ eſt per ſe, ac ſimpliciter bonũ. Ergo non poteſt in ea poni beatitudo obiectiua. Conſequentia eſt nota: quia beatitudo obiectiua eſt ſimpliciter bonũ optimũ. Antecedẽs probatur: primo, quia vir ſtudioſus, & bonus nõ fugit id, quod per ſe eſt bonũ: fugit autẽ voluptates. Quod ſi reſpondeas cum Ariſto. 7. Ethic. c. 12. tex. 55. Virum ſtudioſum nõ fugere delectationẽ niſi immoderatã, & ſuper abundantẽ, nõ verò, quę moderata eſt, & tenet rationis mediũ: ſic inſtabo: quod nõ eſt bonum niſi vt moderatũ non eſt per ſe bonũ, quia bonitatẽ accipit à virtute moderãte: quare ſi vſus delectationis ſenſibilis nõ eſt bonus, niſi ſit moderatus: vtiq; delectatio ipſa nõ eſt per ſe bona. Accedit etiã, quoniã ſi hæc delectatio eſſet per ſe bonum, vtiq; eo eſſe melior, quò eſſet maior: & per cõſequẽs, quò quis illa magis vteretur, eò eſſet melior: nam in ijs, quę per ſe, & ſimpliciter ſunt talia, ſicut ſimpliciter ſequitur ad ſimpliciter; ita magis ſequitur ad magis: calidũ enim, quia per ſe, & ſimpliciter calefacit, quod magis eſt calidũ, magis calefacit. Quare ſi delectatio ſenſibilis vſuſq; illius per ſe, & ſimpliciter eſt bonus; vtiq; eo melior erit, quò maior fuerit. Quod tamen eſt falſum: quoniam nimius vſus ſenſibilis delectationis vertitur invitium, & facit hominem intemperatũ, & vitioſum, vt docet Ariſtot. 7. Ethic. cap. 12. tex. 55.

Obiectioex Ariſtot. Refellitur. *Ariſt.*

16 Dubitatio. Hęc ſatis ſint pro cõuincenda ſtultitia eorum, qui ponunt beatitudinẽ involuptate, delectationeq;, corporea. Vtrũ verò voluptas iſta ſenſibilis ſequatur verã beatitudinẽ? poteſt quis inquirere. Negatiue reſpondet D. Tho. in hac q. 2. ar. 6. Quod eſſe veriſsimũ etiã in beatitudine naturali inferi⁹ ſuo loco oſtẽdemus, cum ſermo fuerit de ijs, quę beatitudinem conſequuntur.

Reſpõſio ex D. Thom.

§. 6.

Soluuntur argumenta in contrarium adducta.

ARgumenta Eudoxi, & aliorũ adducta. §. 1. facile ſoluuntur. Ad primũ poteſt negari antecedẽs in ea generalitate, qua proponitur, ſi ſermo ſit de voluptate ſenſibili: nec enim eas appetunt ſubſtantiæ immateriales, cum ſint corporis expertes. Imò nec omnes homines illas appetũt abſolute sũptas, ſed eas tantũ, quæ ſunt moderatę. Quin potius pleriq; etiã moderatas fugiunt: illi ſc. qui propter futurã beatitudinẽ, vitam auſterã eligunt. Sumpto autem antecedente de voluptate generaliter ſumpta, ex eo cõceſſo nõ infertur voluptatẽ per ſe, & ratione ſui eſſe ſummum bonũ: licet enim omnia appetant voluptatẽ; nõ tñ illam appetunt ratione ſui, ſed ratione boni, cui eſt cõiuncta: nam quia õnia appetunt bonũ, cum quo aſſecuto ſemper coniungitur delectatio; ideo appetunt delectationẽ. ita D. Thom. ar. 6. huius ſecundę quęſtion. ad tertium, & infra q. 34. ar. 2. ad 3. & Ferrarieſ. 3. contra gentes cap. 27. §. *Aduertendum*. Quæ etiam fuit ſolutio Ciceronis in libr. de finibus bonorum, & malorum, dum ait: *Naturam non mouere infantem, vt voluptatem expetat: ſed vt diligat ſe ipſum: volendo ſibi bonum, quod delectatio cõmitatur*: quib⁹ verbis explicat naturam non mouere infantẽ, vt appetat voluptatem ratione ſui, ſed ratione boni, quod ſibi vult. Expreſsius id docuit Ariſto. 10. Ethic. cap. 4. tex. 18. vbi aſſerit: *Omnes ideo voluptatem appetere, quia omnes viuere affectant*: ita vt omnes ideo affectent voluptatem, quia omnes affectant viuere, tanquam propriũ bonum, ad quod delectatio conſequitur. Cũ igitur voluptas non ratione ſui appetatur, ſed ratione boni, quod conſequitur; quanuis ab hominibus appetatur, non proinde erit beatitudo, quia hęc ratione ſui appetitur.

17 1. Argum. ſolutio. Alia eiuſdẽ ſolutio. *D. Thom.* *Ferrar.* *Cicero.* *Auguſt.*

Poteſt tertio ſolui argumentum cum D. Thom. in 4. diſtinct. 49. q. 3. ar. 4. quæſtiunc. 3. ad 4. ideo õnes appetere voluptatẽ, quia omnes appetunt bonum perfectũ: quod non eſt tale, niſi vt voluptati

3. Solutio. *D. Thom.*

coniungitur. Et inde est, vt bonũ, & delectatio nõ sint duo bona, sed vnũ tantũ bonum, quod ab omnibus appetitur, vt ex mente Arist. & D. Thomę suo loco dicemus. Ex quo non bene infertur delectationem esse beatitudinẽ obiectiuã: quia hęc per se ponit in bono prout est ꝑ bonũ, non prout est cõplementũ boni; iã vero delectatio in illo obiecto totali appetitur nõ vt bonũ, sed vt perfectio cõplés bonitatẽ boni, quod per se beat. Et hæc est optima huius argumẽti solutio. 18

Prima solutio 2. argu.

Ad secundum respondetur, primo, vt bonum tale sit, in quo ponatur beatitudo, duo esse necessaria: vnũ; vt ipsum sẽper propter se appetatur, & nunquã ꝓpter aliud: alterũ; vt cętera omnia bona appetantur propter ipsum. Primum colliges ex Arist. 1. Ethic. cap. 7. tex. 29. dum ait: *Eum finem esse simpliciter perfectum, qui per se semper est, & nunquam propter aliud expetendus, talis est felicitas: hanc enim propter se ipsam semper, & nunquam ob aliud quicquam expetimus.* Idem colliges ex eodẽ 10. Ethic. c. 6. tx. 26. dum ait: *Felicitatem esse aliquam operationem earũ, quæ sunt per se, & non ob aliud expetendæ.*

Arstiot.

Aristot

Secundum verò satis expressit Arist. Secundo metaph. cap. 2. tex. 8. dum docet: *Finem vltimum esse id, quod non est alterius gratia, sed eius causa cætera.* Id est, cæteros alios fines, & cætera omnia alia bona. Id clarius expressit 1. Ethico. cap. 7. tex. 25. vbi inquirens, quodnam bonum cuique sit bonum simpliciter perfectũ? Respondet: *An non gratia cuius cætera agũtur?* Itaq; ad rationẽ summi boni requiritur, vt ipsum nunquam ob aliud appetatur: cætera verò omnia bona appetãtur ipsius gratia. Quorum neutrum cõuenit voluptati sensibili, dequa sola nũc agimus: etenim nec alia bona propter illã appetuntur, vt patet: nec ipsa semper ꝓpter se, sed interdũ propter aliud appetitur. Nam institutor naturæ voluptatem instituit propter operationem, vt suo loco ostẽdemus. Et pleriq; voluptatẽ sensibilem appetunt propter aliũ finẽ, potest enim quis veneri indulgere: vt furetur: & vti honestis dilitijs, vt vitã sustentet, & vt Deo placeat. Ad argumẽtum igitur in forma negandũ est voluptatẽ sensibilẽ nunquam expeti propter aliud, sed semper propter se: nã quãuis in aliqua appetitionis serie appetatur non propter aliud, sed propter se (est enim in se aliquod bonum & finis ex Aristo. 8. Ethic. cap. 2. tex. 3.) tamẽ nõ sẽper propter se, sed sæpius propter aliud appetitur. Hæc est huius argumenti facilis solutio. *Arist.*

Responderi potest secundo admittẽdo antecedens, & negando consequẽtiã. Nam, quod antecedens sit admittendũ, inde patet, quia admittitur à D. Thoma in 6. ar. huius quæstionis ad primum, & inferius q. 34. ar. 2. ad 2. & 3. contra gentes cap. 26. ad tertiam obiectionẽ, & ostenditur ratione D. Thomæ: quoniam appetitus eadem appetitione, qua fertur in bonũ; simul etiam fertur in quietem sub illo bono, quæ nõ est aliud, quã delectatio: sicut enim virtus motiua grauis eadem vi, qua fertur in locum inferum, simul etiam fertur in quietem in eodem loco: ex eo, quia acquisitio loci, & quies in eo sunt naturaliter inseparabilia: ita etiam, cum assecutio boni, quod appetitur, & quies in eo (quę formaliter est delectatio) sint naturaliter inseparabilia ex Arist. 10. Ethic. c. 4. in fine vtique appetitus eadem appetitione, qua appetit bonum, appetit quiescere, & delectari in eo. Ex hoc infertur delectationem in bono assecuto appeti ꝓpter se, & non propter aliũ finem, quod fuit antecedens: nam cum appetitus eadem appetitione tendat in bonum, & in quietem sub illo: vtiq; si tendit in bonũ ꝓpter se, & non propter aliũ finem, non poterit appetere delectationẽ propter finem alium. Tum, quia vna, & eadem operatio non potest ad duos fines terminari. Tum secundo, quia ea, quę per se cõmitantur bonum appetitum propter se, & non propter alium finem, appeti non possunt propter vlteriorem finem, sed solum propter se, ex D. Thoma in 4. distin. 49. q. 3. ar. 4. quæstione 3. ad 3. & libro 3. contra gentes vbi supra. Et merito: quia illa bona non censentur duo bona, sed vnum tantum bonũ completum, & perfectum, vt ad primum aduertimus. 18

2. Solutio: argum. *D. Thom.*

Arist.

D. Thom.

20

Patet igit antecedens esse admittendum. consequentia tamen est neganda, quã negat D. Thom. expresse in d. c. 26. tacite in d. ar. 6. ad 1. Et ratio est, quia licet delectatio non appetatur propter aliud, tanquam propter finẽ appetitur tamen

D. Thom.

tamen propter aliud, tanquam propter cauſſam formalem, ſiue potius motiuã ſuæ appetibilitatis, quod repugnat ſũmo bono obiectiuo: hoc enim eſt per ſe bonum, & appetibile, non ſolum, quia non eſt bonum gratia alterius, vt finis; ſed etiam, quia ſuam bonitatem, & appetibilitatem non habet ab alio, ſed à ſe, quatenus tale bonum eſt: hoc autem non conuenit delectationi, quia eſt appetibilis non ex ſe, ſed ex bono, de quo delectatur: eſt enim bonũ, quia eſt quies in bono, & perfectio ex ſua natura adiacens bono, in quo quieſcit: vt colliges ex D. Thoma, & ex Ariſtotele in d.c.4. in fine. Vnde ab illo bono, tanquam à principio formali ſpeciem ſumit, & eſſentiam: imò etiam appetibilitatem: appetitus enim ex appetibilitate illius boni mouetur, à quo per ſe, & immediatè mouetur, delectationem autem conſequenter appetit: niſi enim appeteret illud bonum, non appeteret quietem in illo. Et ita explicabis ea, quæ doctiſsimè, obſcure tamen ſcribit D. Thomas in d.art.6.ad 1.

D.Thom. Ariſt.

D.Thom.

Argumentum igitur in forma facilè ſoluetur, ſi dicas voluptatem quidẽ non expeti propter aliud, tanquam propter finem: bene tamen expeti propter aliud tanquam propter cauſſam formalem, & motiuã ſuæ appetitionis. Ex quo antecedente non bene infertur conſequẽtia: quia ad ſummum bonum vtraque perfectas requiritur, vt ex dictis patet. Probatio autem antecedentis probat voluptatẽ non appeti alterius finis gratia: non tamen probat eam non appeti propter aliud, quod ſit ſuæ appetibilitatis cauſſa, tum formalis, tum etiã motiua: nã & ſi nullus quærit ab alio, propter quem finẽm lætetur; quia notiſsimũ eſt vnumquenque appetere delectationem gratia ipſius: ita etiam nullus quæret ab alio, ob quam cauſſam appetat delectationem: quia notiſsimum eſt vnumquenque appetere delectationem, quia ipſa eſt quies in bono deſiderato, & concupito.

21 Solutio tertij argumenti ex ſententia Platonis.

Ad tertium (quod fuit Eudoxij apud Ariſtotelem 10. Ethic.c.2. text.3.) reſpondebat Plato teſte eodem Ariſtotele eodem loco, eo potius probari voluptatem non eſſe ſummum bonum: quoniam ſummum bonum nullo bono addito fit expetibilius. Quare apud Platonem conceſſo antecedente cum prima conſequentia neganda erat ſecunda, ſi per complementum omnium bonorum intelligatur ſummũ bonum. Sed Ariſt. in d.c.2.tex.4. in illis verbis: *Conſtat autẽ*, putat hoc Platonis argumentũ eſſe inutile: quia ſequeretur nullum in rebus humanis dari ſummum bonum: nullum enim datur bonum in humanis, quod adiuncto alio bono non ſit expetibilius. Quare in diſcurſu Platonis neganda eſt maior: quia ſummum bonum, quod in humanis quæritur, & datur (qualis eſt felicitas naturalis) adiunctis alijs bonis redditur expetibilius, vt expreſſe docet Ariſt.1.Ethic.c.7.tex.30; & lib.1. Magnorum Moralium cap. 2. & libr. 1. Rhetoric.c.5. & elegãter addidit Ariſt. *Summum bonum in humanis, cuius nos ſumus participes:* quoniam ſummum bonũ, quod ſimpliciter eſt ſummum bonum, cuius participatione omnia ſunt bona (quale eſt bonum diuinum) nullo alio addito bono fit melius, vt patet, & aduertit D. Thomas in 1.Ethic.c.7.lect.9.in vlt.cõmento, & 2.2.q.34.ar.3.ad 2.

Præcedens ſolutio ex Ariſt. reijcit.

Ariſt.

D.Thom.

Eſt igitur ſecunda ſolutio Ariſtotelis in d.c.2.tex.3. ad illa verba, *videtur autem hæc ratio.* Illo argumento ſolum probari voluptatem eſſe quoddam bonum: non vero eſſe aut magis bonum, quam alia bona, aut eſſe ſummum bonum: & ratio eſt, quia illud antecedens non ſolum eſt verum in delectatione, ſed in quocunque bono: quodcũque enim bonum additum alij bono facit illud eligibilius: & tamen non bene infertur quodcunque bonum eſſe complementũ omnium bonorum, tanquam ſummum bonum. In forma igitur concedendum eſt delectationem adiunctã cuique bono diuiſiuè ſumpto facere illud eligibilius, quam ſit ſe ſolo. Concedendum eſt præterea delectationẽ cuique bono ſũpto diuiſiuè augere bonitatem, non intrinſece, ſed extrinſece. Ex quo non bene infertur delectationem eſſe complementum omnium bonorum collectiuè: tanquam illa ſit bonum ſummũ vltimo complens cuiuſque boni rationem: datur enim inſtantia, ſi diſcurſus cuique bonorum applicetur, vt bene aduertit Ariſtot. optima eſt ſolutio.

22 Alia ſolutio ex Ariſt.

Facilius ſolues argumentum cum D. 23

D Thom. Thoma in 4. distinctione 49. q. 3. artic. 4. quæstiuncula 1. ad 1. si duplicem distinguas delectationem cum Aristotel. 7. Ethicor. cap. 12. text. 55; & lib. 10. cap. 5. per totum, & D. Thoma loco citato, & 1. 2. quæst. 34. artic. 1. ad 1. vnam propriam: alteram alienam, & extrinsecam. Propria cuique bono est illa, quæ per se illi coniungitur, tanquam propria illius quies, & perfectio: qualis est delectatio, quæ sequitur speculationē, operationē virtutis, & sumptionē cibi & cætera. Extrinseca delectatio illa dicetur, quę est delectatio nō illius boni, cui cōiungitur, sed alterius ab eo extranei.

Aristot. Nā ex Arist. in d. c. 5. tex. 20. Vnūquodq; bonum suā propriam habet delectationē, eamq; distinctam à delectatione alterius boni: alia est enim voluptas equi, & alia canis, & alia hominis: in hominib⁹ etiā diuersę sunt delectationes, quia alij alia amant bona, & quo bono vnus delectat, illud alius fert molestę, vt experientia docet, nō solum in delectationibus animi, sed etiā corporis. Quæ delectationū varietas non aliunde prouenit, nisi quia vnūquodque bonum suam propriam habet delectationē sibi cōnaturalem, & inseparabilē: cui delectatio alterius boni erit aliena, & extrinseca.

24 Quare ad argumentū Eudoxi dicendū est antecedēs solùm esse verū in delectatione, quæ cuique singulo bono est propria: falsum verò in ea, quę extranea

Aristot. est, & aliena. Nam, quæ est propria, cum bonū ipsum perficiat, ex Arist. 10. Ethi. cap. 4. tex. 18. illud reddat, oportet eligibilius, & appetibilius: aliena autē delectatio, cum extenuet potius, & interdū

Aristot. corrumpat delectationē boni, cui adiūtur, vt docet Arist. 7. Ethic. cap. 12. tex. 55. & lib. 10. c. 5. tex. 19. nullo modo potest reddere expetibili⁹ aliud bonū, cui extrinsecus adiungitur: nec enim in his bonis vera est ꝓpositio, quā Eudoxo, & Platoni trāsire voluit Arist. in d. lib. 10

D. Thom. Ferrarien. c. 2. tex. 3. Quare D. Thom. in 4. vbi supra cū Ferrarien. loco citato bene negauit delectationes intēperati adiunctas operationibus iustis eas reddere appetibiliores. Negandū est igitur delectationē sensibilē adiunctā cuiq; aliorū bonorū facere illud appetibilius: id enim falsū est, si delectatio intēperati adiungatur delectationib⁹ animi operantis secundū virtutē: cum enim sit delectatio aliena, & extranea, tantum abest, vt bona animi faciat appetibiliora (etiamsi moderata sit) vt potius attenuet illorū delectationes, & operationes, vt iam ostendimus ex Arist. in d. c. 12. libri 7. Ethic. & in d. cap. 5. libri 10.

Arist. 25 Quę doctrina non solū vera est, si delectationes sensibiles cū bonis animi cōiungas: sed etiā, si vel ipsas animi delectationes inter se extraneas, vel delectationes corporis simul ponas, vt satis clare ostendit Arist. 10. Ethic. c. 5. tex. 19. *Qui namque fistulis delectantur (inquit) nec in mentē sermonibus adhibere si quempiā audierit modulantē magis moduladi gaudentes arte, quā operatione præsenti.* Falsum est igitur omnē delectationem adiunctā cuiq; bono facere illud appetibilius. Et hęc sit tertia huius argumenti solutio.

Quarta solutio ex Diuo Thoma. Potest adhuc quarto loco argumentum solui cum D. Thoma 3. contra gentes cap. 26. ad secundam dubitationem: quia admisso antecedente cum prima cōsequentia, negāda erit secunda, quia non omne, quod perficit aliud est finis eius, de quo nonnihil dicendum est in sequenti quæstione.

26 Soluitur 4. argumentū ex doctrina Platonis. Ad quartum argumentum (quod etiā est Eudoxi) negabat Plato consequentiam, vt patet ex Aristotele 10. Ethic. ca. 2. tex. 9: quoniam malum non solum opponitur bono, sed etiam malo, atque indifferenti, quod nec bonum est, nec malum: audacia enim opponitur cum fortitudini, tum etiam timiditati. Quare non bene infertur, dolor est malum, ergo delectatio est bonum: quia potest illi opponi, non vt bono, sed vt malo. Solutio optima est, si solùm spectemus vim formæ (est enim forma inutilis) non est tamen admittenda, si cōsideremus vim consequentiæ gratia materiæ: quia re vera delectatio omnium iudicio nō opponitur dolori tanquam malum malo, sed tanquam bonum malo: vt Aristotel. loco citato aduertit contra Platonem. Quare si antecedens admittatur, videtur consequentia vim habere, si non ratione formæ, saltem ratione materiæ.

Arist.

Alia solutio ex Ferrar. D. Thom. Negandum est igitur antecedens cū Ferrarienſi 3. contra Gentes cap. 27. in fine, satis ad mentem D. Thomæ 1. 2. q. 39. ar. 4; vbi probat nullū doloré aut trisitiā esse posse summū malū: cuius opinionem

nionē tanquā veriſsimā modo ſupponimus. Et quod attinet ad noſtrū inſtitutū euidēter patet nullū doloré, aut triſtitiā ſenſitiuā eſſe ſummū malū: quantūuis daremus (quod nō damus) aliquē dolorem eſſe ſummum malum. Nam cū duplex ſit dolor ſenſitiuus, vnus exterior, interior alter: conſtat externum non eſſe ſummum malum, quia internus eſt maius malum; vt tanquam veriſsimū ſupponimus ex D. Thoma 1.2. q.35.ar. 5. Quod etiam patet de dolore ſenſitiuo interno: triſtitia enim intellectiua longe eſt maius malum ex D. Thoma 1. 2.q.39.art.4.ad 3. Quod autem adducitur ex Auguſt. vim non habet: quoniam Aug. id non dixit ex ſuo ſenſu, ſed ex ſēſentia alterius, vt fatetur D. Thomas in d.ar.4.ad 3. Vera igitur doctrina habet illud malum eſſe peius, quod nocet meliori bono: & cum anima melior ſit, quā corpus; malum, quod nocet animæ, peius erit, quam malum, quod nocet corpori. Et eàdem ratione malum, quod nocet animę, vt non depēdet à corpore, peius erit malum, quam illud, quod nocet animę, prout à corpore dependet. Quare triſtitia intellectiua maius malum erit, quam ſenſitiua, ſiue illa ſit exterior, ſiue interior.

D. Thom.

D. Thom. Auguſt.

D. Tho.

27 Soluitur 5. argumentū.

Ad quintum negandum eſt operationem appeti propter voluptatem, tanquam propter finem: vt ſuo loco oſtenſuri ſumus. Sed admiſſo antecedente (quod grauiſsimi Theologi admittunt) argumentum non habet vim: nam quāuis illo probaretur voluptatem ſenſitiuam melius bonum eſſe, quàm ſenſitiuam operationem: inde tamē non probaretur voluptatem ſenſitiuam eſſe ſūmum bonum: ſed illam duntaxat voluptatem, quę perficeret operationem nobiliſsimam, qualis non eſt operatio ſenſitiua. Sed in ſequenti quæſtione oſtendemus nec voluptatem, quæ operationē intellectiuam cōſequitur, eſſe ſummum bonum obiectiuum.

28 Vltimi argumenti ſolutio.

Ad poſtremum argumentum, quod continet fundamentum Hæreticorum, reſpondetur locum ex c. 20. Apocalyp. nullo modo fauere Cirinthianis. Nam licet admitteremus regnum illud Chriſti per mille annos poſt reſurrectionē, quod hęretici fingunt, & fabulantur; vnde colligunt regnum illud futurum fore in carne concupiſcētijs, ac libidinibus ſubiecta? Ioannes enim ſolum ſcribit animas illas & vixiſſe, & regnaſſe cum Chriſto mille annis. Nuncquid ſi in carne iam ſuſcitati regnaturi forent; cur non potius regnarent liberi à paſſionibus corporis vacantes contemplationi diuinarum rerum longe altiori, quā fuerit Adami in ſtatu Innocentiæ? has enim delicias eſſe longe meliores, & diuiniores non ſolum Chriſtianus agnoſcit, ſed etiam Ariſtotel. vt ex dicendis patebit: nam Papias Hieropolitan⁹ Epiſcopus, qui etiam probauit Chriſtum cū Sanctis regnaturum in terra per mille annos; in hoc millenario regno carnales delicias nō admiſit, ſi credimus Caſtro verbo, *Beatitudo*, hęreſi 2: nec enim Euſebius libr. 3. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ c.39. ſcribit Papiam eas admiſiſſe; cum tamen ibi c.28. ſcribat eas admiſiſſe Cerinthum. Et hæc ſolutio ad hunc locum ſatis ſit; quia ſatis nobis eſt, vt delicias, voluptateſque carnales à beatitudine reſegemus. Quod verò locus iſte Ioannis non probet regnum illud millenariū in terra poſt reſurrectionem ad ſenſum Cerinthi, & Papiæ alio in loco explicabimus.

Ariſt.

Papias.

Caſtro.

Euſebius.

Porro loci ex Iſaia, & Luca intelligēdi ſunt de cibo, & potu ſpirituali, de quo agit Chriſtus Ioan. 6; dum ait: *Operamini non cibum, qui perit, ſed, qui permanet in vitam æternam*: nam & in hac vita præter corporalem cibum, dari cibum ſpiritualē animarum longe excellentiorem ſatis expreſsit Chriſtus Matth. 4. dum dixit: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* & Ioan. 4. *Ego cibum habeo, quem vos neſcitis*: & rurſus: *meus cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt.* Vide Caſtrum loco citato. Et hæc de bonis corporis.

Iſaias. Lucas. Ioannes.

Matth. Ioannes.

Caſtro.

QVÆSTIO IIII.

An beatitudo obiectiua poſita ſit in aliquo bono animæ?

CVM beatitudo obiectiua non ſit poſita in bonis corporis, inquirendum eſt, an poſita ſit in bonis animæ: animæ inquā intellectiuæ: nam bona animæ tam vegetatiuæ,

tatiuæ, quàm sensitiuæ enumeranda esse cum bonis corporis iam docuimus in præcedente quæstione art. 1. Quare hoc loco solum erit sermo de bonis animæ intellectiuæ, quæ intrinsecus sunt in anima. Quod dicimus, vt ba hac qu stione excludamus obiecta operationũ animæ intellectiuæ: hæc enim licet aliquo modo dici queant bona animæ, vt fatetur D. Thomas in hac 2.q.art.7.ad 3: nõ sunt tamen in ipsa anima, sed extra eã, vt ibi annotauit D. Thomas. At inter bona animæ intrinseca enumeranda venit ipsa animæ substantia simul cum potentijs, habitibus, & operationibus ipsius: de quibus omnibus sigillatim inquirendum erit. Primum igitur generaliter inquiremus, an beatitudo obiectiua posita sit in bonis animæ intellectiuæ? Secundò, vtrum posita sit in ipsa animæ substantia? Tertiò, vtrum ponẽda sit in potentijs, habitibusque illius? Quartò, an in aliqua illius operatione? Postremò, an in voluptate animi? Nam de his omnibus agit D. Thom. in art. 7. huius secundæ quæstionis.

D.Thom.

Ordo in hac q seruãdus.

D.Thom.

ARTICVLVS I.

Vtrum beatitudo posita sit in bonis animæ intellectiuæ?

1 QVÆSTIO ista à nobis proponitur sub his generalibus terminis, tum: vt rationem D. Thomæ explicemus: tum vt explicemus duo illius argumenta. Pars igitur affirmans ita suadetur.

Affirmatiuę partis arg.

Primum. Primò, quia constat beatitudinem esse quoddam hominis bonum. Omnia autem bona hominis, vel sunt bona exteriora, vel bona corporis, vel bona animæ, vt patet ex Arist. 7. Politic. c. 1. & 1. magn. Moral. c. 3; & 1. Rhetoric. c. 5. docuit Plato lib. 3. de legibus. Ostendimus supra quæstione 1. beatitudinem obiectiuam non consistere in bonis vitæ externis. In quæstione secunda eam non consistere in bonis corporis. Ergo non potest non consistere in bonis animæ.

Arist. *Plato.*

2 *Secundum.* Deinde beatitudo est quædam perfectio hominis, vt omnes admittũt: perfectio autem est aliquid eius, quod perficitur, vt patet. Sed beatitudo non est aliquid corporis. Ergo erit aliquid animæ: nam, cum homo constet ex corpore, & anima; id quod est aliquid hominis, vel erit aliquid corporis, vel aliquid animæ

Tertium. Arist. D.Thom. Tertiò, quia tam Aristoteles, quàm D. Thomas felicitatem ponunt in contemplatione primæ substantiæ, vt patet 10. Ethic. c. 10. Sed contemplatio primæ substantiæ est aliquid animæ intellectiuæ, & bonum quoddam illius intrinsecum, vt patet. Ergo beatitudo obiectiua ponitur in aliquo bono animę intellectiuæ.

3 *Resolutio.* Dicendum tamen beatitudinem obiectiuam nullo modo posse consistere in aliquo bono animæ intellectiuæ. Ita D. Thom. in art. 7. huius q. 2: nam si beatitudo obiectiua esset aliquod bonum animæ, vel esset ipsa animæ essentia, vel aliquid animæ, nimirum potentia, habitus, aut actus, sed nihil horum est; ergo, &c. Maior patet: minorem probabimus in sequentibus articulis. *D.Thom.*

4 *Soluitur 1. argumentũ cum D. Th.* Ad primum in oppositum ex mente D. Thomæ in d. art. 7. ad 1. dicendum est argumentum nõ procedere ex adæquata diuisione bonorum animæ: nam præter bona, quæ intrinsece sunt in anima, dantur bona alia illi extrinseca, quæ eã perficiunt solum obiectiuè: & ideo consequentiam non valere: valeret tamen, si inter bona animæ enumerarentur etiam illa bona, quæ illi extrinsece sunt bona: quoniam in hoc sensu admittendum esset beatitudinem obiectiuam cõsistere in aliquo bono animæ: quod ipsum non est in illa, sed extra, vt suo loco dicemus. Nos autem solum negamus beatitudinem obiectiuam consistere in bonis, quæ sunt in anima.

Soluitur 2. ex D. Tho. Ad secundum similiter dicendum est ex mente D. Thomæ in d. art. 7. ad tertium: nam beatitudo obiectiua est quędam hominis perfectio non inhærens, sed extrinsece illum perficiens ratione animæ.

Solutio tertij. Ad tertium respondetur Aristotelem, & Diuum Thomam intelligendos esse de beatitudine formali, non de obiectiua: formalem autem beatitudinem consistere in bonis animæ inhærentibus fatetur Diuus Thomas in dicto articulo 7. & sequente libro ostendemus. *D.Thom.*

(.*.)

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrum beatitudo obiectiua posita sit in animæ essentia?

1 QVANVIS nullus philosophus vnquam dixerit beatitudinẽ obiectiuam sitam esse in substantia animæ intellectiuę: excitatur tamẽ hęc quæstio, tum; quia tangitur à D. Thoma in art. 7. huius quęstionis, tum; quia pro parte affirmante non deest ratio dubitãdi. Nam illud, cui appetimus aliquod bonum, magis amamus, quàm ipsum bonum: magis enim amo amicum, cui volo pecuniam, quàm ipsam pecuniã. Sed vnusquisque sibi appetit, quodcunque bonum appetit. Ergo plus se diligit, quã quodcunque aliud bonum. Sed illud est beatitudo obiectiua, quod est bonum magis amatum, quàm quodcũque aliud bonum. Ergo homo est sibi sua beatitudo obiectiua: non ratione corporis, vt patet. Ergo ratione animæ, quæ secundum substantiam excellentior est omnibus, quæ sunt in ea.

Ratio dubitãdi pro parte affirmatiua.

2 Pars tamen negans indubitanter vera est: & facilè demonstratur: quoniam anima non potest beare, vt est forma dans homini esse humanum: tum, quia semper homo esset beatus, quandiu esset. Tum secundò, quia non potest beare, nisi, vt est finis: finis autem, nisi sit cognitus, non finalizat. Quare si anima est beatitudo obiectiua, non beabit, nisi vt est obiectum cognitum. At nec sic, potest beare: quia anima secundum suã substantiam non est vltimus finis: tum, quia secundum se est ens in potentia ad actum: nam de potentia sciente fit actu sciens ex Arist. 3. de anima tex. 14. & de potentia virtuosa fit actu virtuosa. At, quod est in potentia ad actum, ad illum ordinatur, vt ad finem. Tum secundò, quia cum habeat caussam efficientem, habeat, necesse est, caussam finalem iuxta receptam philosophiam. Tum denique, quia homo se, & omnia, quæ habet in se, amat propter Deum, si ordinatè se amat. Cum igitur anima secundum suam essentiam non sit vltimus finis, nõ poterit esse beatitudo obiectiua.

Negatiua sententia statuitur, & probatur.

Arist.

Alia probatio ex Diuo Thoma.

Potest etiam adduci ratio, quam affert D. Thomas in d. ar. 7: nam anima nõ est bonum vniuersale, id est, continens omne bonum; ergo non potest esse obiectiua beatitudo. Sed de hac ratione latius agemus in sequenti quæstione.

3 Ad rationem dubitandi initio allatã respondet D. Thomas in d. artic. 7. ad 2. Ex cuius mente maior videtur neganda, quatenus habet *magis amari, cui appetimus bonum, quàm ipsum bonum.* Nam cũ bonum volitum ametur amore concupiscentiæ; ille autem, cui bonum volumus, amore amicitię: & hi amores sint diuersi ordinis, & generis; non potest fieri cõparatio inter amata penes magis, & minus. Quare quanuis nobis concupiscamus omne bonum, non bene infertur nos magis nos ipsos amare, quã quodcunque aliud bonum: sed solum infertur, nos amare nos amore amicitiæ, bona autem, quæ nobis volumus, amore concupiscentiæ. Ex quo non licet coligere nos nobis ipsis esse beatitudinẽ obiectiuam: quia beatitudo obiectiua non ponitur in eo bono, quod plus amatur amore amicitię, sed in eo, quod plus amatur amore concupiscentiæ. Cum hac solutione transeunt Conradus, & Medina in d. art. 7.

Soluitur ratio dubitandi ex D. Th. doctrina.

Arist.

Conradus.
Medina.

Sed non est negandũ posse duos istos amores, & ea, quę illis amantur, inter se comparari penes magis, & minus, ita vt magis vnus dicatur amare, quàm alter: nam D. Thomas 2. 2. q. 26. ar. 3. expresse docet nos magis diligere Deum amore amicitiæ, quàm amore concupiscentię, cum illum diligimus, vt bonum nostrũ. Ex quo loco Medina in d. ar. 7. libenter admittit amicum magis diligi, quam diligatur bonum volitum illi. Et ratio est, quoniam licet inter istos duos amores non possit fieri comparatio penes magis, & minus intensiuè (quoniam hæc comparatio non potest fieri, nisi inter ea, quæ eiusdem sunt speciei) tamen optime duo illi amores comparari possũt penes magis, & minus in perfectione: vt illud dicatur magis amari, quod amatur nobiliori amore. Et cum amor amicitię longe sit nobilior, quàm concupiscentiæ (hic enim est imperfectus, ille vero perfectus ex D. Thoma 2. 2. q. 17. ar. 8.) fit, vt possit admitti amicum magis diligi, quam bonum illi cõcupitum. Diximus (possit admitti) quoniã apud nonnullos non debet simpliciter admitti in quocunque bono alteri cõcupito, sed

D. Thom.

Medina.

D. Thom.

D. Thom.

sed in solo bono particulari, & creato, non verò in bono, quod est vniuersale bonum: ita fit, vt magis diligamus eum, cui volumus bonum, quàm ipsum bonũ, quando illud bonum est particulare, & limitatum: non tamen si fuerit bonum vniuersale, qualis est Deus: ita Medina in d. art. 7. huius q. 2. nec longe est à mẽte D. Thomæ 2. 2. q. 26. ar. 3. ad 1. nec resistent ij, qui putant finem *cuius*, quando est bonum vniuersale non ordinari ad finem *cui*, vt vult Suarius in Metaphysi. disput. 23. sect. 2. n. 8. concinit Aragoni' 2. 2. q. 17. ar. 5. §. *Tertio est aduertẽdum*. Iuxta hanc sententiam ex illa maiore ita explicata non bene infertur hominem se ipsum magis amare, quàm quodcunque aliud bonum: quoniam cũ sibi appetit Deum, non magis amat se, quàm Deum: & per cõsequens homo non magis se ipsum amat, quám omne aliud bonum: quod tamen requiritur, vt in eo, suaque substantia beatitudo obiectiua ponatur.

Medina. *D. Thom.* *Aragon.*

4 Adducitur alia solutio.

Satis est solutio ad soluendam argumenti difficultatem. Sed ego puto maiorem posse simpliciter admitti in quocunque bono alicui concupito: magis enim amatur is, cui bonum concupiscitur, quàm ipsum bonum, quãuis sit vniuersale: nam in ea sum opinione, vt quãdo quis sibi Deum concupiscit, non solum se ipsum amet amore nobiliori, quam tunc amet Deum; sed etiam magis: si idem sit magis se amare, quàm amare se perfectiori amore. Nec enim puto Deum inordinatè amari, si interdum ideo minus ametur, quia amatur amore minus perfecto: nam prout amatur, tanquam bonum nostrum, non potest tunc non amari amore concupiscentiæ, qui est minus perfectus, quàm amor amicitię, quo tunc nos amamus. Quare tunc Deus inordinatè amabitur, quando minus amatur, vel quia aliud bonum à Deo magis nobis concupiscitur, quàm Deus: vel quia nobis maius velimus bonum, quàm Deo, quia tunc in eodem genere amoris creaturã Deo prę ferimus; quę prærerentia non datur, quando Deum, vt bonum concupitum amamus, nos verò vt bonum amicabiliter amatum, quia licet vt sic meliori amore nos amemus, quã amemus Deũ: tamen ipsum Deum non vltimate propter nos amam', sed propter ipsum Deũ, vt latè diximus supra lib. 1.

Hac igitur opinione suppositа ad argumentum in forma admittimus totũ primum discursum, si consequens ita intelligatur, vt homo magis. i. meliori amore se ipsum amet, quàm quodcunq; aliud bonum sibi concupitum. Ex quo non bene infertur beatitudinem obiectiuam collocandam esse in substantia ipsius hominis: nam cum beatitudo obiectiua sit finis *cuius*; & proinde sit bonũ concupitum nobis; non ponitur in eo, quod magis. i. meliori amore amatur: sed in eo bono, quod magis est concupitum: cum tamen homo non sit magis amatus, ideo quia magis concupitus, sed quia ei omne bonum cõcupiscitur: quod arguit amari amore amicitiæ, qui nobilior est, quàm amor concupiscentiæ. Et hæc est optima huius argumenti solutio. 5

Nec displicebit, si quarto loco dicas cum Conrado in d. art. 7. ad 2. quanuis verum sit hominem magis amari, quám quodcunque bonum sibi concupitum; non proinde inferri hominem simpliciter magis amari: quia illo amoris genere, nempe amicitiæ, quo tunc amatur, non plus amatur, quàm Deus, qui illo amicitiæ amore plus amatur. Sed hoc altiorem postulabat disputationem. 6 Alia Contra dicta solutio.

ARTICVLVS III.

An beatitudo obiectiua posita sit in potentijs, aut habitibus animæ?

HÆc quæstio ideo à nobis excitatur, quia tangitur à D. Thoma ar. 7. huius quęstionis. Dissoluitur autem conclusione negatiua, tam à Diuo Thoma, quàm à Cursu Conimbricensi in Ethicis disputatione 3. q. 3. art. 1. in principio. Eam probauit Aristoteles 1. Ethicorum c. 5. tex. 20. & c. 8. tex. 39. & lib. 10. c. 6. tex. 26. quibus in locis expresse docet beatitudinem, nec poni in animæ potẽtijs, nec in habitibus. Et 2. magnor. Moralium c. 10. *felicitas*, inquit, *est actio, non habitus.* 1 *D. Thom.* Resolutio. *D. Tho.* *Aristot.*

Probatur primò, quia nec potentia animæ, nec habitus possunt satiare nostrum appetitum: is enim non satiatur, nisi bono vniuersali, ideſt bono, quod 2 Probatur 1.

est

est omne bonum. De qua ratione plura dicenda sunt in sequenti quæstione.

Secundo. Secundò, quia tam potētię, quám habitus non possunt esse vltimus finis: ordinantur enim ad aliud, tanquam ad finem, cum sint propter operationem, vt sæpe docet Arist. vide Cursum Conimbricensem in d.q.3. ar.1. ad 3.

Arstiot.

ARTICVLVS IIII.

An beatitudo obiectiua ponatur in operationibus animæ?

1 Ratio dubitandi ex Aristotele.

QVæstio ista aliquā habet dubitationē propter rationē dubitādi sumptam ab Arist. qui vbique locorum suæ doctrinæ docet felicitatē positam esse in operatione secundū virtutem: ita 1. Ethic. c.7. tex. 36. & lib. 10. c.6. tex. 28. & lib. 1. Magn. 4. & 7. Politicor. c.3. ade[illegible] c. 1. affirmet vnicuique [illegible] tatis contingere, quantu[illegible] prudentiæ. Porro Aristote[illegible] beatitudine obiectiua, vide[illegible] ste colligi ex ijs, quæ docet [illegible] c.6. tex. 27. ita enim scribit: *Operationes autem eæ sunt per se expetibiles, à quibus nihil præter operationem quæritur. Tales autem videntur esse actus ij, qui à virtute proficiscuntur: honesta namque, studiosaq; agere ex ijs est, quæ per se expetuntur.* Quæ verba satis significant ipsum agere honesta, ipsumque viuere secundum virtutem esse obiectum, quod nos reddit felices, & beatos. Cum verò operatio secundum virtutem sit operatio animæ intellectiuæ; fit, vt in aliqua animæ intellectiuæ operatione ponatur felicitas nostra obiectiua.

Hoc tamen non obstante dicendum est nullam animę intellectiuę operationem esse, aut esse posse obiectum nostræ beatitudinis, nec supernaturalis, nec etiam naturalis: si propriè de beatitudine naturali loquendum est. Hæc conclusio ita generaliter posita est D. Thomæ in 7. art. huius quæstionis: agens enim de beatitudine obiectiua, hoc est de re, quam, vt bonum summum, & vltimum finē appetimus, postquam ostēdit animam ipsam in se non esse tale bonū ita scribit: *Similiter etiā nec aliquid eius, siue sit potentia, siue actus, siue habitus.* Deinde ita concludit: *vnde impossibile est, quod aliquid eorum sit vltimus finis hominis.*

2 Conclusio.

D. Thom.

Hæc conclusio probatur à D. Thoma eàdē ratione, qua ar. 8. probat beatitudinē obiectiuā poni non posse in aliquo bono creato: nec enim poni potest, nisi in bono, quod cōplete compleat, & satiet appetitū. Appetitus autē nullo bono limitato, & particulari satiari potest sed solo bono vniuersali, quod continet omne bonum. Quare cum nulla animæ operatio sit bonū vniuersale, vt patet: nulla potest esse beatitudo obiectiua. De efficacia huius rationis multa dicēda sunt in sequenti quæstione.

3 Probatur 1. ratione D. Thom.

Secundo eadem cōclusio ostenditur, quoniam omnis operatio animæ intellectiuæ, vel est intellectus, vel volūtatis. Et vtriusque potentiæ operationes, vel sunt practicæ pertinentes ad vitā actiuam: vel sunt speculatiuæ spectantes ad [illegible] speculatiuam vitā. Neutrius autē vitæ [illegible]io potest esse vltimus finis obie- [illegible]probatur in operationib⁹ vitę & enim non sunt per se expeti- [illegible] propter aliud, vt latè probat [illegible].Ethic. c.7. vbi ostendit opera- vitę actiuę politicas, quibus bonum cōmune ordinatur: & bellicas, quibus cōmune bonum defēditur, non esse propter se, sed propter aliud, & inde sumit argumentū, cęteras omnes operationes vitæ actiuę nō expeti propter se, sed propter aliquē finem: nam si actiones ciuiles, & bellicę, quę cęteris omnibus, tam pulchritudine, quàm magnitudine excellunt, propter se non expetūtur, sed propter finem; vtique cæteræ actiones vitę actiuæ non propter se expetentur, sed propter finē, & specialiter de actionibus virtutū moraliū id ostēditur: nam cum hæ versentur, tum circa res externas, quę in vsum hominum veniunt, tum circa moderandas partis inferioris, & sensitiuę affectiones: & pars sensitiua sit in homine gratia animę intellectiuæ, & propter perficiendū illius opus, ex Aristotele 2. Magnorū Moral. cap. 10. vtique actiones virtutum moralium expeti debent propter operationes animæ speculatinæ: ideo enim virtus moralis affectiones sēsitiuas bene ordinat: vt mens expeditius possit speculationi vacare. Concludēdum est igitur operationes vitę actiuę esse propter finem, & ex consequenti in illis non consistere beatitudinem obiectiuam.

4 Secundò.

Arist.

Arist.

sed in solo bono particulari, & creato, non verò in bono, quod est vniuersale bonum: ita fit, vt magis diligamus eum, cui volumus bonum, quàm ipsum bonũ, quando illud bonum est particulare, & limitatum: non tamen si fuerit bonum vniuersale, qualis est Deus: ita Medina in d. art. 7. huius q. 2. nec longe est à mẽte D. Thomæ 2. 2. q. 26. ar. 3. ad 1. nec resistent ij, qui putant finem *cuius*, quando est bonum vniuersale non ordinari ad finem *cui*, vt vult Suarius in Metaphysi. disput. 23. sect. 2. n. 8. concinit Aragoni' 2. 2. q. 17. ar. 5. §. *Tertio est aduertẽdum*. Iuxta hanc sententiam ex illa maiore ita explicata non bene infertur hominem se ipsum magis amare, quàm quodcunque aliud bonum: quoniam cũ sibi appetit Deum, non magis amat se, quàm Deum: & per cõsequens homo non magis se ipsum amat, quám omne aliud bonum: quod tamen requiritur, vt in eo, suaque substantia beatitudo obiectiua ponatur.

Medina. *D. Thom.* *Aragon.*

4 Adducitur alia solutio.

Satis est solutio ad soluendam argumenti difficultatem. Sed ego puto iorem posse simpliciter admitti cunque bono alicui concupito enim amatur is, cui bonum conc tur, quàm ipsum bonum, quãuis si uersale: nam in ea sum opinione, vt quando quis sibi Deum concupiscit, non solum se ipsum amet amore nobiliori, quam tunc amet Deum; sed etiam magis: si idem sit magis se amare, quàm amare se perfectiori amore. Nec enim puto Deum inordinatè amari, si interdum ideo minus ametur, quia amatur amore minus perfecto: nam prout amatur, tanquam bonum nostrum, non potest tunc non amari amore concupiscentiæ, qui est minus perfectus, quàm amor amicitię, quo tunc nos amamus. Quare tunc Deus inordinatè amabitur, quando minus amatur, vel quia aliud bonum à Deo magis nobis concupiscitur, quàm Deus: vel quia nobis maius velimus bonum, quàm Deo, quia tunc in eodem genere amoris creaturã Deo prę ferimus; quę præferentia non datur, quando Deum, vt bonum concupitum amamus, nos verò vt bonum amicabiliter amatum, quia licet vt sic meliori amore nos amemus, quã amemus Deũ: tamen ipsum Deum non vltimate propter nos amam', sed propter ipsum Deũ, vt latè diximus supra lib. 1.

Hac igitur opinione suppositа ad argumentum in forma admittimus totũ primum discursum, si consequens ita intelligatur, vt homo magis. i. meliori amore se ipsum amet, quàm quodcunq; aliud bonum sibi concupitum. Ex quo non bene infertur beatitudinem obiectiuam collocandam esse in substantia ipsius hominis: nam cum beatitudo obiectiua sit finis *cuius*; & proinde sit bonũ concupitum nobis; non ponitur in eo, quod magis. i. meliori amore amatur: sed in eo bono, quod magis est concupitum: cum tamen homo non sit magis amatus, ideo quia magis concupitus, sed quia ei omne bonum cõcupiscitur: quod arguit amari amore amicitiæ, qui nobilior est, quàm amor concupiscentiæ. Et hæc est optima huius argumenti solutio. 5

Nec dissolicebit, si quarto loco dicas 6 Alia Contradi solutio.
d. art. 7. ad 2. quanuis
nem magis amari, quám
onum sibi concupitum;
ferri hominem simplici-
ri: quia illo amoris gene-
icitiæ, quo tunc amatur,
ur, quàm Deus, qui illo
amore plus amatur. Sed hoc altiorem postulabat disputationem.

ARTICVLVS III.

An beatitudo obiectiua posita sit in potentijs, aut habitibus animæ?

1 D. Thom.

HÆc quæstio ideo à nobis excitatur, quia tangitur à D. Thoma ar. 7. huius quęstionis. Dissoluitur autem conclusione negatiua, tam à Diuo Thoma, quàm à Cursu Conimbricensi in Ethicis disputatione 3. q. 3. art. 1. in principio. Eam probauit Aristoteles 1. Ethicorum c. 5. tex. 20. & c. 8. tex. 39. & lib. 10. c. 6. tex. 26. quibus in locis expresse docet beatitudinem, nec poni in animæ potẽtijs, nec in habitibus. Et 2. magnor. Moralium c. 10. *felicitas*, inquit, *est actio, non habitus.* Resolutio. D. Tho. *Aristot.*

2 Probatur 1.

Probatur primò, quia nec potentia animæ, nec habitus possunt satiare nostrum appetitum: is enim non satiatur, nisi bono vniuersali, ideſt bono, quod est

est omne bonum. De qua ratione plura dicenda sunt in sequenti quæstione.

Secundo. Secundò, quia tam potētię, quám habitus non possunt esse vltimus finis: ordinantur enim ad aliud, tanquam ad finem, cum sint propter operationem, vt sæpe docet Arist. vide Cursum Conimbricensem in d.q.3. ar.1. ad 3.

Arstiot.

ARTICVLVS IIII.

An beatitudo obiectiua ponatur in operationibus animæ?

1 Ratio dubitandi ex Aristotele. QVæstio ista aliquā habet dubitationē propter rationē dubitādi sumptam ab Arist. qui vbique locorum suæ doctrinæ docet felicitatē positam esse in operatione secundū virtutem: ita 1. Ethic. c.7. tex.36. & lib.10. c.6. tex.28. & lib.1. Magn. Moral. c.3. & 4. & 7. Politicor. c.3. adeo vt 7. Politic. c.1. affirmet vnicuique tantum felicitatis contingere, quantum virtutis, & prudentiæ. Porro Aristotelem agere de beatitudine obiectiua, videtur manifeste colligi ex ijs, quæ docet 10. Ethicor. c.6. tex. 27. ita enim scribit: *Operationes autem eæ sunt per se expetibiles, à quibus nihil præter operationem quæritur. Tales autem videntur esse actus ij, qui à virtute proficiscuntur: honesta namque, studiosaq; agere ex ijs est, quæ per se expetuntur.* Quæ verba satis significant ipsum agere honesta, ipsumque viuere secundum virtutem esse obiectum, quod nos reddit felices, & beatos. Cum verò operatio secundum virtutem sit operatio animæ intellectiuæ; fit, vt in aliqua animæ intellectiuæ operatione ponatur felicitas nostra obiectiua.

Hoc tamen non obstante dicendum est nullam animę intellectiuę operationem esse, aut esse posse obiectum nostræ beatitudinis, nec supernaturalis, nec etiam naturalis: si propriè de beatitudine naturali loquendum est. Hæc conclusio ita generaliter posita est D. Thomæ in 7. art. huius quæstionis: agens enim de beatitudine obiectiua, hoc est de re, quam, vt bonum summum, & vltimum finē appetimus, postquam ostēdit animam ipsam in se non esse tale bonū ita scribit: *Similiter etiā nec aliquid eius, siue sit potentia, siue actus, siue habitus.* Deinde ita concludit: *vnde impossibile est, quod aliquid eorum sit vltimus finis hominis.*

2 Conclusio.

D. Thom.

Hæc conclusio probatur à D. Thoma eādē ratione, qua ar.8. probat beatitudinē obiectiuā poni non posse in aliquo bono creato: nec enim poni potest, nisi in bono, quod cōplete compleat, & satiet appetitū. Appetitus autē nullo bono limitato, & particulari satiari potest sed solo bono vniuersali, quod continet omne bonum. Quare cum nulla animæ operatio sit bonū vniuersale, vt patet: nulla potest esse beatitudo obiectiua. De efficacia huius rationis multa dicēda sunt in sequenti quæstione.

3 Probatur 1. ratione D. Thom.

Secundo eadem cōclusio ostenditur, quoniam omnis operatio animæ intellectiuæ, vel est intellectus, vel volūtatis. Et vtriusque potentiæ operationes, vel sunt practicæ pertinentes ad vitā actiuam: vel sunt speculatiuæ spectantes ad speculatiuam vitā. Neutrius autē vitæ operatio potest esse vltimus finis obiectiuus. Id probatur in operationib⁹ vitę actiuæ: hæ enim non sunt per se expetibiles, sed propter aliud, vt latè probat Arist. 10. Ethic. c.7. vbi ostendit operationes vitę actiuę politicas, quibus bonum cōmune ordinatur: & bellicas, quibus cōmune bonum defēditur, non esse propter se, sed propter aliud, & inde sumit argumentū, cęteras omnes operationes vitæ actiuę nō expeti propter se, sed propter aliquē finem: nam si actiones ciuiles, & bellicę, quę cęteris omnibus, tam pulchritudine, quàm magnitudine excellunt, propter se non expetūtur, sed propter finem; vtique cæteræ actiones vitę actiuæ non propter se expetentur, sed propter finē, & specialiter de actionibus virtutū moraliū id ostēditur: nam cum hæ versentur, tum circa res externas, quę in vsum hominum veniunt, tum circa moderandas partis inferioris, & sensitiuę affectiones: & pars sensitiua sit in homine gratia animę intellectiuæ, & propter perficiendū illius opus, ex Aristotele 2. Magnorū Moral. cap. 10. vtique actiones virtutum moralium expeti debent propter operationes animæ speculatiuæ: ideo enim virtus moralis affectiones sēsitiuas bene ordinat: vt mens expeditius possit speculationi vacare. Concludēdum est igitur operationes vitę actiuę esse propter finem, & ex consequenti in illis non consistere beatitudinem obiectiuam.

4 Secundò.

Arist.

Arist.

5 Quod verò operationes vitæ ſpeculatiuæ ex ſua natura non ſint ſui gratia, ſed gratia alterius, tanquã finis; probãt illi philoſophi, qui volunt obiectum eſſe cauſſam finalẽ actus: maxime ſi eſt actꝰ immanens, & quanquã hęc opinio non ſatis placeat Suario in Met. diſp. 12. ſec. 7. n. 17. illa tamen veriſsima eſt, ſi ſermo ſit de fine operis; ad quẽ ab auctore naturę actus eſt inſtitutus, & vt ab inſtituto non diſcedamus; cõſtat operationes, tã intellectus, quàm volũtatis ex ſua natura inſtitutas eſſe à Deo gratia vniẽdi obiecta cũ hiſce potentijs: nam cũ nulla res poſsit attingi, aut à potẽtia cognitiua, aut appetitiua, niſi cuique illarum in ratione termini vniatur, vt recepta habet philoſophia; inſtitutor naturæ Deus inſtituit in vtraq; potẽtia actionẽ, per quã res cognoſcẽda, & volẽda vniretur, tũ intellectui, tũ volũtati: etenim obiectũ cognoſcẽdũ actu fit intra intellectũ, & ab eo motu intẽtionali cognoſcibiliter attingitur. Per actũ verò volũtatis, amorem, inquam, voluntas vnitur cũm obiecto, dum ſuo intentionali impetu appetibiliter ſeponit in re amata. Quare ſi bene philoſophandum eſt, non eſt negandum obiectum eſſe finem operationis immanentis intellectus, & voluntatis: finem inquam operis: qui non influit in operantem, ſed in auctorẽ naturæ inſtituentem operationis eſſentiã: dum ab vnionis obiecti cum potentia operationem inſtituit. Et ita non datur locus fundamento Suarij, qui ſolùm aduertit ad influxum in operantem, non verò in auctorem operis. Hac ſuppoſita philoſophia euidenter cõſtat operationes vitæ contẽplatiuæ ex ſua natura habere finem, in quem, ſi non ab operante, tamen ab Auctore naturæ referantur. Quod ſicut ſatis eſt, vt ſimpliciter non dicantur eſſe ſui gratia: ita ſatis eſſe debet, vt in illis non ponatur beatitudo obiectiua: hæc enim poni non poteſt, niſi in bono, quod ex ſe non alterius ſit gratia, ſed tantùm ſui.

6 Obiectio ex Ariſt. Si quis obijciat operationes vitę cõtemplatiuæ ex ſententia Ariſtotelis, cũ multis in locis; tum maximè 10. Ethic. c. 7. & 8. non eſſe gratia alterius, ſed ſui tantum. Reſpondendum eſt primò, doctrinam Ariſtotelis intelligendam eſſe in ordine ad operantem: á quo ipſum ſcire non quæritur gratia alterius, ſed tantum ſui, ex Ariſtot. primo Metaphy. c. 1: hoc autem nõ impedire, quominus ipſæ ſpeculatiuæ operationes habeant finem, qui dicitur operis, in ordine ad inſtitutorẽ naturæ, qui opus ipſũ, quod operans gratia ſui appetit, appetijt gratia alterius. Reſpondendum eſt ſecundò, ex eo, quod operationes ſpeculatiuę ab Autore naturæ inſtitutæ ſunt propter obiectum cognoſcendum, inferri in ordine ad operantem idem eſſe operationes ſpeculatiuas eſſe ſui tantum gratia, atque eſſe ſolùm gratia cognoſcendi obiectum: nam, cum cognitio ex ſua natura ſit alicuius obiecti cognitio; idẽ erit appetere cognitionem obiecti, & appetere obiectum cognitum: nam ex vtroque conſtituitur vnum integrũ obiectum, quod ab operante quæritur, nõ gratia alterius, ſed ſolùm gratia ſui: nã, qui ſpeculatur aliquam veritatem ſolũ quærit obiectum à ſe cognoſci gratia ſolius cognitionis, vt eſt cognitio obiecti.

Reſpondetur primo. Reſpõdetur 2.

7 D. Thom. Hoc loco poſſet expendi demonſtratio, qua D. Thomas in 4. diſtinction. 49. q. 1. ar. 1. quæſtiuncula 2. nititur oſtendere nullum actum voluntatis eſſe poſſe vltimum finem, nec beatitudinem obiectiuam: ſed quia illa demonſtratio longiorem poſtulat explicationem; non eſt quod circa id immoremur: nam ad cõfirmationem propoſitæ concluſionis ſatis ſunt, quæ adduximus.

8 Solutio rationis dubitandi. Ratio dubitandi cum ſumatur ex auctoritatibus Ariſtotelis, qui beatitudinem ſupernaturalem non agnouit, ſolum habet locum in beatitudine naturali. Et cum hæc ſit duplex, vna vitæ contemplatiuæ: altera vitæ actiuæ: dubitatio etiam locum non habet in beatitudine vitę contemplatiuę, ſed in beatitudine vitę actiuæ, de qua ſola agit in citatis locis. Nec reputo abſurdum, ſi beatitudinem obiectiuam huius vitę in operationibus animi collocemus; nimirum in operando ſecundum virtutẽ moralem: nam ſuperior reſolutio intelligenda eſt de beatitudine, quæ propriè eſt beatitudo; qualis non eſt beatitudo vitæ actiuæ: cum illius operationes non ſint per ſe expetibiles, ſed propter alium finem, vt cum Ariſtotele iam oſtendimus.

Nec

9 Nec esset absurdum negare beatitudinem vitæ actiuæ ad essentiam beatitudinis naturalis pertinere, etiam vt partē illius: vt lib. 4. q. 14. ar. 4. ostendemus contra Fonsecā, & nōnullos alios: fatetur enim Arist. in d. c. 8. tex. 30. eum, qui verè, & essentialiter est felix, habere felicitatem separatā ab ijs, quæ humana sunt, & spectāt ad hominē, quatenus est ex corpore cōpositus. Vnde vt talis est, nō indiget felicitate vitę actiuę, quę simpliciter nō est felicitas, sed felicitas talis, hoc est humana: qua homo solū indiget, quatenus est homo cōpositus ex affectibus, & passionibus, & viuit socialiter cū alijs: nam vt sic expetit ea agere, quæ à virtutibus moralibus proficiscūtur: nimirū viuere secundū virtutē moralem: nō præcise ratione ipsius operationis; sed ne pars irrationalis, & inferior prohibeat rationalē, & superiorē suam exercere actionē, in qua essentialis, & vera beatitudo ponitur, vt elegāter explicauit Arist. lib. 2. magn. Moral. c. 10: cuius verba libet hic trāscribere: inquirens enim, quid nā sit agere ex recta ratione secūdum virtutes morales, & vbi sit posita recta ratio, ita scribit: *Est nimirum ex recta ratione agere; cum animæ pars irrationalis non prohibuerit rationalem suā exercere actionem, tum demum ex recta ratione erit actio. Quoniam animæ partem, vnā quidem deteriorem habemus, alteram meliorem: semper deteriorem melioris causa obtinemus. Sicut in corpore, & anima, corpus animæ caussa habere dicimur, cum ita habuerit ne præpediat; sed ita coniungatur, & consurgat ad animæ opus perficiendū: quandoquidē deterius melioris est caussa; ita vt sē cū meliore exerceat. Cum igitur affectus menti non inhibuerit suū opus exercere; an nō tum ex recta ratione fuerit? ita prope modum.* Quæ verba digna sunt & homine, & memoria christiana: & quod ad institutū attinet, ex illis patet apud Aristotel. qui essētialiter est felix, indigere felicitate humana. i. felicitate posita in actione secundū virtutē; non vt essentialiter perficiatur; sed ne à sua actione præpediatur agēdo cōtra virtutem, vel circa suos affect⁹ proprios, vel circa suos cōciues. Et ad huuc sensū intelligēdus est, cum in d. c. 8. decimi Ethic. asserit felicē appetere ea agere, quæ sunt à virtute, hoc ipso, quo homo est, & cū alijs viuit: inde enim, si recta nō egerit, præpediri potest à sua felicitate separata, quæ in operatione mentis est posita. Quare felix ex mēte Arist. eo modo indiget operatione secundum virtutē (quæ dicitur humana felicitas) quo indiget bonis externis, & sanitate corporis, ne sc. à sua perfectissima operatione impediatur, vt satis colliges ex Aristotele in d. c. 8. tex. 31. Hęc est optima huius difficultatis solutio.

Aristot. *Arist.* *Arist.* *Arist.* *Arist.*

ARTICVLVS V.

Vtrum beatitudo obiectiua ponenda sit in voluptate animi?

1 Hæc quæstio excitatur ꝓpter eos, qui volunt Epicurum, dum beatitudinē posuit in voluptate, egisse de voluptate animi: ita Epicurū explicauit Cicero 2. de finibus bonorū, & malorū, & Seneca in lib. de beata vita c. 13. & Lactantius lib. 3. de vera philosophia c. 7. & 8. & quanuis Arist. hanc sententiā nō probet; argumēta tū, quæ cōtra eam obijciebantur, soluit 7. Ethic. c. 11. & 12.

Epicuri sententia vt explicaturà Cicerone, Lactātio, & Seneca.

Arist.

Non esse tamen admittendā euidenter demonstrat ratio adducta à D. Thoma art. 6. huius secundę quæstionis, quā nos adduximus in q. præced. ar. 4. §. 2. Vbi vide solutionem argumentorum, quibus illa nitebatur.

Reijcitur ratio D. Tho.

QVÆSTIO V.

Vtrùm beatitudo obiectiua posita sit in aliquo bono creato?

Exponitur ordo procedendi.

BONA, quæ hominem perficiūt (quod ad præsens attinet institutū) sunt in duplici differentia: quædam enim illum perficiūt per realē inexistentiā in eo: alia illum perficiunt solùm obiectiuè, quatenus sc. sunt ab eo cognita, & amata: etenim obiectum intellectus est forma perficiens intellectū vt dicitur in 3. de anima: idem dices de obiecto cuiuscunq; potentię cognitiuę, vel appetitiuæ. Prioris generis sunt bona, tum corporis, tū animæ, quæ intrinsece sunt in homine, vel ratione corporis, vel ratione animæ: & præterea bona omnia, quæ appellantur bona fortunæ. Posterioris generis sunt omnia entia, tam sensibilia, quàm intelligibilia, quatenus cadunt sub speculationem intellectus, & sub amorem voluntatis.

D.Thom. Hucusque egimus cum D.Tho. in hac 2.q. de bonis prioris generis: & in nullo eorũ beatitudinẽ obiectiuã collocauimus. Reliqua erant bona posterioris generis: nã cũ illa perficiãt hominẽ, vt obiecta cognita, & amata, dubitari poterat, an in illis beatitudo obiectiua sit collocãda? & cũ horum bonorũ quædã sint creata, quædã increata, vt Deus: de vtrisq; inquirendũ erit; vt tandẽ cõcludamus, in quonã eorũ beatitudo obiectiua collocari debeat, & in hac quæst. inquirem⁹ de bonis creatis, vt tãdẽ totã disputationẽ in sequenti q. cõcludamus. Et quãuis D.Tho. vtrãq; quęstionẽ vnico articulo vltimo cõplexus fuerit; vt tũ omnia distincti⁹ explicẽtur; vtrãq; sub distinctis quęstionib⁹ explicabimus.

Cũ verò inter bona creata, quæ obiectiue nos possunt perficere, reperiãtur entia sẽsibilia, de quibus agunt scientiæ speculatiuę: intelligibilia, quę metaphysicæ sũt cõsiderationis: & totũ ipsũ vniuersum ex vtrisq; cõpositũ: & in singulis his bonis specialis ratio dubitãdi reperiatur; de singulis, singulos ponemus articulos, & quarto loco generaliter inquiremus, an demonstrari possit beatitudinem nostram obiectiuam in nulla creatura posse consistere?

ARTICVLVS I.

An beatitudo obiectiua consistat in rebus sensibilibus, vt sub nostram cadunt speculationem, & amorem?

1 CVm res sensibiles, vt sunt quædam obiecta speculabilia, & amabilia, hominẽ perficiãt, quatenus est rationalis; merito inquiri potest, an in illis, quatenus tales sunt, ponatur nostra
D.Thom. beatitudo obiectiua. Hãc quęstionẽ D. Tho. inferius q. 3. ar. 6. excitauit de beatitudine formali, inquirẽs, an illa posita sit in cõsideratione scientiarũ speculatiuarũ, quæ sensibilia speculãtur. Accõmodatius id ipsũ inquiri potest de beatitudine obiectiua, de qua agit D. Tho.
D.Thom. in hac quæstione 2. nam ex resolutione huius articuli sumit argumẽtum, vt neget beatitudinem formalem positam esse in speculatione rerum sensibilium.

2 Pars affirmatiua pro batur 1. Pars affirmatiua huius quęstionis primũ confirmatur, quoniã in eo bono ponẽda est beatitudo obiectiua, cuius cognitio est beatitudo formalis. Sed Arist. formalem beatitudinem nostrã posuit in cognitione scientiarũ speculatiuarũ i. scientiarũ, quæ sensibilia speculantur. Ergo in ipsis sensibilibus, prout sunt quędã obiecta speculabilia, ponit beatitudo obiectiua. Maior est nota: quia beatitudo formalis est adeptio beatitudinis obiectiuę. Minor autẽ probatur, quoniã Arist. 10. Ethic. c. 7. nostram formalem felicitatẽ posuit in operatione secundum virtutem perfectam: docetq; ibi, & c. 8. sequenti virtutem speculatiuã esse virtutem perfectã, in cuius operatione ponitur felicitas; virtutes autẽ speculatiuas in 6. Ethic. c. 3. cum sequẽtibus diuisit in scientiam, sapientiam, & intellectum. Ergo in operatione scientiarum speculatiuarum ponitur nostra formalis beatitudo, quæ fuit minor.
Arist. Arist.

3 Probatur 2. Deinde, beatitudo obiectiua in eo est ponẽda, cuius cognitio per se ipsam ab omnibus desideratur: sed cognitio speculatiua rerum sensibiliũ propter se ipsam desideratur ab omnib⁹. Ergo in rebus sensibilibus, vt sunt obiecta speculabilia, ponitur nostra beatitudo obiectiua. Maior ex eo patet, quia nõ potest cognitio ab omnibus desiderari propter se ipsam, quin, & ipsum cognitionis obiectum propter se ipsum desideretur cognosci. Minor probatur ex Arist. 1. Met. c. 2. dum ait speculatiuas scientias
Arist. propter se ipsas ab omnibus desiderari.

Probatur 3. Tertiò, obiecta sensibilia perficiunt intellectũ, dum eum reducunt de potẽtia ad actum, qui per se desideratur. Ergo in illis ponitur beatitudo obiectiua. Antecedens est notũ. Consequentia patet, quia beatitudo obiectiua ideo dicitur vltima perfectio intellectus, quia eũ obiectiue reducit ad actum, qui per se, & non per aliud desideratur.

4 Resolutio. Dicẽdum est tamen in rebus sensibilibus, etiam quatenus obiecta sunt speculabilia, nullo modo sitam esse vllam beatitudinem obiectiuã. Hanc conclusionem probat D. Thomas artic. vltimo huius secundæ quæstionis, dum generaliter probat beatitudinem obiectiuam
D.Thom. in nulla re creata posse collocari: in ꝓprijs terminis eam statuit inferius q. 3. ar. 6. & 2. 2. q. 167. ar. 1. ad 1. & 3. contra Gẽt. c. 37. vbi etiã Ferrariẽsis. Et est cõ-
Ferrar. clusio non solùm Theologis indubitata in beatitudine supernaturali; sed etiam philo-

philosophis, qui de naturali disputant.

5 Probatur à posteriori. D.Thom. Hęc veritas de beatitudine in cõmuni naturaliter demõstrari potest, tũ à posteriori, tum etiã à priori. A posteriori illã demonstrat D. Tho. 3. contra Gẽt. c. 37. quia beatitudo obiectiua ponitur in obiecto prędstãtissimo, ex Arist. 10. Eth. c. 7. & 8. sensibilia autẽ non sunt obiecta præstantissima, vt constat. A priori verò demonstrari potest ratione sumpta ex parte obiecti beatifici, tũ quatenus est quoddam bonum quietatiuum voluntatis: tum, quatenus est quoddã bonum perfectiuũ intellectus.

Arist.

6 A priori demonstratur 1. ex D.Th. Primo modo eã demonstrat D. Thomas in vltimo articulo huius quęstionis secundæ: constat enim beatitudinẽ obiectiuam esse quoddã bonum, quod ratione suæ ꝓpriæ bonitatis totaliter cõplet, & quietat voluntatem nostrã: vel quatenus est appetitus obedientalis, si fuerit supnaturalis beatitudo: vel quatenus est appetitus naturalis, si beatitudo fuerit naturalis. At voluntas quoad vtrunque appetitum totaliter quietari non potest in aliquo bono creato. Ergo cum res sensibilis sit quoddam bonum creatũ, non potest in ea collocari beatitudo nostra obiectiua, siue supernaturalis sit, siue naturalis. De cuius demõstrationis efficacia pluribus agendum est in vltimo articulo.

7 Secundò. Secũdo modo demonstrari potest ratione sumpta ex parte obiecti beatifici, quatenus est quoddam verum perfectiuũ intellectus. Nã beatitudo obiectiua ratione sui, & nõ secundũ participationem alterius veritatis est vltima intellectus perfectio, vel simpliciter, si beatitudo fuerit supernaturalis; vel naturalis; si beatitudo naturalis fuerit. Sensibilia autem non possunt intellectũ nostrum perficere per se, & sui ratione: sed per participationẽ intelligibilis superioris, quã sit homo, quatenus est intellectiu⁹. Ergo in rebus sensibilib⁹, prout sunt quædam obiecta intelligibilia, non potest poni nostra beatitudo. Discurs⁹ est optimus: maior est nota, quia obiectũ beatificum, sicut quietat voluntatẽ per bonitatem propriam, & non participatã; ita propria veritate, & non participata perficit intellectum.

8 Minor tripliciter probatur. Prima ꝓbatio sumitur à D. Thoma interius q. 3. ar. 8. quoniã sensibilia non possunt perficere intellectũ nostrum, nisi quatenus in se habent rationem veri: quia hæc est propria, & formalis ratio obiecti intellectus: cõstat autẽ sensibilia nõ habere veritatẽ, nisi participatã à Deo; cũ entitatẽ nõ habeant, nisi participatam ab eodẽ. Ergo nõ perficiunt intellectũ, nisi prout participant veritatẽ primæ veritatis, & primi intelligibilis, quod ipsum est homine superius. Secunda probatio minoris in philosophia est facillima: quoniã constat sensibilia non esse ex se actu intelligibilia, sed solum potentia: indigentq; virtute superaddita ad mouendũ, & perficiendum intellectũ. Tertia verò minoris ꝓbatio difficilior est, quã affert D. Thomas inferius q. 3. ar. 6. Ex eo, quod sensibilia in essẽdo sunt inferiora homine, quatenus est intellectiuus: sicut enim nõ viuentia secundũ gradũ essẽdi sunt inferiora viuẽtibus, quatenus sunt viuẽtia: ita inter viuẽtia, illa, quæ sũt sensitiua, sunt inferiora intellectiuis, vt cõstat: & inter intellectiua, quę sunt intellectualia sunt superiora intellectiuis rationalibus: & intellectuale increatũ superius est in gradu essendi intellectuali creato. Ex hoc medio ita potest cõfici demõstratio ex ijs, quæ scribit D. Tho. in d. ar. 6. Nullũ perfectibile potest perfici ab inferiori secundũ perfectionẽ sibi propriã, nisi quaten⁹ in ipso inferiori est aliqua participatio naturæ superioris, quã sit ipsum perfectibile. Sed sẽsibilia sunt in essẽdo inferiora homine, quatenus est intellectiu⁹. Ergo nõ possũt perficere hominis intellectũ, nisi in ipsis detur participatio alicuius naturæ, quæ sit ipso humano intellectu superior. Ex quo infertur sensibilia non perficere humanum intellectum virtute sibi essentialiter propria, sed virtute ab aliquo superiore participata. Quę fuit minor superioris discursus.

D.Thom.

D.Thom.

Cõstituitur demonstratio ex Diuo Thoma.

§. 1.

Expenditur præcedens demonstratio.

9 Duplex dubitatio. IN hac Diui Thomæ demonstratione primum videtur dubia illa maxima, quæ in maiore proponitur. Deinde non explicatur, in quonam sit posita participatio naturæ, quæ est homine superior, secundum quam sensibilia possunt perficere intellectum homi-

Ratio dubitandi ꝑ posteriori.

nis. Hæc posterior dubitatio patet: nec enim facilè apparet, in quonam posita sit illa participatio superioris naturæ. Quod verò attinet ad priorem dubitationem, maxima illa plures patitur instantias, quas afferunt Caietanus, & Medina in d. ar. 6. Nam ignis in essendo est inferior homine: quem tamen perficit absque vlla virtute participata ab aliqua natura, quæ sit homine superior. Deinde accidentia perficiunt substantiam absque vlla participatione superioris naturæ: & tamen inferiora sunt, quam substantia. Tertiò, sensibile est inferius in essendo, quam sensus: & tamen illum perficit virtute propria, & nõ participata à natura superiore, quã sit sensitiua. Quartò, quoniam sensibilia perficiunt intellectum angeli, à quo cognoscuntur; anima item rationalis eum perficit: quæ sunt in essendo ordinis inferioris ad angelum: & tamen illũ non perficiunt per aliquam virtutem participatam à natura, quæ angelo sit superior: nec enim apparet, quænam sit hæc participatio.

Prima instãtia pro priori dubitãdi ratione. *Caietanus. Medina.*

Secunda instantia.

Tertia.

Quarta.

10 *Medina.*

Nonnulli teste Medina his difficultatibus succumbunt, putantque rationem D. Thomæ parum habere efficaciæ: nec multum renuit Medina, si bene expendatur. Caietanus tamen putat rationẽ esse solidam, si maxima ita explicetur: vt ab inferiori nihil possit simpliciter perfici, absque participatione naturæ, quæ superior sit ipso perfectibili: bene tamen perfici posse secundum quid: substantiam autem ab accidentibus, & hominem ab igne perfici non simpliciter, sed secundum quid: cum tamen intellectus à sensibili non secundum quid, sed simpliciter perficiatur: perficitur enim tanquam à forma, veluti substantiali, vt docet Auerroes in lib. 3. de anima. Quæ solutio est satis ingeniosa, & subtilis, si aduertas illam dici perfectionem simpliciter alicuius perfectibilis, quæ in suo genere est prima: iam verò in genere intelligibili prima intellectus humani perfectio est actus intelligendi, ad quem intellectus noster reducitur ab obiecto intelligibili, tanquam à forma substantiali, quia ab ea simpliciter reponitur in actu essendi: secũda verò perfectio, & secũdum quid est à formis accidentarijs: ita etiam in genere intelligibili intellectus simpliciter perficitur ab obiecto intelligibili; quia ab eo reducitur ad primam perfectionem, quæ est simplex apprehẽsio. Et ita patet inutilem esse instantiam, quæ sumitur ab acccidentibus perficientibus substantiam, & ab igne calefaciente hominem.

Primę dubitationis explicatio ex sententia Caietani.

Facilius, & verius difficultatem explicabis, si maximam illam explices de inferiori, quod est per se, & simpliciter inferius. Iamverò sola illa dicuntur per se, & simpliciter inferiora in genere perficientium, & perfectiuorũ; quæ quoad gradus essendi sunt per se inferiora: & ad hunc sensum non viuentia sunt per se inferiora viuentibus: sensitiua intellectiuis: rationalia intellectualibus: & inter hæc creata increato intellectuali. In quo sensu si explicetur maxima, inutiles sunt instantiæ allatæ.

11 Alia explicatio eiusdẽ difficultatis

Nam, quæ sumitur ab igne calefaciẽte hominem, supponit ignem, vt calefactiuus est, esse inferioris ordinis, quam sit homo, vt est calefactibilis: quod est falsum: quia homo est talis, prout est corporeus; ignis igitur tunc dicetur ordinis inferioris respectu hominis, cum comparatur ad illum, vel vt sensitiuus est, vel, vt est intellectiuus, & secundum hanc considerationem ignis non potest hominem, vel quoad sensum, vel quoad intellectum perficere, nisi per virtutem participatam à natura superiori, quam sit vel natura sensitiua hominis, vel natura intellectiua, vt habet maxima.

12 Soluitur prima instãtia.

Instantia etiam sumpta ab accidẽtibus perficientibꝫ substantiã est inutilis: tũ, quia hoc loco non est sermo de perficientibus, vt quo, sed de perficientibꝫ, vt quod. tum etiã, quia agentia, quæ accidẽtaliter perficiũt substatiã, nõ sunt vnius generis, nam quædã possunt illam perficere pręcise, vt est corporea: alia, vt est sensitiua, alia deniq; prout est intellectiua: & secundũ hãc cõsiderationẽ iudicãdũ est, an sint eiusdẽ, an inferioris ordinis: ignis enim (idẽ dicito de cæteris agẽtibus in substantiã corporeã) si perficit substantiã secũdũ gradũ essẽdi corporis, est eiusdẽ ordinis cũ illa, quãtũuis illa aliàs sẽsitiua sit, vt est in brutis siue intellectiua, vt est in homine. Sinverò ꝑficit eã, vel vt est sẽsitiua, quatenus est obiectũ sẽsibile: velvt est intellectiua quatenꝰ est intelligibile quoddã; est ordinis

13 Soluitur 2.

dinis inferioris, vnde non potest illam perficere sine participatione superioris naturę, vt habet maxima D. Thomæ.

14 Solutio 3. Tertia instantia, quę sumitur ex sensibili in ordine ad sensum, pro nobis facit: quoniam sensibile, cum sensum moueat, quatenus est non viuens (mouet enim illum, quatenus est coloratum & ideo secundum gradum essendi corporeum) vere est inferioris ordinis: & ideo sensum non perficit, nisi quatenus in eo est aliqua participatio substantię immaterialis, quę est superior, quam natura sensitiua: ratione cuius participationis, habet, quod sit productiuum specierum sine materia, & quod moueat sensum non motum à sensu: vtrunque autem est conditio agentis immaterialis, vt bene aduertit Caietanus.

15 Soluitur 4. instantia. Quarta etiã instantia non habet vim apud doctrinam D. Thomæ, qui putat angelos habere species omnium rerum sibi inditas; nec eas accipere posse à rebus. Iuxta quam doctrinam negandum est sensibilia perficere intellectum Angeli, vt instantia falso supponit: quia nõ aliter perficere possunt intellectum angeli, quam immittendo in illũ species intelligibiles, quibus fiat in actu primo ad intelligendum. Quin potius nec vim habet, si dicas angelos accipere species a rebus, nam cum simul debeas admittere in angelis intellectum agentem illuminantem, & eleuantem ipsa sensibilia, vt species spirituales producant, in illis concedas, necesse est, participationem naturæ superioris, quam sit natura ãgelica, ratione cuius possunt angelum intelligibiliter pficere. Similiter dicendũ est de anima separata: hæc enim iuxta sententiam D. Thomæ cum species in angelum non immittat; non potest dici angelum perficere: vnde ad intellectionem angeli non concurrit effectiue, sed solùm obiectiue. Apud aliorum sententiam anima ipsa in virtute quadam participata angelum perficit: quatenus ab intellectu agente angeli eleuatur; non quidem ad eliciendum species spirituales, sicut eleuatur sensibile: sed ad procendum species abstractiores, & puriores, quam sint species, quas anima elicit ad suas intellectiones.

D. Thom.

16 Explicatio 2. dubitationis. Ad secundam dubitationem dicendũ est participationem naturæ superioris in hoc esse positam, quod inferius non potest perficere superius in essendo perfectibile, nisi per coniunctionem ad aliquam virtutẽ simulem virtuti, quæ per se est perfectiua illius perfectibilis: quæ virtus non potest conuenire, nisi naturę superiori, quam sit ipsum perfectbile. Pro quo aduertendum est intellectum perfici nõ posse nisi ab obiecto, quod sit actu intelligibile; non solùm vt terminet intellectionem sui, sed etiam vt moueat intellectum constituendo eum in actu primo intelligendi. Iam verò non quodlibet obiectum intelligibile per se est tale, vt virtute sibi propria possit intellectum constituere in actu primo: sed illud solum, quod per se est actus purus abstractus, tum ab omni materia, tum ab omni potentialitate: talis autem est solus Deus. Vnde solus Deus per se, & virtute propria potest intellectum perficere, & constituere in actu primo ad intelligendum: alia autem obiecta, siue illa sensibilia sint siue intelligibilia, non possunt intellectum alterius perficere, nisi per virtutem participam à Deo. Et quidem de obiectis sensibilibus res est clara: quoniam illa sunt solum intelligibilia in potentia, fiunt verò actu intelligibilia cum eleuantur lumine intellectus agentis, vt sint productiua specierũ intelligibilium. Intelligentiæ porro vel non perficiunt obiectiue alias intelligẽtias constituendo eas in actu primo; si non accipiunt species à rebus, vt vult D. Thomas: vel si eas accipiunt ab alijs intelligentijs, ita vt ab illis constituantur in actu primo, quæ est opinio Scoti: vtique eas non perficiunt, nisi quatenus habent actualem veritatem entis; quam tamen non habent ex se, sed à Deo participatam. Quare solus Deus virtute, & intelligibilitate sibi essentiali potest intellectum alterius perficere, eumq; constituere in actu primo intelligendi.

D. Thom.

Hoc supposito iam facile explicari potest, & intelligi, in quonã sit posita participatio naturę supetioris. Etenim inferi' participare virtutẽ à natura superiori, qua intellectum sibi superiorem possit perficere, non est aliud, quam ipsum inferius, vel habere aliquam virtutem similem virtuti naturæ superioris: vel coniungi eleuarique per aliquam virtutem similem seperiori virtuti. Verbi

gratia sensibile perficere intellectũ humanum virtute participata à natura, quæ superior sit intellectu humano; non est aliud, qnam sensibile perficere humanum intellectum per virtutem luminis intellectus agentis, quo fit actu intelligibile, & potens ad eliciendum speciem, qua perficiat intellectum. Lumen autẽ intellectus agentis est virtus quædam participata ab intelligibilitate diuina, illiq́ue similis. Simili modo idem sensibile (quod in essendo est inferius sensu) perficere sensum in virtute participata à substantia immateriali, non est aliud, quàm sensibile coniungi lumini solis, vel alterius luminosi, cuius virtute eleuatur, vt possit, & medium, & sensum non materialiter, sed intentionaliter afficere per formas intentionales abstrahentes à materia: quæ luminis virtus in hoc est similis lumini substantię immaterialis, quia aliquo modo abstrahit à materia, dum sensum, & mediũ non realiter informat, sed solùm intentionaliter, & ita explicata sit secunda dubitatio, & demonstratio, qua vtitur D. Thomas.

§. 2.

Id ipsum specialiter demonstratur de singulis beatitudinibus.

18 Institutum probatur in beatitudine supernaturali.

RAtiones, quæ sunt adductæ, generales sunt, specialiter de singulis beatitudinibus id ipsum ostenditur: & de beatitudine supernaturali, tã patriæ, quàm viæ conclusio est nota de fide: fides enim beatitudinem supernaturalem solùm collocat in Deo, prout est obiectum supernaturaliter perficiẽs intellectum: in patria quidem, prout se se videndum obijcit, sicut est: in via autem; prout se cognoscendum proponit lumine fidei: quod Hieremiæ 9. expresse declaratur in illis verbis: *non glorietur sapiens in sapientia sua: sed in hoc glorietur, qui gloriatur scire, & nosse.* Quæ verba esse intelligenda de sapientia scientiarũ speculatiuarũ patet ex D. Thoma inferiùs q. 3. ar. 6. in argumento sed contra. Non est igitur christiano gloriandum de sẽsibilibus cognitis lumine naturali, sed de Deo cognito lumine supernaturali, & reuelato: iuxta illud Pauli 2. Corinth. 10: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Expressius id declarauit Paulus 1. Corint. 1. dum probat, quomodo Deus per stultitiam crucis Christi stultam fecit mũdi sapientiam, vt ostenderet veram beatitudinem non esse in illa positam, ita enim ait: *Scriptum est enim, perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor huius seculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi.* Vide ibi multa cõtra scientias speculatiuas philosophorum, qui de sua scientia gloriantes verã sapientiam nõ agnouerunt, nec beatitudinem assecuti sunt. Videnda sunt multa, quę ex Ecclesiast. c. 1. 2. 3. 6. & 8. in hanc sententiam scribit Medina inferius q. 3. ar. 6. vbi videbis optimum locum ex c. 3. Baruch.

Hieremias *D. Thom.* *2. ad Cor.* *1. ad Cori.* *Ecclesiast.* *Medina.* *Baruch.*

19 Probaturcõ clusio in beatitudine supernaturali *Aristot.*

Quod verò attinet ad beatitudinem naturalem, est etiam indubitatum apud philosophos, eam non esse positã in speculatione rerum sensibilium. Aristotel. enim 10. Ethic. c. 7. text. 29. felicitatem ponit in speculatione, non quarumcũq́; rerum, sed earum, quæ diuinæ sunt: ideo enim formalem beatitudinem ponit in operatione mẽtis non practica, sed speculatiua; quia mens ipsa, & in homine est quid præstãtissimum, & animaduersionem habet de rebus diuinis: ob quã rationem ibi c. 8. tex. 30. felicitatẽ, quæ est in mente, appellat separatam; quia scilicet est de rebus separatis, abstractisq́ue à sensibilibus, quæ omnium cognoscibiliũ sunt præstantissima. Ex quibus sic possumus argumentari: beatitudo naturalis obiectiua poni non potest, nisi in obiecto præstantissimo, in quo omnes conueniunt. Sensibilia autem, vt constat; non sunt obiecta præstantissima. Faciunt in huius cnnfirmationem ea, quæ de speculatione sensibilium in sequenti libr. dicemus.

§. 3.

Soluuntur argumenta.

20 Responsio ad primum

QVę initio in contrarium adduximus, facilè explicantur. Ad primum respõdetur, argumentum nihil facere contra beatitudinem obiectiuam supernaturalem, vel patriæ, vel viæ: hanc enim non nouit Aristoteles, à quo argumentum sumitur. Sed nec aliquid probat cõtra beatitudinem naturalem: quoniam Arist. eam non posuit nisi

nisi in cognitione sapientiæ, quæ versatur circa res diuinas omnium præstantissimas, prout distinguitur à scientia, quæ versatur circa sensibilia. Quare ad argumentum neganda est minor. Ad probationem negãdum est sapientiam pertinere ad scientias speculatiuas, vt de illis agimus, prout sc. versantur circa sensibilia: sapientia enim versatur circa res diuinas abstractas à materia.

Responsio ad 2. cũ D. Thom.

Ad secundum respondetur ex mente D. Thomæ inferius q. 3. ar. 6. ad 2. maiorem, vt vera sit, ita esse explicandam: vt beatitudo obiectiua in eo ponatur, cuius cognitio per se ipsam, & propter se ipsam ab omnibus desideratur, tanquã vltimus finis: in quo sensu minor est falsa: quoniam licet cognitio speculatiua rerum sensibilium desideretur propter se ipsam, non tamẽ desideratur, tanquã vltimus finis: quia appetitur propter veram beatitudinem, quæ posita est in cognitione Dei, vt inferius dicemus.

Responsio D. Tho. ad tertium.

Ad tertium D. Thomas in d. art. 6. ad 3. negat antecedens, si sermo sit de actu, qui vltimate, & tanquam omnium præstãtissimus desideratur: nam etsi omnia sensibilia perficiunt intellectum, eumq; reducunt ad actum per se desideratum; non tamen eum reducunt ad actum omnium præstantissimum, & qui desideretur, vt vltimus finis intellectui naturaliter debitus: ad hunc enim actum reducitur intellectus ab obiecto prestantissimo.

ARTICVLVS II.

Vtrum Angeli, vt cogniti à nobis, sint nostra beatitudo obiectiua?

1

CVM substantiæ separatę, quas vocamus angelos, sint quædam obiecta prestãtissima obiectiue perficientia nostrum intellectum; merito inquiri potest, an in illis, prout per cognitionem, & amorem nobis coniunguntur; consistat nostra beatitudo obiectiua? Quam quæstionem tetigit D. Thom. in hac 2. q. ar. vlt. ad primum, & expressius inferius q. 3. ar. 7. & 3. contra Gentes c. 44. & quanuis in vtroque loco hãc quæstionem excitet de beatitudine formali; accommodatius illam excitamus hoc loco de beatitudine obiectiua: inde enim pendet, an cognitio angelorum sit beatitudo formalis?

D. Thom.

§. 1.

Refertur pars affirmans.

2

PRo parte affirmante hæc possunt afferri argumenta. Primũ est; quoniam illud bonum, quod summè perficit hominem, est beatitudo obiectiua hominis. Sed natura angelica est bonum summum, quo homo perfici potest. Ergo angelorum natura est beatitudo obiectiua hominis. Maior est nota. Minor probatur ex doctrina D. Dionysij c. 4. de diuinis nominibus, vbi docet diuinam sapientiam coniungere fines primorum principijs secundorum: ex quo omnes colligunt docere Magnũ Dionysium, quod summũ inferioris naturæ sit attingere infimum naturæ superioris: ita vt natura inferior, tunc sit summe perfecta, cum coniungitur infimo naturæ superioris. Et cum homo sit supremum ordinis inferioris corporei; superioris autem & spiritualis ordinis infimum sit natura angelica: vtique natura angelica erit summum bonũ, quo homo perfici potest, quæ fuit minor. Ex qua infertur in natura angelica sitam esse beatitudinem obiectiuam hominis.

Primum argumentum pro parte affirmatiua.

D. Dionys.

Secundò, beatitudo hominis in hoc est posita, quod interfit festis angelorũ, vt docet D. Gregorius Homil. 26. in Euangelia, dum ait: *nihil prodest interesse festis hominum, si non contingat interesse festis angelorum*. Interfumus autem angelorum festis per eorum cõtemplationem. Ergo in ipsis angelis visis ponitur nostra obiectiua beatitudo.

Secundum. D. Gregor.

Tertiò, Vltima perfectio vniuscuiusque rei est, vt coniungatur suo principio: nam & circulus dicitur esse figura perfecta, quia habet idem principium, & finem, sed principium cognitionis humanæ est ab angelis: per eos enim homines illuminantur, ex Dionysio c. 4. de cœlesti Hierarchia. Ergo vltima perfectio hominis erit posita in contemplatione angelorum, tanquam in obiecto, à quo perficitur, & beatur.

Tertium.

Dionys.

Postremò: maiorem proportionem habet natura angelica cũ humana, quã habeat Deus: maiorem enim habet cũ ea similitudinem, & propinquitatem.

Vltimum.

Ergo

Ergo ipsa natura angelica potius erit obiectũ nostræ beatitudinis, quã Deus.

§. 2.

Resoluitur Quæstio.

3 IN hac quæstione nulla fuit controuersia inter Christianos philosophos de beatitudine supernaturali, aut patriæ, aut viæ: fuit tamen dubitatio inter antiquos de beatitudine naturali. Quidam teste D. Thoma 3. contra Gentes c. 41. & 44. beatitudinem naturalem etiã huius vitæ posuerũt in cognitione substantiarum separatarum: quam opinionem D. Thomas videtur tribuere Auẽpaci, Alexandro, & Auerroi. Eam esse consentaneam illis, qui posuerunt animas humanas esse creatas ab angelis, asserit D. Thomas inferius q. 3. ar. 7. ad 2. Quin potius Can' lib. 9. de locis Theologicis cap. 9. putat Aristotelem in hac fuisse opinione, eam enumerans inter errores Aristotelis.

D. Thom. *Auempac.* *Alexand.* *Auerr.* *D. Thom.*

Pro resolutione totius quæstionis sit prima conclusio: nulla beatitudo siue naturalis, siue supernaturalis, perfecta, vel imperfecta, quauis sit quidditatiua & clara, potest consistere in cognitione intelligentiarum, quam angelos appellamus. Hæc conclusio generaliter ostenditur: quoniã sicut beatitudo formalis poni non potest, nisi in præstantissima hominis operatione: ita obiectiua collocari non potest, nisi in præstantissimo obiecto, vt sæpe inculcauimus ex Aristotele 10. Ethic. c. 4. 7. & 8. Angeli autem non sunt obiecta præstãtissima; cum sint entia creata, quod etiam ex lumine naturali notissimũ supponimus.

Prima conclusio. Generaliter probatur. *Arist.*

4 Deinde demonstrari potest à priori ratione, qua vtitur D. Thomas in hac q. 2. ar. vlt. sumpta à ratione obiecti beatifici, quatenus est quoddã bonum quietatiuum voluntatis: constat enim obiectum beatificum esse bonum ex se totaliter quietatiuum, & completiuum volũtatis: vel simpliciter; si beatitudo fuerit supernaturalis, & perfecta: vel quatenus est appetitus naturalis; si beatitudo naturalis fuerit. Voluntas autem nec simpliciter, nec naturaliter potest totaliter quietari in aliquo bono creato, vt in vltimo artic. huius quæstionis ostendendum est. Ergo cum angeli sint bona quædam creata, non possunt totaliter complere, atque quietare voluntatem. De hac ratione plura in vlt. art.

Probatur à priori ratione D. Tho.

Tertiò, potest demonstrari etiam à priori sumpto argumẽto à ratione obiecti beatifici, quatenus est quoddã verum perfectiuum intellectus, qua vtitur D. Thomas inferius q. 3. art. 7. & 2. 2. q. 167. ar. 1. ad 1: quoniam beatitudo obiectiua per se, & ratione suæ propriæ veritatis est vltima intellect' perfectio: vel simpliciter; si beatitudo fuerit supernaturalis: vel naturalis; si beatitudo talis fuerit. Sed angeli ratione suæ veritatis non possunt esse vltima perfectio intellectus: quia habent veritatem non essentialem sibi, sed participatam à veritate diuina. Ergo non possunt esse nostra beatitudo obiectiua. De qua etiam ratione plura dicenda sunt inferiùs artic. vltim.

5 Alia ratio à priori. *D. Thom.*

Secunda conclusio: beatitudo obiectiua supernaturalis tam patriæ, quàm viæ non est posita in substantijs separatis, siue angelis. Hæc conclusio est de fide: hæc enim docet nostram obiectiuã beatitudinem in solo Deo esse positam, vt in sequenti quæstione ostendemus. Pro confirmatione satis modò sit illud Pauli 2. Corint. 10. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Illud item Ieremiæ 9. *non glorietur sapiens in sapientia sua: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nosse me.* Quæ verba optime possunt accõmodari cognitioni, quæ habetur de intelligentijs: hæc enim nomine sapientiæ maximè significatur. Et supposita reuelatione beatitudinis patriæ, atque viæ, naturaliter demõstrari potest eam in angelis quidditatiuè cognitis, imò, & clare visis, minime posse consistere: nam obiectum supernaturaliter beatificum est obiectũ cognitum secundum veritates ordinis supernaturalis, quæ omnem naturalem cognitionem superant. At in angelis nihil est, quod naturaliter cognosci non possit, vel à nobis, vel ab animabus separatis, vel denique ab alijs angelis. Non igitur possunt esse obiectum beatitudinis supernaturalis.

6 2. Conclus. Probatur ex 2. ad Corin. ex loco itẽ Hieremiæ. Ostenditur ratione naturali.

Tertia conclusio: nec beatitudo naturalis, si de facto daretur, collocari posset in substantijs separatis, quas angelos vocamus. Quod dicimus, vt primã intelli-

7 Tertia conclusio.

intelligentiam ab hac conclusione excludamus, quam philosophi agnouerũt, vocaruntque primam substantiam increatam, & Deum. Hęc conclusio, quanuis in his terminis proponi non soleat, est tamen omnium consensu recepta.

Canus. Eam probauit Canus lib. 9. de locis c. 9. pag. 522. Suarius in Metap. disp. 35. sect. 2. & satis expressit D. Thomas 3. contra Gentes c. 44. vbi eam inde probat, quia

D. Thom. Ratio Diui Thomæ. impossibile est nos in hac vita quidditatiue cognoscere substantias separatas, vt ibi latè ostendit, quasi sic argumentetur: nos pro hac vita non possumus substantias separatas quidditatiuè cognoscere. Ergo in illis non potest collocari nostra naturalis beatitudo. Quæ tamen ratio solùm habet vim cõtra philosophos, quos redarguit, qui cognitionem quidditatiuam substãtiarum separatarum nobis in hac vita possibilem existimabant: absolute tamen non habet vim: tum quia, & si pro hac vita quidditatem illarum substantiarũ cognoscere non possimus: anima tamẽ separata posset cognoscere, de cuius naturali felicitate agi oportebat. Tum secundo, quia licet in hac vita illas substantias quidditatiuè nõ cognoscamus; dicerent aduersarij ad beatitudinẽ naturalem satis esse cognitionem, quam de illis ex sensibilibus naturaliter habemus: aliàs nec in Deo naturaliter à nobis cognito poni posset beatitudo nostra naturalis; cum Deum in hac vita quidditatiuè cognoscere nõ valeamus. Quare si ad beatitudinem naturalẽ huius vitæ satis est cognitio Dei, quæ ex sensibilibus haberi potest: similiter dicerẽt aduersarij de cognitione substãtiarum separatarum.

8 *Vera cõclusionis ratio.* Vera igitur ratio sumi debet ex eo, quia substantiæ separatæ quantumuis quidditatiuè, imò etiam intuitiuè cognitæ, nec sunt verum perfectissimũ, nec bonum sũmum: nam cũ sint entia creata, nec habent veritatem, nisi participatam, quæ non potest esse vltima perfectio intellectus: nec habent bonitatem per essentiam, quæ sola est vltimus finis potens voluntatem totaliter quietare. Nec oppositum docuit Aristoteles, sed pro nobis est, vt in sequenti quæstione ostendemus.

(*.)

§. 3.

Soluuntur argumenta.

AD argumenta in contrarium adducta respondendum erit. Ad primum neganda est minor: ad probationem respondetur cum D. Thoma, tum in hac q. 2. ar. vlt. ad 1. tum inferius q. 3. ar. 7. ad 3. Quem vtrobique bene explicat Conradus, doctrinã Magni Dionysij non esse intelligendam de coniunctione obiectiuali, qua aliquid coniungitur alicui, vt obiecto: sed de coniunctione, tum in essendo, tum in modo operandi: vt idem sit coniungi, quod approximari. Sensus igitur propositionis Dionysij est, vt diuina sapientia coniũgat fines. i. suprema primorum. i. inferiorum principijs secundorum. i. superiorũ; quatenus facit, vt suprema creatura ordinis inferioris coniungatur in esse cum infima creatura ordinis superioris: & subinde cum illa coniungatur in operatione: quia scilicet similem cũ illa habeat operandi modum. Ex quo inferunt Theologi ex doctrina Dionysij supremum ordinis inferioris attingere in essendo infimum ordinis superioris: similiter etiam in operãdo, quatenus sc. similem habet cum illo operationem. Cum igitur homo inter corporea sit supremus, attinget in essendo, tũ immaterialitatem angelorum, quia secundum animam est immaterialis: tum etiam operationem; quia sicut angelus intelligibiliter operatur; ita etiam homo, & nõ solùm sensibiliter. Ex qua explicatione iam patet ex doctrina Dionysij minimè colligi summam hominis perfectionem esse obiectiuè perfici ab angelis.

9 *Solutio primi argumẽti.* *D. Thom.* *Conradus.*

Ad secundum D. Thomas infra q. 3. ar. 7. ad 1. admittit beatitudinem supernaturalem hominis in patria ad hunc sensum positam esse in hoc, quod homo præsens sit festis angelorum; quia simul cum illis de Deo viso festum agit: etenim sicut angelorum festum in hoc ponitur, quod de Deo clare viso angeli lętantur; ita homo tunc dicitur interesse angelorum festo; cum simul cum illis de Deo viso diem agit lætissimum. Quare minor est neganda: nec enim dicimur interesse festis angelorum, quando eos videmus, sed quando cum illis videmus Deum:

10 *Solutio secũdi ex D. Th.*

Deum, quæ visio est caussa festiuitatis.

10 Solutio tertij ex D. Th. Ad tertium respondet D. Thomas in d. q. 3. ar. 7. ad 2. maiorem esse veram in hoc sensu, vt vltima perfectio cuiusque rei sit coniungi suo principio, à quo habet esse, & à quo per se illuminatur. In quo sensu minor est falsa: quoniam nec homo habet esse ab angelis, sed à Deo: nec ab illis illuminatur, nisi tanquam à ministris Dei ex D. Thoma 1. p. q. 111. art. 1. Quare in via adiuuant homines, non vt perueniant ad ipsorum conspectum, sed ad conspectum Dei.

D. Thom.

11 Solutio vlti mi argum. Ad postremũ neganda est consequẽtia; quoniam licet angelus habeat maiorem similitudinem, & proportionem in ratione entis: non tamen in ratione boni, & finis; nec item in ratione caussę, & effectus: homo enim non habet esse ab angelo, nec in esse ab eo dependet, sed à Deo, à quo sicut per se dependet, vt à prima caussa: ita etiam ab eo per se pendet, vt ab vltimo fine: in qua dependentia posita est ratio beatitudinis, nõ in similitudine entitatis.

ARTICVLVS III.

An beatitudo obiectiua posita sit in toto vniuerso, ideſt in omnibus bonis creatis simul sumptis?

1 D. Thom. Ratio dubitandi. EXcitatur hęc quæstio propter secundum argumentum D. Thomæ in ar. vlt. huius secundæ quæstionis, quod ita habet: vltimus finis cuiusq; rei ponitur in suo toto, & perfecto: pars enim est propter totum, tanquam propter finem; sed tota vniuersitas creaturarum est quoddam totum, & perfectũ, cuius homo est pars. Ergo tota rerum vniuersitas est vltimus finis, propter quem est homo.

2 Resolutio. Sed non est, cur in his immoremur: constat enim rerum vniuersitatem ex omnibus creaturis constantẽ esse propter Deum, tanquam vltimum finem: *nam vniuersa propter se ipsum creauit Dominus.* Nõ igitur potest esse vltimus finis: licet enim Deus omnia, quæ sunt in vniuerso, fecerit propter vniuersi perfectionem (voluit enim Deus condere vniuersum omnibus numeris perfectissimum) tamen ipsum vniuersum propter se tanquam propter finem vltimum condidit. Itaque vniuersũ suo modo est finis suarum partium: non tamen vltimus.

Solutio rationis dubitandi. Quare si maior argumenti intelligatur de fine simpliciter vltimo, est falsa: sin minus; inepta erit, vt ab ea inferatur beatitudo obiectiua.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum possit demonstrari beatitudinem obiectiuam in nullo bono creato consistere?

IN superioribus quęstionibus specialiter percurrimus singula rerũ creatarum genera: ostendimusque in nullo eorum consistere nostram beatitudinem obiectiuam: nunc inquirimus, vtrum possit naturaliter demonstrari beatitudinem obiectiuam in nullo bono creato consistere? Quam quæstionẽ excitamus, vt diligentiùs expendantur duæ rationes, quas affert D. Thomas. Prima ponitur in ar. vlt. huius quęstionis: secunda inferius q. 3. art. 7.

D. Thom.

Statuitur cõclusio affirmatiua. Quæstioni affirmatiua conclusione satisfacimus. Beatitudinem obiectiuã non consistere in aliquo bono creato euidenter demonstrari potest, non solùm à posteriori, sed etiam à priori demonstratione sumpta ex propria natura obiecti beatifici: tum, quatenus est bonum quietatiuum voluntatis: tum etiam, quatenus est verum perfectiuum intellectus. Priorem demonstrationem expendemus in §. 1. Posteriorem autem in secũdo: in tertio verò demonstrationes à posteriori, & generales afferemus.

Quibus rationibus possit probari.

§. 1.

Expenditur prima demonstratio.

2 D. Tho. ratio. PRimam demonstrationẽ posuit D. Thomas in ar. 7. & vltimo huius secundæ quæstionis: sumitur ex parte obiecti beatifici, quatenus est quoddam bonum totaliter quietatiuum voluntatis. Nam beatitudo obiectiua ex sua natura est bonum, quod voluntatẽ totaliter quietat, & satiat. Sed voluntas in nullo bono creato potest totaliter quietari. Ergo in nullo bono creato ponitur beatitudo obiectiua. Maior huius legitimi discursus est nota: quoniã aliàs beatitudo obiectiua, nec esset bonum omni ex parte perfectum, nec vltimus finis.

finis. Minorem probat hoc discursu: obiectum voluntatis est bonum vniuersale, sicut obiectum intellectus est vniuersale verum. Ergo nihil potest quietare voluntatem, nisi fuerit vniuersale bonum. Sed nullum bonũ creatum est bonum vniuersale: quia omne est bonum participatum. Ergo nullum bonũ creatum potest totaliter quietare voluntatem; quæ fuit minor. Qua suppositа bene infertur beatitudinem obiectiuam in nullo bono creato posse consistere.

3 Difficultas cõtra rationem D. Th. *Caietanus.*

Sed statim se se obijcit non leuis difficultas, quã tangit Caiet. in hac 2. q. ar. 7. & 8. quoniã in probatione minoris illa consequentia non videtur satis firma: *obiectum voluntatis est bonum vniuersale, ergo nullum bonum potest quietare voluntatem, nisi fuerit vniuersale.* Nam, cum duplex sit bonum vniuersale: vnũ in essendo; quia sc. est omne bonũ: alterũ in prędicãdo; quod dicitur bonum vniuersale quia est bonum in cõmuni abstractũ ab omni particulari bono. Si antecedens intelligitur de bono vniuersali priori modo (.i. de bono, quod est omne bonũ) duo sequũtur absurda. Primum, quoniã nõ bene probaretur antecedens ex eo, quod obiectum intellectus est verũ vniuersale: hæc enim propositio intelligitur de vero vniuersali in prędicãdo. Alterũ est; quoniã antecedens non est admittẽdum, si intelligatur de obiecto adæquato volũtatis, vt patet: de inadęquato autẽ, cũ sit propositio particularis, videtur esse asyllogistica. Porro si intelligatur antecedens de bono vniuersali posteriori modo (.i. de bono vniuersali in prædicando) antecedens est verissimũ: quia bonum ita sumptum est adæquatũ obiectũ volũtatis. At ex hoc antecedẽte nõ bene infertur solum bonũ vniuersale posse quietare voluntatẽ. Nam si cõsequens intelligatur de bono vniuersali in prędicãdo, consequẽtia supponit vnũ falsum, nimirum bonũ in cõmuni sumptũ posse quietare voluntatẽ: quod esse falsũ ex eo patet, quia voluntas nõ quietatur, nisi in bono realiter possesso: bonũ autẽ in cõmuni nõ datur à parte rei, sed per solã considerationẽ intellectus. Si verò in cõsequenti sit sermo de bono vniuersali in essendo; primo, cõmittitur æquiuocatio: quia in antecedente sermo est de bono vniuersali in prædicando. Deinde, fit transitus de vno bono vniuersali ad alterum vniuersale bonũ: nec apparet, quomodo talis transitus bonam habeat consequentiam.

4 Quo pacto Caietanus explicet mẽtem D. Th.

Caietan⁹ pressus difficultate argumẽti putat antecedens illud (*obiectum voluntatis esse bonum vniuersale*) nec intelligendũ esse de bono vniuersali in prędicãdo nec in essendo; sed de bono vniuersali absolutè. i. nõ contracto ad tale vel tale bonum. Ex quo antecedente ita intellecto bene infertur voluntatem in illa sola re posse totaliter quietari, in qua est bonum vniuersale absolutè. i. non contractum ad hoc, vel illud bonum.

5 Non placet Caiet. explicatio.

Sed profectò nec hæc fuit mẽs D. Tho. si bene expẽdatur 2. 2. q. 2. ar. 3. vbi propositionẽ intelligit de bono vniuersali in prædicãdo, vt dicem⁹: nec difficultatẽ tollit: quoniã explicatio illa necessario coincidit cũ altero illorum mẽbro. Nã illud bonum vniuersale absolutè, vel ideo dicitur nõ contractũ; quia abstrahit à contractione superioris ad inferi⁹ per differentias contrahentes: vel quia in se ipso à parte rei nullã admittit determinationem in gradu bonitatis: vt quia omnẽ bonitatis gradũ in se includit, vel formaliter, vel eminẽter: nec enĩ alia fingi potest nõ cõtractio. Si priori modo: bonũ vniuersale absolutè coincidit cũ bono vniuersali in prædicãdo: quia idẽ est bonũ vniuersale absolutè in sensu dato, quod bonũ non contractum per differentias diuidẽtes, & contrahẽtes; quod bonũ nõ est aliud, quã bonum in cõmuni, & in prædicando. Si autẽ intelligatur posteriori modo: bonũ, quod ita est vniuersale absolutè, nõ potest nõ esse bonum vniuersale in essendo: nam ideo non contrahitur aliquo speciali, & determinato bonitatis gradu, quia omnẽ bonitatis gradũ in se includit: quod appellamus bonũ vniuersale in essendo. Quare antecedens illud, vel Caietano inuito, intelligendum est de bono vniuersali in prædicando, vel in essendo, & ita redit allata difficultas.

6 Aliorũ iudicium.

Quare alij melius intelligunt antecedens illud de bono vniuersali in prædicando, idest de bono, quod sub se veluti potentialiter comprehendit omnia bona: voluntq; ex eo, quod voluntas habet pro obiecto bonũ vniuersale in prędicando, ita vt possit attingere omnem

rationem boni, optimè inferri voluntatem quietari nõ posse, donec pertingat ad bonũ vniuersale in essendo, quod in se continet omne bonũ. Ita expresse Cõ-
Conradus. radus in hac q.2.ar.7.in 2.p.cõclusionis & ar.8. explicans primam conclusionẽ.

7 Non satisfacit. At tamẽ sine probatione sumit id, de quo dubitamus, nec explicat allatas difficultates. Nititur eas dissoluere Suarius in commentarijs ad 1.2.q.2.disp.5. quæstiũc.1.in fine: negatq; fieri vllam æquiuocationem, cum ex vna vniuersalitate ad alteram optimum fiat argumentum. Nam cum voluntatis adæquatũ obiectũ sit bonũ in cõmuni, & vniuersale in prædicando: vtiq; obiectum voluntatis sub se compræhendit Deum, bonumq; diuinum. Ex quo bene infertur voluntatem esse capacẽ diuinæ bonitatis: & cũ Deus sit summum bonum, vtiq; Deus erit præcipuum obiectum illius: & inde infertur voluntatem in alijs bonis sine Deo non posse quietari, & subinde nec esse beatã in aliquo bono creato.

8 Displicet. Hæc tamen deductio ideo displicet, quod ex eo sumit argumẽtũ, quod Deus inter obiecta volũtatis est obiectũ præcipuũ: hoc enim mediũ non satis est ad probandum voluntatẽ non posse totaliter satiari, nisi in bono vniuersali in essendo, quæ est cõsequentia D. Thomæ, cuius rationẽ inquirimus. Iãverò obiectũ alicuius potẽtiæ esse inter alia principale, & præcipuũ, nõ satis est, vt inferat potẽtiã nõ posse quietari, nisi in obiecto, quod in essendo omnia alia obiecta cõtineat: nã inter obiecta potentiæ visiuæ album est obiectũ præcipuũ: & tñ in essendo nõ cõtinet omnia obiecta visus. Quare deductio viri doctissimi satis est, vt probabiliter suadeat voluntatem in solo bono creato quietari non posse; quia non quietatur, nisi possideat obiectum inter alia præcipuũ: non tamẽ satis est, vt inferat voluntatem quietari non posse, nisi in bono, quod sit omne bonum. Quod longè est aliud, quam voluntatem non quietari sine tali bono.

9 Quid dicendum sit. Quare dicendũ puto, ex eo valere illã consequentiã: quia bonum vniuersale in prædicando necessario sub se comprehendit bonum vniuersale in essendo, vt bene aduertebat Suarius: cũ verò omnia, quæ in voluntatẽ cadunt, præcedãt, necesse sit in intellectu; vtiq; præcedet in intellectu cognitio, quod volũtas capax sit cuiusdã boni, quod est omne bonũ. Hac autẽ cognitione præcedẽte fieri nõ potest, vt volũtas quietetur in alio bono, quod cognoscit nõ esse omne bonũ. hac enim stãte cognitione, illud bonum voluntati proponi nõ potest, vt sũmum bonum; sine qua cognitione volũtas quietari non potest in aliquo bono.

Cõfirmari etiã potest illa consequentia, si aduertamus D. Thomã in hoc discursu agere de bono, vt quietatiuo volũtatis: quod patet, tũ ex cõsequente illato: tũ, quia agit de beatitudine: tum tertio, quia vult probare minorẽ, quę sumit nullam creaturã posse totaliter quietare voluntatẽ. Quare propositio illa sũpta à D. Thoma pro antecedente (*obiectũ voluntatis est bonũ vniuersale in prædicando*) vt posit ad syllogismum cõducere, ita est explicanda: vt obiectũ quietatiuũ volũtatis sit bonum vniuersale, & in cõmuni propositũ secundum cõmunem rationẽ boni: sicut etiã obiectum perfectiuũ intellectus est verũ secundum cõmunem rationẽ veri: bonum enim sub cõmuni ratione boni naturaliter attrahit ad se voluntatẽ, ita vt non possit in illo non quiescere, vt omnes fatẽtur. Ex hoc autẽ antecedẽte ita explicato bene infertur solùm bonũ vniuersale in essẽdo posse in actu exercito quietare voluntatẽ. Et ratio est, quia bonũ vniuersale sumptum in cõmuni ideo suo modo totaliter quietat voluntatẽ; quia est bonũ aliquo modo. i. potentialiter continens omne bonum. Ergo nullum bonum in essendo potest in actu exercito totaliter quietare voluntatem, nisi in essendo contineat omne bonũ. Qui discursus fiet euidentior, si distinguamus duplicem rationem in bono, quatenus est bonum, & quietatiuum voluntatis: vnam formalẽ, materialem alterã. Formalis, est ratio bonitatis, & conuenientię: materialis autẽ, est res, quę sub illa ratione formali quietat, vt quod. Bonum autem in cõmuni, cum solum sit vniuersale quoad rationem formalem boni: quia secundum eam abstrahit ab omnibus bonis; solùm habet quietare voluntatem sub ratione formali boni in communi: quæ ideo quietat, quia secundum quandam connotationem potentialiter includit omnia bona, quę materialiter quietare

10 D.Thom. possunt:

possunt: bonum autem vniuersale in essendo est bonum materialiter continẽs omnem perfectionem, quæ est materiale significatum boni formaliter sumpti: bonum enim materialiter. i. secundum materiale significatum, idem est, quod perfectum. Hoc ita supposito patet efficacia consequentiæ: nam bonum vniuersale in prædicando ideo secundum formalem rationem boni totaliter quietat voluntatem (voluntas enim non potest formaliter quietari, nisi sub ratione boni) quia potentialiter est omne bonum, & omne perfectum. Ergo bonum in essendo ideo totaliter quietabit, quia in essendo est omnis perfectio; & hæc de prima demonstratione.

10 .Thom.

§. 2.

Expenditur secunda demonstratio.

11 *D.Thom.* SEcundam demonstrationem fecit D. Thomas inferius q.3.ar.7. sumptã ex natura obiecti beatifici, quatenus est quoddam verum perfectiuum intellectus: obiectum enim beatificum, quatenus tale, non solùm ex sua natura perficit voluntatem, vt est quoddam bonum: sed etiam intellectum, vt est quoddam verum. Demonstratio formari potest, si supponamus beatitudinem obiectiuam ex sua natura esse quoddam verum perfectiuũ intellectus. Iam sic: beatitudo obiectiua perfecta nõ potest cõsistere in vero, quod sit verum per participationem: sed in eo, quod sit verum per essentiam. Sed nulla creatura est verum per essentiam, sed per participationem. Ergo in nulla creatura potest consistere beatitudo obiectiua. Discursus est optimus: minor est nota; quia sicut omnes res creata habet entitatem participatam, ita etiam habet participatam veritatem: veritas enim consequitur entitatẽ. Maior probatur: quoniam beatitudo obiectiua, sicut ex sua natura habet, quod non per aliud, sed per se beet: ita rationem beandi, & perficiendi intellectum, non ab alio habet, sed à se. Et subinde rationem veri, sub qua perficit intellectũ, & eum beat, non ab alio participat, sed à se habet: alioquin non per se, sed per aliud bearet, quod non est dicẽdum: quia id, quod est tale per aliud, necessariò reducitur ad id, quod per se est tale. Maior igitur est verissima, & subinde conclusio.

12 Dubitatio circa propositam demõstrationem. Caietani responsio.

Dubitari potest, an hæc demonstratio concludat in omni beatitudine: tam in illa, quæ est simpliciter perfecta, qualis est beatitudo patriæ: quã in illa, quæ est perfecta naturaliter? Caietanus inferius q.3.ar.6.& 7. putat hanc demonstrationem conuincere in sola beatitudine simpliciter perfecta; qualis est patriæ: quia in sola illa oportet, perueniamus ad verum per essentiam, quod per se intellectum simpliciter perficiat: nam in beatitudine naturali non oportet deuenire ad verũ per essentiã, sed ad verum participatum in illo obiecto sensibili, per quod deuenimus in cognitionem Dei. Putat igitur obiectũ in beatitudine naturali non beatificare, vt est verum per essentiam, sed vt est participatum in obiecto, quod per se perficit intellectum.

13 Refellitur.

Sed si Caietanus in hac materia bene metaphisicaret; distingueret inter obiectum cognitum per aliud, & obiectum per aliud perficiens intellectum. Deus igitur est naturaliter cognitus ab homine per aliud, quia non potest cognosci, nisi per sensibilia: at tamen, vt per sensibilia cognitus, non iam intellectũ perficit per sensibilia, sed per se, & vt est quoddam verum per essentiam: non tamen cognitum quidditatiuè, & per essẽtiam, sed secundum prædicata essentialia communia, & quoad an est. Fallitur igitur Caietanus, dum ait: quando cum D. Thoma quæsiuimus, an beatitudo cõsisteret in sensibilibus, vt à nobis cognitis, nomine sensibiliũ intelligi tum Deũ, tum substantias separatas: & simili modo cum quæsiuimus, an beatitudo posita esset in substantijs separatis; nomine substantiarum separatarum intelligi etiam Deum cognitum in illis, & per illas: oppositum enim est dicendum; quoniam beatitudo naturalis (vt dicemus) cõsistere non potest nisi in Deo: nõ quidem clare viso (quia hæc est supernaturalis beatitudo patriæ) nec quidditatiuè cognito (quia nõ potest vel ab homine, vel ab Angelo quidditatiuè cognosci per lumen naturale) sed cognito per creaturas, & in creaturis. Oportet igitur, vt ipsas creaturas, vt sunt obiecta intelligibilia, distinguamus à Deo, vt

per illas, & in illis est cognitus: creaturæ enim perficiunt intellectum per veritatem participatam, quia hanc solam habent: Deus autem, etiam vt in illis repræsentatur, perficit intellectum per veritatem diuinam, quam habet; cognitam tamen, quoad an est, & quoad prædicata communia.

Dubitationis conclusio.

Concludendum est igitur beatitudinem obiectiuam, tam supernaturalem, quàm naturalem consistere non posse, nisi in eo obiecto, quod per suam essentiam, & per veritatem sibi essentialem est intellectus nostri perfectio: quod non conuenit creaturis, sed soli Deo, vt ex dictis patet.

§. 3.

Ostenditur eadem veritas à posteriori.

14 Prima ratio à posteriori.

VEritatem supra positam demonstrari posse à posteriori, nullus dubitare poterit. Et prima demonstratio, omniumque efficacissima ex eo sumitur; quoniam euidenter constat beatitudinem obiectiuam consistere non posse, nisi in summo, & præstantissimo bono: id enim sæpe expressit Aristoteles in omnibus, quos de moribus inscripsit libros: maximè 10. Ethic. c. 4. 6. 7. & 8. Constat etiam nullam rem creatam esse posse summum, ac præstantissimum bonum: tum, quia omnis res creata, sicut habet entitatem participatam ab alio: ita etiam habet participatam bonitatem; hæc autem non potest esse omnium præstantissima. Tum etiam, quia omnis res creata, cum habeat caussam efficientem; habeat etiam necesse est caussam finalem, ad quã referatur. Nulla igitur res creata potest esse summũ bonum: & per consequens in nulla potest poni beatitudo obiectiua.

Arist.

15 Alia ratio.

Deinde probatur à sufficienti partiũ enumeratione: nam beatitudo obiectiua non potest consistere in bonis externis fortunæ, vt patet ex 1. q. nec etiam in bonis internis, quæ intrinsecè, aut corpus, aut animam perficiunt, vt latè demonstrauimus in quæst. 2. & 3. Nec tertio consistere potest in rebus sensibilibus, vt obiectiuè cognitis: nec item in rebus intelligibilibus, ac separatis, vt in hac quæstione diligentiùs expendimus. Sub his autem continentur omnia bona creata, quę hominem, aut realiter, aut obiectiuè possunt perficere. Ergo in nulla re creata potest consistere nostra beatitudo obiectiua.

QVÆSTIO VLTIMA.

Vtrum beatitudo obiectiua posita sit in bono increato, qui est Deus?

1

CVM omne bonum creatum à ratione beatitudinis obiectiuæ in superioribus quæstionibus excluserimus; solùm inquirendum restat, an illa consistat in bono increato, qui est Deus benedictus? Cui quęstioni affirmatiuè respondet D. Thomas in vltimo articulo huius q. 2. & est conclusio, tum in fide, tum in philosophia prorsus indubitata: de qua multa explicatu difficilia inquiri possunt: quorum aliqua à nonnullis hoc loco inquiruntur: sed quia D. Thomas nõ agit de illis hoc loco: sed inferiùs q. 3. art. 8. & maximas secum inuoluunt difficultates; omnia, quæ hoc loco dicenda erant in quintum librum reijcimus, in quo de perfectione obiectiua beatitudinis formalis disputandum erit. Et ita finitur liber iste tertius.

Conclusio D. Thomæ.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER

LIBER QVARTVS

DE BEATITVDINE FORMALI IN ORDINE AD SVBIECTVM.

PRÆFATIO AD totum librum.

AD initium superioris libri q. 1. art. 2. ostẽdimus non esse hoc loco sermonẽ de beatitudine, prout dicit statũ omniũ bonorum aggregatione perfectum; sed de beatitudine essentialiter sũpta, quæ est perfectio quędam, qua beatus essentialiter dicitur beatus. Hæc autem, vt ibi diximus, est ex duabus partibus essentialiter integrata; ex re, inquam, quæ beat, vt quod: & ex re, quæ beat, vt quo. Illa dicitur beatitudo obiectiua: hæc formalis. Beatitudinem formalem appellauimus ipsam adeptionem beatitudinis obiectiuæ; rei scilicet, quæ nos beat. Superiori libro egimus de priori beatitudine: in hoc agendum est de posteriori.

Beatitudinem formalem tribus modis considerabimus: vno modo secundum se, prout respicit subiectum: secũdo modo prout respicit obiectum, & circa illud versatur. Tertio modo, secũdum suam entitatem, & secundum perfectiones sibi connaturales, & cõcomitantes. Primo modo agit de ea D. Thomas in hac quæstione tertia in primis quinque articulis. Secundo modo de illa agit in tribus vltimis articulis eiusdẽ tertiæ quæstionis in 6. scilicet 7. & 8. Porro tertio modo disputat de illa in tota quarta quæstione. Quia verò beatitudo nõ est eiusdem generis: quia vna est supernaturalis & perfecta: qualis est beatitudo patriæ; alia est supernaturalis & imperfecta, vt beatitudo supernaturalis viæ: alia denique naturalis eodẽ modo diuisa penes perfectum, & imperfectum. Primum agemus de beatitudine supernaturali patriæ. Deinde de supernaturali viæ; vltimo de beatitudine naturali, vtroque modo sumpta. D. Thom.

In hoc igitur libro agemus de beatitudine formali, vt respicit subiectum. In libro quinto de illa in ordine ad obiectum. In sexto verò de beatitudine secũdum se, & secundum perfectiones sibi connaturales, & concomitantes. De beatitudine formali patriæ secundum se sumpta, vt respicit subiectum, primũ inquiremus; an sit quid increatum? Deinde de creata illius entitate.

QVÆSTIO PRIMA.

IN prima quęstione inquirendum est, an beatitudo formalis patrię sit quid

increatum? cuius quæstionis pars affirmatiua quibusdam placuit, in diuerso tamen sensu. Nam fuerunt nonnulli, qui existimarunt essentiam diuinã, vt illapsam animæ nostræ esse nobis formalem beatitudinem. Alij autem, non ipsam essentiam diuinam, sed ipsam diuinam visionem, & fruitionẽ, qua Deus se videt, & se ipso fruitur, vt intellectui nostro, & voluntati communicatam, & vnitam putant esse beatitudinem formalẽ. Duo igitur inquiremus. Primum, an diuina essentia, vt illapsa animæ nostræ sit, vel esse possit nostra beatitudo formalis? Secundò, an operatio diuini intellectus aut voluntatis (visio, inquam, & fruitio diuina) sit formalis beatitudo nostra?

Quę sunt in hac quæst. inquirenda.

ARTICVLVS I.

An diuina essentia, vt illabens animæ, sit, aut esse possit formalis beatitudo nostra?

IN hoc articulo duæ explicandæ sunt difficultates. Prima est, an aliquis vnquam dixerit beatitudinem nostram formalem esse illapsum aliquem Deitatis in animam beati? Secunda est, an illa opinio sit probabilis?

§. 1.

Agitur de mente Henrici.

1 Quid de mẽte Henrici, Sotus & alij sentiant.

QVod attinet ad primam difficultatem; Sotus in 4. d. 49. q. 1. art. 3. in 1. opinione scribit Henricum existimasse nostram beatitudinem consistere in quodam Dei illapsu in essentiam animę beatæ admodum, quo ignis illabitur in substantiam ferri candentis: putatque hanc sententiam olim fuisse celebrem, refertque Henricum quodlib. 13. q. 12. Eandem sententiam Henrico tribuit Scotus in 4. d. 49. q. 2. §. *Ad istam secundam quæstionem*, & in 2. d. 26. q. vnica §. *Contra istam positionem*. Capreolus in 4. d. 49. q. 1. artic. 2. contra primam. Heruęus in tractatu de beatitudine q. 1. Et tandem Medina in hac q. 3. artic. 2. denique communiter Henrico tribuitur. Ex qua opinione sequitur apud Henricum formalem nostram beatitudinem esse quid increatum.

Capreolus.

Medina.

2 Vnus Bellomontanus ad 1. 2. disp. 8. cap. 2. n. 4. affirmat nullum scholasticorum vnquam docuisse nostram formalem beatitudinem esse illapsum aliquẽ Deitatis in animas beatorum. Et quod attinet ad Henricum in capit. 1. existimat eum non posuisse formalem beatitudinem in illo illapsu, sed solam obiectiuam: formalem verò cum cęteris posuisse in operatione intellectus & volũtatis. Id probat: quoniam in d. q. 12. expresse docet nostram, & Angelorũ beatitudinem consistere in operationibus intellectus, & voluntatis: quæ verba de beatitudine formali intelliguntur. Cũ verò inquit nostram beatitudinem pręcipuè existere in obiecto ipso increato, plane indicauit se non loqui de beatitudine formali, sed de obiectiua: in qua ideo principaliter consistit nostra beatitudo, quia est summũ bonum, cuius cõsequutione sumus beati. Et quãuis dicat ipsum obiectum beatitudinis, Deum scilicet, primarie illabi animæ beati. Deinde deriuari in potentias: & præterea illabi, quia ipsa essentia Deitatis intrat substantiam animæ, & eam penetrat: non tamen explicat, an talis illapsus proximè fiat per essentiã absq; vllo effectu producto in ipsam: & inde colligit non constare apud Henricũ, an ille ipse illapsus sit beatitudo formalis?

Primum fũdamentum.

Pro hac opinione Bellomontani primum adducimus verba Henrici in d. q. 12. vbi ita ait: *Dico, quod vera beatitudo humana, sicut & Angelica consistit, non solùm in actu voluntatis & intellectus, in quibus non est nisi beatitudo creata ratione ipsorum actuũ: sed principalius consistit in ipso obiecto, quod est beatitudo increata, quæ est Deus, in quantum & bonum voluntatis, in quod per actum beatitudinis creatæ ipsa anima humana mediante voluntate se transformat, vt conuertatur in illud prout possibile est secundum naturam.* Possumus secundò adducere, quod Henricus quodlib. 6. q. 6. litera Y. Expresse docet beatos non attingere finem beatificum, nisi per intellectum & voluntatem. Tertiò & efficacius adducemus ipsum Hẽricum in summa art. 45. q. 5. vbi litera O. ita scribit: *Quanquam beatitudo consistat in vtroque, vt etiam aliquo modo operatio possit dici beatitudo: & sic ab vtroque eorum denominetur beatus: quia vnum eorum est finis, vt quod principaliter intenditur; alter verò, vt quo illud obtinetur.* Ecce agens de Deo, vt est obiectum beatitudinis, & de operatione, qua Deus attingitur; docet beatitudinem vt quo (quam appella-

Secundum.

Tertium.

pellamus formalem) esse operationem. Quod etiam repetit litera k. L. & N. quod apud Henricum adeo videtur certum, vt q. 6. eiusdē articuli inquirat, vtrū beatitudo nostra principalius ponatur in actu intellectus, an voluntatis. His igitur videtur probari Henricum longe aliter sensisse, atque illi ab Scoto & alijs imponitur.

3 Quæ fuerit Henrici sententia.

Ego tamen puto apud Henricū beatitudinem formalem (de essentiali est sermo) positam esse in illapsu Deitatis, in substantiam animæ: siue potius (& in idem recidit) in ipsa essentia Deitatis vt illapsa animæ. Nam euidenter constat Henricum beatitudinem nostram essentialem collocare in quadam deificatione animæ, & trāsformatione eiusdem animæ in Deum: ita vt nihil aliud sit esse essentialiter beatum, quàm secūdum animæ essentiam esse deificatum, & vnum suo modo substantialiter cum Deo. Huius deificationis causa, & ratio formalis apud Henricū est ipsa Deitatis essentia, quę per sui ipsius illapsū, & immediatam circuinsessionē in animæ substantiam, eam formaliter deificat eo modo, quo ignis se ipso formaliter ignificat ferrum candēs. Vnde fatetur Deum per suam essentiam immediate perficere substantiam animæ, dū in illam illabitur: probans enim huiusmodi illapsum prius, & principalius fieri in essentiam, quam in potentias, ita scribit: *Quia illam perficit quodammodo per suam essentiam: potentias autem per operationes.*. Iam verò Deus sub ratione obiecti non potest immediate pērficere essentiam animæ, sed mediantibus potentijs. Perficit igitur animæ essentiam, non vt est obiectum beatificum beans vt quod (hoc enim solum habet in ordine ad potentias,) sed secundum suam essentiam, prout immediate animæ illabitur: & hoc modo non potest non esse beatitudo formalis. Igitur apud Henricū beatitudo formalis (si sermo sit de beatitudine essentiali, & principali) est ipsa essentia Deitatis, vt illapsa in substantiam animæ.

4 Aduertentia 1. ad diuersa Henrici loca cōcilianda.

Vt verò ea, quæ non minus obscure, quā varie ab Henrico diuersis in locis scribuntur, facile conciliētur; aduertēdum est primò apud Henricum duplicē poni beatitudinem in beatis: vnam appellat creatam: alteram increatam, vt patet in d. q. 12. litera L. & in fine quæstionis illam appellat minus principalē; hanc vero principalem, & essentiam: illa inest in potētijs, medijs operationibus; hæc inest in ipsa animæ essentia nulla interiacente operatione, sed ipso summo bono secundum Deitatis essentiam illabente in substantiam animæ; hæc prius inest in essentia, & consequenter in potentia; illa verò prius in potentia & ea mediante conuenit essentiæ. Duas istas beatitudines in singulis beatis colliges ex ipso Henrico, tum in d. q. 12. tum etiam in summa art. 49. q. 1. litera K.

Aduertendum est secundò apud Henricum Deum (qui est nobis summum, & beatificum bonum) prius à nobis per operationes intellectus & volūtatis attingi, & obtineri, quā in anima adsit beatitudo principalis, & essentialis: Nec enim essentiam animę beatifico illapsu intrare potest, nisi per intellectum sit visus, & amatus per voluntatem; deificata autem essentia animæ beatitudo redundat in potentias, intellectum scilicet, & voluntatem: intellectus enim inde purgatus videt animę perfectionem, Deumque in animam illabentem: volūtas autem illa perfectione satiatur, & quiescit: 2. Aduertētia.

Hoc est Henrici figmentum, si bene expendatur, quo cōciliātur omnia, quæ inter se videbantur pugnare. Nec enim negat obiectum beatificum attingi operatione intellectus & voluntatis: negat tamē in hac operatione formaliter cōsistere beatitudinem essentialē, sed hāc prærequirit, tanquam inchoationē beatitudinis perfectæ. Igitur in beatitudine minus principali (qualis est beatitudo potentię) operatio est beatitudo formalis; Deus autem, beatitudo obiectiua. At in beatitudine principali Deus, qui in priori erat beatitudo obiectiua, in hac solum est formalis: & in hoc deceptus est Bellomontanus; quia supponit id, quod in priori beatitudine habet rationem beatitudinis obiectiuæ, cum eadem ratione manere in beatitudine posteriori: quod longe est à mente Henrici, in posteriori namque beatitudine Deus iam non est beans vt quod, sed vt quo: siquidem se ipso admodum formæ 5

deificat, & beat animę essentiã. Et hæc pro explicatione mentis Henrici?

§. 2.

An Henrici opinio habeat probabilitatem?

6 Sententia Scoti. Capreoli. Heru. Soti, Medinæ, & Valentia

EXplicatam Henrici opinionẽ cõmuniter impugnarunt Theologi, vt Scotus, Capreolus, Herueus, Sotus, & Medina, quos supra citauimus, Valentia secundo tomo disp. 1. q. 3. puncto 2. quorum aliqui eam reijciunt tanquã omnino improbabilem, & cõmentitiam: aliqui verò tanquam temerariam, vt Medina, & Valentia, quos plures ex recentioribus sequuntur.

7 1. Propositio.

Pro resolutione sit prima propositio: opinio Henrici, vt à nobis est explicata cõmentitia est & improbabilis, imò etiam impossibilis. Hęc cõmuniter recipitur; contra Henricũ plura obijciuntur, quę potius pertinent ad sequẽtem quæstionem: quare hoc loco solùm erit impugnãda, quatenus affirmat beatitudinem formalem esse positã in speciali illapsu, quem explicauimus. In hoc enim sensu pertinet ad principalẽ quæstionem, qua cum D. Thom. inquirimus, an beatitudo formalis sit aliquid increatum? cui affirmatiue respondet Hẽricus. Quare ostendendũ est illapsum illum in animam beati cõmentitiũ esse, & vere impossibilem: inde enim euidẽs fiet beatitudinem formalem non esse quid increatum.

8 Suppositio ad præcedẽtem conclusionẽ demõstrandum.

Hoc autem facile demonstrabitur, si supponamus cũ cõmuni sentẽtia Theologorum duplicem dari posse illapsum vnius substantiæ in aliam. Vnus est generalis, & minus proprie dictus; qualis est, quando vna substantia aliam ingreditur secundum simplicem præsentiam in eodem spatio, siue loco: talis ingressus datur, quando vnus Angelus siue bonus, siue malus intrat aliquod corpus, vt in eo aliquod operetur: talis enim ingressus dicitur illapsus à Magistro, cæterisque Theologis in secundo d. 8. nomine illapsus late sumpto. Quem tamẽ ingressum Augustinus, siue auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 83. non vult esse illapsum. Idem illabendi modus conuenit corpori, dũ diuina potentia aliud penetrat existens intra terminos quantitatiuos illius in eodẽ spacio: vt cum Christus clauso sepulchro exiuit, & clausis foribus ad discipulos intrauit. Idem etiam illabendi modus conuenit Deo ratione suæ immensitatis præcise sumptæ: ex ea enim habet, vt secundum suam substantiam in eodẽ loco prẽsens sit cuique creaturæ. Alter datur illapsus proprie sumptus; qui vltra realem præsentiam cũ substantia, quæ intratur, superaddit concursum conseruatiuum illius in aliquo esse, vt docet Magister in 2. d. 8. & cũ eo omnes Theologi, D. Bonauentura ibi secunda p. dist. art. 1. q. 2. in corp. & ad secundum, Herueus d. 9. q. 1. art. 2. ad 2. rationem principalem, Argentinas in 2. d. 7. q. 1. ar. 2. Ferrariensis in 4. contrag. cap. 18. in fine, quos refert, & sequitur Bellomontanus prima parte disp. 193. cap. 2. nu. 2. & 3. & disp. 205. cap. 2. nu. 4. quẽ ingressum D. Tho. in 2. d. 8. q. 1. art. 5. in corpore, & ad primum, cum cæteris Theologis appellat ingressum intra terminos essentię; ideo quia per illum essentia conseruatur in esse, quo intime terminatur. Et ob id talis illapsus soli Deo conuenit, vt cum Magistro docent Theologi ex sententia August. Bedæ, & aliorum Patrũ, & satis constat ex verbis Augustini vbi supra, dum ait; *Illabi autem menti soli illi possibile est, qui creauit.*

Magister. Augusti. *Magister. Bonauent. Herueus.* *Argentin. Ferrar.* *August. Beda.*

9 Demonstratur conclusio.

Duplici præsuppositio illapsus genere, facile est demonstrare illapsum, quẽ fingit Henricus, esse prorsus impossibilem. Nam prior illabendi modus non satis est ad beatitudinem, siue deificationem animæ: tum quia illo illabendi modo Deus ratione suæ immensitatis in omnes illabitur creaturas: est enim omnibus rebus prẽsens secundum suã substantiam. Tum etiam; quia illo modo eidem animæ illabebatur, dũ erat in via. Posterior autem illapsus (ad quem Hẽricus necessario recurret) non potest vlla ratione dari, nisi mediante aliquo effectu creato. Et subinde illapsus ille, quo Deus animam facit beatam, necessario fiet secundum aliquem effectum de nouo productum, mediante quo dicatur in animam beatifice illabi. Porro si semel admittatur talis effectus; vtiq; erit ille beatitudo formalis, vt bene annotauit Scotus, in 4. d. 49. q. 2. §. *Contra istam opinionem:* quia per illum anima formaliter reddetur beata: essentia enim ad beati-

beatitudinem solùm concurret effectiue; ideo enim dicetur in animam illabi; quia in ea effectiue caussat effectũ, qui est formalis beatitudo.

10 Quod verò illapsus, qui soli Deo est ꝓprius cuiuscunque ille sit generis (multiplicem enim dari illapsum Dei increaturam ostendemus in quæst. sequente) nulla ratione dari possit, nisi interueniente aliquo effectu creato: ita vt Deus dicatur illabi in rem creatam; quia in illa aliquem effectum producit, sub cuius esse immediate illam conseruet; primo probatur: quia ex cõmuni consensu Theologorum cum Magistro in 2. d. 8. illapsus, qui est Deo proprius, vltra præsentiam secundum substantiam, superaddit concursum Dei conseruatiuũ rei sub aliquo esse. Conseruatio autem rei in esse, cum dicat aliquam actionem non potest dari sine aliquo effectu producto, qui cõseruetur. Deinde illapsus, quo Deus in rem creatam illabitur, ex sua natura est quædam vnio, qua Deus secundum se speciali quodammodo vnitur rei creatæ, vt omnes theologi admittunt, nec diffitebitur Henricus. Hæc autem vnio non potest esse substantialis: quia Deus cum re creata non potest substantialiter vniri, nisi vnione hypostatica, vt patet; vnio autem, quæ fit per illapsum, non est hypostatica. Erit igitur vnio accidentalis. Hæc autem inter Deum; & rem creatam non datur, nisi mediante, vel aliquo accidente, si proprie est accidentalis; vel aliquo actu separabili à substantia, qualis est actus essendi, quem Deus tribuit essentiæ, cum eam producit. Etenim sicut Deus vera compositione non potest creaturæ immediate vniri cõpositione substantiali, quæ reducatur ad cõpositionem actus, & potentiæ; ita nec compositione accidentaria. Oportet igitur inter Deum, & rem creatam, quę per illapsum fit, fiat mediante aliquo effectu producto: ita vt Deus non formaliter cum re creata vniatur, sed effectiue solùm. Adde etiã quia non potest dari, aut fingi vnio inter vnibilia, nisi intercedat aliqua habitudo, vel caussalitatis, vel dependentiæ vnius ab alio, vel vtriusque ab aliquo tertio. Sed secluſa dependentia hypostatica non potest dari aliqua depẽdentia creaturæ à Deo in esse reali, nisi vt á caussa prima. Hæc autem fit per aliquẽ effectum.

Magister.

11 Roboratur amplius ratio præcedens.

Denique illapsus iste diuinæ essentiæ in animam beati, vt exemplo candentis ferri declaratur, vel omnino est impossibilis, vel non fit nisi, mediante aliquo effectu: nam ferrum fieri ignitum vno ex duobus modis potest intelligi: vel quia ignis sua ignea qualitate, id est calore, ita afficit ferrum, vt excandescat, ignisque appareat: vel quia ignis substãtia per pòros ita ingreditur ferrum, vt substantia ferri non appareat, sed sola ignis substantia. Hoc posteriori modo non vnitur ferro propria vnione, sed per solã iuxta positionẽ substantiæ ignis ad substantiam ferri: vnde nec dici potest illabi ferro; siquidem terminos quantitatiuos substantiæ ferri non intrat, nec in eodem spacio simul, & penetratiue est cum substantia ferri. Hanc vnionem nulla ratione habere potest diuina essentia cum substantia animæ, vt ipse fatebitur Henricus. Vnietur igitur animæ ad modum prioris vnionis: quia nimirum, sicut ignis cõmunicat ferro suam igneam qualitatem caloris, qua ferrum formaliter ita ignificatur, & excandescit, vt ignis appareat; ita etiam diuina essentia suo illapsu, & vnione cũ anima beata effectiue communicat illi qualitates deificas (de quibus in sequẽti quæstione) vt anima illis formaliter deificata non appareat, nisi alter Deus.

Et hunc vnionis modum satis videtur expressisse Henricus, dum ait, *Per illapsum diuinitatis in animam nihil in ea apparere, nisi diuinas dispositiones.*

Henricus.

Porro si Henricus hoc modo suum nobis explicat illapsum; iam admittit illapsum nõ fieri per diuinam essentiam se ipsa immediate, & formaliter deificantem beati animam, sed effectiue solùm mediantibus deificis qualitatibus à se per illapsum productis. Et hoc modo iam discedit ab opinione, quam in ea quæstione non obscure expressit: vnde non erit nobis cũ illo contentio de possibilitate talis illapsus, & illarum qualitatum deificantium; sed an in illis posita sit formalis beatitudo, de quo modo non inquirimus. Quod si Henricus nõ ita explicat suum illapsum; sed adhuc persistit, illapsum illum deificantem animam fieri immediate, & formaliter per

ipsam

ipsam deitatis essentiam; tum dicimus illum esse impossibilem, non solùm ob rationes adductas, sed argumento sumpto ab exemplo ferri candentis, quo vtitur: & denique, quia fieri non potest, vt seclusis illis dispositionibus creatis anima sit, aut appareat beata sola ipsa deitate, tanquam formali beatitudine. Quare concludendum est deitatis essentiã illapsam animæ nostræ esse nõ posse nobis formalem beatitudinem. Et hæc de prima propositione.

13 2. propositio. Secunda propositio: opinio Henrici falsa quidem est: nulla tamen temeritatis nota est digna. Hęc statuitur contra illos, qui putant opinionem Henrici esse temerariam. Contra quos nobiscum existimat Suarius in Commentarijs ad primam secundæ q.3.art.2.d.6.quæstiũcula 1. in principio. Probatur, quia nulla est digna censura ex eo, quod beatitudinem formalem non ponit in operatione, vt in sequenti quęstione videbimus: nec item ex eo, quod vult diuinam essentiã, vt in patria illapsam nobis esse nostram formalem beatitudinem: cũ enim non ponat diuinam essentiam intrinsece informare animam nostram; falsam affirmabit opinionem; non tamen dignã censura, vt sequenti articul. patebit. Probatio.

ARTICVLVS II.

Vtrum visio, aut fruitio diuina, qua Deus se ipsum videt, & se fruitur, sit nostra beatitudo formalis?

§. 1.

Refertur opinio affirmatiua.

1 Ioannes de Ripa. AD secundum, quod secundo loco disputandum proposuimus, affirmatiue respondet quidam Ioãnes de Ripa, qui putauit non solùm beatitudinem obiectiuam esse quid increatum, sed etiam formalem: beati enim (vt ait) non alia visione Deum vident, nec alia fruitione Deo fruuntur, quam visione, & fruitione, qua Deus se ipsum videt & se ipso fruitur, cõmunicata tamen, & vnita intellectui cuiuscumq; beati. Hãc opinionem suo tempore placuisse quibusdam refert. D. Bonauentura, in 3.d. 14.art.1.q.1. eam Parisijs fuisse publice defensatam refert Greg. in 2.d.7.q.2 Bonauent. D. Gregor. quorum argumenta refert Adam in 1. q.2. & in 3.q.3. Eandem expresse probauit Hugo de Sancto Victore 3.tomo.tractat. de sapientia animæ Christi fol. 37. litera V.X. ita enim ait: *Cum igitur animas sapientes dicimus, istam increatam sapientiam cogitemus, & ipsam solam esse credamus, qua sapiunt, quæcunque rationales mentes intelligendo, atque discernendo perceperant. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Cognitio itaque Dei vita æterna est: & quid est cognitio Dei? nunquid accidens est? ergo amor Dei accidens est, & beatitudo accidens est, & in accidentibus est beatitudo nostra. Quare non magis Deus sit beatitudo nostra? ipse est sapientia, qua cognoscimus: ipse amor, quo diligimus: ipse gaudium, quo exultamus. Ergo vna sapientia est, qua omnes sapiũt: nec tamen vno modo sapiunt; quia participando sapiũt.* Inde infert animam Christi Domini sapientem esse sapientia increata; id quod multis confirmat in illo tractatu, & in summa sententiarum tract. 1. cap. 16. litera N.O. & lib. 2. de Sacramentis p.1.cap.6. litera L.M. Quin potius affirmat eam nullam habuisse aliam Sapientiam, nisi increatam, vt patet in fine tractatus de Sapiẽtia animæ Christi, & clarius in Summa sententiarum dicto cap. 16. vbi litera P. ita scribit: *Sed cum sapientia illius animæ non sit alia, quam diuina Sapiẽtia: quomodo potest fieri comparatio? indubitanter namque dicendum est, quod alia sapientia, quam diuina non fuit in Christo.* Non est igitur audiendus Suarius 1. tom. ad tertiã partem disp.24.sect.2. in secunda sententia, dum ait Hugonem expresse non negare esse in Christo aliquẽ actum creatum scientiæ. Adamus. Hugo Victorinus.

2 Duo in hac opinione probant sui autores.

Hanc opinionem primò probant ostẽdendo rationibus Theologicis beatos videre Deum visione increata: deinde impugnando fieri non posse vt Deum videant Visione creata.

1. probatur autoritate August.

Primum probant auctoritate Augustini primo de Trinitate cap. vltimo: post quam enim docuit vitam æternam esse visionem, qua Deum videmus; asserit Deum illa visione bonũ esse his verbis: *Secundum illam visionem Deus bonus est, secundum quam visionem Deus apparet mundis corde.* Deus autem non est bonus visione nisi increata. Præterea eodem loco dicit. *Solam visionem, qua contemplabimur incommutabilem, & humanis oculis inuisibilem*

Dei

Dei substantiam, quæ solis sanctis promittitur, esse summum bonum nostrum. At nihil creatum potest esse nobis summum bonum. Accedit locus Augustini 8. supra Genesim ad literam cap. 27. vbi ait: *Deum per suam substantiam præbere loquutionem Angelis.* Quod nihil est aliud, quam Deum secundum suam substantiam se ipsum Angelis manifestare.

3 2. Ex verbis Ioannis. Deinde Hugo confirmat id ex verbis Ioannis 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quẽ misisti Iesum Christum.* At vita [illegible] creatum, c[illegible]

4 3. Ratione. Tertio: [illegible] beati, tanq[illegible] in actu prim[illegible] per modũvi[illegible] tecedens es[illegible] pta. Conseq[illegible] eos, qui pu[illegible] aliud, quam [illegible] bilem, ita v[illegible] ciem intelli[illegible] intellectio: s[illegible] lis formalite[illegible] tellectus beati suo modo veluti recipit ipsam diuinam essentiam ad modũ speciei intelligibilis: vtiq; ipsa diuina essentia erit illi formaliter visio, qua Deum videt. Probari etiam potest, quia non est maior ratio, cur diuina essentia vniatur cum intellectu beati, vt actus prim⁹ & non vt actus secundus. Similiter etiã non est, cur diuina essentia, vt est essentia suppleat speciem intelligibilẽ creatam, & non suppleat, vt est visio, creatã visionem.

5 Quarto. Quartó, Deus formaliter est suum intelligere, suum amare, & suum frui: & actu intime vnitur intellectui beati eũ vitaliter immutando. Ergo non potest sua visione, & fruitione non reddere intellectum beati formaliter videntem, & fruentem. Probatur consequẽtia, quoniam cum Deus formaliter sit sua visio, & fruitio, non poterit intime vniri intellectui beato, quin illi vniatur, vt est visio, & fruitio, nam si Deus formaliter esset albedo, & alicui intime vniretur, non posset eum non reddere formaliter album.

6 Quinto. Quinto, si beatus formaliter esset beatus visione creata, plura sequerentur absurda. Nam primo sequeretur beatitudinem nostram esse accidens: quod apud Hugonem est absurdũ: esset enim ignobilior anima, & subinde non esset summum bonum. Deinde visio faceret nos videre: cũ tamen ipsa nõ videret. Tertio, aliqua creatura representaret Deum, sicuti est: esset enim Dei imago: Hoc autem esse non potest, nisi sit perfectionis infinitæ: vt pote terminata ad obiectum infinitum, & ad infinita in eo representata. Quarto, posset beatus non manere beatus sublata Dei [illegible] si nimirum Deus conseruaret [illegible] nem (vt potest) Deo non prę- [illegible] enim visio, cum sit formalis [illegible] nõ poterit nõ reddere beatã [illegible] ua est. Deniq; posset intelle- [illegible] ima separatus fieri beatus: [illegible] Deus illum ita separatum [illegible] cum illa creata visione.

[illegible] probant fieri non posse, vt [illegible] tur visione creata. Et Ripa [illegible] olum ita arguit: quoniam si [illegible] et creata non solum esset vi- [illegible], & Dei, sed prius esset visio [illegible] Dei. Consequens est falsum: quoniam visio illa non esset immediate diuinæ essentiæ. Deinde, quia daretur visio rei in proprio genere æque perfecta, sicut visio Dei: nam visio illa esset visio Dei, & præterea esset visio sui in proprio genere. In probatione consequentiæ Ripa adeo abutitur terminis, vt vel sint in intelligibilia, quæ affert: vel adeo contra principia Philosophię, vt ineptire videatur. Et quantum ego potui conijcere, ita probat consequentiam: quoniam visio creata per suum esse, esset visio beata, & per consequens secundum suum esse esset ratio cognoscendi Deum. Ergo prius esset ratio cognoscendi se ipsam, quam Deum. Hanc vltimam consequentiam dupliciter probat: primo, quoniam omnis natura intellectiua, quæ per solam suam essentiã potest intelligere alia à se, per prius est ratio cognoscendi se, quam alia. Sed visio illa per se esset ratio cognoscendi Deum: Ergo prius esset ratio cognoscẽdi se, quam Deũ. Deinde visio ipsa æque est in se quoddam visibile, & visio Dei. Potest igitur adæquatè videri in se per aliam visionem: quæ ipsa æque erit visio atque illa. Erit igitur visio ipsius visionis simul, & Dei. Cur igitur ipsa prima

7 Pro 2. parte probãda, arguunt 1. *Ripa.*

Confessose en el Colegio de la Compañia de Iesus de Granada, en del mes de de 163. años

ipsam deitatis essentiam; tum dicimus illum esse impossibilem, non solùm ob rationes adductas, sed argumento sumpto ab exemplo ferri candentis, quo vtitur: & denique, quia fieri non potest, vt seclusis illis dispositionibus creatis anima sit, aut appareat beata sola ipsa deitate, tanquam formali beatitudine. Quare concludendum est deitatis essentiã illapsam animæ nostræ esse nõ posse nobis formalem beatitudinem. Et hæc de prima propositione.

13 2. propositio. Secunda propositio: opinio Henrici falsa quidem est: nulla tamen temeritatis nota est digna. Hęc statuitur contra illos, qui putant opinionem Henrici esse temerariam. Contra quos nobiscum existimat Suarius in Commentariis ad primam secundæ q.3 Probatio. cula 1. in principio. P est digna censura ex nem formalem non ne, vt in sequenti quę nec item ex eo, quod tiã, vt in patria illaps tram formalem beati non ponat diuinam e ce informare animan affirmabit opinionem nã censura, vt sequenti

ARTICVLVS II.

Vtrum visio, aut fruitio diuina, qua Deus se ipsum videt, & se fruitur, sit nostra beatitudo formalis?

§. 1.

Refertur opinio affirmatiua.

1 *Ioannes de Ripa.* AD secundum, quod secundo loco disputandum proposuimus, affirmatiue respondet quidam Ioãnes de Ripa, qui putauit non solùm beatitudinem obiectiuam esse quid increatum, sed etiam formalem: beati enim (vt ait) non alia visione Deum vident, nec alia fruitione Deo fruuntur, quam visione, & fruitione, qua Deus se ipsum videt & se ipso fruitur, cõmunicata tamen, & vnita intellectui cuiuscumq; beati. Hãc opinionem suo tempore placuisse quibusdam refert. D. Bonauentura, in 3.d. *Bonauent. D.Gregor.* 14.art.1.q.1. eam Parisijs fuisse publice defensatam refert Greg. in 2.d. 7.q.2 quorum argumenta refert Adam in 1. q.2. & in 3.q.3. Eandem expresse probauit Hugo de Sancto Victore 3.tomo.tractat. de sapientia animæ Christi fol. 37. litera V.X. ita enim ait: *Cum igitur animas sapientes dicimus, istam increatam sapientiam cogitemus, & ipsam solam esse credamus, qua sapiunt, quæcunque rationales mentes intelligendo, atque discernendo perceperant. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Cognitio itaque Dei vita æterna est: & quid est cognitio Dei? nunquid accidens est? ergo amor Dei accidens est, & beatitudo accidens est, & in accidentibus est beatitudo nostra. Quare non magis Deus sit beatitudo nostra? ipse est sapientia, qua cognoscimus: ipse amor, quo diligimus: ipse gaudium, quo exul- tia est, qua omnes sapiũt: iunt; quia participando* mam Christi Domi- pientia increata; id at in illo tractatu, arum tract. 1. cap. 2. de Sacramentis . Quin potius affir- uisse aliam Sapien- vt patet in fine tra imæ Christi, & cla- tiarum dicto cap. ibit: *Sed cum sapien- a, quam diuina Sapiẽ- tia: quomodo potest fieri comparatio? indubitanter namque dicendum est, quod alia sapientia, quam diuina non fuit in Christo.* Non est igitur audiendus Suarius 1. tom. ad tertiã partem disp.24.sect.2. in secunda sententia, dum ait Hugonem expresse non negare esse in Christo aliquẽ actum creatum scientiæ.

2 Duo in hac opinione probant sui auctores. Hanc opinionem primò probant ostẽdendo rationibus Theologicis beatos videre Deum visione increata: deinde impugnando fieri non posse vt Deum videant Visione creata.

1. probatur autoritate Augustini. Primum probant auctoritate Augustini primo de Trinitate cap. vltimo: post quam enim docuit vitam æternam esse visionem, qua Deum videmus; asserit Deum illa visione bonũ esse his verbis: *Secundum illam visionem Deus bonus est, secundum quam visionem Deus apparet mundis corde.* Deus autem non est bonus visione nisi increata. Præterea eodem loco dicit. *Solam visionem, qua contemplabimur incommutabilem, & humanis oculis inuisibilem*

Dei

Dei substantiam, quæ solis sanctis promittitur, esse summum bonum nostrum. At nihil creatum potest esse nobis summum bonum. Accedit locus Augustini 8. supra Genesim ad literam cap. 27. vbi ait: *Deum per suam substantiam præbere loquutionem Angelis.* Quod nihil est aliud, quam Deum secundum suam substantiam se ipsum Angelis manifestare.

3 2. Ex verbis Ioannis. Deinde Hugo confirmat id ex verbis Ioannis 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quẽ misisti Iesum Christum.* At vita æterna non potest esse quid creatum, cum sit summum bonum.

4 3. Ratione. Tertio: Deus actu vnitur intellectui beati, tanquam species intelligibilis, & in actu primò. Ergo actu etiam vnitur per modũ visionis, & in actu secundo. antecedens est sententia Theologis recepta. Consequẽtia facile probatur apud eos, qui putant visionem actu non esse aliud, quam recipere speciem intelligibilem, ita vt intellectum recipere speciem intelligibilem formaliter sit ipsa intellectio: sicut receptio speciei visibilis formaliter est ipsa visio. Quare si intellectus beati suo modo veluti recipit ipsam diuinam essentiam ad modũ speciei intelligibilis: vtiq; ipsa diuina essentia erit illi formaliter visio, qua Deum videt. Probari etiam potest, quia non est maior ratio, cur diuina essentia vniatur cum intellectu beati, vt actus primꝰ & non vt actus secundus. Similiter etiã non est, cur diuina essentia, vt est essentia suppleat speciem intelligibilẽ creatam, & non suppleat, vt est visio, creatã visionem.

5 Quarto. Quartò, Deus formaliter est suum intelligere, suum amare, & suum frui: & actu intime vnitur intellectui beati eũ vitaliter immutando. Ergo non potest sua visione, & fruitione non reddere intellectum beati formaliter videntem, & fruentem. Probatur consequẽtia, quoniam cum Deus formaliter sit sua visio, & fruitio, non poterit intime vniri intellectui beato, quin illi vniatur, vt est visio, & fruitio, nam si Deus formaliter esset albedo, & alicui intime vniretur, non posset eum non reddere formaliter album.

6 Quinto. Quinto, si beatus formaliter esset beatus visione creata, plura sequerentur absurda. Nam primo sequeretur beatitudinem nostram esse accidens: quod apud Hugonem est absurdũ: esset enim ignobilior anima, & subinde non esset summum bonum. Deinde visio faceret nos videre: cũ tamen ipsa nõ videret. Tertio, aliqua creatura representaret Deum, sicuti est: esset enim Dei imago: Hoc autem esse non potest, nisi sit perfectionis infinitæ: vt pote terminata ad obiectum infinitum, & ad infinita in eo representata. Quarto, posset beatus non manere beatus sublata Dei presentia: si nimirum Deus conseruaret illam visionem (vt potest) Deo non presente: illa enim visio, cum sit formalis beatitudo, nõ poterit nõ reddere beatã animã, in qua est. Deniq; posset intellectus ab anima separatus fieri beatus: quia posset Deus illum ita separatum conseruare cum illa creata visione.

Deinde probant fieri non posse, vt Deus videatur visione creata. Et Ripa apud Capreolum ita arguit: quoniam si visio illa esset creata non solum esset visio sui ipsius, & Dei, sed prius esset visio sui, quam Dei. Consequens est falsum: quoniam visio illa non esset immediate diuinæ essentiæ. Deinde, quia daretur visio rei in proprio genere æque perfecta, sicut visio Dei: nam visio illa esset visio Dei, & præterea esset visio sui in proprio genere. In probatione consequentiæ Ripa adeo abutitur terminis, vt vel sint in intelligibilia, quæ affert: vel adeo contra principia Philosophię, vt ineptire videatur. Et quantum ego potui conijcere, ita probat consequentiam: quoniam visio creata per suum esse, esset visio beata, & per consequens secundum suum esse esset ratio cognoscendi Deum. Ergo prius esset ratio cognoscendi se ipsam, quam Deum. Hanc vltimam consequentiam dupliciter ꝓbat: primo, quoniam omnis natura intellectiua, quæ per solam suam essentiã potest intelligere alia à se, per prius est ratio cognoscendi se, quam alia. Sed visio illa per se esset ratio cognoscendi Deum: Ergo prius esset ratio cognoscẽdi se, quam Deũ. Deinde visio ipsa æque est in se quoddam visibile, & visio Dei. Potest igitur adæquatè videri in se per aliam visionem: quæ ipsa æque erit visio atque illa. Erit igitur visio ipsius visionis simul, & Dei. Cur igitur ipsa prima

7 Pro 2. parte probãda, arguunt 1. *Ripa.*

ma visio non erit visio, & sui ipsius, & Dei.

8 Secundo. Secundo, ita arguit: quoniam si illa visio creata sine visione increata perficit intellectum beati; obiectum beatificũ non in se, sed vt relucẽs in ipsa creata visione beatificabit intellectum beati, quod esse falsum multis confusissime tamen nititur ostendere apud Capreolum in 3. d.14.q.1.art.2. in 2. argumẽto contra primam fol.55.col.1. *Capreolus.*

Tertio. *Adamus.* *Capreolus.* *Gregor.* Tertio, quidam apud Adamum in 1. q.2.&in 3.q.3. & apud Capreolũ vbi supra quarto loco cõtra primam,& apud Gregorium in secundo d.7.q.2.arguunt medijs pœne infinitis: quæ tamen consulto omittimus, quia tangunt Philosophiam, vel omnino extraneam,vel iam sepultam.

§. 2.

Asseritur opinio negatiua.

9 NEgatiua opinio indubitanter asserit beatos non videre Deũ visione increata, sed creata,receptaque, & inhærente in ipso intellectu: & subinde beatitudinem formalem in nobis esse accidens creatum. Ita affirmãt omnes Theologi vno, vel altero excepto. Probant D. Thomas in hac 3. q. art. 1. vbi omnes illius interpretes, Caietanus,Medina, Conradus,Porrecta. Idem D.Thom.in 4.d.49. q.1. art.2. quęstiuncula 1. vbi D. Bonauentura art. 1. q. 1. Richardus art.1.q.3.idem D. Bonauentura in 3.d.54. artic.1. q.1.& in speciali contra Ripam, & alios Henricus in sũma ar. 49 q.5.lit.k.Capreolus in 3.d.14. q.1.art.1. conclusione 1. & art. 3. in argumentis contra primam, vbi late Hispalensis q.1.Gregor.in 2.d.7.q.2.Marsilius in 3.q.10.art.2. Caietanus 3. p. q.9. art.1.ad primum D. Thomæ, Conradus in hac q. 3. art. 1. vbi late Medina,idem Medina 3.p.q.9.art.1. Molina 1.p. q.12. art.1.disp.2.membr.2.Cumelius ibi ar. 5.q.1.conclusione 1.Suarius 1. tomo ad tertiam partem, disp. 24. sect. 2. §. *Dico tertio.*& in lib. 2.de attributis cap.11.nu. 9. Bellomontanus prima secundę disp. 7.cap.7.Valentia 2.tomo disp.1.q.2.pũcto 1.Consentit D.Thomas 3.p.q.9. art. 1.ad primum,& de Veritate q.20.art.1. in corp.& ad nonum,& in 3.dist.24. q.1. artic. 1. quæstiuncula 1. ad primum.

D.Thom. *Caietan.* *Medina.* *Conradus.* *Porrecta.* *D.Thom.* *Bonauent.* *Henricus* *Capreolus* *Hispalen-* *Gregor.* *Marsilius.* *Caietanus.* *Conradus.* *Medina.* *Molina.* *Cumelius,* *Valentia.* *D.Thom.*

Quorum nonnulli putant sententiam illam esse impossibilem: alij vt hæreticam, vel saltẽ temerariam reprobant: alij denique solùm eam reijciunt,vt extraordinariam, & paradoxam, à communi omnium via,& consensu recedentem Quare tota difficultas erit in explicanda falsitatis nota, quod iam explicamus.

§. 3.

Opinionem Ripæ,& Hugonis non satis conuinci impossibilem.

10 PRimo loco expendendum erit, an impossibile sit beatos Deum videre visione increata,qua Deus se ipsum videt? Cõmuniter Theologi,quos citauimus, & inter eos Suarius, putant hoc euidentem includere contradictionem. Primum fundamentum communiter sumitur ex eo,quod visio,qua beatus Deum videt,est quædam vitalis operatio: at de intrinseca ratione operationis vitalis est, quod sit elicitiue ab eo,qui per eam operatur: & oppositum implicat contradictionem. Ergo contradictionem implicat beatum videre Deum per increatam visionem, cũ hæc ab eo non sit.

11 Secundum fundamentum communiter summitur,quoniam visio beata,qua beatus videt Deum, ex sua ratione est actus immanẽs, quo beatus formaliter fit intelligens. At actio immanens ex sua formali ratione dicit formalẽ vnionem sui ad potentiam, quam constituit agentem; hæc autem vnio cum potentia, vel fit per summam identitatem sui cum ea, vt cõtingit in Deo, qui per suã essentiam est suum intelligere, & velle: vel per informationẽ propriam,quando actio distinguitur à potentia: informare autem eam non potest, nisi in ea recipiatur. Ob quam rationem communiter docetur, de ratione actionis immanentis esse recipi in eodem agente, cuius est actio: quæ Philosophia sumitur ab Aristotele 9.Metaphy.cap.9.tex. 16. Quin potius ideo potest formaliter denominare agentem, quia in eo recipitur. Sed visio increata,nec potest esse idem cum intellectu creato, nec in eo recipi,vt eum formaliter constituat intelligentem. Ergo fieri non potest, vt beatus *Aristot.*

beat⁹ Deũ videat per visionẽ increatã.

12 Tertium ex Caietan.

Tertio arguit Caietan⁹: quoniã omnis operatio est actus operantis secundũ esse naturale, prout esse naturale distinguitur contra esse intelligibile. Sed increata visio nõ potest esse alicui creaturę act⁹ secũdũ esse naturale, vt cõstat. Ergo nulla creatura potest intelligere ꝑ intellectionẽ, qua De⁹ seipsũ intelligit

13 Quarto arguit Bellom. explicans mẽtem Caietani in præcedenti argumẽto: quoniã omnis actio denominat agens, aut quia ab eo procedit, vt in actionib⁹ tanseuntibus: aut quia ab eo procedit, & in eo recipitur, vt accidit in immanẽtibus: nec enim actio agentis alio modo potest ipsum denominare. Cum igitur intellectio increata Dei non procedat ab intellectu creato, neq; in eo recipiatur, vt patet; nõ poterit intellectus creatus ab ea denominari intelligens.

14 Quartũ ex Valentia.

Quinto arguit Valentia: quoniam vt aliquis per actũ attingat obiectum, necesse est talem actum peculiari ratione esse propriũ ipsius. Sed actus increatus, quo Deus videt se, nõ est peculiari aliqua ratione proprius ipsius beati. Ergo per illũ non potest beatus Deũ videre. Maior (vt ait) patet ex cõmuni conceptione hominũ, quia obiectũ attingitur per actũ ipsius cognoscẽtis. Minor probat quoniã duobus modis intelligi potest actũ esse propriũ alicui: 1. si ab eo effectiue eliciatur: 2. si ab eo, vt à subiecto, caussave materiali depẽdeat inesse. Actus autẽ increatus Dei neutro modo dici potest actus ꝑprius beati. Nec soluues (inquit) argumẽtũ si dicas posse illũ actũ esse ꝑpriũ beati, quatenꝰ est vnita cũ illius intellectu, vt illius caussa: nã ea ratione visio Dei erit ꝑpria cuiuscunq; creaturæ; quia cum omnibus est vnita, tanquam caussa.

15 Sextũ fundamentum ex D. Thom.

Sexto arguit ex D. Tho. in 3. loco cit. quoniã intellectio, qua intellect⁹ noster intelligit, est de his, quę humanã naturã consequuntur secundum animã. Ergo nõ possumus intelligere per intellectionem, quæ nõ sit ab anima. Septimo ex eodẽ D. Thom. de veritate vbi sup. diuina essentia nõ potest esse actus corporis, nec vita substantialis eius, ergo nec etiam poterit esse actus intellectus, quo anima formaliter intelligat. Octauo ex eodẽ Thom. 3. p. vbi sup. Intelligere diuinũ est ipsa Dei essentia. Ergo nõ potest esse actus intellectus beati: quoniã actus proprius vnius naturæ non potest alteri naturæ cõmunicari. Nono arguunt Medina, Cumel. & Valẽtia: quoniã sequereꝫ beatũ posse cõprehendere diuinã essentiã: quod est impossibile. Sequelã probãt, quoniã eadẽ visio est cõmunis Deo, & beato. Ergo si De⁹ ita cognoscit suã essentiam, vt eam comprehendat; eodẽ modo beatus eam cognoscet: Etenim cognoscere aliquid nõ est aliud, quam habere illius cognitionem.

7. ex D. Th.

8. ex D. Th.

9. ex Medina, Cumel. & Valentia

16 Decimum.

Decimo arguit Suari⁹ vbi supra: quoniam sequeretur beatos posse formaliter esse iustos, & misericordes, iustitia, & misericordia increata, quod est falsũ. primo ex doctrina de iustificatione data à Tridentino sess. 6. can. 10. Deinde, quia hæ perfectiones pertinẽt ad naturæ diuinæ (vt ait ita dicã) cõstitutionẽ; cũ tñ diuina essentia nõ possit cũ creatura vniri in natura. Adde quia talis ꝑfectio, nec potest esse creaturæ substantialis, vt patet; nec accidentalis; quia cum illa sit substantialis, non potest subire rationẽ accidẽtis.

Trident.

Vndecimũ.

Vndecimo alij aguũt, si credim⁹ Suario: quoniã si visio increata ita esset vnita intellectui beato, vt redderet illũ actu intelligentẽ; talis vnio esset ꝑfecta in natura, & esset cõmunis toti trinitati: qđ est impossibile.

Postremũ.

*Postremo nonnulli ita arguunt: quia sequeretur dari inter beatũ, & Deũ cõmunicationem idiomatum, quod tamẽ est falsum: ad hanc enim cõmunicationem non sufficit minor vnio, quam hypostatica. Hæc adduci video, vt probetur implicare contradictionem beatum videre Deum per visionem increatam, qua Deus se ipsum videt.

17 Primi fundamenti solutio.

Sed argumenta, si istorũ vis, & efficacia recte expendaꝫ, impossibilitatẽ non cõuincunt. Nam primũ argumentũ supponit id, de quo non satis constat inter theologos: nec enim inter eos constat, an sit de rõe cuiusq; operationis vitalis vt ab operãte, & àprincipio vitę intrinseco eliciaꝫ? partẽ negãtẽ expresse ꝑbat Valentia 1. tom. disp. 1. q. 3. punct. 1. §. *Solet præterea*, folio: 48. vbi docet non esse impossibile actionem vitalem, qualis est cognitio, non elici à potentia, quæ per illam attingit obiectum. Hanc etiam impossibilitatẽ difficile proba-

Valentia.

ri posse libenter agnoscit Suarius ad 1. partem lib. 2. tract. 1. cap. 10. nu. 7. & in Metaph. disp. 48. sect. 2. nu. 9. Pro hac sententia faciunt Nominales cum Scoto, Richardo, Durando, Paludano, & alijs, qui putant visionem, qua beati Deũ vident, non elici ab intellectu beatorum, sed à solo Deo. Nec ab hac sententia lõge absunt, qui putant eam non effici ab intellectu, sed á solo lumine gloriæ. Et cũ omnes isti Theologi admittãt visionẽ beatã esse actionẽ vitalẽ, (nec enĩ negari potest esse actum vitæ) profecto, vt cõsequẽter loquãtur, non admittẽt esse de intrinseca ratione operationis vitalis esse à potẽtia, quæ per eam vitaliter operatur. De qua sentẽtia inferius agemus, & ibi patebit, in quonam præcise ponenda sit ratio vitalitatis. Quare ex hoc medio non satis conuincitur impossibilitas sententiæ aduersariæ.

Nominales. Scotus. Durand. Paludan.

Secundum argumentum videtur vrgentius; quoniam auctores, qui putant intellectum posse formaliter intelligere per intellectionem à se non elicitã; putant esse necessarium, intellectionem recipi, & inhærere in intellectu, vt per eã valeat intelligere, vt videre est apud Valentiam, & alios, quos citauimus. At tamen argumentum non necessariò videtur concludere aduersarios; quoniã admittent actionem immanentem ex sua ratione formali dicere vnionẽ formalem sui ad potentiam, quam constituũt, & nominant agentem: negabunt tñ vnionem illam, vbi actio immanens distinguitur à potentia, solùm fieri per intrinsecam informationem, & inexistentiam in potentia: nam licet id necessariò reperiatur in actione immanente connaturali potentiæ: non est tamen id de intrinseca ratione actionis immanẽtis, sed satis est, si vniatur potentiæ, vt forma extrinseca secundum esse intelligibile illi communicata. Nam de ratione speciei intelligibilis non est intrinsecè inhærere in pontentia; sed satis est, quod vniatur, & suo modo actuet, vt forma extrinseca: vt contingit in essentia diuina, quæ in patria subest vicem speciei intelligibilis. Quodsi essentia diuina in genere intelligibilium potest vniri intellectui, vt forma extrinseca; cur intellectio increata in ratione intellectionis id non poterit? Profecto non video, vnde hoc demonstrari possit impossibile. Argumentum igitur in hoc claudicat, quod omittit tertium vnionis modum, quem vt possibilem imaginantur aduersarij. Nam cum ipsa diuina intellectio ex sua natura sit actualis quædam expressio ipsius Dei; cur nõ poterit intellectum beati immutare, vt per eã notionaliter veluti tẽdat in Deũ, vt est obiectum beatificum?

18 Solutio 2.

Valentia.

Tertium argumentum, quo Caietanus putat se rem cõfecisse, sua se obscuritate, & intelligibilitate soluit: dum distinguit duplex esse; vnum naturale, & alterum intelligibile; duplicemque vnionem, siue actuationẽ actus: vnam secundum esse reale; alteram secundũ esse intelligibile: quæ distinctio licet probata sit D. Thom. in 3. cõtrag. c. 51. à pluribus tñ censetur gratis cõficta, vt à Suario 1. tom. ad 3. partẽ disp. 24. sect. 2. §. *Et hæc ratio soluit fundamẽtũ.* Et ad 1. partẽ lib. 2. primi tract. c. 12. n. 9. & 10. vbi probat esse intelligibile, vel nihil esse, vel distingui non posse ab esse reali. Vnde pẽnes hoc non potest distingui operatio intellectus ab specie intelligibili: & per consequens in sensu, quo essentia diuina potest vniri intellectui beato in ratione speciei intelligibilis, poterit etiã eidem vniri diuina intellectio.

19 Solutio 3. argum. *Caietan.*

D. Thom.

Deinde; si quæramus à Caietano, cur operatio, qua intellectus creatus intelligit, sit forma naturalis actuans secundum esse naturale, vt distinguitur ab esse intelligibili; nullam rationem reddit, sed solùm id probat, quia inductione patet intellectionem esse formam naturalem, quia ita reperitur in omnibus intellectionibus creatis. Quæ probatio, si vim habet, vtiq; etiam valebit, vt dicamus speciẽ intelligibilem esse formam naturalem: etenim inductione constat omnem speciem intelligibilem actuare intellectum secundum esse naturale, cum omnis in eo realiter inhæreat, vt optime contra Caietanum aduertit Suarius in dicta disputatione 24. Quare si ob explicatam rationẽ operatio increata intellectus diuini nõ potest cõmunicari, & vniri intellectui creato, vt per eam formaliter Deum videat, profecto eadem ratio satis erit, vt essentia diuina non possit cõmunicari, & vniri intellectui creato per

per modum speciei intelligibilis, vt per eam intellectus creatus vim habeat ad videndum Deum. Ex quibus patet argumentum Caietani, vt ab eo proponitur, non modo, nõ demonstrare impossibilitatem, sed rem istam reddere penitus inintelligibilem.

20 Alia via soluitur idem argumentũ.

Sed nec impossibilitas ista demonstrabitur, quãuis admittam[a] distinctionem formæ actuãtis potẽtiam secundũ esse naturale, & intelligibile: quæ distinctio si debite ad mentem D. Thomæ explicetur, solida est, & minimè improbabilis. Notandum est igitur apud. D. Thomam præter esse naturale, quod rebus conuenit secundum suas reales formas, siue substantiales, siue accidentales, dari aliud genus essendi secundum esse intelligibile: ita D. Thomas. 3. contrag. cap. 51. Admittit Ferrariẽsis ibi, & Caietanus 1. p. q. 12. art. 2. §. *In responsione ad tertium*, & alijs in locis. Quod essendi genus reperitur, in solis potẽtijs cognoscentibus actuatis per formas intelligibiles. Neq; dicitur sine fundamento: nã ex Arist. 3. de anima cap. 4. tex. 8. & cap. 5. tex. 18. vt intellectus possit aliquam rem intelligere, necesse est, vt fiat ipsa res: homo enim intelligens lapidem, fit lapis: idque non in genere entis naturalis, vt patet; fiet igitur lapis in genere intelligibilium: idque per formã intelligibilem lapidis, quæ cum si formalis imago lapidis, imò ipse lapis in esse intelligibili, dũ actuat intellectum, facit eũ esse lapidẽ in tali genere. Et ad hunc sensum explicari debet Auerroes in 3. de anima cap. 5. dũ docet ex specie, & intellectu magis fieri vnũ, quã ex materia, & forma: id enim ideo est verum, quia ex intellectu, & specie fit ipsum intelligibile, hoc est, intellectus fit res intellecta. Quare non sine fundamẽto D. Thomas distinguit duplex genus essendi: vnum secundum esse naturale ad extra: alterum secundum esse intelligibile intra ipsum intellectum. Primum genus constituit forma secundũ esse, quod habet in se ipsa: posterius verò constituit forma intẽtionalis, hoc est forma, quæ est formalis alterius representatio in esse intelligibili. Hæc supponimus ex mente D. Thomæ, quam Caietanus satis explicat, vbi supra, & q. 84. ar. 2. §. *Aduerte quod ratio ista.*

D. Thom. Ferrar. Caietanus. *Arist.* *D. Thom.* *D. Thom. Caietan.*

Ex quibus iam patet discrimen, quod Caietan[a] ponit inter operationẽ intellectus, qua formaliter intelligit, & speciẽ intelligibilem: putat enim intellectionem esse actum intellectus secundũ suũ esse naturale, non vero secundum esse intelligibile: oppositum docet de specie intelligibili. Sed iam inquiro à Caietano, cur species intelligibilis, vt talis est potius enumerabitur inter formas pertinẽtes ad gen[a] intelligibile, & actuãtes secundum tale esse; quam ipsa intellectus operatio? profecto cum vtraque sit rei intellectæ similitudo formalis, vna impressa, altera expressa; non est cur intellectio intra genus formarũ naturaliũ ita cõtineat; vt ad genus intelligibiliũ nõ pertineat; nã sicut intellectus per speciẽ intelligibilẽ fit ipsũ intelligibile in habitu, seu in actu primo: ita p intellectionẽ fit ipsum intelligibile in actu 2. intelligere enim non est aliud, quam intra se, & sibi actu exprimere rem, quę intelligitur. Porro si hoc admittatur (admittendum est autem ad mentẽ D. Thomæ) non video cur essentia diuina possit supplere vicẽ speciei intelligibilis, quatenus est forma in genere intelligibiliũ, ita actuando intellectum beati, vt ipsum faciat Deum in tali genere: intellectio autem diuina non possit supplere vicem intellectionis creatæ, non in genere entis adextra, sed in genere intelligibili intra intellectũ: ita vt intellectui sit actualis expressio essentiæ diuinæ, quæ intelligitur: nam quidquid reperitur in specie intelligibili, reperitur etiam in operatione nostri intellectus. 21

Poterit quis respondere cum doctrina Suarij 1. p. loco citato n. 8. & 10. & satis ad mentem D. Thomę, & Ferrariẽsis 3. contrag. cap. 51. in specie intelligibili reperiri, & rationem qualitatis mentalis, & rationẽ obiecti in esse intelligibili: species enĩ vere est qualitas, & vere est ipsũ obiectũ intali esse, cũ in illo vicẽ obiecti subeat: & quãuis vt est qualitas, respiciat intellectũ per modum formę: nõ tamẽ ita illũ respicit prout intra intellectũ est ipsum obiectum: quia vt sic illum respicit per modum principij iuuantis intellectum, & complentis actuitatem eius ad operandum. Quæ vnio per se non fit per modum formæ actuantis sed solum per modum formæ 22

assistentis,& coadiuuantis. Hoc autem genus vnionis non repugnat diuinę essentię,& ob id supplere potest vicē speciei intelligibilis, quatenus est species. Nō ita se res habet in intellectione:hæc enim,siue sumatur, vt est qualitas,siue vt est intellectio, semper respicit intellectū,vt est forma actuās,& informans. Ob quam rationem intellectio increata nō potest supplere creatam intellectionē, ita vt intellect⁹ formaliter ꝑ eā tendat in obiectum,& illud percipiat.

23 Præcludi potest ad uersarijs.

Ad hoc possent aduersarij respondere speciem intelligibilem apud veriorē sententiam non poni, vt sit principium partiale elicitiuum intellectionis, sed vt faciat intellectum esse ipsum inelligibile:quod necessarium est, vt intellect⁹ sit in actu primo ad intelligendū.Ethoc modo non potest non respicere intellectū per modum formæ actuantis: quod

D.Thom. Ferrar.

satis est de mente D.Thomę,& Ferrar. vbi sup. Quare sicut essentia diuina potest actuare intellectū beati ipsum cōstituendo Deū in esse intelligibili,vt fiat in actu 1. ad intelligendū diuinā essentiam absq;vlla reali informatione:eodē etiā modo intellectio Dei increata nulla intercedēte informationepoterit intellectū ipsum facere Deū in actu 2. exprimēdo illi ipsam diuinā essentiā,vt eā intelligibiliter attingat,& percipiat.Et hoc satis esse aduersarijs,vt non sine ꝓbabilitate impedirent demonstrationē impossibilitatis.

Alia Solutio eiusdem argum.

Eandem etiam euitabunt, si admissa explicata opinione dicant: quod sicut in specie intelligibili reperitur,& ratio qualitatis mentalis,& ratio obiecti impressi, sub qua sit assistens intellectui per modū principij elicitiui: ita etiam in intellectione reperitur,& ratio qualitatis mētalis,&ratio obiecti intelligibiliter expressi.Et licet subpriori cōsideratione respiciat intellectū,vt forma actuans,& in formans; non tñ ita illum respicit in consideratione posteriori; satis enim est, vt sit forma intellectui assistens,non quidem, vt forma elicitiua,sed vt forma formaliter expressiua diuinæ essentiæ ipsi intellectui beato.Et hæc pro solutione tertij argumenti, quod erat Caietani.

24 Solutio 4.

Ad quartū probare debuerat Bellomontanus nullam actionē posse aliter denominare agēs, nisi,vel ab eo sit, vel in eo: nam licet id sit verum secundum naturalem ordinem rerum: non est tamē perse necessarium in actione immanente, qua obiectum intētionaliter attingitur, & percipitur,vt ad secundum diximus: potest enim potentia cognoscens rationaliter tendere in obiectum (quod est opus vitæ) per notitiam,quę, nec sit ab ea,nec in ea per realem informationem. Quare cum in hoc sit status controuersiæ,committitur petitio principij,dum sumitur tanquam indubitatum id, quod in hac opinione negandum est.

25 Solutio 5.

Ad quintum, quod est Valentiæ respondendum est latere æquiuocationē in illo nomine, *proprio*: nam vel sensus est actū debere esse proprium, idest,cōnaturalem potentiæ,vt per illum potētia attingat obiectum; & neganda est maior; neccōmunis conceptio philosophantium, in eo sensu maiorem intelligit: sed in eo potius, vt actus,per quem obiectum attingitur,sit proprius potentiæ,idest vere illi communicatus. In quo sensu minor est falsa: quia licet actus increatus nō sit ꝓprius, idest cōnaturalis intellectui creato, est tñ proprius,idest cōmunicatus illi. Probatio aūt minoris idē, quod præcedēs argumentum vitiū continet: Supponit enim actū non posse esse agētis, ita vt per illū agat, nisi vel ab eo, vel in eo sit: quod esse falsum aduersarij, vt consequenter loquant̄,non possunt nō fateri, si sermo sit de actib⁹ imanentibus potentię cognoscentis,vt dixim⁹ ad secundū: ad hoc enim satis est,si actus vniatur potentiæ vnione formę intelligibilis; quæ nō necessariò requirit realē informationem potentiæ;vt patet in essentia diuina,put intellectui beato vnitur, tanquam species.Cur igitur non poterit eodē modo vniri increata intellectio? hoc contra aduersarios nō satis sufficienter ꝓbat̄.

26 Solutio 6.

Sextū argum.in antecedente includit æquiuocationē: nā si sensus est intellectionē cōuenire homini ratione animę, idest,mediāte anima; verisimū est antecedēs:nam cum homo intelligere nō possit, nisi per animam; intellectio, qua intelligit,debet homini conuenire, non mediante corpore, sed mediante anima.Porro si sensus est intellectionē,

qua

qua homo intelligit esse de his, quæ animam naturaliter consequuntur, illique naturaliter cõueniunt; petitur principium in antecedente: quia de hoc controuertitur, an intellectio necessario futura sit ab anima? quod non solũ negãt aduersarij, sed etiam quam plurimi, ex Theologis, vt ad primum diximus.

27 Ad septimũ admisso antecedente neganda est consequentia: quoniã diuina
Solutio 7. essentia nõ potest esse vita substantialis corporis, nisi illud intrinsecè informet: quod tñ non requiritur, vt diuina essentia, tanquã forma intelligibilis, & in genere intelligibiliũ actuet intellectũ: nã illi vnitur per modũ speciei intelligibilis absq; vlla reali informatione.

28 Octauum argumentum etiam sumit
Solutio 8. cõsequentiã negandam ab aduersarijs. Probatio autem sumit id, quod probandum erat; nam quanuis actus proprius, & naturalis vnius naturæ non possit alteri cõmunicari tãquam naturalis illi: bene tamen poterit nõ naturaliter: calor enim ignis communicatur aquæ, & subsistentia diuina cõmunicata est naturæ humanæ.

29 Ad nonum sequela argumenti est sa-
Solutio 9. tis infirma, vt bene annotauit Suarius ad 3. partem, disp. 24. sect. 2. §. *Quæres* 1. quia visio increata, etsi tota vnire-tur, non tamen totaliter, sed finito modo iuxta capacitatẽ intellectus eleuati lumine gloriæ. *Ripa.* Quæ solutio fuit Ripæ apud Capreolum loco citato art. 2. in primo argumento contra primam, fol. 55. col. 1. & satis colligitur ex Hugone: nam essentia diuina in ratione speciei tota vnitur intellectui beati: vni tñ magis, alij minus; ideo huic magis repreſẽtat quã illi, & nemini representat totaliter. Probatio autẽ sequelæ inutilem continet consequentiã: nam licet eadẽ visio sit cõmunis Deo & beato: non tñ eodẽ modo cõuenit beato, & Deo: quia Deo cõuenit essentialiter, & secundum totalem, & adæquatã suã representationẽ: beato autem conuenit perquandam cõmunicationem, & participationẽ: & ob id non potest illi vniri secundum suã representationem totalem, & adæquatam. Quare non bene infertur, si De' ea visione se cõprehendit, beatum eadem Deum cõprehensurum: nec cognoscere est habere cognitionem, sed habere eã, vt formalem, & actualẽ expressionem obiecti; quæ potest, vel totaliter conuenire, vel non totaliter, sed limitate.

Ad decimũ, quo vtitur Suarius. 1. respõ- 30
deri potest sequelã non tenere: quoniã Solutio 10.
iustitia, & cætera attributa nõ sunt entia intentionalia, formalesq; rerum similitudines, & imagines, quibus potentia in aliud tanquã in obiectum notionaliter, & intelligibiliter tendat: sed sunt veluti qualitates simpliciter absolutæ, inquibus relatio transcendentalis reperitur solùm ad subiectum, quod denominãt. Oppositum reperitur in intellectione, quę cum sit forma intentionalis, transcendentalẽ relationem habet non solùm ad subiectum, sed etiam ad obiectum, respectu cuius includit notionalẽ quandam veluti tendentiã, quæ sub hac particulari ratiõe vere est vitalis; quia isto modo nullus, nisi viuens potest ad obiectum tendere. Fieri igitur potest, vt intellectio increata quãuis cõmunicari nequeat sub ratione actus informantis subiectum; cõmunicetur tamen sub ratione formalis tendentiæ ad obiectum. In quo positum est principale huius opinionis fundamentum.

Secundo respõdetur admissa sequela 31
non conuinci falsitatem consequentis. Alia respõ-
sio.
Ad primam probationem dici potest, Tridentinum nõ agere de possibili, sed de facto: nec Suarius negabit posse Deũ *Trident.*
nos iustificare sine gratia inhærẽte per solam imputationem iustitiæ Christi, aut per solã gratiã increatam, per quã etiamde facto sumus extrinsecè dilecti, prius quam iustificemur. Secunda probatio parum efficit: quoniam licet perfectiones attributales non possint vniri creaturæ per intrinsecã constitutionẽ, ita vt cum illa vnã naturã cõstituãt, vt contra Eutychetem diffiniuit Ecclesia: bene tamen vniri possunt creaturæ per quandã extrinsecam cõmunicationem, atq; denominationem; sicut affirmat Hugo de Sancto Victore, cuius re- *Hugo de S. Victore.*
sponsio deberet impugnari à Suario.

Ad tertiam probationem, ex mente eiusdem Suarij facile respõdetur: nam perfectionem diuinam esse substantialem bene infert eam esse non posse verũ accidẽs respectu creaturę: non tamẽ inferre potest eã nõ posse habere modũ accidentis respectu illius, nec posse illi

vniri modo accidentario, ideſt, vnione non pertinente ad eſſentiam: conſtat enim diuinam eſſentiam, quę eſt ſubſtãtia modo quodam accidentario vniri cum intellectu beati, quãdo illi vnitur ad modũ ſpeciei intelligibilis. Nec alienum eſt à vera Metaphyſica ſubſtantiã poſſe alicui accidere, ideſt, accidentaliter cõuenire, illudq; denominare. Quin potius hæc eſt cõmunis doctrina, quam ipſemet Suarius docuit in Metaphyſica diſp. 37. ſect. 1. nu. 5. dum ait: *Et ſi id, quod eſt verum accidens, ſemper accidat alicui, non tamen omne, quod alicui accidit, eſt verum accidens: habet tamen modum accidentis: nam ferrum dicitur ignitum ab igne, vt à forma accidẽtaria, & poculum dicitur aureum ab auro: & homo veſtitus à veſte.* Quare ipſemet argumenti auctor argumenti ſolutionẽ ſuppeditauit. *Fonſec.* De qua doctrina vide Fonſ. in 5. Metaph. cap. 28. q. 19. ſect. 2. ad finem.

34 Solutio 11. Ad vndecimũ negandã eſſe ſequelã optime docet Suarius ad 3. partẽ diſp. 24. ſect. 2. §. *Dico tertio.* Etenim talis vnio nõ eſſet ſubſtãtialis, vt fieret in natura, ſed accidentalis, & ſecundum formam intelligibilem, quæ vniri poteſt abſque reali informatione, vt patet in vnione diuinæ eſſentiæ cum intellectu beati in ratione ſpeciei intelligibilis.

35 Solutio vlt. argum. Poſtremum argumentũ procedit ex ignoratione cõmunicationis idiomatũ, qua diuina homini, & humana Deo tribuuntur; hęc enim ſolùm datur ratione vnius perſonæ in duplici natura ſubſiſtentis: nã quia illa perſona, quę creauit Cęlos, eſt homo; ideo dicit homo creaſſe Cœlos: quãuis illos ñ creauerit, quatenus homo, ſed quatenus Deus: & quia illa perſona, quæ paſſa eſt, & crucifixa, quatenus eſt homo, eſt etiã Deus; ideo Deus dicitur paſſus, & crucifixus. Iam verò vnio intellectionis increatæ cũ intellectu beati nõ eſt vnio in perſona, ſicut nec talis eſt vnio eſſentiæ cum eodẽ intellectu in ratione ſpeciei. Quare ex neutra ſequi poteſt cõmunicatio idiomatum.

Ex quibus omnibus libenter fateor me neſcire conuincere impoſsibilitatẽ rei, de qua hic eſt ſermo: nec tamen puto id factu eſſe poſsibile: quoniam nõ omnia concedenda ſunt, vt poſsibilia, quę eſſe impoſsibilia conuinci non poſſunt. Et de his ſatis.

§. 4.

Opinionem Ripæ, & Hugonis nulla cenſura contra fidem poſſe notari.

39 Cẽſura Medina. SEcundo loco expendendum eſt, an opinio Ripæ, & Hugonis aliqua notari debeat cenſura contra fidem? Nam Medina, quẽ plures ſequuntur, hãc ſententiã reijcit, vt hæreticã: Cumelius abſtinet ab hæreſi, notat tamen eam temeritatis, & periculi in fide: Subſcribit Suar. 3. p. diſp. 24. ſect. 3. §. *Sed quæres* 1. pa. 494. Hanc cenſuram deducunt, 1. ex ſacris literis: deinde ex definitionibus Eccleſiæ: 3. ex doctrina Patrum: vltimo rationibus theologis.

37 Probatur 1. ex ſacris literis. Quod nõ conſentiat cũ ſacris literis inde probat Medina, quia ex ſacris literis euidenter colligitur beatos videre Deum per viſionem à ſe productam. 1. id colligit ex 1. Ioan. 3. *videbimus eum, ſicuti eſt.* Et Ioan. 14: *qui videt me, videt & Patrẽ meũ.* Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolũ Deũ verũ.* 1. Corin. 13. *Tũc autẽ cognoſcam ſicut, & cognitus ſum.* Videre autẽ in creatura rationali eſt producere intellectionem. Accedit, quia in ſacra Scriptura beatitudo dicitur vita æterna, vt patet Matth. 19: *Si vis ad vitã ingredi, ſerua mandata.* Ad Roma. 6. *Gratia Dei vita æterna.* At impoſsibile eſt creaturam viuere, niſi vita creata.

1. Ioannis. *Ioãnes* 14 *& 17.* *1. Corint.* *Matth.* *Ad Rom.*

38 2. Probatur ex Cõciliis Sexta Synodus. Secundo id deducunt ex definitionibus conciliorum. Nam in ſexta Synodo generali actione 17. in confeſsione fidei cõtra Machariũ definitur in Chriſto eſſe duas operationes: alterã naturæ diuinæ, alterã humanæ. Igitur Chriſtus eſt beatus viſione creata, & à fortiori quilibet alius beatus. Prȩterea in eadẽ confeſsione fidei, ita ſcribitur: *Agit vtraq; forma cum alterius cõmunione, quod proprium eſt: verbo ſcilicet operante, quod verbi eſt: & carne exequẽte, quod carnis eſt: nec enim in quoquam vnam dabimus naturalem operationẽ Dei, & creaturæ: vt nequẽ quod creatum eſt in diuinam inducamus eſſentiam: aut quod eximium eſt diuinæ naturæ, ad cõpetentẽ creaturæ locum deijciamus.* Cenſet igitur Conciliũ (inquit Bellomõt.) impoſsibile eſſe increatam operationẽ naturæ creatæ cõuenire poſſe: ſicut nec poteſt operatio creata increatæ naturæ tribui. Quare erit impoſsibile creaturam videre Deum viſione increata.

Tertio,

Definitio Agathonis Papæ.

Tertiò adducunt definitionem Agathonis Papę relatam in eadem sexta synodo, actione 4. & 8. vbi Agatho Papa ex eo probat in Christo esse non posse vnam operationem vtriusque naturæ, quia impossibile est propriam operationem vnius naturę fieri operationem alterius. Ita refert Suarius in dict. disp. 24. sect. 2. §. *Dico tertiò.*

Concilium Basilienſe.

Quartò in concilio Basilienſi sect. 22. contra quendam Augustinum de Roma damnatur hæc positio: *Anima Christi tam clare, & tam intense videt Deum, sicut Verbum ipsum.*

Concilium Viennense.

Quintò adducitur decretum Concilij Viennēsis in clem. ad nostrum de hæreticis, dum definit: *Beatum non posse videre Deum, nisi ipsius intellectus lumine gloriæ roboretur.* Quæ definitio teste Bellomontano supponit beatum videre Deum visione creata: nam si increata illum videret, frustra ad id requireret lumen gloriæ.

Valentia. Extrauag. Bened. 12.

Postremò adducit Valentia Extrau. Benedicti 12. in qua definitur, *animam esse beatam Visione, ac fruitione diuinæ essentiæ, & eam visionem, & fruitionem futuram æternam, & perpetuam absque vlla interruptione.* Quibus verbis (inquit) tanquam certū supponitur eam visionem, & fruitionem esse creatam, de qua sola quæri potuit, vtrum absque vlla interruptione futura sit: increatum enim esse æternum, per se est notum.

39 Tertiò probatur ex Patribus.

Tertiò afferunt aliquot Patrum testimonia: quorum alia probant in natura diuersa non posse dari vnam operationem; quod verbis expressis scripsit *Ambrosi⁹.* D. Ambrosius libr. 2. de fide cap. 4. *Damascen.* Damascenus lib. 3. de fide cap. 13. 14. & 15. *Leo Papa.* Leo Papa epist. 10. ad Flauianum, & epistola 96. ad Leonem augustum. Alia verò probāt nostram beatitudinem esse participationem quandam beatitudinis increatæ, & diuinę, à solo Deo nobis donatā: primum asserit *Greg. Nyſſenus.* D. Gregori⁹ Nyssenus in lib. de beatitudinibus oration. 1. & *Boetius.* Boetius lib. 3. de consolatione prosa 10. secundum verò *Ambroſ.* Ambrosius libr. 2. Officiorum cap. 1. & *Auguſt.* Augustinus lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 1. Quæ duo (inquit Valentia) *Valentia.* denotant beatitudinem nostram esse aliquē effectum creatum.

Quarto loco vtuntur rationib⁹ Theologis. Prima est: quoniam ex Tridentino sess. 6. canone 4. hæreticum est asserere liberum nostrum arbitriū nō operari aliquid ad nostram iustificationē. Ergo hæreticum erit beatum non operari ad suam beatitudinem.

Quarto loco probatur rationibus. Prima ex Tridentino deducitur.

Secunda ratio ex eodem Tridentino eādem sessione can. 10. hæreticum est asserere nos esse formaliter iustos per iustitiam: quæ est in Christo. Ergo hæreticum erit beatos in patria formaliter esse beatos per beatitudinē increatam, quæ est in Deo.

40 Secunda ex eodē Trid.

Tertia ratio: si beatus in patria videret Deum visione increata, omnes essēt æqualiter beati; quod est hæreticum. Probatur sequela, quia omnes æqualiter viderent Deum.

Tertia ratio

Quarta ratio; beati in patria non diligunt Deum dilectione increata: charitas enim viæ manet in patria ex Paulo 1. Corinth. 9. ergo nec videbunt Deum visione increata. Eadem enim est vtrobique ratio.

Quarta. 1. *Corin. 9.*

Postrema ratio; quia alioquin intellectus beati esset otiosus in patria. Hæc sunt argumenta quibus adducuntur, vt opinionem Ripę, & Hugonis, vel hæresis vel temeritatis nota accusent.

Vltima.

41 Ea, quæ adducta sunt, nullam censuram conuincunt.

Ego puto hanc opinionem etiam de facto intellectam ex eo temeritatis dānandam esse, quod in re grauissima sine vllo, vel apparenti fundamento doceat id, quod vnanimus theologorum consensus, tanquam absurdum, & improbabile reijcit: ex ijs tamen, quæ pro illius damnatione, & censura adducuntur; puto eam, non modo hæresis damnari non posse, sed nec temeritatis in fide. Quod ex solutione argumentorum patebit.

42 Responsio ad 1. argum. ex locis Scripturæ.

Ad primū argumentum sumptum ex sacra Scriptura dicēdum est ex illis locis non satis conuinci præcitatam opinionem: quoniam auctores illius nō negant, sed fatentur beatos videre Deum: negant tamen inde necessario inferri beatos videre Deū, non visione increata, sed creata. Nec fundamentum id necessariò conuincit: quoniam, nec ex sacris literis, nec ex indubitatis philosophiæ principijs deduci potest intelligere formaliter non esse aliud, quàm producere intellectionem: nam quod non sit de intrinseca ratione intellectionis, quòd ab intellectu effectiuè ꝓducatur;

præstantissimi Theologi defendunt; inter quos est Valentia, qui hoc argumẽto vtitur. De quo iam diximus in præcedẽte §. ad primum. Quin potius apud eos, qui admittunt intellectum producere intellectionem, intelligere formaliter, non est intellectionem producere, vt male supponit Medina. De quo tamẽ alibi disputatur.

Valentia.

Medina.

Deinde nec aliquid inferri potest ex locis secundo loco adductis: nam præcitati auctores non negant, nec negare possunt beatitudinẽ, qua beati formaliter sunt beati, esse vitam animæ beatæ: non quidem in actu primo, quæ est vita substantialis; sed in actu secundo, quæ dicitur vita accidentalis; & quanuis impossibile sit creaturã viuere vita substantiali, & in actu primo, nisi vita creata: tamen non id concedunt de omni vita accidentali, quæ posita est in operatione. Quare sumere hoc tanquam indubitatum, cum de eo sit controuersia, est aperta petitio principij, quod Valentia non aduertit. Discrimen autẽ inter vtramque vitam quoad hunc effectum explicauimus in præcedente §. ad septimum argumentum.

Valentia.

43 Responsio ad 2.

Ad secundum sumptum ex definitionibus Ecclesiæ dicendum est ex 6. synodo, quæ primo loco obijcitur, solùm colligi hæresim esse negare intellectui, & voluntati Christi omnem naturalem operationem, quasi intellectus, & voluntas humana Christi omnia intelligat, & velit per intellectionem, & volitionem increatam: ita vt nullum habeat naturalem actum intelligendi, & volendi, ex quo non bene infertur Concilium damnasse eos, qui assererent animam Christi videre Deum visione increata; dummodo illi non negentur alij actus creati circa alias res, vt bene aduertit Suarius in dicta disput. 24. sect. 2. ad finem, §. *Respondeo.*

Explicatur primus loc' 6. synodi.

Exponitur secundus.

Ad locum eiusdem sextæ synodi obiectum secundo loco patet solutio ex ipsismet verbis: in illis enim solum negatur dari posse vnam operationem in Christo, quæ & Deo, & animæ Christi sit naturalis, vt patet ex illis verbis: *nec enim in quoquam vnam dabimus naturalem operationem Dei, & creaturæ.*

44

Ex quo perperã infertur negare Cõcilium dari posse vnam, & eandem operationem Dei & creaturæ, quæ Deo sit naturalis, creaturæ autem supernaturalis, & gratuita: ex hac enim operatione, *nec id, quod creatum est in diuinam inducitur essentiam: nec quod eximium est diuinæ naturæ, ad competentem creaturæ locum deijcitur.* Hoc enim absurdum à Concilio illatum solùm infertur, quãdo illa operatio, ita est Deo & creaturæ cõmunis, vt vtriq; sit naturalis: nã si illa naturalis est Deo, non potest esse naturalis creaturę, quin ipsa creatura in diuinam essentiam inducatur: similiter si est naturalis creaturæ, non potest id, quod diuinũ est nõ deijci ad locum naturaliter competentem creaturæ: hæc omnia absurda cessant, si illa communis operatio soli Deo est naturalis, creaturę autem solũ gratuita & supernaturalis. Quare non video, vnde Bellomontanus colligat censuisse Conciliũ impossibile esse increatam operationem posse conuenire naturæ creatę: melius colligeret sensisse Concilium operationem increatam nõ posse alicui creaturę naturaliter conuenire. Ex quo nihil colligi potest contra opinionem Ripæ, & Hugonis.

45 Explicatio 3. loci.

Tertius locus ex Agathone non satis fideliter refertur à Suario, ita enim habetur in 6. synodo act. 4. in 2. tom. Conciliorũ impressionis Coloniæ pag. 914. col. 1. & ęditionis venetę in 3. tom. pag. 249. *Nec enim poterit angelica natura diuinã habere voluntatem, aut humanam; nec humana natura voluntatem Dei, vel angeli; sicut nec alterius, quam est quisquam naturalem habere poterit motum, nisi quod est naturaliter, aut creatus est.* Quę verba solùm probant fieri nõ posse, vt actio naturalis, aut diuinæ, aut angelicæ naturæ sit naturalis homini: quod verò eadem actio aut Dei, aut angeli non possit homini conuenire, ita vt Deus per eã naturaliter intelligat, homo autem supernaturaliter: id nec Agatho docet (nihil enim hoc ad illius institutũ pertinebat) nec ex verbis eius infertur, si ex fonte fideliter referãtur, nam vbicunque loquitur de diuina voluntate, & volitione, semper addit eam non potuisse humanitati Christi naturaliter conuenire: ita enim ait: *Nec humanitatem eius diuinã habuisse naturaliter voluntatem credendum est.*

Quod quarto loco adducitur ex Cõcilio Basiliẽsi nihil officit: quia ipsamet

Explicatus 4. locus.

propo-

propositio se ipsam explicat, vt in ea sermo sit de visione creata animę Christi: nam & de creata volitione agit alia propositio eo in loco damnata, quæ asserit voluntatem creatam Christi ęque amare humanitatem vnitam, atque diuinitatem. Quare præcitata propositio ex eo capite damnatur, quod visionem creatam animæ Christi adęquat visioni, qua Deus se ipsum videt.

46 Explicatio quinti loci.

Decretum Concilij Viennensis quinto loco adductum, quomodo supponat visionem, qua beati Deum vident esse creatam; plane non video: nam quod inde sequatur beatos non indigere Lumine glorię, friuolum est; quoniã dici potest (vt bene aduertit Suarius) lumen glorię non poni, vt intellectus visionem eliciat; sed vt supernaturaliter eleuetur ad ordinem diuinum, quo fiat capax, vt diuina essentia se illi vniat per modum speciei intelligibilis, quę fuit plurimorum sententia. A fortiori igitur lumen illud esset necessariũ, vt intellectus beati eleuaretur, vt diuina visio posset illi vniri per modum visionis: nam sic intellectus beati indiget lumine gloriæ, vt possit vniri diuinę essentię per modum actus primi, & speciei intelligibilis; à fortiori illo indigebit, vt vniri possit diuinę visioni per modum actus secundi, vt ea possit formaliter attingere, & apprehẽdere diuinam essentiam. Friuolum igitur est argumentum, quod sumitur ex definitione Concilij Viennensis.

Explicatur 6. locus Extrauag. Benedicti.

Sed nec video vim aliquam in argumento Valentię desumpto ex definitione Benedicti 12. nam solum definit animam esse beatam visione diuinæ essentię, eamque esse perpetuam, & absque vlla interruptione. Iam verò licet devisione increata quæri non possit, an in se ipsa æterna sit? potest tamen quæri, an illius vnio, & coniunctio cum intellectu beati futura sit perpetua, & sine interruptione? Ex quibus patet argumentũ sumptum ex diffinitionibus Conciliorum, & Summorum Pontificum satis esse infirmum, non modo, vt opinio Hugonis hæreseos damnetur, sed nec alicuius in fide temeritatis.

47 Soluitur tertium argumentum ex Patribus.

Tertium argumẽtum ex Patrum testimonijs paruam habet efficaciam, vt dicat Suarius Patres ferè aperte Hugonis opinioni contradicere. Illa igitur, quæ priori loco adducuntur, manifestè loquũtur de naturali operatione diuersarum naturarum: nam sicut Concilia ex eo, quod in Christo diuersę sunt naturę substantiales, non simpliciter inferunt diuinam operationẽ esse non posse operationem naturę humanæ, sed esse non posse illi naturalem: ita etiam Patres: etenim naturæ humanæ dandam esse naturalem operationem non negabant hęretici, contra quos & Concilia, & Patres argumentantur: volebant tamen eam, quam Deo naturalem esse admittebant; etiam humanitati esse naturalem: quod falsum esse, & omnino impossibile insolubili quodam argumento sumpto ex diuersitate naturarum, tã Concilia, quàm Patres demonstrabant.

Ambrosius igitur libr. 2. de fide cap. 4. pag. 391. vt probet Christum secundũ diuinitatem eiusdem esse naturæ cũ patre, ita scribit: *Si Christus est natura minor patre, quomodo ea similiter facit, quæ pater facit? nam quemadmodum eadem operatio diuersæ esset potestatis? nunquid sic potest minor, quẽadmodum maior operari? aut vna operatio potest esse, vbi diuersa est substantia?* In quibus verbis illa duo aduerbia *similiter*, & *sic*, emphasim habent, & naturalitatem declarant, & sensum præcedentium verborum satis exponunt. Sensus ergo est: *si Christus est minor natura patre; quomodo eadem, quæ pater facit, simili modo facit.* Hoc est eãdem actione sibi cum patre naturali. Quare ex diuersitate naturarum infert impossibile esse vnam operationem vtrique naturæ esse naturalem, & in hoc sensu intelligenda sunt verba illa: *nam quemadmodum eadem operatio diuersæ esset potestatis?* Idest naturaliter diuersis potentijs conueniret. Quod etiam explicant illa verba: *nunquid sic potest minor, quemadmodum maior operari?* Sic inquam. i. vt vterq; naturaliter eadẽ operetur. Quare vltima verba: *aut vna operatio potest esse, vbi diuersa est substantia?* Ex præcedentibus sensum accipiunt, vt vna operatio esse non possit, vbi diuersa est substantia: vna, inquam, naturaliter vtrique cõueniens. Denique D. Ambrosius eodem in loco ex eo; quod filius similiter facit ea, quæ pater facit; infert filium eiusdẽ esse substantiæ cum patre. Quæ illatio ex eo præcise vim habet, quia operatio, qua filius ea operatur, quæ operatur pater,

Ambros.

Ambros.

pater, est illi naturalis, sicut naturalis est patri.

48 *Damascen.* Damascenus etiam in eodē sensu intellexit illa verba: *quorum natura diuersa; eorum diuersa est actio: & quorum vna actio; horum quoque substantia vna.* Quæ formaliter habentur lib.2. de fide c.15: etenim in toto illo capite semper agit de actione naturali, quam initio capitis diffiniuit illis verbis: *actio est efficax, & substantialis naturæ motus: natura ipsa, à qua actio prodit.* In quo sensu verissima est doctrina, quam in eodem capite sæpius inculcat, ex natura diuersa diuersam inferri actionem: & ex vnitate naturæ, vnitatem etiam actionis conuinci. Denique id euidenter apparet ex ijs, quæ docet cap. 13. & 14. vbi de actionibus naturalibus vtrique naturæ Christi euidentissimè agit. *Leo Papa.* Quid autem Leo Papa in præfatis epistolis scribat, in quo Ripæ contradicat, plane non video. Sicut etiam nec aliquid aduersus illum inuenire potui apud Augustinum in lib. de duabus animabus contra Manichæum c.10. quanuis à Suario in contrarium citetur. *August.*

Quę secundo loco adducuntur à Valentia, maiorem videntur habere vim: sed non omnino conuincunt: nam licet beatitudo increata, qua anima iuxta Ripæ sententiam formaliter est beata, in se ipsa non sit participatio beatitudinis increatę, vt patet: ipsa tamen, vt animæ communicatur, non solùm dici potest nobis à Deo donata: sed etiā aliquo modo participata à se ipsa, prout est formalis Dei beatitudo. Et hęc pro solutione argumenti desumpti ex Patrum testimonijs.

49 Soluitur 4. argumentū ex rationibus. Solutio primę rationis ex Trident. Quartum argumentum, quod rationes theologicas continet, facilem habent solutionem. Nam primum ex Cōcilio Tridentino satis infirmam habet consequentiam: plures enim Theologorum volunt, beatum actiue non concurrere ad visionem beatificam, sed solùm passiue. Quorum sententiam, vt falsa communiter reijcitur: nullus tamen hucusque eam damnauit vt hæreticā. Adde, quod dispar datur ratio in vtroque: quoniam in via ex diuina institutione debemus meritorie operari nostrā salutem: meritum autem non datur, nisi liberum arbitrium actiue ad actionem concurrat: at in patria non oportet, vt visio, qua beamur, sit libera; sed in omni opinione est necessaria. Accedit tertiò, quoniam in via Deus nō vnitur aut voluntati, aut intellectui secundum suā essentiam clare repræsentatam; sed solùm vnione quadam obscura, & ænigmatica per actum quendam obscurum, quem visio increata se ipsa supplere nō potest, cum sit clara expressio diuinæ essentię: iam verò in patria Deus vnitur clare, & distincte intellectui per visionē distinctam, & claram: hanc autem visionem increatam supplere, non probatur esse impossibile.

50 Solutio secundæ rationis. Secunda ratio sumpta ex eodem Tridentino habet etiam consequentiā disparatam: quid enim cōmune habet visio increata, qua Deus se ipsum videt, cum iustitia Christi; vt si hæc de facto non est invia formalis hominis iustitia, nec etiam visio increata de facto sit formalis visio animæ beatæ? profecto non video, vnde illa consequentia valeat.

Solutio 3. Tertia ratio infirma satis nititur cōsequentia: nam si visio increata inęqualiter se cōmunicaret; nec omnes æqualiter viderēt, nec omnes æqualiter beati forent. Vide, quæ diximus in §. superiori ad nonum argumentum.

Solutio 4. Ad quartam rationem Ripa, & Hugo negarent antecedens: nam cum ponant beatos in patria per beatitudinē increatam formaliter esse beatos: beatitudo autem, & in intellectu, & in amore ponatur; sicut docent beatos videre Deum visione increata; ita etiam docebunt eos amare Deum increato amore. Nec probatio valet: nam quanuis sit de fide charitatem viæ manere in patria; cum id Paulus doceat: non est tamen de fide amorem beatificum elici à charitate. Nec proinde ibi esset otiosa: quia etsi illa non concurrit ad amorem matutinum: potest tamen concurrere ad vespertinum, quo beati, & Deum diligunt, & se ipsos, & cęteros omnes propter Deum.

Solutio vltimę rationis Ex quo iam patet solutio ad postremam rationem: neganda est enim sequela: quoniam licet beatus non haberet cognitionem matutinam à se elicitam: haberet tamen verspertinam.

Et ita libera manet opinio Ripæ à censura.

(.?.)

§. 5.

§. 5.

Opinionem Ripæ falsam esse, & omnino reijciendam.

51 EX dictis constat opinionem Ripę, nec rationibus conuinci posse impossibilitatis, nec ex Scripturis, Concilijs, aut Patribus damnari posse temeritatis. Nihilominus tamen eam, vt vere falsam reijcimus: imò etiam, vt temerariã ex eo capite, quod in re grauissima à communi Doctorum torrente sine solido fundamento recedat. Ob quam rationem D. Bonau. in 3. d. 14. ar. 1. q. 1. putat eam annumerãdam esse cũ positionibus extraneis. Quin potius ex eo debet reijci tanquam falsa: quoniam etsi de potentia absoluta fortè non repugnat intellectum creatum posse Deũ videre visione increata: concedendum tamẽ est intellectum creatum non modò posse Deum videre visione creata (id, quod nec aduersarij negabunt, cum id nullo ex capite repugnet) sed etiam hunc videndi modum illi supernaturaliter eleuato esse maximè connaturalẽ: imò etiam ex sua natura debitum, quatenus est quædam potentia vitalis, & quædam vita in actu primo eleuata ad ordinem supernaturalẽ patriæ. Id, quod facilè est demõstrare ex principijs philosophię: nam ex eo, quod animatum ab inanimato per se distinguitur vita, id est operatione vitali, vt ait Aristoteles 2. de anima c. 2. tex. 13. iuxta communem explicationem, colligit inde Aristot. ibi tex. 18. animam esse id, quo primo viuimus, sentimus, & intelligimus: ita vt anima, quatenus anima est, & vita quædam substantialis sit principium radicale, & primum operationis vitalis, qua viuimus; hęc enim est communis explicatio illius loci. Ex quo infertur animam intellectiuam, vt est vita quędam substantialis, ex sua natura vendicare sibi actũ vitalem, quo actu viuat. Et quanuis act' vitalis ex sua intrinseca ratione forte non vendicet esse à principio vitæ intrinseco (quia intellectus per absolutã Dei potentiam potest intelligere per intellectionem à se non elicitam) dubitari tamen non potest id esse de ratione intrinseca actus vitalis, quatenus est connaturalis animæ per eum intelligẽtiã: & inde est, vt anima modo sibi cõnaturali intelligens non intelligat, nisi per actum, cuius ipsa sit principiũ elicitiuũ.

D. Bonau.

Falsitas præcedentis sẽtẽtiæ demõstratur.

Arist.

52 Id autem, quod anima sibi naturaliter vendicat, quatenus est vita substantialis intra cãcellos naturalis ordinis; vendicat etiam sibi, prout est vita substantialis eleuata ad ordinem supernaturalem, tam gratiæ in via, quàm glorię in patria: nam in vtroque illo supernaturali ordine anima non potest non esse vita substantialis, qua primo viuim': operationes enim vitales vtriusque illius vitæ non possunt nos efficere viuẽtes, nisi per animam. Porro si ipsa anima in vtraque illa vita est principium, quo viuimus, non potest non sibi vendicare aliquem actum vitalem sibi cõnaturalem in illo esse eleuato, cuius ipsa sit principium elicitiuum: actus enim primus in vnaquaque vita ex sua natura postulat actũ secundum sibi propriũ, & connaturalem. Quod si admittatur (admittendum est autem necessariò) ad suauem Dei prouidentiam, & ordinationem spectat, vt in omni statu Deus sinat res operationes suas modo sibi proprio, & connaturali operari. Quare licet intellectus in patria per diuinã potentiam forte posset Deum videre visione increata; cum ille etiam possit eũ videre visione creata; & iste modus videndi sit illi connaturalis; profecto iste admittendus est, & non ille: quia Deus in statu beatitudinis non instituit ordinem extraordinarium, & supra naturã illius supernaturalis status: sed ordinarium, atque consentaneum naturis rerũ, ne cogatur perpetuo vti miraculo.

53 Cui illud etiam est vel maximo argumento, quod in vita gratię, qua viuimus in hac vita, hunc ordinem dispositionis obseruauit, vt sineret animam operationes vitales illius vitæ elicere modo sibi connaturali: anima enim in via, & credit per actum fidei à se elicitum, & diligit per elicitum amorem, ad quem liberum arbitrium se disponit ex Tridentino sess. 6. can. 4. Quod si charitas in via ad actũ amoris elicitiuè concurrit: vtique maiori cum ratione concurret in patria ad amorem beatificum: tũ, quia in patria habet statum cõsummatum, & perfectum, vt ad actum voluntatis perfectissimum cõcurrat: tum etiã, quia amor beatificus est prẽmium eorũ

Badẽ ratio cõfirmatur.

Trident.

merito-

meritorum, quorum ipsamet charitas fuit principium. Denique, cum id cedat in maius decus, & ornamentum status beatifici, non est cur hunc ordinē alioquin possibilem, & beatis connaturalē Deus non instituerit. Quare etiamsi ratio actus vitalis (quæ communiter adducitur in confirmationem huius veritatis) in ordine ad diuinam potentiam forte non conuincat; vt in superioribus ostendimus: ratio tamen illius, vt connaturalis est intellectui beato, omnino conuincit, vt iste ordo sit institutus à Deo, vt sc. videatur visione creata. Et hæc pro impugnanda opinione Ripæ.

§. 6.

Soluuntur argumenta priori loco in contrarium adducta.

54 Soluitur primum argumentū pro sententia Ripæ adductū. *Augusti.*

AD argumenta, quę priori loco adducuntur §. 1. vt probetur beatos videre Deum visione increata, respondendum est. Ad primum dicendum est Augustinum in primo loco non dicere Deum esse bonum sibi ea visione, qua nos eum videmus: id enim esset falsum, quanuis nos visione increata Deū videremus: quia Deus non est formaliter bonus visione, sed bonitate sua. Solùm igitur asserit Deum ea visione, qua nos eum videmus, esse bonum nobis: quia ea communicat se nobis, vt sūmum bonum obiectiuè beans. Ex quo non infertur visionem, qua Deum videmus esse increatam: quia satis est visio creata, vt Deus se nobis communicet, tanquam summum nostrum bonū. Cum verò addit visionem, qua Deū videmus, esse summum bonum, id intelligendum est de visione creata: hæc enim, cum sit nostra formalis beatitudo, est summū bonum nobis, quia est id, quo formaliter beamur.

Nec Augustinus ait Deum per suam substantiam dare loquutionem angelis: sed per suam substantiam loqui illis: per suam inquam substantiam. i. per se ipsū immediatè, non verò mediante aliqua creatura, quæ loco Dei illis loquatur, quomodo sæpe loquutus est hominib⁹. Dicitur autē loqui ad angelos per suā substantiam; non quod ipsa Dei substātia sit formalis loquutio, & manifestatio, qua angeli verba Dei ad se facta percipiant: sed eo modo, quo Deus interius, & angelis, & nobis loquitur; nimirū producendo in intellectu signa quædam expressiua rerū, de quibus est sermo: hunc enim sensum ipse Augustinus explicat, dum ait: si Deus per suam substantiam loquutus fuit; illa loquutū fuisse, vt eius mentē miro, & ineffabili quodam modo mouerit ipse in se immotus. Igitur apud Augustinum Deus, quando per suam substantiam alicui loquitur; loquitur mouendo mentem eius, cui loquitur per signa quædam interna, vt ad Dei verba attendat.

55 Solutio secundi argumenti.

Ad secundum respondetur locū Ioānis Hugonem non iuuare. Primo, quia locus ille non explicatur de vita æterna patriæ, quę est per visionem claram, sed de cognitione, quę est in via per fidem, vt exponunt Cyrillus, Augustinus, Chrysostomus, Basilius, & cæteri omnes. Deinde, quia intelligitur de vita ęterna; nō quidem obiectiua, quam omnes admittimus esse bonum increatum: sed formali; qua formaliter viuimus. An verò hęc sit quid increatum, vt Hugo vult; an creatum aliquid, vt nos verisimè volumus; verba illa non declarant. Quin potius denotant esse quid creatum: quia omnis alia vita, qua formaliter viuim⁹, est quid creatum.

Cyrillus. Augusti. Chrysost. Basilius.

56 Solutio tertij argum.

Ad tertium facilis erat solutio, si vera foret opinio, quę negat essentiam diuinam vniri intellectui beato per modum speciei intelligibilis: siue, quia beati viderunt Deum per speciem intelligibilem creatam, vt volunt Aureolus, Richardus, & alij: siue, quia prętер lumē gloriæ nō est necessaria aliqua species, nec diuinam essentiam subire vicē speciei, quæ fuit opinio Bellomontani: negandum enim erat antecedens. sed quia communior, & verior sententia admittit diuinam essentiam vniri intellectui per modum speciei; admisso antecedēte neganda est consequētia propter diuersam rationem, quæ reperitur inter speciem intelligibilem, & intellectionē: nam intellectio, quando est connaturalis intellectui (qualis est visio beatifica, vt supra diximus) nec potest non esse elicita ab intellectu; nec in eo nō recipi ꝑ realem informationē, vt iam ostendimus. Quod non conuenit speciei intelligibili, quæ ex sua ratione, nec vendi-

Aureolus. Richardus.

cat

cat sibi esse ab intellectu effectiuè: nec quatenus est species per se vēdicat actuare intellectum per realem informationem, vt dicemus in quęstione, an essentia diuina vniatur intellectui, tanquam species.

Ex quo patet solutio ad secundam, & tertiam probationē consequentiæ. Prima autē supponit opinionem falsam: nā sicut intelligere formaliter non est recipere speciē intelligibilē; ita nec intellectio formaliter est ipsa receptio speciei, vt contra Godphredum, & Aureolū latè ostendimus in libris de anima cum Capreolo, & alijs in 3. d. 35. q. 1. & Cursu Conimb. in 2. de anima c. 8. q. 4. ar. 1.

Godphred. *Aureolus.* *Capreolus.*

57 Ad quartū admittimus Deum formaliter esse suum intelligere, & amare: cū verò dicitur in minore Deū vniri cum intellectu beati vitaliter, & intelligibiliter eū imutando; si intelligatur, quod ita vniatur absq; visione creata; petitur id, quod erat probandū. Dicimus igitur Deū intimè quidē vniri cū anima, & intellectu beati vnione generali secundū essentiā, præsentiam, & potentiam, qua intime est in omnibus rebus: hanc autē vnionē non satis esse, vt vniatur intellectui in esse intelligibili, nec vt obiectū, nec vt species, nec vt formalis visio. Et quāuis Deus secundum suam essentiam de facto sit vnit⁹ intellectui beato vnione obiectiua, & tanquā obiectum, & tāquam species: non tamen est illi vnitus, vt est sua visio: vel quia fieri non potest, vt isto modo illi vniatur, vt habet communis opinio; vel quia nō vult ita illi vniri, iuxta ea, quæ diximus in §. præced. Quod verò adducit de albedine ita est explicādū, vt vnio cōmunis, & generalis nō satis sit, vt vniatur, tanquam albedo: sed opus sit alia vlteriori vnione per inhærētiam, vt possit formaliter efficere album. Sic dicendum erit in proposito.

Solutio 4.

58 Ad quintum neganda est sequela. Ad probationem respondetur non esse absurdum id, quod primo loco infertur: quoniam accidens, etsi non potest esse summum bonum obiectiuū, & vt quod; potest tamen esse, & de facto est summū bonum formale, & vt quo: ad hoc enim satis est, quod sit adeptio summi boni, vt docet D. Thom. in hac q. 3. ar. 1. ad 2: nam, & in eodem sensu dicitur vltimus finis ibi ad 3. Vtrum autem summū bonum formale simpliciter debeat esse nobilius omni alio ente? suo loco explicabimus: nunc dicimus nullum esse incōmodum, si accidens in genere entis sit ignobilius substantia, & sub aliqua ratione sit ea nobili⁹. Et ita patet solutio ad secundum absurdum: nam sapientia, & visio beata facit nos Deum videre, vt forma videndi: nec est absurdum visionem esse formam videndi, & ipsam non videre. Imò nec ipsa visio increata sub ratione formali visionis dicitur videre, sed Deus, qui essentialiter est sua visio.

Soluuntur quinti argumēti absurda. Soluitur 1.

D. Thom.

Soluitur 2.

Ad tertiū respondetur non esse absurdum, sed verissimum aliquam rē creatam repræsentare Deum, sicuti est: nec inde inferri potest eam esse infinitā, aut entitatiuè, aut intēsiuè, aut etiā repræsentatiuè: nam quāuis repręsentaret id, quod inse est infinitū; nō tamē illud repræsentaret totaliter, sed finito modo: de quo suo loco plura sunt dicenda.

Soluitur 3.

59 Pro resolutione quarti absurdi supponendum est visionē illam conseruari non posse, si Deus per impossibile destruatur: Deo enī destructo omnia creata destruātur, necesse est. Similiter supponendum est fieri non posse, vt Deus sit alicui absens secundum præsentiam localem: quia Deus ratione suę immensitatis vbique est prędens secundum suā præsentiam, & potentiam. Solùm superest præsentia obiectiua, qua Deus se se videndum obijcit intellectui, prout est in se ipso: secundum quam præsentiam non se se obijcit viatoribus: & in hoc sēsu dicitur esse absens nobis, quādiu sumus in via. Obiectio igitur non potest intelligi, nisi de hac præsentia obiectiua. In quo sensu supponit posse Deum conseruare visionem creatam Deo non præsente. i. Deo se se obiectiuè non prędentante intellectui beati: & hinc infert posse beatum manere beatum Deo isto modo absente: & hoc reputat absurdū. Vtrumque autem, quod supponitur, est satis dubium. Quod facilè patebit, si aduertas omnes sentire dari non posse, aut conseruari visionem intuitiuam cuiusq; rei, si ipsa res omnino fiat absens, etiam obiectiuè. Vt bene aduertit Cursus Conimbricensis secundo de anima cap. 6. q. 3. artic. 1. §. *Denique tertia pars*, & Bellomontanus 1. 2. disputation. 7. cap. 2. ad 3: nam de ratione visionis, &

Soluitur 4.

cuiuscunque intuitiuæ notitiæ est, vt præsentet obiectum: & ideo necesse est, vt manente notitia, maneàt etiam obiecti præsentia.

60 Cæterum in his notitijs duplicè philosophi distingunt præsentiam obiectiuam: vnam, qua obiectum est præsens, vt est à parte rei: alteram, qua obiectũ, quanuis non sit secundum se ipsum præsens, repræsentatur tamen vt præsens: vt contingit, tum in visione colorũ apparentiũ in nubibus ex refractione lucis, & in visione eorum, quæ in speculo videntur per species in eo reflexas, quæ repræsentant obiectum, ac si esset præsens: tum denique in visione pueri, vel carnis, quæ in mysterio sacræ Eucharistiæ interdum apparent. Opus est igitur vt si visio, siue quæcunque alia notitia intuitiua conseruari debeat; obiectum fiat obiectiue præsens, vel in sua reali præsentia, vel in præsentia repræsentata, qua repræsentetur vt præsens, quanuis non sit præsens.

Hoc præsupposito sunt, qui admittũt
61 posse Deum conseruare visionem beatam absentando obiectiuè se ipsum secundum suam realem præsentiam, manendo tamen secundum præsentiam repræsentatam: nec putant esse absurdum visionem illam adhuc hominem beare. Ita docet Bellomontanus vbi supra, eo ductus argumento: quia illa visio adhuc essentialiter est beatitudo formalis; cũ adhuc habeat Deum repræsentatum. Sed magis placet opinio, quæ negat visionem illam posse hominem beare: nã cum repræsentet Deum, vt præsentem, cum tamen non sit præsens, non est vera visio Dei, sed solùm apparentis Dei, siue Dei apparenter repræsentati, quæ non potest habere rationem veræ beatitudinis formalis: nam sicut Deus non potest obiectiuè beare, nisi verè visus, vt in se est: ita nec visio Dei potest beare formaliter, nisi sit vera visio Dei in se ipso præsentis: aliter enim nulla ratione dici potest vera, & realis assecutio summi boni. Accedit etiam, quoniã talis visio non potest non esse deceptiua, cum obijciat præsens id, quod nõ est præsẽs: at in vera beatitudine nulla potest dari deceptio. Hęc igitur sit prima obiectionis solutio. Negãdum est enim visionem illam posse hominem beare.

Secunda solutio mihi magis placet: quæ negat visionem illam, qua beatus verè Deum videbat, posse diuinitus cõseruari Deo secundum se non præsente: nam & si de nouo potest fieri species, & notitia, quę repræsentat rem præsentẽ, quæ tamen non sit præsens: fieri tamen non potest, vt Deus speciem, vel notitiã, quę erat vera notitia intuitiua rei; cõseruetur à Deo re in se ipsa non præsente. Priorem resolutionis partẽ probant, quæ adducit Cursus Conimb. 2. de anima c. 6. q. 3. ar. 1. & 2. & Suar. 3. tom. ad 3. partem disput. 53. sect. 4. pag. 805. col. 2. ex D. Tho. 3. p. q. 73. ar. 8. & in 4. d. 10. q. 1. ar. 4. quæstiunc. 2. Durãdo ibidẽ q. 4. & alijs. Posteriorem autem ex eo, pbo, quia mihi satis fit impossibile, vt notitia, quę in se semel fuit vera notitia, & vera visio alicuius rei, fiat visio eiusdẽ rei solùm apparens: quod probat Fonseca 6. Met. c. 2. q. 4. sect. 3. litera E. nec displicuit Molinę 1. p. q. 55. ar. 2. disput. 2. mẽb. 5. §. *Ad hæc non video*, quãuis ibi §. *iuxta hæc ergo* aliquo modo inclinet in oppositum. Sed de his disputare latiùs, non est huius loci.

Alia solutio eiusdem absurdi.

D. Thom. *Durandus.* *Fonseca.* *Molina.*

Ad id, quod vltimo loco infertur, facilè respondebũt, qui putant intellectũ separatũ ab anima posse intelligere: cõcedent enim posse etiã beatificari. Sed oppositã sententiã puto esse lõge veriorẽ: intellectª enim nõ intelligit vt quod, sed solùm vt quo: nec actio vitalis, qualis est intellectio, dari potest sine substantiali vitæ principio. Cũ igitur intellectus ab anima separatus nequeat intelligere; nulla ratione poterit beatificari.

Soluitur vltimũ absurdum.

§. 7.

Soluuntur argumenta posteriori loco adducta.

62 AD primum eorũ, quę adducuntur vt probetur fieri nõ posse, vt Deus videatur visione creata, eadẽ cõfusione respondet Capreolus ibi citatus, qua à Ripa proponitur. Distinctè soluetur, si negemus vtrãque partẽ sequelę, dũmodo sermo sit de visione prima, & directa: quoniã nulla cognitio, siue sẽsitiua sit, siue intellectiua, directè, & primo est cognitio sui, ita vt ipsamet sit primũ obiectũ sui ipsius, quæ est cõmunis philosophia, & de cognitione sẽsitiua id docet D. Thom. 1. p. q. 78. ar. 4.

Solutio primi.

D. Thom.

ad

ad 2. & q. 87. ar. 3. ad 3. & 1. sententiarū d. 17. q. 1. ar. 5. ad 3. De intellectiua verò ita D. Thomas in d. q. 87. ar. 3. in corp. & ad 2. & de vtraque Capreolus in d. ar. 3.

Capreolus, fol. 60. §. *vlterius dicitur.* Diximus *dummodò sermo sit de visione prima, & directa*: quoniam ipsamet visio Dei potest esse formalis visio sui, mediata tamen: quatenus sc. ipsamet repræsentantur in Deo viso, vt idem Capreolus aduertit in d. fol. 60. col. 1. §. *Ad secundam improbationem.* Quare ad argumentum neganda est cōsequentia quoad vtramque partem. Ad priorem probationem admittimus visionem creatam secundum suum esse, & essentialiter esse visionem beatam; & subinde secundum se, & ex sua entitate esse formalem rationē expressam cognoscendi Deum; quia est ipsa formalis, & actualis expressio Dei: neganda tamē est posterior consequentia secundi discursus, qua infertur visionem prius esse rationem cognoscendi se ipsam, quàm Deum. Ad cuius priorem probationem admittēda est maior in terminis, in quibus proponitur; similiter & minor: consequentia tamen ex eo habet illationē disparatam, & omnino ineptam; quia maior de sola essentia diuina potest ve-

Capreolus. rificari, vt bene aduertit Capreolus in d. fol. 60. col. 2. §. *vlterius dicitur:* quia sola essentia diuina per suam essentiam intelligit se, & alia à se. Diximus *in terminis, in quibus proponitur:* quoniam sub illis terminis maior intelligitur de natura intellectiua, vt quod.

63 Porro si intelligatur de natura. i. forma intellectiua vt quo, qua intellectus, vt ratione intelligendi intelligit alia à se; maior est falsa, & sumpta sine vllo fūdamēto: quia species intelligibilis (quæ est forma quædam intellectiua vt quo) non concurrit ad intellectionē per aliā speciem, sed per se ipsam: & tamen vt formaliter est species se ipsam non repræsentat, sed obiectum, cuius primò, & immediatè est imago. Similiter dicēdum est de intellectione, quæ est actus secundus, & forma quædam intellectiua, nec enim media alia intellectione, sed se ipsa concurrit ad intelligendum obiectum, cuius est intellectio: & tamen non est intellectio sui ipsius.

Ad posteriorem probationem consequentiæ secūdi discursus admittimus visionem ipsam, quatenus est qualitas quædam, & quoddam ens; ex se esse intelligibilem per aliam visionem reflexam: quæ visio reflexa æque intensè erit visio visionis directæ, atque visio directa est visio obiecti: nec tamen video, quomodò inde inferatur visionem ipsā reflexam simul esse visionem, tum visionis directæ, tum ipsius Dei. Et quanuis illud gratis daremus, inde non bene inferretur visionem ipsam directam esse visionem sui, & Dei: nam visio reflexa obiectiuè terminatur ad visionem directam; & cum hæc sit formalis imago Dei, potest, vt est cognita, esse medium, vt in quo, ducens ad cognitionem Dei quod reperitur in visione directa, vt patet.

Secundum etiam argumentum eàdē confusione, qua proponitur à Ripa, soluitur à Capreolo in d. ar. 3. fol. 60. col. 4. in principio. Facilius soluetur, si dicamus visionem beatam se ipsa formaliter perficere intellectum beati; quia perficit eum, vt est actus secundus immanens, quo actu percipitur Deus, vt in se est. Cum verò inde infertur Deum non in se ipso, nec per se ipsum beare, sed vt est in ipsa visione; dicendum est Deum, vt est obiectum beatificum in se ipso, & per se ipsum immediatè beare nostrum intellectum; prout tamen formaliter videtur per visionem: nam & ipse Ripa concedit Deū beare non posse, nisi à nobis videatur. Interest autem inter nos, & Ripam; quoniam Ripa putat Deum beare nos, vt est visus à nobis visione increata: nos autē dicimus Deū nos beare, vt visione creata est visus à nobis. In eo autem decipitur Ripa, quia supponit Deum visum visione creata nō vniri nostro intellectui secundum se ipsum, & secundum esse reale, quod in se habet, sed secundum esse quoddam intentionale, quod habet in visione creata: & subinde non esse præsentem nostro intellectui secundum se, & vt in se est; sed secundum esse aliquod intentionale: quod verum esset, si visio illa nō esset intuitiua, & facialis, sed abstractiua solùm: nam in visione intuitiua obiectum secundum se, & in sui reali existentia terminat visionem: ad quam secundum se, & realiter cōcurrit per emissionem specierum, si est creatum. Deus autem

64 Solutio secundi argumenti.

secundum suam essentiam,& sicuti est à parte rei, concurrit cum intellectu ad eliciendam visionem ad modum speciei intelligibilis: & ad eãdem secundum se, & vt in se est,concurrit terminatiue,tãquam obiectum illius. Et ob id beat intellectum,vt realiter præsens,intelligibiliter tamen perceptum.Et ita cessant omnia, quæ inutiliter, & parum philosophicè congerit Ripa apud Capreolũ vbi supra.

QVÆSTIO II.

SVPPOSITA præcedẽtis quęstionis veritate, beatitudinem sc. formalem esse quid creatum;plura de illa sunt inquirenda.Et primo loco inquiremus de illius entitate. Deinde de ijs,quę sibi vendicat ratione obiecti,circa quod versatur.De entitate igitur primo generaliter inquirendũ est in quonam sit genere. Secundo, quænam sit illius entitas.

Ordo procedendi in hac quæstion.& quæ in ea sunt inquirenda explicatur.

Circa primum quatuor inquirentur: primo,an beatitudo formalis sit substãtia? Deinde an sit ad aliquid? Tertio,an sit actio,vel passio? Postremò,an sit qualitas? Nec inquirimus,an sit quantitas: nam cum sit in anima spirituali, concedendum est eam, nec esse posse quantitatem, nec conuenire posse mediante quantitate. Similiter etiã per se est notum non posse pertinere ad quatuor vltima prædicamenta,& ideo de quinque tantũ prędicamentis excitauimus quęstionem.

ARTICVLVS I.

An beatitudo formalis sit substantia?

1 CVM beatitudo formalis sit quædam forma creata; & omne creatum ad aliquod genus prædicamẽtorum pertineat; meritò inquiritur,in quonam genere collocetur? & primum excitatur quæstio de genere substantię.

Ratio pro parte affirmatiua.

Pars affirmatiua hac ratione potest suaderi: quoniam nisi beatitudo ponatur in genere substantiæ, daretur aliquod accidens perfectius, quam substantia. Consequens est falsum.Ergo beatitudo formalis collocanda erit in genere substantiæ. Minor videtur vera, quia beatitudo est summũ bonũ, ex quo iam patet sequela: quoniã si beatitudo est summum bonũ,est perfectius cęteris bonis. Ergo si illa esset accidẽs,esset perfecti⁹, quàm substantia,quæ fuit sequela.

2 Resolutio.

Dicendum tamen est beatitudinem formalẽ nullo modo collocari posse in genere substantiæ. Quæ opinio ab omnibus supponitur (nullus enim vnquam dixit eam esse substantiam)&ex doctrina Aristotelis est euidens, qui felicitatẽ vbique posuit in sola operatione animæ.Quidam ex nouioribus ita probant hanc assertionem: quoniã formalis beatitudo est consecutio finis extrinseci. i. boni, quod est obiectiua beatitudo. At homo per suam substantiam pręcise nõ assequitur suum finem. Ergo beatitudo formalis non potest esse substantia.Maior est nota. Minorem probat,quia fieri potest,vt homo manens in sua substãtia priuetur suo fine,& fiat miser. Ita cõclusionem probat Suarius in comment. ad 1.2.disp.6.quæstiuncula 2. post principium.Sed extra rem loquitur:quoniã dubitari non potest, an ipsa hominis substantia, & natura sit ipsi homini sua formalis beatitudo: alioquin semper homo esset formaliter beatus. Solũ igitur inquirit quæstio, an beatitudo formalis,quæ est perfectio quędã superaddita substantiæ hominis, animæ sc. rationali,sit aliqua forma substantialis?

Reijcitur.

3 Vera probatio.

Vera igitur probatio ex eo est sumẽda, quod beatitudo formalis ex sua natura est perfectio quędam addita substantiæ,vel hominis, vel animæ rationalis: quare si illa esset substantia; vtique esset aliqua forma substantialis, quæ de nouo adderetur substãtiæ animę.Quod repugnat vniuersæ metaphysicæ: nulla enim substantialis forma per modũ informãtis potest de nouo superaddi rei iam constitutæ in suo esse substantiali: variaret enim essentiam. Hæc igitur sit ratio, qua à priori probatur beatitudinem esse non posse,nisi formam accidẽtariam: cui non repugnat de nouo aduenire absque vlla mutatione essentiali subiecti.

Confirmatur.

Facit etiam,quoniam beatitudo formalis ex sua ratione est quasi vinculum quoddã, quo homo coniungitur, & vnitur Deo suæ beatitudini obiectiuæ. Vna autem substantia completa non potest

alteri

alteri substantię cõpletæ vniri per aliquam formam substantialem: hæc enim nunquam vnit, nisi cõponendo substantialiter ipsa extrema: homo autẽ substãtialiter vniri non potest cũ diuina substãtia, vt patet: nam licet natura humana vnione hypostatica substantialiter vniatur cum diuina persona: impossibile tamẽ est, vt persona hominis, aut aliqua persona creata per se subsistens vniatur hypostaticè cũ natura diuina. Iã verò prẽter vnionẽ hypostaticam nulla supereſt substãtialis vnitas, qua creatura cũ creatore vniri queat. Quare fieri non potest, vt beatitudo formalis, quæ hominẽ cum Deo vnit, sit forma substãtialis, sed necessario erit accidentalis.

4 Occurritur rationi contrariæ.

Ad argumentum in oppositum variè respondetur. Quidam non putãt absurdum accidentia ordinis supernaturalis esse entitatiuè perfectiora omni naturali substantia. Alij simpliciter negant beatitudinem entitatiuè esse perfectiorem, quam substantiam; quam ego opinionem probo: quia substantia est finis *cui*, cuiuscunque accidentis: quod satis est, vt substantia animę sit ens perfectiũ beatitudine formali; quanuis ipsa beatitudo sit finis *cuius* ipsius animę: etenim finis *cui* longe est præstantior fine *cuius*. Sed de hoc inferius redibit sermo, in quęstione, an beatitudo formalis sit sũmum bonum?

ARTICVLVS II.

An beatitudo formalis sit in genere relationis?

1 Affirmatiua sentẽtia tribuitur Aureolo, & Soto.

PRo parte affirmante referri solet Aureolus apud Capreolum in 4. d. 49. q. 1. ar. 2. contra 1. fol. 188. col. 1. in fine, quasi censeat beatitudinẽ formaliter esse positam in quadã relatione præsentiæ obiecti beatifici ad ipsũ beatum. Quin potius pro eadem sententia à quibusdam citatur Scotus in d. d. 49. q. 1. Argui potest pro hac sentẽtia, quoniã si operatio, vel quæcunque alia forma beatifica, non faceret Deum præsẽtem beato, non faceret illum beatũ. Ergo ipsa relatio præsentiæ, qua Deus fit beato prẽsens, est illi formaliter beatitudo.

Ratio phac parte.

2 Resolutio.

Dicendum tamen est beatitudinem formalem per se, & formaliter non consistere in relatione prẽsẽtię Dei ad beatum formaliter sumptæ: bene tamen in fundamento illius relationis prẽsentialis, quę dici potest præsentia fundamẽtalis. Hęc conclusio, quanuis in his terminis à nemine ponatur, est tamen de mente omnium, etiam Aureoli, vt videbimus. Prior pars conclusionis probatur: quia relatio formaliter sumpta nullam in se includit perfectionem, aut saltem diminutam satis: cum tamen beatitudo formalis ex sua natura sit summũ bonum, vt est vulgatissimum axioma Aristot. Philosophorũ, & Theologorũ.

Aureolus. Prior pars probatur 1. *Arist.*

Deinde; relatio prẽsentię formaliter sumpta fundatur in reali indistãtia extremorum, realiq; vnione eorum, vt vera habet philosophia: cõsequitur enim ad hanc extremorum indistantiam, & coniunctionem. Ergo relatio, qua Deus fit formaliter, & relatiuè præsens beato præsentia beatifica, ex se supponit Deum in se ipso esse indistantem à beato, non quidem indistantia locali (hac enim indistans est, & subinde præsens cuicunq; rei creatę) sed indistãtia quadam beatifica, quæcunque illa sit: & subinde supponit Deũ esse beatificè vnitũ beato, & ab eo beatifice assecutũ, & possessum. Ergo supponit beatitudinẽ formalẽ: beatitudo enim formalis est ipsa formalis assecutio Dei, vt est sũmũ bonũ.

3 Secundò;

Ex quo infertur veritas posterioris partis: nam cum beatitudo formalis sit actꝰ, siue forma, qua Deus fit nobis beatificè indistans, & vnitus: ipsa in se est fũdamentalis præsentia, qua Deus dicitur nobis beatificè prẽsens. Diximus *beatificè præsens*, vt excludamus prẽsentiã, qua Deus cuiq; creaturę præsens est prẽsẽtia locali: nã licet hæc necessaria sit, vt Deus faciat hominẽ beatũ: nõ est tamẽ prẽsentia beatifica, qua soli beato Deus fit præsẽs: hæc enim cõsequitur ad Deũ, prout se se nobis cõiungit, vt est sũmũ bonũ beans: quę cõiunctio nõ datur sine aliqua operatione, aliquavè forma, qua Deus se se beato vnit, vt est bonũ beãs.

4 Posterioris partis probatio.

Et hæc fuit opinio Aureoli, si bene expendantur, quæ apud Capreolum vbi supra scribuntur: solum enim probant beatitudinem complete, & formaliter non esse positam in operatione, siue forma, quæ dicitur beatitudo, quatenus est entitas quædã omnino absoluta,

5 Aureoli sẽtentia probatur.

qua respicit beatum, vt subiectum; sed prout est exhibitiua obiecti beatifici in esse præsentiali, non quidem formaliter sed fundamentaliter. Vide Capreolum vbi supra art.3.ad Aureolũ contra primam fol.189. col.4. in fine. Hoc autem in omni opinione est verissimum: quoniam actus siue forma beans ideo complete,& formaliter est beans, quia vnit nos Deo: quę vnio est ipsa exhibitio fũdamentalis præsentialitatis. Quare Aureolus non bene allegatur pro parte affirmatiua. Apud Scotum in loco in quo citatur nhil inueniri potest, quod parti affirmanti faueat: quin potius, nec in reportatis in aliquo fauet. Falso igitur pro parte affirmatiua citatur.

Capreolus.

Scotus.

Ex dictis facilè soluitur argumentũ: negandum est enim antecedens, si intelligatur de præsentia formaliter,& relatiuè sumpta: hæc enim per posibile, vel imposibile impedita, adhuc beatus formaliter esset beatus. At si intelligatur de præsentia fundamentali, verisimum est: consequentia tamen non tenet, vt patet.

Solutio oppositi argumenti.

ARTICVLVS III.

An beatitudo formalis sit actio, vel passio?

1 Ostenditur non esse collocãdam in actione trãseunte.

QVÆSTIO ista facilem habet solutionem, si sermo sit de actione,& pasione transeunte. Nam actio transiens, cum non recipiatur in agente, sed in passo, vel nõ est perfectio agentis, vel est perfectio extrinseca, vt omnes admittunt. Constat autem beatitudinem formalẽ esse intrinsecã perfectionem beati.

Deinde; per actionẽ transeuntem attingitur obiectum per aliquid in ipso productum: ignis enim attingit lignum producendo in eo calorem. Beatitudo autem formalis non ita attingit Deum: quia nihil in eo producit; imò nec Deus ab aliquo aliquid potest recipere. Quare (& est tertia ratio) Deus beatifice attingi non potest, nisi notionaliter,& intelligibiliter: quomodò attingi non potest per actionem transeuntem, sed per solam actionem immanentem intellectus, vel voluntatis. Quare beatitudo formalis reponi non potest in genere actionis transeuntis.

Sed nec reponi potest in genere trãseuntis passionis. i. passionis, quæ correspondet actioni transeunti. Quod ita probatur: dici enim non potest, quod sit aliqua passio transiens producta à beato,& recepta in Deo: tum, quia Deus nihil recipit ab aliquo: tum, quia beatitudo formalis est aliquid inhærẽs in beato. Quare si beatitudo formaliter est posita in passione transeunte; vtique posita erit in passione, seu receptione alicuius formæ, quæ à Deo immediatè producatur in beato. Hoc autem dici non potest, si beatitudo est actus vitalis: ille enim ex sua natura habet, quod non sit à principio extrinseco. Porro si ponatur in aliquo actu nõvitali (vt quidam satis improbabiliter volũt) potius ponenda est in ipsa forma, quatenus est quędam qualitas, quam prout habet rationẽ passionis: nam illa forma sub ratione passionis est quid imperfectũ, cũ sit veluti via ad terminum. Et præterea solũ consistit in fieri,& non in facto esse, vt patet ex philosophia: cum tamẽ beatitudo formalis ex se sit ens quoddam perfectũ, atque permanens: facit enim beatũ permanenter. Quare nulla ratione poterit collocari in genere passionis transeuntis.

2 Nec in passione simili ter transeũte.

Tota igitur difficultas est, an beatitudo formalis sit collocãda in genere actionis, nõ vt actio transiẽs, sed vt actio imanens? Negabũt, qui putãt beatitudinẽ nõ esse operationẽ; sed vel habitum, vel formã in essentia animæ inhærentẽ: ita enim fieret, vt esset extra totũ prædicamentum actionis. Sed hæc opinio falsa est, vt inferiùs dicemus.

3

Quare dubitatio est apud eos, qui beatitudinẽ formalẽ ponunt in operatione intellectus, aut volũtatis. Sũt enim, qui volũt operationes harũ potentiarũ esse veras actiones de prędicamento actionis. Quã sententiã Suarius statim citãdus tribuit Caietano 1.p.q.27.ar.2.dub. 1.& 3. Ferrariẽsi 1.contra Gẽt.c.53. Capreolo in 1.d.27.q.2.& Iauello 9.Met.q. 16. in quibus tamẽ nihil reperio. Cõmuniter etiã tribuitur Bartolomęo de Torres de Trinit. q.27.ar.1. in 1.p. disputationis 4. fol. 15. col. 2. sed in quo sensu sit intelligendus, statim explicabimus. Simpliciter eã probauit Curs. Conimb. in 3.de anima c.8. q.3.art.3. vbi probat intelle-

4 Refertur quorundam sententia.

Caietan.
Ferrar.
Capreolus,
Iauellus.
Torres.

intellectionem, & alias actiones immanentes nõ esse veras qualitates, sed veras actiones de prædicamẽto actionis. Quam opinionẽ probabilem dicit Capreolus in 4.d.49.q.5.ar.3.ad 1.Aureoli contra primam fol.213.colum.1. Apud quos sicut intellectio formaliter est productio qualitatis, quę dicitur cõceptus, siue verbum: ita intelligere formaliter erit agere, siue producere conceptum, verbumque mentale. Et quanuis prędicti Doctores id non explicent; hanc tamen esse illorũ mentem explicat Bellomontanus in locis statim citandis in sequenti articulo, & satis colligitur ex opinione illorum bene explicata.

Capreolus

Iuxta hanc sententiam, si sermo debet esse consequens, non potest non cõcedi beatitudinem formalem per se, & propriè reponi in prędicamento actionis: nam cum formalis beatitudo formaliter ponatur in operatione intellectus, aut voluntatis; si hæ operationes formaliter non sunt qualitates, sed veræ actiones de genere actionis; necessariò infertur beatitudinem in eodem prędicamento esse collocandam.

Iuxta præcedentem sententiam beatitudo est actio.

5 Oppositã sẽtentia communis.

Oppositã tamen sententia est cõmunis etiam inter Thomistas (quidquid aliter velit Suarius in Metaphysi. disp. 48. sect. 2. nu. 5.) nam etiam apud illos intellectio, vt formaliter est intellectio, non est actio, sed qualitas: nec intelligere formaliter est agere, sed intelligibiliter attingere, & apprehendere obiectum: quod fit non per realem actionẽ, sed per qualitatem, quæ est notitia: hæc autẽ non est vera actio, sed solùm grãmaticaliter. Quod diligentius in sequẽti articulo examinabimus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum beatitudo formalis sit vera qualitas de prædicamento qualitatis?

1 Pars negatiua.

PARTEM negantem probare debent, qui volunt intellectionem, cæteraſq; actiones immanentes formaliter sumptas esse veras actiones de prædicamento actionis, nec esse qualitatem: hi enim, vt consequenter loquãtur, non possunt non negare beatitudinem esse veram qualitatem.

Horum opinio primum cõformatur expressa auctoritate Aristote. 10. Ethicorum cap. 3. in principio, vbi ita scribit. *Atqui nec si voluptas non est qualitas; propter hoc bonum non est: nec enim operationes virtutum sunt qualitates, nec felicitas ipsa:* Ex quibus verbis duo colliguntur: primũ est beatitudinem formalẽ (de hac enim agit Aristoteles) non esse qualitatem: quæ est negantis partis directa confirmatio. Alterum est, nec actiones immanentes esse qualitates; quod est partis negantis euidens fundametum: nam tã voluptas, quam operationes virtutum (in quibus ab Aristotele ponitur beatitudo) sunt actiones immanentes.

1. Fundamẽtũ ex Arist.

Deinde suadetur, quoniam Aristoteles vbiq; docet felicitatem in operatione consistere, vt ex sequenti quæstione facile patebit: satis modo sit locus in 1. Ethicorum cap. 7. tex. 36. ita enim habet: *Quæ cum ita sint, fit, vt bonum humanũ animæ sit operatio per virtutẽ.* Et lib. 9. c. 9. tx. 38. *Nam in principio dictum est felicitatẽ operationem esse quandã.* Præterea intellectionem inter actiones enumerat Aristo. de anima cap. 4. tex. 4. & 12. Metaphysi. c. 3. tex. 13. vt citat Curs. Conimbr. verius citaret Aristo. 10. Ethicorum cap. 7. tx. 29. vbi intellectionem appellat operationem. Idem colliges ex Aristo. eodẽ libro cap. 5. tex. 19. & ex toto cap. 8.

2 2. Fundamẽtum. *Arist.*

Tertio accedit, quoniam actio nihil est aliud, quam actus agentis, vt agens est: intellectio autem, & operationes immanentes sunt actus agentis, vt agẽs est. Tertium.

Postremo, cõmunis sensus interpretum cathegoriam actionis diuidit in transeuntem actionem, & immanentẽ: & inter immanentes enumerãtur actiones, & volitiones. Hæc fuit sententia Curs. Conimb. q. 1. ad prædicamentum actionis ar. 2. Rubei ibi cap. 9. num. 3. & 4. docet Suarius in Metaphysic. disp. 48. sectio. 6. num. 9. Vltimum. *Rubeus.*

§. 2.
Resoluitur quæstio.

3 Resoluto.

HIs tamen non obstantibus dicendum est beatitudinem formalem esse qualitatem de genere qualitatis, & nullo modo esse actionẽ de genere actionis. Ita docuit Scotus in proprijs terminis in 4.d.49.q.2. §. *Ad argu-* *Scotus.*

menta ad 4. litera DD; non possunt non admittere hanc sententiã, qui putant beatitudinem formalem non esse operationẽ, sed formam aliquam actuantẽ animæ essentiam: hæc enim forma non potest non esse qualitas. Est etiam cõmunior inter eos, qui beatitudinẽ collocãt in visione, aut amore: putãt enim hasce actiones (sicut, & alias immanẽtes) formaliter non esse actiones, sed qualitates de genere qualitatis. In terminis nostram sententiã probauit Suarius in Commentarijs ad 1.2. disput. 6. quæstiunc. 2. satis expresit lib. 2. de attributis cap. 11. n. 10. ad 1. explicat Bellomontanus 1.2. disp. 9.

4 Fundamentum.

Vnicum huius sententiæ fundamentum est, quod intellectio, & volitio, & reliquæ actiones immanentes sunt veræ qualitates de prædicamento qualitatis. Quę opinio pene ab omnibus, paucis exceptis recipitur: eam esse de mẽte D. Thom. fatetur Capreol. in 4. d. 49. q. 5. ar. 3. contra primam fol. 213. col. 1. in principio, satis eam docuit D. Thom. Opusc. 48. in titulo de prædicamento actionis, vbi expresse docet intelligere, sentire, & alias actiones immanentes esse actus quosdam, & formas, quæ in prędicamento actionis directè non ponuntur: vnde omnes D. Thomę discipuli in hanc iuere sententiam. Ita Caietanus 1.p.q.79.ar.2.§. *Quoad secundum*, non longè à fine, & satis explicauit 1.p.q.34 ar.1.ad 2. in fine cõmenti, ante eum Capreolus in 1.d.35.q.1. ar.3. cõtra 1. fol. 237. col. 4. ad 3. & 6. & fol. 238. col. 1. ad 2. Idem Capreolus in 2.d.1.q.2.ar.3. ad 12. Aureoli fol. 19. col. 4. Idem repetit ibi d.3.q.2.ar.3. fol. 91. col. 2. Ferrarens. 2. contra gentes cap. 9. in fine. & clarius cap. 82. non longè à fine §. *Quod si obijciatur*. Idem Ferrarien. in 2. de anima q. 22. Soncinas in 5. Metaphy. q. 36. & latiꝰ in 9. Metaph. q. 21. & Iauellus ibi q. 7. fal so citatus à Suario pro parte opposita. Scotus etiam hanc opinionẽ cõstanter tenet in 1.d.3.q.6. §. *Hic sunt* litera *V*. Et inferius ad argumenta principalia ad 1. & 3. & ibidem q. 7. §. *Ad argumenta opinionũ* litera *O*. Et inferius §. *Ad autoritatẽ Philosophi* litera Y. Et q. 9. ad 3. principale litera N. & in 4.d.49.q.2. *Ad argumẽta ad* 4. litera *DD*, Late quodlib. 13. ar. 3. §. *Si quæratur* litera *Aa.* & §. *Ad ista ad* 1. litera *DD*. Scotum sequuntur omnes illius studiosi, Anton. And. 9. Metaph. q. 4. Herrera in disputationibus ad 1. sententiarũ disp. 10. q. 1. notab. 4. & in disputationibus ad 2. disp. 1. q. 11. notabili 1. Rada in 1.p. controuersiarum controuersia 7. in solutione quarti argumenti concl. 2. & 4. Ex alijs eandem sententiam probant Ægidius de mensura angelorum q. 10. Henricus quodlib. 11. q. 3. Durand. in 1. d. 27. q. 4. Ochamus, & Gabriel ibi q. 2. Herueus quodlib. 2. q. 8. Ex Nouioribus late Suarins in Metaph. disp. 42. sect. 5. num. 13. & lib. 2. de attributis cap. 12. num. 7. late Bellomontanus 1.p. disput. 38. cap. 2. & disp. 112. cap. 4. & disp. 141. cap. 3. & 12. dis. 9. cap. 2. num. 9.

Scotus. *Soncinas.* *Iauellus.* *Ferrar.* *Caietan.* *Capreolus.* *D.Thom.* *Capreolus.*

Antonius Andreas. *Herrera.* *Rada.* *Ægidius.* *Henricus.* *Durand.* *Herueus.* *Ochamus.* *Gabriel.*

5

Probant omnes, qui volunt intellectũ posse intelligere per intellectionem nõ á se, sed ab alio productam. Quin potiꝰ in hac sententia nobiscũ conuenit Torres, si diligẽtius expendatur: nam quãuis disp. 4. fol. 15. col. 1. dicat actum intelligendi, vt est actio intellectus, reponi in prædicamento actionis: tamẽ ibidem fatetur actũ intelligendi, vt est notitia, & prout formaliter est intelligere, reponi in prædicamento qualitatis. Clarius id docuit in 1. p. disputationis quintæ fol. 18. col. 2. §. *Ex quo infertur*: vbi docet actum intelligendi, & habere rationem actionis, & rationem actus intelligendi formaliter; notitiæ inquam, qua formaliter intelligimus: priori modo (vt ait) est vera actio, qua producit verbum, siue conceptus, quẽ distinguit à notitia intellectioneque. At posteriori modo non est actio, sed qualitas, vt antea dixerat. Cum verò actus intelligendi non habeat rationem beatitudinis, nisi quatenus formaliter est intellectio, & notitia apprehensiua Dei, vt omnes agnoscunt; vtique ex mente Torres non habebit rationem beatitudinis, nisi quatenus est qualitas. Consentit igitur nobiscum, tum in cõclusione principali, tum etiam in fundamento illius.

Torres.

Quin potius nec Curs. Conimb. nobis aduersatur: nam & si in d.q.3.ar.3. dicat intellectionem non esse qualitatem, sed actionem de genere actionis: tamen inferius q.4. ar.1. ad 2. expresse negat intelligere formaliter sumptum esse producere intellectionem, sed esse illam recipere cum illius productione. Quibus

verbis

verbis satis significant Patres Conimbricenses intellectionẽ formaliter, hoc est quatenus est forma apprehẽsiua obiecti, & ad illud terminata, nõ esse actionem, sed formam aliquam productam per actionem; quæ forma, vt recepta, est id, quo formaliter intelligimus. Defecerunt igitur, quod absq; distinctione docuerunt intellectionem nõ esse qualitatem, sed actionem: nam cum doctrina simpliciter prolata intelligenda sit de rebus sumptis formaliter, & vt tales sunt; potius debuissent dicere intellectionem esse qualitatem, quàm actionẽ: siquidem ex ipsorum doctrina intellectio formaliter non est productio, sed apprehensio obiecti per formam productam. Itaque concedent Conimbricenses beatitudinem formalem per se non reponi in prædicamento actionis, sed qualitatis: quoniam beatitudo formaliter est visio Dei, non quocunq; modo sumpta, sed prout Deus per eam intelligibiliter videtur.

7 Quæ sententia præcedẽti resolutioni contradicat.

Quare in hac quæstione solos habemus aduersarios, qui dicunt intelligere formaliter esse producere qualitatem, quæ dicitur cõceptus, siue verbum mẽtis, & intellectionẽ formaliter esse ipsã conceptus productionem. Ego, qui exscribentibus ita existimet, inueni neminem: quosdã tamen ita existimasse suppresis auctoribus testatur Bellomontanus. Et ita sensisse quosdam ex Conimbricensib⁹ adhuc in philosophia tyrones, olim vidi, quam sententiam illorum doctiores non admiserunt: & vere non est admittenda. Eam reiecit Bellomontanus in locis citatis, & nos olim latius eam impugnabimus in libris de anima: quam impugnat Scotus in 1. d. 3. q. 7. §. *Ad auctoritatem philosophi* litera Y. Et in quodlibetis q. 13. ar. 3. §. *Ad 2. potest dici* litera E E. & satis eam reijcit D. Thomas in d. opusculo 48. affirmans intelligere esse actum quendam, & formã non de prædicamento actionis, & clarius 1. p. q. 34. ar. 1. ad 3. Ita scribens: *Intelligere importat solam habitudinem intelligẽtis ad rem intellectam: in qua nulla ratio originis importatur, sed sola informatio quædam in nostro intellectu, prout intellectus noster fit actu per formam rei intellectæ.* Ex quibus verbis euidenter patet apud D. Thomam intelligere nullam habitudinem originis denotare (quomodo igitur intelligere formaliter erit producere) sed solùm denotare ipsam obiecti notionalem, siue intentionalem perceptionem, & obiectiuam illius attinctionem; non quidẽ effectiuam (quia id, quod intelligitur, per intellectionem nõ efficitur) sed solũ intentionalẽ in genere intelligibilium: quæ attinctio denotat actionem, & motum, siue tendentiam potentiæ in obiectum; non quidem realem, sed grammaticalem, vt appellat Scotus.

Scotus.

D. Thom.

Ex qua D. Thomæ verissima doctrina colligitur præcedentis opinionis optima impugnatio, quam tetigit Bellomontanus 1. p. disp. 141. cap. 4. num. 17. nam intellectio, quatenꝰ est intellectio, solùm dicit habitudinem intelligentis ad rem intellectã: intelligens enim per intellectionem formaliter intelligit rẽ intellectam. Ergo quidquid per intellectionem, quatenus est intellectio, attingitur, intelligitur. Ergo intelligere formaliter non est producere conceptum. Hæc secunda cõsequentia ex priori ꝓbatur: nam, quod per intellectionem, vt talis est, attingitur, id intelligitur. Sed si intelligere formaliter est producere qualitatem conceptus, intelligere formaliter attingit ipsam qualitatem. Ergo ipsa qualitas intelligitur, quod cum sit falsum, à destructione cõsequẽtis infertur intelligere formaliter nõ esse ꝓducere conceptum.

8 Impugnatur 1.

Quod etiã inde efficacissime probat: quoniã formalis ratio intellectionis, vt est intellectio, qua intelligẽs, fit intelligẽs, cõmunis est nobis, & Deo, cõmunitate tñ analogica: sed in Deo intelligere formaliter non est producere, sed percipere obiectum intelligibile, & intelligendo illud attingere, vt omnes concedunt. Ergo nec in nobis intelligere formaliter erit producere conceptum.

9 Secundo.

Accedit tertio, quia intellectio formaliter sumpta est vltimꝰ actus, quo intellectus actuatur, & perficit: est enim vltima intellectus perfectio, vt omnes agnoscunt. Ergo intellectio formaliter sumpta non est actio de prædicamento actionis. Probatur consequentia: quoniam actio, cum sit via ad formam, quæ per illã producitur, non potest esse vltima perfectio intellectus. Cum verò non sit substantia, nec quãtitas, nec relatio,

10 Tertio.

latio, vt iam diximus; erit qualitas de genere qualitatis. Et hoc communiter omnes sentiunt. Beatitudo igitur formalis in eodem genere collocabitur.

§. 3.

Soluuntur argumenta.

11 Primũ argumentum ex loco Aristo. varie explicatur.

NEc huic verissimæ resolutioni obstant, quæ initio in contrariũ adduximus. Primum argumentũ continet locum Aristo. verè difficilem, vt fatetur Suar. in Metaph. disp. 42. sect. 5. num. 14. quo in loco nititur illum explicare, quod antea fecerat Scotus in d. quodlib. 13. ar. 3. §. *Ad aliud*: 10. Ethicorum litera F F, & post eum Rada ad 1. sentent. Scoti controu. 7. ad 1. Ex quib' quatuor colliges explicationes. Prima placet Radæ; Aristotelem agere de felicitate increata: sed friuola est, & aliena à mente Aristot. qui nusquam meminit felicitatis increatæ.

Scotus.
Rada.

12 Secunda placet, & Scoto, & Radæ, vt Aristoteles accipiat felicitatem, non ipsa felicitate propriè sumpta, sed pro actione, qua producitur. Sed nec multũ arridet. Placebit magis tertia solutio Scoti Aristotelem solũ appellare qualitatem, quæ est permanens: hæc enim simpliciter facit quale: quæ verò qualificat in transitu, & non in esse quieto, & permanente, quanuis verè sit qualitas, inter qualitates tamen non anumeratur: forte, quia apud Platonem, cuius argumentum soluit, illa sola dicebatur qualitas. Ob quam rationem voluptatem (quæ verè est qualitas) à ratione qualitatis excludebat. Et ad hũc sensum optima est instãtia Aristotelis, quia operatio virtutum, & felicitas nõ sunt qualitates in sensu explicato à Platone, & tamen non proinde excluduntur à ratione boni.

Plato.

Arist.

13 Maximè placet explicatio Suarij, vt nomine qualitatis intelligatur, tũ à Platone, tum ab Aristotele eo in loco qualitas, quę est pura qualitas, idest qualitas, quæ in sua permanentia non necessariò pendeat ab aliqua actione: in quo sensu operationes immanentes non sũt puræ qualitates: quia nõ solùm in fieri, sed etiã in permanere pẽdent ab actione, qua à principio vitæ intrinseco producuntur: ob quam rationem significãtur nomine actionis.

Ad secũdum respondet Suarius lib. 2. de attributis cap. 12. num. 10. ad 1. felicitatem, ideo vbiq; dici operationem, quantumvis sit qualitas, quia est talis qualitas, quę (vt immediate dicebam') & in fieri, & in permanere dependet ab actione sui productiua. Sed non placet: quoniam eàdem ratione lumen in medio diceretur operatio: nam, tam in fieri, quàm in permanere pendet ab actione agentis. Quare potius dicẽdum est felicitatem, & omnes actiones immanẽtes ideo dici operationes, quoniã grãmaticaliter loquendo habent conditiones actionis, quamuis verè non sint actiones: sicut enim vera actio, vt calefactio, terminatur ad terminum: ita etiã intellectio significatur, tanquam transiens in suum terminum, nempe in obiectum: ob quam rationem significatur per verbum actiuum, & per modum actionis. 14 Aliasolutio

Ad tertium neganda est minor: quia intellectio, vt est formaliter intellectio, non est actus agentis, vt agens est: intellectus enim, vt est formaliter intelligens, non est agens, quia vt sic nihil producit. 15 Solutio 3.

Ad postremum concedimus actionẽ prædicamentalẽ diuidi in actionem trãseuntem, & immanentem, quanuis nõnulli reclament: negamus tamen inter actiones immanentes enumerari intellectionem, & volitionem, si formaliter sumantur. Nec in hoc sensu sumuntur, quando referuntur ad genus actionis: sed penuria vocabulorũ actio, qua producitur intellectio, appellatur intellectio: volitio autẽ actio, qua volitio producitur. Quæ æquiuocatio fuit causa errandi. Vltimiargumenti solutio.

QVÆSTIO III.

De entitate propria beatitudinis formalis.

EXPLICATA ratione generica beatitudinis formalis, explicanda est propria, & specifica illius ratio. Hunc autem ordinẽ semper obseruabimus, vt prius dicamus de beatitudine perfecta patrię, deinde de imperfecta, tam naturali, quàm super- Ordo seruãdus.

supernaturali viæ. Et vt facilius ostendamus, in quanam beati perfectione consistat beatitudo, explicandum erit quasnam perfectiones beatus de nouo habeat in patria: deinde, in quanam illarũ ponenda sit beatitudo. Et de primo inquirenda sunt duo: primũ est, an Deus in patria nouo quodam modo sit in beatis? deinde, an prius sit in essentia, quàm in potentijs?

ARTICVLVS I.

An in patria Deus nouo modo sit, tam in essentia, quàm in potentijs beati?

1 Quæstionis ratio.

INQVIRVNT Theologi, an beatitudo formalis patriæ sit posita in aliqua perfectione essentiæ? An verò in sola operatione alicuius potẽtiæ? Cuius quæstionis resolutio pendet ex resolutione eius, quam in titulo proposuimus. Nam cũ in patria Deus nouo quodã modo sit in beatis, quo in via in illis non erat; si Deus in patria nouo aliquo modo non est in essentia animæ secundum aliquam perfectionem illi collatam, sed in solis potentijs habet nouũ essendi modum per nouas operationes visionis, & fruitionis diuinæ essentiæ, quas in via anima non habebat; necessariò infertur beatitudinem formalẽ patriæ in sola potentiæ perfectione, in aliqua scilicet operatione esse collocandã. Porro si in patria aliquam nouam perfectionem caussat in essentia animę, ratione cuius speciali quodam modo in illam illabatur; cum constet etiã in potẽtijs Deum nouo essendi modo adesse, iã relinquitur locus quæstioni, an beatitudo per se collocãda sit in aliqua perfectione essentiæ? an in aliqua potentiæ operatione? Nõ erit igitur alienum ab instituto, si inquiramus; an Deus in patria nouo modo per nouam aliquã perfectionẽ sit, tam in essentia animæ beatæ, quàm in potentia?

2 1. Præmissũ ad resolutionem.

Pro cuius quæstionis explicatione præmittendum est Deum multis modis in rebus esse: vno modo per simplicem præsentiam suæ essentiæ in eodem spatio, & loco, in quo res est. Secundo modo per essentiam, tanquam caussa essendi rerum: quia scilicet illis tribuit esse, & eas in esse cõseruat. Qui modus essẽdi vltra simplicem præsentiam in eodẽ spatio cũ re superaddit cõcursũ cõseruatiuũ eiusdẽ rei, de quo D. Th. 1. p. q. 8. ar. 1. & 3. in fin. corp. & est cõmunis doctrina theologorum, vt supra ostendimus q. 1. ar. 1. Tertio adhuc modo dicitur Deus esse in aliquo per gratiam, & gloriam, sicut in templo, in quo specialiter inhabitat. Quem existendi modum explicat D. Thomas 1. p. q. 8. ar. 3. & q. 45. ar. 3. & alibi sæpe. *D. Thom.*

3 Et quanuis Bellomontanus 1. p. disp. 30. cap. 3. & 12. disp. 8. cap. 2. num. 5. & 7. neget hunc existẽdi modum esse talem, vt ex vi sua Deus sit in rebus præsens secundum substantiam; cum ex sua vi solùm faciat coniunctionem, & præsentiã secundum affectum: quæ coniunctio, & præsentia dari potest inter absentes, qui loco sunt disiti: melius theologizant, qui dicunt istum modum essendi Dei per gratiam, & gloriam, sicut in tẽplo, ex vi sua postulare intimam, & realem præsentiam Dei secundum suã substantiã in anima illis donis ornata: idq; ex speciali quodam titulo præter titulum immensitatis, & caussalitatis conseruatiuæ in esse: id, quod nos alibi ostẽdimus, & contra Bellomontanum postea aduertit Suar. lib. 12. de Trinitate cap. 5. nu. 12. Quod significauit Christus Ioan. 14. *Et ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et potest id ostendi ex doctrina Philosophorum: constat enim dona illa supernatur alia caussare vnionem amoris, & amicitiæ: hæc autẽ vnio caussat, quantum possibile est, realem inter amicos vnionẽ: & quia nõ est possibile eos fieri vnam Physicè; amor ipse excitando desiderium effectiue, moraliter tamen caussat realem præsentiam amicorum, vt simul inhabitent, præsentialiter conuersentur, collocantur, & alijs modis ad inuicem vnus suo modo alio fruatur, vt ex Aristophane docuit Aristot. 2. Politicorum cap. 2. post medium, & refert D. Thomas 1. 2. q. 28. ar. 1. in corpore, & ad 2. Et quanuis in creaturis propter earum imperfectionem amor amicitię non sit potens, vt hanc realem præsentiam semper causset, & perpetuo conseruet: tamen in Deo, in quo est perfectus, potens est, vt ex solo titulo amicitię Deus seipsum faciat prę sentem secundum substantiam ipsi animæ, *Aristophanes. Arist. D. Thom.*

mæ, quam amat; adeò vt si per impossibile non esse immensus, nec esse illi animæ prima causa essendi; ex solo titulo amicitiæ ad illam veniret per præsentiã suæ essentiæ, vt bene aduertit Suar. vbi supra, & satis indicant verba Christi supra citata: *Ad eum veniemus*, & cætera.

4 Igitur tertius iste modus, quo Deus existit in creatura rationali tanquam in templo, secũ fert specialem titulum, & rationem præsentiæ secundum substantiam distinctum à titulo immensitatis, & à titulo caussæ conseruatiuę rei in esse. Et quanuis duas illas existentias priores prę suponat (nam Deus non potest non esse præsens ratione immensitatis: nec potest nõ esse prę sens, vt prima caussa conseruatiua illorum donorum in suo esse) addit tamen specialem existendi modum assistentię præsentialis ad protegendum, & regendũ, & prę standum alios amicitiæ effectus.

Primus modus essendi in rebus, si absolute sumatur, non est proprius Dei: quoniam potest etiam conuenire angelo, & de facto conuenit, quando intrat aliquod corp⁹. Potest etiam conuenire alicui corpori, si nimirum diuina potẽtia aliud penetret corpus, quod factu esse possibile supponimus: at tamen esse in omnibus rebus secundum prę sentiam suæ essentiæ in eodem spatio, proprium est Dei; Cum hoc illi conueniat ratione suæ immensitatis, qua dicit esse vbique, vt patet ex D. Thoma 1. p. q. 8. ar. 4. *D.Thom.* Secundus autem modus essendi in rebus est proprius soli Deo, quia illi soli conuenit dare esse rebus, eas q; in esse conseruare, vt modo supponimus. Similiter modus tertius in solo Deo reperitur, cui soli conuenit dare gratiam, & gloriam, iuxta illud Psalmi: *Gratiam*, *Psalm.* *& gloriam dabit Dominus.*

5 His tribus modis addendus est quartus, & omnium supremus, quo Deus speciali quodã modo potest esse in aliqua re per vnionem hypostaticam, qua est in humana natura assũpta à verbo. Sed quia iste modus est alteri⁹ generis, nec pertinet ad beatitudinem beatorum, de illo nihil nunc agimus. Vtrum autẽ addendus sit quintus modus? dubitant quidam, qui existimant Deum esse beatis, non solùm per præsentiam in eodẽ loco: nec solùm, vt caussam essendi, immo nec solùm, vt in tẽplo, sed per nouũ quendam essendi modum, nouamque vnionem diuinitatis ad animam omnino possibilem. Sed non sunt admittenda mysteria inerrabilia sine solido fundamento. Nullum autem est, vt aliam vnionem admittamus præter quatuor explicatas, vt contra Henricum ostendimus supra q. 1. ar. 1.

Præmittendum est secundo, si nomẽ illapsus generaliter sumatur; illabi in rem idem esse, quod in existere in ea: si tamen de illapsu propriè loquendum est; non idem esse illabi in rem, atque in ea esse. Primum patet, quia fere omnes Theologi cum Magistro in 2. d. 8. fatentur angelum sępe illabi in corpora: qui illapsus nõ aliter esse potest, quàm per præsentiam suæ substantiæ in eodẽ spatio. Scotus etiam in 4. d. 49. q. 2. litera A in fine §. *Prima ergo ratio*, existentiam Dei obiectiuam, qua est in beato, sicut obiectum in cognoscente, & amatum in amante appellat illapsum. Secundum verò ex eo ostenditur, quia cũ illapsus ex sua ratione dicat ingressum, siue introitum vnius rei in aliam; ex sua etiã natura denotat quandam intimam existentiam, ita vt res intrata intime penetretur. Intima autem penetratio rei non potest fieri per solum ingressum secundum prę sentiam in eodem spatio: hęc enim penetratio extrinseca est, cũ fiat in ordine ad spatium, quod est quid extrinsecum ipsi rei intratæ. Nec etiam fit per solam prę sentiam obiectiuã, qua cognitum, & amatum est in cognoscente, & amante: quoniam præsentia obiectiua est extrinseca, & potest fieri inter absentes, cum absentes, & intelligi possint, & amari. Oportet igitur, vt illa intima penetratio rei, quę intratur, fiat in ordine ad aliquid intimum, & intrinsecum illius. Nihil autẽ excogitari potest, nisi ipsum esse existẽtię, quod cum sit terminus vltimo terminans essentiã, est terminus illi intrinsecus. Illapsus igitur propriè sumptus dicitur ille: quo illabens illabitur intra terminos essentiæ, vt docet D. Thom. tum multis in locis, tum maximè in 2. d. 8. q. 1. ar. 5. ad 1. Hoc autẽ modo, vt ibi docet, illabi non potest, nisi concurrẽdo ad ẽsse, quo res intime existit immediate illud per se ipsũ cõseruando: qđ soli Deo cõuenit.

6 2. Prę missũ.

Magister

Scotus.

D.Thom.

Præ-

7 3. prœmissũ. Præmittendum tertiò fieri non posse, vt Deus in aliqua re existat, in eamq; illabatur, nisi ratione alicuius intimi effectus, quem in ea producit, & conseruat, quæ est recepta sententia, de qua supra q. 1. ar. 1. Enim verò Deus dicitur intime in rebus esse, in easque illabi, vt illis est causſa essendi. Aduertendum est tamen cõmunem illum illapsum, & existentiam, qua Deus secundum suam essentiam est in omnibus rebus, vt causſa essendi; fundamentaliter quidem esse vnum tantum: quia vna tantùm est Dei essentia, formaliter tamen esse plures: quia habet plures rationes fundãdi talem existentiam. Nam Deus omnibus rebus adest, tanquam causſa immediatè conseruans esse substantiale cuiusq;: at cum nouus aliquis effectus accidentalis in eadem re producitur, in ea dicitur esse nouo quodam modo: quia eã rem conseruat, non quidem quoad esse substantiale (hoc enim iam antea conseruabat) sed quoad esse accidentale, quod de nouo acquisiuit: nam & hoc accidentale esse conseruari non potest sine immediata Dei existentia, immediatoque illapsu in tale esse: maxime si esse formaque acquisita est supernaturalis secundum substantiam: hæc enim non, nisi Deo immediate concurrente, conseruari potest. Vbi notandum est illapsum istum esse quidẽ specialem: eiusdem tamen generis cum illapsu generali, quo Deus est omnibus rebus, vt causſa essendi illarum: nam vtroque modo Deus dicitur esse in rebus, vt conseruans esse: priori quidem conseruat esse substantiale simpliciter: posteriori autem, conseruat esse tale.

Ex quibus concludimus Deum in patria non posse nouo modo existere, aut in essentia animæ, aut in animæ potentia, nisi nouum aliquem effectum in hac aut in illa producat; ratione cuius effectus nouo illapsu in essentiam, aut in potentiam illabatur.

§. 1.

Resoluitur quæstio.

8 Prima conclusio. QVæstio ista nonnullis adhibitis conclusionibus est resoluenda. Sit prima conclusio: si sermo est de primo existendi modo per (præsentiam sc. in spatio) Deus in patria nouo quodã modo existit in beatis. Probat, quia existit in illis in nouo loco, quod satis est, vt modus existẽdi diuersus sit: nam licet præsentia Dei fundamentaliter sit vna tantũ, qua & in via, & in patria existit in beatis: formaliter tamen est alia, & alia; quia alia, & alia est ratio fundãdi existentiã secũdũ prẽsentiã localẽ. Sed hęc existentia nihil conducit ad nostrum institutum, cum in illa beatitudo formalis non ponatur. Probatur.

9 Secunda cõclusio. Secunda cõclusio: si sermo sit de existentia Dei in creatura rationali, tanquã in templo; Deus in patria nouum habet modũ essendi in beatis lõge meliorẽ, quã habuit in via. Huius assertionis prima pars nõ est omnibus indubitata, si credẽdũ est Suario lib. 12. de Trinitate c. 5. n. 16. quidã enim negant diuinas personas de nouo mitti inuisibiliter ad hominẽ iam iustificatũ, quãdo in eo gratia augetur: quia nemo mittitur, nisi vbi non est: in iustificato autẽ iam diuinæ personę inerant, tanquã in templo: missio autem noua diuinæ personę arguit inexistentiã de nouo: & è cõuerso noua inexistentia arguit nouã diuinę personę missionẽ. Sed tamen quidquid sit de hac opinione in augmento gratiæ viatoris: non potest dubitari, qđ in patria detur noua inexistẽtia in beato, sicut in tẽplo, & subinde, quod detur noua missio diuinarũ personarũ: cõstat enim apud omnes ibi dari nouã diuinarũ personarũ missionẽ, & nouã inhabitationẽ, vbi dantur noua dona, nouusq; status sãctificationis, vt expresse docet D. Tho. 1. p. q. 43. ar. 6. ad 2. Iam verò in patria dantur noua dona: datur enim lumen gloriæ, quod ex sua natura postulat nouam inhabitantis præsentiam, nimirum facialem. Præterea in gratia datur nouus status: nam quauis sit eadẽ numero, quę fuit in via; tamen in patria est consummata, & habet rationem gloriæ: quæ consummatio ponit in ea nouã quandam extensionem virtutis, vt inferiùs dicemus. Nouus autem status gratię, & noua extensio illius ad nouos effectus omnium consensu arguit nouam inhabitationem, nouamque missionem diuinarum personarum, vt ex D. Thom. in d. art. 6. & ex D. Bonau. & alijs bene docet Suar. in d. libr. 12. c. 5. n. 17. & 18. Probatio cõclusionis. D. Thom. D. Bonau.

Itaque in via erat Deus in beato tanquam in templo, vt sanctificans illud: at in patria iam est in eo, vt templum illud glorificans. In via erat, vt obiectū cognitum per fidem, & in ænigmate: at in patria est vt obiectum facialiter cognitum in se ipso. In via erat vt obiectū amatum amore imperfecto, & libero: in patria est vt obiectum amatum amore naturali, & consummato: imò etiā amore apprehensiuo obiecti in se ipso.

10 Ex quibus patet existentiam Dei in beatis, tanquam in templo longe esse nobiliorem: adde etiam, quia inhabitatio viæ ordinabatur ad habitationē patriæ, tanquam in finem: Deus enim ideo in via inhabitabat in iusto, tanquam in templo, vt illum per gratiam sanctificaret, quo fieret dignus, in quo Deus glorioſe inhabitaret. Sed nec iste nouꝰ modus existendi in beatis pertinet ad institutū: quoniā hæc inexistentia potius se habet ex parte Dei, quā ex parte beati, cuius formalē beatitudinē inquirimus.

11 Si sermo sit dē existentia Dei in beatis per intimā inexistentiam, verumq; & propriū illapsum (qui solus modus ad nostrū institutū pertinet) sit tertia cōclusio: Deus in patria habet nouā inexistentiam, nouūq; illapsum in potētias animæ. Cōclusio explicatis terminis erit indubitata. Nā præter existentiam, quam Deus in patria habet in intellectu beati, vt cognitū in cognoscente; habet etiā in ipso intellectu plures effectus nouos, quos in via nō habebat, & subinde habet nouū illapsum. Nā in primis omnes agnoscunt in intellectu beati visionem intuitiuam Dei. Deinde agnoscunt omnes lumen gloriæ, quo intellectꝰ perficitur, & vigoratur ad eliciendā visionē. In voluntate autē præter existentiā amati in amante, dantur plures noui actus: datur enim amor beatificꝰ, qui vel est specie diuersus ab amore vię, vt plures volūt: vel si est eiusdē speciei, est numero distinctus: cū per mortē (excepta Virgine) actus amandi interrumpatur. Datur etiā noua delectatio, & plures alij, de quibus suo loco. Igitur cū in potētijs animę in patria dentur noui effectꝰ, in illis dabitur nouus Dei illapsus conseruatiuus animæ, nō secundū esse substantiale, sed quoad esse accidētale, iuxta ea, quæ tertio loco premisimus.

Tertia conclusio.

Probatio.

Vtrū verò in essentia animæ detur in patria nouus aliquis effectus, qui inferat nouā inexistentiā Dei in ipsa animę substantia, nouūq; illapsum? non est omnium eadem sententia. Affirmat Henricus quodlib. 13. q. 12. vbi iuxta aliquorū explicationē, asserit Deū in patria speciali quodāmodo illabi in animā beati, eamq; ita penetrare, vt animam ipsam in se ipsum transformet, ac deificet, ad modū, quo ignis illabēs in ferri substātiam, eā ignificat. Hanc deificationem animæ fieri per noua quędā dona, & per infusas qualdā qualitates in animæ essentia, colligunt nōnulli ex eo, quod Hēricus dicit in anima beata non apparere, nisi diuinas dispositiones. De mente Hērici modo nō curamus, supponamus tamē hāc fuisse illius sententiā, vt in essentia animæ nouas qualdā dispositiones agnoscat, ratione quarū Deus in patria nouo quodāmodo est in animę essētia. Non longe sunt ab hac sententia, quos refert D. Bouauent. in 4. d. 49. ar. 1. q. 4. dum volunt beatitudinem formalē nō poni in operatione, sed in essētia animę: quod fieri nō potest, nisi in ea ponatur noua perfectio, & qualitas, qua anima ipsa in sua essētia deificetur. In qua sententia absque dubio fuit D. Thomas in 4. d. 49. q. 4. art. 2. & ar. 5. quęstiunc. 1. in corp. & ad 5. quibus in locis expresse docet dari qualitates quasdā animę inhærentes, distinctas ab operationibus; quas appellat dotes. Admisso autem nouo effectu, non potest non admitti nouus illapsus Dei, nouaque existentia, vt patet ex ijs, quæ præmisimus.

Henrici sēntia.

D. Bonau.

D. Thom.

13 Eandē sententiā affirmatiuā probāt quidā ex nouioribus, etiāsi nullus nouꝰ effectus, nullaq; noua qualitas in animæ essētia in patria à Deo ꝓducatur: quoniam ad nouū illapsum Dei in essentiā animæ satis esse volunt nouū modū essendi, quem gratia (quā cum D. Thoma ponunt in essentia animæ) consequitur in patria: ibi enim primū existit consūmata, quæ antea in via solū erat inchoata: consummatio autem gratiæ non est aliud, quā modus essendi in anima inamissibiliter, & incorruptibiliter.

Et à fortiori dabitur nouus illapsus, si vera est illorum sententia, qui volunt gratiam in ipso patriæ ingressu intensiorem fieri, ita vt præter eos gradus, quos

14 Quarta clusio.

Scotus.

quos habuit in via, aliquos de nouo recipiat: nã si nouus essendi modus ipsius gratiæ satis erat (iuxta præcedentẽ opinionem) vt Deus nouo illapsu in essentiam animæ illabatur; à fortiori satis erit noua eiusdem gratiæ intẽsio. Quod vero gratia in ingressu patriæ additione nouorum graduum intendatur, admittere debent ij, qui putant in ingressu patriæ ex diuina liberalitate augeri gratiam viæ, cum Deus præmiet vltra condignum. Similiter etiam gratiæ intensionem debent agnoscere, qui volũt in via non statim dari omne augmentũ gratiæ, quod homo meretur; sed in ipso ingressu patriæ: simili modo nec statim reuiuiscere merita mortificata, vt statim conferatur gratia illis correspondens; sed hanc solum conferri in primo beatitudinis instanti.

14 Quarta cõclusio.

Nos pro opposita sententia quartam statuimus conclusionem. Deus de facto in patria nullum habet nouũ illapsum, nullamque nouam existentiam in animæ essentia; sed eadẽ, qua inerat in via, inest in patria. Ista conclusio placuit Scoto in 4. d. 49. q. 2. ante literam A. §. *Contra istam opinionem*, & litera A. in fine, quam nos in nostris publicis prælectionibus olim secuti sumus; postea eandẽ probauit Suarius in comment. ad 1. 2. disp. 6. quæstiunc. 1. §. *Dico tertiò*, & post eum Bellomontanus 1. 2. disp. 8. c. 2. n. 7.

Scotus.

Hanc sententiam inde probat Bellomontanus in dict. n. 7. ratione 1. quia si aliquis illapsus particularis esset in patria præter communem, quo Deus sua immensitate est intra omnes res creatas; esset ratione donorum gratiæ, quæ Deus beatis confert. Sed hęc dona non satis sunt, vt Deus peculiari modo sit in beatis secundum essentiam. Ergo nullus est admittendus nouus illapsus Dei in patria. Sequela patet: minorem probat; quoniam si Deus aliàs non esset immensus, nec alia ratione intime esset in rebus; non esset in nobis secundum essentiam ratione donorum gratiæ: quoniam hęc dona solo affectu coniungunt nos Deo; cum verò coniunctio per affectum dari possit etiam inter absentes, & loco disitos; fit vt præcise ratione donorũ gratię non dicatur Deus in nobis esse secũdum suam essentiam. Quod etiam docuit 1. p. disp. 30. cap. 3.

Sed in hoc argumento nec percipitur ratio veri illapsus: & sumitur mediũ satis debile. Nõ percipitur inquam ratio veri illapsus; quia supponitur Deum illapsu sibi proprio esse in rebus præcise ratione suæ immensitatis: quod est falsum; quoniam immensitas Dei, licet sit ratio illapsus generaliter sumpti: nõ tamen est formalis, & per se ratio illapsus proprie sumpti, vt Deus est caussa essendi, & dicitur esse intra terminos essentiæ rerum, quem diximus esse soli Deo proprium: nam si per impossibile Deus existens immensus, non esset omnipotens, nec prima caussa rerum, ille esset quidem in rebus præsens secundũ suam essentiam: non tamen esset intimè in illis, nec intraret terminos essentiæ rerum: hæc enim Dei existẽtia in rebus formaliter conuenit Deo, vt est prima caussa conseruans esse cuiusque rei: quę existentia intima supponit quidem immensitatem Dei: non tamen præcise cõuenit ratione immensitatis. 15 Reijcitur.

Ex quo patet, quam debilis sit argumẽti efficacia: etenim dona gratię beatis collata, quatenus sunt quędam entia creata, non possunt non cõiungere nos Deo cõiunctione entitatiua intima; nec enim possunt in suo reali esse cõseruari, nisi à Deo prima caussa essendi. Et quãuis admittendum sit dona gratiæ secũdum specialem rationẽ suæ speciei cõiungere nos Deo secũdum affectum (efficiunt enim nos Deo grãtos, acceptos, & amicos) & secundum istã coniunctionem dari posse etiam inter absentes: tamen quatenus sunt quędã entia, coniũgunt nos Deo coniũctione reali effectus ad caussam primã, & immediatã sui esse: quæ cõiunctio ex se postulat realem, & immediatã prędentiam diuinæ substantię. Iam vero illapsus realis Dei in rebus per se expenditur penes esse rei; non vero penes affectũ Dei erga rem: iste enim posterior illapsus pertinet ad existẽtiã rei in rebus, tanquam in templo, quæ existentia non semper requirit præsentiam inexistentis, vt patet in existentia, qua vna creatura est in alia secundum affectum: & quanuis existentia secundum affectum in creaturis non semper requirat præsentiam Dei secũdum substantiam: in Deo tamen per dona gratiæ illam semper requirit: vt con- 16

tra eundem Bellomontanum bene aduertit Suar. lib.12. de Trinitate cap. 5. n.12: talia enim sunt dona gratiæ gratum facientis,vt vi sua,vel quasi connaturali iure postulent realem, & personalem præsentiamDei per dona illa per se inhabitantis;adeò vt si Deus per impossibile,non esset immensus, Deus ipse per talia dona veniret. Quo fit,vt vltra præsentiam Dei per immensitatem, & per conseruationem in esse;dona illa vi sua, & quodam speciali titulo postulent realem Dei præsentiam sub ratione protegentis. Ex quibus patet inefficatia argumenti Bellomontani.

17 Vera ratio cõclusionis. Vera igitur quartæ assertionis confirmatio,ex eo est sumenda,quoniam in patria nullæ sunt admittẽdæ nouæ qualitates in essentia animę, quæ in via non fuerint:nulla etiam maior intentio gratiæ,quam fuerit in via; sed solus admittendus est nouus modus ipsius gratiæ, quatenus in patria fit consummata:qui nouus essendi modus non satis est, vt Deus nouum habeat illapsum in essentiam animæ:sicut etiam ad nouum illapsum nõ satis erat noua intensio gratiæ, si illa daretur.Singula persequamur.

18 Nam quod in patria nulla sit admittenda noua qualitas in essentia animæ, præter gratiam, quę fuit in via (quam supponamus esse in essentia animæ) ex eo generaliter probatur; quoniam nulla est necessitas,nulla etiam ratio probabilis, vt noua qualitas admittatur. Quod nulla sit necessitas ex eo patet; quia gratia,vt consummata,satis est ad omnes effectus, qui fingi possunt: nam per ipsam gratiam viæ, vt iam est in termino, efficitur consors diuinæ naturæ: & per eandem satis est dispositа,tum vt potentiæ diuinitus eleuẽtur ad diuinas operationes exercendas:tũ,vt iam eleuatæ eadem operentur. Ad quid igitur aliæ qualitates sunt necessariæ? Forte dices animam per gratiam viæ solum fieri consortem diuinę naturę,vt est sãctificans: oportere autem, vt in patria fiat consors diuinæ naturæ,vt est glorificans, & beatificans. Respondetur nec ad hoc opus esse noua qualitate:quoniã ratio sanctificãdi non est formaliter distincta à ratione glorificandi, sed sunt eiusdem rationis, & se habent inter se, vt via ad terminum, & vt ratio imperfecta ad perfectã. Nã ex sentẽtia Theologorũ sanctificatio est quædã inchoatio gloriæ,& beatitudinis: & ob id gratia, vt in via, cõmuniter dicitur quædã inchoatio gloriæ in patria, vt patet ex D.Thoma 2.2.q.24.ar.3.ad 2. Quare cũ gratia vię satis sit,vt nos reddat cõsortes diuinæ naturę, vt est sanctificãs; eadem etiã satis erit,vt in patria nos reddat consortes eiusdẽ naturæ, vt est glorificans. Accedit, quoniã nullus vnquã posuit in anima Christi Domini aliquã qualitatẽ præter gratiam: multo igitur minus admittenda est in alijs beatis. Quod verò nec ratio probabilis aliam qualitatẽ suadeat præter gratiã, facilè oſtẽditur: quoniã probabilior sumitur ex eo, quod in patria in corporibus glorioſis admittũtur quatuor dotes glorię perficientes corporis substantiam. Ergo cũ in patria admittantur dotes animæ beatę;illę etiam erunt qualitates in existentes in animę essẽtia, quę vt diximus,fuit opinio D.Th.in 4.loco citato.

D.Thom.

D.Thom.

19 Verum rationem istam parum vrgere oſtẽditur ex diuersa ratione, quę inter corpus,& animã reperitur: corpus enim,tam in sua substãtia, quàm in suis potẽtijs defect⁹ patiebatur in via,quos per supernaturales qualitates dotium oportebat auferri: etenim corp⁹ in sua substãtia,& est corruptibile,& suo modo tenebrosum, cum sit imperuium visu:in potentia etiã motiua tardum est, & à motu facile impedibile: opus fuit igitur, vt in patria per supernaturales qualitates perficeretur, tum in potẽtia loco motiua per dotẽ agilitatis, & subtilitatis: tum in ipsa corporis substãtia per dotẽ impassibilitatis, & claritatis. At in anima beata defectus, qui poterant inesse in essentia, sufficienter sublati sunt:tum ex sua natura,quia naturaliter est immortalis; tum per donum gratiæ, quo ipsa sua natura naturaliter pulcra, fit supernaturaliter pulcherrima. Quare solùm indigebat qualitatibus patriæ ad tollendos defectus, qui in potentijs inesse poterant: siue illæ qualitates sint habitus, siue sint actus; de quo suo loco agendum erit. Et quidem de opinione Henrici non multum est curandum: illa enim animæ secundum essentiam deificatio per qualitates in patria collatas,nec facilè intelligitur,

Obiectio.

Responsio.

gitur, & in se est superuacanea, atq. sin-
D. Thom. gularis ab omnibus improbata. Opinionē porrò D. Thomæ suo loco impugnabimus, cū de dotibus animę fuerit sermo: ostēdemusq; D. Thomā mutasse sententiā, tum inferius q. 4. ar. 3. tum 1. p. ar. 1. q. 5. vt Sotus affirmat. Non est igitur, quòd in patria in animę essentia nouam qualitatem admittamus.

20 Similiter nō admittimus in ipso patriæ ingressu gratiam vię fieri intensiorem, supponimus enim tanquam certissimū in ingressu patriæ ex diuina liberalitate nullū dari gratiæ augmētū: nā in patria, gratia tantæ est intēsionis, quātę intēsionis est beatitudo essētialis: beatitudo autē, cū sit merces, & præmi ū meritorū solis meritis respōdet. Ergo vltra merita, quæ fuerunt in via, nō datur vllum gratiæ gratuitū, & liberale augmentum. Augmentum porro gratię ex quibuscunq; meritis statim datur in via vt etiam supponimus iuxta veriorem sententiam. Similiter etiam gratia, quę meritis mortificatis respondebat, atim confertur, quando per pœnitentiā merita illa reuiuiscunt, quod etiā concedit probabilior sententia. Nulla igit admittenda est in ingressu patrię noua intēsio gratię: & subinde ex hoc capite, nō est admittendus nouus aliquis illapsus Dei in animæ essentiam in patriæ ingressu. Vtrū autē, si talis noua intensio daretur, illa satis esset ad nouū illapsum? statim explicabitur.

21 Solus igitur remanet nouus essendi modus, quem gratia vię consequitur in primo patriæ ingressu: nec enim iste nouus modus negari potest; cum gratia primò reddatur consummata, & vocetur gloria. Potest igitur esse controuersia, an iste nouus essendi modus satis sit
Dubitatio. ad nouum illapsum in essentiam animę? Aduersarij affirmant: alij negant, vt Suar. ad 1. 2. disp. 6. q. quæstiunc. 1. §. *Tertio modo intelligi potest*, & Bellomontanus 1. 2. disp. 8. c. 3. nu. 10. ex eo, quod gratiæ consūmatio nonsit aliqua noua entitas, sed nouus quidam respectus, nouaq; extrinseca denominatio aduenies gratiæ ex cōiunctione cū visione, & amore beatifico, ex qua habet. qđ sit inamissibilis. Iam verò solus iste respect°, & noua denominatio nō satis est ad nouū illapsū: hic enim ex sua ratiōe supponit aliquid positinū, qđ indigeat nouo concursu cō seruatiuo in esse. Ego negantē partem probo: non tñ admitto fundamentum Suarij, & Bellomōtani: quia, nec gratia in patria præcise consūmatur per solā inamissibilitatē ratione peccati: nec formaliter per coniunctionē, & consortiū cum visione beatifica, & fruitione. Primū ex eopatet; quoniā amissibilitas opposita non solù prouenit ex peccato possibiliter cōmittendo; sed etiam ex voluntate Dei, qui potuit nō perpetuo, sed ad tēpus eam conseruare: vnde certitudo, quæ est in beato, de perpetuitate, & inamissibilitate suæ beatitudinis nō solù pēdet ex certitudine, qđ nunquā peccabit: sed etiā ex certitudine, quod Deus nunquā desinet eam in perpetuas æternitates cōseruare. Secundum verò inde ostenditur; quoniam gratia in patria prius natura consummatur, quàm beati aliquā habeant operationē beatificam: & ex consequenti nō consummatur ex coniunctione cum beatifica visione, & fruitione.

Præcedens sententia approbatur, fūdamentū reijcitur.

Fundametū inde sumo, quoniam apud eos, qui gratiā ponunt in essentia animę gratia est vita animæ, veluti substātialis, & prima forma veluti sustantialis, á qua primò, & radicaliter emanāt actiones vitæ supernaturalis, tam in via, quā in patria: nam, sicut gratia viæ est viatorivita substantialis, à qua primo emanant actiones vitales viæ: ita in patria gratia est comprehensori vita substantialis, à qua operationes vitæ beatæ primò profluunt: vt docuit Ægidius quodlibet. 2. q. 30. §. *Sic enim imaginabimur*: vbi affirmat grātiam in patria, vt est perfecta, & consummata caussare in beatis visionem claram, & apertam: cū verò caussa natura sit prior suo effectu; gratia in patria prius consummabitur, quàm beati habeant aliquam beatificā operationem.

22 Fundamentū vnde sumendū.

Ægidius.

Sed iam inquires, per quidnā gratia cōsummetur in patria? Res est difficilis explicatu. Ægidius loco citato satis insinuat eam consūmari ratione status: nam sicut dum erat in via ratione status erat imperfecta: ita vt est in patria perfecta est ratione status. Sed explicatio non satisfacit: adhuc enim inquiremus, quomodo status patriæ consummet, & perficiet gratiam? an

23 Per quidnā in patria cōsūmetur. Ægidij responsio. Nan placet.

addendo aliquam realitatem, intrinsecam ve perfectionē? si nihil additquomodo status eam consūmat, & perficit? si verò aliquid addit,iam non potest nō admitti nouus Dei illapsus ratione illi⁹ perfectionis.

Vera respō-sio. Ego puto gratiam in patria ideo cōsūmari; quia ex dono assumptionis ad patriam (iuxta illud intra in gaudium Domini tui) ita vigoratur,vt iam ex vi sua,& iure quasi cōnaturali postulet sibi præsentiam, & inhabitationem facialem diuinę essentię,fiatque vigorosa, vt influat in diuinam visionem, actusq; beatificos tanquam sibi connaturales.

Fundamentum. Quam sententiam confirmare possumus; quoniam eadem gratia in via dono perseuerantiæ ideò dicitur consummari consummatione possibili in statu vię,quia ex collocatione talis doni redditur potens, & vigorosa, vt suo quasi iure postulet sibi diuinam assistentiā, & protectionem, vt alibi diximus. Simili modo gratia sacramentalis ex eo, quod ex vi Sacramenti donatur, fit vigorosa, vt inclinet ad proprium sacramenti effectum, vendicetque sibi diuinam assistentiam, & cooperationem ad talem effectum, iuxta veriorem sententiā D. Thom.3.p. q.62. art.2. quā probat Caietan. Sotus, & alij,& cū illis Suar.3.tom.ad3.p.disp.63.sect.6 in principio §.*Circa priorem ergo partem.*

D.Thom. Caietan. Sotus.

24 Ex quibus exemplis colligimus consūmationem gratię in patria non addere ipsi gratiæ, aut aliquem nouum habitum,aut aliquam rem intrinsecam; sed solam virtuosam quandam suæ virtutis extensionemad nouum actum,nouamq; præsentiam diuinæ naturæ, qualis est presentia facialis: sicut enim gratiam collatam esse ex vi sacramēti nihil realiter superaddit gratiæ sacramentali, vt nos alibi diximus, & aduertit Suarius vbi supra: sed solam illam extensionem, & respectum in illa fundatum: sicut etiam donum perseuerantiæ alicui collatum nihil superaddit gratiæ gratū facienti, sed solā vigorosam quādā extensionē ad coassistentiā Spiritus Sancti: ita etiā consūmatio gratię, quæ datur in patria,nec superaddit nouū aliquem habitū, nec nouam aliquam realitatem: Sed ex ipsa assumptione ad patriam recipit illā extensionem vigorosam,quam explicauimus,quæ appellari potest nouum augmentū,non quidē intensiuum,sed extensiuum, quod adhuc satis accōmodatè explicari potest exē plo cōsummationis characteris sacerdotalis, dum quis in Episcopum consecratur,iuxta eorum sentētiam, qui putant eundem numero esse characterem sacerdotalem, & Episcopalem, de quo Sotus in 4.d.24.q.2.ar.3. ad 2.& 3.apud quē character sacerdotalis cōsummat, & perficitur per ordinationē in Epm: est enim Episcopus Sacerdos quidam primus,& cōsummatus,vt ex Agust.refert: at tū consūmatur per Episcopalē ordinationē nō additione noui characteris,aut realitatis:sed per extensionē ad aliqua munia exequenda, quæ antea nequiuerat,vt ibi docetSot⁹ cū cæteris, qui illāprobant opinionem.Simile exēplū sumi potest ex charactere sacerdotali ad verū Christi corpus,quē Apostoli in die Cœnæ à Christo acceperunt; qui ipse per nouā extensionē ad corpus Christi mysticum absq; vllius realitatis additione fuit consūmatus, & perfect⁹, vt virtutē haberet dimittēdi peccata, de quo vide Sotum in 4. d.20.q.1. art. 2. concl.3. Simili igitur modo gratia viæ cōsūmatur per assumptionē illius ad patriā, dū absq; vlla realitatis additione extenditur ad nouā diuinitatis prętiā,& ad act⁹ nouos,visionē,inquā,&fruitionē

25 *Sotus.*

Augusti.

Sotus.

26 Ex quo iam licet inferre nullum dari in patria nouū illapsum Dei in essentiā animæ: quoniā nouus illapsus nō datur sine noua realitate:hęc autē nulla datur in hac gratiæ consūmatione. Quin potius nec noua realitas satis esset,nisi secūdeferret nouūesse:obquā rationē nec noua intensio illius gratię satis esset ad nouū illapsū, sicut nec satis est in naturalibus noua formæ intensio ad illapsū nouū, vt nos olim docuimus, & docuit Bellomōt.1.p.q.43. ar.6. in cōmentario articuli §.*Mihi probatur.* Et 1.2. disp.8. c. 2. nu. 10. quanuis oppositum significet Suar.in cōmentarijs ad 1.2.disp.6.quæstiuncula 1.§.*Altera difficultas.*

Sed obijci potest; quoniam nō solùm nouum augmentum intensiuum gratię, sed etiā extensiuū satis est,vt detur noua missio diuinæ potentiæ. Ergo vtrūque satis erit, vt detur nouus illapsus. Adhoc respōdemusprimò posteriorem partem

27 Obiectio.

Solutio.

partem antecedentis recipi ab omnibus, recipitur enim à D. Thoma 1. p. q. 43. ar. 6. ad 2. D. Bonau. in 1. d. 15. ar. 2. q. 3. Cordubensi lib. 1. quæstionarij q. 41. in fine, Bellomontano in commentario supracitato, Suario lib. 2. de Trinitate cap. 5. n. 18. Priorem tamen partem non ab omnibus probari: eam enim negat D. Bonauent. cum Bellomontano: concedunt tamen Durandus, & Suarius, & videtur cõcedere D. Thomas vbi supra.

D. Thom. *D. Bonau.* *Cordub.* *D. Bonau.* *D. Thom.*

Respondemus secundo, concesso antecedente, negandam esse consequentiam: quia licet nouum augmentum intensiuum, aut extensiuum satis sit ad nouam missionem diuinæ personæ: non tamen satis est ad nouum illapsum diuinæ naturæ secundum præsentiam essentiæ, vt est prima caussa: hic enim illapsus, sicut non datur sine influxu conseruatiuo rei in aliquo esse: ita non datur sine nouo esse rei: augmentum autem extensiuum, cum nihil realitatis superaddat, nullũ superaddit esse, quod de nouo cõseruetur: intensiuum autem, licet superaddat nouum gradum formæ (quæ est noua realitas,) non tamen superaddit realitatem nouam, quę secum ferat nouum esse, vt aliàs diximus.

Alia solutio.

28 Porro missio diuinæ personæ, cum solùm ferat secum existentiam per inhabitationem, vt in templo in ordine ad protectionem, & communicationem amicabilem, solùm denotat illapsum diuinę personę per existentiam inhabitationis, vt in templo: ad quam satis est nouum augmentum saltem extensiuũm ad nouam protectionem. Quæ latiorem postulabant explicationem, sed non est is locus proprius: de hoc Theologi cum D. Thoma 1. p. q. 43. & cum Magistro in 1. d. 15. Modo satis sit dari posse nouam missionem diuinę personæ, nouamque existentiam Dei, vt in templo, absque nouo illapsu Dei, vt est caussa essendi: quod genus illapsus alteri⁹ est rationis.

D. Thomas Magister.

ARTICVLVS II.

An Deus prius sit in essentia animæ, quàm in potentijs?

1 Henrici sẽtentia.

HÆc quæstio principaliter excitatur propter Henricũ, qui in hac materia, & obscurus est, & videtur satis varius: cuius mentem explicauimus supra q. 1. ar. 1. §. 1. Ex ijs, quæ ibi diximus, patet mentem illius fuisse Deũ in patria simpliciter loquẽdo prius esse in potentijs, quam sit in essentia, quia prius per operationes intellectus, & voluntatis apprehenditur, & attingitur, quam per deificationem essentię in eã illabatur: etenim mediante voluntate se transformat in essentiam diuinam, vt expresse ait quodlib. 13. q. 12. addit tamen Deum prius per beatitudinem esse in essentia, deinde in potentijs. Vide, quæ diximus in d. §. 1.

Oppositam sententiam videtur probare D. Thomas in 4. d. 49. q. 4. art. 2. & art. 5. quæstiuncula 1. ad 5. dum habet Deũ ante operationes beatificas prius quibusdam dotibus exornare animæ essentiã, quam operentur potentiæ. Apud D. Bonauenturam res est satis confusa, si expendantur, quę scribit in 4. d. 49. ar. 1. q. 1. n. 5. & q. 4. n. 17. & in 3. d. 14. ar. 1. q. 1. nam licet ponat beatitudinẽ in potentijs animæ; ita tamen in illis eã collocat, vt velit beatitudinem prius esse in anima, quàm potentiæ dicant ordinẽ ad actum. Denique si cęteros theologos expendamus; quæstio non potest non esse confusa.

1 Opinio D. Thom. *D. Bonau.*

Quare, vt huius quæstionis resolutio clarior euadat; eam explicabimus percurrendo varios modos, quibus Deus in rebus existit. Et de primo existendi modo, qui est per simplicem præsentiã in eodem spatio, quam Deus habet ad res ratione suæ immensitatis; nulla est omnino difficultas; nam, cum Deus ratione suæ immensitatis simul sit in omnibus locis, & non prius in vno, quàm in alio; simul etiam erit in omnibus rebus simultate spatij absque vllo ordine, nisi temporis: vnde absque vllo prioritatis, & posterioritatis ordine simul erit in essentia animæ, & in potentijs: nam essentia cum potentijs simul est in spatio, quo diffinitur.

3 Explicatur quæstio.

De secundo modo existendi in rebus per intimam essentiæ præsentiam, vt est caussa essendi: nõ omnes consentiũt: nam apud Henricum Deus prius est in potentijs, quàm in essentia, vt supra diximus. Oppositum dicendum est apud eos, qui volunt Deum in patria infundere in essentia animæ nouas quasdam

4

qualitatesq̃, quas appellant dotes animę (quę fuit opinio D. Thomę, & aliorum) omnino concedendum est Deum in patria prius esse in essentia animæ, & in eam prius illabi, quàm illabatur in potentias: etenim in potentias illabitur per nouos habitus, nouasque operationes; quę cum sint effectus illarum qualitatum, non possunt eas non supponere. Idem etiam dicēdum est apud illos, qui admittunt nouum illapsum Dei in essentiam animę ratione gratię, quę ibi, vel est intensior, vel habet nouũ essendi modum: quorum vtrumque nouum postulat illapsum, atque etiam priorem, quam sit illapsus in potentias: cum gratiæ consummatio concurrat suo modo, tum ad habitus potentiarum; tum ad operationes, tanquam principium substantiale primum.

5 Sed has opiniones in præcedenti articulo iam reiecimus, ostendimusque Deum in patria nullum nouũ illapsum, nullamque de nouo existentiam habere in essentia animæ beatæ, sed solùm in potentijs: quo supposito, non est locus inquirendus, an de nouo prius sit in essentia, quàm in potentijs? Igitur in patria permanet idem illapsus, quo Deus in via conseruabat essentiam animæ, tũ quoad esse substantiale; tum quoad esse accidentale collatum à gratia: de nouo tamen in potentias solùm illabitur ratione nouarum qualitatum, quæ tunc beatis dantur, vt diximus in præcedente articulo: qui illapsus dicitur esse posterior, quatenus supponit permanentiam prioris in anima. In hac sententia conuenit nobiscum Scotus in 4. d.49.q. 2. ante literam A. *§. Contra istam opinionem*, & litera A. in fine: nullum enim admittit nouum illapsum in essentiam, sed solùm in potentias. *Scotus.*

6 Potest tamē dubitari, an Deus in patria prius speciali modo illabatur in potentias, quàm illę operentur? dubitationi occasionem dedit D. Bonauent. in locis supra citatis: vult enim habitus potentiarum prius deificare essentiam animę, quatenus illi vniuntur, quàm habeant ordinē ad operationes. Sed quidquid sit de hac essentię deificatione per habitus potentiarum; concedendum est Deum in patria prius illabi in potētias per infusionem nouorum habituũ, quã in eas illabatur ratione operationum: etenim Deus prius eleuat potentias per habitus de nouo infusos, quàm potētiæ ipsæ operentur. Quod in intellectu manifestè patet: ille enim prius eleuatur per lumen gloriæ, quàm Deum videat. Vtrum autem idem dicendum sit de voluntate? alterius est quæstionis. Negare debet, qui in voluntate solùm admittit eundem charitatis habitum, qui fuit in via: quoniam, etsi ibi reperitur cōsummatus; consummatio tamen forte non arguit nouum illapsum, vt de gratia diximus in articulo præcedente. *Dubium.* *Bonauent.* *Soluitur.*

7 De tertio modo existendi tanquam in templo; cum Henrico potest esse cōcertatio: nam cum admittat in patria Deum prius illabi in potentias, quàm in essentiam, concedat, necesse est Deũ prius inhabitare in beato mediantibus potentijs, quàm mediante essentia. Sed Henrici opinionem sępius reiecimus. Asserendum est igitur Deum in patria per essentiam, & ratione essentiæ beati inhabitare in eo, tanquam in templo: nam cum in beato iam inhabitet, non vt sanctificans, sed vt glorificans; ipsam glorificationē incipit per nouam missionem diuinarum personarum ad eleuandam gratiam, quæ est in anima ad nouum statum, & vt nouam virtutem habeat ad operationes beatificas. Quare sicut in via Deus per gratiam primũ inhabitabat in anima eam sanctificando, & eleuando ad operationes meritorias: ita in patria per eandem gratiam, vt iam habet rationem gloriæ, primum inhabitat in anima eam glorificando, eleuandoque ad beatificè operandum, & hæc de isto articulo. *Henricus.*

QVÆSTIO IIII.

QVEINDE inquirendum est in quanam perfectione sit posita beatitudo patriæ? an sc. ponatur in operatione? deinde, an ponatur in operatione animæ sensitiuę, an solius intellectiuæ?

Circa primum inquirendum est primò, an beatitudo formalis posita sit in aliquo actu essentiæ, vel potentiæ, an in operatione? Secundò, an beatitudo naturalis sit operatio? Tertiò id ipsum inqui- *Ordo seruãdus.*

inquiritur de beatitudine supernaturali vię? Postremò, an beatitudo sit operatio immanens?

ARTICVLVS I.

Vtrum beatitudo formalis ponatur in aliquo actu essentiæ, vel potentiæ, vel in sola operatione?

1 QVestio ista, quãuis facilis videatur, difficilem tamen habet explicandi rationem: non propter aliquam difficultatem, quæ difficilem habeat intelligentiam; sed propter difficultatem in confirmanda vera, & vulgata opinione; quam inficiari paradoxum erit. Quare in illius explicatione hoc ordine procedemus: vt primum referamus, quæ de ea sunt opiniones. Deinde veram sententiam confirmabimus communi philosophorum cõsensu. Tertio autoritate sacræ Scripturæ, diffinitionibus Ecclesiæ, & doctrina Sanctorũ Patrum. Quarto expendemus, an rationes, quibus communiter confirmatur, sint efficaces? Quinto loco fundamenta iaciemus, vnde in sua generalitate efficacitervaleat cõfirmari. Sexto specialiter agemus cõtra sententiam, quę beatitudinem ponit in essentia. Septimo, contra opinionem D. Bonauent. disputabimus. Postremo dissoluemus argumenta, quæ contra datam resolutionem faciunt.

§. 1.
Referuntur opiniones.

2 DE proposita quęstione tres versãtur sententiæ: duæ ex diametro opponuntur; tertia media interiacet. Prima sententia ponit beatitudinem formalem patriæ non in aliqua operatione, sed in perfectione essentiæ ipsius animæ. Ita sensisse nonnullos refert D. Bonauent. in 4. d. 49. art. 1. q. 4; nõ explicat tamen in quanam perfectione eam ponerent: sed non possunt non concedere perfectionem istam esse qualitatem, quæ animæ essentiam immediate perficiat, atque deificet. Huius sententiæ fuisse Henricum fateri debent, qui putant beatitudinem formalem apud Henricum esse aliquid creatũ: nam Henricus, vt sæpe diximus, beatitudinem formalem per se ponit in quadam circuinsessione, & illapsu, quo Deus specialiter illabitur in essentiam animæ, eãq; ita penetrat, vt illam in se ipsum transformet, & deificet: sicut enim ignis (vt ait) illabens in ferrum, ita illud ignificat, vt appareat quidam ignis: ita Deus suo beatifico illapsu sic animam deificat, vt in ea nihil nisi diuinæ quędam dispositiones appareant. Et vt mentem Hẽrici percipiamus; aduertendum est Hẽricum duplicem ponere beatitudinem, etiam in patria: perfectam vnam; imperfectam alterã. Hanc ponit in operatione; illam in perfectione, seu deificatione essentiæ: ita enim theologizat, vt velit obiectum beatificum (Deum inquã) nõ posse à nobis aliter, quam operatione obtineri, & possideri: ipsum tamen operatione iam à nobis possessum vlterius procedere ad ipsam animę essentiam, in eamque specialiter illabi, vt nouo illapsu eam deificet modo explicato & hanc essentiæ deificationem appellat beatitudinem perfectam; non quidem obiectiuam (vt male explicat Bellomontanus) sed formalem: cum illa fiat medijs qualitatibus, & dispositionibus diuinis immediate receptis in essentia animæ: quæ in potentias redundant, non vt operentur, sed vt melius operentur. Et ad hunc sensum explicandus est, dũ q. 12. & alibi beatitudinem patriæ ponit in operationibus intellectus, & voluntatis: intelligendus est enim de beatitudine imperfecta, quam ponit vtviam ad perfectam beatitudinẽ modo explicato. Hæc est mẽs, & sententia Henrici, de qua contra Bellomontanum egimus supra q. 1. ar. 1. & art. 1. tertiæ quęstionis.

Prima opinio.

D. Bonau.

Henricus.

Secunda opinio. 3 Secunda opinio constanter defendit formalem beatitudinem patriæ essentialiter esse positam in operatione. Hęc est omnium consensu ita recepta, vt videatur iam philosophicum, & theologicum axioma. Ita D. Thomas in hac q. 3. ar. 2. vbi vnanimiter omnes interpretes, Caietanus, Medina, Conradus, Porrecta cum omnibus nouioribus. Idem D. Thom. in 4. d. 49. q. 1. ar. 2. quæstiunc. 2. & q. 4. ar. 2. & quodlib. 8. ar. 19. Theologi cũ Magistro in 4. d. 49. vbi Richardus ar. 1. q. 4. Scotus q. 1. §. *Ad quæstionẽ.* litera BB. Supplemẽtum Gabrielis q. 2. Capreo-

D. Thom. Caiet Medina. Conradus. Porrecta. Mag. Sent. Richard. Scotus. Supl. Gab.

Capreol. *Hispalens.* *Soncinas.* *Sotus.* *Ouandus.* *Ægidius.* *Argent.* *Valentia.* Capreolus q.1. ar.1. concl.1. Hispalensis q.1.ar.1.Soncinas q.1.concl.1. Sotus q.1.ar.1. & 2. Ouandus propositione 2. cum cæteris omnibus, Ægidius in 2. d. 5.q.2.ar.2. Argentina q.1. ar. 4. Cursus Conimbric.in Ethicis disp.3.q.3.Valētia 2.tom.disp.1.q.3.punct.2. Bellomōt. in 1.2.disp.8.c.3. cum ceteris omnibus, qui hac de re disputarunt. Nec audiendi sunt Capreolus, & Soncinas, dum asserunt Scotum contrarium censuisse.

Aureolus. Nec pro contraria sententia bene citatur Aureolus, vt bene aduertit Capreolus vbi supra ar. 3. ad argumenta Aureoli cōtra primam: solum enim docuit beatitudinem non esse positam in operatione, quatenus est qualitas, sed quatenus est exhibitiua obiecti beatifici: admittit igitur beatitudinem in operatione, quatenus facit obiectum esse præsens.

4 Tertia sententia. Tertia sentētia interiacet veluti media, quæ beatitudinem ponit in habitu deificante essentiam animæ, vt tamen coniunctus est cum operatione; ita tamen vt principalius dicat ipsum habitum, quia Deus illo mediante influit in essentiam animæ illam deificando. Ita censuit D. Bonau. in 4.d.49. ar.1. q.1.n. 5. & q.4. n.17. & satis eam insinuauit in 3.d.14.ar.1.q.1.Beatitudo igitur patrię apud D. Bonauent. per se collocatur in habitu quodam deificatiuo essentiæ,nō absolutè, sed prout coniunctus est cum operationibus intellectus, & voluntatis. Pro intelligentia mentis D. Bonau. aduertendum est illum beatitudinē ponere non in essentia animæ; quasi illam perficiat quoad esse,sed in potētia. Vnde beatitudinem constituit in quodam habitu,de cuius ratione est,quod immediate perficiat potentiam: addit tamen beatitudinem non poni in potentia,prout est potentia. i. prout dicit ordinem ad actum, siue operationem: sed prout potentia vnitur,&identificatur cum essentia,tanquam quid substantiale,& inde habere,quod ipsam animę essentiam deificet. Sensus quidem obscurus: traditus tamen à D. Bonauentura.

D. Bonou.

§. 2.

Beatitudinem patriæ poni in operatione conuenerunt Philosophi.

5 Resolutio. QVæstio cū secunda opinione resoluenda est,& asserendum beatitudinem formalem patriæ in sola operatione essentialiter esse collocandam. Hanc veritatem primum confirmamus: quia omnes tam theologi, quàm philosophi consensu ferè cōcordi in ea conuenerunt; adeò, vt iam in Theologia sit versa in axioma, quod inficiari noua esset & paradoxa sentētia. Et merito, quia veteres Philosophi in eadem veritate vnanimiter consenserunt: Aristoteles enim vbique beatitudinem hominis posuit in operatione,vt inferiùs ostendemus:& quanuis semper loquut' sit de beatitudine naturali; idē dixisset de supernaturali,si eam cognouisset: vtriusque enim, quoad hoc par est ratio. Quod ex eo facile intelligim', quia in Deo nullam aliam formalē beatitudinem agnouit, nisi contemplationem sui ipsius:vt patet ex 10. Ethicorū cap.8. text. 30. paulo ante finem, & 12. Metaphyc.cap.7.tex.39. & cap. 9. text. 51.& lib. 2. magn. Moralium c. 15. Faciunt, quæ asserit contra Empedoclem 3.Metaph. c.4. tex.15. dum eum ad hoc absurdum deducit. quod Deus alioquin felicissim' nō omnia intelligeret; quod si Dei beatitudo ab Aristotele ponitur in operatione; vtique & nostra supernaturalis beatitudo ab eo poneretur. Cum Aristotele concinit Auerroes 12. Metaph. c. 17. etenim felicitatem substantiæ separatæ (quam nobis vnitam finxit) in intellectione posuit. Quinimò omnes antiqui Philosophi docuerunt inferiores intelligentias visione primæ intelligentię esse beatas.Denique inter veteres Philosophos hanc fuisse vulgatam sententiam, vt beatitudo tam Dei, quàm intelligentiarum in operatione collocaretur,colliges ex Aristotele 10. Ethicorum c.8.

Probatur 1. auctoritate veterū philosophorū. *Arist.* *Auerr.* *Arist.*

§. 3.

Beatitudinem in operatione collocari consentit cum sacris literis, cum doctrina Ecclesiæ, & Patrum testimonijs.

6 2. Probatur ex sacris literis. SEcundò confirmatur opinio communis, quia satis est consentiens cum sacris literis,doctrina Ecclesię,& Patrum testimonijs.Consentit cū sacris literis: quoniam vbi de beatitudine

dine patriæ in illis fit mentio, ponitur in visione Dei, delectatione, & gaudio.

Ioan. 17. Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te*

August. *solum Deum verum*: qui locus à pluribus explicatur de cognitione patriæ per claram Dei visionem. Ita Augustinus de

Cyrillus. *Bernar.* spiritu, & litera c. 33. & lib. 1. de Trinitate cap. 8. Cyrillus lib. 3. aduersus Iulianum, *§. nihil autem.* D. Bernardus serm. 4. in festiuitate omnium Sanctorum. Et quanuis verius explicetur de cognitione viæ, adhuc locus nobis fauet: quia beatitudo viæ est inchoatio quædam beatitudinis patriæ: quare si beatitudo viæ est operatio, vtique beatitudo patriæ erit etiam operatio.

7 Deinde in eodem cap. 17. Ioannis habetur: *Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi*

Ioan. 17. *sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatẽ meam, quam dedisti mihi.* Quibus verbis fere omnium consensu Christus Dominus precatur suis beatitudinem patriæ: cũ verò precetur, vt videant claritatẽ diuinitatis, vtique beatitudinem patriæ ponit in visione, quę est quędam operatio. Quod autem ibi sit sermo de claritate diuinitatis explicãt Chrysostom⁹,

Chrysost. *Euthym.* *Theodorus Mepsuest.* Euthymius, Theodorus Mepsuestiensis ibi, D. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 3. & satis Augustinus tract. 111. in Ioannem,

Ambros. *August.* *Toletus.* & probat Cardinalis Toletus in eadem verba. Optimus locus Ioannis 14: *Si quis*

Ioan. 14. *diligit me, manifestabo ei me ipsum, &* rursus: *Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* Quæ verba de beatitudine patrię intelliguntur: hæc enim tanquam præmium diligenti promittitur, & hæc est, quæ cuique sufficit: hęc autẽ ponitur in manifestatione, qua Deus se se videndum cuique proponitur.

8 Maxime fauet illud Christi Matthæi

Matth. 5. 5: *Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt*; quasi dicat; ideo beati, quia videbunt Deum. Quod etiam Paulus satis

1. Corint. significat primæ Corinth. 13: *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem, &* rursus: *tunc autem cognoscã, sicut, & cognitus sum.* Quibus in locis distinguit Paulus beatitudinem patriæ à beatitudine viæ penes cognitionẽ claram, & obscuram. Manifestius id explicat

2. Corint. 2. Corinth. 5. *Dum sumus in corpore peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* i. per claram visionem: vbi viatorem à comprehensore distingnit penes hanc, vel illam visionẽ.

1. Ioan. Non est prętermittendus locus 1. Ioan. 3. *Nunc sumus filij Dei, sed non dum apparuit, quod erimus; cum autem apparuerit, similes ei erimus; quia videbimus eum, sicuti est.* Sensus est: quanuis nunc vere simus filij Dei; non dum apparuit nostra beatitudo: cũ apparuerit, erimus beati, sicut & ille est beatus: ideo, quia eum videbimus. Ex quibus omnibus patet sententiam, quæ asserit beatitudinem patriæ in operatione esse positam, satis esse consonam sacris literis.

9 Probatur ex definitione Ecclesiæ Bened. 12.

Sed etiã consona est diffinitioni Benedict. duodecimi: diffiniens enim animas Sanctorum, statim ac decedunt, videre Deum, ita ait: *Nec non ex tali visione, & fruitione eorum animæ sunt beatæ.* Quę verba simpliciter prolata denotant operationem visionis, & fruitionis esse formalem beatitudinem. Iuuant verba Cõcilij Vienensis in Clem. ad nostram de Hæreticis: quatenus habent, *animam indigere lumine gloriæ ad videndum Deum, eoq; beate fruendum.* Quasi beatitudo in vtraq; illa operatione ponatur.

Concilium Vien.

5 Ex testimonijs Patrũ.

Accedunt Patrum testimonia: quorũ plurima refert Supplementum Gabrielis, & post eum Valent. Ita ait D. Gregorius Nazianzenus in oratione ad plagam grandinis: *Regnum Cœlorum est contẽplatio Trinitatis.* D. Ambrosius lib. 2. de officijs c. 2: *Scriptura diuina vitam beatam in cognitione posuit diuinitatis.* Vt ommittam⁹, quod Patres beatitudinem patriæ vno consensu collocant, vel in visione, vel in fruitione, vel in gaudio, siue delectatione, vt suis locis videbimus: omnes igitur eam collocant in operatione.

Nazianz. *Ambros.*

11 Hæc nõ probant oppositam sententiam esse temerariam.

Nonnulli his omnibus inducti putãt hanc sententiam adeò esse veram, vt opposita sit temeraria: sed profecto, quæ adducta sunt nullam possunt in opposita sententia temeritatis notam arguere, vt quidam melius aduerterunt. Nam locus primus ex 17. c. Ioan. ad rem propositam induci non potest, vt bene aduertit Toletus ibi annot. 5. in fine, & post eum Maldonatus: nec enim in illo loco est sermo de cognitione patriæ, sed de cognitione viæ per fidem, vt exponunt Cyrillus, Augustinus, Chrysost. Basilius, Hilarius, & Ambrosius citati ab illis: quæ explicatio ex antecedentibus, & consequentibus conuincitur literalis.

Responsio ad 1. locum Ioannis.

Toletus. *Maldonat.* *Cyrillus.* *August.* *Chrysost.* *Basilius.* *Hilarius.* *Ambr.*

teralis. Et quanuis explicaretur locus de cognitione patriæ; adhuc non conuinceret: quoniam explicari posset, non in sensu formali, quasi vita æterna, beatitudoq; supernaturalis formaliter sit ipsa visio: sed in sensu veluti caussali, & antecedēte, qui in sacris literis passim vsurpatur. Dicerent igitur aduersarij vitam æternam esse visionem Dei, quia visio caussatur ex vita, quæ est in essentia animæ: vel si mauis Henrico adhærere, vita ęterna ideo dicitur visio; quia visio antecedit ipsam deificationem essentiæ, vt ex Henrico diximus. Visio igitur dicetur vita ęterna, quia saltem dispositiue est caussa illius.

12 Responsio ad 2. locum Ioan.

Secundus locus ex eodem c. 17. simili modo illiditur: quoniam verba allata potius intelligenda sunt de gloria, & claritate naturæ humanę Christi, quam de claritate diuinitatis: vt interpretantur Cyrillus, Leontius, & Theodorus Heracleota, cum Aug. tract. 111. in Ioannem, quos rectius sensisse putat Maldonatus in eodem loco nu. 24. ad finem, & fuit explicatio Caietani ibidem confirmata ex verbis immediate sequētibus: *quia dilexisti me ante mundi constitutionem*. Quæ continent rationem cur pater illi dederit claritatem, de qua est sermo: licet enim pater filium suum ab omni dilexerit æternitate: non tamen illi dilectione claritatem dedit, sed generatione: claritatem autem humanæ naturæ ideo pater dedit Christo, quia hominē illum dilexit. Vide Caietanum ibidem. Porrò si vis locum intelligi cum Chrysostomo, & alijs supra citatis, non ideo euincitur beatitudinem formaliter esse positam in visione: nec enim id concedent Scotus, & sequaces, qui beatitudinem ponunt in amore. Dicent igitur Christum ideo petijsse Apostolos videre claritatem diuinitatis, quia à visione inchoatur beatitudo. Eādem igitur solutione se proteget Henricus, cum expresse ponat beatitudinem inchoari ab operationibus intellectus, & voluntatis.

Cyrillus. Leontius. Theodorus Heracleot. Augustin. Maldonat. Caiet.

13 Responsio ad 3. locum

Ad locum Ioannis 14. similiter respondendum est; nam primus locus intelligitur de manifestatione, qua Christus post resurrectionem discipulis se manifestauit: vt explicat Augustinus tract. 75. in Ioannem, & Chrysostomus homilia 74. in eundem, Euthymius item eodem loco: hæc enim manifestatio illis promissa fuit in eodem capite. Vide Toletum annotat. 23. Alij locum intelligunt de manifestatione, quæ in hoc sæculo fit viris perfectis per plenam, & perfectam fidei doctrinam, ita Cyrillus lib. 10. in Ioannem c. 1. probat Cornelius Iansenius in sua concordia c. 134. pag. 940. Sed demus cum Aug. in d. tractatu locum intelligendum esse de manifestatione in patria, ex illo solùm infertur nos ea manifestatione futuros esse beatos: vtrum verò manifestatione per visionem? negabit Scotus. Cur igitur temerarius erit Henricus, si id negauerit?

Aug. Chrysost. *Euthym.* *Toletus.* *Cyrillus.* *Iansenius.*

14 Explicatio quarti loci.

Porrò alius locus ex verbis Philippi parum vrgebit, si cum Toleto verba explicentur de visione patris per oculos corporeos, vt scribunt Cyrillus, Leontius, & Theophylactus, & de sufficientia ad tollendam mæstitiam de Christi discessu: vt sit sensus: ostende nobis nunc patrem: & id sufficiet nobis, vt nec mæsti simus, nec vltra timeamus. Sed nec vrgebit quanuis cum Cyrillo libr. 9. in Ioannem c. 36. & Chrysostomo homilia 73. in eundem locum verba interpreteris de sufficientia beatitudinis: quia sēsus erit, non formalis, sed caussalis, vt sæpè diximus.

Toletus. Cyrillus. Leontius. Theophil. *Cyrillus. Chrysost.*

15 Explicatio quinti loci.

Simili modo explicabit Henricus illa verba Christi: *Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt*. Ex hac enim visione causslabitur in illis vera, & essentialis beatitudo. Loci autem, qui ex Paulo adducuntur solum probant in patria dari visionem facialem: non tamen probant in illa visione essentialiter poni beatitudinem. Vltimus tandem locus à plerisque intelligitur de apparitione Christi in secundo aduētu. Sed admittamus intelligendum esse de apparitione nostræ gloriæ: erimus igitur similes ei, quia eum videbimus: at in hac similitudine, & visione beatitudinem consistere, nec explicauit Ioannes, & si explicaret, solùm probaret nos beatos esse visione causslaliter, & inchoatiue.

Explicātur loca Pauli.

16 Respondetur ad definitionē Benedicti.

Benedictus autem solum definit contra eos, qui volebant animas iustorum ante diem iudicij nec videre Deum, nec eo frui, nec denique esse beatas. Vtrum verò operationibus illis formaliter, & essentia-

essentialiter essent beatæ? an verò antecedenter, & causaliter? id definire non intendit: aliàs diffiniret beatitudinem in illis duabus operationibus essentialiter esse positam; quod nec Thomistæ admittunt, nec Scotistæ. Quid autem contra Henricũ faciat Concilium Vienense; plane non video.

Ad Concil. Vienens.

17 Ad auctoritates Patrũ.

Patres verò in hac materia de beatitudine nihil curant de sensu formali, aut causali, siue per concomitantiam: cui argumento est, quod modo docent beatitudinem positam esse in visione, modò in amore, modò in gaudio, & delectatione: vnde sæpe explicant beatitudinem per varia accidentia, siue illa sint antecedentia, siue consequentia, siue etiam concomitantia, vt inferiùs dicemus. Quare, quæ ex Nazianzeno, & Ambrosio adducuntur, parum vrgẽt, quia in sensu causali loquuntur ad modum, quo loquuntur Scripturæ, quas explicant.

18 Exponitur locus Ambrosij.

Illud addimus pro explicatione Diui Ambrosij eum agere de cognitione diuinitatis per fidem in via, vt patet ex verbis immediatè adiunctis: *Scriptura diuina beatitudinem in cognitione diuinitatis posuit, & in fructu bonorum operum*, idest in bonis operibus, quibus cœlestem beatitudinem promeremur: nam de hac cognitione per fidem intelligendum esse locum Ioannis decimi septimi: *Hæc est vita æterna, & cætera*. Supra aduertimus. Quare intelligendus est D. Ambrosius de beatitudine supernaturali viæ, prout vtramque beatitudinem complectitur; speculatiuam scilicet; quæ includit cognitionem veri Dei: & practicam, quæ includit operationem secundum virtutem. Quod si malueris eum intelligere de vita patriæ: sensus erit causalis ad modum, quo sæpè loquitur Scriptura: nam beatitudo patriæ posita est in fide diuinitatis, & in bonis operibus, tanquam in causa meritoria.

Ex his iam euidenter patet sententiam negantem nulla dignam esse censura ex locis aut Scripturæ, aut Ecclesiæ, aut Patrum, quos adduximus.

Quare ex illis nostra opinio suadetur quidem: non tamen persuadetur.

(.*.)

§. 4.

Expenduntur rationes sententiæ communis.

19 Prima ratio.

PRo communi sententia adduci solent rationes philosophicæ, quæ nonnullis videntur efficacissimæ: mihi autem solùm probabiles. Prima ratio, quoniam beatitudo hominis est vltima hominis perfectio: nam & est vltimus finis, & nihil supereſt, quo natura hominis perficiatur. Ergo beatitudo est vltimus actus: nam si vnumquodque in tantum est perfectum, in quantum est actu; vltima perfectio erit vltimus actus. At vltimus actus non potest non esse operatio: nam si actus aliquis est vltimus; ille non potest esse actus primus, sed actus secundus: iam verò actus secundus omnium consensu est operatio. Ergo actus vltimus non potest non esse operatio. Ergo de primo ad vltimum beatitudo erit operatio.

Confirmatur ratio.

Confirmatur hæc ratio: quoniam ex Aristotele 2. de Cœlo cap. 3. text. 17. vnumquodque est propter suam operationem. Ergo operatio est vltimus act^{a}, vltimaque perfectio cuiusque rei. In ea igitur ponenda est beatitudo.

20 Secunda ratio. *Arist.*

Secunda ratio: beatitudo est actus perfectissimus, vt vbique locorum docet Aristotel. Ergo non potest non esse actus secundus, & operatio. Probatur consequentia: quoniam cum sit actus, non potest non esse aut primus, aut secundus: & cum sit perfectissimus non potest non esse actus secundus, qui perfectior est, quàm actus primus: cũ actus primus ad eum ordinetur, tanqnam ad finem: iuxta illud Aristotelis proloquiũ: vnumquodque est propter suam operationem: iam verò, quæ sunt ad finem minus sunt præstantia, quàm finis ex Arist. 3. Topicorum c. 1. & libr. 1. Magnorum Moral. c. 1. *Arist.*

21 3. ratio.

Tertiò: beatitudo formalis est apprehẽsio, & assecutio summi boni, quod est beatitudo obiectiua. Hoc autẽ bonũ non apprehenditur, nec tenetur, nisi per operationẽ: cum operatio sit quoddam vltimum, ad quod res ordinatur.

4. ratio.

Quartò: beatitudo perfectè satiat appetitum. At satiatio appetitus, cum sit delectatio, non sequitur, nisi operationem, vt sæpe docet Aristoteles.

Quintò: si beatitudo posita esset in

Quinta ratio.

perfectione, aut essentiæ, aut potentiæ, quæ non esset operatio: posset quis esse beatus quiescens ab operatione: veluti siquis dormiret: at hoc esse absurdum iudicat Aristoteles 12. Metaphys. cap. 9. & lib. 2. Magnorum Moralium capit. 15. quibus in locis, nec Deo tribuit beatitudinẽ, si aut dormiret, aut nihil operaretur.

Arist.

Sexta ratio.

Sextò: beatitudo in solis animi bonis sita est: vt cum Aristotele omnes concedunt. At animi bona vel sunt potentiæ, vel habitus, vel operationes, vt sæpè docuit Aristoteles: cum verò duo priora ad operationem ordinentur; & beatitudo propter se expetatur; vtique beatitudo in sola animi operatione cõsistit.

Septima.

Postremò: beatitudo formalis est optima, & vltima habitudo hominis ad obiectum beatificum. Sed talis habitudo non potest non esse operatio. Ergo beatitudo est operatio. Maior patet; quia nihil potest complete bene se habere, nisi immediate se habeat ad summum bonum, cuius possessione appetitus satietur. Minor ostenditur: quia nec essentia, nec potentia potest coniungi beatitudini obiectiuæ, nisi per operationem. Hæc sunt notissima fundamenta, quibus communis ista sententia cõfirmari solet.

22 Adductæ rationes non sunt omnino efficaces

Hæc tamen argumenta, vt initio dicebam, probabilia quidem sunt; non tamen sunt omninò efficacia, nisi aliunde corroborentur. In primo argumento (quod ex natura operationis, & beatitudinis desumptum putat Bellomont.) multa videntur dubia. Et in primis dubia est maior: quoniam vel beatitudo dicitur vltimus actus ordine generationis, vel perfectionis, vel denique appetibilitatis.

Solutio primæ.

Si primo modo: maior est falsa apud eos, qui beatitudinem essentialiter collocant, non in delectatione, sed vel in visione, vel in amore, vel in vtroque. Visio enim non est vltima perfectio, nec vltimus actus beati; cum ad eam consequatur amor. Nec similiter amor erit vltima perfectio, cum illum consequatur delectatio. Quare cum in delectatione (quæ generatione est vltimus actus beati) non ponatur beatitudo, vt suo loco ostendemus; falsum erit beatitudinem esse actum generatione vltimum. Maiorem non esse intelligendam secundo modo fatetur Bellomõtanus: & optime; quia constat vnionem hypostaticam præstantiorem esse vnione beatifica.

23

Porrò si in tertio sensu intelligatur maior: vt beatitudo sit actus vltimus, idest, eligibilior, & appetibilior cæteris actibus: propositio etiam est dubia: quoniam cum beatitudo non ab omnibus ponatur actus omnium perfectissimus consentiente etiam Bellomontano; non ab omnibus concedi debet cæteris appetibilior. Quod si dicas id, quod est minus nobile, & minus bonum interdum esse eligibilius (etenim bucella panis famelico est eligibilior magno auri pondere) non tollis difficultatem: quia maior sumitur vniuersaliter.

24

Minor etiam est dubia; dum supponit solam operationem esse vltimum actum: hoc enim non potest non negari ab Henrico; nec sane sine fundamento: nam etsi concedendum est operationẽ esse vltimum actum operantis, quatenus est operans (cæteri enim actus ad operandum instituti dicuntur actus primi) tamen operatio non est simpliciter vltimus actus. Quod notissimum est in operationibus transeuntibus: ægrotus enim sumens potionem nõ vltimo perficitur ipsa sumptione, sed sanitate. In actionibus autem immanentibus, prout actiones sunt de genere actionis, hoc etiam est notum: terminantur enim ad qualitatem, quam producunt, quæ est actus operantis: intellectio enim terminatur ad notitiam, quæ est cognoscentis actus perfectissimus: at tamen cognoscentis actuatio non semper sistit in ipsa notitia: quia per eam, tanquam per formam actiuam pleruṇq; producitur habitus, quo ipse cognoscens actuatur, vt est recepta philosophia. Quid igitur impedit, si diuina essentia visa, & amata illabens in essentiam animę eam actuet, & deificet productis in eam dispositionibus diuinis? Quod si admittatur, bene infertur, nec operationem semper esse actum vltimum: nec omnem actum vltimum esse operationẽ. Sumit igitur minor illa id, quod ab Henrico non potest non negari.

Nec

25 Nec probatio minoris aliquid efficit: qm̃ falso supponit omnẽ actum esse, vel primum, vel secũdum: nam licet diuisio illa sit adæquata de actibus, qui ad operandum concurrunt, & quibus operans actuatur ad operandum (omnis enim talis actus, vel est primus, vel secũdus) nõ est tamen adæquata; si actus absolutè sumatur: sunt enim quam plurimi, qui nec dicuntur primi, nec secundi; vt quia non sunt actus ex sua natura actuantes ad operandum, sed solùm ad essendum: talis enim est sanitas, & albedo, & cęteræ qualitates, quæ non sunt actiuæ. Et ad hoc genus actuum referendus est ab Hẽrico actus deificationis essentię, quẽ ponit. Quare hoc primum argumentũ, nisi aliquid vlterius addatur, non satis est efficax ad conuincendam sententiã Henrici.

26 Solutio confirmationis *Arist.* *Caiet.* Ad confirmationem respondendum est illam Aristotelis propositionem nõ ita esse intelligendam, vt operatio ipsa sit finis, cuius gratia vnumquodque habet esse (hunc enim sensum esse falsissimũ aduertit Caietanus ar. 4. huius tertię quæstionis in principio, quẽ plures probant) sed ita potius: vt vnumqnodq; sit, vt operetur perfectionem sibi debitam. Ex quo sensu potius infertur operationem non esse vltimum actum, nec vltimam perfectionem: cum ex illo inferatur intentionem agentis non sistere in operatione, vt est operatio, sed in perfectione, quam media operatione in se ipso operatur: siue illa sit vltima perfectio, siue non: nec enim agẽs sua operatione semper se ipsum perficit.

D. Thom. Quod si volueris propositionem illã in primo sensu explicare cum D. Thoma ibi lectione 4. & pluribus alijs; non proinde bene inferes operationem esse vltimum actum, & vltimam perfectionem. Quod euidenter demonstratur: nã propositio Aristotelis sub se complectitur, tam operationẽ immanentẽ, quàm transeuntem: quin potius principaliter intelligitur de transeunte, vt ex Aristotele ibi facilè colliges: & tamen constat operationem transeuntem non esse vltimum actum, nec vltimam perfectionem: quin potius non esse perfectionẽ, actumuè agentis, cum extra illum transeat. Probat igitur illa propositio vnũquodque habere esse substantiale propter operari. Vtrum autem illa operatio esse debeat vltimus actus, & vltima perfectio? id non probat: quia esse cuiusque rei non solùm est propter operari vltimam perfectionem, sed etiam propter operari perfectionem non vltimam.

27 Solutio secundæ rationis. Secundum argumentum minus esse efficax existimat Bellomontanus 1. 2. disp. 8. c. 3. n. 13. & merito, quia multis modis dissolui potest. Primo negando antecedens: quoniam beatitudo, quanuis sit actus vltimus; non tamẽ est actus omnium perfectissimus: quæ est plurimorum sententia, cum qua transit Bellomontanus vbi supra. Deinde admisso antecedente negatur consequentia. Ad probationem patet solutio: quia, vt diximus, non omnis actus est primus, aut secundus. Tertio nec conuinceret argumẽtum, si daremus diuisionem actus in primum, & secundum esse adæquatã: diceret enim D. Bonauent. beatitudinẽ esse actum primum: nec proinde esse minus præstantem: quia non est opus, vt finis secũdum se simpliciter præstet ijs, quæ sunt ad finem. Doctrina autem Aristotelis adducta ita est intelligenda, vt media respectu appetentis sint minus perfecta; cum ab eo non assumantur, vt appetibilia gratia sui, sed gratia finis: quod interdum contingit, quanuis ipsa in se sint nobiliora fine. *D. Bonau.*

28 Solutio tertij. Ad tertium respondendum est ad mẽtem Henrici beatitudinem quidem esse assequutionem, & apprehẽsionem summi boni, non quancunque: sed perfectã. Ad minorem fateretur Deum à nobis per operationem intellectus, & voluntatis primo teneri, & possideri; non tamen complete, & perfecte teneri, nisi deificatione essentiæ, quia tunc non intelligibiliter (vt fit per visionẽ) sed reali participatione diuinæ naturæ Deo assimilamur, & suo modo identificamur cum illo. Nec solutio debet omnino displicere: quoniam Scotus cum cæteris, qui beatitudinem ponunt in actu voluntatis, agnoscit Deum à beato per visionem primo teneri, non tamen complete. Similiter igitur diceret Henricus. *Scotus.*

29 Ad quartum responderet Henricus delectationem, non solùm sequi operationem, sed etiam actum vltimum,

Solutio 4. rationis.

& perfectum, qui non est operatio: nam ambitiosus delectatur honore possesso, & auarus possessa pecunia. Quare voluntas beati non solùm delectabitur, quia Deum videt, & amat; sed quia anima ipsa est realiter deificata.

Solutio quintæ rationis.

Ad quintum responderet Henricus beatitudinem perfectã, quam ponit in deificatione essentiæ, ex se supponere beatitudinem imperfectã, quam ponit in operationibus intellectus, & voluntatis: Deus enim visus, & amatus illabitur in essentiam animę, eamq; deificando facit complete beatam. Quare apud Henricum non potest dari beatitudo cum omnimoda quietè ab operatione; nec potest beatus concipi, vt dormiẽs. Argumentum igitur solũ impugnat beatitudinem actuantem animæ essentiam independenter ab operatione.

30 Solvitur sexta ratio.

Ad sextum respondebit Henricus Aristotelem solum cognouisse triplex illud animi bonum, quod in argumento proponitur: ponẽdum tamen esse aliud bonorum genus, quod nec sit potentia animi, nec habitus, nec operatio: talis est animæ deificatio: nisi velis dicere hanc deificationẽ aliquo modo habere rationem potentiæ: siquidem redundãs in potentias facit eas nobilius operari, vt docet Henricus in dict. quodlibet. 13.q.12.

Henricus.

31 Solvitur septima ratio

Ad postremum negabit Henricus minorem: quoniam optima, & vltima habitudo beati ad Deum, vt est obiectum beatificum, ponitur in supernaturali, ac diuina cum Deo assimilatione, quæ fit per deificationem. Ad priorem probationem admittet Henricus nec essẽtiam, nec potentiam posse beatifice cõiungi obiecto beatifico, nisi præuia operatione: ea tamen præuia posse animam alio modo longe nobiliori Deo coniungi. Ad posteriorem dicet Henricus beatum non posse Deo frui, nisi operatione voluntatis: fruitionem tamen non esse perfectam, nisi consequatur deificationem animæ. Ex quibus patet rationes adductas contra Henricum non esse satis efficaces, nisi aliunde corroborentur.

§. 5.

Vera communis opinionis demonstratio.

32

VEra igitur communis sententiæ demonstratio, & à priori, ni fallor, sumenda est ex eo, quod beatitudo ex sua propria ratione habet, quod sit actus vitæ: inde enim necessariò infertur beatitudinem formalẽ per se non posse consistere, nisi in aliqua operatione vitali. Vt hoc nostrum fundamentum melius intelligatur, aduertendum est beatitudinem formalem ex sua ratione in viuendo consistere; ita docuit Aristoteles lib.1. Magnorũ Moralium c.4. vbi post multa ita concludit; *Ergo, & feliciter viuere, & felicitas in viuendo est.* Ob quam rationem beatitudo ab Aristotele vbique locorum suæ moralis doctrinę appellatur vita beata: vt patet 10.Ethic.c.6.tex.26. & 4.Politic. c.11. & lib.1.Ethic.ad Eudemũ, vbi post principium ita ait: *Ante omnia considerãdum, in quo vita beata consistat;* & 9.Metaph. c.9.text.16. in fine: *felicitas* (inquit) *vita quædam est.* De beatitudine supernaturali tam vię, quam patrię id etiam euidẽter patet: nam in Symbolo fidei appellatur vita æterna in vltimo articulo. Matth.19. *Quid boni faciam, vt habeam vitã æternam?* Matth.25. *Ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.* Similiter beatitudo viæ vita æterna appellatur: vita quidem Ioan.10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant:* æterna autem; Ioan.17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum.* Quem locum de cognitione per fidem esse intelligendũ verior est explicatio.

Aduertentia ad communem operationẽ demonstrandã Arist.

Matth.19.

Ioann.10. & 17.

33

Concludendum est igitur, & supponendum beatitudinem tam naturalem, quàm supernaturalẽ ex sua ratione esse quandam vitam. Et cum vita sit duplex: vna substantialis, altera accidentalis: certissimũ est beatitudinẽ non esse vitã substantialẽ: tum, quia hæc est sola anima; quæ vt est separata, est substantia viuens: vt vero est coniuncta, est forma substantialis, qua primo viuimus, ex Arist.2. de anima c.2. tum secundo, quia vita beata proficiscitur à mente, vt affirmat Aristoteles 10.Ethic.c.7. in fine: vita autem, quæ ab alia vita proficiscitur, non est primum principium viuendi; & subinde non est vita substãtialis. Beatitudo igitur erit vita quædam accidentalis, i. actus vitalis, quo viuimus. Quod expresse docuit Arist.9.Metaph.

Arist.

Arist. taph. loco citato in præcitatis verbis: agit autem ibi de vita, quę est actio immanens, vt patet ex antecedentibus. Probatur etiam, quoniam cum beatitudo sit quædam formalis vita, erit vita, qua formaliter viuimus: & cum ea substantialiter non viuamus, vt iã ostẽdimus; vtique ea viuemus vita accidentali. Erit igitur actus, quo formaliter viuimus. Iste autem actus non potest nõ esse actus secundus vitæ, & vitalis quædam operatio.

34 Quod ego primũ deduco ex Aristotele lib. 2. de anima c. 1. & 2. vbi præter vitam substantialem animæ nullam aliã admittit vitam, nisi quæ est operatio, & qua anima est, vt in vigilia. Id, quod patet, tum ex verbis Aristotelis, tum ex vtraque diffinitione animæ. Ex verbis quidem Aristotelis; quoniam in d. c. 2. text. 13. idem est viuere, quod operari: ex vtraq; verò definitione animæ: quia in vtraque vita sumitur pro operatione. Prima enim diffinitio dicit animam esse actum substantialem corporis potentia vitam habentis: vbi nomine vitę omnium consensu intelligitur vitalis operatio. Secunda definitio habet animã esse id, quo primo viuimus, mouemur, sentimus, & intelligimns. Quæ particulæ communi interpretatione denotant operationes vitales proprias cuique vitæ: vt omittamus, quod Arist. 1. Politic. c. 3. aperte affirmat vitam esse actionẽ.

Arist. 35 Deinde id deduci potest ex propria ratione actus, quo formaliter viuimus: is enim actus intrinsece includit ordinem ad principium vitæ: ita vt nec produci possit, nec productum possit suam causalitatem causare in subiecto, nisi ad id concurrente primo vitæ principio: nam primum principium vitæ (anima inquam) est, quo primo viuimus, ex secunda Aristotelis diffinitione: hoc autem non potest conuenire, nisi vitę, quæ est actus secundus, & operatio. Et quidem, quod id conueniat operationi vitali, patet: quoniã vitalis operatio, nec potest naturaliter produci, nisi à principio vitę, tam primo (qualis est anima) quàm secundo (qualis est potentia) nec potest recipi, vt est vitalis operatio, nisi vtroq; principio concurrente ad notionalem obiecti apprehensionẽ. Quod autẽ hoc conuenire nequeat actui substantiali, quo viuens in actu primo viuendi constituitur, facilè patet: quoniã actus substãtialis, sicut non habet, quod per actionem vitalem producatur; ita etiam non habet, quod vitaliter subiectum informet. Quod facilè patet in habitibus sensus, quales sunt species visibiles, quibus visus constituitur in actu primo videndi: nam species visibiles nõ producuntur in oculo per actionem vitalem: producuntur enim à principio extrinseco, nempe ab obiecto: & sicut non producuntur vitaliter; ita etiã nec vitaliter visum actuant, & informant: etenim ad passiuam receptionem speciei visibilis visus solùm passiuè se habet visu aut anima ad eam non concurrente, vt principio viuendi. Nullo igitur modo dici potest nos viuere receptione specierum visibilium: & ex consequenti species visibilis, nec in fieri, nec in recipi, potest dici formalis vita. Id, quod diximus de speciebus visibilibus, dicendum etiam est de habitibus infusis intellectui: hi enim à solo Deo infunduntur, & ob id non vendicant sibi produci per actionem vitalem: & per consequens nec receptio illorum dici potest vitalis: cum recipiantur anima ad receptionem illorum vitaliter non cõcurrente.

36 Simili modo dicendum est de habitibus acquisitis: tum quia non repugnat illos infundi per accidens. Tum etiam, quia non producuntur per actus actione vitali. i. vitaliter immutante: & subinde nec verè dicimur illis formaliter viuere. Concludendum est igitur omnẽ actum, quo accidentaliter viuimus, esse actum secundum vitæ, vitalemq́ue operationem.

Vera ratio communis sententiæ. Ex dictis sumi potest nostræ sententię vera confirmatio. Nam constat beatitudinẽ formalem ex sua ratione esse actũ vitæ, non quidẽ substantialem, sed accidentalẽ proficiscentem à vita substantiali, quo beatus formaliter viuit. Sed actus vitæ, qui formaliter est vita, non potest non esse operatio vitalis, vt latè ostendimus. Ergo beatitudo per se habet, quod sit aliqua operatio beati. Quam resolutionem mihi probant verba Arist. in d. c. 4. lib. 1. magn. Moral. *felicitatẽ in viuendo esse*: nã apud Aristotelem Arist. idem est viuere vita, & operatio vitæ.

37 Corroboratur prima ratio.

Et iuxta hunc sensum corroborari possunt omnes rationes superius adductæ, vt habeant efficaciam. Et prima ratio (quæ inter eas est principalior) corroborabitur, si dicamus beatitudinem ex sua ratione esse vltimum actum in genere vitæ: in quo tum ex Aristotele, tũ ex sacris literis est collocãda, & in hoc genere dicere vltimam perfectionem. In quo sensu verissima est minor subsumpta: quamuis enim absolutè loquendo, nec vltimus actus semper sit operatio; nec omnis operatio semper sit vltimus actus, vt ostendimus: tamen in genere vitę vltimus actus formalis viuendi est operatio: nam si interdum per operationem vitalẽ generetur habitus, qui in genere essendi est posterior, quã actio: tamen ille habitus non est actus formalis vitæ, vt diximus. Explicata autem hoc modo ratione D. Thomæ cessat dubitatio de vltimitate in ordine generationis, perfectionis, aut appetibilitatis: quia modo loquimur in communi de vltimo actu vitæ, non verò in speciali. At loquendo de actu vitæ in communi, beatitudo est actus vitæ vltimus ordine generationis: quia actus primus vitę generatione antecedit actum secundum; an vero antecedat perfectione? suo loco ostendemus.

38 Corroboratur secunda ratio.

Similiter corroborabitur secũda ratio Richardi, suppositа enim opinione, quod operatio immanens (quæ est vitalis) perfectior est, quam habitus, & potentia; ratio optime discurrit: quoniã si beatitudo est actus perfectissimus in genere vitæ; non potest non esse vel actº primus, vel actus secundus: hæc enim diuisio est adæquata in actibus ex sua natura operatiuis, quales sunt actus vitæ: omnes enim sunt, vel principium vitæ, vel ipsa vitæ operatio.

Corroboratur tertia ratio.

Tertia ratio corroborabitur, si dicamus beatitudinem esse perfectam assecutionem summi boni, non quãcunq; sed obiectiuam, qua summum bonum in se ipso apprehenditur: nec enim alio modo potest Deus se ipso nos perficere, nisi obiectiue apprehensus, vt in sequenti §. dicemus. Obiectiue autem nõ potest vitaliter apprehendi, nisi per operationem, vt bene sumit argumentũ.

Quartæ rationis confirmatio.

Quarta ratio vim habebit, si supponamus beatitudinem esse actum vitæ: nam hoc modo non potest satiare, nisi sit operatio assequutiua Dei: satiatio enim appetitus sequitur bonum, vt præsentialiter possessum: possideri autem non potest, nisi per operationem: auarus enim delectatur pecunia, quam sua industria comparauit. Quòd maxime habet verum in Deo, qui non aliter potest à nobis in se ipso possideri, nisi obiectiue, & per operationem potentię illum attingentem, vt in sequenti §. dicemus.

Confirmatio quitæ rationis.

Quintum argumentum ex nostro fũdamento confirmatur: nam illa essentiæ deificatio, cum non sit actus vitalis, non potest esse formalis beatitudo.

39 Sextæ rationis confirmatio.

Sexta ratio eodem modo fit efficax: nã licet admitteremus dari posse aliud bonorum genus ad animam spectans: nunquam tamen admittemus illud bonum ad genus vitæ pertinere: cum nec sit vitæ principium, nec ipsa formalis vita: & ideo beatitudo, quæ in viuendo consistit, in illo poni non potest.

Septimæ rationis corroboratio.

Denique postrema ratio ex eodem fundamento redditur efficax, nam beatitudo ex se est vitalis quædam coniunctio cum summo bono obiectiue coniũcto, quæ coniunctio nisi per operationẽ vitalem fieri non potest: beatitudo igitur non consistet, nisi in operatione: etenim, vt diximus, deificatio essentiæ, quam fingit Henricus, non est vita: vnde nec vitaliter coniungit Deo. Sed de hoc statim plura.

§. 6.

Beatitudinem non poni in perfectione essentiæ.

PRima opinio, quam initio retulimus, beatitudinẽ collocat in perfectione essentiæ, quam deificationem appellat. Hæc ab Henrico ita explicatur; vt Deus prius à nobis videatur, & ametur: deinde visus, & amatus in essentiam illabatur eam deificando. Alij deificationem essentiæ admittunt: at tamen ante omnem intellectus, aut voluntatis operationem. Hæc opinio vno, vel altero modo intellecta est à nobis specialiter impugnanda. Et in genere ex eo vtraque impugnatur; quia vtraque singularis est, & contra torrentem theologorum.

40 Duplex explicatio primæ opinionis.

Vtraque impugnatur generaliter 1.

Deinde

Secundò. Deinde, quia neutra consentit cum phrasi modoque communi loquendi sacræ Scripturæ, & Patrum: is enim denotat beatitudinem patriæ esse operationem. Neutra item fundari potest, aut in Scriptura, aut in Patribus.

41 Tertiò. Tertiò, quoniam ad illam deificationem vno vel altero modo sumptã Deus solùm concurrit, vt causa efficiens. Ergo illa deificatio non potest esse formalis beatitudo. Antecedens patet: quia in vtraque illa opinione Deus efficit diuinas dispositiones, quibus anima deificatur. Cõsequentia inde probatur; quia nulla forma, aut perfectio potest esse formalis beatitudo, nisi simul cum ea Deus se ipso immediate concurrat ad beandum animam. Deus autem ita cõcurrere non potest cum deificatione, si ad eam concurrit efficienter.

Pro efficatia huius argumenti prænotandum est id, quod in superiori libro latè ostendimus, Deũ se ipso, suaq; nuda essentia immediate animam beare, vt quod: Deus enim dicitur nostra merces Gene. 15. & Ioan. 11. nostra vita, & apud Augustinum 22. de Ciuit. Dei c. 30. dicitur nostra gloria: denique nostrum bonum dicitur ab Aristotele 12. Metaph. c. 10. text. 52. & cum Deus beãdo nos perficiat; certissimum est Deum in patria se ipso, & sua essentia immediate nos perficere: Deus autẽ non potest se ipso immediate perficere creaturam in genere causæ efficientis: nam licet se ipso possit causare perfectionem, qua creatura perficitur: non tamẽ se ipso eam perficit, sed mediante perfectione producta: est enim proprium causæ efficientis, ideo quia est causa extrinseca, non posse aliud perficere, nisi mediante suo effectu, tanquam causa formali: ignis enim perficit lignum mediante calore: & dealbans perficit parietem formaliter per albedinem. Et inde est, vt causa efficiens cum forma, quam efficit, non integret vnam totalẽ causam: sed vtraque concurrit, vt causa totalis in suo genere; efficiens quidẽ, in genere causæ efficientis; forma autem, in genere causæ formalis. Non sic

42 res habet in Deo, vt beante: ipse enim cum forma, quæ est beatitudo formalis, integrat vnam causam totalem, cui primo, & adæquatè conuenit beare, vt in superiori libro sæpe docuimus: hoc autem modo beare non potest, nisi cõcurrendo in genere causæ obiectiuæ, tanquam obiectum beans: quoniam in solo hoc genere potest se ipso, & per se ipsum perficere animam beatã. Et quidem, quod obiectum in genere causæ obiectiuæ possit aliud perficere, quanuis sit forma extrinseca, euidenter colligitur ex libris de anima: fatetur enim Aristot. obiectum intellectus perficere intellectum: & similis ratio est in cæteris potentiarum obiectis. Et non solum obiectum in suo genere potest perficere potentiam: sed etiam immediate se ipso; ita vt in tali genere ipsummet sit, quod obiectiuè perficit non alio, quam se ipso: idque perficiendo vt quod, & vt quo. Quod facilè patebit, si singula obiecta percurramus. Nam intelligibile (quod est obiectum intellectus) se ipso perficit intellectum: cum se ipsum obijcit in se ipso videndum. Similiter bonũ cognitum (quod est obiectum voluntatis) se ipso eam perficit; quia ipsummet sese obijcit amandum in se ipso; vt cognitum, & amatum se ipso appetitum satiet, beatque, si fuerit summum bonum: vnde cum visione, & amore integrat vnam totalẽ causam beatificantem. Nõ ita se habebit Deus cum ipsa deificatione; nam licet eã immediatè efficiat: tamen non se ipso cum ea immediatè deificat animam; sed mediante qualitate deificante. Vnitur igitur Deus animę deificatæ ratione deificationis: sed vnitur, vt causa conseruans animam sub tali esse: non verò vt obiectum beans: Quare licet illam essentiæ deificationẽ admitteremus, nequaquam in illa beatitudinem collocaremus.

Aristot.

43 Quarto. Quarta ratio, eaque generalis: quoniam si illa essentię deificatio satis esset ad beatificam vnionem, ita vt in ea poni deberet beatitudo; profecto deificatio, quia Christi anima per vnionem hypostaticam eleuatur, & deificatur, maiori cum ratione satis esset, vt in illa poneretur beatitudo formalis animę Christi. At in Christo non satis est illa deificatio. Ergo nec in cæteris beatis satis erit, qualiscunque fingatur deificatio. Sequela per se videtur nota: quia ex materia de Incarnatione certissimum est animam Christi per vnionem hypostaticam

ticam deificatam esse deificatione omnium maxima, vt bene aduertit Bellomontanus in d. disp. 8. c. 2. n. 14. & explicatur 3. p. q. 7. ar. 1. vbi Suarius disp. 18. sect. 1. ex Naziãzeno, Chrysost. Hilario, & Aug. Minorem extra controuersiam esse affirmat Bellomontanus: at non vidit Henricum eam negantem quodlib. 6. q. 6. vbi docet animam Christi ipsa deificatione, quam ex vnione consecuta est, esse formaliter beatã. Sed in hoc non est audiendus: tum quia sine fundamento discedit à torrente doctorum: tum secundo, quia sibi non constat: tum denique, quia non conuenit cum receptis Theologiæ principijs. Quod non cõstet sibi inde patet: quoniam in eâdem quæstione fatetur Deum non deificare animæ essentiam, nisi per intellectum, & voluntatẽ à nobis possideatur; vultq; deificationem essentiæ esse posteriorẽ visione, & amore. Hoc autem conuenire non potest deificatione animę Christi, quæ fit per vnionem hypostaticam: hæc enim prior est quacunque operatione intellectus, & voluntatis. Nec est, quod in ratione beati Christus nobiscũ non conueniat. cum nobis per omnia voluerit assimilari, vt ait Paulus.

Nazianz. Chrysost. Hilarius. August. Henricus.

44 Nec conuenit cum receptis Theologiæ sententijs: constat enim contra Hẽricum non solum naturam rationalem, sed irrationalem etiam & insensibilem esse assumptibilem: & subinde esse deificabilem deificatione per vnionem hypostaticam: quæ tamen in natura irrationali, aut insensili nullo modo haberet rationem beatitudinis. Concedẽda est igitur minor superioris discursus, & dicendum animam Christi non esse formaliter beatam per talem deificationem, sed per solam visionem, & amorem. Nec satis est, si dicas disparem esse rationem in deificatione, quæ fit per vnionem hypostaticam, & quæ fit per vnionem beatificam: quoniam per illam deificatur natura deificatione secundum subsistentiam diuinam: per hãc verò deificatur deificatione secundum participationem diuinæ naturæ. Non satis est, inquam, quoniam per vnionem hypostaticam ex coniunctione substãtiali datur participatio, non solùm subsistentiæ diuinæ, sed etiam diuinæ naturæ longe nobilior, quam sit quæcunque alia diuinæ naturę participatio, aut per gratiam, aut per gloriam, vt modò supponimus.

Hæc generaliter diximus contra vtramque opinionem: contra singulas in speciali aliquid dicamus. Et cõtra deificationem Henrici, modumq́ue explicationis eius primũ obijci potest: quoniam prẽter beatitudinem per visionẽ, & amorem (quam tanquam imperfectã admittit, prioremque sequenti deificatione essentiæ) absque solido fundamẽto alteram fingit beatitudinem positã in essentia animæ: satis enim est prior beatitudo, vt anima perfectè, & complete dicatur beata, vt ex solutionibus argumentorum facilè patebit. Deinde obijcitur; quia etiam si admitteretur deificatio essentiæ, quam fingit; in ea nõ posset poni formalis beatitudo. Et prẽter generales rationes probari potest: quia constat beatitudinem formalem etiam in patria esse actum vitæ, quo anima formaliter viuit. Illa autem deificatio non est talis: nec enim est actus secundus vitæ; cum non sit operatio: nec dici potest actus primus; quoniam nullius vitalis operationis est principium.

45 Prima explicatio specialiter impugnatur 1.

Secundo.

Contra deificationem, quam alij admittunt priorem omni intellectus, & voluntatis operatione, primum obijci potest: quia inde sequeretur dari posse beatum, qui nec Deũ videat, nec amet, quod apud omnes est falsum: etenim etiam antiqui Philosophi Deo, aut dormienti, aut ab operatione vacanti denegarunt beatitudinem, vt patet ex Aristotele 12. Metaph. c. 9. & lib. 2. Magnorum Moralium c. 15. Sequela probatur: quoniam non est negandum deificata essentia Deum impedire posse omnem, & intellectus, & voluntatis operationẽ.

46 Impugnat secunda explicatio in speciali. Primo.

Aristot.

Deinde obijcitur; quoniam illa deificatio essentiæ non potest esse alia à deificatione, qua eadem essentia deificata est per gratiam, quæ ex via manet in patria: nam superius artic. 1. ostendimus nullam in patria nouam qualitatem in animæ essentia admittendam esse: si qua enim esset necessitas nouæ qualitatis; esset, vt anima eleuaretur ad esse diuinum, quo posset elicere operationes beatas: ad hoc autem satis est gratia viæ, vt in patria consummatur, vt latè diximus in d. art. 1. alioquin deificatio

47 Secundo.

per

per gratiam nullum haberet effectum in patria. Porrò si deificatio eadem est, quæ antea erat mutato tamẽ statu; profecto in ea non potest poni beatitudo. Primo, quia beatitudo viæ in ea non ponitur. Secundo, quia iusti in via essentialiter essent beati. Tertio, quia gratia etiam vt est in patria, nõ potest habere rationem hæreditatis, & præmij: nam etiam in patria fundat ius adoptionis filiorum Dei ad cœlestem hæreditatem, & meritum, cui datur præmium, & merces: nam in patria sicut permanet adoptio filiationis: quia adhuc vere sumus filij adoptiui; ita permanẽt merita, quæ defacto coronantur. Quare sicut in via adoptio distinguebatur ab hæreditate, & meritum à prẽmio: ita, quod in patria fundat vtrunq; , distinctum quid erit ab hæreditate, & præmio.

Tertio.

Tertio obijcitur, quoniam licet illa deificatio poneretur qualitas distincta à gratia; adhuc beatitudo non posset in ea collocari: beatitudo enim nõ potest consistere in solo actu primo vitæ, cum sit vita quędam perfecta, & iucundissima: qualis non est actus primus: deificatio autem illa solum esset actus primus.

§. 7.

Beatitudinem non consistere in aggregato ex habitu, & operatione, vt volebat D. Bonauentura.

48 Multa displiceant in tertia opinione Bonauẽt.

SVpereſt expendenda opinio D. Bonauenturę; quę beatitudinem ponit in habitu, & actu simul: principalius tamen in habitu perficiente potentiam non vt est potentia, sed vt identificatur cum essẽtia. In qua opinione illud primũ displicet, quod beatitudinem collocat in aggregato ex habitu, & operatione.

Primum.

Hoc autẽm non ex eo capite displicet, quod beatitudo ponitur in pluribus; sed quod ponitur in pluribus, quorum alterum est habitus, alterũ operatio. Quod nõ satis philosophice dicitur: nam quãuis ad perfectum statum beatitudinis habitus, & operatio requirantur; tamẽ habitus non potest ad essentiam pertinere. Primo, quia beatitudo essentialiter dari potest sine aliquo habitu: potest enim diuinitus fieri, vt anima videat, & amet Deum nullo habitu in potẽtijs existente: post enim Deus supplere actiuitatem habitus. Negari autẽm nõ potest posito illo casu animam complete esse beatam: adhæreret enim perfectissimo modo vltimo fini, & iucundissime frueretur summo bono. Confirmatur; quoniam ad actus beatificos visionis, & amoris magis necessaria est potẽtia, quam habitus: quoniam actus illi sine potentia dari non possunt: bene tamen sine habitu. Quare si potentia ad essentiã beatitudinis nonpertinet; vtiq; nec ad eam pertinebit habitus. Confirmat.

Secundo, beatitudo formalis essentialiter est assequutio vltimi finis: habitus autem licet concurrat ad assecutionem finis, vt principium efficiens; non tamen vt formalis assecutio. Tertio, quoniã beatitudo in genere vitę est vltimus actus: est enim vita perfecta. Habitus autẽm nec est formaliter actus vitalis (nec enim intrinsece habet, quod sit ab interno vitę principio,) nec est vltimus act⁹; cum sit principium elicitiuum operationis vitalis.

2. Argum.

3. Argum.

Deinde displicet, quod beatitudinem principalius collocat in habitu, quam in actu: hoc enim non esset verum, quanuis beatitudo per se collocaretur in aggregato ex habitu, & actu: nam cũ beatitudo ex sua essentia sit formalis assequutio summi boni; principalius collocanda foret in eo, cui verius, & principalius conuenit ratio assequutionis: hęc autem tantum abest, vt principalius cõueniat habitui; vt illi proprie conuenire nequeat: est enim principium effectiuum actus, qui est formalis assequutio. Simile argumentum sumi potest ex eo, quod beatitudo est vltima perfectio viuentis, quatenus est viuens. Ratio autẽ vltimæ perfectionis principalius conuenit actui, quam habitui, vt patet. Deniq; cum iucunditas, & delectatio principalius conueniat beatitudini ratione actus, quam habitus (ex Aristotele enim delectatio sequitur operationem,) non est dubitandum, si beatitudo collocanda est in habitu simul, & in actu; in actu potius collocandã esse, quam in habitu.

49 Secundum quod non placet.

Tertio loco non potest non displicere, quod beatitudo collocatur in habitu potentiæ, non quatenus potentia est potentia habens ordinem ad actum; sed quatenus identificatur cum essentia: nã cum D. Bonauent. beatitudinem collocet, non in essẽtia, sed inpotentia nõ satis

50 Tertium.

tis philosophice collocatur beatitudo in potentia, & non in ordine ad actum: etenim habitus, qui per se ponitur in potentia, tanquam in subiecto, ex se dicit ordinem ad operationem ipsius potentiæ, vt docet D. Thom. 1.2.q.49.ar.3. Quare potius deberet D. Bonauentura ponere beatitudinem in animę essentia, quam in potentia: & consentire cū prima opinione.

D. Thom.

§. 8.

Soluuntur argumenta, quæ probare videntur beatitudinem ponendam esse in perfectione essentiæ.

51 SVperior resolutio duas cōtinet partes. Prima asserit beatitudinem nō esse ponendam in aliqua perfectione, quæ immediatè sit in essentia. Secūda affirmat eam esse ponendam in operatione potentiæ. Contra vtranq; partem nonnulla fiunt argumenta. Et contra priorem primo sic arguitur: beatitudo est nobilissima perfectio. Ergo recipi debet in nobilissimo subiecto: talis autem est essentia animæ.

Contra primam partē superioris resolutionis arguitur. Primo.

Secundo. Secundo, beatitudo est summum bonum formale. Ergo est perfectissima vnio Dei cum beato. Talis autèm est vnio, qua Dei essentia vnitur cum essētia animæ; non vero vnio, qua vnitur cum potentia media operatione.

Tertio. Tertio; in vnoquoque ordine prius est habere esse talis ordinis, quam operari operationes illius. Ergo Deus prius vnitur essentiæ animæ eam deificando; quam operetur diuinas operationes visionis, & amoris.

Quarto. Quarto, Deus nos efficit beatos vi sui amoris: sed vis amoris est, vt amantem transformet in amatum, ex D. Dionysio c.7. de Eccles. hyerarchia. Ergo Deus ideo nos efficit beatos, quia in nos transformatur. Hoc autem facit nos deificando.

Dionysius.

Quinto. Quinto, beatitudo est gratia consumata: iuxta illud Pauli ad Romanos, *& gratia Dei vita æterna*. Sed gratia ponitur in essentia animæ. Ergo & beatitudo.

Ad Romanos c.

Vltimo. Postremo vnio Dei, quę fit cum essentia eam deificando (quam Henricus appellat illapsum in essentiam) perfectior est, quam vnio Dei cum potētia ad operandum. Ergo in illa ponenda est beatitudo. Consequentia patet: antecedens probatur; quoniam in priori vnione Dei est beato prēsens secundum suam essentiam, ratione noui effect': in posteriori autē Deus solùm est præsēs prēsētia obiectiua, & in ordine operationem: quæ præsentia minus perfecta est, vt patet.

Hæc argumenta facile solui possunt. 52 Difficultatem primi euadunt, qui negāt beatitudinem formalem esse perfectionem nobilissimam. Sed inferius hāc opinionem tanquam minus peripateticam reijciemus. Admisso igitur antecedente difficultas posita est in explicatione huius propositionis: *nobilissima perfectio postulat sibi nobilissimum perfectibile*. Quam propositionem quidam ita explicāt, vt vera sit dummodo nobilissimum perfectibile sit illius capax. Iam vero essentia animæ non est capax beatitudinis, nisi mediante potentia. Ita Medina 1.2.q.3. ar.2.q.1.ad 4; & est communis inter Salmanticenses. Hanc solutionem probauerat Scotus in 4.d.49.q.2. litera O, in secunda solutione primi versiculo *aliter & quasi reddit*: quo in loco propositionē illam putat simpliciter veram in perfectionibus substantialibus: nam forma substantialis inter substātiales nobilissima nobilissimum postulat perfectibile: at non esse veram in perfectionibus accidentalibus: quia nobilissimum perfectibile nō est capax talis perfectionis Quod contigit in proposito: quoniam essentia animę (quæ est nobilissimū perfectibile) non est capax beatitudinis, quæ est operatio: sicut etiam non est capax habitus, nisi mediante potentia. Solutio satis est ad euadendum difficultatem: sed cum supponat id, de quo cum aduersarijs est cōtentio, videtur aliquo modo petere principium.

Solutio pri mi argum.

Medina. Salmaticēses. Scotus.

Quare Scotus in prima solutione aliter difficultatem explicat; vt propositio vera sit, si perfectio nobilissima cum perfectibilibus sui ordinis conferatur; Secus si conferatur cum perfectibilib' alterius ordinis. Duo autèm ordines perfectibilium apud Scotum distinguēdi sunt; iuxta duos ordines perfectionū: nam cum perfectionum accidentalium (de quib' modo est sermo) aliæ sint act' primi; aliæ actus secundi, siue operationes; distinguenda sunt perfectibilia in duos ordines, vt illa, quæ actus primos immedate

53

immediate respiciunt, ad vnum ordinẽ pertineant: quæ autem immediate respiciunt actus secundos; alterius sint ordinis. Igitur perfectio, quo est nobilior, eo sibi postulat nobilius perfectibile, non absolutè, sed sui ordinis. Cum vero beatitudo in operatione cõsistat, in ordine operationum erit nobilissima: & subinde postulabit perfectibile in suo ordine nobilissimum. Quod est verisimum: nam ob hanc causlam, qui beatitudinem ponunt invisione; putant intellectum esse potentiarũ nobilissimam potentiam: è contrario dicunt de voluntate, qui ponunt beatitudinem in amore. Addit tamen Scotus perfectiones, quæ in suo ordine habent perfectibile nobilius, esse nobiliores perfectionibus alterius ordinis: & subinde si in essentia animæ inessent aliquæ perfectiones, illas nobiliores futuras fore omnibus habitibus, & operationibus, & subinde ipsa beatitudine. Hæc solutio etiam suo modo videtur petere principium; & in hoc vltimo placere non debet, vt ex dicendis patebit.

54 Quare ego puto propositionem illam intellectam de perfectionibus accidentarijs absolute esse negãdam: nec enim necesse est, vt nobilior perfectio immediatè perficiat nobilius subiectum: dãtur enim plurimæ instantiæ; nam quantitas immediatè perficit substantiam; qualitas autèm non, nisi mediante quãtitate: & tamen qualitas longe est nobilior, quam quantitas. Deinde potentiæ animæ sunt perfectiones minus nobiles quam actus secundi, vt suo loco ostendemus: & tamen immediate perficiunt essentiam animæ, operationes vero nõ, nisi mediantibus potentijs. Quin potiꝰ propositio est falsa, etiam si abstrahamꝰ à perfectione substantiáli, & accidentaria: nam forma substantialis immediate perficit materiam primam; quæ est perfectibile minus nobile, quam totum compositum substantiale; quod immediate perficiunt accidentia: si non ônia (vt quidam volũt) saltem aliqua, quod nullus negat. Et tamen forma substantialis longe est nobilior, quamquæcũq; accidentalis. 55 Solutio 2.

Ad secundum argumentum respõdetur primo, beatitudinem non esse absolute sũmũ bonum; quia maius bonũ est vnio Hypostatica. Quare ex hoc capite non postulat sibi summam vnionẽ cũ Deo. Respondetur secundo beatitudinẽ ex sententia Aristotelis esse sũmũ bonũ inter omnia bona, ad quę homo, tanquã ad finem dirigitur. Quare beatitudo ex sua natura non postulat quancumq; vnionem cum Deo: sed eam solam, quæ animam coniungit Deo, vt vltimo fini, obiectoque beatifico: talis autem vnio fieri non potest, nisi per operationem vitalem. Respondetur tertio, vnionẽ beatificam perfectiorem esse vnione, qua Deus per aliquem effectum cõiungitur essentiæ animæ: quoniam Deus per effectum non se ipso immediate perficit animam, sed ipso effectu mediãte: per vnionem autem beatificam se ipso immediate perficit beatum, vt superius diximus.

Ad tertium respondetur animã beatam prius natura habere esse beatificũ, quam habeat beatificas operationes: inde tamen non inferri beatitudinem formalem positam esse in perfectione eleuante essentiam ad esse glorioſum, vt diximus supra §. 6. 56 Solutio 3.

Ad quartum dicendum est primo argumentum extra rem agere: quia potiꝰ probat Deũ vi sui amoris trãsformari in beatũ quã beatũ in Deũ. Respõdetur secũdo Deum in hoc sensu vi sui amoris nos facere beatos; quia amor diuinꝰ est Deo ratio, cur illis beatifice cõiũgatur: coniungitur autem, dum se ipsum obijcit à nobis in se ipso videndũ. Vnde trãsformatio Dei in nos, quæ fit per amorẽ; potius supponitur ad beatitudinẽ, quã sit ipsa formalis beatitudo. 57 Solutio 4.

Ad quintũ respondetur primo beatitudinem in hoc sensu dici gratiam consummatam; quia est consummatio, & complementum omniũ beneficiorũ Dei quæ interdum appellãtur gratia. Iuxta quam explicationem beatitudo non est gratia gratum faciens. Quare sẽsus Pauli est iste: *gratia vita æterna.* 1. vita æterna est Dei beneficium: nam licet detur ex meritis; merita tamen ex Augustino sũt dona Dei. Respondetur secundo, etiam si Paulus intelligatur de gratia gratum faciẽte; inde non inferri beatitudinem esse in essentia animæ: quoniam pleriq; non sine probabilitate docent gratiam non distingui à caritate, quæ est in potentia. Quod si oppositum sentias, dici- 58 Solutio 5. Pauli locus expoitur.

to

to locutionem Pauli explicandam esse in sensu causali,& non in formali: nam, gratia consummata existens in anima tanquã supernaturalis illius vita,& natura, influit in operationem, tanquam principium primum, sed remotum. Gratia igitur,vt iam consummata est,est vita æterna in actu primo:cum tamẽ beatitudo formalis sit vita in actu secundo vt sæpe diximus.

Vltimi argumenti solutio.

Ad postremum neganda esset consequentia etiam si daremus antecedens: nam sicut non est necesse, vt beatitudo sit maximum bonumanimæ;iuxta illorũ sententiam,qui putant gratiam esse entitatem nobiliorẽ beatitudine; ita non oportet,vt beatitudo ponatur in perfectiore coniunctione cum Deo absolute loquẽdo;sed,quod ponatur in perfectiore coniunctione cumDeo,vt est obiectũ beatificum: quæ coniunctio est obiectiua,& nulla potest esse perfectior ea,quę habet Deum intuitiue præsentem. Sed melius negabitur antecedens:quoniam vnione beatifica Deus se ipso immediate vnitur beato:per deificationem autẽ non vnitur immediate se ipso, sed mediante effectu,vt ad secundum diximus.

§. 9.

Soluuntur argumenta quæ videtur probare beatitudinem non poni in operatione.

60 Primum argumentum cõtra posteriorem partem resolutionis.

QVod beatitudo non ponatur in operatione,multis probant aduersarij.Primo;quoniam beatitudo formaliter sumpta, est vltimus finis noster:nulla autẽm operatio potest esse vltimus finis,tum,quia operatio est propter obiectum,tanquam propter finem, vt iam probatur;tum etiam, quia visio,&fruitio obiecti beatificiest propter ipsius obiecti assecutionem.

61 Secundum

Secundo; quia inde sequeretur operationem esse nobiliorem, non solũ potentia,& habitu,à quibus elicitur;sed etiam substantia operantis: esse enim finis;& ideo præstantior ex Aristotele 3. Topic.c.1. Consequens est falsum: tum; quia substantia simpliciter est nobilior quocunq; accidente;tum secundo; quia substantia,potentia,&habitus,sũt causæ æquiuocę operationis:& ideo sũt nobiliora;tum deniq; quia habitus supernaturales gratiæ,charitatis, & luminis gloriæ,sunt entia nobiliora, quam suæ operationes:fiunt enim à soloDeo;cum tamen ad operationes potentia etiam concurrat.

Aristot.

92 Tertium. *Arist.*

Tertio,beatitudo formalis à suis autoribus ponitur in operatione, quia ex sentẽtia Aristot.2.deCœlo c.3.text.17. Vnunquoq; est propter suam operationem. Quę maxima satis est dubia: nam accidentia potius sunt propter substãtiam, quam e contrario:sũt enim ab auctore naturæ instituta, aut vt eam conseruent in esse, aut vt eam perficiant,& ornent: imperfectiora enim sunt propter perfectiora. Deinde ex illa maxima non bene infertur operationem esse vltimũ finem operantis: quoniam teste eodemAristotele operationes transeũtes ordinantur ad vlteriorem finẽ:nempe ad operatum, & ad id,quod per operatum intenditur: immanentes verò, quanuis nullum habeant operatum:habent tamen obiectum, ad quod tanquã ad causam finalem ab auctore naturæ institutæ sunt: quod adeo verum est, vt plures doceãt istas actiones in suo esse quidditatiuo pendere ab obiectis, tanquam à causa finali: & quanuis hęc opinio pluribus non placeat, vt patet ex Cursu Conimb.2. Physic.cap.7.q.2.art. 3.ad 2.&lib.5.cap.4.q.1.ar.3.ad 1.tamẽ omnibus placere debet veram esse istã sententiam de istis actionibus, prout producibiles sunt, & actu ponuntur in rerum natura, vt cõstat ex eodem Cursu in d.cap.7.q.15.art.2.in fine:nam sub hac ratione, sicut habent causam efficientem, ita habebunt finalem. At nullam aliam habere possunt, nisi sua obiecta, propter quæ sunt instituta.

61 Quartum.

Quarto, beatitudo ideo ponitur in operatione, quia per operationem primo vnimur Deo: quod tamẽ est falsum; quia Deus prius vnitur nostro intellectui, vt species intelligibilis. Et quanuis id esset verum: nõ tamen esset satis vt beatitudo in operatione operetur: quoniam beatitudo non est posita in prima vnione, sed in vnione completa.

64 Quintum.

Quinto,in eo ponenda est beatitudo, quod nobis est vita æterna: iuxta illud Pauli ad Roman.6. *Habetis fructum vestrũ in sanctificationem: finem vero vitam æternã.* Vita autem non est operatio, sed esse viuentis.

Ad Romanos 6.

Sexto

Sextum. Sextò; beatitudo significat aliquid existēs in beato: est enim vltima perfectio hominis: sed operatio, vel transit in aliud: vel significatur, vt procedēs ab alio. Ergo beatitudo non est operatio.

Septimum. Septimò; vnius hominis vna est beatitudo: operationes autem sunt plures.

Vltimum. Postremo; sequeretur animam denudatam suis potentijs non posse esse beatā: beatas tamen esse posse potentias, si ab anima separentur. Vtrūq; est absurdū.

65 Solutio primi argumēti. Hæc argumenta ita soluuntur. Ad primum admittenda est maior ad hunc sēsum; vt beatitudo sit vltimus finis noster; non quidem adæquatus, sed partialis constituens cum beatitudine obiectiua vnum totalem finem, vt latè diximus lib. 1. & 2. Maiore igitur ita explicata neganda est minor: quoniam operatio, qua assequimur obiectum beatificum, est vltimus finis, vt verbis expressis docuit Aug. 11. de Trinitate c. 6. dum ait: *visionem Dei esse vltimum finem nostræ voluntatis*: omnes enim appetimus Deū videre tanquam vltimum finem. Aristoteles etiam felicitatem (quam in operatione posuit) vltimum finem appellat 1. Ethic. c. 7. Minor igitur est falsa. Cuius probatio bene concludit quancūq; operationem habere pro fine suum obiectum: quia Deus institutor naturæ operationes adæquatè instituit propter obiecta: nimirum vt per eas operans obiecta attingeret, & obtineret: non tamen cōcludit obiectum esse finem operantis in ordine ad operationem, quasi operans operationem ipsam in se appetat, & formaliter applicet tanquam medium ad attingendum obiectum: volūtas enim immediate appetit finem ex operatione, & obiecto integratum: adęquatè enim appetit videre Deum: & auarus immediatè appetit possidere pecuniam, & sic de cæteris. Quare, ne confusio fiat, distinguendus est hac in re finis operis à fine operantis: nam fines, qui respectu operantis sunt partialiter vltimi vnum totalem integrantes, ita se habent, vt vnus respectu alterius possit esse adæquatus finis, non quidem operantis, sed operis, quod in duobus prioribus libris citatis iam aduertimus.

Obiectio. Siquis obijciat operationem, quæ est formalis assequutio finis vltimi, esse effectum eiusdem finis, vt lib. 1. iam ostēdimus; igitur respectu operantis esse nō posse vltimum finem. Respondendum est antecedens esse falsum, si intelligatur de fine obiectiuo partialiter sumpto, vt comparatur cum fine formali: in hoc enim sensu talis operatio, nec in ordine intentionis, nec exequutionis, est effectus finis obiectiui. Porrò, si antecedens ita intelligatur, quod tam adeptio finis vltimi, quàm ipse finis vltimus, vt adeptus in ordine executionis sit effectus sui ipsius, vt in ordine intentionis est amatus ab operante; antecedens est verum, & à nobis assertum. Ex quo nihil contra nos effici potest. Responsio.

Secundum argumentum petit difficultatem; vtrum beatitudo formalis sit maxima omnium perfectio? qui negāt, simpliciter negabunt sequelam. Ad probationem admittent beatitudinem esse vltimum finem; ex quo non bene infertur esse perfectionē omnium maximā; proloquium autem Arist. intelligendū est non absolutè, sed in ordine ad appetentem: quia media, vt ab appetente assūmuntur; non assummuntur, vt appetibilia propter se, sed in ordine ad finem. 66 Solutio secundi.

Sed inferius dicemus negantem illā sententiam esse minus peripateticam; quia beatitudo est perfectio omnium maxima inter perfectiones accidentarias, quę animæ cōueniunt, vt est quoddam viuens: est igitur minus nobilis, quàm substantia animæ: nobilior tamē, quàm potentiæ, & habitus, tam acquisiti, quàm infusi. Quare ad argumentum neganda est sequela respectu substantię animæ: admittenda tamen respectu potentiarum, & habituum, in quibus neganda est minor: cuius fundamenta suo loco dissoluemus.

Ad tertium negamus nostræ opinionis fundamentum sumi ex illa Aristotelis propositione; cum de illius intelligētia non dum satis constet. Solidum igitur fundamentū ex eo sumpsimus, quod beatitudo ex sua ratione est actus vitę, non primus, sed secundus. Vide, quæ diximus §. 5. 67 Solutio tertij.

Ad quartū admittimus beatitudinē ideo poni in operatione, quia sola operatione possum⁹ vniri Deo vnione obiectiua: qualis nō est vnio, qua diuina essētia nobis vnitur per modū speciei intelligibilis: vel quia vnitur nobis per modū 68 Solut. quarti.

principij elicitiui visionis, vt plures putãt: vel si nobis vnitur aliquo modo per modum obiecti; vt alij existimant: non vnitur, nisi modo habituali, & non per modum actus vitalis,

69 Solutio quinti. Ad quintum dicimus beatitudinem collocãdam esse in eo, quod in nobis sit vita, non in actu primo, sed in actu secũdo: nam vita simpliciter prolata accipitur pro operatione vitali, vt §. 5. dicim⁹ ex 2. de anima c. 2. tex. 13. in qua significatione diuiditur vita in actiuam, & cõtemplatiuam. Vide D. Thomã. 1. 2. q. 3. ar. 2. ad 1.

D. Thom.

Solutio sexti. Ad sextum respõdet D. Thom. ibi ad 3. beatitudinem esse actionem immanẽtem, quę est perfectio manens in agente: nam quanuis significetur per modũ actionis veluti transiũtis in obiectum: non est tamen vera actio, sed qualitas in agente manens.

D. Thom.

Solutio septimi. Ad septimum respõdetur: quod licet vnius hominis sint plures operationes: vna tamen est operatio omnium perfectissima, in qua ponitur beatitudo.

70 Solutio vltimi. Ad postremum admittimus animam denudatis suis potentijs non posse fieri beatam: quia sine potentijs non potest elicere operationes beatas. Vtrum verò intellectus ab anima separatus (idẽ dicito de voluntate) possit fieri beatus? est controuersia. Affirmat Scotus in 4. d. 49. q. 2. ad 2. litera P. quem aliqui ex nouioribus sequũtur. Negant tamẽ alij ferè omnes, vt patet ex Suar. in Metap. disp. 18. sect. 5. n. 3. ad finem. Sed ad nostrum institutum parum refert, quæ nã illarum opinionum sit vera. Nam si non potest beari, neganda est sequela: si verò potest; admittenda est, & neganda minor. Ego puto sententiam negantem veriorem esse: nam, cum intellectio sit actio vitalis, non potest dari, nisi ad eã cõcurrat primum vitæ principiũ, quod est anima, iuxta illud Aristotelis 2. de anima c. 1. anima est, quo primo viuim⁹, intelligimus, &c. Quare nihil potest intelligere, vt quod, nisi sit substantialiter viuens: quæ essentialis dependentia ad formam substantialem non necessariò requiritur in actionibus non vitalibus: nam etsi à forma substantiali dependerent, vt communior docet philosophia (quidquid repugnet Suarius vbi supra sect. 6.) tamen non necessario dependẽt ab ea, vt coniuncta est cum agente, vt quod. Sed latior huius rei disputatio ad alium locum pertinet.

Scotus.

ARTICVLVS II.

An beatitudo naturalis sit operatio?

1 Veterum opinio relata ab Aristot. HAC de re non omnes antiqui inter se conuenerũt: nam si Aristoteli credimus, quidam veterũ felicitatem naturalem posuerunt in virtutibus: ita colliges ex Aristot. 1. Ethic. c. 5. tex. 20. & c. 8. tex. 38. & lib. 2. Magnorum Moralium c. 10. in fine. Quin potius eam tribuit Socrati lib. 1. Ethic. ad Eudemum pag. 991. n. 40. & 50. Solet tribui Senecæ libr. 10. epist. 77. cuius opinionis nullum aliud inuenio fundamentum, nisi, quod habitus præstent operationibus, quæ sententia apud nostros probata fuit Alensi 2. p. q. 104. memb. 3. & ex nouioribus probat Valentia 2. to. disp. 4. q. 3. punct. 2. cum nonnullis alijs, quibus videtur annuere D. Thomas 1. 2. q. 51. ar. 2. ad 3. & q. 63. ar. 2. ad 3.

Socrates.

Seneca.

Fundamentum.

Alensis.

Valentia.

D. Thom.

2 Oppositæ sẽtentia probatur ex Aristot. Sed oppositam sententiam antiquam esse, & concessam à philosophantibus, testatur Arist. 1. Ethic. c. 8. tex. 39. reprehenditq; citatos philosophos: vnde vbique locorum suæ doctrinæ felicitatem ponit in sola operatione, vt patet ex citatis locis, & 1. Ethic. c. 7. tex. 34. & 35. & lib. 9. c. 9. tex. 38. & lib. 10. c. 6. tex. 26. & 27. & lib. 1. Magn. Moral. c. 4. & lib. 2. c. 10. in fine, & 7. Politic. c. 3. post principium, & lib. 1. Ethic. ad Eudemum nõ longè à principio, & est receptissima sentẽtia inter philosophos Christianos; & res est absque vlla dubitatione, si sermo sit de beatitudine naturali perfecta quæ in alia vita daretur, si Deus ad supernaturalẽ longè nobiliorem nos non ordinasset: suo enim loco ostendemus hanc collocandam fore in contemplatione abstractiua primę caussæ.

3 Rationibus eadem sententia ostẽditur. Primo. Et quidem, quod beatitudo naturalis siue perfecta, siue imperfecta non in habitu virtutis, sed in operatione collocanda sit, confimari potest omnibus rationibus; quibus in ar. præcedẽt. ostendimus beatitudinem patrię in sola operatione consistere: nam cum beatitudo naturalis in viuendo consistat, vt diximus ex Aristotele 1. Magn. Moral. c. 4.

immò

immò etiam sit quędã vita beata ex eodem 9. Metaph. c. 9. tex. 16. & 10. Ethic. c. 6. text. 26. & lib. 4. Politic. c. 11. & lib. 1. Ethic. ad Eudemum post principium: vtiq; beatitudo consistet in vltima perfectione vitali: qualis est operatio, qua formaliter viuimus: nam ex Aristotele 2. de anima c. 2. text. 13. idem est viuere, quod operari. Quin potius inter actus vitales accidentarios operatio vitalis non solùm est vltima perfectio viuentis, sed etiam nobilissima: quod colliges ex Aristotele 2. de Cœlo c. 3. text. 17. hæc scribit: *Eorum quodque, quorum est opus, operis ipsius esse gratia constat.* Sensus est: *vnumquodque eorum, quorum est opus*: i, quæ alicuius operis sunt actiua: *esse gratia ipsius operis constat*: i. constat esse actiua gratia ipsius operis. Quare actus primus vitæ (siue potentia sit, siue habitus) ex sua natura est gratia actus secundi vitæ, tanquã finis. Tertiò accedit; quia nisi beatitudo esset operatio, non esset vita iucunda: delectatio enim operationẽ cõsequitur. Adde quartò; quia Deus (quẽ constituimus nostram beatitudinẽ obiectiuam) non potest nobis beatificè cõiungi, nisi obiectiuè coniungatur. Deus enim se ipso non potest nos perficere, nisi vt obiectum: obiectiuè autem non potest coniungi, nisi per operationem, vt sæpe diximus. Postremò accedat ratio Aristotelis, quoniã si beatitudo per se ponatur in habitu virtutis; dormiens posset esse beatus: quod si admittatur: non potest non admitti eum dicendum fore beatum, quãuis semper dormiret; quod esse absurdum patet ex Aristotel. citatis locis.

Arist. *Secundo.* *Tertio.* *Quarto.* *Vltimo.*

Occurritur fundamẽto adducto. Nec fundamentũ pro contraria opinione adductum aliquid facit: quoniam falsum est habitus acquisitos (de quib⁹ modò agimus) præstare operationibus vitalibus, vt suo loco ostendemus.

ARTICVLVS III.

An beatitudo supernaturalis huius vitæ sit operatio?

1 Dubitandi ratio p parte negatiua DE beatitudine supernaturali huius vitæ inquirendum etiam est, an ipsa per se consistat in aliqua operatione? nec deest dubitandi ratio: nam fortasse placeret alicui eam per se collocari non in operatione: sed in aliqua perfectione, quæ immediatè sit in anima; qualis est gratia: aut in habitib⁹ supernaturalibus, qui sunt in potentijs, nimirum in fide, spe, aut charitate, quæ sunt virtutes theologales. Fundamentũ autem inde sumet; quoniã hę perfectiones supernaturales ex sua natura sunt nobiliores, operationibus viæ: etenim, si aliquibus credimus, frequentior sententia affirmat habitus infusos esse suis actibus longe nobiliores: tum, quia à solo Deo infundũtur: tum etiam, quia sũt simpliciter necessarij ad tales actus. Et de habitibus istis supernaturalibus ita existimat Suarius in Metaphy. disp. 44. sect. 8. n. 18. & de gratia idem docet Molina 1. p. q. 12. ar. 5. disp. 2. ad 2.

Molina. *2 Affirmatiua sententia p batur primò.* His tamen non obstantibus oppositũ affirmãt omnes Theologi, qui hac de re scripserunt: nec videtur posse de hoc dubitari: colligitur enim ex sacris literis, ex illo sc. Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*: quem locum explicandũ esse de cognitione vię per fidem, aduertit Toletus ibi annot. 5. Maldonatus cũ cæteris interpretibus ex Cyrillo, Aug. Chrysostomo, Basilio, Hilario, & Ambrosio, quos referunt: & satis colligitur ex antecedentibus, & consequentibus. *Ioan. 17.* *Toletus.* *Maldonat.* *Cyrillus.* *August.* *Chrysost.* *Basilius.* *Hilarius.* *Ambr.* *Secundo.*

Accedit etiam; quoniam ex sacris literis patet fidem sine operibus mortuã esse: & obseruantibus mandata non solùm promittitur diuina mansio per gratiam, sed etiam vita æterna. Denique Matth. 5. beatitudines huius vitæ promittuntur ijs, qui operantur. *Matth.*

3 Soluitur ratio dubitandi. Ad fundamẽtum dubitationis initio propositæ facilè respondebunt, qui putant non esse de ratione beatitudinis, quod sit perfectio omniũ nobilissima; sed quod sit vltima. Sed melius respondebis cum illis, qui negant datam doctrinam: de quo suo loco agendum erit.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum beatitudo sit actio immanens?

1 CVM duplex sit operatio; transiens sc. & immanens; ex Aristotele 9. Metaph. c. 9. tex. 16. explicandum est, an omnis beatitudo sit actio immanens? Rationem dubitandi facit: quoniam ex sententia Aristotelis beatitudo ponitur in operatione secundũ virtutẽ, *Difficultas pro negatiua sententia ex Aris.*

vt patet ex locis citatis art. 4. Operatio autem secundum virtutem non solũ complectitur actionẽ immanentem, sed etiam transiuntem: virtutes enim morales, non solùm moderantur actiones internas (quæ sunt immanentes) sed etiam externas; quæ sunt transiuntes: vt patet in actionibus fortitudinis, liberalitatis, &c.

2 Affirmatiua sententia probatur. *D.Thom.* 1. ex Arist.

Dicendum tamen est omnem beatitudinem esse operationem immanentẽ, & non transiũtem: ita D. Thomas in hac q.3.ar.2.ad 2. & est indubitata tentẽtia. Probatur primò auctoritate Aristotelis 9.Metaph.c.9. text.16. vbi felicitatẽ enumerat inter actiones immanentes: est enim vita, vt ait: vita autem est in anima viuente. Et generaliter ita probari potest: quoniã beatitudo, quæcũq; illa sit, est operatio in suo genere perfectissima, ex 10.Ethic.c.7.operatio autem immanens præstantior est transiũte (est enim propter se, ex Aristotele 1. Metaph. c.1.& 10.Ethicor. c.7.& 8.& 9. Met.c.9. text. 16. cum tamen actio trãsiẽs non propter se sit, sed propter operatum, 1.Eth.c.1.tex.3.) ergo beatitudo nõ est operatio transiens, sed immanẽs.

3 Probatur 2. *Arist.*

Deinde; quoniam beatitudo est operatio, quæ manet in beato operante, ex Aristotele 1.Magnorum Moral.c.1.&9. Metaph.c.9.tex.16. operatio autẽ transiens non manet in operãte, sed sola immanens ex Aristotele d. c.9. Ergo beatitudo non potest esse operatio transiens, sed immanens.

Tertio. *Arist.*

Accedat tertiò; quoniam beatitudo est quędam vita, ex Arist. in locis sæpe citatis. Sed operatio vitalis non est trã siens, sed immanens, ex Arist. d.c.9. Ergo beatitudo per se est actio immanẽs.

4 Quarto. *Aristot.*

Postremò; operatio transiens essentialiter est, vel motus, vel mutatio eius, circa quod operatur, ex d. c.9. Aristotelis. Beatitudo autem est operatio attingens Deum obiectum beatificũ absq; vlla illius reali mutatione: transit enim ad obiectum, illudque attingit transitu quodam, & tactu intentionali, qui solius est actionis immanentis, vt patet in visione, cognitione, &c.

5 Specialiter probatur in singulis beatitudinibus

Hęc generaliter diximꝰ de omni beatitudine. De singulis autem in speciali facilè id ostenditur. Nam beatitudo patrię consistit in visione, aut amore, vt dicemus; quæ sunt actiones immanentes. Idem patet de beatitudine supernaturali viæ; quæ posita est in cognitione supernaturali Dei, vt diximus ex verbis Ioan. 17. Porrò naturalem beatitudinẽ esse operationem mentis, quæ est immanens, sæpè docuit Aristoteles. Vide 10.Ethic.c.7.text.29.& c.8. tex.34. *Arist.*

6 Responsio ad difficultatẽ initio adductã.

Ad rationem dubitandi initio allatã dicimus beatitudinem vitæ actiuæ non esse positam in quacunque operatione secundum virtutem; sed in actu intellectus practici, quo externæ operationes diriguntur: qualis est actus prudentiæ, ex D. Tho. q.vnica de virtutibus in cõmuni ar.5. ad 8. Iam verò actus intellectus practici, licet virtute sint transiuntes (quia actus transiuntes dirigunt) formaliter tamen sunt immanentes, vt patet.

QVÆSTIO V.

EXPLICATA beatitudinis essẽtia quoad genus remotum, & proximum; consequenter explicanda est illius essentia inuestigando specificas differentias. Et cum iam cõstet beatitudinem esse operationem animæ immanentem: operationum autẽ differentiæ sumãtur, tum ex parte principij actiui; tum ex parte obiecti: ex vtroque inuestigandæ sunt differẽtiæ essentiales illius. Et primum eas inuestigabimus ex parte principij actiui, quod est anima: deinde ex parte obiecti. De primo agit D. Thomas in hac q. 3. ar.3. 4.& 5. De secundo disputat in eàdem quæstione ar.6.7. & 8. 1 *D.Thom.*

Quod attinet ad 1. inquirendum est, cuius nã animę beatitudo sit operatio; an animę sẽsitiuę; an solius intellectiuę? deinde suppositio, quod sit animę intellectiuę; explicandũ erit, cuius nam potẽtiæ sit operatio? Nihil autẽ inquiremus de anima vegetatiua; quia nõ potest esse principiũ humanę, & moralis operationis; cũ sit õninò expers rationis: qualis nõ est anima sensitiua: hęc enim etiã dicitur rationalis: nõ quidẽ per essẽtiã, sed per participationẽ; quia subijcitur imperio rationis: ob quã rationẽ bona animę sensitiuę enumerari solent inter bona 2 Quæ sunt in hac quęstion. inquirenda.

Arist. bona animi, vt patet ex Arist. 2. Ethic. ad Eudemum in principio: immò distinguntur à bonis corporis à D. Thoma *D. Thom.* supra q. 2. ar. 5. 6. & 7. & 3. contra Gentes c. 27. 32. & 33.

3 Aduertendum est hoc loco in superiori libro quæsitum esse; an beatitudo obiectiua posita sit in bonis animæ sensitiuæ? idest in bonis sensibilibus, quæ per sensibiles operationes obtinentur: nunc autem, cum sermo sit de beatitudine formali, inquirimus, an illa formaliter sit posita in aliqua operatione animę sensitiuę? quod nihil aliud est, quàm quærere, an per operationem sensitiuã obtineri possit à nobis nostra beatitudo obiectiua? Et quãuis alicui fortasis videri possit eadem quæstio: diuersa tamen est: quoniam licet affirmatiuè bene inferatur; si beatitudo obiectiua est bonum sensibile; beatitudo formalis est sensibilis operatio: negatiuè tamen nõ bene infertur: quoniam licet indubitatum sit nullum bonum sensibile esse sũmum bonum: tamen dubitari potest, an operatio sensibilis eleuari possit ad videndum summum bonum intelligibile? Quare non mirum, si tam in hoc libro, quàm in superiori hac de re excitetur quæstio.

4 Ad institutum igitur reuertentes ad inuestigãdas proprias beatitudinis differentias ex parte animæ, inquirendum est, an beatitudo sit operatio sensitiuæ, an intellectiuæ animæ? Cũ verò duplex sit potentia animæ sensitiuę; sensus sc. & appetitus; inquirendum est primò, an beatitudo formalis consistat in operatione appetitus sensitiui? hoc est in vita quadam voluptuosa: deinde, an cõsistat in operatione sensus? v.g. in visione corporea. Tertiò, an saltem diuina potentia possit operatio animæ sensitiuę eleuari, vt sit formalis beatitudo?

ARTICVLVS I.

An beatitudo formalis sit operatio appetitus sensitiui?

§. 1.

Referuntur varij errores.

1 *D. Thom.* DE hoc egit D. Thomas articul. 3. huius tertiæ quæstionis, & 3. cõtra Gentes cap. 33. & 37. & Opusc. 3. cap. 264. Ex dictis superiori libro constat varios fuisse errores de proposita quæstione, tum inter veteres philosophos, tum inter fideles Christianos. Nam nonnullos posuisse beatitudinem in vita voluptaria docuit Aristotel. 1. Ethicor. c. 5. text. 17. & 18. & lib. 1. Ethi. ad Eudemum post principium. Eam tribuit Eudoxo 1. Ethic. c. 12. text. 54. & libr. 10. cap. 3. text. 3. tribuitur etiam Aristippo, vt placet Lactantio. Epicurus etiam communi laborat infamia huius opinionis, quanuis ab aliquibus ab ea vindicetur. Eam quamplurimos probasse testatur Salomon Ecclesiastes cap. 5. & Sapientiæ 2. Tandem eam probauerunt Iudæi, & Saraceni, qui felicitatem futuræ vitæ in vita voluptuosa collocarunt, ex D. Thom. 3. contra Gẽtes cap. 27. in fine, Castro lib. 3. aduersus hæreses verbo beatitudo hæresi. 2.

Primus error. *Eudoxus.* *Aristippꝰ.* *Epicurus.* *Iudæi.* *Saraceni.*

2 Secundus error huic proximus fuit cuiusdam Cerinthi, à quo Cerinthiani tempore Ioannis Euangelistæ: qui putauit iustorum beatitudinem per mille annos post resurrectionem futuram esse cum Christo in terra in delitijs gulę, & luxuriæ, alijsque obscænis voluptatibus. Post Cerinthum idem defendit quidã Nepos Episcopus relatus à Dionysio Alexandrino: impingitur etiam Papiæ Hierosolymitano Episcopo. Sed quidquid sit de Papia (quem Castro ab hoc errore liberat) Cerinthũ habuisse illum errorem refert Eusebius lib. 3. Ecclesiasticę historiæ cap. 28. Augustin. de hæresibus hæresi 8. D. Thom. 3. contra Gentes cap. 27. Castro vbi supra, qui ductus auctoritate Eusebij affirmat Cerinthum idem censuisse de regno Dei futuro in Cœlis. Vtrum verò simul cum illis delitijs visionem diuinæ essentię admiserit Cerinthus, non explicat Castro: ex verbis tamen Eusebij colligitur negatio. Quod si vtrumq; in illo regno admisit; habebimus tertiũ errorem, qui beatitudinem ponat in operationibus vtrique animæ communibus sensitiuæ, scilicet; & intellectiuæ.

Secũdus error Cerinthi. *Nepos Episcopus.* *Papias.* *Eusebius.* *Augustꝰ.* *Castro.* *Tertius error.*

3 Omnes hi errores conueniunt, vt beatitudo obiectiua ponatur in bonis delectabilibus, & voluptuosis: cibis, inquam, re venerea, & alijs huius generis: formalis verò in operationibus sensuũ

externorum, & principaliter in operationibus appetitus sensitiui, quibus bona sensibilia, & voluptuosa obtinebantur: ad hunc enim sensum intelligendi sunt philosophi, qui apud Aristotelem beatitudinem posuerunt in voluptate: nomine enim voluptatis, & obiecta ipsa voluptatem causantia, & ipsam appetitus operationem intellexerunt. Et ita vtramque beatitudinem, obiectiuã inquam, & formalem simul complexi sunt. Vnde illorũ opinio, & ad superiorem librum pertinet, & ad præsentem.

Quibus argumentis Eudoxus suum dogma confirmauerit, latè adduximus in lib. superiori. Ibi etiam in vltimo argumento adduximus, quæ ex sacris literis pro Cerintho afferri poterant. Non est igitur, quod iterum ea hoc loco repetamus.

4 Primum argumentum pro tertio errore.

Pro tertio errore primò adduci potest; quia ex vulgata sententia Boetij 3. de consolatione prosa 2. *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Cum igitur quædam bona sint sensitiua, quæ non nisi sensu apprehendi possunt; vtique etiam in operatione sensitiua beatitudo ponetur.

Secundum.

Secundò; beatitudo est bonum perfectum 1. Ethic. c. 7. tale autem non esset, nisi homo secundum animam, & corpus beatetur.

Tertium.

Tertiò; operatio intellectiua in nobis pendet à sensitiua: nec enim intelligere possumus sine phantasmate. Ergo beatitudo ab vtriusque animæ operatione pendet.

Quartum.

Postremò; operatio sensitiua eleuari potest ad videndum Deum. Ergo, vt beatitudo patriæ omnem compleat appetitum, debet Deus operationem sensitiuam eleuare ad sui visionem.

§. 2.

Beatitudinem patriæ non poni in operatione appetitus sensitiui.

5 His erroribus non obstantibus asserendum est nullam beatitudinem essentialiter admittere operationem appetitus sensitiui. Conclusio est receptissima. De singulis specialiter dicamus.

Prima conclusio.

De beatitudine patriæ sit prima cõclusio: beatitudo patrię collocari non debet in sola operatione appetitus sensitiui. Est de fide: quia de fide est animas post mortem etiam ante resurrectionẽ essentialiter esse beatas. Et cum sint solutæ corpore nullam habent operationem sensitiuam: hęc enim sine corpore dari non potest. Ergo admittenda est beatitudo sine vlla operatione appetitus sensitiui. Deridendi sunt igitur tam Saraceni, quàm Iudæi, qui putant animas exutas corpore delitijs frui carnalibus. Fundamentum.

Secunda conclusio: post corporũ resurrectionem beatitudo nullo modo cõsistet in delitijs carnalibus vitæ corruptibilis: nec etiã pro aliquo determinato tempore. Hęc directe statuitur contra Saracenos, & Iudæos, & contra Cerinthum. Est de fide: colligitur ex verbis Christi Matt. 22. vbi Sadducęis de resurrectione disputãtibus, eamq; oppugnãtibus exemplo mulieris, quæ septẽ nupsit fratribus; ita respondit: *Erratis nescientes scripturas, nec virtutem Dei: in resurrectione enim, nec nubent, nec nubẽtur, sed erunt sicut angeli Dei.* Ergo ex Christi doctrina post resurrectionem nulla erit corporũ comistio, nullus cibi, & potus vsus, nulla deniq; vita carnalis. i. nullæ carnis corruptibilis delitiæ; nam angeli his omnibus carẽt. Paulus 1. Corint. 15. postquã contra nõnullos docuit corpus post resurrectionem non futurum esse animale sed spirituale: non corruptibile, sed incorruptibile, concludit: *hoc autem dico fratres; quia caro, & sanguis regnum Dei possidere nõ possũt: nec corruptio incorruptelã possidebit.* Per carnem autẽ, & sanguinẽ intelligit Paulus vitam actionibus carnis, & sanguinis subiectam: hæc enim non possidebit regnum Dei; quia hæ actiones cũ regno Dei manere non possunt. Quare hanc hęresim, tanquam nefariã reiecit magnus Dionysius c. 7. de Eccles. Hierarchia. 2. Conclus. Probatur ex sacris literis. *Matth. 22.* *1. Cor. 15.* *Dionysius.*

Et contra errorem Cerinthi specialiter obijci potest locus Matth. 25. vbi Dominus vltimum iudicium ita cõcludit: *Ibunt hi in supplicium æternum: iusti autẽ in vitam æternam,* & rursus: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi.* Paulus 1. Cor. 15. *Deinde finis: cum tradiderit regnum Deo, & patri.* Apocalyp. 20. & 21. post iudicium statim descendit noua Hierusalẽ. Christus igitur post iudicium cum Sanctis regna- 6 *Matthæus.* *1. Corinth.* *Apocalyp.*

regnabit in Cœlo in æternum. De quo plura suo loco.

7 Ratio theologicâ probatur cõcl.

Sed non est contemnenda ratio theologica: quoniam si animę iustorum ante resurrectionem corporum iam complete erãt beatę: quomodo post resurrectionem per mille annos manebunt in terra cum solis delitijs carnis? nũquid in deterius illarum beatitudo cõmutabitur? minime gentium: quin potius perficietur. Quod si dicat Cerinthus visionem beatam manere, extendique beatitudinem ad delitias corporis; iam ad tertiũ errorem accedit: de quo statim. Quare Cerinthus merito reputatus est inter Hæreticos à Ioanne Euangelista, sicut de illo ex testimonio Policarpi scribit Irenæus lib. 3. aduersus hæreses c. 3. cõtra quem scripsit Dionysius Alexandrinus teste Hieronymo in c. 18. Isaiæ, & Augustinus aduersus hæreseshęresi 8; & lib. 20. de Ciuitate c. 7. Eusebius lib. 3. historię c. 28. faciunt, quę scribit Dionysius Areopagita c. 7 de Eccleśiast. hierarchia. Videdus est Castro lib. 3. aduersus hæreses verbo beatitudo hæresi 2.

Ioan. Euãgelista. *Policarpo* *Irenæus.* *Dionysius. Alex.* *Hieron.* *August.* *Dionysius. Areop.* *Castro.*

8 3. concluſ.

Tertia conclusio: beatitudo patriæ post resurrectionem nõ solũ non est collocanda in delitijs carnalibus vitæ corruptibilis: sed nec in delitijs, quas Paulus .1. Corint 15. vocat spirituales, & in corruptas corporis glorioſi. Hæc est de fide: nam ex sacris literis cõstat beatitudinem formalem patrię positã esse in visione, amore, & gaudio cordis, 1. animæ intellectiuę. Deinde; quia illæ delitiæ redundant in appetitum sensitiuũ ex beatitudine animæ, vt theologi docent, de quo D. Thom. ar. 3. huius 3. q.

Probat. 1.

Secundo.

D. Thom.

Tertio; quia homo essentialiter non est beatificabilis, nisi quatenus est rationalis: talis autèm non est secundum partem sensitiuam, quæ est communis homini cum brutis: & si ad has delitias suo modo spirituales eleuatur; ideo ad eas eleuatur, quia cõiuncta est cũ appetitu rationali, cuius veræ delitiæ etiam in corpus redundant, iuxta illud psalm. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum meũ.* Postremo; operationes appetit'sẽsitiui nec ex parte obiecti, nec ex parte principij ex suo genere sunt perfectissimę: nam, & obiectum intelligibile perfectius est, quàm sensibile: & anima intellectiua, longe superat sensitiuam.

Vltimo.

§. 3.

Nec beatitudo supernaturalis viæ ponitur in operatione appetitus sensitiui.

9 Prima concluſio.

DE beatitudine supernaturali huius viæ sit prima conclusio: beatitudo supernaturalis viæ non potest poni in operationibus corporeis, & voluptuosis. Probatur ex Paulo ad Rom. 14. *non est regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Quę verba explicantur de regno, quo Deus in hac vita in nobis regnat per gratiam: quæ est communis explicatio D. Thom. Caiet. Toleti, Pereir. & aliorũ: quam satis confirmant illa verba: *sed iustitia, & pax, & gaudium*, & patet ex argumento materiæ: reddit enim Paulus rationem, cur non sit danda occasio infirmioribꝰ blasphemandi christianam libertatem ad vescendum omnibus cibis: quasi dicat: regnum Dei (quo nunc regnat in fidelibus) non substantialiter pendet ab esca, & potu, sed á iustitia &c. Agit igitur ibi de regno, quod intra nos est, Luc. 17. & quod petimus in oratione dominica Matth. 6. *adueniat regnum tuum*. Accedit illud Ioannis 6. *operamini non cibũ, qui perit: sed qui permanet in vitam æternam.* Cũ vero beatitudo huius vitæ sit cibus, qui permanet invitam æternam; satis declarat eam non consistere in cibo isto corporali, qui perit: sed in alio cibo longe præstantiori. Optima sunt verba Pauli 1. Corinth. 8. *esca nos non cõmendat Deo: nec enim si manducauerimus, abundabimus: nec si non manducauerimus; deficiemus.* Iam vero beatitudine supernaturali vitæ summè commendamur Deo: & ea maxime abũdamus: deficimusque à salute, si illa in nobis non fuerit.

D. Thom. Caiet. Toletus. Pereir.

Pobatur ex Paulo ad Roman.

2. probatur ex Ioan. c. 6.

3. Probatur ex 1. Cor.

10 2. concluſ.

Secunda conclusio; beatitudo supernaturalis viæ non solùm poni nõ potest in sola operatione animę sensitiuę, sed in nulla essentialiter collocatur. Prior pars probatur Ioan. 17. *hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verũ Deum*: quem locũ explicandum esse de vita æterna viæ. sępe diximus ex Toleto ibi, & Maldonato. Quare beatitudo viæ non potest nõ admittere ad suam essentiam operationẽ animæ intellectiuæ. Vnde paul'ad Rom. 14. regnum Dei huius vitę posuit in iustitia, pace, & gaudio in Spiritu Sancto: alibi etiã ait: *qui manet in charitate, in Deo*

Prior pars probatur ex 17. Ioan. 17

Toletus. Maldon.

Ad Romanos 14.

manet,& Deus in eo. Sed,& ratione demõstratur: quoniam beatitudo huius vitæ ponenda est in operatione animæ præstantissimæ. Talis autem non est anima sensitiua. Posterior pars probatur primo;quoniam beatitudo viæ non potest per se poni,nisi in operatione animæ rationalis,vt rationalis est:hæc enim sola est beatificabilis,at operatio sẽsitiua nõ est huius generis,cum etiam reperiatur in brutis. Deinde:beatitudo viæ ad suam essentiam non admittit, nisi operationem,quæ sit perfectissima,tã ex parte principij,quàm ex parte obiecti. Talis autèm non est operatio sensitiua.

11 3. Concluſ. Probatio.

Tertia conclusio: beatitudo supernaturalis huius vitę multis modis iuuatur, & perficitur operationibus animæ sensitiuæ. Probatur:quoniam operatio animæ sensitiuæ pertinet ad beatitudinem viæ antecedenter, consequenter, & cõcomitãter,vt ostendit D.Thom.in 3.ar. huius quęstionis. Antecedenter;quia in hac vita intellectus in operando pendet à sensu. Consequenter:quoniam viatores,qui in beatitudinevię plurimũ profecerunt,sępe experiuntur cor suum,& carnẽ exultare in Deum viuũ per quãdam redundantiam beatitudinis animę intellectiuę. Concomitanter denique quoniam anima sensitiua virtutibus acquisitis,& infusis ornata,non solùm non grauat animam intellectiuam; sed etiã eã iuuat,&facilitat,vt liberius, & prõptius contemplationi incumbat. Sed de his suo loco latius.

D.Thom.

§. 4.

Beatitudinem naturalem per se non poni in actu animæ sensitiuæ.

12 Quorundã. sentetia. *Eudoxus. Aristipp9 Diodorus.* *Hieron.*

QVæ de beatitudine naturali obiectiua fuit inter philosophos controuersia; eadem extitit de beatitudine formali: nec enim beatitudo obiectiua poni potest in aliquo bono animæ sẽsitiuæ;quin etiam formalis ponatur in sensitiua operatione assecutiua illius boni. Hanc igitur opinionem de beatitudine formali quosdã probasse scribit Aristoteles 1.Ethic.c.5.te.17. & 18;& 1.Ethic.ad Eudemum post principium. Eam tribuit Eudoxo 10. Ethic. c.2;& 1. Ethic. c. 12. Tribuitur Lactantio, Aristyppo, Diodoro,& cuidam Hieronymo Rodio. Communiter tribuitur Epicuro: denique probauerunt hi, de quibus Salomõ Ecclesiast.S.& sapiẽtię 2.

Rodius. Epicurus.

Hanc sententiam, vt omnino falsam, immo, vt turpem,si sermo sit de operatione vitæ voluptuosæ corporis,reiecerunt Aristoteles 1. Ethic.cap.5.tex. 17. & 18.&c.7. text.33. & lib.10.c.23.& 24. & lib.1.Ethic. ad Eudemum,Plato teste Aristotele in d.lib.10.Cicero de finibus bonorum, & malorum,Seneca de beata vita, Lactantius 3.lib. de vera sapientia c. 7.& 8. vt patres omittamus. Hæc verissima opinio primum demõstrabitur rationibus generalibus: deinde percurrendo singulas sensitiuas operationes. Prima ratio generalis: quia beatitudo naturalis ponenda est in operatione naturaliter perfectissima:in hoc enim omnes conueniunt teste Aristot. 1. Ethic. c.2.& 5. & lib.10.cap.6. At operatio sensitiua, quæcunque illa sit, non est perfectissima, nec ex parte principij, nec ex parte obiecti. Non ex parte principij: quia est ab anima sensitiua, quæ minus nobilis est, quam intellectiua. Nec ex parte obiecti:quia terminatur ad bonũ sensibile, quod longe est inferius bono intelligibili.

13 Reijcitur ab Aristot. Platone,Cicerone Seneca,& Lactantio. 1.Ratio. *Arist.*

Secunda ratio generalis; quia summum bonum, & naturalis beatitudo, non potest esse nobis communis cũ brutis: conuenit enim soli homini ex Arist. 1. Ethic.cap.9.text.45.& lib.10. cap. 8. text.30.& fuit omnium philosophorum consensus ex Lactantio vbi supra. Operatio autem sensitiua etiam brutis conuenit. Hac ratione vtitur Aristoteles 1. Ethic.cap. 5.& 7.

14 2ratio. *Aristot.*

Tertia ratio generalis:quoniam beatitudo etiam generalis non modo conuenit soli homini;sed etiam illi cõuenit quatenus rationalis est, & ratione vtitur:nam ideo non conuenit pueris, nec amentibus,nec dormientibus, ex Arist. 1.Ethic.d.c.9.&1.Magn.Moralium c.4. Operationes autem sensitiuæ,non conueniunt homini,quatenus est intellectiuus:reperiũtur enim,non modo in pueris,&amentibus,sed etiam in brutis.

15 3.ratio.

Quarta ratio generalis: quia beatitudo naturalis, cum sit summum bonum naturale, nõ potest poni in operatione, quæ possit esse praua: alioquin posset non esse summum bonum. Ad operationes

16 4ratio.

nes sensitiuæ, nisi consentiant rectæ rationi. sunt prauæ: & cũ rationi subijciãtur solo dominio ciuili, possũt a ratione dissentire, & esse prauæ.

17 5. ratio. Quinto id ipsum patet, si singulas vtriusque animæ sensitiuæ operationes percurramus. Anima enim sẽsitiua, vel est cognoscens, vel appetens, & in neutra potest consistere beatitudo. Patet id de operationib⁹ animę cognoscẽtis. quoniam cõiungere non possũt, nisi bono sensibili. Nullum autèm tale est summum bonum, & eadem ratio est de operationibus animæ appetentis: quia nullum bonum sensibile est perse appetendum. Deinde operationes appetitus interdum à bonis, & sapientibus fugiũtur: & præterea inesse non possunt, nisi cum motu, & generatione. Vide, quę, dixim⁹ superiori libro.

18 Non est tamen negandum operationes sẽsitiuas maxime cõducere ad perficiendam naturalem beatitudinem positam in operatione animę intellectiuę. Conducunt autèm non modo antecedẽter; sed etiam concomitanter, & consequenter. Antecedenter quidem: quia intellectus naturaliter à sensibus pẽdet. Concomitãter autèm, & consequenter: quia beatitudo naturalis animæ intellectiuæ maxime perficitur bonis animę sensitiuæ, quæ sunt secundum virtutem: vnde virtutes morales, ideo resident in appetitu sensitiuo, vt homo facilius, & suauius operetur actiones secundum virtutem, & eò erit perfectior beatitudo naturalis, quò à doloribus, cæterisq; miserijs vitæ sensitiuæ fuerit remotior: & quò magis abundauerit honestis voluptatibus consequentibus operationes sensitiuas, quę sunt secundũ virtutẽ.

§. 5.

Soluuntur argumẽta initio adducta in oppositũ.

19 Solutio 1. AD primum eorum, quæ pro tertio errore adduximus, communiter responderi solet definitionẽ Boetij non esse essentialem, aut formalem, sed caussalem: beatitudo enim est caussa status omnium bonorum aggregatione perfecti: nam coniungit nos Deo, qui est omnium bonorũ fons, & origo: ita Caietanus in 3. ar. huius quæstionis, Cursus Conimb. in Ethicis disp. 3. q. 3. ar. 1 ad 1. Caiet. Dicerem Boetium non definiuisse beatitudinẽ essẽtialiter sũptã, sed sũptã pro statu beatifico, in quo ónia bona continentur, quæ, tam animam, quàm corpus perficiunt iuxta naturam cuiusq; beatitudinis. Beatitudo autèm patriæ continet omnia ista bona, vel formaliter, vel eminenter: continet enim dotes, tum animæ, tum corporis, cæterasq; perfectiones, quæ ad animam intellectiuam, sensitiuam, & uegetatiuam spectant: de qua re plura suo loco.

Ad secundum respondetur beatitudinem nõ ideo dici bonum perfectũ, quasi formaliter sit omne bonum: sed quia virtute, & eminenter, & suo modo caussaliter est omne bonum: & ob id perfici totum hominem, tum quoad animam, tum quoad corpus, iuxta naturam cuiusque beatitudinis. Vnde alio modo in beatitudine patrię perficitur totus homo; & alio in beatitudine vię ex D. Thom. hic ar. 3. ad 3. nam in beatitudine patriæ à beatitudine animæ fit redundantia ad corp⁹: at in beatitudine vię à perfectione inferioris partis proceditur ad perfectionẽ superioris: Nam inferior pars debet virtutibus perfici, vt anima liberi⁹ vacet suo sũmo bono: & corp⁹ debet à miserijs liberari, vt cõtẽplatione sui boni melius insistat. De hoc plura alibi. 20 Solut. 2. *D. Thom.*

Ad tertium respondet D. Thom. ar. 3. ad 1. argumento probari beatitudinem imperfectam antecedẽter pẽdere à sẽsu: quia in via intellectus pendet à phãtasmatibus. At in patria nihil cõcludit: quoniam post resurrectionem intellect⁹ quoad operationes beatificas à sẽsu nõ pẽdebit: quin potius nec quoad alias operationes: quia potest intelligere sine phantasmatibus, vt suo loco ostẽdemus. Non est tamen negandum beatitudinẽ patriæ dependere à corpore quoad sui redundantiam: quia non redundabit in corpus, nisi post resurrectionem. Solutio 3. ex D. Thm.

Ad postremum negandum est antecedens, de quo in sequenti articulo. Solutio vltimi differtur in sequẽtem art.

ARTICVLVS II.

Vtrum beatitudo patriæ consistat in operatione sensus?

1 PRæter errores positos in præcedẽti articulo circa operationes appetitus

petitus sensitiui, inueniuntur alij circa operationes sensus. Primus fuit eorum, qui Deum fecerunt corporeum; & subinde in patria à nobis videndum esse oculis corporeis. Vtrum autem oculis etiam mentis ibi videdus esset? non explicant: videntur tamen beatitudinem ponere in visione corporea: putantque de ea intelligendum esse Paulum, quando docet nos in patria Deum facie ad faciem visuros esse.

1. error.

2

2. error.

Secundus error tribuitur ijs, qui dixerunt post resurrectionem Deum à nobis videndum esse oculis corporeis; illis tamen in aliud mutatis. Et iuxta quorũdam sententiam mutabuntur in Dei substantiam, vt sic virtutem habeant ad videndum Deum. At iuxta sententiam aliorum corpus mutabitur in substantiã spiritualẽ mentis, vt illius virtutem habeant: quasi sentiant oculos istos corporeos intra terminos corporeæ substantię permanentes Deum videre nõ posse, quantuncunq; videndi acies in illis diuinitus intendatur.

3

3. error.

Tertia sententia referri solet affirmãs Deum à nobis hiscemet corporeis oculis post resurrectionem esse videndum Deo illorum virtutẽ intra limites corporei visus intendente.

Hi sunt errores, quos de proposita quæstione inuenire potui, & colligere ex ijs, quæ Aug. scribit. Quibus omnib⁹ veritas theologa, & (vt puto) catholica sese opponit, affirmans Deum, nec in via, nec in patria oculis corporeis defacto à nobis videri: & subinde beatitudinem formalem nulla ratione collocari in operatione animę sensitiuę, sed intellectiuæ. Cuius veritas euidentior fiet, si singuli errores singulatim impugnẽtur.

Veritas catholica.

§. 1.

Impugnatur error, qui docet Deum esse corporaliter visibilem.

4

Primus errorois autores gentiles Sadducæi.

PRimus in hac materia error fuit illorum, qui Deum fecerunt corporeum: & ideo affirmant Deum esse visibilem oculis corporis, & modo corporeo. Hunc errorem præter gentiles probasse olim Sadducæos plerisq; putãt, qui act. 23. omnem spiritum de medio tollebant; & ob id negabant esse spiritũ Sanctũ: admittentes interim Patrem, & Filium, vt corporeos tamen, vt refert Epiphanius in illorum hæresi. Postea eundem errorem probauerunt hęretici Audiani, siue Vadiani, qui & Anthropomorphitæ dicti sunt, & præterea Manichæi ex Aug. hæresi 46. & lib. 3. Confessionum c. 7. Refertur pro eodem errore Tertullianus ab Aug. lib. 10. de genesi ad literam c. 25. & quanuis eum excuset in lib. de hæresibus hæresi 86. non videtur tamẽ alienus ab hoc errore in lib. 2. aduersus Martionem c. 16; & lib. aduersus Praxeam, si credimus Bellomontano, & Maldonato: qui eũdem errorem tribuit Arnobio lib. 3. contra gentes, & Lactantio in lib de ira Dei c. 18. Quin potius etiam Cyrillo in c. 4. Ioannis.

Audiani. *Manichæi.* *Tertullia.* *Annobius.* *Lactant.* *Cyrillus.*

Fundamẽt:

Fundamentum huius erroris inde sumũt quia in sacris literis sæpe numero Deo tribuuntur membra. Et quod Adã factus est ad imaginem, & similitudinẽ Dei. Deniq; quia Paulus 1. Corinth. 13. agens de visione Dei in patria, ita ait: *videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Quę verba corporalẽ faciem ex vtraque parte videtur denotare. Vnde illis verbis non solum probari videtur Deum habere corporalem faciem; sed etiam videri visione corporea, modoque corporali. Et si id admittatur, bene infertur beatitudinem formalem positam esse in operatione animæ sensitiuæ.

5

1. Cor. 13.

Sed in hac sententia fundamentum hæreticum est, & repugnans veræ philosophiæ, & consequentia nõ satis esset firma, etiamsi fũdamentum per impossibile admitteretur. Singula expendamus. Quod fundamentum impium sit, & hęreticum semper agnouit Ecclesia Catholica: vnde hæreseos damnauit Anthropomorphitas, qui Deum fecerunt corporeum: eos inter Hæreticos annumerauit imperator Theodosius in L. Arriani C. de hæreticis: & inter hæreticos referuntur in c. quidam autem 24 q. 3. quod desumptum est ab Isidoro lib. 8. Æthimolog. c. 5. referuntur etiam ab Epiphanio hæresi 70. ab Aug. lib. de hęresibus hæresi 50. à Castro aduersus hæreses verbo Deus hęresi 2. Catholica veritas docetur á Tridentino sess. 25. in decreto de reliquijs, & sacris imaginibus, dum præcipit, *vt populus fidelis doceatur diuinitatem non propterea figurari, quasi coloribus,*

6

Procedens fundamẽtũ refelitur.

Lex Arriani. Caput quidam 24 q. 3 *Isidorus.* *Epiph.* *August.* *Castro.* *Trident.*

bus, & figuris exprimi possit. Docetur etiã à Concilio Foroiulienſi in ſymbolo fidei 3. tom. pag. 671. vbi ita ſcribitur: *in hac Sancta Trinitate nihil (quod abſit) aliquid putandum eſt viſibile, corporale, palpabile, vel cõprehenſibile: omnipotens nanque Sancta Trinitas inuiſibilis, incorporalis, impalpabilis.* In Synodo Nicena 2. act. 5. tom. 3. in Epiſtola Ioannis Epiſcopi Theſſalonicenſis tom. 3. pag. 535 Chriſtianus Concilio audiente, & approbante cuidam Gẽtili ita reſpondet: *Chriſti imaginem pingimus, non vt ipſe natura Deus eſt: quæ enim poſſet eſſe Dei ſimilitudo? aut quæ figura incorporei, non effigiabilisque verbi patris? Deus enim, vt ſcriptum eſt, ſpiritus eſt.* Et ſtatim: *nos eius humanitatem ea ratione depingimus; non illius incorpoream deitatem.* In Concilio Lateranẽſi ſub Innocentio tertio in c. firmiter, & in c. damnamus de ſumma Trinitate: vniuerſa Chriſti Eccleſia confitetur *diuinam eſſentiam eſſe omnino ſimplicem, & indiuiſibilem:* quod attributum repugnat cuicunque etiam ſubtiliſſimo corpori: nullum enim corpus poteſt excogitari, quod quãtitatiuã diuiſibilitatem non admittat.

Conciliũ Foroiulienſe.

Synodus Nicæna.

Concilium Lateranẽſe

7 Eedem veritas ex ſacris literis probatur 1. Act. 23.

Sed & ſacræ literæ huic veritati aſsiſtunt. Optimus locus actorum 23. *Sadducæi dicunt non eſſe reſurrectionem: nec angelum, nec ſpiritum.* Quo loco nomine ſpiritus generaliter accipienda eſt ſubſtantia ſpiritualis; vt ſit ſenſus: dicunt Sadducæi nec eſſe reſurrectionem (vbi animam rationalem intelligunt) nec angelum, nec denique vllam ſpiritualem ſubſtantiam. Quæ fuit explicatio Lyrani, & Carthuſiani, & ſatis ad mentem D. Chryſoſt, & Æcumenij ibi, & Nazianzeni oratione 5. de theologia & accommodate ad mentem Sadducæorum: Conſtat enim eos omnem ſpiritualem ſubſtantiam de medio ſubſtuliſſe; & ob id Deum corporeum feciſſe, quia exiſtimabant nihil eſſe, quod corpus non eſt. Igitur, & animam ſpiritualem, & immortalem negabant ſimul cum reſurrectione, & angelum, & vniuerſaliter omnem ſubſtantiam ſpiritualẽ. Non eſt aſpernãda explicatio eorum, qui nomine ſpiritus intelligunt Spiritum Sanctum tertiam Trinitatis perſonam: quod placuit Epiphanio hæreſi 14; & Nazianzeno vbi ſupra: qui volũt Sadducæos agnouiſſe quidem patrem & filium, corporeos tamẽ: at non agnouiſſe Spiritum Sãctum, quia nullam agnouerunt ſubſtantiam ſpiritualem. Non videtur tamen admittenda explicatio Caietani, & aliorum, qui nomine *Spiritus* eo in loco intelligunt animum humanum: quoniam Sadducæi omnem in viuerſum ſpiritualem ſubſtãtiam auferebant: quam generalitatem non ſatis explicat hæc interpretatio: optime tamen eam explicat prima explicatio. Qua ſuppoſita optimus eſt locus ad conuincendam omnimodam naturę diuinæ incorporeitatem: cũ Sadducæi eam negantes à Luca eo in loco improbentur: & tanquam hæretici habiti fuerint; etiam in Synagoga.

Lyranus. Carthuſianus. Chryſoſt. Æcumen. Nazianz.

Epiphan.

Caietan. explicatio reijcitur.

8 Probatur 2. Ioan. 4.

Deinde eadem veritas probatur ex verbis Chriſti Ioannis 4. *Spiritus eſt Deus:* Vbi articulus in litera græca appoſitus ad dictionem, *Deus*, indicat ſenſum eſſe: *Deus eſt Spiritus*, vt, *Deus* ſit ſuppoſitũ Verbi: *Spiritus* autem ſit prædicatum. Nam & materia hunc ſenſum poſtulat, vt bene aduertit Rupertus lib. 4. in Ioannem pag. 86. col. 2. Ex quo loco patres colligunt omnimodam Dei incorporeitatẽ. Ex hoc loco id collegerunt Didymus, & Ammonius in Cathena græca, Aug. tract. 15. in Ioannem, Chriſoſt. Æcumenius Euthimius, & alij in eodem loco. Enim vero niſi ſpiritus idẽ ſit, quod ſubſtantia incorporea excludens quancũque etiam tenuem, & ſubtilem corporeitatem; ratio adducta à Chriſto nihil efficeret, vt bene aduertit Maldonatus ibi n. 24. in fine. Chriſtus enim inde probat veros Dei adoratores non in locis corporeis, nec corporeis rebus, ſed in ſpiritu adoraturos eſſe Deum; quia Deus eſt ſpiritus: ita enim ſcribit Aug. *quare pater tales quærit, qui adorent eum, non in monte, non in templo, ſed in ſpiritu: ſpiritus eſt Deus; ſi corpus eſſet Deus, oportebat eum adorare in monte, quia corporeus eſt mons: oportebat eum adorare in templo, quia corporeum eſt templum: ſpiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu oportet adorare.* Similem ſententiam ſcribit Chryſoſt. homil. 32. in Ioan. *Qui igitur ſunt verè adoratores? Qui nullo loco diuinum cultum circunſcribunt: qui Deũ in ſpiritu colunt. Spiritus eſt Deus: per ſpiritum autem incorporeum ſignificat: opus eſt enim incorporeum cultum eſſe; & per incorporeũ, quod eſt in nobis; hoc eſt per animam, & animæ mũditiam offerri.* Denique hęc eſt communis Patrum, & interpretum explicatio.

Rupertus. Didymus. Ammon. Auguſt. Chryſoſt. Æcumen. Euthym.

Maldon.

Aug.

Chryſoſt.

Idem

9 Idem argumentum sumi potest ex verbis Pauli 2. Cor.3. *Dominus autẽ spiritus est.* Quo in loco spiritus idem est, quod substantia incorporea: reddit enim Paulus rationem, cur corporeũ velamen, quod nunc in oculis Iudæorum positum est, vt corporeas legis cęremonias corporaliter intelligant, auferendum sit ab illis, cum in fine mundi ad Dominum conuertentur: quasi dicat, cum Dominus sit spiritus, substantiaq; incorporea; cum illum agnouerint; auferetur ab illis velamen corporale legis, vt nec iam in loco corporeo, & in sacrificijs, cęremonijsq; corporeis illum colant, nec legem corporaliter intelligant, sed spiritualiter eũ in spiritu colentes, vt Christus dixerat Ioannis 4.

10 Probat. 4. Potest 4. loco eadem veritas deduci ex scripturis, quæ negãt posse Deum à nobis depingi, figurarique, prout in se est. *Isaiæ.* Ita Isaiæ 40. *Cui similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei,* & inferius. *Cui assimilastis me, & adæquastis, & cõparastis me, & fecistis similem?* quasi dicat; fieri nulla ratione potest, vt aliquam effingatis imaginem, quæ diuinam essentiam in se ipsa referat, & representet; idque non ob aliam rationem, nisi quia incorporea est, & omnino inuisibilis, vt depingi, ac figurari se permittat, vt asserit Theodorus *Theodor 9.* patriarcha Hierosolymitanus in Epistola Synodali, quę lecta est in 7. Synodo generali (quæ est Nicæna 2.) act. 3. tom. 3. pag. 392. col. 1. in fine, & satis explicat *German.* Germanus patriarcha Constantinopolitanus in Epistola 1. ad Ioannem Episcopum, quæ lecta est, & probata actione 4. eiusdem Cõcilij, vbi asserit inuisibilis deitatis imaginem, aut similitudinem, aut figuram, aut formam expressam nec intelligi à nobis posse, nec inuestigari: *Act. 17.* nam vt ait Paulus act. 17. *non debemus æstimare auro, aut argẽto, aut lapidi sculpturæ artis & cogitationis hominis diuinum esse simile.* Quasi Deus corporeus sit, & similitudine corporea coli vellit. Vnde velle Deũ depingere, vt ipsum in se ipso pictura *Damasc.* exprimamus, extremæ est dementiæ, vt ait Damascenus in orat. 1. de imaginibus. Et ne Deus existimaretur corpoream habere formam, Numa Romanis prohibuit fieri simulacrum aliquod teste Plutarcho in vita illius, & ob hanc rationem *Plutarch.* Deus loquens populo Iudæorum sub nulla forma, aut similitudine corporea illis apparuit: ne forte decepti Deũ corporeum existimarent: ita enim scribitur Deuteronomij 4. *vocem eius audistis, formam penitus non vidistis.* Et statim: *non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Oreb de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem.* Ob eandem caussam in Concilio Eliberitano c. 37. cautũ est ne in Ecclesia esset picturę Dei: *ne sc. id, quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur;* quasi quid corporeum. Postea tamen permissæ sunt in Ecclesia; dummodo tamen populus doceatur diuinitatem nõ propterea figurari, quasi corporea coloribus, & figuris expressa.

Deuteron.

Concilium Eliberalit.

11 Cõstat igit ex prętatis locis, quib⁹ De⁹ dicit ineffigiabilis & ĩpĩgibilis optime deduci Deũ esse incorporeũ: etenim nõ ob aliam rationem pingi non potest, nisi quia omnino est incorporeus. Scio argumentum istud Tertulliano solùm probare Deum non habere corpus effigiabile; non tamen cõuincere Deum nullũ habere corpus; quia apud Tertullianũ (teste August. de hæresibus hęresi 86.) datur corpus nõ effigiabile: sed hęc corporum distinctio friuola est, & philosophiæ contraria, si sermo sit de corpore propriè sumpto: nam ex Aug. ibi corpus proprie sumptũ eius est naturæ, vt partes habeat aliasminores, alias maiores: nec enim philosophus finget corpus, quod non sit capax quantitatis, & subinde extensionis, & diuisibilitatis quantitatiuæ: tale autem corpus depingibile est, & effigiabile: vnde, qui angelos corporeos faciunt corpore quodam non elementari, sed subtilissimo; non negãt posse effigiari, ac depingi: vt patet, tum ex Tertulliano, tum ex Epistola Ioannis Episcopi Thessalonicensis in Cõcilio Nyceno actione 5. p. 535. col. 1; vbi ita habetur: *solus Deus incorporeus, & informabilis: intelligibiles autem creaturæ nequaquã ex toto sunt incorporeæ: & immitabiles pictura existunt.* Nam, vt inferius dicitur, multoties in proprio corpore visi sunt angeli. Suppositа igitur vera philosophia de natura corporis, cuiuscunque rationis illud concipiatur; argumentum sumptũ ex eo, quod Deus dicitur informabilis, & ineffigiabilis: efficaciter deducitur Deum esse simpliciter incorporeum: quid-

Tertullian. respons.

August.

Impugn.

Tertul. Epistola Ioannis.

quidquid nonnulli repugnent relati à Bellomont. 1. p. disp. 21. c. 2. in princip.

12 Probatur 5. Quintò eadem veritas demõstratur ex illis Scripturę testimonijs, in quibus Deus dicitur esse vbique, omnia implere, & continere, vt patet Hieremiæ 23. *Hierem.* Isaiæ 66. *Isaias.* Iosue 2. & ps. 138. *Iosue.* Ex quo Dei attributo Nazianzen⁹ orat. 34. (quæ est *Nazianz.* secunda de Theologia) probat Deũ non esse corpus: nam, vt ait: *si Deus corpus esset, vbique non esset.* Idem argumentũ facit D. *D. Anast.* Anastha sius Episcopus Nyssenus in quę- *D. Athan.* stionibus in sacram Scripturã q. 20. 1. tom. Bibliotecæ pag. 64. C. D. Athanasi⁹ in Epistola ad Liberiũ Papam in princ. *Gregor.* & D. Greg. lib. 32. Moraliũ c. 4. Enim verò cum nullũ aut detur, aut dari possit corpus infinitũ mole; de ratione corporis est, quod sit loco circũscriptibile; & ob id, qui Deum corporatũ faciunt, nõ admittunt eum esse vbiq;. Quod argumentũ erit fortius, si immensitati adiũgamus Deũ ita esse vbiq;, vt vbiq; sit totus: quæ est cõmunis doctrina Patrum, & D. Gregorij homil. 8. in Ezechielem: quod ratio naturalis demonstrat, & satis insinuant præcitata Scripturæ testimonia: ita enim Deum vbiq; ponunt, vt vbiq; sit potens operari: quod non esset, nisi substãtia diuina, similiter & diuina potẽtia tota esset vbique præsens: quod non cõuenit rei, quæ corporeitati quoquo modo est subiecta.

13 Probatur vltimo. Postremò hæc veritas deduci potest ex eo, quod in Scriptura De⁹ dicitur in- *1. Timoth.* uisibilis, vt 1. Timoth. 1. ad Colossens. 1. *Ad Coloss.* & alijs in locis. Nã ideo De⁹ appellatur *D. Athan.* inuisibilis, quia est spirit⁹ corporis expers: ita explicat D. Athanas. ad Liberiũ Papã in principio: *vnus Deus immortalis, inuisibilis, intactilis, eo quod Deus sit spirit⁹.* Quibus verbis ex inuisibilitate Dei colligit Dei incorporeitatẽ. Idẽ facit in orat. cõtra idola p. 20. in fine: *si enim Deus inuisibilis, intactilisq; natura: qui fit, vt Deũ corpus esse* *Olimpiod.* *comminiscantur?* Eodẽ modo Olimpiodorus (vt referunt) in c. 1. Iob: ideo Deũ vocat inspectabilẽ, quia quãtitatis, & molis est expers. *Eusebius.* Idem insinuat Eusebius 8. de pręparatione Euangelica c. 2. dũ ait: *Deum esse substantiam penitus inuisibilem, cui similem nec videre, nec cogitare quidquam possumus*; quasi dicat ideo esse inuisibilem, quia nullam creaturam corporalem illi similem possumus cogitare.

Nonnulli eundẽ sensum deducunt ex Paulo ad Colossens. 1. *qui est imago Dei inuisibilis*: volunt enim Paulum ideo id dixisse, ne Christus existimaretur imago materialis, & corporea rei, quę visu corporeo cerni possit: ita Suarius lib. 2. de attributis c. 6. n. 4. addens D. Thomam ita docuisse: sed D. Thom. verbis expressis locum exponit de inuisibilitate secũdum naturales vires intellectus: ego addo inuisibilitatem, quæ est cõmunis angelis, non satis accommodatam esse ad explicandam Christi diuinitatẽ, quã Paulus ex multiplici capite explicare nititur. Potest tamen ad explicandũ nostrum sensum expendi locus Pauli ad *Ad Hebr.* Hebræos 11. vbi de Moyse ait: *inuisibilem* 11. *tanquam videns sustinuit*: agens enim de fide, qua Moyses solo Dei verbo, & promissione fretus reliquit Ægyptum; ait Moysen sustinuisse, & fidem adhibuisse Deo, quem oculis non videbat; tanquã si illum proprijs oculis præsentialiter videret. Quã expositionẽ satis insinuat *D. Thom.* ibi, & Caietanus cũ cõmuni. *D. Thom.*

15 Non inepte in eo sensu explicari potest Paulus ad Rom. 1: *inuisibilia Dei per* *Ad Rom. 1* *ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Vbi per inuisibilia intelligi non possunt, quę intellectu nostro naturaliter intelligi nequeunt: cum Paulus dicat illa sufficiẽter à nobis cognosci per ea, quæ facta sunt. Inuisibilia igitur dicuntur à Paulo: quia incorporea sunt, nec oculis corporeis visibilia: vt sit sensus; ea, quæ in Deo oculis nostris corporeis nõ percipimus; per cognitionem eorũ, quæ oculis nostris videmus, à nobis mente, & intellectu percipiuntur. Quare in eo loco inuisibilia Dei dicuntur ea, quæ sunt incorporea, & oculis corporeis impuia.

16 In eodẽ sensu pleriq; explicãt Paulũ 1. *1. ad Timo-* Tim. 1. *Regi sæculorũ immortali, & inuisibili,* *theum 1.* *soli Deo honor, & gloria*: volũtq; sermonẽ ibi esse de inuisibilitate secũdũ visionẽ corporeã, secundũ quam Deus sua natura est inuisibilis, ideo quia incorpore⁹. Ita Aug. Epist. 112. c. 15. & Epist. 111. p. 198. *August.* quibus in locis, p eadẽ explicatione ad- *Hieron.* ducit Hieronymũ, Ambrosiũ, Athanasiũ *Ambros.* & Nazianzenũ: qui voluerũt Deũ inui- *Athanas.* sibilẽ esse oculis corporeis; visibilẽ tñ *Nazianz.* oculis mentis. De eadẽ inuisibilitate lo- *Anselmus.* cum explicat Anselmus ibi, D. Th. lect. 4. *D. Thom.*

Caietan. & Caiet. si bene expēdatur, Suarius lib. 2. de attributis c. 6. n. 4. Hæc tamen expositio pluribus displicet, & mihi nō satis arridet: Paulus enim eo in loco eas perfectiones explicare nititur, quæ soli Deo conueniunt, vnde sensus est: *illi regi sæculorum immortali, & inuisibili, qui solus est Deus, sit honor, & gloria.* Quare particula exclusiua *soli* addita ad verbum *Deus* explicat in quo sensu, ille rex sæculorum, qui solus est Deus, dicatur immortalis, & inuisibilis; nimirum immortalitate, & inuisibilitate soli Deo propria: qualis non est immortalitas participata, & inuisibilitas substantiæ incorporeæ: cū vtraque perfectio sit communis Deo cū angelis.

17 Non est tamen negandum aliam explicationem esse probabilem: nec enim intētio Pauli est explicare eas solas Dei perfectiones, quę soli Deo sunt proprię: sed Deum explicare per conditiones, & attributa, quibus ab alijs regibus distinguitur. Agit igitur gratias regi nonvni' sæculi, sed omnium sęculorum. Et ne intelligeres regem istum, ideo dici regem sæculorum, quia per plura durat sæcula, tandem moriturus; addit *immortali* ad differentiam aliorum regum, qui licet longæuā habuerint vitam; tamen mortui sunt. Et ne existimares illum regem immortalem solum dominari rebus visibilibus, tanquam visibilem, & corporeum; ideo adiunxit *inuisibili*, vt eum distinguat (inquit D. Thomas) ab alijs visibilibus huius sæculi. Et vt omnia concluderet, vltimo loco addidit *soli Deo*: vt sit sensus: *qui rex sæculorum immortalis, & inuisibilis solus est Deus.* Quare iuxta hanc explicationem *inuisibile* hoc loco distinguitur cōtra visibile oculis corporeis.

1. Timot. 6 In eodem sensu probabiliter explicatur locus Pauli 1. Timoth. 6. *qui solus habet immortalitatem: & lucem habitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Quem locum plerique interpretantur de luce inaccessibili ab oculis corporis, vtpotè incorporea: ita explicauit Aug. epist. 6. post principium: vbi docet lucem illam inaccessibilem esse oculis corporis: accessibilem tamē oculis mētis: & ideo inuisibilem esse ab oculo corporis; non tñ ab oculo mētis.

Augusti.

18 Eandem probauit idē Aug. epist. 111. p. 198. vbi pro ea refert Ambrosium. In eadē persistit epistola 112. c. 15. 16. & 19 & ser. 44. de diuersis: Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 9. in princip. tom. 2. Bibliotecæ Patrum. D. Thomas ibi lect. 3. & quanuis locus ab alijs probabiliter explicetur de inaccessibilitate, & inuisibilitate per vires naturales oculi mentis: prior tamen explicatio satis est accommodata, & menti, & literę Pauli.

Ambr. Cyrillus Hierosol. D. Thom.

In eodem sensu accōmodatissimè explicatur locus 1. Ioan. 1. *Deū nemo vidit vnquam*: vt intelligatur de visione diuinæ essentiæ per visionē corporeā: eo enim loco Ioannes nititur persuadere mutuā inter nos charitatem, & dilectionem: & adductis pluribus rationibus, inde etiā sumit argumentū: quoniam si ad inuicē diligimus, Deū in nobis habemus; quantūuis Deū in nobis non videamus: quasi ita argumentetur: quāuis Deū in vobis non videatis, quia nemo Deum vnquā vidit: tamen pro cōperto habete Deum in vobis esse, si ad inuicē diligitis. Quæ verba etiam si ad institutum sufficienter explicentur de visione Dei per oculos mentis: tamen accommodatius ad mentem audientium intelligūtur de visione per oculos corporis. Nec inde inferas in eodem etiam sensu explicari verba illa Christi Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam*: nam quanuis à plerisq; Patrum ita explicentur: explicatio tamen non videtur accommodata instituto, vt suo loco ostendemus.

Prima Ioannis 1. Ioann. 1.

19 Ex his patet Dei incorporeitatē non sine efficacia deduci ex locis Scripturę, in quibus Deus dicitur inuisibilis, tum, quia plures eorum de inuisibilitate incorporeitatis euidenter intelliguntur: tum quia ferè omnes de eadem à patribus explicantur: tum denique, quoniam etiamsi explicentur de inuisibilitate secundum naturales vires mentis: adhuc inde cōuincetur Deum non esse corporeum: quoniam si esset corporeus, vtiq; intra obiectum naturale nostri intellectus, vel saltem angelici cōtineretur: & subinde viribus naturæ posset in se ipso videri: qđ repugnat testimonijs citatis.

Ex quibus iam patet hæreticum esse fundamentū, quo nititur primus error, quem impugnamus: quia vere hęreticū est Deum habere corpus; quem errorē impugnarunt Theophyl' Alexandrinus apud historiam tripartitam lib. 10. c. 7.

Ex dictis euertitur primi erroris fundamētū.

Theophyl' Alexandr.

Faustus

Faustus. *Regiensis.* *Raterius.* *Trithem.* *Origenes.* *Nicephor.* *Theodor.* *Basilius.* *Nissenus.* *Nazianz.* *Chrysost.* *Epiphan.* *Ammon.* *August.* *Cyprian.* *Ambr.* *Hieron.* *Gregor.* *Anselm.* *Cassianus.* *D. Thom.* *Castro.* *Maldonat.* *Valentia.*

Faustus Episcopus Regiensis, & Raterius monachus, si credimus Trithemio in cathalogo virorũ illustrium, latè Origenes in Ioannẽ tom. 14. ad illa verba capitis 4. *spiritus est Deus*, & lib. 3. contra Celsum, & homilia 3. in Genesim, Nycephorus lib. 11. c. 14. & lib. 13. c. 10. Theodoretus in Epitome diuinorum decretorũ in c. de principio, & q. 20. in Genes. Basilius homil. 10. in Exameron, Nissenus orat. 1. ad illa verba Genes. *faciamus hominem ad imaginem, &c.* Nazianz. orat. 2. de Theologia, Chrysostomus hom. 5. ad Colossẽs. Epiphanius hæresi 70. Ammonius in catena græca, Aug. epistol. 6. 111. 112. Cyprianus de vanitate Idolorũ, Ambros. lib. 1. de Spiritusancto c. 10. Hieron. ps. 95. ad illa verba; *qui plantauit aurẽ, &c.* Greg. lib. 10. Moral. c. 10. & lib. 32. c. 4. Anselm. in monologio c. 20. & in lib. de mẽbris Deo attributis, Cassianꝰ collatione 10. c. 3. & 5. Ex theologis D. Th. 1. p. q. 3. ar. 1. & 1. contra Gent. c. 20. Castro libr. 5. aduersus hæreses verbo Deus hæresi. 2. Bellom. 1. p. disp. 21. c. 2. Mald. in c. 4. Ioã. n. 24. Valẽt. 1. to. disp. 1. q. 3. pũct. 6. Suar. lib. 1. de essẽtia Dei c. 3.

20 Defenditur Lactantius.

Nec pro contraria sententia vnquã steterunt Lactantius, & Arnobius. Non quidem Lactantius: quia oppositum expresse docuit lib. 1. de falsa religione c. 5. vbi cum Marone verbis expressis asserit Deum mentem esse, & spiritum: id confirmat auctoritate Talis Milesij, Pythagoræ, & aliorum philosophorũ, & ibi probat latè hãc veritatem. Capite etiã 8. eiusdem libri ex professo probat Deũ esse sine corpore. Vnde illi capiti titulꝰ est: *quod Deus sine corpore sit.* & addit hæc verba. *quid est autem tam remotum à Deo quã id opus, quod sine substantia corporali nullũ potest esse?* Quibꝰ verbis satis expressit corporalem substantiam à Deo longe esse remotissimam. Quę verò scribit in lib. de ira Dei c. 18. *Deum sc. feciße hominẽ sibi similem*, non conuincunt Lactãtium Deo corpus tribuisse: alioquin Genes. 1. Deꝰ sibi corpus daret, cum ait: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Maximè cum Lactantius in eodem cap. explicet hominem non corpore, sed animo esse Deo similem.

21 Defenditur Arnobius.

Sed nec Arnobio idem error tribui potest: is enim non solùm in lib. 3. cõtra Gẽtes, sed in alijs sæpissimè docet Deũ omnis esse expertem corporis; ita enim scribit in illo lib. 3. p. 105. post princip. *adduci ergo non possumus, vt corpora credamus Deum.* & p. 107. *nec quisquam iudaicas in hoc loco nobis opponat, & sadducæi generis fabulas, tanquam formas tribuamus, & nos Deo.* & statim: *naturam omnem diuinam, quæ nec esse cœperit aliquando, nec vitalem ad terminum sit aliquando ventura, lineamẽtis carere corporeis: nec vllas formarum effigies posidere.* & inferius p. 111. *si nostri animi motum non recusatis audire, tantum abest, vt nos Deo corporalia lineamenta tribuamus: vt animorum etiam decora, ipsasq; virtutes tantæ rei vereamur ascribere.* & lib. 7. pag. 229. probans odores à Deo sentiri non posse, ita ait: *à Deo ergo sentiri ratione non potest vlla, qui caret re corporis, atque omni sensu, & cogitatione priuatus est.* Et vt rem concludamus annotanda sunt verba, quę scribit lib. 1. pag. 14. vbi reddens rationem, cur Deus assumserit humanum corpus, ita scribit: *an aliter potuit inuisibilis illa vis, & habens nullam substantiam corporalem, inferre, & accommodare se mundo, concilijs interesse mortaliũ, quã vt aliquod tegmen materiæ solidioris assumeret?* & c. illa verba. *& habens nullam substantiam corporalem.* Euidenter probant apud Arnobium Deum nec substantiam tenuissimi corporis habere.

Miror igitur Maldonatum virũ alioquin diligentissimum tantum errorem antiquissimo patri fine fundamẽto imposuisse: sed non possum non admirari, quomodò Suarius fine examine, ac prę- 22
uia diligentia à Maldonato Arnobij citationem acceperit. At fortè occasionẽ sumpsit Maldon. ab illis verbis, quæ lib. 3. p. 110. ab Arnobio scribuntur: *si veram vultis audire sententiam; aut nullam habet Deus formam: aut si informatus est aliqua; ea, quæ sit, profecto nescimus.* Similia verba scribit libr. 7. p. 235. *Vos hominum similitudinem gerere: & mortalium vultibus existimatos esse formatos: nos effigies remur submotas esse ab his longe: & si forte est vlla; comprehendere neminẽ posse indubitabili asseueratione iuramus.* Sed verba ista formam corporalem non cõuincunt; sed solùm formam aliquam mentis: de qua idem Arnobius in dict. lib. 3. pag. 109. his verbis egit: *nam si vos fateremini id, quod vestra suspicio credidisset; formam mentis attribuisse diuinis: minus erat iniuriæ præsumpta in opinatione peccasse.* Ex quibus verbis patet Arnobium nec

hanc formam mentis Deo attribuisse: sed quia Gentilium aliqui ad illam confugiebant; hoc illis (vt falsum tamen) permittens: iurauit formã illam in Deo à nobis esse incomprehensibilem.

23 Sed nec ferre possum, quod Maldonatus hunc errorem Cyrillo Alexandrino ausus sit tribuere, hæc de illo scribens: *quin & Cyrillus hoc loco non aliter dicit Deum spiritum, quam comparatione corporũ appellari: quasi ad corpora, spiritus; ad se, corpus sit.* Sed quam longè sensus iste sit à Cyrillo lib. 2. in Ioãnẽ. c. 93. facilè patebit, si verba Cyrilli proferamus: *spiritus enim Deus, quando corporibus confertur, esse intelligitur.* Non dixit Deum dici spiritum, quando confertur cum corporibus, & cum illis comparatur: quę lectio fortè sustinere posset sensũ Maldonati: sed solùm asserit Deum esse spiritum, quando corporibus confertur, i. donatur: quoniam homines, quibus confertur, facit spirituales: & per consequẽs eos spirituales facit Dei adoratores, quos pater quærit.

Hæc tam latè diximus, vt ostẽderem fundamentũ, quo nititur primus error, 24 esse hæreticum: quia semper hęresis fuit in Ecclesia Deũ facere corporeũ. Quin potius error est verę philosophiæ contrarius: quod nunc, tanquã verissimum supponimus: potest enim ratione philosophica demõstrari Deum esse omninò immaterialẽ, & incorporeũ. De quo latè D. Thom. 1. p. q. 3. ar. 1. & 1. cõtra Gẽt. c. 20. Vide Bellomontanũ, Suar. & Valẽt. locis citatis. Ex philosophis vidẽdi sũt Soncinas 12. Metaph. q. 46. vbi Iauellus q. 12. Suar. disp. 30. sect. 4. n. 15. Sotus 8. Physi. q. vlt. Cursus Conimb. ibi c. 6. q. 1. vt innumeros omittamus, qui veritatẽ istam rationibus naturalibus nituntur demonstrare: nobis satis sit demonstrasse eam esse de fide.

D. Thom. *Soncinas.* *Iauel.* *Sotus.*

25 Occurritur obiectioni. Cui veritati nõ obstat, quod in sacris literis Deo tribuãtur membra: quia cõstat illa Deo tribui, nõ propriè, sed metaphoricè. Quod latè persequitur Cõc. Foroiuliẽse in symbolo fidei tom. 3. fol. 671. Ansel. in opusculis de mẽbris Deo attributis, Isidor° lib. 6. Æthymologiarum, & apud Hieronymum tom. 9. epist. 15. Eucherius in tractat. de formulis spiritualis intelligẽtię c. 1. & 2. & àquo sũptus est tractatus de essentia Trinitatis apud Aug. tom. 4. Damasc. lib. 1. de fide c. 14. & 15. D. Greg. lib. 14. Moralium c. 22. docuit Nouatianus lib. de Trinitate c. 6. & 7. nonnihil August. epist. 111. non longe ante finem, & in lib. de vera religione c. 50. latè id tractauit Sanctes pagninus in Isagoge ad sacras literas c. 48. Ex quibus id ipsum docuerũt Bellomõtanus 1. p. disp. 21. c. 2. n. 8. Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 3. n. 9.

Cõc. Foro iulienſe. *Anſelm.* *Iſidorus.* *Euchor.* *Damaſc.* *Greg.* *Nouatian.* *Auguſt.* *Sãctes pagnin.*

Nec rursus obstat, quod Adamus dicatur factus ad imaginẽ, & similitudinẽ Dei Gen. 1. quoniã cõstat hominẽ factũ fuisse ad imaginẽ Dei, non secundũ corpus, sed secundũ animũ. Ita Basilius homil. 10. in Genes. c. 8. Ambros. lib. 6. exameron. c. 8. August. lib. 6. de Genesi ad literã. c. 12. & lib. 1. de Genesi contra Manichęos c. 18. & in lib. de quantitate animæ c. 2. & tract. 8. in 1. epistolã Ioãnis, & alibi sæpe, Theodoretus q. 20. in Genes. Epiphanius hæresi 70. Nissenus orat. 1. ad prędicta verba Genes. Damasc. lib. 2. de fide c. 12. Bernardus in Cãtica ser. 24. & 80. & de libero arbitrio. Docent Theologi cum D. Th. 1. p. q. 93. & cũ Magistro in 2. d. 16. Ex quibus cõstat imaginem, & similitudinẽ in animo esse positã, & non in corpore. Vnde argumentũ in aduersarios potest retorqueri. Porrò, quod obijciunt ex Paulo est friuolũ: quoniã verba illa *facie ad faciẽ* nõ sũt intelligenda de nostra facie corporali, & externa; sed de facie interna animi nostri: quę facies interioris hominis dicit vt probat Aug. epist. 6. & epist. 112. c. 22. & lib. 22. de Ciu. Dei c. 29. agit enim de facie, quę ex Paul. 2. Cor. 3. renouanda est, & trãsformanda de gloria fidei, qua in via Deũ cognoscimus, ad gloriam cõtemplationis patriæ, & hęc dixisse sufficiat pro expugnatione fundamẽti præcedentis erroris.

26 Alia obiect. ex lib. Gen. soluitur. *Basilius.* *Ambr.* *Auguſt.* *Theodoret.* *Epiphan.* *Niſſenus.* *Damaſc.* *Bernar.* *D. Thom.* *Mag. ſent.* Soluitur obiecti. ex Paulo. *Aug.* *2. Cor.*

Et vt illius expugnatio fiat euidẽtior, non omittã id, quod initio dicebamus; admisso per impossibile illo fundamẽto, adhuc non posse deduci firmũ argumentũ; vt beatitudo ponẽda sit in operatione sensitiuæ visionis: nam cum negandum non sit Deum ipsum corporeũ simul etiãvidẽdũ esse oculis interioribꝰ mẽtis; quæ visio longe foret præstãtior, quã corporea (nã angelus corpora intelligibiliter videt) vtiq; in illa potius ponẽda esset beatitudo. Nisi velis dicere animã, q̃ separata Deũ videbat, post resur- 27

resurrectionem ab illa visione cessare, & Deum solo corpore videre: quod esse absurdum statim ostendemus. Et hæc dicta sint contra primum errorem.

§. 2.

Impugnatur secundus error Deum videndum esse oculis corporeis in aliud tamen transformatis.

28 SEcundus fuit error eorum, qui admittentes cum Catholicis Deũ incorporeum esse, substantiamq; spiritualem; docebant nos post resurrectionem visuros quidẽ fore Deum hisce oculis corporeis: illis tamen non manẽtibus intra speciem oculi corporei, sed in aliam substantiam cõmutatis, in qua reddantur idonei, & capaces ad videndum diuinam essentiam incorpoream.

Duplex explicatio secundi erroris. Auctores huius opinionis duobus modis eam explicabant quantum potui cõijcere ex Augustino. Quidam volebant carnem nostram in resurrectione conuertendam fore in Dei substantiam, & futuram esse id, quod Deus est. Alij non in Dei substantiam carnẽ conuertendã esse putabant; sed in substantiam quandam spiritualem. i. in substantiã mẽtis.

29 Priorem sententiam explicauit Augustinus epistola 6. vbi relata eorum opinione, qui putabãt Deum corporeũ corporaliter esse videndum, ita scribit: *Aug.* *Quanto iam tolerabilius desipiunt, qui carnem asserunt conuersum iri in substantiam Dei, & hoc futuram esse, quod Deus est: vt sic eam saltẽ videndo Deo faciant idoneam, non tanta diuersitate dissimilem.* Quæ verba euidenter explicant prioris opinionis sensum.

Augustin. Posteriorem sententiam quisque colliget ex Aug. Epistola 111. post initium, vbi ita habet: *Cæterum nihil tale de Deo sentiens* (sc. Episcopus, cui volebat Augustinus reconciliari) *sed eum incommutabilem, & incorporalem spiritum vbique totum credẽs: si tantam quisque mutationem huius corporis futuram putat; cum ex animali fuerit spirituale; vt & substantiam incorporalem non locorum interuallis, vel spatijs diuisibilem: vel etiam membrorum lineamentis ac finibus, terminatam, sed vbique totam per tale corpus videre possimus: volo, vt me doceat, &c.* Hanc autem mutationem corporis animalis, in spirituale euidentiùs explicans ita ait: *Porrò autem si in tantam membrorum dissimilitudinem nostra corpora mutabuntur, vt oculos habeant, per quos videatur illa substantia, quæ non per locorũ spatia, vel diffunditur, vel finitur; longe aliud erunt hæc corpora, & non erunt ipsa: nec sola detracta mortalitate, atque corruptione, & ponderis grauitate aliud erunt; sed in virtutem ipsius mentis quodammodò conuertentur, si videre potcrunt.*

Ecce apud istos corpus animale non fiet spirituale solum, quia exuet mortalitatem, & corruptibilitatem; sed quia mutabitur in virtutẽ mentis: & ad hunc sensum corpus iam erit aliud; non quidem accidentaliter, sed substantialiter. Quod magis explicant verba, quæ immediatè sequuntur: *qua propter si videbunt Deum; non istius corporis oculi videbunt: quia etiam in hoc non erit ipsum corpus, vsque in illã vim, potentiamque mutatum,* & paulo post concludens doctrinam ait: *aut enim istius erunt* (sc. corporis oculi) *& non videbunt: aut non erunt istius, si videbunt; quoniam tanta commutatione longe alterius corporis erunt.* Et vt omnis tollatur ambiguitas, in eãdem epistola non longe à fine ita scribit: *De spirituali autem corpore, quod in resurrectione habebimus; quantùm capiat in melius commutationem: vtrum in simplicitatem spiritus cedat, vt totus homo iam spiritus sit: an, quod magis puto, sed non dum pleno iudicio confirmo; ita futurum sit spirituale corpus, vt propter ineffabilem quandam facilitatem spirituale dicatur; seruet tamen substantiam corporalem, &c.* Quæ verba euidenter conuincunt apud illos auctores mutationem corporis nostri futuram esse substantialem; ita vt corpus nulla manente substantia corporali cõuertatur in spiritum. Quod apertis verbis explicat August. epistola 112. c. 21. *Aug.* *Sunt autem alij Deum quidem corpus non esse minimè dubitãtes: sed ideo eos, qui ad vitam æternam resurgent, & per corpus Deum visuros putant: quoniam talem sperant spiritualis corporis qualitatem, vt & ipsa, quæ caro fuerat, spiritus fiat.* Amissa inquam corporis substãtia, vt explicat c. 22. hisce verbis: *Sed cogitandum est, ne quid insolenter audiamus; si dixerimus corpus, non solum mortalitatem, & corruptibilitatem; verum etiam hoc ipsum, quod corpus est per gloriam resurrectionis amittere, & spiritum fieri.* Satis igitur, vt puto mentẽ, & sensum huius sentẽtiæ expressit Aug. Cuius nullum aliud inuenio fundamentum, nisi, quod Paulus 1. Corinth. 15. dicat: *per mortem seminari corpus animale: surrecturum tamen fore spirituale.* *1. Cor.*

31 Præcedens sententia fidei repugnat.

Hæc sententia, siue vno, siue altero sensu explicetur, fidei Christianæ aduersatur, dum affirmat corpus nostrum in resurrectione futurum esse aliud substantialiter; ita vt amissa corporali substantia conuertatur, & transubstantietur in spiritum, spiritualemque substãtiam: fides enim Catholica constanter prædicat corpora resurgentium non solum futura esse vera corpora, & corpora humana: sed etiam futura esse eadẽ numero corpora, quę in vita fuerunt: in hoc enim sensu in symbolo fidei confitemur carnis resurrectionem; vt patet ex verbis Clementis Papę in epistola ad Iacobum: *Credo resurrectionem humani generis in eadem carne in vitam æternam futurã.* Nos resurrecturos in eadem carne, in qua viuimus, diffiniuit Concilium Toletanum quartum c.1. in confessione fidei: & Toletanum 11. in eãdem fidei cõfessione ad finem: & Lateranense sub Innocentio 3. c.1. relatum in cap. Firmiter de Summa Trinitate, & patet ex illo Iob. 19. *& rursum circundabor pelle mea: & in carne mea videbo Deum saluatorem meum.* Nam & Christus in vero corpore humano, quod in cruce, & in sepulchro fuit, resurrexit. Sed de hac veritate alibi latius.

Symbolum fidei. *Clem. Pap.* *Conc. Toletan.* *Lateranẽs.* *Iob. 19.*

32 Impugnatur specialiter primaex plicatio præcedentis erroris.

Et vt ad singulas descendamus sentẽtias, siue potius errores: contra priorẽ illud obijcitur; quia conuersio carnis in Dei substantiam est omnino impossibilis: nam, vt vna creatura possit diuina potentia in aliam totaliter conuerti, & transubstantiari: vt tamen transubstãtietur in substantiam diuinam, fieri nullo modo potest: vt in materia de Eucharistia latiùs ostendimus. Deinde inquiram; an facta illa conuersione carnis in substantiam Dei; maneat homo compositus ex Dei substantia, & ex anima, vt in vita componebatur ex anima, & carne? Non potest dici, quod maneat cõpositus ex duabus illis partibus: quia Deus non potest in compositionem alicuius venire, vt per se est notum. Si verò homo resurgens non componitur ex anima, & ex Dei substantia; non potest manere homo, sed solus animus: & ita in effectu negatur hominis resurrectio.

33 Secunda explicatio refellitur ex August.

Contra posteriorem errorem vrget argumentum Augustini in dict. epistola 112. c.22. aut enim corpus animale cõuertitur in ipsammet animam hominis: aut in spiritum alium ab anima: ita vt in homine conduplicetur substantia spiritus. Si detur primum: non potest non concedi corpora nostra in resurrectione omnino peritura: quod enim in aliud totaliter conuertitur, omnino desinit esse. Quomodò igitur fides docet corpora nostra in æternum fore permansura? Quæ ratio etiam probat nostra corpora non esse conuertenda in spiritum alium ab anima: idem enim sequeretur absurdum. Sequeretur etiam in homine absque vllo corpore spiritum conduplicari: cum tamen ex duobus spiritibus homo nõ possit componi. Quin potius nullus permanebit homo: quia homo essentialiter includit corpus.

Quare Augustinus vtramque sententiam reprobat: nam epistola 6. verbis expressis docet desipere eos, qui priorem probauere sententiam. Posteriorẽ autem non esse veram expresse affirmat in d. epistola 112. c.21. Nec dici potest Augustinum de hac veritate dubitasse; cum in pluribus suæ doctrinæ libris expresse fateatur corpora resurgentium futura non esse spiritum, sed vera corpora: vt patet in Enchirid. c. 91. & lib. 13. de Ciuitate Dei c.20. & lib.22. c.5. & 21. de fide, & symbolo c.6. & in tribus libris de fide ad Catechumenos, & 1. retractationum c.11.17. & 22.

34 *August.*

Sed obijci potest Augustinũ non satis fuisse firmum de hac veritate in epist. 111. vt patet ex verbis superius allatis: *de spirituali autẽ corpore, &c.* Quomodò ad hanc obiectionẽ responderi potest, ego plane ignoro: verba enim adeo sunt expressa, vt probent Augustinũ aliquando in illa veritate non fuisse firmum: quod concedere mihi durum videtur. Velim de hac difficultate pro liberando Augustino ab alijs edoceri: nam in alijs locis Augustinum absque vlla prorsus dubitatione in præcitata fidei veritate firmissimum fuisse, dubitari nequaquam potest. Nisi dicas in illo loco non asserendo, sed disputando agere.

§. 3.

Impugnatur sententia affirmãs Deum solis oculis corporeis esse videndum.

35 Primaexplicatio 3. sententiæ, & fundamentum.

IMpugnanda restat sententia, quæ affirmat Deum oculis corporeis à nobis esse videndum; hæc pluribus modis

dis explicatur, si Augustinum consulamus. Quidam eam ita explicabãt, vt Deus solis oculis corporis esset videndus: fundamentum erat: quia visionem nolebant tribuere, nisi corporibus, vt habes ex Aug. Epis. 112. cap. 21. Alij cũ præcedentibus conueniunt in cõclusione; non tamen in fundamento: nam mẽti suam etiam tribuunt visionem: quia nunc multa videmus mente, etiã Deum: in patria autem soli corpori visionem Dei concedunt: de quibus ita scribit Aug. Epistola 6. *dicunt enim quidam eorũ, qui talia garriunt, quantum ad me potuit peruenire, nos Deum videre nunc mente: tunc corpore*. Quos eo in loco arguit inconstantiæ, cum in vnam sententiam non permaneant, ita scribit: *antea dicebant carni suæ tantũ hoc præstitisse Christum Corporeis oculis videre Deum: deinde addiderunt etiam omnes sãctos receptis in resurrectione corporibus eodem modo Deum esse visuros: nunc iã istã possibilitatem etiam impijs donauerunt*, & cum hi in sua sententia firmi non perstiterint, sed modo in hãc, modo in illam iuerint sententiam: non satis mihi constat; an hi senserint in resurrectione nos solo corpore visuros esse Deum. Sed quantũ ex Augustino conijcio, hęc fuit illorum sententia: nam D. Augustinus Epistola 111. paulo ante finem contra istos ostendit non esse negandum videndum Deum esse, tunc etiam oculis mentis: quasi sentiat Augustinus istos negare beatos post resurrectionem mente Deũ esse visuros, sed solo corpore: forte inde sumebant fundamentum; quia anima corpori coniuncta nihil nisi medio visũ corporeo potest intuitiue videre: vt patet in via. Hac supposita opinione bene infertur beatitudinem formalem apud istos, saltem post resurrectionem non consistere, nisi in sola operatione animæ sensitiuæ.

Augusti. 2. Explicatio fundamenti. *Augusti.* *Augusti.*

Tertia est aliorum sententia Deum post resurrectionem, & mente, & corpore hoc est oculo corporis glorioso videndum esse. Et hanc opinionem, esse admittendam ab ijs, qui oculo glorioso tribuunt diuinæ essentię visionem probat Aug. in d. Epistola 111. ante finem ostendens hanc visionem oculo corporis ita donandã esse, vt ea oculis mentis non denegetur: & in eodem sensu quæstionem disputat Aug. lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 29. Sed iam apud istos insurgit quæstio; quonam modo oculis corporis diuina essentia in se ipsa videatur? & si expendimus Augustinũ ibi, quidam eorum voluerunt oculos istos corporis eadem, quã modo habent, virtute, & potentia, intensa tamen, & aucta Deum visuros. Horum sententiã non probat Aug. ibi; existimatq; si oculi corporei in patria Deum visuri sunt; donandos esse virtute videndi longe alterius naturæ, & rationis, qua super corpor alia ad spiritualia eleuentur.

3. expositio *Augusti.*

36

Quòd verò oculi glorioſi corporis Deum visuri sint; auctores huius sententiæ primo colligunt ex illo Iob. 19. *& in carne mea videbo Deum saluatorem meũ: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Secundo ex Lucæ 3. *& videbit omnis caro salutare Dei.* Tertio ex Paulo 1. Corinth. 13. *videmus nunc in ænigmate: tunc autem facie ad faciem* 1. oculis corporeis. Quarto; quia Iob in hac vita oculis corporis Deum vidit, vt patet ex verbis eius c. 42. *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te; propterea despexi me, &c.* Quinto denique quia ex sacris literis manifeste colligitur Deum oculis corporis fuisse visum? Nam Isaiæ 6. dicitur *Dominum Sabaoth vidi oculis meis.* Deum ab Abrahamo visum esse patet Genes. 18. de Isaac, Genes. 26. de Iacob, Genes. 32. de Moyse Exod. 33. & de Phanuele 13. Adamo etiam visum esse patet Genes. 1.

3. explicat. probatur 1. ex Iob 19. 2. ex Lucæ. 3. ex 1. Corint. 4. ex Iob. Quinto ex varijs locis scripturæ.

37

Rosolutio.

His tamen non obstantibus dicendũ est Deum oculis corporeis nec esse videndum à nobis, nec posibile esse ita videri. Hoc posterius ostendemus in sequenti art. nunc prius confirmabimus; si interim nonnullas ex præcitatis sentẽtijs tanquã erroneas prius reijciam'.

38

Et primo loco fundamentum primæ sententiæ delyrio potius simile est, quã errori: vnde Aug. in d. Epistola 112. c. 21. merito admiratur; vnde nam opinio ista nata fuerit: nam si intelligatur de sola visione corporea, vt sit sẽsus visionem corpoream soli corpori conuenire; quo modo inde infertur Deum in patria solo corpore videri? Etenim visionem corpoream soli corpori conuenire, non impedit mentem etiam suam habere visionem, qua Deus in patria videatur. At si sermo est de visione provt

Euertitur fũdamentum primæ explicationis. *Augusti.*

idem est, quòd cognitio, & notitia (in quo sensu sæpissime vsurpatur) omnino delyrat opinio, tum in fide, tum in philosophia: sequeretur enim, nec Deum aliquid videre, idest cognoscere, nec angelum, nec animam separatam. Quod quam alienum sit à philosophia, ex eo patet, quod Aristoteles cognitionem, & notitiam rerum, & menti tribuit, & sensui: vt patet ex libro de insomnijs c. 1. in principio, & 2. de anima c. 3. text. 150. his enim vtrisque anima res discernit, atque cognoscit. Porrò sacras literas menti potius, quam corpori visionem tribuere expresse docet Augustinus in d. Epistola 112. cap. 21. in fine: nam Genes. 1. *Deus vidit omnia, quæ fecerat, & erant valde bona:* vt infinitos pene locos in re notissima omittamus.

Aristot.

August. Genes. 1.

39 1. & 2. explicatio simul impugnatur

Deinde hæretica est conclusio, tã primæ, quàm secundæ opinionis; Deum sc. solo oculo corporeo à nobis esse videndum: non solum si intelligatur absolutè, vt nunquam nisi corporeo oculo videri possit; quem sensum videtur probasse prima opinio: sed etiam si intelligatur, quod post resurrectionem, quando corpora resumemus, non possit videri Deus, nisi oculo corporis. Vtroq; enim modo conclusio est hæretica: nam de fide est animas, quæ nihil purgandum habent, statim post mortẽ visuras esse diuinam essẽtiam vt definiuit Benedictus duodecim⁹ in Extrauag. *Benedictus Deus in donis suis,* & postea Concilium Florentinum sess. vltima in literis vnionis, & Francofordiense in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, & Euaristus Papa, & est cõmunis patrum doctrina vt suo loco ostendemus.

Benedicti 12. extrau. Concil. Florent. Frãco Fordi.

40 Similiter etiam est de fide animas reassumptis corporibus intuitiue visuras esse diuinam essentiam: ita enim habet definitio Benedicti: *Definimus animas etiam ante resumptionem corporum, & iudicium generale, quæ fuerunt sunt, & erunt in Cœlo viderunt, vident, & videbunt diuinam essentiam immediate se bene, & clare, & aperte illis ostendentem: quodque sic videntes eadem diuina essentia perfruuntur: nec non, quod tali visione, & fruitione eorum animæ sunt beatæ, & habent vitam æternam. Et quod visio huiusmodi, & fruitio sine aliqua intermissione, seu euacuatione eiusdem visionis, & fruitionis cõtinuata existet, & continuabitur vsque ad finale iudicium: ex tunc vsque in sempiternum.* De quo etiam inferius plura dicemus. Nec fundamentum vnius, vel alterius erroris vim habet: nam fundamentum primæ repugnare fidei, & philosophiæ immediate ostendimus.

41 2. explicat. fundamentum impug

Fundamentum etiam secundæ in eo deficit, quod putat animam beatam reassumpto corpore adhuc in intelligẽdo pendere à corpore, & à sensu, sicut pendebat in via: quod falsum est: quia tunc, & corporea, & incorporea nullo mediante sensu intuebitur, vt est communis theologorum doctrina, de qua multa suo loco, & quidẽ quod inuisione diuinę essẽtiæ non pẽdeat à sensu, explicãt verba diffinitionis Benedicti superi⁹ posita.

Tertio loco certissimum esse debet Deũ in se ipso ab oculo corporeo, quãtũuis glorioso defacto non videri. Hæc veritas inter theologos est indubitata: eam docuit D. Thomas 1. p. q. 12. ar. 3. vbi Caiet. Porrect. Banhes, Cumel, & Molina, probauit idem D. Thomas in 4. d. 49. q. 2. art. 2. vbi Sotus quæst. 1. art. 2. concl. 2. & latius quæst. 2. art. 2. concl. 2. Bellomont. 1. p. disp. 40. cap. 2. Valent. 1. tomo disp. 1. q. 12. punct. 8. §. *Nam assertio est.* Suarius lib. 2. de attributis cap. 6. n. 5. Quæ veritas ex resolutione sequẽtis articuli euidenter demonstratur: nam si nec per diuinam potentiam fieri potest, vt visus corporeus eleuetur, nõ modo ad visionem diuinæ essentiæ, sed nec substantiæ angelicæ: vtique certissimũ erit nos nec in hac vita, nec in futura oculis corporis visuros esse diuinam essentiam.

D. Thom. Caiet. Porrect. Banhes. Cumel. Molina. Sotus. Valentia.

42 Quæ sententia apud patres etiã fuit indubitata, eam docuerunt D. Petrus apud Clementem lib. 3. recognitionum p. 54. sed *audi* (inquit) *Deus videtur mente non corpore; spiritu non carne.* Iustinus martyr in colloquio cum Tryphone Iudæo p. mihi 42. *non potest oculis mi pater aspici Deus, vt cætera animalia, sed sola mente.* Origines homil. 3. in cantica p. 613. in medio: *visus, quo Deus videtur, non est corporis, sed mentis, & spiritus.* Hieronymus in cap. 6. Isaiæ ad illa verba: *& ea, quæ sub ipso erant,* ita inquit: *patris diuinitatem non possunt oculi carnis aspicere, sed oculi mentis,* & lib. 17. in Isaiam ad cap. 64. ibi *à sæculo non est auditum.* Ita habet: *ergo Deus nequaquam sermonibus explicatur, nec oculis contemplabilis*

D. Petrus. Iustin. m. Origenes. Hieron. Ambr.

Ambr. plabilis est. D. Ambrosius in proœmio in Lucam: *non enim corporalibus, sed spiritualibus oculis Iesus videtur:* agit autem de diuinitate Christi. *Cyrillus Hieros.* Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 9. in principio tomo 2. Bibliotecæ patrum: *Deus oculis corporis non potest videri, ideo, quia corporis expers est.* *Anasth.* Anasthasius Episcopus idem docet q. 20. in sacram Scripturã eodem 2. tomo Bibliotecæ. *Clem. Ale.* Clemens Alexandrinus lib. 5. stromatum sæpissime id affirmat, vt patet p. 585. n. 30. & 60 & p. 586. in principio, *Eusebius.* Eusebius lib. 1. de demonstratione Euangelica cap. 4. & plures alij. Præter istos patres idem docuit Plato teste *Plato.* Iustino martyre loco citato: addit enim citatis verbis: *vt ait Plato, cui ego assentio.* Clemens Alexandrinus vbi supra p. 587. *Orpheus.* adducit Orpheũ theologum in hęc verba: *vnus perfectꝰ ex se, ex vno omnia facta: nullus & ipsum mortalis cernit: non video hunc solidus positus, nam nymbus in orbem est, namque pupillæ oculis hominum mortalibus insunt paruæ & mortales: ijs insunt nam caro, & ossa.* Ibi etiam p. 588. ex poeta Agrigentino hæc *Poeta Agrigent.* affert: *illum non oculis nostris apprehendere fas est: aut manibus, via, quæ revera est maxima, mentes, vt credant hominum, quæ mox deducere possit.* Præterea idem Clemens in Epistola exhortatoria ad gẽtes p. 70. ad *Xenoph. Sybilla.* ducit testimonium Xenofontis, asseritq; illum doctum esse à Sybilla Hebręorum prophetissa, quam ita vaticinatam ibi scribit: *quæ caro cœlestem poterit verumque tueri; humanæ sortis, qui expers, in vertice Cœli, est Deus? Aduersus radios, nec cernere solis mortales possunt homines, lucemque micantem.* Quem locum ex lib. 5. stromatum falso affert Leo Castro in c. 40. Isaiæ. p. 642.

§. 4.

Quid hac de re senserit Augustinus.

43 PLerique Augustinum faciunt de hac veritate ancipitem, & dubiũ, inter quos est Bellomontanus 1. p. disp. 40. c. 1. Suarius lib. 2. de attributis c. 6. n. 5. vbi expresse asserit Augustinum inclinasse quidem in eam sententiam, quæ asserit Deum oculis corporeis non videri; nihil tamen certum hac de re vnquam docuisse. *Pineda.* Consentit Pineda Iob. c. 19. versu 27. n. 5. *Reijcitur ex locis Aug.* Sed quam falsum id sit, euidenter constat ex ijs, quæ Aug. scribit Epistola 6. quo in loco teste etiam Suario constanter probat Deum oculis corporeis nec nunc in via, nec tunc in patria videri posse. Si constãter id probat Aug. quomodò nihil certum hac de re vnquam docuit? At in epistola constantissimè illam veritatẽ docuisse Augustinum patet ex his verbis: *quoniã Deus lux est, sed lux mentium purgatarum, non istorũ corporis oculorum*: & paucis interpositis; *hoc autem oculus videre corporis, nec nunc potest; nec tunc poterit, & statim: per hoc enim videri ab homine non potest, per quod videt homo corporeus corpora,* & tandem concludit his verbis: *quis enim audeat affirmare Dei substantiam corporaliter videri; cum eam noluerit corporaliter adorari?* Quæ verba euidẽter conuincunt hanc veritatem, tanquã certam, immò certissimam, constanter asseruisse Augustinum. Addo etiam lib. 1. de Trinitate c. 6. in medio p. 88. A. primo: *videri autem Trinitas humano visu nullo modo potest: sed eo visu videtur, quo iam qui vident, non homines, sed vltra homines sunt.* Et inferius c. 13. nõ longe à fine expresse docet, *Dei substantiam humanis oculis esse inuisibilem.* Id ipsum euidenter ostenditur ex quadam epistola, cuius meminit Aug. epistola 111. ad Fortunatianum: ex qua epistola Episcopus quidã, qui cum Anthropomorphitis sentiebat, offẽsus fuit ex eo, quod Aug. aspere arguebat eos, qui dicebant nos his oculis corporeis visuros Deum. Quam opinionem Aug. in eàdem epistola 111. acerrimè defendit, si supponatur oculos istos in resurrectione in corpore spiritali suam corpoream substantiam retenturos; ita vt maneant oculi istius corporis, quantũuis in melius mutati. Fundamentum Augustini in prędicta epistola (quæ non extat) illud ipsum erat, quod approbat in d. epistola 111. quia inde sequeretur Deum esse corporeum. Sequelam non aliunde probabat, nec probat, nisi quia oculi istius corporis nihil aliud videre possunt, nisi corpus. Quod argumentum Aug. rursus approbat in d. epistola 111. vt patet ex verbis initio positis: *Quam epistolam me illo modo scripsisse non pœnitet: quia dixi istius corporis oculos, nec videre Deũ, nec esse visuros.* Si nõ pœnitet te illud scripsisse; quomodò (quæso) in illa epistola dubius manet? Quomodò nihil hac de re certi scripsit? Sed argumentum assertionis Augustini expendamus: *causam,*

quippe

quippe adiunxi, cur hoc dixerim: ne sc. Deus ipse corporeus esse credatur: nihil enim videre aliter istius corporis oculus potest. Ideo me ergo illud dixisse non pœtinet: ne de ipso Deo tam impie sentiamus, vt eum non vbique totum, sed per spatia diuisibilem existimemus: talia quippe his oculis nouimus. Ecce fundamentum, quo nititur Augustinus: sequeretur enim Deum esse corporeum. Vnde sequitur? Profectò non aliunde, nisi quia hi oculi, nisi corpora nõ vident quomodo igitur hi oculi ex sententia Aug. videbunt Deũ; qui apud Augustinum corpus non est? aut quomodo Augustinus de hac veritate certus nõ fuit; qui certissime prædicat Deũ non esse corpus? docetque firmam esse illam consequentiam: Deus oculis corporis videtur: ergo est corporeus. Addit deinde Aug. si Episcopus ille putat, Deum esse spiritum, & non corpus; ideo tamen esse oculis corporis à nobis videndum: quia in regeneratione corpus est conuertendum in spiritum: si inquã Episcopus ille ita dicat; occurrit Aug. hoc idem falsum esse; Inde tamen non inferri oculos huius corporis posse Deũ
45 videre: quia si corpus tunc conuertendum est in spiritum iam non erit idem corpus, nec oculi tunc erunt oculi corporis. Quod postquam multis explicauit, & illam corporis mutationem expendit, ita concludit: *qua propter si videbunt Deum; non istius corporis oculi videbunt: quia in hoc non erit ipsum corpus. Si non aliud, quam ipsum erit; substantiam incorpoream nullo modo videbit. Siue ergo hoc, siue illud verum sit; secundum vtrunque verum est, quod istius corporis oculi Deum non videbunt: aut enim istius erunt, & non videbunt: aut non erunt istius; si videbunt.* Ecce quam constãter, quantaq; cum certitudine affirmat Augustinus oculos corporis Deum videre non posse. Nec inquisitio, de qua Augustinus in Epistola 111. solicitus est, versatur, an oculi corporei visuri sint Deum? vt male asserunt Suarius, & Bellomontanus; cum semper cõcludat eos Deum visuros non esse.

46 Tota igitur inquisitio illius versatur, an hoc nostrum corpus ita resurget spirituale, vt dimissa substantia corporea conuertatur in spiritum, vt patet ex ijs, quæ late adduximus in §. præcedente. Nam, si ita resurget spirituale, vt adhuc substatiam corpoream retineat; firmissimus est Augustinus oculos eius Deum nec visuros esse, nec videre posse. Vnde ibi pag. 197. totus est in referendis patribus, qui probant Deum oculis corporis esse inuisibilem: Hieronymus inquam, Ambros. Athanasius, & Nazianzenus, & in hoc versatur vsque ad illa verba: *de spirituali autem corpore* pag. 199. Ex his autem, quę consequenter scribit euidenter colliges inquisitionem Aug. solùm versari circa mutationem corporis nostri, cum spirituale surrexerit: & semper in eadem sententia firmissimum perseuerare oculos eius non visuros esse Deum, si corpus ita spirituale resurgat, vt substantiam corpoream retineat.

47 At obijcit Bellomontanus vltima verba eiusdem epistolæ: *si autẽ iste frater, quod de spirituali corpore adhuc requiro, iam sibi firmat esse certissimum; nisi placidus audiero docentem, vt ille quoque placidus me audiat inquirentem; habebit vnde iure succenseat.* Ex quib⁹ Bellomontanus infert Augustinũ adhuc sub ea dubitatione, & inquisitione manere. Ego quidem fateor Augustinum in illa epistola adhuc permanere sub dubitatione, & inquisitione, quam faciebat: at ex antecedentibus manifeste cõstat inquisitionem non versari; an oculi corporis visuri sint Deum? Sed circa qualitatem, & modum spiritualitatis, in qua corpus nostrum est surrecturum, vt iam diximus. Quare allucinantur, qui putant Augustinum in d. epistola 111. de nostra veritate dubium esse: cum potius in ea ibi firmissimus permaneat. In qua etiam veritate perseuerat in Epistola 112. quę est de videndo Deo: multis enim in locis ex Ambrosio. & Hieronymo eandem affirmat veritatem, vt patet c. 11. 12. & 16. A cap. autẽ 20. disputat de corpore spirituali, quod futurum est post resurrectionem; & in c. 21. refert opinionem dicentium illud futurum esse spirituale, quia in spiritum est conuertendum, & in cap. 22. inquirit de qualitate huius mutationis; inclinatq; magis corpus adhuc permansurum cũ substantia corporea.

Expeditur ex alijs locis August.

48 Et hac opinione tanquam probabiliori suppositа docet oculos corporis non esse Deum visuros, vt patet ex c. vltimo eiusdem epistolæ. Quare nec in ea dubius est, an oculi permanentes in spe

cie,

specie, & substantia corporis visuri sint Deum? Sed si dubius est, vtique dubius est, quonam modo corpora nostra post resurrectionem futura sint spiritualia. Porrò lib. 22. de Ciuitate Dei c. 29. certissimus est Augustinus oculos corporis post resurrectionem spiritualis, non esse visuros Deum, si eandem specie videndi virtutē habuerint; quia hæc quātumcunque intendatur nihil nisi corp⁹ videre potest. Porrò, si admittat (quod tamen non credit) oculos illius corporis Deum visuros esse; pro comperto habet eos habituros fore virtutem altiorem, & alterius rationis: ideo forte, quia, vt dixerat Epistola 111. & 112. corpora conuertenda sunt in spiritum, vt plerique docuerunt. Quare Augustinus ibi & inquirendo disputat, & sub conditione resoluit difficultatem, vt aduertit D. Thomas 1. p. q. 12. art. 3. ad 2. & hæc dicta sint pro explicanda mente Augustini.

D. Thom.

§. 5.

Soluuntur argumenta §. tertij.

48 Exponitur primus locus Iob. 19.

NEC argumenta in contrariū adducta §. 3. aliquid efficiūt, & quod attinet ad locum Iob. 19. ille integer ita habet. *Scio enim, quod redemptor meus viuit: & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circundabor pelle mea: & in carne mea videbo Deum saluatorem meū: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Vbi primum notandum est in hębræo solū haberi: *& videbo Deum* In vulgata autem cōmuniter addi *saluatorem meum*. Porro vulgata emendata per Xistum Quintum ita legit: *& videbo Deum meum.* Notandum 2. lectionē vulgatam, quæ in prima persona habet: de terra surrecturus sum: semper esse veram, & hæbraicæ lectioni consentaneā, quanuis in hebręo legatur in tertia persona *de terra surrecturus est, siue surget*: vt bene aduertit Pineda in d. cap. 19. versic. 25. num. 11. vnde fit, vt locus intelligendus sit de resurrectione ipsius Iob. Quo supposito controuersum est, de qua nā resurrectione verba illa sint intelligenda. Quidam locum intelligunt de resurrectione, qua Iob de sterquilinio, vbi vlceribus plenus ad pristinam sanitatē, melioremque vitæ conditionem, & fortunam restituturus est. Verba igitur sic explicantur: *credo quod redemptor meus iudex, & vindex Deus viuit, & de me cogitat. Vnde in nouissimo die huius miseriæ, & calamitatis, quam patior, de terra & sordibus huius sterquilinij, in quo iaceo, ipso me liberante surrecturus sum: & pelli meæ, atque cuti, quæ vlceribus tota concisa, & lacerata est, reddito externo splendore iterum restituar, & ita in carne mea iam mihi restituta, & renouata videbo Deū meum salutis meæ auctorem: qui mihi ad salutē pristinā restituto apparebit in figura sc. corporali: quem ego ipse solus, & non alius mecum mihi loquentem oculis meis videbo.* Placuit explicatio Augustino Eugubino ibi, & placuerat Chrysostomo, cuius verba, nullo citato loco refert Pineda vbi supra n. 12. nec displicet Bellomontano in d. disp. 40. cap. 3. num. 6. Vtrum expositio sit verbis, & menti Iob cōsentanea, non est nostrum modò expendere: satis nunc sit ex hoc loco ita explicato nullum contra positā veritatem sumi posse argumentum.

Pineda.

Eugubin⁹. Chrysost. Pineda.

Sed quia hæc expositio non solū plerisque non placet, vt nostro Didaco de Stunega; sed etiā sine temeritatis nota nō potest nō explicari de vera corporū resurrectione, vt asserit Pineda vbi supra num. 13. absque vlla dubitatione fatemur locum esse de corporum resurrectione intelligendum: quod non negarunt citati autores: est enim inter patres hæc interpretatio receptissima. Sed iam surgit dubitatio; an locus intelligendus sit de generali omnium resurrectione in die iudicij; an de peculiari illa Sanctorum, qui cum Christo surrexerunt Matthæi 27. Quidam locū intelligunt de hac posteriori resurrectione, & expositionem esse accommodatissimā vehementer suspicatur Pineda vbi supra num. 19. sumens fundamētum ex verbis septuaginta in vltimo c. eiusdem libri Iob in vltimis verbis, ita enim scribunt: *Mortuus est Iob senior, & plenus dierum: scriptum est autem ipsum rursus resurrecturum, cum quibus resuscitat Dominus.* Quæ verba leguntur apud Theodotionem, eadem agnoscunt Clemens Romanus lib. 5. recognitionum Apostolicarū cap. 6. & Origenes in Epistola ad Africanum, & satis agnoscit editio 70. Vaticana correcta per Xistum Quintum.

Didacus de Stunega.

Dubitatio.

Quorundā responsio.

Pineda. Iob,

Theodotius. Clemens Romanus. Origenes. Editio 70.

Ex

Ex quibus non leue argumentum sumi potest locum istum de illa resurrectione esse intelligendum: cum nullibi hoc scriptum reperiatur, si locus iste Iobi de illa resurrectione non intelligitur. Quomodo autem intelligatur id, quod dicunt 70. iterum resurrecturum Iob? Explicat Turrianus ad præcitatum locum Clementis, sed explicatio non placet: accõmodatior videtur, quam ex Niceta affert Pineda vbi supra n. 21. infine, vide eum: nec enim nostrum est modo veritatem huius explicationis diligentius examinare. Ideo tamen hoc loco eam adduximus; vt ostenderemus illa supposita nullum ex verbis Iob desumi argumentum aduersus nostram resolutionẽ: quoniam Iob resurgens cũ Christo resurgente in sua carne, & proprijs oculis carneis vidit Deum. 1. Christum resurgentem, qui verus est Deus.

Turrian. Nicetas. Pineda.

Verior responsio.

51 *Iuxta ea ex plicatur loc⁹ Iob, & elidi tur argumẽ tum primo.*

Sed præstat locum intelligere de generali resurrectione in die iudicij: quæ est communis explicatio, & sine vi verbis contextus accõmodata. Sed illa posita argumentum videtur vrgere. Primo tamen elidi potest iuxta expositionem 70. explicatam à Niceta, & probatam cuidam Rabino ad fidem conuerso, de qua Pineda vbi supra n. 5. & 6. sed iam nobis visa est improbabilis.

52 *Secundo. Augst.*

Secundo eliditur, si verba illa: *& in carne mea videbo Deum meum*, explicentur cũ Augustino sermone 2. de natiuitate, vt sit sensus, *& ego resuscitatus videbo Deũ indutum carne mea, & incarnatum.* Quam probasse Philippum presbyterũ refert Pineda ibi n. 4. vbi eã appellat piam, & nõ inelegantem: parum tamen cum antecedentibus, & consequentibus cõsentiẽtẽ: Sed hanc dissonantiam nunquam proba bit Pineda. Erit igitur sermo de visione Dei incarnati, & subinde de visione corporea, non Dei in sua essentia, sed Dei in carne.

Philippus presby.

53 *Tertio.*

Tertio non conuincit locus, si explicetur, vt communiter explicari solet: vt Iob in carne sua resuscitatus visurus sit Deum suum: cum enim non dicat se in carne per carnem Deum esse visurum, sed se existentem in carne visurum esse Deum; verba optime explicari possunt de visione non corporis, sed mentis, vt annotauit Aug. lib. 22. de Ciuitate dei cap. 29; quam probant omnes fere scholastici cum D. Thoma 1. p. q. 12. ar. 3. ad 1. & in 4. d. 46. q. 2. ar. 2. ad 2. ex recentioribus Bellomontanus 1. p. disp. 40. c 3. infine, & Suar. lib. 2. de attributis c. 6. n. 7. ex interpretibus sacræ scripturæ D. Thomas ibi lect. 2. Astunega ibi p. 457. nec displicet Pinedæ ibi n. 5. Vnde verba sequentia: *& oculi mei conspecturi sunt*; de oculis mentis erunt explicanda.

Aug.

D. Thom.

Astunega Pineda.

54 *Quarto.*

Sed quarto loco respondetur in eodem sẽsu accõmodatissime posse vtraq; illa verba explicari de visione corporea qua Deꝰ in assumpta humanitate à Iob, sicut & à cæteris omnibus videndus est. In quo sensu Pineda n. 6. explicat illa verba: *& in carne mea videbo Deũ meũ.* Et placet explicatio: quoniam illa alia: *& oculi mei conspecturi sunt*, in eodem explicantur à D. Thoma, Hugone, Caietano, Dionysio Titelmano, & à pluribus alijs in eodem loco. Pro eadem refert Pineda Rabinum Samuelem Marochianum in Epistola ad Isaac de aduẽtu Messiæ c. 11. vbi ex hoc loco infert Christum esse Deum, & hunc sensum probauit ille, qui præcitatis verbis addit saluatorem meum: quod verbum codices nostri ante correctionem Xisti communiter habebant. Cõfirmatur expositio, si illa verba: *Scio, quod Redemptor meus viuit*, explicentur de vita Christi resurgentis, vt explicat Hieronymꝰ Epistola 51. ad Pamachium, Gregorius lib. 14. Moralium c. 16; & videtur expositio accõmodatissima: quoniam Iob ex vita sui redemptoris certissime infert suam ipsius resurrectionẽ: quàm etiam deductionem facit Paulus Rom. 6. & 8. 1. Corinth. 15; & ad Philipens. 3. & satis explicant Theologi cum D. Thom. 3. p. q. 56 docentes Christi resurrectionẽ esse causam nostræ; & satis confirmatur, si litera hebraica est incorrupta: *Scio, quod redemptor meus viuit, & nouissimum* (1. in statu nouissimo legis Euangelicę) *de terra surrecturus est*: vt ad redemptorem referantur. Cum igitur Iob initio huiꝰ sententiæ de Christo redemptore loquatur; accõmodatissime explicabuntur illa verba: *& in carne mea videbo Deum meum*; de visione Dei incarnati. Quare eũdem incarnatum Deum referet illud relatiuum, *quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt.* Denique accedit; quoniam cũ sermo sit de visione in die iudicij, in quo Christus erit iudex, quatenꝰ homo

Pineda.

D. Thom. Hugone. Caiet. Dionys. Titelman. Rab. Samuel.

Hieron. Gregor.

A dRom. 6. 1. Corint ad philip. D. Thom.

homo: vtique de visione Dei hominis, & iudicis præcitata verba intelligentur: in quo sensu nostræ veritati nihil officiunt.

55 Explicatio 2. loci ex Luca. *Augusti.*

Secundus locus ex Luca c. 3. ad veritatem impugnandam nihil facit, vt patet ex verbis Augustini 22. de Ciuit. Dei c. 29. *illud enim* (inquit) *quod scriptum est: & videbit omnis caro salutare Dei: sine vllius modo difficultatis sic intelligi potest, ac si dictum fuerit: & videbit omnis homo Christum Dei, qui vtique in corpore videbitur.* Nam in eodem sensu accipitur verbum illud à Simeone Lucæ 2. *quia viderunt oculi mei salutare tuum.* In quo sensu idem verbum explicarunt Beda in Comment. ad eundem locum, & D. Gregor. homilia 20. in Euãgelia. Quòd si volueris per *salutare Dei* intelligere salutem, quam Christus operatus est, quæ est communis explicatio ex Maldonato in eodem loco n. 6. adhuc locus nihil nobis officit.

Lucas c. 2. *Beda.* *Gregor.* *Maldonat.*

56 Exponitur tertius locus ex 1. Cor. *Aug.*

Tertius locus ex Paulo 1. Corinth. 13. *Videmus nunc in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Non est intelligendus de facie corporali, sed de facie interioris hominis, quæ est facies mentis, vt supra aduertimus §. 1. in fine, ex Aug. epistola 6. & epist. 112. c. 22. & 22. de Ciuitate c. 29. & ex eo manifestè patet; quoniam illud *tunc* non solùm refert tempus post resurrectionem, sed etiam tempus ante resurrectionem, cùm à vita discedimus: tunc enim iam non in ænigmate, sed facie ad faciem videmus Deum: cum tamen constet animas esse separatas, nec habere faciem corporalem. Accedit etiam, quoniam videre facie ad faciem ibi metaphoricè sumitur; vt idem sit, quod videre clarè, & manifestè in se ipso absque vlla similitudine, & medio.

57 Exponitur quartus locus ex c. 42. libri Iob.

Quod attinet ad locum Iob 42. *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te:* sicut certissimum est Deum in sua essentia non esse à Iobo auditum (nec enim id est possibile) ita certissimũ est, nec in sua essentia fuisse visũ oculo corporali: nec vllus vnquam de hac visione locum explicauit. Quomodò autem sit explicandus; versatur in quæstione: sed quocunque modo explicetur, nostræ veritati non officit. Quidam locum intelligunt de aliqua visione Dei apparẽtis apparitione aliqua corporea; sicut visus fuit patriarchis, de quo statim. Ita Eusebius lib. 1. de demonstratione Euangelica c. 4. probarunt Titelmanus Dionysius, Isidorus, & Astunega, probabilem putat Pineda ibi versu 5. n. 3. ex qua visione magis, quàm antea, quãdo solùm Deum audiebat nihil videndo, illuminatus manſit, vt meliùs, & clariùs de diuina prouidentia sentiret, & loqueretur. Quo modo locus nobis non est contrarius.

Eusebius. *Titelman.* *Dionysius.* *Isidorus.* *Astunega.* *Pineda.*

58

Sed nec etiam contrarius erit, si explicetur de visione interna per oculos mentis facta sibi aliqua diuina reuelatione, quod probare videtur D. Gregorius lib. 35. Moral. c. 2. Pineda vbi supra num. 2. refert Philippum præsbyterum, Chrysostomum, & Olympium: idem affirmat de Caietano, Vatablo, & Rabi Moysi: probauit D. Thomas 1. p. q. 12. art. 3. ad 1. Quorum alij priora verba de corporali auditu: posteriora de visione spirituali per reuelationem intellexere, quod placuit D. Gregorio vbi supra ita dicenti; *quanto visus superior est auditu; tanto differt ab eo, quod prius extitit: quia interno oculo veritatis lumen magis conspexerat.* Alij vtraque verba intelligunt de auditu, & visu internis: inter quos est Philippus præsbyter, dum ait: *audire Deum, vel videre, qui est inuisibilis, non istorum oculorum, vel aurium est, sed mentis, & cordis.* Non displicet mihi, sed admodum placet explicatio Bellomontani dicta disput. 40. cap. 3. post principium, vt sit sensus: *multa audieram de tua erga homines prouidentia . . . nunc verò in me ipso experimento didici, & cognoui; imò quasi ad oculum vidi, qualem erga tuos prouidentiam habeas: & ideirco me reprehendo, &c.* Et ita nulla opus est, aut externa imago, & apparitio, aut interna de nouo illuminatio.

D. Gregor. *Pineda.* *Philippus præsby.* *Chrysost.* *Olympius.* *Caietan.* *Vatablus.* *Rab Moys.* *D. Thom.*

Apparitiones porrò, quæ in vltimo argumento ex Scriptura obijciuntur nostram veritatem non impetunt: quoniam inter omnes Patres constat Deum in illis solùm apparuisse in formis corporeis: quod multis probat Augustinus epistola 111. & 112. ex Diuo Hieronymo, Ambrosio, Athanasio, & Nazianzeno. Probarunt etiam Epiphanius hæresi septuagesima; & Irenæus libro quarto, capite trigesimo septimo; & est indubitata explicatio.

Expenditur quinta obiectio.

Augusti. *Hieron.* *D. Ambr.* *D. Athan.* *Nazianz.* *Epiphan.* *Irenæus.*

(.?.)

§. 6.

Concluditur beatitudinem in sola operatione intellectus esse.

59 Collectio ex dictis.

EX ijs, quæ tã latè diximus, colligitur vera resolutio articuli initio ꝓpositi: an beatitudo formalis ponatur in operatione sensus? negatiua resolutio est indubitata, & efficaciter demonstratur ex dictis. Diximus enim Deũ nõ esse corporeũ, vt oculis corporeis ex se sit visibilis, sed esse spiritum, & incorporeum. Ostendimus etiã corpus nostrũ in resurrectione non ita futurũ esse spirituale, vt verè sit spiritus habẽs oculos verè spirituales. Tertiò ostendimus erroneã esse sententiã, quæ admittens Deum esse incorporeum, docet videri non posse à nobis, nisi oculis corporis. Tandẽ demonstrauimus Deũ, nec in via in sua substantia oculis corporis visum esse; nec in patria eisdẽ videndũ fore. Ex quibus plane demõstratur beatitudinẽ formalẽ patrię actu non collocari in operatione sensitiua. In seq. art. demõstrabimus, nec in tali sẽsitiua operatione per diuinã potentiã collocari posse. Quare à sufficienti partiũ enumeratione euidenter concluditur beatitudinẽ patrię collocãdã esse in sola actione animæ intellectiuæ. Siquis inquirat, in quo gradu certitudinis hæc veritas sit habẽda? Qui putant Deũ oculis corporis videri non posse, ita esse certũ, vt sit veritas fidei, si sermo est de facto, & secundũ legẽ ordinariã, vt putat Valẽt. 1. to. disp. 1. q. 12. pũct. 8. §. *nã assertio est:* vel accedere ad axioma fidei, vt putat Suar. lib. 2. de attributis c. 6. n. 5. qui inquã ita existimãt; si cõsequenter loquãtur: dicere debent, vel esse de fide, si loquamur secundũ legẽ ordinariã; vel saltẽ proximè accedere ad fidẽ, beatitudinẽ nõ collocari in aliqua sensitiua operatione, sed in sola intellectiua: nec displicet mihi hæc censura; cum in sacris literis nunquam ponatur in operatione sensus, sed mentis. Nec Augustinus de hac sententia vnquam dubitauit; cum nunquam dubitauerit oculum corporeum diuinam essentiã videre non posse; vt iam latè ostendimus.

Dubitatio.

Resolutio. *Valentia.*

ARTICVLVS III.

Vtrũ operatio sensitiua possit diuina potentia eleuari, vt sit beatitudo saltem partialiter?

§. 1.

Refertur opinio affirmans cum suis argumentis.

HAnc quęstionẽ fuisse controuersam tempore Augustini, patet ex eodem Augustino epist. 6. 111. & 112. & lib. 22. de Ciuit. Dei c. 29. & si aliquibus credimus, fuerunt, qui partẽ affirmatiuam non solùm tanquam verissimã ꝓbauerint; sed reprobauerint oppositam, non solùm de facto, sed de possibili, tanquã sacris literis repugnantẽ. Vnde docuerunt non solùm esse possibile oculum corporeũ ad visionem clarã diuinę essentię diuinitus eleuari posse: sed post resurrectionẽ eam visurum fore. Imò teste Aug. epist. 6. voluerunt oculos Christi eã nũc videre, & semper vidisse, quandiu Christus fuit in via. Et eò dementię deuenerunt, vt dicerẽt impios in die iudicij eã fore visuros: sed in superiori articulo iam ostendimus, nec in via vnquam Deũ oculis corporis in se ipso fuisse visum; nec in patria videndum esse. Quare hoc loco solùm disputabimus, an id sit possibile.

1 *Augustin.*

Quod id non implicet; affirmat Valẽtia tom. 1. disp. 1. q. 12. punct. 8. ad finem, vbi docet nõ implicare potentiã sensitiuã condi à Deo, quæ vel ex sua natura, vel superaddito dono gratuito valeat res incorporeas, & spirituales, etiã ipsum Deũ attingere. Rem, vt dubiã relinquit Suar. in Metaph. disp. 30. sect. 11. n. 2. nec omnino repugnat 2. tomo ad 3. p. disp. 48. sect. 1. §. *dices hæc omnia*. Fundamẽta huius opinionis sunt. Primũ; quoniã Moyses Exod. 33. existimauit id factu esse possibile, dum ait: *Ostende mihi faciem tuam:* petijt enim, vt oculis corporeis Deum videret, vt putat D. Ambrosius sermone 8. in Psal. 118.

2 *Valentia.*

Primum fũdamentum affirmatiuæ sententiæ. *Exod.* 33. *D. Ambr.*

Deinde; quoniam ex sacris literis oppositum non potest demonstrari: nã loci, in quibus Deus dicitur inuisibilis, impossibilitatem non probãt: cum in illis Deus dicatur inuisibilis, non solùm oculis corporis, sed etiam mentis, vt est cõmunis explicatio. Ex quibus tamen, sicut non bene colligitur Deum oculis mentis nullo modo videri posse; sed solùm non posse naturaliter videri: ita ex illis solùm colligetur Deum oculis corporis naturaliter non videri: non tamen simpliciter non videri. Qua etiã

3 Secundum.

ratione

ratione eliditur argumentũ sumptum ex verbis Ioannis 1. & primæ Ioãn. 4: *Deum nemo vidit vnquã*: & ex verbis Pauli 1. Timoth. 6. *quem nullus hominum vidit: sed nec videre potest*: id enim intelligitur viribus naturæ, & in hac vita mortali secũdum legem ordinariam.

Ioan. 1. & 1. Ioan. 4. 1. ad Tim.

4 Tertiò; quia non apparet implicatio; nec potest ratione naturali cõuinci huius rei impossibilitas. Nam demonstratio communis sumpta ex eo, quod Deus non continetur sub obiecto adæquato potẽtię sensitiuę, ideo, quia non est corpus; facilè soluitur, si dicas nec coloratum respectu visus, nec corpus sensibile respectu sensus esse obiectum adęquatũ adæquatione, vt vocant, extensiua; sed solùm intensiua, & naturali; sub qua etsi continentur omnia, in quæ sensus naturaliter potest tẽdere; non tamẽ omnia, quę sensus supernaturaliter eleuat⁹ potest attingere. Quæ solutio videtur adinuenta ab Augustino, dum locis supra citatis dixit sensum virtute, quam modo habet, sola corpora posse attingere: at in patria virtute superaddita eleuari, vt attingat etiã spiritualia. Nec deest exemplum satis accõmodatum: quia res spiritualis excedit obiectum agentis corporei illi naturaliter adæquatũ: non tamen excedit illud, quod est adæquatum extensiuè: potest enim diuinit⁹ eleuari, vt agat in spiritũ. Similiter igitur in potẽtia visiua philosophabimur.

Tertium. *Augustin.*

5 Quartò; tota ratio huius repugnantiæ ex eo pẽdet; quia Deus est spiritus, oculus autẽ corporeus: nec enim aliũde potest repugnantia prouenire. Sed ex hoc capite nõ bene conuincitur repugnantia: quia fieri potest per diuinã potẽtiã, vt oculus corpore⁹ videat angelũ: enim vero plus distat Deus ab intellectu hominis, quàm angelus à visu corporis. At hominis intellectus eleuari potest ad visionẽ Dei, vt fides docet. Ergo vis⁹ corporis potest eleuari ad visionẽ ãgeli. Quid ergo impediet, quomin⁹ eleuetur ad visionem Dei, quantũuis Deus sit spiritus?

Quartum.

Quintò; quidã apud Augustinũ epist. 111. ità arguunt: quæ distinctio est rei corporeæ ad spiritualem; ea est rei spiritualis ad corpoream. Sed potẽtia spiritualis potest cognoscere rem corpoream. Ergo corporea potentia percipere potest rem spiritualem.

Quintum.

Postremò poterit hoc cõfirmari, quoniã æstimatiua potest habere notitiam abstractiuã Dei; poterit igitur habere intuitiuã. Consequentia videtur bona. Antecedẽs probatur: tum, quia æstimatiua cognoscit res insensatas, vt docet cõmunis philosophia. Tum etiã; quoniã quæ sunt in appetitu sensitiuo fuerũt in æstimatiua: quia nihil est appetitũ, nisi præcognitum. At in appetitu sensitiuo est tristitia de offensa Dei: & in eo ponuntur virtutes morales infusæ, quę inclinant ad operandum propter Deum. Ergo Dei notitia necessario præcesit in æstimatiua, quod erat probandũ. Hęc pro præfata sententia.

6 Vltimum.

§. 2.

Resoluitur pars negatiua.

7 His tamẽ non obstantibus verissima est sententia, quæ negat Deũ videri posse oculis corporis, etiã per potentiam absolutã. Hæc est cõmunis philosophorũ, & theologorum. Eam probat D. Tho. in hac q. 3. ar. 3. latiùs 1. p. q. 12. ar. 3. & in 4. d. 49. q. 2. ar. 2. de virtutibus q. 4. ar. 2. in corp. & ad 1. Rẽ esse indubitatã asserit Caietanus in d. q. 12. ar. 3. vbi etiã Porrecta, Banhes, Cumeli⁹ & Molina cũ cæteris; Medina in hac q. 3. ar. 3. q. 1. vbi etiam Conradus. Sotus in 4. d. 49. q. 2. art. 2. concl. 2. vbi id tetigit Paludanus q. 1. ad argumentũ principale n. 45. Cursus Conimb. 2. de anima c. 6. q. 3. ar. 2. ad finẽ, Bellomõt. 1. p. disp. 40. c. 2. & 3. Suarius lib. 2. de attributis c. 6. n. 5. & est sine cõtrouersia receptissima, tam inter antiquiores, quàm nouiores.

D. Thom. Caiet. Porrecta. Banhes. Cumel. Molina. Medina. Conradus. Sotus. Paludan.

8 Hanc sententiã expressè probarunt Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 9. in princip. tom. 2. Bibliotecæ Sanctorũ, vbi pag. 103. ita cõcludit: *diuinam itaq; naturã oculis corporeis videre impossibile est.* Idẽ docuit Ambrosius serm. 8. in Psalm. 118. vbi reprehẽdit Moysen, quod putauerit *hoc esse possibile, vt corporeis oculis faceret id, quod est incorporeum cõprehendi.* Non posse id fieri expressis verbis affirmat Iustin⁹ Martyr in colloquio cũ Tryphone pag. 42. D. Hieronymus in c. 6. Isaię, & plures alij Patrum. Idem docuit Plato relatus à Iustino Martyre, & poeta Agrigentinus relatus à Clemente Alexandrino libr. 5. stromatum pag. 388. & cum illis Sibylla Hebræorum, quam cum Xeno-

Cyrillus Hierosolymit. Ambros. Iustinus. Plato. Hieron. Poeta Agrigetinus. Sibylla. Xenophon

phōte refert idem Clemens in epistola exhortatoria ad Gentes pag.70.& satis
Aristot. est de mente Arist.10.Ethic.c.7.dum affirmat vitam contemplatiuam hominis naturā excedere,quatenus est viuēs sēsibile, ideo, quia circa diuina versatur: ob quam rationē eam appellat separatā,& dijs cognatā: non ob aliā rationē, nisi quia sola illa circa diuina, & separata versatur. Et quod hæc fuerit mens Augustini euidenter patet ex ijs locis, quos adduximus §.4.articuli preced.ex quibus constat eū semper docuisse fieri nulla ratione posse, vt oculus corporis intra speciē oculi corporei existens videat diuinam essentiam. De hoc autem nūquam dubitauit: de quo autē dubitauerit solùm inquirendo,ibi ostendimus.

9 Communis demonstratio negatiuæ sentētię. Tota difficultas posita est in demonstratione huius veritatis. Cōmunis demonstratio ex eo sumitur;quoniā Deus in se est extra obiectum adęquatū visus corporei: potētia autem nec diuinitus eleuari potest extra suum obiectū adæquatum. Quod argumentū vim non habet, nisi sermo sit de obiecto adæquato tam intensiuè,quàm extensiuè. Duplex enim obiectum potentiæ distinguitur: vnum, quod est illi simpliciter adæquatum; quia in illud potentia saltem diuinitus adiuta ferri potest, & hoc appellari solet obiectum adæquatum extensiuè. Alterum est adæquatum quidē,sed non simpliciter, quia extra illud ferri potest, si diuinitus eleuetur: sed solùm est adæquatum respectu propriæ virtutis;quia vi sua naturali in illud tantum, & non in aliud potest ferri: & hoc obiectum appellatur adæquatum intensiuè.

Responsio aduersariorum. Quare vt argumentum vim habeat, necesse est, vt intelligatur de obiecto simpliciter.& extensiue adæquato.&in hoc sensu aduersarij, vt cōsequēter loquāt, negare debēt Deum esse extra obiectū
Augusti. adęquatum visus corporei.Quin potius putabunt se in hoc Augustinum pro se habere: quia lib.22. de Ciuitate Dei.c. 29.siue asserendo,siue differēdo non reijcit sententiam, quę dicit tantam futuram esse vim oculi corporis post resurrectionem, vt spiritualia attingat; ita enim ait: *Sicut ergo constat videri corpora spiritu.quid si tanta erit potentia spiritualis corporis,vt corpore videatur & spiritus?* Quæ verba non omnino reijciunt aduersariam sententiam. Qua admissa necessariò infertur incorporeum, & spirituale simpliciter non excedere obiectum visus corporei. Quare,qui illavtuntur demōstratione, non deberent supponere illā propositionem, tanquam notā,sed probare.& admiror, quod Suarius lib.2.de attributis c.6.n.5. propositionem illam tam certam esse putet; quàm est certū Deum non esse corporeum: maximè cū eo in loco scribat Augustinum non esse vsque quaque certum,an oculus corporeus diuinam videat essentiam; qui tamen certissimus semper fuit Deum nō esse corpus. In hoc igitur deficiunt rationes, quæ à quibusdam recentiorum pro nostra veritate demonstranda adducuntur: vt patebit, si rationes illorū expendamus.

Bellomontanus igitur 1,p. disp.40.c. 10
2. in principio putat se rē hoc argumēto demonstrasse: quoniam visio(& quælibet alia cognitio) ita est actio ipsius videntis, vt ab eo, vt à caussa efficiente pendeat; nec possit sine eo fieri à Deo: opus est igitur;vt in potētia visiua insit vis quædā natiua effectrix circa obiectū,quod debet videre; etiamsi interdū indigeat peculiari Dei concursu: alioquin visio (quę est operatio vitalis) sua natura non pendebit à facultate videndi.At potentia videndi corporea nō potest habere hanc innatam efficacitatē, nisi circa obiectū, quod intra rationem corporis cōtineatur. Ergo nullā habet innatā efficacitatē ad visionem rei incorporeæ, & spiritualis: & subinde nec diuinitus poterit eleuari ad videndum Deum. Hanc rationem putat Bellomōtanus adeo esse efficacē, vt oppositū iu- Petit principium.
dicari debeat manifestus error. Sed cū in hoc discursu supponat corp⁹ esse obiectū visus simpliciter adæquatū; quod vel negandum erit ab aduersarijs; vel Augustino erit dubitabile;si de eo vera scribit Bellomontanus: tantùm abest, vt ratio adducta sit demonstratio; vt contineat turpem principij petitionē. Vtrùm autem secundus discursus Bellomontani vim habeat,iam dicemus expendentes Suarij demonstrationem.

Is igitur lib.2. de attributis c. 6. n.5. 11
propositionem illam (quam certissimā supposuit)ita demonstrat: quoniā oculus corporeus, aut eleuatur ad videndū Deum

Deum recipiendo in se visionem aliquã spiritualem: aut ideo, quia visio corporalis eleuatur ad representandum Deũ, prout in se est. Primum repugnat: tum; quia oculus, cum sit corporeus, non habet capacitatem ad recipiendam formam spiritualem: tum etiam; quia visio spiritualis ex sua natura habet, quod respiciat solum intellectum, vt adæquatum subiectum. Secundum autem excedit limites formæ corporalis; siue visio sit formalis similitudo obiecti, vt quidam existimant: siue solum sit similitudo intentionalis, vt alij volunt; semper est improportionata in ordine ad Deũ, & spiritum, vt illum representare possit: primò; quia qualitas corporea non potest, nisi corporeo modo representare. Deinde; quia visio illa debet representare Deum potentiæ corporali, quæ de se est limitata ad obiectũ corporale.

Bellomontanus vbi supra c. 2. n. 3. hoc etiam ferè argumento vtitur: existimat enim visionem illam non posse non esse formam spiritualem, cuius idoneũ subiectum non potest esse aliquod corpus; non solùm in recipiendo: quia forma spiritualis non recipitur in corpore; sed nec in videndo: quia etsi in corpore poneretur, non posset per eam corpus obiectum percipere: sicut lapis non videbit, quanuis visio in eo diuinitus ponatur.

12 Præcedens ratio rẽ nõ demõstrat.

Sed nec ista ratio omninò rem demõstrat; siue dicamus oculum eleuari per visionem spiritualem, siue per corporalem. Nam si dicamus eum eleuari per visionem spiritualem; responderent aduersarij corpus non habere capacitatẽ naturalem ad recipiendum in se formã spiritualem: bene tamen habere capacitatem obedientialem. Quid enim implicat qualitatem spiritualem recipi in corpore? licet enim sit formaliter inextensa; virtualiter tamen extensa esse potest; ita vt sit tota in toto corpore, & tota in qualibet parte; eo modo, quo est anima rationalis, quæ est vera corporis forma. Ex quo iam vides secundam obiectionẽ Suarij facilè solui: nec enim solus intellectus apud aduersarios erit subiectum adæquatum extensiue visionis spiritualis; sed solùm intensiue: quia accommodatè ad suam naturam in solo intellectu recipietur. Visio igitur recepta in oculo corporeo esset illi ratio formalis tendendi in Deum; quidquid contradicat Bellomontanus: cum enim aduersarij admittant oculum posse diuinitus eleuari ad visionem Dei; admittenda est in oculo innata quędam efficacitas in ordine ad Deũ: quę non datur in lapide, & ob id lapis nõ est eleuabilis ad talem visionem; quãuis admittamus eam recipi posse in lapide. Nec etiam ratio demonstrabit; si aduersarij dicãt oculum eleuari per visionem corporalem: negabunt enim hanc esse omnino improportionatã, vt eleuari possit ad representandũ Deum: nec oppositũ sufficienter probatur; nam posterior probatio manifestè petit principiũ; quoniã de hoc contendimus, an potẽtia corporea adæquatè extensiuè sit limitata ad obiectum corporale; & cum id negent aduersarij, non erat id supponendũ, sed probandũ. Prior autẽ probatio maiorẽ vim habet; sed cũ aduersarij consequẽter loquentes negare debeant id, quod sumitur; non erat sine probatione sumẽdum: maximè quia nõ desunt, qui dicãt oculum corporeũ diuinitus eleuari posse ad videndum Christũ, vt est in Sacramento: quam sententiã nos verisimam putauimus in materia de Eucharistia. Quæ visio, cum terminetur ad corpus Christi inextensum in ordine ad locũ, eleuatur, vt representet obiectũ modo inextenso respectu loci. Quod si admittamus; cur nõ poterit eleuari, vt representet obiectũ omni modo inextensum? Is est difficultatis status: hæc arx oppugnanda: hæc effugij via præcludenda.

13 Vnde petenda sit vera demonstratio.

In hoc igitur totis viribus enitendũ est, vt probem corpus sensibile esse obiectũ simpliciter, & extensiuè adęquatũ visus corporei: inde enim euidenter demonstrabitur Deũ in se ipso esse extra obiectũ extẽsiuè adęquatũ visus. Illa igitur propositio à priori (ni fallor) demõstratur à D. Thoma ex eo, quod omnis potẽtia sensitiua est actus corporis: ita enim argumẽtatur 1. p. q. 12. ar. 3. omnis potẽtia sensitiua est actus organi corporei. Ergo nulla potentia sensitiua potest extẽdi vltra corporalia. Consequẽtiã inde probat, quia actus proportionatur ei, cuius est actus. Ergo si potentia sensitiua est actus organi corporei, non potest tendere, nisi in corpus. *D. Thom.*

14 Obiectio

Vt vis huius rationis appareat, contra eam sic obijcimus: quoniam si consequens intelligatur de extensione naturali, & ex proprijs viribus (quàm appellamus intensiuam) bona est consequentia, & bene probatur ex medio assumpto: actus enim in agẽdo proportionatur ei, cuius est actus. Porrò, si consequens intelligatur de extensione simpliciter, ita vt extensiue sit adæquata: nec videtur bona consequentia, nec mediũ assumptum sufficiens est ad illam probandam: datur enim instantia: quoniam anima est actus corporis organici, 1. de anima c. 1. & tamen in agendo non proportionatur corpori: nec corpus est obiectum simpliciter adæquatum omnis operationis animæ. Hęc obiectio cogit, vt explicemus propositiones sumptas à D. Thoma. Prima est; *potentia sensitiua est actus organi corporei*: hæc ita est explicanda; vt sit actus per se pendens in essendo ab organo corporeo, & ita intelligitur ab interpretibus D. Thomæ. Secunda propositio *actus propotionatur ei, cuius est actus*, intelligenda est, vt non solum proportionetur in preficiendo; sed etiam in operando: vt non modo illud perficiat, sicut illud in se est perfectibile; sed etiam operetur ad modum, quo illud aptum est operari: nam cum ad esse sequatur operari ex cõmuni philosophia Aristotelis in 2. de Cœlo, sicut ille actus ab eo accipit rationem essendi, ita ab eo sumere debet rationem, & modum operandi: in hoc sensu, vt sicut à ab eo habet esse corporeum, & extensum; ita etiam ab eo habeat non posse operari circa obiectum, nisi modo corporali, & extenso. Ex vtraq; propositione sic intellecta bene infertur potentiam sensitiuam absolute, & simpliciter operari non posse, nisi circa obiectum corporeum, extẽsum, & corporaliter sensibile. Instãtia autẽ sũpta ab anima rationali vim non habet: quia anima ita est actus corporis, vt in essendo à corpore non dependeat; & ideo nec necessario depẽdet in operando: dependeret autem, si quoad esse penderet ab eo. Dixi *non necessario*, quia in operationibus potentiarum, quæ sunt actus organi corporei; anima necessario pendet à corpore, in hoc sensu, vt nequeat operari, nisi circa corpus, & modo corporeo, vt palã est

Illius explicatio.

Aristot.

in operationibus animæ vegetatiuæ, à quibus efficaciter argui potest ad operationes animæ sensitiuæ. Quod adeo verum est, vt in operationibus intellectus, & voluntatis, quanuis anima simpliciter non dependeat à corpore, tanquam ab obiecto simpliciter adæquato ideo, quia potest esse sine corpore: tamen quandiu est actus corporis, (nisi diuinitus iuuetur) non possit non dependere à corpore, vt ab obiecto.

15 2. Demonstratio.

Secundo, potest eadẽ propositio demonstrari ex adæquata ratione, qua sensus distinguitur ab intellectu: constat enim has duas potentias adæquate inter se distingui; quia vna tẽdit in obiectum sub ratione sensibilis, quatenus est sensibile; altera vero sub ratione intelligibilis, quatenus est intelligibile: ita vt sensibilitas, & intelligibilitas sint duæ formales rationes obiectiuæ per se primo, & adæquate distinguentes duas illas potentias, quæ est vulgata philosophia. Ergo obiectum sensui simpliciter, & extensiue adæquatum erit ens sensibile, quatenus est sensibile: sicut etiam obiectum extensiue adæquatum intellectus est ens, quatenus est intelligibile: nam sicut quidquid sub intellectu cadit, cadit sub ratione intelligibilis, & quaten⁹ intelligibiliter immutat intellectum: ita quidquid sub sensum cadit, ideo cadit, quia sensibiliter, & modo quodam corporeo immutat sensum. Sed constat sensibile, quatenus est sensibile necessario esse corpus. Ergo obiectum simpliciter, & extensiue adæquatum sensui est corpus, vt est sensibile. Minorem huius vltimi discursus verbis expressis agnouit Aristoteles de sensu, & sensibili cap. vltimo ante finem his verbis: *Quod autem sensibile omne magnitudine præditum sit; nec id sentire contingat, quod est indiuisibile; manifestũ euadet, &cæt.* Ecce ex Aristotele, quod est indiuisibile, & incorporeum, est extra obiectum visus simpliciter, & extensiue adæquatum.

Aristot.

16 3. Ratio.

Accedit & tertia ratio ab absurdo: quoniam, nisi corpus esset obiectũ sensui simpliciter adæquatum, sequeretur obiectum intellectus, & sensus materialiter eque late patere: consequens tamẽ est falsum. Sequela ostenditur: quoniã sensus posset saltẽ diuinitus adiutus tendere in omne ens, ad quod intellectus

potest

potest terminari: vnde sicut ens, vt est ens, est obiectum intellectus; ita etiam esset obiectum sensus. Quod patet esse falsum. Primò; quia non omne ens est sensibile. Secundò; quia sensibile esset passio entis, vt ens est. Tertiò; quia quæri potest, vnde nam sensibilitas cõueniret enti, vt ens est: nec enim conueniret sub ratione veri: quia sub hac ratione habet ens, quod sit intelligibile. Quare cum ens, vt ens est, nihil habeat, quo fundare possit rationem sensibilitatis; dicendum est ens sub ratione entis latiùs patere, quàm sensibile. & subinde dãdum esse genus aliquod entis, quod ex sua natura sit omnibus modis insensibile extra totam sphęram potentiæ sensitiuæ. Huius generis sunt entia spiritualia, & incorporea.

15 Demon. tio.

17 Corollariũ. *Augusti.*

Ex ijs, quæ diximus, infertur nullum oculum etiam glorioſum videre, aut videre posse Deum in se ipso. Quod docuit Augustinus in dict. epistola 6. Nam quanuis glorioſus sit, & quoad vim, & efficaciã spiritualis: semper tamen manet secundum substantiam corporeus, & ob id ineleuabilis ad videndum rem incorpoream. Confirmatur id euidenter: quoniam in patria, vel intenditur, & augetur eadẽ videndi virtus, vt acrius, & clarius videat: vel confertur vis noua alterius rationis, & speciei, quæ sub ambitu sui obiecti adæquati contineat spiritum. Si detur primum; vis illa, quãtumcunque augeatur, nunquam poterit ad sphæram inuisibilium, & spiritualiũ eleuari, quod expresse fatetur Augustinus 22. de Ciuitate Dei c. 29. quia virtus essentialiter inferior, quantumcũq; augeatur, nunquam perueniet ad virtutem essentialiter superiorem. Illud posterius dari non potest, si oculus glorioſus in patria futurus est eiusdẽ speciei, & essentiæ, cum eo, qui fuit in via, vt fides docet: quoniam illa virtus, sicut haberet obiectum formaliter distinctum; ita constitueret visum alterius speciei; nec maneret idem oculus, quod respuit fides: vnusquisque enim nostrum sicut surrecturus est in eodẽ corpore, & specie, & numero: ita in oculo, specie, & numero eodem. Quare concedendum est oculum glorioſum, in quo resurgemus, nec per potentiam diuinam eleuari posse ad videndum Deum.

Augusti.

16 atio.

ristot.

Vtrum verò implicet creari à Deo potentiam sensitiuã, quæ vel ex sua natura, vel dono gratuito valeat spiritualia videre? controuersum est: nam Valentia 1. tom. disp. 1. q. 12. punct. 8. in fine non audet id negare: maxime cum Augustinus dubius fuerit, an in patria de facto detur. Constanter negat Suarius lib. 2. de attributis c. 6. n. 6. quinimmò putat fingere potentiam sensitiuam huius generis chimericum esse: quia chimericum est cogitare potentiam corpoream capacem spiritualium. Huic sẽtentiæ subscribo: hoc enim, vt bene aduertit, quanuis non probet, non est aliud, quam confundere intellectum cũ sensu: nam si sunt distinctæ potentię, vnde sumẽt distinctionem? Vtraque enim haberet obiectum materiale æque latè patens: quia ad quæcunque valeret intellectus; valeret etiam sensus. Formaliter autem non aliter distingui possẽt, quàmpenes rationes formales intelligibilis, & sensibilis; quatenus intellect' tenderet in idem obiectum sub ratione intelligibilis; sensus autem sub ratione sensibilis. At ratio sensibilis non potest conuenire, nisi corpori, & extenso, vt diximus ex Aristotele de sensu, & sensibili c. vltimo in fine: nam in spiritu nihil datur: in quo fundetur ratio sensibilitatis. Nec est, quod Valentia pro se citet Augustinũ: nec enim vnquam Augustinus fuit dubius, an oculus manens corporeus posset habere vim ad videndum substantiam spiritualem, de quo iã multa diximus art. præcedente, §. 4.

18 Dubitatio.

Valentia.

Resolutio.

Arist.

Vtrum verò Deus possit creare visũ specie distinctum à nostro? Alterius est quæstionis. Sed quidquid dicatur; si ille intra genus corporei contineatur, quãtęcunque sit perfectionis, nunquam ad hãc poterit peruenire, vt videre queat substantiam spiritualem: quia nunquã poterit tendere in obiectum sub ratione intelligibilis; nec ab eo intelligibiliter immutari, sed solùm sensibiliter.

§. 3.

Soluuntur argumenta §. 1.

19 Solutio primi argum.

SVpereſt dissoluere argumenta, quę §. 1. adduximus in fauorem partis affirmantis. Ad primum respondetur ex petione Moysi nullum argumen-

tum sumi posse, si iuxta literam hebraicam non petiuit claram Dei visionem; sed solum, vt Deus sibi ostenderet viam suam. Similiter non erit locus, si petijt, (vt plerique putant) visionem humanitatis Christi. Sed quia communis patrũ locum intelligit, vt petierit claram Dei visionem: negandũ est Moysem petijsse visionem illius per oculos corporis habendam. Quod etiam fatetur D. Ambrosius in citato loco ita inquiens: *nouerat Sanctus vates inuisibilem Deum corporeis oculis videri non posse: sed deuotio sancta mensuram supergreditur: non reprehensibilis hic error: sed grata cupiditas.* Fatetur igitur Ambrosius petijsse quidem Moysem, vt Deũ oculis corporeis videret: non tamen existimans id esse possibile; sed per quendam cupiditatis laudabilem excessum.

D. Ambr.

20 Ad secundum respondetur impossibilitatem licet ex sacris literis non demonstretur; demonstrari tamen ratione naturali, vt vidimus.

Solutio 2.

Solutio 3. Ad tertium ex dictis patet solutio: ostendimus enim corpus sensibile esse obiectum sensui adæquatum, tam intensiue, quam extensiue; & proinde sensum nõ posse eleuari ad cognoscendum spiritum. Nec exemplum sumptum ab igne inferni torquente spiritum est satis accommodatum: quia agẽtia actione trãseunte solum eleuantur ad huius generis effectus, vt instrumenta quædam diuinæ virtutis, quæ illarum actionum est caussa principalis. Eleuatio autem potentiæ, quæ agit actione immanente; si quãdo eleuatur ad obiectũ excedẽs suã vim naturalem; non eleuatur, vt instrumentum purum, sed vt caussa principalis, quæ virtute sibi innata (quanuis inchoata sit, & incompleta) ad illã actionem concurrit: ob quam rationem huius generis potentiæ non specificantur ab obiectis intensiue adæquatis, sed extensiue: nec enim intellectus noster specificatur à quidditate entis materialis (quæ apud D. Thomam est obiectum intensiue adęquatum) sed ab ente, quatenus ens est, quod est obiectum simpliciter adęquatum illi: vnde ad illud tanquã proprium sibi obiectum habet transcẽdentalem relationem. Cuius oppositum reperitur in alijs potentijs: hę enim per se, & intrinsece specificantur ab obiectis intensiue adæquatis; quia hęc sola respiciunt, vt caussę principales, non verò obiecta, quæ solum obedientialiter respiciunt, vt pura Dei instrumenta: nã vt sic non habent obiectum aliquod certũ, sed omnino vagum, & incertum sub vaga, & incerta agẽdi ratione: tale enim est obiectum potentiæ purè obedientialis, quæ inqualibet creatura reperitur ad quencunque Deus voluerit effectum: vnde nullam habent transcedentalem relationem ad obiectũ ita vagũ.

D. Thom.

Dixi potentias, quæ immanenter agunt, non eleuari ad suas actiones immanẽtes, vt instrumentum purum; quia non nego posse eas eleuari, vt purum instrumentum ad actiones non immanentes: potest enim Deus assumere meum visum, vt producat calorem in petro: sicut Christus apud nonnullos assumit suam humanam volitionem, vt per eam instrumẽtaliter producat in nobis gratiam. Et in hoc sensu diximus alia agentia sumi à Deo, vt pura instrumenta; nimirum ad elicẽdas actiones extraneas; sicut assumit igné inferni ad torturã spirituum, quocunq; modo illa fiat: nam ad actiones sibi proprias potest etiam eleuari, non vt purum instrumẽtum, sed vt caussa principalis: vt si eleuetur ignis caloris vt quatuor, ad producẽdum calorem vt viginti: aut ad producendum calorem extra suam sphæram: aut vt agat in rem distantem interim non agẽdo in medium. Sed de hõc latius disputare non est huius loci.

21

22 Ad quartum dicendum est impossibilitatem, & repugnantiam optime demonstrari ex eo, quod oculus est corporeus, Deus autem est spiritus. Vnde negandum est posse visum corporeum etiam diuina potentia eleuari, vt videat angelum. Ad obiectionem respondetur hoc loco non esse sermonem de distantia perfectionis entitatiuę: sed de distantia proportionis obiectiuæ, quæ datur inter potẽtiam, & obiectum; de qua maior est falsa: quia creatura spiritualis est omnino obiectiue improportionata potentiæ corporeæ; quia nullo modo continetur intra obiectum illi simpliciter adæquatum: cum tamen Deus obiectiue proportionatus sit respectu nostri intellectus, vtpote contentus sub obiecto illi simpliciter adæquato. De quo D. Thomas 3. contra gentes c. 54. D. Bonauentura

Solutio 4.

D. Thom.
D. Bonau.

Durandus Palud. uentura in 1.d.3.1.p.art.1.q.1. ad 2. Durādus in 4.d.49.q.2.n.29. Palndanus ibi q.1.infine, Bellomontanus in d.disp.40. cap.2. n. 4. & est theologia ab omnibus recepta.

23 Solutio 5. *Augusti.* Ad quintum respondet idem Augustinus in eodem loco, docetq; argumēti inefficaciam inde patere, si sub illa maiore sumatur hæc minor, *res corporea non potest cognoscere rem incorpoream.* Ex qua, si discursus non claudicat, inferri debet rem incorpoream non posse cognoscere rem corporeā. Quo argumento quidam hęretici vtebantur, vt probarent nec Deum, nec angelos cognoscere res istas corporeas, & inferiores: & cum iste hęreticorum discursus concludat aliquid hęreticum; nec claudicet in minore; non potest non claudicare in maiore. Faciliùs respondebis, si dicas maiorē verā esse de distinctione entitatiua: Alia solut. ex qua non bene infertur eandem proportionem obiectiuam, quæ reperitur inter rem spiritualem ad corpoream, reperiri inter corpoream ad spiritualem: vnde fieri potest, vt res spiritualis cognoscat corpoream; corporea tamē non cognoscat spiritualem. Ratio discriminis patebit, si aduertas vim cognoscēdi spiritualē, (qualis datur in intellectu) altiorem esse, & longe superiorem, quàm sit vis sensitiua; & ob id respicere obiectum sub altiori, & superiori ratione, nimirū entis intelligibilis; quæ ratio simul reperitur cū ratione entis sensibilis: nam sensibile cum sit ens, est etiam intelligibile; & proinde cadit sub obiecto substantię intelligibilis. Oppositum reperitur in sēsu: nam cum sit vis quædam in essendo, & in cognoscendo inferior, respicit obiectum sub ratione inferiori, nimirum sub ratione sensibilis: quę ratio in substantia spirituali nō reperitur. Quare in cognoscendo, proportio, quæ est inter rem spiritualem ad corpoream, non cernitur inter corpoream ad spiritualem.

24 Soluti o vlt. Ad postremum respōdetur primò negatione antecedētis, si sermo sit de cognitione abstractiua, qua Deus per se, & distincte concipiatur, quoniam eadem ratio reperitur in sensibus internis, & externis ad cognitionem siue intuitiuā, siue abstractiuam: semper enim spiritua le transcendit metas obiecti sensibilis, vt probant omnes nouiores cum Medina 1.2.q.3.art. 3. Sotus etiam in 4.d.49. q.1.a.3.cōcl.2. & latius q.2.art.2. concl. 2. Cursus Conimbricens. 2. de anima c. 6. q.3.ar.2.in fine, & satis est de mēte D.Th. 1.p.q.12.ar.3 ad 3. Porrò si sermo sit de cognitione confusa, & connotatiua, qua Deus sub aliqua corporea similitudine ipsum connotante confuse apprehēditur; non est negandum dari posse in nostra æstimatiua notitiam aliquam Dei: eam enim admittit D. Thomas loco citato, dum affirmat visionē, de qua Isaiæ 6. (idē dicito de alijs relatis in scriptura) non fuisse intellectiuam, sed imaginatiuam modo explicato. Eandem cum D. Thoma admisit Victoria relatus à Medina, & post eum Curs. Conimbric. vbi supra: quanuis Sotus, & Medina sine fūdamento reclament: hęc enim est excellentia nostræ æstimatiuæ; quam sortitur ex coniunctione cum intellectu, vt non solum valeat concipere exteriùs sē sata; sed etiam spiritualia ad modum sēsatorum, hoc est sub aliqua sensata specie. Et inde est, vt rationes insensatas possit abstrahere: de quo latior futurus est sermo in lib. de beatitudine corporis glorioſi in q. de sensibus internis. Ex hac tamen notitia connotatiua, quam æstimatiua de Deo habere potest, & sępe defacto habet; non bene infertur sēsum posse attingere aut Deum in se ipso, aut substantiam aliquam immaterialē.

Medina. Sotus. *D.Thom.* *Victoria. Sotus. Medina.*

QVÆSTIO VI.

IN inuestiganda propria differētia beatitudinis ex parte prīcipij, quod est anima; hūc peruenimus, vt beatitudo formalis sit operatio soli' animæ intellectiuæ: consequenter inquirēdū restat; an beatitudo ponatur in operatione solius intellect', aut volūtatis; an in operatione vtriusque. Deinde siue ponatur in operatione vnius tantum, siue in operatione vtriusque, oportet inquirere, an ponatur in vna tantum cuiusque potentiæ operatione; ita sc. vt si ponatur in operatione solius intellectus; in vna tantū illius

Ordo dicendorum.

illius ponatur: eodem modo si ponatur in operatione solius voluntatis: imò etiam si in operatione vtriusque ponatur; inquirendum est; an vnam solũ vtriusque operationem sibi vendicet; anvero possit vnius, velvtriusque plures operationes sibi vendicare. Quæ omnia nõ satis dilucide explicari poterunt; nisi prius explicemus, an duplex sit distinguenda beatitudinis species, An beatitudo essentialis vnius tantum sit rationis, & speciei. Quare de hac quæstione primum dicemus: deinde ad reliquas accedemus.

Quod attinet ad id, quod primo loco proponitur; primum inquiremus; an admittenda sit duplex beatitudo; vna essẽtiæ, quæ sit totius hominis: altera potẽtiæ? Deinde; an sit admittenda beatitudo speculatiua, & practica?

§ 1.

An distinguenda sit duplex beatitudo essentialis, vna essentiæ, altera potentiæ?

1 Scoti sẽtẽt. AFfirmat Scotus in 4. d. 49. q. 3. litera A, quo in loco supponit beatitudinem essentialiter solum accipi pro operatione, qua Deo immediate vnimur: at tamen putat duplicem distinguendam esse essentialem beatitudinem: vnam naturæ, siue essentiæ, qua anima, imò & totus homo beatus dicitur: alteram potentiæ, qua potentia in se ipsa formaliter beatificatur. Et ne quis distinctionem istam, vt nouam admiretur; aduertit non solum essentiam animę esse essentialiter beatificabilem; sed etiã ipsas animæ potentias intellectum sc. & voluntatem. Essentia igitur formaliter beatificatur per operationem illius potentię, quæ perfectissimo modo Deo coniungit: velsi mauis, quæ formaliter est assecutiua Dei. Potentia vero ad suam formalem beatificationem hoc non requirit; sed solùm postulat, quòd sua operatione immediate attingat Deum in se ipso. Ita fit, vt non quælibet operatio potentiæ sit formalis beatitudo respectu essentiæ: quia nec operatio cuiusq; potentiæ est formalis Dei assecutio, nec perfectissima coniũctio cum Deo obiecto beatifico. At tamen omnis operatio potentiæ attingens Deum in se ipso est formalis beatitudo potentiæ, quia est ipsi potentiæ vltima perfectio.

2 Præcedens sententia reijcitur. Hæc tamẽ opinio à plerisq; reijcitur; quia sine fundamento ponitur, & absq; vlla necessitate parit confusionem, nec satis est philosophica. Vnde nec ipsi Scoto multum arridet. Fundamentum in Primo. de sumunt, quoniam beatitudo etiã potentiæ non præcise est posita in immediata attinctione obiecti beatifici; sed in attinctione illius sub ratione beatifici: quæ ratio, vt ipse existimat, vna tantum est. Quare vna tantum admittenda est beatitudo, qua & anima ipsa formaliter fiat beata, & omnes animę potentiæ. Enim vero, si beatitudo ponitur in solo amore, vt vult Scotus, amore ipso & anima beatificatur, tanquam subiectũ principale, & vt quod, & ipsa voluntas tanquam subiectum quo: intellectus autẽm per quandam redundantiam. Eodẽ modo dicendum est, si solavisio ponitur formalis beatitudo.

3 Secundo. Ex eo etiam reijci potest hęc opinio; quoniam operatio cuiusque potentiæ, quanuis sit propria perfectio eius potentię, à qua elicitur: non tamen potest habere rationem beatitudinis proprie loquẽdo: tum quia potentia non est proprie beatificabilis, vt quod: tum etiam quia non appetit suam operationem, nisi appetitu naturali, & innato: cum tamẽ proprie nõ beatificetur, nisi agẽs, quod appetitu elicito appetit bonum, quod est beatitudo. Quare vnica tantum est admittẽda formalis beatitudo, qua anima principaliter tanquam subiectum quod beatificetur: potentiæ autem ex consequenti.

ARTICVLVS II.

An sit distinguenda duplex beatitudo contemplatiua, & actiua?

1 Paludan. Opinio. AFfirmat Paludanus in 4. d. 49. q. 3. ar. 2. n. 33. vbi tam in via quàm in patria duplicem distinguit beatitudinem; contemplatiuam vnam: actiuam alteram. Quarũ illa sit in intellectu hæc vero in voluntate præcedente tamen actu practico intellectus. Vbi n. 35. affirmat constitui posse vnum aggregatum essẽtialiter integratum ex actu intellectus, & voluntatis: cuius pars principalior erit beatitudo contemplatiua; quia

Fundamentum. quia hæc est finis alterius. Fundamentum istius duplicis beatitudinis, quantum ego ex Paludano potui colligere, est hoc, quoniam visio Dei, in qua beatitudo speculatiua consistit, non potest mouere voluntatem, nec ad amorẽ, nec ad delectationem: intellectus enim speculatiuus, cum nihil dicat de prosecutione, aut fuga; non potest mouere appetitum, vt patet ex Aristotele 3. de anima. Cum vero negari non possit in illa superna ciuitate dari beatitudinẽ, quæ consistat in pace illius regni, charitate ordinata inter ciues, tum inter se, tum ad Deum; non potest non admitti beatitudo quædam, quæ in hac pace, & ordinata charitate consistat. Hæc autẽ præ requirit cognitionem practicam ordinatiuam mutuæ illius charitatis & pacis. Quare præter beatitudinem speculatiuã admitti debet in patria alia beatitudo practica constituta ex practica cognitione, & ex dilectione. Hæc ex Paludano colliguntur.

Aristot.

2 Confirmatio prima ex D. Thom. Cuius sententia confirmari videtur auctoritate D. Thom. 1. 2. q. 3. art. 5. vbi agẽs de perfecta beatitudine futuræ vitę expresse docet eã principaliter consistere in contẽplatione: secũdario autẽ in operatione practici intellect⁹ ordinãtis actiones, & passiones humanas. Videtur igitur sanctissimus Doctor vtrãque istã beatitudinẽ agnoscere, contẽplatiuam, sc. & practicam; quarum illa principalior sit; hæc secundaria.

Cõfirm. 2. Confirmari secundo potest; quia in via duplex distingui solet beatitudo: tã supernaturalis, quàm naturalis, vt suo loco dicemus; ergo & in patria duplex illa beatitudo erit admittenda.

3 Refellitur Paludani opinio. In hac Paludani sententia plura cõtinentur falsa, vt suo loco aduertemus. Nunc solum est expendendum, an in patria admittenda sit duplex illa beatitudo, quam assignat. Partem negantẽ expresse probat Bellomontanus 1. 2. disp. 10. cap. 2. n. 10. & disp. 12. cap. 1. num 3. quibus in locis diuisionem appellat friuolam, & sine fundamento. Cui ego sententiæ subscribo. Tum, quia nullus est, vno excepto Paludano, qui in patria duplicem illam beatitudinem distinguat, tum etiam; quia nullum apparet fundamentum, cur distinguenda sit, si sermo fuerit de beatitudine essentiali, quæ posita est in assecutione Dei, vt est obiectum beatificum. Nam per beatitudinem, quam appellat contemplatiuam, vel Deus est beatifice assecutus; vel non est: si non est: ergo talis visio, & contemplatio non potest esse beatitudo essentialis; hæc enim posita est in assecutione obiecti beatifici. Porrò si De⁹ per illam beatifice est assecutus; beatitudo, quam appellat practicam, nõ potest esse formalis beatitudo; vt quæ supponat Deum beatifice iam assecutum.

4 Quòd si dicat Deum per beatitudinẽ contemplatiuam esse quidem assecutũ; non tamen omnibus modis & complete: sed tunc, cum accedit beatitudo practica: inde inferam beatitudines istas singulatim sumptas non esse beatitudines totales specie inter se distinctas; sed solum esse beatitudines quasdã partiales vnam totalem integrantes. Quod non videtur esse de mente Paludani; videtur enĩ eas specie distinguere. Quod si hæc non est illius mens, sed eas solùm distinguat partialiter; quo pacto beatitudo contemplatiua, & practica in via distinguuntur; non repugnabo: nam, qui beatitudinem collocant in operatione intellectus, & voluntatis: sicut duas partiales assecutiones obiecti beatifici admittunt, vt suo loco dicemus: ita duas agnoscunt beatitudines veluti partiales. Illud tamen Paludano non admittam dari in intellectu beati aliquẽ actũ practicum distinctum à visione in ordine ad amorem, quia ipsa visio satis est, vt voluntatem moueat ad amorẽ Dei. Vtrum vero visio respectu amoris verè sit notitia practica? Inferi⁹ expẽdem⁹.

5 Paludani mens expẽditur. Illud hoc loco annotauerim; si mens Paludani num. 34. expendatur; beatitudinem practicam admittere in ordine ad politiam vespertinam; qua beati vnã ciuitatẽ politicam inter se constituunt: in qua tum in ordine ad Deum, tum inter se ordinate disponuntur. In quo sensu admitto in singulis beatis actum practicum intellectus distinctum à visione: at tamen talis actus non est beatificus, sed pertinet ad solam politiam vespertinam. Ita fit, vt nec ille actus, nec dilectio vespertina, qua beati, & Deum, & alios diligunt, constituant aliquã beatitudinem essentialem, vt patet. Concludendum est igitur non esse admittendas

tendas duas beatitudines totales specie distinctas; sed vnam tantùm: vel omnino simplicem, si in vno tantùm actu collocatur; aut integratam, si per se collocetur in duobus actibus.

6 Argumenta in cõfirmationem adducta parum efficiunt. Nam fundamentũ Paludani satis est debile: quia supponit beatitudinem practicam dari inter beatos, vt inter se constituunt vnam ciuitatem: quæ, cum sit eorum, quæ extra verbum, & intelliguntur, & amantur; nõ est beatitudo essentialis. Porrò si in illo fundamento est sermo de amore beatifico: negandum est visionem non esse satis ad amorem, vt inferiùs dicemus.

Soluitur primum argumentum.

Solutio primæ confirmationis. Prima confirmatio sumpta ex D. Th. difficilis est, si sequamur literam antiquã illius loci: at tamen, cum illa sit corrupta, vt patet ex textu Romæ excusso, & emendato: vbi verba, quæ obijciuntur, nõ accommodantur beatitudini patriæ; sed solius viæ: argumentum vim non habet:

Solutio 2. Ad secundam neganda est consequẽtia propter disparem rationem, quæ datur inter beatitudinem viæ, & patriæ, vt patebit ex ijs, quæ dicemus de vna, vel pluribus operationibus beatitudinis viæ.

QVÆSTIO VII.

Ordo seruandus. CVm iam constet vnicam tãtum specie beatitudinem admittendam esse; cõsequẽter inquirendum est; an illa ponatur in operatione vnius tantùm potentiæ, intellectus sc. an voluntatis. Et quia vtraque pars nobis videtur æque probabilis: primum insistemus circa eam sententiam, quæ beatitudinem collocat in vna operatione: deinde circa eam, quæ in pluribus eam ponit.

Circa primum inquirendum est primo loco, in quonã sensu in hac quæstione agendum sit de beatitudine? Deinde, an beatitudo essentialis ponenda sit in operatione vtriusque potentiæ: intellectus inquam, & voluntatis? Tertio; an in singulis potentijs, vel diuisim, vel simul vnicam tantum admittat operationem?

ARTICVLVS I.

In quonam sensu agendum sit de beatitudine formali.

1 QVoad primum quæstionis articulum aduertendum est in hac disputatione, an beatitudo in vna, an in pluribus operationibus collocanda sit? Ideo varie respondisse theologos; quia non eodem modo beatitudinem acceperunt. Referendæ igitur sũt à nobis singulorũ opiniones: deinde nõ nullis pręmissis veritas explicabitur.

§. I.
Varij dicendi modi.

2 QVidam ex theologis docent beatitudinem proprie, & essentialiter sumptam esse aggregatum quoddam ex omnibus bonis, quę in beato insunt; docẽtque beatitudinem proprie sumptam supponere pro solo illo aggregato bonorum, nõ diuisiue, sed collectiue sumpto: etenim nulla illius pars per se, ac diuisiue accepta proprie loquendo dici potest beatitudo, sed illud tantum aggregatum. Ita scripsit Holchot in 4.q.8. ar.2. per septem cõclusiones: illius opinionem non esse improbabilem putat Buridanus 10. Ethic. q. 4. in prima opinione, & dissoluit argumenta in oppositum. Iuxta hanc opinionem beatitudo nec est vna operatio, nec plures, si diuisiue sumantur, est tamen aggregatum ex pluribus operationibus.

Prima opinio.

Holchot.

Buridan.

3 Ad hanc sententiã proxime accedit, quę beatitudinẽ ponit in aggregato omniũ, quæ & secũdũ animã, & secũdũ corpus beato cõueniũt; ita tamen, vt tã aggregatum ipsum, quàm quælibet eius pars diuisiue sumpta vere, & proprie sit beatitudo hominis: alia tamen, & alia ratione; quia totũ aggregatum est beatitudo totius hominis, quo homo totus perfectissime beatur: quælibet tamen pars est particularis beatitudo alicuius potentię: itavt uisio sit beatitudo intellectus; fruitio voluntatis; claritas, & impassibilitas sit beatitudo corporis, & sic de cæteris. Ex quo inferunt hominẽ non esse proprijssime beatum, si illi desit aliqua ex particularibus beatitudinibus animæ, vel corporis: enimverò beatitu-

2. Opinio.

beatitudo ex se & intrinsecè connotat, vel includit omnes particulares beatitudines suarum partium, tanquam partes integrales sui. Inde inferunt nullum hominem ante generalem resurrectionem dici posse proprijssimè beatum: Sanctos verò nunc dici beatos à parte principaliori, nempe anima, quæ verè est beata. Ita Buridanus loco citato in secunda opinione.

Buridanus.

4 Tertia opinio Durandi.

Tertiò accedat opinio Durandi in 4. d.49.q.4.n.10.& 11.putat enim beatitudinem duobus modis accipi posse: vno modo, prout includit omnẽ perfectionem tam animæ, quàm corporis: altero modo, prout dicit id, quod inter perfectiones humanas est optimũ. Priori modo beatitudo posita est in pluribus operationibus: posteriori autẽ in vna tãtũ.

5 Quarta opinio Paludani.

Quarta est opinio Paludani in 4.d.49. q.3.ar.2. vbi tam in patria, quàm in via duplicem distinguit beatitudinem: contemplatiuam vnam; actiuã alteram: putatque ex vtraque constitui vnum aggregatũ; quod nomen beatitudinis sortitur. Beatitudo igitur tam contemplatiua, quàm actiua diuisiuè sumpta in vna tantùm est operatione; sumpta verò pro aggregato plures includit: principalius tamen operationem intellectus.

6 Quinta opinio Scoti.

Quinto loco adest Scotus in 4. d. 49. q.3.litera A. quo loco supponit beatitudinem essentialiter solùm accipi pro operatione, qua Deo immediatè vnimur: at tamen duplicem distinguit beatitudinem: vnam naturę, qua beatur anima; alteram potentiæ, qua beatur ipsa potẽtia. Hoc supposito ponit Scotus duas conclusiones. Prima; beatitudo essentię in vna tantùm operatione cõsistit. Probat; quoniam anima beari non potest, nisi illa operatione, quæ obiectum beatificum perfectissimè attingit; hæc autẽ vna tantúm est. Secunda conclusio; beatitudo potentiæ essentialiter est posita in duabus operationib⁹. Probatur; quia cum duæ potẽtiæ sint beatificabiles intellectus sc. & voluntas (quia vtraque immediatè attingit obiectum beatificum) duæ admittendę sunt operationes beatificantes potentiam.

7 Vltima sententia.

Postrema sententia est cõmunis, beatitudinem essentialiter acceptam esse vnam tantùm: nimirum, quæ est formalis assecutio obiecti beatifici, & de hac sermo est in disputatione, quæ inquirit, an beatitudo sita sit in vna, an in pluribus operationibus. & hæc de varietate opinionum.

§. 2.

Vera resolutio.

8 Postrema sententia eligitur, & explicatur.

NObis placet hęc postrema sentẽtia; quæ, vt diximus, nõ displicet Scoto, & est inter antiquiores, & nouiores receptissima. Pro explicatione totius quæstionis præmittendũ est; negari non posse beatitudinem multipliciter accipi, tum in sacris literis, tũ apud Sanctos, & Philosophos: negandũ tamen non esse non in omnibus acceptionibus accipi essentialiter. Primũ patet ex dictis lib.3.in prefatione: nam interdum accipitur beatitudo pro statu omnibus bonis perfecto, & cumulato, ita enim accipitur à Boetio, Anselmo, Augustino, & Cicerone: interdũ pro visione beatifica; & aliquando pro fruitione, & gaudio, vt patebit ex dicendis, & videre est apud Valentiã 2.tom. disp. 1.q.3.pũct.4. Secundũ inde demonstrat: quoniã beatitudo formalis (de qua sola agimus) est adeptio obiecti beatifici, vt omnes cõcedũt; & ideò cũ obiecto beatifico cõponit vnã integrã beatitudinẽ, quæ est Deus à nobis assecutus, & possessus, vt lib.3.iã ostẽdimus: Deus enim, vt assecutus, est, qui nos essentialiter beat: vnde sicut Deus essẽtialiter est beatitudo obiectiua; ita ipsa formalis Dei assecutio essẽtialiter est beatitudo formalis, qua beamur. At cõstat nõ omne bonũ, quod reperitur in statu beatitudinis esse formalẽ obiecti beatifici assecutionem: nec enim dotibus aut animæ, aut corporis Deum formaliter assequimur; sed illum iam habemus assecutum: & ideo dotes potius emanant à beatitudine, quàm illam constituant.

Boetius. *Anselm.* *August.* *Cicero.* *Valentia.*

9 Illatio.

Ex quo infertur in beatitudine duplicẽ distinguendã esse perfectionẽ: essentialẽ vnã; accidentalẽ alterã; id enim in omni re creata reperitur; quare nõ omnis beatitudinis perfectio pertinet ad essentiã illius: quia dantur pleræq; perfectiones, quæ perficiunt, & complent beatitudinẽ, non quidem essentialiter (essentia enim est in indiuisibili) sed accidentaliter. Hanc doctrinã in beatitudine naturali expressè docuit Aristot. 1. Ethicor. c.7. text.29. dum ait: *Felicitatem*

Aristot.

tatem quidem per se sumptam, & ab alijs bonis segregatam esse bonum optimum, & per se sufficiens, vt vitam faciat expetibilem, & beatam: accipere tamen augmentũ, vt expetibilior fiat, & perfectior. Cum verò nihil separari possit ab eo, quod est de sua essentia: felicitas autem ex sententia Aristotelis, & mente, & re separari valeat ab aliquib⁹ bonis; necessariò infertur bona illa superaddita non ad essentiam felicitatis pertinere, sed ad perfectionem accidẽtariam.

10 Inde facilè colligitur statum difficultatis positum esse in discernendis perfectionibus essentialib⁹ beatitudinis ab ijs, quæ illi sunt accidentales: vt inde videamus, an beatitudo patriæ vnam tantùm operationem in sua essentia includat, an plures? Hunc nodum non melius dissoluemus, quàm ex principio superi⁹ posito; beatitudinem sc. formalem essẽtialiter esse ipsam formalem assecutionem obiecti beatifici: nam sicut beatitudo obiectiua essentialiter ponitur in Deo beatificè assecuto: ita beatitudo formalis essentialiter ponetur in ipsa formali Dei assecutione; ita enim fiet, vt ex vtraque beatitudine componatur vna integra, & totalis, qualis est Deus in se ipso assecutus. Hinc intelliges beatitudinem formalem eam solam operationem essentialiter includere, quæ ex natura sua fuerit formalis Dei assecutio: quę verò talis non fuerit, excludetur ab essentia illius, quantũuis extrinsecùs illam perficiat. Quare, si vna tantùm datur operatio, quæ ex sua natura sit adeptio obiecti beatifici: in vna tantùm operatione beatitudo essentialiter ponetur: si verò Deus non vna tantùm, sed pluribus operationib⁹ beatificè obtinetur; vtiq; beatitudo in pluribus operationibus essentialiter collocabitur. Et in hoc soluendo nodo consistit explicatio sequentis articuli.

§. 3.

Impugnantur aduersariæ sententiæ.

11 Excluditur prima opin. EX hac verissima resolutione euidẽter infertur reijciẽdas esse duas priores sententias Holchoth, & Buridani, quatenus docent beatitudinẽ essẽtialiter includere omnes perfectiones, quæ dãtur in beatifico statu, siue ad animã spectẽt, siue ad corpus, quas meritò reijcit Bellomõt. hìc disp. 10. c. 2. n. 11. reijci autem debent ex duplici capite. Ex primo, quia nulla corporis glorioſi perfectio esse potest formalis assecutio obiecti beatifici: vt omittamus pfectionẽ corporis aut nõ esse operationẽ, aut non esse operationem animæ intellectiuę. Errarunt igitur, quòd nescierũt statũ beatitudinis distinguere à formali beatitudine. Ex secundo etiã capite: quia ex vtraq; sequitur nec Christũ in via verè, & essentialiter fuisse beatũ; nec Sanctorũ animas modò esse tales: quod est planè absurdũ, vt suo loco ostẽdemus, & satis patet ex Extrau. Benedicti 12. de qua in seq. art. Sequela probatur, quia gloria corporis & modo deest animabus sãctis, & in via defuit Christo: essentia autẽ rei destruitur detracta aliqua illius particula ad essentiã pertinẽte. Nec satis respondebũt animas nunc iã esse essentialiter beatas; non tamen perfectissimè: quoniã, cum essentia rei consistat in indiuisibili; non potest aliquod augmentũ admittere. Quare vel debẽt negare gloriã corporis esse partem essentialẽ beatitudini: vel animas nũc esse essentialiter beatas: & cũ hoc posterius non sit negandũ; vtiq; negandum erit illud prius. Admittimus igitur statũ beatitudinis deficiẽte aliquo bono ad illũ pertinẽte, non esse perfectissimũ: esse tamen essentialiter perfectum, si maneat beatitudo essentialis.

Extrauag. Bened. 12.

12

13 Reijcitur 2ª

Porrò opinio Durãdi multis de causis nõ placet. Primò; quia beatitudo sũpta pro cumulo omniũ perfectionũ non potest esse beatitudo essentialis, vt contra duas priores opiniones diximus. Secundò; quia putat essentiã beatitudinis poni præcisè in ratione maioris perfectionis: quod non est verũ; quoniã præcisè ponitur in ratione assecutionis. Vtrũ verò operatio assecutiua simul debeat esse perfectissima? Non conuenit inter omnes: plerìq; id negant; vnde putant operationem minus nobilẽ habere posse rationem essentialis beatitudinis: quod debent dicere, qui beatitudinem ponunt in pluribus operationibus.

14 Impugnatur quarta. In opinione Paludani illud displicere debet, quod admittit in patria duplex genus beatitudinis, cuius opinionẽ impugnauimus in 2. ar. quæstionis præcedentis; si sermo sit de beatitudine essentiali: hæc enim vnica tantum est, formaliter

liter quidē ſpeculatiua; eminēter tñ practica, & actiua modò inferiùs explicando. Nō negarent tamen in alia vita politiam veſpertinam, quæ poſita eſt in cō municatione, & conuerſatione Sanctorum inter ſe, prout ſunt partes vnius ciuitatis ſupernæ Hieruſalem, admittere duplicē illam beatitudinē; tum in vnoquoque beatorum: tum in communi illorum omnium politia: nam, & quilibet beatorum Deum contemplatur, & bene ſe habet tum ad ſe, tum ad cæteros beatos, & tota illa ciuitas ſuam habet ciuilem, & politicam beatitudinem, qua tū erga Deum bene diſponuntur in cultu exhibendo, & referēdis gratijs: tum inter ſe, prout vnius corporis politici sūt partes. Sed quia hæc beatitudo non eſt eſſentialis, qua Sancti ſunt beati: proinde de ea modò non curamus.

Quinta excluditur.

De opinione Scoti non eſt multū curandum: quia nec vera eſt, nec ipſi Scoto admodum arridet, vt diximus in præcedente quæſtione art. 1.

ARTICVLVS II.

An beatitudo patriæ ponatur in vna operatione, an in pluribus?

DE beatitudine formali eſſētialiter ſumpta inquirēdum eſt, an ſit vna, an plures operationes? Eſt enim de hoc non parua controuerſia.

§. 1.

Sententia admittens plurès operationes.

1 *Richardus Maior. Argentina Supp. Gab. Baßolius. Marſilius. Gregor. Aureolus.* PRima ſententia beatitudinem ponit in pluribus operationibus animæ intellectiuę. Ita Rich. in 4. d. 49. ar. 1. q. 6. Maior ibi q. 3. Argentina q. 3. cōcl. 3. & 4. & in 4. opinione contra eaſdem concluſiones, Supplementum Gabrielis ibi q. 2. ar. 3. in 3. eiuſdem dubii articulo, Baſſolius q. 2. Marſilius in 4. q. 13. ar. 3. notab. 2. & concl. 4. Greg. in 1. d. 1. q. 2. ar. 1. ad 8. Aureolus apūd Capreolum 1. d. 1. q. 1. ar. 2. in 1. 3. & 4. argumento contra 6. *Ochamus. Henric.* Ochamus ibi q. 2. ad 2. principale, Henricus quodlib. 13. q. 12. & in Summa ar. 49. q. 5. & 6. ſatis inſinuat *Alenſis. Ægidius. Alphonſus Toletanus.* Alenſis 3. p. q. 23. membro 1. ad 1. Ægidius quodlib. 3. q. vltima, & in tractatu de influentia diuina in beatos c. 2. colum. 1. & 2. & in tractatu de prædeſtinatione c. 7. Alphonſus Toletanus in 1. d. 1. q. 2. ar. 3. ad argumenta contra 3. Ex recentioribus Veiga lib. 7. in Tridentinum c. 3. latè Cordubenſis lib. 1. q. 42. propoſitione 2. in 10. argum. Henriques lib. vltimo de fine hominis in principio, videtur eſſe Molinæ 1. p. q. 12. ar. 1. diſp. 2. concl. 5. & q. 26. Probabiliorem putat Valentia 2. tomo diſp. 1. q. 3. puncto 4. p. 61. Ioſephus Angles in q. de beatitudine ar. 1. dub. 1. difficult. 3. in fine. Citari ſolet D. Bonauentura in 4. d. 49. 1. p. ar. 1. q. 5. ſed ibi agit de dotibus, non verò de beatitudine eſſentiali, quam poſuit non in operatione, ſed in habitu, vt ſupra oſtendimus. Citatur etiam Magnus Albertus in 4. d. 48. ar. 4. ſed vix ex eo colliges. Henriques citat Scotum, Durandum, & Paludanum, ac etiā Sotum, quē etiam citat Suarius. Sed Scotus, dū plures operationes admittit, agit de beatitudine potentiæ, non naturæ, ſiue hominis: vnde immeritò pro hac ſentētia citatur, quæ agit de hominis beatitudine: & eàdem ratione non bene citatur Durādus; quoniā ſolùm admittit plures operationes in beatitudine ſumpta pro ſtatu, de qua modò non agimus. Sotum autem falſò citari oſtendemus in §. ſeq. Paludan⁹ verò pro ea bene citatur, quid quid repugnet Bellomōt. vt facilè colliges ex præced. art. §. 1. Pro eàdem ſententia pugnat Catechiſmus Tridentin⁹ 1. p. c. 13. in illa verba Symboli *vitā æternam.* & latè Suarius in hac q. 3. diſput. 7. queſt iunc. 1. §. *Hactenus aliorum ſententias.*

Veiga. Cordub. Henriq. Molina. Valentia. Angles. P. Catechiſm⁹ Tridentin.

2 *Probatur 1. ex Extrau. Bened. 12.* Hęc ſentētia primò probatur ex Extrau. Benedicti duodecimi: vbi poſtquā Pontifex definiuit animas Sanctorū ante diem iudicij videre Deum, & eo frui: addit hæc verba: *nec non* (definimus ſc.) *quod ex tali viſione, & fruitione eorum animæ ſunt verè beatæ.* Ex quibus verbis Argentina, Toletanus, Veiga, & Corduba colligunt ſentētiam iſtam definitam eſſe de fide: quorum iudicium non diſplicet Valentiæ, & ſatis videtur cōfirmari ex doctrina Catechiſmi loco citato: *ſolida* (inquit) *beatitudo, quam eſſentialem communi nomine licet vocare, in eo ſita eſt, vt Deū videamus, eiuſque pulchritudine perfruamur.* Accedat Concilium Viennenſe in Clem. ad noſtrum de hæreticis: dum damnat eos, qui aſſerunt, animam non indigere lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.

Argentin. Veiga. Corduba. Valent. Catechiſm. Cōfirmatur auctoritate Conc. Viēnenſis.

3
2. probatur ex Patrib'. *Aug.*

Deinde accedant Patres, & maximè Augustinus, qui in libro de moribus Ecclesiæ Catholicę c. 3. enumeratis tribus, in quibus non est beatitudo, ita ait: *Quartum restat, vbi beata vita inueniri queat; cum id, quod est hominis optimum, & amatur, & habetur.* Vnde sine discrimine modo ponit beatitudinem in actu intellectus, modo in actu voluntatis, vt patebit ex 1. de Trinitate c. 8. q. 10. & 13. & ex lib. 1. de doctrina Christiana c. 32. & ex lib. 10. Confessionum c. 21. & 23. & in soliloquijs c. 22. 35. 36. & tandem lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ c. 25. Adde Hugonē de sancto Victore, dum explicat illa verba Dionysij de Cœlesti Hierarchia c. 7. *multas quidem, & beatas videas, & cætera*, vbi in hæc verba: *Duo sunt enim cognitio, & amor: alterum ad illuminationem pertinet; alterum ad refectionem. Cognitio illuminat: dilectio satiat. Cognitio veritatis, & amor bonitatis. In his beatitudo constat; cognoscere, & amare bonum.* Diuus etiam Bernardus Epistola vigesima octaua: *sicuti initiat in hac vita fides, & desiderium: sic etiam in alia consummat visio, & amor.*

Hugo Vict.

D. Bernar.

4
Tertio exsacris literis. *Ioann. 17. Augusti.*

Sacrę etiam literæ vitam æternam. i. beatitudinē modo ponunt in cognitione, modò in gaudio. In cognitione quidem: Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum.* Quæ verba & Augustinus, & plures alij de beatitudine patriæ interpretantur. Facit locus 1. Ioānis 3. *Non dum apparuit, quod erimus* (i. nostra beatitudo) *cum autem apparuerit: similes ei erimus: quia videbimus eum: sicuti est.* 1. Corinth. 3. *cognoscam sicut & cognitus sum.* De gaudio autem patet Matth. 25. *Euge serue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Ioann. 16. *gaudium nostrum nemo tollet à nobis.* Rom. 14. *Regnum Dei, iustitia, pax, & gaudium.* Psal. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Denique in vtroque actu ponitur Psal. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

1. Ioannis.

1. Corinth.

Matth. 25.

Ioan. 16.

Ad Rom. 14.

Psal. 16. & 35.

5
Quarto probatur rationibus. Prima.

Quartò; rationibus ostenditur: primò; quoniam beatitudo essentialiter ponitur in summa vnione, & coniunctione cum Deo summe bono. Hæc autem vnio non erit, donec Deo omni modo, quo possumus, vniamur. Vnimur autem Deo tam operatione intellectus, quàm voluntatis: quia vtraque attingimus Deum, vt est obiectum beatificum. Ergo beatitudo essentialiter consistet in operatione, tam voluntatis, quàm intellectus.

Confirmatur; quia beatitudo essentialiter ponitur in perfecta Dei assecutione, ita vt beatus omnibus modis satiatus maneat. Hæc autem perfecta assecutio, & satiatio haberi non potest, nisi vtraque operatione. Ergo, &c. Maior notissima est ex Aristotele 1. Ethic. cap. 7. & Psalm. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Vnde Matth. 25. iubemur intrare in gaudium Domini, vt insinuetur nos non capere in nobis Dei gaudium: sed illud nos totos capere. Minor autē probatur: quoniam vna potentia non potest satiari operatione alterius, sed sua propria.

Confirmatur,

Arist.

Psal. 16.

Matt. 25.

6
Secunda.

Secundò; essentia beatitudinis sumenda est penes immediatam terminationem ad obiectum beatificum; ita vt quæ operationes illud attingunt; eæ ad essentiam beatitudinis pertineant: nam sicut actus immediatè attingens visibile, est visio; ita actus immediatè attingens obiectum beatificum est beatitudo. Sed tam intellectus, quàm voluntas sua operatione immediatè attingit obiectum beatificum. vt patet. Ergo vtriusque operatio ad essentiam pertinet.

7
Tertia.

Tertiò; non tantùm intellectui, sed etiam voluntati dantur dotes in patria. Ergo vtraque potentia ibi essentialiter beatur. Antecedens supponimus. Consequentia inde patet; quia dotes sunt signa matrimonij spiritualis animæ cum Deo, quod contrahitur per beatitudinem.

Quartò; Beatitudo est consummatio quædam similitudinis Dei, iuxta illud 1. Ioan. 3. *cum apparuerit, similes ei erimus.* Sed non potest dari hæc consummata similitudo, nisi vtraque pars imāginis, intellectus inquam, & voluntas, assimiletur. Ergo beatitudo in vtriusque assimilatione essentialiter ponitur.

Quarta.

Prima Ioānis 3.

Quintò; Beatitudo essentialis immediatè posita est in assecutione sūmi boni. At Deus non solùm actu intellectus obtinetur, sed etiam voluntatis: Deus enim sicut est in intellectu per visionē; ita etiam est in voluntate per charitatem, iuxta illud; *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Quinta.

Sextò

8 Sexta. *D.Thom.*

Sextò; apprehēsio est de essentia beatitudinis ex D. Thoma 1.2.q.4. art. 3. & patet ex Paulo 1. Corinth. 9. *sic currite, vt comprehendatis.* Sed comprehensio ex eodem Thoma fit intellectu, & voluntate. Ergo actus vtriusque essentialiter pertinet ad beatitudinem.

Septima.

Septimò; sicut sine visione Dei nullus potest esse beatus; ita nec esse potest sine amore: quomodó enim beatus erit, qui Deum non amat?

Vltima.

Postremò; quoniam rationes pro sẽtentia Thomistarum probant actum intellectus essentialiter pertinere ad beatitudinem: similiter rationes Scotistarum probant actum voluntatis ad eandem essentiam spectare. Ergo, cùm nec Thomistæ probent in solo actu intellectus beatitudinem consistere: nec Scotistæ in solo actu voluntatis; conciliari poterunt, vt in vtroque actu essentialiter ponatur. Hæc pro hac opinione.

§. 2.

Opinio, quòd in vno solo actu ponitur.

9

Capreolus. Soncinas. Hispalens. Victoria. Canus. Caiet. Medina. Conrad. Porrecta. Sotus.

QVod beatitudo in vna tantum operatione essẽtialiter ponatur, absolutè probat ferè tota Thomistarum schola: Capreolus in 1.d.1.q. 1.ar.3. ad 1. 3. & 4. Aureoli contra 6. & in 4.d.49.q.2.art. 3. ad argumenta contra 2. Soncin. ibi q.2. concl.2. Hispal. q. 2.ar.4. ad argumenta Scoti contra 2. refertur Victoria in d. ar. 4. est de mente Cani 12. de locis c. 14. in fine, qui falsò pro prima opinione citatur ab Henriq. Caiet. Med. Conrad. Porrectæ cum cæteris nouioribus 1.2.q.3.ar.4. Expresse Sotus in 4.d.49.q.1.a.3. Quo loco priorem sententiam reijcit, vt ineptam: nec sibi contradicit, dum ibi ar. 4. concl. 3. ponit beatitudinem essentialem in visione, & fruitione; quia apud Sotum ibi fruitio est actus non voluntatis, sed intellectus non distinctus à visione: vnde, quanuis in hoc fallatur; non tamen secum pugnat: sicut etiam non pugnat secum ibi q.3.ar.4. in principio, & concl. 4. dum affirmat visionem, amorẽ, & gaudium esse de essentia beatitudinis: agit enim ibi de beatitudine, non quatenus essentialiter est beatitudo, sed quatenꝰ denominat beatũ, de quo inferiùs. Quare non est credendum Henriques, dum Sotum trahit ad aduersarios: sicut non est illi credendum, dum pro contraria sententia citat Durādum in 4.d.49.q.4. Durandus enim ibi concl.2. & 4. certissimè stat pro hac sententia. Quæ absq; dubio fuit D. Thomæ, dum vbique affirmat beatitudinem non poni in actu voluntatis, sed in solo actu intellectus, in quo sola visio potest habere rationem beatitudinis. Fuit etiam sine dubio opinio Scoti in 4.d.49.q.3. vt patet ex conclusione posita in fine corporis litera D. sic enim habet: *Nullo ergo modo potest poni consistere in duabus operationibus, nisi ponendo, quòd ad operationem beatificam non sufficit operatio vna sine alia: quod videtur dubiũ.* Vnde in solutionibus argumentorũ sæpe affirmat beatitudinẽ simpliciter sũptam in vna tantum operatione consistere. Ibidem etiam litera A. affirmat beatitudinem naturæ (de qua modò agimꝰ) esse vnam tantum operationem. Quare allucinātur Capreolus, Soncinas, & Hẽriques, dum Scotum ad oppositam sententiã referunt. Melius igitur Ouandus in 4.d.49. propositione 4. asserit oppositam sententiam ab Scoto impugnari. Quare, & Ouandus pro hac sentẽtia citari potest. Pro qua clarè facit Cursus Conimb. in Ethicis disp.3.q.3.ar.2. & latiús Bellomõt. 1.2.disp.10.c.2. & 3. Deniq; inter nouiores est receptissima.

Durandus.

D.Thom.

Scotus.

Ouandus.

10 Primum fũdamentum Soti.

Primum huius opinionis fundamentum ponitur à Soto in d.q.1.ar.3. in impugnatione secundæ sententiæ: quoniã reliqua entia vnica, & simplici operatione cum suis finibus coniunguntur: grauia enim simplici descensu: ascensu verò leuia consequũtur suum naturalẽ finem. Oculus etiam simplici visione videt obiectum pulcherrimum. Deniq; res corruptibiles suæ speciei conseruationem (quam vltimo intendunt) vnica actione generationis consequũtur. Homo igitur vnica actione assequetur suũ finẽ, cuius assecutio est beatitudo essentialis.

11 Secundum.

Deinde; Beatitudo ex se est operatio præstantissima. Ergo non potest essentialiter consistere, nisi in vna tantùm operatione. Antecedens recipitur ab Aristotele, vt suo loco dicemus. Consequentia probatur: quoniã illę operationes debẽt specie distingui (nullus enim vnquã dixit beatitudinẽ poni in pluribꝰ operationibꝰ eiusdẽ speciei) vna igitur

Arist.

erit nobilior altera. Quin potius seruabunt inter se ordinem, ita vt, quę minus perfecta est, sit propter perfectiorem tanquam propter finem: vnde in illa sola ponenda est beatitudo.

12 Tertium. Tertiò arguit Bellomontanus: quoniam beatitudo debet esse adeptio obiecti beatifici, & illius possessio. At in nobis vna tantum est operatio, quæ sit adeptio Dei. Ergo beatitudo in vna tãtum operatione essentialiter consistet. Maior est recepta: quoniam beatitudo non ideo est beatitudo, quia est operatio perfectissima; sed quia est adeptio beatifici obiecti. Minorem supponit à se probandam disp. 11. c. 7. n. 37.

Quartũ ex Scoto. Quartò arguit Scotus in d.q.3. litera A. & C. Deus, vt est obiectum beatificũ, habet vnam tantum rationem beandi. Ergo vt sic ab vna tantum potentia attingi potest, & vna tantùm operatione.

Quintũ ex eodem Scot. Postremò; ex eodem Scoto: beatitudo essentialiter posita est in operatione, qua obiectum beatificum immediatissimè, & modo omnium perfectissimo attingitur. Attingi autem isto modo nõ potest, nisi per vnam tantum operationem. Hæc pro ista opinione.

§. 3.
Resolutio quæstionis.

13 Præmittitur dubitatio an hæc quæst. sit de nomine. PRo vera resolutione difficultatis explicandum est; an vera sit eorum opinio, qui putant quæstionem solùm esse de modo loquendi, quam sententiam non multum aberrare à veritatis scopo testatur Suarius hìc disp. 6. quæstiunc. 3. si tamen tollatur nominis æquiuocatio, & beatitudo sumatur pro formali adeptione obiecti beatifici: quia constat ad beatitudinem necessariam in primis esse visionem clarã Dei; deinde amorem, qui necessario ad visionem consequitur; tertio delectationem, quæ consequitur ad visionem, & amorem: nullus enim potest esse perfecte beatus; si aliqua harum operationũ desit. Quare, cum omnes illę operationes sint necessariæ, vt homo dicatur perfecte beatus; vtique quæstio erit de nomine, an omnia sint de essentia beatitudinis? Præsertim, cum illa physicè non componant aliquod ens totum; nec sint partes vnius naturæ: sed sint diuersi actus, quorum singuli propter propriam perfectionem necessarij sunt ad beatitudinem.

Sed hæc ratio non conuincit, vt dicamus controuersiam esse de nomine, modóque loquendi; cum verè sit de re: cum enim beatitudo formalis veram habeat essentiam, consistatque in formali adeptione obiecti beatifici: quæstio verò erit de re: an sc. hæc essentialis ratio beatitudinis vni tantum, an pluribus operationibus conueniat: qui nodus adeo est difficilis, vt vix intelligamus, in quonam sita sit adeptio obiecti beatifici, vt ex dicendis patebit. Nec fundamentum habet aliquid efficaciæ: quoniam multa sunt necessaria ad statum naturalem rei; quæ non sunt de essentia illius. Quare licet admittamus tria illa esse necessaria ad complẽdum statum naturalem beatitudinis; nõ proinde concedemus omnia illa complere beatitudinis essentiam. Reijcitur.

Et vt hæc doctrina fiat euidentior; præmittendum est statum perfectũ alicuius rei non recidere in idem cum rei essentia: nam hominis essentiam complet animal rationale; cum tamen status perfectus hominis plures alias requirat accidentarias perfectiones. 14

Duplex autẽ status perfectus in qualibet re est distinguendus: vnus, quoad actum primum; alter quoad actum secundum. Actum primum appellant philosophi potentias, & omnes naturales proprietates, quibus vnũquodque primò perficitur: actum secundum vocant perfectiones; quæ secundo perficiunt. Actus primꝰ omnino requiritur ad perfectionem naturalis status essentię. Secundus verò ad perfectionem status, veluti accidentariam, & contingentem: nam sine actu primo essentia non est naturaliter perfecta: quod de actu secundo dici non potest. Et inde est, vt generans simul tribuat essentiam, & actus primos; quia eius est producere rem naturaliter perfectam: ob quam rationem actus primi auctore naturæ ita instituente emanant ab essentia: cũ tamen actus secundi immediatè, & primo actione producantur.

Iuxta hanc verissimam doctrinam in beatitudine primo oportet distinguere essentiam ab eius statu perfecto: deinde 15

statum

statū naturaliter perfectū ab statu perfecto accidentaliter: etenim essentia sine naturalibus proprietatibus, & si vera est essentia, non tamen est in vero, ac naturali statu essentiæ: quem tamen habet, quanuis careat perfectionibus accidētarijs: quales sunt perfectiones corporis, & alię, quæ communiter dicuntur pertinere ad accidentalem beatitudinem. Quo loquendi modo satis insinuāt theologi naturales proprietates beatitudinis pertinere ad beatitudinē essētialem. Et inde fit, vt beatitudo essentialis, nisi sit in statu naturaliter perfecto, neminem cōstituat absolute, & simpliciter beatum: non quod, si in aliquo per miraculum ita detur; illeveram beatitudinem non habeat; Sed quia eam nō habet naturaliter perfectā. Quin potiꝰ non desunt, quivelint beatitudinem sine suis naturalibꝰ proprietatibus nec cōstituere, nec denominare simpliciter beatum: & ratio est, quia nō denominat beatum, nisi, vt concernit, & connotat suas naturales proprietates tanquam eōditiones necessarias ad denominandū. Ex quibus iam patet, quàm fragile sit fundamētum ad probandum quęstionē esse de modo loquēdi: fieri enim potest, vt amor, & delectatio sint actus necessarij ad naturalem beatitudinis statum; non verò ad essentiam: si forte neuter fuerit formalis adeptio Dei obiecti beatifici. Vnde à parte rei neuter dicetur beatitudo essentialis. Quare controuersia est de re, & non de solo modo loquendi.

His ita præmissis: quæstionem dirimendam puto nonnullis conclusionibꝰ. 16 1. Concluſ. Sit prima conclusio: vtraque opinio sine vllo fidei periculo defendi potest. Hęc statuitur contra Argentinam, Veigam, & alios, qui volunt priorem sententiam esse de fide: vt pote definitam à Benedicto duo decimo. Nobiscum consentit Valentia. 2. tom. disp. 1. q. 3. punct. 4. in 2. dicto: p. 61. & 69. & ante eum idē notauit Canus 12. de locis c. 14. in fine, & post eū Bellomontanus in d. disp. 10. cap. 3. nu. 13. & plures alij, de quo in §. sequenti. *Valentia.* *Canus.*

2. Concluſ. Secunda assertio: vtraque sententia est in se probabilis. Placuit Valentiæ: eam mihi persuadeo: tum; quià vtriusq; argumenta facilem habent solutionem tum etiam; quia illam colligo ex verbis Aristotelis 1. Ethic. cap. 8. ad finem in illis verbis: *has autem ipsas operationes, aut vnam ipsarum, quæ sit optima, felicitatem ipsā dicimus esse.* Quibus verbis satis insinuat, vtrāq; illiꝰ disiunctiuæ partē esse probabilem. Idem colliges ex 10. Ethic. cap. 5. in fine: *siue igitur vna sit* (inquit) *siue plures operationes perfecti viri atq; beati,* & quāuis Aristoteles in illis locis loquatur de sola beatitudine naturali; inde colligi potest probabilitas vtriusque partis in beatitudine supernaturali tam viæ quā patriæ. *Aristot.*

Tertia assertio: quænam harum opinionum sit probabilior? Non satis mihi constat. Valentia priorem putat probabiliorem: ego olim probabiliorem existimaui posteriorem: nunc vtraq; mihi videtur posita in æquilibrio. Quare vtranque ab altera defendemus. 3. Conciuſ.

§. 4.

Pro posteriori sententia soluuntur argumenta prioris.

PRO sententia, quæ beatitudinem collocat in vna tantum operatione; soluēda sunt argumēta prioris. Ad primum: quod attinet ad definitionem Benedicti, communis solutio habet Benedictum solum egisse de beatitudine consummata, sumptaque pro statu naturaliter perfecto: in quo sensu includit non solum essentiam, sed etiam naturales proprietates. Ita Canus vbi supra. Melius dices Benedictum noluisse definire visionem, & fruitionem ad essentiam beatitudinis pertinere: nec enim id vllo modo spectabat ad expugnandum errorem, quē ibi damnare intendit: errorem inquam, qui docebat ante generalem resurrectionē animas decedentium quantumcunque purgatas in Cœlo non recipi, nec videre clare diuinam essentiam, nec esse beatas illius visione, sed beatitudine longe inferioris generis. Quare solū intendit definire animas peracta purgatione mox in Cœlo recipi, esseque beatas visione diuinæ essentiæ, illiusq; fruitione. Quibus verbis nihil aliud intendit, quā definire animas receptas in Cœlo vere videre Deum, & illo frui, esseque vere, i. perfecte beatas ipsa visione, & fruitione. Vtrum verò vtraque illa, an altera tantum essentialiter essent beatæ? Nihil 17 Solutio pri. argumenti. *Canus.*

de hoc curauit, quia de hoc nulla erat contentio, nec ad errorem expugnandum id pertinebat. Meminit autē vtriusque illius operationis, vt quod apud omnes erat indubitatum, acciperet, vt bene aduertit Bellomontanus in d.cap. 3.n.13.omnes enim in hoc conueniunt vtranque illam operationem esse necessariam, vt beatitudo sit naturaliter perfecta. Quare aduerbium *verè* non idem est, quod *essentialiter*, sed idem, quod *perfecte*: vt sit sensus animas vere.i. perfecte esse beatas visione, & fruitione. In quo sensu intelligēdus est catechismus: agit enim de solida beatitudine: solida autem tunc dicitur, cum naturaliter est perfecta: quæ ipsa dicitur essentialis, nō essentialitate solius essentiæ; sed naturalis status: qui modus loquendi à plerisque solet vsurpari. Ex Concilio Viennensi solum habetur lumen gloriæ esse necessarium ad beate videndum Deum, illoque fruendum. Ex quibus verbis nō bene infertur fruitionē esse beatitudinē, quia fruitio, ideo dicitur beata, quia ad beatitudinem naturaliter pertinet.

Locus catechismi explicatur.

Exponitur Concilij viennēsis autoritas.

18 Ad secundum & tertium argumentū dicendum est; ideo in sacris literis, & apud Patres beatitudinem modo per visionē, modo per fruitionē, & gaudium explicari; quia sermo est de beatitudine consummata, hoc est naturaliter perfecta: nam agere de beatitudine præcisè quoad essentiam; proprium est scholastici corum, qui rerum quidditates minutatim expendunt. Et in hoc sensu de beata vita agit Augustinus, Bernardus, & Hugo, si bene expendantur.

Solutio 2.& 3.argumēt.

19 Ad primam rationem respondet Capreolus beatitudinem essentialiter cōsistere in vnione summa, & perfecta intensiue, quę fit per actum perfectissimū, qui est vnus tantum: non verò in vnione perfecta extensiue, quæ fit per plures actus. Sed solutio supponit, quod satis est dubium, rationem sc. essentialē beatitudinis positam esse in ratione perfectionis: cum tamen per se non ponatur, nisi in ratione assecutionis. Quare melius dices beatitudinē essentialiter non consistere in quauis vnione: sed in ea tantum, quæ est assecutiua Dei: talis autem vnio vno tantum modo fit, & non pluribus.

Soluitur prima ratio ex Capreolo.

Alia solut.

20 Ad confirmationem respōdetur illo argumento concludi omnem voluntatis operationem ad essentiam beatitudinis pertinere: quod esse falsum suo loco ostendemus. Deficit igitur argumētum in aliqua præmissarum: & cum minor sit vera, maior erit falsa: nec enim beatitudo in sua essentia includit omnē perfectionem, qua consummatur, & perficitur: nec Aristoteles in eo sensu maiorem vnquam agnouit; Quin potius oppositum docuit: quoniam supponit beatitudinem, quæ secundum se est beatitudo, posse segregari ab alijs bonis, quibus cōsūmatur. Ex quo infertur eā essentialiter positam non esse in omnibus perfectionibus, quibus perficitur. Illud verò ps. intelligitur de beatitudine sumpta pro statu naturaliter perfecto: nam gloria in hoc sensu accipitur.

Solutio cō firmationis

Aristot.

21 Ad secundum dicendum est non satis esse operationem immediate attingere Deum, vt essentialiter sit beatitudo: in quo conueniunt huius opinionis auctores, & docuit Scotus in 4.d.49.q.3. Quare ad argumentum neganda est maior. Si quæras quidnā amplius requiratur? Respondent quidem cum Scoto adhuc requiri, quod operatio Deum attingat perfectissimo modo.i. operatione perfectissima. In quo etiam conueniunt Thomistæ. Sed iam sæpe diximus rationem essentialem beatitudinis positam esse in formali adeptione obiecti beatifici: & ideo vt operatio Deum immediate attingens sit essentialis, necessariò requiritur, vt sit assecutiua Dei. Hæc autem operatio vnica tantum esse potest. Nec inde inferas operationes immediate Deum attingentes, quæ assecutiuę non fuerint, eiusdem esse gradus cū perfectionibus corporis glorioſi. Nā sine illis beatitudo nō potest esse naturaliter perfecta: cùm tamē perfecta sit sine gloria corporis in animabus, quę sūt in Cœlo: & ideo perfectiones illæ naturali sequela consequūtur essentiam beatitudinis: cùm tamen gloria corporis non naturali sequela, sed pacto diuino animæ gloriam consequatur, vt suo loco dicemus.

Solutio secundę rationis.

Scotus.

22 Ad tertium admittimus dotes in intellectu, & voluntate: sed inde non infertur beatitudinem essētialem in vtraque illa potentia reperiri: quia licet omnis dos detur propter beatitudinem (in qua formali-

Solutio 3.

formaliter cõsistit matrimonium spirituale) non tamen omnis dos est beatitudo essentialiter, nec ratio dotis ad essentialem beatitudinis rationem spectat: nam ratio dotis reperitur in pluribus operationibus, quibus ratio essentialis beatitudinis conuenire non potest: & si quæ dos in operatione, quæ est formalis beatitudo, reperitur; in illa ratio dotis à ratione beatitudinis distinguitur: visio enim, cui ratio dotis negari non potest, sub alia ratione est beatitudo, & sub alia est dos. Est enim formalis beatitudo, quatenus est sponsi assecutio, qua matrimonium formaliter cõtrahitur: dos autem; quatenus fidei imperfectionem expellit, de quo aliàs dicturi sumus. Nobiscum fere consentit Bellomontanus in d. disp. 10. c. 3. n. 16.

Ad quartum respondetur beatitudinem pro statu naturaliter perfecto esse consummatam Dei similitudinem; quæ consistere non potest, nisi in consũmata omnium potentiarum perfectione: essẽtialiter verò solum consistere in similitudine, qua Deus obtinetur. Hæc autẽ est vna tantum apud huius opinionis au ctores.

23 Solutio 4.

24 Solutio 5.

Ad quintum concessa maiore, negan da est minor, vt diximus ad 2. formalis enim Dei assecutio in vna tantum operatione ponitur. Probatio autem minoris est debilis: quia non satis est Deum quoquo modo esse in potẽtia, vt per illã Deus dicatur obtineri.

Solutio 6. Rationis ex D. Thom.

Ad sextũ respondetur primo D. Tho. in loco citato nec dicere comprehensionem esse essentiam beatitudinis: nec eam fieri distinctis actibus: quinimò op positum docere. Respondetur secundo

Alia solutio.

comprehensionem duobus modis accipi posse: vno modo pro ipsa formali assecutione vltimi finis absolute sumpta. Altero modo, provt est dos respondens spei, tanquã illius terminus. Priori modo maior est vera, & neganda minor, quia vnica tantum datur actio assecutiua summi boni: vt sæpe diximus, nec op positum docuit D. Thomas. Posteriori modo maior est neganda: nam cũ habeat rationem dotis, non constituit essentiam beatitudinis; sed eam cõsequitur; etiam si detur coincidere cum operatione beatifica.

25

Ad septimum dicendum est argumentum concludere, si sermo sit de beato perfecte, & consũmate beato: quia beatitudo naturaliter perfecta dari nõ potest sine visione, & amore: sed inde non infertur beatitudinem essentialiter cõsistere in pluribus operationibus. Quod si sermo est de beato essentialiter beato, antecedens negandum est à Thomistis pro secunda parte: nã sublato amore beatitudo adhuc essentialiter consistet, extra tamen naturalem statum. Vtrum autem, vt sic denominare possit beatum? Alterius est quæstionis. Quidã negant: alij affirmant. Quidquid dictũ fuerit, nullũ inferet incommodum. Ab Scotistis vero antecedens erit admittendum: quia sine visione nullus dabitur actus beatificus in voluntate; quia nihil volitum, nisi prẽcognitum; nec tamen inde infertur beatitudinem essentialiter cõsistere in visione, vt suo loco cum Scotistis ostendemus.

Solutio 7. Rationis.

Aliasolutio Scotistarũ.

Ad postremũ respondendum est cõciliationem naturæ beatitudini repugnare: hæc enim ex sua natura vnicam operationem sibi vendicat. Thomistæ autem facile soluunt argumenta Scotistarum: Scotistæ vero similiter soluent argumenta Thomistarum. & hæc pro defensione huius opinionis.

Vltimæ rationis solutio.

§. 5.

Pro priori sententia soluuntur argumenta posterioris.

26 Primi argumenti resolutio.

SEntentia, quæ beatitudinem ponit in pluribus operationib⁹, haud difficilè defenditur. Primũ argumẽtum, & sumit antecedens falsum, & inutilem habet consequentiam; quod antecedens sit falsum primùm probari potest ex D. Thoma 3. contra gentes c. 20. *D. Thom.* vbi docet res non coniungi suo vltimo fini per vnum, sed per plura: nam cum resDeo assimilentur per bonitatem: & in creatis bonitas sit multiplex; vtiq; nõ vna bonitate, & perfectione, sed plurib⁹ Deo assimilantur. Vide ibi Ferrariensem. *Ferrarien.* Deinde id probatur ex Aristotele 2. de Cœlo c. 12. tex. 65. & 66. dum ait: *Aristot.* res, provt diuersimode se habẽt; ita pluribus, vel paucioribus motibus assequi suum finem: planetas item intermedios inter terram, & primam sphæram suum finem pluribus motibus sortiri. Quare

antece-

antecedens non est vniuersaliter verum maxime si sermo sit de assecutione vltimi finis simpliciter nam licet pleraq; suum proximum finem vnico motu simplici assequantur (vt probant exempla in argumento adducta) vltimum tamē finem, non vno modo, sed pluribus assequuntur, vt ex D. Thoma iam ostendimus. Quod verò consequentia sit inutilis, inde patet: quia beatitudo obiectiua hominis non solùm est in se ipsa perfectior; sed etiam modo quodam altiori, ac specialiori ab homine attingenda, vt docet D. Thomas 3. contra gentes cap. 25. nec enim attingēda est corpore, aut corporis actione; sed mente, & operatione mentis: mens autem non vno modo mouetur ad assequēdum bonum, sed pluribus; nec illud perfecte possidere valet, nisi vtriusque potentiæ actione illud possideat, quod est huius opinionis fundamentum suo loco latius confirmandum.

D. Thom.

27 Non desunt, qui hanc operationum pluralitatem colligant ex perfectione obiecti beatifici, & imperfectione subiecti assequentis illud: nam quanuis obiectum ob suam perfectionem, sūmamq; simplicitatem, quantum est ex se, per vnam operationem sit attingibile; tamē ob imperfectionem subiecti non potest, nisi pluribus possideri. Ita Suarius 1.2. disp. 6. quæstiunc. 3. in vltimo dicto, sed longe aberrat ab scopo: cum enim beatitudo iuxta hanc opinionem in plurib⁹ operationibus intellectus inquam, & voluntatis ponatur; non videtur huius pluralitatis ratio sumi posse ex imperfectione subiecti; sed ex natura assecutionis boni, quæ fit per mentem. Sed de hoc inferius plura.

Non probatur.

28 Secundum argumentum facile solueretur, si vera foret opinio, quæ negat esse de ratione beatitudinis, quòd sit operatio omnium præstantissima: neganda enim esset maior. Facilè etiam solueretur, si beatitudo ponenda esset in operatione præstantissima quidem; non tamē simpliciter, sed in genere: nimirum in operatione optima potentiæ, in qua ponitur. Sed neutram opinionem admittemus inferius, ostendemus enim beatitudinem esse operationem omnium operationum optimam, iuxta quam doctrinam admittendum est beatitudinē essentialiter sibi vēdicare aliquam operationem omnium optimam, non tamē, quòd omnis operatio sibi essentialis sit optima. Ita colliges ex Valentia 2. tom. disp. 1. q. 3. punct. 4. quo loco docet beatitudinem inadęquate quidem esse operationem optimam, non tamen adæquate: quia sc. non vendicat sibi, vt omnis operatio sibi essentialis sit optima, sed aliqua. Eodem modo rem explicat Suarius in d. disp. 6. quęstiunc. 3. in fine.

2. argumēt. Solutio.

Valentia.

In tertio argumento supponitur minor falsa: solam sc. visionem esse formalem Dei assecutionem: de quo suo loco latius dicemus.

Solutio 3.

Ad quartum respondetur negatione antecedentis: nam licet Deus, quatenus res est, beat nos sub vna ratione entis sc. infinite perfecti: tamen quatenus obiectum est beatificum plures habet rationes formales beandi: beat enim, & quatenus est ens verum, & quatenus est ens bonum: quarum vtraque est necessaria, vt perfecte à nobis teneatur: vt modo supponimus consentanee ad hanc opinionem.

29 *Solutio 4.*

Ad postremum patet solutio ex solutione secundi, nam quanuis de ratione beatitudinis sit, quòd obiectum immediate in se ipso attingatur: non est tamē de illius ratione, quòd adæquate attingatur operatione præstantissima; sed solùm inadæquate.

Solutio vlt.

ARTICVLVS III.

An beatitudo in singulis potentijs vnam tantum admittat operationem?

Antequam procedamus ad explicationem singularum opinionum, quas probabiles iudicauimus; inquirendum est, an in singulis potentijs, in quibus vel diuisim, vel coniunctim ponitur; vendicet sibi vnam tātum operationem? v.g. vnam tantum in intellectu, & vnam similiter in voluntate. Rationem dubitandi faciunt theologi, qui putant beatitudinem ex parte voluntatis plures vendicare sibi operationes: ita sentit Richardus in 4. d. 49. ar. 3. q. 6. Toletanus 1. sentent d. 1. q. 2. ar. 2. concl. 4. Gerardus de senis eremita noster ibi q. 1. ar. 3. Nec defuerunt, qui ex parte intellectus duos etiā actus postulauere: alterum

Opinio plures admittens operationes. Richard. Toletan. Gerardus desenis.

Paludan. alterum speculatiuum, alterum practicum. Quæ fuit opinio Paludani.

Sed Paludanum iam reiecimus supra q.6.ar.2. cæteros verò reijciemus, dum ostenderimus beatitudinem ex parte voluntatis vnicum tantum actum amoris amicitiæ sibi vendicare. Generaliter nunc hasce opiniones ex eo impugnamus; quia ratio formalis beatitudinis (assecutio sc. obiecti beatifici) vni tantum operationi in quaque potentia cõuenire potest: vt suo loco latius ostẽdemus. Quare in hoc articulo non est diutius immorandum, sed accedendum ad explicationem earum opinionum, quas probabiles iudicabimus.

2 Reijcitur.

QVÆSTIO VIII.

3

QVM ex precedente quęstione iam constet beatitudinem æque probabiliter poni in vna tantum operatione, & in pluribus; iuxta vtranque sententiam explicanda est quæstio: & vt ordinate procedamus; primũ explicabimus quæstionem iuxta opinionem, quæ vnam tantũ operationem requirit. Et inquirendum est; an ponenda sit in operatione intellectus, an voluntatis? Et quia vtraque pars problematis suos habet patronos, & est pro vtraque parte celebris, & satis probabilis; proinde vtranque etiam hoc loco defendemus. Et vt vtriusque partis probabilitatem sine vlla confusione explicemus; primum expendem' sententiam, quæ beatiudinem ponit in solo actu intellectus: deinde eam, quæ eam collocat in solo voluntatis actu.

Primo igitur loco propugnanda est sententia, quæ solum intellectus actum agnoscit. Et primum agemus de illius probabilitate: deinde in quonam actu intellectus beatitudo ponatur, an sc. in simplici apprehensione? An in iudicatiua? An in actu speculatiuo, an verò in practico?

2 Ordoinhac q. seruand.

Quod attinet ad primum hæc sunt inquirenda. Primò, quæ nam sint huius opinionis fundamenta præcipua? Secundo; an illa contradicat aut sacrę scripturæ, aut patribus? Tertio; an sola visio sit formalis assecutio obiecti beatifici? Quarto; an visio ex parte intellectus sit nobilior, quàm amor? Quinto; an visio in patria simpliciter, & secundum quid sit amore præstantior? Sexto; an in patria charitas sit habitus omnium præstantissimus? Septimo; an argumentum sumptum ex Seraphinis probet amorẽ in patria esse præstãtiorẽ visione? Octauo; an visio in patria ordinetur ad amorem, vt ad finem? Nono; an visio simpliciter sit amabilior, quàm amor? Postremo; an bene soluantur cætera argumẽta, quæ contra nostram opinionem adducuntur.

ARTICVLVS I.

Quænam sint fundamenta præcipua, quòd beatitudo in solo actu intellectus ponatur?

1

CVM constitutum iam sit probabilem esse opinionẽ, quæ beatitudinem collocat in solo actu intellectus; pro stabilienda illi' probabilitate referemus theologos, qui eam defendunt: deinde iaciemus fundamenta, quibus principaliter nititur, vt inde facile aduersaria argumenta soluantur. Hanc sententiã constanter probauit D. Thomas in hac q.3.ar.4.&8. & 1.p.q.26.ar.2.& in 4.d.49.q.1.ar.1.quæstiuncula 2.& 3. contra gentes c. 25. 26. & 37.& Quodlib.8. ar. 19. & in ea permanet vbicunque hac de re incidit sermo. Inter omnes thomistas est vnanimiter certissima: ita Capreolus in 1. d. 1.q.1.ar.1.concl.6.& in 4.d.49.q.2.ar.1. concl.1.& 2. vbi Hispalensis q.2.ar.1.cõcl.1. Soncinas in 1.d.1.q.1.ar.1.concl.6. & in 4.d. 49.q. 2.concl. 1. & 2. vbi Sotus q.1.ar.3. Caietanus in hac q. 3. ar.4. & ibi Conradus, Medina, Porrecta cum cęteris interpretibus, Ferrariensis 3.cõtra gentes c.25.& 26. Herueus in tractatu de beatitudine q.3.& 4. Cum Thomistis consentiunt Durandus in 4.d. 49. q. 4. Dionysius Carth. ibi q. 1. post sententiam Scoti pag.531.column.1.ad finem. Cursus Conimb. in Ethicis disp.3.q.3.ar. 2. Fonseca 1.metaph.c.1.q.1.sect.6. post quartam conclusionem, Bellomontan' 1.2.disp.11. à c. 3. cum sequentibus. Ex quibus patet sententiam istam autori-

Huius sent actores. D.Thom. Capreolus. Hispalens. Soncinas. Sotus. Caietan. Conrad9. Medina. Porrecta. Ferrar. Herueus. Durand. Dionysi9. Carthus.

tate

tate patronorum satis esse probabilẽ, & ex hoc capite probabilitatem specialiter ex eo confirmabimus; quia vno, vel altero dempto omnes agnoscunt operationem intellectus essentialiter esse beatificam: nam exceptis Varrone, & Florestadio nullus expresse negat actũ intellectus ad esse tiam beatitudinis pertinere: Scotus enim id non negauit, vt multi ex suis putant; quin potius nec posse negari testatur Bassolius in 4.d.49 q. 2. in principio, & id esse ab omnibus concessum affirmat Cordubensis lib. 1. q.42.in principio.

2 Ex quo infertur opinionem oppositã, quatenus negat in actu intellectus poni posse beatitudinem, minus esse probabilem: enim vero operationem in elect^e, visionem sc. claram, esse obiecti beatifici assecutionem euidenter probat Augustinus lib. 83. quæstionum q. 35. vbi postquam concludit Deum nisi mente haberi non posse, ita ait: *Quidquid autem mente habetur; noscendo habetur.* Quin poti^s sæpe ibidem asserit, *nihil aliud esse Deum habere, quàm nosse.* Et tandem ita scribit. *Si beata vita amanda est, sicut est; hoc est eam nosse, quod habere: quæ cum ita sint; quid est aliud beate viuere, nisi aliquid cognoscendo habere? Æternum est enim, de quo solo dicitur, quod amanti auferri non potest; idque ipsum est, quod nihil sit aliud habere, quàm nosse.* Cũ vero ex sententia Augustini nihil aliud sit Deum assequi, quàm Deum videre; negandum non est visionem Dei esse eiusdem Dei assecutionem. Cui si adiungamus, beatitudinem in vnica operatione essentialiter consistere; necessariò inferendum est beatitudinem in solo actu intellect^e essentialiter collocari.

Augustus.

§. 1.
Probabilis est testimonijs Patrum.

3 Secundo loco hæc sententia fit probabilis quamplurimis Patrum testimonijs; quę licet non omnino cõuincant illius certitudinem; tamen non possunt non eam reddere probabilem Cyrillus lib. 3. contra Iulianum §. *nihil autem* ita scribit: *Hominum felicitas est habere summam contemplationem.* Quæ verba formalem continent prædicationem. Irenæus lib. 4. contra hæreses c. 37. n. 6. & 7. *quæ* (sc. vita æterna) *vnicuique aduenit ex eo, quòd videat Deum.* In quibus verbis visio ponitur, vt caussa formalis vitæ æternæ. Apud Basilium de constitutione Monastica c. 19. contemplatio sũmi boni est thesaurus angelorũ: apud Hieronymum ps. 89. ad illa verba *videbitur Deus in Sion* videre est corona, merces, & magna felicitas. Idem affirmat Eusebius lib. 4. de præparatione c. 35. & 37. & lib. 7. c. 3. Nazianzenus oratione 10. in Cæsareum Fratrẽ, Bernardus sermone 5. de assumptione. Deniq; apud Augustinum de spiritu, & litera c. 22. & 57. *videre est summa felicitas, iucunditas, & vita æterna*: quod rursus repetit libro 10. de Trinitate c. 7. & 8. ps. 86. & 90. & lib. 22. de ciuitate c. 29. lib. de quãtitate animæ c. 33. lib. 1. de libero arbitrio c. 14. lib. 1. retractationũ c. 14. vnde lib. 1. de Trinitate c. 8. ita ait. *Hæc contemplatio promittitur nobis omnium actionum nostrarum finis.* Finis autem vltimus idem est, quod beatitudo. Confirmat specialiter hanc sententiam Augustinus lib. 83. quæstionum c. 35. dum ait Deum habere nihil aliud esse, quàm Deum nosse, quem locũ inferius expendemus. Adde etiam in pluribus locis docere Augustinum solã visionem esse summum bonum, vt patet lib. 1. de Trinitate c. 13. & 4. de Trinitate cap. vltimo.

Cyrillus. Irenæus. Basilius. Hierony. Eusebius. Nazianz. Bernard. Aug.

§. 2.
Est probabilis testimonijs sacræ scripturæ.

4 Tertio redditur probabilis hęc sẽtentia quam plurimis sacrę scripturæ testimonijs, ex quibus colligitur beatitudinem patrię consistere in visione diuinæ essentiæ. Primus locus habetur Ioan. 17: *hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum.* Quem locũ de vita æterna, atque beatitudine patriæ interpretantur Augustinus de spiritu, & litera c. 33. & 1. de Trinitate c. 8. & sermone 112. de tempore, & multis alijs in locis, Cyrillus lib. 3. aduersus Iulianum pag. 850. Bernardus sermone 4. in festiuitate Sãctorum, Innocẽtius tertius in lib. de officio missę c. 8. & 29. Laurentius Iustinianus in fasciculo amoris c. 26. insinuant D. Ambrosius lib. 1. de fide c. 1. & Rupertus lib. 12. in Ioannẽ. Probat catechismus Tridentinus 1. p. c. 13. ad illa verba symboli, *vitam æternam* §. 6.

Primus locus Ioannis 17. Augustus. Cyrillus. Bernard. Laurent. Iustinian. Ambros. Rupertus.

vt

Lyranus. *Ianſenius.* vt omittamus Lyranum, & alios, & Cornelium Ianſenium in ſua concordia c. 136. fol. 977. colum. 1. vbi affirmat locum manifeſtè confirmare noſtrã opinionem.

5 Secũdus locus Ioan. 17

Secundus locus ſumitur Ioannis 17. *Pater, quos dediſti mihi, volo, vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi.* Quem etiã locum Cornelius Ianſenius putat eſſe expreſſum pro hac ſententia: eum enim intelligit de viſione diuinitatis Chriſti, quam à Patre per æternam generationem accepit. Ita etiam D. Hilarius lib. 8. de Trinitate, Auguſtinus tractatu 111. in Ioãnem, Chryſoſtomus homil. 81. in eundẽ, Theophylactus, Euthymius, Beda, Rupertus, & Theodorus Mopſueſtienſis, Gloſſa interlinearis, & ordinaria in eodem loco, ſatis Ambroſius lib. 5. de fide cap. 3. ad finem, & c. 9. D. Thomas ibi lectione vltima, Lyra cum Ianſenio c. 136 concordiæ, Toletus ibi.

Ianſenius. *Hilarius.* *Auguſt.* *Chryſoſt.* *Theophyl.* *Euthymi⁹.* *Beda.* *Rupertus.* *Theodorus* *Gloſſa.* *Ambroſ.* *D.Thom.* *Lyra.* *Ianſen.* *Toletus.*

6 Tertius locus 1. Ioã 3.

Tertius locus habetur 1. Ioannis 3. *Quando apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* i. quando apparuerit, erimus illi ſimiles per beatitudinẽ, quia videbimus eum, ſicuti eſt in ſe ipſo. Quem locum de beatitudine patriæ communis intelligit: Auguſtinus epiſtola 6. 111. & 112. cap. 5. 8. 10. 15. & 19. & tractatu 4. in primam epiſtolam Ioãnis, & ſermone 118. de diuerſis c. 5. & ſæpe alibi. Gregorius homilia 2. in Ezechielem ad finem. Leo Papa in ſermone omnium Sanctorum capite 7. Diuus Bernardus ſermone 33. in Cantica, & ſermone 4. de omnibus Sanctis, Didymus Alexandrinus in eodem loco cum alijs.

Auguſt. *Gregor.* *Leo.* *Bernardus* *Didymus.*

7 Quartus locus Ioan. 14

Quarto adducitur illud Ioannis 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & manifeſtabo ei me ipſum.* De manifeſtatione diuinitatis in patria locum intellexit Auguſtinus tractatu 75. in Ioannem, & 1. de Trinitate capite 13. & Pſalm. 48. ad illa verba: *inclinabo in parabolas aures meas,* & Pſalm. 85. *ibi reſpice in me*, & epiſtola 112. capite 11. in fine. Diuus Gregorius decimo octauo Moralium cap. 38. Iuſtus Orgilitanus Epiſcopus in expoſitione Canticorum primo tomo Bibliotecæ pagina 744. Diuus Thomas lectione quinta in Ioannem. Nec diſplicet Toleto, & Maldonato. Manifeſtatio autem alicuius rei, non fit, niſi per viſionem, aut externam, aut internam. Concinunt cum his verbis illa Philippi in eodem capite: *Domine oſtende nobis patrem. & ſufficit nobis.* Quæ verba de ſufficientia beatitudinis intellexerunt Cyrillus libr. 9. in Ioannem cap. 36. Chryſoſtomus homilia 77. in eundem, cum nõnullis alijs.

Auguſt. *Gregor.* *Iuſtus.* *D.Thom.* *Toletus.* *Maldonat.* *Ioan. 14.* *Cyrillus.* *Chryſoſt.*

8 Quintus locus. 1. Corint. 2. Corinth.

Quinto adducitur illud Pauli 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Concordat illud Pauli ſecunda Corinth. 5. *dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem.* i. per viſionem intuitiuam Dei. Adde illud Apocalyp. 22. *Serui eius ſeruient ei, & videbunt faciem eius.* Concinunt omnia teſtimonia ex veteri teſtamento: nam Pſalm. 16. dicitur: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Pſalm. 35. *apud te eſt fons vitæ* (ideſt beatitudo) *& in lumine tuo videbimus lumen.* Illud etiam: *adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Rurſus: *Ibunt de virtute in virtutem. Videbitur Deus in Sion.* Illud etiam: *vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini: & videam voluntatem eius.* Exod. 33. inquit Moyſes: *Oſtende mihi faciem tuam.* & reſpondit Dominus: *Oſtendam tibi omne bonum.*

Apocalyp. *Pſal. 16. & 35.* *Exod. 33.*

9 Vltimus locus Matt. 5.

Poſtremò. Vrget illud Matthæi 5. *Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.* Quibus verbis ratio beatitudinis explicatur, & viſioni tribuitur.

§. 3.
Probabilibus confirmatur rationibus à priori.

10

POſtremò huius opinionis probabilitas confirmatur nonnullis rationibus ſumptis à priori, quia ſumuntur ex ipſa formali ratione beatitudinis.

Prima ratio

Prima ratio ſumitur ex eo, quod beatitudo ex ſua eſſentia eſt formalis aſſecutio obiecti beatifici, in quo conueniunt vtriuſque ſententiæ auctores. Sed ſola operatio intellectus ex ſua natura eſt formalis aſſecutio Dei obiecti beatifici. Ergo in ſola operatione intellectus beatitudo eſt eſſentialiter poſita. Minor (in qua poſita eſt tota difficultas) multis probatur. Et primò auctoritate Diui Auguſtini in libro 83.

Auguſt.

quęstionum q.35.quatenus docet idem esse habere Deum, quod nosse Deum. Secundò ex proprio modo operādi intellectus: trahit enim ad se res, quas intelligit: & secundum suam præsentiam, si est operatio intuitiua. Tertiò; quia assecutio Dei maximè fit per assimilationem: cæteræ enim creaturæ tunc dicūtur consequi suum vltimum finem, cum iuxta propriam cuiusque capacitatem Deo assimilantur, vt latè probat D. Th. 3. contra Gentes c.19. cum sequētibus: & de homine satis colligitur ex 1. Ioannis 3. *Cū apparuerit, similes ei erimus.* i. beatitudinem vltimam assequemur, quando erimus illi similes. Iamverò per actū intellectus, nimirum visionē, sumus Deo similes ex eodem Ioanne eodem loco: *similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Cui doctrinæ fauent principia philosophiæ, quæ docent cognitionem fieri per assimilationē, vt patet ex libris de anima. Quartò, & accommodatiùs, quia obiectum beatificum non aliter assequi possumus, & possidere, nisi per actionē immanentem: nec enim aliter haberi potest, nisi obiectiuè; obiectiuè autem tunc habetur, cum ex vi actionis fit nobis pręsens: quod satis insinuauit D. Th. in hac q.3.ar.4.ante finem, & explicauit Bellomontanus ibi disp.11. c.7. n.39. §. *iam non difficulter.* At nulla actio immanēs ex sua natura potest facere obiectum in se ipso realiter præsens tum potentiæ, tum agenti, nisi sola notitia intuitiua, quam appellamus visionē: quia hæc ex sua natura est actualis expressio obiecti, vt in se est, & secundum realem præsentiam.

D.Thom. *Primæ Ioānis 3.* *D.Thom.*

11 Confirmatur 1.

Hæc ratio duobus adhuc modis potest confirmari. Primò; quia beatitudo formalis essentialiter est posita in operatione, qua Deus se se nobis beatificè ostendit: iuxta illud Ioannis 14. *& ostendam me ipsum illi.* & rursus: *Domine ostende nobis Patrem.* Quæ verba satis insinuant Deum se ipsum tenendum, ac possidendum tradere; cum se se nobis in se ipso manifestat. Sed hanc manifestationem intellectus percipit, & apprehendit sua operatione, vt palam est: ergo operatio intellectus est assecutio Dei se se beatificè ostendentis.

Ioan.14.

12 Confirmatur 2.

Deinde confirmatur: quoniam Deus tunc tenetur à nobis, ac possidetur, cū fit nobis in se ipso obiectiuè præsens, vt patet ex Paulo secundæ Corinth. 5. *Audemus, & bonam voluntatem habemus, peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Deum.* Hanc claram Dei præsentiam intellectu percipimus, & acquirimus, vt patet ex verbis præcitatis primę Ioannis 3. *quia videbimus eum sicuti est*; hoc est in se ipso præsentem. Ergo Deus operatione intellectus à nobis percipitur, ac tenetur.

2. *Corinth.* 1. *Ioan.* 3.

13 Secunda ratio principalis.

Secunda principalis ratio etiam sumitur ex ipsa beatitudinis essentia: habet enim ex sua natura, quod ponatur in operatione omnium præstantissima. Sed inter operationes animæ intellectiuæ operatio intellectus est omnium præstantissima. Ergo in ea ponenda est beatitudo essentialis. Maiorem tanquā peripateticam supponimus contra nōnullos suo loco eam diligentiùs confirmaturi. Minorem autem ex eo probant huius opinionis auctores, quia intellectus est potentia longè perfectior, quā voluntas: quę est sententia D. Thomę 1. p.q.82. artic. 3. Quam sententiam tanquam verisimam, atque receptam supponunt.

D.Thom.

14 Tertia ratio.

Tertia adhuc ratio ex essentia beatitudinis desumitur: est enim de ratione formalis beatitudinis, quod cum beatitudine obiectiua immediatè integret, & constituat vnum integrum obiectum beatificum: in quo omnes conueniunt, vt diximus tum libro primo de fine formali, & obiectiuo, tum libro tertio de beatitudine obiectiua, & formali. Hoc autem nulli voluntatis operationi conuenire potest: omnis enim voluntatis operatio, quæ est in patria, ex natura sua supponit adeptionem vltimi finis: versaturque proinde circa vltimum finem ex obiectiuo, & formali cōstitutum. & omisso actu desiderij (qui circa vltimum finem in patria non reperitur) id euidenter patet, tam in actu delectationis, quàm dilectionis. Delectatio enim, cum ex adeptione boni oriatur, vt verbis expressis docet Augustinus lib.1. de libero arbitrio capite 13. ad finem; ex sua natura supponit bonum, de quo delectatur, iam esse possessum: vnde ex sua natura versatur circa integrum obiectum beatificum. Id ipsum ostēditur de actu dilectionis, siue amoris:

Augustin.

Caietan. amoris: quoniam, vt ait Caietanus in ar. 4. huius quæstionis, §. *ad rationem autem primam Scoti*, amor aut est boni non habiti; & non est adeptio illius: aut est boni habiti; & iam supponit illius adeptionem. Hæc sunt huius opinionis fundamenta desumpta ab ipsa essentiali ratione beatitudinis.

§. 4.

Aliæ rationes à posteriori.

15 Prima ratio

SEd etiã à posteriori multis rationibus redditur probabilis hęc opinio. Prima ratio: quoniam visio, qua Deus se ipsum videt, essentialiter pertinet ad beatitudinẽ ipsius Dei. Ergo essentialiter pertinebit ad nostram essẽtialem beatitudinem. Consequentia est nota, quia Aristoteles 10. Ethic. c. 8. post medium ex beatitudine formali Dei arguit ad nostram. Antecedens autem ex eodem Aristotele in eodem loco fit euidens: disputans enim in quanam operatione Dei beatitudo consistat, ita ait: *Quidnam aliud præter contemplationem restat? Quare Dei operatio præcellens beatitudine, contemplatiua sine controuersia fuerit.*

Aristot.

16 Secunda.

Secundò; Beatitudo est proprium bonum intellectualis naturæ. Ergo conueniet illi secundum eum gradum, qui rationali naturę fuerit maximè proprius. At rationalis natura est primo talis per intellectum, & non per appetitum: sicut enim appetitus naturalis pendet ex forma naturali; & sensitiuus à sensu: ita intellectiuus ab intellectu; & ob id per intellectum conuenit rationali naturæ. Ergo beatitudo non potest nõ consistere essẽtialiter in operatione intellect°.

Tertia.

Tertiò; intellectus est potentia essentialiter beatificabilis. Ergo in eius operatione ponenda est essentialis beatitudo. Consequentia est nota simul cũ antecedente: quia intellectualis natura ideo est beatificabilis, quia intellectualis.

17 Quarta.

Quartò; quia in illa potentia debet poni beatitudo, per quã anima formaliter eleuatur, & disponitur ad illã. Sed ita disponitur anima per intellectum: si quidem disponitur per lumen glorię, vt patet ex Concilio Viennensi in Clem. Ad nostrum de hæreticis: lumen autem gloriæ recipitur in intellectu.

Concilium Viennens.

Quintò; Beatitudo essentialis est fõs & origo, vnde emanãt, & resultant omnes perfectiones status beatifici: etenim omnes illas continet quadam virtuali, & eminentiali continentia. Sed in visione clara Dei virtute continentur amor, delectatio, & cætera bona status beatifici: ex visione enim naturaliter sequitur amor; ex amore delectatio, & fruitio, & inde cætera omnia.

Quinta.

Sextò; pœna damni, quæ essentialiter est miseria, & per se opponitur essentiali beatitudini, essentialiter includit carentiam visionis diuinæ essentiæ. Ergo beatitudo essentialiter consistet in visione. Consequentia patet ex natura oppositorum priuatiuè: antecedens probatur, quia pœna damni à Theologis definitur per carentiam diuinæ visionis, atque etiam ab Alexandro tertio in c. Maiores de baptismo.

Sexta.

18 Septima.

Septimò ex Durando: quoniam nullus actus voluntatis quæritur propter se; sed omnis propter intellectum. Ergo in nullo eorum potest beatitudo per se collocari. Consequentia patet. Antecedens inde probatur: quia sicut se habet appetitus naturalis ad formam naturalem; ita appetitus intellectiuus ad intellectum: iam verò appetitus naturalis non est propter se, sed propter conseruandam naturalem formam.

Confirmatur primò.

Confirmatur primò hæc ratio: quoniam voluntas non eleuatur in patria nouo aliquo dono gloriæ: siquidem secum trahit charitatem viæ.

Secundò.

Confirmatur secundò, quia beatus à non beato præcisè non distinguitur actu voluntatis, sed solo actu intellectus.

Vltima ratio.

Postremò; quoniã beatitudo est primum volitum à voluntate. Ergo nullus actus volũtatis potest esse formalis beatitudo. Antecedens est notum: consequentia probatur; quoniam potentiæ, quæ in suos actus conuertuntur; priùs feruntur in obiectum, quàm obiectiuè ferantur in suum actum. Ergo nullus actus potentiæ in se ipsam cõuersiuæ potest esse primum obiectum ipsius potẽtiæ: & subinde nullus actus voluntatis potest esse primum volitum à voluntate, & ex consequenti nullus actus voluntatis erit essentialis beatitudo. Hæ sunt rationes omnes, quibus huius opinionis probabilitas confirmatur.

ARTICVLVS II.

An hæc doctrina contradicat sacræ Scripturæ, & doctrinæ Patrum?

1 CONfirmata satis in primo ar.opinione D. Thomæ, quæ beatitudinem in sola visione ponit; soluenda sunt argumenta, quę in contrarium adducuntur. Illa ad longum referemus, cùm aduersariam sententiam defenderimus: inferiùs q. 10. nunc ea summatim perstringamus.

Aduertētia ad explicanda diuersa loca Scripturæ, & Patrum.

Primũ sumitur ex locis sacræ Scripturæ. Secundum ex testimonijs Patrum. Pro solutione illud aduertimus omnia sacræ Scripturæ loca agere de solo gaudio, & fruitione, vt patet ex c.25. Matt. Ioan.16. Lucæ 2. Apocalyp.2. & Psal.35. & 16. Simili modo testimonia Patrũ fere omnia loquuntur de gaudio, & fruitione, vt patet ex Augustino, Anselmo, Chrysostomo, & cæteris. Quæ testimonia, si contra D. Thomam conuincunt beatitudinẽ in solo actu voluntatis collocandam esse; vtiq; etiam conuincent contra Scotum eam non in amore, sed in fruitione esse ponẽdam. Quare sicut Scotus tenetur defendere locos illos non esse explicandos de beatitudine essentiali; sed de consummata, & omnino perfecta perfectionibus naturaliter sibi debitis: ita & nos respondebimus pro D. Thoma.

Matth. *Ioann.* *Luc.* *Apocalyp.* *Psalm.* *August.* *Anselm.* *Chrysost.*

2 Quare dicendum est secundò beatitudinem patriæ in sacris literis modò explicari actibus intellectus, modò voluntatis: non quòd omnes ad essentiam beatitudinis pertineãt; sed quòd omnes spectent ad naturalem, & perfectũ illius statum. Explicatur igitur beatitudo in citatis locis per fruitionem, & gaudiũ; quia gaudium est quædam accidentalis consũmatio beatitudinis essentialis, vt explicat D. Thomas in ar.4. in fine huius tertiæ quæstionis. Quod verò attinet ad locum Matth. 25. non possunt aduersarij nõ agnoscere ibi agi de beatitudine accepta pro omnium bonorum aggregatione: sumit enim ibi, prout est quoddã regnũ, in quo plures ciuitates reperiũtur; quibus serui boni, & frugis bonæ præficiuntur, iuxta id, quod declarat Luc. cap. 19.

D. Thom. Exponitur locus Matt. 25. *Lucas 19.*

3 Dicendum est tertiò ex locis citatis non posse sumi firmũ argumẽtum: quoniam longe aliter intelliguntur. Nam in c.25. Matth. est sermo de secundo aduẽtu Christi in iudicium: quando Christus positurus est publicam rationem cũ seruis exacturusque vsuras de talentis in vita traditis: & quando Christus regnũ patri est traditurus: quod regnum non potest sumi pro beatitudine essentiali: sed pro tota, & adæquata animę, & corporis felicitate: quæ beatitudo explicari non potuit accõmodatius ad humanum sensum, quàm per gaudium. Quare ex hoc loco nullum potest sumi argumentum.

4 Explicatur locus Ioan. 16. *August.* *Beda.*

Sed nec sumi potest ex loco Ioannis 16. nam cõmunis tam græcorum, quàm latinorum cum Augustino, & Beda ibi locum explicat de gaudio discipulorũ, cùm post resurrectionẽ viderunt Christũ: nã verba illa: *Iterum videbo vos*, ijdẽ Patres intelligunt de visione, qua Christus resurgens discipulos inuisit. In quo sensu locus nihil facit pro aduersarijs. Sed nec illis fauet, si explicetur de visione, qua Christus in 2. aduentu in iudiciũ discipulos est visurus: nam explicari debent verba non de gaudio beatifico (siquidem ante iudiciũ iam illo perfruuntur) sed de gaudio sensitiuo, quod Apostoli resuscitati de maiestate Christi iudicantis habituri sunt: & de illo, quod habebunt, cum absoluto iudicio, & regno Christi iam Patri tradito omnes cũ ingenti triumpho in Cœlum ascendent.

5 Expositio aliorum locorum.

In cæteris verò locis excellẽtia beatitudinis cœlestis explicatur accõmodatè ad humanum sensum: explicatur enim per cibum, & potum, per voluptates, & omnimodam appetitus satiationem; quia homines cõmuniter his omnibus ducuntur. Hæc quod attinet ad loca sacræ Scripturæ.

Vniuersalis respõsio ad Patrum testimonia.

Quòd verò attinet ad Patrum testimonia; simili modo sunt explicãda: nec enim mens illorum est explicare essentiam beatitudinis: sed illius cumulatam perfectionem, siue illa essentialis sit, siue accidẽtalis illi statui naturaliter cõueniens. Quò fit, vt testimonia Patrum non satis sint ad vnam. vel alteram opinionem confirmãdam. At tamen, si quã partem insinuant; vtique insinuant partem D. Thomæ: sunt enim pro illa parte, & euidentiora, & vrgentiora, vt expendenti facilè patebit.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Pro solutione primæ rationis inquiritur, an sola visio sit formalis assecutio obiecti beatifici?

1 PRIMA ratio principalis pro aduersaria sententia petit; vt explicemus, cur nulla voluntatis operatio sit assecutio obiecti beatifici: id enim à patronis sententiæ, quam modò defendimus, omnino est asserendum: nam si aliqua voluntatis operatio sit formalis Dei assecutio; fieri non potest, vt beatitudo formalis in sola operatione intellectus essentialiter collocetur. Huius igitur assertionis fundamentum inquirimus: quam difficultatem pauci pro dignitate tetigere. De hoc egimus ar. 1. §. 3. n. 10. in 1. ratione. Ex ijs, quę ibi diximus, patet illud fundamentum esse præcipuum; quod assecutio obiecti beatifici, non aliter dari potest, quà per actionem immanentem, qua obiectum obiectiuè, & acquiritur, & tenetur. Iam verò actio immanēs nō aliter habere potest rationē assecutionis; quàm, quòd ex sua natura faciat Deum nobis secundum se obiectiuè præsentē: ita vt operatio, qua Deus fit nobis in se ipso præsens, sit manus ipsa, qua obiectum apprehendimus, & possidemus; quod nulli actioni volūtatis conuenit, vt etiam aduersarij fatentur, sed soli visioni intuitiuæ. Cui fūdamento suffragantur, quę in prima illa ratione principali dicta sunt: inde enim est, quòd per visionē assimilamur Deo, non quocunq; modo, sed assimilatione expressiua illius, vt est in se: & ad rationem manutenentiæ iuuat modus operandi intellectus; qui in eo est positus, vt obiectū ad se trahat: quod ipsum trahere est apprehendere. Denique inde prouenit, vt soli visioni conueniat constituere vnum integrum obiectum beatificum. Vide, quæ ibi diximus.

2 Solutio primæ rationi pro opinione cōtraria.

Hęc sunt fundamenta, quibus huius sententiæ auctores putant rationē assecutionis obiecti beatifici nulla ratione conuenire posse actibus volūtatis. Quæ licet rem non conuincant; vt pro aduersarijs suo loco ostendemus; sunt tamen satis, vt negari possit aduersarijs fundamentū, quo nititur prima ratio principalis. Ad illam igitur concessa maiore negāda est minor. Ad primam minoris probationem sumptā ex Augustino dupliciter respōderi potest. Vno modo iuxta doctrinā superius datam, non esse curandū de modo loquendi Sanctorum; quia non essentiam inuestigant; sed explicāt perfectionē status: vnde, qui modo beatitudinē in visione posuerūt; statim eam ponūt in amore, aut in gaudio. Augustinus igitur, qui in locis superiùs adductis dixerat, *habere Deum idem esse, quòd Deū nosse:* ille ipse in locis modò adductis affirmat, *velle Deum idem esse, quòd Deum habere:* non alia ratione, nisi, quia, qui videt, habet: similiter &, qui amat: quia nec videre possumus, nisi habeamus: & nisi habeamus, amare nequim⁹: vtrum autē habere Deum essentialiter sit, aut nosse; aut amare? De hoc non curat Augustinus. Altero modo respōdere possumus Augustinū in locis, qui nobis obijciūtur, nō agere de habere beatifico in patria, sed in via, vt legenti facilè patebit: in via autē sine amore De⁹ non habetur, nec perfectè, nec imperfectè: *qui enim non diligit, manet in morte.* 1. Ioā nis 3. quātumuis credat, vt fides docet.

Respōsio ad primam probationē minoris.

Prima Ioānis 3.

3 Responsio ad secūdam probationē minoris.

Ad secundam probationem minoris patet solutio ex fundamento sumpto ex Caietano, & Bellomōtano: maior enim, vt sit vera, ita est explicanda, vt assecutio obiecti beatifici posita sit in operatione ita illud attingente, vt cum ipso faciat vnum obiectum integrum: ex vtraque enim beatitudine, obiectiua inquam, & formali integratur vna totalis beatitudo, quę adæquatè est beatitudo obiectiua adæquatè beans. In quo sensu neganda est minor: quia voluntas nec ex sua natura, nec ex modo operādi sibi proprio habet, quòd attingat obiectum beatificum in se ipso: quin potiùs ex sua natura supponit adeptionem illius: ita vt versetur circa illud iam adeptū per visionem, & integratum ex vtraq; beatitudine: delectamur enim in patria de Deo viso; ita vt delectatio terminetur in Deum simul & in visionē: idq; non per accidēs, sed per se: ita vt obiectum per se adęquatum delectationis sit Deus visus, in quem tanquam in finem vltimum fertur; in Deum inquam, vt in finem *qui:* in visionem autem, vt in finem *quo.* Simili modo amamus Deum visum tanquam integrum obiectū: ita vt amemus, & Deum, vt bonum vt *quod.* & visionem,

Caietan. vt bonum vt *quo*: idque non per accidēs, sed per se. Hæc est solutio Caietani in d.ar.4.huius quæstionis, §. *ad rationem autem primam Scoti.* & expresse Bellomontani in d.disp.11.c.6.n.33.& 34.

4 Secum pugnant.

In hac solutione non est dubitandum de maiore: in illo enim sensu ab omnibus etiam aduersarijs est explicanda. De minori tamen tota est difficultas: quoniam Caiet. & Bellomontanus secū pugnant. Caietanus enim 22.q.17.ar.5. ad 1. Durandi §. *ad rationem autem dicitur*; multis probat in patria nec ad delectationem, nec ad amorem siue amicitiæ, siue concupiscentiæ visionem concurrere, vt rationem obiecti, sed solùm vt conditionem præsentantem obiectum: quæ fuit plurimorum opinio: ita enim censuerunt Nominales, Ocham. in 1. dist.1.q.4.ar.3.ad 6. Durādi, Gregorius in 1.d.1.q.3.ar.1. Maior q.5.dub.2. Marsilius q.4. ar. 2. Olcoth in suis determinabilibus q.7. cum quibus consentit Paludanus in 4.d.49.q.4.ar.2. Qua supposita opinione visio non potest esse formalis assecutio obiecti beatifici: nam cum obiectum beatificum non solùm vt res est, sed etiam vt adeptic est; sit obiectum per se bonum: & id, quod ex vtroque integratur, sit adæquatè appetibile: profectò si visio in patria nunquā concurrit ad actus voluntatis, nisi, vt conditio præsentans obiectum beatificum, vt res est; nunquam poterit cū tali obiecto constituere vnum obiectum tale voluntati adæquatum: & subinde nunquam concipi poterit, vt assecutio: nam concepta, vt sic, non potest non cō currere, vt ratio obiectiua formaliter, tum motiua; tum terminatiua voluntatis. Ex quibus patet Caietanum non sibi satis constare dum in secunda secūdæ negat visionem concurrere ad actū voluntatis, vt rationem obiecti, cum id manifestè affirmauerit in articulo 4. huius quæstionis, vt patet ex his, quæ diximus.

Ochamus. *Gregor.* *Maior.* *Marsilius.* *Olcoth.*

5

Eodem argumento inconstantię cōuincitur Bellomontanus: nam disput. 11.cap.6.numer.33.&34. manifestè docuit tam delectationem, quàm vtrūque amorem per se versari circa integrum beatitudinis obiectum; ita vt terminetur, & in bonum adeptum, & in ipsam adeptionem per actum visionis: & tamen in eádem disputatione cap.9.num. 52.& 53. veluti sui oblitus contra Caietanum multis docet visionem in patria ad amorem amicitiæ, quo beati Deum amant, solùm concurrere, vt cōditionem proponentem obiectum; & nullo modo, vt rationem formalem integrantem vnum adæquatum obiectum illius amoris: quam etiam doctrinam constanter docuit in eádem prima secundæ disputatione 15.cap.3.numer.8. & cap.4 numer.18. Quòd si visio non concurrit ad amorem amicitiæ, vt ratio formalis, sed solùm vt conditio, explicet nobis Bellomontanus, quo modo amor amicitiæ per se versatur circa integrum beatitudinis obiectum; itavt versetur & circa Deum adeptum, & circa ipsam Dei adeptionem, quam putat fieri per solam visionem.

6 Relicta superiori responsione ad ducitur alia

Relicta hac solutione communis solutio in hoc sensu explicat maiorem, vt vera sit de immediata attinctione obiecti beatifici in se ipso: etenim hæc sola potest esse formalis illius assecutio, &componere cum illo vnum totale obiectum adæquatè beatificum. Et in hoc sensu neganda est minor: quia sola visio immediatè attingit diuinam essentiam in se ipsa, non tamen actus voluntatis: cum enim voluntas supponat visionem Dei (quia nihil volitum, nisi prægognitum) non potest attingere Deum in se ipso, nisi mediatè, & vt iam visum.

Improbatur hæc responsio.

Sed hæc solutio æquiuocationem cōtinet: multis enim modis intelligi potest Deum, vt est res, & obiectum *quod* immediatè in se ipso attingi. Vno modo; quia attingitur nulla præuia alterius potentiæ operatione circa idem obiectum. Secundo modo, quia attingitur nullo mediante obiecto vt *quo*. Tertio modo; quia attingitur nullo mediante obiecto, quod prius attingatur, vt *quod*.

7

Si sermo sit de obiecto immediato primo modo; solutio petit principium, & sine vllo fundamento (nisi aliud addatur) vendicat sibi rationem formalis assecutionis. Primum patet: quia in hoc sēsu idem erit obiectum immediate attingi, & primò attingi: de hoc autem est controuersia; an scilicet idem sit obiectū in se primo attingi, & illud acquiri. Negant

gant aduersarij, qui agnoscunt in intellectu primam obiecti beatifici attinctionẽ; & tamen negant eam esse assecutiuam: nec in hoc longe sunt à regulis philosophiæ, quæ docet, quod ordine generationis est primum, esse imperfectius. Accedit etiam; quia hæc primitas licet arguat immediatam attinctionẽ obiecti in se ipso, vt res est; non tamen excludit àcæteris operationibus etiam alterius potentiæ attinctionem immediatam: quia idem potest ordine quodã successiuo immediate attingi in se ipso. Et quanuis vlteriores operationes immediate attingant Deũ visum; nõ tamẽ necesse est, vt eum attingant, vt visum: ita vt ipsam etiam visionem obiectiuè attingant: id quod euidenter patet in amore amicitiæ, quo beati attingunt Deum, qui est visus; non tamen, vt est visus: cùm visio ad talem actum solùm cõcurrat, vt conditio proponens obiectũ; non vt ratio formalis obiecti, vt ex Caietano, & nonnullis alijs superius diximus: conditio autem sine qua non attingitur obiectum, non tollit obiectum in se ipso immediate tãgi, vt patet ex philosophia. Quare nisi ad hanc operationis primitatem aliquid adiungatur; illa non bene arguet in operatione poni rationem assecutionis: ne dum in ea sola poni.

8 Si vero sermo sit de obiecto immediato secundo modo, admittendum est assecutionem obiecti beatifici isto modo illud attingere: nam, cum illa sola sit obiectum, vt *quo*, non potest non attingere obiectum *quod* immediate in sensu explicato. At tamen non omnis attinctio obiecti isto modo immediata habet rationem assecutionis: vnde maior hoc sensu est negãda. Quodautẽ nõ omnis attinctio isto modo immediata habeat rationẽ assecutionis, vt maior supponit; non potest non concedi ab illis, qui putant amorem amicitiæ attingere Deum immediate: nam visio (quæ apud nos est formalis assecutio Dei, & obiectum beatificum, vt *quo*) ad hunc amorem non concurrit, vt ratio formalis obiecti, sed solũ, vt cõditio. Ergo amor amicitiæ attingit Deum in se ipso, interim non attingendo ipsam visionem, vt obiectum *quo*. Idem etiam dicendũ erit de delectatione patriæ, & amore concupiscentię: si vera est opinio, quæ asserit visionem etiam ad illas actiones solum concurrere, vt conditionem. Quæ fuit opinio Caietani, & aliorum, quos superius retulimus.

9 Denique si sermo sit de obiecto immediato in tertio sensu; vtraque præmissa est falsa. Falsitas maioris patet ex ijs, quę immediate diximus: nam licet assecutio obiecti isto modo immediate attingat Deum in se ipso; non tamen omnis operatio ita Deum attingens est assecutio: quia plures actiones voluntatis attingunt Deum immediate isto modo: & tamen nulla earum est assecutio apud nostram sententiam: vel saltem non omnes, etiam apud aduersarios. Falsitas minoris inde patet; quia nullus dixit (vno excepto Durando) delectationem, aut amorem prius terminari in visionẽ Dei, tanquam in obiectum *quod*.

10 Alia respõsio facilior. Reiectis igitur his solutionibus; facilior erit solutio sumpta ex præiacto fũdamẽto: nam si assecutio Dei per actionem immanentem in eo est posita, quod ex vi sua faciat obiectum esse nobis prę sens: cùm hoc soli actioni intellectus cõueniat, vt etiam fatẽtur aduersarij; vtiq; neganda est maior, quatenus in attinctione prę supponit iam factam esse assecutionem: nec enim quæcunque attinctio obiecti etiam immediata est assecutiua illius, nisi, quæ ex vi sua illud efficit præsens. Hæc solutio facilis est, & paucioribus exponitur difficultatibus: quæ licet contra aduersarios non sufficienter probetur; vt suo loco videbimꝰ; ab illis tamen non sufficienter impugnabitur; quod satis est ad probabilitatem huius sententiæ.

11 Responsio ad tertiam minoris, probationem. Ad tertiam probationẽ minoris (quę continet præcipuum aduersariæ sentẽtiæ fundamentum) cumulatam solutionem hucusque deliderauí. Pro explicatione aduertendum est in obiecto potentiæ duplicem rationem formalẽ esse distinguendam: vnam obiecti materialiter sumpti, & quatenus res est: alterã obiecti formaliter accepti, & quatenus obiectum est; vt facilè patet in obiecto visus: cuius formalis ratio, vt materialiter sumitur, est ratio formalis coloris, qua reponitur in esse coloris: at prout est obiectum, formalis ratio illius est visibilitas: color enim sub ratione visi-

bilis, & quatenus est immutatiuus diaphani, cadit sub visum. Prior illa ratio formalis dici potest ratio, per quam attingitur res, quæ est obiectum: posterior autem dicitur ratio sub qua; quia sub illa res obiecta etiã sub priori formalitate cõstituta, cadit sub potẽtiam. Prior se habet ex parte rei obiectæ; vnde ipsa in se attingitur simul cum re obiecta. Posterior se habet ex parte modi tendendi; quia sub illa obiectum tendit in potentiam: & obid in se non attingitur: nec enim videns coloratum videt ipsam visibilitatem, & ipsam immutatio
Fonsequa. nem diaphani. Vide de hoc Fonsecam in 6. Metaph. c. 1. q. 2. sect. 3. litera G. & Cursum Conimbric. lib. 1. de interpretatione c. 4. q. 3. ar. 4. & in 2. de anima c. 3. q. 5. ar. 2.

12 Quare in obiecto beatifico, vt est per nostram potentiam acquisibile; duplex. etiam ratio formalis erit distinguenda. Vna, quatenus sumitur materialiter ꝓ ipso Deo, cuius formalis ratio est deitas. Altera, quatenus habet rationem obiecti tendentis in potentiam animæ. Hæc autem, pro vt tendit in intellectũ, est ratio veri, & intelligibilis: provtvero tẽdit involuntatem est, ratio boni, & appetibilis. Si vero inquiras; vnde nam Deus formaliter habeat virtutem beandi? Respondendum est eam habere ex sua deitate: beare tamen non posse nisi sub ratione formali, quatenus est obiectũ. Quare in obiecto beatifico duplex distingui debet ratio beandi: vna *vt quæ* altera, *sub qua*. Deitas est formalis ratio, qua Deus beat: ratio vero sub qua beat, erit vel ratio veri, & intelligibilis: vel ratio boni, & appetibilis: de hoc enim est controuersia.

13 Ex dictis patet in hac controuersia certissimum esse nos tunc beatifice assequi Deum, cùm illum assequimur, vt Deus est ex sua deitate infinite perfect⁹ & bonus. Vtrum uero eum ita obiective assequamur, quando illum attingim⁹ sub ratione intelligibilis, ita vt ratio intelligibilis sit ratio beandi *sub qua*: anvero, quando illum attingimus sub ratione appetibilis; itavt ratio appetibilis sit ratio beandi *sub qua*? In hoc est controuersia. Aduersarij posteriorem modum dicendi amplectuntur, de quorum fundamẽto inferius agemus. Nos vero nũc amplectimur priorem. Fundamentum est, quia assecutionem obiecti beatifici, vt est Deus, & perfectio quædam infinita, ponimus in assecutione realis præsẽtiæ essentiæ diuinæ. Deus autem in se ipso nobis non potest præsens fieri, nisi sub ratione intelligibilis: quia sub hac ratione à nobis in se ipso clare, & intuitiue, præsentialiterq; exprimitur. Quare ratio *sub qua* beandi est ratio veri, & intelligibilis, nonvero ratio appetibilis

Cum vero in argumẽto obijcitur formalem assecutionem obiecti beatifici positam esse in attinctione illius, vt est summum bonum, & vltimus finis, falsa est propositio quocunque modo explicetur: Nam si sensus est assecutionem obiecti beatifici positam esse in attinctione illius, quod est summum bonum, ita vt ly *vt* denotet materiale obiecti beatifici; iam ostendimus propositionẽ esse falsam: quia non quæcunque attinctio Dei, qui est summum bonum, est formalis assecutio obiecti beatifici. Porrò si illud *vt* denotat rationem *sub qua*; ita vt assequamur Deum, quando attingimus illum sub ratione conuenient's, & finis, adhuc est falsa: quia iuxta hanc opinionem tendentia in obiectum beatificum sub ratione boni, & cõuenientis ex sua natura supponit assecutionem eiusdem obiecti sub ratione prẽsentis; quæ in hac opinione est formalis Dei assecutio: nec enim voluntas tenderet in Deũ amore beatifico; nisi illum sibi præsentem haberet. Quare maior inquocunq; sensu est neganda. Probatio autem sũpta ex assecutione visibilis, nihil officit; quoniam dispar ratio cernitur in assecutione visibilis, & in assecutione obiecti beatifici: nam visibile vno tantum modo, & subvna tãtũ ratione *sub qua* potest in se ipso attingi, nimirum sub ratione immutatiui medij diaphani: & ob id vno tantũ modo est obiectiue acquisibile, nimirum per visionem, & sub ratione visibilis. At obiectum beatificum licet vno tantúm modo sit obiectiue acquisibile; non tamen vno tantum modo, sed pluribus est in se ipso attingibile: qnia potest obiectiue attingi, vel sub ratione intelligibilis, vel sub ratione appetibilis. Ob quam rationem, non quæcunque attinctio illius habet rationem assecutiuæ; sed illa sola, cuius virtute 14

assequi-

assequimur illius præsentiam. Quod in hac difficultate est diligenter obseruandum.

15 Responsio ad auctoritatem D. Thom.

Superest vltima difficultas sumpta ex D. Thom. 1.2.q. 11.ar.3. ad 3.& q.34.ar. 3.in fine, in quibus locis expresse concedit fruitionem (quam docet esse voluntatis actum) esse assecutionem obiecti beatifici. Ergo apud D. Thomam vera est minor, quam negauimus. Dicendum est D. Thomam intelligendum esse de vltimo fine constituto ex fine *qui*, & ex fine *quo*: nam in d.ar. 3. cum Augustino dicit fruitionem esse de vltimo fine cognito, & possesso: actus autem voluntatis, licet sit assecutio huius vltimi finis; non tamen est beatitudo: quia hęc posita est in assecutione finis, vt solum res est. Sulutio est de mente Conradi in dictis locis, & Bellomontani 1.2.disp. 11. c.6. n. 32.& c.7. n. 40. & hæc pro explicatione primæ rationis, quæ in contrarium adducitur.

Conrad.

ARTICVLVS IIII.

Pro solutione secundæ rationis expenditur, an visio simpliciter sit nobilior, quam amor?

1 SEcunda ratio principalis aduersariorum petit difficultatem, an act⁹ intellectus nobiliores sint, quàm actus voluntatis? Cui difficultati non esset locus, si vera esset quorundam sẽtentia non esse de ratione beatitudinis, quod sit operatio præstantissima: quæ fuit sentẽtia Bellomontani 1.2.disp.11. c.7.n.36& .c.8.n.83. Quod ante eum quidam nouiores senserunt, & satis Suarius in Metaph. disp.44.sect.8.n.18. Qua suppositа opinione neganda esset minor. Quæ sentẽtia, si vera foret, à magno nos liberaret labore. At tamen non est vera: quia est contra communem sententiam, & expresse contra Aristotelẽ, quod suo loco ostendemus.

2 Resolutio dubitationis, & iuxta eam Solut. 2. rationis. *Capreolus. Soncinas.*

Cogimur igitur admissa maiore, negare minorem. Quare asserimus operationes intellectus ex sua natura nobiliores esse operationibus voluntatis. Hæc est communis Thomistarum sententia. Ita Capreolus in 1.d.1.q.2.ad argumenta primo loco contra 6. maxime ad 6.fol.28.col.3. & in 4.d.49.q. 2.art.3. ad argumenta tertio loco contra primam, vbi Soncinas q.2.conclusio.2.ad 1. Durandi. Sotus q.1.ar.3. §. *contra hæc obijcit Scotus* pag. 566. & ad vltimum principale, Caietanus 1p.q.82 ar.3.§. *ad obiectiones Scoti contra conclusionem*. Herueus Qodlib.8.q.9.ad 2. Conradus, & Medina in hoc ar.4. doctissimus præceptor frater Franciscus à Christo in 1. d. 1. q. 2. ad 4. Cursus Conimb.3. de anima c. 13. q.2.ar.2. Bellomontanus 1.2.disp. 11.c. 7.n.42.& c.8.n. 44. &. 45 & hæc videtur expressa sententia D. Thomę in hoc ar. 4.ad 4.& 3.cõtra gentes c. 26 ad quintã rationẽ, expressius de veritate q.22.ar. 11. Huiꝰ opinionis fũdamẽta videda sũt apud citatos auctores: nec enim hoc loco hac de re exacte disputamus. Mihi pro fundamento satis sit hanc esse expressã sententiam Aristotelis, qui constituens beatitudinem in prẹstantissima operatione, vt modo supponimus, eam multis in locis collocat in contemplatione, vt 10. Ethc.c.7. & 8. Nõ negauerim in hac opinione præstantiam actionis intellectus sumendam esse, tum ex nobilitate potentię, tum ex prẹstantia obiecti, tum deniq; ex meliori operandi modo. Sed, vt diximus, hęc omnia tanquam probabilia supponimus. Solum hoc loco enitemur explicare argumenta, quibus minor ista, quam negamus, confirmatur ab aduersarijs: quod tum in hoc articulo, tum in sequentibus prẹstabimus.

Sotus. Scotus. Caietan. Herueus. Conrad. Medina. Francisc⁹ à Christo D. Thom. Arist.

3 Responsio ad 1. probationem minoris.

Prima illius minoris probatio inde sumitur, quod voluntas nobilior est potentia quàm intellectus, quæ est aduersariorum sententia. Patroni tamen opinionis, quam modo defendimus, è contrario intellectum nobiliorem faciunt, quàm voluntatem. Ita D. Thom. 1. p.q. 82.ar.3.vbi late Caietanus, idem Thom. de veritate q.8.ar.1.in principio, & q. 22.ar.11.& in 3. d.27.q.1.ar.4. & 3.contra gentes c.25.in 9.argumento, & c.26. ad 5.obiectionem, & vtrobique Ferrarienſis. Constanter hoc defendunt Thomistæ, Capreolus 1.d. 1. q.1.ar.3. ad 7. 11.13.14.contra 6.fol.28.col.3.& in eodem d.3.q.3. ar. 2. ad 14. Adæ contra 2. fol.71.col.4.in fine, Herueus, Sotus, frater Franciscus locis citatis, Durandus in 4. d.39.q.4. Cursus Conimb. loco citato, Bellomontãnus in d.disp.11.c. 8.n. 43.ad primum. De hac quæstione latius disputare non est huius loci, de ea late diximus

D. Thom. Caiet. in. Ferrar, Capreol. Herueus. Franciscus à Christo. Durand.

diximus in lib.de anima.Nec deest optimum fundamentum,quod simul cum solutionibus aduersariorum vide apud Cursum Conimb. Nobis pro fundamẽto satis sit auctoritas Aristotelis 10.Ethic.c.7.post principium:vbi postquam docuit felicitatem esse operationẽ virtutis,& potẽtiæ præstantissimæ,his verbis concludit. *Hæc enim operatio præstantissima est* (agit de operatione contemplatiua) *quippe cum & mens sit eorum, quæ in nobis insunt,præstantissimum.* Nomine autem mentis intellectum intelligit.Vnde inferius mentem appellat quid in homine diuinum, & eam in nobis esse optimum quid,&dijs maxime cognatam expresse docet c.8.text.34.

4 Hoc supposito fundamento negandũ est voluntatem esse nobiliorem intellectu.Ad probationem admittimus volũtatem esse primum mouens in genere caussę efficientis in ordine ad exercitiũ: id enim docet D.Thomas 1.2.q.9.art.1. ad 3.communiter receptus;inde tamen non bene infertur prẽstantia voluntatis ad intellectum, vt bene aduertit D. Thomas in d.c.25.ad 5.&Ferrariẽsis ibi dem fol.252. col. 2. cum Capreolo in d. fol.28.col.4.in fine, & Cursus Conimb. vbi supra, & ratio est;quoniam si intellectus mouetur à voluntate quoad exercitium,&in genere causæ efficiẽtis:mouet tamen eam modo quodam longe altiori, & nobiliori: tum quia mouet eam per modum finis proponendo illi obiectum sub ratione boni;qui mouendi modus altior est; tum secundo, quia eam mouet independenter ab ea: nec enim ad primum actum pendet à voluntate; cum tamen voluntas in mouendo semper pendeat ab intellectu,vt patet. Vnde intellectus in ordine ad voluntatem se habet, vt mouens veluti immotum: cum tamen voluntas in ordine ad intellectum se habaetvt mouens ab eo motũ: qui mouendi modus longe est præstantior. Ita fit,vt in hoc paruo mundo intellectus post Deum dicatur primus motor ex D. Thoma in dicto cap. 25. ad 5. etenim ab intellectu incipit prima radix totius motus. Hæc dicta sint pro solutione primæ probationis minoris, quam negauimus.

D. Thom. Ferrar. Capreolus. *D. Thom.*

(?)

ARTICVLVS V.

Pro solutione eiusdem rationis expenditur, an visio in patria, & simpliciter, & secundum quid sit amore præstantior?

SEcunda probatio minoris secundi argumenti principalis,quæ negata est;vertit in dubium,an visio in patria sit præstantior,quàm dilectio? Adducit plures auctoritates,&rationes,vt ostendat dilectionem præstare visioni; Vt autem hæc difficultas clarior euadat,præmittendum est fieri posse, vt id, quod simpliciter, & essentialiter est altero nobilius, sit illo minus nobile secundum quid .i. secundum aliquam extrinsecam, & accidentariam nobilitatem,& perfectionem. Quare, cum hoc loco agatur de maiori,vel minori nobilitate,& excellentia visionis supra dilectionem;expendendum est, à quo actus isti suam accipiãt essentialem perfectionem: inde enim venandus est excessus maioris, vel minoris nobilitatis vnius ad alterum. In quo articulo illud iam constat inter philosophos,actus inde accipere suam essentialem nobilitatẽ,vnde accipiunt essentiam: ita vt actus ille essentialiter sit nobilior,qui à nobiliori re, & ratione formali essentialiter specificatur. Constat etiam actus potẽtiarum essentiam suam sumere ab obiecto formali.Quare illi actus erunt essentialiter nobiliores, quorum obiecta formalia sunt nobiliora. Porrò nobilitatẽ accidentariam, & secundum quid multis modis possunt sibivẽdicare.Et quod attinet ad prẽsens institutum,cognitio, & dilectio perfectionem quandam accidentariam possunt accipere ànobiliori modo essendi, quem obiectum habet in illis actibus,& potentijs,à quibus sunt: itavt actus intellectus isto modo sit nobilior, quando obiectum nobiliorẽ modum essendi habet in intellectu,quàm in voluntate: è contrario verò sit minus nobilis; quãdo obiectũ in illo minus nobilem modum essendi habuerit, quàm habeat involuntate.Cum verò ex communi philosophorum consensu consentaneè satis ad doctrinam Aristotelis in 6.Metaph.c.2.text.8. intellectus terminetur ad res, vt sunt in ipso intellectu; volũtas vero terminetur ad illas, vt sũt in

1

Aristot.

in se ipsis ad extra: tunc actus intellectus secundum istam considerationem erit nobilior; quando res intellecta habuerit in intellectu nobilius esse, quam in se ipsa: è contrario autem actus voluntatis erit nobilior actu intellectus; cum res volita habuerit melius esse in se, quam habeat in intellectu. Hæc omnia habes ex doctrina D. Thomæ in locis adductis in argumento, in quo ab omnibus probatur.

2 His suppositis cõueniunt omnes Thomistæ uisionem in patria simpliter, & essentialiter nobiliorem esse dilectione: in quo non possunt non conuenire omnes Thomistæ, qui nobiscum supponũt beatitudinem esse operationem omnium nobilissimam. Quare cum omnes huius opinionis auctores defendãt beatitudinem essentialiter poni in visione diuinæ essentiæ, non potest non concedi visionem esse essentialiter nobiliorẽ, quam sit dilectio, & alius quicunque voluntatis actus. Quæ sententia expresse fuit Nazianzeni in oratione de statu Episcopali; vbi loquẽs de alia vita ita ait: *Arbitror nihil aliud esse cœleste regnum, quam adipisci, quod purissimum, & perfectissimum est: perfectissimum autem ex omnibus, quæ sunt; cognitio Dei est.* Quæ etiam fuit sententia D. Thomæ multis in locis, maxime 1. p. q. 12. ar. 1. vbi ait operationẽ intellectª, in qua supernaturalis ponitur beatitudo, esse omnium nobilissimam. Quod repetit innumeris suæ doctrinæ locis. Ita Caietanus 1. p. q. 82. ar. 3. §. *ad obiectiones Scoti contra conclusionem* in fine, late Ferrariens. 3. contra gentes c. 26. in solutione quintæ obiectionis §. *Sed contra prædicta* & §. *propter quod videtur mihi*, & ante eos Capreolus in 1. d. 1. q. 1. ar. 3. ad 7. cõtra 6. fol. 28 col. 3. Medina in hoc ar. 4. ad argumenta secundi prædicamẽti pro tertia opinione pag. 66. col. 1. Sotus in 4. d. 49. q. 1. ar. 3. §. *ad hoc autem respondetur.* fol. 566. col. 2. ad finem, Durandus ibi q. 4. fere per totam, ex nouioribus Bellomõtanus 12. disp. 11. c. 8. ad. 3. n. 45. Suarius hic disp. 7. quæstiuncula 1. ad argumẽta. Nec sine fundamẽto: quoniam actus intellectus suam essentiam accipiunt ex obiecto formali ipsius intellectus: quod ipsum apud Thomistas nobilius est, quã formale voluntatis obiectum. Ergo visio in patria simpliciter erit nobilior dilectione. Cum vero actus intellectus eandem essentiam in patria retineant, quam habuerunt in via; admittendum est cognitionem viæ essentialiter esse nobiliorem dilectione eiusdem viæ. In quo omnes huius opinionis auctores conueniunt.

Nazianz. D. Thom. Caiet. Ferrar. Capreol. Medina. Sotus. Durand.

Controuersia tamen est; vtrum sicut in via cognitio est secundum quid minª nobilis, quam dilectio; ita etiam in patria. Et quidem, quod cognitio Dei in via sit secũdum quid minus nobilis, quã dilectio eiusdem; vnanimiter fatentur Thomistæ. fundamẽtum sumitur ex ijs, quę supra præmisimus: nam quãdo obiectum voluntatis, & intellectus in ipso intellectu habet modum essendi minus nobilem, quam habeat in volũtate; actª intellectus est secundum quid minus nobilis, quam actus voluntatis: vt quia terminatur ad obiectum secundum esse minus nobile. Deª autẽ terminat actũ amoris vię secundum esse, quod habet in se: quia voluntas terminatur ad res, vt sũt in se: cognitionem vero eiusdem viæ terminat Deus secundum esse, quod habet in intellectu viatoris; quod esse, est minus nobile, quam esse, quod Deus habet in se ipso: est enim Deus in intellectu viatoris secundum species receptas vniuersales, & confusas. Ob quam rationẽ omnis dilectio rerum superiorum, angelorum inquam, erit nobilior secundũ quid cognitione earum; è contrario dicẽdum est de amore rerum corporalium, quæ sunt anima nostra inferiores: hæ enim nobilius esse habent in intellectu, quando intelliguntur, quam in se ipsis: cum in intellectu hebeant esse spirituale in speciebus, in quibus repræsẽtantur: cum tamen in se ipsis habeant esse materiale, quod longe est imperfectius. Hæc est doctrina D. Thomæ 1. p. q. 82. ar. 3. & q. 108. ar. 6. ad 3. & 12. q. 66. ar. 6. ad 1. & 22. q. 23. ar. 6 ad primum, & de veritate q. 22. ar. 11. de virtutibus q. 2 art. 3. ad 13. Denique in 3. d. 27. q. 1. ar. 4. quæstiuncula 2. Hoc nixi fundamẽto conueniunt omnes Thomistæ dilectionem in via esse secundum quid nobiliorem, quam cognitionem in eadẽ via. Ita Caietanus 1. p. in d. q. 82. ar. 3. loco citato, & 22. q. 23. ar. 6. in fine cõmenti. Ferrar. 3. contra gentes c. 26. ad 5. obiectionem. Capreolus loco citato, cum quibus

3 Dubitatio.

Sententia Thomist.

D. Thom.

Caietanus. Ferra.,

quibus etiam Bellomontanus vbi supra, quanuis alio nitatur fundamento sumpto, & ex genere rei, & ex genere moris, de quo inferius.

4 Alia dubit. Ferrarienſ. ſententia.

Vtrum vero in patria dilectio Dei dici possit secundum quid nobilior visione? Controuersia est inter Thomistas. Affirmat Ferrariensis loco citato eodē nixus fundamento: quoniam & si diuina essentia secundum se sumpta æque perfecta est in intellectu, & in volūtate beati: tamen vt est in intellectu per modum formæ intelligibilis, non æque perfecta est, atq; est in se ipsa. Cui illud est argumento; quoniam in se ipsa habet omnē suam intelligibilitatem: at in intellectu beati non est secundum omnem suæ intelligibilitatis modum. Addit etiam Ferrariensis; quoniā D. Thomas 1.p.q.108. ar.6. ad 3. affirmat supremum Seraphinorum ordinem ideo in patria sumi ab amore; quia amor est nobilior cognitione, cum verò apud D. Thomam non sit nobilior simpliciter; vtique erit nobilior secundum quid. Cum Ferrariensi conueniunt quidam ex recentioribus in Cōmentarijs ad hunc quartum articulum; videtur inclinare Medina ibi ad argumenta secundi prędicamenti.

D.Thom.

5 Caietani opinio.

Oppositam sententiam probauerat Caietanus locis supra citatis: & videtur probare Bellomontanus in d.disp.11.c. 8.ad 4.n.46. Consentit Suariusvbi supra: & nos ante eos eam semper probabiliorem existimauimus: est enim, & menti D. Thomæ, & rationi magis consentiens. Nam D. Thomas de veritate q.22.ar.11 ad 5. expresse docet voluntatem tūc esse intellectu nobiliorem (agit de nobilitate secundum quid) cum intellectus rem se nobiliorem minus potest offendere, quàm voluntas in illam feratur: quæ ratio locum non habet in patria; cum voluntas ibi in nihil essentiæ diuinæ feratur, quod ab intellectu ei præsentialiter & distincte non ostendatur. Quare si vera est doctrina adducta ex D. Thoma, volūtas in patria nec isto modo potest esse nobilior, quam intellectus. Præterea cōsentit magis cum fundamēto, ex quo sumitur accidentaria nobilitas: nam in patria eodem esse, quo Deus est in se, est in intellectu, & in voluntate: sicut enim Deus secundum esse, quo in se est, amatur: ita etiā videtur. Si vero respondeat Ferrariensis Deum non coniungi intellectui, nec eius actum terminare secundum omnem modum intelligibilitatis, quem in se habet: occurrēdum erit nec Deum coniungi voluntati, eiusq; actum terminare secundū omnē modū amabilitatis, quē habet in se. Quare sicut Deū non amari secundum omnem amabilitatis modum, non arguit modum, quo Deus est in voluntate beati, esse minus nobilem, quam esse, quo Deus est in se: ita etiam Deum non intelligi secundum omnem suam intelligibilitatem nō potest arguere, *esse*, quo Deus est in se, esse nobilius, quam *esse* quo Deus est in intellectu. Ita fit, vt *esse* quo Deus, sicuti est, obiectiue vnitur tam intellectui, quam voluntati, non sit expendendum Syncategorematice. i. secundum omnem modum essendi, quo Deus & intelligibilis est, & amabilis; sed solum categorematice. i. secundum totalitatē ipsius esse, quod conuenit Deo. Et isto modo, cum illud ipsum totale esse, quo Deus est in se, sit, quod terminat actum visionis, & amoris: æqualem essendi nobilitatem habet, provt in se est, & provt est in intellectu, & voluntate.

6 Obiectio.

At obijcit quidam modernus: Deum, & si in patria videtur sicuti in se ipso est, tamen per visionē trahi, vt sit intra ipsū intellectum per sui imaginem, in qua apparet; quæ est actualis intellectio Dei: cum tamen voluntas per dilectionem Dei, quasi extra se exeat ad Deum, provt est extra animam repræsentatus tamen sibi per visionem. Ex quo infert modernus iste Deum in se ipso visum, habere minus nobilem essendi modum in intellectu; quam habeat in voluntate. In pluribus tamen deficit hæc instantia: & primum quidem; quia non distinguit inter rem intellectam trahi ad intellectū per speciem siue notitiam intuitiuam, & abstractiuam: cum tamen inter vnam, & alteram tractionem lōgum sit discrimen: nam quando res intellecta trahitur ad intellectum solum abstractiue; non trahitur ad eum secundum esse suum reale, quo in se est; sed secundum esse quoddam intentionale, quod res illa consequitur in specie intelligibili, notitiaque abstractiua: quod quidem esse, licet sit nobilius, quam esse rei materialis, quę intelligitur (hoc enim est materiale

in multis deficit.

teriale,illud autem ſpirituale) eſt tamẽ minus nobile,quàm *eſſe*, quod res ſpiritualis habet in ſe: hoc enim eſt reale;illud verò intentionale,& obiectiuum. At verò, quando res trahitur ad intellectũ per ſpeciem,& notitiã intuitiuam, trahitur ad illum ſecũdum eſſe reale, quod ipſa habet in ſe, & in ſua reali exiſtẽtia: nam ſecundum tale eſſe terminat & intellectionem,& repræſentationem ſpeciei intelligibilis.Cumverò illud ipſum eſſe,quo eſt in ſe, ſit illud, quo eſt in intellectu; vtrobiq; habet modum eſſendi æque nobilem. Quod non ſolùm verum eſt in re ſpirituali intuitiuè viſa: ſed etiam in re corporea,quando ab angelo, vel ab anima ſeparata in ſe ipſa intuitiuè videtur: nam vtraque eſt in intellectu obiectiuè ſecundum illud idem eſſe, quo eſt in ſe ipſa.

7 Ex quo colliges tũc rem intellectam habere in intellectu *eſſe* minus perfectũ, quã habeat in ſe ipſa:quando eſt ſecundum ſe ſpiritualis,& trahitur ad intellectum per ſpeciẽ notitiãq; abſtractiuã; ſecus autẽ ſi trahatur per ſpeciẽ, & notitiam intuitiuã. Et D. Thomã in locis citatis ita intellexiſſe hoc fundamentũ, clarè intelliges, ſi ſingula loca perlegeris,&ex dicẽdis patebit.Ita fit;vt ad noſtrũ inſtitutũ parum conducat rem trahi ad potentiam,vel trahere ad ſe potẽtiam;quando ipſa ſecundũ illud *eſſe*;quo eſt in ſe,aut trahitur,aut trahit: neutro enim modo mod⁹ eſſẽdivariatur:qui tamẽ maximè variatur, quãdo abſtractiuè trahitur, aut trahit, & quia modernus ille ad hanc diſtinctionem non aduertit;ideo in ſua doctrina defecit.

8 In eo etiam deficit; quia nõ aduertit amorem non ſolùm trahere amantẽ ad amatum;ſed etiam amatum ad amantẽ; ita vt intra amantem exiſtat per inclinationem,& propenſionem ipſius amoris, vt docet D. Thomas 1.2.q.28. ar. 2. cõmuniter receptus. Quare ſi amatum trahi ad amantem, & in eo exiſtere per inclinationem amoris, non infert amatum habere in voluntate modum eſſendi minus nobilem,quàm habeat in ſe;nõ videtur dari locus allatæ inſtantiæ:nam ſi Deus nõ minus perfectè exiſtit in voluntate,quàm in ſe ipſo, quanuis per amorem beatificum ſecũdum ſuum eſſe, quod in ſe habet, trahatur ad voluntatem : profectò nec minus perfectè exiſtet in intellectu, quàm in ſe ipſo;quantumuis per notitiam intuitiuam trahatur ad intellectum ſecundum illud eſſe, quo in ſe exiſtit.

D.Thom.

Ex his concludendum eſt viſionem in patria ita eſſe eſſentialiter nobiliorem dilectione, & amore; vt nec ſecundum quid ſit ea minùs nobilis. Quare ad ſecundam probationem minoris ſecundi principalis argumenti, negãdum eſt id, quod ſumitur: amorem ſc. beatificum excellentiorem eſſe beatifica viſione: quod adeò eſt falſum, vt nec ſecundum quid nobilior dici queat.

9 Concluſio, & reſponſio ad ſecũdam probationẽ minoris.

Diuum Thomam huic reſolutioni non contradicere.

COntra hanc reſolutionem adducuntur plures D. Thomæ loci, in quibus expreſsè docet dilectionẽ Dei eſſe nobiliorem Dei cognitione:ita in locis in argumento citatis:adde etiã 1.2.q.66.ar.6.ad 1.& 2.2.q.23.ar.6.ad 1. & de virtutib⁹ q.2.ar.3.ad 13.quod etiã cõfirmat Hugo de S. Victore citatus in argumento. Hoc argumentum Thomiſtis faceſsit negotium. Sunt, qui putant D. Thomam in illis locis non comparare viſionem,& dilectionem ſecũdum ſe, & inter ſe, ſed prout dilectio aut includit, aut ſupponit viſionem. Sed ab alijs ſolutio reijcitur,tanquam friuola:tum; quia talis comparatio nullam habebat dubitationem: quin potiùs ſi dilectio ita ſumatur; vtique non ſolum ſecundũ quid; ſed etiam ſimpliciter nobilior erit viſione: tum ſecundo;quia ex ipſismet locis conſtat D.Thomam dilectionem cum viſione comparare, vt vtraq; ſecundum ſe ſumitur: nam ſicut ibi docet amorem Dei meliorẽ eſſe Dei cognitione; ita etiam affirmat cognitionẽ rerum corporalium nobiliorem eſſe amore earundem: quod eſſet falſum; ſi amor ſumeretur, prout in ſe includit cognitionem: etenim perfectioni cognitionis ſuperadderet ſuam propriam; & non poſſet non eſſe nobilior, quàm cognitio, vt bene aduerterunt Durandus in 4.d.49.q.4.ad 2.& Ferrarienſis 3. contra Gentes c. 26. §. *Ad huius euidentiã conſiderandum.*

10 Soluitur obiectio ex locis D. Tho. & ex Hugone deſumpta.

Quorũdam ſolutio.

Reijcitur.

Durandus.

Ferrar.

11 Ferrariẽſis reſponſio.

Secundo loco reſpondet Ferrarienſis

ibi §. *propter quod mihi videtur*; & admittit D. Thomam in illis locis agere quidē de cognitione, & dilectione patriæ; non tamē de nobilitate simpliciter, sed secūdum quid. Et subinde apud D. Thomam fatendum esse visionem in patria simpliciter esse nobiliorem dilectione, & secundum quid minus nobilem, quod non impedit, quominùs in visione ponatur beatitudo. Nos fatemur ad institutum solutionem istam satis esse, vt ratio beatitudinis saluetur in visione. Fatemur etiam D. Thomam in illis locis non agere de perfectione essentiali, sed accidentaria, & secundum quid: sumit enim ibi nobilitatē non ex ratione formali obiecti, sed ex modo essendi illius, vel in se, vel in potētia: cuius perfectio, cum aliquando insit, aliquando non insit, non potest non esse accidētaria. Negamus tamen Ferrariensi D. Thomā ibi agere de amore, & cognitione, prout sunt in patria: quia, vt iam ostendimus, dilectio patrię nec secundum quid præstat visioni.

Non probatur.

Quare ad obiectionē dicendum est D. Thomā in citatis locis agere de cognitione, & amore, vt sunt in via: quod olim nos aduertimus, & postea idē inuenimus apud Suar. in 1.2. disp. 7. quæstiū. 1. ad 1. & satis est de mēte Caietani 2.2. q. 23. ar. 6. in fine cōmenti, & 1. p. q. 26. ar. 2. §. *secunda quoq; quæstio.* & q. 82. ar. 3. §. *ad obiectiones Scoti contra conclusionē* in fine: & facilē ostendi potest; quia D. Thomas in illis locis agit de cognitione, qua res cognita est in cognoscēte non secundū se ipsam, sed secundum suam speciē intelligibilem: Deus autē hunc modū essēdi in nostro intellectu nō habet in patria, sed in via. Quod verò de hac cognitione loquatur D. Thomas, facilè patebit, si singulos locos percurramus. Nā 1. p. q. 82. art. 3. agit de cognitione, qua res anima nobilior est in ea secundum suā speciē. Vt patet ex illis verbis: *actio intellectus consistit in hoc, quod ratio rei intellectæ est in intelligente*. & addit: *quando igitur res, in qua est bonum, est nobilior ipsa anima, in qua est ratio intellecta.* Per rationē autē rei intellectæ intelligit speciē intelligibilē. Id expressiùs declarat de veritate q. 22. ar. 11. ita inquiens: *Profectò intellectus consistit in hoc, quod species rei intellectæ est in intellectu*, & rursus: *rerum autem, quæ sunt animæ superiores, formas recipit intellectus inferiori modo, quàm sint in ipsis rebus.* Itaq; agit de intellectu recipiente in se formam rei superioris: secūdum quam minus de ea ostendit, quam ipsa sit in se, vt idem D. Thomas ait in d. ar. 11. ad 5. hoc autem solùm contingit in via. Quem eundem sensum seruat in 3. d. 23. q. 1. ar. 4. vt patet ex verbis vltimis articuli: *res cognita in cognoscente efficiuntur per suas similitudines.* Vide ibi ad 10. In eodem sensu explicādus est 1.2. q. 66. ar. 6. ad 1. & 2.2. q. 23. ar. 6. ad 1. & de virtutibus q. 2. art. 3. ad 13. dum ait: *Entia, quæ sunt nobiliora, quàm anima, nobiliori modo esse in se ipsis, quàm sint in cognoscente*: quia sc. sunt in eo per suas formas intelligibiles, in quibus habēt modum essendi longè inferiorem, quàm in se ipsis. Quod solùm est in via, & non in patria, vt bene annotauit Caietanus 2.2. loco citato: nam in patria Deus est in cognoscente per cognitionem intuitiuam, quæ trahit ad se ipsum Deum, vt in se est: at in via est in cognoscente per cognitionem abstractiuam vniuersalē, & confusam.

12 D. Thomæ explicatur.

Caietanus.

D. Thom.

Nec obstat locus ex 1. p. q. 108. ar. 6. ad 3. quo nititur Ferrariensis: nā ea, quę ibi docet, nequaquam possunt accōmodari cognitioni, & amori patrię, sed vię: agit enim de cognitione, in qua superiora in intellectu habent esse minus nobile, quàm in se ipsis: hoc autem non reperitur in patria; vbi Deus secundū idē esse, quo est in se, est in intellectu beati: cum se se illi obijciat, sicuti est. Si verò obijcias D. Thomā ibi distinxisse supremum ordinem Seraphinorum ab ordine Cherubinorum per amorem Dei; & in præcedēte art. docuisse ordini supremo deberi perfectionem supremā: respondendum est D. Thomam non distinxisse illos ordines per cognitionem, & amorē patrię, sed vię, vt ar. 7. ostēdem⁹.

Constituendū est igitur D. Thomā in præcitatis locis agere de cognitione, & amore solius viæ. In quo etiam sensu explicandus est Hugo de Sancto Victore: vt satis colliges ex verbis immediatè positis: *intrat amor, vbi foris stat scientia*. ideſt amor pertingit ad Deum in se ipso, ad quem sciētia non pertingit; quod de scientia patriæ non est verum: *quia videbimus eum, sicuti est*. prima Ioannis 3. In via autem, licet apud nonnullos amor

14 Hugonis mens explicatur.

1. Ioan. 3.

amor simpliciter,& essentialiter sit minus nobilis, quàm cognitio; est tamen nobilior secundum quid, & nobilitate quadam accidẽtaria. Ita Hugonem explicare tenentur, qui nostram probant opinionem: nam ab aduersarijs aliter est explicandus.

ARTICVLVS VI.

Pro solutione eiusdem secundæ rationis expenditur; an charitas in patria sit habitus omnium præstantissimus?

1 IN eodem secundo argumento cõtra præstantiam amoris supra visionẽ in patria adducitur, quòd charitas sit habitus præstantissimus, tum ex Paulo. tum ex Augustino. Et inde inferunt aduersarij amorem præstãtiorem esse visione: quasi supponant actum esse nobiliorem, qui à nobiliori est habitu.

2 Responsio ex mẽte Medinæ. Huic obiectioni posset quis respondere ex mente Medinæ in hoc art. 4. ad argumenta secundi prædicamenti pag. 66. inde non inferri amorem in patria esse nobiliorẽ visione: quia visio ex qua sequitur amor, cum sit præmium bonorum operum, non est tribuenda aut potentiæ, aut habitui, sed Deo pręmiatori: quę ratio ne videatur disparata, ita est explicanda, vt velit Medina visionem, & amorem ex ea sequentem non esse tribuenda aut potentiæ, aut habitui, sed soli Deo, cui[s] solius est pręmiare. Quòd si actus illi nec potentiæ, nec habitui tribuendi sunt, non possunt sumere suã nobilitatem ex habitibus, à quibus sunt: & ob id charitatem esse habitum pręstantissimum nõ bene inferre amorem esse præstantissimum actum. Sed non placet solutio: quoniam licet actus illi sub ratione præmij tribuantur soli Deo: tamẽ vt sunt entia quædam eliciuntur à potentia, & ab habitu: vnde ab illis nobilitatem suæ entitatis sumere possunt.

Non placet.

3 Alia adducitur. Secundo loco alij respondent charitatem inter habitus vię esse simpliciter habitum præstantissimũ non solùm in genere moris, sed etiã in genere rei; nõ tamen si conferatur cum habitibus patriæ. Quare ex illo antecedente solùm potest inferri amorem in via præstare cognitioni vię. Hęc sentẽtia probata est Suario hoc loco disp. 7. quæstiũc. 2. §. *secũdo verò addendũ est*, vbi multis probat charitatem in via non solùm in genere moris, sed etiã in genere entis esse simpliciter, & essentialiter nobiliorem fide.

4 Tertia solutio. Tertia solutio est eorũ, qui putãt charitatẽ tam in patria, quàm in via in genere entis esse simpliciter, & essẽtialiter minus nobilẽ, quàm quoscunq; habitus intellectuales tã patriæ, quàm viæ; porrò in via in genere quidẽ moris esse alijs omnibus etiã fide præstantiorẽ. Ita videtur sentire Bellomont. hìc disp. 11. c. 8. n. 41. & n. 42. si adiungãtur, quæ docet n. 48. Inde infert charitatẽ in patria simpliciter esse minus nobilẽ, quàm habitũ luminis gloriæ; siquidẽ in patria rationem mõris amittat, cum in Deũ tendat necessariò. Qua suppositа opinione facilè soluitur argumentũ: nã & si admittendum est charitatem in via esse præstantiorẽ in genere moris omnibus habitibus viæ: in genere tamen rei id est negandum tam in patria, quàm in via. Quare argumentum contra visionem patriæ applicari non potest.

5 Si verò inquiras; quænam harũ solutionum potius sit admittenda? Dicendũ est ad nostrum instituti parum referre vtra illarum opinionũ sit verior de charitate in via: quia siue hãc, siue illã opinionẽ probes; nunquã habebis charitatẽ in patria esse habitũ simpliciter nobiliorẽ, imò nec secundũ quid, quod patet ex tertia solutione: nam si charitas, nec in patria, nec in via est essentialiter præstantissimus habitus, parum refert, quòd in via sit præstantissimus in solo genere moris: tum, quia genus moris in patria locũ non habet in visione, aut amore, cũ neuter sit actus liber, sed naturalis, tum etiã, quoniã genus moris non arguit nobilitatẽ simpliciter, sed accidentariã, & secundũ quid: beatitudo autẽ postulat actũ simpliciter prętãtissimũ, qualis in patria est sola visio. Quòd si probas secũdã solutionẽ, & existimas charitatẽ in via, & in genere moris, & in genere rei esse nobiliorem habitibus intellectualibus; cum id negetur pro statu patriæ: nihil refert, quòd illam sequaris opinionem.

6 Contra hanc resolutionem nihil facit sententia, quę affirmat fidẽ docere charitatem simpliciter esse nobiliorẽ fide, quod contra hæreticos cõmuniter doceri solet, tum 1. 2. q. 66. ar. 6. tum 22. q. 23. artic. 6. etenim hæc sententia solùm

est vera, si intelligatur in genere moris; secus in genere rei. De quo alibi latiùs disputauimus.

ARTICVLVS VII.

An argumentũ sumptum ex Seraphinis probet amorem esse præstantiorem visione?

1 AD probandum amorem in patria esse nobiliorem visione; expendũt aduersarij, quod Seraphim, qui superiorem ordinẽ superioris hierarchię obtinent, denominationem sumpserunt ab amore: non ob aliam rationem, nisi quia amor nobilior est, quàm scientia: ordinum enim nomina ita imponuntur secundum conuenientiam ad spirituales perfectiones, vt superiori ordini superior perfectio tribuatur, vt ex Dionysio docet D. Thomas 1.p.q.108. ar.5.

D. Dionys. D.Thom.

2 Hoc argumentum solis illis negotiũ facessit, qui putant Hierarchias, & ordines angelorum in patria distinctionẽ & appellationẽ sumere ab actibus beatificis. Qua opinione suppositа ad argumentum primò respondet Ferrariensis 3. contra Gentes c.26. ad finem, §. *Ad secundum dico primò*, inde non posse argui amorem in patria esse simpliciter nobiliorem visione: quia satis est amorẽ ibi esse nobiliorem secundum quid, vt ab eo Seraphini denominentur. Quam solutionem plures nouiorũ probant. Ratio est, quia suprema hierarchia considerari debet in ordine ad Deum, non prout subest rationi formali obiecti intellectus, & voluntatis; sed secundum esse, quod Deus habet in vtraque illa potentia. Cum verò secundum tale esse amor præstet visioni; ab amore potiùs Seraphini nomẽ sumere debuerũt; quãuis simpliciter esset actus minus nobilis, quàm visio. Optima esset solutio; si opinio vera foret. Sed iam superiùs illã impugnauimus art.5.

Prima responsio Ferrarien.

Non recipitur.

3 Alij volunt Seraphinos nomen habere ab amore beatifico non simpliciter, sed prout habet rationem dotis; quatenus sc. respondet amori viæ, quo præcæteris Deum dilexerunt: Cherubinos verò sumpsisse nomen à visione, prout respondet fidei, qua cæteros in via superarunt. Quamuis autem amor in patria essentialiter sit minus nobilis, quã visio; tamen prout vterque actus inducit rationem dotis gloriæ; amor est nobilior visione secũdum quid: ideo quia in via amor præstantior fuit, quã fides.

Secũda responsio.

Sed in hac opinione primùm dubitari potest; an dilectio in patria habeat rationem dotis? Nam hæc sententia pluribus est improbabilis, & mihi etiam. Deinde; vt suppositionem admittamus; inquiri potest, cur Seraphini non denominentur ab amore simpliciter, sed pro vt habet rationem dotis?

Reijcitur.

Tertio loco accedunt alij Seraphinos nomen sumpsisse ab eminente charitate includente simul eminentem scientiam; ita vt sicut in amore superarũt Cherubinos; ita etiam in scientia. Placet responsio Ferrariensi loco citato, & satis probare videtur Cumelius 1.p. q.108. ar. 6. ad finem. Sed non videtur admittenda: quoniam si sensus est in Seraphinis amorem esse æqualem scientiæ: redit eadem difficultas, cur scilicet non à scientia, sed ab amore denominati sunt? Porrò, si velint eos denominari à charitate; non absolutè, sed vt includit scientiam; quæ hoc modo perfectior est, quàm scientia sumpta sine charitate: solutio est friuola; quia, vt iam aduertimus friuola est talis comparatio, & aliena à mente D. Thomæ.

4 Tertia responsio.

Ferrarien. Cumel.

Non admittitur.

Quarto loco, si penes actus beatificos sumenda est hæc distinctio; melius dicemus Seraphinos ideo ab amore fuisse appellatos; quia distinctionem acceperunt ex familiaritate, quam habent ad Deum: sunt enim (vt ait Dionysius cap.7. de cœlesti hierarchia) quasi assessores Dei, qui per se ipsos familiariter ad Deum accedunt; vt etiam ait Diuus Thomas 1.p.q.108. art.6. Ad hanc autẽ dignitatem potiùs conducit charitas, quàm scientia; quanuis sit illa minus nobilis. Hæc dicta sint iuxta eos, qui hierarchias, & ordines distinguunt, & nominant ex actibus beatificis.

5 Quarta responsio.

Dionysius.

D.Thom.

Sed ego cum alijs puto opinionem illam esse negandam: quod de visione beatifica expresserit D. Thomas in dicta q. 108. art. 1. ad 2. vbi etiam Banhes in cõmentario concl. 1. Quod de omnibus actib' beatificis inde demõstrari potest; quoniã constat inter theologos ex doctrina Dionysij hierarchias ex sua natura postulare subordinationẽ superioris & inferioris in recipiẽdo, & cõmunicãdo

6 Alia responsio tenenda.

D.Thom. Banhes.

do dona, quib⁹ distinguũtur, ita vt superior hierarchia ab inferioribus ideo distinguatur; quòd immediatè dona illa recipiat à Deo: inferiores verò non nisi mediatè; quia ea recipiũt à superiori hierarchia. Et quanuis hæc subordinatio non generaliter reperiatur in ordinibus chorisuè eiusdem hierarchiæ; quoad aliqua tamen reperitur; quoniã & si omnes tres ordines supremæ hierarchiæ aliqua immediatè recipiant à Deo; non tamen omnia: quia aliqua recipiunt á superiori choro, vt colliges ex D. Thoma 1.p.q.108. & q.112. art. 3. ad 4. & q.113. ar.2 ad 2. Quare distinctio tam hierarchiarum, quám ordinum sumenda est ab ijs donis, & perfectionib⁹, in quibus angeli habere possunt subordinationem, & dependentiam inter se tum in recipiendo; tum etiam in communicando: quæ est doctrina ab omnibus recepta. Sed in actibus beatificis visionis, & amoris, cæterisque non datur talis dependentia, & subordinatio inter angelos: omnes enim cuiuscunque sint hierarchię, & ordinis eos recipiunt immediate à solo Deo: nec eos alijs communicãt, vt pater. Ergo ab actibus beatificis, vt tales sunt, non potest accipi distinctio, aut hierarchiarum, aut ordinum.

D. Thom.

7 Obiectio ex Dionys.

Sed obijcies (nec sane inefficaciter) quoniam ex Dionysio, & omnibus theologis constat Seraphinos denominationem sumpsisse ab amore, & ab illius excellentia sumpsisse etiam distinctionem à Cherubinis, & Thronis, qui sunt eiusdem supremæ hierarchię. Cum verò cõstet superiores, & nomen, & distinctionem sumere à perfectione nobiliori; explicandum superest; quisnam sit iste amor, à quo tanquam à dono excellentiori Seraphim denominentur?

Quidam solutio.

Ad hanc obiectionem quidam respondent hierarchias, & ordines distinctionem, & appellationẽ sumere à perfectionibus viæ. Id, quod sine probatione supponunt Bellomontanus d. disp. 11. c.8. ad 4. n.46. Molina 1.p.q.63. art.7. §. *Quod si aduersus hanc sententiam.* & q. 108. ar.1. §. *Porrò inter angelos*, Cursus Conimbric. 3. de anima c.13. q.2. art.2. probat tamen Suarius hic disp. 7. quæstiuncula 1. §. *Ad obiectionem verò*: primò; à signo: quoniã hæc distinctio suo modo reperta est in dæmonibus, qui in via cum cæteris fuerunt. Secũdò; quia nomina ista impositа sunt ab hominibus, & propter homines, qui solùm cognoscunt ea, quæ sunt in via. Tertiò; ratione: quoniam in sola via angeli ad inuicem ita habuerunt, vt vnus in vna perfectione alium superaret, & in alia superaretur ab eodem: Seraphini enim in sola via ita se habuerunt, vt in amore Cherubinos superarent, à quibus in cognitione superati sunt: lucifer namque cæteros omnes in cognitione superauit. At in patria non possunt ita se habere: etenim in ea ita se comitantur amor, & scientia, vt qui perfectius amat, perfectius etiam videat; & è contrario: vnde, qui in patria perfectior est in amore, simul etiã in scientia perfectior existit. Quare in patria nihil in his perfectionibus reperitur, vt potiùs ab vna, quàm ab alia denominationem sumerent Seraphini: bene tamen in via. Supponunt igitur hi auctores denominationem Seraphinorum sumptam fuisse ex amore vię; qui in via est præstantissimus: & in Seraphinis fuit intensissimus, & intensior, quàm cognitio.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Molina.

Hæc opinio nec in eo, quod supponit; nec in sua decidendi ratione placere potest. Non quidem in eo, quod supponit: quoniam si diligentiùs expendãtur, quæ à magno Dionysio, & à Theologis scripta sunt; non potest cum probabilitate defendi distinctionem, & appellationẽ in hierarchijs, & choris sũptam esse à perfectionibus, & actibus vię. Nam ex Dionysio, Thoma, & Theologis tã hierarchia, quàm ordo importat gubernationem per intelligibiles prouidẽtiæ diuinę rationes angelis ordinatè reuelatas, in ordine ad hominum salutẽ, & consecutionẽ supernaturalis beatitudinis. Quam theologiam volo esse suppositam ex doctrina D. Thomæ 1.p. q.108.ar.1.2. & 4. quam euidẽter declarat D. Gregorius homil. 24. in Euangelia, vbi hierarchias, ordinesq; earũ distinguit, & nomina exponit per exteriora ministeria, quæ singulis hierarchijs, & ordinibus conueniunt in ordine ad executionem diuinæ prouidentiæ circa humanam salutem: & satis consentaneè ad doctrinam Dionysij capite septimo de cœlesti hierarchia: quo in loco

8 Non placet præcedens solutio, & sẽtentia.

Dionysius. D. Thom.

D. Gregor.

Dionysius.

hierarchias, & ordines distinguit, similiter & nomina secundum conuenientiã ad spirituales perfectiones in ordine ad recipiendum diuinum lumen, & rationes intelligibiles, reuelationesq; ad executionem prouidẽtiæ Dei circa homines, quod satis expresit Paulus ad Hebræos 1. *Omnes sunt administratorij spiritus ad salutem hominum attendentes, & in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Quæ verba euidenter declarant administrationẽ diuinæ istius gubernationis, & prouidentię commissam esse angelis in ordine ad salutem hominum. Cum verò homines non dum fuerint, quando angeli in via fuerunt; vtiq; administratio salutis eorũ (penes quã hierarchię, & ordines in patria completè, & perfectè distinguũtur, & nominantur) non fuit angelis commissa, nisi post quam fuerunt comprehensores. Dixi *completè, atque perfectè, &c.* quoniam non est negandum angelos in via aliquo modo habuisse easdem hierarchias, & ordines, quos retinent in patria: sed concedendum est illas in via imperfectè, & adhuc incompletè fuisse distinctas. Nã sicut ex mente D. Thomæ 1.p.q.108. ar. 4. illæ aliquo modo distinctę fuerunt secundum exigentiam, & perfectionem propriæ singulorum naturæ, nimirum dispositiuè; ideo quia secundum dona naturalia fuerũt illis concessa dona gratuita: ita etiam in via fuerunt distinctæ secundum dona gratuita viæ; non quidem perfectè, & completè, sed imperfectè, & suo modo inchoatiuè; quod nonnullis placuit Theologis. Quare in sola patria perfectè sunt distinctæ secũdum dona gratuita patrię accommodata ad gubernationem hominum.

Ad Hebr. 1.

D. Thom.

9 Et vt melius intelligatur, aduerto hierarchiam dicere ordinem gubernationis, & executionis diuinæ prouidentiæ in aliquem finem supernaturalẽ, vt colliges ex D. Thoma 1.p.q.108. ar.1. & 4. Cum verò pro tempore viæ nulla alia excogitari posset dispositio diuinę prouidentiæ, & executio illius (quę ad gubernationem spectat) nisi in ordine ad finẽ supernaturalis beatitudinis ab ipsis angelis consequendum; non est negandum pro tempore viæ fuisse hierarchiarum, & ordinum distinctiones secundum dona gratuita conueniẽtia ad cõsecutionem finis. Nam in hierarchia Ecclesiastica admittuntur etiam ordines isti ad supernaturalem hominũ gubernationem. At tamen talis distinctio in via non fuit absolutè completa, sed inchoata potiùs, complenda in patria per altiorem aliam gubernationem, & per dona longè excellentiora, qualia sunt dona patriæ.

D. Thom.

10 Quare non puto admittendũ esse distinctionem in hierarchijs, & ordinibus pro statu patriæ præcisè, & completè sumendam esse ex donis solius viæ: sed ex donis patriæ; nisi fortè quis velit hanc distinctionem inchoatiuè sumi ex donis viæ in hoc sensu; quia dona illa gratuita patriæ, à quibus hæc distinctio completè sumitur, donantur à Deo cõsentaneè ad merita viæ. Argumẽta porrò Suarij parum habent efficaciæ, nam primum solum probat hierarchias fuisse aliquo modo distinctas in via; incõpletè sc. & inchoatè, & in ordine ad gubernationem longè distinctam, quod admittimus. Secundum autem videtur triuolum: quia Paulus per supernam illustrationẽ potuit cognoscere ea, quibus cœlestes hierarchiæ distinguuntur; & ea nobis tradere, si non clarè, & distinctè cognoscenda; saltem aliquo modo, & secundum aliquas communes rationes: nam, & hoc modo tradita nobis sunt à magno Dionysio. Tertium verò supponit, quod erat probandum: nam multa sunt in patria, ex quibus distinctio illa sumi potest, vt ex dicendis patebit.

Soluitur primum fundamentũ Suarij.

Soluitur 2.

Soluitur 3.

11 Quare dubitatio superius allata dissoluenda est iuxta illorum sententiam; qui putãt distinctionem in hierarchijs, & ordinibus angelorum sumendam esse ex perfectionibus patriæ. Quæ opinio non displicet Suario, eam probant Banhes 1.p. q.108. pagina 1526. & Cursus Conimbricens. loco citato, & satis Medina in hoc artic. 4. ad argumenta secundi prædicamenti. Nec longè abest Ferrariensis tertio contra Gentes, capite 81. Sed quanuis in hoc omnes conueniant; non tamen eodem modo omnes difficultatem explicant. Quidam volunt angelos, & nomen, & distinctionem accepisse à proprijs ministerijs, & effectibus, quos erga alios exercent: quia verò Seraphinorum propriũ est

Iuxta quam sententiam diluenda sit supra posita dubitatio.

Banhes.

Medina.

Ferrar.

Diuersæ explicationes propositæ sẽtentiæ.

est docère inflãmando, quos docent, ad diuini numinis amorem (qui effectus longe est nobilior, quam simpliciter illuminare) ideo appellati sunt Seraphini, ab amore sc. quẽ excitant in ijs, quos illuminant. Hæc sententia probata fuit plerisque recentiorũ, & Cursui Conimb. & ante eos Medinæ, nec displicuit Suario. Alij hanc distinctionem accipiunt, non ab effectibus, sed à perfectionibus supernaturalibus, & gratuitis, secundũ quas vnusquisque nobiliori modo recipit lumen diuinæ illustrationis, & rationes intelligibiles diuinæ dispositionis, quas etiam nobiliori modo alijs cõmunicat: hierarchiæ enim distinguuntur ex modo recipiendi rationes illas intelligibiles; chori vero, & ordines distinguũtur ex modo illas communicandi. Quia vero Seraphini cognitiones, & reuelatio supernaturales meliori modo communicant, quam Cherubini: quia eas communicant inflãmando ad amorem; Cherubini autem absq; inflammatione; quod non denotat tantam perfectionem; ideo Seraphini ab amore, ad quem inflammãt; Cherubini autem à cognitione nomen accepere. Ad hanc sententiam accedit Banhes vbi supra pag. 1521. & 1526. & videtur ad eam accessisse Ferrar. loco citato: in hoc tamen differũt; quòd Ferrariẽsis putat angelos supremę hierarchiæ rationes illas diuinæ gubernationis videre in essentia diuina: Banhes autem existimat illas accipi per speciales reuelationes extra verbũ. Ad nostrũ institutũ parum refert hoc, vel illo modo eas accipiant. In eo tamen displicẽt hi dicendi modi; quia omnes supponũt amorem, ad quem Seraphini excitãt, esse perfectiorem cognitione, ad quã excitant Cherubini: nam vel id intelligitur de perfectione simpliciter, vel secũdum quid. Si de perfectione simpliciter; omnes secum pugnant: omnes enim docent amorem tam vię, quam patriæ esse simpliciter ignobiliorem cognitione. Si de perfectione secundum quid: occurrit difficultas allata in principali argumẽto; cum enim Seraphini simpliciter sint nobiliores, quàm Cherubini; cur accipiunt nomen à perfectione simpliciter minus nobili? Nam, vt ex D. Thoma advertitur, angelis superioribus debẽtur perfectiones simpliciter nobiliores.

Displicent hi dicendi modi.

Hæc difficultas semper mihi visa est difficilis. Ad illam tamen puto esse dicendum Seraphinos ideo ab amore nomen sumpsisse; quia ex amore beatifico; in quo Cherubinos excedunt, per se habẽt, quod in altiori, & nobiliori prĩcipio ordinis diuinæ prouidentiæ (secundum quam, & illuminant, & illuminantur) recipiunt lumen, & cognitionem eiusdem prouidentiæ, vt doctissime annotauit D. Thomas 3. contra gentes c. 80. 12 Quid tandẽ sit respondum. D. Thom.

Ex cuius doctrina aduertendum est hierarchias, & ordines nomen, & distinctionem accipere ex modo recipiendi, & communicandi lumen, & rationes intelligibiles à Deo reuelatas circa ordinem prouidentiæ, & gubernationis huius mundi inferioris: ita D. Thomas in d. c. 80. & 1. p. q. 108. ar. 1. & 2. & in 2. d. 9. q. 1. ar. 1. ad quintum. Ex quo intelliges hierarchias, & ordines tàm quoad nomen, quàm quoad distinctionem expẽdi penes solas intelligibiles rationes prouidentiæ, & penes diuersum modum, quo eas accipiunt à superioribus, & cõmunicant inferioribus. Cum vero prima hierarchia hasce rationes intelligibiles immediate accipiat à Deo, & in hoc distinguatur ab hierarchijs inferioribus; vt ex Dionysio omnes docẽt; chori illius distinguentur penes altiorem, & nobiliorem modum recipiendi illas rationes, & easdem communicãdi alijs. Modus autem recipiendi eò erit altior & nobilior; quò principium, in quo cognoscuntur, fuerit altius, & nobilius; id quod in terminis aduertit D. Thomas in d. cap. 80. 13 D. Thom. D. Thom.

Vt verò intelligamus, quod nam principium cognoscẽdi diuinam ipsam prouidentiam sit altius; aduertendum est ad mentem eiusdem Thomæ in d. c. 80. in ordine diuinæ prouidentię, & dispositionis rerum tria reperiri principia: finem sc. qui intenditur, diuinam inquã bonitatem, à qua Deus veluti mouetur ad statuendum ordinem rebus à se conditis: deinde scientiam diuinã, quæ ordinem excogitauit, & excogitatum decreuit. Tertio ipsammet dispositionem decretam, quę est in mente diuina, quæ ipsa est principium gubernationis exequendæ. Inter hęc tria in ordine ad diuinam prouidentiam, & rerum dispositionem supremum locum obtinet finis

totius prouidentiæ, nempe diuina bonitas; tum quia finis inter omnes causas prima est, & magis nobilis: tum etiã, quia volũtas, quæ respicit finem, in executione est primum mouens. Secundum locum obtinet scientia; quæ est principiũ ipsius prouidentiæ in se: excogitauit enim, & statuit ordinem illius. Vltimum tandem locum habet ipse met ordo prouidentię in mente diuina statut⁹. Ex quo infertur illam cognitionem prouidentiæ, quæ accipitur in ipsa Dei bonitate (quæ est finis totius prouidẽtię) esse altiorem, & longe nobiliorem, quã sit cognitio eiusdem prouidentiæ, quæ habetur à Deo in ipsa diuina scientia, quatenus est principium eiusdem prouidentiæ: hanc vero præstare cognitioni, quæ accipitur in ipsomet ordine iã in diuina mẽte decreto. Quibus si adiũgamus amori debita esse, quæ ad finem pertinent: bene infertur debitum fuisse Seraphinis, ideo, quia amore ardent, vt dispositionem diuinę prouidentię intelligerent in ipso vltimo omnium rerum fine, hoc est in ipsa diuina bonitate. Et ab ista perfectione, & nomẽ acceperũt, & in suprema hierarchia locum suprem um. Et de his hæc satis sint.

ARTICVLVS VIII.

Pro solutione eiusdem rationis disputatur, an visio in patria ordinetur ad amorem?

1 In eodem secundo argumẽto principali (in cuius explicatione versamur) ad probandum amorẽ patriæ præstare visioni adducitur D. Anselmus lib. 2. cur Deus homo c. 1. in hęc verba: *Peruersus ordo est amare, vt intelligas; rectissimus vero intelligere, vt ames.* Ex qua sentẽtia colligunt aduersarij visionem ordinari ad amorem tanquam in finem: & inde inferunt amorem esse nobiliorem; quia finis præstat ijs, quæ sunt ad finem, ex Aristotele 3. Topicorum c. 1. & 1. Magnorum Moral. c. 1. hoc argumento mouentur aduersarij, vt dicant visionem in patria ordinari ad amorem tanquam in finem: ita Scotus in 4. d. 49. q. 4. litera B. in principio, & litera L. in fine, & fuit sententia Aureoli apud Capreolum in 1. d. 1. q. 1. ar. 2. in. 5. argumẽto contra 6. fol. 23. col. 2.

D. Anselmus. *Arist.* *Scotus.* *Aureol.*

Argumẽtũ hoc petit, vt explicemus difficultatem á theologis satis confuse explicatam: vtrum visio in patria ordinetur ad amorem tanquam in finem; an vero amor in visionem? Quæ difficultas non poterit sine confusione dissolui, nisi distinguam⁹ ordinabilitatẽ istorũ actuũ respectu Dei, vt est institutor vtiusque & respectu volũtatis ipsi⁹ beati. Et quia hæc posterior ordinabilitas ex priori pendet; prius inquiremus, an Deus vt auctor naturę, vnum ad alterum ordinauerit, vt ad finem. In qua quęstione illud prænotasse oportet concedendum esse visionem, & amorem beatificum à Deo inter se ordinata esse ordinatione caussæ, & effectus: constat enim amorem naturaliter consequi ad visionem. Quare negari non potest visionem ex sua natura ordinari ad amorem, vt ad effectum ordinatione aliquo modo pertinẽte ad genus caussę efficientis. Dixi *aliquo modo* quoniam non constat, an cognitio efficienter cõcurrat ad actum amoris? Tota igitur difficultas est, an inter eos detur ordinatio medij ad finem respectu Dei vtriusque entitatis auctoris?

2 Duplex ordinabilitas cõsiderãda.

Præmissum explicationem quęst.

Sit totius huius resolutionis prima conclusio. Visio nulla ratione est à Deo instituta propter amorem, tanquam propter finem. Hanc conclusionem summo consensu probant omnes, qui beatitudinem in sola visione collocant. Ita communiter Thomistæ, Capreolus in 1. d. 1. q. 1. ar. 3. ad 5. Aureoli contra 6. fol. 28. col. 1. 2. & 3. & in 4. d. 49. q. 2. ar. 2. ad 2. Scoti contra 1. fol. 192. col. 2. &. 3. Caietan. 1. p. q. 26. ar. 2. ad finẽ, & clari⁹ 1. 2. q. 3. ar. 4. ad 2. Scoti; Ferrarien sis 3. contra gentes c, 26. §. *Sed contra istam conclusionem*, folio 251. col. 4. Sotus in 4. d. 49 ar. 3. §. *tertio dicimus* fol. 567. Soncinas ibi q. 2. concl. 1. ad 2. Scoti; Durand. q. 4. late Goffredus quodl. 2. q. 10. Bellomontanus 1. 2. disp. 11. c. 9. n. 56 & 57. & ita cõcludit Paludanus in 4. d. 49. q. 3. ar. 2 n. 35. in fine: videtur colligi hęc sententia ex D. Thoma 1. 2. q. 4. ar. 1. ad 4. & ar. 2. ad 3. & 3. contra gentes c. 25. & in 4. d. 49. q. 1. ar. 2. quæstiunc. 2. ad 1.

3 Prima conclusio.

Capreol. *Caietanus.* *Ferrar.* *Sotus.* *Soncinas.* *Durand.* *Palud.* *D. Thom.*

Hanc communem sententiam ex eo probat Bellomontanus in d. c. 9. n. 56. & 57. quia Deus nullam rem aut vult, aut operatur propter aliam, tanquam propter finem, aut volendi rationẽ: sed omnia

nia vult,&operatur immediate propter suam bonitatem:ita vt nulla res habeat, aut habere possit rationem finis, propter quem aliam rem velit,aut operetur. Ita scripsit 1.p.disp.82.c.2.quo loco asserit Deum velle quidem, vt vna res sit propter aliam tanquam propter finem, v.g. vt homo sit propter vniuersum: nō tamē velle hominem propter vniuersū. Suppositā hac opinione admittit Deum visionem ordinasse ad amorem; non tamen voluisse visionem propter amorē, tanquam propter finem. Sed hanc Bellomontani opinionem non recepimus lib.1.q.6.ar. vnico §. 2.ad 2.vbi cum D. Thoma,& communi theologorum ostēdimus vnam rem creatam fuisse Deo rationem volendi aliam, & finem operādi illam.v.g. vniuersum fuisse volitū à Deo omnibus numeris absolutum, fuit Deo ratio,vtvellet hominem condere:fuitq; verus finis, cuius gratia Deus hominē cōdidit. Similiter etiam Deus ideo Petro voluit dare gratiam, quia illi voluit dare gloriam: & defacto ideo Petro dedisse gratiam,vt per eam Petrum duceret ad gloriam. Quod si in ordine executionis Deus vnam rem creatam operatur propter aliam rem, tāquam propter finem: cur in ordine intētionis, quo res instituit, & disponit, volitio vnius non erit Deo ratio voltiionis alterius? Quare ex hoc fundamento nō bene negabimus Deum potuisse in ordine suæ diuinæ prouidentiæ visionem patriæ ordinare ad amorem,tanquam ad finē: aut è contrario: sicut ordinauit gratiā ad gloriam, vt ad veram caussam finalem gratiæ.

Non recipitur.

5 Fundamētū Caietani.

Caietanus ideo negat Deum auctorē naturæ visionem instituisse, & ordinasse gratia amoris: quia putat amorem in patria potius esse ordinatum advisionē. Ita scripsit 12.q.3.ar.4.§. *ad secundum dicitur*,&significauit 1.p.q.26.ar.2.ad finē. Hoc autem probat sumpta duplici propositione:prima est;Deus visus amatur á beatis. Secunda;visio ibi non concurrit per accidens, sed per se:& ex vtraq; vult esse illatum,amorē, quo beati Deū amant, ex sua natura ordinari ad visionem, tanquam in finem. Sed inferius q. 10. art. 4. §. 5. pro Scoto ostendemus hoc medium inutile esse ad inferendam consequentiam.

In ferius rejiciendi.

Quare puto communem opinionem non aliunde posse sumere solidum fundamentum ad negandum visionem fuisse à Deo institutam propter amorem, tanquam propter finem: quàm ex sua opinione,beatitudinem sc. in sola visione collocari. Hac enim suppositā opinione non potest non negari Deum visionem ordinasse ad amorem, & ratio est, quoniam ex verissima Aristotelis philosophia finis simpliciter vltimus nō est ordinabilis in alium finem ex Aristotele 1. Ethic.cap.7.text. 28.& 2. Metaph.c.2.text.8. Quare,qui ponit visionem esse vltimum finem simpliciter, vt consequenter loquatur,negare tenetur visionem ordinari à Deo in amorem, tanquam in finē. Ipsa igitur opinio,quā defendimus, erit nobis solidum fundamentum, vt negemus, quod aduersarij sumunt. Ex eodem etiam fundamento asserendum erit amorem à Deo institutum esse propter visionem, tāquā propter finem *cui*: nam si visio instituta est à Deo,vt essētialis beatitudo; necessario infertur ea,quę visionem consequuntur (amorem sc. & delectationem) fuisse à Deo instituta ad perficiendam, & complendam ipsam visionem:nam,quæ essētiam rei consequuntur,sunt accidentariæperfectiones essentiæ institutæ,& ordinatæ ad eam, tanquam ad finem, *cui*. Et hoc fuit fundamentum D.Thomæ,vt assereret amorem fuisse à Deo ordinatum in visionem, vt patet ex 3. contra gentes c.26.ad secundam obiectionem, vbi lateFerrariēsis,idēThom. in 4.d.49. q.1.ar.2.quęstiūc.2.ad 1.vbiCapreol° q. 2.ar.3.ad 2.cōtra 3.fol.192.col.2.& Sotus ibi q. 1. ar. 3. Quare si horum actuū ordinationem expēdamus respectu Dei institutoris naturæ, negandum est adversarijsid,quod sumunt.Quomodo autem D.Anselmus sit intelligendus? statim explicabimus.

6 Solidum fundamentum.

Arist.

D.Thom. Ferrar. Capreol. Sotus.

Idem dicendum est,si duos istos act°, visionem sc.& amorem,expendamus in ordine ad ipsum beatum. Pro cuius explicatione aduertendum est hos actus in ordine ad beatum duobus modis cōsiderari posse:vno modo, vt directe eliciuntur à beato, & ad Deum terminantur: altero modo, vt terminant actum reflexum voluntatis eiusdem beati.Nam sicut intellectus videns Deum potest reflecti

7

flecti super ipsam visionem, & amorem & vtrunque actum considerare, vt duo quædam bona, tum in ordine ad ipsum beatum, tum in ordine ad Deum visum, & amatum, & vtrunque præsentare voluntati: ita etiam voluntas potest reflecti supra vtrunque actum complacendo in vtroque, vel quia vterque est bonum proprium (qui est amor concupiscentiæ, quo beatus se ipsum amat) vel quia ex vtroque resultat Deo aliquod bonū; qui est amor amicitiæ. Quare visio, & amor tribus modis possunt inter se cōferri. Vno modo; vt sunt actus directe eliciti à beato: visio per intellectū, amor per voluntatem. Secundo modo, provt terminant actum reflexum voluntatis, tanquam duę perfectiones, & duo bona ipsius beati propria, & eidē volita amore concupiscentiæ. Tertio modo; vt sūt voliti Deo amore amicitiæ. Amorē amicitiæ hoc loco appellamus, quo beatus Deum amat: concupiscentiæ vero; quo amet se ipsum. Statuimus igitur sequentes comclusiones.

8 2. Conclus. Sit secūda in ordine conclusio: visio, & amor, provt directe eliciuntur à beato, & immediate terminantur in Deum; nullo modo sunt, aut eliciuntur propter aliquem finem: & per consequens beat⁹ nec videt, vt amet; nec amat, vt videat. Posterior pars ex priori necessario deducitur. Prior autem euidens est ex ijs, quæ diximus lib. 1. q. 16. ar. 4. vbi late ostendimus actus beatificos patrię nec elici, nec elici posse à beatis propter aliquem finem. Et de visione conclusio est euidens: quia illa nullo modo est à à voluntate; cum sit prima operatio patrię, quæ antecedit omnem actum volūtatis. Nulla autem actio potest ab homine elici propter finem, nisi sit a volūtate, vel elicita, vel imperata, vt diximꝰ lib. 1. q. 16. ar. 3. §. 2. De amore etiam cōclusio patet; quia amor ille est à voluntate, vt est quædam natura: voluntas autem, vt est natura, non dirigit se ipsam, sed ab alio dirigitur, vt in d. q. 16. late ostendimus. Quare beatus, nec videndo videt propter finem: nec amando propter finem amat.

9 3. Conclus. Tertia conclusio: suppositā opinione D. Thomæ, quod visio est nostra beatitudo; si expendamus duos illos actus, vt per actum reflexum sunt voliti tanquam duo bona, quę beatus amore cōcupiscētię sibi cōcupiscit: nullo modo admittēdum est volutatem complacere in visione, quia complacet in amore; sed è contrario complacere sibi in amore, quo adhęret Deo, vt amico; quia complacet in visione, qua Deum, vt summum bonū videt. Probatur; quia voluntas beata etiam in amore non beatifico, (qualis est iste, de quo loquimur) est bene ordinata. Voluntas autem bene ordinata nō potest ordinare bonum, & finē; qui sibi est simpliciter vltimus, in alium finem: quia hæc est natura, & cōditio finis simpliciter vltimi; vt ipse nūquam sit propter aliud; alia vero omnia sint propter ipsum ex Aristotele 2. Metaph. c. 2. text. 8. Quare qui beatitudinem formaliter collocat in sola visione, non potest appetere sibi visionem illam propter aliquod aliud bonum aut finem. Accedit, quoniam tenetur voluntas se cōformare cum ordinatione illorum actuum facta à Deo institutore naturæ. Quare, cū Deus visionem non instituerit propter amorem; sed amorem potius propter visionem, vt patet ex prima conclusione; vtique voluntas beati cadens super illos duos actus, & illos sibi appetens, tanquam duo bona non poterit visionē ordinare in amorē: complacebit igitur in amore, quo Deū beatifice amat, quia complacet in visione, qua Deum videt, vt in beatitudine essētiali. Vnde in amore complacebit, vt in quodam visionis complemento. Igitur licet beatus directe non amet, vt videat; reflexe vult sibi amorem, quia sibi vult visionem, nec huic resolutioni contra dicit Anselmus vt statim dicemus. *Arist.*

10 4. Conclus. Quarta conclusio: suppositā eadem D. Thomæ opinione, beati quatenus reflectentes supra visionem, & amorem, & illos volentes Deo amore amicitiæ, vt bona quædam licet extrinseca ipsius Dei;, ideo Deo volunt bonum ex amore resultantem, quia volunt bonum, quod Deo resultat ex visione. Vt hęc conclusio intelligatur, aduertēdum est beatos tunc amare Deum amore amicitię, cum illi volunt aliquod bonum: in hoc enim consistit amicitia. Quare, cum beati reflectuntur supra visionem, & amorem, tanquam super duo bona alicui volita; vt voluntas tali reflexione dicatur tendere

dere in Deum amore amicitiæ; oportet vt duos illos actº velit, vt bona quędam in Deum redundantia, illique volita. Cũ vero nec visio, qua beatus Deum videt, nec amor, quo Deo adhæret, ratione suę entitatis sint bona Dei; vt beatus in illos actus reflectẽs possit tẽdere in Deũ amore amicitiæ; oportet, vt illos Deo velit ratione alicuius boni, quod ex illis Deo extrinsece resultet: alioquin nõ poterunt esse Deo voliti amore amicitiæ. Expendendum est igitur, quo pacto ex singulis istis actibus possit aliquod bonum in Deo resultare. Et ex visione resultat Deum apud beatum esse glorioſum: Deus enim ex ipsa visione, qua beatus illum videt, cõsequitur quãdam claram cum laude notitiam apud ipsum beatum, vt patet ex his, quę diximus de gloria lib. 3. q. 2. ar. 4. §. 2. At quodnã bonũ ex amore, quo beatus Deo adhæret, Deo resultet? Non facile explicatur: nisi dicamus ex eo, quòd Deus est beato charus, & amatus, resultare Deũ esse finem, cui beatus debet velle omnia bona. Quod si admittatur concedendũ est amorem beatificum, & bonum inde resultans amari à beato, & ordinari in bonum resultans ex visione: quoniam beatus ônia operatur, & desiderat propter Dei gloriam, & laudem: hæc enim est communis beatorum acclamatio, vt *Deo sit omnis gloria, & laus*, vt patet ex toto lib. Apocalypsis maxime cap. 4. 5. 18. & 19.

Apocalyp.

11 Collectio ex dictis.

Ex hac tam larga disputatione iam constat visionem in patria non ordinari in amorem, tanquam in finem: nec à beatis illos actus directe elicientibus, nec reflexe circa eosdem versantibus: & subinde falsum esse fundamentum aduersariorum. Nec oppositum probat Anselmus, quia agit de cognitione, & amore vię. Ita Caietanus 1. p. q. 26. ar. 2. & 1. 2. q. 3. ar. 4. Ferrariensis 3. contra gẽtes c. 26. §. *Sed contra istam conclusionem* fol. 251. col. 4. Capreolus in 4. d. 49. q. 2. ar. 3. ad 2. contra 1. fol. 192. col. 4. in principio, Sotus ibi q. 1. ar. 3. §. *tertio denique* fol. 567. col. 1. Bellomõtanus d. disp. 11. c. 9. n. 54. Suarius in d. disp. 7. quæstiuncula 1. post principium: & satis colligitur, si mentem Anselmi expendamus: nam in d. c. 1. tam in principio, quam in fine hãc conclusionem nititur probare *creaturã rationalem factam esse à Deo iustam, vt illo fruendo esset beata*, ita probat; quoniam Deus ideo eam fecit rationalem, & cum potẽtia discernendi inter iustum, & iniustũ, malum, & bonum, vt amaret bonum, & odiret malum; & preterea, vt Deũ amaret propter se, & non propter aliud, & ita Deum consequeretur, fieretq; beata. Ex quibus verbis bene colligitur voluisse Anselmum intellectionem in homine immediate fuisse à Deo ordinatã in amorem Dei, mediate vero in beatitudinem; vt sc. cognoscendo, & amando Deum mereretur illum consequi. Quæ omnia manifeste intelliguntur de ordinatione illorum actuum, vt sunt in via: intelliguntur enim de amore, provt est meritum consequẽdæ beatitudinis, quæ est conditio amoris viæ. In via autem cognitio fidei ordinatur ad amorem, tanquam in finem, etiam à Deo institutore naturæ. Ex quo non bene infertur visionem patriæ similiter in amorem ordinari; propter disparem rationem patriæ, & viæ: nam in via illi actus à Deo ordinantur ad consecutionẽ beatitudinis, cum vero beatitudo per merita assequenda veniat; duo illi actus à Deo ordinãtur ad meritum, & sub ratione meriti; secundum quàm considerationem amor primum locum obtinet, quanuis in se sit minus nobilis. At visio, & amor patrię ordinãtur à Deo sub ratione prẽmij, formalisque beatitudinis. Cũ vero formalis beatitudinis ratio postulet actum simpliciter præstantissimum, vt supponimus: visio autem apud D. Thom. quem modo sequimur, simpliciter sit nobilior, quam amor; fieri non potest, vt ordinetur in amorem tanquam in finem. Quare non valet consequentia ab ordinatione viæ ad ordinationem patriæ. Quibus addo: quanuis in via cognitio, & amor ordinarentur secundum perfectionem simpliciter; vt pleriq; putant; non proinde consequentia vim haberet: quia visio, quæ succedit fidei, lõge est prẽstãtior, quàm ipsa fides. Et hęc de ordinatione illorum actuum.

Caietan.
Ferrar.
Capreol.
Sotus.

D. Anselmus.

ARTICVLVS IX.

Pro solutione eiusdem rationis expenditur, an visio sit amabilior, quàm amor?

Vlti-

1 Argumẽtũ cuius creatione dubitatio excitatur.

VLtimo loco in secundo argumento principali, quod nitimur dissoluere, contra positam resolutionẽ expenditur, quòd odium Dei peius est, quàm error circa Deum. Ergo amor Dei, cui contrariatur odium, est maius bonum, quàm sit visio. Antecedens supponitur, vt verisimum. Consequentiam probant aduersarij ex regula topica *illud est melius, cuius oppositum est peius*. De qua Aristoteles 2. Topicorum c. 3. loco 31. & lib. 3. c. 2. loco 29. & 8. Ethic. c. 10.

Arist.

2 Hoc argumentum petit, an visio beata sit amabilior, quàm beatus amor. Hanc difficultatem moderniores explicando reddunt inextrincabilem: ex his tamen, quæ supra diximus, facilẽ habet explicationem. Nam hi duo actus expẽdi possunt, vel in ordine ad amorem cõcupiscentiæ, prout sunt duo bona nobis cõcupita: vel in ordine ad amorẽ amicitiæ, prout sunt duo bona cõcupita Deo. Hoc loco illum amorem appellamus amicitiæ, quo Deum amamus: concupiscentiæ autem; quo amamus nos ipsos; cum vero amare aliquem non sit aliud, quam velle illi aliquod bonum: tunc visio dicetur amari amore amicitiæ cum fuerit Deo volita; tunc autem amore concupiscentiæ, cum fuerit volita nobis. Idem dicito de amore.

3 Ratio dubitandi.

Si visio, & amor considerẽtur, vt amore concupiscentię sunt bona volita ipsi beato; posset aliquis dubitare, an visio sit amabilior? Quoniam amor est proprium bonum propriaque perfectio voluntatis; visio autem est propria perfectio intellectus. Iam vero iuxta regulã Aristotelis: *Amabile bonum, vnicuique autem proprium*: bonum proprium voluntatis magis ab ea amabitur. Accedit etiã quia amor in via est amabilior cognitione. Ergo, & in patria.

Arist.

4 Resolutio.

His tamen non obstantibus dicendũ est apud D. Thomam (cuius opinionem modo defendimus) visionem ex sua natura longe esse amabiliorem, quám sit amor. Quæ resolutio suppositа opinione D. Thomæ necessario demonstratur. Nam cum visio sit essentialis beatitudo, erit ipsi beato summum bonum, finisq; cæterorum omnium, quæ in beato existunt. Erit igitur simpliciter appetibilior à beato, quàm amor. Nec ratio in oppositum aliquid facit: quoniam non est sermo de voluntate, vt est appetitus quidam particularis appetens sibi soli appetitu innato: sed vt est appetit' vniuersalis, quo homo appetit sibi sua bona: quomodo visio non est bonum alienum, cum sit proprium ipsius beati. Nec similiter valet secundum argumentum, nec enim valet consequentia, quia bonitas cognitionis, & amoris in via expenditur in ordine ad meritum; in patria autem in ordine ad prẽmium: quod ipsum consistit in meliori bono.

Soluitur dubitãdi rat.

Si actus illi considerentur, vt sunt voliti Deo amore amicitiæ: in eadem est persistendũ sententia, vt sc. beatus amore amicitiæ magis appetat Deo bonum quod ex visione Deo accrescit, quàm appetat illud, quod accrescit ex amore. Quæ sententia suppositа opinione D. Thomę facile demostratur: quoniam sicut in amore concupiscentię magis nobis amamus, quod nobis est magis bonum: ita amore amicitiæ magis amam' amico, quod illi est magis bonum. At bonum, quod ex visione Deo resultat maius est, quàm bonum illi resultans ex amore. Ergo visio amabilior est amore amicitiæ, quàm amor. Maior patet: minor autẽ est euidens ex dictis in prẽcedẽte articulo. Nam visio cedit in externam quandam Dei gloriam. i. in claram cum laude notitiam; ex qua nascitur honor, quo beatus Deum, vt excellẽtissimum honorat: ex amore autem solum accrescit Deo esse finem, ad quem omnia à beato referantur: nam beatus ideo, quia Deum amat tanquam summũ bonum, omnia in eum refert, vt in finẽ. Iam vero Deum esse glorioſũ apud beatum maius est bonum, quàm Deum esse beato finem, ad quem omnia beatus referat: tũ, quia inter bona externa præstãtissimum est gloria, vt lib. 3. ostẽdimus: Tum etiam quia beati ideo volunt omnia in Deum referre, & propter eum omnia facere; quia volunt Deum apud omnes esse glorioſum: vnde quæcunq; volunt, & faciunt, in gloriam Dei faciunt.

5

6 Contra hanc resolutionem quidam obijciũt: quoniã illud est alteri ex amore amicitiæ præferendum, quod magis pertinet ad eum, & ad illius gloriam. Sed magis pertinet ad gloriam Dei id, quod ex amore amicitiæ est magis diligendũ: amor autem ex amicitia magis est diligendus,

gendus, quam visio. Ergo amor præferendus est, & pluris æstimandus à beato, quam visio: ita vt data optione beatus magis debeat eligere carere visione, quàm amore. Minor huius discursus dupliciter probatur: primò, quia amor est primum veluti fundamentum amicitiæ. Ergo amor est id. quod in ordine amicitiæ maximè amatur; ita vt propter amorem amentur reliqua: visio igitur in ordine amicitiæ amatur propter amorem. Secundò; quia amor amicitiæ omnia refert in amicum: etenim amicũ proponit, vt finem omnium actionum, facitq; illum prę ferri cęteris omnibus; sed amor beatificus est amor amicitiæ, vt supponimus; ergo amor prę ferendus est visioni.

7 Solutio

Ad hoc argumentũ admittimus primam, & secundam propositionem: negamus tamen illius minorem. Ad primam probationem admittimus antecedens: quoniã amicitia supponit amorem, quo amicus amatur propter se, & superaddit mutuam redamationẽ cum quadam mutua cõmunicatione ex Aristotele 8. Ethic. c. 2. & 3. D. Thoma 1. 2. q. 65. ar. 5. sed non video, quomodò inde inferatur ipsum amorem amicitiæ maximè amari. Primò; quia ipse amor amicitiæ directus. i. qui directè tendit in amicum, non est obiectum sui ipsius: falsò igitur infertur amorem ipsum esse, quod maximè amatur: cum in tali ordine non ametur amor ipse, sed amicus. Quod si sermo sit de amore reflexo terminato ad directum: negandum est ipsum amorem beatificum maximè amari in ordine ad Deum: cum enim non habetur, nisi vt bonum volitum Deo: & illud, quod ex amore Deo accrescit, sit minus nobile, quàm bonum accrescens ex visione, vt diximus; vtique ipse amor minus bonum erit Deo, quàm visio. In hoc igitur sensu neganda est consequẽtia: nam amorem esse fundamentũ amicitię, imò esse ipsam amicitiam, solum infert amorem esse in caussa, vt amans velit amico bona: hoc enim est amare: non tamen infert, quod bonum ex amore Deo accrescens sit maximè amatũ: siquidem inde non bene inferatur bonũ illud in se esse nobilius.

Aristotel. D. Thom.

8

Ad secundam probationem minoris dicimus, bene inde cõcludi amorẽ amicitiæ efficere, vt Deus apud beatum sit prę ferendus omnibus alijs amicis, ipsi etiã amanti, qui illo amore Deũ diligit plusquam se. Prę terea efficere, vt bonũ Dei præferẽdum sit cuicunq; bono alijs volito: ita vt si bene placitum esset Deo, vt ipsemet amãs (ne dum alius amicus) careret bono sibi proprio; hoc etiã ipse amãs sit voliturus. Sed non video, quomodò inde inferatur bonum, quod ex amore resultat Deo, sit prę stantius, quã bonum resultans ex visione. Nam sicut ex illo antecedente infertur beatũ fore voliturum se priuari visione; ita etiam infertur eum voliturum fore se priuari amore. Et in vtroq; casu ideo talem priuationem voliturus foret, vt Deus etiã in hoc esset gloriosus: quod ipsum est bonũ resultãs ex visione, in quod amor suum dirigit effectum. Ad argumentum igitur in forma concesso antecedente neganda est cõsequentia: quoniã amor amicitię ideo Deum amicum constituit finem suarum actionum, quia vult Deũ amicũ esse in omnibus gloriosum, quod bonum resultat ex visione.

9 Corollariũ.

Ex dictis patet visionem in patria sẽper esse amabiliorem amore, siue conferatur ad amorem cõcupiscentię, quo beatus duo illa bona sibi concupiscit; siue ad amorem amicitiæ, quo illa bona vult ipsi Deo. Nec huic verisimæ resolutioni obstat argumentũ sumptũ ex eo quod odiũ Dei est maioris malitię, quã error, siue ignorantia prauæ dispositionis erga Deũ. Nam vno modo soluitur apud eos, qui putant antecedens nõ esse simpliciter cõcedendũ: nam si odiũ Dei consideretur in genere rei; falsum est: quoniam in hoc genere error cõtrariatur cognitioni veræ Dei, quæ in genere rei est simpliciter nobilior, quàm amor Dei, vt ex plurimorum sententia superiùs diximus. Concedendum est tamen antecedens, si odium Dei consideretur in genere moris: quia amor (cui contrariatur) in genere moris est melior, quàm cognitio vera Dei. Cũ verò in patria, nec visio, nec amor sint actus morales, vt patet: odium Dei, & error erga Deũ non possunt conferri cũ visione, & amore patrię, nisi solũ in genere rei, in quo antecedens est falsum, vt iam diximus. Hæc solutio placuit plerisque ex nouioribus in suis ad hunc articulum

Occurritur argumento quod occasionem dedit prę senti dubitationi

commentarijs. Probata fuit Cursui Conimbricensi 3. de anima cap. 13. q. 2. ar. 2. pag. 426. in medio, & Bellomontano 1.2. disput. 11. cap. 8. num. 47. Suario ibi disput. 7. quæstiuncula 1. Prius fuit Capreoli in 1. d. 1. q. 2. art. 3. ad 15. contra 6. fol. 29. col. 2. §. *Ad confirmationem dicitur.* Nam & Diuus Thomas, vbi dixit odium Dei esse maximum peccatorum semper egit in genere vitij moralis, vt patet 1.2. q. 73. art. 4. ad 3 & 2.2. q. 142. art. 3. ad 1. & de malo q. 2. artic. 10. Ex qua solutione colliges odium Dei simpliciter non esse peius vitiũ, quàm Dei cognitionẽ falsam, sed solum secundum quid, in ordine sc. ad malitiam moralẽ, & demeritoriam. Quare argumentum deficit in antecedente.

Capreol.
D. Thom.

Alia solutio.

Secundo modo solui potest iuxta eos, qui putant charitatem, & amorem in via tàm in genere moris, quàm rei esse simpliciter nobiliorem cognitione fidei: secus dicendum esse de amore, & visione patriæ. Iuxta hanc opinionem negandum est odium Dei, vt opponitur amori patriæ in aliquo genere esse peius, quam sit error circa Deum clare visum: si tamen talis error est possibilis: nam error ille opponeretur perfectioni longè præstantiori: nimirum visioni, quæ simpliciter amori præstat. Porrò, si odium consideretur, vt oppositum amori viæ, & conferatur cum errore erga Deum cognitum, vt in via: admittendum est antecedens: quia posita hac opinione odium Dei in vtroq; genere est peius. Sed inde non bene infertur consequentia: quoniam regula Aristotelica solùm habet locum in oppositis sub eadẽ cõsideratione sumptis.

10 Tertia solutio.

Tertio loco soluitur argumentum apud eos, qui gratis admisso antecedente negant consequentiam: nec valer regula Aristotelis; quoniam non est vera, quando duo illa, quæ in bonitate inter se comparantur; ita se habent, vt vnum alterum vel intrinsecè includat, vel necessariò supponat: tunc enim non oportet, vt illud sit melius, cuius oppositum est peius: dantur enim plures instantiæ: nam florens, & iuuenilis valetudo melius bonum est, quàm sanitas simpliciter sumpta: & tamen ægritudo, quæ opponitur sanitati, est maius malũ, quàm defectus florentis valetudinis. Similiter etiam lætãter viuere melius est, quã simpliciter viuere: & tamen non viuere est maius malum, quàm miserè viuere. Cum igitur amor patriæ necessariò supponat visionem (quia voluntas non potest beatificè adhærere Deo, nisi Deum clarè videat) ex illa regula non bene infertur amorem esse bonũ melius; quanuis admittamus odium esse peius. Ita Durandus in 4. d. 49. q. 4. ad 5. Capreolus q. 1. ar. 3. ad 5. tertio loco contra primam fol. 194. col. 3. & in 1. d. 1. q. 2. ar. 3. ad 15. contra 6. fol. 29. col. 1. Valentia 2. tom. disput. 1. q. 3. punct. 4. §. *Ad tertiam probationem* Quæ solutio directè, & optime soluit argumentum quidquid reclamet Bellomontanus. Illius tamen vim non satis elidunt, qui volunt regulam Aristotelis non procedere in ijs, quæ non opponuntur eodem genere oppositionis: odium autem Dei contrariè opponi amori Dei: cum tamen carentia visionis solũ opponatur priuatiuè: quæ solutio placuit Durãdo, Capreolo, Cursui Conimbr. locis citatis, & præterea Ferrariensi in 3. contra Gentes c. 26. §. *ad huius euidentiam* pag. 251. col. 4. & Medinæ in hoc ar. 4. ad 3. tertij prędicamẽti: quæ tamen solutio non satis elidit vim argumenti, vt idem Bellomontanus aduertit; quoniam instari potest sumpto argumento ab infidelitate, quæ contrariè opponitur cognitioni tam viæ, quàm patriæ. Et hæc dixisse sufficiat pro solutione secundæ rationis principalis, quæ contra nobilitatem visionis obijciebatur. Ad soluẽdum cæteras accedamus.

Durandus.
Capreolus.
Valentia.

Durand.
Capreol.
Ferrar.
Medina.

ARTICVLVS X.

An reliqua argumenta aduersariorum bene soluantur?

§. 1.

Soluũtur argumenta, quæ primo loco fiebant.

1

HVcusque egimus de secunda ratione principali, & de his omnibus difficultatibus, quæ in ea tãgebantur. Reliqua est solutio aliarum rationum, quæ tam primo, quàm secundo loco adducuntur contra sententiam D. Thomę. Ad tertiam igitur rationem earum, quæ primo loco fuerunt adductæ, dicendum est beatitudinem à theologis

Solutio tertiæ rationis principalis.

logis in hoc sensu dici actum vltimum, vltimamque perfectionem; quia in genere actus sub communi ratione, & in ordine actuandi est vltimus, tum perfectione, tum etiam generatione: nam actus, vt dicit ordinem actuandi, primò diuiditur in actum primum, & secundũ. Et in hoc ordine actus secundus est vltimus. In hoc igitur ordine. i. respectu actus primi, beatitudo est actus vltim°: quanuis in speciali, & in ordine ad actus secundos non sit vltimus. In quo ordine beatitudo expẽditur non penes esse vltimum actum, sed penes esse assecutiuũ obiecti beatifici. Ita difficultatem explicuimus supra q. 4. ar. 1. §. 5. & in terminis ita eam explicauit Suarius hìc disp. 6. quęstiunc. 2. §. *Secundo dicendũ est*, & satis colligit ex Bellomontano hìc disp. 8. c. 3. n. 13. & disp. 11. c. 10. ad 4. n. 58.

2 Solut. quartæ rationis.

Ad quartam rationem, quę est Scoti, dicimus argumẽtum laborare in æquiuoco: nam dupliciter potest intelligi obiectum beatificum immediatè attingi: vno modo, quia attingitur nulla pręuia operatione. Altero modo; quia in se ipso attingitur. Si priori modo intelligatur; argumentum pro nobis est: quoniam intellectus illo modo immediatè attingit obiectum; voluntas autem, nequaquam: quia requirit præuiam visionem. Concesso igitur primo discursu, neganda est minor secundi. Cuius probatio falsum sumit, si in eodem sensu persistendũ est: voluntas enim isto modo, non immediatè attingit Deũ, quantumuis terminetur ad Deũ, vt est finis.

At verò si posteriori modo explicetur immediata attinctio Dei, admisso antecedente, negãda est consequentia; tum quia ratio maioris, vel minoris appetibilitatis in operatione non est posita in hac immediata attingentia, sed in attingentia assecutiua. Tum secundò; quia in consequente supponitur nõ omnes operationes intellectus, & voluntatis ęque immediatè artingere Deũ in sensu explicato, quod est falsum: quia omnes Deum attingunt in se ipso: nec vna in hoc sensu immediatius, quàm alia. Quod siquis pro Scoto dicat obiectum beatificum tunc immediatè attingi, cum attingitur sub ratione boni; occurrendum erit iuxta ea, quæ §. 2. ad 1. dicenda sunt.

3 Solutio confirmationis.

Ad confirmationem neganda est minor: quoniam hoc loco non est sermo de voluntate, vt est appetitus quidam naturalis, sed vt est appetitus rationalis totius hominis; quo homo appetit, vt *quod*, ipsa autem solùm vt *quo*. Volũtas igitur, vt est appetitus rationalis datus homini propter ipsum hominem respicit bonum præcisè, vt est bonum homini: & ideo magis appetit, quod ipsi homini est maius bonum, siue illud sit in ipsa voluntate, siue in alijs potentijs. Nec valet consequentia: *voluntas, vt est appetitus naturalis, plus appetit suam perfectionem, quàm alterius potentiæ. Ergo similiter appetet, prout est appetitus rationalis*: Dispar enim est ratio in voluntate vno, vel altero modo considerata: nam vt est appetitus naturalis; sicut appetit actu non elicito; ita soli sibi appetit. At verò vt est appetitus rationalis, cum sit datus non propter se, sed propter hominem; & appetit appetitu elicito, & appetit quidquid est bonum homini, per quamcunque potentiam illi conueniat. De hoc multa apud Capreolum in 4. d. 49. q. 2. art. 3. ad 3. Scoti contra 1. fol. 192. col. 4. Soncinatem ibi q. 2. concl. 2. ad 3. Caietanum, & Medinam in hoc artic. 4. Sotum in 4. d. 49. q. 1. ar. 3. §. *Tandem vt finem faciamus*. fol. 567. col. 1. Valentia 2. tom. disp. 1. q. 3. punct. 4. ad 2. Scoti pag. 66. & est vulgaris doctrina.

Capreolus. *Soncinas.* *Caietan.* *Medina.* *Sotus.* *Valentia.*

4 Solutio quĩ tæ rationis

Ad quintum negamus voluntatem ex sua natura esse essentialiter beatificabilem: & ratio est, quia ex sua natura non est assecutiua obiecti beatifici, sed illud supponit iam assecutum, vt diximus art. 3. probatio autem deficit: quoniam non omnis vnio cum vltimo fine est beatifica, sed sola assecutiua illius.

5 Solutio sexti.

Ad sextum negatur antecedens: quoniam id, quod est pœna, quanuis rationem pœnæ non habeat, nisi, quia est inuoluntaria; tamen non est actus voluntatis. Et de pœna damni res est clara: quia formaliter est carentia visionis diuinæ essentiæ, quæ carentia est in intellectu: quanuis non causset tristitiam in voluntate, nisi quatenus imponitur voluntate renuente. Et isto modo cessant omnia, quæ in oppositum affert noster Argentina in 4. d. 49. q. 4. ar. 2. concl. 3. argumento secundo.

Argentin.

6 Solutio vltimę rationis *Durandus. Capreol.*

Ad postremam rationem negãda est consequentia cum Durando in 4. d. 49. q. 4. Capreolo ibi q. 2. art. 3. ad 3. secundo loco contra primam fol. 193. col. 4. & ad 6. tertio loco contra eandem fol. 194. col. 4. & in 1. d. 1. q. 2. artic. 3. ad 14. contra 6. fol. 29. col. 1. nec enim opus est, vt illa potentia immediatè præmietur, quæ meretur: nam manus vicit hostem, & caput ornatur corona victorię. Beatitudo igitur respõdet merito quoad quantitatem; non verò quoad subiectum; voluntas autem, quia in via meruit, in patria quiescit in prȩmio, quod meruit, ex D. Thoma in 4. d. 49. q. 1. art. 1. quæstiuncula 1. *D. Thom.*

§. 2.

Soluuntur rationes secundo loco adductæ.

7

Consequenter soluenda sunt argumenta, quibus aduersarij probãt beatitudinem non poni in visione. Pro solutione primi multa scribunt Capreolus in 4. d. 49. q. 2. articul. 3. ad 1. Scoti contra 1. fol. 192. col. 1. & 2. Sotus ibi q. 1. ar. 1. §. *pro solutione tertij*, fol. 567. col. 2. Ferrariensis 3. contra Gentes c. 26. fol. 251. col. 3. Valentia hìc disput. 1. q. 3. puncto 4. ad 1. pro Scoto pag. 66. Bellomontanus ibi disp. 11. c. 10. ad 1. n. 58. Sed ex his, quæ docent, non facilè dissolues vim argumẽti. Pro vera illius explicatione præmittendum est obiectum beatificũ rationẽ beandi non habere ex formali ratione obiecti, quatenus est obiectum: quia ratio obiecti, vt obiectum est, est ratio beandi sub *qua*: Deus enim, quanuis beet nos sub ratione veri, aut boni; quia sub vtraque ista ratione cadit sub intellectum, & voluntatem: non tamen ratio veri, aut boni est illi ratio formalis, qua beat: quia vtraque illa ratio formaliter sumpta est relatio quædam rationis, quæ licet possit esse ratio beandi *sub qua*; non tamen potest esse ratio beandi *qua*. Ratio igitur formalis, qua Deus nos beat, est infinita, & summa perfectio suæ deitatis: ideo enim Deus nos beat; quia est ens infinitè perfectum. Deus igitur est obiectum beatificũ formaliter perfectione suæ deitatis. Si verò alicubi inuenies Deum esse obiectum beatificum, quatenus est bonus & vltimus finis; id ne intelligito de bonitate, & vltimo fine formaliter, sed fundamentaliter: quia Deus est obiectum beatificans sua diuina perfectione, in qua fundatur ratio summæ bonitatis, & vltimi finis: erit igitur sensus, Deus, quatenus est bonus. i. quatenꝰ habet in se fundamentum bonitatis, & finis, est obiectum beatificum. Itaq; id, quod est summum bonum, & vltimus, finis, est obiectum beatificans, quanuis non formaliter beatificet, vt est summũ bonum, & vltimus finis.

Capreol. Sotus. Ferrar. Valentia.

Præmissum ad solutionẽ primi argumenti.

Ex quo inferes Deum, tunc attingi à nostra potentia, vt est obiectum beatificum; cum attingitur, quatenus est ens infinite perfectum, & summum bonum fundamentaliter sumptum: hoc autem modo non solùm attingi potest à volũtate, sed etiam ab intellectu: quoniam Deus sub ratione deitatis non solùm fũdat rationem veri, & intelligibilis; sed etiam rationem boni, & appetibilis.

Solutio primi argumẽti.

His ita suppositis iam facilè soluitur argumentum: admittimus enim beatitudinẽ poni in actu, quo attingitur Deꝰ, vt est obiectũ beatificũ, hoc est, sub formali ratione, qua est beatificãs nos. Cũ verò sit talis formaliter, quatenus est infinitè perfectus, & fundamẽtaliter bonus: potest attingi ab intellectu isto modo: potest enim intellectꝰ attingere Deũ, qui nos beat, & ipsam Dei perfectionẽ, qua nos beat. Quare negãda est minor: cuius probatio parum valet: quoniã & si intellectus non tendit in bonum sub ratione boni, tanquam sub ratione tendẽdi, quæ dicitur ratio *sub qua*: tamen tendit, tum in ipsam rem bonam, tum in ipsam bonitatem formalem obiectam sibi sub ratione veri. Quę solutio placuit Bassolio in 4. d. 49. q. 2. ar. 2. ad 1. pro secunda conclusione. *Bassolius.*

Ad secundum negatur maior: quoniã per intellectum fit essentialis assecutio obiecti beatifici, vt iã diximus: etenim per intellectum Deus cum tota sua perfectione, & bonitate fit nobis præsẽs: in quo posita est ratio assecutionis. Quod verò obijcitur de cõprehensione facilè soluitur, si cum nonnullis dicas eam esse actũ intellectus. Porrò, si cum veriori sententia ponatur actus voluntatis: dicendum est comprehensionẽ formaliter, non esse assecutionẽ obiecti beatifici, sed appropriationem quandã illius iam assecuti, vt suo loco dicemus.

8 Solutio secundi.

Ad

9 Solutio tertij. Ad tertium patet solutio ex dictis ad secundum, vbi omnia dissoluimus, quæ nunc obijciuntur.

Solut. quarti. Ad quartum iam diximus visionem pluris esse faciendam, quàm amorem, & subinde summe esse appetendam, vt patet ex art. 9.

10 Solutio 5. Ad quintum; controuersum est, an maior sit vnio visionis, quam amoris: quod tamen parum ad rem facit; quoniam beatitudo per se non ponitur in vnione maiori, vel minori potentiæ cũ obiecto; sed solùm in vnione assecutiua obiecti: ostendimus autem visionem talem esse. Ad argumentum igitur, vt gratis demus antecedens, consequentia est neganda. Et hæc est optima solutio à nouioribus communiter probata, & satis est de mente Capreoli in 1. d. 1. q. 1. ar. 3. ad 3. & 6. contra 6. fol. 27. colum. 4. in fine.

Capreolus.

Dubium. Resoluitur. Si verò inquiras; quæ nam illarum vnionum sit maior? Thomistæ putant vnionem visionis simpliciter esse maiorem: ita Capreolus in 4. d. 49. q. 2. art. 3. ad 1. Scoti contra secundam fol. 191. col. 1. vbi Soncinas q. 2. concluſ. 2. ad 1. Scoti, Ferrariensis 3. contra Gentes c. 26. in quinta ratione pag. 250. colum. 1. Medina in hoc ar. 4. ad finem commenti; Caietanus 1. 2. q. 28. ar. 1. cum quibus est Durandus in 4. d. 49. q. 4. ad 4. n. 20. & 21. Fundamentum est: quoniam vnitas, quæ fit per intellectum, eius est naturæ, vt intellectus per eam fiat ipsa res intellecta; per speciem quidem in actu primo; per intellectionem verò, in actu secundo, vt ex Aristotele in libris de anima sæpe docuimus. Quæ vnitas & si non est realis in genere rei; est tamen realis in genere intelligibilium; at vnitas amoris secundum affectum, quatenus est nexus, & iunctura amantium solum facit vnionem secundum quid: quia solum facit vt amans secundum affectũ sit quasi ipsum amatum: vnde Aristot. 2. Politicorum cap. 2. ex Aristophane solùm dixit ex amantibus fieri quasi vnum: quia scilicet amor solum efficit, vt amans se habeat ad amatum; vt ad alterum se, vt annotauit Caietanus. Quare talis vnitas non est realis, sed metaphorica per transmutationem affectus vnius erga alterum: inter quos datur vnum velle.

Capreol. Soncinas. Ferrar. Medina. Caietanus. Durandus. Fundamentum. Ariſt. Ariſtotel.

Nec his obstat, quod amor nititur effectiuè facere realem vnitatem vnius cum altero, vt ex Aristophane dixit Aristoteles: non obstat inquam, quoniam hoc desiderium tendit ad vnitatem cohabitationis, collocutionis, & alijs huius generis, quæ propriæ non sunt vnitates. Nec similiter obstat, quod dixit Diuus Thomas 1. 2. q. 28. artic. 1. ad tertiũ amorem esse magis vnitiuum, quam cognitionem; & hanc esse sapientium sententiam teste Medina: quoniam est intelligendus Diuus Thomas de vnitate vtriusque, quæ nobis est notior. Vide Caietanum, & Medinam in eodem loco. Sed, vt diximus, ad nostrum institutum parum refert, quod hanc, vel illam probes sententiam.

11 Occurritur obiectionibus. *D. Thom. Caietan. Medina.*

Ad sextum facilis esset solutio apud eos, qui negant fieri posse etiam à Deo, vt amor, & delectatio non sequantur visionem. Sed falsa est opinio. Secunda igitur solutio est quorundam, qui teste Bellomontano volunt visionem absolutè non habere rationem beatitudinis, nisi actu sit causa amoris. Quare impedita causalitate non faceret beatum eum, qui diuinam videret essentiam. Eadem fere est solutio eorum, qui dicunt visionem non habere rationem beatitudinis, nisi quatenus est notitia attingens obiectum virtute continens amorem, illumque concernens, vt causa illius. Ita Sotus in 4. d. 49. q. 1. art. 4. ante solutionem argumentorum principalium, Medina in hoc art. 4. ad secũdum argumentum pro prima opinione pag. 63. col. 2. in fine: nec reijcitur à Capreolo in 4. d. 49. q. 2. art. 3. ad 5. Scoti contra primam in secũda solutione fol. 193. colum. 1. vbi citat Godoffredum, & probant plures recentiorum.

12 Solutio 6. Reijcitur. Secunda solutio. *Sotus. Medina. Capreol.*

Hanc solutionem non recipit Suarius hìc disput. 7. quæstiuncula prima; nec Bellomontanus disputatione 11. capite 10. numer. 61. Fundamentum Bellomontani est, quia inde sequeretur solam visionem non esse totam essentiam beatitudinis. Suarius verò ita arguit quoniam si visio solùm effectiuè radicaliter beat; aliquid aliud præter visionem formaliter bearet: quia necesse est vt hic effectus (scilicet esse beatum) formaliter fiat per aliquam formam. Ergo vel illa est sola visio: & ita non

13

est verum illam beatificare effectiuè, sed tantùm formaliter: vel si effectiuè beatificat, necesse est, quòd aliquid efficiat, quod sit formaliter beatificans, vel totaliter, vel partialiter: & sic non sola visio beatificat.

14 Neutrius impugnatio est firma.

Sed neutra impugnatio est satis firma: quoniam, cum Sotus, & alij asserunt solam visionem esse totam beatitudinẽ; solùm excludunt à ratione beatitudinis amorem, & cæteros voluntatis actꝰ, de quibus est controuersia: non tamen excludunt aliam rationem visionis distinctam à ratione formali illius: solùm enim asserunt ex actibus intellectus, & voluntatis solam visionem esse totam beatitudinem: non asserunt tamen solã formalem rationem visionis (quæ posita est in ratione notitiæ attingentis obiectum) ad beatitudinis essentiam pertinere: quod ipse Bellomontanus concedat oportet, dum docet beatitudinẽ in sua essentia non includere solam rationem formalem visionis; sed etiam rationem perpetuitatis, quæ est quædam ratio modificans visionem: ita vt non sola visio, vt visio est, sit tota beatitudo; sed visio, vt est perpetua: vt ipse fatetur vbi supra n. 63. & latiùs disp. 21. cap. 3. num. 10. & fatetur Suarius hìc disp. 18. quæstiuncula 3. eodem igitur modo diceret Sotus, quod licet amor non sit de ratione essentiali beatitudinis, sed sola visio: tamen non sola visio, vt visio est, simpliciter est beatitudo, sed visio vt virtute continet amorem. Ex quo non sequitur, quod aliqua forma præter visionem beet: quia sola visio formaliter beat exclusiua excludente aliam quancumque formam: non tamen aliam rationem ipsius visionis.

15 Eodem modo solui potest instantia, qua Bellomontanus vbi supra profligatam putat secundam, quam ex Thomistis affert, solutionem: nam quanuis ratio possessionis, & assecutionis soli visioni conueniat; prout visio cum amore confertur: negarent tamen visionem secũdum solam formalem visionis rationem adæquatè esse assecutionẽ: etenim sicut visio, vt solum est formaliter visio, non est simpliciter assecutiua, sed vt est ppetua: ita (dicerẽt illi) nõ est adęquatè assecutiua, nisi vt cõtinet amorẽ. Quare vtraq; præcedens solutio libera manet ab impugnationib⁹ Bellomõt. & Suarij.

16 Vtraq; pars secundæ solutionis alia via impugnatur.

Ego tamen neutram solutionem probo: non Soti: quoniam etsi Deus potest visionem sine amore conseruare: non tamen potest facere, vt visio ita conseruata virtute non contineat amorem: sicut licet Deus possit rationalitatẽ hominis conseruare sine risibilitate; non tamen faciet, vt rationalitas non sit prima, & radicalis caussa illius: statim enim sublato impedimẽto sua virtute influeret in risibilitatem. Quare si satis est visio virtute continens amorem ad faciẽdum beatũ; vtique separato amore adhuc beatum redderet. Quare, vt Sotus loquatur consequenter, recurrere debet ad priorem solutionem. Quæ tamen nõ videtur probanda: tum; quia gratis illã beandi conditionem excogitat: tum etiam; quia non posset non supponere amorem, vt rationem haberet beatitudinis: relatio enim illa caussantis amorem consequitur amoris productionẽ. Consequens tamen non puto admittendum esse in opinione D. Thomæ: apud quem visio prius natura, quàm resultet amor, habet veram, & completam rationem beatitudinis.

17 Facilior solutio.

Quare accommodatior, & facilior videtur eorum solutio, qui dicunt posito illo casu videntem essentialiter quidem futurum esse beatum: non tamen perfectè secundum omnem naturalem beatitudinis perfectionem. Ita Durandus in 4.d.49.q.4.ad vltimum n.25. Capreolus ibi q.2. art. 3. ad 7. tertio loco contra primam fol. 194. col. 4. in fine, & ad 5. Scoti contra eandem fol. 193. col. 1. in tertia solutione, Medina in hoc ar. 4. ad 2. pro prima opinione fol. 63. col. 2. ad finem, placuit doctissimo præceptori meo fratri Frãcisco à Christo in hoc art. 4. & est communis inter nouiores. Ad argumentum igitur admittenda est sequela: cuius impugnatio petit difficultatem; an cum illa visione posset dari peccatum? Qui affirmant; negabunt minorem. Qui verò negant; inficiabuntur sequelam. Quænam harum opinionum sit verior? suo loco explicabimus.

Durand. *Capreol.* *Medina.*

18 Postremi argumenti solutio.

Postremum argumentum satis sufficienter soluitur reprehẽsione viri alioquin doctissimi; quod ausus sit opinionem constanter à D. Thoma assertam, & in omnibus scholis celeberrimam ad errorem

errorem nouorum hæreticorũ iure affinitatis reuocare. At quo fundamento? Nullo vel apparente, nisi forte audacioris licẽtiæ. Nam vnde affinitatem deducet? Inquiet forte; quia ex ea infertur beatitudinem vię in sola fidei cognitione esse positam. At nullus non videt ineptam esse consequentiam propter disparem vtriusque beatitudinis rationẽ. Sed gratis admittamus consequentiam: nunquid errori explicato affinis erit, qui dixerit beatitudinem viæ supernaturalem essentialiter positam, esse in altissima fidei cognitione? Non ne hæc opinio fuit præstantissimorum theologorum? Quis vnquam erroris eam dãnauit? Aut quomodo inde inferri potest solam fidem iustificare; Sed de hoc suo loco iterum redibit sermo. Et pro defẽsione opinionis D. Thomæ beatitudinẽ patriæ in sola visione ponentis hæc tam late dicta sint.

QVÆSTIO IX.

1

VM iam constitutum sit probabilẽ esse opinionẽ, quæ asserit beatitudinem patriæ essentialiter poni in solo actu intellectus: consequẽter inquirendum est, in quonam intellectus actu illa collocetur? Nam plures esse actus intellectus philosophi fatentur. Datur enim notitia quidditatiua, & non quidditatiua: intuitiua, & abstractiua, simplex, & cõposita: apprehensiua, & iudicatiua: speculatiua, & practica: denique datur notitia directa, & reflexa. Primo igitur inquirendam est, an beatitudo ponatur in notitia quiditatiua; Secũdo an in intuitiua, an in abstractiua? Tertio; an in notitia simplici, an in composita? Quarto; an in apprehensiua, an in iudicatiua? Quinto; an in speculatiua, an in practica? Postremo; an in directa, an vero in reflexa?

Ordo in hac quæstione seruandus.

ARTICVLVS I.

An beatitudo patriæ ponatur in notitia quidditatiua dei?

QVoad primum inquirimus; an beatitudo patrię ponenda sit in cognitione clara, & quidditatiua Dei; an vero in aliqua cognitione Dei obscura, & ænigmatica. Ratiõ dubitãdi ex eo sumitur; quia cognitio clara, & quiditatiua rei simplicissimę, qualis est diuina essentia, est comprehensiua eius: cognitio enim quidditatiua rei debet manifestare omnia prædicata quidditatiua vsque ad vltimam differentiam exclusiue, vt aduertit Caietanus 1. p. q. 12. q. 1. in principio, & est recepta doctrina philosophorum, de qua Cursus Conimb. in c. 1. posteriorum q. 3. ar. 3. pag. 318. At nullus potest dari actus intellectus creati, qui sit comprehensiuus Dei, vt omnes fatentur cum D. Thoma 1. p. q. 12. ar. 7. Ergo fieri non potest, vt beatitudo patrię ponatur in aliqua cognitione Dei quidditatiua, & clara, sed collocabitur potius in aliqua cognitione obscura, & adhuc ænigmatica.

1

Ratio dubitandi.

Caietan.

Dicendum tamen est beatitudinem patriæ collocandam esse in actu intellectus, quo Deus quidditatiue cognoscatur. Hæc conclusio non potest nõ esse apud omnes theologos indubitata: imò non potest nõ esse de fide, cũ euidẽter deducatur ex Paulo 1. Corinth. 13. *videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem* 2. Corinth. 5. *dum sumus in corpore peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciẽ.* Quib' verbis Paulus excludit cognitionẽ per fidem, in speculo, & in ænigmate, & subinde cognitionem obscuram: & concedit facialem, & per speciem, hoc est per ipsam expressam naturam, & essentiam Dei. Quod etiam ait Ioannes 1. c. 3. *videbimus eum, sicuti est.* i. in propria forma quam Paulus appellauerat facialẽ cognitionem. Cognitio autem per propriã Dei formam, & speciem est cognitio quidditatiua, & essentialis: species enim rei idem est, quod forma, & quidditas rei. Quod satis declarant Theologi, imò fides catholica, dum ait: beatos visuros Dei essentiam. At videre essentiã non aliud, quam videre quidditatem, & naturam Dei.

2

Resolutio.

1. Corint.

2. Corint.

Ioan. c. 1. & 3.

Ratione etiam facile demonstratur. Primo; quia beatitudo ex sua natura vẽdicat sibi operationem prẽstantissimã, vt supponimus. Notitia autem clara &

3

Ratione ostenditur 1. Secundo.

quidditatiua longe excellentior est, quã obscura, & ænigmatica. Deinde; quia beatitudo est formalis assecutio Dei, vt est nostra beatitudo obiectiua. Ergo exiget notitiam ex sua natura assecutiuã Dei. Nulla autem talis esse potest, nisi sit clara, & quidditatiua diuinæ essentiæ: nulla enim talis erit, nisi sit intuitiua, vt in sequenti articulo dicemus: intuitiua autem non potest non esse quidditatiua.

Soluitur ratio dubitandi. Nec ratio dubitandi aliquid officit: neganda enim est maior, si intelligatur de vera, & propria comprehẽsione. Porrò si intelligatur de comprehẽsione large sumpta, admittenda est, & neganda minor, vt in sequenti libro latiùs explicabitur: modo satis sit comprehensionẽ dupliciter accipi ex D. Thoma 1.p.q.12 ar.7.ad 1. vno modo large, vt opponitur insecutioni, qua quis insequitur rem veluti fugientem, aut longe distantem, vt eam apprehendat, & teneat: iuxta illud 1. Corinth. *9. sic currite vt comprehendatis.* i. vt assequamini, & teneatis Deum, quem consequi, & tenere desideratis: & illud ad Philippenses 3. *Sequor, si quomodò comprehendam:* & hæc insecutio est actio viæ terminata ad comprehensionem .i. tentionem, ac veluti manu tenentiam, quæ est in patria. Altero modo accipitur cõprehensio strictè pro adæquata, & omnimoda inclusione Dei, vt est obiectum intelligibile intra cognoscentis cognitionem: quæ comprehensio tunc solum datur, cum Deus cognoscitur, quantum est cognoscibilis. Hanc posteriorem Theologi negãt beatis, vt patebit libro sequenti: nam ex Paulo 1. Corinth. 2. *Quæ sunt Dei nemo nouit, nisi spiritus Dei, qui est in ipso.* & ibi *spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei.* De hac igitur comprehensione neganda est maior: quoniam ad cognitionem isto modo comprehensiuam plus requiritur, quàm ad cognitionem quidditatiuam. Porrò de comprensione priori modo sumpta admittenda est, & neganda minor: Deus enim & si in via comprehendi non potest, quia quidditatiuè, & clarè in ea videri nequit: in patria tamen comprehenditur, vt affirmat Augustinus sermone 38. de verbis Domini, & Greg. Nazianzenus oratione 34.

D. Thom. 1. Corint. Ad Philippenses. 1. Corint. Auguſt. Nazianz.

ARTICVLVS II.

Vtrum beatitudo formalis patriæ ponatur in notitia abstractiua, an intuitiua?

§. 1.

Resoluitur quæstio pro notitia intuitiua.

1 Præmissum ad resolut.

IN hac quæstione præmittendum est id, quod alibi latiùs resoluimus, notitiam intuitiuam eam appellari, quæ est rei existẽtis, & præsentis, vt existens, & præsens est: abstractiuam verò, quæ non terminatur ad rem existentem, & præsentem, vt est existens, & præsens, ita vtramque notitiam explicauit Cursus Conimb. 2. de anima cap. 6. q. 3. art. 1. in principio: quam explicationem constãter docuit Scotus 2. d. 3. q. *9. §. ad quæstionem igitur;* & quodlib. *6. §. quantum ad secundum* litera E, F, & cum Scoto communis Scotistarum, vt patet ex Rada in 1. disp. 7. q. 9. ar. 1. post quintam sententiam, & disp. 15. q. 3. notab. vltimo, Ferrariensis 2. contra gentes c. 96. Durand. in prologo q. 3. nec ab ea dissentit Suarius lib. 2. de attributis c. 18. n. 4. Denique est explicatio receptissima: reiecta opinione Nominalium Gregorij in 1. d. 3. q. 3. ar. 1. in principio, & Gabrielis in 1. d. 38. q. vnica ar. 3. dub. 2. & in prologo q. 1. ar. 2 notab. 2. Reiecta etiam explicatione Bellomõtani 1. p. disp. 134. c. 3. quatenus admittit notitiam intuitiuam rei, licet non sit existẽs, nec præsens. Omnes enim vno consensu ad notitiam intuitiuam requirunt tam existentiam quoad tempus, quàm præsentiam quoad locũ iuxta sphæram actiuitatis potentiæ. Sed nõ facilè explicatur, quidnam sit notitiam terminari ad rem existẽtem, atque præsentem, vt existens, & præsens est? Et relictis aliorum explicationibus (de quibus alibi egimus) tunc notitia dicitur rei existentis, & præsentis, vt existens, & præsens est; cum ipsa realis rei existẽtia, & præsentia, est motiua potentiæ, vt in ipsam existentem, & præsentem tendat: ita vt ipsa realis existentia, & præsentia rei sit ratio formalis, qua res se ipsam in sua existentia, & præsentia præsentet intellectui, aut visui, faciatque se in se ipsa obiectiuè præsentem. Itaque opus est, vt ipsa rei existentia, & præsẽtia sit ratio formalis tum motiua potentiæ

Scotus. Rada. Ferrar. Durand.

tentiæ, vt tendat in rem; tum terminatiua talis tendentiæ.

2 Quorundã error.

Hoc supposito pro resolutione quæstionis dicendum est non posse inter catholicos dubitari beatitudinem patrię de facto collocari in notitia intuitiua diuinę essentiæ, quam visionem appellamus. Dixi *inter catholicos*; quoniã quidam hæretici voluerunt nullam creaturam quantumcunque eleuatam posse videre Deum, sicuti est in sua propria existentia: beatos autem solum videre eminẽtem quandam lucem ex diuina substantia resultantem, & in ea videre Deum eo modo, quo Sol videtur in suo splendore. Ad quem errorem proxime accedit Theodoretus in dialogo *immutabilis*, vbi concludit angelos non aliter videre Deum, quàm videbant prophetę: quorum visio non fuit intuitiua; itaq; apud istos beatitudo patriæ de facto non est notitia intuitiua Dei, sed solũ abstractiua. Sed contra hunc errorem suo loco latissime disputabimus: modo satis sit fidem catholicam prędicare beatitudinem patrię in visione diuina essentię positam esse: iuxta illud 1. Ioannis 3. *tunc similes ei erimus: quia videbimus eum, sicuti est*, i. in propria forma, & natura, in qua in se ipso existit. Et iuxta illud Pauli 1. Corinth. 13. *videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* i. per propriam Dei speciem, & formam, vt idem Paulus declarat 2. Corinth. 5.

Theodore. Impugnatur. 1. *Ioãnis* 3. 1. *Corinth.* 2. *Corinth.*

3 Quid dicendum de possibili.

Vtrum vero beatitudo patriæ, quatenus est beatitudo, vendicet sibi notitiã intuitiuam? Solus Bellomontanus loco citato fecit dubitabile; dum admisit notitiam quidditatiuam Dei adhuc futuram fore beatificam, si per impossibile Deum aut non existentem, aut non prę sentem repræsentaret, nec esset intuitiua: agens enim in d. c. 3. n. 7. & inferius in 2. & 3. argumento de notitia quidditatiua Dei abstracta tamen ab existentia, & præsentia duo de ea asserit: eam sc. adhuc dici posse intuitiuam: & quanuis intuitiua non diceretur, ex se esse beatificam, ita enim scribit: *Quod satis videtur, vt notitia intuitiua dicatur: aut saltem, vt habentes eam faceret beatos.* Quæ alternatiua satis significat talem notitiam abstrahentem ab existentia, & prę sentia Dei futuram fore beatificam, quanuis intuitiua non diceretur. Quod inde probat: quoniam vt notitia Dei dicatur, & sit beatitudo potens beare; satis est, quòd beatus per eam quidditatiue cõtempletur, & cognoscat infinitatem Dei sicuti ipsa est; quanuis trinitatem non cognoscat, vt existentem, aut præsentẽ. Hoc autem non alio probat argumento, quam à simili: si enim, (inquit) beatitudo consisteret in contemplatione rei creatæ; non minus illa bearet, si esset quidditatiua, etiam si abstraheret ab existentia, quàm si non abstraheret. Vnde si astrologi beatitudo esset propria visio eclipsis, etiam si eclipsis fieret in altero hemisphęrio, si ipse per propriã illius speciem quidditatiue eam cognosceret; beatus esset: immo etiam si eclipsis esset futura.

Fundamentum.

4 Reijcitur præcedẽs sẽtentia.

Hac tamen reiecta sententia asserendum est beatitudinem patrię ex sua natura, atque intrinseca ratione postulare notitiam intuitiuam diuinæ essentiæ; ita vt in abstractiua collocari non possit. Hæc assertio, licet in his terminis à nemine ponatur; est tamen de mente omnium. Eam satis significauit D. Tho. 1. p. q. 12. art. 1. dum ex impossibilitate visionis diuinæ essentiæ (quam nonnulli hæretici ponebant) intulit impossibilitatem beatitudinis. Quæ consequẽtia esset inutilis, nisi beatitudo essentialiter vendicaret visionem, & intuitum diuinæ essentię. Id ipsum satis expressit Scotus quodlib. 6. litera H, §. *ex ista distinctione*: vbi late id ipsum probat, putatq; oppositum esse impossibile: dari sc. beatitudinem, quæ non sit coniuncta cum notitia Dei existentis, vt existens est.

D. Thom. *Scotus.*

§. 2.

Expenditur quorundam recentiorum demonstratio.

5 Quorundã ratio.

NONNVLI hanc veritatem ex veritate præcedẽtis articuli demonstratam volunt: nam si beatitudo ex sua natura postulat notitiam Dei claram, & quidditatiuam, vt in primo art. dictum est, non potest non sibi postulare notitiam intuitiuã. Hanc cõsequentiam ex eo probant; quoniam nõ potest dari notitia Dei quidditatiua, & clara, quæ simul non sit intuitiua. Ita Suarius lib. 2. de attributis cap. 18. n. 4.

Quod

Quod iam docuerat in Metaph.disp.30. sect.11.n.22.& 1.tomo ad 3. p. disp. 27. sect.5.§. *primus modus dicendi.* Consentit Bellomõtanus 1.p.disp.134.c.3.n.6.&7. quæ doctrina fuit Durandi in q. 3. prologi n.12.&13. Etuidetur fuisse Capreoli in 2.d.3.q.2.ar.3. ad 2.contra 6. Fundamentum vnicum in eo ponitur; quoniam tam existentia, quàm immensitas est de quidditate Dei. Ergo si illa cognitio est quidditatiua, vtique per illam cognoscetur Deus, tum vt existens; tum vt præsens. Cognitio autem intuitiua dicitur, qua videtur res existens, & præsens.

Capreolus.

6 Non recipitur.

Hoc tamen argumẽtum non satis est firmum apud eos, qui admittunt dari posse notitiam quidditatiuam Dei, quæ non sit intuitiua, sed abstractiua: quę fuit præstantissimorum theologorum opinio, quam probauit Scotus in 2.d.3. q.9.litera D.§. *hac distinctione præmissa*, & litera N.ad 4. argumentum, refertur à Suario, & Bellomontano in 4.d.49.q.11. sed ibi non agit hac de re. Eandem sententiam probarunt Nominales, Maior in 2.d.3.q.5.concl. 5. & in prologo q.3. satis significauit Ochamus ibi q.1.ar.5. Gabriel q.1. ar.3. concl. 1. Aliaco q. 1. ar.2. Ex Scotistis Bassolius in prologo q. 1.ar.2. §. *sed quidquid* & §. *ex præmissis.* Ex nouioribus Molina 1. p. q. 1.ar.2. disp. vltima §. *ex his duabus sententijs* & q. 56.ar. 3.concl.1. Ex Thomistis hanc notitiam non esse impossibilem verbis expressis docet Capreolus in 2.d.23. q.1.ar.3. ad argumenta Scoti fol.223.col.4. & mirũ est, quòd in eodem loco pro opposita sentẽtia allegetur à Suario. Apud quos omnes non valet hæc consequentia: *est notitia clara, & quidditatiua Dei, ergo est intuitiua Dei*, quam postea inuenimus negasse Salam ad 1.2.tract.2.q.3.disp.3.sect.1.in fine & sect.7.n.32. Nec argumentũ, quo confirmatur habet efficaciam, si expendamus ea, quæ de notitia intuitiua aduertimus: admittimus enim quidditatiuam illam notitiam repræsentare Deũ, vt existentem, & vbiq; præsentẽ (vtrũq; enim est de quidditate Dei) negamus tamen eam esse intuitiuam, vt bene aduertit Molina: nec enim ad notitiam intuitiuam satis est quòd immediate (hoc est nullo medio cognito) feratur in rẽ existentem, & præsentem: nam quando in præsentia amici clausis oculis de illo cogito existente, & præsente, notitia illa phãtasię clare, & distincte, immo etiã quidditatiue fertur in amicum præsentialiter existentem: idque immediate. i. nullo medio cognito: & tamen non est intuitiua: non alia de causa, (vt aduertit Molina) nisi quia existentia, & præsentia non eodem modo repręsentãtur in specie interna, atq; in externa visionis intuitiuæ. Et quanuis hunc diuersũ modũ non explicet Molina, facilè tamẽ explicatur ex ijs, quæ diximus de notitia intuitiua: licet enim illa notitia repræsentet amicum præsentem, & existẽtem; non tamen repręsentat existentiã, & præsentiam, vt exercentem rationem formalem obiecti mouentis potentiam secundum suam realem existentiam, & præsentiam: & præsentantis se ipsum obiectiue secundum eandem existentiã, & præsentiam: quod requiritur ad notitiam intuitiuam.

Maior. *Ochamus.* *Gabriel.* *Aliacus.* *Bassolius.* *Molina.*

7 Quare sicut datur notitia quidditatiua, & clara amici existentis, & præsẽtis, quę nõ est intuitiua, sed abstractiua: ita fieri potest (dicet Scotus,) vt detur notitia quidditatiua, & clara Dei existẽtis, & vbique præsentis, quæ non sit intuitiua: ideo, quia existentia illa, & præsentia non exercent rationem formalẽ motiui, & terminatiui. In hoc ergo latet deceptio, quod noluntvidere fieri posse vt species clare, & quidditatiue rem repræsentans non abstrahat ab existẽtia, & præsentia rei in se; bene tamen à ratione formali exercendi motionem potentiæ, & terminationem eiusdem. Igitur cognitio illa quidditatiua esset Dei existentis, & præsentis: quia Deum obiectiue præsentaret cum existentia, & præsentia: non tamen esset Dei, vt secũdum suam existentiam, & præsentiam exercentis obiectiuam motionem, & terminationem potentiæ intellectiuæ. Quod in hac materia est quam diligentissime aduertendum.

8 Occurritur obiectioni.

Quod verò obijcit Suarius fieri non posse, vt existentia rei in se ipsa immediate cognoscatur, quin cognoscatur pręsentia, & falsum est, & parum ad rem facit. Est quidem falsum; si idem sit immediate cognosci, & cognosci nullo medio cognito: in hoc enim sensu etiam cognitio abstractiua rẽ obiectam in se ipsa

Vnde da sit assertio ratio.

ipsa cognoscit, vt alibi diximus; & tamē experimur nos immediate cognoscere amicum existentem, loco tamen absentem. Parum etiam facit ad rem quia (vt diximus) ad notitiam intuitiuam non satis est cognoscere existentiam rei simul cum prę̄sentia, nisi vtraq; exerceat rationem formalem obiecti mouentis, & terminantis.

9 Quod autem obijcitur in illa notitia quidditatiua non deesse prę̄sentiam obiectiuam: præsentiam autem localē, vel non esse necessariam, vel non deesse in Deo: in eo claudicat, quod non distinguit duplicem præsentiam obiectiuam rei in intellectu: vnam secundum esse intentionale, quod res habet in specie abstractiua: alteram secundum esse reale, quod habet in specie intuitiua; quæ repręsentat rem ipsam, eamque intellectui, aut oculo proponit secundum ipsā met existentiam, & præsentialitatē, quā habet. Præsentia autem localis sumpta pro indistantia locali semper est necessaria ad cognitionem intuitiuam: quia semper obiectum debet esse intra sphęram actiuitatis potentiæ. Quare quanuis non sit necessaria præsentia localis philosophice sumpta (quin potius hæc in corporibus est impossibilis) est tamen necessaria præsentia intra sphærā localem. Ex his patet infirmam esse hāc consequentiam: *notitia est quidditatiua Dei; ergo est intuitiua.* Alio igitur modo hęc veritas erit confirmanda.

§. 3.

Vera assertionis confirmatio.

10 Vnde sumē da sit vera assertionis ratio.

OMissa igitur prę̄cedente ratione, vera nostrę assertionis cōfirmatio sumenda est ex natura beatitudinis perfectæ, & prima ratio sumitur ex eo, quod beatitudo ex sua ratione collocāda est in perfectissima operatione intellectus. At notitia intuitiua Dei perfectior est, quám quęcunque abstractiua. Ergo beatitudo patriæ per se vēdicat notitiam intuitiuam Dei. Maiorē modo supponimus tanquam verè peripateticam. Minor est recepta, & facilè probatur: quoniam notitia abstractiua terminatur ad Deum in se ipso; non tamen secundum esse, quod habet à parte rei, sed secundum esse quoddam intentionale, & diminutum, quod Deus consequitur in specie, in qua abstractiuè repræsentatur. Intuitiua autem terminatur ad Deum secūdum idem ipsum esse reale, quod habet in se ipso.

11 2. Ratio. Secunda ratio ex eo sumitur, quod beatitudo ex se est formalis assecutio Dei, vt est obiectum beatificum. Iam verò sola notitia intuitiua esse potest formalis Dei assecutio in se ipso. Ergo in sola notitia intuitiua ponēda est beatitudo. Maior recipitur: minor probatur quoniam operatio, quæ ex sua natura est assecutiua obiecti, vt obiectum est, ex sua natura habet, quòd vi sua faciat obiectum obiectiuè præsens secundum suam propriam, & realem existentiam potentię assequenti. Hoc autem non cōuenit notitię abstractiuę, nam hæc licet interdum non abstrahat ab existentia, & præsentia reali: abstrahit tamen à ratione formali mouendi, & terminandi, quæ se tenet ex parte existentiæ, & prę̄sentiæ realis, vt patet ex ijs, quæ diximus §. 2.

12 3. Ratio. *Psalm.* Accedit tertio; quia de ratione perfectæ beatitudinis est, quòd perfectè, atque omnibus modis satiet appetitum cognoscentis Deum: iuxta illud Psalm. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Appetit' autem suppositā reuelatione fidei: nulla ratione satiari potest cognitione abstractiua Dei, quantumcunque clara sit & quidditatiua: quia supositā possibilitate visionis intuitiuæ semper remanebit desiderium videndi diuinam essentiam, cuius quidditatiuæ perfectiones clarè cognoscuntur. Sicut enim inest Homini naturale desiderium cognoscēdi causſam, cum cognoscitur effectus, ex D. Thoma 1. p. q. 12. ar. 1. ita etiam datur desiderium videndi substantiam, quam clarè, & quidditatiuè scimus esse summum nostrum bonum.

Ex quo patet quam debile sit argumentum Bellomontani: supponit enim ad beatitudinem satis esse cognosci Dei infinitatem: quod est falsum, nisi cognoscatur, provt est à parte rei. Et eodem modo in exemplis adductis sine probatione sumit, quod erat probandum: nec enim ad beatitudinem astrologi satis esset cognitio certa, & evidens eclipsis, nisi illa in se ipsa videretur. Concludēdum est igitur beatitudinem patrię per se poni in notitia intuitiua Dei.

ARTI-

ARTICVLVS III.

An beatitudo sit notitia simplex, an composita?

§. 1.

Arguitur, quod non ponatur in notitia simplici, & incomplexa.

2 Præmissum ad explicationē quæstionis.

PRO explicatione huius quæstionis prępmittendum est in nostro intellectu tres distingui operationes, siue notitias, quas conceptus formales appellamus: apprehensionē simpliciū, quæ ad primam intellectus operationem pertinet: compositionem, & diuisionem, quæ pertinet ad secundam: & discursū, qui spectat ad tertiā. Prima operatione cognoscimus rem simpliciter; hoc est nihil ei aut tribuendo, aut negando: talis est simplex conceptus hominis, angeli &c. Secunda operatione iam cognoscimus rem aliquid illi tribuendo, aut ab ea remouendo: vnde facimus propositionem, vel affirmādo, vt Deus est summum bonum, aut negando vt homo non est lapis. Tertia tandem operatione non modo rem simpliciter cognoscimus, & aliquid ei attribuimus, vel negamus; sed etiam ex vna, aut pluribus propositionibus alteram colligimus: vnde appellatur ratiocinatio, opus supremum nostri intellectus.

2 Fundamentum propositę sętētiæ.

Quod beatitudo non sit ponenda in notitia simplici, quæ ad primam intellectus operationem pertineat, sed ad secundam, quę est compositio, & diuisio; ex eo videtur ostendi: quoniam beatus videndo Deum ideo beatur, quia de Deo cognoscit perfectiones, cum perfetissimo assensu, & iudicio: assentitur enim, & iudicat, quod Deus sit: quod sit trin⁹, & vnus: quod sit perfectus, omnipotens, &c. & his diuinis veritatibus assentiendo formaliter beatur: nec enim appetitus beati in Deo viso quietaretur, nisi veritas diuinarum perfectionum ei perfectissimo modo proponeretur. Vnde obiectum beatitudinis est Deus, quatenus est verus, cuius veritates beatus cō templatur, non quocunque modo, sed cum animaduersione; vt de humana felicitate explicauit Aristoteles 10. Ethic. c. 7. text. 29. vbi felicitatem posuit in mente, quæ animaduersionem habet de rebus diuinis, quam sapientiam nominauit. Cognitio autem huius generis nō conuenit notitiæ, quæ ad primam operationem intellectus pertinet: in hoc enim omnium philosophorum consensu non reperitur iudicium; sine quo nō datur diuinarum perfectionum speculatio, & animaduersio. Immo in simplici notitia primæ operationis intellect⁹ nulla datur veritas, vt plerique putant, quos refert, & probat Bellomōtanus 1. p. disp. 75. c. 2. in principio, quibus astipulari videntur D. Anselmus in opusculo de veritate c. 6. D. Thomas. 1. p. q. 16. ar. 2. & 1. cōtra gētes c. 59. & de veritate q. 1. ar. 3. & lib. 3. de interpretatione lectione 3. Caietanus 1 p. q. 16. ar. 2. Heruæus quodlib. 3. q. 1. ar. 2. & 3. Durandus in 1. d. 19. q. 5. n. 14. Albertus tractatu 2. in lib. Periherminias c. 3. Fauet Aristoteles 3. de anima c. 6. text. 22. & 6. Metaph. c. 2. text. 8. & lib. 9. c. 12. tex. 22. & lib. 1. de interpretatione c. 1. Vel si aliqua veritas in illa reperitur (vt putāt Ægidius, Capreolus, Ferrarienſis, Soncinas quos refert, & probat Cursus Conimb. lib. 1. de interpretatione c. 1. q. 5. ar. 2. & 3. Fonseca 4. Metaph. c. 2. q. 6. sect. 4. & 9. Metaph. c. 12. in commentario litera E. F. G. & latissimè Suarius in Metaph. disp. 8. sect. 3. à n. 7.) illa tamen non satis est ad completam rationem beatitudinis; cum non satis sit ad speculationē, animaduersionemq; diuinarum perfectionum: est enim veritas simplex consistēs tantum in conformitate repræsentationis, non verò in conformitate veræ, & propriæ dictionis, qualis requiritur ad speculationem. In hac igitur notitia ponenda videtur beatitudo patriæ; & cum hæc sit notitia quædam complexa, & composita supponens plures notitias simplices, inde videtur inferri beatitudinem ponendam esse in vna notitia cōplexa.

Aristot.

D. Anselmus.
D. Thom.
Caietanus.
Heruæus.
Durand.
Albertus.
Arist.
Ægidius.
Capreolus.
Ferrar.
Soncinas.
Fonseca.

§. 2.

Visionem esse notitiam incomplexam, virtute tamen complexam.

3 Dubitatio.

ANtequam ad veram quęstionis resolutionem accedamus; explicare oportet, an in beatis notitia aprehēsiua diuinæ essentiæ distinguatur à notitia iudicatiua earum veritatum, quas de Deo beati intelligunt? Et quanuis Bellomontanus hìc disp. 12. c. 1. n. 6. putet

putet inter Scholasticos citra controuersiam esse, in beatis poni vnam notitiam simplicissimã, quæ virtute, & eminenter sit iudicatiua: tamen ex ijs, quæ scribit Sotus in 4. d. 49. q. 3. ar. 3. concl. 9. §. *at vero forsan*, intelligimus rem istam non esse citra controuersiam: quoniam teste Soto fuerunt nonnulli, qui existimauerunt visionem in beatis solùm esse simplicem apprehensionem diuinæ essentię, per quam beatus non iudicat veritates, quas videt, sed per iudicia, quæ ab ipsa visione dimanant. Iuxta quã sententiã in beatis notitia simpliciter apprehensiua diuinæ essentiæ realiter distinguitur à notitia iudicatiua eorum, quæ beati in Deo vident. A qua sententia non longè abest Medina in hac quæstione 3. ar. 5. ante finem, §. *secundò obseruandum est*: vbi tanquam certum supponit in beatitudine dari diuersa iudicia, quibus beati diuersas veritates iudicãt; nimirum Deum esse omnipotentem: esse trinum, & vnum, &c. & hoc supposito inquirit, in quonam iudicio beatitudo sit posita: & quanuis explicari possit de iudicio, non quidem realiter distincto à visione, sed ratione tantum; verba tamẽ præcedentem redolent opinionem.

Sotus.

Quorundã sententia.

Medina.

4 Resolutio dubitationis.

Sed quidquid sit de mente Medinæ absque vlla trepidatione asserendũ est in beatis vnam tantum ponendam esse notitiam in sua entitate simplicissimã absque vlla complexione, quæ virtute, & eminenter sit apprehensiua, & iudicatiua, ęquiualens apprehensioni, & iudicio compositionis, qua beatus, & simpliciter apprehendit diuinam essentiã, & iudicat veritates, quas in verbo cognoscit. Hęc fuit antiquorum, & recentiorum sine contradictione sententia. Ita Ochamus in 4. q. 13. Supplementum Gabrielis in 4. d. 49. q. 3. ar. 3. dub. 1. Sotus q. 3. ar. 3. concl. 9. Medina in hac q. 3. ar. 5. §. *ad hoc dubium dico.* pag. 68 col. 1. Molina 1. p. q. 12. artic. 8. disputatione 6. §. *quoad secundum dubium*, Bellomontanus hìc disput. 12. cap. 1. numer. 6. Valentia 2. tomo disput. 1. quęst. 3. punct. 4. in fine; Suarius libr. 2. de attributis cap. 18. numer. 7. & fuit sententia Capreoli in 4. dist. 49. quæst. 2. articul. 2. ad argumenta contra tertiam in fine quæstionis.

Ocham. *Sup. Gabr.* *Sotus.* *Medina.* *Molina.* *Valentia.* *Capreol.*

Quæ recepta sententia primùm cõprobatur ex verbis Zachar. 14. *In illa die erit vnus Dominus, & nomen eius erit vnũ.* Quem locum de visione patriæ plures explicant, inter quos Carthusianus, & inter Scholasticos D. Thomas 1. contra Gentes cap. 31. in fine, Medina, & alij. quanuis accommodatior sit explicatio de tempore Christi Domini, quando cessabit idolatria, quæ est explicatio communior inter Patres.

Probatur 1. ex Zachar.

Carthusianus. *D. Thom.* *Medina.*

5 2. Probatur ex August.

Deinde confirmatur auctoritate Augustini 15. de Trinitate c. 16. dum ait: *Beatos omnium rerum scientiam vno conspectu habere*, idest vna notitia, qualis est visio diuinæ essentiæ, quæ in se ipsa vna, & simplex est scientia omnium rerum, quas beatus in Deo cognoscit. Porrò, si est scientia illarum; vtique virtute, & eminenter comprehendit notitiam apprehensiuam, & iudicatiuam: scientia enim sine vtraque dari non potest.

6 3. ex Bernardo.

Tertiò confirmatur optimis Bernardi verbis libro quinto de consideratione paulò ante finem, vbi agens de visione beatorum ita ait: *Nobis autem, quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere vnum, occurrit velut quadruplicatum: facit hoc speculum, & ænigma, per quod solum videre datur: cum autem videbimus facie ad faciem; videbimus sicuti est: nec enim iam tunc fragilis acies mentis nostræ; quantumlibet vehementer intendens aliquatenus resiliet, dissiliet vè in suam pluralitatem: colliget se magis, adunabit, conformabitque vnitati illius: vel potius vnitati illi; vt vna vni facies respondeat faciei.* Ex quibus verbis ita euidenter vnitas notitiæ, qua Deum videbimus, explicatur, vt clariùs explicari nequeat: aperte enim asserit in patria aciem mentis nostræ in suam pluralitatem resilire non posse: in pluralitatem inquam, visionum, & intellectionum; vt quia vnica videat omnia, quæ videt: ita vt sicut vna est visio, qua Deus se videt, ita vna sit visio, qua beatus videt Deum.

7 Deinde probatur rationibus.

Prima.

Sed & ratione ostenditur: prima sumitur ex ipso nomine visionis, quo hæc notitia ab omnibus appellatur: constat enim visionem esse notitiam intuitiuam, & subinde simplicem, & incomplexam.

Secunda.

Secunda ratio sumitur ex natura ipsius visionis: est enim secundum suam substantiam ordinis non modo supernaturalis, sed etiam beatifici,

vt in sequenti libro ostendemus: est igitur ordinis supremi inter notitias creatas. Iam verò, quę alterius sunt ordinis, sunt simpliciora, vt recta docet philosophia, & theologia. Inde est, vt notitia angelica simplicior sit, quàm nostra naturalis: nos enim non solùm distinctis actibus apprehendimus, & iudicamus; sed etiam singulos terminos singulis incomplexis notitijs concipimus, & ob id indigemus, tum cõpositione, & diuisione, tum etiam discursu: cum tamen angeli sine vlla compositione, & discursu, & apprehendant simplicia, & complexa conspiciant, & conclusiones in suis principijs intueantur, vt communis fere omnium theologorum docet sentẽtia; quæ etsi in tota sua generalitate dubia sit Bellomontano 1.p.disp. 222. & 223. tamen in plerisque est verissima, vt idem explicat: in quocunque autem casu illa recipiatur, ad nostrum pertinet institutum: ideo enim simplicior est, & vnitior, quã nostra notitia naturalis, quia est ordinis superioris: quare cum beatus respectu obiecti beatifici sit altioris ordinis, quàm angelus in ordine ad obiecta sibi naturalia; vtiq; simplicior erit illius notitia, quàm angelica.

8 Confirmatio. Confirmatur hæc ratio argumento, quod tetigit D. Bernardus: enim verò visio beata est visionis increatæ proxima quædam participatio. Ergo cum Deus non solùm sine cõpositione, & discursu; sed etiam vna simplicissima notitia omnia in se ipso apprehendat, & cognoscat; vtique notitia beata hoc habebit excellentiæ, vt non solùm sit expers compositionis, & discursus; sed etiam sit vna, qua & apprehendãtur simplicia, & enunciabilia iudicentur: subordinatur enim diuinæ visioni, tanquã primę radici, à qua in modo simplicitatis regulabitur, vt colligat se, & conformet vnitati visionis increatæ.

9 Tertia ratio Sotus. Postremò ab absurdo eadem veritas cõfirmatur: quoniam, vt bene aduertit Sotus, beati tam multa, ac diuersa iudicia simul habere non possent, nec valerent per omnia simul aduertere. Quare dicendum est per eãdem visionem, qua diuinam essentiam, vt simplex quoddã obiectum apprehendunt; apprehẽdere etiam, & iudicare quæcunque in verbo iudicãt: intellectu supernaturaliter eleuato ad altiorem modum cognoscẽdi, quam sit quicunque creatus.

Nec solùm notitia visionis beatæ in se ipsa, suaque entitate est formaliter simplex, & incomplexa; sed etiam obiectiuè; ita vt nec ex parte conceptus formalis, nec ex parte obiectiui vlla reperiatur ibi compositio vnius cum alio, vt bene annotarunt Bellomontanus hìc disp. 12. c. 2. n. 6. & Suarius 2. de attributis c. 18. n. 7. Id ostendit Bellomontanus quia notitia intuitiua, cum terminetur ad rem sicuti est à parte rei, non concipit, vt plura, quæ in re ipsa sunt vnum, vt idem aduertit, tum in loco citato; tũ 1.p. disp. 118. c. 2. n. 7. & disp. 223. c. 1. n. 2. sed ratio ista non videtur satis; quoniam plures philosophi in prima operatione intellectus admittunt conceptus etiam intuitiuos obiectiuè complexos, vt patet ex Caietano 1. p. q. 58. ar. 5. quẽ refert, & probat Cursus Conimb. 1. de interpretatione cap. 1. q. 5. ar. 4. §. *quod attinet ad* 2. Vera igitur ratio sumẽda est ex simplicitate diuinæ essentiæ: quæ sicut in se est vnitissimè simplicissima continens omnia secundum eminentem quandam vnitatem; ita secundum eandẽ se se obijcit intellectui beati: ob quam rationem beatus vnicũ tantum habet conceptũ obiectiuum, illũq; realiter simplicissimum respondentem vnitati conceptus formalis. Itaque cognitio in verbo, quatenus terminatur ad diuinam essentiam formaliter, & obiectiuè est simplicissima, ita vt ex ea non possint formari plures conceptus, pluravè iudicia circa diuinas perfectiones & attributa, vt Suarius, & Bellomontanus asserunt cum Molina 1.p. q. 13. ar. 4. & satis Sotus vbi supra, & videtur sententia D. Thomę 1. contra Gentes c. 31. in fine, & Ferrariensis ibi, nec oppositũ significauit Caietanus 1.p.q. 13. ar. 4. ad 3. si bene expendatur. Vnde non est audiendus Medina, dum oppositum supponit. *Molina. D. Thom. Ferrar. Caiet.*

Quam doctrinam verissimam putamus de cognitione, quæ dicitur matutina: nam cognitione vespertina rerum in proprio genere possunt beati plures conceptus formare de diuinis attributis, & perfectionibus, non solùm obiectiuos, sed etiam formales: nec de hoc dubitari potest, vt aduertit Medina.

Igitur

Conclusio quæstionis.

Igitur concludimus notitiam visionis beatificæ esse formaliter, & obiectiuè simplicem, & incomplexam: ita tamè perfectam, vt æquiualeat apprehensioni, & iudicio compositionis: in hoc sensu, vt eadem beatus apprehendat, & iudicet veritates, quas de Deo cognoscit.

§. 3.

Beatitudinem poni in notitia, vt virtute est complexa.

11 Conclusio ex dictis colecta.

EX dictis patet vera resolutio propositę quęstionis. Sit igitur prima assertio: beatitudo per se ponitur in notitia simplici, & incomplexa, tum formaliter, tum obiectiuè; virtute tamè complexa; ita vt æquiualeat notitię cõpositæ apprehensiuæ, & iudicatiuę. Hæc assertio apud omnes est indubitata: cũ enim beatitudo patrię sit ordinis supremi, vendicat sibi notitiam inter creatas supremi ordinis. At ex dictis patet notitiã ordinis diuini supremi esse simplicissimam, expertemque omnis compositionis, & diuisionis. Ergo beatitudo patriæ vendicat sibi notitiam isto modo incomplexam, & simplicem.

12 Dubitatio.

Dubitari tamen potest, an beatitudo per se collocanda sit in hac notitia incomplexa, quatenus correspondet primæ operationi nostri intellectus; an verò quatenus virtualiter est composita correspondẽs secundæ intellectus operationi? Pro quo aduerte illam simplicẽ notitiam in se vnam virtute esse plures: quia intellectus per illam apprehendit diuinam essentiam apprehensione quadam simplici, quæ ad primam intellectꝰ operationem pertinet: & præterea per eandem apprehendit, & iudicat veritates, quas de Deo cognoscit. Quare illa vna æquipollet, tum primæ operationi; quæ est simplex apprehensio obiecti: tũ etiam secundæ operationi; quæ in compositione, & diuisione est posita. Cũ igitur æquiualeat pluribus actibus, qui in nobis diuersam habent cognitionis rationem; meritò inquiri potest, an beatitudo per se ponatur in illa, vt exercet munus simplicis apprehensionis diuinę essentiæ; an verò, vt æquialet notitiæ compositę, & iudicatiuæ veritatum diuinarum. Quam quæstionem Doctores

Aduertẽtia ad explicationẽ illius.

nostri intactam reliquerunt: cum tamen non desint aliquot dubitandi rationes.

13 Quædã sẽtentia. 1. argum.

Nam quòd collocanda sit in ea, prout est simplex quædam apprehensio obiecti, primum facit; quia beatitudo est formalis assecutio obiecti beatifici. Ergo poni debet in operatione illa, prout est prima obiecti assecutio: talis autem est, prout respondet primæ operationi intellectus: vt sic enim, & prout simplex obiecti apprehensio, primo efficit Deũ nobis obiectiuè præsentem: Deus enim fit nobis obiectiuè præsens per notitiã illam, quatenus est intuitiua: quæ, vt talis est, pertinet ad primam operationẽ intellectus: prius enim est Deum in se videri, quàm veritates eius à nobis cognosci.

14 Secundum. 1. *Ioan.* 3.

Secundò; Beatitudo ex sua natura facit nos similes Deo, iuxta illud 1. Ioan. 3. *Similes ei erimus: quia videbimus eum, sicuti est.* Id autem habet illa notitia, quatenus est simplex visio, non verò, quatenꝰ virtute est complexa, & iudicatiua: etenim visio, quatenus est simplex obiecti apprehẽsio, est similitudo obiecti: quod non conuenit notitiæ compositæ, saltẽ quatenus est iudicatiua: cum iudicium vel non sit similitudo: vel solùm connexionis prædicati cum subiecto.

15 Tertium.

Tertiò; beatitudo ponenda est in hac notitia secundum rationem nobiliorẽ illius: ponitur enim in notitia perfectissima. Iam verò hęc notitia nobilior est, prout est simplex, & incomplexa, quàm prout virtute est complexa: notitia enim incomplexa cæteris paribus per se nobilior est, quàm complexa, vt bene aduertit Sotus loco citato: propius enim accedit ad vnitatem, & caussalitatem Dei. Hæc autem notitia vendicat sibi esse simplicem, prout respondet primæ operationi. Ergo in illa, vt sic, est ponenda beatitudo.

16 Quartum.

Quartò; si essentia diuina videretur sine attributis, diuinisque perfectionibus, talis visio esset vera beatitudo, vt concedit Scotus cum plurimis alijs. Sed talis visio esset simplex apprehensio diuinæ essentiæ, nec virtute esset apprehensiua, aut iudicatiua veritatum, ergo beatitudo ponitur in illa notitia, vt est simplex apprehensio, non verò, vt est virtute complexa.

17 Vltimum. Postremò; beatitudo per se ponitur in illa notitia, quatenus est quidditatiua diuinæ essentiæ. Sed visio quidditatiua rei pertinet ad primam operationē intellectus, & ad simplicem rei apprehensionem. Ergo beatitudo ponitur in illa notitia, quatenus est simplex apprehensio absque virtuali compositione. *Arist.* Minor probatur ex Arist. 3. de anima c. 6. text. 26. Maior verò, quoniam beatitudo ponitur in illa notitia, quatenus est visio Dei per essentiam: at videre Deum per essentiam idem est, quod videre Deum quidditatiuè, vt bene aduertit Caietanus 1.2.q.3.ar.8.ad finem. *Caietanus.* His argumentis quidam ex recentioribus hanc opinionem approbarunt: & putāt eam fuisse Caietani in d. ar. 8. dum ait beatitudinem constitui in quidditatiua Dei cognitione: & forsan Scotus alicui videri poterit eiusdem opinionis propter quartum argumentum supra adductum.

§. 4

Oppositum asserendum est.

18 Asseritur opposita sententia. His non obstantibus opposita sententia videtur asserenda. Pro explicatione aduertendum est duplicem distinguendam esse notitiam apprehensiuam: vnam simplicem, alteram compositam, siue illa distinguatur à iudicatiua, siue nō. Prima pertinet ad primam operationem intellectus, & dicitur notitia apprehensiua simplex, quia ea apprehendimus rem simpliciter, & nudè absque vlla enuntiatiua compositione: secunda spectat ad operationem secundā. Hanc in sequenti articulo cōferemus cum notitia iudicatiua: nunc agimus de priori, prout distinguitur ab apprehensiua complexa, & iudicatiua.

Explicatur assertio. Dicimus igitur beatitudinē per se nō poni in notitia incomplexa, quatenus est simplex diuinæ essentiæ apprehēsio; sed quatenus virtute continet compositionem, & percipit veritates de Deo cognoscibiles. Nobiscum consentiunt Theologi, qui volunt beatitudinem collocari in notitia iudicatiua, speculatiua, vel practica. Pro hac sententia primò afferri possunt argumēta, quæ in sequēti articulo adducemus pro notitia iudicatiua. Deinde ex ijs, quæ pro ratione dubitandi initio adduximus, efficax deducitur argumētatio: nam Arist. *Aristot.* 10. Ethic. c. 7. tex. 29. felicitatem posuit in mente, quæ animaduersionem habet de diuinis rebus, quam appellat contēplationem, siue speculationē diuinorū: & in c. 8. sequenti idem repetit. Felicitas igitur perfecta, qualis est patriæ per se collocabitur in notitia diuinę assentiæ, quatenus habet rationē speculationis, animaduersionis, actusque procedentis à sapientia. Talis autem non est illa notitia, quatenus rationem habet simplicis apprehensionis, vt satis patet.

Vnde sumē dum sit primum fundamentum. Secundum.

19 Tertium. Accedit tertiò; quia ex Aristotele felicitas per se ponitur in notitia, quę potest recipere magis, & minus, facereq; magis, & minus felicē, ita enim scribit 7. Ethic. c. 7. *Arist.* *At sapiens, si solus sit, contemplari potest: & quò sapientior est, eò magis potest.* Clariùs c. 8. tex. 30. in fine: *Quousque igitur contemplatio se extendit, eousque se se extendit felicitas ipsa: & quibus contēplatio magis inest, iis & felicitas magis inest, non peraccidens quidem, sed per ipsam vtique contemplationem.* Quam doctrinā recipiunt Theologi docentes in patria eò quem esse beatiorē; quò intensiorē habet diuinę essentię notitiam, vt suo loco dicemus. Beatitudo igitur per se collocanda est in illa notitia sub ea ratione, qua potest magis, & minus recipere. At prout est simplex apprehensio diuinæ essentiæ, non suscipit magis, & minus: quia omnes beati totū Deum apprehendunt: suscipit autē magis, & minus, quatenus est veritatum intelligibilium speculatio ad sapientiā pertinens. Ergo per se collocabitur in illa notitia, quatenus virtute est complexa, & sortitur rationem speculationis, animaduersionisque.

20 Quartum. Quartò, ex Aristotele colligimus beatitudinem per se ponendam esse in notitia, quę in se formaliter sit vera, non solùm veritate repręsentationis, sed veritate dictionis, siue enunciationis. Talis autē non est illa notitia, vt est solùm simplex apprehensio obiecti. Ergo beatitudo in illa vt sic non est collocanda. Minor patet ex dictis §. primo: nam notitia simplicis apprehēsionis, vel nullam habet veritatem; vt plerique putant: vel si aliquam habet (vt alij volunt) illa est veritas simplex, quæ posita est in adæquatione repręsentationis ad rem simpliciter obiectam: quæ longè

distincta

distincta est à veritate enunciationis. Maior autem probatur; quoniam beatitudo ex Aristotele ponitur in notitia, quæ est rei obiectæ perfecta speculatio, perfectusq; actus sapientię: talis autem non erit, nisi quatenus attingit intelligibiles veritates diuinarum perfectionum, easque virtute enuntiat de diuina essentia: in hoc enim consistit vera ratio speculationis, & sapientiæ.

21 Quintum. Quintò; Beatitudo ex se habet, quod sit notitia sub ratione notitię perfectissima. Sed in ratione notitię perfectior est apprehẽsiua, & iudicatiua veritatũ, quæ sunt in re intellecta, eiusq; quidditatis; quàm sit ipsi' quidditatis simplex & nuda apprehẽsio. Ergo beatitudo potius est ponẽda in illa notitia, prout virtute continet veritates diuinas. Maior est nota: minor probatur; quoniam notitia apprehensiua veritatum est cognitio distincta distinguẽs partes essentiales rei intellectæ: notitia autem, quę est simplex rei apprehensio, est confusa nõ distinguens partes essentiales, atq; perfectiones rei intellectæ. Iam verò cognitio rei distincta perfectior est in ratione notitiæ, quam notitia cõfusa eiusdem rei.

22 Effugiũ præcluditur. Nec vim huius rationis elides, si respõdeas in rebus simplicibus (qualis est natura diuina) non dari cognitionem cõfusam, sed semper concipi cognitione distincta, vt docet Scotus in 1. d. 3. q. 2. Ochamus, & Gabriel q. 5. quos cum pleriſq; alijs probat Fonseca lib. 1. Metaph. c. 2. q. 2. sect. 1. §. *cognitio distincta*. Nõ elides inquam: primò; quoniam Scoti doctrina non admittitur à Thomistis, nec à nobis admissa fuit, dum interpretaremur libros Physicorum, nec postea eam admisit Cursus Conimb. lib. 1. Physicor. c. 1. q. 2. ar. 3. Deinde quoniam etsi in beatis non admittamus notitiã verè & realiter confusam diuinæ essentiæ distinctã à notitia distincta illius (quoniã illa vna notitia simplex, & incõplexa distinctè cognoscit Deum, & omnes eius perfectiones) tamen, si nostro modo intelligendi de illa vna notitia recte philosophemur; non possumus in illa aliquo modo non admittere rationẽ notitiæ suo modo confusæ, & distinctæ: nam illam primò concipimus, vt est simplex apprehensio diuinæ essentiæ, vt est quoddam totum actuale: deinde concipimus eam, vt resolutiuam perfectionũ & veritatum, quæ in ea continẽtur. Sub priori conceptu, non possumus in ea nõ cognoscere aliquam rationem notitiæ confusæ, quatenus ex se non est resolutiua illius totius (nam illa totum Deum apprehendit) in suas veluti partes essentiales, essentialesq; perfectiones; in quo posita est ratio formalis cognitionis confusæ. At sub conceptu posteriori nõ possumus non agnoscere illam rationẽ cognitionis distinctæ: cum iam totum Deum penetrando resoluat, attingendo distinctè singulas illius perfectiones in se ipsis: quæ est ratio cognitionis distinctæ: nam licet non habeat perfectiones essentiales ex natura rei distinctas; illas habet tamen distinctas virtualiter: ob quam rationẽ in ipso Deo, vt est quoddam totum essentiale, distinguũt Theologi plura attributa, tum ab essentia, tũ inter se distincta: plures item veritates enunciabiles de diuina essentia: ita, vt quanuis beati omnes totum Deum videant: non tamen omnes illum totum ęqualiter penetrando resoluunt. Quare totalitas diuinæ essentiæ nostro intelligendi modo duobus modis à nobis attingitur: vno modo in sua totalitate absque vlla resolutione in varias rationes, perfectioneſq; intelligibiles: altero modo illam concipiendo cum resolutione in rationes illas intelligibiles. Priori modo concipitur veluti confusè: posteriori autem modo quodam distinctiori: qui eo modo, quo distinguitur à priori, non potest nõ esse nobilior. Et ita facilè patet efficacia huius quarti argumenti, quæ amplius elucebit ex solutione tertij pro parte aduersaria.

23 Postremum fundamentum. Postremò; beatitudo per se collocatur in illa vna notitiã, vt per se est causa amoris, & delectationis beatificę: sed illa notitia non est causa amoris, prout subit rationem simplicis apprehensionis, sed solùm prout est virtualiter cõposita. Ergo beatitudo per se ponitur in illa notitia sub posteriori ratione. Maior inde patet; quia amor beatificus per se causatur à notitia, quatenus est beatifica. Minorem tanquam verè peripateticam latè confirmauimus lib. 1. q. 6. art. 3. §. 3. ex Aristotele 3. de anima cap. 3. text. 30. *Aristotel.*

§. 5.

Soluuntur argumenta in oppositum.

24 Solutio primi argumẽti. NEc contra hanc resolutionẽ aliquid faciunt argumenta in oppositum adducta. Ad primum admittimus beatitudinem ex sua ratione vendicare sibi notitiam, quæ sit prima assecutio obiecti beatifici, vt beatificũ est: negamus tamen notitiam illam habere rationem assecutionis, prout subit rationem simplicis apprehensionis: quoniam diuina essentia beat, quatenus est infinitè perfecta. Opus est igitur, vt fiat obiectiuè presens sub notitia distincta suæ perfectionis: talis autem non est nisi vt virtualiter complexa facit diuinam perfectionem distinctè apparere: enimverò illa notitia, prout est simplex apprehensio, facit quidem præsentem ipsam diuinam essentiam; modo tamen confuso: quia vt sic distinctè, & explicitè nõ obijcit ipsam diuinam perfectionem, quæ essentiæ est formalis ratio beandi.

25 Secundum argumentũ soluitur 1. Ad secundum dicendum est primò; beatitudinem non tam poni in ipsa assimilatione in esse intelligibili; quàm in ipsa vnione obiectiua cum diuina essẽtia, vt est formaliter beans: hæc enim omnium consensu est simpliciter necessaria: assimilatio autem formalis per notitiam intuitiuam non ab omnibus conceditur: multi enim negant notitiã intuitiuam, siue visionem esse formalẽ similitudinem: nec oppositum cõuincit locus Ioannis: variè enim explicatur, vt sæpe diximus. Secundo dicimus non solam primam intellectus operationẽ esse similitudinem; sed etiam notitiam ipsam compositam ratione suorum extremorum. Beatus igitur per notitiam illam, quatenus est formalis, ac distincta expressio tum essentię, tum perfectionũ perfectius assimilatur Deo perfectionibusque illius; quam assimiletur per illam, quatenus subit rationem simplicis apprehensionis.

Solutio secunda.

26 Solutio tertij. Ad tertium argumẽtum (quod ob inclusam æquiuocationem satis est explicatu difficile) admittimus maiorem in hoc sensu, vt beatitudo ponenda sit in illa notitia secũdum rationem nobiliorem illius, quatenus est notitia: negam⁹ tamen notitiam illam esse nobiliorem ideo, quia secundum entitatem est incomplexa: & ratio est; quia incõplexio formalis quoad esse, & entitatem notitiæ non semper arguit maiorem perfectionem in notitia, quam arguat cõplexio: nam in nobis notitia formaliter incomplexa est imperfectior in ratione notitię, quàm sit notitia formaliter cõplexa. Si verò inquiras, quando incomplexio formalis arguat maiorem perfectionẽ? Respondebo tunc eam arguere, quando illa incomplexio ex sua natura fuerit virtute complexa complexione enunciatiua: ita vt per eam idem intellectus possit intelligere aut plura obiecta, aut plures in eodem obiecto intelligibiles rationes, veritatesque. Itaq; cum formalis incomplexio notitiæ talis fuerit, vt virtute sit complexa complexione compositionis; tunc ex se erit perfectior, quàm notitia formaliter cõplexa: aliter nequaquã. Quin poti⁹, quò notitia formaliter incõplexa plura obiecta, pluresq; veritates potuerit intelligere; eò erit absolutè perfectior: ob quam rationẽ incomplexio & simplicitas notitiæ diuinę arguit infinitam perfectionẽ: quia Deus vna, & eadem notitia, & se ipsum, & omnia in se ipso intelligit. Similiter incõplexio notitię angelicæ arguit perfectiorem notitiã, quàm sit notitia nostri intellectus: quia vna, & eadẽ distinctè intelligit, quæ nos nõ nisi per notitias complexas intelligere valemus. Quare in nobis incõplexio notitię est omnimodè imperfecta; quia incõplexio illa ex sua natura ratione status coniuncta est cum incomplexione obiectiua: siquidem vno conceptu vnum obiectum tantum intelligimus.

27 Patet igitur incomplexionem formalem, quatenus præcisè est incomplexio, non arguere perfectionem; sed solùm, quando ex sua natura aut ratione status est virtualis cõplexio. Itaq; perfectio in notitijs incõplexis virtute tamen complexis non sumitur præcisè ex incõplexione, sed ex virtuali cõplexione. Ex quo infertur notitiam virtute cõplexam considerari sub ratione minus perfecta, quando consideratur, prout est simplex apprehensio obiecti simplicis respondens primæ operationi nostri intellectus: quia, vt sic, iam veluti abstrahitur à complexione obiectiua à qua

qua suam sumit perfectionem. Ex quo rursus infertur beatitudinem per se nõ poni in notitia illa incõplexa, provt ressõdet primæ operationi intellectus nostri: quia vt sic consideratur sub ratione minus nobili. Quare negandum est eã, vt sic, proximius accedere ad simplicitatem diuinam: sed potiùs ab ea recedere; cum perfectio diuinæ simplicitatis per se ponatur in simplicitate formali cũ complexione virtuali obiectiua, vt sæpe diximus.

28 1. Solutio 4. argumenti.

Ad quartum primo respõderi posset suppositionem esse impossibilem: quia fieri nõ potest, vt essentia diuina videatur sine attributis; quę est sentẽtia apud thomistas indubitata, quam putat se demonstrasse Bellomontanus 1. p. disp, 48. c. 2. sed de hoc latiùs lib. 5. Respõdetur

2. Ratio.

secundo admissa Scoti sententia negãdum esse visionem illam esseveram beatitudinem; quia non esset visio Dei, sicuti est in se: Deus enim in se habet perfectiones attributales, secundum quas nõ videtur; cum tamen pertineant ad formalem rationem obiecti beatifici. Ad

Vltimi argumenti solutio.

postremum argumentum respondetur beatitudinem ponendam esse in visione Dei per essentiam, & quidditatiuam, nõ quacunque, sed vt est notitia distincta, & perfecta ipsius diuinę quidditatis: talis autem non est visio, nisi provt virtute est complexa, vt patet ex solutione tertij.

ARTICVLVS IIII.

An beatitudo ponatur in illa notitia, provt est apprehensiua, an provt est iudicatiua?

1 Præmissum ad explicationem quę stionis.

PRO explicatione tituli præmittẽdum est; duplicem posse considerari notitiam apprehensiuam: vnam simplicem; quę ad primam operationẽ intellectus pertinet, & dicitur simplicium apprehensio: alteram compositam qua coniungimus prędicatum cum subiecto per affirmationem, vel illud à subiecto remouemus per negationem, pertinetque ad operationem secundam intellectus nostri. Controuersum est inter

Controuersia philosophica.

philosophos; vtrum enuntiatio mentalis diuidenda sit in apprehensiuam, & iudicatiuam; ita vt apprehensiua re ipsa diuersa sit à iudicatiua, & prior illa? Partem affirmantem ex Nominalibus probarunt Ochamus in 1. q. prologi, Gabriel ibi q. 1 ar. 2. & 4. Marsilius q. 2. ar. 1. Maior q. 7. ad 2. & hanc esse communẽ inter Scotistas testatur Bargius in 1. d. 1. q. 3. refertur Scotus in 2. d. 1. q. 3. post solutionem ad 5. Henrici, satis eam indicat Durandus in 1. q. prologi. Ex philosophis Appollinaris 3. de anima q. 24. Toletus q. 19. Niphus ibi text 21. citatur Auerroes ibi in hæc verba: *intellect primo intelligit singularia; deinde ea componit, aut diuidit, tertio iudicat.*

Pars affirmatiua. *Ochamus. Gabriel. Marsilius. Maior. Bargius. Scotus. Durandus. Henricus. Appolin. Toletus. Niphus. Auer.*

Contrariam sententiam probauerunt quamplurimi, & inter eos Greg. in 1. q. prologi ar. 3. quem communior recentiorum nostri temporis secuta est: ita enim Fonseca in 4. Metaph. c. 2. q. 6. sect. 6. & lib. 6. c. 1. q. 3. sect. 1. 2. & 3. Cursus Conimb. lib. 1. de interpretatione c. 4. q. 4. ar. 1. Bellomõtanus in 1. disp. 213. c. 3. n. 16. Qui omnes putant nullam dari mentalem enũciationem affirmãtem, aut negantem, quæ non sit iudicatiua. Itaque ipsum affirmare, aut negare vnum de alio, est iudicare. Quæ harũ opinionum sit verior; non est nostrum modo examinare; sicut etiam ad nostrũ institutum non pertinet expendere; an notitia ista mentalis (siue apprehẽsiua sit, siue iudicatiua) sit vna simplex qualitas, an verò composita? Illud annotabo suppositа opinione, quę negat enuntiationem mentalem apprehensiuã distingui à iudicatiua, posseq; sine illa reperiri: nullum relinqui locum propositę in hoc articulo dubitationi: & subinde

2 Aliorum sẽtentia. *Gregor. Fonseca.*

Iuxta quam opinionem præsẽs quæstio procedat.

suppositа resolutione articuli prędecẽtis, dicendum est beatitudinem per se poni in illa notitia incomplexa, quatenus virtute, & eminenter est iudicatiua veritatum, quæ in Deo cognoscuntur. Quare nostro articulo solum dabitur locus apud eos, qui putant enuntiationem mentalem apprehensiuam distingui à iudicatiua.

3

De hac quæstione in his terminis nullus aliquid scripsit: nam solum fuit conuersia inter visionem, vt erat simplex quædam apprehensio diuinæ essentiæ, & vt erat iudicatiua veritatum: nec auctores in ea iudicium ab apprehensiua cõplexa distinxerunt. Sed quidquid sit de hoc dicendum est beatitudinem per se collocãdã esse in notitia illa incõplexa,

Resolutio.

quatenus eminenter est iudicatiua veritatum, quas beatus de Deo apprehēdit; non verò quatenus est illarum solū apprehensiua. Hæc videtur communis sententia, quam probauit Victoria teste Medina in hoc art. 5. dub. 2. satis eam insinuat Sotus in 4. d. 49. q. 3. ar. 3. concl. 9. vers. *hic autem elusorius*, probat Valentia hic disp. 1. q. 3. punct. 4. in fine, Bellomontanus disp. 12. c. 1. n. 6. Suarius lib. 2. de attributis c. 18. n. 8. Deniq; est cōmunis inter recentiores; quorum sententia euidenter probatur ex verbis Aristotelis 10 Ethic. c. 7. text. 29. dum felicitatem ponit in mēte, quæ animad uersionem habet de diuinis rebus, quæ á sapientia procedat. Iamverò animaduersio idem est, quod iudiciū, sine quo nullus actus potest dici sapientia; aut speculatio, vt patet.

Victoria. Medina. Sotus. Valentia.

Probatur 1. ex Arist.

4 Probatur 2.

Accedit etiam, quoniam visio, siue notitia diuinarum perfectionum sub ea ratione fundat rationem beatitudinis, sub qua veritas nobiliori modo illi cōuenit: talis autem est notitia, quatenus est iudicatiua, nō verò quatenus est pure apprehensiua: enim verò notitia cōplexa, vt est solum apprehensiua, vel nō habet veritatem; vel eam nō habet modo perfectissimo. Primum patet; quia veritas enunciatiua est veritas dictionis, vt omnes fatentur: dictio autem proprie non reperitur in notitia, quæ sine iudicio est apprehensiua; qui enim solū apprehēdit, non dicit; sed solus ille, qui iudicando enuntiat: nam & is solus, qui fert iudicium, censetur dicere verū, vel falsum; alioquin qui falsum nullo interposito iudicio apprehenderet, falsum diceret: quod non est admittendum; daretur enim falsitas in Deo, siquidem in eo admittitur enunciatio falsa pure apprehensiua, vt bene aduertit Fonseca 4. Metaph. c. 2. q. 6. sect. 6. post principiū. Quod si in apprehensione enunciatiua aliquam admittis veritatem, aut falsitatem, quæ non sit veritas dictionis; nec ex se satis, vt apprehendens censeatur dicere verum, vel falsum; sed ipsam solā enunciationem denominet veram, vel falsam: iam fatearis necesse est enuntiationem iudicatiuam nobiliori modo sibi vendicare veritatem, quam eam sibi vendicet sola apprehensio enunciatiua Ex quo infertur beatitudinem in ea esse ponendam.

Fonseca.

Ex quo patet tertia cōfirmatio: quoniam beatitudo per se ponitur in notitia nobilissima: talis autem est sola iudicatiua.

5 Confirmatur 3.

Quarta ratio: quoniā notitia apprehensiua nō satiat naturalem appetitum intellectus: hic enim non solum appetit apprehendere veritates de Deo intelligibiles; sed etiam illis cum pleno iudicio assentiri.

Quarto.

Quinto additur; quoniam notitię, in qua per se ponitur beatitudo, immediate conuenit ratio speculatiui, vel practici. Hæc autem ratio conuenire nō potest, nisi notitię iudicatiuę, vt talis est.

Quinto.

Postremo; Beatitudo collocanda est in notitia, quæ respōdet fidei illam euacuando: notitia autem fidei; cum principaliter non consistat in apprehensione, sed in assensu, non potest euacuari; nisi per notitiam iudicatiuam earum veritatum, quibus fides obscure assentiebatur. His rationibus videtur satis cōfirmata sententia, quæ statuit beatitudinem per se poni in notitia diuinæ essē tię, quatenus virtute est iudicatiua.

Vltimo.

6 Dubitatio Medinę resp onsio.

Quaveritate suppositā inquiri potest in quonam iudicio principaliùs ponatur beatitudo? Respondet Medina in hoc ar. 5. dub. 2. eam principalius positam esse in hoc iudicio: *quam bonus Israel Deus ijs, qui recto sunt corde.* Psalm. 72. In qua solutione supponit iudicium in beatis, quanuis secundum rem sit vnū simplicissimum ex parte actus; ex parte tamen obiecti secundum rationem nō esse omnimode simplex. Sed nec in vno, nec in altero est audiendus Medina: non in eo, quod supponit; quia in beatis, sicut datur vna notitia formaliter, & obiectiue simplicissima, vt diximus in præcedente ar. ita etiam datur vnum simplicissimum iudicium, tum formaliter, tū etiam obiectiue: terminatur enim ad illam eminentem vnitatem, qua in Deo omnia sunt vnum: quæ fuit sententia Soti vbi supra, dum negat à visione beatifica plura iudicia dimanare: consentit Molina 1. p. q. 13. ar. 4. Bellomōtanus hic disp. 12. c. 1. n. 6.

Reijcitur.

7 Ex qua doctrina infertur impugnatio assertionis, quam ponit: nam cum iudicium beati per se terminetur ad omnia diuina attributa, diuinasque perfectiones secundum eminentem vnitatem, in qua

qua à parte rei sunt vnum; non potest non concedi omnia attributa ex æquo pertinere ad rationem iudicij, vt beatificí: quæ enim est maior ratio vnius, quàm alterius? Accedit, quoniã cũ formalis ratio beandi sit diuina, atq; sũma perfectio constituens vnũ summũ bonũ continensque inse omnes perfectiones, necessariò concedendum est omnes diuinas perfectiones ex æquo ad rationẽ essentialẽ beatitudinis cõcurrere. Quare merito iure opinio Medinæ reijciẽda est; & asserendum beatitudinem perse poni in illo vno, & simplicissimo iudicio próvt terminatur ad obiectiuum iudicium virtuale omnium diuinarum perfectionum.

Dubij Solutio.

8 Contra principalem resolutionẽ tripliciter obijci potest. Primo; quia beatitudo ponitur in notitia, quæ nos reddit Deo similes; iuxta illud 1. Ioannis 3. *Similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Hoc autem non conuenit notitię, vt est iudicatiua, sed vt est apprehensiua: plures enim negant iudicium esse imaginem rei.

Prima obiectio.

1. Ioannis.

2. Obiectio Secundo; quia notitia apprehensiua est prima assecutio Dei, non verò iudicatiua: iudicium enim supponit apprehensionem obiecti.

Tertia. Tertio denique, quia Deus nõ est beatus per iudicium, quo iudicat se esse bonum; sed per notitiam, qua apprehendit se, suasque perfectiones, & veritates intelligibiles.

9 Hæc ita soluuntur. Ad primum dicẽdum est beatitudinem, non tam poni in ipsa formali assimilatione in esse intelligibili: quàm in vnione obiectiua cum diuina essentia, suisque perfectionibus: quę tunc perfecte fit, cum intellectus de illis perfecte iudicat.

Solutio 1. Obiectionis.

Ad secundum sæpe diximus perfectã assecutionem obiecti batifici, vt beatificum est, positam esse in notitia iudicãte, & approbante diuinam perfectionẽ, quę est formalis beandi ratio.

Solutio 2.

Ad tertium dicendum diuinam felicitatem, & beatitudinem etiam positã esse in notitia, qua Deus nonsolũ se ipsũ, suasque perfectiones apprehendit; sed etiam, qua de illis iudicat: nam etiam Aristoteles Dei beatitudinem posuit in summa suarum perfectionum cõtemplatione, & speculatione, vt patet ex 10. Ethic. c. 8. hæc autem non datur sine iudicio, vt sępe diximus.

Solutio 3.

ARTICVLVS V.

Vtrum beatitudo ponatur in notitia speculatiua, an in practica.

CVM beatitudo ponatur in visione diuinæ essentię, quatenus est iudicatiua earum veritatum, & perfectionum, quæ in diuina essentia continẽtur; resolutio propositæ quæstionis pẽdet ex resolutione alterius; an visio beata sit speculatiua; an practica; an simul speculatiua, & practica? Hoc igitur est primo loco expendendum; de inde resoluetur proposita quæstio. 1

§ 1.

Visionem esse simul speculatiuam, & practicam.

AN visio speculatiua sit, an practica, controuersia est inter theologos. Tres principales circunferuntur sententiæ. Quidam putant visionem esse notitiam simpliciter, & adęquate practicam. Hanc sub nomine theologiæ beatorum latè probat Scotus in prologo q. 4. vbi recitatis quinque opinionibus, quæ ponebant theologiã beatorum esse pure speculatiuam: recitata etiam opinione, quę docet eam simul esse speculatiuam, & practicam; in §. *ad quæstionem igitur*, litera O. multis contendit eam esse adęquate practicam. Id verbis expressis fatetur ibi in §. *ad argumenta principalia* litera A A. ita scribens: *nec visio sequens credere est visio speculatiua, sed practica*. Idem defendunt omnes Scotistæ: Maironius in 1. d. 48. q. 2. ar. 2. concl. 2. & ad 2. & 3. Orbellis q. 5. prologi, Herrera in 1. disp. 15. q. 13. concl. 1 Rada controuersia 3. ar. 4. concl. 2. Nicolaus de Nise in resolutione theologica tract. 1. p. 1. q. 3. fol. 11. satis Ouandus in 4. d. 49. propositione prima. 2

Sit necvisio Dei speculatiuaanpractica.

1. Opinio. *Scotus.*

Mairon. Orbellis. Herrera. Rada. Niculaus de nise. Ouandus.

Secunda opinio ex diametro huic repugnat, docens visionem beatam adæquate esse speculatiuam, & nulla ratione practicam. Ita Paludanus in 4. d. 49. q. 3. ar. 2. Bassolius in prologo q. 8. ar. 2. §. *de theologia beatorum*, & in 4. d. 49. q. 2. ar. 3. post principium, satis in eam inclinãt Nominales, vt patet ex Ochamo in quar 3

2 Opinio. *Paludan. Bassolius. Ocham. Henric.*

ta q.prologi litera B.B. Henricus in sũma ar.8.q.3.ad 3.late Bellomontanus hìc disp.12.c.1.§. *verum cum non sit nobis*, & ante eum Fonseca in 6.Metaph.c. 1.q.5.sect.2.litera B.

Fonseca.

4 3.Opinio. *Ricardus. Capreolus. Soncinas. Caietanus. Sotus. Medina. Valentia. Molina. Cumelius. Banhes.*

Tertia sententia est media,quę docet visionem beatam simul esse speculatiuã, & practicam;ita Ricardus in 4.d.49.ar. 1.q.8.Capreolus in 4.d.49.q.2.ar.3.ad argumenta contra tertiam,Sõcinas ibi q.2.concl.3.Caietanus in hoc articul.5. &clarius 1.p.q.26.ar.4.Sotus in 4.d.49. q.1.ar.4.concl.5.pag.572. Medina hìc dubio 1.Valentia disp.1.q.3.punct.4.ad secundam dubitationem, Molina 1.p.q. 1.ar.4.disp.2.post quartam conclusionem §.*pro solutione argumenti*,vbi Cumelius concl.5. Banhes concl.1. & 4.Iosephus Angles in floribus de beatitudine q.1. dub.2.pag.319.consentit Suarius in Metaph.disp.44.sect.13.n.45.& 52.& lib.2. de attributis c.18 n.12.denique est cõmunior sententia.

5 Dubio solutio.

Hanc tertiam sententiam puto esse verissimam:sed vt facilius intelligamus visionem,& speculatiuam esse,& practicam,præmittendum est;inter omnes cõstare notitiam illam esse practicam,cuius finis est praxis:cum verò, πρᾶξις, græce sit à verbo, πράττω, quod idem est, quod ago, & operor;praxis latine idem est, quòd actio, siue operatio, nomine operationis fuse sumpto, vt & transeũtem & immanentem complectitur:quarum illa apud Aristotelẽ dicitur factio; hæc verò actio. Notitia igitur practica illa dicitur,cuius finis est praxis,hoc est actio,seu operatio:etenim finis notitiæ practicæ est operari ipsum idem obiectum,circa quod versatur:respicit enim suum obiectum,prout sub operationem cadit,dictando sc.aut regulando modũ, quo artificiose fiat. quare versatur circa praxim, non quocunque modo, sed sub hac speciali ratione, qua dirigit ad opus:quę est communis explicatio,quã bene annotauit Bellomõtanus 1.p.disp. 8.c.5.notabili 4.Curius Conimbric.q.4. procemiali in dialecticam ar.5.p.34.ex D.Thoma 1.p.q.14.ar.16.& alijs antiquioribus. Quem sensum alijs verbis declararunt, qui docent sententiã practicam versari circa operabile,vt operabile est.i.modo operabili, explicando sc.modum,quo debet fieri. Hoc satis explicauit D. Thomas in d.ar 16. sed clarius de veritate q.2.ar.8.& q.3.ar.3.& q.14.ar.4.vbi docet,tunc aliquid considerari modo operabili,cum consideratur secundum rationem operandi,& secũdum causas ipsius operis. Quod etiã docet in.3.d.23.q.2.a.3. quæstiuncula 2. hoc enim modo notitia practica dicitur proxima regula operandi ex D.Th. locis citatis, Capreolus in prologo q.2. ar.1.concl.5.optime Fonseca lib.2.Metaph.c.3.q.2.sect.3.post principiũ, Bellomontanus vbi supra in 3.notabili,satis docuit Maior in prologo q.6.in.2.ppositione ante resolutionem quęstionis Gabriel ibi q.11.litera B. Gregorius q. 5,ar.2. Ocham.q.4.

Notitia practica.

37

D.Thom. Capreolus. Fonseca. Gabriel. Gregor. Ochamus.

6 *Arist.*

Quam doctrinam manifeste docuit Aristoteles 2.Metaph.c.1.text.3.ita inquiens: *Speculatiuæ etenim finis; veritas: practicæ autem; opus: et enim si quomodo se habent, cõsiderant;non causam per se.sed ad aliquid, & eo in tempore practicè speculantur.* sensus est: finis, quem speculatiua per se intendit, est cognoscere veritatem obiecti,circa quod versatur:finis autem practicæ;est operari ipsum obiectum, cuius cognitionem quærit. Ita fit,vt obiectum scientiæ practicæ sit opus aliquod cadẽs sub praxim.i.actionem: quod satis significant verba immediate sequentia:*etenim si quomodo se habent, &c.* Quorum hic est sensus: si quando practica considerat aliquam veritatem,& causam eius; nõ cõsiderat ipsam causam per se, hoc est vt præcise est causa talis veritatis,quasi ipsa cognitione sit contenta: sed eam considerat dirigendo illam ad opus aliquod,hic,&nunc operandum:hoc enim est rem considerare, *vt ad aliquid,& eo in tempore.*i.nunc,vt habet litera græca, & hęc est communis explicatio illorũ verborum ex Auerroe, Aphrodisæo, D.Th. Fonseca, & cæteris omnibus interpretibus.

Aristot. Auer. Aphrodis. Fonseca.

7 *Auicena.*

Id ipsum satis clare docuit Auicena.i. canonis fen.1.doctr.1.c. de diffinitione medicinę, vbi agẽs de distinctione theoricæ,& practicę ita habet:*per theoricã verò ipsi volumus,quod quando causam sciuerim9 scientiam tantum acquiramus:ita quod in declaratione qualitatis operationis nos non immittamus.* Quid autem sit se immittere in qualitatem operationis,declarat inquiens: *Notitia proprie practica est formaliter praxis directiua*

directiua; estque notitia complexa enuntians qualiter, aut per quæ, aut quando, & sic de alijs circunstantijs sit agendum. Auicenam refert, & probat Maior vbi supra. Itaque notitia practica dicitur respicere praxim, quia respicit obiectũ per se operabile, quatenus cadit sub praxim, actionem ve regulatam iuxta normam, legesque ipsius notitiæ. Exquo infert Aristoteles 3. de anima c. 10. text. 51. & 6. Ethic. c. 1. text. 2. practicã notitiam per se versari circa aliquid, quod aliter se habere potest: nam postquam dixit intellectum practicũ versari circa id, quod sub actionem cadit, adiungit hæc verba: *Sub actionem autem cadit, quod aliter se habere etiã potest.* Et 6. Ethic. mentem practicam appellat, *qua perspicimus ea, quæ aliter se habere possunt:* nisi enim aliter se possent habere, atque dirigit ipsa notitia practica; directione, atque regulatione non indigerẽt. Vnde communis philosophorum, & theologorum docet praxim esse operationem liberam elicitam, aut imperatã: & hanc esse communem theologorum sententiam (vno excepto Molina 1. p. q. 1. ar. 4. disp. 1. in fine) affirmat Fonseca 6. Metaph. c. 1. q. 5. sect. 2. litera B. quam expresse probauit Scotus in quarta quæstione prologi litera A. & cum eo Scotistæ: vbi etiam Ochamus q. 4. Greg. q. 5. ar. 1. Soncinas 6. Metaph. q. 2. quod satis significauit Aristoteles 6. Metaph. c. 1. text. 1, dum ait principia actionũ á quibus actiuæ, & effectiuæ facultates dicũtur, esse in nobis .i. in nostra potestate: nam, & solæ operationes liberæ indigẽt intellectus directione, quòd alio, & alio modo exerceri possunt: naturales enim cum sint necessarię, nõ aliter se habere possunt, sed ad vnum sunt determinatę: & ideo omnino sunt irregulabiles.

Aristot. *Fonseca* *Scotus* *Gregorius* *Soncinas.* *Aristot.*

8 Notitia speculatiua

Ex ijs, quæ diximus de notitia practica, facile patet, quęnã sit notitia speculatiua; est enim illa, cuius finis est sola veritas. i. cognitio sui obiecti absq; vlla ad praxim, actionem ve directione: nã si quando est earum rerum, quæ à nobis fieri possunt: non tamen eas considerat quatenus possunt fieri, aut modo operabili; sed contenta est, si illarum naturã, & proprietates, & causſam cognoscat. Quod significauit Aristoteles 3. de anima loco citato, dum ait: *speculatiuæ finis; veritas.* Et Auicena, dum dixit *speculatiuã etiam si de operabili, operatione ve considerat; se tamen non immittere in declarationẽ qualitatis operationis: quia sc. non declarat qualiter, aut per quæ, aut quando sit agendum*: quod est rẽ considerare modo operabili: cognoscit igitur illas veritates modo speculabili, & vt sunt perpetuæ.

Aristot.

His ita præmissis pro resolutione sit prima conclusio: visio beata, vt terminatur ad Deum, mysteriaque Trinitatis, atq; diuinas perfectiones, est simpliciter, & omnino speculatiua. In hac conclusione contra primam opinionẽ, cõueniunt omnes tam secundę, quàm tertiæ opinionis auctores: quam ego puto adeo esse euidentem, vt nisi doctissimũ Scotum haberet aduersarium cum Caietano affirmarem illud philosophi *stultum esse de quolibet contraria asserente solicitũ esse.* Nam puto paradoxum esse diuina mysteria Trinitatis, cæteraque diuinarum perfectionum veritates visas solum parere notitiam practicam. Etenim negandum nõ est dari scientiam aliquã, quę ex sua natura simpliciter sit philosophia, speculatioque veritatis: id enim, tanquam notissimum supponit Aristoteles in 2. Metaph. c. 2. At si visio veritatum diuinarũ in ipso Deo uõ est hęc philosophia, quæ nam erit? Aristoteles per illam philosophiam veritatis intelligit naturalem Metaphysicam, quatenus diuinas speculatur veritates: at quis admittens philosophiam naturalem in homine viatore esse veritatis speculationem, negabit supernaturalem, & diuinã beatorum Metapyhsicam, quatenus easdem veritates aliasque longe altiores clare contemplatur; esse veritatis speculatiuæ cognitionẽ? Quod si hęc thesis censenda est extranea; magis extranea censebitur, quę docet visionem increatam, qua Deus se ipsum cognoscit, nõ speculatiuam esse sed practicam: & tamen Scotus hanc sententiam, tanquam probabilem admisit in quarta quæstione prologi litera. P. §. *ad quartum* Quæ sẽtentia adeo est improbabilis, vt Lichetus in 1. d. 38, q. 1. in fine improbet Caietano, quòd illam Scoto imponat: quasi pudeat concedere illam sententiam tãquam probabilem Scoto aliquando placuisse: & tamen placuit citato loco litera R. §. *huius controuersiæ.*

9 1. Conclus. pro solutione dubij.

Scotus. *Lichetus.*

10

Sed nostram assertionem ratione demonstre-

Ratione probatur conclusio.

monstremus: nam ex dictis constat notitiam practicam ex sua ratione habere, vt non speculetur, nisi obiectum ex sua natura operabile, modoque operabili, hoc est, quatenus sub praxim, & operationem cadit. At nec Deus, nec diuina mysteria, quę beatus speculatur, sũt obiecta operabilia, quæ sub praxim posſint cadere, nec vlla ratione cognosci possunt modo operabili. Ergo illorum notitia nullo modo potest esse practica, sed simpliciter erit speculatiua. At inquiunt aduersarij non esse necessarium, vt obiectum notitiæ practicæ sit in se ipso operabile; sed satis esse, quòd virtualiter contineat notitiam aliquã practicam regulatiuam obiecti operabilis: Deus autem, & diuina mysteria, quamuis non sint obiecta operabilia; virtute tamẽ continent notitiam regulatiuam obiecti operabilis: Deus enim, cum sit summum bonũ, virtualiter includit hãc notitiam *Deus est summe diligendus*, quæ ex sua natura est directiua, & regulatiua amoris, quo Deus est diligendus. Hæc etiam notitia. *Deus est trinus, & vnus*, virtualiter continet istam alteram regulatiuam eiusdem amoris: *à dilectione Dei nulla persona diuina est excludenda*. Rursus ista: *pater generat filium*, virtualiter includit hanc: *filius est diligendus, vt ab alio: pater verò, vt à quo alius.* Et sic de cæteris notitijs, quæ ad diuinas perfectiones terminantur: omnes enim virtualiter continent notitiam directiuã dilectionis, qua Deus est diligendus. Hoc est vnicũ totius Scoticę opinionis fundamentum, quod satis expressit idem Scotus in d.q.4. *prologi* litera O. §. *ad* 3.

Euasio aduersariorũ.

Scotus.

11 Improbatur

Hoc Scoti fundamẽtum placebit ijs, qui conditiones notitię practicę pro libitovolunt excogitare: non tamen illis, qui doctrinæ Aristotelicæ volũt adhęre: cõstat enim ex Arist. doctrina esse de ratione notitia practicæ, quod ipsa in se formaliter, & non virtualiter solum, sit proxima regula praxis, & obiecti operabilis. Quod adeo esse verum putat D. Thomas, vt q.14. de veritate ar.4. dixerit, *allucinari eos, nec cognoscere, quid sit intellectus practicus qui rationem notitiæ practicæ accipiunt ex aliqua affectione notitiam ipsam consequente.* Quibus verbis satis declarat rationem notitiæ practicæ non esse sumẽdam ex ijs, quæ ipsam notitiam consequũtur; sed ex ijs, quæ ipsi notitiæ formaliter conueniunt. Idem expresse docuit Maior, vbi supra inquiens: *eam notitiam esse speculatiuam, quæ nõ est formaliter directiua praxis; quantũuis propinque, vel remote notitiam virtualiter contineat, quæ est practica.* Quę verba directe contradicunt præcitato fundamento. Suam doctrinã sumpsit Maior ex Auicena supra relato, dum ait: *notitia propriè practica est formaliter praxis directiua.*

D.Thom.

Maior. Auicena.

12 Formaliter dixit: quia non satis est, quod virtualiter practicam aliquã notitiam contineat. Consentit igitur D. Thomas cum Auicena, dum loco citato ait de ratione notitiæ practicæ esse, qđ sit proxima regula alicuius praxis, nec satis esse, quod sit regula remota, & occasionaliter conueniens, quod etiam tetigit Valentia tomo 1. disp. 1. q. 1. punct. 3. in quarta quæstione p. 39. quam doctrinam satis confirmat Aristoteles in in 2. Metaph. c. 2. dum ait: *finẽ practicæ esse opus*: finem inquam immediatum, & proximum; quia de ratione illius est, vt immediate operetur, & regulas operandi tradat; vt declarant verba immediate sequentia: *Etenim, si quomodo se habent, considerant: non causſam per se, sed ad aliquid, & eo in tempore practici speculantur:* sensus est; hi, qui notitiam habent practicam, si quãdo cõsiderant, quomodo se habeat res, & obiectum, circa quod immediate versantur, id considerant, non absolutè, sed in ordine ad opus; ita vt per se enuntiẽt qualiter, aut per quæ, aut quando sit agendum, vt ait Auicena. Igitur practica notitia debet formaliter enũtiare, quomodo agendum sit id, circa quod immediatè versatur. Igitur ad formalem rationem notitiæ practicæ non satis erit, si virtute contineat aliã notitiam enũtiatiuam operis. Quare cum visio, qua beatus videt diuinas perfectiones, in se ipsa non sit de obiecto operabili, nec modum operandi illius dictet, sed ipsas diuinas perfectiones simpliciter speculetur; nullo modo dici potest practica in ordine ad illas; quantumuis virtute contineat notitiam dirigẽtem ad amorem, modumque illius: nam, & hanc directionem ex se non habet, nisi remotè, & veluti occasionaliter, vt docuit D. Thomas in d.q.14. ar.4. & cum hæc doctrina sit cõsentiens cum doctrina Aristotelis,

Aristot.

D.Thom. Arist.

Scotèlis, quam antiqui philosophi cum posterioribus omnibus probauerunt; non est curandum de ijs, quæ quisque pro suo capite excogitat, & commentatur.

13 Secunda conclusio: non est negandũ visionem beatam in ordine ad certas aliquas actiones, verè, & propriè esse notitiam practicam. Hęc conclusio statuitur contra secũdam opinionem pro tertia, cui non repugnat prima. Verum, vt explicemus, ad quasnam actiones visio habeat rationem practicæ notitiæ; præmittendum est in beatis dari plures actiones etiam liberas; tum extra Deũ consequentes cognitionem vespertinã rerum in proprio genere; tum etiam inter Deum immediatè consequentes visionem: nam in patria dari politicã vitam inter beatos quoad ea, quæ cognoscunt, & vident per cognitionem vespertinam, nulli potest esse dubium, vt patet ex ijs, quæ latè docet Diuus Thomas Opusc. 63. cap. 5. & 6. & 22. q. 52. ar. 3. ad 1. nam superiores angeli illuminant inferiores, & eos mittunt ad diuina exequenda mandata: beati per charitatem scientiamque infusam, & Deum, & se ipsos, & alios ordinatè diligunt: Deũ laudant, & colunt: orationes pro viatoribus fundunt: & pleraq; alia agunt propter diuersos fines ex D. Thoma in citatis locis. Quòd verò ex visione beatifica in ipso Deo plures actiones exerceant, tum necessarias; tum etiam liberas, tàm erga Deum, quàm erga proximos, quos in Deo vident, & amant; satis docent Theologi: nam Deum amant amore beatifico, qui actus est necessarius: diligunt proximos in Deo visos; siue dilectio illa sit eadem numero cum dilectione, qua Deum amant, vt pleriq; probabilius putant: siue sit numero distincta, vt putat Scotus in 3. d. 18. q. 1. ad secundum principale litera H. cum Licheto, & Scotistis, quod putat probabile Suarius 3. p. tom. 1. disp. 39. sect. 2. §. *dico secundò*: nam siue distincta sit, siue eadem numero, semper est libera, vt terminatur ad proximos, vt præcitati auctores volunt. Præterea ex visione, & amore immediatè prorumpunt in diuinas laudes, gratiarumq; actiones: Deoq; cultum exhibent, & reuerentiam: quod expresse docuit noster Didacus de Tappia de Incarnatione q. 21. ar. 2. concl. 5. satis ad mentem D. Thomæ in d. opusc. 63. cap. 5. & 6.

Præmittuntur nonnulla pro explicatione cõclus.

D. Thom.

Scotus.
Lichetus.

Tappia.
D. Thom.

14 His præmissis videndum est, circa quas actiones visio beata dicẽda sit practica: an circa amorem beatificum? An verò circa actiones liberas, quas beatus intra Deum liberè exercet? v. g. circa amorẽ, quo diligit proximos in Deo visos: circa cultum, & reuerentiam Deo exhibitam: circa diuinas laudes, & gratiarum actiones; quas omnes actiones appellare possumus matutinas, cum intra Deum ex ipsa visione beata proficiscantur. An deniq; circa actiones vespertinas, quas in vespertina politia extra Deum operatur? Sunt, qui putant visionem dicendam esse practicam in ordine ad actiones, quæ extra Deum pertinent ad vespertinam politiam: quibus beati recte se habent, tum erga Deum, quem diligunt amore distincto à beatifico: tum erga se ipsum, cęterosque beatos: tum denique erga viatores, pro quibus orant: de his enim omnibus iudicat visio modo operabili, & practico: primo quidem per modum prudentiæ, quatenus per illam visionem iudicat de rebus agendis, vel vitandis secundum diuinam rationem, & voluntatem. Secundò per modum artis: quia illa visio conferre potest cognitionem, quæ de se sufficiat ad dirigendam artificiosam operationem. Ita Suarius libr. 2. de attributis cap. 18. in fine numer. 13. quo in loco tacitè insinuat visionem in ordine ad solas huius generis actiones dicendam esse practicam Sed non placet hæc opinio: primò; quia rationem practicam in visione solùm videtur admittere in ordine ad istas actiones: quod esse falsum statim patebit. Deinde; quia in ordine ad istas actiones, non est regula immediata, sed mediata solùm.

14 Circa quas actiones visio beata dicẽda sit practica.

Quorundã responsio.

Reijcitur.

15 Sit igitur tertia conclusio: visio beata dici non potest immediatè practica in ordine ad actiones politiæ vespertinæ. Probatur, quia non videtur probabile actiones istas immediatè regulari, ac dirigi per visionem beatam, sed per scientiam infusam, à qua immediatè pendent: quod satis significauit Diuus Thomas 2. 2. quæstion. 52. articul. 4. dũ ait, Deum ad istas actiones mouere

15 Tertia conclusio probatur.

D. Thom.

beatos per donum consilij. Conducit quid em visio: quia scientia infusa à visione pendet, quoad notitiã diuinæ voluntatis; non tamen oportet, quòd visio beata intra Deum eminenter contineat iudicium regulatiuum istarum actionum: & quanuis illud contineat; non immediatè illas actiones regulabit, sed solùm mediatè. Ob quam rationem, vel non est admittendum visionem esse practicam in ordine ad istas actiones, quia forte illas non dirigit: vel non esse talẽ respectu illarum tantum: quia & si forte eas aliquo modo iudicat, & dirigit; non tamen immediatè hoc facit, sed mediante notitia vespertina, donoque consilij: cum tamen admittendum sit visionem, & in se, & immediatè esse practicam.

16 Quarta conclusio: visio beata verè habet rationem notitiæ practicæ in ordine ad actiones liberas visionem intra Deũ consequentes, quas matutinas appellauimus: enim verò, cum sint actiones liberæ, ac subinde morales; pendeant necesse est ab aliqua notitia practica, qua regulentur; cum verò non detur alia, nisi visio: vtique visio respectu illarum omnium erit prudentialis, & practica.

Quarta conclusio.

Probatur.

§. 2.

Quid dicendum de visione in ordine ad amorem beatificum.

17 EST controuersia; an visio beata sit notitia practica respectu amoris beatifici? Affirmant quamplurimi Theologi ex vtraq; schola: constanter Scotus in 4. quæstione prologi lit. AA. ad primum argumentum principale, id expresserat ibi litera K. versic. *ad 3.* & litera O. §. *ad quæstionem*, vbi additio litera I. §. *unde si beati*, consentiũt ferè omnes Scotistæ Maironius in 1. d. 48. q. 2. ar. 2. concl. 2. & ad 2. & 3. Orbellis q. 5. prologi, Herrera disp. 15. q. 13. concl. 1. Rada controuersia 3. ar. 4. concl. 2. Nicolaus de Nize in resolutione theologica tract. 1. p. 1. q. 3. fol. 10. Ex schola Thomistarum satis id insinuant Capreolus in 4. d. 49. q. 2. ar. 3. ad argumenta cõtra 3. vbi Soncinas q. 2. concl. 3. Sotus q. 1. ar. 4. concl. 5. Cumelius 1. p. q. 1. ar. 4. q. 1. concluſ. 5. versic. 2. *probatur*, Molina ibi disp. 1. ad finem, & clariùs disp. 2. §. *pro solutione argumenti.*

17 Pars affirmans.

Scotus.

Mairon. *Orbellis.* *Herrera.* *Rada.* *Nicolaus de Nize.* *Capreol.* *Soncinas.* *Sotus.* *Cumelius.* *Molina.*

Negantẽ sententiam probarunt Hẽricus in summa art. 8. q. 7. ad 3. ex Scotistis expresse Bassolius in 4. d. 49. q. 2. art. 3. post principium, & latiùs in 8. q. prologi ar. 2. §. *de theologia beatorum*, satis est de mente Caietani 1. p. q. 26. ar. 3. dũ ait amorem beatificum non pertinere ad vitam actiuam, sed ad contemplatiuam, quod esset falsum, si amor ille haberet rationem praxis. Ex recentioribus eandem negantem partem esse verisimam probarunt Fonseca in 6. Metaph. c. 1. q. 5. sect. 2. litera B. Bellomontanus hìc disp. 12. c. 1. n. 2. Suarius lib. 2. de attributis c. 18. n. 12. quod etiam insinuauerat in Metaph. disp. 44. sect. 13. numer. 52.

18 Pars negãs. *Henricus.* *Bassolius.* *Caietanus.* *Fonseca.*

Ego pro resolutione sequentes statuo conclusiones: sit igitur quinta conclusio in ordine: si amor beatificus conuenit voluntati, vt est natura; negans opinio est simpliciter vera. Probatur primò: quoniam si amor beatificus cõuenit voluntati, vt est quædam natura, erit actus naturalis naturaliter productus, ex se determinatus ad vnum, sicut sunt cætera omnia naturæ opera, vt patet ex Aristotele 9. Metaphy. c. 1. tex. 2. At verò, quæ naturaliter fiunt, & ob id sunt ad vnum determinata, non possunt cadere sub praxim: quæ enim sub praxim cadunt, aliter se habere possunt, vt suprà ostẽdimus ex Aristotele 3. de anima c. 10. text. 51. & 6. Ethic. c. 1. text. 2. Ob quam rationẽ inter omnes constat actiones naturales non posse pertinere ad aliquam notitiam practicam, nec illi subijci vlla ratione: quod specialiter docuit Gregorius in prologo q. 5. ar. 1. & post eum Fonseca, vbi supra in d. sect. 2. litera B. & sect. 3. litera C. & satis agnoscit Scotus in 1. d. 38. q. 1. litera B. in probatione minoris, & clariùs in quarta quæstione prologi litera M. §. *respondeo illud amare*, & litera R. BB. & CC.

19 Quinta cõclusio. *Aristot.* *Arist.* *Gregor.* *Fonseca.* *Scotus.*

Secundò id ostendi potest: quoniam supposito nostro fundamento concedẽdum est amorem beatificum antecedere visionem, prout est notitia practica: quod si admittatur, fieri non potest, vt visio amorem respiciat, vt notitia illius directiua. Quod verò facta illa suppositione amor beatific' antecedat visionẽ, prout

20 Probatur 2. eadem conclusio.

prout est notitia practica; inde deduci potest: quoniam licet notitia practica, vt talis est, non supponat actum voluntatis, nec illius libertatem; sed talis sit ante omnẽ voluntatis actũ (vt cõtra Bassolium ostendit Bellomontanus 1.p.disp.8.cap.1.§. *Bassolius autem*, & satis explicauit Caietanus 1.p.q.14.ar.16.ad finem) tamen de ratione notitiæ practicæ est, vt nunquam possit actu praxim dirigere sine voluntate eam determinãte, vt eleganter expressit Caietanus vbi supra male intellectus à Bellomontano 1.p.disp.69.c.2.n.4. & post Caietanũ explicauit Fonseca in d.sect.3. litera E. ad 2. quod satis confirmat Arist. 6. Metap. c. 1. text. 1. dum verbis expressis docet electionem esse principiũ scientiarum actiuarũ: quia nimirum in ordine executionis, & quoad actualem directionẽ praxis, oportet concurrat voluntas; tũ vt determinatiua indifferẽtię ipsius notitię practicæ; tũ, vt executiua directionis eiusdem notitiæ. Et in hoc sensu verissimum est notitiã practicã, quatenus talis est, includere ordinẽ ad voluntatẽ, vt ad principium eam determinaturum ad operandum, & applicaturũ potẽtias ad operis executionem, vt idem Fonseca aduertit in d. sect.3. litera D. *§ ad hæc enim*, ita intelligendus, dum lit.C. affirmat sciẽtiam practicam supponere voluntatis libertatem: supponit enim eã, non vt constitutiuam illius in esse practicæ; sed vt eam determinaturam, reposituramque in potentia proxima, vt operetur: & in hoc sensu cum Bassolio non consentit, sed potiùs cũ Caietano.

Caietanus.

Fonseca.

Arist.

21 Illatio ex dictis.

Ex quo infertur nullam notitiam habere posse rationẽ practicæ in ordine ad actũ, qui omnem actum liberũ voluntatis antecedit; quomodo enim erit regulatiua actus, cuius actualẽ directionẽ non potest præuenire? Frustra est enim potentia, quæ ad actũ deduci nõ potest, vt habet philosophorum axioma. Tales autẽ sunt omnes actus, qui conueniunt volũtati, vt est natura: nam sicut voluntas, vt sic, antecedit se ipsam, vt est liberũ arbitriũ; ita actus, qui illi conueniũt, vt est natura, antecedunt omnes actus illius, vt est arbitrium. Et ex consequẽti etiã antecedent omnes actus intellect⁹, qui eam, vt liberã aliquo modo præsupponunt: talis autẽ est notitia practica, vt patet ex dictis: nã quanuis illa, vt absolutè est regulatiua, indepẽdens sit ab omni actu voluntatis: tamen in actu regulationis pendet à volũtate, vt diximꝰ. Quare cũ amor beatificus, facta nostra suppositione, sit actus voluntatis, vt est natura; vtique antecedet visionem, vt habet rationem notitiæ practicæ: nam adhuc daretur talis amor, si visio non haberet rationem notitiæ practicæ, vt plerique putant.

22

Ex quibus adeo euidẽter demonstrata est negatiua opinio, vt nõ possint nõ reprehendi Thomistæ, qui admittentes prædictum fundamentum probant affirmantem: quare parum considerate loquuti sunt Sotus, Capreolus, Cumelius, & Molina: nam Scotus ipse supposito illo fundamento nobiscum consentit, vt patet in 4.q.prologi lit.M.§. *Respondeo illud amare*, vbi expresse docet notitiam in ordine ad amorẽ, qui naturaliter inest, nullo modo habere posse rationem practicæ. Quod etiam docuit ibi lit.R. & in 1. d.38. q.1. litera B. in probatione minoris. Et ob hanc rationem libẽter admittit apud Aristotelem in intelligentijs ideo non dari notitiam practicam respectu amoris primæ causæ, quia putauit amorem illum naturaliter inesse: & ob id notitiam primæ causæ ipsam primam causam illis ostendere sine vlla directione amoris erga illam, in quo omnes Scotistæ conueniunt.

Sotus. Capreolus. Cumelius. Molina.

23

Quare supposita prædicta amoris naturalitate, nullus datur locus argumentis, quibus pars affirmans ab Scoto, cæteriq; confirmatur: & in primis cessant ea, quę sumũtur ab intrinseca voluntatis libertate, quanuis ponatur necessitas ab extrinseco. Deinde vim non habet argumentum sumptum ex prioritate, & conformitate amoris ad notitiã: quia non quæcunque conformitas satis est, vt faciat notitiam practicam, vt bene aduertit Caietanus 1.p. q.14.art.16. ad finem, & satis agnoscit Scotus in d. 4.q.prologi litera M. vbi admittit amorem, quo intelligentia inferior apud Aristotelem amat primam intelligentiam, conformem esse notitiæ, qua inferior cognoscit primam esse amandam: & tamen fatetur eam notitiã, quantũuis sit prior, non esse practicam, nec directiuã ipsius amoris. Idẽ dicendũ est de

Præcludũtur argumẽta partis affirm.

Caietan. Scotus

amore, quo Deus se ipsũ amat: est enim conformis notitiæ diuini intellectꝰ, quę Deum, vt amãdum concipit: cum tamẽ notitia diuina non sit regulatiua diuini amoris, quo Deus se ipsum amat, vt verissima habet opinio, & fatetur Scotus, si supponamus amorem illum esse naturalem: imò etiã si supponatur liber, dũmodò supponamus voluntatem diuinã esse suę rectitudinis regulam, vt fatetur idem Scotus in d.q.4. litera R. & in 1.d. 38.q.1.lit.B. cũ omnibus Scotistis. Quare non quæcunq; conformitas amoris ad notitiam etiam priorem satis est, vt notitiam reddat practicam; sed sola illa, quę per se pendet ex ipsa notitiæ directione, & quæ supponit notitiam, non solùm vt ostensiuam, sed vt regulatiuã. Quare, vt tollatur omnis æquiuocatio, duplex est distinguenda in amore conformitas ad notitiam: vna ad eam, vt ostendentem; altera, vt regulantem: illa non satis est, vt notitia sit practica: hæc posterior omnino est necessaria: & hæc non reperitur in amore beatifico, si supponamus illum esse naturalẽ: hoc enim supposito ex sua natura est irregulabilis, vt diximus.

Scotus.

Amoris cõformitas ad notitiã duplex.

24 Secundũ argumentum præcluditur

Simili modo non habet vim argumẽtum sumptum ex eo, quod Deus, vt est obiectum intellectus, virtualiter continet principia rectitudinis volũtatis: nõ habet inquam vim; quoniam si bene philosophamur supposita naturali determinatione voluntatis, Deus, vt est summum bonum, continet quidẽ principia specificantia, & determinãtia voluntatis rectitudinem; non tamen dirigentia: nam cum voluntas in ordine ad summũ bonũ clarè visum non sit ex natura sua indifferens ad amandum, vel non amandum; nec ad amandum hoc vel illo modo: sed ex sua natura sit determinata ad amandum toto conatu: indiguit quidẽ principio specificante, & determinante naturam voluntatis; non tamen dirigente illius indifferentiam.

25 Præcluditur tertium dupliciter.

Nec tertio loco valet argumentum sumptum ex eo, quod visio vnitè, & virtualiter continet hoc iudicium *Deus est summè diligendus*, ad quod sequitur amor: nã supposita amoris naturalitate duobus modis potest dissolui. Vno modo

1. solutio. negando amorem beatificum consequi visionem, prout virtualiter continet tale iudicium, & dictamen: nam cum amor beatificus sit actus volũtatis naturalis, antecedit ex parte intellectus visionẽ, vt cõtinet tale iudicium, ideo quia hoc iudiciũ pertinet ad deliberationẽ virtualiter in visione inclusam, & subinde pertinet ad voluntatem, vt est liberum arbitrium, iuxta ea, quæ diximus in secundo argumẽto. Nec proinde iudiciũ illud dici debet superfluum; quoniã regulabit amorẽ liberum, tum circa obiecta secundaria, tum circa ipsummet amorem, qualis est amor reflexus, quo voluntas beati vult, & complacet in illo amore, quo naturaliter, & immobiliter Deo adhæret. Respondetur secundò; illud iudiciũ, quanuis radicaliter sit practicum posse volũtati proponi non modo practico, sed speculatiuo: quia proponi potest, non vt proximè dirigẽs ad amorem (quia hoc sine voluntate non habet, vt supra diximꝰ) sed vt ostendens attributum bonitatis diuinæ, & illius amabilitatẽ, condignitatemq; vt ametur. Quo modo proponitur, vt ostendẽs condignitatẽ; non verò vt dictans actũ cõdignitatis ostẽsæ: sub qua ratione antecedit amorẽ beatũ, vt ex dictis patet.

2. solutio.

Tandem vim non habet argumentũ, quod plerique sumunt ex impeccabilitate voluntatis, quam volunt oriri ex visione, tanquã ex caussa per se rectificãte voluntatẽ: non valet inquam argumẽtum, si sermo sit de impeccabilitate in ordine ad amorẽ beatificum: hæc enim nõ sumitur ex visione, si supponamꝰ voluntatis naturalitatẽ ad amandum Deũ visum: est enim impeccabilis ab intrinseco suæ naturæ, supposita visione obiecti. Quod si sermo sit de impeccabilitate voluntatis in ordine ad alios actus liberos; parum ad rem facit, si illam daremus opinionem: nihil enim inde contra nostram resolutionẽ inferri potest: illa tamen opinio falsa est; quia impeccabilitas illa non habet ortum ex sola visione, sed ex visione, & amore simul, vt suo loco ostendemus.

26 Vltimi argumẽti enodatio.

Sit sexta cõclusio: si admittatur amorem beatificum conuenire voluntati liberę libertate sumpta ab intrinseco; amor beatificus veram habet rationem praxis, quantũuis ab extrinseco sit necessarius: & subinde visio beatifica respectu illius verè est notitia practica.

27 Sexta conclusio.

Hæc

Hæc statuitur pro prima opinione, quæ est Scoti; nec in hoc sensu eam negabũt auctores aut secundæ, aut tertiæ opinionis: omnes enim supponunt amorẽ beatificum ex sua natura esse necessarium. Facilè autem demonstratur: quoniam si voluntas respectu amoris beatifici ex se est indifferens ad amandum, vel non amandum: ad amãdum hoc, vel illo modo; vtique in ordine ad talem actum est ex sua natura regulabilis per visionem, quatenus continet iudicium: *Bonum est amare Deum: bonum est ab amore non cessare: bonum est amare Deum toto voluntatis conatu.* Quæ omnia iudicia sunt de re operabili, & modo operabili, vt patet: necessitas autem ab extrinseco nõ tollit ab actu rationem praxis: quoniã coassistẽtia diuinæ protectionis (à qua sumitur cõfirmatio in bono) solùm efficit, vt volũtas à regula recti dictaminis nõ deuiet; à qua aliàs poterat deuiare.

Demonstratur.

Et in hoc sensu argumenta in oppositum nullam vim habent. Nam, quod obijcitur, non satis esse ad notitiã practicam, quod excitet affectum in voluntate; verissimum est de affectu naturaliter ad actum consequente; qualis est affectus voluptatis speculationem cõcomitans ex Aristotele 10. Ethic. c. 7. secus, si affectus libere sequatur, sicut sequitur amor beatificꝰ, vt supponimꝰ.

28 Enodatur 1. argumentũ contra sextam conclusionem.

Quod secundo loco adducitur; non satis esse ad notitiam practicam, quod actus voluntatis sit posterior, & conformetur cum notitia; negandum est omnino, si actus voluntatis admittatur liber: secus si fuerit naturalis: hic enim, cum non sit indifferẽs, regulari nequit: ille verò ex se regulabilis est, quia ex se indifferens est.

29 2. argumentum.

Quod tertio obijcitur ex doctrina Bassolij; esse de ratione notitiæ practicæ, quod pendeat ab aliquo voluntatis actu; verissimum est, si sermo sit de notitia practica in ordine ad actualem directionem: aliter falsum est, vt superiùs ostendimus. Iam verò visio, licet rationem notitiæ practicæ habeat independenter à voluntate: tamen in actuali directione supponit actum voluntatis: nõ quidem directum, & formalem, sed virtualem, & reflexum; quo voluntas vult Deum amare: hoc enim actu voluntas & se ipsam, & notitiam determinat ad amandum.

30 3. ex doctrina Bassolij.

Postremò non valet obiectio sumpta ex visione, qua Deus se ipsum videt, quę non habet rationem notitiæ practicæ respectu amoris, quo Deus se ipsum diligit; vt præter Thomistas admittit Scotus in 1. d. 38. q. vnica, & cum eo Lichetus ibi, & Orbellis in 5. q. prologi ar. 2. §. *de theologia autem in intellectu diuino*: non valet inquam; quoniam omissa tanquam omnino improbabili cõmuniori Scotistarum sententia Maironis, Herreræ, Nicolai de Nize, & Ouandi locis in prima opinione citatis, existimantium visionem, qua Deus se ipsum videt, esse notitiam non speculatiuam, sed practicam respectu dilectionis, qua se ipsũ diligit; licet hanc sententiã non omnino vt improbabilem reijciat Scotus in 4. q. prologi litera P. §. *ad quartum argumentũ*, & litera R. maximè in fine; omissa inquam hac sententia, vt parũ probabili, admittenda est opinio opposita, tanquam verissima. Ex qua non bene infertur visionem in beatis non esse practicam respectu amoris beatifici, vt aduertit Ouandus in prologo propositione vltima, & in 4. d. 49. propositione 5. etenim facta nostra suppositione dispar est vtrobiq; ratio: quoniam voluntas diuina naturaliter Deum amat, & nõ liberè, vt nostra, sicut supponimus. Et quanuis cum Scoto in d. q. 4. prologi lit. R. volũtas diuina admitteret libera respectu talis amoris (quod non tutè admittitur) adhuc cõsequentia non valeret: quia teste eodẽ Scoto illa in ordine ad rectitudinem amoris esset prima sibi regula, nec indigeret aliunde rectificari; cuius oppositum cernitur in voluntate beati.

31 Vltimũ præcluditur. Scotus. Lichetus. Orbellis.

Difficultatem propositam de visione beata respectu amoris non absolutè resoluimus, sed sub conditione, vt sit speculatiua solùm, si amor beatificus volũtati naturaliter conueniat; practica verò, si conueniat liberè; si quis inquirat; quænam opinio simpliciter sit tenenda? Respondebo parum esse probabilẽ sententiam, quæ ponit amorem beatificũ esse liberum ab intrinseco; necessarium tamen ab extrinseco; etenim consentientibus Maironio, & Bassolio ea supposita vix defenditur impeccabilitas beatorũ, & eorũ confirmatio in bono; quãuis exercitij gratia defẽdi possit: vera igitur opinio agnoscit amorẽ illũ esse naturalem,

32

lem,& subinde necessarium ab intrinseco: quo supposito verissima est opinio, quod visio respectu amoris beatifici nullo modo est practica, sed simpliciter speculativa, & hęc sit vltima conclusio.

§. 3.

Practicum, & speculativum posse simul in eadem visione reperiri.

33 EX ijs, quæ diximus patet verissimam esse tertiam opinionem, quę asserit visionem beatificam simul esse speculativam, & practicam: cōstat enim illum actum practicum esse simul speculativum, cui verè convenit tam ratio speculativi, quàm practici. Visioni autem vtraque ratio convenit: nam vt considerat divinam essentiam, & perfectiones illius; speculativa est: quia immediatus finis solum est veritas, vt patet ex prima conclusione. At prout terminatur ad actus liberos vel intra Deū immediatè, vel extra mediatè, de quib⁹ in secunda cōclusione, est practica: quia ad illos terminatur modo operabili: ita vt illius finis sit opus, vt patet ex tertia, & quarta conclusione.

34 Difficultas aduersus resolutionem. Huic resolutioni obijci potest communis difficultas, quam obijcit Rada in 1. controuersia 3. ar. 4. quia practicū, & speculativum vel sunt differentię essentiales, quibus tam scientiæ, & habitus, quàm notitię essētialiter distinguūtur, vt videtur probare Aristoteles 6. Metaph. c. 1. text. 1. & 3. de anima c. 10. tex. 53. & lib. 6. Ethic. c. 1. vel saltem sunt passiones ex diuersis essentijs necessariò consequentes; ita vt saltem à posteriori arguāt non solùm differentias specificas inter habitus, sed etiam distinctionem realem. cui argumēto est, quod scientiæ naturales speculativæ specie distinguuntur à practicis ex D. Thoma 1.p.q.1.ar.4. & patet inductione.

35 En datur, simulque concluditur practicū, & speculativū nō esse differētias specificas Probatur à priori. Ad hanc difficultatem dicendum est practicum, & speculativum non esse differentias specificas, quæ immediatè diuidant sciētiam in duas primas species subalternas. Quæ sententia contra nonnullos facilè probatur, tum à priori, tū à posteriòri, & ab absurdo. A priori quidē; quoniā rationes practici, & speculativi non sumuntur in ordine ad rationē formalem obiecti; sed per ordinem ad ea, quæ obiecto materialiter sumpto conueniunt: sumuntur enim per ordinē ad operabilitatem obiecti, vel non operabilitatem, vt patet ex dictis §. 1. ex Aristotele 2. Metaph. c. 1. tex. 3. & cum hæ differentiæ sint materiales, sunt veluti accidentariæ respectu subiecti formalis, à quo scientiæ, & notitiæ sumūt speciem, vt docet D. Thomas 1.p. q.79. ar. 11. Quare non possunt facere discrimē essentiale, nec essentialiter constituere aliquam speciem habitus, vel notitiæ. *Aristot.* *D.Thom.*

A posteriori verò idem probatur: quoniam practicum, & speculativū vagantur per plura non subalternatim posita: conueniunt enim non solùm intellectui, sed etiam habitibus, & actibus illius: non solùm enim intellectus dicitur practicus, aut speculativus; sed etiā habitus intellectualis, & intellectualis notitia: inueniuntur etiam in habitu principiorum, opinione, fideque humana: imò etiam non solùm conueniunt conclusionibus, sed etiam principijs: omnia enim pronunciata, siue vera, siue verosimilia; siue cōclusiones sint, siue prę-missę, vel ad praxim, vel ad solam veritatis contemplationem spectant: quę tā lata vagatio non convenit differentijs essentialibus, sed solis accidentalibus: & adhuc illis, quæ non habēt vnum subiectum, cui primo conueniant. Idem probatur à posteriori.

Denique si essent differentiæ essentiales per se diuidentes scientiam in cō muni; siue illam immediatè diuiderent, siue mediatè; semper diuiderent duo genera nō subalternatim posita. Quæ omnia bene aduertit Fonseca 6. Metaphy. c. 1. q. 5. sect. 6. assertione 4. quo loco litera E. concludit scientiam in communi eo modo diuidi per practicum, & speculativum; quo animal diuiditur per bipes, & multipes: quæ sunt accidentia quædam animalium inseparabilia, quæ nulli speciei primò conueniunt. Quare practicum, & speculativum sunt differentiæ materiales sumptæ ex obiectis scientiarum, quatenus res quædam sunt nostris operationibus subiectę, vel non subiectæ, vt bene aduertit Valentia 1. tom. disp. 1. q. 1. punct. 3. in 4. q. pag. 37. satis ad mentem D. Thomæ in d. q. 79. art. 11. 36 *Fonseca.* *Valentia.* *D.Thom.*

Ex quo patet, quam longe aberret à vero opinio Suarij in Metaphysica disput. 44. 37

put. 44. sect. 13. n. 43. & 44. dum asserit practicum, & speculatiuum esse differētias essētiales, & vltimas ijs, quibus adęquate conueniunt: hoc est, quæ adęquate sūt vel speculatiuæ, vel practicæ: subalternas autem, si abstrahāt ab adęquato, vel inadæquato. In qua sententia illud primo displicet, quod differentias istas faciat essētiales: secūdo; quod illas faciat subalternas, quando ab adæquato, vel inadæquato abstrahūt. Nam primum nō esse admittendum ex dictis patet: quia siue adæquate conueniant, siue inadæquate, semper sunt differētię materiales, & accidentariæ: quia semper sumuntur ab obiectis, quatenus res sūt, & non quatenus obiecta sunt. Illud verò posterius ideo maxime displicet: quia non poterit ostēdere, cuinam subalternæ speciei primo conueniat ratio practici, aut speculatiui abstrahens ab adæquato, vel inadæquato: nisi dicat scientiam in communi primo diuidi in speculatiuam abstrahentem ab adęquato, vel inadęquato; & in practicam cum simili abstractione: rursus speculatiuam scientiam sumptam in illa abstractione aut esse adæquate speculatiuam, aut inadæquate. Simili modo diuidi practicā. Quę scientię diuisio non est admittēda: tum: quia inaudita; tum quia absurda. Nam primo infertur differentiam practici adæquati non esse vltimam: contineret enim sub se plures scientias adęquate practicas specie distinctas: at tamen oppositum docuit.

Primum dictū improbatur.

Secundum improbatur 1.

38 Improbatur 2.

Secundo infertur vnam, & eandem scientiam per se collocari sub duobus generibus nō subalternatim positis cōtra regulam anteprędicamentalem. Sequela patet in sciētia, quæ simul est speculatiua, & practica: hęc enim est vna specie: & cum sit inadæquate speculatiua, cōtinebitur sub genere scientię speculatiuæ, quod abstrahens ab adęquato & inadęquato diuiditur in scientiam adæquate speculatiuā, & inadęquate: & eadē ratione cūsit inadęquate practica, p se collocabitur sub genere sciētię practicæ abstrahēte ab adęquato, & inadęquato: quod sub se continet practicam adęquatam, & practicam inadęquatam: quę omnia repugnant regulæ anteprędimentali.

39 Concludendum est igitur practicum, & speculatiuum non esse differētias essentiales, nec specificas, quibus aut habitus in communi, aut sciētia, notitiaq; in cōmuni in speceis diuidatur: quę fuit sententia Capreoli in 2. q. prologi ar. 3. ad argumenta contra 6. & Caietani 1. p. q. 1. ar. 4. vbi Banhes, & Cumelius, quam doctissime confirmat Fonseca loco citato litera D. Valentia vbi supra, Bellomontanus 1. p. disp. 9. c. 3. n. 6. Molina 1. p. q. 1. ar. 4. disp 2. §. *quod siquis aduersus.*

Vtrum autem à posteriori inferant distinctionem essentialem, atque realē in illis, quibus conueniunt? Affirmat Rada: negant tamen cæteri omnes: qui non solum in Deo certissime agnoscūt scientiam, & notitiam speculatiuam simul, & practicam reiecta sententia Scoti: sed etiā in habitu fidei, & in theologia. Ex quo infertur practicū, & speculatiuum non ita inter se differre, vt simul reperiri non possint: non solum in intellectu (de quo D. Thomas 1. p. q. 79. ar. 11.) sed etiam in habitibus, & notitijs, quam veritatem volumus esse suppositam cū D. Thoma. 1. p. q. 1. ar. 4. & 2. 2. q. 45. ar. 3. Capreolo, Caietano, & cæteris quos citauimus.

40. Dubiū circa eadē differentias. *Radas.*

D. Thom. Capreolus Caetanus.

Siquis inquirat, quando practicum, & speculatiuum inferant distinctionem realem in habitibus, & notitijs, quibus conueniunt? Res est difficilis explicatu. Rem explicat Bellomontanus in d. disp. 9. c. 3. n. 6. practicum, & speculatiuum tunc inferre realem distinctionem, cum adæquatè conueniunt, aut habitui, aut notitiæ: secus si inadęquatè. Sed non placet: quia idem est, atque dicere has differentias inferre distinctionem realem in habitibus, & notitijs, quę solum sunt aut speculatiuę, aut practicę: secus in illis, quæ simul sunt vtrunque: cum verò notitiæ, quæ solum sunt practicæ, realiter distinguantur à notitijs speculatiuis, & è contrario: idem est atque dicere differentias istas in notitijs realiter distinctis inferre distinctionē realem; secus in ijs, quæ realiter nō distinguūtur: quod est idem per idem explicare.

41 Difficultas circa eadē.

Explicatio Bellomont.

Reijcitur.

Vera igitur resolutio sit differentias practici, & speculatiui in habitibus, notitijsq; naturalibus sēper arguere realem distinctionem, & ob id reperiri nō posse in eodem naturali habitu: secus

42 Vera explicatio.

dicendum est in habitibus, notitijsque supernaturalibus: in his enim nõ necessario inferũt distinctionem realem; sed potest idem numero habitus, ac notitiã simul esse speculatiua, & practica, diuersa tamen cõsideratione. Hęc sententia placuit Molinæ 1. p.q.1. ar.4.disp.2. §.*siquis aduersus*, & prius fuit Caietani ibi post principium, vbi per scientias finitas in quibus vult differẽtias istas arguere realem distinctionem, intelligit scientias naturales; per infinitas verò, supernaturales. Ratio discriminis, quã vterque explicat, sumitur exobiecto vtriusq; notitię: nã in obiecto habitus, vel notitiæ naturalis ratio formalis non potest simul habere conditionẽ speculabilis, & operabilis sed alteram tãtum: oppositum reperitur in obiecto supernaturalis habitus, & notitiæ: cum enim illud sit ens infinitum, potest in se vnite habere vtranque conditionem; & ob id ratio illius cognoscendi potest se extendere ad rationem speculabilis, & operabilis: enimuero diuina essentia eminenter cõtinet vtranque illam rationẽ: vnde visa à beato potest esse ratio obiectiua cognoscendi, tam speculabilia, quàm operabilia. Similiter dicendum est de fide: respicit enim Deum, vt reuelantẽ veritates, quas vnite continet; & ob id reuelatio potest se extendere tum ad veritates speculatiuas mysteriorum internorum Dei; tum ad practicas, quæ ad salutem conducunt.

Molina. *Caietanus.* Ratio discriminis.

43 Cõfirmat. Hæc omnia confirmari possunt ex vulgata doctrina: quæ in inferioribus dispersa sunt, & plurificata, sunt vnita in superioribus: nam, quę distinctis sensibus externè percipiuntur, vnite percipiuntur ab vno sensu communi: & quę percipiuntur à pluribus sensibus externis, & internis, percipiuntur ab vno intellectu. Simili modo, quæ intellectus noster per distinctas species, atque notitias intelligit, cognoscit angelus per vnam speciem, vnamque notitiam. Hoc autem non aliunde prouenit, quam ex ratione ordinis inferioris: is enim ideo quia infim°, ita limitat, & coarctat causas sui ordinis, vt singulas ad singulos specificos effectus determinet; nam ob id appellatur ordo infimus, quia habet caussas re, & virtute infimas habentes infimos caussãdi modos ad effectus specie infimos adæquate coarctatos: calidum enim immediate non potest, nisi calidum efficere: & frigidum solũ caussat aliud frigidum: & homo solum generat hominẽ, & equus equũ, & sicde cęteris: quod tamen non reperitur in caussis virtutibusq; altioris ordinis, in quibus insunt virtutes altiori, & vnitiori modo operantes; vnde ad plures effect° etiam specie distinctos extẽdi possunt: Sol enim generat hominem, & equum: sua luce calefacit, & exsiccat. Quanuis igitur habitus, & notitiæ inferioris ordinis, vt sũt naturales, ob sui limitationem solum sibi vendicent, aut rationem speculatiui tantum, aut rationem practici: id tamen non reperitur in notitjs ordinis superioris, quales sunt supernaturales. Ita fit, vt rationes formales speculatiui, & practici ex sua ratione absolute non vẽdicent sibi istam distinctionem in notitijs: quia nõ necessario adęquantur solis notitijs naturalibus, sed reperiri possunt in notitijs supernaturalibus, quarum virtus, sicut altior est, ita est vnitior, cui non repugnat simul haberevtranque illam rationem, ratione tamen diuersa.

Diximus *hoc illis non repugnare*: quia nõ oportet, vt omnis notitia supernaturalis simul sit speculatiua, & practica: datur enim instantia in actibus fidei infusæ: licet enim habitus fidei vnite sit speculatiuus, & practicus: tamen actus eius practici, & speculatiui realiter distinguũtur, vt optime aduertit Fonseca vbi supra sect.7. ad 6. litera F. quanuis oppositum docuerit Molina vbi supra. Ratio est, quia nõ oportet, vtquilibet act° fidei primo feratur in totum obiectum adæquatum fidei, vt patet: cuius oppositum reperitur in ipso fidei habitu: atq; etiam in visione beata, quæ adæquate fertur in totum Deum, vt vnite cõtinet & rationes speculabiles, & operabiles. Et hęc satis sint de hac difficultate.

44 Notitia supernaturali non omnis simul speculatiua, & practica.

Fonseca. *Molina.*

§. 4.

Visionem principalius esse speculatiuam, quàm practicam, vnite tamen vtrunque, & suo modo eminẽter.

45 Duo dubia. primum. DVo supersunt explicanda dubia: primum est: an visio beata principalius sit speculatiua quã practica

ctica? Alterum est, an vtrunque sit formaliter; an solum eminenter? Ad primũ dubium quidam respondent eam principalius esse practicam, quam speculatiuam. Ita Richardus in 4. d. 49. ar. 1. q. 8. quem probat Angles de beatitudine q. 1. ar. 1. dub. 2. Oppositum tamen absque dubio dicendum est cum Capreolo in 4. d. 49. q. 2. ar. 3. ad argumenta contra tertiam, Sõcinas ibi q. 2. concl. 3. Sotus q. 1. ar. 4. concl. 5. & est de mente omnium Thomistarum, & satis ad mentem D. Thomæ in hìc disp. 1. q. 3. punct. 4. ad secundam dubitationem pag. 73. & 74. Quæ opinio ex eo vel euidenter ostenditur; quod visio sub ratione speculatiua habet Deum pro obiecto immediato: vt verò est practica, habet pro obiecto ipsam operationem, quam dirigit; dilectionem sc. Dei, & hominum, gratiarum actiones, & laudes diuinas. Secundo; quia beatus ex ijs, quæ in Deo speculatiue videt, sumit regulas, quib⁹ actiones suas liberas recte dirigat. Adde Tertio; quia ratio speculatiua principalior est, & nobilior, quàm ratio practica, ex sentẽtia Aristotelis, & philosophorum. Cur igitur non potius dicetur speculatiua, quàm practica; nam ob hanc rationem in sequẽti §. dicemus beatitudinem perse poni in visione, quatenus est speculatiua.

Resolutio. *Capreolus.* *Soncinas.* Ostẽdit. 1. Secundo. Tertio.

46 Dubium 1. 1. sentẽtia. *Caiet.* *Medina.* *Cumelius.* 2. Sentẽtia. *Sylueſter.* 3 Sentẽtia. *Banhes.*

Circa posterius dubium tres inuenio sententias. Prima docet visionem esse vtrunque eminenter, ita Caietanus 1. p. q. 26. ar. 4. ad finem, cum quo transeunt Medina in hoc ar. 5. Cumelius 1. p. q. 1. ar. 4. q. 1. concl. 5. Secunda huic opponitur docens vtrunque esse formaliter: ita Sylueſter in conflato q. 1. ar. 13. §. *sciẽdum est* 3. & Molina 1. p. q. 1. disp. 2. in fine. Tertia asserit visionem formaliter quidem esse speculatiuam, eminenter autẽ practicam, & hanc non esse improbabilem putat Banhes 1. p. q. 1. ar. 4. concl. 5.

47 Vera sent.

Ego puto hanc tertiam sententiam esse improbabilem; duas priores inter se consentire, si bene expendantur: nam Caietanus ita censet visionem esse eminenter vtrunque, vt non neget, sed concedat eam esse vtrunque formaliter, vt videre est apud eũdẽ 1. p. q. 1. a. 4. §. *circa prædicata*, vbi expresse fatetur notitiam, vel scientiam esse eminenter vtrunque, & formaliter: hæc enim duo simul stare possunt; esse eminenter tale, & formaliter: Deus enim eminenter, & formaliter est intelligens, & volens: Sol eminenter & formaliter est calefactiuus, & exsiccatiuus. At verò Sylueſter, & Molina fatentur visionem beatam esse eminenter vtrunq; in hoc sensu, quia eminẽter cõtinet omnes scientias inferiores tàm speculatiuas, quàm practicas.

48 Multipliciter aliquid dicitur emi nenter tale.

Quare pro conciliatione aduerte multis modis aliquid dici posse eminẽter tale: vno modo; quia habet virtutem productiuam illius: & hoc modo Deus est eminenter lapis; quia habet virtutẽ productiuam lapidis. Secundo modo; quia habet eandem virtutem cum illo: in quo sensu martyrium est eminenter baptismus; quia eandem virtutem regenerandi habet, quam habet baptismus. Tertio modo; quia tale est modo quodam altiori, & magis vnitè: & hoc modo Sol est eminenter calefactiuus, & exsiccatiuus; quia virtutem habet calefaciendi, & exsiccandi altiori modo, quàm habeat ignis. Quanuis igitur ea, quæ sunt eminenter talia primo, & secundo modo, non possint esse formaliter talia (nec enim Deus est formaliter lapis; nec martyrium est formaliter baptismus) tamen ea, quæ tertio modo sunt eminẽter talia, bene possunt dici formaliter talia: Deus enim (vt aduertit Caietan⁹) est eminẽter intelligens, & volens, simul, & formaliter: quia in eo sensu dicitur eminẽter intelligens, quia virtutes istas altiori modo habet, & modo vnitiori, quàm quæcunque creatura rationalis: hæc enim per diuersas potentias intelligit, & vult; in Deo autem intellectus, & voluntas sunt vnum: Sol etiam formaliter est calefactiuus, & exsiccatiuus per virtutẽ formaliter calefactiuam, & formaliter exsiccatiuam: quanuis eminenter sit talis in eo sensu, quia illas virtutes altiori modo, & vnitiori cõtinet, in vna sc. luce; quas ignis nõ habet, nisi realiter distinctas. Cum igitur visio beata in hoc sensu eminenter sit speculatiua, & practica; quia altiori modo atq; vnitiori rationes illas in se concludit; non erit mirum, si simul sit formaliter speculatiua, & formaliter practica; quia formaliter speculatur, & formaliter dirigit actiones liberas; non per notitias realiter distinctas, vt faciunt virtutes inferio-

Caietanus,

Probatur vera sẽtẽtia

inferiores,& naturales;sed per vnam,& eandem,quanuis diuersa ratione,& cõsideratione, & hunc sensum satis docte explicauit Fonseca in 6.Metaph. c.1.q. 5.sect.7. ad 6. litera F. dum affirmat fidem catholicam formaliter esse,& contẽplatiuam,& practicam: similiter etiã eminenter vtrunque habere, si cum habitibus acquisitis contẽplatiuis, &practicis conferatur;quia nimirum,quæ illi multiplicata habent, & distincta, illa habet modo altiori,& vnitiori. *Fonseca.*

49 Impugnatio solutio. *Caetanus.* *Sylvester.* *Molina.*

Et ad hunc modum cessant omnia argumenta,quę in contrariũ obijci possut Nam in primis in hac materia nõ valet hæc consequentia: *visio beata est eminenter speculatiua,& practica. Ergo non est formaliter vtrunq;* quã negãt Caiet.vbi supra,& Cumelius loco citato ad 3. & 4.quidquid cõtradicãt Sylvester,& Molina.Necsimiliter valet: *visio quædam formaliter speculatur; & quædam formaliter dirigit; ergo non est eminẽter speculatiua,& practica sed formaliter.* Quam consequentiã etiam negat Caiet. in d.q.1.ar.4. ad finem commenti: hæc enim possunt simul constare quòd formaliter speculetur, & dirigat: & quòd vtrunque faciat virtute quadam altiori, & vnitiori. Hæc de ratione speculatiui, & practici circa visionem. Iam ad institutum redeamus.

§. 5.

50 *Resoluitur principalis quæstio initio proposita.*

RElIqua est resolutio principalis quæstionis initio articuli excitatæ; an beatitudo per se ponatur in notitia speculatiua; an verò in practica? Cuius quæstionis resolutio facilis esset, si visio beata esset aut solũ speculatiua, vt volebat opinio secunda relata §. 1. aut solum practica, vt Scotus in prima opinione voluit .Nam cum in opinione, quam modo defẽdimus, beatitudo ponatur in actu intellectus, qui probaret visionem non esse speculatiuã, sed practicam; vt consequenter loqueretur,non posset non ponere beatitudinẽ in notitia practica: sed nullus auctor opinionis,quã modo defendimus,ponit visionem esse solum practicam. Porro, qui probaret visionem esse solum speculatiuam; si beatitudinem collocaret in solo intellectu; non posset non ponere beatitudinem in notitia simpliciter speculatiua. Vnde ita docuerunt Paludan' in 4.d.49.q.3.ar.2.& ibidem Bassolius q. 2.ar.3.post principium,& Bellomontanus hoc loco disp. 12. n. 4. Quare apud auctores primę, & secundæ opinionis res esset absque vlla dubitatione. *Paludan.* *Bassolius.*

Porrò;res forte erit dubia,suppositaveritate opinionis, quam probauimus; quæ asserit visionem diuinæ essentiæ simul esse speculatiuam,&practicam:hac enim opinione suppositа, posset aliquis dubitare,an beatitudo per se collocari deberet in visione, quatenus est notitia speculatiua; an quatenus est practica; an deniq; quatenus est vtrunque simul. 51 Dubium.

Sunt nonnulli, qui in modo loquendi volunt beatitudinem perse collocari in visione, vt speculatiua est, & practica; quanuis magis,& principalius collocetur in ea, vt est speculatiua. Hanc sententiam formaliter expressit D.Thom. in hoc ar.5.nam in principio ita scribit *dicendum,quod beatitudo consistit magis in operatione speculatiui intellectus, quam practici.* Et ad finem corporis ita habet: *& ideo vltima,& perfecta beatitudo,quæ expectatur in futura vita, tota principaliter consistit in contẽplatione;secundario in operatione practici intellectus ordinantis actiones humanas.* Satis id insinuant Capreolus in 4.d.49.q.2.ar,2. ad argumenta contra 3. & Conradus in hoc ar. 5. & cum illis Valentia hic disp. 1. q. 3. puncto 4. in secunda dubitatione pag.73. 52 1.Sentẽtia *D.Thom.* *Capreolus.* *Conradus.* *Valentia.*

Alij istis consentiunt; quia beatitudinem ponunt in intellectu speculatiuo,& practico:dissentiunt tamen, quia beatitudinem principalius collocant in actu intellectus practici, quàm speculatiui. Quę fuit sentẽtia Richardi in 4.d.49.ar. 1.q.8. videtur consentire Iosephus Angles in floribus de beatitudine art. 1. dub. 1. post tertiam difficultatem. 53 Secund. *Ricardus.* *Angles.*

Dicendum tamen est beatitudinem solum poni in visione, quatenus est act' speculatiui intellectus, non verò, vt est actus intellectus practici.Hęc est expressa sententia D. Thomæ in 4.d.49.q.1.ar. 1. quæstiuncula 2. & satis eam declarat in hoc ar. 5. dum iuxta correctam literam ita habet: *ideo vltima, & perfecta beatitudo,quæ expectatur in futura vita, tota consistit in contemplatione.* Tota, inquam.i.totaliter, & adæquate: quoniam præcise 54 Vera sẽtẽt. *D.Thom.* *Capreolus.*

posita

posita est in visione, vt est contemplatiua. Satis id explicauit Capreolus in 4. d. 49. q. 2. ar. 1. concl. 3. Suarius 2. de attributis c. 18. in vltimis verbis. Cũ quibus facile consentient auctores secundæ opinionis, & est communior inter nouiores.

55 Probatur 1. Probatur primo; quoniam Aristoteles beatitudinem naturalem posuit in sola cõtemplatione, vt suo loco ostendemus. A fortiori igitur supernaturalis beatitudo in sola contẽplatione ponenda est.

56 Secundo. Secundo; quia sicut beatitudo ex sua natura vendicat sibi actum intellectus, ideo quia præstantior est actu voluntatis, vt modo cum D. Thoma defendimus: ita debet sibi vendicare actum intellectus prestantioris. At intellectus speculatiuus nobilior est, quàm practicus, vt docet Aristoteles 10 Ethic. c. 7. & 8. est enim gratia sui: versatur circa obiectũ præstantius: & est certior, vt idem Aristoteles docuit in proœmio Metaph. Sed potest quis occurrere negando minorẽ ex doctrina Scoti in 4. q. prologi litera BB. CC. quo in loco docet supremã notitiã practicã (qualis est, quæ dirigit actũ voluntatis circa vltimum finem) esse nobiliorem quacunque notitia speculatiua, etiam suprema: Aristotelẽ autẽ ideo oppositum docuisse; quia nullam agnouit practicam notitiam circa actum voluntatis respectu finis vltimi. Scotum sequuntur omnes Scotistæ citati supra §. 1. in prima opinione. Ex qua doctrina infertur visionem, quatenus est practica, nobiliorem esse se ipsa, quatenus est speculatiua. Sed hanc Scoti doctrinam falsam esse ostendemus §. 6. in solutionibus argumentorum.

Aristot. *Euasio.* *Scotus.* Præcluditur

57 Tertio. Tertio probatur; quoniam beatitudo in ea sola operatione debet essentialiter collocari, quæ immediate terminatur ad Deum, vt est obiectum beans. Sed visio, quatenus est notitia practica non terminatur ad Deum in se ipso; sed ad actiones, quas dirigit: quatenus verò est speculatiua immediate terminatur ad Deum, vt est beans. Ergo beatitudo non potest poni in visione, quatenus est practica, sed solùm quatenus est speculatiua. Maior ab omnibus admittitur: nam beatitudo formalis (de qua est sermo) cum beatitudine obiectiua componit vnam totalem beatitudinem, vt sæpe docuimus in 1. lib. & 3. non componeret autem nisi immediate terminaretur ad eam. Accedit etiam; quoniam Deus, vt est obiectum beans, non aliter à nobis acquiritur, nisi per operationẽ ad ipsum obiectiuè terminatam, & sub hac sola ratione potest habere rationẽ assecutionis Dei. Minor autem est euidens; quia notitia practica ex sua ratione immediate terminatur ad praxim, tanquam ad obiectum immediatum; vt de visio non habet rationem practicæ notitiæ, provt præcisè terminatur ad Deum; sed provt terminatur ad actiones, quarum est regulatiua. Non igitur poterit cum Deo componere vnam totalem beatitudinem, sed solum, quatenus est speculatiua.

58 D. Thom. Propositæ sententiæ nõ est cõtrarius. Nec huic resolutioni contradicit D. Thomas in hoc ar. 5. nam verba illa, quę suprá citauimus ex fine corporis (quæ difficultatem agebant) sunt corrupta: vera enim litera est, quæ habetur in textu Romæ excusso, & emendato, quæ iam communiter circunfertur, vt patet apud Conradum Venetijs 1589. & apud Seraphinum à porrecta Venetijs 1596. ita enim habet: *Ideo vltima, & perfecta beatitudo, quæ expectatur in futura vita, tota consistit in contemplatione: beatitudo autem imperfecta, qualis hic haberi potest, primò quidem, & principaliter consistit in contemplatione, secundario in operatione intellectus practici ordinantis actiones, & passiones humanas, vt dicitur in 10 Ethic.* Quæ lectio tanquam verissima est habenda: nam si in patria non sunt futuræ passiones; quomodo in antiqua litera affirmatur beatitudinem futuræ vitæ secundario positam esse in intellectu practico ordinante passiones? Deinde; si sermo est de beatitudine patriæ; quomodo ad probandam suã sententiam profert D. Thom. testimonium Aristotelis; qui beatitudinem illã non agnouit? Igitur cum illa verba *secundario autem, &c.* conuenire nõ possint beatitudini futuræ vitæ, sed soli beatitudini viæ; accommodatissima est litera ista correcta. Cui etiam illud est vel maximo argumento; quoniam D. Tho. in principio articuli egit de beatitudine, vt abstrahit à perfecta futuræ vitæ, & ab imperfecta vitę præsentis, vt satis probat tertia ratio, qua conclusio initio posita confirmatur: ex eo enim probat

D. Thom.

bat D.Thomas beatitudinem magis cõsistere in operatione intellectus speculatiui, quàm practici; quia in vita contemplatiua homo communicat cũ Deo, & angelis: in vita autem actiua animalia aliqualiter cum homine communicant: quod falsum esset, si conclusio probãda ageret de beatitudine patrię: quoniã in vita actiua, quę in illa manet, animalia nobiscum non conueniunt. Oportuit igitur distinguere duplicem beatitudinem, & iuxta vtranq; soluere quæstionem propositam: quod fit in litera correcta: in qua iuxta naturam vtriusq; beatitudinis quæstio dissoluitur. Cum igitur de beatitudine patrię dicat, quòd tota consistat in contemplatione; euidenter ostendit beatitudinem patrię nõ consistere, nisi in visione, provt est speculatiua. Nec huic resolutioni iã obstãt verba posita in principio articuli. Quia ibi D. Thomas agit de beatitudine abstrahente à perfecta, & imperfecta; in quo sensu verissima est propositio.

§. 6.

Soluuntur nonnulla argumenta.

60 Primum argumentum contra præcedentẽ resolutionẽ.

CONtra positam resolutionem nõnulla obijci possunt; & primo, quoniam beatitudo per se ponitur in visione, vt nunc supponimus. Visio autem simul est speculatiua, & practica, vt resoluimus. Ergo beatitudo collocabitur in visione, vt est vtrunque.

Secundum. Secundo; ratio practicæ notitiæ, quæ reperitur in visione, nobilior est, quàm ratio speculatiua eiusdem. Ergo beatitudo potius ponenda est in visione, vt est practica. Consequentia patet: quia beatitudo ponenda est in nobiliori ratione visionis, vt est notitia. Antecedẽs est Scoti in 4. q. prologi litera BB. CC. quem sequuntur Scotistæ, vt iam aduertimus. Vnicum fundamentum illorum est; quia visio, vt sic dirigit actum volũtatis circa vltimum finem: qui prẹstantior est, quàm actus intellectus.

61 Tertium. Tertio; beatitudo consistit in assimilatione ad Deum vltimũ finem: sed homo magis assimilatur Deo per intellectum practicum, quàm per speculatiuũ: practicus enim est causa rerum; speculatiuus autem accipitur à rebus. Ergo beatitudo magis collocabitur in visione, vt est actus intellectus practici.

62 Quartum. Quarto; beatitudo est perfectum bonum hominis: sed homo magis dicitur bonus per intellectum practicum, quàm per speculatiuum: etenim per intellectũ speculatiuum homo dicitur sciens; per practicum verò dicitur bonus.

63 Quintum. Postremo; beatitudo est quoddã bonum ipsius hominis: sed intellectus practicus magis occupatur circa ea, quæ sunt bonum hominis, quam speculatiu⁹. Ergo beatitudo magis ponitur in practico intellectu, quàm in speculatiuo. Minor patet ex eo, quia speculatiuus occupatur circa illa, quę sunt extra hominem: practicus autem circa ea, quę sunt ipsius hominis: occupatur enim circa operationes, & actiones, quæ sunt in homine.

64 Responsio ad primum. Hæc facile soluũtur. Ad primum cõcessa vtraque præmissa, neganda est cõsequentia: quoniam beatitudo ponitur in visione, provt attingit obiectum beatificum, vt operatio illius assecutiua: visio autem, nec sub vtraque ratione attingit Deum; nec sub vtraque est assecutiua Dei, vt patet ex dictis in secundo argumento.

65 Ad secundũ. Ad secundum negandum est antecedens: primum; quia contradicit Aristoteli 10. Ethic. c.7. & 8. vbi expresse docet intellectum speculatiuum lõgè prẹstantiorem esse practico. Aristoteles autem ideo non agnouit notitiam practicam circa actum voluntatis respectu vltimi finis: non quod nõ agnouerit talem actum in secundis intelligentijs respectu primæ: sed quia agnouit actum illum esse naturalem, & proinde irregulabilem ab aliqua practica notitia, vt Scotus fatetur. Et quanuis illam notitiam practicam Aristoteles agnosceret respectu talis actus; adhuc illam agnosceret minus nobilem: quia tunc philosophando videret obiectum notitiæ speculatiuæ esse primam intelligentiã cognitam in se ipsa: obiectum autem practicæ, esse actum voluntatis circa eandem primam intelligentiam: nec dubitaret primam intelligentiam in se longe præstare actui voluntatis: & subinde non posset non inferre notitiam speculatiuam terminatam ad primam intelligẽtiam in se longe esse nobiliorem notitia practica dirigente amorem erga intelligẽtiam

ligentiam primã. Eodem nos argumẽto vtimur: nec enim negandum est Deum in se ipso esse obiectum longè nobilius, quàm sit amor beatificus, etiam vt ad Deũ terminatur: quòd si notitiæ eo nobiliores sunt; quò obiecta, à quibus specificantur, sunt nobiliora: vtique nobilior erit visio beata, prout immediatè terminatur ad Deum, quem speculatur; quàm prout terminatur ad amorẽ beatificum, quem immediatè dirigit. Quibus addimus *esse propter se* esse rationem præstantiorem, quam esse *gratia alterius*: ob hãc enim rationem finis præstat ijs, quæ sunt ad finem. Visio autem, vt terminatur ad Deum, est propter se: contenta est enim ipsa obiecti cogniti veritate: at prout respicit amorem, vt praxim, quam dirigit; est propter amorem, tãquam propter finem: praxis enim est finis notitiæ practicæ ex Aristotele 2. Metaph. c. 1. tex. 3. Quòd si visio sub ratione speculatiua est nobilior se ipsa, vt est practica, etiam respectu amoris beatifici; à fortiori erit nobilior, si cum veriori sententia dicamus visionem non esse practicam respectu amoris beatifici: quia est actus naturalis, sed respectu aliorum actuum, qui non sunt beatifici: in his enim cessat fundamentum Scoti; quoniam visio non dirigit actum voluntatis erga vltimum finem.

Aristot.

66 Ad tertiũ. *D. Thom.*

Ad 3. respondetur ad mentem D. Thomæ in hoc ar. 5. ad 1. beatitudinẽ hominis (de qua est sermo) nõ esse quancũq; assimilationem; sed eam, quæ est secundum vnionem obiectiuã ad Deum; quæ fit, vel per actualem informationem intellectus; vel per Deũ, vt habet rationẽ speciei intelligibilis, vel per visionẽ ipsam intuitiuã, quę est expressa quædam Dei similitudo: quæ assimilatio lõge est maior, quã assimilatio, quæ fit per eandẽ visionẽ, vt est practica: nã assimilatio illa est formalis, & talis, vt ipse intellectus per eã fiat ipse Deus in esse intelligibili, vt cũ D. Thoma ad mentẽ Arist. aliquando diximus: vnde 1. Ioan. 3. dicitur: *Similes ei erimus; quia videbimus eũ, sicuti est*: quia sc. ipsa visio est quædã formalis assimilatio ad Deũ. Porrò assimilatio, quam visio habet, vt est practica, est assimilatio secundum proportionabilitatem: quatenus sc. ita se habet intellect⁹ practicus ad suum obiectum cognitum, sicut se habet Deus ad suum: quia sc. sicut De⁹ potest producere res, quas practicè cognoscit: ita etiam visio potest dirigere actus liberos, quos practicè respicit. Quę assimilatio, præter quàm quòd est generalis ratio beatitudinis, quę homini cum cęteris rebus est communis, & ob id longè inferioris ordinis, solùm est in ordine ad obiectum secundarium, non ad primarium, quod solùm est beatificum, vt D. Thomas aduertit.

1. Ioan. 3.

67 Ad quartũ.

Ad 4. admissa maiore neganda est minor, si sermo sit de bonitate trãscendẽtali, & entitatiua: quia intellectus speculatiuus habet ipsam contemplationem in sẽ; cum eam quærat propter se: practicus autem, & si habet in se ipsam notitiam practicã; non tamen eam habet propter se, sed propter aliud, ad quod eam ordinat. Cum verò obijcitur; nos dici bonos per intellectum practicum; iam fit transitus de bonitate formali, & entitatiua ad bonitatem moralem, quæ est bonitas secundum quid; in qua beatitudo non est posita; sed in bonitate, & perfectione entitatiua, & formali.

68 Ad vltimũ.

Ad postremũ explicãda est maior; vt beatitudo sit bonũ hominis formale cõiungens bono sũmo, & vltimo fini; à qua coniunctione habet rationẽ beatitudinis: licet autẽ bonum sũmum sit bonum extrinsecum: per vnionẽ tamẽ obiectiuã fit obiectiuè intimum nobis; & vt sic nos beat. In quo sensu neganda est minor: quia intellectus practicus licet vertatur circa nostras operationes; non tamen nos coniungit summo bono.

ARTICVLVS VI.

Vtrum beatitudo consistat in notitia directa diuinæ essentiæ; an verò in reflexa?

§. 1.

Beatitudinem poni in notitia directa.

1 CVM intellectus sit potẽtia super se cõuersiua; duplex actus admittitur in intellectu: vnus directus, quo obiectũ directè pcipitur: alter reflexus; quo percipitur ipse direct⁹: beatus igitur & videt Deũ, & videt se Deũ videre. Quo supposito iam relinquitur locus inquisitioni; an beatitudo per se ponatur in visione, qua beatus directè videt Deum; an verò in visione reflexa, qua videt se Deum videre?

2 Quorũdam sententia quã referũ Holcot, & Supplementum Gabr.

Fuit quorundam opinio, qui posuerunt beatitudinem nõ in visione illa directa, sed in hac reflexa: ita vt beatus nõ sit beatus, quia videt Deum; sed quia videt se videre Deum. Hanc opinionẽ referunt Holcot q. 7. suarum determinationum in secunda opinione, & Supplementũ Gabrielis in loco statim citãdo.

Probatur 1.

Eam confirmabant primò; quia actus reflexus est nobilior directo: tum; quia est posterior generatione, vt patet: iam verò, quod est generatione posteri' est nobilius. Tum secundò; quia potentia immaterialis in hoc distinguitur à materiali, quòd potest habere actum reflexum, quem materialis habere non potest. Tum tertiò; quia actus directus solùm includit obiectum: reflexus autem includit, & obiectũ, & actum directum.

Secundo.

Secundò; quia appetitus vltimatè nõ satiatur, nisi per actum reflexum; nam videns Deum tum completè satiatur, cũ videt se videre Deum.

Tertio. *Aristot.*

Tertiò; quia delectatio consequitur actum reflexũ, iuxta illud Arist. 10. Eth. delectatio sentit se habere sensibilitatem; quasi consequatur ex reflexa sensatione; iam verò delectatio in patria consequitur cognitionem beatificam.

3 Reijcitur præcedẽs opinio. *Holcot. Ochamus.*

Hæc tamen opinio communiter reijcitur tanquam omnino improbabilis, & absque vllo fundamento, vt patet ex Bellomontano hìc disp. 15. c. 2. n. 4. in fine. Eam reijcit Holcot loco citato, & ante eum Ochamus in 4. q. 13. non quidem art. 10. vt citatur a Suario lib. 2. de attributis c. 18. n. 9. cum quæstio decimum articulum non habeat; sed art. 5. dubio 2. litera G. Supplementum in 4. d. 49. q. 3. art. 3. dub. 2. litera H. citat Suarius Gabrielem in 3. d. 14. nullum certum locum in fusissima quęstione assignans, & prudenter quidem: quoniam in illa quæstione nullum hac de re verbũ facit, sed ibi quæstione vnica art. 1. litera H. in fine solùm dicit beatum posse scire se esse beatum reflectendo super actum suum. Quod longè aliud est à nostro instituto.

Sup. Gabr.

4 Fundamentum solidũ.

Hanc verissimam opinionem aliquibus argumentis confirmat Holcot: solidum tamen fundamẽtum ex eo sumẽdũ est, quòd beatitudo formalis ex sua ratione vendicat sibi actum immediatè terminatum ad obiectum beatificũ secundũ se: nam cum beatitudo formalis ex sua ratione sit formalis assecutio obiecti beatifici; ex sua ratione includit immediatam vnionem obiectiuam cum illo: & ob id cum illo immediatè componit vnum obiectum totale. Vnde beatitudo ab ipso obiecto beatifico, vt est in se, suam sumit specificationem essentialem. Quæ omnia soli visioni directæ conueniunt, non autem reflexæ. Et mirum profectò est, quod beatus non possit esse beatus sine formali, & expressa cognitione obiectiua alicuius creaturæ, vt bene aduertit Holcot. Adde; quia ipsa reflexa visio minus est nobilis, quàm visio directa, vt patebit ex solutione argumentorũ. Denique improbabilitatem aduersariæ sententiæ satis ostendunt verba Christi Domini Ioannis 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum*. Quæ verba denotant directam cognitionem: & siue intelligantur de vita æterna patriæ, siue viæ; semper probant beatitudinem actum esse directum, & non reflexum: quod etiam satis denotant verba Ioannis 1. canonicæ 3. *quia videbimus eum sicuti est*: nec enim ait; quia videbimus nos videre eum. Ioan. 17. 1. Ioan. c. 3.

§. 2.

Visionem beatam eminenter esse reflexam.

5 Dubitatio.

SEd antequã argumenta in contrariũ dissoluamus; explicanda est dubitatio; an beatus sciat se Deũ videre per ipsãmet visionem, qua videt Deum; an verò per actũ aliquem reflexum realiter distinctũ ab ipsa visione? In qua dubitatione supponimus beatũ non solùm videre Deũ, sed etiã scire se videre Deũ: de qua suppositione nulla poterit esse dubitatio: nisi enim beatus sciat se Deũ videre; quomodò delectari potest de Deo viso? Nã vt suo loco dicemus, visio respectu delectationis de Deo, vt est bonũ nostrum, non est solum conditio repręsentans obiectũ, sed est formalis ratio obiecti: opus est igitur vt ipsa visio; vel (si mauis) De' visus per aliquã notitiã presentetur voluntati: interim de hoc vide Bellomontanũ hìc disp. 15. c. 4. n. 20. Hoc igitur supposito iam locus datur propositę inquisitioni; an scilicet beatus videat se Deũ videre per aliquem actum reflexum realiter distinctum à visione; an per ipsammet visio-

visionem, vt eminenter est reflexa?

6 Gabrielis sententia. Quod videat per actum reflexum realiter distinctum à visione expressè docet Gabriel in 3. d. 14. q. vnica artic. 1. litera H. in fine, vbi ita ait: *Qui potest scire se beatum reflectendo se super actum proprium beatificum: & ita habebit duos actus, rectum, & reflexum.* Eandem sententiam

Ochami, & Supplemẽti supponunt Ochamus, & Supplementum Gabrielis locis citatis, dum affirmant posse beatum videre Deum, & nescire se Deum videre: quod euidenter arguit actum, quo beatus videt se videre Deũ, esse realiter separabilem à visione.

Primum huius opinionis fundamentum (quantum ego potui ex illius auctoribus colligere) sumi potest, quia

7 Primum fũdamentũ ex Ochamo. generaliter docent actum reflexũ realiter distingui ab actu directo: de quo latè Ochamus in 2. q. 21. Deinde; quia

Secundum. apud eosdem de ratione actus reflexi est, quòd sit actus complexus: visio autem beata, est actus incomplexus. Tertiò; nos addimus doctrinam D. Thomæ

Tertium ex D. Thomæ doctrina. 1. p. q. 87. artic. 3. vbi generaliter docet nullam intellectionem creatam esse sui ipsius intellectionem. Omnis igitur indigebit notitia realiter à se distincta, vt cognita esse queat. Visio igitur beata apud D. Thomam non poterit esse visio sui, sed videbitur ab alia notitia realiter à se distincta. Hanc sententiam nõ omnino reijcit Bellomontanus vbi supra; & tanquam probabilem admittit Holcot in d. q. 7.

Oppositam tamen, vt probabiliorem

8 Oppositam magis probant recentiores. magis probat Bellomontanus: eandem, vt valde probabilem amplectitur Suarius lib. 2. de attributis cap. 18. num. 9. citat pro ea D. Bonauenturam in 3. d. 14. art. 1. q. 3. ad vltimum: at tamen ibi solùm asserit beatum in patria iudicare de ipsa visione: vtrum iudicet per se ipsam, an per aliam reflexam? Non explicat, posset tamen citare Paludan. in

Paludan. 4. d. 49. q. 2. art. 1. numer. 8. Quidquid tamen de hoc sit; ego puto verissimum esse visionem beatam eminenter esse reflexam; ita vt per eam beatus simul videat Deum, & se videre Deum. Quam

Fundamentum primũ. sententiam probauit Salas ad 1. 2. tract. 2. disp. 3. sect. 4. Hanc sententiam ex eo puto verissimam; quia visio, sicut est quædam participatio diuinæ visionis in supremo ordine; ita eam participat in supremo gradu, quo à creatura participari potest. Igitur cum visio diuina, qua Deus se ipsum videt, eminentissimè contineat hanc reflexionẽ supra se; quia Deus per eã & videt se, & videt se videre se: cur hæc perfectio visioni beatæ denegabitur? Nã si ex illa summa visionis diuinæ participatione vendicat sibi, vt cum summa simplicitate eminenter sit complexa, iudicatiua, & discursiua; cur non eminenter erit etiam reflexa? Nec enim dari potest ratio, cur hæc eminentia illi repugnet. Quod euidenter mihi probat D. Thomas 1. p. *D. Thom.* q. 87. art. 3. dum asserit angelum vno, & eodem actu, quo intelligit se ipsum, intelligere, quod se ipsum intelligat. Admittit igitur in ipsa naturali angeli notitia istam virtualem reflexionem, & cognitionem sui, suæque cognitionis. Non est igitur hæc perfectio denegan-

9 da visioni ordinis longè superioris. Quin potius esse illi concedendã maximè suadet sententia, quæ docet sensum sua directa sensatione aliquo modo sentire, quod sentit: quam sententiã esse probabilissimam patronorum suadet auctoritas. Ita existimarunt Plato *Plato.* in Teæteto: cuius authoritas in academia est maxima: & quanuis in Lycæo nõ sit irrefragabilis (vt ait Cursus Conimbricens. 3. de anima cap. 2. q. 2. artic. 2. ad finem probans oppositam sententiã) tamen in hoc maximę esse debet auctoritatis; cum ea fuerit mens Aristotelis, vt ostendimus 3. de anima c. 2. quam ex *Arist.* Peripateticis secuti sunt Alexander li- *Alexand.* br. 3. quæstionum naturalium, Themi- *Themistius* stius lib. 4. suæ paraphr. Simplicius lib. *Simplicius* 3. de anima c. 2. ad textum 136. vbi etiã *Ægidius.* Ægidius, & plures alij, cum Caietano in *Caietanus.* lib. 2. de anima c. 14. iuxta ordinem, quẽ seruat: quæ etiam mihi est expressa sententia D. Thomæ de veritate q. 1. art. 9. *D. Thom.* quanuis in summa aliter docuerit, ad-

de Scotum in 4. d. 45. articulo primo ad *Scotus.* finem. Diximus *aliquo modo*; quia licet sensus supra se non conuertatur; tamen sentiendo simul internoscit se immutari. Quæ etiam perfectio concedenda est simplici intellectui: dum enim actu percipit obiectum, etiam antequam supra suum actum reflectatur; aliquo modo cognoscit se obiectum apprehendere. Quod si id aliquo modo

licet imperfecto reperitur in sensu, & in simplici intellectus operatione; quid impedit, quominus visioni beatæ, quæ est ordinis diuini, hæc concedatur perfectio, vt ex se eminenter sit verè, & propriè reflexa, sicut eminenter est cõplexa, & iudicatiua.

10 Solutio primi argum.

Nec argumenta aduersariæ sententiæ vim habent. Nam ad primum concedimus in actibus inferioris ordinis actum reflexum realiter distingui à directo: inde tamen non bene infertur idẽ reperiri in actib⁹ ordinis supremi, qualis est visio beata. Nam in ordine inferiori notitia simplex realiter distinguitur à notitia complexa, & iudicatiua; non sic in ordine superiori, vt iam diximus.

11 Solutio.2.

Ad 2. negandum est actum reflexum ex sua ratione esse complexum: nulla enim ratio cogit, vt dicamus omnem notitiam reflexam esse per compositionẽ, vt bene aduertit Suarius lib.2. de attributis c. 18. n. 9. id enim nec in angelis verum est, vt colliges ex D. Thoma 1.p. q.87. ar.3. sicut enim possunt sine compositione veritates cognoscere; poterunt etiam sine ea suas notitias directas percipere. Deinde; etsi id admitteremus in notitijs ordinis inferioris: nõ tamen id admittemus in notitijs ordinis diuini, qualis est visio beata.

D.Thom.

12 Solutio tertij.

Ad 3. dicimus D. Thomam in loco citato propositionem illam non scripsisse, quam Cursus Conimb. 3. de anima c. 2.q.1.a.2. male illi imponit: quin potiùs in angelis oppositum docet, vt diximus ad 2. Agit igitur de intellectione naturali nostri intellectus, quæ non potest esse primo notitia sui ipsius, nec apprehensiua sui; sed apprehendi debet per aliam distinctam: ex quo nihil infertur contra explicatam sententiam.

§. 3.

Soluuntur argumenta contra principalem resolutionem.

13 Ad primum respõdetur. *Holcot. Supplem.*

NEc argumenta contra principalem resolutionem initio adducta tanti sunt, vt propter illa hanc perfectionem visioni directæ denegemus. Nam ad primum negãdum est antecedens, vt patet ex Holcot, & ex Supplemento locis citatis: cuius falsitas euidenter apparet in materia subiecta; nam obiectum visionis est Deus in se ipso; cum tamen immediatum obiectũ notitiæ reflexæ sit ipsa. Cuius prior probatio sumit propositionem, quæ vniuersaliter sumpta non est vera, vt patet ex ijs, quæ scribit D. Thomas 1. p.q. 82. art. 3. ad 2. & nos sæpe diximus, & aduerterunt Holcot, & Supplemẽtum vbi supra. Secunda probatio inutilem habet consequentiam, vt aduertit Holcot vbi supra litera K. ad 2. Simili modo friuola est tertia probatio. Tum; quia falsum est actum reflexum terminari ad obiectum actus directi. Tum etiam; quia perfectio, de qua loquimur, sumenda est à solo obiecto immediato; quia à solo illo specificatur actus.

D.Thom.

14 Ad secundũ


Ad secundum argumentum omissis, quæ pro illius solutione scribunt Holcot, & Supplementum, admittimus appetitum beati nunquam completè, & omnibus modis satiari, nisi supposito actu reflexo, vel formaliter, vel eminẽter: nec enim potest appetitus omnimodè satiari, nisi beatus sciat se Deum videre: quam notitiam non habet, nisi per actum reflexum; siue ille sit realiter distinctus à visione, siue non: negamus tamen appetitum satiari per actum reflexum; quia nunquam est ratio formalis obiectiua delectationis, quæ est formalis satiatio appetitus, sed semper est conditio præsentans obiectum voluntati, nimirum Deum visum, de quo beatus delectatur: cum Deum visum sibi amat amore concupiscentiæ: cum tamen visio ipsa tunc sit ratio formalis obiectiua, vt suo loco dicemus. Quare argumentum in aduersarios retorquetur: falluntur autem, quòd nesciunt distinguere inter appetitum satiari per actum, & satiari supposito actu: inter quæ non potest non distingui: nam in priori sensu denotatur ratio obiectiua satiandi: quæ actui reflexo conuenire non potest: in posteriori autem denotatur conditio necessaria ad satiandum quæ actui reflexo bene conuenit: inde tamen non bene infertur actum reflexum esse nobiliorem; sed potius infertur oppositum: quia nobilius est esse rationem formalem obiectiuam satiãdi (quod conuenit actui directo) quàm esse solùm conditionem.

Ex

15 Ad tertium

Ex his patet solutio tertij argumenti: nam propositio Aristotelis (si tamen est Arist.) non ita est intelligenda; quasi ipsa delectatio sentiat se habere sensationē rei delectabilis: delectatio enim non est actus formaliter cognoscitiuus: in eo igitur sensu delectatio dicetur sētire, quod habeat sensationem; quia supponit notitiam reflexam ipsius sensationis: quod ad secundum iam admisimus, si sermo sit de delectatione, quæ amorem concupiscentiæ consequitur. Ex quo solùm infertur delectationem in patriâ supponere cognitionem reflexam visionis: quod est verissimum de delectatione, quæ consequitur amorem concupiscētiæ, quo beatus vult sibi Deū visum, tanquam vltimum suum bonum: nam de delectatione consequente amorem amicitiæ, quo beatus delectatur de bono, quod vult Deo; non supponit, nisi notitiam directam, qua beatus cognoscit ipsum bonum Dei, in quo complacet. Ex hoc autem non bene infertur notitiam reflexam esse nobiliorem visione; sed oppositum potiùs, vt diximus ad 2. & hæc de isto articulo, & quæstione.

QVÆSTIO X.



IN duabus quęstionib⁹ imediatè præcedentibus pugnauimus pro opinione D. Thomæ, & defendimus beatitudinem patrię in solo actu intellectus ponendam esse, in visione scilicet diuinæ essentiæ, prout est notitia quædam eminenter complexa, iudicatiua, specu-

Ordo seruā dus in hac quæstione.

latiua, & directa. Nunc pugnandum est pro sententia illorum, qui beatitudinē ponunt in solo actu voluntatis: nā hanc opinionem probabilem esse diximus in præfatiuncula ad q. 8. Et primùm agemus de probabilitate huius opinionis, explicabimusq; illius fundamenta. Deinde inquiremus, in quonam voluntatis actu sit ponenda beatitudo?

Quod attinet ad 1. primùm inquirēdum est, quænam sint huius opinionis fūdamenta? Secundò, an illa contradicat, aut sacræ Scripturæ, aut testimonijs Patrum? Tertiò, an solus amor sit formalis assecutio obiecti beatifici? 4. an ex parte volūtatis amor sit nobilior, quàm visio? 5. an in patria amor sit præstantior visione? 6. an Deus amatus sit integrū, & totale obiectum beatificum? Postremò, an argumenta aduersarię sententię bene soluantur.

ARTICVLVS I.

Quænam sint argumenta præcipua, quod beatitudo in solo actu voluntatis ponatur?

CVm constitutum sit probabilē esse opinionem, quæ beatitudinem patrię ponit in solo actu voluntatis; pro stabilienda illius probabilitate, primùm citabimus theologos, qui eam defendunt. Secundò, referemus argumēta, quæ communiter pro hac sententia adduci solent. Tertiò, expendemus, quę sunt à nobis assumenda, tanquam magis solida, & firma, vt aduersarij argumenta soluamus. 1

Beatitudinē igitur patriæ poni in solo actu voluntatis, quibusdam placuisse refert Bassolius in 4. d. 49. q. 2. art. 2. in principio, eam probasse Varronē asserit Nicola⁹ de Nise in sua resolutione theologica pag. 609. eandem placuisse fratri Ioāni Florestario eremitę nostro refert noster Toletanus 1. d. 1. q. 3. ar. 4. contra 2. cōmuniter tribui solet Scoto in 4. d. 49. q. 4. vt patet ex Caietano, Medina, Valentia, & alijs: cōmunior tamen Scotistarū sententia ita Scotū interpretatur, vt asserat beatitudinē principaliter poni in actu voluntatis, interim non negando eam etiā poni in actu intellectus: vnde Scotum ad eā referunt sententiā, quæ defendit beatitudinem in pluribus operationibus essentialiter collocari: ita Nicolaus de Nise, vbi supra, & satis Angles q. 1. de beatitudine art. 1. difficult. 3. Ioannes de Colonia in suis quæstionibus q. 77. cum quibus consentiunt Capreolus in 4. d. 49. q. 2. ar. 3. ad argumenta contra secundam fol. 195. col. 1. Soncinas ibi q. 2. concl. 2. Henr. de vltimo fine hominis cap. 10. in principio in glossa H. sed hos esse allucinatos iam ostendimus q. 7. præcedente artic. 2. §. 2. numer. 9. & modo idem affirmamus; euidenter enim probauimus Scotū beatitudi- 2

Auctores huius sentē tiæ.

Varro.

Ioan. Florestarius.

Scotus.

titudinem posuisse in vna tantùm operatione: hanc autem esse operationem voluntatis satis scripsit in d. q. 4. & expressius in reportatis in 4.d.49.q.3.maximè in §.*item distinguo*, & in vltimis verbis, & ad 5. nobiscum consentit Ouandus in 4.d.49. propositione 4. Quare nō est negandum apud Scotum beatitudinem in solo actu voluntatis essentialiter collocari. Cū verò hæc exclusiua duas contineat propositiones (quas exponētes vocant) vnam affirmantem: *beatitudo ponitur in actu voluntatis*: alteram negantē: *beatitudo non ponitur in actu intellectus*. Inaduertenter dixit Bassolius vbi supra negari non posse beatitudinem in sua essentia admittere actum intellectus: & minus aduertenter scripsit Cordubensis lib. 1. q.42. in principio ab omnibus concedi actum intellectus ingredi beatitudinis essentiam: etenim Scotus cum auctoribus citatis id negat, vt etiā aduertit Ouandus vbi supra. Sed, vt distinctiùs procedamus vtramque propositionem probabilem faciamus.

Ouandus.

§. 1.

Probabilis sit ex Sacris literis, & Patrum testimonijs.

3 Præcedens opinio probatur ex sacris literis.

HÆc opinio, sicut & præcedēs, cōfirmatur, tum ex sacris literis; tū testimonijs Patrum; tum etiam rationibus. Et quod attinet ad priorem propositionem, quod beatitudo per se ponatur in aliquo voluntatis actu, primò probatur auctoritate sacræ Scripturæ. Nam Matthæi 25. dicitur: *Euge serue bone, intra in gaudium Domini tui.* Ioann. 16. *Iterum videbo vos & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Lucæ 22. *Dispono vobis regnum, vt edatis, & bibatis supra mensam meam in regno meo.* Quæ omnia verba delectationem significant; sicut & illa Apocal. 2. *Vincenti dabo manna absconditū.* & Psal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Adde & illud Psal. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

Matt. 25. Ioan. 16. Luc. 22.

Apoc. 2. Psalm. 35. & 16.

4 Deinde auctoritate Patrum. *Augusti.*

Deinde confirmatur Patrum testimonijs: nā Augustinus 1. de doctrina Christiana c. 32. *hæc est* (inquit) *summa merces, quod Deo perfruamur.* & capite 33. asserit *nos, & angelos pariter beatos esse perfruendo.* 10. Confessionum c. 21. *omnes ipsum gaudium vitam æternam vocant.* & c. 22. *hæc sola est vita æterna gaudere ad te, de te, & propter te.* & cap. 23. *Beata vita est gaudium de veritate.* lib. etiam 8. de Ciuitate Dei cap. 9. *Beatus est, qui eo, quod amat, fruitur: quisquis ergo fruitur eo, quod amat, & verum, ac summum bonum amat; quis eum beatum, nisi miserrimus negat?* Vnde eo in loco laudat Platonem, quod dixerit, *summum bonum esse amare Deum.* In Manuali c. 20. *amat Deus, vt ametur: sciens amore esse beatos, qui se amauerint.* Vide etiam Augustinum de moribus Ecclesiæ Catholicæ c. 23. Faciunt, quę statim ex Augustino dicemus in prima ratione. Cum Augustino cōsentiūt D. Anselmus lib. 2. cur Deus homo cap. 1. *Creaturam rationalem à Deo factam esse iustam, vt eo fruendo beata sit, dubitari non debet.* Chrysostomus etiam homil. 46. in Matth. *voluntas est, quæ remuneratur pro bono,* quod esset falsum, si beatitudo essentialis (quæ est essentiale beatorum præmium) non esset in voluntate. Citari etiam solet Chrysostomus homil. 64. ad Populum Antiochenum, & D. Bernardus in sermone de charitate.

Anselm. *Chrysost.* *Bernardus*

§. 2.

Propositio affirmans rationibus fit probabilis.

5 Prima ratio

TErtio loco hæc opinio probabilis redditur pluribus rationibus. Quod autem beatitudo ponatur in actu voluntatis, multis probatur. Prima ratio: quoniam beatitudo formalis essentialiter est assecutio obiecti beatifici; sed voluntas sua operatione formaliter assequitur obiectum beatificū. Ergo beatitudo essentialiter est posita in actu voluntatis. Maior ab omnibus conceditur. Minor (in qua posita est difficultas) multipliciter probatur à patronis huius sententiæ. Et primo auctoritate Augustini 1. de libero arbitr. capite 13. vbi agens de vita æterna expressis verbis docet: *ipsum velle nihil aliud esse, quàm habere.* Id iterū repetit lib. 1. retractationum cap. 9. Rursus in dicto lib. 1. de libero arbitrio cap. 14. expressè asserit, *hominem voluntate assequi beatam vitam.* & in fine capitis affirmat, *beatam vitam deberi voluntati.*

Augusti.

6 Deinde; quia assecutio obiecti beatifici posita est in hoc, quod à nobis in se ipso attingatur: voluntas autem ex modo operandi sibi proprio habet, quod attingat

attingat obiectũ in se ipso: fertur enim in illud, vt est à parte rei: & ita fertur, vt vnum fiat cum illo: transformatur enim in illud ex vulgata doctrina Dionysij: imò ita in illud trãsformatur, vt fiat ipsum iuxta doctrinam Augustini tractatu 2. in primam canonicam Ioannis: *attende* (inquit) *quid diligas: si diligis terram; terra es: si Cœlum, Cœlum es: audeo & dicere, si Deum, Deus es.* Quæ vnitas sine assecutione obiecti fieri non potest.

D. Dionys. *D. Aug.*

7 Tertiò; tunc assequimur obiectũ beatificum, cũ illud attingimus, vt est beatificum: nam tunc assequimur obiectum visus, cum illud attingimus, vt est visibile. Voluntas autem attingit Deum, vt est obiectum beatificum, & summum bonũ. Minor igitur huius discursus est verissima, quam concedit D. Thomas 1. 2. q. 11. art. 3. ad 3. & q. 34. art. 3. in fine corporis.

D. Thom.

8 Secunda ratio; quia beatitudo essentialiter ponẽda est in actu nobilissimo. Talis autem est actus voluntatis. Ergo in eo beatitudo ponenda est. Maior admittitur ab aduersarijs. Minorem multis modis probant auctores huius sententiæ. Primò; quia volũtas est nobilior intellectu; cum sit primum mouens. Nobilitas autẽ operationis sumitur ex nobilitate potentiæ; ita vt nobilior sit, si à nobiliori est potentia. Secundò; quia amor beatificus patriæ excellentior est visione diuinæ essentiæ; quod non solùm probant D. Bonauentura, Richardus; & communiter alij; sed etiam D. Thomas 1. p. q. 82. ar. 3. & q. 018. ar. 6. ad 3. de veritate q. 22. ar. 11. & in 3. d. 27. q. 1. ar. 4. quęstiunc. 2. vbi adducit illud Hugonis de sancto Victore super Dionysium c. 7. de cœlesti hierarchia: *Dilectio supereminet scientiæ.* & meritò; quia charitas est habitus omnium pręstantissimus, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 13. *Maior autem horum est charitas*, & docet Augustinus 15. de Trinitate c. 19. inquiens: *in donis nullũ maius charitate, nec illi æquale.* Vnde Seraphini, qui in prima hierarchia obtinent supremum chorum, ab amore nomen sumpsere. Adde etiam, quia visio ad amorem ordinatur, tanquam ad finem, vt patet ex D. Anselmo lib. 2. cur Deus homo c. 3. dum ait: *peruersus ordo est amare ad intelligendum: rectissimus verò intelligere ad amandum.* Deniq; peius est odisse Deũ, quàm Deum ignorare. Ex quibus omnibus patet veritas minoris superioris discursus; scilicet actum voluntatis esse inter alios nobilissimum; ex quo infertur beatitudinem in eo esse ponendam.

Secunda ratio.

D. Bonau. *Richard.* *D. Thom.* *Hugo.*

1. Cor. *August.*

Anselm.

Tertia ratio sit apud eos, qui putant beatitudinem non vendicare sibi operationem nobilissimam, sed vltimam; quorum sententiam, quoad hoc posterius (quidquid sit de priori) esse verissimam ostendimus supra q. 4. ar. 1. n. 37. nam operatio voluntatis; si non ponitur perfectissima; est tamen vltima. 9 Tertia ratio.

Quarto ita arguit Scotus in 4. d 49. q. 4. litera A. in fine: beatitudo obiectiua est quid optimum, & summe appetendũ. Ergo ex operationibus rationalis animæ illa erit summe appetenda, quę immediatius, & propinquius terminatur ad beatituditem obiectiuam: talis autẽ est actus voluntatis: is enim immediate terminatur ad beatitudinem obiectiuam, vt est finis vltimus. 10 Quarta ex Scoto.

Confirmatur ab eodem ibi litera B. beatitudo obiectiua est maxime appetibilis. Sed actus voluntatis est magis appetibilis à voluntate, quam actus alterius potentię: voluntas enim plus appetit suam perfectionem, suamque operationem, quam perfectionem, & operationem alterius potentiæ. 11. Cõfirmatur

Quinto; volũtas est essentialiter beatificabilis: est enim ex se summe vnibilis cũ vltimo fine. Ergo eius actus erit beatitudo essentialis. Quinta.

Sextò arguitur ab alijs; quoniam pęna damni, quæ beatitudini opponitur, includit actum voluntatis: ideo enim est pœna; quia est contra voluntatem. Ergo beatitudo illi opposita essentialiter includit actum voluntatis. Sexta.

Postremò; Beatitudo ẽst præmiũ respondẽs merito. Ergo ponitur in illa potentia, cui per se conuenit mereri: nam, quod per se meretur, per se præmiatur. At mereri per se conuenit voluntati. Hæc adducta sunt in confirmationem prioris exponentis, quæ affirmat beatitudinem in patria essentialiter poni in actu voluntatis. Vltima.

§. 3.

Rationes pro exponente, quæ negat beatitudinẽ poni in actu intellectus.

12 Probatur 1. PRoposition negans beatitudinē poni in actu intellectus (quæ est altera exponēs assertionis exclusiuæ) multis etiam probatur. Et primo; quoniam beatitudo essentialiter ponitur in actu, quo attingitur obiectum beatificum, vt beatificum est; at hoc modo nō attingitur ab intellectu: nec enim intellectus tēdit in obiectum sub ratione boni, & finis, sed sub ratione veri.

Secundo. Secundo; nullus actus intellectus potest esse possessio obiecti beatifici: nam licet aliqualis possessio fiat per intellectum, non tamen perfecta, & substantialis, quę posita est in essentiali apprehensione obiecti: apprehensio autem nō est actus intellectus, sed solius voluntatis, *D.Thom.* vt docet *D.* Thomas inferius q.4.ar.3.& lib. 6. diligentius ostendemus.

13 Tertio. Tertio; operatio intellectus non est nobilissima, vt ostendimus supra §. 2. ratione 2.

14 Quarto. Quarto; nullus actus intellectus est summè volendus, vt patet ex quarta ratione §. 2. beatitudo autem est sumè appetenda.

15 Quinto. Quinto; per actum intellectus nō fit sūma, & perfectissima vnio cum obiecto beatifico. Ergo nullus erit essentialis beatitudo. Consequentia patet: antecedens probatur. Tum; quia voluntas ex sua natura est vis vnitiua; nō verò intellectus. Tum secundo; quia actus amantis meliori modo perficit amātem, quā intellectus perficiat intelligentem: quia amor coniungit amato secundum rem; tendit enim in illum, vt est in se ipso: intellectio autem perficit intellectum, nō ipso reali obiecto, sed similitudine illi⁹; *Dionysius.* ob quam rationem docet Dionysius c. 4. de diuinis nominibus, intellectū actione sua assimilare intelligentem rei intellectæ: amorem verò transformare amantem in rem amatam. Ob quam rationē communiter dicitur (vt ibi notauit Hugo de Sancto Victore) amorem *Hugo.* intro ingredi, intellectionem verò foris stare.

16 Sexto. Sexto; contra totam exclusiuā opinionis oppositæ ita possumus argumētari. *Si* in solo actu intellectus consistit beatitudo essentialis; posset quis de potentia absoluta vere esse beatus sola visione sine amore; si nimirum Deus (sicut potest) impediret fluxum amoris. Hoc autem est absurdum: alioquin potest quis esse beatus manens in statu peccati.

17 Vltimo. *Maldonat.* Postremo arguit Maldonatus in c. 17. Ioan. vers. 3. quoniam sententia opposita videtur affinis errori nouorum hæreticorum, qui dicunt nos sola fide iustificari, esset enim beatitudo huius vitæ posita in solo intellectu. Hęc sunt huius opinionis potiora fundamenta.

ALTIC VLVS. II.

An hæc opinio contradicat, aut sacræ, Scripturæ, aut testimonijs Patrum?

1 Soluūtur argumēta opinionis D. Thomæ. COnfirmata in primo articulo opinione, quę ponit beatitudinem in solo actu voluntatis; soluenda sūt argumenta, quæ pro opinione D. Thom. adducta sunt superius q.8. ar.1. quibus aduersarij nituntur ostendere beatitudinem in solo actu intellectus essentialiter collocari: nam ex solutionibus eorum facile patebit, quæ nam sint huius opinionis potiora fundamenta.

2 Respōsio ad auctoritates Patrum. Primum igitur, & secundum argumētum sumebatur ex testimonijs Patrum, & sacræ Scripturæ locis, vt videre est in d.q.8.ar.1.§.1.& 2. Argumentum igitur sumptum ex Patribus eadem facilitate soluere possunt auctores huius opinionis, qua auctores oppositæ idem argumentum soluerunt in d.q.8.ar. 2. in fine. Nec enim patres essentiam beatitudinis explicare intendunt, sed cumulatā illius perfectionem, siue illa essentialis sit, siue accidentaria: dummodo tamen illi statui naturaliter conueniat. Iam ad cumulatam beatitudinis perfectionem necessarij sunt actus intellectus, & volūtatis. Vnde quando docent visionem, immò etiam solam visionem esse sūmū bonum nostrum, totamque mercedem; à visione non excludunt amorem, nec delectationem; sed eam cū omnibus naturaliter connexis accipiunt: hæc enim per exclusiuam generaliter prolatam, non excluduntur. Conuenimus igitur in hoc cū aduersarijs, vt testimonia Patrū non satis sint ad vnam, vel alteram partem confirmandā. Nec admittēdum est aduersarijs testimonia Patrum euidentiora, & vrgentiora esse pro confirmā-

do

do actu intellectus: etenim non dabitur testimonium pro intellectu, cui non sit aliud simile, etiam in forma loquendi.

3 Ad scripturæ testimonia generalis respõsio.

Ad testimonia sacræ Scripturæ posita in d. q. 8. ar. 1. §. 2. eadem solutione respondemus, qua illi responderunt ad testimonia pro nobis adducta in d. q. 8. ar. 2. beatitudinem scilicet in sacris literis modo explicari actibus intellectꝰ, modo voluntatis; quia in illis non tàm beatitudinis essentia, quàm illius natulis perfectio explicatur. Iam verò visio omnium consensu ad beatitudinis assecutionem pręsupponitur. His adde beatitudinẽ, ideo in sacris literis toties per visionem explicari, quia distinctio inter statum viæ, & patriæ magis nobis innotescit per visionem, quæ in sola patria reperitur; quam per amorem, qui etiã reperitur in via, vt bene aduertit D. Bonauentura in 4. d. 49. in 1. p. ar. 1. q. 5. ad 2. n. 24. quod aduertisse D. Benardũ plures referunt. Nec desunt, qui nominevisionis intelligant non nudam ipsam visionem; sed vt est cum amore, & delectatione coniuncta, vt colliges ex Richardo in 4. d. 49. ar. 1 q. 6. ad 2. & 3. & ex Scoto ibi q. 4. ad primum principale, & clarius d. 48. q. 1. litera C. probat Ouandus ibi propositione 4. p, 103 ad finem.

D. Bonuẽt. *Richardus.* *Ouand.*

4 Ad locum Ioan. 17

Hæc sit generalis solutio ad omnes sacræ Scripturæ locos: sed ad singulos descẽdendo clarius apparebit argumẽti inefficacia. Primus locus Ioan. 17: *hæc est vita æterna & cæt.* parum fauet; quoniã licet á pluribus intelligatur de cognitione patriæ, vt in argumento tangitur; tamen communius, & accommodatius ad sensum literalem explicatur de cognitione per fidẽ; vt ex Cyrillo, & Hilario satis ostendit Toletus ibi annot. 5. & ante eum Castro aduersus hæreses verbo beatitudo hæresi 4. Ouandus in d. propos. 4. & Angles q. 1. de beatitudine ar. 1. difficult. 3. cum cæteris Schotistis, & post eos Maldonatus in eodem loco Ioan. vers. 3. nam in sacris literis fides interdum dicitur vita æterna, vt patet Ioan. 3. *qui credit in Filium Dei, habet vitam æternã*: quia scilicet fides est prima causa, primumque fundamentum iustificationis, quæ est inchoatio quędam cœlestis beatitudinis: agit autem ibi Christꝰ de vita æterna, quam iam dederat discipulis: cũ enim dixisset sibi datam fuisse à Patre potestatem omnis carnis, vt eis daret vitam æternam; statim declarat se opus à Patre sibi iniunctum consummasse: quia scilicet vitam æternam iam discipulis dederat; non quidem patrię, sedvię, quę posita est in fide: de hac igitur vita æterna sunt intelligẽda verba illa *hæc est vita æterna &c.* maxime, quia cum cognitione Patris coniungit cognitionem Iesu Christi missi à Patre: quæ verba denotant sermonem esse de Christo homine: qui, vt homo est non est obiectum cœlestis beatitudinis; bene tamen beatudinis viæ, quę est per fidem.

Cyrillus. *Hilarius.* *Toletus.* *Castro.* *Ouand.* *Angles.* *Maldonat.* *Ioan. 3.*

5 Alia eiusdẽ loci respõsio.

Quin potius etiam si locus explicaretur de vita æterna patriæ; adhuc parum vrgeret: quoniam sermo ille nõ est formalis, sed caussalis, vt contra Eutymium ex alijs Patribus ostendit Toletꝰ ibi. Sensus igitur erit: caussa vitæ æternæ, & via ad eam est cognoscere te Deũ viuum &c. Visio igitur in patria dicitur vita ęterna, non quòd illa formaliter sit beatitudo, sed quia est prima caussa, proximaque illius dispositio. Quare nõ est audiendus Cornelius Iansenius in Concordia c. 136. fol. 977. col. 1. dũ putat verbis istis opinionem D. Thomæ optime probari.

Toletus. *Iansenius.*

6 Ad secundũ locũ eiusdẽ Ioan. 17.

Nec secundus locus ex eodem 17. c. Ioannis rem euincit; quidquid oppositũ doceat Iansenius loco cit. fol. 983. col. 2 nam illa verba: *vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi*, plures ex Patribus interpretantur de gloria corporis: ita Cyrillus lib. 11. in Ioan. c. 28. ad finem, Leõtius, & Theodorus Heracleota ibi; quos rectius loqui putat Maldonatus in eodẽ loco vers. 24. loquitur enim ibi Christus vt homo. Vnde & Augustinus in Ioannem tract. 111. hanc etiam interpretationem probat. Qui omnes illa verba: *quia dilexisti me ante mundi constitutionem*; explicant de dilectione, qua Pater Christum hominem ante mũdi constitutionem dilexit. Quin potius D. Ambrosius lib. 5. de fide c. 4. putat hanc claritatem esse filiationẽ, quam per gratiam vnionis Christus homo accepit à Patre. Quã explicationem esse satis probabilẽ putat Toletus ibi annot. 5. Nec desunt, qui claritatem etiã accipiant pro potestate miraculorum, & animorum concordia. Quanuis explicatio non sit probabilis; placuit tamen Chrysostomo homil.

Iansenius. *Cyrillus.* *Leontius.* *Theodorꝰ.* *Maldon.* *Augustꝰ.* *D. Amb.* *Toletus.* *Chrysostꝰ.*

Euthym. mil.81. in Ioan. & Euthymio in eodem loco. Sed nec locus omnino euincit, si eum explices de claritate diuinitatis, quam Christus accepit à Patre per æternam generationem: ideo enim id petijt; quia à visione inchoatur beatitudo. Vnde non excluſit cætera, quæ visionem naturaliter consequuntur. Non est igitur, quòd Iansenius dicat locum esse pro D. Thoma apertissimum.

Aliter idem locus explicatur.

7

Tertius locus ex Ioan. 1. canon. 3. ab aliquib⁹ exponitur de apparitione Christi in secundo aduentu ad iudicium: tũc enim *omnes similes ei erimus* per immortalitatem, & impassibilitatem corporum: ita Glossa interlinearis, & ordinaria in eodem loco. Et hoc; *quia videbimus eum* idest Christum *sicuti est*; Deum scilicet, & hominem, quem in via per solam fidẽ noueramus. Sed extorta videtur explicatio: tũ; quia illud relatiuum *ei* refert Deum Patrem, de quo antea dixerat: *videte qualem charitatem dedit nobis Pater.* Tum etiam; quia visio corporis Christi, Dei, & hominis non est per se causſa immortalitatis, & impassibilitatis corporum: hæc enim à beatitudine animæ oriuntur. Quare locus explicandus est de beatitudine patriæ: cum enim illa venerit, & apparuerit, tunc *similes ei erimus;* quia beati erimus, sicut ille est beatus: sicut enim ille beatus est videndo se ipsũ sicuti est; ita & nos beati erimus, *quia eum videbimus sicuti est.* Quibus verbis explicatur beatitudo per causſam originariam, & radicalem, non verò per formalem.

Responsio ad locum 1. Canonicæ. Ioan. 3. *Glossa.*

Reijcitur.

Alia expos.

8

Vterque locus ex c.14. Ioan. facile explicabitur. Nam locus primus ex illis verbis *ostendam me ipsum illi* nihil oberit si intelligatur de alia manifestatione, quæ non sit per gloriam: in quo sensu à pluribus intelligitur: quidam enim illa verba intelligũt de manifestatione spirituali, quę Apostolis facta est in die Pẽtecostes. Ita Cyrillus lib.9. in Ioannem c. 45. & Rupertus in eodem loco. Alij explicant de manifestatione, quæ post Christi ascẽsionem quotidie fit per spiritualem visitationem, & communicationem donorum: vt placuit Chrysostomo homil.74. in Ioan. Tertia explicatio est etiam spiritualis locum intelligens de manifestatione, quæ fit per doctrinã fidei plenam, & perfectam. Ita Cyrillus

Variæ expositiones primi loci Ioan. 14.

Cyrillus.

Rupertus.

Chrysost.

Cyrillus.

lib.10. de Trinitate c.1. probat Iansen⁹ in Concordia c.134. p.940. probabilem putat Toletus in d.c.14. Ioan. annot.35. Sed quia explicationes istæ nõ satis accommodantur verbis præcedentibus; est quarta explicatio satis celebris, quę locum exponit de manifestatione, quæ statim post christi Resurrectionem facta fuit Apostolis: quã probauere vterque Theodorus, Heracleotes, & Mopsuestenus in eodem loco, Chrysostomus in d.homil.74. Theophilact⁹, & Euthym. in eodem capite, & satis insinuat Augustinus tract.75. in Ioan. quam vt veriorem amplectitur Toletus in d.c.14. annot.23. nam hęc manifestatio promissa fuit Apostolis in verbis præcedentibus: *Non vos relinquam orphanos, veniam ad vos. Adhuc modicum, & mundus me non videt; vos autem videbitis*, vt præcitati Patres affirmant.

Iansenius. *Toletus.*

Vterq; Theodorus. *Chrysost.* *Theophilactus.* *Euthym.* *Augustſt.* *Toletus.*

9

Vltimo loco verba illa intelliguntur de manifestatione quidem corporali; futura tamen in secundo Christi aduentu in iudicium; de quo verba præcitata etiam intelliguntur. Ita Cyrillus lib. 9. in Ioan. c.46. tribuitur Augustſt. in d.tract 75. in Ioan. Bedę, & Leontio, quã multis confirmat Maldonatus in d.c.14. n.18. & 21. Quæ istarum explicationum sit probabilior; nõ est nostrũ modo expẽdere: quia satis nobis est, locũ istũ nihil facere contra sententiam, quã modo defendimus: nam duæ postremæ explicationes satis sunt probabiles. Sed nec locus pro aduersarijs stabit, si cum Augustino in d.tract.75. intelligatur de manifestatione per gloriam: quoniam ex illis verbis, licet bene inferatur nos ex tali manifestatione futuros esse beatos: non tamen declarant verba illa, an futuri sim⁹ beati visione, an verò dilectione: sensus enim illorum est: *manifestabo me ipsum illi* vt scilicet sit beatus videndo me, amando, & fruendo.

Cyrillus. *Beda.* *Leontius.* *Maldonat.*

Augustſt.

10

Iuxta quem sensum nihil etiam obeſit posterior locus ex verbis Philippi; *ostende nobis Patrem*: quanuis admittam⁹ verba illa explicãda esse de ostensione, & sufficientia, quæ in patria futura est, quomodo illa verba explicant Cyrillus lib.9. in Ioan. c.36. & Chrysostom. hom. 73. in eundem: erit enim sensus; *ostende nobis Patrem, & hoc sufficit nobis*, vt beati simus, quia scilicet ex tali ostensione videbi-

Diuersæ explicationes 2. loci Ioan. 14.

Cyrillus. *Chrysost.*

videbimus, amabimus, & fruemur. Quare ex illis verbis ita explicatis infertur ex ostẽsione Patris nos futuros esse beatos: non verò inde infertur, vtrum tales futuri simus videndo, an verò amando. Addimus tamen explicationem illam probabilem esse; accommodatiorem tamen esse, quę verba illa explicat de sufficientia ad tollendam mæstitiam de Christi discessu, vt interpretatur Toletus ibi in comment. illorum verborum: est enim sensus: *ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*, vt nec mœsti simus de tuo discessu, nec timeamus. Nõ displicet explicatio, quam Toletus affert ex Hilario lib. 7. de Trinitate, & Maldonatus vers. 8. refert ex Cyrillo, Leõtio, & Theophil. vt sit sensus: *ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*, vt tibi omnino acquiescamus. Vel potiꝰ ideo visio Patris satis erat; quia putabat Patrẽ & maiorẽ, & meliorẽ esse Filio, vt ait Augustin. tract. 70. in Ioan. in quo fuit à Christo reprehensus; & ideo de illius verbis non est curandum.

Toletus. *Hilarius.* *Maldon.* *Leontius.* *Theophila.* *Augustin.*

11 Respõsio ad alia loca.

Ea, quæ quinto, & postremo loco afferuntur ex Matth. Paulo, & ex veteri testamento, euidẽter probant in patria dari visionem, qua extra viam reponimur, & in statu beatifico constituimur: non tamen probant nos solavisione esse beatos. Et hęc pro solutione primi, & secundi argumenti.

ARTICVLVS III.

Pro solutione primæ rationis aduersariorum inquiritur; Vtrum solus amor sit formalis assecutio obiecti beatifici?

1 PRima ratio principalis pro aduersaria sentẽtia posita supra q. 8. ar. 1. §. 3. n. 10. petit, vt explicemus, cur nulla intellectus operatio sit assecutio obiecti beatifici: hoc enim omnino asserendum est ab illis, qui patrocinantur huic sententię: nam si operatio intellectus (nimirum visio) sit formalis Dei assecutio, fieri non potest, vt sola volũtatis operatio essentialiter sit beatitudo: enimuero in hoc omnes conueniũt, vt beatitudo essentialiter sit collocanda in operatione, quæ est formalis assecutio Dei. Quare sicut, cũ oppositę sententię patrocinium suscepimus supra q. 8. in 3. ar. in faciendo illius fundamẽto laborauimus; ita & nunc enitemur inquirere fundamentum aliquod probabile, quo hęc opinio nixa soluat argumenta aduersaria.

Pro huiꝰ igitur explicatione pręmittẽdum est in hac opinione illud tanquã indubitatum esse admittendum Deum per intellectum solum fieri nobis præsentem in se ipso præsentia obiectiua: nam quauis Deus secundum suam essẽtiam semper, & vbique sit omnibus rebus præsens præsentia localis indistantiæ (quia iuxta Paulum actorum 17. *non longe est ab vno quoque nostrum*: sed à singulis nobis situ est indistans, & immediatus immediatione suppositi) tamen non omnibus, nec semper est prẽsens præsentia obiectiua, qua se ipsum nobis reuelat, & manifestat. Hac igitur prẽsẽtia obiectiua per solum intellectum fit nobis præsens.

2 Præmissum ad explicationem dubitationis. *Paulum.*

Tota igitur difficultas est; cur hæc obiectiua præsentia, quam solus facit intellectus, non sit formalis assecutio obiecti beatifici? Cui difficultati ab auctoribus huius opinionis variè respondetur. Quidam respondent: quia ex sententia Augustini 1. de libero arbitrio c. 13. *Ipsũ velle nihil est aliud, quam habere.* Sed cũ idẽ Augustinus lib. 83. quæstionum q. 35. etiam dicat: *idem esse habere Deum, quòd nosse Deum*; non satis est auctoritas illa Augustini: quia Patres non sunt addicti formalibus locutionibus, vt aduersarij optime respondent supra q. 8. ar. 3. n. 2.

3 Quorundã responsio. Non probatur.

Alij inde rationem sumunt; quia obiectum beatificum tunc obtinetur; cum in se ipso attingitur: sola autem voluntas fertur in illud, provt est à parte rei. Sed non decet opinionem valde celebrem tam fragili niti fundamento: nec enim cum probabilitate negari potest intellectum per notitiam intuitiuã immediate attingere Deum, vt est in se ipso: etenim ex 1. Ioan. 3. *Videbimus eum, sicuti est.* De quo plura diximus supra q. 8. ar. 3. n. 5. & 13. & q. 9. ar. 2. Cum igitur obiectum beatificum multis modis attingi possit: nec à sola voluntate attingatur, sed etiam ab intellectu; nõ potest beatitudo per se poni in attinctione obiecti, de quo late in d. q. 8. ar. 3. n. 7.

4 Aliorum solutio. Fragili fundamento nititur.

Tertio loco alij occurrũt formalem assecutionẽ obiecti beatifici per se esse positã in attingẽtia obiecti beatifici; nõ quãcũque, sed quatenus est beatificũ: cũ verò

5 3. Respõsio

verò sit beatificum, vt est summum bonum; tũc dicetur teneri, cum attingitur sub ratione summi boni: sub qua ratione attingitur à sola voluntate: quia sola voluntas tendit in bonum sub ratione boni. Sed quanuis hoc sit commune fundamentum istius opinionis: mihi tamen non videtur satis firmum, si propositionum æquiuocatio tollatur, quæ cõfusionem parit: nam quanuis admittendum sit formalem assecutionem obiecti beatifici positam esse in attingentia illius, vt beatificum est: minor tamẽ, quæ subsumitur, æquiuocationem continet: hęc enim propositio: *Deus est obiectum beatificum, quatenus est bonus*; si de bonitate formaliter sumpta intelligatur; est neganda: concedenda autem, si intelligatur de bonitate sumpta fundamentaliter: quia Deus beat ratione infinitæ perfectionis, quam essentialiter continet: sub qua ratione attingitur etiam ab intellectu, vt docent aduersarij supra q.8 ar. 3. n. 11. Quæ doctrina non potest cum probabilitate negari.

Non est satis firma.

6 Propria responsio.

Quare ego puto fundamentum huius opinionis sumendũ esse ex eo, quod beatitudo per se est posita in assecutione, qua obiectum beatificum fit assequentis, & ab eo, vt suum tenetur, atque possidetur. Iam vero sola voluntas amore ita rem assequitur, vt eam suam faciat: etenim amore amicitię amicus fit alter ego. Quare assecutio, quæ fit per amorem, est veluti translatio dominij rei amatæ in amantem, vt eam, tanquam suam habeat, & possideat. Quare assecutio obiecti beatifici apprehensiua illius, ac veluti possessiua, est formaliter beatitudo: & è contrario, beatitudo est formalis assecutio apprehẽsiua, & possessiua obiecti beatifici. Iam verò tenere, & apprehendere obiectum beatificũ est solius voluntatis, vt fatetur D. Thomas inferius q. 4. ar. 3. ad 2. & 3. & satis explicat Bonauentura in 4. d. 49. in 1. p. ar. 1. q. 5. ad finem corporis. Cui opinioni fauent verba Pauli 1. Corint. 9. *sic currite, vt comprehendatis*. i. possideatis: & illud Cantic. 3. *tenui eum, nec dimittam*; tenui inquam eum amore, & ideo non dimittam.

D. Thom. D. Bonauẽt. 1. Corint. Cantic. 3.

7 Hoc igitur sit vnicum fundamentum, quod proponimus, vt huic sententię patrocinantes dicamus rationem assecutionis obiecti beatifici nulla ratione conuenire posse operationi intellectus, sed solius voluntatis: quod si hoc non omnino conuincit; est tamẽ satis, vt hęc assertio probabilis iudicetur, & vt negetur aduersarijs fundamentum, quo nititur prima principalis illorum ratio posita q. 8. ar. 1. §. 3. n. 10. 11. 12. confirmata rursus ar. 3. eiusdem quæstionis n. 1.

Ad illam igitur primam rationẽ concessa maiore negãda est minor, quæ dicit solam operationem intellectus esse formalem assecutionem Dei. Ad primã illius probationem sumptam ex Augustino iam supra respondimus Augustinũ non esse addictum locutionibus formalibus, vt etiam aduersarij fatentur: vnde Augustinus, qui pro aduersarijs illo modo locutus est, eodem modo prò nobis fuit locutus. Vide supra n. 3.

8 Respõsio in forma ad 1. rationem Thomistarum. Solutio 1. probation.

9 Solutio 2.

Ad secundam probationem respondemus non esse propriũ intellectus trahere ad se rem intellectam, etiam secũdum esse reale: quia id voluntati quoque conuenit: amor enim non solum trahit amantem ad amatum, vt intra amantẽ existat per inclinationem, & propensionem ipsius amoris, vt docet D. Thomas communiter receptus 1. 2. q. 28. ar. 2. Quare, sicut tractio ista voluntatis apud aduersarios non est satis, vt voluntas dicatur per illam formaliter assequi obiectum beatificum, ideo, quia per præsẽtiam iam est assecutum: ita apud auctores huius opinionis, non erit satis tractio, quæ per intellectum fit, vt sit assecutio, eam ob causam, quia illud non ita trahit, vt suum illud faciat: nec enim intellectus trahit comprehendẽdo; sed intelligibilitatem obiecti exprimendo: quod, licet satis sit, vt Deum faciat obiectiue præsentem; non tamen est satis, vt Deum, tanquam suum teneat; in quo posita est formalis assecutio, iuxta explicatum fundamentum.

D. Thom.

Ad tertiam probationẽ minoris negandum est assecutionem Dei principaliter fieri per assimilationem: etenim assimilatio expressiua Dei solum efficit Deum secundum se præsentem; quod nõ est formaliter assequi Deum; cum ad præsentiam consequatur formalis assecutio, & manutenentia ipsius obiecti, vt statim dicemus ad quartam probationem. Quod verò in confirmationem adducitur,

10 Solutio 3.

ducitur, parum vrget; quia diuersa est ratio assecutionis Dei in creaturis, quę carent intellectu, atq; in homine, vt ipse D. Thomas fatetur, & nos diximus supra lib. 2. homo enim assequitur suũ finẽ attingẽdo Deum per operationem; cæteræ verò creaturę per solam assimilationem, vel in essendo, vel in agẽdo: quæ est quædam assimilatio proportionis, quatenus scilicet creatura ita se habet in essendo, aut in agendo, sicut se Deus habet. Ad auctoritatem Ioan. iam respondimus, ibi explicari beatitudinem formalem per causam.

11 Solut. quartæ. Ad quartam minoris probationem admittimus obiectum beatificũ aliter haberi nõposse, nisi obiectiuè per actionem aliquam immanentẽ; negamus tamen illud tunc obiectiuè haberi, cũ obiectiuè sit præsens: etenim absolutè loquẽdo assecutio rei præsupponit præsẽtiã illius, & ad eã consequitur: nec enim quis manu rẽ assequetur, nisi illa prius supponatur præsens. Hunc autem ordinem seruari in assecutione beatitudinis satis euidenter videtur asserere D. Thomas inferius q. 4. art. 3. ad 1. his verbis: *D. Thom.* *comprehensio nihil aliud nominat, quam tentionem alicuius rei, quæ iã præsentialiter habetur.* Quod etiam satis confirmat solutio ad 3. dum habet rem præsentẽ esse obiectũ cõprehensionis: obiectũ autem præsupponitur actioni immanenti. Nec oppositũ docuit D. Thomas in hac q. 3. ar. 4. ante finem; imò nec q. 4. ar. 3. in fine: nã in priori loco solùm ait: *nos assequi Deum per hoc, quod fit præsens nobis per actũ intellectus*: hæc enim verba solùm significãt assecutionem Dei fieri supposita præsentia illius: ideo enim illum assequimur amore; quia eum visione præsentẽ habemus. In posteriori autem loco solùm asserit: *comprehensionem importare præsentiam finis*: nõ quidẽ formaliter, sed prę suppositiuè, quatenus illã necessariò supponit, vt ex solutione ad 1. & 3. satis colligit.

12 Ad primam confirmationem. Ad primã confirmationem primę rationis maior se ipsam manifestat falsã; dum sumit beatitudinẽ positam esse in operatione, qua Deus se ipsum manifestat: operatio enim, qua Deus se palam facit, tenet se ex parte Dei, tanquã illius operatio ad extra: beatitudo autem solũ ponitur in nostra operatione. Quare etiãsi daremus (quod plures dare nolũt) in vtroq; Ioan. loco: *manifestabo me ipsum illi: & ostende nobis patrem*; sermonem esse de manifestatione in patria; adhuc verba potius probarent maioris falsitatẽ, quam cõfirmarent veritatem. Solũ igitur admittimus in illis verbis probari beatitudinem nostrã cõsequi ad manifestationẽ, qua Deus se ipsum in patria manifestat: inde tamẽ non infertur beatitudinem formaliter poni in potentia, quæ illã manifestationẽ percipit: quanuis enim illa operatio fit necessaria ad beatitudinem: non tamen est formalis beatitudo.

13 Ad secundã. Ad secundã cõfirmationem eiusdem primę rationis neganda est maior propositio: nec enim Deus formaliter tenetur, ac possidetur à nobis, cum fit nobis præsens: præsentia enim supponitur ad assecutionẽ, vt ex dictis patet. Verba autem Pauli 2. Cor. 5. *Ardemus, & bonam voluntatẽ habemus, peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Deũ.* 2. Corinth. Nihil aduersarios iuuãt: quia Paulus solùm agit de præsẽtia, qua nos sumus presentes Deo: in qua nõ potest poni beatitudo. Paulus igitur solũ dicit dari in nobis desideriũ exeundi à corpore, & essendi Deo præsentes; quia ad hanc præsentiã sequitur beatitudo, visio scilicet, & amor. Ex quibus soluta sunt, quæ in d. q. 8. ar. 3. §. 1. pro aduersarijs adducuntur.

ARTICVLVS IIII.

Pro solutione secundæ rationis aduersariorũ expenditur, an dilectio sit nobilior, quã visio?

1 In quo conueniant vtri usque sentẽtię auctores. CVM inter omnes conueniat beatitudinẽ collocãdam esse in operatione omniũ nobilissima; controuersia est inter vtriusque opinionis auctores, an visio præstet amori; an amor visioni. Quod visio præstet amori totis viribus defendunt patroni sentẽtiæ aduersariæ; & hoc tanquam fundamentũ sumunt, vt beatitudinem in sola visione collocent, vt patet ex q. 8. ar. 1. §. 3. n. 13. At tamen, quod amor sit visione præstãtior, auctores eius opinionis, quàm modò defendimus, multis nituntur ostendere, vt patet ex secunda ratione posita supra art. 1. §. 2. In quorum solutione multa scripserunt aduersarij supra q. 8. ab ar. 4. vsque ad 9. exclusiuè. Quę omnia oportet hoc loco diligẽtiùs

expendere, vt videamus, quæ nostræ faueant sententiæ. Id præstabimus, si singula in hoc articulo expendamus.

§. 1.

Expenditur, an voluntas sit præstantior intellectu?

2 SIcut aduersarij in confirmationem suæ sententiæ supponunt intellectũ esse præstantiorem voluntate, vt patet q.8.ar.4. vt inde inferãt visionem esse nobiliorem omnibus actibus volũtatis: ita etiam huius opinionis auctores pro fundamento suæ opinionis sumunt, quòd voluntas sit nobilior intellectu, vt inde probent amorem visione esse excellentiorem, vt patet supra art. 1. §. 2. in secunda ratione principali. Quòd voluntas sit intellectu nobilior, probarunt præstantissimi Theologi. Ita Alexander de Ales. 3.p. q.12. membr.2. ar.3.§.5.& q.80. memb.1.ad 5. & 4. p.q. 92. memb.1. art.4. Alb. Magn.in 1.d.1. art.14. Richard. in 4. d.49. artic.1. q.6. Scotus ibi q.4.§.*iuxta hoc*. Ægidius quodlib.3.q.vltim.ad 1. Henric.quodlib.1.q. 14. Ochamus in 1.d.1.q.2. litera R. ad primum principale, Maior in 4.d.49.q. 5.in vltimis verbis, Supplementum Gabr.ibi q.2.ar.1.notab.2.& ar.3.concl.4. Argentina ibi q.3.art.2. in 3.conclusione, latè Bassolius ibi q.3.ar.1.Cordubẽsis ar.1.quæst.42.in 3.conclusione, & ad 7.in fine quæstionis, latè Toletanus noster 3.de anima q.3.ar.3. tanquam probabilem defendit Valentia hìc disp. 1. q.3. punct.4. p.62. putat esse admodum verisimilem Cursus Conimb. 3. de anima c.13.q.2.ar.2.in principio. Communiter refertur D. Bonauentura tum in 2.d.38.ar.1.q.2. tum in 4.d.49. in 1.p.q. 5. sed nihil apud eum inuenio. Pro eadẽ opinione Ochamus vbi supra citat D. Thomã in 1.d.1.q.1.ad 1. in hęc verba: *Ita suprema pars habet intellectum, & voluntatem: quorum intellectus est altior secundum originẽ, & voluntas secundum perfectionem: & similis ordo est in habitibus, & etiã in actibus scilicet visionis, & amoris: fruitio autem nominat altissimam perfectionẽ, quantum ad sui perfectionẽ.* Quę verba, nisi bene intelligãtur, facilè legẽtem decipient, sicut deceperunt Ochamũ: nec enim admittendum est D. Thomã, qui in eodem art. docuit intellectũ esse altissimã potentiã, statim secũ pugnare in solutione ad 1. Ita igitur erit intelligẽd', vt volũtas sit altior secundum perfectionẽ: non quidem suæ essentię; quasi sit essẽtialiter perfectior: sed secundũ perfectionẽ, quàm tribuit beatitudini: eã enim reponit in cõpleto statu suę naturalis perfectionis. Quare non est, quòd pro hac sententia afferamus D. Thomam; cum multis in locis contra eam verbis expressis docuerit.

Alia est D. Tho. sententia.

Fundamẽta porrò huius opinionis videda sũt apud auctores, quos citauim': nec enim est animus hac de re exactè disputare. Illud tamen fundamentũ non erit improbabile, quod voluntas ex sua natura est formaliter libera: is enim essẽdi gradus arguit in potẽtia maiorem perfectionẽ essentialẽ: sicut etiã arguit in natura spirituali maiorẽ perfectionẽ: ita, vt natura spiritualis perfectior sit ex eo, quod est volitiua, quàm ex eo, quòd est intellectiua: nec enim audiẽdi sunt, qui dicũt naturã spiritualẽ constitui in esse spiritualis p esse intellectuale: quasi nequeat intelligi natura spiritualis in esse tali, antequã intelligatur intellectualis: quãuis ita philosophatus sit Suarius lib.11. de Trinit. c.6.n.17.& antea insinuauerat lib. 1. de essẽtia Dei c.3.n.13.& 14. At is philosophandi modus mihi non placet, sed placet magis cõmunis philosophia, quę docet substãtiam diuidi in spiritualẽ, & corpoream per differentias quasdã nobis ignotas: ita, vt substantia spiritualis constituatur in esse spiritualis, antequã veluti resultet aut esse intellectuale, aut esse volitiuũ. Ita vt esse intellectuale, tanquam per caussam à priori demonstretur per esse spirituale: ideo enim angelus est intellectualis; quia est substãtia immaterialis, siue spiritualis. Quẽ philosophandi modum docuit D. Tho. 1.p.q.14.ar.1. in hæc verba: *patet igitur, quòd immaterialitas alicuius rei est ratio, quòd sit cognoscitiua: & secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis: vnde in 2. de anima dicitur: quòd plantæ non cognoscunt propter suam materialitatem.* Falsum est igitur id, quod ibidem asseritur n. 16. naturam spiritualem in tali gradu constitui, & specificari secũdum differẽtiam intellectualem; nisi intellectuale ibi sumatur fundamentaliter pro immateriali, siue spirituali, iuxta explicatam D. Thomæ doctrinam.

3 Fundamentum præcedentis sententiæ.

Modus dicẽdi Suarij nõ probatur.

D. Thom.

Ita

Partem affirmatiuam probarunt. *Alensis.* *Alb. Mag.* *Richard.* *Scotus.* *Ægidius.* *Henric.* *Ochamus.* *Maior.* *Gab. suppl.* *Argentina* *Bassolius.* *Cordubens.* *Toletanus.* *Valentia.*

Refertur & D. Bonauẽt. & D. Tho.

5 Ita igitur philosophandum est (vt alio in loco latiùs diximus) vt natura spiritualis constituatur in esse tali per differentiam nobis ignotam, quam nisi per negationem materię explicare non possumus: à quo substantiali esse veluti resultant duo essendi gradus naturales quidem, sed accidentales; nempe gradus intellectualis, & volitiu⁹; ordine tamen quodam: ita vt substantia spiritualis prius natura sit intellectualis, deinde sit volitiua. Qui ordo non tollit, quominus substantia spiritualis perfectior sit, quatenus volitiua, quàm quatenus intellectualis: etenim, vt volitiua, est libera, & domina sui, & imperans intellectui, illumque mouens. Quæ omnia arguunt in voluntate maiorē perfectionē.

6 Prima obiectio contra propositum fundamentum. Secunda. Hoc tamen fundamentum aduersarij multis modis elidere nituntur. Et primò; quia esse liberum non arguit maiorem perfectionem: alioquin actus, quo Deus liberè amat creaturas, perfectior esset actu, quo necessariò amat se ipsum. Deinde; quia libertas, quæ reperitur in intellectu præstantior est, quàm libertas voluntatis: etenim libertas intellectus est libertas quædam radicalis, & caussatiua libertatis, quæ est in voluntate: caussa autem præstantior est effectu. Tertiò; quia si expendendus est modus mouendi, quo duæ illæ potentiæ mutuo se mouent; præstantior est modus, quo intellectus mouet voluntatem; quàm modus, quo voluntas mouet intellectum. Tum; quia intellectus mouet voluntatem per modum finis, qui inter caussandi modos est omnium præstantissimus, vt cum Aristotele omnes fatentur; intellectus autem à voluntate solùm mouetur in genere caussæ efficientis. Tum etiam; quia intellectus mouet voluntatem independenter à voluntate: vnde se habet ad illam, vt mouens immotum, & tanquam primus motor; qui operandi modus nobilissimus est. Tertia. Quarta ex Aristotele. Postremò, quia Aristoteles expressè docet intellectum eorum, quæ nobis insunt, esse præstantissimum, vt patet 10. Ethic. c. 7. post principium.

7 Solutio primę obiectionis. His tamen non obstantibus fundamentum adhuc in sua permanet probabilitate. Nam ad primam obiectionem dicendum est; esse liberum. i. posse sua natura liberè operari indeterminatè respectu alicuius obiecti, simpliciter arguere maiorem perfectionem in natura operantis; quàm non esse liberum, nec possevnquam liberè operari; vt bene aduertit Bellomontanus hìc disp. 22. c. 4. n. 22. Ex quo non bene infertur omnem actum liberum esse in se nobiliorē omni actu necessario: nam quanuis bene inferatur omnem actum liberum esse perfectiorem omni actu eius naturę, quę semper necessariò operatur: nō tamen infertur esse perfectiorem omni actu necessario naturæ, quę aliàs potest liberè operari. Quare non bene infertur actum, quo liberè Deus amat creaturas, perfectiorē esse amore, quo Deus se ipsum amat; etenim, quanuis habeat perfectiorem operandi modum; tamen actus liber denotat inperfectionem ex parte obiecti.

8 Solutio secundæ. Ad secundam obiectionem negandū est id, quod sumitur: quia libertas intellectus non est propria libertas; sed est quædam indifferentia ex se ad percipiēdum hoc, vel illud obiectum: quæ ipsa, etsi dicitur radicalis libertas; quia ab illa aliquo modo pendet libertas volūtatis in operando; non tamen pendet in essendo. Vnde talis indifferentia propriè non est caussa libertatis in voluntate: & ob id non oportet, quòd sit præstantior.

9 Solutio tertiæ. Ad tertiam obiectionem negatur antecedens. Ad probationem primam dicendum est mouere per modum finis. i. tanquam finem, præstantius esse, quàm mouere, vt caussam efficiētē: falsum tamen esse intellectum mouere, vt finem quia ipse non est finis, sed bonū ipsum, quod proponit. Qua re mouet proponēdo finē: quòd arguit intellectū mouere ancillando, & seruiendo voluntati: cum tamen voluntas moueat imperando, & per modū dominij, quod longe est perfectius. Ad secundā probationē dicim⁹ intellectū incipere motum, nō propriè mouēdo, sed impropriè: quia solùm mouet proponendo finem, vt diximus. Esse autē primum motorē in hoc sensu non arguit perfectionē, sed imperfectionem potius in genere mouētis. Ad postremā obiectionē respōdetur Arist. solùm dixisse, *mentem esse eorum, quæ nobis insunt, præstantissimum*: nomine autem mentis intelligit totam naturā intellectualē, prout Soluitur postrema ratio ex Aristotel.

complectitur tam intellectũ, quàm voluntatẽ, vt cum Scoto dicemus inferius vltimo artic.ad 1. eorum, quæ secundo loco adducuntur.

§. 2.

Expenditur, an amor in patria visioni præstet?

11 Argumentũ pro parte affirmatiua ex auctoritate Diui Thomæ, & Hugonis. Aduersariorum solutio

SEcundo loco in secũda ratione posita supra art.1.§.2. auctores huius nostræ opinionis inde probant actus voluntatis nobiliores esse actibus intellectus; quoniã amor beatificus patriæ ex sententia D.Thomæ, & Hugonis visionem nobilitate superat. Cui obiectioni occurrunt aduersarij supra q. 8. art.5. & admittunt amorem in via esse secundum quid nobiliorem cognitione viæ,& fortè etiam in patria:simpliciter tamen cognitionem non solùm patriæ, sed etiam viæ nobiliorem esse quocũq; amore. Fundamentum est;quia obiectũ formale intellectus est simpliciter nobilius, quàm obiectum formale voluntatis:iam verò nobilitas essẽtialis actuũ ex nobilitate obiecti formalis sumenda est. Et id confirmant auctoritate Nazianzeni: adduntque D.Thomam in citatis locis solùm agere de amore,& cognitione viæ.

12 Exponitur mẽs D. Th. & Hugonis.

Ego huic opinioni ita patrocinium præstabo, vt ea solùm admittam, quæ probabilia visa fuerint. In hac igitur dubitatione libenter fateor D. Thomã in locis;qui obijciũtur,nec agere de visione amorevè patrię;nec de nobilitate simpliciter,sed secundum quid: id enim pro aduersarijs ex eodem Diuo Thoma euidenter ostendimus in d. q. 8. art. 5. num. 10. putoque Hugonem de Sancto Victore eodem modo egisse de amore, & scientia,vt ibi ostendimus n.14.quod mihi satis significant illa verba immediatè consequentia: *intrat amor, vbi foris stat scientia*: nec enim video, quo modo hæc verba scientię,& amori patrię possint accommodari. Quare nec D. Thomæ, nec Hugonis auctoritate probari potest id,quod intenditur:amorem scilicet beatificum esse simpliciter nobiliorem visione.

13 Vtraq; pars probabilis iudicatur.

Illud tamen aduersarijs non est admittendum obiectum formale intellectus esse essentialiter nobilius,quàm obiectum formale voluntatis:eadem enim auctoritate, qua volunt id esse supposi-

tum, oppositum pro nostra sententia supponendum est. Et cum vtrique ab huius difficultatis disputatione abstineant,& nos modò ab ea abstinebimus, & vtramque partem sub sua probabilitate relinquemus. Illud tamen addam rationes, quæ pro maiori præstantia obiectiuoluntatis afferuntur,longè mihi esse probabiliores: enim verò ratio sumpta à maiore abstractione etiam ipsis Thomistis est perdifficilis: cum tamen non facilè negarem rationem appetibilis,si non formaliter pro relatione,saltem materialiter pro proximo illius fundamento,longè esse nobiliorem, quàm sit ratio intelligibilis: hæc enim fundatur in adæquatione rei ad intellectum; illa verò in ratione pefectiui: iam verò ens sub ratione perfectiui nobilius videtur, quàm sub ratione adæquabilis ad intellectum.Sed,vt diximus vtriusque opinionis auctores suam opinionem sine disputatione vt verisimã supponunt. Id tamen, quod aduersarij contra hanc nostram sententiã ex Gregorio Nazianzeno adducunt, parum illis fauet: quoniam iuxta vsum communem loquendi Patrum nomine cognitionis Dei intelligit non solam visionẽ, sed omnia, quæ visionem naturaliter consequuntur. Quam solutionem esse ad mentem D. Thomæ ostendemus inferiùs art.vltim.ad 1.

§. 3.

Expenditur, an charitas in patria sit habitus omnium præstantissimus?

14

TErtio loco auctores huius opinionis,quam defendimus,vt probent amorẽ tam in patria, quàm in via esse nobiliorem visione, & quacunque alia cognitione intellectus, adducunt in dicta secunda ratione(de qua suprà artic.1.§.2.) quod charitas sit habituum omnium præstantissimus, tum ex Paulo,tum ex Augustino,ex quo medio illatum esse volunt amorem esse actum præstantiorem cognitione: supponunt enim actum esse meliorem, qui à nobiliori habitu procedit. Hanc sententiam ego puto esse probabilissimã, non solùm si sermo sit in via, sed etiam in patria: nec solùm in genere moris; sed etiam in genere rei.

Pars affirmatiua probabilis iudicatur.

Huius

15 Fundamentum aliquorum.

Huius opinionis probabilitas à nonnullis sumitur ex eo, quòd theologi, qui hac de re scribunt, simpliciter statuunt charitatẽ inter omnes virtutes esse excellentissimã, & fide longè nobiliorem. Quam veritatem plerique statuunt, vt catholicam, vt Medina 1.2.q.66.ar.6. Banhes, & Aragonius 2.2.q.23.ar.6. Bellarminus lib. 2. de iustificatione c. 4. §. *respondeamus totidem*, & satis insinuat Valentia 3.to.disp.3.q.1.de charitate pũct. 3. in prima assertione. Quorũ doctrina videtur deduci ex Paulo, si expendãtur quæ scribit 1.Corint.12.in fine, & c.13. sequenti: nam postquam in fine cap.12. nos excitauit, vt meliora æmularemur charismata; ostendens quodnam illorũ esset præstantissimum, addit: *adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Et statim à principio capitis 13. multa scribit de laudibus charitatis supra fidem, cæterasque virtutes; & tandem in fine capitis concludit: *maior autem est charitas.* Idẽ ad Colloss. 3. *Super omnia hæc charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis.* Et 1. Timoth. 1. *Charitas dicitur finis præcepti.* Matth.22. appellatur *primum, & maximũ mandatum*: non ob aliam rationem, nisi quia est de maxima virtute. Vnde & Patres vno ore charitati primatum concedũt; adeò, vt velint nullam aliam virtutem illi æquari, vt satis expressit Augustinus 15. de Trinitate c.19. dum ait: *In donis nullũ maius charitate, nec illi æquale:* est enim (vt aiunt) margarita euangelica, & vestis nuptialis distinguens inter filios regni, & perditionis. Simili modo doctores scholastici absolutè, & absque vlla distinctione docent charitatem esse omnium virtutum præstantissimam: ita D.Thom.1.2.q.66.ar.2.& 6. & 2.2.q. 23.ar.6.& satis 1.p.q.82.ar.3.ad 3. si solutio cum argumento conferatur: vbi etiam Caietanus in fine commenti, Capreolus in 1.d.1.q.2.ar.3.ad 10.& 15. cõtra 6.fol.28.col.4.& fol.29.col.2.& in 4. d.49.q.2.ar.3.ad 2. tertio loco contra 1.fol.194.colum.1. Ferrariens. 3.contra Gentes cap.26.§.*contra istam conclusionem.* fol.251.col.4. Sotus in 4. d.49.q.1.ar.3. §. *Sed contra hæc autem.* Durandus ibi q. 4. ad 2.contra 4. Valentia 2.tom.disp.1. q. 3. punct.4. pag.67. ad quartam rationẽ, & latiùs 3.tom. disp.3.q.1. de charitate punct.3.assertione 1. Cursus Conimb.3. de anima c.13.q.2.art.2. & est sententia inter Theologos receptissima. Quare cum Paulus, Patres, & scholastici absolutè loquantur, intelligendi sunt de nobilitate simpliciter, & essentialiter sũpta: nobilitas enim, quæ solùm est maior secundum quid, non est sufficiens, vt charitas absolutè dicatur maior cæteris omnibus virtutibus.

Medina. *Banhes.* *Aragon.* *Valentia.*

16 Fundamentum non satis firmum.

Sed fundamentum istud non est satis firmum, vt eo opinio ista nitatur: constat enim tam Paulum, quàm Patres, & scholasticos agere de charitate viæ, & adhuc sumpta in genere moris: in quo sensu non potest sumi firmum argumẽtum, vel ad patriam, vel ad genus rei, ex quo prouenit nobilitas simpliciter.

Quòd Paulus loquatur de charitate pro statu viæ, satis patet ex illis verbis 1. Corinth. 12. *adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*: viam, inquit, per quam ambuletis. Expressiùs id declarãt verba sequentis capitis: *nunc manent tria hæc; fides, spes, charitas: maior autem horum est charitas.* Nunc (inquit) .i. in hac vita, in qua per speculum ambulamus. Quòd autem de charitate agat, non in genere rei, sed in genere moris, ex eo euidenter patet, quia Paulus in omnibus citatis locis expendit charitatem, & virtutes, vt per eas Deo placemus ad gloriã: inde enim probat in d. c. 13. charitatem præstare fidei, cæterisque virtutibus; quia cæteræ omnes, nisi adsit charitas, nihil prosunt, vt patet ex illis verbis: *factus sum, velut cymbalum tinniens: nihil sum: nihil mihi prodest.* i. nullius sum meriti apud Deum: quod ipsum nihil est aliud, quàm in illis virtutibus considerare genus moris, in quo solo reperitur meritum: nec enim aliquid intererat Paulo expendere hasce virtutes in genere rei, & secundum suas essentiales entitates præcisè sumptas. Simili modo genus moris considerauit Paulus in d. c. 12. in fine, dum ait: *adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*: demonstrabat enim viam, & viam excellentiorem ad merendum: nam sicut patria est status præmij; ita via est status meriti. Idem genus moris explicauit in toto cap.3. ad Colloss. vt facilè est videre ex fine capitis, dum ait; *scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis,* & quatenus cõsuluit, *vt operemur, vt grati simus.*

1. *Cor.* 12. & 13.

1. *Cor.* 12.

Augusti. *D.Thom.* *Caietanus.* *Capreolus.* *Ferrarien.* *Sotus.* *Durandus* *Valentia.*

17 Consuluit etiam: *vt super omnia charitatem haberemus, quia* (vt ait) *charitas est vinculum perfectionis*: id ipsum denotat *charitatem esse finem præcepti, & maximum mandatum*: præcepta enim non dantur, nisi ijs, qui moraliter operantur. Quare, quę ex sacris literis adducuntur, non possunt non intelligi de charitate, & virtutibus, vt sumuntur in genere moris. Et de eodem genere intelligitur Augustinus, dū ait: *In donis nullum esse, aut maius, aut æquale charitati*: agit enim de his virtutib⁹, quatenus habent rationem donorum: quā rationem solùm habent in via; nam in patria conceduntur, vt præmia. Porrò D. Thomam, dum comparat charitatē cum virtutibus, agere de genere moris, inde ostenditur; quia 2.2.q.23.ar.3.& 6. ex eo probat charitatem esse virtutem, & maximam virtutum; quia est principiū bonitatis humanorum actuū: actus autē in solo genere moris habent, quòd sint, & dicantur humani, atq; morales. Et in 1.p. q.82. art. 3. in 3. argumento, inde deducit nobilitatē charitatis; quia sine ea nulla alia virtus prodest ad meritum: quæ ratio solùm habet locum in genere moris.

Augusti. *D.Thom.*

18 In quo sensu fides doceat charitatem esse nobiliorem fide.

Quare, qui agētes cōtra Hęreticos inter veritates catholicas enumerat charitatem esse nobiliorem fide, vt Medina Banhes, Aragonius, Bellarminus, & Valent. quos suprà citauimus, admittendi sunt, si loquātur in genere moris. Secus autem, si in genere rei: etenim in eo sensu veritas illa cēsenda est de fide, in quo traditur à Paulo, & recipitur à Patrib⁹, & Theologis: hi autem (vt ostendimus) agūt de charitate in genere moris. Vnde sine vllo errandi periculo à plerisq; defenditur fidem in genere rei esse prę-stantiorem charitate: quod placuit Bellomont. 1.2. disp. 11. c. 8. ad 3.& 4. argumentum n. 45. 46.& 48. nam & Thomistę generaliter docent omnes virtutes intellectuales præstare moralibus: quod intelligunt non in genere moris, sed in genere rei. Quare min⁹ efficaciter Suarius in hac q. 3. disp. 7. quæstiunc. 2. §. *secundo verò addendum*, adducit Paulū, & Patres, theologos q; citatos, vt confirmet charitatem in via non solùm in genere moris, sed etiā in genere entis esse simpliciter, & essētialiter nobiliorem fide: nam quāuis opinio in se mihi sit probabilis: quam non solùm in via, sed etiā in patria modò defendimus: tamen fundamentum ineffícax est. Nec confirmatio illius vim habet: nam, quanuis solus excessus secundū quid ijs, qui naturas rerū, atq; essentias speculantur, non satis sit, vt charitas simpliciter dicatur maior: ijs tamen, qui de virtutibus non curant, nec vt tales eas agnoscunt, nisi vt ad mores pertinent; excessus, qui naturas virtutū speculantibus est secundum quid; speculantibus mores non est talis, sed est essentialis, & dignus, qui solus cō sideretur. Paulus autē & Patres de charitate, & virtutibus non loquūtur speculatiuè; sed solū prout attinent ad cōsequendam vitam ęternam: vnde eas solas appellant virtutes: nec sane sine fūdamento; quoniā Arist. virtutes condiuisit contra habitus intellectuales, qui etiam virtutes appellantur, vt bene aduertit D. Thomas 1.2.q.56.ar.3.& patet ex Arist. 6. Ethic. c. 3.& 4.

Improbatur fundamentum.

Arist. *D.Thom.* 19

Omisso igitur superiori fundamento posset quis secundo loco pro præstātia charitatis inter omnes habitus expendere D. Thomā 1.2. q.66. ar.6. quo in loco absolutè docet charitatem esse omnium virtutum præstantissimam: expēdit autem ibi magnitudinem, & nobilitatem virtutum secundum suam speciē, & in ordine ad obiectū, vt patet ex verbis initio articuli positis: *dicendum, quod sicut supra dictum est, magnitudo virtutis secūdum suam speciem cōsideratur ex obiecto.* Agit igitur ibi de præstantia charitatis non ratione moris, sed ratione suæ entitatis, & essentię: & tamē decernit charitatē esse simpliciter omnium nobilissimā. Sed argumentū istud licet vrgeat, vt dicamus charitatē inter omnes habitus viæ esse essentialiter nobilissimā: quam opinionē ego puto probabilē: tamē minus est efficax, vt eo probemus charitatē in patria esse omniū præstantissimā, quod modò nitimur ꝓbare: nā D. Thomas eo in loco solùm cōparat charitatē cum virtutibus theologicis, fide sc. & spe, quæ solùm manēt in via: ex quo non bene infertur eam esse præstantiorem omnibus habitibus patriæ: quia licet obiectum charitatis (quod etiam manet in patria) nobili⁹ sit obiecto formali fidei, & spei: non tamen erit nobilius obiecto formali luminis gloriæ.

D.Thom.

Verum

20 Verum igitur fundamentum ex eo sumendum est, quod voluntas ab auctoribus huius opinionis supponitur nobilior intellectu: hoc enim supposito semper infertur charitatem esse nobiliorē nonsolùm in via, sed etiam in patria: id facile demonstratur, si vera est opinio, quæ docet omnes habitus, & actus potentiæ nobilioris non posse non esse nobiliores actibus, & habitibus potentiæ minus nobilis: cuius opinionis fundamentum inde sumitur, quòd nobilitas essētialis in habitibus, & actibus sumēda est ex essentiali nobilitate suæ potētiæ, & ex obiecto illius: quæ est sentētia Ferrar. 3. cōtra gentes c. 26. §. *secundo dico* satis confirmata ex doctrina D. Thomæ 1. 2. q. 66. ar. 3. vbi docet habitus essētialē nobilitatē sumere ex obiecto suę potentiæ: & inde infert omnes habitus intellectuales simpliciter esse nobiliores habitibus moralib⁹: ex eodem posset inferre omnes illos nobiliores esse omnibus habitibus voluntatis, Quare, qui putat voluntatem nobiliorem esse intellectu, & obiectum formale voluntatis longè præstare obiecto formali intellectus; ex doctrina illa D. Thomæ euidenter deducet omnes actus, & habitus voluntatis excellere omnibus actibus, & habitibus intellectus: siquidem omnes essentialem nobilitatem sumunt ex obiecto nobiliori. Igitur suppositā illa sententia necessariò conuincitur charitatem esse nobiliorem omnibus habitibus iutellectus etiam in patria.

Verū fundamētū pratis affirmantis.

Ferrariēs. D. Thom.

21 Id ipsum quoque conuincitur ex sententia oppositā: nam, qui putant nō esse necessarium, vt omnes actus, & habitus nobilioris potentię sint nobiliores omnibus in vniuersum habitibus, & actibus, potentiæ minus nobilis: sed fieri posse, vt aliquis habitus, & actus potentiæ ignobilioris sit nobilior aliquo actu potentiæ magis nobilis: hi inquam, simul docent oportere, vt habitus, & actus supremus potentiæ nobilioris sit nobilior, & excellentior supremo actu, & habitu potentiæ minus nobilis: quæ fuit sētētia Soti lib. 3. de iustitia q. 2. ar. 8. concl. 1. in fine §. *ex quo fit* pag. 197. & Medinæ 1. 2. q. 66. ar. 3. ante finem §. *Sed superest argumentis*, satis insinuat Valentia 1. 2. disp. 1. q. 3. pūct. 4. fol. 67. §. *respondeo: falsum esse*, & Suarius in hac q. 3. disput. 7. quæst. unc. 2. §. *secundo verò addendum est in fine*. Quare iuxta hanc opinionem, licet non sit necessarium, vt omnes habitus, & actus voluntatis (quam supponimus esse nobiliorem intellectu) sint nobiliores omnibus in vniuersum actibus, & habitibus intelletualibus; necessariū est tamen, vt supremus voluntatis habitus (qualis est charitas) nobilior sit supremo habitu intellectus, quale est lumen glorię. Quare ex eo, quòd volūtas supponitur nobilior intellectu, optimū sumetur fundamentum, vt dicamus charitatem etiam in patria esse habitum omnium nobilissimum.

Sotus. Medina. Valentia.

22 Secundo loco potest hæc sententia cōfirmari, si supponamus iuxta verissimam, & receptam philosophiam rationem formalem obiecti, quæ intrinsecè specificat potentiam, non vnire omnes eiusdem potentiæ actus, & habitus in vnam differentiam specificam, & essentialem, vt omnes sint eiusdem speciei; vt bene aduertit Curs. Conimb. lib. 2. de Anima c. 3. q. 5. art. 2. post principium: constat enim vnā specie potentiam habere habitus, & actus specie diuersos: oculus enim recipit speciesvisibiles diuersarum rationum, & intellectus diuersas specie scientias. Habitus igitur, & actus eiusdem potentiæ non sumunt suā speciē à formali ratione obiecti, à qua potentia speciem sumit, sed ab alia, vt idem Cursus aduertit 1. posterior. cap. 23. q. vnica art. 2. ad. 1. pag. 483. etenim ratio formalis, qua potentia specificatur, est infima non potens constituere, nisi speciem infimam.

2. Fundamentum.

23 Aliunde igitur sument suam speciem, & essentiam; habebuntque diuersa obiecta formalia, à quibus specificentur. At tamen non possunt non esse subalternata rationi formali, à qua specificatur potentia: vt idem Cursus annotauit in d. lib. 2. de Anima. Quæ sub alternatio in eo erit posita, vt in sua obiecta ferri nequeāt, nisi sub formali ratione, à qua specificatur potentia: nam visio albi, & visio nigri in album, & nigrum (sua formalia obiecta) tendere non possunt, nisi vt stant sub visibilitate, quæ est ratio formalis, à qua specificatur potentia videndi. Idem dices de actibus, & habitibus intellectus, etiamsi specie distinguantur: nec enim tendunt

in sua obiecta; nisi sub ratione intelligibilis, quę intellectum specificat. Simili modo habitus voluntatis, & actus, quãtunuis specie inter se distinguantur, & diuersas obiecti formalitates respiciãt; tamen in illas tendere non possunt, nisi sub ratione appetibilis, seu volibilis, à qua volũtas suam sumit specificam vnitatem. Nec idem sine fundamento id dicitur: nam cum & actus, & habitus eiusdem potentiæ pendeant á potentia, cõsiderandi sunt veluti causæ inferiores in agendo subalternatæ suæ potentiæ. Quare, cum potentia tendat in obiectũ sub illa formali ratione; sub eadem tendent actus ipsi, & habitus. Et ratione huius subalternationis ad formalem rationem specificatiuam potentię, omnes habitus, & actus eiusdem possunt aliquo modo dici eiusdem speciei; non quidem intrinsecè, sed extrinsecè; quatenus scilicet in tẽdendo subsunt illi formali rationi specificatiuæ potentiæ, vt idẽ Cursus bene annotauit in d. lib. 2. de anima.

24 His ita suppositis iam facile deducitur probatio, quòd charitas sit habitus omnium nobilissimus, tam in via, quàm in patria: nam ex dictis patet charitatẽ cõsiderari posse, vel in ordine ad rationem formalem obiecti voluntatis, cui subalternatur, quæ est appetibilitas: vel in ordine ad particulare obiectũ, à quo sumit speciem. Si priori modo consideretur, consideratur sub nobiliori ratione obiectiua: supponimus enim voluntatem esse intellectu nobiliorem, & subinde habere nobilius obiectũ. Idem ostenditur, si consideretur modo posteriori: nam obiectum formale, à quo charitas suam sumit essentiam, est nobilius, quàm obiecta, à quibus habitus intellectuales tam viæ, quàm patrię specificantur. Et quidem si charitas conferatur cum fide, & spe (qui sunt habitus viæ) illius obiectum formale essentialiter esse nobilius docuit D. Thom. 1.2.q. 66.ar.6. & 2.2.q.23.ar.6. vbi etiam Caietanus: nam fides tendit in Deum, vt est se ipsum reuelans; charitas autem, vt est se ipsum communicans, ac veluti voluntatem se ipso perficiens; quæ ratio longè est prę-

D. Thom. Caietan.

stantior. At verò, si conferatur cum lumine glorię (qui est habitus intellectualis patriæ inter intellectuales prę-stantissimus) idem reperitur: quoniam obiectum formale luminis glorię est Deus, vt se ipsum intuendũ manifestat: charitatis autem est Deus, vt se ipsum obiectiue possidendum tradit, quę formalis ratio est nobilior.

25 Eadem pars aliter confirmatur.

Id ipsum euinces, si cum alijs ita philosopheris, vt ratio formalis obiecti specificans potentiam, ipsam quidem potẽtiam adæquate specificet; actus autẽ, & habitus eiusdem potentiæ solùm inadæquatè, & vt ratio generica: qui philosophandi modus insinuatur à Suario in hac. q. 3. disp. 7. quæst. iunc. 2. §. *tandem nec ex obiectis*. Quãuis enim modus iste ideo displiceat; quia, cum illa ratio formalis sit differentia quædam infima (potentia enim per eam cõstituta est infima quædam species) non potest esse ratio generica respectu actuum, & habituum: tamẽ ex illa adhuc intentum consequemur: nã si ratio generica charitatis nobilior est, quàm ratio generica actuum, & habituũ intellectualium: fieri nulla ratione potest, vt habitus, & actus intellectuales sint nobiliores charitate: in his enim, quæ se habent, vt superius, & inferius in eadẽ serie, verissima est regula Aristotelis 3. top. c. 4. *si optimum vnius est nobilius optimo alterius; & genus genere, & species specie*. Ex qua regula deducitur commune proloquium: *si species aliqua vnius generis est perfectior alia alterius generis; omnis species illius generis debet esse perfectior omni specie alterius generis*; vt contra nonnullos ex recentioribus (inter quos est Suarius) bene aduertit Bellomontanus 1.2. disp. 11. c. 8. n. 84. quo loco optimè aduertit nullius esse momenti instantiam à Suario adductam, sumptam à corpore incorruptibili, sub quo continentur corpora cœlestia: & tamen corpus animatum, & viuens (quod continetur sub corpore corruptibili) est nobilius, quàm corpus cœleste: quia corpus in communi immediate non diuiditur per corruptibile, & incorruptibile, sed de hoc latius alibi egimus.

Arist.

26 Cõclusio resolutionis.

Et hæc dicta sint, vt ostendamus satis esse probabilem sententiam, quæ affirmat habitum charitatis non solùm in via, sed etiam in patria esse omnium nobilissimum. Vtrum autem defendi possit opinio, quæ supponens intellectum esse potentiam voluntate nobiliorem, defendit charitatem in via in genere entis

entis esse nobiliorem fide, cæterisque habitibus intellectualibus, non tamen in patria? alterius est quęstionis, quæ ad nostrum institutum non pertinet.

§. 4.

Argumentum sumptum ex Seraphinis non esse improbabile.

27 QVarto loco auctores præsentis opinionis, vt probent amorem in patria esse nobiliorem visione, expendunt Seraphinos, qui superiorē ordinem in suprema Hierarchia obtinent, denominationē sumpsisse ab amore: & inde inferunt amorem esse nobiorem visione, vt patet ex secunda ratione adducta §. 2. quod argumentum non sine probabilitate videtur hanc sententiam à posteriori confirmare: nam ex his, quę diximus supra q. 8. ar. 6. non est probabilis opinio, quod Hierarchię, & ordines angelorum distinctionem, & appellationem accipiant à perfectionibus non patrię, sed viæ. At verò si admittatur distinctionem istam, & denominationem sumptam esse ab actibus beatificis, vt voluerunt Ferrarien. & Cumelius cum nonnullis alijs, quos citauim' ibi n. 2. 3. & 4. argumentum vrget: nam admittendę nō sunt tres solutiones, quę ibi adducuntur, vt ostendimus. Sed nec quarta adducta ibi n. 5. videtur satis esse: quoniam illa familiaritas non aliunde prouenit, nisi ex nobilitate amoris, qui in Seraphinis reperitur: etenim in republica bene constituta nobiliores sunt regi magis à secretis. Porrò si distinctio, & denominatio sumenda est à donis patrię non beatificis, bene tamen perfectioribus, vt ibi diximus n. 6. & 11. cum Seraphini ab amore denominētur, & amore distinguātur à cæteris, admittendum est amorem non beatificum ex sua natura esse pręstantiorem scientia non beatifica: cur igitur amor beatific' visioni non præstabit.

Ferrar. Cumelius.

28 Euasio argumenti præcluditur. Nec ad tollendam hanc difficultatē satis est dicere ideo Seraphinos suprę-mum obtinuisse locum; quia illorū proprium est docere, siue illuminare inflā-mando: non est inquam satis; quoniam excitare ad amorem, vel est actus simpliciter nobilior, quàm simpliciter illuminare; vel solùm secundum quid: si simpliciter est nobilior; ergo amor simpliciter est nobilior: quia actus ex obiecto nobilitatem sumit. Si est solum nobilior secundum quid; cur Seraphini, qui simpliciter sunt nobiliores, nomē, & distinctionem accipiunt à perfectione minus nobili? Si dicas nobilius esse illuminare inflammando, quàm simpliciter illuminare; inde inferam Seraphinos simpliciter non esse magis nobiles, quam Cherubinos; sed solùm secūdū quid: namqui in perfectione essentiali sunt ęquales, essētialiter semper manent æquales, quanuis alter perfectione aliqua accidentali alterum superet. Vide quæ diximus in d. q. 8. art. 6. n. 11.

Siquis nostram afferat explicationē, & sentētiam, quam ibi n. 12. cum sequētibus probauimus; Seraphinos scilicet, ideo supremum obtinere locum; quia in altiori diuinæ prouidētię principio immediate à Deo recipiunt intelligibiles rationes; vt qui eas acipiāt in diuina bonitate, quæ est finis prouidētiæ: si inquā hoc probes; iam inquiram, cur amor beatificus non erit simpliter nobilior; si illi respondet nobilius principium dispositionis rerum in mente diuina? Profectò non facile assignabitur huius ratio: nisi quis respondeat bonitatem diuinam nostro modo intelligendi simpliciter non pręstare diuine scientiæ; bene tamen in ordine ad prouidentiam, & gubernationem: ideo inde non bene inferri amorem beatum esse visione nobiliorem. Et de his satis. 29

§. 5.

Amorem esse finem visionis est probabilius.

30 QVinto loco auctores sententiæ, quam modo defēdimus, pro excellentia amoris beatifici adducunt visionem à Deo ordinatam esse ,pter amorem, tanquam propter finem, vt inde inferant esse nobiliorem visione. Probant antecedens ex D. Anselmo lib. 2. cur Deus homo cap. 1. cuius verbis nixi putant amorem ex sua natura esse finem, gratia cuius visio est instituta à Deo. Ita sentit Scotus in 4. d. 49. q. 4. lit. B. in principio, & litera L. in fine, & ante eum Aureolus apud Capreolum 1. d. 1. q. 1. ar. 2. in 5. argumento contra 6. fol. 23. columna 2.

Anselm.

Scotus.

Aureolus.

In

31 In hac difficultate illud primo aduertam, in hac opinione omnino esse negãdum amorem in patria ordinari ad visionem, tanquam ad finem: nam in rerũ dispositione, quę facta est à Deo auctore naturæ, finis simpliciter est melior quám ea, quæ sunt ad finem. Deinde admoneo non posse ex D. Anselmo sumi firmum argumentum ad confirmãdam hanc sententiam: quia manifestè loquitur de cognitione, & amore viæ vt ostẽdimus supra q.8.ar.7.n.11.

32 Fundamentũ solidum. Solidum igitur fundamentum huius opinionis erit illud ipsum, quod pro defendenda aduersaria sententia iecimus in d. ar. 7. n. 6. Nam cum supponamus beatitudinem essentialiter positam esse in amore; tenemur asserere amorem patrię esse finem simpliciter vltimum: cũ verò de ratione vltimi finis sit in alium finem referri nõ posse ex Arist. 1. Ethic. c.7.text.28.& 2.Metaph. c.2.text. 8. necessariò asserendum est amorem patrię non posse in alium finem referri. Quin potius ex eodem fundamento asserendum est visionem à Deo institutam esse propter amorem, tanquam propter finem: nam vltimus finis ex eodem Arist. loco citato non solùm non est referibilis in alium finem; sed propter ipsum sũt cætera omnia.

33 Argumentũ contra resolutionem eludatur. Nec contra hanc resolutionem aliquid facit fundamentum Caietani, quod ibi adduximus n. 7. quoniam licet verũ sumat Deum visum amari à nobis: fallũ tamen est visionem cõcurrere, vt rationem formalem constituentem vnum totale obiectum propter se amabile: visio enim solum concurrit, vt conditio præsentans obiectum voluntati, de quo in sequenti ar. Nec similiter huic resolutioni obstat 7. argumentum, quod pro parte aduersaria adducit Durandus: soluitur enim inferius ar. 6. ad 7.

34 Hæc diximus de visione, & amore, provt ordinantur à Deo rerum omnium institutore. At si hi duo actus considerẽtur, provt directe à beato eliciuntur, & in ordine ad ipsum beatum; certissimum est illos nullo modo elici propter aliquem finem, vt iam ostendimus in d. q.8.ar.7.n.8. Porrò, si illos considerem' provt sunt voliti, veluti per actum reflexum, vt bona quædam à beato sibi concupita; in hac opinione dici non potest voluntatem sibi complacere in amore, quia complacet in visione: sed àcontrario dicendum est voluntatem ideo cõplacere in visione, quia præsentat sibi bonum, quod amat. Etenim voluntas ordinata (qualis est voluntas beati) non potest vltimum finem in alium referre. Quin potius tenetur se conformare cũ ordine instituto à Deo, qui visionem ordinauit in amorem. Denique si illos act' consideramus ratione boni, quod ex vtroque Deo resultat iuxta ea, quæ diximus in d.q.8.ar.7.n.10. suppositа hac opinione non potest amor nõ esse magis volitus Deo: nã Deum tradere se ipsum beato amore possidendum (in quo posita est beatitudo) est per se causa, quòd Deus apud eundem beatum sit gloriosus: gloria enim nascitur ex aliqua re excellenti, & pulchra, vt diximus lib. 3. q.2.ar. 4. §. 2. Cũ igitur amor, quo Deus beatifice habetur, sit causa, & origo glorię Dei apud beatũ; vtiq; ex amore mai' bonum Deo resultat, quám ex visione: nam illud bonum, propter quod Deus fit apud beatum gloriosus, maius bonũ est, quàm ipsa gloria. Et ita cessant, quę in d.q.8.ar. 4. concl. 4. n. 10. pro parte aduersaria diximus.

§. 6.

Amorem beatificum esse appetibiliorẽ visione.

35 EX dictis in §. præcedente iam colligitur amorem, quo beatus Deũ amat, esse lõgè amabiliorẽ, quàm sit visio: etenim si duo isti actus considerentur, vt sunt duo bona à nobis volita, & amata amore concupiscentiæ: cum in hac sententia supponatur amor mai' bonum nobis; quia est formalis assecutio Dei; absque dubio erit à nobis magis amabilis. Idem dicendum est; si hi actus conferantur, vt sunt voliti Deo amore amicitiæ, ratione eius boni, quod ex vtroque resultat Deo: diximus enim ex amore maius bonum Deo resultare, quàm resultet ex visione.

36 Solutio argumenti. Argumentum porrò, quod à nostris sumitur ex odio Dei, vt probent amorẽ esse visione nobiliorem (de quo supra §. 2. in 2. ratione principali) absolutè non habet vim: nam si odium Dei comparetur cum errore circa diuinas veritates, nõ in genere moris, sed in genere rei;

rei;argumentum nõ habet vim,nisi supponamus amorem beatum esse actum nobiliorem,& hæc de hoc ar.4.

ARTICVLVS V.

Pro solutione tertiæ rationis principalis aduersariorum expenditur,an Deus, vt amatus, sit totale obiectum beatificum?

1 Dubitatio. PRO resolutione tertiæ rationis principalis (quam aduersarij supra q.8. ar.1.§.3. n. 14. putant esse à priori) exponendum est, an Deus, vt amatus, sit totalis,&integra nostra beatitudo? Partem negantem probant aduersarij loco citato, voluntque amorẽ nullo modo cum Deo formaliter integrare vnum totale obiectum beatificũ. Et inde inferunt beatitudinem nõ posse collocari in amore;cum de ratione beatitudinis sit integrare, & componere vnum totale obiectum beatificum. Quã suam opinionem probant, primò; quia amor in patria est amor boni habiti:est enim boni præsentis: supponit igitur adeptionem boni beatifici, quæ est formalis beatitudo.

Pars negãs.

Prabatur 1.

Secundo. Secundo;quia amor patriæ per se terminatur ad Deum visum: visio igitur in ordine ad amorem est ratio formalis, quæ per se amatur. Amor igitur supponit obiectum beatificum iam integratum,& totale.

2 Resolutio. His tamen non obstantibus affirmatiua pars est asserenda à patronis huius sententiæ, quam modo defendimus: & asserendum est Deum amatum per se,& primò esse obiectum beatificum compositum ex Deo,beatitudine obiectiua, & ex amore, beatitudine formali. Quæ opinio satis confirmatur ex ijs,quę hactenus diximus:nam amor & est formalis Dei assecutio,& est actus nobilior.

3 Soluitur 1. fundamentum partis negantis. Argumenta autem in cõtrarium adducta ex dictis facile soluuntur. Nam ad primum dicẽdum est amorem in bonis creatis supponere bonũ, quod amatur, esse iam adeptũ; quoniam in illis amor ex sua natura non est assecutiuus rei amatę:secus dicendũ est in bono increato;hocenim obtinetur solum obiectiuè: vnde amor respectu illius potest esse formalis assecutio. Imò de facto per solum amorem obiectiuè cõparatur;quia solus amor est obiectiua apprehensio, & possessio illius boni, vt patet ex ijs, quæ diximus supra ar.3. Amor igitur patriæ supponit quidem obiectum præsens per actum intellectus: non tamen supponit obiectum formaliter assecutũ: etenim præsentia rei non est formalis assecutio, sed ad eam assecutio consequitur, vt sæpe diximus in d.ar.3.

4 Soluitur 2. Ad secundum dicendum est Caietanũ huius argumenti auctorẽ in sua doctrina sibi esse contrarium, vt iam aduertimus supra q.8.ar.3.n.3. & 4. nam in hac q.3.ar. 4. §. *Ad rationem autem primam Scoti* docet visionẽ per se cõcurrere ad amorem patriæ, vt rationem formalem obiecti ipsius amoris; ita vt integrum obiectum amoris sit Deus visus;idque non per accidens,sed per se. Oppositum tamen docet 2.2.q.17.ar.5.ad 1.Durãdi §. *ad rationem autem dicitur:* quo loco multis probat visionem in patria nullo modo concurrere ad amorem, siue concupiscentię,siue amicitiæ,vt rationem obiecti;sed solum,vt conditionẽ pręstantem obiectum. Et hæc opinio saltẽ in ordine ad amorẽ amicitiæ est cõmunis,& tenenda, vt alio in loco ostendimus: eã probauerunt Nominales Ocham.in.2.q. 4.ar.3.ad.6. Greg.in 1.d.1.q.3.ar.1.Maior q.5.dub.2.Marsili q.4.ar.2.Olchot. in suis determinabilibus q.7. cũ quibus cõsẽtit Palud.in 4.d.49.q.4.ar.2.&in amore amicitiæ contra Caietanum multis ostendit Bellomontanus 1.2.disp.11. c.9.n.52.& 53.& disp.15.c.3. n.8. & c.4. n.18.quãuis,& ipse oblitus sit eorũ,quę in cõtrariũ docuit in disp. 11.c.6.n.33. & 34. Qua supposita opinione visio non potest esse formalis assecutio obiecti beatifici, vt nos aduertimus supra q. 8. ar.3.n.4. vide quæ ibi diximus: ex quo infertur amorẽ esse primam,& essentialem assecutionem obiecti beatifici, & subinde Deum vt amatum esse integrũ beatificum obiectum. Et ita soluta sunt omnia argumenta, quibus aduersarij supra quæstione octaua,articulo primo §. tertio, volebant suam sententiam à priori esse confirmatam. Supereſt, vt ea dissoluamus, quæ eo in loco §.quarto numero decimo quinto à posteriori sunt adducta, de quo in sequenti articulo.

Ochamus. *Gregorius.* *Maior.* *Marsilius.* *Olchot.* *Paludan.*

ARTICVLVS VI.

An reliqua argumenta aduersariæ sententiæ bene soluantur?

1 IN superioribus articulis dissoluimus ea argumenta, quibus aduersarij suã sententiam confirmabant à priori, vt existimant, quæ posita sunt q. 8. ar. 1. §. 3. Superest, vt dissoluamus ea, quę ibi §. 4. à posteriori contra hanc nostram sententiam adducuntur.

2 Solutio primi argumẽti à posteriori. *Argentin. Bassolus.* Ad primũ nonnulli admittunt Aristotelem beatitudinem tàm Dei, quàm nostram in contemplatione collocasse: in hoc tamen eum errasse: ita Thomas de Argentina in 4.d.49.q.3.ar.2.adv ltimũ, nec displicet Bassolio ibi q. 2. ar. 2. ad quartam auctoritatem prosecunda cõclusione fol. 150. column. 4. in fine. Sed melius dicemus Aristotelẽ non docuisse beatitudinem aut Dei, aut nostram positam esse in contemplatione intellectus: nam sicut lib. 10 Ethic. c. 7. & passim alibi, per mentem accipit non solum intellectum, sed totam animam intellectiuam, quæ intellectum, & voluntatem complectitur, vt patet ex Scoto in 4. d. 49. q. 4. lit. L. §. *posse aliter dici:* ita in c. 8. sequente per operationem, vitamque cõtemplatiuã intelligit vtranque mentis operationem, intellectus scilicet, & voluntatis, vt expresse docet D. Thomas in 3. d. 27. q. 1. ar. 4. ad 1. & de veritate q. 22. ar. 11. ad 12. Nec id mirum videri debet; quoniam Augustinus (vt D. Thom. aduertit in d. ar. 4. ad 1.) nomine rationis, & intelligentię comprehendit vtrãque mentis potentiam, & vtriusque potentiæ operationem. Quare, cum Aristoteles in d. c. 8. decimi Ethic. asserit beatitudinem, tam Dei, quàm nostram positam esse in operatione contemplatiua, nomine operationis contemplatiuæ intellexit operationem, tam intellectus, quàm voluntatis. In qua autem illarum? & an in vtraq; simul sit posita? non declarauit. Ad argumentum igitur negãndum est antecedens: quod non satis firmiter probatur ex verbis Aristotelis, si vera sũt, quæ ex Scoto, & D. Thoma diximus.

August. D. Thom.

3 Prosolutione secundũ præmissum. Pro solutione secundi argumenti prę mittẽdum est, substantiam immaterialem spiritualemque non ideo appellari intellectualẽ, quòd formalis ratio intellectualitatis adæquet totam rationem formalẽ immaterialitatis: nã substantia spiritualis, siue immaterialis latius patet quàm vel intellectiua vel volitiua vtrũq; enim æque propriè, & æquali naturalitate sibi vẽdicat: ne enim audiendi sunt, qui volunt substantiam spiritualem essentialiter in esse spiritualis substantię primò, & essentialiter constitui per gradum intellectualitatis, vt cõtra Suariũ ostendimus supra ar. 4. §. 1. vterque enim gradus essẽdi, intellectiuus scilicet, & volitiu' illi cõuenit, vt proprietas essentialis spiritualitatis, siue immaterialitatis. Quare substantia spiritualis ideo cõmuniter appellatur intellectualis, quia ratio intellectualitatis notior est nobis, & natura sua prior, quàm ratio volitiui. Ex quo communi loquendi modo effectũ est, vt nomen, intellectuale, sit veluti æquiuocum: nam vno modo accipitur latè, vt idẽ sit, quòd spirituale, siue immateriale: & hoc modo sumitur non formaliter, sed materialiter: nã in hac significatione mentem accipi diximus ad 1. Altero modo accipitur presse, pro esse intellectiuo, provt distinguitur à volitiuo.

4 Solutio 2.

His suppositis iam facile patet solutio argumenti. Concedendus est totus primus discursus: quoniam beatitudo cõuenit naturæ intellectuali, hoc est spirituali, immaterialiq; secũdũ eũ gradũ qui illi est maxime proprius. At minor secũdi discursus negãda est: quia substãtia immaterialis spiritualisq; quatenus est immaterialis, & spiritualis, æqualiter sibi vendicat intellectiuum, & volitiuum: nec quatenus est talis, magis sibi vendicat vnum, quàm alterum gradum. Nec huic doctrinæ officit, quòd vtrunque illum essendi gradum ordine quodam respiciat; ita vt gradus intellectiuus prius natura ab ea suo modo resultet, quàm appetitiuus, siue volitiuus: nam ordo ille nec tollit æqualitatem naturalitatis vtriusque gradus; nec perfectionis: vt patet in diuinis emanationibus, quarum illa, quæ per intellectum est, & prouenit ex fœcunditate naturæ diuinę, vt est intellectualis, prior est nostro intelligendi modo: posterior autẽ quę est per voluntatem prouenies ex fœcunditate naturæ, quatenus radicaliter

liter est volitiua: & tamen ille ordo non infert vnam emanationem esse altera aut naturaliorem, aut nobiliorem. Similiter igitur dicendum est in creatis: vt ordo prioris, & posterioris, qui cernitur inter intellectum, & voluntatem, nullo modo inferat maiorem in priori, aut naturalitatem, aut perfectionem; cum igitur vterque iste gradus essendi æqualiter conueniat naturæ spirituali, vt spiritualis est; beatitudo illi naturæ conueniet secundum illum gradum, qui ex sua natura fuerit formaliter assecutiuus obiecti beatifici: qualis non est gradus intellectiuus, sed volitiuus, vt in hac opinione supponimus.

5 Solutio tertij. Ad 3. negandum est antecedens: cuius probatio sumit id, quod in hac opinione omnino est negandum: nec enim natura spiritualis essentialiter est beatificabilis; quia intellectualis est, & cognoscitiua, sed quia volitiua: siquidē per voluntatem est formaliter, ac primò assecutiua obiecti beatifici, vt hæc opinio sæpe docuit.

6 Solut. quarti. Ad 4. concessa maiore neganda est minor: quia anima ad eliciendam, & recipiendam operationem, quæ essentialiter est beatitudo, immediatè, & proximè disponitur, & eleuatur, non per lumen gloriæ, sed per charitatem. Nec Concilium Viennense aliquid facit contra hanc resolutionem: quoniā solùm diffinit: *animam indigere lumine gloriæ, vt eleuetur ad videndum Deum, eoque beate fruendum*. Ex quo non bene colligitur animam eleuari lumine gloriæ, vt immediata, & proxima dispositione essentialis beatitudinis. Est igitur necessarium lumen gloriæ, vt immediatè eleuet intellectum ad visionem, sine qua non datur beatitudo: mediatè verò, & remotè ad amandum, fruendumque: quia volūtas, nisi simul intellectus videat, non amabit, nec fruetur. Nec ad rem facit, quòd in sola patria reperitur lumen gloriæ: quia non inde infertur solū lumen gloriæ esse immediatam, & proximam dispositionem essentialis beatitudinis.

7 Solut. quinti. In quinto argumento duplex reperitur defectus: nam in minore falsum est amorem virtute, & eminenter contineri in visione, quia notitia obiecti non concurrit efficienter ad actum volūtatis, sed solùm vt conditio necessaria ad applicationem obiecti, quæ sentētia est Scoti in 2. d. 25. q. vnica, §. *Ad primam rationem*. cum quo consentit communior Thomistarum opinio, & Suarius in Metaph. disp. 18. sect. 3. n. 49. Deinde maior est falsa: quia non est de ratione beatitudinis, quòd virtualiter, aut eminenter cōtineat omnes operationes status beatifici. Vtrum verò illi repugnet, quòd eminenter, & virtute cōtineatur in aliqua alia operatione? Respondēdum est fortè hoc illi non repugnare, dummodò contineatur in ea, tanquā in causa minus principali, & partiali: quia inde non infertur causam esse nobiliorem. Quare licet daremus visionem efficienter concurrere ad amorem, eumque eminenter continere, vt plerique putant; adhuc nihil contra nos inferretur: quia visio esset causa minus principalis, & partialis, quæ cum voluntate, tanquā cum causa principali partialiter concurreret.

Solutio sexti. *Ouandus. Angles.* Pœna damni duplex. Pro solutione sexti multa scribunt Ouandus in 4. d. 49. proposit. 4. ad 2. Angles de beatitudine q. 1. art. 1. difficult. 3. Pro explicatione tamen notandum est pœnam damni (in qua sola consistit completus, & essentialis status miseriæ damnatorum) duobus modis accipi: vno modo; prout est carentia totius status beatifici: altero modo; prout est carentia essentialis beatitudinis. Hęc est essentialis miseria: illa verò; miseriam perfectè complet, & integrat: etenim damnatus essentialiter est miser, quia caret essentiali beatitudine: completè verò; quia caret omnibus status beatifici perfectionibus. Ad argumentum igitur negandum est pœnam damni essentialiter sumptam esse carētiam visionis diuinæ: quin potius posita est in carentia amoris beatifici. Ideo tamē ab Alexandro 3. & à Theologis explicari per carentiam visionis; quia illius carentia est nobis notior: vel quia carentia status beatifici incipit ab ea.

9 Solutio septimi. Ad septimum negandum est id, quod in antecedente sumitur: nullum scilicet actum voluntatis quæri propter se: etenim amor patriæ propter se quæritur, & visio propter illum, vt diximus supra articulo quarto, §. quinto, in via etiam cognitio est propter amorem, vt manifestè docet Diuus Anselmus li- *D. Ansel.*

br. 2. cur Deus homo capite 1. dum ait: *peruersus ordo est amare, vt intelligas: rectissimus autem, intelligere, vt ames.* Cuius doctrinam esse verisimam in cognitione, & amore viæ fatentur ferè omnes, Caiet. Ferrarien. Capreol. Sotus, Bellomont. & Suari⁹, quos citauimus, & sequuti sumus supra ar. 4. §. 5. & latiùs q. 8. ar. 7. n. 11. Falsum est igitur antecedens, dũ generaliter sumit nullum actum voluntatis esse propter se. In probatione negãdum est, ita se habere appetitum intellectiuum ad intellectum; sicut se habet appetitus naturalis ad formã naturalẽ: id enim negat Cordub. lib. 1. quæst. 42. ad 7. & esse satis dubium fatetur Valentia hìc disp. 1. q. 3. punct. 4. ad 6. pro D. Thoma. Et omissis ijs, quæ adducunt; dicendum est non posse sumi argumentum ab appetitu naturali ad alios appetitus: & maximè in hac materia: nam licet Deus auctor naturæ formæ naturali naturalem inclinationem indiderit, vt forma naturalis possit agendo se ipsam perficere: tamen voluntatem non instituit, vt intellectus intelligeret; sed vt intellectum moueret, cæteraſque potentias ad consequendum suum bonũ, cui voluntas amore adhæret.

Caiet. Ferrarien. Capreolus. Sotus.

Cordubens. Valentia.

10 Prima confirmatio enodatur.

Ad primam confirmationẽ dicimus, ad præsẽs institutum parum referre, an potentia in patria eleuetur nouo habitu, vel non eleuetur: nec enim beatitudo ex se requirit actum elicitũ à nouo habitu; sed qui sit formalis assecutio obiecti beatifici, siue ille eliciatur ab habitu, qui in patria de nouo infunditur; siue ab eo, qui fuit in via; consummato tamẽ in patria.

11 Secunda expeditur.

Ad secundam confirmationem negãdum est beatum à non beato essentialiter distingui sola visione: quia iuxta nostram opinionem essentialiter non distinguitur visione, sed amore. Nec his obstat, quod amor etiam reperitur in via: quoniam & si amor elicitus ab eadem charitate reperiatur in via; amor tamen, qui est beatificus, in via non reperitur. Quin potius specie distinguitur ab amore viæ: potestque proinde beatus per illum essentialiter distingui à non beato. Vtrum verò ita distingui valeat, si vterque amor sit eiusdem speciei? Difficultas est satis grauis à nobis explicanda in sequente quæstione.

12 Solutio vltimi.

Postremum argumentũ continet celebre Thomistarum fundamentum cõtra sententiam, quam modò defendimus, sumptum ex D. Thom. art. 4. huius quæstionis ad 2. & 3. contra Gent. c. 26. In cuius solutione varij varia dicunt, vt patet ex Scoto in 4. d. 49. q. 4. litera B. §. *secunda probatio*, & ex Bassolio ibi q. 2. art. 2. ad 3. pro 2. conclusione fol. 150. col. 2. & 3. & Cordubens. lib. 1. q. 42. ad 2. Valentia hìc disp. 1. q. 3. punct. 4. ad 1. pro sententia D. Thomæ, & ex alijs nouioribus, qui pro hac pugnant sentẽtia.

Scotus. Bassolius. Corduben. Valentia.

Ego tamen pro faciliori huius argumenti explicatione præmittendum puto hanc propositionem: *beatitudo est primum volitum à voluntate*: posse intelligi, vel in via, vel in patria. Si intelligatur de primo volito in patria, antecedens est falsũ: si verò de primo volito in via: antecedens satis est dubium: sed illo admisso non bene infertur nullum actum voluntatis esse posse formalem beatitudinem. Singula distinctè persequamur.

13 Beatitudo formalis nõ est primum volitum in patria.

Si sermo sit de primo volito in patria, negandum est beatitudinem formalem (de qua sola agimus) esse primũ volitum à voluntate beati, aut totale, aut partiale. Id facilè patet: quoniam voluntas videntis Deũ immediatè fertur in ipsum Deum, diuinamq; bonitatem, nulla interìm ratione formali ad id obiectiuè concurrente, sed solo Deo, vt est beatitudo obiectiua: etenim nec visio ibi cõcurrit, vt ratio formalis obiecti, nec amor: cum tamẽ beatitudo in altero illorum collocetur. Quod non concurrat amor, vt ratio formalis primi obiecti voluntatis; libenter fatentur Thomistę, & satis probat argumentum, quod niti mur soluere: nec enim Deus (qui est beatitudo obiectiua, & obiectũ, vt res) ad primum voluntatis actum, qui datur in patria, aut concurrit, aut concurrere potest, vt amatus: quia nec ante primum actum potuit alius præcedere: nec ipse primus actus, quo voluntas directè tendit in Deum, potest esse obiectum sui ipsius. Quod verò ibi non cõcurrat visio, vt ratio formalis obiectiua primi obiectivolũtatis, cõmunior est sentẽtia Theologorũ, quã præter Nominales plures ex aduersarijs sũt secuti: Paludanus &c. Caiet. & Bellomont. vt supra

Paludan. Caiet.

supra aduertimus ar.5.ad 2.& latiùs diximus q.8. huius libri ar.3. n.3. & 4. visio enim in ordine ad volũtatem solùm concurrit, vt conditio præsentans ipsũ Deum,eumque veluti approximans voluntati; non verò, vt ratio formalis obiectiuè volita,& amata. Quod etiam satis est de mente Scoti, vbi supra, quo in loco agit de primo volito in patria, quanuis à quibusdam in alio sensu explicetur. Quare,cũ nec visio, nec amor concurrat ad primũ obiectum,primũq; volitum in patria;vtique beatitudo formalis (quæ in altero illorũ collocatur) non erit primum volitũ in patria: & ita corruit tota argumenti machina.

14 An sit primum volitũ in via? Dubium.

Porrò,si sermo sit de primo volito in via;antecedens satis est dubium;&quãuis concedatur,consequẽtia est asyllogistica. Quòd antecedens sit dubium,ex eo patet: quia plures theologi voluerũt solam beatitudinem obiectiuã esse primum volitum,non verò formalem;quia non omnia volumus huius gratia, sed illius tantùm: ita Bassolius vbi supra: quem olim sequuti sunt Fr. Franciscus à Christo, & Fr.August. de Trinitate in hac Conimb. academia publici theologiæ professores,& præceptores mei colendissimi. Alij ideo negant antecedẽs; quia nõ est necesse, vt prima nostra viæ volitio actu terminetur ad beatitudinem,vel in particulari,vel in communi. De vtroque multa diximus supra lib. 2. q.7.art.1.2.& 3.

Bassolius.
Fr. Franc. à Christo.
Fr. Aug. de Trinit.

15 Quòd verò si concedamus beatitudinem,tam obiectiuam, quàm formalem, non virtute modò, sed actu explicito à nobis primo esse volitam; adhuc consequentia est asyllogistica, & inutilis, dũ infert beatitudinem formalem poni nõ posse in aliquo voluntatis actu. Nam argumentum adductum solùm probat volitionem primam,qua directò volumus beatitudinem; non posse esse formalem nostram beatitudinem, quam in patria speramus: quod libentissimè concedimus:tum;quia illa est in via, in qua non datur beatitudo: tum;quia, cũ sit actus directus terminatus ad beatitudinem, non potest ad se ipsam terminari, ita vt ipsa sit à se volita, & intenta. At, quid prohibet hanc primam viæ volitionem terminari posse ad actũ beatificum, qui futurus in patria ab intellectu volũtati præsentatur? Profectò nihil. Quare ad argumentũ gratis cõcedimus beatitudinem formalem in via esse primum à nobis volitum:negamus tamen inde inferri nullum actum voluntatis posse esse formalem patrię beatitudinẽ. Probatio autẽ consequentię solùm concludit, volitionẽ illam primã vię esse non posse formalem beatitudinẽ, quia ille actus, cum sit primus,non potest esse primum obiectum volitũ. At, quòd nullus alius voluntatis actus possit esse beatitudo formalis, quam per illum actũ primum primò appetimus; nullo modo, vel apparenter concluditur:nam,cũ beatitudo concipiatur,vt operatio voluntatis, non in actu exercito, sed solùm in actu signato: bene potest concipi, vt futura formaliter beatificãs, proponiq; vt sũmum bonum, ad quod volũtas in via in actu exercito feratur. Quare argumentum, si singula distinguantur, & per se explicentur,nullius est efficaciæ, & hæc de isto art.& quæstione.

QVÆSTIO XI.

IN præcedẽte quæst.pugnauimus pro opinione, quæ beatitudinem essentialiter ponit in solo actu volũtatis; ostendimusq; eã probabilẽ esse: consequẽter inquirendũ est,in quonam actu volũtatis beatitudo sit ponẽda? Nec enim patroni huius opinionis in hoc cõueniũt: cũ tamẽ id maximè sit necessariũ definire, vt huius opinionis probabilitas omni ex parte firma sit.

In voluntate autẽ plures actus reperiri satis patet: reperiuntur enim desideriũ,amor concupiscentię,amor amicitiæ,& delectatio, quæ à pluribus appellatur fruitio. Primum inquirendum est, an beatitudo ponatur in actu desiderij? 2.an ponatur in delectatione,siue fruitione? 3. an ponatur in amore concupiscentię? Postremò;an collocetur in solo amore amicitię,quo Deũ amamus?

ARTICVLVS I.

An beatitudo ponatur in actu desiderij?

QVanuis nulla hac de re sit, aut esse possit dubitatio, vt singula per se explicemus; excitandus

est hic articulus, cui respondemus conclusione negatiua: beatitudo essentialiter constitui non potest in actu desiderij. Hæc est apud omnes indubitata. Ponitur à D.Thoma in hac q. 3. ar.4. & ab omnibus Thomistis: probat eã Scotus in 4.d.49.q.4.litera D. cum suis omnibus, & Aureolus apud Capreolum in 1.d.1.q.1.ar.2.ad 1.contra 6.2.loco pagina 24.col.1.

Resolutio.

D.Thom. Scotus. Aureolus.

2 Demonstratur

Facilè demonstratur: quoniam desiderium est boni non dum habiti: nam, si quod quis videt, non sperat, vt ait Paulus ad Rom.8. nec etiam, quod quis habet, poterit desiderare: desideriũ enim potius est motus ad assequendum finẽ, quàm ipsa finis assecutio. Quinimò assecuto fine, omnino cessat desiderium illius. Beatitudo autem est assecutio sũmi boni. Et hæc de re indubitata satis.

Ad Rom. 8.

ARTICVLVS II.

An beatitudo patriæ per se ponatur in delectatione?

§. 1.

Præmittuntur nonnulla.

1 1.premisſũ. Delectatio est operatio voluntatis.

VT melius intelligatur titulus quęstionis, & pateat, vbi posita sit illius difficultas, & controuersia; illud primo loco statuendum est delectationem non esse passionem, sed operationem potius à voluntate elicitam. Hanc sententiam, tanquam verissimam recipit communior, tam antiquorum, quàm nouiorum sententia: ita docuit D.Thomas 1.p.q.64. ar.3. in corpore, & ad 1. & 1.2.q.22.ar.3.in corp.& ad 3.& q. 31.ar.1.& 4. & vtrobique in corp. & ad 2. idem D.Thomas 1.contra Gent.c.90. argum.1. Capreolus in 1. d.1.q.1. ar.1. cõcl.3.& ar.3.adargumẽta cõtra 3. vbi etiã Hispal.& Soncinas concl.3.& Gregorius q.2.ar.2. concl.1. noster Gerardus de Senis q.1.ar.3. doctissimus præceptor Fr. Franciscus à Christo q. 1. & 2.Caiet.1.p.q.64.ar.3. & 1.2.q.22. ar.3. & latiùs q.31.ar.4. Ferrarien. 1.contra Gent.cap.90 in 1.argum. Valentia 1.2. disp.3. q.5.punct.1. Bellomontanus 1.2. disp.14.c.1.n.6.& innumeri alij. Quorũ sententia satis videtur confirmata auctoritate Aristotelis multis in locis, & in primis 3.de anima c.7.tex.29. *delectari, aut dolere* (inquit) *est operari ipsa medietate sensus ad bonum, aut malum*, vbi per medietatem sensus communi omnium interpretatione appetitum intelligit: vt inde colligamus delectari esse operari, non antecedenter, aut caussaliter, sed formaliter ipsomet appetitu operationem eliciente. Deinde lib. 1. Rhetoric. ad Theodectem c.10. in fine docet: *delectationem esse motum quendam animi, & affectionem totam simul.* Addimus Aristotelem 7. Ethicorum c.12.text.54.& c.13. text. 58. quibus in locis satis expressè asserit, *delectationem esse operationem non impeditam habitus, qui est secundum naturam.* Ex quibus verbis omnes interpretes colligunt definitionem delectationis. Cum Aristotele concinit August. 14. de Ciuitate Dei c.6. *quid est* (inquit) *cupiditas, & lætitia, nisi voluntas in eorum consensionem, quæ volumus?* Vbi nomine voluntatis operationem voluntatis intelligit.

Aristot. Aristot. August.

Sed nec desunt rationes ad hoc confirmandum; quarum prima sumitur ex philosophia: quia delectatio coniungit voluntatem cum obiecto delectabili cõiunctione quadam obiectiua, vt patet. Voluntas autem, sicut & cæteræ potentiæ, quæ agunt actione immanente, non coniunguntur cum suo obiecto, nisi per operationem à se elicitam.

2 Probatur 1.

Secunda ratio theologa est, quam adducit Bellomontanus vbi supra: quoniã constat meritum, aut demeritum non posse reperiri in sola passione interna, sed in operatione voluntatis. Iam verò delectatione, & tristitia mereri possumus & gloriam & pœnam: nam delectari de gloria Dei, & de bono illius est opus meritorium; similiter etiam tristari de peccato commisso. Contra verò tristari de bono alterius, aut delectari de alterius malo est opus demeritorium. Ergo delectatio, & tristitia sunt operationes.

3 Secundo.

His addimus delectationem esse actũ vitalem: nam ex Aristotele 1.Ethic.c.8. tex.40. voluptate affici ex ijs est, quæ ad animam pertinent: quòd verò pertineat ad animam, vt actus, & non vt pura passio ex eo constat, quia enumeratur inter passiones animi: hæ autem communi philosophorum consensu sunt motus quidam animi ex D. Thoma 1.2.q.22. art.1. & de veritate q.26.art.3.

4 Confirmatur.

Ex

Ex quibus patet reijciendam esse, tãquam minus probabilem opinionem, quę negat delectationem esse operationem elicitam à voluntate, sed esse meram passionem in ea receptam: quanuis hęc opinio placuerit quamplurimis viris doctissimis: eam enim probarunt Scotus in 4. d. 49. q. 4. & 7. & in 1. d. 1. q. 3. & latiùs in 3. d. 15. q. vnica litera D. ex Scotistis probant Bassolius in 1. d. 1. q. 2. ar. 2. & in 4. d. 49. q. 2. artic. 1. in solutione tertij, & ar. 3. §. *quantum ad actum voluntatis*. Ouandus in 4 d. 49. proposit. 22. fuit etiam opinio Henric. quodlib. 11. q. 8. & 9. ex nostris probarunt Argentina in 4. d. 49. q. 3. ar. 2. ad 7. probationem octaui argumenti. Michael de Massa in 1. d. 1. q. 3. art. 1. vbi etiam Landulphus q. vltima artic. 2. ex Thomistis expressè id probat Sotus in 4. d. 49. q. 1. artic. 4. pag. 570. col. 1. §. *Ratio autem*: qui omnes putant delectationem esse qualitatem quandam receptam in voluntate, & in ea productam, vel à visione, vt putat Sotus; vel ab obiecto, cui voluntas per amorem est coniuncta: vel denique ab ipso actu amoris, quo voluntas coniungitur obiecto, quæ est sententia Scoti, & aliorum. Sed quanuis hi omnes sint theologi præstantissimi; nõ sunt in hoc audiendi. Primò; quia nullo, vel apparente fundamẽto nituntur: deinde, quia argumenta superiùs adducta maximè contra illos vrgent: tum denique; quia non facilè explicabunt, à quonam hæc passio cauſſetur.

5 Improbatur aliquorum opinio.

Scotus. *Bassolius.* *Ouandus.* *Henric.* *Argentina* *Michaelde Massa.* *Landulph.* *Sotus.*

Præmittẽdum est secundò solùm sermonem haberi de delectatione, quæ est affectus voluntatis, & quædam complacentia circa bonum nobis præsens: nec enim modò curamus; vtrũ præter hanc delectationem, quæ est affectus quidam appetitus, detur alia delectatio in operationibus intellectus, & cæterarum potentiarum cognoscentium, quæ sit quidam illarum modus realiter ab illis indistinctus: nam, qui hoc genus delectationis in potentijs cognoscentibus admittunt (vt Bellomontanus 1. 2. disp. 14. c. 3. nu. 16. & 17. & quidam Landulphus apud Toletanum in 1. d. 1. q. 3. art. 3. ad argumenta contra 1.) simul fatentur in illa non poni beatitudinem, cum non sit operatio, sed modus operationi cõueniens.

6 2. præmissũ de qua delectatione sit sermo.

Præmittendum tertiò; controuersiã esse, vtrum delectatio (quam supponimus esse operationem voluntatis) sit operatio realiter distincta ab amore: de qua latè dicemus inferiùs libr. 6. Quidam putant delectationem, & amorem re, & ratione idem esse: philosophantur autem hoc modo, vt amor, quatenus amor, non dicat aliquam rationem specificam actus, qui specie distinguatur, aut à desiderio, aut à delectatione: sed solùm dicere rationem quandam genericam, & cõmunem, quæ per bonum absens, & præsens, tanquam per duas specificas differentias diuiditur in desiderium, & delectationem, vt in duas species sub vno genere amoris. Quare, sicut animal contractum per rationale est homo, per irrationale est brutum, nec ponit in numero cum vtroque: ita amor (qui est complacentia quædam in bono) vt coniungitur bono absenti, est desiderium; vt verò coniungitur bono præsenti, est delectatio. Ita quosdã docuisse refert Richardus in 3. d. 27. ar. 7. q. 3. quos sequuti sũt Aureolus apud Capreolum in 1. d. 1. q. 1. ar. 2. contra 3. & Gregor. ibi q. 2. ar. 2. concl. 2. & quidam Bernardus Oliuerius Eremita noster apud nostrum Toletanum eodem loco q. 3. articul. 3. contra secundum.

7 3. præmissũ An delectatio realiter differat ab amore? Sententia quorundam

Richard. *Aureol.* *Capreolus.* *Gregorius* *Oliuerius.*

Contra hanc sententiam cæteri omnes se se opposuerunt: docentque amorem esse actum quendam specie distinctum, tum à desiderio, tum à delectatione, & communiter enumeratur, vt passio ab illis duabus specie distincta. Est tamen controuersia, an amor à delectatione realiter distinguatur? Quidam eos non realiter, sed solùm formaliter distinguunt; ita vt vnus, & idem actus, vt est propensio, & complacentia in bono, sit amor: vt verò in ipso bono assecuto conquiescit, dicatur delectatio. Quæ sententia fuit vnius Gregor. de Valentia 1. 2. disputatione 1. q. 4. punct. 1. in principio pag. 76. & inferiùs §. *Circa secundum*. pagina 80. & rursus disputatione secunda, quæstione sexta pũcto primo, §. *Nunc verò*. pagina 232. & inferiùs §. *Porrò quanuis*. pagina 234. Cæteri tamen omnes inter amorem, & delectationem agnoscunt realem distinctionem. Hanc sententiam esse am-

8 Aliorum opinio.

Valentia.

plectendam ostendemus inferiùs libro sexto.

His explicatis opinionibus dicimus nostræ quæstioni solùm esse locũ apud eos, qui delectationem ab amore distinguũt aut realiter, aut saltẽ formaliter: nã, si vera foret prima opinio, non posset non admitti beatitudinem in delectatione ponendam esse ab ijs, qui beatitudinem ponunt in solo actu voluntatis: nam cum in voluntate duo tantùm agnoscantur actus, desiderium scilicet, & delectatio; cum constet ex 1. articulo beatitudinem nõ poni in desiderio; necessariò ponetur in delectatione: etenim, cum apud istos delectatio sit species quædam amoris, essentialiter erit amor, qui est delectatio, vnde, & illi cõuenirent omnia, quæ sunt de ratione amoris boni præsentis. Quare solùm posset esse quæstio, an beatitudo ponenda esset in delectatione, vt est amor amicitiæ, quo beatus delectatur de bono præsenti ipsius Dei: an verò, vt est amor cõcupiscentiæ, quo beatus delectatur de Deo se beante? Itaque nostræ quæstioni non datur locus, nisi supposita sententia, quæ delectationem distinguit ab amore, vt actum ab eo distinctum, aut realiter, iuxta veram, & communem opinionem; aut ratione, & formaliter, iuxta opinionem Valentiæ.

9 Quartũ præmissũ de duplici delectatione ab amore distincta.

Quarto præmittendum est supposita opinione, quòd delectatio ab amore distinguitur, duplicem distinguendam esse in beatis delectationem: vnam; quæ sequitur amorem, quo beatus vult Deo bona, quæ Deus habet: alteram, quæ sequitur amorem, quo beatus vult Deum sibi, tanquam summum sibi bonum: hos enim duos amores dari in beatis supponimus, tanquam indubitatum. Cum verò delectatio consequatur ad bonum præsens, quod alicui amatur: beatis autem duo proponantur bona præsentia (bonum scilicet diuinæ perfectionis, quod beatus vult Deo; & bonum beatificans, quod beatus vult sibi) vtique sicut sunt duo distincta bona possessa; duplex etiam erit delectatio in beatis. Quòd, tanquam verissimum supponimus cum Diuo Thoma 2. 2. quæstione 28. articulo primo, & secundo. De quo latiùs libr. 6.

D. Thom.

§. 2.

Refertur sententia affirmatiua.

EX dictis iam patet in quonam sensu excitatur quæstio initio proposita: nec enim excitatur de delectatione, siqua reperitur in actionibus intellectus: nam licet admitteremus huius generis delectationem (quã tamen non admittimus) in illa non posset beatitudo essentialiter collocari: quia à suis auctoribus non ponitur, vt operatio, sed vt modus operationis, vt initio aduertimus: quare agimus de delectatione, quæ est affectus voluntatis in sola voluntate repertus. Simili modo non excitatur quæstio de delectatione voluntatis, quę à nonnullis ponitur, vt voluntatis passio: quoniam beatitudo ex sua ratione est operatio, vt in superioribus constituimus. Quare excitatur quæstio de sola delectatione, quæ est actus à voluntate elicitus, distinctusq; ab amore, siue distinguatur realiter, vt vera habet opinio, siue solùm ratione, & formaliter, vt solus Valentia existimauit. Nam licet quæstio clariùs procedat, supposita reali distinctione illorum actuũ: tamen etiam potest procedere, quanuis admittamus eam sola ratione, & formaliter distingui ab amore; quia etiam, vt sic non amittit rationem operationis. Patet igitur sensus quæstionis excitatæ.

10 Sensus quęstionis aperitur.

Sed antequam ad illius explicationẽ accedamus; operępretium erit aduertere quæstionem excitari supposita sẽper opinione, quòd beatitudo in vno tantùm actu essentialiter collocatur: inde enim infertur idem esse inquirere, an beatitudo in delectatione ponatur, atque inquirere, an solùm ponatur in delectatione.

11

Aduerte deinde plures theologos docuisse delectationem ingredi essentiam beatitudinis: ita enim docuerunt Alẽsis 3.p.q.23. mẽb.1. ad 1. Ægidius in tract. de influentia diuina in beatos c. 2. col. 1. in fine, Richardus in 4.d.49. ar.1.q.6. in fine corp. Bonauentura ibi in 1.part. distinctionis art. 1. quæst.5. Maior q.3. post principium, Marsil. q. 13. artic.3. notab.2. & concl.4. Toletanus in 1. d.1. q.3. artic.2. conclus.2. Molina 1.p.q.12. articul. 1. disput. 2. conclus. 5. & q. 26.

12 Sententia quorundã.

Alensis. *Ægidius.* *Richardus.* *D. Bonau.* *Maior.* *Marsilius.* *Toletanus.* *Molina.*

in

Valentia. Catechis. Tridentin. in principio, & satis est de mente Gregorij de Valētia 1.2.disp.1.q.3.pūct.4.p. 71.& clarius q.4.punct.1.pag.84.& satis Catechismus cōcil. Tridentini 1.p.c.13. ad illa verba symboli *vitam æternam*; At tamen nullus est, qui probauerit beatitudinem in sola delectatione collocari. Etenim licet plerique referant Aureolū beatitudinem posuisse in sola delectatione, quos sequitur Bellomôt. 1.2.disp. 11. c. 2. in principio: in duobus tamen deficiunt. Primò, quia putant Aureolū egisse de delectatione, provt distinguitur ab amore. Secundo; quia putât Aureolum posuisse beatitudinem in delectatione de Deo viso. Vtrunque autem falso illi imponitur: nam, si expendantur, quæ scribit Aureolns apud Capreol. in 1.d.1.q.1 ar.2. contra 6. maxime in 5. argumento, Aureolus delectationem, quam ponit esse operationem beatificam, non distinguit ab amore: non quidem Dei visi (vt Bellomontanus falso dicit,) sed Dei in se ipso, & in suo bono complacente. Cui etiam accedit, quia apud Aureolum amor boni præsentis re, & ratione est delectatio. Quare Aureolus nō potest citari pro sentētia, quę beatitudinem ponit in delectatione, quę est operatio distincta ab amore.

Aureolus.

13 Pars affirmatiua quæstionis probatur primo *Matth. 25 Ioan. 16. Luc. 22. Apoc. 2. Psal. 35. D. Anſel. Auguſt.*

Sed quidquid sit de Aureolo, pars ista affirmans his argumentis confirmari potest. Et primo ex sacris literis, atque Patribus: in plerisque enim sacrę scripturæ locis beatitudo futura ponitur in gaudio; vt patet Matth. 25. Ioan. 16. Luc. 22. Apocalyp. 2. & Psal. 35. Verba adduximus in prȩcedente q.ar.1.§.1.vbi etiã habes Augustinum verbis expressis asserentem vitam ętern ã esse gaudiũ, nimirum 10. confessionũ c.21.22.23. alijs etiam in locis diserte fatetur beatitudinem in fruitione consistere, vt 1. de doctrina christiana c. 32. & 8. de ciuitate Dei c. 9. quod etiam affirmat D. Anselm. lib. 2. cur Deus homo c. 1.

14 2. Probatur.

Secundo; quia delectatio inter actus voluntatis est omnium prȩstantissimus. Ergó in ea ponenda est beatitudo. Consequentia patet, quia beatitudo postulat sibi præstantissimum actum. Antecedens probatur: primò; quia delectatio generatione est actus omnium vltimus. At quæ generatione sunt posteriora, sunt priora dignitate ex Aristot. 9. Metaph. c. 8. text. 14. & 15. & lib. 8. phy ficorum c. 7. text. 58. & lib. 2. de partibus animalium. Deinde; delectatio quęritur propter se; cęteri verò actus voluntatis sunt propter delectationem, tanquam propter finem: primum patet; quia ex Aristot. 10. Ethic. c. 2. *stultum est quærere ab aliquo, cur velit delectari?* Secundum verò probatur ex Arist. 7. Ethic. c. 12. vbi ait *delectationem esse finem nostrarum actionũ.* Quòd etiam confirmatur, quoniam ex Aristot. in libris physic. *omnia mouentur, vt quiescant*: quies autem est delectatio; bruta etiam propter delectationem operantur ex D. Thoma 1.2. q.4. ar. 2. ad 2. & cum dirigantur ab auctore naturę, nō errant. Denique delectatio est operationis perfectio ex Aristotele. 18. Ethic. cap. 2. perfectio autem cuiusque rei est finis illius.

Arist. *Arist.* *D. Thom.* *Arist.*

Tertio; sola delectatio vltimo satiat appetitum, tanquam vera, & formalis eius quies: appetitus autem sola beatitudine satiatur, & quiescit. 35 Tertio.

Quarto; pœna inferni cōsistit in tristitia, aliter non esset pœna; Ergo beatitudo in patria, quæ illi essentialiter opponitur, consisteret in delectatione. Quarto.

Quinto; Beatus sola delectatione distinguitur à non beato. Ergo in delectatione per se ponitur beatitudo. Consequentia videtur nota. Antecedens probatur; quia viator potest esse æqualis in amore cum beato: quo supposito beatus non amore distingueretur à nō beato, sed sola delectatione. Quintum. Vltimo.

Postremò; præstantissimi Philolophi beatitudinem naturalem in delectatione collocarunt, vt patet ex ijs, quę diximus supra lib. 3. q.3. ar.4. Quam opinionem, tanquam probabilem videtur Aristoteles probasse, dum 7. Ethic. c. 11. & 12 dissoluit argumenta in contrarium adducta. Quod argumento est in ea etiã ponendam esse beatitudinem supernaturalem patriæ. Hæc sunt huius opinionis potiora argumenta. *Arist.*

§. 3.

Opinio negatiua est vera.

62 Resolutio quæstionis.

ASserenda tamen est, & probanda opinio negatiua, quæ simpliciter & absolutè delectationem excludit ab essentia beatitudinis, tanquam

perfectionem illi accidẽtariam. In hac conclusione conuenit vtraque schola Scotistarũ, & Thomistarum; diuerso tamen ducti fundamento: nam Scotus cũ suis ideo delectationem excludit ab essentia beatitudinis, quia putat delectationem non esse operationem, sed passionem quandam receptã in voluntate.

Scotus. Mayron. Ita Scotus in 4.d.49.q.4.litera E. & latius q.7.litera A. Mayronius in 1.d.1.q.2.ar. 4. Ex alijs autem, qui delectationem, tanquam operationem agnoscunt, generaliter hanc opinionẽ probant omnes, qui putant beatitudinem in solo actu intellectus collocari. At specialiter

D. Thom. delectationem ab essentia beatitudinis excludit D. Thomas in hac q. 3. ar. 4. & inferius q.4.ar.1.& in 4.d. 49.q. 1.ar. 1. quæstiunc.2.in fine, & 3.contra gentes

Ferrarien. Caietan. Capreolus. Durandus. c.26.argumento 5.cum sequẽtibus, vbi late Ferrariensis, Caietanus 1.2.q.3.ar. 4.Capreolus in 4.d.49.q.1. ar.1. cõcl.6. & ar.3. ad argumenta contra 6.Durandus ibi q.4. ex nouioribus Bellomontanus 1.2.disp.11 c.5.& c.6.n.33. & c.7.n. 38.Suarius in hac q.3.disp.7.quæstiunc. 1.§. *vltimò dicendum est.*

17 Probatio 1. ex Scoto. Hanc sententiam confirmat Scotus cum suis, quia beatitudo ex sua ratione est operatio: delectatio autẽ, nõ est operatio, sed passio recepta in voluntate,

Reijcitur. Hæc tamen ratio falsum supponit fundamẽtum: quia delectatio vera est operatio elicita à volũtate, vt sæpe diximus

18 2. ex Durãd. Secunda cõfirmatio est Durandi vbi supra: quoniam beatitudo est operatio immediatè terminata ad Deũ: est enim formalis, & immediata assecutio Dei in in se ipso. Delectatio autem in patria non terminatur ad Deum immediate, sed ad Dei visionem, & amorem: nulla enim delectatio immediate terminatur ad rem delectabilem, sed ad operationem, qua res delectabilis nobis coniungitur, vt late probat Durandus vbi supra q.5.n.6.& latius in 1.d.1.q.2.& in 3. d. 26. q. 2. In hac tamen ratione minor

Improbat. non recipitur: quia delectatio in patria immediate terminatur ad Deum in se ipso, siue illa sequatur amorem amicitiæ, quo beatus vult Deo bona, quæ De habet: siue sequatur amorem concupiscentiæ, quo beatus vult sibi Deum, vt

D. Thom. bonum suum: quę est cõmunis sententia theologorum, ex D. Thoma. 2.2.q.24. ar.1. in corp. & ad 3. de quo latius agendum est lib.6. Reijcienda est igitur hæc Durandi ratio.

19 3. ex Suario Tertio loco Suarius ita arguit: quoniã vel sermo est de delectatione, seu gaudio de bonis, ac perfectionibus, quas Deus habet in se: vel de gaudio, & delectatione; quæ consequitur ad operationem videndi, & amandi Deum, quæ natura sua est iucundissima. Si sermo sit de delectatione priori modo; illa realiter non distinguitur ab amore amicitię quo beatus amat Deum: & ob id eodem modo pertinebit ad essentiam beatitudinis, quo pertinet ipse amor, cum quo identificatur. Porrò, si sermo sit de gaudio posteriori modo; tale gaudium non potest esse beatitudo: tum; quia immediate non versatur circa Deum in se. Tũ etiam; quia supponit Deum iam esse beatifice adeptum. Tum denique quia non est propter se, sed propter operationem ipsam.

20 Improbat. In hac ratione multa displicent. Et primò displicet delectationem, quæ cõsequitur amorem amicitiæ, qua beatus delectatur de bonis ipsius Dei, re non distingui ab ipso amore; si in hoc sensu id intelligatur, vt re, & ratione sit idẽ cũ amore: hæc enim opinio recidit cum opinione Aureoli, quæ cõmuniter reijtur, quã latè impugnabimus lib.6. Quòd si illam intelligat cum Valentia, vt re nõ distinguatur ab amore, bene tamen ratione, & formaliter: posita hac opinione (quam etiam putamus falsam) non bene philosophatur, dũ infert delectationem eo modo pertinere ad beatitudinẽ, quo pertinet amor: etenim hęc identitas nõ bene id infert: quia fieri potest, vt amor ille essentialiter sit beatitudo, nõ tamẽ delectatio; nam albedo essentialiter est color, non sic similitudo, quæ cum Albedine realiter identificatur. Deinde displicet; quia præter duas delectationes, quas affert, dari debet tertia ad rẽ magis accomodata, quàm illius secunda: beatus enim etiam delectatur de Deo, vt est sibi bonũ; quæ delectatio cõsequitur ad amorem, quo beatus se ipsum amans vult sibi Deum, vt summum suum bonum, qui amor à quibusdam vocatur amor concupiscentiæ. Hæc autem delectatio longè est diuersa à delectatione, qua beatus per actum reflexum videt

visio-

visionem, & amorẽ in suis entitatibus, & amando eas de illis delectatur, tãquã de obiectis delectabilibus, vt quod: etenim hæc delectatio est veluti reflexa; quia terminatur ad ipsas visiones cognitas, & amatas per actum reflexum: cũ tamen delectatio de Deo, vt est ipsi beato bonũ immediate terminetur ad Deũ vt cum D. Thoma, & communi theologorum dicemus lib. 6. ad visionem autẽ, & amorem terminatur, vt ad obiectum quo. Quare, cum probatio in recensendis delectationibus diminuta sit; nõ est satis ad institutum confirmandum.

21 Verò probatio resolutiouis & D. Thoma.

Omissis igitur his, & alijs nostrę sententiæ confirmationibus solida illius confirmatio sumenda est ex D. Thoma ar. 4 huius quæstionis; quam etiam tetigit 1. contra gentes c. 90. & lib. 3. c. 26. delectatio enim de Deo, deque illius bonis ex sua natura supponit Deum esse iã beatifice assequutum. Ergo non est formalis Dei assecutio, sed supponit operationem aliquam priorem assecutiuam Dei: supponimus autem beatitudinem in vna tantùm operatione esse positam. Hoc fundamentum sumptum ex D. Thoma probant ferè omnes, & cum illis Bellomontanus hic disp. 11. c. 5. n. 27. & c. 7. n. 38. in eo vtraque cõsequẽtia est nota: de antecedente est tota controuersia, & cum ab aduersarijs negetur, debuisset à Bellomõtano cõfirmari. Nos illud multi, confirmabimus.

22 Antecedẽs huius probationis cõfirmatur 1. ex August.

Et primò expressa auctoritate D. Augustini 14. de ciuitate Dei c. 8. *gaudium* (inquit) *de adepto bono est: tristitia verò de malo est, quod iam accidit.* Deinde ex Arist. is enim 1. Rhetori. c. 11. ita ait: *Omnino quæcunque cum adsunt, delectationi sunt: ea omnia sperantibus, & recordantibus iucunda sũt.* Et statim inferius: *Idque amoris initium omnibus est: si non solùm adest, lætantur &c.* Ecce ex Aristotele prærequiritur adesse rem delectabilem, vt sequatur delectatio. Quòd verò apud Aristotelem idem sit adesse bonum delectabile, & assequutum esse satis declarat idẽ Arist. dum in d. c. 11. addit hæc verba: *Nam si non assequeris; triste: si assequeris; id iucundũ est: id enim adipisci iucundum, cuius frustratio est tristis.* Idem igitur apud Aristotelem est adesse rem, ex qua quisque delectatur, & eam assequutam esse. Quare si rẽ adesse prius est, quam delectatio de illa, prius etiam erit rem esse assequutam, quàm de ea sumi delectationem. Concinit igitur Aristoteles cum Augustino, vt gaudium sit de adepto bono.

23 3. Ratione.

Tertiò ratione id ipsum probatur: quoniam ex sententia philosophorum delectatio non est aliud, quàm quies appetitus in bono, ad quod appetitus per motum desiderij mouebatur. Sed quies supponit terminum motus acquisitum esse. Ergo delectatio ex sua natura supponit bonum, dequo delectamur, esse assequutũ. Maior iam versa est in axioma philosophicum, vt dicemus lib. 6. Minor autem euidens est ex quiete rerum naturalium: mobile enim non quiescit, nisi acquisito termino motus: idem igitur dicendum est in quiete appetitus, qualis est delectatio: vt non detur, nisi assecuto bono, ad cuius assequutionem voluntas per desiderium mouebatur.

24 Euasio quorundum.

Huic argumento quidam occurrunt negando minorem: quia volunt dari posse operationem, quæ simul sit formalis assecutio boni, & formalis quies in eo: ita colliges ex Aureolo apud Capreolum in 1. d. 1. q. 1. ar. 2. in 1. argumento contra 6. pag. 24. col. 2. sed clarius id habes apud Scotum in 4. d. 49. q. 4. lit. G. quo in loco docet non valere consequẽtiam à quiete, quę est in rebus naturalibus ad quietẽ, quæ est in appetitu. Fundamẽtum est; quia quietatio appetitus posita est in perfecta acquisitione obiecti. Potest igitur dari operatio appetitus, quæ simul sit assequutio obiecti, & quies in eo.

Aureolus.

Scotus.

25 Eluditur.

Sed hæc doctrina videtur continere repugnantiã: quies enim ex sua ratione supponit assequutionem rei, in qua mobile quiescit. Id, quod in naturalibus est per se notum. Nec est, cur à quiete rerum naturalium non sumatur efficax argumentum ad quietẽ appetitus; quidquid contradicat Scotus. Cuius fundamentum est satis debile, nam quod ait quietationem appetitus positam esse in assequutione obiecti; si in sensu formali intelligatur; quasi quietatio appetitus formaliter sit posita in assequutione obiecti; est manifesta petitio principij: id enim negamus. Si verò intelligatur in sensu causali; vt quietatio appetitus sequatur ad assequutionem obiecti: concedenda

cedenda est propositio: sed in hoc sensu potius obsistet Scoto, quàm eum iuuet. Non est igitur, cur non admittatur argumentum à quiete naturali, ad quietẽ appetitus. Quare si illa quies supponit acquisitionem termini, ad quem erat motus; vtique & quies appetitus supponet assequutionem boni, ad quod consequendum anhelabat appetitus motu desiderij. Quare verisimum est delectationem esse de bono adepto.

26 Confirmatio eiusdem resolutionis Aristoteles.

Quæ eadem resolutio adhuc confirmari potest, tum ex Aristot. tum ex ipsa natura delectationis Ex Aristotele quidẽ: quia 10. Ethic. c. 4. text. 13. paulo ante finẽ asserit: *voluptatem ex his esse, quæ tota sunt, & perfecta*; Hoc est voluptatem capi ex ijs, quæ sunt tota, & perfecta: nam; vt inferius habet text. 15. *voluptas perficit operationem, vt resultans quidam finis.* Resultat igitur delectatio ex operatione perfecta. Cum verò delectatio terminet motum desiderij, vt quies terminat motum; vtique terminabit desiderium, non vt adhuc est in motu, & tendentia assequendi bonum, quod desideratur; sed vt est in suo esse completo: desiderium autem non potest esse in suo cõpleto esse, nisi quãdo fuerit in tota atq; perfecta assecutione boni desiderati: motus enim intrinsece completur per primum esse mobilis in termino, quod ipsum est vltimum non esse quietis: mobile autem tunc primò est in termino, cùm primum illud acquisiuit. Desideriũ igitur tunc erit in suo esse completo, cũ appetitus primò acquisiuit bonum, ad quod per desiderium tendebat. Quibus si adiungas delectationem capi, & resultare ex his, quæ tota iam sunt & perfecta; vtiq; concludes delectationẽ ex sua natura supponere adeptum esse bonum, de quo capitur: quod nitimur probare. Ex quo inferes ita hac in re esse philosophandum, vt motus desiderij intrinsece terminetur ad assecutionem boni desiderati: extrinsece verò ad delectationẽ: is enim philosophandi modus sumitur ex philosophia motus naturalis, qui intrinsece terminatur per primum esse mobilis in termino ad quem: extrinsece verò per vltimum non esse quietis eiusdem mobilis in termino acquisito.

27 Quę philosophia satisest cõsentanea naturę delectationis, quam supponimus esse actũ elicitũ, distinctũq; á dilectione: nã licet vterq; actus terminetur ad bonũ: amor tamen terminatur ad bonũ sub præcisa ratione boni, atq; perfecti; quia est complacentia quædam in bono sibi præsente: delectatio autem terminatur ad bonũ, vt volitũ & amatũ, & provt in eo iam cõplacuit voluntas, de quo latius lib. 6. Delectatio igitur, licet non terminetur ad amorem ipsum, & complacentiam, vt ad terminum, vt *quod*: terminatur tamen ad eam, vt ad terminum *quo*: ita vt amor concurrat, non vt conditio, sed vt ratio formalis obiecti, de quo etiam latius dicemus lib. sexto. Hoc autem supposito necessariò infertur delectationem ex sua natura supponere Deum iam beatifice esse assequutũ: nec enim terminari potest ad amorem, vt ad terminum *quo*, nisi amor sit formalis assecutio Dei, de quo delectatur, & vltimus finis, formalisque beatitudo. Quod argumentum necessariò conuincit beatitudinem non posse poni in delectatione, supposito quòd beatitudo in vnico tantum actu ponatur. Imò absolutè etiã concludit delectationẽ esse extra essẽtiã beatitudinis, si cũ Arist. dicamus *delectationem esse ex ijs, quæ tota sunt, & perfecta*: etenim si delectatio sequitur ad Deũ vt amatũ; vtiq; in ipso amore completur, & perficitur appetitus in ordine ad bonum, quod desiderat.

28 Concludendum est igitur delectationem ex sua natura supponere assecutionem boni, de quo sumitur: quod præter Augustinum, & Arist. docuit D. Thomas in ar. 4. huius quæstionis, & inferius q. 31. ar. 1. in corp. & ad 3. & 1. contra gentes c. 90. & lib. 3. c. 26. & multis alijs in locis: in quo communiter approbatur à suis, & à Cordubensi lib. 1. q. 42. ad 4. Gregorio de Valentia hìc disp. 2. q. 6. punct. 1. pag. 231. & 233. Suario in Metaph disp. 10. sect. 2. n. 7. & 17. Bellomõtano hic disp. 11. c. 5. n. 27. & c. 7. n. 38. Quo supposito fundamento euidenter ostenditur beatitudinem nec in sola delectatione essentialiter posse collocari; nec eam ad suam essentiam admittere: quod enim supponit perfectam, & completam assecutionem obiecti beatifici; quomodo poterit esse ipsa formalis illius obiecti assecutio? Sed iam argumenta in oppositum dissoluamus.

Augusti. Arist. D. Thom.

Cordubẽs. Valentia.

§. 4.

§. 4.

Soluuntur argumenta.

29 Solutio 1. argumenti.

NEc contra hanc resolutionem aliquid faciunt argumenta, quę §. 2. pro aduersaria sententia adduximus. Nam primum satis, superque solutum est supra q. 8. ar. 2. diximus enim beatitudinem in sacris literis modò explicari per hos, modò per illos actus; nō quòd omnes ad essentiam beatitudinis pertineāt; sed quia omnes pertinent ad illius perfectum statum. Diximus etiam ibi ex locis Matth. 25. & Ioan. 16. non posse sumi firmum argumentum: quia vel non est ibi sermo de gaudio patriæ; vel non est sermo de beatitudine essentiali, sed prout sumitur pro statu omnium bonorum aggregatione perfecto. Sed nec ex verbis Luc. 22. Apocalyp. 2. & Psalm. 35. potest sumi argumentū; quoniam in illis explicatur excellentia cœlestis beatitudinis accommodatè ad humanum sensum: explicatur enim per cibum, & potum, per voluptates, & per omnimodam appetitus satiationē, quia homines communiter his ducūtur. Eodem modo ibi explicantur testimonia Patrum: nec enim illorum mens est explicare essentiam beatitudinis, sed illius cumulatam perfectionem, siue essentialem, siue accidentalem.

Matth. 25. Ioan. 16.

30 Dubium.

Secundum argumentum petit difficultatem; an delectatio (quam supponimus esse operationē) sit nobilior, quàm amor, & dilectio? Affirmantem partem probauit noster Toletanus in 1. d. 1. q. 2. ar. 2. concl. 4. & q. 3. ar. 2. concl. etiam 4. Sed oppositum docuit noster Gerardus de Senis ibi q. 1. ar. 2. & placuit Och. ibi q. 3. Supplemento Gabrielis in 4. d. 49. ar. 3. dub. 2. Holcot. q. 7. suarum determinationum litera I. quam nos sententiā putamus esse verissimam, de qua latius agemus inferius lib. 6. Ad argumentum igitur negādum est antecedens. Ad primam probationem dicimus regulam illam Aristotelis non esse vniuersaliter veram, vt in d. lib. 6. ostendemus. Ad secūdam probationem negamus delectationem esse finem dilectionis: quin potius eam esse propter operationem probabimus in d. lib. 6. in q. hac de re in terminis excitata.

Pars affirmans *Toletanus.* Pars negans præfertur. *Gerardus. Supp. Gab. Holcot.*

Solutio 2. argumenti.

31 Solutio 3.

Ad tertiū admittimus delectationem formaliter satiare appetitum; si idem est satiare, quòd quietare: est enim ex se formalis quies appetitus: beatitudo autē non satiat formaliter, sed solum causaliter: nam perficiendo appetitum formali assecutione boni desiderati causat delectationem, & quietem in bono adepto.

32 Solutio 4.

Ad quartum negandum est antecedens, si sermo sit de pœna damni, in qua essentialiter consistit miseria: hæc enim essentialiter consistit in carentia amoris; ad quam, quia est inuoluntaria, sequitur tristitia: sicut etiam ad malum illatum per ignem, vt est inuoluntarium, sequitur dolor sensitiuus.

33 Solutio 5.

Ad quintum negandum est etiam antecedens: ad probationem admittimus fieri posse, vt amor viatoris intensione sit æqualis amori alicuius beati: nunquā tamen illi erit æqualis in perfectione, si amor patriæ distinguitur specie ab amore viæ, vt plerique putant: si verò existimas cum alijs vtrunque amorē esse eiusdem speciei; amor viæ nunquam æquabitur perfectioni consummationis, quam ratione status consequitur.

34 Solutio vlt.

Ad postremum dicimus illos philosophos ab Aristotele fuisse reprehensos: de quo plura dicēda sunt inferius q. 13. vbi vide. Hæc obiter diximus: nam pleraque istorum libro sexto sunt latius discutienda.

ARTICVLVS III.

Vtrum beatitudo per se ponatur in amore concupiscentiæ, quo beatus amat Deum, vt bonum sibi?

§. 1.

Pro explicando titulo quæstionis præmittuntur nonnulla.

1 1. præmissū.

ANtequam quæstionem resoluam, pro explicando titulo quæstionis nonnulla dicenda sunt de amore amicitiæ, & concupiscentiæ. Notandum est igitur celebrem esse, & apud omnes receptam diuisionem amoris in amorē concupiscentiæ, & amicitiæ. De qua ex professo D. Thom. 1. 2. q. 26. ar. 4. & 1. p. q. 60. ar. 2. & multis alijs in locis, docēt omnes theologi in 3. d. 26. Et quidem, quòd detur amor amicitię, nullus dubitabit:

2 Amor duplex concupiscētiæ, & amicitiæ. *D. Thom.*

tabit: amicitia enim est quidam amor, de quo multa scribit Aristoteles lib. 8. & 9. Ethic, vt omittamus Ciceronem. & alios philosophos, qui de amicitia multos libros scripserunt. At, quod detur amor concupiscentiæ (id est rei, quam concupiscimus) satis docet Arist. 8. Eth. c. 2. per totum: amamus enim vinum, & ea, quæ nobis aut alijs concupiscimus, vt docet Arist. 2. Topic. c. 2. paulo ante medium. Igitur amamus bona inanimata, quæ concupiscimus. Non quidem amore amicitię, siue benevolentię (quia talis amor non est mutuus ex Aristotele 8. Ethic. c. 2. text. 5.) sed amore concupiscentiæ; quia scilicet illa concupiscimus, vel nobis, vel alijs.

D.Thom. Aristot.

2 Amoris diuisio explicatur.

Quomodo autem hęc diuisio sit explicanda? Non conueniunt theologi. Nominales habent modum proprium explicandi: quia amorem amicitiæ ita distinguunt ab amore concupiscentiæ, vt eum ponant actum realiter distinctum, vt videre est apud Ochamum in 1. d. 1. q. 1. litera B. & latius in 2. q. 3. ar. 3. litera P. & ar. 4. concl. 4. litera BB. & apud Gabrielem in 2. d. 1 q. 5. ar. 1. notab. 1. & in 3. d. 27. q. vnica ar. 1. notab. 2. litera D. vt alios omittamus. Sed hæc sententia à scholis iam diu est relegata. Cõmunis igitur aliorum consensus habet, vt duo illi amores in vno, & eodem actu perpetuò sese comitentur: ita vt vnus, & idẽ numero amoris motus vtranque amoris rationem necessariò cõtineat: idem enim actus amoris terminatus ad eum, cui volumus bonum, dicitur amor amicitiæ; terminatus autem ad ipsum bonum, quod alteri volumus; dicitur amor concupiscentiæ. Nec sine maximo fundamento: nam cum ex Arist. 2. Rhet. c. 4. *amare sit velle alicui bonum*; vnus, & idẽ amoris motus simul tendit, & in bonum ipsum quod quis vult: & in illum, cui illud vult, vt aduertit D. Thom. 1. 2. q. 26. artic. 4.

Ocham. Gabriel. Aristot. D.Thom.

3 Terminatus igitur ad ipsum bonum merito dicitur amor concupiscentiæ; quia terminatur ad bonum, ideo amatũ, quia concupitum: at terminatus ad eũ, cui illud bonum volumus, dicitur amor amicitiæ; ideo, quia terminatur ad amicum; siquidem amicitia in hoc est posita, vt amico bona velimus. Itaq; in nullo actu amoris potest non inueniri duplex ista amoris ratio. Quare diuisio ista non fit in distinctos amores, sed in diuersos amandi modos. Hęc est doctrina cõmuniter recepta, vt patet ex D. Th. in d. ar. 4. vbi Caietanus, Medina, & Cõradus, idem D. Thomas 1. p. q. 60. ar. 2. vbi etiam interpretes. Latè Caietanus 2. 2. q. 17. ar. 5. vbi etiam noster Aragonius pag. 404. Ferrar. 1. contra Gentes c. 91. in secunda ratione, Capreolus in 1. d. 1. q. 1. ar. 3. ad 2. 2. loco contra 3. fol. 25. col. 2. & in 2. d. 4. q. 1. ar. 3. ad 1. contra 3. consentit Scotus in 4. d. 49. q. 5. à suis receptus. Ex nouioribus Molina 1. p. q. 20. ar. 2. & q. 60. ar. 3. & q. 63. ar. 2. & 3. disp. vnica m. 2. Valentia 1. 2. disp. 3. q. 2. pũct. 1. Bellomõt. ibi disp. 1. c. 3. & disp. 11. c. 5. n. 26. & 1. p. disp. 84. c. 3. vt in re notissima alios omittamus.

D.Thom. Caietanus. Med.na. Conradus. Aragoni⁹. Ferrar. Capreolus. Scotus. Molina. Valentia.

4 1. præmissũ. Præmittendum est secundo omnes theologos conuenire beatum duobus modis Deum amare. Vno modo; quia illi vult omnia sua bona: altero modo; quia illum vult, vt bonum sibi: beatus enim, & omnia bona, quæ in Deo videt, amat ipsi Deo; & ipsum Deum amat sibi. Consentiunt præterea vtrunque illum amorem esse realiter distinctum: nam prioris amoris Deus ipse est finis *cui*: posterioris verò finis *cui* est ipse beat⁹.

5 Dubitatio. Pars negãs. Fr. Franc. à Christo. Durandus. Cõfirm. 1. Dubitari tamen potest; an amor, quo Deus amatur, vt bonum volitum beato, dicendus sit amor concupiscentię? Negat doctissimus præceptor Frater Frãciscus à Christo in 1. d. 1. q. 5. ad finem, absolutè docens Deum amari non posse amore concupiscentię, nec talem amorem posse tetminare: quod etiam docuit Durãdus in 3. d. 26. q. 2. ar. 1. Quam sententiam ex eo confirmant, quia obiectum amoris concupiscentiæ non diligitur vltimatè propter se, sed propter alterum, quod magis diligitur. Deus autem non est diligẽdus propter alterum, sed propter se. Et præterea prę omnib⁹ alijs est diligendus, vt patet. Ergo Deus nullo modo potest diligi amore concupiscentiæ. Quod adhuc confirmatur; quia de ratione amoris concupiscentię est, vt bonum concupitum ordinetur, tanquam in finem, in illum, cui cõcupiscitur. Sed Deus non potest ordinari in alium, tanquam in finem. Ergo nec poterit diligi amore cõcupiscẽtiæ. Minor est nota: quia Deus est finis simpliciter vltimus;

Cõfirm. 2.

vltimus ; vnde in nullum alium finem ordinari potest. Maior autem probatur : quia bonum concupitum est finis *cuius*: ille verò, cui concupiscitur, est finis *cui*, vt diximus libr. 1. q. 2. Iam verò finis *cuius* ordinatur in finem *cui*, tanquam in verum finem, vt plerique putant.

6 Cum verò negare non possint beatos amare Deum, vt bonum sibi, coguntur negare amorem illum esse concupiscentiæ, sed amicitiæ : quia eo potius se referunt in Deum, vt in vltimum finem, quàm Deum referant in se ipsos: perinde enim est (inquiunt) beatum sibi Deum concupiscere, atque velle se ordinari in Deũ. Quòd si quæras; quidnam requiratur, vt aliquod bonum sit per se obiectum amoris concupiscentiæ? Respondent illud necessariò requiri, vt bonum concupitum ita alteri sit volitum, vt veniat in vsum illius, ordineturque in illum, vt in finem. Ex quo infertur amorem, quo beatus Deo amat omnia bona, quæ in eo videt non esse dicendum amorem concupiscentiæ, etiam quatenus terminatur ad ipsa bona: siquidem illa (cum sint ipse Deus) non possunt cadere in vsum Dei, nec in eum, vt in verum illorum finem ordinari.

7 Hæc tamen sententia communiter reijcitur: omnes enim reliqui Theologi
Resolutio. asserunt Deum, tam in via, quàm in patria amari posse, & amore amicitiæ, &
D. Thom. concupiscentiæ. Ita Diuus Thomas 2.2. quæst. 17. artic. 8. & q. 27. artic. 4. & q. 28. articul. 1. ad 1. & 3. & in 4. distinct. 49. quæst. 1. artic. 2. quæstiuncula 1. ad 3. & in quæstionibus de virtutibus in q.
D. Bonau. de spe artic. 3. D. Bonauent. in 3. d. 26.
Richardus. artic. 2. quæst. 3. numer. 54. Richardus ibi artic. 7. quæst. 2. & in 4. dist. 49. artic. 1. quæstione 6. vbi Scotus quæst. 5. litera B. C. Bassolius quæst. 2. articul. 3. Capreol. in 3. dist. 26. quæst. vnica artic. 3.
Scotus. ad 1. contra 1. fol. 106. column. 3. in medio, & ad 2. contra eandem fol. 107. col. 2. in fine, Caietanus 2.2. quæst. 17. artic.
Bassolius. 5. §. *Et hic incipit*, & quæstione 28. artic. 1.
Capreolus. Aragonius in dicta q. 17. artic. 5. ad 1.
Caiet. argumentum primi dubij, Suarius in
Aragoni. Metaphysica disputatione 23. sectione 2. numer. 4. & 8. & 3. part. quæstione 7. articul. 4. in comm. §. *Vt verò breuiter.*

Denique est receptissima sententia inter Theologos, & indubitata apud recentiores: consentit enim cum explicatione diuisionis, quam præmisimus : ex qua patet in omni actu amoris necessariò includi vtriusque amoris rationem: ita vt idem actus sit amor amicitiæ, & concupiscentiæ penes diuersos respectus: omnis enim amor, qui terminatur ad bonum, quod alteri est volitum, dicitur concupiscentiæ : etenim re vera est bonum, quod alteri concupiscitur. Et hęc celebris, ac recepta doctrina satis esse debet, vt communem probemus sententiam. Cui etiam ratio theologica Probatur ra-
suffragatur: nam spem in via ortum ha- tione.
bere ex amore concupiscentiæ ferè omnes docent, & ipse pręceptor in 3. d. 26. dum agit de spe: spei autem in patria respondet amor, quo beatus amat sibi bonum, quod sperabat.

Nec argumenta oppositæ sententiæ 8
vim habent. Nam ad argumentum ne- Responsio
gandum est obiectum amoris concupis- ad primam
centiæ non amari propter se, sed prop- confirmatio-
ter alterum: licet enim non ametur, nisi nem.
relate, quia amatur, vt bonum conueniens; verè tamen, & simpliciter propter se amatur, hoc est propter suam bonitatẽ: amatur enim, vt finis *cuius*, quod ex sua natura est bonum propter se, vt patet ex ijs, quæ diximus libro primo, quæstione 2. Deus igitur, dum amatur, vt bonum beato conueniens; amatur propter se, & propter suam bonitatem.

Quod verò adducitur in confirma- 9
tione satis est dubium: nam bonum cõ- Ad secundã
cupitum (quod est finis *cuius*) ordinari ad amicum, cui concupiscitur) qui est finis (*cui*) tanquam ad finem, vel simpliciter est falsum; vel solùm verum habet in bonis creatis, vt patet ex ijs, quæ latè diximus de fine *cuius*, & fine *cui*, libro primo quæstione secunda. Quin potiùs etiamsi daremus bonum concupitum ordinari ad finem *cui*, vt ad verum finem; nullum esset inconueniens, si diceremus Deum ordinatissimè posse esse volitum nobis, vt finem *cui*, non tamen vltimato. Vide in dicta q. 2.

§. 2.

Resoluitur quæstio pro parte negatiua.

10 EX ijs, quæ diximus, patet in patria duos reperiri amores erga Deum: vnum, qui terminatur ad Deum, tanquam ad obiectum amicitiæ, cui bonũ concupiſcitur: alterũ, qui terminatur ad illum, tanquam ad obiectũ bonum, quod concupiſcitur alteri. Primus amor ſimpliciter dicitur amor amicitiæ, quia terminatur ad Deum, vt amicum: qui amor, licet dicatur concupiſcentiæ, vt terminatur ad bonum ipſum diuinum, quod beatus Deo vult: tamen vt ſic, non terminatur ad Deum, ſed ad bonum, quod eſt in Deo: nos autem hoc loco agimus de amore, vt terminatur ad ipſum Deũ. Secundus amor, prout terminatur ad Deum, ſimpliciter dicitur amor concupiſcentiæ: quia licet ſit amor amicitiæ, vt terminatur ad beatum, qui Deum vult ſibi: tamen, vt terminatur ad Deum, terminatur, tanquam ad bonum concupitum beato. Itaque Deus, vt Deus eſt, duobus tantùm modis amatur à beatis: vno modo, vt eſt amicus, cui beatus vult bonum: altero modo, vt eſt ſummum bonum, quod beatus vult ſibi. Ex quibus iam patet ſenſus quæſtionis: inquirimus enim, an beatitudo per ſe ponatur in amore, quo beatus vult Deum ſibi, tanquam ſuum ſummum bonum? Qui amor iam communiter appellatur amor cõcupiſcentiæ erga Deum.

11 Opinio quorundam. Pro reſolutione neminem inuenio, qui beatitudinem collocet in ſolo hoc amore: plures tamen ad eſſentiam beatitudinis illum admittunt. Quoſdam ita ſenſiſſe refert Baſſolius in 4. d. 49. q. 2. articul. 3. §. *Dicunt aliqui:* quin potius ex recentioribus nonnullos ita docuiſſe refert Bellomontanus hìc diſputatione 11. capite 5. numer. 15. ita enim docuit Richardus in 4. diſt. 49. articul. 1. quæſtione 6. ad quartum, nec omnino reijcitur à Baſſolio. Fundamẽtum eſt; quoniam iſte amor primò, & immediatè terminatur ad Deum in ſe ipſo: actus autem, qui primò, & immediatè in Deũ terminatur, eſt actus beatificus pertinens ad eſſentiam beatitudinis. Nec obſtat, quòd Deus iſto amore ametur propter ipſum beatum; quia non amatur propter ipſum, tanquam propter vltimum finem, vt ait Richardus vbi ſupra.

Baſſolius. *Richardus.* Primum fũdamentum.

Secundò; quoniam nullus videns, & amans Deũ poteſt ſimpliciter dici beatus, niſi Deum ſibi amet, vt ſummum ſibi bonum: etenim Deus, vt eſt obiectum beatificans, perfectè obtineri non poteſt, niſi ametur à beato, tanquam ſuum bonum. Quod exemplo falſæ beatitudinis ſatis videtur probari; poſſeſsio enim diuitiarum non poteſt auarum beatificare, niſi auarus eas poſſeſſas amet, vt ſummum bonum ſibi: poſito autem hoc amore illum beatificabit, quia, vt ſic ſatiabitur appetitus: ſimiliter igitur aſſecutio Dei, vel per viſionem, vel per amorem amicitiæ non poterit habere rationem completam beatitudinis, niſi voluntas Deum viſum, & amatum diligat, vt bonum ſibi: nec enim appetitus aliter completè ſatiabitur. 12 Secundum.

Poſtremò confirmari poteſt, tum ex Auguſtino, tum ex Anſelmo: nam Auguſtin. vbicunque ad beatitudinem requirit amorem, principaliter loquitur de amore concupiſcentiæ. Anſelmus autem in libro de caſu diaboli capite duodecimo aſſerit beatitudinem conſtare ex commodis; appetitumque illius pertinere ad appetitum commodi. Hæc ſunt huius opinionis fundamenta. 13 Vltimũ ex Auguſtino, & Anſelm.

Hæc tamen ſententia non ſolùm reijcitur ab ijs, qui omnem voluntatis actum ab eſſentia beatitudinis excludunt; ſed etiam ab illis, qui actum voluntatis ad illius eſſentiam admittunt: nam, & inter iſtos communior ſententia ab eſſentia beatitudinis excludit amorem concupiſcentiæ. Ita Scotus in 4. diſtinctione 49. quæſtione 5. litera B.C. §. *Secundo non conſtſtit.* & fuit ſententia Aureoli apud Capreolum in primo diſtinct. 1. quæſtione 1. articul. 2. in primo argumento ſecundo loco contra 6. pagina 24. column. 2. Inter nouiores eſt receptiſsima, Bellomontanus hìc diſputatione 11. cap. 5. numer. 15. latè Suarius in hoc articulo diſputatione ſeptima, quæſtiuncula prima, §. *Dico quartò.* quam ſententiam, & olim, & modò probamus, tanquam veriſsimam. Et vt illius veritas magis eluceat duas ſtatuimus propoſitiones. Prima propoſitio: in ſolo amore concupiſcẽtiæ, quo beat⁹ Deum ſibi amat, vt ſummum bonum, nõ poteſt beatitudo eſſẽtialiter collocari. 14 Reiicitur. *Scotus.* *Aureolus.* Prima propoſitio.

Secun-

2. propoſit. Secunda propoſitio: ſed nec poteſt ad eſſentiam beatitudinis pertinere.

15 Demonſtratur 1. propoſitio. Prior propoſitio facilè demonſtratur, ſi ſupponamus beatitudinem in vna tantùm operatione cõſiſtere: hoc enim ſuppoſito concedendum eſt beatitudinem poni in operatione voluntatis omnium nobiliſsima: ſed amor concupiſcentiæ (de quo agimus) eſt minus perfectus, & nobilis, quàm amor amicitiæ, quo beatus Deum amat. Ergo beatitudo non poteſt eſſentialiter collocari in ſolo illo amore concupiſcentiæ. Maior patet ex facta ſuppoſitione. Minor autẽ multis probatur; & primò auctoritate D. Thomæ 2.2.q.28. art.1.ad 3. vbi fatetur gaudium de bonis, quæ beatus vult Deo, melius eſſe, quàm gaudium de ipſo Deo, vt ſibi eſt bonum. Igitur ex ſententia D. Thomæ amor, quo beatus Deo vult bona, lõgè melior erit, quàm amor, quo beatus vult Deum ſibi. Deinde cõmunis eſt omnium doctrina amorem amicitiæ eſſe perfectiorem amore concupiſcentiæ. Ita D. Thomas loco citat. clariùs 2.2.q.17.art.8. & 1.2.q.26. ar.4. & de virtutibus q. de ſpe ar.3. & in 4. d. 49.q.1.art. 2. quæſtiunc. 1. ad 3. Scotus ibi q. 5. litera B. C. fatetur Richardus eodem loco art.1.q.6.ad 4. & in 3. d.26. art.7.q.2.

D. Thom. *Scotus.* *Richardus.*

16 1. Ratio. Tertiò adhuc multis probatur rationibus. Prima eſt; quia amor amicitię tẽdit in bonum, vt eſt in ſe bonum; concupiſcentiæ autem, vt eſt bonum alteri: iã verò ratio boni, vt eſt in ſe bonum, prę-ſtantior eſt, quàm ratio boni, vt eſt alteri bonum: hæc enim eſt ratio relatiua, illa abſoluta: & inde eſt, vt quod amatur amore amicitiæ, per ſe ſimpliciter, & perfectè ametur: ſecundum quid autẽ, & imperfectè, quod amatur amore concupiſcentiæ, vt ait D. Thomas 1.2.q.26.art.4. & 2.2. q.17. art. 8. adeò vt hoc ſimpliciter non dicatur amari, ſed concupiſci, vt ait D. Thom. in 4. loco citato.

D. Thom.

2. Ratio. Secunda ratio, quia amor concupiſcentiæ ſemper habet affectionem cõmodi; amicitię verò affectionem iuſtitiæ, ex D. Anſelmo de caſu diaboli cap. 6. Iam verò affectio iuſtitiæ nobilior eſt affectione commodi, cum ſit illius regula.

D. Anſel.

17 3. Ratio. Tertia ratio; quia amor concupiſcentiæ etiam vt ad Deum terminatus, poteſt eſſe inordinatus, & de facto talis fuit in Lucifero ex ſententia eiuſdem Anſelmi: cum tamen amor amicitiæ reſpectu Dei nunquam poſsit habere exceſſum. Poſtrema ratio ex eo ſumitur; quia amor concupiſcentiæ neceſſariò ſupponit amorem amicitię, à quo originetur, & ſuo modo cauſſetur: de quo plura dicemus in ſequenti quæſtione. Poſtrema ratio.

Ex quibus omnibus iam patet amorem concupiſcentiæ, quo beatus amat Deum, vt bonum ſibi, longè eſſe imperfectiorem amore, quo Deo amat bona, quæ in Deo videt. Quare, cum beatitudo vnum tantùm ſibi actum vendicet, in quo eſſentialiter collocetur, eumque omnium nobiliſsimum; fieri non poteſt, vt in ſolo illo beatitudo eſſentialiter collocetur; quæ fuit prima propoſitio à nobis propoſita.

Secunda propoſitio (quòd ſcilicet amor concupiſcentiæ nullo modo pertineat ad eſſentiam beatitudinis) ex priori propoſitione demõſtratur: quoniam beatitudo ad ſuam eſſentiam non admittit, niſi vnam operationem omnium nobiliſsimam: vt in tota hac diſputatione ſupponimus. Amor autem concupiſcentiæ, de quo loquimur, non eſt operatio nobiliſsima voluntatis: quia amor amicitiæ longè eſt nobilior, vt in prima propoſitione probauimus. Ergo amor concupiſcentiæ manet extra eſſentiam beatitudinis. Vtrum autem ad illius eſſentiam pertineat, ſi beatitudo eſſentialiter ponitur in pluribus operationibus? Difficilioris eſt probationis: de quo aliqua dicemus in ſequenti quæſtione: nobis modò ſatis eſt probaſſe hunc amorem non eſſe inter operationes voluntatis nobiliſsimum, vt eum ab eſſentia beatitudinis excludamus. Quem etiam ideo excludimus, quia ſupponit Deum beatificè iam eſſe aſſecutum. Cuius puncti examen referimus in ſequentem quæſtionem. 18 Secunda demonſtratur

Argumentà porrò oppoſitæ opinionis ſuperiùs poſita facilè ſoluuntur. Ad primum admittimus amorem iſtum cõcupiſcentiæ immediatè terminari ad Deum in ſe ipſo: inde tamen non infertur eum eſſe eſſentialiter beatificum: nec enim ſatis eſt actum immediatè terminari 19 Ad 1 alterius ſententiæ.

minari ad Deum, vt pertineat ad essentiam beatitudinis: nam visio immediatè terminatur ad Deum; & tamen apud opinionem, quam modò defendimus, non est actus essentialiter beatificus. Similiter delectatio de bonis, & perfectionibus diuinis ad Deum immediatè terminatur, vt contra Durandum omnes admittunt: & tamen non ingreditur essentiam beatitudinis, vt ostendimus in præcedente art. Opus est igitur, vt actus immediatè ad Deum terminatus dicatur essentialiter beatificus; quod ita Deum immediatè attingat, vt sit formalis assecutio illius, vt omnes fatẽtur. Hoc autem non conuenit huic amori: supponit enim Deum iam esse beatificè assecutum, vt supra tetigimus, & in seq. art. latiùs ostensuri sumus.

20 Ad secundũ

Ad secundum respondent nonnulli neminem dici posse simpliciter beatũ, nisi habeat hũc amoris actum, quo Deũ sibi amet: nec tamen admittunt hunc actum pertinere ad beatitudinis essentiam: & ratio est, quia vt beatus sine illo actu simpliciter non dicatur beatus, satis est, quod sit necessarius, vel vt dispositio subiecti, vel vt conditio obiecti. Quare ad argumentum omnibus concessis, quæ adducuntur, negandam putant consequentiam. Alij tamen simpliciter negant antecedens: quorum solutio placet, sed de hoc latiùs in sequenti quæstione.

21 Ad tertium

Ad tertium negandum est Augustinum, dum amorẽ ad beatitudinem requirit, principaliter agere de amore concupiscentiæ. D. autem Anselmus solùm agit de beatitudine sumpta in communi, non verò de beatitudine sumpta in particulari, siue in via, siue in patria vt ipsemet declarat. Beatitudo autem in communi solùm includit rationem boni, vt bonum est, & conueniens. Vnde solum potest terminare amorem concupiscentiæ, quem Anselmus appellat amorem commodi, etenim solùm est volita, vt bonum alteri, quæ volitio, est volitio commodi.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum beatitudo ponatur in solo amore amicitiæ, quo beatus vult Deo bona, quæ in eo videt?

§. 1.

Explicatur pars negatiua.

PArtem negantẽ (quod scilicet beatitudo non modo non ponatur in solo actu amoris amicitię, sed nec ponatur in eo) probãt omnes auctores, qui beatitudinẽ in solo actu intellectus collocant. At tamen ex ijs, qui defendũt beatitudinem etiam poni in actu volũtatis, plures negant eam solùm poni in amore amicitiæ. Porrò, qui excluderet amorem amicitiæ ab essentia beatitudinis, inueni neminem: fallitur enim Bellomontanus hìc disp. 11. c. 2. in princip. dum affirmat Aureolum asseruisse beatitudinem nostram nec esse visionẽ Dei, nec dilectionem charitatis; sed solã delectationẽ de Deo viso: Aureolus enim delectationem, in qua beatitudinẽ ponit, non distinguit à dilectione ista amicitiæ erga Deum, vt iam aduertimus supra art. 2. §. 2. & satis id quis intelliget, tũ ex verbis Aureoli relatis à Capreolo in 1. d. 1. q. 1. ar. 2. in argumentis 2. loco contra 6. Tum ex opinione propria, quam habet. Nam apud Capreolum vbi supra in secundo argumento ita habet: *Amor ille est beatificus, & fruitio patriæ, qui est actus potissimus charitatis: sed talis est in cõplacentia vltimata in Deo. Ergo vltimata complacentia, & delectatio beati est amor beatificus, & fruitio beatorum.* Ex quibus verbis colliges apud Aureolum amorem, qui est potissimus actus charitatis patriæ (qualis est actus complacentiæ in Deo, & in bono, quod habet Deus, vt Aureolus explicauit in primo argumento) esse actum beatificum. Habes deinde amorem, & delectationem apud Aureolum esse eundem actum: complacentiã enim in Deo, & delectationem appellat amorem beatificum, & inferiùs in quinto argumento vult complacentiam, & delectationem esse vnum simplicem actum fruitionis. Denique id satis patet ex propria, quam hac de re Aureolus habet, opinione: amorem enim rei præsentis nec re, nec ratione distinguit à delectatione, vt diximus supra articulo secundo. Apertè igitur allucinatur Bellomontanus circa mentem Aureoli. Quare constituendum est inter eos, qui ad beatitudinem actum voluntatis admittunt, neminẽ esse, qui amorẽ amicitiæ

Aureoli mẽtẽ nõ est assecutus Bellomontanus.

citiæ ab essentia beatitudinis excludat. Sunt igitur Theologi, qui absolutè negant amorem amicitiæ ingredi beatitudinis essentiam. Alij solùm negant hunc tantùm amorem ad illius essentiã pertinere. Vtrorunque fundamenta adducemus.

1.sententia.

2.sententia.

2 Quòd amor amicitiæ erga Deum absolutè non pertineat ad essentiam beatitudinis multis contendit Bellomontanus hìc disp. 11. c. 4. à n. 19. cum sequẽtibus, & c. 6. n. 34. & c. 7. n. 37. consentit Caietanus in hac q. 3. ar. 4. §. *ad euidentiã obiectorum*, & satis id docet D. Thomas, dum generaliter probat beatitudinem poni non posse in amore, & in specie probat 3. contra Gentes c. 26. in quinta ratione, vbi Ferrarienſis, satis id significat in hoc ar. 4. iuxta interpretationẽ Caietani, & est communis opinio inter Thomistas, quam etiam probat Durãd. in 4. d. 49. q. 4. n. 16. quem refert, & probat Capreolus ibi q. 2. ar. 3. ad 2. secundo loco contra primam fol. 193. col. 4.

Caiet.
D. Thom.
Ferrarien.
Durand.
Capreolus.

3 Præcipuum huius opinionis fundamẽtum ex eo sumitur, quòd amor amicitiæ, nec vt absolutè est amor, nec vt est talis amor, scilicet charitatis, & amicitiæ, habet ex sua natura, quòd sit assecutio rei amatę. Ergo non potest in patria esse formalis beatitudo. Consequẽtia est nota, quia omnes admittunt beatitudinem ex sua natura esse assecutionem obiecti beatifici. Antecedens verò multis probatur. Primò; quia amor, vel est rei absentis, & adhuc futurę; vel prę sentis: si est rei absentis; fertur in rem non dum habitam; vnde non potest esse illius assecutio. Si verò est rei prę sentis; fertur in illam iam habitam, & assecutam. Non est igitur formalis assecutio, sed illam supponit.

Præcipuum fundamentum primæ sententiæ.

1. antecedẽtis probatio

Secundò; quia amor amicitiæ ex sua natura tam fertur in rem præsentem, quàm in absentem. Nec ex sua natura magis fertur in Deum visum intuitiuè; quàm in Deum cognitum ænigmaticè, & sub obscuritate fidei. Ergo ex sua natura non est assecutio, quæ requiritur ad beatitudinem patriæ.

4 Secunda.

Tertiò accedit: quoniam amor, vt amor est, & actus distinctus à desiderio, & delectatione, abstrahit à bono futuro, vel præsente: nec enim aliter distingui potest ab illis actibus. Quomodò igitur ex sua natura poterit esse assecutio obiecti beatifici?

5 Tertia.

Postremò; amor vel capitur, vt inclusus in desiderio: vel vt inclusus in delectatione: vel secundum se, prout scilicet fertur in rem abstractè consideratam, nec futuram, nec præsentem. Primo modo est de bono non dum habito; quia vt sic, non distinguitur à desiderio. Secundo modo est de bono iam habito; quia, vt sic idem est, quòd delectatio. Tertio modo ex sua natura abstrahit à bono adepto, vel non adepto: & cùm, vt sic, habeat, quòd essentialiter sit amor, vt sic, non potest esse formalis adeptio obiecti beatifici. His igitur satis probatur propositum antecedens: nimirum amorem etiam amicitiæ ex sua natura non esse, nec esse posse formalem assecutionem beatifici obiecti, & per consequens non posse pertinere ad beatitudinis essentiam.

6

Secundo principaliter arguitur; quoniã amor amicitiæ terminatur ad Deũ clarè visum, tanquam ad obiectum adæquatè beatificatiuũ: visio enim ibi concurrit, vt ratio formalis obiectiua, & terminatiua illius amoris, vt docẽt Caietanus in d. ar. 4. §. *Ad rationem autem primam Scoti*, & Bellomontanus in d. disput. 11. c. 6. n. 33. & 34. Supponit igitur iste amor Deum iam beatificè assecutũ per visionem.

7 Secundum fundamentum.

Caiet.

Tertiò arguunt alij; quoniam amor amicitiæ versatur circa bonum ipsius Dei, vt est ipsius, & quatenus aliquo modo est coniũctum Deo. Ergo non potest habere rationem vltimi finis, & formalis beatitudinis. Antecedens est notum consequentia probatur; quia beatitudo non habet alium finem, in quem ordinetur: si verò amor amicitiæ versatur circa bonum Dei, ordinatur in illud, tanquam in vltimum finem, & per consequens non potest esse beatitudo formalis.

Tertium.

Quartò; si amor charitatis erga Deũ bearet hominem; non solùm illum bearet in patria, sed etiam in via: quod est falsum. Probatur sequela; quia amor charitatis in via est perfectissimus actus voluntatis eiusdem rationis cum amore charitatis in patria. Ergo eodẽ modo potest nos beare in via, & in patria.

8 Quartum.

9 Quintum. Quintò; quia amor iste amicitiæ resultat ex visione Dei. Ergo nõ potest esse de essentia beatitudinis. Antecedens patet; consequentia probatur: quia amor iste solùm habere potest rationem passionis, quæ dicit imperfectionem.

10 Sextum. Sextò; Amor iste est debitus Deo. Ergo nõ potest in eo poni beatitudo. Antecedens est notũ, probatur consequẽtia: quoniam beatitudo ex sua natura est præmium ab alio datum: ista autem beneuolentia, cum sit debita Deo, potius habet rationem meriti.

11 Septimum. Septimò; si beatitudo in hoc amore poneretur, esset ex eo, quia est amor amicitiæ, & beneuolẽtiæ. At nec dici potest amor amicitiæ, si propriè loquendum est, propter inæqualitatem, quæ cernitur inter Deum, & hominem: nec beneuolentiæ: quia beneuolentia propriè non est erga eum, cui nihil potest acquiri.

Vltimum. Postremò; quoniam apud Aristotelẽ, & cæteros philosophos nunquam quæsitum fuit, an beatitudo ponenda esset in amore? Sed tota cõtrouersia fuit, an ponenda esset in contemplatione, an verò in delectatione. Hæc cõmuniter adducuntur pro illis, qui amorem amicitiæ excludunt ab essentia beatitudinis.

12 Secunda sẽtentia variè explicatur. Quòd verò non solus amor amicitiæ sit de essentia beatitudinis, probant plerique theologi: illi scilicet, qui putant, beatitudinem ponendã esse in pluribus operationibus: omnes enim simul cum hoc amore, alium, vel alios actus admittunt: quidam solum actũ intellectus cũ hoc amore coniungunt: alij cum visione enumerant etiam delectationem excluso solo amore concupiscentiæ: nec desunt, qui & hunc etiam admittant, vt beatitudo non in duobus tantũ actibus, aut tribus, sed etiã in quatuor actibus collocetur. Deniq; alij cũ amore amicitię solã delectationẽ enumerãt, cęteris actibus intellectus, & volũtatis exclusis. De quibus omnibus opinionib⁹ agendũ erit in q. seq. Omnes igitur in hoc cõueniunt, vt amor amicitię ad essentiã quidẽ beatitudinis pertineat; non tamẽ solus. Vnde prędicentẽ exclusiuę affirmatiuã agnoscunt: negatiuam autẽ inficiãtur. Singularum opinionum fundamẽta posuimus, dum singulas explicauimus, & iterũ repetenda erunt in sequente q.

§. 2.

Resoluitur pars affirmatiua.

13 BEatitudinem in solo amore amicitiæ (quo beatus vult Deo omnia bona, quæ in eo videt) essentialiter collocari omnino probandũ est ab ijs, qui beatitudinem in vno tantùm actu collocant, non quidem intellectus, sed voluntatis: quibus modò patrocinium præstamus. Cũ verò hæc exclusiua duas contineat exponẽtes, affirmantem vnã, & negantem alteram; vtramque confirmabimus. Prior igitur propositio affirmat beatitudinem essentialiter poni in amore amicitiæ erga Deum, quem plerique appellant amorem charitatis patriæ. Posterior verò negat alium actum ab isto amore (siue ille intellectus sit, siue voluntatis) pertinere ad beatitudinis essentiam. Prior propositio. Posterior.

14 Prior propositio probatur. Prior propositio multis probari potest. Et primò; quia exceptis illis, qui beatitudinẽ in solo actu intellectus ponunt, cæteri nemine discrepante eam admittunt. Nec eam Aureolus negauit, sed probauit potius, vt initio huius articuli contra Bellomontanum ostendimus. Pro illa igitur stant Alensis 3. p. q. 23. m. 1. ad 1. Ægidius in tract. de influẽtia diuina in beatos cap. 2. col. 1. in fine, Henr. quodlib. 13. q. 12. & in Summa ar. 48. q. 2. & ar. 49. q. 6. Richard. in 4. d. 49. ar. 1. q. 6. Scotus ibi q. 4. litera F. G. & q. 5. litera C. D. Maior q. 3. Argent. q. 3. ar. 2. concl. 3. & 4. Supplementum Gabrielis q. 1. ar. 2. concl. 4. & ar. 3. in 3. p. tertij dubij. Bassolius q. 2. art. 3. §. *dico secundò*. Marsilius in 4. q. 13. ar. 3. notab. 2. & cõclus. 4. Toletanus noster in 1. d. 1. q. 3. ar. 2. concl. 2. noster Gerardus de Senis ibi q. 1. ar. 3. latissimè Cordubensis lib. 1. q. 42. in 2. propositione. Consentit Valentia hìc disp. 1. q. 3. punct. 4. pag. 71. & q. 4. punct. 1. pag. 84. Molina 1. p. q. 12. disp. 2. concl. 5. & q. 26. in principio, Angles de beatitudine art. 1. dub. 1. diffic. 3. Suarius in hac q. 3. disp. 7. quæstiunc. 1. §. *dico tertiò*. satis Catechismus Tridentinus 1. p. c. 13. ad illa verba, *Vitam æternam*. Ex quibus patet, quam receptissimum sit inter Theologos amorem amicitiæ erga Deum ad essentiam beatitudinis pertinere: quod satis est, vt propositio ista sit probabilis. *Alensis.* *Ægidius.* *Henricus.* *Richardus.* *Scotus.* *Argentina* *Supp. Gab.* *Bassolius.* *Toletanus.* *Gerardus.* *Cordubẽs.* *Valentia.* *Molina.* *Angles.* *Catechism. Tridentin.*

Deinde

15 Probatur. 2. Deinde p̃batur; quia fundamentũ, quo nitimur, vt dicamus in solo actu volũtatis beatitudinem collocari (de quo egimus supra q. 10. ar. 3. §. 1.) huic amori conuenit: per eum enim ita Deum tenemus, vt eum nostrum faciamus: amicus enim est alter ego. Pro quo etiam facit, quòd amor iste inter omnes animæ intellectiuę operationes, tam intellectus, quàm volũtatis est nobilissimus: procedit enim à charitate, quæ, etiam, vt est in patria, est prę̃stantissimus habitus; ob istum etiam amorem Seraphini in suprema Hierarchia supremum locum obtinuerunt. Quæ omnia satis expendimus in præcedente q. ar. 4. Hæc igitur propositio affirmatiua indubitata esse debet apud eos, qui voluntatis actum ad essentiam beatitudinis admittunt.

Tertio.

16 Posteriotis propositionis auctor. Posterior verò propositio, quę negat vllum alium actum, siue intellectus, siue voluntatis ad essentiã beatitudinis pertinere, plures habet aduersarios: illi enim aduersantur, qui in solo actu intellectus beatitudinem collocant: præterea omnes, qui beatitudinem in pluribus actibus cõstituunt, quos in sequẽti quæstione referemus. Sed illius probabilitas satis stabilita manet, dum subtilissimum Scotum defensorem habet: etenim Scotum beatitudinem in vna tãtùm operatione posuisse contra nõnullos etiam ex familia Scoti superius ostẽdimus q. 7. ar. 2. §. 2. n. 9. & q. 10. ar. 1. post principium. Et cum euidenter constet Scotum posuisse beatitudinem in amore amicitiæ, vt patet ex locis superius citatis in prima propositione; necessario infertur Scotum ita beatitudinem in hoc amore posuisse, vt eam in solo illo posuerit: & hanc fuisse Scoti sententiam fatetur Bellomontanus in disp. 11. c. 1. n. 2. vbi etiam affirmat discipulos Scoti idem docere; ego tamen ex Scotistis, qui eam in sensu exclusiuo docuerit, inueni neminem: plures autem, qui Scotum in aliam referant sententiam. Sed nec audiendus est, dum asserit solũ Scotum cum suishuius fuisse opinionis: nam hanc opinionẽ nonnullis placuisse refert Bassolius in 4. d. 49. q. 2. ar. 2. in principio. Eandem placuisse Varroni refert Nicolaus de Nise in sua resolutione theologica pag. 609. Probauit illam Frater Ioannes Florestarius Eremita noster apud nostrum Toletanum in 1. d. 1. q. 3. ar. 3. contra 2. Ego illam puto ꝓbabilissimam: fundamentum est; quia probabilissima est sententia (imo verior) quæ beatitudinem in vna tantùm operatione collocat. Satis etiam est ꝓbabilis, quæ illam collocat in solo volũtatis actu. Quibus suppositis facile demõstratur veritas huius propositionis. Nam si beatitudo adsuam essentiam admittit amorem amicitiæ, vt habet prima propositio: cum beatitudo in vno tantum actu ponatur, vt supponimus; vtique in solo illo collocabitur. Quod rursus confirmabitur à sufficienti partium enumeratione. Nam q. 10. ostendimus beatitudinem non poni in actu intellectus: in hac autem q. probauimus eam non poni in actu desiderij, vt patet ex primo art. nec in actu delectationis ex ar. 2. nec in amore concupiscentiæ, quo beatus vult Deum sibi, vt patet ex 3. ar. & nullus est alius actus voluntatis, nisi amor amicitiæ. Ergo à sufficienti enumeratione in solo hoc amore collocanda est.

Bassolius.
Nicolaus de Nise.

Florestar.

Fundamentum eiusdẽ ꝓpositionis

§. 3.

Soluitur primum argumentum eorum, quæ in contrarium sunt adducta.

17 Solutio primi fundamẽti contrariæ sententiæ. ARgumenta, quę §. 1. adduximus cõtra hanc sententiam, eam minime expugnant. Nam ad 1. (quod inter omnia est præcipuum) negãdum est antecedens: etenim amor amicitiæ erga Deum clarevisum non solùm ex sua natura est formalis essecutio Dei; sed etiã solus ille est formalis assecutio illius: quia solus ille ita attingit Deum, vt illũ tanquam suum teneat, & apprehendat; iuxta ea, quæ diximus supra quæst. 10. artic. 3. §. 1.

18 1. Probatio antecedẽtis expeditur. Prima probatio antecedentis sine ꝓbatione supponit amorem rei præsentis terminari ad rem amatam, vt iam habitam, & possessam: quòd est petere principium; cum id negent auctores nostræ huius opinionis: etenim præsentia rei amatę (quam amor iste supponit) non est formalis rei assecutio; siue sermo sit in his, quæ corporaliter assequimur; siue in his, quæ assequimur obiectiue per operationem immanẽtem; iuxta

ea,quæ exD.Thoma diximus supra q.10 ar.3. vbi ostendimus ad præsentiam rei consequi assecutionem eius:vnde prius res supponitur præsens; deinde per operationem formaliter assecutiuam illius apprehenditur,& tenetur.

19 Secũda enodatur primo

Ad secũdam obiectionem multis modis respondere possumus. Vno modo; si generaliter negemus amorẽ ex sua natura tam ferri in bonum præsens,quàm in bonum absens:id enim negandum est si amorẽ boni absentis,& futuri distinguimus specie ab amore boni præsentis:quam opinionem ego puto facile defendi posse; quanuis forte nullum pro se habeat auctorem. Fundamentum erit: quia amor boni realiter non præsentis ex sua natura, & radicaliter est inquietatiuus, & principium motus desiderij (supponimus enim amorem istum realiter distingui à desiderio,) cum tamen amor boni prę̃tis ex sua natura sit radicaliter quietatiuus,&principiũ quietis,quæ est delectatio. Quę diuersa naturalitas nõ sine probabilitate arguit distinctionem in essentia vtriusq; amoris. Hac igitur supposita opinione negandũ est id,quod generaliter sumitur:quoniã licet amor sub cõmuni,&generica ratione amoris abstrahat à bono præsẽti,vel absenti abstractione generica:tamẽ sub ratione specifica talis,vel talis amoris; non abstrahit à bono præsenti, vel absẽti:sed iste essentialiter includit,quod feratur in bonum absens; ille verò, quod solum feratur in bonum præsens. Et forte huic sententiæ nõ repugnatD.Thom. quia hæc probatio in terminis, in quibus proponitur, non est D.Thomæ, sed Caietani,& Bellomontani.

20 Secundo.

Porrò,si hæc sentẽtia ita generaliter prolata non placet, forte placebit sententia,quę amorem patrię specie distinguit ab amore viæ. Quæ opinio plerisq; &mihividetur probabilissima.Qua etiã supposita,argumentum parum vrget, si sermo sit de amore Dei supernaturali, qui dicitur amor charitatis: iste enim, licet sub ratione communi,& generica amoris supernaturalis abstrahat à Deo præsente,vel absente: tamen sub ratione specifica amoris viæ, aut patrię non ita abstrahit: quin potius amor viæ ex sua natura vendicat sibi Deum non visum, & ideo absentem secundum prę̃tiam obiectiuam: amor verò patriæ ex sua intrinseca ratione postulat sibiDeũ clare visum, & in se ipso obiectiue præsentem.

21

Diximus *si sermo sit deamore Dei supernaturali*,quoniam si sermo sit de amore alicuius boni creati; si non placuerit opinio superius posita; facile admitterem amorem illum etiam,(qui est amicitię) ex sua natura tam ferri in rem præsentem,quàm in absentem. Ratio discriminis ex eo sumi potest;quia obiectũ creatum ideo, quia nõ est summum bonum, sed bonum quoddam participatum,non potest essentialitervariari penes absẽs, & præsens, sed semper manet eiusdem rationis,& speciei; quia semper manet amor liber, & nunquam transire potest in amorem natura sua naturalem,& necessarium: vnde nec ex sua ratione respicit voluntatem, vt est natura. Cuius tamen oppositum cernitur in bono increato: hoc enim ideo, quia est omne bonum, quatenus visum necessitat voluntatem,vt tanquam natura in illud tẽdat: non visum autem eam relinquit liberam, & operantem, vt est liberum arbitrium. Ita fit, vt bonum infinitum visum,& non visum ex sua naturavariet modum tendendi voluntatis in ipsum: quia visum facit,ut in illud tendat naturaliter;non visum autem, solùm liberè. Iam verò diuersus modus tendendi variat speciẽ actus,vt plerisque theologorum placet. Admisso igitur essentiali discrimine inter amorem patriæ,&viæ, non potest non concedi vnum ex sua natura vendicare sibi absentiam obiecti;alterum verò præsentiam.Cuius oppositum sumit secunda probatio antecedentis.

22 Tertio.

Sed illa etiam facile solui potest,si admittamus amorem patriæ,& viæ esse eiusdem speciei:nam supposita hac opinione,libẽtissime admittimus amorem Dei supernaturalem ex charitate,(qui est amor amicitię) ex sua natura non magis vendicare sibi Deum clare visũ, quam Deum visum obscure per fidem: inde tamen non bene infertur amorem Dei ex charitate elicitum ex sua ratione non esse assecutiuumDei quanuis bene inferatur amorem ex charitate ex sua natura nudè,& prę̃cisè sumpta, non esse assecutiuũDei assecutione perfecta,

& se-

secundum perfectam beatitudinem. Ex quo non bene colliges cum nunquam esse posse perfectam Dei assecutionem. Cuius consequentię nullitas facile patet; tũ in visione Dei (quę apud aduersarios est formalis assecutio,) tum in obiecto beatifico. In visione quidem; quia illa ex sua natura non habet, quòd semper assequatur Deum assecutione, quæ ad beatitudinem requiritur: nam visio Dei in transitu (quę eiusdem est speciei cum visione permanente) non assequitur Deũ assecutione perfecta, & qualis requiritur, vt sit beatitudo: & tamẽ apud prędicatos auctores nõ bene infertur visionem Dei ex sua natura non esse assecutiuam Dei. In obiecto etiam beatifico (qui est Deus) hæc non est bona consequentia: Deus, vt est obiectũ beatificum, ex se non habet, quòd semper beet beatitudine perfecta (nam in via beat quidem; non tamen perfectè) ergo ex sua natura non habet, quòd beet perfecta beatitudine. Simili igitur modo non valebit consequentia: amor Dei ex sua natura non habet, quód semper Deũ perfectè assequatur. Ergo ex se non potest esse assecutiuus Dei assecutione perfecta. Ratio autem, cur in his omnibus non valeat consequentia, est; quia, sicut datur duplex beatitudo, perfecta scilicet, & imperfecta; ita datur duplex Dei assecutio, imperfecta scilicet, & perfecta: quæ duæ beatitudines, & assecutiones, licet eiusdem sint speciei; inter se tamen accidentaliter differunt; habẽtq; se ad beatitudinem, assecutionemque, vt partes in modo ad totum in modo: & ideo præter nudam ipsam essentiã beatitudinis, nudãque essentiam assecutionis, requirunt aliquid adiunctum ipsi essentię, vt hęc sit perfecta, & illa imperfecta. Hoc autem in amore est terminari ad obiectum visum, vel non visũ, absẽs vel præsens: sicut apud aduersarios invisione superadditur eã esse in trãsitu, vel permanentia. Quare, sicut apud aduersarios visio ex sua natura habet, quòd permanens sit beatitudo patriæ; quanuis in sua natura nõ includat, quòd sit permanẽs: ita amor Dei ex charitate ex sua natura habet, quòd obiecto præsente, & viso sit perfecta assecutio Dei; quanuis in sua natura nõ includat, quòd sit Dei visi, & prędentis; idque supposita opinione, quòd amor patriæ, & viæ sit eiusdem speciei.

Ad tertiam probationem antecedẽtis negandum est amorem, vt amor est, abstrahere á bono præsente, vel futuro: & hoc si placet amorem rei absentis, & prędentis specie distingui: nam quãuis amor sub ratione generica, & communi abstrahat á bono prędenti, vel futuro, non tamen sub ratione specifica huius, vel illius amoris, vt supra diximus. Cum quo bene constat, quòd vterque amor distinguatur à desiderio, & delectatione: actus enim desiderij non est velle bonum; sed velle assequi bonum volitum: seu potius velle bonum vt assequendum: sicut etiã delectatio non est velle bonũ præsens, in eoque complacere: sed est velle permanentiam in bono illo prędẽti, de quo latius lib. 6. Amor igitur sub ratione generica amoris abstrahit à bono præsenti, vel futuro: non tamen sub ratione specifica; nam quidã amor essẽtialiter includit, quod bonum nondum sit præsens; alius autẽ, quod habeat prędens bonum. Si hęc opinio non placet, forte placebit amorem patrię specie distingui ab amore vię. Et tunc antecedẽs eodem fundamento est falsum. 23 Tertia expeditur modo. Secundo.

Porrò si neutra harum opinionum placet, sed placeat magis istos duos amores specie non distingui; ad argumẽtum dicendum est duobus modis intelligi posse amorem, vt amor est, abstrahere à bono præsente, vel futuro. Vno modo abstractione præcisiua; quasi ex sua natura amor non terminetur ad bonum, vt prędens, nec ad bonum, vt absẽs, sed tãtùm ad bonũ abstractè sũptũ. Altero modo abstractione quadã disiũctiua, eo modo, quo numerus, vt numer⁹ est, abstrahit à pari vel impari, & quantitas ab æquali, vel inæquali. Si antecedens intelligatur de abstractione præcisiua (in quo sensu accipitur ab aduersarijs) antecedens est negandum: tum; quia agimus de amore, vt in actu exercito terminatur ad bonum: hæc autem dari nõ potest: quia omne bonum necessariò, vel est præsens, vel non est prędens. Tum etiam; quia, nisi amor terminetur ad bonum, vel vt prędens, vel vt absens; nõ poterit ex sua natura caussare desiderium illius boni, quando non adest: aut delectationem; quando adest. Quare, cum á 24 Tertio.

parte

parte rei non posit dari amor efficax, qui ex sua natura nõ sit causatiuus, vel desiderij, vel delectationis: vtique non potest amor non terminari per se ad bonum vel sub ratione præsentis, vel sub ratione futuri.

25 Si verò antecedens intelligatur de abstractione illa disiunctiua; vt ideo amor ex sua natura abstrahat àbono prę senti, vel non præsenti; quia ex sua natura, nec sibi determinat bonum præsens; nec bonum absens: eo modo, quo numerus dicitur abstrahere à pari, vel impari; quia ex sua natura, nec determinatè vendicat esse parem; nec determinatè vendicat esse imparem: si inquam antedens ita intelligatur; admittendum est: Sed inde non bene infertur amorem ex sua natura non esse assecutionem obiecti beatifici: quia licet determinatè non necessariò sit amor boni præsentis; nec determinatè sit amor boni absentis: tamen determinatè, & disiunctim ex sua natura vendicat esse, vel boni absentis, vel boni prę sentis: & vtroque modo est assecutio obiecti beatifici: perfecte quidem; si bonum est prę sens, vt in patria: imperfecte autem; si bonum est absens, vt in via. Amor igitur ex sua natura nõ abstrahit à bono prę sente, vel futuro: sed alterum necessariò includit: non quidem determinatè, atque disiunctiuè: sed indeterminatè, & disiũctim, vt ex dictis patet. Et si ad hæc aduerteret Bellomõtanus, non existimaret se hoc argumẽto rem conuincere.

26 Ad postremam probationem antece-
Soluitur vltima. dentis ex dictis etiam facilis est solutio: dicimus enim amorem nec accipi, nec accipi posse, vt inclusum, aut in desiderio, aut in delectatione: quia nec desideriũ, nec delectatio formaliter est amor, vt dicemus lib. 6. capitur igitur amor, prout est actus realiter distinctus, tum à desiderio, tum à delectatione: & prout dicit formalem quãdam voluntatis cõplacentiam in bonitate rei per intellectum repræsentatæ. Iste autẽm amor ex sua natura non abstrahit à bono adepto, vel non adepto; quia ex sua natura est formalis adeptio beatitudinis obiectiuæ: vel imperfecta; vt in via: vel perfecta; vt in patria. Amor igitur supernaturalis Dei, siue sit species subalterna amoris, siue infima nõ abstrahit ab adeptione boni, vt male supponitur in argumento: sed abstrahit ab adeptione perfecta, vel imperfecta obiecti beatifici. Ex quo non bene infertur amorem ex sua natura esse non posse perfectã adeptionem beatifici obiecti: quia licet ex sua natura absolutè non habeat, quòd determinatè sit assecutio perfecta Dei: id tamen habet indeterminatè, si in sua nuda natura præcisè consideretur; detetminatè tamen, si Deus clarè visus voluntati præsentetur. Et hæc pro explicatione primi argumenti.

§. 4.

Explicantur reliqua argumenta §. primi

27 Cætera etiam argumenta facilem habent solutionem. Ad 2. igitur in Solutio 2. ordine dicendum est falsò in eo supponivisionem concurrere ad amorẽ patriæ, vt rationem formalem, & terminatiuam ipsius amoris. Et quanuis hæc fuerit opinio Caietani, & Bellomontani in locis in argumento citatis; ijdem tamen veluti sui obliti eam, vt falsam reprobarunt. Caietanus enim 2. 2. q. 17. *Caietanus.* ar. 5. ad 1. Durandi §. *ad rationem autem dicimus* multis probat in patria visionem ad amorem amicitiæ non concurrere, vt rationem obiecti, sed solùm vt conditionem præsentãtem obiectum: quod etiam multis probat Bellomõtanus hìc disp. 11. c, 9. n. 52. & 53. & disp. 15. c. 3. n. 8. & c. 4. n. 18. Quam sententiam absolutè prouauerũt Nominales, vt Ocham. in 1. *Ocham.* d. 1. q. 4. ar. 6. ad 6. Durandi, Gregorius *Gregorius.* q. 3. ar. 1. Maior q. 5. dub. 2. Marsili q. 4. *Maior.* ar. 2. Holcot. in suis determinalibus q. 7. *Marsilius.* cũ quibus cõsentit Paludanus in 4. d. 49. *Holcot.* q. 4. ar. 2. Suarius in hac q. 3. disp. 1. quæ- *Palludan.* stiunc. 1. dicto 3. & hęc sententia omnino probãda est ab illis, qui beatitudinem ponunt in solo amore amicitiæ.

Tertium argumentum contra Scotũ- 28
late persequitur Bellomontanus in d. Solutio tertij. disp. 11. c. 6. per totum, maximè n. 34 Sed consequentia, quam facit, videtur inutilis: medium enim, quod sumit, indiget explicatione: nam hæc propositio: *beatitudo non habet alium finem, in quem referatur*, simplicitervera est de beatitudine obiectiua: hæc enim non habet alium finem, aut relatione operantis, aut relatione Dei instituentis naturam: Deus enim,

enim (qui est nostra beatitudo obiectiua) simpliciter est irreferibilis in alium finem. At si propositio illa intelligatur de beatitudine formali; non est absolutè vera: quoniam, cum sit ens quoddam creatum, instituta est à Deo auctore naturæ, vt per eã assequamur beatitudinẽ obiectiuam: non excludit igitur ordinationem ad finem ex parte Dei instituentis naturæ. Solùm igitur excludit ordinationem ad finem ex parte operantis: quia scilicet beatus illam nõ operatur propter finem. quia est operatio naturalis, & necessaria, de quo supra q. 8. ar. 7. n. 8. & lib. 1. q. 16. ar. 4. n. 11. & lib. 2. q. 2. ar. 2. concl. 4. Ad probationem autem consequentię dicimus beatitudinẽ formalem ex parte quidem beati operantis non habere finem, ad quem à beato ordinetur: illum tamen habere ex parte Dei instituentis naturam.

29 Cum verò additur amorem, si versatur circa bonum diuinum volitum Deo, ordinari in illud, tanquam in finem: si id intelligatur de ordinatione ex parte Dei naturam instituentis; vera est propositio: ex ea tamen non benè infertur amorem non posse habere rationẽ formalis beatitudinis: nam visio diuinę essentiæ à Deo naturam instituente ordinata est in diuinam essentiam, vt in finẽ (eam enim instituit Deus, vt per illam diuina essentia à nobis intelligibiliter caperetur) & tamen apud Bellomontanum visio est formalis beatitudo. Quare beatitudinem formalem esse à Deo institutam propter finem, nõ tollit, quominus ipsa sit vltimus finis formalis. At, si propositio illa intelligatur de ordinatione se tenente ex parte beati operantis; propositio est falsa: quia (vt dixim⁹) beatus illum amorem non elicit liberè, sed naturaliter: vnde in illo eliciẽdo se ipsũ non dirigit, sed ab alio dirigitur. Quare, cùm ex parte beati non sit propter finem, nihil impedit, quominus sit illi vltimus finis formalis, formalisque illius beatitudo.

30 Quartum argumentum est Bellomõtani: sed friuolam habet consequentiã; Solutio 4. siue amorẽ patriæ specie distinguas ab amore vię, siue nõ distinguas. Et quidem euidẽter est friuola, si vterque amor est eiusdem speciei, vt in probatione supponitur: patet enim ex dictis ad 2. & 3. amorem Dei, si sumatur in sua pura natura, esse quidem beatificum; non tamen beatitudine aliqua determinata: vnde ex sua natura nude sumpta non erit beatificus beatitudine perfecta, nisi ex visione summi boni consummetur: quam tamen consummationem non habet in via. Deficit igitur Bellomontanus in eo, quod supponit amorem Dei supernaturalem ex sua natura nude sumpta esse beatificum beatitudine perfecta, & cõsummata: in hoc enim manifeste allucinatur.

Ad quintum dupliciter respõderi potest iuxta duplicem opinionem de mo- 31 Solutio 6. do, quo visio concurrit ad amorem: nam si visio non concurrit in genere causæ efficientis, sed solùm vt conditio præsẽtans obiectum (quæ verior est opinio) negandum est antecedens: quia amor nõ resultat ex visione, sed ex summa bonitate, quę per visionem voluntati præsentatur. Porrò si visio concurrit, vt principium efficiens ipsius amoris (quę fuit quorundam opinio) non proinde infertur amorem resultare, vt passionem. Nec similiter infertur amorẽ esse minus nobilem visione: nec enim necesse est, vt effectus sit minus nobilis sua causa, quando illa est æquiuoca, & partialis, vt philosophi volunt.

Ad sextum negandũ est antecedens, 32 si intelligatur de debito morali: quia ille amor nõ est liber, sed naturalis; vnde Solutio 7. in eo nõ potest fundari ratio meriti, sed potius præmij: quia iustum est, vt amori libero viæ succedat amor naturalis patriæ perfectus, & consummatus.

Ad septimum respondetur male audire Durandum, dum negat dari posse in nobis veram amicitiam, & beneuolentiam erga Deum: oppositũ enim docent communiter theologi cum D. Thoma *D. Thom.* 2. 2. q. 23. artcul. 1.

Ad postremum respõdetur hac in re 34 non esse curandum de philosophis anti- Solutio vlti quis, qui beatitudinẽ supernaturalẽ nõ mi. agnouerunt, siue viæ, siue patriæ. Quod verò attinet ad beatitudinẽ naturalem; fateor eos parum locutos fuisse de amore: quia illũ coniunxerũt, vel cũ speculatione, vel cum delectatione. Et hęc dicta sint pro defensione opinionis, quæ probat beatitudinem essentialiter poni in vno actu voluntatis.

QVÆ-

QVÆSTIO XII.

A Quæstione octaua vsque ad vndecimam præcedẽtem illorum partes egimus, qui beatitudinẽ essẽtialiter collocant invna tantum operatione: & ostendimus probabilem esse sẽtentiam, quæ eam ponit in sola visione: probabilem item, quę eam ponit in solo actu amoris amicitiæ. Nunc agendę sũt partes illorum, qui beatitudinem collocant in pluribus operationibus: nam hanc opinionem esse satis probabilem late ostendimus supra q.7.ar.2.§.3.& 5. Quare de illius probabilitate non est modò agendũ: sed solùm explicabimus, in quibusnam operationibus beatitudo sit ponenda?

Inquirẽdum est igitur primò; vtrum beatitudo simul ponenda sit in operatione intellectus, & voluntatis? Secundo an admittat ad suam essentiam plures vnius potentiæ operationes? Tertio; in quibusnã operationibus intellectus, & volũtatis ponatur? Postremo, an principalius ponatur in visione, an in amore?

ARTICVLVS I.

An beatitudo patriæ simul ponenda sit in actu intellectus, & voluntatis?

QVanuis auctores huius opinionis, quam modò defendimus, in eo conueniant, vt beatitudinem patriæ non in vna tantùm operatione, sed in pluribus essentialiter collocent: non tamen omnes cõueniunt, an illa ad suam essentiam requirat operationes intellectus, & voluntatis? Ita vt ex sua natura collocetur in operatione vtriusq; mentis, intellectiuę scilicet, & appetitiuæ. Quidam hoc negant, sed non eodem modo: nam alij ad essentiam beatitudinis nullum voluntatis actum admittunt sed duos tantum actus intellectus: vnũ intellectus speculatiui, in quo ponunt beatitudinem vitę contemplatiuæ: alterum intellectus practici, in quo constituũt beatitudinem vitæ actiuę. Hæc fuit sententia Paludani in 4. d. 49. q. 3. articul. 2. n. 33.

Pars quę negat dupliciter explicatur.

Primò modo.

Paludan.

2 Secũdo modo

Alij e contrario nullum admittunt actum intellectus beatificum, sed duos tantum voluntatis actus; dilectionem scilicet, & delectationẽ, quos fruitio essentialiter includit: ita colliges ex nostro Gerardo de Senis in 1.d.1.q.1.si cõferas, quæ scribit ar. 2. & 3. nam ar.2.§. *tertiò arguo* ab essẽtia beatitudinis excludit omnem actum intellectus: admittit autem ibi, & in 3.ar. fruitionem, quæ est actus voluntatis essentialiter includens duos illos actus, amoris scilicet, & delectationis. Ex quibus euidenter colligitur apud Gerardum beatitudinem non consistere in actibus vtriusque potentiæ, sed in actibus solius voluntatis. *Gerardus.*

3 Quorũdam censura.

Neutram harum opinionum defendi posse post extrauagantem Benedicti duodecimi plures existimauerunt: putant enim Benedictum iam definiuisse, tã quam de fide, beatitudinem positam esse in visione, & fruitione. Ita existimauerunt Toletanus noster in 1. d. 1. q. 3. ar. 3. ad argumenta Ioan. Florestarij cõtra 2. noster etiam Argentinas in 4.d.48. q.3.concl.3.& 4.& inferius in 4.opinione contra easdem conclusiones, Veiga lib.7.in Tridentinum c.3. Cordub. lib.1. quęstionarij q.42. propositione 2. in 10. argumento, quorum iudicium non omnino displicet Valentiæ 2.tom.disp.1.q. 3.punct.4.in 2.dicto pag.61. Ex quorum sententia neutra prædictarum opinio sine errore, aut erroris periculo defendi potest. Sed in superioribus sæpe aduertimus Benedictũ in citata Extrauagante nequaquam definiuisse, vt de fide tenendum, beatitudinẽ in visione simul, & fruitione esse sitam, vt cum Cano, Valentia, & Bellomontano diximus supra q.7.ar.2.n.16.& 17. *Toletanus.* *Florestar.* *Argentin.* *Veiga.* *Corduben.* *Valentia.*

Improbatur censura.

4 Reijcitur præcedens sententia.

Quare vtranq; illam opinionem Paludani, & Gerardi non vt periculosã reijcimus, sed vt falsam, & absque vllo fundamento. Et opinionem quidem Paludani iam reiecimus supra q.6.ar.2.ex eo capite, quòd in patria duplicem ponit beatitudinem distinctam, vnam contẽplatiuam, alteram practicam: in sequẽti autẽ ar. ex eo capite reijcietur, quòd in vna intellectus potẽtia plures admittit actus essentialiter beatificos. Nunc autem ex eo capite reijciẽda erit, quòd ab essentia beatitudinis excludit actus voluntatis: ex quo eodem capite reijcienda est opinio Gerardi, quod ad essentiam

tiam beatitudinis non admittit actus intellectus. Vtrunque autem præstabimus, dum ostenderimus, nec ab essentia beatitudinis excludi posse actum aut intellectus, aut voluntatis, si semel admittatur beatitudinẽ in pluribus actibus esse ponendam.

5 Pars affirmans probatur 1.

Huius sententiæ probabilitatem primùm confirmabimus, quia exceptovno Paludano, & altero Gerardo cæteri omnes, qui beatitudinem in pluribus actibus ponunt, vno consensu hanc sententiam amplectuntur. Vtriusque potentiæ actum admiserunt antiquiores. D. Bonauent. in 4. d. 49. in 1. p. artic. 1. q. 5. Richardus ibi ar. 1. q. 6. Alensis 3. p. q. 23. memb. 1. ad 1. Ægidius quodlib. 3. q. vltima, & in tractatu de influentia diuina in beatos cap. 2. & in tractat. de prædestinatione cap. 7. Henricus quodlib. 17. q. 12. & in Summa artic. 49. q. 5. & 6. Aureolus apud Capreolum in 1. dist. 1. q. 1. articul. 2. in argumentis contra 6: Maior in 4. dist. 49. quæst. 3. Argentina q. 3. conclus. 3. & 4. Supplementum Gabrielis quæst. 2. artic. 3. in 3. part. tertij dubij, Bassolius quæst. 2. Marsilius in 4. q. 13. artic. 3. notabili 2. & conclus. 4. Gregorius in 1. d. 1. quæst. 2. art. 1. ad 8. Toletanus ibi q. 2. art. 3. ad argumenta contra 3. Ocham. q. 2. ad secundum principale. Ex recentioribus latè Cordubensis lib. 1. q. 42. propositione secunda in decimo argumento, Veiga libr. 7. in Tridentinum c. 3. Henric. lib. vltimo de fine hominis in principio, Molina 1. p. q. 12. ar. 1. disp. 2. concl. 5. & q. 26. Valentia 2. tomo disputatione prima, quæst. tertia puncto quarto pag. 61. Angles in quæstione de beatitudine art. 1. dub. 1. difficult. 3. in fine, latè Suarius in hac quæst. 3. disp. 7. quæstiunc. 1. §. *Hactenus aliorum sententias*. Quorum omnium auctoritates hanc sententiã reddunt probabilem.

D. Bonau. *Richardus* *Alensis.* *Ægidius.* *Henricus.* *Aureolus.* *Maior.* *Argentina* *Supp. Gab.* *Baßolius.* *Marsilius.* *Gregorius.* *Toletanus.* *Ocham.* *Cordubẽs.* *Veiga.* *Henricus.* *Molina.* *Valentia.* *Angles.*

6 Probatur 2.

Secundò eandem sententiam probabiliorem reddemus, si huic communi Theologorum consensui addamus Cõcilium Viennense in Clementina *Ad nostrum.* de hæreticis, dum condemnat, qui dicunt animam non indigere lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum & eo beatè fruendum: nam licet Concilium non definiat beatitudinem essentialiter poni in visione, & fruitione; sed solùm diffiniat necessitatem luminis gloriæ, quo anima eleuetur ad videndum, & fruendum: tamen cum mens Concilij fuerit definire lumen gloriæ necessarium esse ad consequendam beatitudinem: & beatitudinem explicauerit per actiones vtriusque potentiæ; quanuis non necessario inferatur vtramque potentiam ad beatitudinem intrinsecè pertinere: tamen satis fit probabile neutram potentiam ab essentia beatitudinis esse excludendam.

7

In eodem sensu expendere possumus diffinitionem Benedicti, dum definiens animas Sanctorum ante diem iudicij videre Deum, & eo frui, addit: *necnon quòd ex tali visione, & fruitione eorum animæ sunt beatæ*. Quæ verba licet solùm diffiniant animas ante diem iudicij videntes Deum, & eo fruentes esse beatas: nihil curando, quonam modo illis operationibus beatæ reddantur; an ne essentialiter, an antecedenter, & complete: tamen maximè vrgent, vt dicamus neutram potentiam à beatitudine excludendam esse. Maximè etiam vrget auctoritas Diui Bernardi Epistola vigesima octaua ita inquientis: *Quia non possumus contemplari per speciem, nec plene complecti per amorem: dedit nobis interim, & sapere per fidem, & quærere per desiderium: si enim adhuc absentes initiat fides, & desiderium: præsentes profectò consummat visio, & amor.* Et quanuis hæc verba ita possint explicari, vt visio consummet fidem, & amor perficiat desiderium; quia vterque iste actus in patria correspondet duobus illis in via: tamen non est negandum Diuum Bernardum agere de consummatione beatitudinis. Iuuant maximè verba Hugonis de Sancto Victore, explicans enim verba illa Dionysij capite septimo de cœlesti hierarchia: *Multas quidem, & beatas videns puras contemplationes;* pluribus docet ad vitam beatè requiri visionem, & fruitionem: & tandem concludit his verbis: *Duo sunt cognitio, & amor: alterum ad illuminationem pertinet; alterum ad refectionem: cognitio veritatis, & amor bonitatis: in his beatitudo constat, cognoscere, & amare bonum*. Quæ verba huic sententiæ maximam afferunt probabilitatem.

D. Bernar. *Hug. Vict.*

8 Eiusdem opinionis veritatem confirmant quæ adduximus q. 8. pro sententia, quæ beatitudinem ponit in solo actu intellectus: ea etiam, quæ q. 10. allata sunt pro sententia, quæ beatitudinem collocat in solo voluntatis actu: illæ enim rationes, licet non satis probent exclusiuam negantem; affirmantem tamen non sine probabilitate suadent, si supponamus beatitudinem in pluribus operationibus collocari. Rationes igitur adductæ q. 8. pro sententia Thomistarum bene probant actum intellectus essentialiter pertinere ad essentiã beatitudinis: quia probant actũ intellectus esse formalem assecutionem obiecti beatifici quoad realẽ illius præsentiam.

9 Similiter, quæ quæstione 10. sunt adductæ pro opinione Scotistarum, bene suadent voluntatis actum ad eandem beatitudinis essentiam spectare: quia probant actum voluntatis esse formalem assecutionem obiecti beatifici quo ad illius tentionem, siue comprehensionem, de quo vide Richardum in 4. d. 49. artic. 1. q. 6. ad 8. Nec sane id dicitur sine fundamento sumpto, tum ex perfectione obiecti beatifici; tum ex modo assecutionis eius: etenim obiectum beatificum, vt tale est, ex sua perfectione habet, quòd non corpore, sed sola mente obtineatur: cum verò natura assecutionis per actionem immanentem mentis postulet, vt & obiectum fiat præsens, & factum præsens teneatur: fit, vt obiectum beatificum perfectè obtineri nequeat, nisi operatione mentis, & fiat præsens in se ipso, & in se ipso teneatur: vtique ad perfectam illius assecutionem necessaria est operatio intellectus, qua formaliter fiat obiectiuè præsens (hoc enim soli competit intellectui:) & operatio voluntatis, qua in se ipso iam præsens teneri queat, & apprehendi, quæ operatio solius est voluntatis. Et hoc est vnicum huius opinionis fundamentum satis probabile.

Richardus.

10 Cuius probabilitas adhuc confirmatur; quoniam satis est rationi consentaneum, vt mens ipsa, cui proprium est essentialiter beatificari, secundum vtramque potentiam essentialiter beatificetur: nam secundum vtramque immediatè attingit beatificum obiectum. Quod non leue est argumentum, vt dicamus vtramque potentiam ex sua natura habere, quod ratione sui sit formaliter assecutiua obiecti. Et inde inferes suppositâ hac opinione voluntatem terminari quidem ad Deum sibi præsentem, non tamen, vt præsentem: nec enim amor terminatur ad præsentiam illam, vt ad rationem formalem obiectiuã, quam amet: sed quam in Deo supponit, vt amari possit. Vnde, licet visio sit formalis assecutio Dei quoad præsentiam: non tamen est formalis ratio amandi, sed conditio; & pro hoc articulo satis diximus.

Vltimo cõfirmatur.

ARTICVLVS II.

An beatitudo admittat ad suam essentiam plures operationes vnius potentiæ?

1 QVANVIS hæc quæstio in terminis excitari non soleat; de ea tamen non eodẽ modo sentiunt Theologi: vnde non debuit à nobis prætermitti.

Partem affirmantem probare debẽt tam hi, qui ex parte intellectus plures admittunt operationes ad beatitudinem essentialiter pertinentes; quàm illi, qui in voluntate plures admittunt constituentes beatitudinis essentiam. Priorem sententiam probauit Paludanus in 4. d. 49. q. 3. ar. 2. n. 33. dum ex parte intellectus duas admisit operationes, speculatiuam vnam; alteram practicã. Posteriorem verò probarunt grauissimi Theologi: quorum alij præter visionem ex parte intellectus in voluntate admittunt tres operationes essentialiter beatificas: amorem scilicet amicitiæ, & concupiscentiæ, & delectationẽ: ita Richardus in 4. d. 49. artic. 1. q. 6. in corp. & ad 4. Alij verò in ea duas solùm agnoscunt, amorem scilicet amicitię, & delectationem, vt Alensis, Ægidius, Maior, Marsilius, Toletanus, Molina, & Valentia, quos in sequenti art. referemus. Quibus addere possumus nostrum Gerardum in 1. d. 1. art. 3. qui licet actum intellectus ab essentia beatitudinis excluserit: in voluntate duos actus essentialiter beatificos admisit, dilectionem scilicet, & delectationem.

Pars affirmans.

Paludan.

Richardus

Gerardus.

Oppositi-

2 Oppositam sententiam probare censentur, qui vnicum tantùm actum in vtraque potentia, intellectu scilicet, & voluntate, admittunt, quos in sequenti art. citabimus: hi enim rationem assecutionis obiecti beatifici in vna tãtùm vtriusque potentiæ operatione agnoscunt. Ego hanc sententiam verisimam puto: non ex eo, quòd essentiali beatitudinis rationi repugnet pluralitas operationum eiusdem potentiæ: sed quia ratio assecutionis obiecti beatifici non potest reperiri in pluribus eiusdem potentiæ operationibus, sed in vna tãtùm.

Opposita pars præfertur.

Probatur 1. Prima pars huius resolutionis ex eo ostenditur; quoniam supposita hac sententia, quam defendimus, nec de ratione beatitudinis est, quòd sit vnica assecutio obiecti beatifici; nec quod sit operatio omnium præstantissima: vtraque enim hæc conditio excluditur, si beatitudo in pluribus operationibus ponitur.

3 Secundo. Posterior resolutionis pars euidens fiet ex ijs, quæ de singulis intellectus, & voluntatis operationibus in sequẽti ar. dicemus: nunc generali ratione confirmabitur; quoniã & si non repugnat beatitudini duplex assecutionis ratio; repugnat tamen dari in eadem potentia duplicem rationem assecutionis obiecti beatifici. Ratio autẽ discriminis patet: quia obiectum beatificum ex sua ratione includit assecutionem, tum secũdum præsentiam suæ entitatis, tum secundum apprehẽsionem suæ perfectionis, & bonitatis. Prima assecutio illi cõuenit, quatenus est verũ: nec enim Deus potest nobis fieri obiectiuè præsens, nisi per intellectum apprehendentem, & intuitiuè cognoscentem veritatem suæ entitatis: posterior autem assecutio cõuenit Deo, quatenus est quid perfectũ, & bonum; quomodò nisi per voluntatẽ teneri non potest. Cum igitur in obiecto beatifico duplex ratio assecutionis obiectiuæ reperiatur; quarum vna ad intellectum, altera ad voluntatem pertinet; vt dicatur perfectè assecutum, vẽdicat sibi operationes duas illarum potentiarum. At tamen in qualibet potẽtia non datur, nisi vnica tantùm ratio assequendi beatificum obiectum: quia quælibet illarum sub vna tantùm formali ratione obiectiua potest immediatè, & nudè attingere beatificum obiectum: intellectus enim solùm in illud tendit sub ratione veri, & intelligibilis: voluntas autem sub ratione perfecti, boni, & appetibilis: vnde tã intellectus, quàm voluntas vno tantùm modo potest immediatè, & nudè attingere beatificum obiectum. Quod ex sequenti articulo euidentiùs patebit.

ARTICVLVS III.

In quibusnam operationibus intellectus, & voluntatis ponatur beatitudo?

1 Prima opinio. DE proposito artic. tres inuenio opiniones. Prima quatuor agnoscit operationes essẽtialiter beatificas. Vnam ex parte intellectus; visionem scilicet diuinæ essentiæ: tres ex parte voluntatis; amorem inquam amicitiæ, quo beatus Deo vult bona, quæ in ipso videt: amorem concupiscẽtiæ, quo beatus vult Deum sibi: & delectationẽ de bono tam diuino, quàm suo. Ita existimauit Richardus in 4. d. 49. ar. 1. q. 6. in corp. & ad 4. *Richardus.*

2 Secunda. Secunda opinio essentiam beatitudinis tribus tantùm operationibus integrat; visione scilicet, amore amicitię, & delectatione, excludit enim ab illius essentia amorem concupiscentię. Hęc sẽtentia probata est grauissimis theologis, eam satis insinuat Alensis 3. p. q. 23. M. 1. ad 1. probant Ægidius in tract. de influentia diuina in beatos c. 2. col. 1. in fine, Maior in 4. d. 49. q. 3. Marsilius in 4. q. 13. art. 3. notabili 2. & concl. 4. Toletanus in 1. d. 1. q. 3. ar. 2. concl. 2. Molina 1. p. q. 12. disp. 2. concl. 5. & q. 26. in principio, satis est de mente Valentiæ 2. tomo disp. 1. q. 3. punct. 4. maximè pag. 71. & clariùs q. 4. punct. 1. pag. 84. satis insinuatur à Catechismo Tridentino 1. p. cap. 13. ad illa verba Symboli *vitam æternam.* §. 6. *Alensis.* *Ægidius.* *Maior.* *Marsilius.* *Toletanus.* *Molina.* *Valentia.* *Catechism. Tridentin.*

3 Tertia præfertur. Probanda tamen est tertia sententia, quæ beatitudinem in duobus tantùm actibus essentialiter collocat; in visione scilicet ex parte intellectus, & in amore amicitię ex parte voluntatis. Hanc opinionẽ probauit Henr. quodlib. 13. q. 12. & in Sũma ar. 48. q. 2. & ar. 49. q. 6. Argẽtina in 4. d. 49. q. 3. art. 2. concluſ. 3. & 4. Supplementum Gabrielis ibi q. 1. art. 2. concl. 4. & inferiùs ar. 3. in 3. part. tertij dubij, *Henricus.* *Argentin.* *Supp. Gab.*

Bassolius. Angles. Corduben. Henriches. dubij, Bassolius q.2.ar.2. Angles de beatitudine ar.1.dub.1.diffic.3. Cordubensis lib.1.q.42. in 1. propositione, Henriches de vltimo fine hominis cap. 10. in principio in tex. litera H. Latè Suarius in comment. ad hanc quæstionem tertiam disp.7.quæstiunc.1.§. *Hactenus aliorum sententias.* Plures ex Scotistis volunt hanc esse opinionem Scoti in 4. d. 49.q. 4. sed iam suis locis ostendimus Scotum beatitudinem in vna tantùm operatione posuisse. Confirmatur auctoritate D. Bernardi epist.28. cuius verba adduximus art. 1. huius quæstionis: ex quibus patet beatitudinem consummari visione, & amore. Quod ipsum latis asseruit Hugo de sancto Victore in verbis ar. 1. relatis: concludit enim: *in his beatitudo cõstat cognoscere, & amare bonum.*

D. Bernar.

Hug. Vict.

4 Probatur. Sed & huiusmodi discursu ostẽdi potest: quoniam ex parte intellectus sola visio pertinere potest ad essentiam beatitudinis: beatitudo enim nec potest pertinere ad cognitionem abstractiuã, nec ad complexam, vt q.9. latè ostendimus. Sola igitur visio, quæ est notitia intuitiua, & incomplexa, ad beatitudinem pertinebit: quæ ipsa virtualiter est apprehensiua simplicium, & iudicatiua complexorum: eadem item est formaliter speculatiua, & eminenter practica, vt diximus in d.q.9. Ita fit, vt opinio Paludani in 4. d.49.q.3.ar.2.n.33. ponentis duas in intellectu operationes reijcienda sit; quam nos iam reiecimus supra ar.1.& 2.& latiùs q.6.ar.2.

Paludanus reijcitur.

5 Ex parte autem voluntatis solus amor amicitiæ ad essentiam beatitudinis potest pertinere: nam supra q.11.ar. 1. cum communi omnium sententia exclusimus desiderium ab essentia beatitudinis. Deinde art.2. eiusdem quæstionis latè ostendimus delectationem (quã operationem esse supponimus) ad essentiam beatitudinis pertinere non posse. Tertio loco idem ostendimus ibi ar. 3. de amore concupiscentiæ. Igitur à sufficienti partium enumeratione manet solus amor amicitiæ, qui beatitudinis essentiam ingredi queat: quod nos etiã latè ostendimus in d.q.11.art.4. vbi vide.

6 Nunc addimus, quod solus amor amicitię potest immediatè attingere obiectum beatificum in se ipso nudè sumpto: nam omisso actu desiderij, qui in patria erga Deum nõ datur; nec actus delectationis, nec actus amoris concupiscentię potest immediatè terminari ad Deum, vt ad nudum obiectum actus. Dixi, *vt ad nudum obiectum actus*, vt excluderem ab obiecto beatifico omnẽ rationẽ formalem terminandi actionem voluntatis: in hoc enim sensu solus amor amicitiæ immediatè, ac nudè terminatur ad Deum: delectatio namque terminatur quidem ad bonitatem diuinam; non tamen nudè sumptam, sed vt amatam, & volitam ipsi Deo: nisi enim diuina bonitas amata esset, & volita Deo; nequaquam voluntas gauderet, quod in Deo eã videret. Vnde amor, quo beatus vult Deo bona, quæ in eo videt, non per accidens, sed per se concurrit ad obiectũ delectationis; quia cõcurrit ad illud, vt ratio formalis delectandi; de hoc latè diximus in superiori quæstione art. 2. Amor autem concupiscentię simili modo non terminatur ad Deum immediatè, ac nudè: quia terminatur ad illum, vt visum, & amatum, tanquã summum bonum: ideo enim beatus Deum sibi vult, quia cum cognoscit esse summum bonũ & vt summum bonum amat. Quare, tam cognitio, quàm amor ex charitate per se concurrit ad obiectum amoris concupiscentiæ, de quo latè diximus art.3. præcedẽtis quæstionis. Igitur solus manet amor amicitiæ, qui immediatè, & nudè terminetur ad obiectũ beatificũ: immediatè inquam, & nudè, idest nulla alia operatione per se, ac formaliter cõcurrente ad obiectum ipsius amoris: etenim si aliqua operatio concurreret; illa esset visio ex parte intellectus: at in 4.ar. superioris quęstionis iam diximus visionem concurrere ad amorem, vt cõditionem obiecti, non verò vt rationem formalem illius.

7 Obiectio. Si verò quis obijciat in hac opinione, quam modò defendimus, visionem esse actum beatificũ: quì igitur fieri potest, vt ad amorem concurrat, vt conditio; etenim beatitudo formalis cum beatitudine obiectiua partialiter integrat vnum obiectum beatificum.

Solutio. Ad hanc instantiam dicimus visionẽ esse actum beatificum non impedire, quin ad amorem beatificum cõcurrat, vt conditio tantùm: nam, cum amor sit etiam

etiam actus beatificus, non potest visio ad eum concurrere, vt ratio obiectiua: quia implicat actum beatificum per se terminari ad obiectum beatificum sub aliqua ratione formaliter beatifica: alias actus beatific⁹ ordinaretur in aliũ actum beatificum, vt in finẽ (nam quæcunque operatio à Deo auctore naturę ordinatur in obiectum, vt in finem suæ entitatis) hoc autem repugnat actui essentialiter beatifico: qui ex sua natura est vltimus finis. Quare visio, quantumuis essentialiter sit beatifica non amittit suam naturam ad primum actum voluntatis: quæ est concurrere, vt proponentem voluntati suum obiectum. Visio igitur cum amore integrant vnum totale obiectum cum obiectiua beatitudine erga cæteros actus voluntatis; delectationem scilicet, & amorem concupiscentię: erga quos visio iam non est conditio obiecti, sed ratio formalis obiectiua simul cum amore; cum quo, & beatitudine obiectiua integrat vnũ totale obiectum beatificum, quod hoc loco est diligenter aduertendum.

8 Replica. Vna sola restat obiectio aduersus datam resolutionem: quoniam ex Concilio Viennensi in Clementina ad nostrũ de hæreticis, & ex Extrauag. Benedicti duodecimi (de quibus supra art. 1.) beatitudo consistit in visione, & fruitione: fruitio autem non est vnicus actus, sed ex sua ratione includit tum amorem, tũ etiam gaudium, siue delectationem.

9 Soluitur 1. Toletanus. Gerardus. Hispalens. Dicendum est primò fruitionẽ duos actus includere paucis fuisse probatum nempe Toletano in 1. d. 1. q. 3. artic. 2. Gerardo ibi q. 1. artic. 3. & Hispalensi q. 2. & paucis alijs: contrariam tamen sententiam fuisse probatam cæteris omnibus. Nam communis Thomistarum vult fruitionem formaliter solùm dicere delectationem. Ita Caietanus 1. 2. q. 11. articul. 1. vbi Conradus, Medina, & cæteri recentiores, cum Capreolo in 1. d. 1. q. 1. artic. 1. concl. 3. & ibi Durand. q. 1. & satis est de mente D. Thomę in d. q. 11. ar. 1. & 3. & in hac q. 3. art. 4. ad 3. Cõmunis etiam Scotistarum docet fruitionem solùm denotare amorẽ: ita Scotus in 1. d. 1. q. 3. quem sui omnes sequũtur. Idem placuit Richardo in 1. d. 1. artic. 2. q. 1. & Gabrieli q. 1. cum pluribus alijs. Dicendũ est 2. quæstionem esse de nomine. & licet apud linguæ latinæ peritos fruitio iuxta nominis proprietatem sumatur pro sola delectatione: tamen apud Patres communiter sumitur pro amore. & ita explicandam esse mẽtem Concilij Viennensis, & Benedicti 12. Quòd si cum D. Thoma potius placet fruitionem sumere pro delectatione; dicendum est apud Patres beatitudinem explicari non per solos actus essẽtialiter beatificos, sed etiã per actus, qui beatitudinem naturaliter comitantur, & perficiunt: plerunque etiam explicari per delectationem; quia hæc est nobis notior, & ad alliciendos homines accommodatior.

ARTICVLVS IIII.

In quonam duorum actuum beatitudo principalius ponatur? in visione, an in amore?

1 Prima opinio. Argentina. Reijcitur. DE proposita quæstione grauis est controuersia inter eos, qui beatitudinẽ in pluribus actibus collocarunt. Prima opinio asserit beatitudinem in vtraque potentia æque principaliter collocari. Hanc opinionẽ refert noster Argentina in 4. d. 49. q. 3. ar. 2. in secunda opinione contra 3. fol. 193 eolum. 3. nullum autem illius auctorem nominat: nec ego inuenire potui, qui illam probaret. Sed opinio, tanquam improbabilis, ac parum philosophica est reijcienda, & vt talis reijcitur ab Argẽtina loco citato: nam duas species æque nobiles philosophia non admittit: sunt enim, sicut numeri, vt ait Arist. quorum species addita, vel dempta vnitate variantur.

2 Nec obstant, quæ apud Argentinam aduersarij adducunt: quoniã etsi vtraq; potentia, intellectus scilicet, & voluntas, ad imaginem Dei pertineat; non tamen vtraque ęque caussat quietem. Quanuis etiam vtraq; potẽtia vniat obiecto; non tamẽ vtraq; æqualiter vnit. Denique tametsi beatus tantùm videt, quantum amat, & è contrario: non tamen æqualis nobilitatis erunt visio, & amor; nec ęqualis erit assecutio beatifici obiecti per vtramque potentiam.

3 Duplex opinio.

Hac igitur opinione relicta duę sunt de hac quęstione celebres opiniones inter se oppositæ. Quidam volunt beatitudinem principalius ponendam esse in actu intellectus: alij contendunt eam principalius poni in actu voluntatis. Priorem sententiam probarunt quidã Theologi, quos refert Argentina vbi supra in 3.opinione fol.193.col.4. Eam probauit Paludanus in 4. d.49. q.3.art. 2.n.3.4. & 33. & post eum Henriches de vltimo fine hominis cap. 10. in principio, Suarius in hoc articulo disput. 7. quęstiuncula 1. §. *Hactenus aliorum sententias.* Posteriorem verò probauere Ægidius quodlib. 3. q. vltima, & in tractat. de diuina influentia in beatos c. 2. Richardus in 4. d.49.art.1. q. 6. ad 8. & latiùs q.7. Argentina ibi q. 3.ar.2. concl. 3. & 4. & ad argumenta contra 2. & 3. Supplementum Gabr. ibi q. 2. artic. 2. concl.4. & art.3. in principio primi dubij. Ex Scotistis Bassolius in eodem loco q.2. art. 2. Angles de beatitudine q. 1.art.1.dub.1. difficult.3. Corduba lib. 1.q.42. Henric.etiam quodlib. 13. q.12. & in Summa art. 48. q.2. & art. 49. q. 6. Non desunt, qui putent rem esse dubiã, vt fatetur Supplementum Gabrielis vbi supra ante sextam conclusionem; vnde hac de re dubius mansit Valentia 2. tomo disp.1 q.3.punct.4.pag.61.& 68.

Paludan.

4 Vtraque æque probabilis.

Ego puto vtramque partem ęque esse probabilẽ: quia probabilis est vtraq; pars controuersię, an intellectus sit nobilior voluntate, an è contrario? vnde etiam vtraque pars erit probabilis, an visio præstet amori; an amor visioni? De qua controuersia latè egimus q. 8. & 10. quibus in locis vtriusque partis, & fundamenta iecimus,& vtriusque argumenta dissoluimus. Quare non est, quòd iterum ea repetantur.

5 Vnde nam desumenda sit hæc principalitas?

Illud tamen aduertam eos, qui putãt beatitudinem non necessariò vendicare sibi, aut nobilissimam potentiam, aut nobilissimam operationem, hanc principalitatem non esse deducturos ex maiore nobilitate, aut potentiæ, aut actus; sed ex meliori assecutione obiecti beatifici: ita, vt in actu illius potentiæ principalius ponatur beatitudo, quæ meliori modo Deum assequitur, quantũuis entitatiuè sit minus nobilis. Quæ sententia fortè aliquibus placebit, & liberabitur à difficultate de maiori, vel minori præstantia intellectus,& voluntatis. Sed cum in superioribus hanc sententiam, vt minus peripateticam sæpè reiecerimus; dicendum erit principalitatem istam vtroque modo esse accipiendam: nam vna secum affert alterã: nec enim potentia minus nobilis potest meliorem assecutionis modum habere: sed maior entitatis nobilitas meliorem assecutionem arguet,& contra. & de hac difficultate,& quęstione satis.

QVÆSTIO XIII.

ABSOLVTA disputatione de beatitudine formali patriæ, quæ est beatitudo perfecta; iuxta ordinem in præfatione huius libri statutum, consequenter agendum est de beatitudine supernaturali viæ, quæ est beatitudo quædam supernaturalis imperfecta.

De hac autem primùm considerabimus; an in hac vita sit admittenda? Deinde; an posita sit in operatione? Tertiò; an posita sit in vna operatione, an in pluribus? Quartò; an posita sit in operatione intellectus, an voluntatis? Quintò; in quibusnam operationibus essentialiter ponatur? Postremò; in quanam operatione principaliter sit constituẽda.

ARTICVLVS I.

An in hac vita sit admittenda aliqua supernaturalis beatitudo?

1 Primum fũdamentum partis negatiuæ. Secundum.

PRO parte negatiua primùm adduci potest; quoniam beatitudo est quoddam bonum stabile, & permanẽs: in hac autẽ vita nihil datur permanens,&stabile,vt docet experientia. Deinde; in hac vita solùm dari potest beatitudo supernaturalis in spe, iuxta illud Pauli ad Rom.8. *Spe salui facti sumus*; ex quo loco D. Thomas hanc solùm beatitudinem in hac vita agnouit 1.2.q.69. art.1.& 3. sed beatitudo, quæ est in sola spe, non est vera beatitudo, nec simpliciter potest aliquem facere beatum, vt docet Arist.1.Ethic.cap.9.text.45.dum negat

Ad Rom. 8.

D.Thom.

Arist.

negat pueros dici posse beatos; quanuis in spe beati dici queant: quatenus de illis speratur, quòd suo tempore operabuntur secundum virtutem.

2 Pars affirmans præfertur.

His tamen non obstantibus pars affirmatiua simpliciter est asserenda. Primò; quia eam admitũt omnes theologi, qui hac de re scripserunt; cum quibus est Canus lib. 9. de locis theologicis c. 9. *Canus.* Sotus in 4. d. 49. q. 2. ar. 2. concl. 3. & 5. *Sotus.* Bellomontanus 1. p disp. 226. c. 3. n. 9. & in 1. 2. disp. 12. c. 3. n. 13. nec aliquem inueni, qui hanc sententiam simpliciter, & absolutè negauerit. Nec, vt puto, simpliciter negari potest: siquidem beatitudinem supernaturalem in hac vita, & Augustinum cum D. Thoma simpliciter admittit; & sacrę literę simpliciter admittendam esse conuincunt.

3 Probatur ex Augustino.

Quod Augustinus supernaturalem quandam beatitudinem in hac vita admiserit, & docuerit, euidenter patet ex ijs, quæ scripsit 11. de Ciuitate Dei c. 12. vbi multis docet non solùm dicendos esse beatos, qui diuina fruũtur essentia iam de sua perpetuitate securi; sed etiam, qui in hac vita iuste viuũt; ita enim ait: *Cum hodie non imprudenter beatos vocemus, quos videmus iuste, & pie cũ spe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere sine crimine.*

4 Item ex sacris literis.

Quam sententiam, & absolutum loquendi modum sacræ literæ manifestè videntur confirmare; quoniam in pluribus vtriusq; paginę locis, qui iuste viuũt, simpliciter vocãtur beati. Matth. 5. *Matth. 5.* *beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: Beati mũdo corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* Eodem loco plures alij beati dicũtur, qui iuste *Psalm. 1.* operantur. Psal. 1. *beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, &* rursus: *Beatus vir, qui* *Psal. 118.* *timet Dominum,* & Psal. 118. *Beati immaculati in via* Accedat locus optimus ex c. 18. *Ioan. 17.* Ioan. *hæc est vita æterna, vt cognoscant te solũ verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Qui locus ad literam intelligendus est non de vita æterna patriæ, sed viæ, vt iã ostendimus q. 10. ar. 2. ex Cyrillo, & Hilario cum Toleto, Maldonato, & alijs, vbi vide: agit enim ibi Christus de cognitione mysterij tum Trinitatis, tum Incarnationis, quam se discipulis dedisse antea affirmauerat. Quin potius verba explicanda sunt non in sensu causali, vt vult Toletus; sed in sensu formali, vt ex *Euthymius* Euthymio annotauit Maldonatus; vt sit sensus: hæc est vita æterna (quam ego meis discipulis iam dedi) cognoscere te Deum verum in mysterio Trinitatis, & simul filij Incarnationem. Quare simpliciter, & absolutè negari non potest dari in hac vita supernaturalem beatitudinem, qua homines simpliciter dicãtur beati: qui autem id negauerit, audacter id negabit, vt bene aduertit Ludouicus Viues ad præcitata Augu. verba. *Ludouicus Viues.*

5 Dubitatio.

Dubitare tamen forte aliquis poterit; an beatitudo ista ita sit imperfecta, vt tamen sit vera? Rationem dubitandi facit D. Thomas inferius q. 5. ar. 3. in corp. & ad 2. dum docet impossibile esse, vt in hac vita vera beatitudo habeatur; cuius rationem assignat: quia imperfectio beatitudinis huius vitæ, cum sit imperfectio sumpta ex parte obiecti tollit veram rationem beatitudinis. Igitur ex sententia D. Thomæ beatitudo huius vitæ, etiam quæ est supernaturalis, non est vera beatitudo. Quod etiam videtur confirmare Sotus in 4. d. 49. q. 2. ar. 1. §. *hæc quæst. multa,* quatenus affirmat veram beatitudinem non esse duplicem sed vnicam tãtum, visionem scilicet diuinę essentiæ. Quibus verbis satis explicat beatitudinem huius vitę non esse veram beatitudinem. Quòd etiam satis videtur asserere ibi ar. 2. post. 3. conclusionem, dum ait in hac vita nõ reperiri summum bonum.

Ratio dubitandi pro parte negatiua ex D. Thoma.

Sotus.

6 Opposita pars probatur primo

Pro parte opposita facit quod Aug. loco citato asserit iustos in hac vita nõ imprudenter vocari beatos: imprudenter tamen beati vocarentur; si beatitudo supernaturalis huius vitæ non esset vera beatitudo. Accedit etiam, quia D. Thom. inferius q. 11. ar. 4. ad 2. expresse docet fruitionem Dei in hac vita imperfectam quidem esse; at tamen propriam. Idem igitur dicendum erit de beatitudine huius vitæ. Addimus; quoniam nisi esset vera beatitudo, non possent iusti simpliciter dici beati: cum tamen in sacris literis simpliciter beati appellẽtur.

Secundo. *D. Thom.*

Tertio.

7 Resolutio.

Dicendum est beatitudinem supernaturalem viæ seruato loquẽdi rigore nõ esse veram beatitudinem: quia est beatitudo quædam participata; non quidẽ participatione entitatis, sed participatione similitudinis: est enim vestigium quoddam beatitudinis patriæ, vt docet D. Thomas inferius q. 5. ar. 3. in princip.

Beatitudo supernaturalis duplex

Duplex igitur distinguenda est beatitudo supernaturalis. Vna, quæ est beatitudo simpliciter; altera, quæ est beatitudo participata ob aliquam similitudinẽ, quam habet cum beatitudine simpliciter. Enim verò beatitudo patrię simpliciter, & absolutè participat rationẽ beatitudinis; quæ in hoc est posita, vt ex sua natura sit perfectum, & sufficiẽs bonum, excludens omne malum, & implẽs omne desiderium, ex D. Thoma in d. ar. 3. At beatitudo supernaturalis viæ ex sua natura non habet illas conditiones, sed solùm habet aliquam cum illis similitudinem. Quare seruato loquendi rigore simpliciter non est vera beatitudo; sed beatitudo talis, nempe imperfecta, atque participata. Ad eundem ferè modum, quo prudẽtia in quibusdã brutis reperta simpliciter non potest vocari prudentia, sed prudentia talis; quia prudentiæ humanæ similitudinẽ aliquo modo participat, vt ait D. Thomas in hac q.3.ar.6. Quod mihi satis significauit Augustinus, dum in citato loco non simpliciter affirmat iustos in via esse beatos: sed solùm ait non imprudenter vocari posse beatos: quia videbat eam non satis propriè esse beatitudinem, sed per similitudinem, & aliquam participationẽ beatitudinis, quæ est in patria.

D.Thom.

D.Thom. Augustin.

8 Non obstãt fundamẽta partis oppositæ.

Quare huic resolutioni non obstat Augustin. Similiter nec obstat id, quod de fruitione, & gaudio adduximus ex D. Thoma: quoniam fruitio viæ, licet propriè sit gaudium in ratione gaudij; non tamen propriè est gaudium beatificum sed solùm participatione quadam. Et hoc satis est, vt in sacris literis iusti dicantur beati: quia ipsa materia satis ostẽdit eos dici beatos beatitudine quadam participata.

9 Ad primũ fundamentum initio positum.

Ex his patet solutio ad ea, quæ initio pro negante parte sunt adducta. Nam ad primum dicemus non esse opus, vt conditiones veræ beatitudinis simpliciter conueniant beatitudini, quæ est participatio quædam, & vestigium verę beatitudinis: ad hanc enim satis est stabilitas, & permanentia, quam patitur status viæ.

Ad secũdũ

Ad secũdum respondimus supra lib. 3.q.1.ar.3.n.4. etenim beatitudo supernaturalis viæ non præcisè dicitur beatitudo ex sola spe futuræ beatitudinis; eo modo, quo puer dicitur beatus spe; sed dicitur beatitudo; quia est operatio perfecta habens coniunctam spem beatitudinis futuræ. Vide, quę loco citato diximus.

ARTICVLVS II.

An beatitudo supernaturalis viæ posita sit in operatione?

1

HVnc articulum iam excitauimus & resoluimus supra q.4.ar.3.nũc eũdem rursus excitamus, vt quæ de beatitudine supernaturalivię à theologis docentur, in hac quęst. ordine suo explicemus. Qui partem negantem probauerit tunc, neminẽ inuenimus; nũc ex Suario in hac q.disp.3. quęst iunc.2. §.*hic verò dixerunt aliqui;* habemus quosdam voluisse beatitudinem supernaturalem vię non esse positam in aliqua operatione, alia ve perfectione intrinseca; sed in quodam iure, quod homo iustus habet ad cœlestem beatitudinem. Qui hanc sententiam probauerit, ego inueni neminem: fortè Suarius apud suos aut eã audiuit, aut excogitauit. Quomodocũque sit, opinio friuola est, & theologo indigna.

Pars negãs

2 Improbãs primò.

Primò, quia recedit à communi via, & modo communi loquendi recepto etiam apud philosophos antiquos, qui nullam beatitudinem, nisi in operatione agnoscunt.

Secundò.

Deinde; quia illud ius ad gloriam, vel solum est extrinseca quædam denominatio orta ex promissione diuina: vel est relatio quędam rationis: cum tamen beatitudo solum ponenda sit in aliquo bono, atque perfecto.

3 Tertiò.

Tertiò & efficacius; quia ex sacris literis constat beatitudinem viæ poni in operationibus ex charitate: in his enim fundatur ius ad gloriam, tanquam in operationibus meritorijs. Nã Ioan. 6. dicitur: *Operamini non cibum, qui perit; sed qui permanet in vitam æternam.* Et ad Rom. 14. *Non est regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Denique vita æterna promittitur seruantibus mandata, iuxta illud Christi: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Cum igitur in his operationibus ius ad gloriam fundetur; longè maius bonum erũt operationes,

Ioan. 6.

Rom. 14.

Vltimo.

rationes, quàm ipsum ius: & subinde nõ in jure, sed in operationibus ponenda erit beatitudo viæ. Alioquin pueri baptizati possent dici in hac vita beati: cũ enim habeant gratiam, & charitatem, si mul etiam habent ius ad gloriam. Consequens tamen nec philosophus admitteret, etiam si mysterium baptismi cognosceret. Denique dormientes, & amẽtes, qui sunt in gratia, beati dicerentur, cum verè habeant ius ad gloriam: id tamen pugnat cum principijs totius philosophiæ moralis.

ARTICVLVS III.

An beatitudo supernaturalis viæ posita sit in vna operatione, an in pluribus?

1 Aliquorum opinio pro vna tantum operatione pugnat.

HÆc quæstio apud veteres theologos vix tangitur; excitatur tamẽ apud recentiores. Nonnulli defẽdunt beatitudinem supernaturalem viæ in vnica tantùm operatione essentialiter collocari. Cuius opinionis auctores pro sua sentẽtia citant Medinam, & Canum. De Cano facile id admittam: quoniam libro 9. de locis theologicis c. 9. pag. 523. expressè ponit beatitudinẽ huius vitæ in sola dilectione, quę est ex charitate, ita enĩ scribit: *In dilectione vtiq; Dei huius vitæ felicitas sita est*; de qua antea dixerat: *aut hæc beatitudo est, aut nulla omnino est.* De Medina tamen maxime dubito: nam licet in ar. 7. Huius quæstionis concludat beatitudinem vitę esse actum intellectus (sapientiam inquam) habentem coniunctam charitatem, & cæteras virtutes: tamen ibi ad 2. duplicem ponit beatitudinem viæ, contemplatiuam vnam, actiuam alteram: additque beatitudinem potissimum esse sitam in cõtemplatione.

Canus.

2 Probatur primò.

Sed cuiuscunque sit hęc sententia, primò potest confirmari: quia beatitudo supernaturalis patrię essentialiter posita est in vna operatione. Ergo in vna tantùm ponenda est beatitudo viæ: eadem enim in vtraque videtur ratio.

Secundo. *D. Thom.*

Deinde; quia hæc videtur esse sententia D. Thomę in 5. ar. huius quæstionis ad finem corporis: expressè enim docet beatitudinem imperfectam, qualis in via haberi potest, primò consistere in contẽplatione, secundario verò in operatione practici intellectus. Primò inquam, idest essentialiter: secundariò verò, idest ex consequenti, tanquã in perfectione accidentaria essentialis beatitudinis.

3 Tertio.

Tertiò, solus amor est vltimus finis omnium actionum huius vitæ. Ergo solus ille est tota essentia illius. Consequẽtia patet: antecedens probatur, quia amor est vinculum perfectionis, & omnium præceptorum finis, ad quem omnia ordinantur. Accedit etiam quoniã ex D. Anselmo lib. 2. cur Deus homo c. 1. & ex Hugone de Sancto Victore in Dionysium de cœlesti hierarchia c. 7. rectus ordo est intelligere, vt ames: contemplatio autẽ vel frigida est, vel inutilis, vel ad mores componendos ordinatur.

D. Anselm. Hugo Victor.

4 Vltimo.

Postremo; solus amor discernit inter filios Dei, & perditionis: sola item charitas est forma omnium virtutum, & sola illa est substantia christianæ iustitiæ. Ergo solus amor in hac vita discernit inter miserum, & beatum: igitur in solo illo tota substantia beatitudinis viæ est posita. Ex rationibus probari potest hæc sententia: cuius auctores dicunt fidem solùm requiri propter amorem, vt necessariam conditionem ex parte obiecti.

5 Resolutio.

Communior tamen recentiorum sẽtentia oppositum docet: constituitque supernaturalem beatitudinem viæ in pluribus operationibus. Hæc (vt vidimus) placuit Medinæ loco citato, si bene expendatur: satis eam probat Bellomontanus hìc disp. 12. c. 3. n. 13. vbi expresse eam ponit tum in operationibus charitatis; tum aliarum virtutum. Late eam probat Suar. in hac q. disp. 7. quęst. 2. §. *dicendum ergo est.* Eam satis supponit, vt veram doctissimus Fonseca lib. 1. Metaph. c. 1. q. 1. sect. 6. ad finem §. *postremo, quia felicitas humana*.

6 Fundamentum.

Quam sententiam puto esse verisimam: cuius solidum fundamentum ex eo est sumendum; quia beatitudo vię essentialiter est posita in assecutione summi boni per modum meriti, & cuiusdam cõdignitatis ad mercedem futuræ beatitudinis. Ob hanc rationem dicitur esse inchoatio quædam, & quædam illius participatio, vt ar. 1. diximus: hæc autẽ condignitas adæquate non potest reperiri, nisi pluresvirtutes concurrãt; charitas

ritas sc. & fides: nam quanuis charitas concurrat, vt formalis ratio condignitatis: tamen supponit condignitatem quandam radicalem, & fundamẽtalem, quæ ex fide sumitur: siquidem sine fide nihil potest Deo placere, vt ait Paulus. Cum igitur cõdignitas operationis essentialiter pendeat tum ex actu charitatis, tum ex actu fidei; concedendum est beatitudinem supernaturalem viæ essentialiter vendicare sibi plures operationes.

Augetur. Huic fundamento adiungendum est; quoniã in sequenti ar. demonstrabimus beatitudinem supernaturalem huius vitæ essentialiter constitui, & integrari ex duplici beatitudine; contemplatiua sc. & actiua. Ex quo supposito fundamento necessariò infertur beatitudinem supernaturalem huius vitæ duas, vt minimũ, operationes sibi vendicare.

8 Ad primum alterius opinionis. Cui opinioni non obstant, quæ pro parte aduersaria obijciuntur. Nam ad primum argumentũ primò responderi potest negatione antecedentis: est enim probabilissima opinio, quę beatitudinẽ patrię in pluribus operationibus collocat: de qua multa diximus supra q. 7. & Altera solutio. q. 12. Sed quoniam oppositam sententiã probabiliorem iudicauimus; respondẽdum est secundo consequentiam nõ valere propter disparem rationem, quæ in vna, & altera beatitudine reperitur: etenim ex sequente ar. patebit beatitudinẽ supernaturalem viæ propter suam imperfectionem essentialiter sibi vendicare duplicem beatitudinem, contemplatiuam sc. & actiuam: quia essentialiter pendet ex perfectione tam vitæ contẽplatiuæ, quàm actiuæ: cum tamen beatitudo patriæ essentialiter consistat in sola vita contemplatiua. Vide, quæ in sequenti ar. dicemus.

9 Ad secũdũ. Ad secũdum dicendum est D. Thomã solùm agere de beatitudine naturali. Porrò si vis oppositum, negandum est apud D. Thomam primò, & secundariò idem esse quòd essentialiter, & accidentario: solùm enim denotat principaliter, & minus principaliter. In quo sensu verba D. Thomæ solùm significant operationes illas non æque primò ad essentiam beatitudinis pertinere. Sed de hoc iterum in sequenti articulo.

10 Ad tertiũ. Ad tertium respondetur argumentũ, si quid probat, solùm probare amorem esse nobiliorem operationem. Ex quo etiam si concederetur (nec enim ab omnibus id conceditur) non bene inferretur beatitudinem supernaturalem viæ in solo amore essentialiter poni. Nam consequentia, vt firma sit, supponit beatitudinẽ solùm poni in operatione omnium nobilissima: quod & si admitti potest in beatitudine patriæ; non tamen in beatitudine vię: cum enim hęc posita non sit in perfecta assecutione summi boni; sed in assecutione illius per modũ meriti, & condignitatis ad mercedem futuræ beatitudinis: ad hanc autem cõdignitatem necessariò debeant cõcurrere plures virtutes; fides, inquam, & charitas: fit, vt beatitudo supernaturalis viæ ex sua natura non necessariò sit posita in sola perfectissima operatione quę vna tantùm esse potest, & quam forte postulat beatitudo patrię. Quare licet admitti possit beatitudinem patrię vnicam tantùm operationem sibi vendicare: non idem dicendum est de beatitudine supernaturali viæ.

11 Ad vltimũ. Ad postremum dicendum est solùm amorem formaliter, & complete discernere inter filios Dei, & filios perditionis: supponere tamen fidem: id igitur, quo adæquate discernitur vnus ab alio est fides per charitatem operans. Charitas item est forma completa omnium virtutum: concurrente tamen fide, tanquam radice totius illius esse spiritualis. Et in hoc sensu admittimus charitatem esse substantiam christianę iustitię: adeam enim necessariò concurrit fides, non vt conditio ex parte obiecti (vt male argumentum supponit) sed vt primũ fundamentum iustitię christianę.

ARTICVLVS IIII.

An beatitudo supernaturalis viæ ponatur in actione tam intellectus, quàm voluntatis?

1 Pars negãs. *Canus.* PArtem negantem videntur probare Canus lib. 9. de locis theologicis c. 9. pag. 523. dũ beatitudinẽ huius vitę ponit in sola dilectione Dei ex charitate. Et cũ hęc sit operatio solius voluntatis; vtique in sola voluntate eã collocabit. Eandem sententiam in hoc puncto expressè probat Bellomontanus hìc

hìc disp.12.c.3.n.13.14.15. quo in loco eãdem beatitudinem solùm collocat in operibus charitatis, & aliarum virtutũ moralium, & n.15. satis excludit cognitionẽ Dei ab essẽtia huius beatitudinis.

2 Primum fũdamentum. *Ecclesiastes* 12. Fundamentum prẽcipuum huius opinionis vterque sumit ex verbis Ecclesiastes c.12. postquam enim ostendit omnia, quę sub Cœlo sunt, esse vanitatem; cogitationesque hominum timidas, & prouidentias incertas: & proinde ista omnia excludi à vera beatitudine, & fine vltimo huius vitę; subdit: *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo.* idest, hęc est summa felicitas, quam in hac vita potest homo adipisci. quod etiam confirmant ex Psal.1. *Beatus vir, qui timet Dominum.* Et ex Matth.c.5. *Beati pauperes spiritu* cum cæteris eiusdem capitis beatitudinibus: in quibus solùm enumerantur opera virtutum. Accedit etiam (inquit Canus) quia Salomon studium humanę scientię vocat *occupationem pessimam* idest laboriosã: cum tamen pauci perfectam scientiam consequantur.

Psalm. 1. *Matth.*5.

3 Secundum. Secundo; ex Bellomontano id ipsum confirmatur: quoniam in hac vita eatenus aliquis vocari potest beatus; quatenus habet aliquod initium veræ beatitudinis, quam sperat in alia vita. Initiũ autem hoc solum contingit per modum meriti: meritum autem prẽcipuè est opus charitatis, deinde aliarum virtutũ. Ergo beatitudo huius vitę solùm posita est in charitate, & in operibus virtutũ.

4 Tertium. Tertio; id ipsum corroborat Bellomõtanus auctoritate D. Thomæ inferius q.5.ar.5. vbi dicit beatitudinem imperfectam huius vitę esse in operatione virtutis: quæ omnia ad solam voluntatẽ pertinent. His igitur concludunt beatitudinem huius vitæ in sola voluntatis operatione essentialiter collocari.

5 Resolutio. Oppositа tamen sententia communior est inter theologos, qui vtriusque vitæ, contemplatiuę scilicet, & actiuæ operationes ad essentiam beatitudinis referunt: inter quos est Medina in ar.7. huius quęstionis. Quam ego sententiam semper verissimam iudicaui. Cuius efficax fundamentum ex eo puto esse sumendum; quia beatitudo supernaturalis viæ essentialiter constituitur, & integratur ex duplici beatitudine partiali, contemplatiua scilicet, & actiua: cum verò illa ad intellectum pertineat, hæc verò ad voluntatem; necessariò infertur beatitudinem supernaturalem viæ essẽtialiter poni in operatione tum intellectus, tum etiam voluntatis.

Medina.

Fundamentum efficax.

Vt huius rationis efficacia magis appareat, supponimus theologos duplicẽ constituere beatitudinem huius vitæ, contemplatiuam vnam, actiuam alterã. Quę diuisio sumitur ex Arist. 10. Ethic. c.7. & 8. eam ponit D. Thomas 2.2.q.186. ar.3.ad.4. & inferius q.5.ar.4. & de virtutibus q.1.ar.5.ad 8. Paludanus in 4.d. 49.q.3.ar.2. vbi Sotus q.1.ar.4. concl.5. Medina hìc ar.7. & est vulgata diuisio apud theologos, vt iam aduertimus lib. 3.q.1.ar.2.n.18. quæ ex D. Thoma in d. ar.3.ad 4. soli beatitudini huius vitę accommodatur. Quòd verò illa essentialiter constituatur, & integretur ex duplici explicata beatitudine probat Paludanus vbi supra; nos primò id confirmamus; quia beatitudo naturalis ex sentẽtia Aristot. ex vtraque illa essentialiter constituitur, vt quidam volunt. Ergo idem dicendum erit de beatitudine supernaturali viæ.

6 Beatitudo huius vitæ duplex, contemplatiua & actiua. *Arist.* *D. Thom.* *Paludan.* *Sotus.* *Medina.*

Deinde suppositа illa beatitudinis diuisione iam inquiro; an quælibet illarũ per se sũpta, & independenter ab altera possit in hac vita facere hominẽ beatũ? Pars affirmatiua dari nõ potest, vt statim ostendemus. Concessa autem negatiua parte, necessariò concedendum est neutram illarum ex se esse totalem beatitudinem, sed partialem duntaxat; ita vt ex vtraque essentialiter constituatur vna totalis, & integra beatitudo, qua homo invia adęquate beetur. Quod fuit antecedens initio propositum. Ex quo vt diximus, necessariò infertur beatitudinem viæ ex sua essentia vendicare sibi actum, tum intellectus, tum voluntatis.

7 Corroboratur fundamentum positum.

Quòd verò neutra illarum beatitudinum se sola possit hominẽ beare multis ostendemus. Et primò; quoniam sequeretur hominẽ in hac vita fieri beatum beatitudine supernaturali diuersę rationis, & speciei; etenim, quælibet illarũ est diuersę rationis, & essẽtiæ. Hoc autem esse falsum ex eo patet: quoniam licet beatus comprehensor in ratione beati specie differat à beato viatore: beatus item beatitudine supernaturali viæ specie distingatur à beato naturali beati-

8

beatitudine: tamen singuli beati in suo quoque ordine, & statu eiusdē sunt speciei; & subinde omnes habent beatitudinem eiusdem rationis.

9 Deinde; neutra illarum sine altera potest hominem reddere beatum: nā beatitudo supernaturalis viæ ideo potest hominem beatum reddere, quia est quędam inchoatio beatitudinis patriæ, vt Bellomontanus nobis aduersarius optime annotauit. At neutra sine altera potest esse inchoatio, & initium futurę beatitudinis: sicut enim sine supernaturali cognitione fidei nihil potest placere Deo advitam ęternam: ita sine dilectione ex charitate cognitio supernaturalis fidei non potest esse Deo grata, & ad vitam æternam accepta. Ergo neutra sine altera potest reddere hominem beatum.

10 Accedit tertio; quia nihil potest habere rationem beatitudinis supernaturalis, quandiu ex se non excludit miseriam peccati mortalis, cum quo nihil dici potest inchoatio beatitudinis futurę, At neutra earum ex se sine altera excludit miseriam peccati. Ergo neutra sine altera habere potest rationem beatitudinis. Minor facile patet in beatitudine contemplatiua, quæ posita est in cognitione supernaturalis fidei: hæc enim in peccatoribus reperitur: beatitudo autem actiua supernaturalis, & si in peccatoribus reperiri nōpotest; quia ex se est beatitudo operans per charitatem, hæc tamen sine vita contemplatiua supernaturalis fidei esse nequit: quia fides est initium, radix, & fundamē tum totius vitæ spiritualis. Ita fit, vt cō templatiua simul cum actiua; & actiua simul cum contemplatiua ex sua natura constituant, ac veluti integrent vnam beatitudinem supernaturalem, cui adęquate conuenit, esse inchoationem, & initium beatitudinis patriæ. Ex quo necessariò concluditur beatitudinem viæ essentialiter vendicare sibi operationē, tam intellectus, quàm voluntatis.

11 Obiectio. Siquis inquirat; cur beatitudo viæ duplicem illam beatitudinem essētialiter includat; cum beatitudo perfecta patrię solam contemplatiuam ad suam essentiam admittat? Respondendum est longè diuersam esse rationem inter vnam, & alteram beatitudinem. Nam beatitudo patriæ propter suā perfectionē in sola vita contemplatiua est posita: quia ex sua natura posita est in cognitione, & amore matutino circa ea, quæ ad intra Deo conueniunt: vbi nullus datur locus vitæ actiuę: actiua enim solū reperitur in politia vespertina patrię; in qua ob perfectionem suam vita contemplatiua necessariò secum coniungit vitam actiuam in suo statu integram, & stabilem: hæc enim est obiecti beatifici natura, vt illius visio necessitet ad amorem sui: visio autem, & amor reddunt volūtatem impeccabilem, vt pote immobilem à volūtate diuina. At in hac via duæ istæ vitę non necessario sunt coniunctę, sed cum alta diuinorum cognitione potest esse vita peccatis obnoxia: ob quā imperfectionem nō potest perfectè esse beata nisi vtraq; vita simul cūiungatur.

Cui resolutioni non obstant, quæ p aduersaria opinione adduximus. Nam ad primum argumentum dicendum est timorem illum Dei, & mandatorum obseruantiam, vt possint in hac vita hominem reddere beatum includere tum supernaturalem cognitionem fidei, *sine qua impossibile est placere Deo*; vt ait Paulus ad Romanos 11. tum etiam dilectionem ex charitate: quoniam ex Ioanne 1. suæ canonicæ c. 11. *qui non diligit, manet in morte*. Et eodem modo soluitur confirmatio adducta ex Psal. 1. & Matth. 5. Porrò friuolum est, quod ex Cano adducitur: quoniam Salomon illa verba non dixit de cognitione fidei infusæ, sed de cognitione naturalium scientiarum. 12 Solutio primi fūdamēti.

Secundum argumentum in auctorem retorquetur: quoniam initium futuræ beatitudinis, sicut sine charitate dari non potest; ita nec sine fide, vt iam ostēdimus. Quare licet initiū futuræ beatitudinis contingat per modum meriti ex charitate: tamen supponit fidem, tanquam fundamentum, & primum initium ædificij spiritualis, quod per charitatē constructur. 13 Solutio 2.

Ad tertium dicendum est D. Thomā in citato loco dixisse quidem beatitudinem imperfectam consistere in operatione virtutum: non tamen dixisse eam in sola virtutum operatione esse positā: alijs enim in locis docuit hanc beatitudinē principaliter sitā esse in operatione contemplatiua, vt supra ostēdimus. 14 Solutio 3.

ARTI-

ARTICVLVS V.

In quibusnam operationibus intellectus, & voluntatis essentialiter ponatur beatitudo supernaturalis viæ.

1 Beatitudo contemplatiua, & actiua quo pacto differāt?

INITIO huius articuli præmittendum est beatitudinem contemplatiuam (quam ad essentiam beatitudinis supernaturalis viæ pertinere diximus) non ideo distingui à beatitudine actiua, quod illa ad solum intellectum pertineat; actiua verò ad solam voluntatem, vt quidã, allucinati tamen, existimauerunt: etenim vtraque beatitudo in sua ratione per se includit operationem vtriusque illius potentiæ. Quod de beatitudine actiua euidenter constat: hæc enim, cum sit practica, nec dari potest sine intellectu practico; nec sine voluntate exequente. De beatitudine autem contemplatiua idem ex eo ostendi potest, quod beatitudo patriæ (quæ ad suam essentiam nõ admittit vitam actiuam, sed solam contemplatiuam, vt diximus q. 9.) non solùm constat ex visione diuinæ essentiæ, sed etiam ex amore, quæ ex speculatione visionis naturaliter resultat: idque iuxta sententiam illorum, qui beatitudinem patriæ in operationibus intellectus, & voluntatis essentialiter constituunt. Quare ad beatitudinem contemplatiuam supernaturalem viæ pertinet non solùm notitia supernaturalis fidei, quæ diuinas veritates essentiæ, & attributorũ speculatur; sed etiam amorem, quo voluntas diuinitus adiuta in Deum fertur propter perfectiones, quas in eo cognoscit: quæ ipsæ etiam propter se sunt amabiles.

2 Simili modo beatitudo actiua supernaturalis viæ non solùm cõstat ex operationibus charitatis, & virtutũ propter Deum, sed ex directione intellectus practici, prout illustratus supernaturali lumine dirigit volũtatem in suis operationibus: etenim voluntas ex amore diuinæ bonitatis, quam fides, vt summũ bonum, & vltimum finem illi proponit, diuinitus excitata, erectaque virtute spei, agitata insuper desiderio, & intentione consequendi illud bonum; imperat intellectui, vt de medijs consultet, atque deliberet, quibus Deum assequatur. & inde incipit vita actiua; quatenus intellectus practicus lumine fidei illustratus, insuper etiam dono scientiæ, & Consilij voluntatem dirigit ad actiones meritorias. Ita fit, vt beatitudo actiua huius vitæ supponat quidem notitiam speculatiuam fidei circa diuinas perfectiones: per se tamen includat tum fidẽ, quatenus est eminenter practica: tum etiam donum sciẽtiæ, & consilij, quibus operationes virtutum moralium ad finem charitatis per ipsam charitatẽ ordinentur. Vtraque igitur beatitudo includit intellectum, & voluntatem: sed cõtemplatiua intellectum speculatiuũ; actiua verò practicum. Sed iam de operationibus vtriusque potentię agamus: vt explicemus, quænam illarum ad essẽtiam beatitudinis pertineant.

3 Quod igitur attinet ad intellectum; ex dictis iam patet eum diuidendum esse in speculatiuum, & practicum: quorũ ille ad beatitudinem speculatiuã pertinet: hic ad actiuam, vt colliges ex D. Th. ar. 5. huiꝰ quęstionis. In speculatiuo primũ reperitur cognitio supernaturalis fidei infusæ, qua cognoscimus Deum secundum suã diuinitatem, attributa, cæteraque perfectiones nobis reuelatas, quas fides non practicè, sed purè speculatiuè contemplatur. Deinde reperitur cognitio donorum Spiritus Sancti, quæ intellectum speculatiuũ comitantur, vt sapiẽtia, & intellectus, de quibus D. Th. 1. 2. q. 68. ar. 4. In practico etiam intellectu reperitur cognitio practica pertinẽs ad fidem infusam, prout est habitus eminẽter practicus: fides enim licet primò, & principaliter se habeat ad primã veritatem: secundariò tamen se extendit ad directionem humanorum operũ, vt ait D. Tho. 2. 2. q. 8. ar. 6. Præterea reperitur donum scientiæ, & consilij, ex D. Thom. in d. q. 68. ar. 4.

D. Thom. Operationes de quibus potest esse dubitatio.

D. Thom.

4 Porrò in voluntate reperitur amor; siue dilectio supernaturalis, quę est operatio elicita à charitate. Similiter etiã reperiũtur operationes virtutũ moraliũ imperatę à charitate concurrentibꝰ donis pietatis, fortitudinis, & timoris Domini, iuxta ea, quæ habes ex D. Th. d. q. 68. ar. 4. Adhuc etiã reperitur gaudiũ, siue delectatio, tum de contemplatione veritatis diuinę: tum de operatione secundum virtutẽ. Deniq; reperitur actus spei, qui est actus quidam theologicus.

5 Resolutio circa actum fidei.

His ita præmissis iam inquiritur; vtrum beatitudo supernaturalis viæ in sua essentia includat omnes istas operationes? & quod attinet ad actus intellectus; inter omnes conuenit actum fidei infusæ pertinere ad essentiam beatitudinis supernaturalis huius vitæ: est enim initium, & fundamentum inchoationis futuræ beatitudinis, qua in hac vita beamur: etenim *sine fide impossibile est placere Deo*, vt ait Paulus ad Roman. 11. Quod satis colligitur ex Augustin. de Trinitate, dum ait nos in hac vita beatitudinem perfectam patriæ, quæ ponitur in visione diuinæ essentiæ, participare per id, quod Paul. ait 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Quæ verba de visione per fidem absque dubio intelliguntur.

Ad Rom. 11. *Augustin.* 1. *Cor.* 13.

6 Dubium circa alios act. intellectus. Pars negas.

Vtrum verò præter actum fidei aliquis alius actus pertineat ad essentiam supernaturalis beatitudinis huius vitæ? Dubitare quis poterit. Absolutè negat Suarius in hac q. 3. disp. 7. quæstiunc. 2. ad finem, §. *Tertio dubitari potest.* Fundamentum est, quia in intellectu nulla datur virtus theologica præter fidem: & subinde nullus datur actus in intellectu, quo attingamus Deum in se ipso, præter actum fidei; & ex consequenti nullus in intellectu datur actus alius ab actu fidei, qui ad essentiam beatitudinis pertineat.

Fundamentum.

Improbatur quoad fundamentum.

Hæc tamen opinio & in probatione videtur dubia; & in ipsa conclusione patitur instantiam. Quod in probatione sit dubia, ex eo patet; quia supponit ad essentiam beatitudinis supernaturalis huius vitæ solùm admitti posse actum theologicum ad Deum in se ipso terminatum: quod tamen non esse necessariũ facilè patet ex actibus virtutum moralium, qui ad Deum in se ipso non terminantur; & tamen eos ad essentiam huius beatitudinis pertinere ratione vitæ actiuæ, nullus dubitat.

7

Quod si respondeas eos ex directione charitatis ordinari ad Deum; respõdebo hoc ipsum etiam reperiri posse in actibus intellectus. Deinde in illa probatione illud videtur falsum nullum actum intellectus præter actum fidei terminari ad Deum in se ipso; etenim dona Spiritus Sancti versari possunt, & sæpe versantur circa eadem obiecta, & circa eandem materiam; circa quam versantur virtutes theologicæ, vt expresse docet Capreolus in 3. d. 34. q. vnica art. 3. ad 7. impugnationem fol. 130. col. 2. satis ad mentem D. Thomæ 1. 2. q. 68. ar. 4. dum ait dona se extendere ad omnia, ad quæ se extendunt virtutes, tam intellectuales, quàm morales. Vnde idem D. Thomas 2. 2. q. 8. ar. 6. docet donum intellectus versari circa ea, quæ fidei proponuntur; dum illa maiori cũ claritate percipit: donum verò sapientiæ, dum illis maiori cum claritate iudicio assentitur, & inhæret. Quod satis etiam declarauit in d. q. 68. ar. 4. Itaque sicut fides, veritates à Deo reuelatas immediatè percipit, & Deo reuelanti immediatè assentitur: ita etiam donum tam intellectus, quàm sapientiæ; quanuis diuerso modo: quia fides eas immediatè percipit, Deoque immediatè assentitur; cum certitudine quidem; sed obscurè: At donum intellectus easdem etiam immediatè percipit à Deo; cum maiori tamen penetratione, & claritate: sapientia autem Deo reuelanti, & ipsis veritatibus reuelatis immediatè iudicando assentitur; illis tamen cum maiori claritate adhærendo. Non igitur admittendum est donum sapientię immediatè non percipere veritates reuelatas; nec Deum reuelantem immediatè non cognoscere, sed solùm iudicare de maiori credulitate; ita vt credulitas veritatum reuelatarum sit immediatũ obiectum ipsius doni sapientiæ. Quare probatio adducta à Suario ex duplici capite videtur dubia.

Capreolus. *D. Thom.*

D. Thom.

8 Improbatur quoad conclusionem.

Sed ipsa etiam conclusio patitur instantiam sumptam ex ijsdem donis Spiritus Sancti: quia dona Spiritus Sancti sunt ad salutem simpliciter necessaria, vt docet D. Thom. 1. 2. in d. q. 68. art. 2. in fine corporis. Quin potius non solùm videntur necessaria ad ipsam actualem consecutionem beatitudinis futurę; sed etiam, vt modò simus filij Dei, & hæredes: iuxta illud Pauli ad Romanos 8. *Qui spiritu Dei aguntur; hi filij Dei sunt, & hæredes.* & iuxta illud Psalm. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* In vtroque loco spiritum accipi pro dono Spiritus Sancti interpretatur Diuus Thomas in dicta quæst. 68. art. 2. Igitur vt quis, & filius Dei sit, & hæres vitæ æternæ:

D. Thom. *Ad Rom.* 8. *Psal.* 142. *D. Thom.*

ternæ: & vt quis in via, terraque supernæ hæreditatis ambulet, necessariò indiget dono Spiritus Sancti, quo ex Spiritus Sancti instinctu moueatur. Beatitudo autem supernaturalis huius vitæ, cum sit inchoatio quædam, & initium futuræ beatitudinis, non potest essentialiter non includere ex parte intellectus operationem ex dono Spiritus Sancti.

9 Hęc instantia non habet locum apud eos, qui negant dona Spiritus Sancti esse habitus distinctos à virtutibus infusis: quam sententiam probauit Scotus in 3.d.34. q.vnica, §. *Ad istam quæstionem,* & Gabriel ibi art. 2. concl. 1. cum alijs, quam vt probabilem defendit Bellomont. 1.2.disp.89.c.2.n.6. etenim dona, quæ comitantur intellectum speculatiuum, apud istos non distinguerentur à fide. Quin potius non erit illi locus, si vera est opinio, quæ in eo dona à virtutibus infusis distinguit, quòd perficiant potentias animæ ad actiones quasdam heroicas, & extraordinarias: ita enim fieret, vt dona Spiritus Sancti maxime quidem ornarent beatitudinem viæ: nō tamen in ea intrinsecè, & essentialiter includerētur: quoniam sine actionibus heroicis, & extraordinarijs fideles cōmuniter saluantur. Quòd si his obijcias inde sequi dona ista non esse simpliciter necessaria ad salutem, contra doctrinam D. Thomæ; respondent dona Spiritus Sancti esse necessaria ad salutem quoad habitum; non tamen quoad actum: quia plures sunt, qui actibus tantùm ordinarijs virtutum, & promerentur, & adipiscuntur beatitudinem; voluntque ita esse intelligendum D. Thomam: ita habes ex Valentia 2. tom. disput. 5. q. 8. punct. 3. §. *Præterea dona esse necessaria.* pag. 596. & Bellomont. in dicta disput. 89. c. 1. n. 3. quo loco docet dona ista solùm esse necessaria quoad connexionem, quam habent ad charitatem, quæ est secundum habitum, nonverò secundum actum; nec enim actus heroici donorum necessariò cum charitate cōnectuntur, vt probat allatum fundamentum.

Scotus. Gabriel.

Obiectio.

Responsio quorundam

10 Ego tamen non puto hanc fuisse mētem D. Thomæ in dicta quæst. 68. artic. 2. vt facilè quis intelliget, tum ex fine corporis, tum ad secundum, tum etiam ex vi rationis, quam adducit; quæ euidenter concludit dona esse ad salutem necessaria ratione actualis motionis ex instinctu Spiritus Sancti, sine qua (vt ait) nemo salutem consequitur; ad quā sine donis non sufficiunt virtutes infusæ. Quare de necessitate donorum quo ad actum Diuū Thomam intellexerunt Conrad. & Medina ibi, & Capreolus in 3.d.34. q.vnica art.3. ad 1. Scoti in vltimis verbis pag. 129. col. 1. in principio. Qua opinione suppositā necessariò affirmandum est beatitudinem supernataralem huius vitæ ex parte intellectus non solùm essentialiter includere cognitionem fidei; sed etiam cognitionem ex donis Spiritus Sancti, quę comitantur intellectum, tam speculatiuū, quàm practicum.

Improbatur

Aliorum explicatio probatur.

Conradus.

Medina.

Capreolus.

Resolutio circa actus voluntatis.

Quod verò attinet ad actus voluntatis: nulla est, aut esse potest dubitatio; quin dilectio ex charitate maximè pertineat ad essentiam beatitudinis supernaturalis vię: etenim sine charitate nulla potest dari talis beatitudo, iuxta illud 1. Ioan. 3. *qui non diligit, manet in morte:* cum charitate verò manet Deus, qui est obiectum beatitudinis; nam ex eodem Ioanne 1. can. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Adde etiam verba Christi Ioan. 14. *Qui diligit me, mādata mea seruabit: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Omittimus Sanctorum testimonia, qui charitatem, & dilectionem appellant vitam animæ, & semen gloriæ.

De dilectione ex charitate.

1. Ioan. 3.

1. Ioan. 4.

Ioan. 14.

11 Certissimum etiam est, & indubitatū beatitudinem viæ ad suam essentiā admittere operationes secundum virtutem, prout à charitate imperantur: *nam fides sine operibus mortua est,* vt ait Iacobus in sua can. & Christus dixit Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata,* Ecclesiastes 12. *Deum time: mandata eius obserua: hoc est omnis homo.* i in hoc ponitur summa huius vitæ felicitas, & Ioan. 14. *Qui diligit me, mandata mea seruabit.* Deniq; Matth. 5. Beatitudines à Christo enumeratæ ponūtur in operationib⁹. Quare non est audiēdus Suarius in hac quęstione disp. 7. quæstiunc. 2. in fine, dum negat operationes virtutū moralium ad essentiam beatitudinis viæ pertinere; ideo, quia Deum non attingunt: nam licet secundum se non attingant Deum;

De operationibus à charitate imperatis.

Matt. 19.

Eccles. 12

Ioan. 14.

Matt. 5.

illum tamen attingunt, vt per charitatem imperantur.

12 De actu spei

Tertio loco certissimum esse debet actum spei virtutis theologicę ad essentiam supernaturalis beatitudinis vię etiam pertinere. Quæ fuit sententia Augustini, qui in sua doctrina sæpe docet iustos spe futuræ beatitudinis iam nũc beatos esse; ita lib. 11. de Ciuitate Dei c.4.& lib.19.c.4.ad finem,& satis explicat D. Thomas inferiùs q. 5.ar. 3. ad 1. dum ait nos in hac vita vocari posse beatos propter spem futuræ beatitudinis, quam habemus: hæc enim spes est quid necessariò requisitum ad iustitiã, & iustificationem, quæ est quædam futuræ beatitudinis participatio. Quod verò spes sit ad hanc iustitiam necessaria, latè probat Veiga lib. 7. in Concil. Tridentinum c.3.& satis diffiniuit idem Tridentinum sessione 6.de iustificatione c. 6.& canone 3. & docuit Paulus 1. Corinth.13. dum ait: *Nunc autem manent fides, spes, charitas.*

Augusti. *D.Thom.* *Veiga.* *Tridentin.* *1. Cor. 13.*

13 Obiectio.

Siquis verò obijciat actum spei, cum positus sit in tendentia, & motu, omnino repugnare beatitudini, quæ posita est in consecutione boni, ad quod quis tendit: respondendum est actum spei repugnare quidem reali,& perfectę cõsecutioni boni beatifici: *nam quod quis habet, quid sperat?* vt ait Paulus: non repugnare tamen aliquali consecutioni boni sperati. Quin potius includit aliqualem illius assecutionem, vt satis declarat Paulus ad Romanos 8. dum ait: *Spe salui facti sumus*: nam aliquo modo iam obtinuit æternam salutem,qui eam sperat:maximè quando sperat illam spe formata per charitatẽ; quo modo spes ad beatitudinem pertinet: nam, qui sperat,prout respicit id, per quod salutem æternam sperat consequi; in illam iam tendit, vt in bonum proprium, vt doctè aduertit Diuus Thomas 1.2. quæstione 40. articulo 7. etenim iam habet Deum amicum, & iam habet iustitiam, quæ est quædã futuræ beatitudinis participatio.

Solutio.

Ad Roma. 8.

D.Thom.

14 De gaudio, siue delectatione.

Quod verò attinet ad gaudium siue delectationem, quam iustus habet,tum de contemplatione diuinarum veritatum,tum de operatione virtutum: eam ad essentiã beatitudinis pertinere probabunt qui delectationem patriæ de Deo viso, & amato inter actus beatificos enumerant: hi enim à fortiori affirmabunt eam esse de essentia beatitudinis supernaturalis viæ. Quibus videtur fauere Diuus Thomas inferius q.5. artic.3.ad primum, dum ait posse quem dici beatum in hac vita propter aliqualem participationem beatitudinis secundum aliqualem summi boni fruitionem: fruitio autem apud D. Thomam idem est,quod delectatio.

D.Thom.

Oppositum tamen dicendum videtur:nam D.Thomas 2. 2.q.180. artic.7. ad primum, declectationem excludit ab essentia huius beatitudinis. Fundamentum est; quoniam sicut in patria gaudium supponit bonum summum esse assecutum,vt diximus supra quæstione 11. artic.2. §. 1. ita etiam gaudium in via supponit Deum esse assecutum assecutione imperfecta, quæ propria est viæ: supponit enim in iusto iustitiam,& sanctitatem, in qua formaliter consistit beatitudo viæ, cum sit initium, & inchoatio beatitudinis patrię. Vnde gaudium à Paulo ad Galatas 5.ponitur fructus charitatis à charitate exiens, tanquam vltima perfectio,& tanquam prę mium assecutionis summi boni. De quo vide D. Thomam 1.2.q.70. art.1. & hæc de isto articulo.

D.Thom. *D. Tho.*

ARTICVLVS VI.

In quanam operatione beatitudo supernaturalis viæ principalius colloceturʔ

1

CVM iam cõstet beatitudinem supernaturalẽ viæ essentialiter cõsistere in operatione tum intellectus; tum etiam voluntatis: merito inquiri potest,in quanam principalius cõsistat?& theologi,sicut varij sunt in beatitudine supernaturali patriæ, vt patet ex ar. 4.quæstionis præcedentis:ita etiã variãt in beatitudine supernaturalivię. Quidam putant eam principalius poni in actu intellectus, nimirum in cognitione fidei infusæ. Quæ est opinio Diui Thomæ in 5.ar. huius tertię quęstionis. Alij è contrario volunt eam principalius poni in actu voluntatis, nẽpe in dilectione ex charitate.Medij interiacẽt, qui docent eam in vtraque potentia æque principaliter collocari.

Prima opinio.

D.Thom. Secunda.

Tertia.

Pro

2 Præmissum

Pro resolutione præmittendum est; cum ista beatitudo sit integrata ex duplici partiali beatitudine, vt diximus supra art. 4. prius vtramque istam partialem beatitudinem inter se esse conferendam: deinde conferendos esse actus intellectus, & voluntatis, ex quibus quælibet illarum constat. Et hoc modo facilis erit huius quæstionis explicatio.

3

Quod attinet ad primum; inquirimus, an beatitudo supernaturalis viæ consistat in beatitudine contemplatiua; an verò in actiua? Cui quæstioni satisfacimus hac prima conclusione. Beatitudo supernaturalis viæ principalius ponitur in vita contemplatiua, quam in actiua. Hæc apud omnes est indubitata.

Prima conclusio.

Probatur primò: quia de beatitudine naturali idem docuit Aristoteles libr. 10. Ethic. c. 7. & 8. quo in loco (vt in sequenti quæstione videbimus) beatitudinem primò posuit in vita contemplatiua; secundò in actiua. Quod verò docuit de beatitudine naturali, similiter dicendum erit de beatitudine supernaturali viæ. Deinde; quia satis id docuit D. Thomas in art. 5. huius tertiæ quæstionis. Tertiò; quia vita contemplatiua pertinet ad superiorem portionem mentis, actiua verò ad inferiorem: portio autem superior in mente secundum se longe est nobilior, quàm inferior. Quartò; quia operationes vitę contemplatiuæ immediatè fluunt à virtutibus theologicis fide, scilicet, & charitate: operationes verò vitę actiuæ immediatè fluunt à virtutibus moralibus: quæ, etiam si infusæ sint, sunt inferiores virtutibus theologicis. Quintò; quia ex parte intellectus notitia speculatiua fidei circa diuinam essentiam, diuinasq; veritates nobilior est, quã notitia practica, qua eadem fides se extendit ad dirigendas humanas actiones, vt patet ex D. Thoma 1.2.q.68. ar.6. Ex parte verò voluntatis amor amicitiæ erga Deum (qui pertinet ad beatitudinem, vitamq; cõtemplatiuã) longè est nobilior, quàm cæteri omnes amores, cæteriq́ue volũtatis actus. Postremò; vita actiua emanat à contemplatiua; imò est propter eam: nam actiones vitæ actiuæ sunt imperatæ à voluntate ob simplicem finis amorem, qui ad beatitudinem contemplatiuam spectat; & de hac conclusione satis.

Probatur 1. ex Aristot.

Secundò ex D. Thoma.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

D. Thom.

Vltimo.

Quòd verò attinet ad secundum caput; conferendæ sunt inter se actiones intellectus, & volũtatis, ex quibus quęq; partialis beatitudo integratur, vt diximus supra. Sit igitur secunda conclusio: magis placet singulam quanque beatitudinem partialem viæ in operatione voluntatis principalius collocari. Quæ opinio communior est, & facilè probabitur, si aduertamus rem istam non esse expendendam penes entitatiuam nobilitatem, aut potentiarum, aut habituũ, aut ipsorum actuum, sed penes rationẽ tendentiæ ad supremam felicitatem patriæ: in hac enim posita est beatitudo viæ: ita vt homo viator eò sit beatior, quò propior fuerit, & magis dignus beatitudine cœlestis patrię. Vnde in via illa assecutio finis erit nobilior, quę cęlestis beatitudinis facit nos, & digniores, & propinquiores: quod satis est de mẽte D. Thomæ 1. 2. q. 69. art. 1. Iam verò cœlesti beatitudini eò magis appropinquamus, quò actiones maioris meriti elicimus: etenim merendo accedimus ad Deum: radix autem meriti est charitas, vt apud Theologos iam constat.

5 Secunda cõclusio.

Probatur.

D. Thom.

6 Confirmat.

Hæc conclusio confirmatur; quia omnes Theologi fatentur in via amorem ex charitate, saltem in genere moris, esse longè nobiliorem cognitione fidei, vt patet ex his, quæ diximus supra q. 8. ar. 5. n. 12. Beatitudo autem supernaturalis viæ, cum posita sit in assecutione summi boni secundum condignitatem operationis, & meriti, non attendit nobilitatem entitatis, sed moralitatis. Maximè quia non desunt, qui affirment amorem non solùm in via, sed etiam in patria, tam in genere moris, quàm in genere entis esse simpliciter nobiliorẽ, tam cognitione fidei, quàm visione patriæ. Et hæc de beatitudine supernaturali viæ satis diximus.

QVÆSTIO XIIII.

Præmissum circa beatitudinem naturalem.

IVXTA ordinem prefixum in prefatiuncula huius libri superest dicendum de beatitudine naturali humanæ vitæ. In qua quæstione præmitten-

mittendum est,nec audiendum esse Canum lib.9.de locis theologicis c.9.pag. 521.nec Bellomontanum 1.p. disp.226. c.2.n.34.& 1.2.disp.12.c.3.num.11.dum volunt nullam esse admittendam beatitudinem naturalem, si propriè de beatitudine loquendum est:in hoc enim latè vtrumque impugnauimus lib. 3.q.1. ar. 3. §. 4. quo loco contra communem sententiam resoluimus de facto quidē nullam dari beatitudinem naturalem: eam tamen fuisse possibilem,si Deus hominem nō ordinasset ad beatitudinem supernaturalem, sed solùm ad finem sibi connaturalem,quem suis viribus cōsequi potuisset. De hac igitur beatitudine (quam possibilem supponimus) agendum erit hoc loco. Huius obiectum non esse bonum aliquod creatum, sed solum Deum eodem libr.3. ostendimus q.5.ar.4.& in sequenti lib.rursus ostensuri sumus.Hanc diuidi in perfectā,quæ post mortem haberi potuisset; & in imperfectam, quæ foret in hac vita,ostendimus eodem libr.3.q.1.ar.2.§.5.n.16. De vtraque igitur nunc est agendum.

De hac igitur plura sunt hoc loco inquirenda.Primò inquirendum est;an in hac vita foret admittenda, an solū post mortem? Secundò;an illa consisteret in operatione? Tertiò; an consisteret in vna,an in pluribus? Quartò;an essentialiter includeret beatitudinem contemplatiuam,& actiuam? Quintò;an consisteret in operatione, tam intellectus, quàm voluntatis? Sextò; in quibusnam operationibus consisteret? Postremò; in quanam principalius collocanda foret?

ARTICVLVS I.

An beatitudo naturalis daretur in hac vita; an solùm post mortem?

1 EX his, quæ scribit Aristoteles 1. Ethic.c.9.10.& 11. facilè quis intelliget hac de re fuisse inter veteres dubitationem.Nam Solon in dict. c.10. in principio videtur negare posse aliquem in vita dici beatum, sed expectandam esse mortem;ita enim inquirit Arist. *Est ne igitur nec vllus alius hominum felix,quandiu viuit dicendus;sed Solonis sententia finem spectare oportet? Quod si & ita ponendum est;tum ne felix est, cum è vita discesserit?* Nam de illo scribit Ouidius 3. Metamorph. *Sed scilicet vltima semper expectanda dies homini est, dicique beatus ante obitum nemo; supremaque funera debet.* Ex quibus facilè quis credet Solonis sententia neminem,nisi post mortem dici posse beatum. E contrario videtur sentire Arist. in dicto c.10.post mortem nullam futuram beatitudinem: nam ex eo improbat Solonis sententiam, quia tanquam absurdum obijcit mortuum dici posse beatum. Quare ex disputatione Aristotelis duę possunt colligi sententię circa propositam quæstionem. Vna, nullam post mortem admitti felicitatem: altera,nullam in vita.

Opinio Solonis.

Opinio Aristotelis.

Duplex sententia.

1 Prima.

Secunda.

2 Priorem sententiam potest quis cōfirmare; primò auctoritate Aristotelis in dicto capite 10.vbi sententiam Solonis improbat. Deinde ratione adducta ab Aristotele:quia felicitas est quędam operatio secundum virtutem: mortui autem operari non possunt.

Probatur 1. ex Aristot.

2.ratione.

Posteriorem verò confirmabit quis: primò;auctoritate Solonis,quam adduximus.Deinde ratione eiusdemSolonis: considerans enim vitam humanam varijs mutationibus esse obnoxiam,dixit nullum dari posse felicem,nisi in fine vitæ,hoc est,cum à vita discedit:quod nihil est aliud, quàm asserere nullum,nisi post mortem felicem dici posse: quasi sic arguat. Pro statu huius vitæ dari nō potest perpetua, & stabilis duratio in aliquo bono: nec enim intellectus in contemplatione summi boni diu permanebit: nec voluntas in sua rectitudine:nec status fortunę firmus est;sed fieri potest,vt is,qui maximis bonis abundat, in magnas incidat in senectute calamitates: cum tamen stabilis in bono permanentia sit de ratione veræ beatitudinis. Tertiò; in hac vita homo non potest habere summum bonum, cuius assecutione fiat beatus. Ergo in hac vita non consistit beatitudo. Consequentia est nota, antecedens probatur; quia appetitus hominis nullo eorum bonorum; quæ in hac vita viribus naturæ consequi potest, satiabitur; vt patet. Nec etiā ipso Deo cognito cognitione in hac vita possibili:quia talis cognitio est satis parua, nec potest appetitum satiare. Postremo; status vitę prę sentis admittit

Secunda cō firmatur 1.

Secundo.

Tertio.

Vltimo.

admittit secum miseriam peccati, vt quotidiana docet experientia. Vera autem felicitas, etiam quæ est naturalis, non potest cum miseria peccati consistere.

3 Prima asser tio. His non obstantibus asserendum est, quòd beatitudo naturalis & in hac vita, & post mortem foret possibilis. Sit igitur prima assertio: si Deus hominem nō ordinasset in supernaturalem beatitudinem; posset beatitudo naturalis homini conuenire etiam in hac vita. Hæc assertio expressè est Arist. agnoscens enim in homine solùm finem naturalem, multis ostendit eum invita dici posse felicē. Id contra Solonis sententiam multis ostēdit 1. Ethic. c. 10. nam post longam disputationem, & post solutionem omnium obiectionum text. 51. ita concludit: *Quid igitur obstat eum felicem dicere, qui per virtutē operatur perfectam; & bonis externis satis abundat: non quouis tempore, sed in vita perfecta.* Et statim: *Quòd si ita sit, viuentium eos, quibus ea quæ diximus, insunt, & inerunt, beatos dicimus.*

Probatur ex Philosopho

4 Deinde ratione. Sed ratione id confirmatur: quoniā Deus hominem tunc ordinasset in finē vltimum illi connaturalem: *quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt.* ad Roman. 13. Cum verò disponat omnia suauiter (vt dicitur Sapient. 8.) concederet illi principia naturalia ad suum naturalem finem consequendum; nec enim deficit in necessarijs: nam & modo eadem principia naturalia sunt homini concessa ad eundem naturalem finem consequendū (quanuis non vt simpliciter vltimum) vt docuit D. Thomas 1.2.q. 82. ar. 1. dū ait hominem per principia naturalia, quæ habet, ordinari ad finem naturalē. Forent autem omnino inutilia, & superflua, si hominem in hac vita non possent perducere ad consecutionem sui finis: etenim post mortem, & si manerent intellectus, & voluntas; non tamen manerent principia vitę actiuę, quibus homo secundum virtutem operaretur. Quare cum ista etiam principia homini forēt collata ad consecutionem sui finis; frustratoria essēt, & prorsus inutilia, si homo non posset suum finem, & suam vltimam beatitudinē in hac vita acquirere.

Rom. 13. Sapiētiæ 8.

D. Thom.

5 Cōfirmatur Accedit eò; quia homo in hac vita omnia tunc operaretur propter consequendum suum vltimum finem, vt patet ex dictis supra lib. 2. q. 6. & 7. At frustra niteretur in hac vita ad assecutionem sui finis, si illum in hac vita assequi non posset. Si dicas hominem tunc operaturum fore propter finem non in hac vita sed in futura assequendum; vt nos modò in hac vita operamur propter assequendam beatitudinem in patria: tunc inquiram; Vtrū beatitudo illa post mortem cōferenda foret propter bonitatē operationum, quæ fuerunt in via veluti præmium illarum? Si affirmas: affirmare etiam teneris ipsam operationū bonitatem esse summum bonum viæ: quia esset inchoatio quędam futuræ beatitudinis; esset que proinde beatitudo quædam imperfecta: de qua eodem modo philosophandum esset, quo de supernaturali beatitudine nūc philosophamur.

Præcludit.

6 Secunda assertio. *D. Thom.* Probatur ratione. Secunda assertio: beatitudo naturalis tunc temporis etiam permaneret post mortē, & maiori adhuc perfectione. Hæc conclusio innuitur à D. Thoma lib. 1. Ethic. lect. 16. in vltimis verbis. Quo in loco eā inde desumit; quoniam homo ordinaretur à Deo ad vltimū finē sibi connaturalem; & cum Dei perfecta sint opera; homo ad illum finem tunc ordinaretur possidendum nō imperfectè, sed cum omni perfectione illi connaturali. Cum verò homo in vita illum nequeat possidere cum omnimoda perfectione; sed imperfectè tantùm propter varias mortalis vitę imperfectiones (quod annotauit Arist. in d. c. 10. in fine, dum ait *hominem in hac vita esse beatum, vt hominem*, mortalem scilicet) vtique post mortem beatitudinem illam possideret cum summa naturali illius perfectione: nec enim (vt ait D. Thomas) desiderium naturale perfectissimè assequēdi suum finem in homine foret inane. Hinc igitur non ineptè infert perfectam beatitudinem homini tunc reseruatam fore post mortem.

Aristot.

7 Item ex Aristotele. Hanc fuisse Arist. sententiam facile quis colliget ex lib. 1. Ethic. c. 11. ad finem: vbi euidenter supponit mortuorū quosdam felices esse: quosdam verò miseros, dum concludit ea, quæ siue bene, siue male in hac vita aguntur circa filios, nepotes, & amicos mortuorum, nec facere beatos, qui beati non sunt; nec beatitudinem auferre ab ijs, qui beati existunt.

Constat igitur beatitudinem naturalem non solum futuram fore in præsẽti vita, sed etiam post mortem; si Deus hominem ad solum finem naturalem ordinaret: ita vt in præsenti vita foret imperfecta; perfecta autem post mortem. Nec obstant, quæ initio in contrarium adduximus. Nam, quæ contra secundã assertionem pro priori sententia adducuntur, facile dissoluentur. Aristoteles enim non resoluendo dixit mortuũ non esse felicem; sed addubitando solùm, & arguendo contra sententiam Solonis. Et ideo contra id, quod arguendo obiecerat negans defunctis felicitatem; statim objcit arguendo, quòd mortuos bona aliqua, vel mala possunt attingere: quæ omnia dissoluit ad finem capitis vndecimi supponẽs defunctos esse posse beatos. Vel dicìto cum D. Thoma Aristotelem ibi solùm agere de felicitate huius vitæ: & inquirere, an illa ad mortuos attineat? Quam inquisitionem dissoluit concludens illam parùm attingere ipsos mortuos; cum nec eos possit beatos facere: nec ab ea, quam habent, beatitudine priuare. Ratio verò Arist. solùm includit mortuos non posse operari secundum virtutes morales: quod non tollit, quominus possent esse beati beatitudine vitæ contemplatiuæ.

Solutio primi fũdamẽti prioris sẽtentiæ.

Altera solutio.

9 Ad ea, quæ pro posteriori sententia contra primam conclusionem objciũtur, respondemus. Ad primum quidem nihil curandum esse de sententia Solonis, quanuis daremus eum ita sensisse: cuius tamen sententiam Arist. explicauit in d.c.10. vt non negauerit homines dum viuunt, dici posse felices; sed solùm docuerit ante mortem de nullo firmam posse dari sententiam, an fuerit felix? quia ante mortẽ fieri potest miser: quẽ tamen sensum Arist. reprobat.

Solutio primi posteriꝰ sentẽtiæ

Arist.

10 Ad secundum dicendum est argumẽtum simpliciter non probare neminem in vita dici posse beatum; sed dici non posse perfectè beatum. In vita igitur potest quis dici beatus, vt homo, vt ait Arist. in d.c.10. primi Ethic. in fine. Ratio est, quia nullus in vita propter varias vitę mutationes potest possidere beatitudinem simpliciter immutabilem; quæ est beatitudinis completa perfectio: inconstantiam tamen rerum in hac vita mortali non omnino excludere ab ea veram rationem beatitudinis: quia in ea potest dari permanẽtia in bene operando, quantum patitur præsentis vitæ status: de quo plura dicenda sunt lib. 6. Interim videndus est Aristot. in d. lib. 1. Ethic. cap. 10.

Solutio secundi.

Arist.

Ad tertium negandum est antecedẽs ad cuius probationem dicimus appetitum beatitudine naturali, tum contemplatiua, tum etiam actiua satiaturum iri accommodatè ad naturam beatitudinis naturalis, tam imperfectæ in vita præsenti, quàm perfectæ in vita futura post mortem. Vide, quæ diximus supra lib. 3. q. 1. ar. 3. §. 5. n. 26. &, quę latius dicturi sumus inferius lib. 6. 11 Solutio tertij.

Ad postremum patet solutio ex ijs, quę eodem loco diximus ad 1. n. 22. & 23. etenim beatitudo perfecta post mortem absolute excluderet omnem miseriam peccati: quia perpetuam includeret volũtatis rectitudinem, vt dicemus in lib. 6. Beatitudo autem imperfectavię simul cum miseria peccati esse non posset: sine peccato tamen dari posset, amissibiliter tamen ratione status: quod nõ impedit, quo minus diceretur vera beatitudo. Vide, quę dixim⁹ in d.n. 22. & 23. 12 Solutio vltimi.

ARTICVLVS II.

Vtrum beatitudo naturalis consisteret in operatione?

HVnc articulum late explicauim⁹ in hoc eodem libr. q. 4. ar. 2. Nec aliquid modo supereſt addendũ de nouo. Illum tamen hoc loco iterum voluimus excitare, vt in explicatione huius quæstionis ordine procederem⁹.

ARTICVLVS III.

Vtrum beatitudo naturalis in vna tantum, an in pluribus operationibus consistat?

DE hac quęstione conueniunt philosophi: nam & si omnes ad integrum, & perfectum statum beatitudinis naturalis requirant naturalem Dei cognitionem, amorem, & delectationem: & præterea virtutum moralium comitatum, vt patet ex Arist. 10. Ethic. c. 7. & 8. & ex Augustino in libr. de beata vita: non tamen consentiunt, 1

Augusſt.

Arist.

an

an beatitudo ipsa essentialiter ponatur in vna operatione, an in pluribus?

2 Prima sententia.

Quidam eam essentialiter collocant in vna tantum operatione: non vniformiter tamen; sed hi in naturali contemplatione Dei: illi autem in naturali Dei amore. Pro hac posteriori sentẽtia stat Canus. Probatur 1. ex Arist.

Canus lib. 9. de locis theologicis c. 9. pag. 523. Pro priori verò stare videtur Arist. qui felicitatem collocat in altissima cõtemplatione, cùm multis in locis, tum maxime 10. Ethic. c. 7. & 8.

3 Secundo.

Potest deinde confirmari; quia communior est sentẽtia, & verior, quòd beatitudo supernaturalis in vna tantũ operatione ponitur, siue illa sit solius intellectus, siue solius voluntatis: de quo late diximus supra q. 7. ar. 2. §. 2. Ergo simili modo in vna tantum operatione essentialiter collocabitur beatitudo naturalis.

Tertio.

Tertio; quia alia entia vnica tantum operatione cum suis finibus coniungũtur, cur igitur homo vnica tantum operatione non coniungetur cum suo fine?

Quarto.

Quarto; quia beatitudo ponitur in operatione omnium præstantissima, vt in superioribus sæpe diximus: hæc autem est vnica tantum.

Quinto.

Quinto; quia in obiecto naturaliter beatifico vnica tantum reperitur ratio beandi. Ergo vna tantum operatione essentialiter attingetur.

Vltimo.

Postremo; quia obiectum naturaliter beatificum non potest perfectissime attingi, nisi per vnam tantum operationem. Vide hæc omnia argumenta latius proposita in d. q. 7. ar. 2. §. 2.

4 Secunda sẽtentia.

Communior tamen sententia ad essentiam naturalis beatitudinis plures actiones admittit. Ita Cursus Conimb. in Ethicis disp. 3. q. 3. ar. 2. ad finẽ, quatenus distinguit duas beatitudines, cõtẽplatiuam scilicet, & actiuam: quarum illam essentialiter ponit in contemplatione; hanc verò in operatione secundũ virtutem, maxime prudentiam. Alij has duas beatitudines admittunt, non quidem totales, sed partiales essentialiter integrantes vnam beatitudinem totalem, qua homo adæquate beatur. Ita Fonseca 1. Metaph. c. 1. q. 1. sect. 6. ad finem, vbi putat hanc esse mentem Arist.

Secunda explicatio Fõsecę.

Tertia aliorum.

Sed alij duas etiam admittũt operationes, alio tamen ducti fundamento: quia putant ad essentiam beatitudinis pertinere tum cõtemplationem altissimam primæ caussæ: tum etiam amorem. Quæ sententia vera esse potest, quanuis beatitudo actiua ab essentia huius beatitudinis excludatur. Ita existimarunt Henriches de vltimo fine hominis c. 2. §. 3. & Suarius, qui licet in sua Metaph. disp. 30. sect. 11. n. 38. difficultatem istam noluerit dissoluere; eam tamen dissoluit in 1. 2. q. 5. ar. 7. disp. 18. quæstiunc. 1. & hęc etiam fuit sententia Medinę in hac q. 3. ar. 7. nõ longè á principio, dum beatitudinem naturalem collocat, tum in cognitione, tum in amore. Potest etiam citari pro eadem D. Thomas in hac q. 3. ar. 5. dum cum Aristotele beatitudinẽm imperfectam huius vitæ primò, & principaliter collocat in intellectu speculatiuo, secundariò verò in intellectu practico.

Henriches Medina. D. Thom.

Ego existimo vtranque opinionem esse probabilem, & proinde vtranque facile defendi posse: id, quod etiam iudicauimus de beatitudine supernaturali supra q. 7. ar. 2. §. 3. n. 16. tum, quia vtriusque partis argumenta facilem habẽt solutionem: tum etiam; quia video Aristotelem huic opinioni satis fauere: nã 1. Ethic. cap. 8. txt. 40. ad finẽ ita ait: *Has autem ipsas operationes, aut vnam ipsarum, quæ sit optima, felicitatem ipsam dicimus esse.* Et lib. 10. Ethic. c. 5. in fine agens de felicitate ita ait: *Siue illa vna sit, siue plures operationes perfecti viri, atque beati:* 7. etiam Politic. c. 1. ita scribit: *Ipsaque vita beata, siue in gaudio posita sit, siue in virtute, siue in ambobus &c.* Ex quibus locis satis colligitur Aristotelem facile admissurum felicitatem consistere, aut in vna, aut in pluribus operationibus. Vtraque igitur erit à nobis hoc loco defendenda.

5 Resolutio.

Arist.

Nec contra primam sententiam, quæ vnam tantum admittit operationem, quidquam faciunt, quæ pro altera dicta sunt. Nam fundamentũ Cursus Conimb. admittentis duas beatitudinis species, contemplatiuam scilicet, & actiuam, facile soluitur, si dicamus beatitudinẽ vitæ actiuæ essentialiter non pertinere ad beatitudinem, vt late probabimus in sequente ar. Nec similiter admittendũ est Fonsecæ beatitudinem essentialiter integrari ex duabus illis beatitudinibus vt in sequente articulo ostendemus.

6 Ad primũ posterioris sententiæ.

Ad secũdũ.

Nec

Negandum similiter erit illis, quos tertio loco retulimus, ad essentiam beatitudinis pertinere, tum contemplationē tum etiam amorem, sed illarum operationum alteram tantùm esse beatitudini essentialem, vt de beatitudine supernaturali diximus supra q. 7. art. 2. Quæ autem illarum duarum operationum sit de essentia? quæstio est pro vtraq; parte probabilis, vt statim videbimus. Siquis obijciat beatitudinem supernaturalem viæ duas includere operationes, vt diximus in præcedente quæstione ar. 3. & 4. negabimus idem dicendum esse de beatitudine naturali: rationem discriminis explicabimus in sequenti ar.

Obiectio.

Soluitur.

7 Ad primū prioris sententiæ.

Secunda sententia, quæ beatitudinē naturalem ponit in pluribus operationibus, ab argumentis primæ facilè etiā liberabitur. Nam ad primum sumptum ex Aristotele dicendum est eundem Aristotelem, qui in illis locis meminit cōtemplationis, in alijs etiam meminisse operationis voluntatis: vnde per mentem contemplatiuam nonsolùm comprehendit intellectum, sed etiam voluntatem, de quo inferius dicemus.

Ad secūdū.

Ad secundum negandum est veriorē esse sentētiam, quę beatitudinem supernaturalem in vnica tātum ponit operatione, vt iam ostendimus supra q. 7. ar. 2. & q. 12. Quin potius beatitudinem supernaturalem vię in pluribus operationibus constituimus in quæstione præcedente ar. 3. & 4.

Ad tertium

Ad tertium respondetur, & antecedens esse falsum, & consequentiam inutilem: vtrunque contra Sotum ostendimus supra q. 7. ar. 2. 2. §. 5. n. 26. vide ibi.

9 Ad quartū.

Ad quartum aliqui negāt antecedēs: sed concedendum esse ostendemus suo loco: in hoc tamen sensu, vt beatitudo ex sua natura postulet aliquam operationem omnium præstantissimam non tamen postulet, vt omnis operatio, quā essentialiter sibi vēdicat, sit præstantissima omnium. In hoc autem sensu argumentum nihil nobis officit. Vide in d. q. 7. ar. §. 5. n. 28.

Ad quintū.

Ad quintum negādum est antecedēs, si intelligatur de obiecto beatifico, vt beatificum est. Vide, quæ diximus in d. §. 5. n. 29.

Ad vltimū

Vbi etiam habes solutionem ad vltimum argumentum: nam, quanuis necessarium sit obiectum beatificum immediatè attingi aliqua operatione omnium præstantissima: non tamen necesse est, vt à sola operatione prestantissima immediatè attingatur.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum beatitudo naturalis essentialiter includat beatitudinem contemplatiuam, & actiuā? 1

DVplicem dari beatitudinem, cōtemplatiuam scilicet, & actiuam, cum communi theologorum sētentia iam aduertimus q. 13. præcedēte ar. 4. Quam duplicem beatitudinis acceptionem meritò omnes colligunt ex Aristotele c. 7. & 8. nam c. 7. post principium expressè ponit felicitatem contēplatiuam, & idem satis insinuat in fine capitis: at c. 8. vitam actiuam appellat felicitatē humanam; eamque distinguit à felicitate contemplatiua, quam appellat felicitatem separatam, alteramverò humanam. Meritò igitur inquiri potest, vtrū hæ duæ beatitudines sint duæ beatitudinis species? Anverò sint duę beatitudines partiales integrātes vnā essētiā totalis beatitudinis? An deniq; ita se habeant, vt vna tantū sit beatitudo essentialis, contemplatiua scilicet; alia verò solùm sit prioris ministra, illamque iuuans? Nec enim de hoc philosophi cōsentiunt. 2 Prima sententia.

Arist.

Nam Curs. Conimbr. in Ethicis disp. 3. q. 3. ar. 2. ad finem satis insinuat duas illas beatitudines esse duas species collocatas sub beatitudine naturali in cōmuni: ita vt vtraq; per se, & ratione sui veram habeat rationem beatitudinis. Cui opinioni videtur fauere Aristoteles lib. 10. Ethic. c. 7. & 8. Ibi enim de duab' illis felicitatibus agit, tanquam de speciebus inter se essentialiter diuersis: dū vnam appellat humanam, quæ conuenit homini, vt est cōpositus ex passionibus, & affectibus socialiter viuens cum cęteris hominibus: alteram verò vocat diuinam, atque ab humano consortio separatam. 2 Secunda sētentia Fonsecæ.

Probatur ex Aristot.

Porrò Fonseca in 1. Metaph. c. 1. q. 1. sect. 6. ad finem aliter philosophatur docens duas illas beatitudines solùm esse partiales integrantes vnam essentiā vnius totalis beatitudinis: & ad hunc sē-

sum

sum interpretatur Aristotelem, quasi voluerit eas esse duas felicitatis partes, quę quasi essentiam vnius constituerēt. Quam ego sententiam aliquando existimaui esse verisimam. Eam ita confirmabam: primo: quia neutra se sola potest beare; sed vtraque simul ad beandū est necessaria. Ergo vtraque ad beatitudinem pertinet, tanquam pars vnius ex vtraque integratæ.

Prima probatio.

4 Secunda ex Aristotele.

Deinde; quoniam Aristoteles loco citato postquam ad finem capitis septimi concluſit vitam contemplatiuam esse felicissimam; initio capitis octaui adiūgit hæc verba: *Secundo autem est ea vita, quæ d virtute alia emanat:* & hanc statim appellat beatitudinem humanam. Ex quibus verbis euidenter colligitur Aristotelem beatitudinem huius vitæ primò ponere in vita contemplatiua; secūdo in actiua: quod idem est, atque dicere beatitudinem principalius poni in contemplatione, & minus principaliter in operatione vitę actiuę. Quod expreſ, se declarauit D. Thomas in 5. ar. huius quæstionis; vbi cum Aristotele beatitudinem huius vitæ primò ponit in intellectu speculatiuo; secundariò autem in practico. Quæ verba videntur significare beatitudinem essentialiter quidem poni in vtraque illa vita: in vna tamen principalius, in altera minus principaliter.

D. Thom.

5 Tertio exeodem.

Tertio idem confirmatur ex Aristotele, dum in d.c.8. ad finem asserit eum esse Deo amicissimum, & optime disposītum (ideſt beatum) *qui mente operatur, & eam colit:* colit inquam, bene, & secundum virtutem operando: quoniā & Deꝰ (vt ait) & se ipsum contemplatur, & humanarum rerum curam habet, & maxime gaudet his hominibus, qui contemplationi actionem adiungunt.

6 Quarto ex eodem.

Quarto addere possumus verba eiusdem Aristotelis lib. 7. politic. c. 1. dū ait: *Itaque vita beata magis existit moribus, & intellectu in excessu ornatis.* Quæ verba satis clare vtranque vitam significant.

Quinto ex eodem.

Quinto loco Medina adiungit Aristotelem in eodem loco in fine, vbi absoluens sermonem de vita beata inquit: *Ecce vnicuique tantum beatitudinis est, quantum virtutis, & sapientiæ.*

Sexto exeodem Arist.

Sextò, Aristoteles concludens libros de moribus ad Eudemum (inquit Medina) docet *omnes actiones nostras, omniaq; studia, rerumque possessiones tunc iudicandas esse meliores, quando magis faciunt, & adiuuant ad Dei cognitionem, & cultum: deteriora autem censeri, quæ nobis impedimento fuerint.*

Vltimo.

Postremo pro hac sententia optime facit, quoniam beatitudo supernaturalis viæ vtranq; istam beatitudinem essētialiter includit, vt late confirmauimus in q. præcedente ar. 4. Cur igitur vtraq; essentialiter non includetur in beatitudine naturali? Hæc pro sententia doctissimi Fonsecæ.

7 Resolutio.

Ego tamē re diligentius inspecta potius dicendum puto beatitudinem actiuam, quæ in operatione secundum virtutem est posita, non pertinere ad essētiam beatitudinis naturalis: sed ad beatitudinem essentialem (quę solam beatitudinem contemplatiuam complectitur) solùm pertinere, vt ministram: disponendo scilicet mētem ad melius cōtemplandum; & auferendo impedimenta, quibus mens pars hominis diuina atque in agendo separata à sua operatione liberius exequenda præpediri potest. Quam sententiā ex multis Aristotelis locis facile deducemus. Et primū ex elegātissimis illius verbis lib. 2. Magnorum moralium c. 10. quem locum iā expendimus supra lib. 3. q. 4. ar. 4. n. 8. & 9. cum enim Arist. sæpe docuerit esse recte agendum secundum virtutem, nec id satis absolutè vnquam declarauerit (vt ibidem ait) inquirit, quidnā sit ex recta ratione secundūm virtutē agere? Et in quonā sit posita hæc recta ratio cū quis recte secūdū virtutē agit? Proposita autē hac quæstione ita scribit: *Est nimirū ex recta ratione agere, cum animæ pars irrationalis non prohibuerit rationalem suam exercere actionem: tum demum enim ex recta ratione erit actio. Quoniam animæ partem, vnam quidē deteriorem habemus; alteram meliorem: semper deteriorem melioris causſa obtinemus: sicut in corpore, & anima corpus animæ causſa habere dicimur, cum ita habuerit, ne præpediat: sed ita coniungatur, & consurgat ad animæ opus perficiendum: quandoquidem deterius melioris est causſa; ita vt se cum meliore exerceat. Cum igitur affectus menti non inhibuerit suum opus exercere; an non tum ex recta ratione fuerit? Ita propemodum.* Ex quibus verbis euidenter colligitur *agere secundum virtutem*, tunc esse ex recta ratione, cum adiumento

Probatur 1. ex Aristot.

fuerit

fuerit partirationali(quæ est superior) vt opus contemplationis perfectius exerceat: idque disponendo partem irrationalem, & inferiorem, vt non modo non præpediat actionem contemplatiuam mentis;sed etiam adiuuet,vt melius, atq; purius exerceatur. Quare apud Aristotelem, qui essentialiter est felix, indiget felicitate actiua,& humana,quę posita est in operatione secundum virtutem, non vt essentialiter perficiatur; sed ne præpediatur à sua actione contẽplatiua:agendo cõtra virtutem,vel circa suos proprios affectus, vel circa suos conciues.

8 Secundo ex doctrina Aristotelis

Ex qua Aristotelis verissima doctrina patet beatitudinem actiuam nõ esse gratia sui, sed gratia solius beatitudinis contemplatiuæ,&ad illam,tanquam ad finem à Deo auctore naturæ esse ordinatam. Quæ et iam fuit resolutio Aristotelis in lib.10.Ethic. c. 7. conferens enim vitam actiuam cum contemplatiua multis ostendit actiuam non esse gratia sui expetibilem, sed gratia contemplatiuæ vitæ;hãc autem nullius alterius esse gratia: & post multa agens de operationibus vitæ actiuæ ita scribit: *Hæ verò negotiosæ sunt, atque aliquem finem affectant, & non propter se ipsas sunt expetibiles:mẽtis autem operatio & studio antecellere,cum cõtemplatiua sit, & præter se ipsam nullum affecta re penitus finem.* Ex qua resolutione manifeste infertur vitam actiuam sumptam in se nullo modo habere rationem beatitudinis essentialis: etenim essentialis beatitudo ex sua intrinseca ratione habet,quod sit gratia sui,nec propter aliũ finem appetatur. Cui demonstrationi illud etiam addo,quod beatitudo exsua ratione immediatè terminatur ad obiectũ beatificum in se ipso;est enim formalis illius assecutio: cum tamẽ operaratio secũdum virtutes morales immediatè non terminetur in Deum obiectũ beatitudinis naturalis. Porrò, si vita actiua essentialiter nõ est beatitudo,nullo modo potest integrare vnam essentiã beatitudinis:sicut enim finis, nisi ex finibus integrari potest; ita nec beatitudo, nisi ex beatitudinibus. Quod etiã ex eo euidentissime confirmatur; quoniã media ad finem non possunt simul cum fine vnum totalem finem integrare:iam verò beatitudo actiua ordinatur ad cõtemplatiuam, vt ad finem, vt patet ex ijs, quæ ex Aristotele adduximus.

Confirmat.

9 Tertio ex eodem Aristotele.

Et hęc mihi videtur mens, & sententia Aristotelis, vt essentiam beatitudinis ponat in sola beatitudine contemplatiua;si diligentius expendantur,quæ scribit li.10.Eth.c.7.& 8.Nã c.7.expressis verbis docet omnia, quæ viro beato tribuuntur, per vitæ contemplationem illi inesse,&conuenire:&inde infert hãc esse perfectam hominis felicitatem:postquam enim dixit vitam actiuam esse gratia vitæ contemplatiuæ;hanc autem nullius esse gratia, vt superius iam adduximus,ita ait: *Sufficientia insuper, otium, defatigationis vacuitas, & humana & quæcũq; alia viro tribuuntur beato, per banc operationẽ (contemplationem scilicet) illi ineße videntur.* Et inde immediate cõcludit in hęc verba: *Perfecta felicitas hominis fuerit hæc profecto, sumpta longitudine vitæ perfecta*: quasi dicat; hinc infertur hanc solam cõtemplatiuam vitam esse perfectam,& absolutam felicitatem,si illi diuturnitatem, & perseuerantiam in hac vita adiungas. Quæ consequentia ex præmisso antecedente necessario infertur:nam si omnia quæ viro beato conueniunt, illi solum insunt per operationem contemplatiuam; vtiq; sola illa complet perfectam rationem beatitudinis:enimverò si alia esset partialis beatitudo; vtique per illam viro beato aliquid adueniret,quod propriam illius beatitudinem cõpleret.

10 Quarto sua detur argumento eiusdem.

Rursus c. 8. post alia argumenta hoc etiam vtitur, vt probet felicitatem in sola vita contemplatiua esse positam: quoniam dij sola illa sunt beati, & felices, nec indigent vita actiua, ita enim ait: *Atque felicitatem perfectam contemplatiuam quandam operationem esse, hinc quoque fuerit manifestũ;Deos enim, maxime beatos esse putamus,atq;felices:at quosnã actus tribuere illis oportet?* quasi sic arguat: dij sola beatitudine contemplatiua sunt beati,& nullo modo actiua,vt ibi late probat. Ergo sola beatitudine contemplatiua homo erit beatus. Hanc consequentiam facit inferius in eodem cap.8.nam postquam ostẽdit deos nullas actiones actiuæ vitę habere, sed sola contemplatione esse beatos, hanc infert consequentiam; *humanarum igitur operationum ea homo est sumè felix, quæ illis maxime est cognata.* Quæ conclusio intelligẽda est in sensu exclusiuo, cum

colligatur ex antecedente exclusiuo: quasi sic arguat; si Deus sola vita contemplatiua est beatus; homo etiam sola illa beatus erit. Probat hanc consequentiam; quia homo ea sola beatitudine erit beatus, quæ maximè fuerit cognata Deo, & maximè similis beatitudini illius: adiungit enim: *nam dijs quidèm tota vita est beata talem habentibus operationem: hominibus autem; quoad ipsis talis operationis inest similitudo.*

11. Vltimo ex eodem. Expendenda etiam sunt verba Aristotelis eodem loco, quibus longam disputationem concludens inquit: *Quousque igitur contemplatio se extendit, & felicitas ipsa: & quibus contemplatio magis inest, ijs & felicitas magis inest: non per accidens quidem; sed per ipsam vtiquè contemplationem: hæc enim per se ipsam est prætiosa. Quare felicitas contemplatio fuerit quædam.* Quibus verbis satis declarat felicitatem in sola contemplatione sitam esse: nam si in alia etiam operatione sita esset; vtique extensio felicitatis per se nõ esset sumenda ex sola contemplationis extensione.

12. Hæc ex Aristotele tam latè adduximus, vt ostenderemus, quam longè sit à mente Aristotelis essentiam beatitudinis ex duplici illa beatitudine tanquàm ex duabus partibus quodammodò integrari; quanuis Fonseca illud sine probatione simpliciter sumat: constat enim ex ijs, quæ adduximus, vitam actiuam, cuius est operari secundùm virtutem, ad essentiam beatitudinis ex mente Aristotelis non attinere; sed extrinsecus illam adiuuare modò explicato ab eodem Aristotele libr. 2. Magnorum Moralium cap. 10. Ex qua resolutione infero duas esse ponẽdas beatitudines totales, & inter se essentialiter distinctas, vt satis insinuat Cursus Conimbricensis. Non ita tamen, vt vniuocè conueniant in vera ratione beatitudinis quidquid Cursus alitèr insinuet (quia beatitudo actiua non est vera beatitudo) sed solùm analogicè; quatenus beatitudo actiua ideò dicitur beatitudo, quia est veræ beatitudinis ministra.

Illatio ex superiori resolutione.

13. Ad primum secundæ sẽtentiæ. Nec huic resolutioni obstant, quæ in fauorem opinionis Fõsecæ adduximus. Ad primum negandum est antecedens; quia beatitudo contemplatiua se sola sufficiens est ad beandum, & de facto beabit, si vitam actiuam habeat adiutricem, & bonis externis adiuuetur: hæc enim est natura beatitudinis naturalis, maximè eius, quæ in hac vita reperitur, vt ab externis indigeat adiuuari, vt sæpè docet idem Aristoteles in dicto cap. 7. & 8: optimis verbis id declarat in dicto cap. 7. inquiens: *At sapiens, si solus etiam sit, contemplari potest: & quo sapientior est, eò magis potest: meliùs autem fortassè, si habeat adiutores: attamen sufficientissimus est ipse.* Aristot.

14. Ad secundũ. Ad secundum admittimus Aristotelem felicitatem secundo loco posuisse in vita actiua: non tamen, tanquam in parte essentiali, sed extrinseca, & accidentaria; quatenus scilicet disponit ad operationem vitæ contemplatiuæ, vt ex Aristotele diximus. Vnde eam non simpliciter appellauit felicitatem, sed felicitatem humanam, quæ homini conuenit, vt est compositus ex anima, & corpore, & vt operatur ea, quæ hominem, vt compositum spectant, & cum alijs sociabilem: cum tamen beatitudinem contemplatiuam vbiquè simpliciter appellet beatitudinem: & adhùc diuinam, ac separatam, alteriusque rationis ab actiua. In eodem sensu explicandus est D. Thomas in quinto articulo huius quæstionis; dum beatitidinem imperfectam primò, & principaliter collocat in intellectu speculatiuo; secundario autem in intellectu practico: vt idem sit primo, & secundario, quòd essentialiter, & accidentaliter: quanuis aliqui hæc verba ita interpretentur, vt idem valeant, quod principaliter, & minus principaliter. D. Thom.

15. Ad tertiũ. Ad tertium respondetur ex Aristotele euidenter colligi, quam aliena sit à mente Aristotelis allata interpretatio: sensus enim est, illum esse Deo amicissimum, & beatum, qui mente operatur, & eam colit iteratis, atque repetitis operationibus ipsius mentis: nam ex eodem Aristotele in dicto capite 8. text. 30: *quibus contemplatio magis inest, ijs, & felicitas magis inest.* Mens igitur operans operando suas proprias operationes magis colitur, & perficitur. Quę verò adducuntur, tanquam dicta ab Aristotele, non sunt Aristotelis: solùm enim dicit Deos maximè gaudere con- Aristot.

templatione mentis humanæ; quia est sibi cognata: & præterea conferre beneficia ijs, qui amant, & honorant eos, qui mente operantur.

16. Ad quartũ. Ad quartum sumptum ex septimo Politicorum capite primo respondetur Aristotelem eo loco agere de beatitudine reipublicæ, quæ est beatitudo actiua, imò agere contra eos, qui reipublicæ beatitudinem potiús ponũt in excessu diuitiarum, & potentiæ, quã intellectus, & morum: contra quos asserit vitam beatam (politicam intellige) magis existere in ciuibus, qui in excessu diuitiarũ ornati sunt moribus, & intellectu. Quare locus non fauet aduersariæ sententiæ.

17. Ad quintũ. Ad quintum dicendum est Aristotelem non dixisse vnicuique tantum felicitatis contingere, quantum virtutis, & sapientiæ, sed quantum virtutis, & prudentiæ: agebat enim de felicitate politica, quæ in vita actiua est posita, aut saltem illam essentialiter includit: hęc igitur in virtute simul, & prudentia posita est, non verò in diuitijs, & bonis externis, vt dicebant ij, contra quos argumentatur.

18. Ad sextum. Ad sextum dicimus verba Aristotelis potiùs nobis fauere: probant enim operationes vitæ actiuę ordinari ad vitam contemplatiuam, qua mente Deũ, & cognoscimus, & colimus. Ex quo infertur operationes istas non pertinere ad beatitudinis essentiam.

19. Ad vltimũ. Ad postremum concesso antecedente neganda est consequentia propter disparem rationem, quæ in vna, & altera beatitudine reperitur: nam beatitudo supernaturalis viæ non est eiusdem rationis cum beatitudine patriæ, sed quædam illius inchoatio, & similitudo, quæ essentialiter posita est in operationibus, vt sunt meritoriæ supernæ beatitudinis: ob quam rationem per se includit vtranque vitam: quia ad meritum necessaria est fides per charitatem operans: vnde tam operationes vitæ contemplatiuæ, quàm etiã actiuæ ad Deum terminantur. Porrò beatitudo naturalis huius vitæ eiusdem esset rationis cum beatitudine naturali post mortem: ab eaque solum differret secundum magis, & minùs: vtraque enim consisteret in coniunctione cum Deo, quantum ex creaturis cognosci potest: quæ coniunctio solùm fieri potest per operationes intellectus, & voluntatis; quia hæ solæ possunt ad Deum immediatè terminari, non verò operationes vitæ actiuæ, quæ sunt secundùm virtutes morales.

ARTICVLVS V.

An beatitudo naturalis essentialiter consisteret in actibus intellectus, & voluntatis?

PRO EXPLICATIONE huius quæstionis præmittendum est beatitudinem, vitamque contemplatiuam non ideò dici contemplatiuam, quòd solùm includat operationem intellectus, cuius solius est contemplari: simùl enim cum contemplatione includit amorem, & delectationem, quæ sunt actiones voluntatis, vt benè annotauit Caietanus prima parte quæstione 26. articul. 3. & satis colligitur ex Capreolo in quarto distinct. 49. quæstione secunda, articulo tertio ad argumenta contra tertium; & Medina in hac quæstione tertia articulo quinto. Quod, & auctoritate Aristotelis, & ratione facilè probatur. Ratione quidèm: quoniam vita contemplatiua non esset vita mentis præstantissima; nisi omnem mentis vitam in se includeret. Mens autem viuit non solùm speculando, sed etiam amando. Aristoteles etiã satis id expressit multis in locis. Nam 10. Ethicorum capite septimo, consentiens cum illis, qui volunt oportere, vt voluptas felicitati admisceatur, ita ait: *Iucundissima operationum virtutum est ea haud dubiè, quæ per sapientiam prodit. Itaque philosophia mirabiles tum puritate, tum firmitate voluptates habere videtur: atque consentaneum est rationi scientibus, quam quærentibus oblectamentum ipsum iucundius esse.* Et inferiùs de vita contemplatiua ita ait: *Habereque voluptatem sibi propriam, quæ quidem operationem ipsam exauget.* Item decimo secundo Metaphysicæ capit. 7. text. 36. docet *primum mouens mouere, vt amatũ.* Ex quo infertur intelligentias inferiores (quarũ felicitas est contemplatiua) simul

1. Præmissum.

Caietan.

Capreol. Medina.

Probatur ratione.

2. ex Aristotele.

simùl cum speculatione primæ intelligentiæ habere amorẽ. Denique per mẽtem contemplatiuam (de qua agit Aristoteles in d.c.7. decimi Ethic.) intelligendam esse totam intellectiuam partem, prout intellectum, & voluntatem cõplectitur, docuit Scotus in 4. d.49.q. 4.litera L. & per operationem illius mẽtis, in qua Aristotel. in dict. cap. 7. felicitatem ponit; vtranque operationem intelligi docet D. Thomas in 3. dist. 27. quęst.1. artic. 4. ad primum, & de veritate quęst. 22. articul.11. ad 12. Sit igitur constitutum vitam contemplatiuã continere, tum actum intellectus, tum voluntatis.

Arist. *Scotus.* *D. Thom.*

2. Sensus quæstionis declaratur.

His pręmissis facilè intelligimus adhùc dari locum propositæ quæstioni, quanuis ad essentiam beatitudinis solã vitam contemplatiuam in præcedente art. admiserimus: nam cum vita contẽplatiua ex se includat operationẽ tàm intellectus, quám voluntatis; merito inquiri potest, vtrùm beatitudo essentialiter ponatur in vtràque operatione vitæ contemplatiuæ?

3. Prima sententia.

De quo non conuenit inter auctores. Sunt enim, qui negant beatitudinem naturalem ad suam essentiam postulare actum, & intellectus, & voluntatis, sed alterius tantùm. In quam sententiã videtur descendere D. Thomas 2.2.q.180 ar.7.ad 1. dum putat vitam contemplatiuam essentialiter consistere in intellectu: & hæc fuit constans D. Thomæ opinio. In eandem descendit Canus lib. 9. de locis theologicis c. 9. dum putat beatitudinem etiam naturalẽ nullo modo consistere in intellectu, sed in sola dilectione voluntatis. Denique in eam sententiam ire debent, qui putant beatitudinem etiam naturalem in vna tantùm operatione consistere: hi enim coguntur negare actum vtriusque potentiæ ad essentiam beatitudinis pertinere.

D. Thom. *Canus.*

4. Duplex explicatio prioris sententiæ.

Si verò inquiras, cuiusnam potentiæ actum beatitudo naturalis essẽtialiter sibi vendicet? ijdem, qui modó consentiebant, iam inter se dissentiunt: nam hi volunt eam essentialiter vendicare sibi actum solius intellectus: illi autem è cõtrario solum actum voluntatis essentialiter esse beatificum. Priorem sententiam expressè probauit D. Thomas 2.2. in dicta quæstione 180. articul. 7. ad 1. in qua sententia semper perstitit, vt patet 1. part. quæst. 62. artic. 1. & quæst. 64. art. 1. ad 1. & 1.2. q. 3. art. 1. & multis alijs in locis, & hæc est communis ferè omnium Thomistarum, quanuis nec inter eos sit vnanimus consensus. At posteriorem sententiam expressè probauit Canus in d.c.9. docens beatitudinem naturalem in sola dilectione essentialiter esse positam.

D. Thom. *Canus.*

Communior tamen sententia beatitudinem naturalem essentialiter ponit, tum in intellectu, tum in voluntate. Quã sententiam ex Thomistis probauit Medina in hac q. 3. latè probat Suarius 1. 2. q. 5. art. 7. disp. 18. quæstiuncula 1. cũ pluribus alijs.

5. Secunda sẽtentia opposita. *Medina.*

Resolutio sit: apud eos, qui beatitudinem naturalem in vna tantùm operatione essentialiter ponunt; negandum erit eam posse consistere in operatione vtriusque potentiæ, sed in alterius tantùm: nam si in operatione vtriusque potentiæ poneretur, iam non in vna, sed in pluribus operationibus poneretur. Hac autem opinione suppositа iam erit quæstio, in quanam essentialiter ponatur? an in operatione solius intellectus; an solius voluntatis? D. Thomas in operatione solius intellectus eam ponit. Canus in operatione solius voluntatis, vt suprà vidimus.

6. Resolutio. Dubitatio. Prima opinio D. Thomæ. 2. Cani.

Contra priorem sententiam vrget, quia sequeretur dari beatitudinem essentialẽ in eo, qui verè est miser miseria peccati: quia potest dari, & de facto datur altissima cognitio naturalis Dei in eo, qui Deo sit inuisus: cum tamen ex sententia Aristotelis 10. Ethic. c. 8. ad finem is, qui verè, & essentialiter est felix, amicissimus sit Deo. Quin potiùs beatitudo naturalis de facto daretur in dæmonibus, in quibus altissima Dei cognitio naturalis inuenitur. At quis dicet dæmones essentialiter esse beatos? & quanuis hoc argumentum vim non habeat in ijs, qui potest mortem beati forent: quia in illis altissima Dei cognitio, si non ex natura rei; tamen ex diuina prouidentia secum haberet coniunctam rectitudinem voluntatis, & subinde amorem eiusdem Dei, quem vt summum bonum perfectissimè cognoscunt, vt dicemus in lib. sequenti: tamen

7. Argumẽtũ contra primã opinionem. *Arist.*

vim haberet in ijs, qui in præsenti vita præstantissimam Dei cognitionẽ, quæ naturaliter haberi potest, fuissent consequuti: in his enim altissima Dei cognitio, nec ex natura rei, vt visio in patria, nec ex diuina prouidentia, vt in casu proposito fieret post mortem, secum traheret amorem Dei, atque voluntatis rectitudinem: nec enim ille status potentior foret, quàm præsens; nisi quis dicat perfectam illam Dei cognitionem, esse quidem essentialem beatitudinem; & tamen non posse aliquẽ denominare beatum, nisi connotando, tũ amorem summi boni cogniti, tum etiã beatitudinem vitę actiuę, cõmitatumq; virtutum, tanquam dispositionem necessariam ad beandum: quod plerique senserunt de visione patriæ: quam solã ponunt beatitudinem essentialem; ita tamen, vt beatum non faciat, nisi cõnotando amorem, vt diximus suprà q. 8. ar. 9. §. 2. n. 12. cum sequentibus. Quorũ opinio licet in beatitudine patriæ non satis sit probabilis; quia in ea nullum habet fundamentum: in beatitudine tamen naturali huius vitæ maximum habet fundamentum sumptum ex sua imperfectione. Vnde, quanuis non secum necessariò trahat, aut amorem Dei, aut operationem perfectam secundùm virtutem (quę est beatitudo actiua) tamen in sua ratione includit non posse beare, nisi hominem dispositum inueniat. Et ita probabiliter defendi potest opinio, quæ beatitudinem naturalem in sola intellectus operatione essentialiter constituit.

Solutio indicatur, simulque defensio primæ opinionis.

8. Argumentum contra secũdã opinionem.

Contra posteriorem sententiam, quę docet hanc beatitudinem in solo actu voluntatis essentialiter poni; maximè vrget, quod Aristot. vbique felicitatem posuit in sola speculatione, & nunquam in amore. Nec enim audiendi sunt, qui volunt Aristotelem in eo errasse, quod beatitudinem in contemplatione collocauerit; quànuis eum in hoc errasse dixerit Canus lib. 9. de locis theologicis c. 9. & ante eum Thomas de Argentina in 4. d. 49. q. 3. ar. 2. ad vltimum, nec id displiceat Bassolio ibi q. 2. art. 2. ad quartam auctoritatem pro secunda cõclusione fol. 150. column. 4. in fine: nec enim decet tãtum Philosophum, quem in philosophia præceptorem habemus, ignorantiæ arguere; maximè, quando habet suæ opinionis grauissimos defẽsores, D. inquam Thomã, & plures alios. Quare meliùs dicemus Aristotelem, cũ docuit beatitudinem poni in operatione contemplatiua; nomine operationis contemplatiuæ intellexisse operationẽ contẽplatiuę mentis, quę includit operationem, tam intellectus, quàm voluntatis, nec declarasse, in quanam illarum essentialiter esset posita, vt nos aduertimus suprà quæst. 10. artic. 6. in principio cum Diuo Thoma, & Scoto, vide, quæ ibi diximus. Et isto modo satis etiam est probabilis opinio, quæ beatitudinem naturalẽ ponit in solo amore.

Aristot.

Canus.

Argentin.

Bassolius.

D. Thom.

Scotus.

9. Probabilior sententia indicatur.

Verùm longe probabilior videtur opinio, quæ hanc beatitudinem collocat in operatione, tam intellectus, quã voluntatis, quæ sunt actiones mentis contemplatiuæ: etenim à ratione beatitudinis iam excluſimus vitam actiuã, quæ includit intellectum practicum, & actiones morales à voluntate imperatas. Agimus igitur de solo intellectu speculatiuo, de quo solo agit Aristoteles, & de voluntate, prout talem intellectũ cõmitatur circa obiectum beatificum. Quod hæc opinio sit probabilior, ex eo patet; quia, vt iam diximus art. 3. satis est probabile beatitudinem naturalem collocari in pluribus operationibus. Quod verò essentialiter sibi vendicet vtriusque potentiæ operationes, ex eo videtur maximè probabile; quia ad perfectam assecutionem obiecti beatifici requiritur & perfecta speculatio, & perfectus amor; speculatio enim facit Deũ esse obiectiuè præsentem præsentia abstractiua; amor autem accipit illius possessionem, dum amando ipsum Deum facit sibi suum, quantum patitur naturalis amicitia.

ARTICVLVS VI.

In quibus actibus intellectus, & voluntatis sita sit naturalis beatitudo? & in quo principaliùs sit posita?

1. CVM constituerimus probabiliorem esse sententiam, quæ beatitudinem naturalem essentialiter ponit in actu intellectus, & voluntatis; conse-

consequenter inquirendum est, in quibusnam actibus ponatur? Et quod attinet ad intellectum, non defuerunt (si aliquibus credendum est) qui dixerint beatitudinem naturalem positã esse in clara, & intuitiua visione Dei, vt est prima causa naturalis. Sed reijcienda est hæc opinio, tanquam in theologia omnino improbabilis: quia visio intuitiua Dei, cum terminetur ad Deum, sicut est in se ipso; sicut non potest non esse supernaturalis; ita non potest non terminari ad Deum, vt in se est trinus. Quo pacto nõ est obiectum naturaliter cognobile, vt in sequenti libro latiùs ostendemus.

Aliquorum opinio circa intellectum.

Reijcitur.

Quare dicendũ est beatitudinem naturalem ex parte intellectus positam esse in perfectissima cognitione, quæ de Deo ex creaturis haberi potest: nec enim ad beatitudinem etiam naturalem aliquid imperfectum admitti potest ex Aristotele 10. Ethic. c. 7. ita inquiente: *Nihil enim felicitatis est imperfectum*. Si verò obijcias cum Cano lib. 9. de locis c. 9. hanc speculationem satis esse difficilẽ, & laboriosam; admittimus: nec enim summum bonum sine summa difficultate obtineri potest. Vnde, & pauci illud obtinent, iuxta illud Poetæ: *pauci, quos æquus amauit Iuppiter*. & potest accõmodari illud Euangelij: *Multi sunt vocati, pauci verò electi*.

2. Vera sentẽtia.

Arist.

Obiectio ex Cano soluitur.

Ex parte autem voluntatis manifestum est desiderium, non pertinere ad essentiam huius beatitudinis: quia desiderium est boni non dum habiti. Manifestum etiam est, nec ad essentiam illius pertinere delectationem: quia hæc supponit bonum iam habitum, vt latè ostẽdimus suprà q. 13. ar. 2. & satis mihi significat Aristoteles, dum delectationem videtur ponere, vt proprietatem speculationis perfectæ 10. Ethic. c. 7. in illis verbis: *Itaque philosophia mirabiles voluptates habere videtur*, & inferiùs agens de attributis operationis contemplatiuæ, in qua posuerat felicitatem, ita ait: *Habetque voluptatem propriam*. Quibus satis insinuat voluptatẽ esse veluti proprietatem operationis, in qua ponitur beatitudo. Vnde lib. 6. ostendemus apud Aristotelem delectationem esse propter operationem, tanquam propter finem.

3. Resolutio circa voluntatem.

Arist.

Quare solus supereſt amor obiecti beatifici, nimirum Dei naturaliter cogniti: is igitur solus erit actus essentialiter beatificus; non quidem, vt est concupiscentiæ, sed vt est amicitiæ erga Deum: de quo plura diximus suprà q. 11. art. 3. & 4.

Supereſt explicare, in quanam actione principaliùs ponatur beatitudo naturalis? Intellectus ne, an voluntatis? Quidam distingunt; nam si homo consideraretur in genere naturæ, & entis physici; beatitudo naturalis principaliter ponenda foret in cognitione: è contrario verò poneretur in amore, si homo consideraretur in genere moris; ita habes ex Suario inferiùs q. 5. disp. 18. quæstiuncula 1. Sed distinctio mihi non placet: quia beatitudo in ea operatione principaliùs esset ponenda, quæ simpliciter esset nobilior: nobilitas autem simpliciter expenditur ex genere rei: non verò ex genere moris; ex quo solùm sumitur nobilitas secundùm quid.

4. Dubium.

Sententia quorundã.

Improbatur.

Quare ego puto vtranque partem esse probabilem: quia problema est, an actus intellectus sit nobilior actu volũtatis? an è contrario. De quo latè diximus suprà q. 8. pro maiori nobilitate intellectus: & q. 10. pro maiori nobilitate voluntatis. Vide, quæ ibi diximus, & vtranque partem problematis facilè defendes. Et hæc dicta sint de beatitudine formali in ordine ad subiectum: in sequenti libro de ea dicemus in ordine ad obiectum.

5. Resolutio.

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER QVINTVS

DE BEATITVDINE FORMALI, PROVT RESPICIT OBIECTVM BEATIFICVM: siue de Visione diuinæ essentiæ.

Præfatio ad sequentem librum.

1. EGIMVS in superiori libro de beatitudine formali in ordine ad subiectum, in quo recipitur; & in ordine ad potentias, à quibus elicitur: consequenter agendum est de illa in ordine ad obiectum, à quo suam sumit essentiam. Quia verò beatitudo formalis, vel essentialitèr ponitur in visione Dei; vel saltèm eam antecedenter requirit: proinde in hoc libro agemus de visione beatifica in ordine ad Deum, qui est nostra beatitudo obiectiua: nã ferè omnes difficultates, quæ de beatitudine ex parte obiecti excitantur; pertinent ad obiectum beatificum, prout sub visionem cadit.

2. Ordo seruãdus in hoc libro. Hoc autem ordine procedemus: quia primum agemus de obiecto visionis supernaturalis patriæ: deinde de obiecto beatitudinis, tàm naturalis, quàm supernaturalis viæ.

Disputaturi igitur in hoc libro de visione beatitudinis patriæ, primùm disputabimus de caussa obiectiua illius, hoc est, de obiecto, à quo habet, quod sit beatifica. Deinde agemus de caussis, veluti efficientibus, & eleuantibus intellectum, vt in Deum, tanquam in obiectum feratur.

3. Circà primum quatuor sunt generaliter inquirenda. Primò inquiremus, an solus Deus in se ipso sit per se obiectum visionis, vt est formalis beatitudo? Secundò, an Deus in se ipso sit immediatũ obiectum eiusdem visionis? Tertiò, quænam sint, quæ in Deo à beato videntur? Postremò; quænam illorum per se concurrant ad rationem obiecti beatifici.

4. Obiectio præcluditur. Nec est, quòd aliquis obijciat horũ disputationem pertinere ad primã partem q. 12. quo in loco D. Thomas diligentiùs de his omnibus agit: nam eadẽ sub alia, & alia ratione pertinere possunt ad diuersas tractationes. Hæc igitur pertinent ad quæstionem, quomodò Deus cognoscatur ab intellectu creato, de qua agebat D. Thom. in 1. p. similiter etiam pertinẽt ad quæstionem de beatitudine obiectiua Dei: nam, cũ Deꝰ, nisi cognitus beare non possit; oportet scire, quænam in patria in Deo à nobis cognoscantur; vt inde colligamus, quænam eorum pertineant ad rationem obiecti beatifici, quatenus nos beatificat. Ob quam rationem ferè omnes Theologi in 4. d. 49. agentes de beatitudine latè disputant de his omnibus, quę adduximus: & inter eos D. Thom. eo in loco. Quare ad exactam tractationem de beatitudine (cuius explicationẽ in his libris suscepimus) iure optimo pertinet de his omnibus latissimè disputare, tanquam de materia beatitudini propria.

QVÆ-

QVÆSTIO PRIMA.

QVod igitur attinèt ad primũ eorũ, quæ proposuimus, duo inquiremus: primum est, an Deus in se ipso sit obiectum visionis beatificæ, tanquam vera beatitudo nostra obiectiua? Secundum est, an Deus se solo sit tale obiectum; an verò simùl cum aliquo bono creato?

ARTICVLVS I.

An Deus in se ipso sit per se obiectum visionis beatificæ?

1. HANC quæstionem sub alijs terminis excitauimus lib. 3. q. vltima: vbi quæsiuimus, vtrùm beatitudo obiectiua posita sit in bono increato, qui est Deus: beatitudo autem obiectiua idem est, quòd obiectum beatitudinis formalis: cuius quæstionis resolutionem ad hunc librum retulimus; quia in eo explicanda erant omnia, quę beatitudini formali ex parte obiecti cõueniunt: nam de ea disputauit D. Thom. in tribus vltimis articulis huius tertiæ quæstionis. Nam ar. 8. explicans vltimã resolutionem hanc statuit conclusionẽ exclusiuam; *sola essentia diuina est obiectum beatitudinis supernaturalis patriæ*; quæ includit duas exponentes iuxta regulam dialecticorum: hanc scilicèt affirmatiuam; *Deus est obiectum beatitudinis patriæ*, & hanc alteram negatiuam. *Nihil aliud à Deo est obiectum beatitudinis.* Nos de vtràque singulos excitamus articulos, vt omnia faciliùs intelligantur.

4. Obiectio concluditur

2. In hoc igitur 1. art. excitamus quæstionem circa propositionem affirmantem: an Deus sit obiectum visionis beatificæ? Abstrahimus autẽ in titulo quæstionis à Deo cognito intuitiuè, vel abstractiuè; quia inferius inquiremus, an Deus sit obiectũ in sua reali existentia?

Dubitatio.

Resolutio. Quæstionis pars affirmatiua apud fideles semper fuit indubitata, & absque vlla etiam hæreticorũ contradictione recepta: quanuis apud Etnichos philosophos de naturali beatitudine disputantes non adeò fuerit certa, vt in vltima huius libri quæstione videbimus.

3. Hæc veritas, quam fides Catholica semper agnouit, ex sacris literis primũ; deinde naturalibus rationibus demonstrabitur. Ex sacris inquam literis: quoniam euidenter deducitur ex illis locis sacræ Scripturæ, qui probant Deum esse nostrum vltimum finem etiam supernaturalem: finis autẽ vltimus, vltimaq; atque perfecta beatitudo idem omninò sunt. Quòd Deus sit finis noster simpliciter vltimus, ostendimus suprà lib. 2. q. 6. art. 2. n. 8. ex illo Apocalip. 21. & 22. *Ego sum α, & ω, primus, & nouissimus: principium, & finis.* Ex illis item verbis cap. 21. *Qui vicerit, possidebit me, & ero illi Deus*, hoc est summum bonum, summaque illius felicitas: nam statim consequente Deus dicitur lignum vitæ, cuius esu, & visione homines sunt beati. In eodem etiam capite, *Deus dicitur merces hominum.* Similiter etiam Genes. 15. *Ego ero merces tua magna nimis.* Optimè id significauit Dauid Psal. 72. *Quid mihi est in Cœlo: & à te quid volui super terrã? Defecit caro mea, & cor meũ: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Facit illud Psalmi 99. iuxta quorundam lectionem: *scitote, quoniam ipse est Deus: ipse fecit nos, & sibi nos*: nam si est primum efficiens, non potest non esse vltimus finis, iuxta principia veræ philosophiæ. Accedat, & illud Psal. 143. *Beatus populus cuius Dominus Deus eius.* Matth. etiam 5. *Mũdi corde ideò dicuntur beati, quia ipsi Deum videbunt.* Ex quo loco hanc veritatem deduxit Nazianzenus in lib. de beatitudinibus beatitudine 6. Ab Augustino lib. 22. de Ciuitate Dei c. 30. Deus dicitur præmium nostrarum virtutum. Deniq; Benedictus duodecimus in quadam Extrauagante diffiniuit beatos in patria, beatos esse visione, & fruitione diuinæ essentiæ. Et hæc pro confirmatione sũpta ex sacris literis.

Probatur ex sacris literis. Apoc. 21. & 22. Gen. 15. Psal. 72. Psal. 99. Psal. 143. Matth. 5. Nazianz. August. Bened. 12.

Sed iam accedant demonstrationes, quibus suprà lib. 3. q. 5. ar. 2. generaliter ostendimus nullum bonum creatũ esse posse beatitudinem obiectiuã: nam eædem demonstrant Deum esse obiectum beatificum, & summum bonum nostrũ. Prima igitur demonstratio sumatur ex doctrina D. Thomę in q. 2. præcedente art. vltimo: quoniam illud est obiectum nostræ perfectæ beatitudinis, quod ex sua natura est bonum totaliter quietatiuum nostræ voluntatis. Deus autem est tale bonum. Ergò Deus est obiectũ

4.

Demonstratur 1. ex D. Thoma.

nostræ perfectæ beatitudinis. Maior est nota, hæc enim est conditio essentialis beatitudinis. Minor probatur ex medio sumpto à D. Thoma in citato loco: quoniam voluntas totaliter quietatur in bono, quod ex se est omne bonum: nã si in se continet omne bonum, iam nullum aliud bonum poterit desiderare, & per consequens in illo bono totaliter quiescet. Deum autem ex sua natura esse omne bonum satis idem Deus de- *Exod. 33.* clarauit Exod. 33. dum Moysi poscenti, vt Deus sibi gloriam suam ostenderet, respondit: *Ego ostendam omne bonum tibi.* Quod etiã supponimus ex philosophia demonstratum ex eo, quod Deus est infinitum bonum: nec enim esset tale, nisi in se, aut formaliter, aut eminenter cõtineret omne bonum.

5. Secũda demonstratio sumatur ex ijs, 2. ex eodẽ D. Thoma. quæ scribit D. Thomas in hac q. 3. ar. 7. quam latè explicauimus in dicto lib. 3. q. 5. art. 4. §. 2. n. 11: nam obiectum perfectæ beatitudinis, quæ in cognitione intellectus ponitur, debet esse verũ per essentiam: sed Deus est id, quod est verum per essentiam, ergò Deus est per se obiectum beatificum. Minor est nota: maior ex eo demonstratur; quia obiectum perfectæ beatitudinis ex sua natura habet, quòd per se, & non per aliud sit beatificatiuum: nam, quod per aliud est tale, reducitur ad id, quod est primũ tale: obiectum autem perfectæ beatitudinis per se est primum beatificatiuũ. Igitur cum beatificet sub ratione veri (quia beatitudo perfecta in cognitione est posita) ergò erit verum per suam essentiam. Quare, cum Deus per essentiã sit verum, Deus erit obiectum perfectæ beatitudinis.

6. Postremò: perfecta beatitudo for- Vltimò. malis per se postulat obiectum, quod per se sit summum bonum, atque per se sufficiens, vt patet ex Arist. 1. Ethic. c. *Arist.* 7. text. 29. vbi postquam docuit felicitatem positam esse in bono perfecto, atq; per se sufficienti, addit hæc verba: *Id autem sufficiens esse ponimus, quod solùm à cæteris segregatum expetibilem vitam facit, nec vllius rei indigentem: talem autem felicitatem esse existimamus.* Et lib. 10. c. 6. text. 26. in fine: *Felicitas enim nullius indiget rei: sed est ex se se sufficiens.* Ibidem etiam c. 7. felicitatem ponit in bono per se sufficientissimo. Constat autem Deum per suam essentiam esse summum bonum omnium bonorum præstantissimum, ac per se sufficiẽtissimum, nullius indigens alterius *Gen. 15.* boni: iuxta illud Dei ad Abraham Gen. 15. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* id est sufficientissima. Quod etiam patet ex ijs, quæ de felicitate patriæ scribit Ioannes in Apocal. c. 21. & *Apoc. 21.* 22. Hęc igitur veritas sit totius huius li- *& 22.* bri primum fundamentum firmum, & inconcussum.

ARTICVLVS II.

An Deus se solo sit obiectum visionis beatificæ; an simùl cum aliquo creato bono?

1. Sensus quæstionis explicatur.

CONFIRMATA iam præiacẽte affirmatiua, quod Deus sit obiectum supernaturalis visionis, vt concludamus solum Deũ esse illius beatitudinis obiectum, ostendenda est præiacens negatiua; scilicèt nihil aliud á Deo esse, aut esse posse obiectum visionis in patria. Quæ propositio duplicem potest habere sensum. Primus est nihil aliud à Deo se ipso, & sine Deo esse tale obiectum. Secundus est; quod nec tale sit simul cum Deo. De primo sensu latè diximus suprà libr. 3. vbi singula bona creata, tàm corporis, quàm animi percurrimus, & tandem q. 5. art. 4. generaliter demonstrauimus nullũ bonũ creatum esse posse nostram obiectiuam beatitudinem. Sed ne aliquis adhùc in meridie cæcutiens dicat nullum bonum creatum esse posse per se totale beatitudinis obiectum; benè tamen simùl cũ Deo; ideò inquirimus, an Deus se solo, hoc est, sine cõsortio alicuius boni creati sit obiectum nostræ formalis beatitudinis?

2. Prima ratio dubitãdi.

In hac quæstione duo facere possunt rationem dubitandi. Primum est: quia, licet Deus sit omne bonum, vt ex cap. 33. Exodi diximus in art. præcedente; non tamẽ est formaliter omne illud bonum, quod homo naturaliter appetit, sed eminenter solùm, vt omnes Theologi concedunt. Iam verò homo, ea bona, quæ naturaliter appetit habere; non appetit hahere secundum esse eminentiale, sed secundũ esse formale: appetit enim illis formaliter perfici: nec enim homo

homo erit sanus cognoscendo sanitatẽ, quæ eminenter in Deo continetur; sed sanus erit sanitate, quam in se formaliter habuerit. Ergo solus Deus esse non potest adæquatum obiectum beatitudinis, sed indigebit consortio alicuius boni creati.

Secunda. Secunda ratio dubitandi sumi potest ex beatitudine naturali: etenim ferè omnes Philosophi senserunt præter contemplationem altissimam Dei (quem primam intelligentiam appellabant) indigere hominem pluribus alijs bonis, vt patet ex Arist. 1. Eth. c. 7. text. 29.

Aristot. 3.

Resolutio. His tamen non obstantibus asserendum est nullam rem creatam esse posse simul cum Deo partiale obiectũ nostræ beatitudinis: & subinde Deum sine consortio alicuius boni creati esse nostrã beatitudinem obiectiuam: sine cõsortio inquam, alicuius boni creati, quod se habeat ex parte obiecti; quatenus est beatificum, & à quo beatitudo ipsa formalis essentialiter pendeat: nam ad perficiendam ipsam beatitudinem essentialem quamplurima bona creata concurrunt, quæ illam, & statum beati reddunt felicissimum: de quibus in sequenti libro agendum erit.

4. Maior explicatio. Sed, vt hæc melius intelligantur, aduertendum est duobus modis intelligi posse bonũ aliquod creatum obiectiuè se habere ad beatitudinem formalem. Vno modo, tanquam obiectum vt *quod*, partiale tamen: altero modo, tanquam obiectum vt *quo*: quatenus scilicet est ratio formalis ipsius obiecti beatifici. Dicimus igitur neutro modo bonum aliquod creatum posse concurrere obiectiuè ad formalẽ beatitudinem. De hoc posteriori sensu inquiremus in sequẽti quæstione: de priori autem statuitur hęc

Conclusio. conclusio. Nullum bonum creatum potest simul cum Deo esse obiectũ, vt quod nostræ beatitudinis formalis. Hæc conclusio est apud omnes indubitata: quã,

Probatur cõclusio ex sacris liter. & fides catholica docet, & demõstrat ratio naturalis. Primum euidẽter deducitur ex illo Psalmi. 72. *Quid mihi est in Cœlo & à te quid volui super terrã? Defecit caro mea, & cor meũ: Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.* Sensus est: est ne aliquod bonum, aut in Cœlo, aut in terra, quod nõ sit tu ipse; quod ego vt summũ mihi bonum concupierim? quasi dicat; nullum

Psal. 72.

tale bonum, aut in Cœlo, aut in terra reperitur. Ex quo antecedente patet hũc esse sensum cõclusionis prophetæ: solus Deus, & nihil aliud cũ Deo est pars mea, hæreditas mea, & beatitudo mea. Hunc etiã exclusiuum sensum faciunt illa verba dicta à Deo Abrahæ Genes. 15. *nolli timere Abraham: ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Sensus est ego ipse solus sum merces tua sufficiẽtissima. Quę scribuntur Apocalip. 21. & 22. hanc eandem habent emphasim, vt solus Deus sit principium, & finis: solus ille lignum vitę: solus beatorum merces. Denique; expressa sunt verba Christi Ioan. 12. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verũ.* Quæ à plerisq; sanctorum patrum de vita cælestis patriæ intelliguntur, vt in superiori lib. sæpe diximus. Vnde Augustinus lib. 10. de ciuit. Dei c. 12. in principio concludit vitam beatã in solo Deo esse.

Gen. 15.

Ioan. 12.

Augustin.

Eandem veritatem ratio naturalis demonstrat. Primò; quia beatitudo formalis ex sua ratione obiectiuè consistit in summo bono, & in fine simpliciter vltimo. Iam vero summum bonum, & finis simpliciter vltimus est vnus tantum, & bonum quoddam simplex, vt metaphysica demonstrat. Secundo; si Deus ad beandum indigeret consortio alicuius boni creati; vtiq; ex se nec esset summũ bonum nec omne bonũ. Non esset quidẽ summũ bonum: quia maius bonum esset totũ illud coniunctum, ad quod beatitudo formalis adæquatè terminatur, nec esset omne bonum: quia non esset illud bonum, quo indiget, vt sit cõpletè beatificum: si enim ex se esset omne bonum; quomodo illo alio bono indigeret, vt beare posset? Tertio; quia illud aliud bonũ creatum, ideo quia creatum, non est bonum per se, sed per participationẽ boni increati; & perconsequens rationẽ beatifici non haberet per se, sed per ipsum Deum. Ergo Deus ex se est primum obiectum beatificum: tale autem non esset si in beando ab alio bono partialiter beante ex sua natura dependeret. Concludẽdum est igitur solum Deum esse summum bonum, & primũ beatitudinis obiectum, & ex se sufficientissimum, vt à cæteris bonis segregatum faciat vitam perfectè beatam. Et in re etiam naturaliter notissima hæc satis sint dicta.

5. Demonstrãtur 1. naturali ratione

Secundo.

Tertio.

Argu-

6. Soluitur 1. ratio dubi-

Argumenta initio adducta facile soluuntur. Ad primum respondet Suarius ad completum statum beatitudinis requiri quidèm alia bona præter Deum: non tamen, vt obiecta beatitudinis. Sed quanuis doctrina sit verissima; non tamen satis est, vt in forma tollat difficultatem argumenti. Dicendum est igitur Deum nõ esse formaliter omne bonum, quod appetimus: quia formaliter non est ipsa bona creata, quibus perficimur; sed solum eminenter. Inde tamen non bene inferri aliquod creatum bonum simul cum Deo esse obiectum beatificum: quia nullum tale bonum est bonum per essentiam. Appetimus igitur illa bona creata, non vt obiecta beatificantia; sed vt perfectiones, quæ consequuntur, & concomitantur assecutionem obiecti per se beatifici.

7. Soluitur 2.

Ad 2. concedimus beatitudinem naturalem præter operationem, in qua essentialiter est posita (siue illa vna sit, siue plures) indigere pluribus alijs bonis: negamus tamen illis indigere, tanquam completiua essẽtię, sed vt adiuuantia, & adaugentia essẽtialem beatitudinem, vt satis colliges ex Aristot. 10. Eth. c. 7 nec aliquis, qui recte sit philosophatus, oppositum docuit; de quo latiús dicemus in vltima quęstione huius libri, & adhuc latiùs in lib. 6. sequente.

Aristotel.

QVÆSTIO II.

SEcundo loco agendum est de obiecto immediato visionis beatificæ: de quo duas excitabimus dubitationes. Prima est; an diuina essentia sit immediatum obiectum visionis beatificę? Secunda est; an sit obiectum secũdum suam realem existentiam?

ARTICVLVS PRIMVS.

An diuina essentia sit immediatum obiectum visionis beatificæ?

1.

PArs negatiua huius quæstionis nõ nullis placuit; non tamen eodem modo, nec in eodem sensu.

Prima opinio,

Prima opinio, siue potius error fuit quorũdam hæreticorum, qui docuerũt esse impossibile intellectũ aliquẽ creatũ, siue hominis, siue angeli videre Deũ immediatè in sua substantia. Hunc errorẽ suppresso nomine authoris refert D. Greg. lib. 18. Moral. c. pen. & post eũ D. Th. 1. p. q. 12. ar. 1. Cõmuniter tribuitur Armenis, & Græcis recentioribus, vt patet ex Armach lib. 14. aduersus eos c. 1. Castro libro 3. aduers' hæreses verbo beatitudo hęresi 1. Prateolo in Elẽcho hæreticorum verbo Armeni. Eundem errorem probasse Petrum à Bailardum, & Arnaldum quẽdam Brixiensem illius discipulum testatur Castro, vbi suprà. Postea tempore Innocentij tertij eundem errorem suscitauit Almaricus teste Ioãne turrecremata lib. 4. summæ de Ecclesia c. 35. & eiusdẽ temporis Albigenses eundem errorem sunt secuti, si credendum est Bellomontano. Quin potiùs hunc errorem olim fuisse Iudæorũ colliges ex D. Hieronymo in c. 1. Isaię ad illa verba: *audite verbum Dei principes Sodomorum*: vbi testatur Iudæos ideò interfeciśe Isaiam, quòd dixerit se vidisse Deum facie ad faciem: quia putabant Isaiam in hoc cõtradicere Moysi exod. 33. *non videbit me homo, & viuet.* Hi tamen hęretici non negabant hominẽ esse beatum ex Dei visione: sed asserebant hominem videre Deum, non in sua substãtia, sed in quadam eminentẽ claritate resultante ex diuina essentia: & in hac (vt volebant) videbatur Deus eo modo, quo videtur Sol in suo, quem ex se immittit, splendore. Quanuis Almaricus solùm concesserit visionem Dei ex creaturis cogniti altissima quadam, & eminenti cognitione, vt de eo refert Turrecremata. Hi igitur hæretici admittebant quidèm Deum esse obiectum visionis beatificæ: non tamen immediatum in se ipso, suaq; substantia; sed mediatum in aliqua creatura.

D. Gregor. *D. Thom.* *Armach.* *Castro.* *Prateolus.* *Turrecremata.* *D. Hieron.* *Exodi 33.* Sensus 1. opinionis explicatur.

Secunda opinio fuit quorundam catholicorum, qui admittebant Deum videri in se ipso, suaq; essentia: non tamen esse obiectum immediatum, sed mediatum potiùs beatificæ visionis: fuerunt enim nonnulli, qui beatitudinem patriæ essentialiter posuerunt in visione reflexa, qua beatus videt se Deũ videre. Ita sensisse nonnullos testatur Holcot. q. 7. suarum determinationum, & supplemẽtum Gabrielis in 4. d. 49. q. 3. ar. 3. dub. 2. litera

2. 2. Opinio.

Holcot. *Gabriel.*

ſitera H. exiſtimabant enim neminem videndo Deum eſſe poſſe beatum, niſi videat ſe Deum videre. Quibus videtur

Paludan. fauere Paludanus in 4.d.49.q.2.ar.1.n. 8.dum ait viſionem Dei non poſſe perfectam eſſe, niſi ſit reflexa, qua beatus videat ſe videre Deum: cuius opinionis fundamenta poſuimus ſuprà lib.4. q. 9. ar.6.§.1. Apud iſtos theologos Deꝰ quidèm in ſe ipſo immediatè videtur viſione quadam directa, & intuitiua (in quo

Sensus 1. opinionis a peritur. præcitatis hæreticis repugnant) nollũt tamen viſionem illam eſſe beatificam; quia beatitudinẽ ponunt in ſola viſione reflexa, qua beatꝰ videt ſe videre Deũ. Quare apud iſtos Deus in ſe ipſo eſt obiectum immediatum viſionis directæ: at tamen, vt ſic non eſt obiectum beatificum, ſed quatenus videtur in viſione directa obiectiuè viſa. Quod ſi admittatur, neceſſariò admittendum eſt Deum non eſſe obiectum immediatum viſionis, quæ eſt beatifica, ſed mediatum tãtum: quia videtur in viſione obiectiuè viſa.

3. Opinio. Tertia poteſt excogitari opinio fundamentum ſumens ex præcedente; vt Deus in ſe ipſo ſit obiectum immediatum, vt *quod* viſionis beatificæ: non tamẽ ſit obiectum immediatum, vt *quo*: quoniam viſionem beatificam nõ terminat ſecundum ſuam nudam eſſentiam, ſed mediante ratione formali obiectiua tenente ſe ex parte obiecti: quia ſcilicèt non terminat viſionem beatificam, niſi, vt viſus per viſionem directam.

4. Reſolutio. His tamen non obſtantibus omninò aſſerenda eſt pars affirmatiua, quæ aſſerit Deum in ſe ipſo eſſe immediatum obiectum beatificæ viſionis. Pro cuius reſolutionis confirmatione aduertimus priorem opinionem eſſe hæreticã: contra quam latiſsimè diſputandum erit li. 7. in quo de adeptione beatitudinis diſſeremus. Supponendum eſt igitur, tanquam de fide Deum in ſe ipſo, atquè in ſua ſubſtantia non ſolùm videri poſſe viſione clara, & intuitiua; ſed etiam de facto à beatis tam angelis, quam hominibus ita videri.

5. Concluſio. Hoc igitur ſuppoſito cõtra duas poſteriores opiniones hanc ſtatuimus cõcluſionem. Deus in ſe ipſo, ſuaq; eſſentia eſt immediatum obiectum viſionis beatificæ: non ſolùm in hoc ſenſu, vt ipſe ſit immediatum obiectum vt *quod*; ſed etiã in hoc, vt abſquè vlla creata formali ratione obiectiua terminet viſionem beatificam.

6. Probatur prior pars cõcluſionis Prior pars huius aſſertionis euidentiſsimè patebit, ſi ſupponamus opinionem; quæ beatitudinem formalem eſſẽtialiter collocat in viſione reflexa (qua beatus videt ſe videre Deum) ab omnibus reijci, tanquam verè improbabilẽ, vt latè oſtendimus ſuperiori libro q. 9. ar. 6. nam licèt beatus videndo Deum ex conſequenti non poſsit nonvidere ſe videre Deum (quia viſio ipſa diuinæ eſſentię ratione ſuæ excellentiæ eminenter eſt reflexa) tamen non eſſentialiter eſt beatus, quia videt ſe videre Deum, ſed quia videt ipſum Deum: nam ſi per impoſsibile non videat ſe videre Deum adhùc eſſentialiter erit beatus v,t patet ex dicta q.9.ar.6. & latiùs patebit ex li. 7. Quare ſupponendum eſt beatitudinẽ eſſentialiter poni in directa viſione diuinæ eſſentiæ. Qua ſuppoſita ſententia omninò ceſſat ratio dubitandi: nam auctores præfatæ ſententię ſine vlla dubitatione admittunt viſionem directam immediatè, & primò terminari ad eſſẽtiam diuinam.

7. Probatur 2. Secundo eadem prior pars demonſtratur; quia Deus ſe ipſo ſpecificat viſionem beatam, qua in ſe ipſo videtur. Ergò ſe ipſo eſt primum, & immediatũ obiectum viſionis beatificæ. Antecedẽs probatur: quia viſio beata ab ipſo Deo habet, nõ modo, quod ſit ordinis ſupernaturalis; ſed etiam, quod ſit ordinis diuini, atq; ſupremi. Cõſequẽtia autẽ oſtẽditur; quoniã operatio non aliũde poteſt ſumere ſuã ſpeciẽ, & eſſentiam, quã à ſuo primo, & immediato obiecto.

8. Tertio Tertio, Beatitudo formalis (qualis eſt viſio beata) ex ſua intrinſeca ratione habet, quòd ſit formalis aſſecutio Dei, vt eſt obiectum beatificum. Ergò ex ſua intrinſeca ratione vendicat ſibi primã & immediatam vnionem cum obiecto beatifico; ità, vt cum illo immediatè cõponat vnum totale beatificum obiectũ: quod componere non poſſet, niſi Deus eſſet primũ, & immediatũ obiectũ illius.

9. Vltimo ex ſacris liter. Matth. 5. Poſtremo; idem ex ſacris literis euidenter probatur: nam Matth. 5. dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbũt* hanc autem viſionem eſſe facialem, & intui-

Matth. 18. intuitiuam probatur ex cap. 18. Matth. *Angeli eorum semper vident faciem patris, qui* 1. Cor. 13. *in Cœlis est*; & Paulus 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem*; & Apocalip. 22. *Serui eius seruient ei, & videbunt faciem eius.* Quæ Apoc. 22. verba satis denotant visionem illam esse intuitiuã, de cuius ratione est quod sit immediata, terminataquè ad Deum, vt in se ipso est: quod enim videtur in alio viso, intuitiuè non videtur, nec vt est in se ipso.

10. Posterior pars conclusionis suadetur.

Posterior pars assertionis (quod Deus se solo nulla mediante ratione formali obiectiua terminet visionem beatam) ex eo, vel euidenter ostenditur; quia visio, qua beatus videt Deum est prima operatio, quam intellectus habet in patria. Nullam igitur aliam operationem priorem supponit, quæ possit ad ipsam visionem concurrere, vt ratio formalis obiectiua. Deus igitur sola sua diuina essentia absq; vlla obiectiua ratione formali terminat ipsam beatam visionem. Vnde, qui in Deo obiecto beatifico admittunt rationem formalem obiectiuã, beatitudinem non collocant in visione directa, sed in reflexa, quæ supponit, vt priorem directam visionem: quare cõcipiunt Deum esse beatificum obiectũ, non absolute, sed vt visum. Quæ tamen opinio est omninò impròbabilis, vt diximus. Quare supposito quod visio directa est essentialis beatitudo; omninò conuincitur Deum se ipso simpliciter, & absolutè terminare visionem beatã.

11. Ampliatur eadẽ pars.

Quod de omni operatione beatifica (siue illa sit visio, siue amor) generaliter ostendi potest; si aduertamus beatitudinem obiectiuam (quæ cum formali componit vnum obiectum beatificũ) esse ens adæquatè increatum, & adæquatè summũ bonũ: nã cũ theologi beatitudinem in communi diuidunt in obiectiuã, & formalem, vnanimiter docẽt solum Deum esse beatitudinem obiectiuam; & Deum simúl cum beatitudine formali componere vnum obiectum adæquatè beatificum. Quare operatio beatifica distinguitur à non beatifica: quia non beatifica non potest ad Deum terminari, nisi sub aliqua ratione obiectiua creata, vt patet in delectatione: hæc enim ad Deum non terminatur, nisi vt visum, & amatum. Idem de amore docent, qui beatitudinem in sola visione collocant: volunt enim amorem terminari ad Deum non absolutè, sed vt visum. Oppositum reperitur in operatione essentialiter beatifica: hæc enim, vt possit supponere aliam priorẽ ad Deũ terminatam: non tamen eam supponit, vt rationem formalem obiectiuam; vt patet ex ijs, quæ pro Scoto diximus suprà q. 10. & pro illis, qui beatitudinem ponunt in visione, & amore suprà q. 12.

12. Statuendum est igitur Deum in se ipso esse obiectum nostræ beatitudinis formalis omnibus modis immediatum: quia illam terminat, nõ solùm nullo alio mediante obiecto; sed etiam nulla mediante ratione formali obiectiua.

ARTICVLVS II.

An Deus sit obiectum visionis beatificæ, prout in se ipso est realiter existens?

1. HANC quęstionem excitamus, vt expẽdamus, vtrùm ad rationem beatitudinis formalis patriæ necesse sit Deum videri, vt existentem? Nã licèt necessariò fatendum sit Deum in patria videri á beatis, vt in se ipso est realiter existens, iuxta illud 1. Ioan. 3. *Videbimus eum sicuti est*: dubitari tamen 1. Ioan. 3. potest an ipsa realis existentia necessaria sit, vt visio sit formaliter beatifica.

2. 1. Ratio dubitandi.

Duo sunt, quæ in hac quæstione rationem dubitandi faciunt. Primum est quia pleriquè putant ad rationem beatitudinis satis esse notitiam Dei clarã, & quidditatiuam; quanuis abstrahat ab existentia, & præsentia ipsius Dei. Hãc sententiam probasse Bellemontanum 1. p. disp. 134. c. 3. n. 7. & in solutione. 2. & 3. argumenti late ostendimus in lib. præcedente q. 9. ar. 2. §. 1. n. 31. Iuxta quam sentẽtiam dicendum est ad veram beatitudinem non esse per se necessarium, quod Deus terminet visionem, vt est existens.

3. Secunda.

Secũdò illud dubitationẽ făcit, quod pleriquè putant posse diuina potentia dari notitiam intuitiuam Dei in se ipso sublata Dei præsentia: vt si Deus visionem, quam beatus nunc habet, dininit⁹ conseruet, auferendo suam realem præsentiam: hæc enim visio adhùc maneret intuitiua, & adhùc esset formalis beatitudo,

titudo, sicùt antea erat, & subindè beatificaret ipsum videntem: & tamen non terminaretur ad Deũ, quatenus est existens; sed secundùm solam existentiam obiectiuam, quam adhùc haberet in tali visione. Quæ fuit opinio Bellomontani 1.2. disp. 7. c. 2. ad 3: cum qua consentit alia, quam idem probauit 1. p. disp. 134. c. 3. vbi affirmat non esse de ratione notitiæ intuitiuę, quod terminetur ad rem, vt est in se ipsa existens, aut prę sens: & subindè notitiam intuitiuam obiecti beatifici posse formaliter beare; quanuis non terminetur ad existentiã, aut præsentiam eiusdem obiecti. Quod confirmat exemplo mathematici: nam si illius beatitudo consisteret in visione Ecclypsis; ille beatus foret, si haberet claram, & distinctam notitiam Ecclypsis; quantunuis illa, aut adhùc non existeret; aut existeret in alio hemisphe-rio. Eodem igitur modo intellectus, qui haberet visionem illam diuinitus conseruatam, adhùc foret beatus, quanuis Deus, aut non existeret (si fieri posset) aut non esset præsens.

1. Resolutio.

Ex his igitur duobus dicendi modis infertur non esse per se necessarium ad rationem visionis beatificę, quòd Deus eam terminet, vt in se ipso existens.

His tamen non obstantibus opposita sententia est verissima: & asserendum est in ratione intrinseca Dei, vt est obiectum beatificum, includi, quòd termi net visionem, prout est existens in se ipso. Quę opinio si non formaliter (quia hæc quęstio in his terminis á paucis ex citatur) virtualiter tamen ab omnibus theologis approbatur. Quin potius (nisi fallor) solum Bellomontanum habet aduersarium. Eam probat Suarius in hac 1.2. disp. 5. quęstiunc. 2. §. *Sed dubitabit hic aliquis*; & post eum Ioannes de Salas ad hanc 1.2. tract. 2. q. 3. disp. 3. sect. 7. n. 31. Quin potiùs hanc sententiam adeò esse veram putat Suarius, vt dicat oppositã inuoluere repugnantiam. Hoc autem hac ratione putat esse demonstratum: quoniam Deus est obiectum nostrę beatitudinis, visioniśque beatificæ, quatenus est primum ens, & actus quidam purissimus, atque perfectissimus. Ergò necesse est, vt in eius ratione, etiam, quatenus est obiectum nostræ beatitudinis, includatur, quòd sit ens necessarium per essentiam. Ergò necessarió debet includere in se veram, & realem existentiam: & per consequens non erit satis existentia obiectiua, vt ipsam visionem reddat beatificam. Hinc infert existentiam obiectiuam Dei, vt est obiectum beatificum, esse inseparabilem ab existentia reali: etenim, quod in obiecto beatifico principaliter cognoscitur, est ipsa realis illius existentia.

Suarius.

Salas.

Demonstratio Suarij.

5. Improbatur

Hæc tamen ratio longè abest à vera demonstratione: quoniam ex eo, quòd obiectum beatificum essentialiter, & quidditatiuè est ens existens, infert videri non posse, nisi vt est existens: quæ tamen consequentia est inutilis: quia fieri potest, vt obiectum, quod essentialiter includit existentiam, non se præsentet intellectui, vt est existens: possitq; proindè cognosci cognitione clara, & quidditatiua, non tamen intuitiua. Quod contra eundem Suarium latè ostendimus superiori libro q. 9. ar. 2. §. 2. n. 5. nobiscum posteà consentit Salas loco citato sect. 1. in fine, & sect. 7. n. 32. *Salas.*

6. Firmum resolutionis fundamentum.

Firmum igitur nostræ assertionis fundamentum ex eo sumendum est, quòd beatitudo patriæ ex sua intrinseca ratione est visio intuitiua diuinæ essentię, quod omnes agnoscunt, vno excepto Bellomontano, vt nos latè ostendimus in dicta q. 9. art. 2 §. 2. n. 4. & §. 3. num. 10. Quod posteà asseruit Salas in dicta sectione 7. n. 32. & præter rationes ibi allatas illa satis superq; esse debet, quod ex sacris literis (ex quibus sumenda est essentia nostræ beatitudinis) euidenter constat visionem beatorum in patria esse facialem: vt patet ex illis verbis Matth. 18: *Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in Cœlis est.* 1. Corinth. 13: *Tùnc autem videbimus facie ad faciem.* Apocalyp. 22: *Serui eius seruient ei, & videbunt faciem eius.* Iam verò visio facialis est intuitiua.

Matt. 18. *1 Cor. 13.* *Apoc. 22.*

7.

Ex quo colligo Bellomontanum non solùm non esse admittendum, sed reprehendendum potiùs, quod putauerit ad beatitudinem satis esse notitiã abstractiuam, si illa fuerit clara, & quidditatiua: hæc enim sententia, si intelligatur de beatitudine nobis promissa, non est tuta: quia sacræ literæ explicant hanc futuram esse facialem: sed de hoc latiùs lib. 7. Porrò si visio patriæ essentialiter

est intuitiua; euidenter colligitur eam terminari ad Deum existentem,& præsentem,vt est existens, & pręsens; ita vt Dei existentia,& præsentia sit formalis ratio, qua, & Deus mouet intellectum ad visionem,& visionem terminat: hæc enim est natura intuitiuæ notitiæ,vt nõ solùm terminetur ad rem existentem.i. ad rem, quæ existit: sed etiã ad rem,vt existentẽ, vt latè ostendimus superiori libro loco citato. Et hæc est omnium sententia, vno excepto Bellomontano.

8. Ex quo infertur de intrinseca ratione obiecti beatifici beatificatione perfecta,& suprema(qualis est beatificatio patriæ) procul dubio hoc esse, quod visionem terminet, proút existens est; existentia ipsa concurrẽte, vt ratione formali, tùm motiua, tũ etiã terminatiua.

9. Ad primam rationẽ dubitandi. Nec, quę pro ratione dubitandi adduximus vllam facere possunt hac in re dubitationẽ. Nam prima dubitandi ratio sumpta ex ijs,qui volunt ad beatitudinem satis esse notitiam Dei claram, & quidditatiuam abstrahentem ab existentia ipsius Dei;nullam debet facere dubitationem: quia, vel implicat dari claram, & quidditatiuam Dei notitiã, quin sit intuitiua, vt cum Durando,Capreolo,& Suario admittit idemmet Bellomontanus, vt ostendimus in superiori lib.q.9.ar.2.§.2.n.5: vel si oppositum potiús placet(placere autem debet)negandum est notitiam illam, quantũuis clarã, & quidditatiuã satis esse ad beatitudinẽ patriæ, quidquid Bellomontanus contradicat: id enim non solùm est falsũ, sed nec satis tutũ,vt ibi ostẽdimꝰ.

10. Ad secundã Secunda ratio dubitandi ex dictis satis est soluta: quia vel fieri non potest etiam per diuinam potentiam, vt conseruetur notitia intuitiua sublata, aut existentia, aut præsentia Dei: vel si cõseruetur, nulla ratione erit beatifica: quod latiùs ostendimus in superiori libro q.1.ar.2.§.6.n.59.60.61.

Huius asserti prior pars facilè ꝓbatur: quia per se notum est fieri non posse, vt visio illa, quę anteà erat vera Dei visio, conseruetur destructo Deo: Deo enim destructo,cętera omnia destruantur,necesse est. Quin potiùs fieri nõ potest illã visionẽ cõseruari Deo realiter nõ præsente prętentia suę immẽsitatis: quia Deꝰ nõ potest nõ esse vbiq; prętens.

11. Quæstio. Solùm igitur erit quæstio, an illa visio conseruari valeat sublata præsentia obiectiua Dei,qua Deus se se nostro intellectui facit obiectiuè præsentem? Partem negantem probabunt illi, qui putant in quacunq; notitia etiam creata id esse impossibile. Alij id ipsum putant factu esse possibile in notitijs non beatis;non tamen in notitia beata. Quę fuit opinio Suarij loco citato: eo ducitur fundamento; quia notitia beata ex sua ratione habet, quod terminetur ad ens essentialiter existens. Hoc tamen fundamẽtum non satis est firmum: nam hoc non obstante potest Deus quidditatiuè videri cognitione abstractiua. Similiter poterit videri, vt apparenter existens. Ego facilè admitterem posse diuinitus de nouo fieri speciem,aut notitiam,quę representet rem, vt præsentem, quæ tamen verè non sit præsens: imò nec verè existens: non tamen admittam posse Deum speciem, vel notitiam intuitiuam iam præexistentem cõseruare sublata, aut existentia,aut reali præsentia rei obiectæ: quod latè probauimus libro superiori in dicta q. 1. n.61. & placuit Fonsecæ 6.Metaph.c.2. q.4.sect.3.litera E. nec displicuit Molinę 1.p.q.55.art.2.disp.2. memb.5.§. *Ad hæc non video*: variatur enim ratio formalis rei, quæ est obiectum. Sed de hoc hęc dixisse satis. Resolutio. *Fonseca. Molina.*

12. Posterior verò pars superioris asserti facilè etiam probabitur:nam etiamsi admitteremus talem visionem posse diuinitùs conseruari; nequaquam admitteremus visionem illam habere veram rationem beatitudinis, vt hominẽ posset beare:id,quod etiam aduertimus in d.nu.61: talis enim visio non esset vera visio Dei existentis, vt in se est;sed esset visio Dei secundùm apparentem existẽtiam in se ipso:& proindè ex se esset deceptiua,nec posset vlla ratione dici vera assecutio Dei:quia illum non verè in se ipso, sed solùm apparenter assequeretur: quę omnia euidenter pugnant cũ vera beatitudine.

Ex quibus iam patet Deum apparenter prętentem, vt in se est,nulla ratione habere veram rationem obiecti beatifici, quia, vt sic verè non bearet. Concludendum est igitur Deum tùnc habere rationem obiecti beatifici, cum se

se

1. Ioan. 3. se exhibet obiectiuè præsentem, sicuti verè in se est: iuxta verba Ioānis primæ cap. 3. *Similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Et hæc de hoc articulo, & quæstione.

QVÆSTIO III.

IVXTA ordinem propositū in præfatione huius libri disputandum est tertio loco de ijs, quæ à beato in Deo videtur. Et vt clariùs procedamus, primò agendum est de visione, quæ pertinet ad obiectum primarium. Deindè de ijs, quę ad secundarium obiectum spectāt; de creaturis scilicèt, quæ in essentia diuina repræsentantur.

Circa visionem, quæ pertinet ad primarium obiectum, primò agendum est de visione diuinæ essentiæ. Secundò de visione attributorum. Tertiò de visione diuinarum personarum. Postremò de visione actuum intellectus, & voluntatis diuinæ.

Circa visionem diuinæ essentiæ (quæ primo loco consideranda venit) primū explicabimus; an beati videant diuinā essentiam? Deindè; quid nomine essentiæ intelligendum sit? Tertio loco; quænam sint illa prędicata, quę omnium cō sensu diuinam essentiam ingrediuntur?

ARTICVLVS I.

An Beati videant diuinam essentiam?

1. QVANVIS quæstio proposita in terminis, in quibus proponitur, nullā inter Catholicos habeat difficultatem: fuit tamen à nobis hoc loco excitanda; vt possemus explicare proprium, & essentialem conceptum diuinæ essentię: cuius explicatio plurimū conducit, vt inferiùs explicemus propriam, ac per se rationem beandi: & vnde nam Deus per se primò habeat, quod sit obiectum beatificum; quod est huius libri principale institutum.

2. Pars negās. Reijcitur, vt hæretica. Partem quæstionis negantem probauerè illi hæretici, qui putauerunt, fieri non posse, vt intellectus creatus, siuè angeli, siuè hominis videat Deum in sua essentia, quos suprà citauimus q. 2. ar. 1. Hanc tamen sententiam esse hæreticā latè demonstrabimus inferiùs lib. 7. vbi ostendemus beatos videre diuinam essentiam immediatè, & clarè in se ipsa, & sicuti in se est. Hanc sententiam ibi deducemus, tum ex communi Patrum doctrina; tum ex sacris literis: tum deniq́ue ex definitionibus Ecclesiæ. Nunc satis sit diffinitio Benedicti duodecimi, & Euaristi Papæ, quæ longe est antiquior. Benedictus igitur in sua Extrauag. quæ incipit. *Benedictus Deus*, ita ait: *De animabus Sanctorum, qui post mortem, & ascensionem Christi deceßerunt, sunt, & erunt in Cœlo: vident, & videbunt diuinam eßentiam immediatè se benè, & clarè, & apertè illis ostendentem.* Euaristus Papa anno Domini 96 in sua Epistola decretali ita scribit: *Si enim filius Deus verus, & vita æterna est; sine dubio in hac luce simul cum patre habitare credendus est, quam nullus modo nostrum in hoc mortali corpore constitutus potest aliquatenus contueri: sed dùm apparuerit, tùnc verè illum videbit, sicuti est, qui eius conspectui fuerit dignus coaptari: & non sicut Moyses, cæterique propbetæ per ænigma, & figuram, sed ipsam veraciter in filio secundùm Apostolum contuebitur veritatis imaginem.* Quibus verbis non solùm nostram definit veritatem, sed etiam explicat verum, ac propriū sensum Pauli 1. Corinth. 13: *Videmus nùnc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem*; vt scilicèt intelligatur de visione secundùm propriam, & veram speciem, ac formam diuinitatis, iuxta illud Pauli 2. Corinth. 5: *per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Accedat etiam auctoritas Augustini Epistola 111. dum ait: *Magnos viros, & in scripturis sanctis doctissimos, qui plurimùm Ecclesiam, & bona studia fidelium suis literis adiuuerunt; vbi eis occasio data est, dixisse inuisibilem Deum inuisibiliter videri: hoc est, per eam naturam, quæ in nobis quoque inuisibilis est, munda scilicèt, mente, & corde.* Quare partem quæstionis affirmatiuam, vt verè catholicam nùnc supponamus, de ea latiùs disputaturi inferiùs lib. 7.

Bened. 12. *Euaristus* *1. Cor. 13.* *2. Cor. 5.* *August.*

ARTICVLVS II.

Quid nomine eßentiæ intelligendum sit?

CONstituimus, tanquā de fide beatos videre diuinam essentiam, & illius visione esse beatos. Doctri- 1.

næ ordo postulat, vt explicemus, quid nomine essentiæ diuinæ intelligendum sit?

Aduertendū quid sit essentia.

Pro cuius explicatione aduertendū est essentiam propriè loquendo esse id, quo res quæque primò simpliciter, & completè est: essentia enim omnium cō sensu dicitur ab esse; non quocunque, sed primo, quod rei simpliciter conuenit. Cum verò res quæque per suum primum esse simpliciter sit quid; hinc est, vt essentia, ideò quia essentia, dicatur etiam quidditas rei: per eam enim res quęq; habet primam suæ entitatis subsistentiam: siquidèm per talem entitatē quælibet res subsistit omnibus, quæ sibi conueniunt, tanquam per primum illorum fundamentum. Qūia verò prima cuiusque rei entitas est radix, & prima origo aliquarum proprietatum, & operationum, quę tali entitati conueniunt; indè est, vt ipsa essentia appelletur etiā natura: natura enim dicitur, quia ab ea aliquid, quasi nascitur. Ita fit, vt prima, & essentialis cuiusque rei entitas apud philosophos tribus nominibus significetur: nimirùm essentiæ, quidditatis, & naturæ, vt annotauit D. Thomas de ente, & essentia c. 1: nam in ordine ad primum esse, quod habet, dicitur essentia: quidditas verò; quia ipsum primum esse, est ipsum quid rei, quo in sua entitate primò subsistit, tanquam cæterorum fulsimentum: dicitur autem natura in ordine ad suas proprietates, & perfectiones veluti adiacentes; & denique in ordine ad operationem: hæc enim omnia à prima illa essentiali entitate veluti nascuntur. Vide D. Thomam in dicto tract. de ente, & essentia cap. 1. & Fonsecam 4. Metaph. c. 2. q. 3. sect. 2. §. *Quartum est.*

D. Thom.

D. Thom. Fonseca.

2. Essentia vnde dicta.

Ex his primò infertur essentiam iuxta nominis etymologiā dici quidèm ab esse: non quocunque, sed ab esse, quo res quæque est ens, nomine entis nominaliter sumpto, quo res quęque potens est existere: quod esse appellatur esse essentiæ, quod res quęque habet ab æterno in rationibus intelligibilibus, quæ sunt in mente diuina, de quo alibi latiùs diximus. Ita fit, vt essentia, qua res quæq; essentialiter est ens, habeat rationem naturæ respectu existentiæ; quatenus ab ipsa essentia rei veluti nascitur ipsa existentia, saltèm secundùm aptitudinem: nam res quæque, quia est ens entitate essentiali, est potens existere.

3. Quę prędicata essentiā constituant.

Infertur secundò ea sola prædicata ad essentiam cuiusque rei pertinere, tāquam verè constitutiua, & completiua essentiæ, sine quibus res quæque in sua completa essentia concipi non potest: quale est prædicatum animalis, & rationalis respectu hominis: nec enim homo, vt homo est, concipi potest, nisi simul concipiantur animal, & rationale. Quæ verò prædicata ita cōueniunt rei, vt res ipsa sine illis completé concipiatur; ad essentiam illius nequaquam pertinent; sed supponunt essentiam rei iam esse completè constitutam. Quæ doctrina est apud omnes indubitata; & ex dictis facilè patet: quoniam nulla res potest verè concipi sine sua quidditate, entitateq; essentiali: nam eo modo res quęque est intelligibilis, quo est ens: at res quęque per essentiam constituitur in sua prima entitate, & quidditate, vt patet ex dictis. Ergò nulla res concipi potest sine ijs, quæ sunt constitutiua suę essentiæ.

4. Quid nomine diuinę essentiæ intelligēdū sit.

Ex quibus generaliter colligimus, quid nomine diuinæ essentiæ intelligēdum sit: etenim generaliter loquendo nomine diuinę essentię intelligenda est res quædam, quę à se ipsa per se primò, & essentialiter est entitas, qua Deus nostro intelligendi modo per se primò constituitur in esse entis, quod à se est essentialiter ens. Et quanuis hæc entitas secundùm se sit simplicissima, & vnitissima vnitate, & simplicitate, quæ proùt est in se, in se est ineffabilis: tamē à nobis explicabilis est ad modum, quo essentias creatas explicamus: per diuersa scilicèt prædicata, quæ modum generis, & differentiæ imitantur; quibus in esse diuinæ essentiæ veluti constituitur. Hæc igitur prædicata, quænam sint, erit à nobis hoc loco vtcunquè inuestigandum. Quod in sequenti articulo præstabimus.

ARTICVLVS III.

Quænam sint illa prædicata, quæ omnium consensu diuinam essentiam quidditatiuè, & essentialiter ingrediuntur?

§. 1.

§. 1.

Præmittuntur nonnulla.

1. IN hac perdifficili, sed necessaria inquisitione; qua inquirimus, quænam sint prędicata, quibus diuina essentia nostro intelligendi modo constituitur; illud obseruandum est prædicata essentialia, & quidditatiua diuinę essentiæ, quæ naturali ratione à nobis cognosci possunt, nõ alio meliori modo venanda esse, quàm ascendendo à creaturis ad Deum primam illarum causſam: nam ex Paulo ad Rom. 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoquè eius virtus, & diuinitas.* Oportet igitur vnam rectam seriem, veluti prædicamentalem ante oculos proponere, quatenus Deus conuenit cum creaturis: in hac enim serie inueniemus quasdam rationes genericas ipsis creaturis essentiales, quæ inter se quandam seruant imitationem prædicati generici, & specifici: per quę, tanquàm per rectam lineam descendẽtes concipiemus plura prædicata, veluti generica, & specifica, quę Deo, vt prędicata essentialia tribuamus.

Ad Rom. 1.

2. Documentũ circa huiusmodi prędicata. Constituendum est igitur in hac inquisitione prędicata illa, quę secũdùm formalem rationem communem Deo, & creaturis dicũtur essentialiter de substantijs creatis, per se etiam, & essentialiter pertinere ad quidditatem, & essẽtiam Dei: quod optimè annotauit Suarius lib. 2. de essentia Dei c. 11. n. 4. Facilè demonstratur, si aduertas hęc prędicata longè perfectiori modo reperiri in Deo, quàm reperiantur in creaturis. Quarè si illa de creaturis essentialiter prædicantur: à fortiori de Deo essentialiter prædicabuntur. Consequentia huius discursus est nota: quoniam, quę essentialiter conueniunt, perfectiori modo conueniunt, quàm si non essentialiter conuenirent.

Demõstrat.

3. Porrò antecedens notissimum est, tã theologis secũdùm principia fidei, quã philosophis secundùm principia metaphysicæ. Et omissis alijs probationibus veritas antecedentis ex eo euidenter patet; quoniam creaturæ ea prædicata non habent à se, sed per participationẽ ab alio: siuè ea consideres quoad actum existentiæ actualis, & exercitę: siuè quoad actum existentiæ possibilis: siuè denique quoad actum solius essentiæ. Et quidèm si considerẽtur huiusmodi prędicata quoad actum actualis existentię; constat creaturas non habere illa prædicata, nisi per creationem, vt fides docet, & demonstrat ratio naturalis: nulla enim creatura habere potest actualẽ existentiam, nisi Deo ad eam efficienter concurrente. At verò si considerẽtur hæc prædicata quoad existentiam possibilem, quatenus scilicèt possunt creaturis conuenire; etiã constat creaturas actu non existentes, possibiles tamen existere possibilitatem illam habere, tum ratione potentiæ actiuę Dei, in qua virtualiter continentur: tum ratione idęarum, quæ Deo sunt rationes factibilium.

Creaturæ non à se, sed ab alio habent prędicata essentialia.

4. Porrò, si considerentur quoad actum essentiæ, secundùm quem creaturę dicuntur æternæ, & ab ęterno includere in sua essentia prędicta prædicata; adhùc ipsę creaturę quoad tale esse pendent ab alio: nam si rectè philosophandum est, creaturę quoad esse suę essentiæ radicaliter pendent à perfectione eminentiali, qua diuina essentia eminẽter in se ipsa continet omnes essendi rationes, & gradus, secũdùm quos est imitabilis, participabilisq;. Proximè autẽ pendent à rationibus intelligibilibus speculatiuis diuini intellectꝰ: etenim ex eo, quòd intellectus diuinus omnimodè cõprehendit diuinam essentiã, omnesq; essendi modos, & gradus, quibus illa est participabilis; in eodẽ intellectu diuino intelligibiliter relucent omnes creaturę, quę diuinam entitatẽ in sua essentia particulatìm imitãtur, & participãtur.

5. Quare quocunq; modo considerẽtur creaturę, sua prędicata essẽtialia nõ habẽt à se, sed depẽdenter à Deo modo explicato. Ità fit, vt illa prædicata, quãtũuis sint illis essentialia, & ab æterno eis conueniant; non tamen ea habeant per suam essentiã: si enim benè philosophamur, ea dicũtur per essentiam suam alicui conuenire, quę illi conueniunt ex vi solius suæ essentiæ. Iam verò essentia creaturę, non est prima ratio, cur illa prædicata sint sibi essẽtialia; sed eminẽtialis perfectio diuinæ essentiæ, quę secũdùm illũ essendi gradum est participabilis: ex qua participabilitate resultat conceptibilitas creaturę secundùm

illum gradum essendi, qui ab æterno relucet in rationibus intelligibilibus diuinæ essentiæ, quæ sunt in diuino intellectu. Quare nisi diuina essentia eminẽter haberet illum essendi gradum communicabilẽ creaturæ; vtique ipsa creatura nullum esse habere posset. Igitur formalis entitas essentiæ creaturæ per se pendet ab entitate illa, vt eminenter est in Deo.

6. Aliter philosophandũ respectu dei

Longe alitèr philosophandum est de eisdem prædicatis, vt reperiuntur in Deo: Deus enim ea habet à se, & per suã essentiam; quia scilicèt ea habet ex vi solius suæ essentię: nam cum diuina essentia à se ipsa sit essentia, & quidditas; sibi ipsi essentialiter per se primo est suum quid. Quam positiuam essentialitatem, & primitatem essendi nos aut cõcipere, aut explicare non valemus, nisi per negationem dependentiæ ab alio, tum in fieri quoad actum existendi: tum quoad participari, quoad actum essentialiter essendi. Et hęc est cõmunis doctrina Theologorum sumpta ex Magno Dionysio de diuinis nominibus c. 2. & 7. & mystica theologia c. 1. & 5. & ex Aug. lib. 5. de Trinitate cap. 1. & tract. 23. in Ioannem, & multis alijs in locis.

D. Dionys. D. Aug.

7. Ex dictis iam patet verissimum esse antecedens, quod nitimur probare: nimirum illa prædicata, quæ secundùm suas formales rationes communia sunt Deo, & creaturis, longè præstãtiori modo conuenire Deo, quàm creaturis. Ex quo necessariò infertur illa prædicata, quæ secundùm suas rationes formales communes Deo, & creaturis essentialiter prædicantur de substantijs creatis; essentialiter etiam prædicari de Deo, & ad diuinam essentiam pertinere.

8. Tria prædicata essentialia diuinæ essentię.

Ex hoc tam firmo, ac solido fundamento euidenter infertur diuinam essẽtiam tria prædicata essentialia sibi vẽdicare: nimirum esse substantiam: esse viuentem: deniq́ue esse spiritualem, immaterialemq́; . Hoc corolarium in hac generalitate euidẽter deducitur ex prę iacto fundamento: nam ea prædicata, quæ secundùm suam formalem rationẽ communem Deo, & creaturis essentialiter, & quidditatiuè prædicantur de substantia creata, essentialiter etiam prædicantur de Deo, diuinaq́ue essentia. Sed esse substantiam essentialiter prædicatur de omnibus substãtijs creatis: est enim genus summum, sub quo omnes substantiæ creatę in recta serie collocantur: Esse autem substantiam viuẽtem essentialiter conuenit plerisq́; substãtijs creatis, etiam materialibus: nam in serie substantiæ reperitur viuens, tanquam genus quoddam subalternum. Deniq́ue esse substantiam viuentem, atq́ue spiritualem essentialiter prædicatur de angelis. Ergò esse substantiam viuentem vita spirituali est de intrinseca ratione, & quidditate diuinæ essentiæ. Maior huius discursus ex præiacto fundamento est notissima. Minor autem quoad singulas partes est in dubitata apud metaphysicos, & logicos. Quare cõclusio etiam indubitata erit. Sed singulas illius partes breuitèr præstringuamus.

§. 2.

Esse substantiam completam, & perfectã esse de quidditate, & essentia Dei.

9. Probatio ex naturali ratione.

QVòd esse diuinum essentialiter, & quidditatiuè sit esse substantiale completum, & perfectum in genere substantiæ, nullus, nec fidelis, nec philosophus vnquam dubitauit. Nõ quidèm philosophus: quoniam naturali ratione demonstratur Deum esse ens quoddam primum, & increatum, principiumq́ue rerum omnium, de quo latè Suar. in Metap. disp. 29. ex quo infertur Deum essentialiter esse substantiam, vt idem Suarius aduertit, vbi suprà sect. 1. n. 39. & disp. 30. sect. 14. n. 2. & lib. 1. de essentia Dei c. 3. n. 4: etenim euidentissimum est primum ens nõ posse esse accidens: quoniam accidens semper supponit substantiam, in qua sustentetur, vt patet ex Metaph. Porró si primum ens non est accidens; vtiq́; erit substãtia: quia omne ens, vel est accidens, vel substantia. Quarè cum Deus apud philosophos sit primũ ens; vtiq́; apud eosdem dubio procùl erit substantia.

10. Ex principijs fidei.

Ex eodem fundamento philosophus fidelis ex principijs fidei eandem veritatem deducet: nam Deum esse primum ens, & primum principium omnium creaturarum, satis patet ex verbis Christi Ioan. 8. Nam interrogantibus Iudæis à Christo, quisnam esset?

Ioan. 8.

Respon-

Respondit: *principium, qui, & loquor vobis.* Item Apocalip. 1. 21. & 22. *Ego sum α, & ω: principium, & finis.* Primum autem omnium entium principium non potest esse accidens, sed substãtia, cùm substantia sit principium accidentis. Et vt concludamus, diffinita est hæc veritas in Cõsilio Lateranensi sub Innocentio tertio c. 1. refertur in c. firmiter de summa Trinitate: *credimus, & simpliciter confitemur, quod vnus solus est verus Deus, Pater Filius, & Spiritus Sanctus: tres quidèm personæ, sed vna essẽtia, substantia, seu natura simplex.* Et inferiùs in eodem c. 1. (habetur in c. damnamus eodem titulo) contrà Abbatem Ioachimum de diuina essentia ità definitur: *nos autem sacro approbante concilio credimus, & confitemur cum Petro; quod vna quædam summa res est incomprehensibilis quidèm, & ineffabilis; quæ veraciter est Pater Filius, & Spiritus Sanctus. Et ideò in Deo solùm modo trinitas est & non quaternitas: quia quælibet trium personarum est illa res, videl. cet substantia, essentia, & natura diuina.* Et pro confirmatione notissimæ veritatis hæc sufficiant.

Apoc. 1. 21. & 22. *Conc. Lateran.*

11. Augustini aliorũq; patrum mens explicatur.

Cui non cõtradicit Aug. lib. 7. de Trinitate c. 5. dum ait Deum abusiuè dici substantiam. Nec etiam illi patres, qui docent Deum non esse veram substantiam, sed esse super substantiam, vt habes ex Dionysio c. 1. 2. & 7. de diuinis nominibus, & c. 1. 3. & 5. de mystica theologia, Damasceno lib. 1. de fide c. 4. atq; Boetio in lib. de Trinitate. Non cõtradicunt quidèm: quoniam dum Aug. ait Deum abusiuè dici substantiam; nomen substantiæ accepit secũdum vocis ætymologiam, quatenus substãtia dicta est à substando accidẽtibus, vt aduerterũt Bellomõtan° 1. p. disp. 22. c. 3. n. 6 in quinta ratione, & Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 3. n. 4. Quem sensum euidentissimè colliges ex verbis eiusdem capitis: Nam cum de re, quæ est substantia sermonem habet, apertè concedit Deum non translatitiè, sed propriè esse substãtiam, vt patet ex eodem Aug. lib. 5. de Trinitate c. 2. vbi agẽs de Deo ità inquit *Est tamen sine dubitatione substantia, vel si meliùs hoc appellatur, essentia, quam græci οὐσίαν vocant*, additq; *non esse substantiam, vt aliæ substantiæ sunt substantiæ: quia non est substantia quæ capiat accidentia, sed omninò immutabilis.* Quibus verbis satis explicat sensũ eorũ verborũ, quæ scripsit in dicto lib. 7. c. 5.

Dionysius. Damascen. Boetius. *Augustin.*

Porro alij patres, dum negant Deum esse substantiam, vel aliquid eorum, quę sunt; non ideò negant, quasi Deus vere substantia non sit; sed quia rationẽ substantiæ longè altiori modo sibi vendicat; ob quam perfectionem dicitur suprà substantiam. Quem sensum satis expressit Damascenus in dicto lib. 1. c. 4. his verbis: *In Deo autem impossibile est quid nam essentia sua, ac natura ipse sit, dicere: aptiusque est ex omnium rerum sublatione, atquè inficiatione orationem habere: nec enim eorũ quæ sunt, quidquam est. Quod quidèm non ità accipiendum est, quasi non sit: sed quia supra omnia, quæ sunt, ipse sit: atquè adeò supra ipsum esse.* Optimè rem explicauit Elias in Naziãzenum oratione. 24. quæ est in aduentu Ægyptiorum, similitèr, & Gilbertus in Comment. ad citatum locum Boetij, quorum verba alibi latiùs expendimus. Modò satis sit hanc esse mentem patrũ, vt dicant Deum non esse substantiam prędicamentalẽ contractãquè adgenus substantiæ; sed esse substantiam quandã prædicamẽtali longè superiorem: quia est substantia, non modo per se, sed etiã à se, & ex vi suæ solius essentiæ. Ex quo euidenter concluditur esse diuinum essentialiter, & quidditatiuè includere, quod sit substantiale completum, & absolutum in ratione substantiæ.

12. *Damascen*

§. 3.

Deus quidditatiuè, & essentialiter est substantia viuens.

QVòd Deus quidditatiuè, & essẽtialiter sit substantia viuens, ità vt vita sit de quidditate diuinæ essentiæ; & ratione naturali notissimũ est, & lumine fidei. Lumine quidèm fidei, quoniam Deum esse viuentem pluribus in locis docet sacra vtriusq; testamenti pagina. Nam in veteri testamẽto Deus de se ipso sæpe testatur: *viuo ego ait Dominus* Numerorum 14. Isaię 45. & 49. Vnde solemne erat in lege veteri apud Prophetas, cęterosquè viros sanctos iuramẽtum: *viuit Dominus* Iudicum 8. Ruth. 3. 1. Regum 14. & Hieremiæ 4. dicitur: *Iurabis, viuit Dominus*; vndè passim in veteri testamẽto Deus dicitur Deus viuẽs, Deuteronomij 5. Iosue 3. Hieremię 10. & passim alibi. In nouo etiam testamẽto passim Deus dicitur viuens. Nam

13. Probatur homine fid.

Num. 14. *Isai.* 45. & 49. *Iudic.* 8. *Ruth.* 3. 1. *Reg.* 14. *Hier.* 4 *Deuter.* 5. *Iosue.* 3. *Hos.* 10.

Ad Hebr. 10. Paulus ad Hebreos 10. *horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Et c. 12. *Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis.* Apocalip. 10. Angelus iurauit *per viuentem in sæcula sæculorum.* Et c. 15. vnum de quatuor animalibus dedit septē angelis *septem phialas aureas plenas iracundiæ Dei viuentis in sæcula sæculorum.* Deniq; Petrus Matth. 16. in hanc confessionem prorupit: *Tu es Christus Filius Dei viui;* & mille alijs in locis Deus dicitur viuus, quos longum esset enumerare. Quin potiùs Deū ità esse viuentē, vt vita sit ipsa Dei quidditas, & essentia, ex eo deducitur, quòd Deus non modò dicitur viuēs, sed ità viuēs, vt sit ipsa vita, vt patet ex illis verbis Ioan. 1. *In ipso vita erat:* nō quomodocūq;, sed vt in fonte ipsius vitæ: quem sensum declarauit Christus Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Qui loquendi modus denotat vitam ità Deo conuenire, vt ipse per se & à se, atquè ex vi suæ essentiæ sit vita, vt idem Christus declarauit Ioan. 5. dum ait: *sicùt Pater habet vitam in semetipso: sic dedit, & Filio habere vitam in semetipso:* hoc est, non ab alio, sed per generationem paternam, & ex vi solius suæ essentiæ: quę est communis patrum interpretatio. Eundem sensum eleganter expresserat Daniel c. vltimo: dum regi obijcienti draconem, quem Babylonij colebant, adorandum esse, vt Deum; quia negare non poterat eū esse viuentem, sicùt de Bel negauit; respōdit: *Dominum Deum meū adoro, quia ipse est Deus viuens:* cum verò negare non posset draconem illum esse viuentem; quia verum erat animal: dum dixit *Deum esse viuētem:* satis explicauit Deum viuentem esse vita longè altiori, quā esset vita illius draconis: vt potè quia vitam à se metipso habebat, nō verò dependentem ab alio, sicùt habebat ille draco: in cuius cōfirmationē permissu regis interfecit draconem. Quare ex sacris literis satis euidenter colligitur Deū ità esse viuētē, vt vita verè sit de quidditate suæ essētiæ.

Ibidē 12. Apoc. 10. & 15.

Matt. 16.

Ioan. 1.

Ioan. 14.

Ioan. 5.

15. Probatur lumine naturali.

Sed non sola fide veritas ista fit euidens, sed etiam naturali lumine, & demonstratione: *vniuersi enim putant Deū viuere,* vt expressè docet Arist. lib. 10. Etich. c. 8. tex. 30. Nec ab hac veritate gētiles erant alieni, qui ligna, aut lapides, vt Deos colebant: in illis enim viuum aliquem inhabitatorem agnoscebāt, vt testatur Aug. concione 2. in Ps. 113. Quare hæc fuit constans omnium Philosophorū assertio, quam sæpe astruit Arist. nam lib. 1. Topic. c. 1. expressè ait *propiū esse Dei esse animal immortale.* Idem vitam immortalem in Deo agnoscit in lib. de mundo ad Alexandrum c. 5. in lib. 1. de Cælo c. 9. tex. 100. Deo tribuit *optimā in vniuersa sēpiternitate vitam, & sufficientissimam.* In lib. etiam 2. c. 3. tex. 17. de Deo ità ait: *Dei operatio immortalitas est: hoc autē est vita perpetua.* Deniq; 12. Metaph. c. 7. tex. 39. postquàm multis demōstrauit Deum optimam, & suauissimam habere speculationem, addit hæc verba: *Cæterū vita quoque perfecta inexistit: siquidèm intellectus operatio vita est: ille verò est actus, actus verò per se illius vita optima, & perpetua: dicimus itaque Deum sempiternum, optimumq; viuens esse. Quare vita, & æuum continuum, & æternum Deo inest: hoc enim est Deus.*

Augustin. *Aristotel.*

16. Hęc veritas à metaphificis latissimè demonstratur apud Aristotelem lib. 12. Metaph. vbi Iauelus q. 18. in fine, & Suarius disp. 30. sect. 14. à n. 2. vsque ad 8. à theologis etiam apud D. Thomam 1. p. q. 18. ar. 3. vbi omnes interpretes. A posteriori eam probauit Arist. 12. Metaph. d. c. 7. tex. 39. ex eo, quia in Deo datur operatio intellectus: quæ est quædā vita in actu secundo, quam dari nō posse sine vita substantiali docuit Arist. in lib. de Anima: quæ doctrina in Deo est maxime vera, in quo intellectio est substantia illius ex eodem Arist. 12. Metaph. c. 9. tex. 51.

A posteriori suadetur. *Arist.* *Aristotel.*

17. Sed à priori etiam id potèst demonstrari ex eo, quòd Deus à se ipso est ens, & essentialiter primum ens, primumq; principium effectiuum omnium entiū: quod non solùm ex fide volumus esse suppositum, sed ratione etiam naturali demonstractum. Ex quo principio infertur Deum non solùm ex se esse substantiam viuentem; sed etiam esse formaliter viuentem. Infertur quidèm ex illo principio Deum esse substantiam viuentē; quoniam ens, quod à se est ens, & essentialiter primum ens, primaque substantia, ex sua ratione vendicat sibi perfectissimum essendi gradum, optimumque gradum substantiæ; quod tanquam per se notum supponit Aristoteles 12. Metaph. in d. c. 9. tex. 51. Iam verò inter gradus sustantiales entis omnium

A priori demonstratur. *Aristotel.*

Augusti. nium perfectissimus est gradus viuētis, quatenus est viuens, vt patet ex Aug. 11. de ciuitate Dei c. 16. & Clarius in lib. de vera religione c. 29. & in lib. de duabus animabus c. 4. Quod etiam docuit Plato in Tymæo, & satis Auerr. in 2. lib. de Cœlo com. 61. habes apud D. Thomam 1. p. q. 3. ar. 1. & q. 70, ar. 3. ad 2. vbi Caiet. idem D. Thomas 1. contra gentes c. 20. & ibi Ferrarienſis; & est communis sententia theologorum Richardi, Ochami, Gabrielis, Argentinę, Bassolij, Capreoli, & Soncinatis; quos refert, & latè probat Curs. Conimb. lib. 2. de Cœlo c. 1. q. 2. ar. 2. Hanc sententiam, tanquam receptissimum philosophiæ principium probat Fonseca lib. 10. Metaph. c. 7. q. 2. sect. 3. in principio. Sed quoniam principium istud (quanuis in se verissimum) non ab omnibus vniuersim recipitur: (nec enī illud recipit Marsilius in 1. q. 1. ar. 2. nec Gabriel in canone lectione 41. quivolūt quædam non viuentia esse multo nobiliora viuentibus conditionis infimæ; illis scilicèt, quæ ex putredine gignūtur) vt demonstratio allata firma sit; illud est absquè vlla controuersia receptissimum gradū viuentis ex suo genere esse perfectiorem gradu substantiæ non viuentis, vt optimè aduertit Suarius in Metaph. disp. 30. sect. 14. n. 5. Ex quo infertur gradum viuentis, quod in genere viuentium est præstantissimum, absolutè esse nobiliorem præstantissimo gradu substantiæ non viuentis: quod pronunciatum nullum habet contradictorem: vndè qui priori pronunciato aduersabantur, libentèr admittunt hominem longè esse nobiliorem quacunquè substantia non viuente, etiam cœlesti; ideò, qui est viuēs supremo viuētis gradu, qualis est gradus vitæ intellectiuæ. Ex hoc igitur pronūciato euidēter demōstratur Deū esse substantiam viuētē: nam, cum vendicet sibi gradum essendi substantialem omnium perfectissimum; gradus autem viuentis inter substātiales essendi gradus ex suo genere sit omnium perfectissim⁹; necessariò infertur Deum ex sua quidditate, & essentia sibi vendicare esse substantiam viuentem supremo vitæ gradu.

Plato. *Auerr.* *Caietanus.* *D. Thom.* *Ferrariēs.* *Richardus* *Ochamus.* *Gabriel.* *Argētina.* *Bassolius.* *Capreolus.* *Soncinas.* *Cursus Conimb.* *Fonseca.* *Marsilius.* *Gabriel.*

18.

19. Deus non eminēter tātum sed formaliter est

Deinde ex eodem principio infertur Deum esse substantiam non eminenter tantum, sed formalitèr viuentem: nam si Deus à se ipso habet, quod sit primum essendi principium; vtique omnibus in vniuersum viuentibus erit prima causa viuendi. Igitur non potest non esse formaliter viuens vita eminentiori, & nobiliori, quàm sit vita cuiusque viuentis creati. Probatur hæc cōsequentia: quoniam cum gradus viuentis inter omnes essendi gradus sit præstantissimus, vel simpliciter, quatenus est talis (iuxta verissimam sententiam) vel saltèm ex suo genere, vt ostendimus; fieri non potest, vt totus in vniuersum gradus viuentiū eminenter cōtineatur in substantia, quę formaliter non est viuēs: talis enim substantia, vel simpliciter erit in sua entitate imperfectior, quàm ipsa viuentia; vel saltèm quàm perfectissimum viuentiū. At philosophia receptissima non solùm docet nullam causam efficientem principalem, & totalem esse posse imperfectiorē suo effectu: sed etiam docet causam efficientem, quando est æquiuoca semper esse effectu suo præstantiorem. Quam philosophiam vnus Marsilius, vel alter Gabriel sine fundamento negat: vterque tamen iure est reprehendēdus, cum vterque neget philosophiam ab Aug. indubitāter receptam lib. 83. quæstionum q. 2. & lib. 12. supra Genesim ad literam c. 29. atquè ab Auic. 6. Metaph. c. 6. Quam etiam recepit communis philosophorum, & theologorum cōsēsus D. Thomas 1. p. q. 4. ar. 2. & 4. Alens. 2. p. q. 83. m. 2. ar. 2. Scotus in 4. d. 12. q. 3. & in quodlib. q. 5. ex recencioribus hanc philosophiam, tanquàm euidentissimā proponit Fonseca lib. 7. Metaph. c. 7. q. 2. sect. 3. litera. A. in fine, & sect. 4. advltim. litera D. latè Cursus Conimb. 2. Phisic. c. 7. q. 5. ar. 2. concl. 6. & 7 Suarius in Metaph. disp. 26 sect. 1. n. 5. & 6. vt in re notissima innumeros alios omittamus. Quare, cum Deus sit prima causa principalis, & totalis omnium viuentium; etiam eorum, quæ perfectissimo viuentis gradu viuunt, vt patet ex primo prę-iacto fundamento; non solùm nō potest esse imperfectior viuentibus, quibus est causa viuendi; sed, cum sit causa illorū æquiuoca (vt patet) non potest non esse substātia illis omnibus lōgè perfectior: non esset autem talis, nisi esset formaliter viuens.

substātia viuens.

Marsilius. *Gabriel.* *Augustin.* *Auicena.* *D. Thom.* *Alenjis.* *Scotus.* *Fonseca.* *Cursus Conimb.* *Suarius.*

Nec huicveritati obijci potest, quod 20.

corpora

Obiectio præluditur

corpora cælestia nõ sint animata, iuxta verisimam sententiam: tamen eminẽter continent viuentia, ad quę efficiẽda concurrunt. Nam primó respondemus corpus cæleste ad generationem viuentium, etiam imperfectorum nequaquã concurrere, vt agens principale, sed vt instrumentale alicuius agentis: siue illud agens sit aliqua ex secundis intelligentijs, siue ipsa intelligẽtia prima, quæ est Deus: de hoc enim est controuersia de qua inter cæteros vide Fonsecã lib. 7. Metaph. c. 7. q. 2. sect. 3. & Cursum Conimbr. lib. 2. de Cœlo c. 1. q. 2. ar. 2. in fine, & latiꝰ c. 3. q. 6. ar. 2. & breuiter Suar. disp. 30. suæ Metaph. sect. 14. n. 4.

Fonseca. Cursus Conim. Suarius.

21. Ex quibus omnibus euidenter concluditur Deum ex sua essentia, & quidditate esse substantiam formaliter viuentem vita lõgè perfectiore, quàm sit vita formalis, quæ in viuentibus creatis reperitur: nam cum Deus hanc vitam habeat à se, eam habet non solùm secundũ perfectissimum viuendi gradum (qualis est gradus vitæ intellectualis, de quo statim) sed etiam secundum modum viuendi perfectissimum, qui excludit omnem imperfectionem, quæ vitam creatam per se comitatur: nec enim ità viuit, vt ad actum vitæ se ipsum realiter moueat, veraque causalitate actuet, & perficiat, vt faciunt creata viuẽtia, sed ipse est sua actualitas, qua viuit ab omni alio independens. Vndè vita ipsa actualis (quæ in nobis est actus secundus elicitus à vita substantiali) in Deo est substãtia: vt docet nõ solùm fides, sed etiã naturalis philosophia Aristotelis 12 Metaph. c. 9. tex. 51. Ex quo id aduertit D. Thom. 1. p. q. 18. ar. 3. vbi omnes interpretes, & inter alios videndus est Suarius in Metaph. disp. 13. sect. 4. n. 6. & 7. & lib. 1. de essentia Dei c. 3. n. 12.

Arist. D. Thom. Suarius.

22. Nec huic resolutioni quicquam obstat modus loquendi, quem plures theologorum senserunt ex Platone asserentes Deum, dum viuit, & se intelligit, mouere se ipsum, & operari, vt patet ex D. Thom. in d. q. 18. ar. 3. ad 1. quoniam hi loquuntur de operatione, & motu, non secundùm rem, sed secundúm nostrum concipiendi modum: nos enim perfectionem illam vitæ actualis, atquè intellectionis, quæ est in Deo, nisi admodum operationis, & cuiusdam motus, aut cõcipere, aut explicare nõ possumus. Deꝰ igitur in se ipso formaliter habet id, quod in vita creata dicit perfectionem quia scilicèt habet substantialitatẽ vitę substantialis, & actualitatem vitę actualis; sublatis tamen omnibus imperfectionibus, quæ in substantialitate, & actualitate vitæ creatæ reperiũtur. Ob quam rationem, quãuis in se sit formaliter viuens, ipsam tamen creatam vitã non habet in se formaliter, sed solùm eminenter.

Alterum obiectio expeditur.

§. 4.

Esse substantiam spiritualem, siue immaterialẽ pertinet ad constitutionem diuinæ essentiæ.

23. SVpereſt, vt ostendamus esse substãtiam spiritualem, siue immaterialem esse de essentia, & quidditate Dei: ità vt essentialiter eam constituat in esse diuinæ essentiæ, atquè naturæ. Nam cum duplex distinguatur vita substantialis: vna materialis, & corporea; qualis est vita vegetatiua, & sẽsitiua corporum viuentium: altera immaterialis, & spititualis; qualis est vita substantię separatæ, & animæ rationalis: non satis est ostendisse Deũ essẽtialiter, & quidditatiuè esse substantiam viuentem; nisi ostendamus eum quidditatiuè, & essentialiter esse viuentem vita simpliciter spirituali; immaterialique. Duo igitur ostendenda sunt: primum est Deum esse substantiam simpliciter spiritualem, & nullo modo corporeum. Secundum est hoc prædicatum essentialiter, & quidditatiuè includi in diuina essentia.

Duo pronũtiata 1. Secundum.

24. Quod attinet ad 1. hac de re multa diximus superiori lib. q. 5. ar. 2. §. 1. per totum, vbi latè ostendimus Deum non esse corporeum, sed spiritum, hoc est, substãtiam simpliciter spiritualem. Ità definiuère plura concilia: nempe Foroiulienſe in symbolo fidei, Nycenum 2. actione 5. Lateranense sub Innocẽtio 3. in c. firmiter de summa Trinitate, & satis colligitur ex Tridẽtino sessione 25. in decreto de reliquijs, & sacris imagnibus. Eandem veritatem eo in loco deduximus ex verbis Christi Ioan. 4. *Spiritus est Deus.* Et ex Paulo 2. Cotinth. 3. *Dominus autem spiritus est*, & ex pluribus alijs locis, quos latè pro hac veritate expendimus. Hãc etiam fuisse vnanimem patrum

Probatio 1.

Ioan. 4
2. Cor. 3.

trum doctrinam vno excepto Tertuliano latè ibi ostendimus, liberauimusquè Lactantium, Arnobium, atquè Ciryllũ ab iniusta calumnia, tum maldonati, tũ etiã Suarij. Vbi etiam allegauimus theologos, qui hanc veritatem vniformiter docuerunt. Vndè non est, quod hæc iterum repetamus.

25. Deum esse substantiam spiritualem, & omninò incorpoream rationibus naturalibus nitũtur demonstrare D. Tho. 1.p.q.3.ar.1.vbi omnes interpretes, idẽ D. Thomas 1.contra Gẽt.c.20.vbi Ferrariens. Ex philosophis, & metaphisicis Soncinas 12.Metaph.q.46. Iauel.q.12. Sotus 8. Phisic. q. vltima, Cursus Conimb. ibi c.6.q.1. Bellomontanus 1.p. disp.21. Valencia ibi disp.1.q.3.punct.6 Suarius in Metaph. disp.30.sect.4.n.15. & sect.14.n.9.& lib.1.de essẽtia Dei c.3. n.5.vsquè ad 10. & vt omittamus varias huius rei demonstrationes, quæ longam postulabant explicationem; hæc veritas facilè demonstrari potest: à posteriori quidèm ex eo, quod Deus est substantia intelligens; quod supponimus, tanquàm naturaliter notum, & demonstrabile. At substantia intelligens non potest non esse substantia spiritualis: quod etiam, tanquám notissimum absq; probatione sumimus, de quo D. Thom. 1.p.q.14. A priori etiam facilè demõstrabitur ex ijs, quæ immediatè dixim⁹ de prædicato vitæ: Deus enim à se ipso est viuens, & sub inde primum viuens, primumq; viuendi principium. Igitur vendicat sibi gradum vitæ perfectissimum. Quod docuit Arist.lib.12. Metaph.c.7.tex.39. asserens Deum esse non solùm sempiternum, sed etiam optimũ, atquè perfectum viuens. Constat autẽ inter gradus viuentis gradum vitæ immaterialis, & omninò incorporeæ esse omnium perfectissimum: & eo esse perfectiorem, quò magis à materia, potentialitatequè elongatur: quam veritatẽ, tanquàm indubitatam sumimus. Cõstat igitur Deum esse substantiam viuentem vita quadam spirituali perfectissima.

D. Thom. Ferrar. *Soncinas.* *Iauelus.* *Sotus.* *Cursus Conimb.* *Valẽtia.* *demõstrat. à posteriori* *D. Thomas A priori.* *Aristotel.*

26. Ex quo etiam resoluitur id, quod 2. loco explicandum suscepimus: nimirũ esse substantiam spiritualem, immaterialem, & omninò incorpoream essentialiter, & quidditatiuè includi in diuina essentia, quod euidenter deducitur ex fundamento posito initio huius articuli §.1. nam esse substantiam spiritualẽ est ratio formalis cõmunis Deo, & creaturis. Ergo cum quidditatiuè, & essentialiter prædicetur de quibusdam substantijs creatis, nimirùm de angelis, & animabus nostris, vt patet; quidditatiuè etiam prædicabitur de Deo, iuxta ea, quę §.1. latè diximus. Accedit; quia esse ens simpliciter immateriale, & spirituale ex sua formali ratione est prædicatum substantiale, & non accidentale. Ex se ergo habet, quòd sit cõstitutiuũ essẽtiæ illius substãtiæ, cui conuenit. Vide, quæ diximus in d. §.1. in fine.

Probrtur 2.

Constituẽdum est igitur esse substãtiam spiritualem formaliter esse de essentia ipsius Dei. Vtrùm verò sit prędicatum vltimò constitutiuum essentiæ diuinæ in esse talis essentię, & naturæ? Alterius est quęstionis: cuius resolutio pendet ex resolutione quæstionis in feriùs disputãdæ, an attributa diuina sint de ratione essentiali, & quidditatiua diuinæ essentię? Nam si sunt de illius essẽtia: hoc prędicatum non potest esse vltimum constitutiuum essentiæ diuinæ in esse talis essẽtię: quia secundũ nostrũ modum intelligendi diuina essentia adhùc sibi vendicat alia prædicata, quæ nostro etiam intelligendi modo supponunt hunc essendi gradum, de quo agimus. Porro si attributa ad rationẽ quidditatiuam diuinę essentiæ non pertinẽt; dicendum erit diuinam essentiã in esse essentiæ diuinæ vltimò constitui per gradum essẽdi vitæ spiritualis, & immaterialis; quia cætera, quæ formaliter in essentia diuina repiriuntur, vel sunt perfectiones veluti adiacentes: vel sunt relationes, quę ab ipsa essẽtia veluti emanant, vt ex duabus sequẽtibus quæstionibus facilè patebit.

27. Dubitatio. Resolutio.

Nec est, quod aliquis obijciat adhùc supereſe gradum essendi vitæ intellectualis: nam gradus iste essendi, vel coincidit cum gradu essendi immaterialis, siue spirituali: vel si ab eo distinguitur, vt idem sit ens intellectuale, quòd ens habens intellectum; talis essendi gradus spectat ad perfectiones attributales, vt ex sequenti quæstione patebit. Et hæc de isto articulo satis sint.

28. Obiectio pręcluditur

QVÆ-

QVÆSTIO IIII.

1. DEINDE agendum est de visione attributorum. De qua cũ communi theologorum distinctam instituimus disputationẽ vel quia non pertinent ad quidditatem diuinę essentiæ, vt pleriq; putant: vel si pertinent (vt alij existimant) non tamẽ sint illi essentialia essentialitate suæ formalis rationis (quia ex sua ratione non sunt essentialia rebus creatis) sed essentialitate solius diuinæ essentiæ, quæ cũ à se sit essẽtialiter ens; ex se vendicat sibi omnem essendi gradum, qui ex sua ratione denotat perfectionem simpliciter. Ob quam rationem omnes theologi, qui hac de re scribunt, distinctis quęstionibus explicant visionem essentiæ, & visionem attributorum.

2. De visione attributorũ quæ sunt inquirenda.

De visione igitur attributorum quatuor sunt inquirenda. Primum inquirẽdum est de nomine, & ratione attributi. Secundum de distinctione eorum inter se, & ab essentia. Tertium de mutua eorum inclusione, & prędicatione tum cũ essentia, tum inter se. Postremum de eorum visione.

3. Quod attinet ad primum pro explicanda ratione attributi hæc erunt inquirenda. Primò loco recitatis varijs opinionibus quędam præmittẽtur, quæ necessaria sunt ad quęstionis resolutionem. Secundò inquiretur, ân de ratione attributi sit esse prędicatũ propriũ, & non translatitiũ? Tertiò; ân de ratione attributi sit prædicari de Deo per modum adiacentis? Quartò; ân attributum debeat esse nomen essentiale, nõ verò personale? Quintò; ân transcẽdentia possint habere rationem attributi? Sextò; ân ratio attributi ità includat prædicata affirmatiua, vt excludat omnia nomina negatiua? Septimò; ân attributum in sua ratione includat, quod sit realis perfectio formaliter existens in Deo; & qualis nã perfectio esse debeat? Postremó epilogabuntur ea, quæ in prę cedentibus articulis sunt resoluta.

ARTICVLVS I.

Pro explicatione quid nomine attributi intelligendum sit, recitatis opinionibus præmittentur nonnulla.

1. QVæstio ista apud theologos satis est confusa: confusionis ratio est; quia vnusquisquè ad rationem attributi eas, quas vult, conditiones adiungit, quod non potest non parere confusionem. Quidam generaliter docent omnia prædicata, quæ de Deo affirmari possunt, dici attributa. Vndè attributum conuertunt cum prędicato, quod de Deo dicitur. Alij hanc opinionem esse veram putant, si prædicata propriè prædicentur de Deo: hæc enim omnia dici debent attributa; siue illa ad essentiam pertineant: siue sint proprietates veluti adiacẽtes: siue sint prędicata affirmatiua, siue negatiua: deniq; siue sint absoluta, siue respectiua. Vndè à ratione attributi solùm excludunt ea prædicata, quæ de Deo metaphoricè, ac translatitiè dicuntur.

1. Opinio.

Secunda.

Tertio loco quidam rationem attributi contrahunt ad sola prædicata absoluta communia Deo, & creaturis; siue illa prædicata interna sint, & quidditatiua Deo, siue eius affectiones. At 4. loco alij ad rationem attributi requirunt, vt sint prædicata de Deo propriè dicta, dummodo de eo prædicentur per modum alicuius proprietatis, & perfectionis veluti adiacentis: siue illa positiua sint, siue negatiua: siue absoluta, siue respectiua: siue transcendentia, siue non transcendentia. Quinta adhùc opinio ad rationẽ attributi requirit, quòd prædicetur per modum perfectionis adiacentis; dummodo tamen sit prædicatum absolutum: siue illud dicat perfectionem simpliciter, siue non dicat: siue illa communis sit Deo, & creaturis, siue non sit: siue valeat ratione naturali cognosci, siue sola fide. Cui opinioni plures contradicunt. Quidam; quia volunt de ratione attributi esse, quód dicat perfectionem simpliciter, quam melius sit esse, quàm non esse. Alij requirunt, quòd sit perfectio communis Deo, & creaturis. Deniquè pleriq; exigũt, vt sit perfectio Dei naturaliter cognoscibilis. Hæc generaliter dicta sint pro varietate opinionum: quarum varietas non potest non facere in hac quæstione confusionem.

2. Tertia.

Quarta.

Quinta.

2. Primũ præmissum.

Pro clara huius rei explicatione, illud initio pręmittimus nomẽ *attributum* à scholasticis theologis vsurpatum esse ad

ad significandas diuinas perfectiones: ob eam fortè rationem (vt annotauit *Torres.* Torres de Trinitate q.28.ar.2. disp.1.in 2.p. post principium:) quia inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciētes (vt ait Paulus ad Romanos 1.) *Ad Rom. 1.* Deo tribuimus, tum eas perfectiones, quas in creaturis agnoumus: tū eas, quas ex creaturis philosophando deduximus: etenim ratio naturalis dictat, vt quicquid est perfectionis, Deo tribuamus. Et hæc de etymologia nominis attributi.

Deindè prǽmittendum est relegandā esse ab hac disputatione diuisionem attributi, quam Nominales excogitarūt; 4. 2.præmiss. in mentale, vocale, siuè scriptum, & in prædicabile: de qua Gabriel in 1.d.2.q. 2.ar.1. notabili 3. & Gregor.in 1.d.8.q. 2.& Marsil.in 1.q.12. ar.3. in principio: *Gabriel. Gregorius. Marsilius.* nutriti enim in schola realium solùm agimus de re, quæ nomine attributi significatur, prædicaturque de Deo; res enim ipsæ sunt, quæ prædicantur, & tribuuntur medijs, tum conceptibus, tum etiam vocibus, vt ex Dialectica supponimus.

Præmittendum tertio loco attributum etiam in diuinis minùs latè patere, 5. 3.præmiss. quàm prædicatū: vt satis explicauit Molina 1.p.q.3.ar.7.disp.2.ad 2.fol.59. col. 2. A *Molina.* quia multa de Deo prædicantur, quæ non sunt attributa Dei. Quarè licèt omne attributum sit prędicatū Dei; non tamen omne Dei prædicatum est attributum. Quæ resolutio non aliundè meliùs probari potest, quàm quia in hoc omnes conueniunt, qui de attributis scribunt: nam vt omittamus, quòd nullus sit scribentium, qui à ratione attributi, pleraque non excludat, vt ex dicendis patebit; ex eo hęc resolutio cōfirmatur; quia multa de Deo prædicantur metaphoricè, & per translationem: quæ tamen nullus dixerit esse attributa Dei, etiam nomine attributi latissimè fuso. Quare non est audiēdus Ioānes de *Salas reijcitur.* Salas in 1.2.tract.2.q.3. disp.4. sect.2.n. 10.pag.240.col.2. dum generaliter docet omnia prædicata, quæ de Deo affirmari possunt, dici attributa, si nomen *attributum*, latè sumatur. Quarè operæ pretium erit explicare, quænā sint necessaria, vt id, quod de Deo prędicatur, habeat, & nomen, & rationē attributi.

ARTICVLVS II.

An de ratione attributi sit esse prædicatum proprium, & non translatitium?

IN hac difficultate illud pro certissimo constituendum est, attributū ex sua ratione sibi vendicare, vt de Deo propriè, non verò metaphoricè, ac trāslatitiè prædicetur. In qua resolutione tanquàm verissimum supponimus quędam de Deo prædicari propriè, quædā autem metaphoricè, & per translationem. Quam doctrinam tanquàm vulgatam affert D. Thomas 1.p. q.13. art. 3. ex D.Ambrosio lib. 2. de fide in principio prologi: eam tamen intelligendam esse de proprietate, & metaphora sumpta ex parte rei significatæ; non verò ex parte modi significandi docet idem D. Thomas in d.ar.3.ad 3. Etenim licet nihil de Deo propriè prædicetur, si aduertamus tantum ad modum significandi, & concipiendi, quo res concipimus, & significamus: tamen si attendamus res ipsas significatas, quædam propriè de Deo prædicātur, quædam solùm translatitiè, & per metaphoram: quia hæc ex parte rei significatæ inuoluunt imperfectionem: illę verò, vel dicunt perfectionē secluſa omni imperfectione; vel si ex se perfectionem non dicunt (vt plerique putant de diuinis relationib⁹) saltèm nullam denotant imperfectionem: vnde in Deo verè, & propriè inueniuntur. De hoc videndus est D.Thom. in d. q.13.ar.3.vbi Bellomonranus in cōmētario, & disp.22.c.6.n.18. & Suari⁹ lib.1. de diuina essentia c.9.n.10. & 11.

1. Dupliciter prædicatur de Deo dicuntur. *D.Thom.* *D. Ambr.* *D.Thom.* *D.Thom.*

Supposita hac diuisione, quædam scilicèt prædicari de Deo propriè, quædā verò metaphoricè; conuenit inter omnes theologos attributū intrinsecè sibi vendicare, quod prędicetur de Deo nō per translationem, & metaphoram, sed propriè, quos latè persequitur Henricus in Sūma ar.32.per omnes ferè quęstiones, & inter alios expressit Suarius lib.1.de essentia Dei c.9.n.3. Nam, cum hoc nomen *attributum* à Theologis vsurpatum sit ad significāda ea, quæ in Deo sunt; vtiq; ex mente Theologorū nomen illud non significabit, nisi ea, quæ in Deo verè, & formaliter existūt: hęc enim sūt Dei inuisibilia, quę à creatura mūdi intellecta,

2. Vna conditio attributi eaq; intrinseca. *Henric.*

tellecta, nomine attributi theologi explicare voluerunt. Quæ verò per metaphorã Deo tribuuntur (vt dolere, pœnitere, esse leonẽ, & alia huiusmodi) cũ ex parte rei proprié significatæ imperfectionem importent, verè non existunt in Deo; sed ea tantùm, ad quæ significãda nomina ista translata fuerunt. Quare, quæ per metaphoram Deo tribuuntur, longè absunt à ratione attributi, etiãsi nomine attributi abuti velimus. Non est igitur simpliciter admittendũ omnia prædicata, quæ de Deo affirmari possunt, dici attributa, si nomen *attributum*, latè sumatur: etenim mẽs Theologorum, qui hoc nomen vsurparunt, solùm fuit illo explicare inuisibilia, quę in Deo existunt.

ARTICVLVS III.

An de ratione attributi sit prædicari de Deo per modum adiacentis?

1. Altera conditio.

DEindè constituendum est ad rationem attributi non satis esse propriè prædicari de Deo; sed adhùc requiri, vt quod de Deo propriè prædicatur, prædicetur per modũ proprietatis, siuè perfectionis, veluti adiacentis essentię diuinę. Pro quo notandum est eorum, quæ de Deo verè, & propriè prædicantur, alia prædicari, vt constitutiua essentię diuinæ; alia verò, vt illi adiuncta. Quam distinctionem Theologi sumpsère ex Damasceno lib. 1. de fide cap. 4. dum ait: *quæcunque autem per theologiam affirmatiuam de Deo dicimus; non naturam eius, sed ea, quæ sunt circa naturam, insinuant.* De qua distinctione agit Henric. in Summa articul. 32. quęst. 4. litera P. ex Auicenna libr. 8. suę metaphysicæ, & inter alios Suarius lib. 1. de essentia Dei cap. 9. num. 6. & 7.

Prædicata, quæ propriè de Deo dicuntur, dupliciter prædicantur.

D. Damas.

Henricus.

Auicenna

2. Dubitatio.

Dubitari igitur potest; an attributum ex sua intrinseca ratione includat prędicari de Deo, non vt prædicatum essentiale constitutiuum essentię, sed vt aliquid essentiam veluti circunstans, illique veluti additum? Attributum in sua ratione ab vtroque abstrahere satis explicat Molina 1. p. q. 2. art. 3. §. *Secunda via*. pag. 49. column. 2. d. E. vbi ad rationẽ attributi solùm requirit, quòd sit prædicatum reale, & absolutum, cõmune Deo, & creaturis. Vndè inter attributa enumerat, tàm ea, quę sũt quidditatiua Deo, quàm illa, quę, vt affectiones Dei, & diuinę essentię concipiuntur, & prędicantur. Quę etiam videtur fuisse mens Gabrielis in primo d. 2. q. 2. art. 2. concl. 2. dum inter attributa Dei enumerat viuens, quod est prędicatum quidditatiuum Dei, vt diximus in præcedente quæstione. Eidem sententiæ videntur fauere, qui putant ad rationem attributi satis esse, quod de Deo propriè prædicetur. Quod satis videtur sentire Ioannes de Salas loco citato. Fauent etiam, qui ad rationem attributi solùm requirunt, quòd sit prædicatum absolutum, commune Deo, & creaturis, quæ fuit opinio Torres Episcopi Canariensis de Trinitate, vbi suprà, quem eisdem verbis transcripsit Cumelius 1. part. q. 28. ar. 2. q. 7. notab. 1. & 2.

Sententia Molinæ.

Gabriel.

Torres.

Cumelius.

3. Vera sentẽtia.

At tamen contraria opinio, quam initio constituimus, est longè verior, & ideò potiùs tenenda: est enim receptissima, tum apud antiquiores, tum apud recentiores. Eam expressè probauit Henricus in Summa ar. 32. q. 4. litera P. vbi in hæc verba: *Ratio attributi est, quasi secundùm rationem aliquid additum suprà diuinã essentiam.* Et satis id expressit quodlibet. 5. q. 1. multis in locis, sed maximè litera A. in fine, dùm ait: *Eam solam perfectionem habere in Deo rationem attributi, quæ in creatura dicit perfectionem, non quidèm secundùm gradum essentiæ, sed secundùm id, quod est in essentia*. Hanc sententiam esse de mente Diui Thomæ satis expressit Capreolus in primo d. 8. q. 4. articul. 1. post principium. Probarunt Durandus in primo d. 2. q. 3. numero 6. & 7. Heruęus ibi q. 2. noster Gerardus de Senis quęst. 2. pręceptor Frater Franciscus à Christo quęstion. 2. §. *Sunt, qui hoc attributum*, noster etiam Toletanus in primo dist. 8. q. 1. Augustinus Nimphus 12. Metaphysicę disputatione 13. cap. 2. in fine. Ex Schotistis Herrera in disputationibus ad primũ Scoti disputatione 14. q. 1. in quinto notabili pagina 465. & q. 2. in secunda sententia, pag. 470. column. 2. & disput. 15. q. 3. §. *Resoluendo igitur prædicta*, pagina 500. column. 2. Rada in 1. part. controuers. controuersia 4. §. *Quinto nota*. fol. 55. column.

Capreol. *Durand.* *Heruæus.* *Gerardus.* *Fr. Franc. à Christo.* *Toletanus.* *Nimphus.* *Herrera.* *Rada.*

column. 1. ex alijs recentioribus Bellomontanus 1. p. disp. 116. cap. 1. nu. 3. Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 9. n. 6. & lib. 3. de Trinit. c. 11. n. 1. ex quibus patet hanc sententiã inter Theologos esse communem; nam & Molina nobis contrarius loco citato fatetur huius generis prædicata speciali quodam modo dici attributa. Quin potius q. 28. ar. 2. disp. 2. §. *vt ad calcẽ articuli*, & in §. sequẽti suam mentem declarauit, vt id intelligatur nomine attributi latè sumpto: nam si presstùs sumatur, vt á Theologis communiter sumitur, nobiscum consentit.

4. Probatur ex Damascen. Horũ opinio videtur euidenter probari grauissima auctoritate Damasceni in verbis superiùs citatis, quæ satis insinuant attributa diuina denotare ea, quæ sunt circa naturam Dei: vndè addit: *nam si bonum, si iustum, si sapiens, si quidquis aliud dixeris, non naturam dicas Dei; sed ea, quæ sunt circa naturam*; euidens etiam videtur testimonium August. 15. de Trinit. c. 6. in hæc verba: *si dicam æternus, immortalis, iustus, bonus, beatus, spiritus: horum omnium nouissimum, quòd posui, videtur significare substantiam: cætera verò huius substantiæ qualitates.* Sed euidentiùs est testimonium tum Cyrilli Alexandrini, tum etiam Gregorij Nisseni: vide inferiùs q. 7. artic. 2. §. 5. ad primam demonstrationem.

Auerroes. Auicena. Algasel. Pro eàdem sententia plerique referunt Auerroem 12. Metaph. com. 39. & Auicennam lib. 8. suæ Metaphy. c. 4. & vltimo, & Algaselem lib. 3. Metaph. c. 1. qui ea, quæ nos attributa Dei appellamus, appellant, aut dispositiones, vt Auerroes: aut proprietates, vt Auicẽna, aut designationes, vt Algasel: voluntque ea non esse de essentia, sed essentiæ veluti superaddi, sublata tamen omni pluralitate à parte rei. Vide Henricum, & Capreolum locis citatis.

5. Fundamentum. Nec sine fundamento loquitur hæc opinio: quoniam si expendamus etymologiam huius nominis *attributum*, ex sua significatione denotat aliquid, quod alicui tribuitur. Vnde ex sua ratione supponit illud iam constitutum in suo primo esse, essentiæ scilicèt, & quidditatis. Ea igitur, quæ ex sua ratione sunt constitutiua essentię, & quidditatis, habere non possunt rationem attributi quia non supponunt aliquid iam constitutum in esse quid, cui attribui possint. Quare sola ea, quæ sunt circa naturam, & essentiam, possunt vendicare sibi nomen, & rationem attributi.

6. Vberior explicatio, simulque cõfirmatio. Et, vt hæc resolutio fiat euidentior, illud annotandum duxi omnia prædicata, quę de Deo cognoscimus (siuè per rationem naturalem, siuè per fidem ea cognoscamus) duobus modis à nobis cognosci posse. Vno modo, ad modum prædicatorum essentialium: altero modo ad modum prędicatorum, quæ sunt circa substantiam, vt aduertit Suarius lib. 1. de essentia Dei cap. 9. numer. 6. & 16. Nam cum prædicata, quæ de Deo cognoscimus, non cognoscamus, vt illa sunt in se ipsis, sed secundùm nostrum intelligendi modum; vtique ea concipimus eo modo, quo concipimus prædicata rerum creatarum. In creaturis autem quædam prædicata significant aliquid de prędicamento substantiæ: & hęc concipimus, vt prędicata ex sua natura essentialia substantiæ, constitutiuaque essentię rei substantialis; quia nulli, nisi essentialiter possunt conuenire. Alia significant ea, quæ fiunt circa substantiam, illique superadduntur; qualia sunt prędicata aliorum generum: & hæc semper concipimus, vt prædicata ex sua natura superaddita substantiæ.

7. Ex quo patet prædicata, quæ sunt in rebus creatis, concipi à nobis iuxta modum prædicamenti, ad quod pertinent. Indè infertur omnia prædicata, quæ de Deo concipimus, duobus modis à nobis concipi: nam quædam concipiuntur ad modum prædicatorum generis substantiæ: quædam autem ad modum aliorum generum: siquidèm, quæ Dei sunt, concipimus secundùm conuenientiam, quam habent cum creaturis. Quarè, quæ concipimus secundùm conuenientiam ad genus substantiæ, ea concipimus, vt prędicata ex sua ratione constitutiua substantialis essẽtiæ: istiusmodi sunt substantia, viuens, & spiritus, de quibus egimus in præcedente quæstione: quę ipsa (vt ibi ostendimus) ex sua ratione sunt prædicata directè essentialia in ordine ad substantiam, de qua dicuntur. Vndè secundùm suam generalem rationem, etiam

analogam habent, quòd sint constitutiua essentiæ, non solùm in rebus creatis, sed etiam in Deo: & ob id ex sua ratione non supponunt aliquod subsistãtialiter quid, cui tribuantur; sed constituunt ipsum quid: & ob hanc causſam excluduntur à ratione attributi, vt omnes præcitati doctores docuerunt.

8. Porrò, quæ prædicata cõcipimus de Deo secundùm conuenientiã cum creaturis in aliquo genere accidentis; ea cõcipimus, vt prædicata, quę ex sua ratione ea denotant, quæ sunt circa substantiam, & essentiam: hæc enim ex sua ratione etiam analoga communi Deo, & creaturis non includunt, quòd sint prædicata essentialia, & constitutiua quidditatis: nec enim in creaturis sunt talia; quin potiús denotant aliquid superadditum naturæ. Vnde illis non repugnat ratio attributi, vt attributum est, quæ (vt diximus) in hoc consistit, vt tribuatur rei iam constitutæ in suo quid substantiali, & essentiali, quasi aliquid eidem superadditum. Quarè cõmunis opinio amplectenda est, tanquàm longè probabilior, & verior: constituendũq; ad rationem attributi omninò requiri, vt prædicetur de Deo per modum proprietatis, perfectionis; que veluti adiacentis diuinę essentiæ.

Huic resolutioni illud non parũ videtur obstare, quòd attributa diuina
9. Obiectio. sint de essentia Dei, & de illo essentialiter prędicentur, vt communior habet opinio, de qua inferiùs q. 7. Ergò à ratione attributi non sunt excludẽda prędicata essentialia, & quidditatiua, nec illius ratio supponit diuinam essentiã iam constitutam, sed potest esse prædicatum constitutiuum illius.

10. Vis difficultatis aperitur. Hęc difficultas locũ non habet apud eos, qui negant attributa esse de essentia Dei: quæ opinio non est improbabilis, vt patebit ex q. 7. Qua suppositа opinione de plano procedũt, quę diximus. Vrget tamen maximè illos, qui putant attributa de Deo essentialiter prædicari. Cui tamen difficultati non occurrunt, qui positam resolutionem approbantes simul existimant attributa ad Dei essentiam essentialiter pertinere.
Solutio. Ego tamen supposito, quód attributa essentialiter prædicantur de essentia diuina, allatam difficultatem ita puto esse resoluendam, vt dicamus non esse de ratione attributi prędicari de Deo ad modum proprietatis, siuè passionis veluti extrinsecè adiacentis essentię: implicat enim attributũ essentialiter pertinere ad diuinam essentiam; & dicere aliquid per modum proprietatis circa eam extrinsecè existentis: esse tamẽ de ratione attributi, vt dicat aliquid, quod sumptum secundùm se non est per se cõstitutiuum essentiæ diuinæ, sed quasi superadditum illi, veluti essentiale illius complementum: quanuis aliundè habent, quòd sit essentiale.

Pro cuius explicatione aduertendũ est id, quod suprà in præfatiuncula ad hanc quartam quęstionem breuiter tetigimus: duobus scilicèt modis posse aliquid ad diuinam essentiam essentialiter pertinere. Vno modo ex vi formalis rationis ipsius prædicati: altero modo ex vi solius essentiæ diuinæ. Quæ priori modo essentialiter pertinent ad diuinã essentiam, dici possunt prædicata essentialia essentialitate suę generalis rationis: quia ex sua ratione habent, quod nulli, nisi essentialiter conuenire queãt. Huius generis sunt prædicata, quæ ex genere substantię sumuntur, vt esse substantiam, esse spiritum, esse viuens: hæc enim ex sua generali ratione etiam analoga, qua Deo, & creaturis sunt communia, habent, quòd sint prædicata quidditatiua per se constitutiua essentię, vt suprà aduertimus.

11. Duplex est genus prædicati essentialis respectu diuinæ essentiæ.

At prædicata, quæ posteriori modo dicuntur essentialia in ordine ad diuinam essentiam; sunt essentialia, non essentialitate suæ rationis, sed essentialitate diuinæ essentię: quia ideò ad diuinam essentiam essentialiter pertinent; quia diuina essentia ideò, quia à se, & ex se essentialiter est ens, & essentia, essentialiter sibi vendicat omnẽ essendi gradum, qui ex sua ratione dicit perfectionem: vndè, quę in creaturis non sunt essentialia, sed essentiam perficientia, vt passiones, & proprietates earũ; in Deo sunt essentialia, & rationem proprietatis, siuè passionis amittunt: huius generis sunt ea, quæ appellamus attributa: vt esse bonum, iustum, sapientem, volẽtem, & alia huius generis: hæc enim ex sua generali ratione, qua Deo, & creaturis sunt communia, non habent, quód

12.

sint

sint prædicata essentialia (nec enim in creaturis sunt talia:) sed ideò sunt essentialia; quia essentia diuina ea sibi vendicat; quæ nihil, nisi essentialiter potest sibi vendicare. Quare ex ratione essentiæ habent, quod sint essentialia, non ex propria ratione.

13. Interest autem maximè inter vnam, & alteram essentialitatem: quoniam, quę sunt essentialia essentialitate suæ propriæ rationis; ita sunt essentialia, vt per se sint constitutiua essentiæ diuinæ; ita vt sine illis essentia, nec esse possit essentia, nec concipi, vt essentia: vndè propriè intelliguntur à nobis constituere ipsum quid diuinæ essentiæ secundùm generalem rationem quidditatis; nam secundùm propriam, & specialem quidditatis ratione Deus à nobis cognosci non potest. Talia sunt prædicata, quæ sumuntur secundùm conuenientiã, quam Deus habet cum creaturis in genere substantiæ.

14. Porrò, quæ ex se non sunt essentialia, nec secundùm conuenientiam, quã Deus habet cum creaturis in proprio illorũ prædicatorum genere, sed solùm ex essentialitate solius essentię: non habent, quod per se sint prædicata directè constitutiua essentiæ diuinę in esse *quid*: sed solùm sunt constitutiua illius in esse essentialis complementi secundùm essentialem perfectionem. Quare hoc est discrimẽ inter hæc, & illa prædicata: quod essentia diuina sine prædicatis prioris generis non potest concipi sub propria ratione essentię, & quidditatis: quia nihil potest concipi sine suo quid: cum tamen, vt sic concipiatur sine prędicatis generis posterioris. Nã, qui dicunt attributa esse de essentia essentiæ diuinę; iam ipsam essentiam concipiunt, veluti alterum extremum. Nec sane sine fũdamento in re: quoniam hęc prędicata sunt essẽtialia quoad perfectionẽ qualificantem essentiam; non tamen quoad perfectionem illã per modũ substantiæ quiddificantẽ nostro intelligẽdi modo.

15. Concludendum est igitur de ratione attributi esse, quod ex sua ratione non dicat aliquid quidditans essentiam; sed aliquid illam qualificans, veluti superadditum quidditati. Cum hoc enim benè constat, quod essentialiter prædicetur essentialitate sumpta, non à sua ratione formali, analogicè cõmuni Deo, & creaturis, sed essentialitate ipsius diuinæ essentiæ; quæ ipsa ideò, quia à se est quid, essentialiter vendicat, vt prædicata, quæ illam veluti qualificant, & per modum qualis de ea prædicantur; essentialiter dicãtur de illa, de quo etiã diximus q. 7. ar. 1. §. 5. ad primam rationẽ, & de ratione attributi satis diximꝰ.

Ratio attributi ex dictis concluditur.

Ex quo loco colliges tertiam, & magis accommodatam solutionem; vt de ratione attributi sit significari per modum adiacentis abstrahendo ab adiacere, vt proprietatem, vel vt differentiam veluti completiuam essentiæ in esse essentiæ. Talia autem sunt attributa; quæ ingrediuntur essentiam diuinæ essentiæ, vt differentiæ veluti constitutiuæ, & completiuæ illius: differentia autem prędicatur in quale quid, vt patet ex Porphyrio in c. de differentia. Et in hoc differunt attributa à prædicatis prioris generis, quia prædicantur in quid; attributa verò in quale quid. Vide quę diximus q. 7. ar. 1. §. 4. in fine.

ARTICVLVS IIII.

An attributum debeat esse nomen essentiale, & non personale?

PRæter explicatas attributi conditiones, plures alię ponuntur, quæ non omnium consensu recipiuntur; imò maxima est inter eos varietas, quam sequentibus assertis resoluemus. I. 1. assertio.

Primò igitur statuendum est ad rationem attributi solùm admitti prædicata essẽtialia reiectis personalibus. Hæc videtur omnium consensu receptissima. Satis est de mente D. Thomæ: is enim ea vocat attributa, quę essentiæ conueniunt, eaque distinguit ab ijs, quę sunt propria personarum, vt patet 1. p. q. 39. ar. 7. & in 1. Sentent. d. 3. q. 1. art. 4. Quin potius attributa ad essentiã propriè pertinere, & non ad personas expressè docet opusculo 72. Eandem sententiam docuere Torres de Trinitate q. 28. artic. 2. in 2. p. primę disputationis post principium, §. *attributum ergò*, fol. 46. column. 3. Cumelius ibi q. 7. notab. 2. pag. 840. col. 1. præceptor Frater Franciscus à Christo in 1. d. 2. q. 2. post principium, satis explicat Rada in controuersijs *D. Thom.* *Torres.* *Cumelius.* *Fr. Franc. à Christo.* *Rada.*

uersijs ad 1. Sent. controuers.4. fol.55. col.1.post istos Suarius lib.1.de essentia Dei c.9. n.5. & 12. & lib.3. de Trinitate c.11. n. 1. Bellomont.1.p. disp.116. c.1. n.1.& 3. in fine. Et satis patet, si nomen *attributi* expendamus: ideò enim prædicata, quæ de Deo dicuntur, dicta sunt à Theologis attributa; quia ea ex creaturis cognita Deo attribuerunt. Quare ad probationem nostræ assertionis satis sit, quod Theologi in hoc sensu nomen *attributum*, perpetuò vsurparunt. Itaque nec esse Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum inter attributa annumerabimus, nec similiter esse genitorem, spiratorem, genitum, ingenitũ, spiratum, siue productum: sed sola ea, quæ Deo conueniunt, vt est vnus, & ratione solius essentię.

2. Subsistentia communis nõ est attributum.

Quòd adeò verum est, vt quidam à ratione attributi excludant subsistentiam essentialem, quæ Deo conuenit ratione diuinæ essentiæ; ob eam præcisè rationem, quòd affinitatem habeat cũ proprietatibus personalibus, vt patet ex Suario lib.1. de essentia Dei c.9. n.5. At ego non ob eam caussam subsistentiam essentialem Dei à ratione attributi excludam; sed ob eã potius, quia subsistentia essentialis ex sua ratione spectat ad rationem quidditatiuam Dei: subsistentia enim essentialis essentialiter includitur in ratione formali substantiæ completæ, quatenus substantia dicit quoddam concretum nostro modo intelligendi constitutum ex natura substantiali (quam substantialitatem licet appellare) & ex subsistentia cõmunicabili, quę est quidam modus positiuus intrinsecus ipsi substantiæ. Quam subsistentiam quidam appellant personalitatem; seu suppositalitatem, vt appellat Cursus Conimbr. in prædicamẽtis c. de substantia q. 1. ar. 1: sed non satis accommodatè; ne subsistentiam essentialem in diuinis cogamur cum Caietano appellare personalitatem incõpletam. Sed de hoc alibi egimus. Nùnc ad nostrum institutum satis est subsistẽtiam, proùt dicit modum essendi independenter, non solùm à subiecto inhæsionis, & informationis, sed etiam ab aliquo toto, intrinsecè includi in ratione substantię completę: vnde etiam per se, & intrinsecè includitur in substantia, qua essentiam diuinã quidditatiuè constitui iam diximus in præcedente quæstione. Cum verò prędicata quidditatiua à ratione attributi iam excluserim[5]; eàdem ratione excludere debemus subsistentiam essentialem.

Fundamentum Suarij. Improbatur alteraq; inculcatur.

Curs. Con.

ARTICVLVS V.

An prædicata transcendentia habere possint rationem attributi?

1. 2. assertio.

SEcundo loco statuendum est prædicata transcendentia reijcienda esse à ratione attributi, si de attributo propriè loquendum est. Et quanuis nõnulli solùm loquãtur de illis trãscendentibus, quæ positiua sunt; ego tamen de omnibus transcẽdentibus vniformiter puto esse loquendum. Fundamentum ex eo sumendum esse existimo, quòd transcendentia in diuinis abstrahunt ab absoluto essentiali, & à respectiuo personali: nam in vtroq; reperiũtur, vt ex dicendis patebit. Quare si nomen *attributum*, ex intentione imponentium ad personalia non extenditur, sed ad sola essentialia, vt in art. præcedente dictum est: vtiq; nec extendendum erit ad ea, quæ, & essentialibus, & personalibus sunt communia. Quo fundamento idem docuit Suarius lib. 1. de essentia Dei c.9. n.5. & lib.3. de Trinitate c.11. n.1.& 4.

Fundamentum.

§. 1.

Ens non esse attributum: nec rem, nec aliquid.

EX præcedente resolutione infertur *ens* (quod est primum transcẽdens) non esse enumerandum inter attributa Dei: ens enim in sua ratione transcendentali abstrahit ab absoluto, & relato: quoniam non solùm essentia est ens, sed etiam quælibet diuina relatio etiam, vt distinguitur ab essentia, de quo nullus poterit dubitare. Cum verò relatiua in Deo sint plura, vt fides docet; non video, cur timendum sit admittere dari in diuinis pluralia entia saltèm relatiua? Quare licet aliqui timeant id concedere sequentes D. Thomam 1. Sentent. d.25. q. vnica ar.4. cum quibus est Cumelius 1. part. q. 28. ar.3.

2.

De ente hoc probatur ex superiori fũdamento.

D. Thom.

Cumelius.

ar. 3. dub. 2. pag. 848. non puto tamen de hoc esse dubitandum. Vndè plura entia relatiua in diuinis admittunt Torres de Trinitate q. 39. ar. 3. in 3. argumento D. Thomę fol. 139. col. 2. Molina ibi disp. 2. Bellomontanus 1. p. disp. 122. c. 7. n. 31. & Suarius lib. 3. de Trinit. c. 6. n. 4. quo in loco non solùm censet tres personas dici posse tria entia relatiua; sed etiam tria entia absolutè, & simpliciter. Quod satis est de mẽte Torres, vbi suprà, & in id satis inclinat Bellomontanus loco citato. Quod ego sine vlla dubitatione recipio inde ductus, quia D. Thomas concedit plures personas esse tres res relatiuas, vt patet ex 1. sententiarum d. 25. q. vnica ar. 4. & 1. p. q. 30. ar. 1. & clarius q. 39. ar. 3. ad 3. á cęteris receptus. At non video vllum esse discrimen (quod ad præsens institutum attinet) inter rẽ, & ens, vt etiam aduerterũt Molina, Bellomontanus, & Suarius. Quare, cũ ens etiam de personalibus prędicetur, quatenus personalia sunt; reijciendum erit à ratione attributi iuxta fundamentum superiùs explicatum.

Torres. *Molina.* *D. Thom.*

3. Aliud fundamentum.

Cui fundamento aliud etiam accedit quoniam ens etiam vt pertinet ad essẽtiam, est prędicatum quidditatiuũ Dei & primum diuinæ essentię constitutiuũ: diuina enim essentia ideò, quia à se est ens, habet, quod à se sit essentia, & quod sit substantia; viuens, & spiritualis, quibus in esse essentię quidditatiuè constituitur, vt diximus in prędcdẽte quęstione ar. 3. Iam verò prędicata quidditatiua excluduntur à ratione attributi, vt suprà diximus.

4. Idem de re & aliquo cõfirmatur. *Fonseca.*

Quod diximus de ente dicendum est de re, & de aliquo: hæc enim sunt nomina synomina cum ente, vt modo supponimus, & videre licèt apud Fonsecam lib. 4. Metaph. c. 2. q. 5. sect. 2. *ac primum quidèm*, & Suariũ in Metaph. disp. 3. sect. 2. n. 4. & 5.

Vnum non esse attributum.

5. Eodem fundamẽto suadẽtur.

QVod diximus de ente, dicẽdum etiam esse de vno (quod inter transcendentia numeratur) ex prędicto fundamento facilè quisque iudicabit: abstrahit enim ab absoluto, & à relato: nam, cum tàm absoluta, quàm relata sint entia, tam hæc, quàm illa rationem vnitatis sibi vendicabunt: vnum enim cum ente conuertitur, vt communis philosophorum habet consensus ex Arist. in 4. Metaph. c. 2. tex. 3. & Platone in Parmenide. Quare non est audiendus Bellomontanus 1. p. disp. 128. c. 3. n. 11. vbi nullo fundamento ductus, oppositũ docet. Et quòd attinet ad diuinã vnitatem latiùs paterè, quàm aut substantiã, aut relationẽ, & ideó cõuenire posse diuinis personis ratione vtriusq; optimè docet D. Thomas. 1. p. q. 30. ar. 3. ad 1. Deus enim est vnus, vt patet Deuteronomij 6: *Deus tuus Deus vnus est*: nec de hoc potest dubitare fidelis, qui scripturis crediderit, vt ait Damascenus lib. 1. de fide c. 5. Singulam quoquè personã esse vnam personam, ità vt sit vnus Pater, & vnus Filius, & vnus Spiritus Sanctus, docet idem Damasc. lib. 1. c. 11. & patet ex symbolo D. Athanasij, dum ait: *Vnus ergò Pater, non tres Patres: vnus Filius, non tres Filij: vnus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.* Ex quo infertur in diuinis vnam tantum dari vnitatem essentialem: plures tamem personales. Quod expressè docuit Richardus (quanuis à plerisque in oppositum citetur) in 1. d. 24. ar. 1. q. 3. & post eum ex recẽtioribus Suarius lib. 3. de Trinitate c. 7. & Bellomontanus 1. p. disp. 122. c. 7. n. 27. vbi refert verba Concilij Rhemensis, ex quibus euidenter colligitur in personis reperiri plures vnitates: nam, cum in Trinitate detur relationum personalium numerus transcendens (vt docet D. Thomas 1. p. q. 30. ar. 3. & satis definiuit Cõciliũ Toletanum 13. in confessione fidei, cum D. Bernardo lib. 5. de consideratione ante medium, Damasceno lib. 1. de fide c. 11. & lib. 3. c. 5. & Anselmo in lib. de Incarnatione verbi c. 3.) in Trinitate nõ possunt non reperiri plures vnitates transcendentes. Verissimum est igitur id, qđ ex D. Thoma 1. p. q. 30. ar. 3. ad 1. suprà adduximus, vnitatem latiùs patere, quã aut essentiam, aut relationem: quia, tam in essentia reperitur, quàm in relatione Quare si ea, quæ, tàm absoluto, quàm relato in diuinis sunt communia, à ratione attributi reiecienda sunt, vt initio præmisimus; vtiquè vnum, vt est prædicatnm transcendẽs, à ratione attributi erit reijciendum.

Arist. *Plato.* *D. Thom.* *Damascen* *Idem.* *Athanas.* *Richardus* *D. Thom.* *Conc. Tolelan.* *D. Bern.* *D. Damasc* *D. Anſ.* *D. Thom.*

Aliud fũdamentum.

Nec ex hoc solo capite reijciendum

venit, sed ex eo etiam, quòd est prædicatu negatiuum nullam sua negatione perfectionem denotans. Sed de hoc latiùs insequeti ar.

Verum, vt est transcedēs, non est attributum.

6. Eodem fundamento probatur.

DE verò eadem ratio militat, quæ de ente, & de vno; si sumatur, vt est prædicatum transcendens, & provt denotat veritatem in essendo. Veritatem in essendo reperiri in Deo patet ex c.17. Ioan. *hæc est vita æterna vt cognoscant te solùm Deum verum.* Primæ Ioan. 5. *hic est verus Deus*: primę Thessal. 1. *seruire Deo vni, & verò.* Deniq; Hierem. 2. *Dominus autem Deus verus est.* Qui loci intelliguntur de veritate entitatis diuinę. Quòd verò hæc veritas transcendentalis non sit enumeranda inter attributa probatur ex eodem præiacto fundamēto: etenim, tàm in creatis, quàm in diuinis abstrahit ab absoluto, & relato. Id quod in creatis per se est notissimum; in diuinis autē inde probatur, quia prędicatur de Deo vno, vt euidenter patet ex locis suprà citatis: & præterea prædicatur de Deo trino: Filius enim dicitur verus Filius 1. Ioan. 5. *vt simus in vero Filio eius*. Pater etiam dicitur verus Pater à Paulo ad Ephes. 3. *ex quo omnis paternitas in Cœlis, & in terra*: prima autem paternitas non potest non esse vera paternitas. Nec est negandum præter entitatem essentię dari in Deo tres entitates personales, & relatiuas, quarū quælibet sit vera entitas veritate transcendētali: quælibet enim in se ipsa, & provt est distincta ab alia, habet conformitatem ad proprium cōceptum, in quo posita est formalis ratio veritatis trancēdentalis. Quare contra Richardū in 1. d.24.ar.1.q.3.ad 1. cæteri theologi admittunt tres personas diuinas dici posse tres veritates, saltèm relatiuas. De quo inter alios vide Suarium lib. 3. de Trinitate c.8. & Bellomontanū 1.p.disp. 122.c.7.n.28. Quare, cum veritas transcendentalis in diuinis abstrahat ab absoluto, & relatiuo, excludenda est à ratione attributi propriè sumpti.

Ioan. 17. Ioan. 5. 1. Thessal. 1. D. Hie. on.

1. Ioan. 5. Ad Ephes. 3.

7. Aliud fundamentum ex ratione formali petitum.

Quod etiam euidenter patet, si dicas veritatem transcendētalem addere supra ens denominationem quandam extrinsecam per respectum ad intellectum potentem de illa iudicare; quæ fuit opinio Bellomantani prima parte disp.77.c.4. & disp.122.c.7.n.28. & q.16. ar.5. in comment.n.18. & 19. pro qua opinione refer Henricum, Heruæum, & Durandum. Et hāc denominationem in dicta disp.77.c.5.n.13. putat esse ens rationis: iam verò á ratione attributi excludenda sunt, quæ formaliter dicunt, aut ens rationis, aut denominationem extrinsecam. Si verò cum alijs dicas veritatem transcendentem supra ens addere conformabilitatē cum diuino intellectu (quæ fuit opinio Suarij in Metaph. disp.8.sect.7. & lib.1. de essentia Dei c.7.n.8.9. & 10. & lib.3. de Trinit. c.8.n.4.) cum hæc conformabilitas, vel nihil sit in re, vel sola relatio rationis; excludenda est à ratione attributi, siquidèm attributum aliquid ponit in re. Porro si veritas transcendentalis dicat solam relationem cōuenientiæ rei cum intellectu diuino (quæ est communis opinio quam latè persequitur Fonseca 4. Metaph.c.2.q.6. sect. 10.) cum hæc relatio à suis auctoribus ponatur esse rationis (vt patet ex Fonseca, vbi suprà sect. 2.concl.1. & ex Molina 1.p.q.16.disp.2. cum alijs) non potest veritas transcendentalis habere rationem attributi.

Fonseca. Molina.

Dixi *veritas transcendētalis*; quoniam veritas, tùm in cognoscēdo, tùm etiam in dicendo, vt est in Deo, inter attributa connumerari debet, vt supponimus.

Bonum transcedens non esse attributum.

8. Ex eodem fundamēto.

DE bono idem dicendū est, si similiter sumatur pro bonitate trāscendēti: hęc enim in sua ratione abstrahit ab absoluto, & relato quocūq; modo explicetur ratio bonitatis transcēdētalis, vndè in diuinis præter bonitatē absolutam diuinæ essentiæ debent admitti plures bonitates relatiuæ, si de bonitate transcendētali sit sermo. Quæ sentētia placuit Gabr. in 1.d.7.q.3.ar.3. Heruæo in 1.d.2.q.4. ar.1. Clitouęo supra Damascenū lib.1. de fide c.11. quos refert, & probat Suarius lib. 3. de Trin. c.9.n.14. cum cōsequentibus, & hæc est mens, & sententia Fonsecę lib.4. Metaph.c.2.q.7.sect.7.pag.652. post medium & pag.653. ad finem. Nam cum bonitas transcedens conuertatur cum ente, vt ex

Gabriel. Heruæus. Clitouæus. Fonseca.

ex Metaph. supponimus: cũ plures personæ sint plura entia, & præterea sint plura vera, saltèm entitate, & veritate relatiua; necessariò debent dici plura bona relatiua bonitate transcendenti.

Damascen. Quod etiam confirmatur ex verbis Damasceni lib. 1. de fide c. 11. dum ait: *Patrem, & Filium distingui perfectionibus personalibus.* Cum verò bonitas transcendẽs consequatur perfectionem transcendẽtem; similiter dicere possumus Patrem, & Filium distingui bonitatibus personalibus, atque relatiuis. Verùm hac de re latiùs disputare, non est huius loci.

Aliud fundamentum ex ratione formali bonitatis. Nam quicquid sit de plurificatione bonitatis transcendentis in diuinis; ipsa bonitas absoluta, quæ diuinæ essentiæ conuenit, & est omninò implurificabilis; ex eo non potest inter attributa numerari; quia ratio formalis transcendentis bonitatis, non benè consentit cũ propria ratione attributi. Nam si bonitas transcendens formaliter dicit solam relationem conuenientię (quæ fuit opinio Fonsecę in 4. Metaph. c. 2. q. 7. sect. 5. concl. 1. & 2. & tribuitur, falso tamẽ, Capreolo in 2. d. 34. q. 1. ar. 1. cõcl. 1. & videtur consentanea D. Thomę de veritate q. 21. ar. 1. res est absque dubitatione; quia attributum ex sua ratione denotat aliquid reale existens in Deo: cum tamen relatio conuenientiæ sit rationis.

Fonseca. *Capreolus.* *D. Thom.*

9. Idem dicendum erit, si rationem formalem bonitatis transcendentis ponas vt formaliter dicat perfectionem realẽ cum relatione rationis perficientis ad rẽ perfectam; quę opinio fuit Molinæ 1. p. q. 5. disp. vnica post principium. Nam ex eodem Molina 1. p. q. 28. ar. 2. disp. 2. §. *ex hactenus dictis*, nulla perfectio in Deo habere potest rationem attributi, si significetur cum admistione alicuius respectus rationis. Quare cũ bonitas trãscendens formaliter nõ dicat perfectionem absolutè, sed cum admista relatione perficientis, quæ est relatio rationis: vtique excludenda erit à ratione attributi. Ex quo eodem fundamento excludenda veniet, si dicas bonitatem transcendentem dicere perfectionem connotando ex parte rei bonę conuenientiam. i. accõmodationem, & aptitudinẽ, siue etiam inclinationem ad talem perfectionem: quæ fuit sententia Suarij in

Molina.

Metaph. disp. 10. sect. 1. n. 12. siue potiús (vt alij volunt) connotando conuenientiam. i. accõmodationem, & inclinationem ad rem, cuius est perfectio. Etenim cum ista connotatio conuenientiæ (quocunq; modo explicetur) solùm dicat denominationem quandam, vt ipsemet Suarius fatetur in d. n. 12. non potest ad rationem attributi pertinere. Deniq́ue nec etiam ad rationem attributi pertinere poterit, si cum Bellomõtano dicas bonitatem transcendentem formaliter esse positã in rei perfectione, hoc est, *in integritate rei in suo esse*: vt bonũ formaliter idem sit, quod integrum, & perfectum, vt docet Bellomontanus 1. p. disp. 23. c. 5. in principio, & disp. 122. c. 6. n. 20. etenim ipsemet Bellomontanus in d. disp. 23. c. 7. in principio fatetur bonitatem istam dicere relationem conuenientiæ, non quidèm vnius rei cum altera, sed integritatis ex pluribus: additq́ue hanc relationem integritatis in rebus simplicibus esse solúm rationis: nam vt ait conuenientia eorum, quę sola ratione distinguntur, non potest esse realis, sed rationis. Cum igitur ea, ex quibus bonitas diuina integratur, sola ratione distinguantur, vt patet; vtiq́ue bonitas in Deo formaliter erit relatio rationis. Quod omninò repugnat rationi attributi. Patet igitur bonum transcendens, vt transcendens est ad rationem attributi pertinere nõ posse.

Bellomõt.

Concludendũ est igitur id, quod initio statuimus, nullum prędicatum trãscendens connumerandum esse inter attributa diuina.

ARTICVLVS VI.

An ratio attributi ità includat prædicata affirmatiua, vt excludat omnia negatiua?

1. 3. assertio, Quæstio,

TErtio loco constituendum est attributum à sua ratione nõ omninò excludere omnia prædicata negatiua. Pro cuius explicatione præmittendum est quęstionem esse satis antiquã, àn attributum ad suam rationem admittat, tàm rationẽ affirmatiui prædicati, quàm negatiui; àn verò altera tantum illarũ? De qua difficultate tres inuenio sententias inter se oppositas.

Prima

1. sententia

Prima existimat omnia Dei attributa esse negatiua; nec propriè loquendo dari posse attributum affirmatiuum. Hãc

Rabbi Moyses. *Auicen.* *D. Thom.*

sententiam probauerunt Rabbi Moyses in lib. qui dicitur ductor dubiorum, & Auic. in lib. de intelligentijs c. 1. & alij, quos tacito nomine refert D. Thomas 1. p. q. 13. ar. 2. & in 1. d. 2. q. 1. ar. 3. & de potentia q. 7. ar. 5. Nec ab hac sententia vi

Henr.

detur alienus Henr. in summa ar. 32. q. 4. & quolib. 5. q. 1. quanuis vtroq; in loco rem maxime confundat. Huius opinionis fũdamẽtũ in hoc est positũ, quòd de Deo nihil cognoscimus, nisi ex creaturis: hæ autem, cum nõ possint nos ducere ad ea, quæ positiuè sunt in Deo, solùm nos poterunt deducere ad cognitionem Dei, vel per remotionem eorũ, quæ sunt in creaturis, vel per rationem causſæ, & principij eorum, quæ in creaturis insunt.

2. Fundamentum 1. sent.

Priorem dicendi modum teste D. Thoma locis citatis probauerunt Rabbi Moyses, & Auic. apud quos prædicata Dei, quæ seruant formam affirmatiui (vt bonus, sapiens, iustus, & cæt.) in sensu sunt negatiua, & solùm imponuntur ad remouendum à Deo ea, quæ in creaturis agnoscimus: vt Deus ideó dicatur viuens, aut sapiens, vt significem' in Deo non esse defectum, & imperfectionem rerum inanimatarum, aut insipientium, & sic de cæteris. Cui sententiæ videtur fauere

Damascen.

Damascenus lib. 1. de fide c. 4. dum ait: *Etiam per affirmationem quædam de Deo dicuntur: præcellentis tamen negationis vim habent.*

3.

Fauere etiam videntur patres, qui docent nulla eor, ũquę de Deo à nobis affirmantur, propriè Deo attribui, sed impropriè: vt patet ex Iustino Apolog. 1. Clemente Alexandrino lib. 5. stromatũ, Basilio epist. 80. Aug. 5, de Trinit. c. 1. & lib. 6. c. 4. & 6. & lib. 7. c. 5. & serm. 1. de verbis Apostoli. Inter alios vide Dionysium de mystica theologia c. 12. & de diuinis nominibus c. 7. & Boetium in li. de Trin. Sed quia hęc explicatio omninó est improbabilis; ideò occurrũt alij docentes per illa nomina affirmatiua non significari à nobis in Deo esse illa positiua, quæ in creaturis agnoscimus (vitam scilicèt, & sapientiam) quia re vera hęc in Deo non sunt: sed significari ea esse in Deo, vt in causſa; vt sit sensus,

Iustinus. *Clemente Alexand.* *Basilius.* *Augustin.* *Dionysius.*

Deus est viuens, sapiens, & cæt. hoc est Deus est causſa vitæ, sapientię, & sic de alijs. Nonnullos ità sensisse refert D. Thomas in locis citatis. Vtriquè igitur in Deo nulla agnoscunt prædicata affirmatiua; vel quia omnia in sensu sunt negatiua, vt priores volunt: vel quia solùm denotant virtualem existẽtiam eorum in Deo, vt posteriores putant.

D. Thom.

4. 2. sententia

Secunda sententia ex diametro huic opponitur: negat enim prędicata, quæ negatiuè de Deo dicuntur, posse inter diuina attributa enumerari, si propriè de attributo loquendum est: putãt enim de ratione attributi esse, quod sit affirmatiuum ponens aliquid in Deo. Hanc sententiã expressè probauit Molina 1.

Molina.

p. q. 13. ar. 7. disp. 2. ad 2. pag. 59. column. 1. & satis id declarauerat 1. p. q. 28. ar. 2. disp. 2. § *Ex hactenus dictis.* Fundamentum

Fundamentũ 2. sententiæ.

sumit ex eo, quia iuxta communẽ theologorum mentem in Deo id solùm dicitur attributum, quod est ratio realis, perfectioq; formaliter in Deo existens, vt inferiùs dicemus. Hoc autem non cõuenit prædicatis negatiuis, sed solis affirmatiuis. Igitur apud auctores huius opinionis inter attributa non sunt enumeranda prædicata sequentia: increatus, immensus, incorporeus, infinitus, immutabilis, incomprehensibilis, inuisibilis, ineffabilis. Nec etiam ista, vnus, simplex, æternus: ideó quia vltra rei entitatem nihil aliud denotant, quàm negationem.

5. 3 sententia

Tertia sentẽtia duabus prioribus opposita docet attributum ex sua ratione abstrahere ab affirmatiuo, & negatiuo prædicato; vndè ad rationem attributi admittit prędicata, tàm affirmatiua, quàm negatiua. Hæc fuit expressa sententia Gabrielis in 1. d. 2. q. 2. ar. 1. notab. 1. & ar. 2. concl. 2. cum quo consentit Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 9. n. 4. cum sequentibus, & lib. 3. de Trin. c. 11. numer. 4. & c. 12. n. 1. & satis consentit Cumelius 1. p. q. 28. ar. 2. q. 7. notabili. 1. pag. 840. col. 1.

Gabriel.

Cumelius.

6. 1. propositio contra 1. sententiã

Pro resolutione illud contra primam sententiam, tanquam certissimum constituendum est admittenda esse attributa, quæ, & voce, & sensu sint affirmatiua; ità vt denotent in Deo perfectionem realem in eo existentem: sunt enim quędam prędicata, quæ licèt secundum

cundum modum significandi, tám in abstracto, quàm in cõcreto videantur denotare imperfectionem, cũ de Deo prędicãtur: & ideò videantur denotare improprietatem, & metaphoram: tamen quod ad rem significatam proprijsimè de Deo dicuntur; vt quia ipsa res significata verè, & propriè sit in Deo: sapientia enim, & iustitia, licèt in abstracto significentur per modum formæ adiacentis: tamen Deo verè, & propriè absq; vlla adiacentia conueniunt. Eodem modo quanuis nomen concretum sapiens, aut iustus ex suo modo significandi videatur dicere sapientiam, aut iustitiam esse in Deo per modum compositionis: tamen à parte rei Deus absquè vlla cõpositione formaliter est iustus, atq; sapiens: quia Deus ità est iustus, & sapiẽs, vt sit ipsa iustitia, & sapientia. Quare prima opinio in vtroquè sensu explicata reijcienda est, tanquam omninò falsa, & contraria cõsensui omnium rectè sentientium. Contra vtrunq; sensum latè disputat D. Thomas 1.p.q. 13.ar.2.& in 1.d.2.q.1.ar.3.& de potẽtia q.7.ar.5. Videndus est Suarius lib. 1. de essentia Dei cap. 9. n. 9. vt in re notissima alios omittamus.

D. Thom.

7. Mens Damasceni & aliorum patrum explicatur.

Cui veritati non repugnãt patres in oppositum citati, vt iam ostendimus suprà q.3.ar.1.§.2. vbi vide. Ex dictis ibi intelliges sensum verborum Damasceni: nec enim simpliciter dixit illa nomina affirmatiua, quę de Deo dicuntur, habere vim negationis; sed addit habere vim pręcellentis negationis: quia nimirum non ità includunt negationem, quasi Deus nullo modo sit illa, quæ de eo prędicantur; sed quia non est illa sub eâ ratione, qua sunt in creaturis; sed modo quodam excellentiori, vt idem Damascenus aduertit eodem capite: cum enim dixisset Deum non esse quicquam eorum, quæ sunt; addit hæc verba: *Quòd non ità accipiendum est, quasi non sit; sed quia supra omnia, quæ sunt, ipsa sit.* Vndè post illa verba, quæ obijciuntur, ità scribit: *verbi gratia, cum de Deo verba facientes tenebrarum voces vsurpamus; nõ caliginem animo proponimus: sed, quod lux non sit, verùm lumine sublimior,* & Elias Cretensis in oratione 24. Nazianzeni explicans illam sententiam Dionysij c.1. de diuinis nominibus: *Deũ scilicèt esse omnia, quæ sunt: & nihil esse eorum quæ sunt,* hęc scribit verba: *Deus, vt sanctus Dionysius ait, est quidèm caussa ijs, quæ sunt, vt sint; ipse autem non est, vt qui nihil horum, quæ sunt. sed supra omnia sit: quanuis enim Deus ens dicitur, iuxta illud, ego sum, qui sum; at ens tamẽ non est, vt ea, quæ sunt: quonam enim modo opifex, vt opera esset? nec certo modo ens, sed simpliciter, ac peculiari modo: aut velut eximiè, & præcellenter, quemadmodum ipse solus nouit.* Quare, cum Dionysius, & alij patres negant Deum, nec esse animum, nec mentem, nec substantiam, nec vitam &c. Non in hoc sensu ea Deo negant, quasi Deus illa non sit, sed quia supra omnia illa existens excellẽtiori modo illa omnia sit. Quem sẽsum satis explicauit idem Dionysius, dum c.1. & 2. de diuinis nominibus, & alibi sæpe appellat Deum supersubstantialem, & omni essentia superiorem: *etenim supra mentem mens est, & supra vitam, vita, &c.* Vt Elias cretensis concludit in oratione 1. Apologetica Nazianzeni. Quod etiam satis explicauit Boetius in lib. de Trinit. circa medium, dũ ità scribit. *Nam substantia in illo, non est vera substantia, sed vltra substantiam: nam, cum dicimus Deus, substantiam quidèm significare videmur; sed eam, quæ sit vltra substantiam.* Non est igitur dubitandum admittenda esse attributa affirmatiua, quæ modo affirmatiuo significent aliquam diuinã perfectionem sub generali aliqua ratione conceptam.

Elias Cretensis.

Dionysius.

Boetius.

8. 2. Propositio cõtra 2. & 3. sentẽt.

Quod verò attinet ad prædicata negatiua; puto, nec secundam sententiam probandam esse, nec tertiam; si vtraquè in sua generalitate sumatur: quoniam, nec existimo cum secũda sententia omnia prædicata negatiua à ratione veri attributi reijcienda esse; nec cum tertia opinione omnia esse inter attributa admittenda: sed admittẽda esse illa, quæ diuinam aliquam perfectionem, vt essẽtiæ, veluti adiacentem denotant: quę verò, aut nullam Dei perfectionem formaliter significant: aut eam significant; nõ tamen, vt adiacentem essentiæ, sed, vt constitutiuam illius, hæc ab attributis esse excludenda.

9.

Pro huius relationis explicatione illud cum secunda opinione contra 3. statuendum esse puto de ratione attributi esse, quòd sit realis aliqua perfectio formaliter existens in Deo: hanc enim conditionem ad rationem attributi esse necessariam

cessariam statim ostendemus. At tamen contra opinionem tertiam illud aduertimus hanc conditionem in plerisque negatiuis prædicatis reperiri; si nō formaliter, tamē ex intentione eorum; qui nomina negatiua imposuerunt.

Præmissum ex doctrina Dionysij.

Pro quo prænotandū est ex doctrina Dionysij c. 7. de diuinis nominibus, *Deū à nobis, & scientia cognosci, & ignoratione:* Deū inquam, id est, diuinas perfectiones, quę realiter sunt in Deo. Scientia igitur Deus cognoscitur á nobis quoad ea prædicata, quæ Deo cum creaturis sunt communia: hæc enim licèt secundum suas rationes specificas à nobis pro statu viæ sciri nequeant; verè tamen sciuntur secundum suas rationes genericas. Huius generis sunt sapientia, iustitia, misericordia, & alia id genus: quas perfectiones secūdum rationes genericas demonstratiuè cognoscimus esse in Deo: specificas verò rationes distinctè non cognoscimus, sed sub quadā notitia cōfusa, quatenus intelligimus istas pfectiones præstantiori modo Deo conuenire quàm conueniant creaturis. Vndè dicimus sapientiam Dei esse supra sapientiam: & vitam esse supra vitam, vt ex nōnullis patribus immediatè diximus. Porro ignoratione dicitur Deus à nobis cognosci, quoad ea prædicata, quæ non sunt Deo cum creaturis communia, sed propria solius Dei; vt esse increatum, independens, incorporeum, infinitum immensum immutabilem, incomprehēsibilem, inuisibilem, ineffabilem, & deniqúe æternum. Quę prædicata, vt de Deo dicuntur, ipsa negatione imperfectionis, quæ est in creaturis, denotant perfectionem quandam in Deo formaliter existentem: quam perfectionē scimus in Deo inesse; at quænam illa sit, nec secundum generalem aliquam rationem explicare valemus: & ob id dicitur à nobis, non scientia, sed ignoratione cognosci.

10. Illatio ex doctrina Dionysij.

Vndè infertur huiusmodi prędicata ex mente Magni Dionysij non præcisè denotare negationem, siue remotionē imperfectionis, quę à Deo remouetur, vt male supponunt auctores tertiæ opinionis, & cum illis Suarius in d. lib. 1. de essentia Dei c. 9. n. 4. & 15. etenim has imperfectiones à Deo remoueri non ignoratione scimus, sed scientia demonstratiua cognoscimus. Quarè, cum per ista prædicata aliquas Dei perfectiones, non scientia, sed ignoratione cognoscamus, vt Magnus docet Dionysius: vtique asserēdum est hęc negatiua prędicata sua negatione, & remotione (quā ipsa materiali voce formaliter important) ex patrum impositione, & intentione vlteriùs denotare quandam Dei perfectionem, quàm ex creaturis inesse scimus: declarare tamen, nec generali aliquo conceptu possumus: æternitas enim per ipsam negationem temporariæ mensuræ denotat diuinam quādam perfectionem, qua diuina essentia, non à mensura extrinseca, sed à se ipsa intrinsecè est mensurabilis. Eodem modo immensitas ipsa negatione continentiæ localis denotat perfectionem quandam positiuam (notam quidem, quod sit, ignotam tamen, quid sit) qua diuina essentia, non dico implet, sed continet infinita locorum spatia, & sic de cæteris. Quod alio in loco nobiscum concedit Suarius in dicto lib. 3. c. 12. n. 1. & Bellomontan° 1. p. disp. 117. c. 2. n. 4.

11. 2. sententia ex dictis probatur.

Ex quo infertur reijciendam esse secundam opinionem, quatenus à ratione attributi omnia in vniuersum prædicata negatiua reijcit: falso enim nititur fundamento, dum existimat nulla prædicata negatiua ex se denotare perfectionem in Deo formaliter existentem, sed solam remotionē imperfectionis repertę in creatura, cuius oppositū ostendimus ex doctrina Magni Dionysij, ex qua patet ex illo capite non omnia prędicata negatiua reijci à ratione attributi: quia aliqua illorum ex mente patrum denotant perfectiones quasdam; quas in Deo existere cognoscimus; non quidèm scientia, ità, vt illarum rationes saltèm generales explicemus: sed ignoratione; quia illas inesse quidèm scimus, explicare autem, nec secundùm generales aliquos conceptus valemus.

12. Improbat. 3.

Sed nec 3. sententia est admittenda: quoniam, & si aliqua negatiua prędicata denotant perfectionem aliquam in Deo existentem: non tamen omnia, aut perfectionem denotant; aut eam denotant, vt adiacentem. Quorum vtrunque esse de ratione attributi, sępe diximus. Quod non omnia prędicata negatiua, etiam obseruata mente patrum denotent

tent aliquam perfectionem formaliter existentem in Deo; patet in hoc prædicato *vnum* sumptum, vt est transcendés: quòd non solùm, quia est transcendens à ratione attributi reijcitur, vt suprà diximus; sed etiam ex eo, quod nihil positiuum, aut in creatis, aut in Deo significat (vt contra Scotum, & nonnullos alios supponimus) sed solam quandam negationem, quæcunque illa sit, vt etiã supponimus cum Fonseca, & nonnullis alijs in 4. Metaph. cap. 2. q. 5. & quanuis Deus sit maximè vnus: præstantia tamẽ vnitatis in Deo semper cadit supra ipsam negationem per *vnum* importatam. Quod dicimus de vno, fortè etiam dicendum est de diuina simplicitate: hæc enim fortè nihil aliud dicit, quàm negationem compositionis in diuina entitate. Quarè vnum, & simplex à ratione attributi sunt reijcienda, quidquid tertia repugnet sententia, & cum illa Suarius. Etenim ex sua formali ratione nullam important perfectionem existẽtem in Deo, sed solam negationem: cum tamen de ratione attributi sit, quòd sit realis aliqua perfectio existens in Deo, vt dicemus in sequenti art.

Fonseca.

11. 2. sententia ex dictis im probatur.

13. Sed adhùc inter attributa diuina nõ sunt enumeranda, increatum, independens, & incorporeum: nam quanuis ipsa negatione significent aliquam perfectionem existentem in Deo, vt ex Dionysio superiùs ostendimus: non tamen significant perfectionem, veluti adiacentem essentiæ, sed constitutiuam illius. Etenim increatum denegando à Deo creationẽ denotat in Deo esse entitatem, quæ à se est entitas: ens autem, quod à se est ens, est primum fundamẽtum essentiæ, quatenùs est essentia. Similiter dicendum est de independente: denotat enim ens, quod à se est ens. Incorporeum etiam denotat entitatem spiritualem, quæ est constitutiua essentiæ. Hæc igitur negatiua prædicata inter attributa non sunt enumeranda. Quod satis est de mente Fonsecæ lib. 7. Metaphysicæ cap. 8. quæst. 2. section. 3. litera E.

Fonseca.

12. Improbat. 3.

14. Prædicata negatiua, q̃ verè sunt attributa. Itaque ex prædicatis, aut voce, aut sensu negatiuis inter attributa enumeranda sunt æternitas, immensitas, immutabilitas, incomprehensibilitas, inuisibilitas, ineffabilitas, & si quæ sunt alia huius generis prædicata. Et de immensitate, & æternitate id affirmat Capreolus in 1. d. 8. q. 4. ar. 1. post principium, vbi asserit hanc esse mentem Diui Thomæ: nullo tamen citato loco. Adde Cumelium 1. p. q. 28. artic. 2. q. 7. notab. 1. pagin. 840. column. 1. & pag. 844. column. 2. Eadem autem ratio est de cæteris prædicatis, quæ retulimus. Nobiscũ consentit Fonseca in duobus prædicatis increatum scilicèt, & independens, vt patet loco citato. Mouetur; quia hæc prædicata denotant omnimodam Dei perfectionem: cum tamen de ratione attributi sit, quod denotet perfectionem aliquam particularem. Sed non video, quomodò dicta duo prædicata denotent perfectionem omnimodam Dei: etenim esse increatum, & independens denotant entitatem, quæ à se ipsa est entitas: & quanuis ens, quod à se est ens, vendicet sibi omnem perfectionem: tamen, vt significatur sub hac ratione, quod est ens à se, formaliter non includit omnem perfectionem, sed solùm radicaliter, si hæc nostro intelligendi modo intelligamus. Quarè omisso fundamento Fonsecæ ego puto ideó illa duo prædicata à ratione attributi esse excludenda, quia considerata formali illorum significatione non denotant perfectionem entitatiuam, sed modum positiuum, quo entitas in se est summa perfectio. Nam hoc, quod est esse ens à se formaliter non est entitas, Sed modus intrinsecus entitatis perfectissimæ, vt iterum aduertemus in vltimo articulo, iam verò attributum dicit perfectionem simpliciter entitatiuam per modum adiacentis significatam. Admitto tamẽ esse infinitum ideò etiam à ratione attributi esse reijciendum; quia ex se dicit omnimodam perfectionem: quod non conuenit attributo, vt suprà diximus. Quarè infinitum à ratione attributi ob explicatam rationem benè reiecit Fonseca loco citato: quod etiam probauit Rada in 1. controuers. 4. fol. 55. column. 2. §. *Quinto nota.* cum nonnullis alijs: quanuis id pluribus non placeat.

Capreol.

Cumelius.

Fonseca.

Fundamentũ illius circa hæc duo prædicata. Improbatur

Verum fundamentum,

Infinitũ non est attributum ex fundamento Fõsecæ.

Rada.

15. In his igitur consentimus cum tertia sententia: non tamen in alijs. Vtrùm autem ex alio capite huiusmodi prædicata reijcienda sint à ratione attributi:

ex eo scilicèt, quòd dicunt perfectionẽ communem Deo, & creaturis? inferiùs expendemus. Nùnc satis nobis sit attributum ex sua ratione non excludere à se prædicata negatiua, ideò quia negatiua, vt malè voluit Molina cum auctoribus secundæ sententiæ. Mentem Diui Thomæ nobiscum consentire testatur *Capreol.* Capreolus vbi suprà: consentiũt etiam auctores tertiæ opinionis Gab. Cumel. & Suarius.

ARTICVLVS VII.

An attributum in sua ratione includat, quòd sit realis perfectio existens in Deo; & qualis nam perfectio esse debeat?

1. 4. assertio. QVarto loco constituendum est attributum in sua ratione admittere, quod sit realis perfectio formaliter existens in Deo. Hæc conditio non recipitur à Suario lib. 3. de Trinitate cap. 11. num. 2. illo ducitur fundamento: quia non assignatur ratio, cur hæc conditio sit necessaria: maximè, quoniam non solùm prædicata necessaria, sed etiam contingentia propriè dicuntur attributa. Ego tamen eã recipiendam puto: vno enim dempto Suario, est inter Theologos receptissima. Eam receperunt Henricus in Summa artic. 32. q. 4. litera O. & P. & quod- *Henric.* lib. 5. q. 1. Gregorius in primo d. 2. q. 2. *Durand.* artic. 3. §. *Respondeo*, vbi Durandus q. 3. *Gregorius.* numer. 7. Heruæus q. 2. Tolletanus q. 1. *Heruæus.* Gerardus de Senis q. 2. ante primum ar- *Toletan.* ticulum, præceptor Frater Franciscus *Gerardus.* à Christo quæst. 2. Marsilius in 1. quæst. *Fr. Franc.* 12. artic. 3. in principio, Torres de Tri- *à Christo.* nitate quæst. 28. artic. 2. disputatione 1. *Marsilius.* in 2. part. illius post principium, Cume- *Torres.* lius ibi quæst. 7. notab. 2. Molina 1. part. *Cumelius.* quæst. 12. articul. 8. disputatione 3. pag. *Molina.* 134. column. 1. D. & latiùs quæst. 28. ar. 2. disp. 2. §. *Ex hactenus dictis.* Bellomont. *Herrera.* 1. p. disp. 116. c. 1. n. 3 Herrera in 1. Sent. disput. 14. q. 1. notab. 5. pagin. 463. & q. 2. §. *Secunda sententia.* pag. 470. colum. 2. *Rada.* Rada in 1. controu. 4 §. *Quintò nota.* pag. *Fonseca.* 55. col. 2. & satis est de mente Fonsecæ lib. 7. Metaph. cap. 8. quæst. 2. sect. 3. lit. E. Communis autẽ Theologorum consensus in hac materia satis probabile facit fundamentum, vt hæc opinio potiùs probanda sit, quàm opposita: maximè, quia Theologi ideò de diuinis egerunt attributis, vt diuinæ essentiæ perfectionem explicarent. Hæc igitur cõditio, tanquã verissima supponatur.

2. Prædicata libera reijcienda. Ex qua infertur à ratione attributi excludenda esse omnia prædicata, quæ non necessariò, sed liberè Deo conueniunt: vt esse creatorem, dominum, prouisorem, prædestinantem, iustificatorẽ, & alia huius generis, quæ actum Dei liberum supponunt: hęc enim, cum potuerint Deo non conuenire, nullam perfectionem simpliciter in Deo ponunt. Quod corolarium ex eodem fundamẽto admittunt prędicti omnes doctores cum Fonseca, & Bellomontano locis citatis: adde eundem Bellomontanum ibi disp. 117. c. 3. n. 5: quanuis repugnet Suarius, vbi suprà, & lib. 1. de essentia Dei c. 9. nu. 13. Dixi *ex eodem fundamento*: quia ex alio etiam capite à nonnullis reijciũtur, quòd non sint absoluta prædicata, sed importent relationẽ, saltèm rationis: sed de hac conditione iam diximus.

3. Dubitatio. Dubitant nonnulli; an ad rationẽ attributi requiratur, quòd sit perfectio Dei omninò absoluta? in qua dubitatione sũmus (ni fallor) est inter omnes Certa resolutio. consensus, relatiua, quę sunt ad intra, à ratione attributi excludi. Quidam indè sumunt fundamentum; quia relationes ad intra nullam dicunt perfectionem: Fundamentum aliquorum. eum tamẽ de ratione attributi sit, quòd sit perfectio simpliciter, vt immediatè diximus. Sed hoc fundamentum magnam, & nostris temporibus celebrem inuoluit quæstionem, in qua pro vtraq; parte plures, atque doctissimi reperiũtur Theologi. Quarè satiùs est has relationes ex eo reijcere à ratione attributi, quod pertinent ad prędicata personalia, quæ suprà §. 4. ab attributis iam reiecimus. Aliud fundamentum.

4. Maior dubitatio. Difficultas igitur solùm excitatur de prędicatis, quę aliquo modo dicunt relationem ad creaturas. Inquirimus igitur; vtrùm de ratione attributi sit, esse perfectionem Dei absolutã ab omni relatione ad creaturã? De quo fortè quis existimabit aliquã inter theologos versari controuersiã: quia videtur negare *Suar.* lib. 1. de essẽtia Dei c. 9. n. 13. & 14. At tñ affirmare videtur Torres de Trin. q. 28. ar. 2. disp. 1. in 2. p. illius, & Cumeli'

1.p q.27.ar.2.q.7. not.2.& clariùs Molina ibi disp. 2. §. *Ex hactenùs dictis.*

5. Resolutio. Resolutio sit attributum ex sua ratione non excludere relationem transcendentem ad creaturas: excludere tamen relationem secundùm esse, si realis fuerit: relationem porrò rationis, quę alicui perfectioni interdùm est annexa, ideò excludere, quia talis perfectio sub illa relatione nullam denotat perfectionem. Prima pars huius assertiProbatur. euidenter probatur; quoniam nullus negabit omnipotentiam Dei esse attributum: quæ tamen relationem transcẽdentalem dicit ad rem creabilem. Cui resolutioni fauet, quòd relatio transcẽdens non tollit veram rationem perfectionis absolutæ. Secunda assertipars indè probabitur; quia nulla in Deo datur relatio realis, quę ad personalia nõ pertineat: personalia autem ab attributis iam reiecimus. Tertia tandèm assertipars ex eo fiet euidens; quia perfectio diuina, quę relationem rationis includit, vt consideratur sub illa relatione, nullam dicit perfectionem; vt videre est in volitione Petri, quæ, vt est volitio Petri, superaddit relationem quandam rationis (vt multi volunt) quę tamen volitio, licèt secundùm se sit perfectio; vt tamen est Petri, nullam perfectionem denotat: potuit enim non esse Petri. Vide Molinam loco citato.

6. Ex quibus patet simpliciter dici posse attributum ex sua ratione dicere perfectionem absolutam excludendo omnem relationem ad creaturas, tàm realem, quàm rationis; nec enim agitur de relatione transcendenti, cum simpliciter habetur sermo de relatione.

7 Dubitatio secunda. Dubitatur secundò; an attributum ex sua ratione necessariò dicat perfectionem communem Deo, & creaturis.
Pars affirm. Affirmant Henricus quodlibet. 5. quæstione 1. litera B. & H. Gregorius, Durandus, Heruæus, Tolletanus, Gerardus, Franciscus à Christo, Herrera, & Rada, quos in principio huius articuli citauimus. Oppositum tamen docuerunt Torres, & Cumelius, vbi suprà,
Pars negãs præfertur. cum Suario libr. 3. de Trinitate capite 11. numer. 4. & ante eos id docuit Capreolus in primo dist. 8. quæstione 4. articul. 1. post principium. Quin potiùs Herrera loco citato affirmat D. Thomam eandem docuisse sententiam 1. cõtra Gentes cap. 32. & de potentia q. 7. artic. 15. & in primo dist. 2. quęst. 1. art. 2. & 1. part. quæstione 3. art. 3. Sed in illis locis Diuus Thomas hac de re nihil agit. Puto tamen hanc sententiam esse verisimam: quia non est, quòd à ratione attributi excludamus omnipotentiam Dei, æternitatem, immensitatem, & alias huius generis perfectiones soli Deo proprias. Et hanc fuisse mentem Diui Thomæ testatur Capreolus, vbi suprà: quanuis nullum in specie locum citet.

8. 3. dubitatio. Dubitatur adhùc tertiò; an de ratione attributi sit, vt dicat perfectionem naturaliter ex creaturis demonstrabilem? Affirmauit Gabriel in primo dist. 2. quæst. 2. artic. 1. notab. 3. quem probat Bellomontanus 1. part. disputatione 116. cap. 1. numer. 3. Probare debent, qui volunt attributum ex se dicere perfectionem in creaturis repertam: talis enim perfectio naturaliter est de Deo demonstrabilis. At tamen hanc conditionem non admittit Suarius in dicto libro tertio de Trinitate cap. 11. num. 3. eo ductus fundamento; quia negari non potest omnipotentiam esse enumerandam inter diuina attributa: cum tamen incertum sit, an naturali ratione inuestigari queat. Eadem dubitatio est de immensitate Dei, & de alijs perfectionibus Deo proprijs. Subscribo libentèr: quia non negarem Deum esse obiectum visione sui beatificatiuum esse diuinum attributum: hæc enim est maxima Dei perfectio: cum tamen non sit negandum hanc perfectionem naturali lumine cognosci non posse, vt suo loco ostendemus.

Pars affirm. *Gabriel.*

Pars negãs vera.

ARTICVLVS VIII. & vltimus.

Epilogantur ea, quæ in præcedentibus articulis sunt resoluta.

1. Diffinitio attributi. EX ijs, quæ tam latè diximus, colligi potest vera diffinitio attributi: est enim attributum perfectio quædam realis, & absoluta, formaliter in Deo existẽs, cõcepta à nobis, atq; significata per modũ formę, siuè proprietatis adiacẽtis diuinę essẽtię; siuè illa affirmatiuè significet, siuè negatiuè: siuè sit

Deo cum creatura communis, siuè non sit: denique siuè sit naturali lumine cognoscibilis, siuè solo lumine fidei. Nomine perfectionis non intelligas perfectionem transcendentem: quia hæc ex sua ratione non dicit perfectionem simpliciter; sed in solo aliquo genere per solam negationem defectus in tali genere, vt supponimus cum Fonseca in 4. Metaph. cap. 2. q. 7. sect. 7. pag. 652. in fine: sed intellige perfectionem formalem; non quancunque, sed quæ sit perfectio simpliciter, quam quidam ex recentioribus appellant simpliciter simplicem: quæ ipsa est actus actuans, & perficiens; vel nostro intelligendi modo habens se more actuantis: de hac enim perfectione est sermo, cum dicimus attributa ex sua ratione dicere perfectionem.

Explicatur 1. pars.

Fonseca.

2. Quæ attributi ratione participant.

Ex his collige ad rationem attributi omnium consensu admitti iustitiam, sapientiam, misericordiam, & alia similia prædicata affirmatiua, & absoluta: his enim nullo contradicente verè, & propriè conuenit tota attributi explicatio. Quæ etiam conueniret illis, si de ratione attributi foret perfectio Deo, & creaturæ communis, naturali ratione à nobis cognoscibilis: nam hæ etiam duæ conditiones his prædicatis conueniunt.

3. Veram etiam rationem attributi habebit esse obiectum visione sui beatificatiuum; hoc enim prædicatum denotat perfectionem essentialem, & absolutam diuinæ essentiæ, significatam more formæ adiacentis: quod satis est ad rationem attributi; quanuis nec sit perfectio naturaliter scibilis, nec Deo cum creatura communis.

4. Eàdem ratione admittenda sunt prædicata, aut voce, aut sensu negatiua: vt esse æternum, immensum, immutabile, incomprehensibilem, & id genus alia: nam licèt videantur solùm remouere à Deo imperfectionem, quæ est in creatura: tamen ex mente Patrum sua negatione satis nobis innuunt essentialem aliquam perfectionem, quam sola ignoratione scire possumus, vt ex mente Magni Dionysij superiùs ostendimus. Et quanuis Suarius non satis in hoc cõsentiat lib. 1. de essentia Dei cap. 9. nu. 4. & 15. id tamen satis admittit, & explicat libro tertio de Trinitate cap. 12. numer. 1.

5. Quarto loco inter attributa connumeranda sunt intellectus, & voluntas Dei; de quo nullus potest dubitare: quia esse intellectiuum, atque appetitiuum, volitiuumque, etiam, prout nostro intelligendi modo concipiuntur in actu primo; denotant perfectionem simpliciter significatam, vt proprietatem nostro more intelligendi radicatam in natura spirituali, quam plerique intellectualem vocant, vt intellectuale idem est, quod spirituale.

6 Dubitatio de actionibus immanentibus. Pars negãs.

Vtrum verò actiones immanẽtes intellectus, & voluntatis, quarum altera Deus intelligit, altera vult, enumerari debeant inter attributa? Non omnes conueniunt: nam teste Cumelio 1. part. quæst. 28. artic. 2. quæst. 7. §. *quibusdam placet.* pagin. 840. column. 2. in principio aliqui negant eo ducti fundamẽto; quia de ratione attributi est, quòd non significetur per modum actionis. Quod tamen fundamentum friuolum est, & gratis confictum. Quarè de actionibus intellectus, & voluntatis, quibus Deus se ipsum, & intelligit, & amat, non est dubitandum, quin inter vera attributa enumerentur: etenim ad diuinam perfectionem spectat perpetuò esse in actu intelligendi, & amandi se ipsum, vt expressè docet Aristoteles 12. Metaph. c. 9. quem vide.

Fundamentum.

Pars affirm. vera.

7. Altera dubitatio de scientia simplicis intelligentiæ.

Dubitari tamen potest, nec sanè sine fundamento, an scientia Dei, quæ appellatur simplicis intelligentiæ, & terminatur ad creaturas, vt possibiles, dici debeat attributũ Dei? idem inquiri potest de amore Dei erga easdem creaturas in esse possibili apud eos, qui hũc amorem in Deo admittunt. Negat Molina prima parte quæstione 28. articul. 2. disputatione secunda, §. *Ex hactenus dictis.* Fundamentum est; quia, tàm cognitio, quàm volitio diuina, vt terminatur ad creaturas, solùm superaddit respectum rationis, qui nullam denotat perfectionem. Quarè licèt quælibet illarum actionum, vt ad Deum terminatur, dici debeat attributum: quia quælibet earum denotat perfectionem simpliciter; tamen proùt quælibet ad creaturas terminatur, vt sic non habet rationem attributi. Quam ego sententiam

Pars negãs ex Molina.

Fundamẽt.

Vera iudicatur. tiam verissimam puto: sicùt etiam verissimam puto sententiam, quę ideas à ratione attributi excludit: quæ fuit opinio D. Thomæ de veritate q. 3. art. 2. quam probat Torres de Trinitate q. 28. articul. 2. in 2. p. primæ disputationis, §. *Colligitur insuper*, fol. 48. colum. 4. quod longiorem postulabat disputationem.

D. Thom. Torres.

Reijciuntur tamen à ratione attributi in primis relationes personales, vt paternitas, filiatio, processio, generatio, tã actiua, quàm passiua, & vtroq; modo spiratio, & cęteræ, siquæ pertinent ad personas, vt esse ingenitum, esse genitum, spiratum, & aliæ: relationes enim, vel non dicunt formalem perfectionem (vt pleriquè volunt) vel si eam dicunt (vt alij malunt) non dicunt perfectionem simpliciter simplicem, qualis in diuinis est sola perfectio absoluta.

8. Quæ à ratione attributi reijciuntur.

Præterea reijciuntur omnia prædicata quidditatiua, constitutiuaque essentiæ: quia non significantur per modum formæ, actusque adiacentis; vt esse Deum: esse ens: esse substantiam: esse spiritualem, & viuentem. Ob quam rationem inter attributa suprà non enumerauimus subsistentiam: nam si sermo sit de subsistentia incommunicabili; illa est personalis, & relatiua: si verò sit sermo de subsistentia absoluta, & communicabili (qualis est subsistentia essentialis huius Dei) illa potiús pertinet ad constitutionem essentiæ, complementumque substantiale, quàm ad proprietates adiacentes, vt superiùs aduertimus art. 4. cum Ioanne de Salas ad 1. 2. q. 3. tract. 2. disput. 4. sect. 3. num. 19. ad 3: quo in loco reijcit existentiam à ratione attributi: cui ego subscribo; nam vel est prędicatum essentialiter constitutiuum essentię; vel si non est de intrinseca quidditate illius (vt idem Salas alibi asserit:) est tamen substantiale complementũ entitatis essentialis, vt & entitas. Ex eodem fundamento superiùs art. 6. à ratione attributi reiecimus nõ nulla prædicata negatiua; vt esse increatum esse independens: & esse incorporeum; quia licèt sua negatione significent perfectionem existentem in Deo; non tamen eam significant per modum adiacentis. Vide ibi.

9.

Salas.

Tertio loco reijciuntur prædicata, quę non necessariò, sed liberè, & veluti contingenter Deo conueniunt: siuè cõueniant ex tempore, vt esse dominum, creatorem, prouisorem, gubernatoremque rerum, & cęt. quæ ante mundi constitutionem non poterant de Deo enunciari: siuè Deo conueniant ab æterno, vt præscientia, prędestinatio, prouidentia, & similia: licèt enim ab æterno fuerint in Deo; in eo tamen liberè fuerunt, & subindè potuerunt non fuisse: si enim Deus noluisset mundum condere; nec in Deo fuisset præscientia futurorum, nec hominum prædestinatio, nulla denique ratio prouidentiæ circa mundi gubernationem. Quarè cum potuerint non fuisse in Deo, ex se nullam denotant perfectionẽ simpliciter; quia Deus nulla potuit sua perfectione priuari. 10.

Eàdem ratione attributum esse non potest, aut volitio huius, vel illius rei, v. g. Petri; aut scientia visionis huius, vel illius futuri: quia licet illi actus sint veræ perfectiones in Deo, & sint in sua entitate necessarij: tamen volitio, & visio, vt est volitio, & visio huius rei, potuit non esse: quia potuit Deus illam rẽ non creare. Quarè talis volitio, vt est volitio Petri, nullam denotat perfectionem in Deo; quia licet denotet actum diuinæ voluntatis, qui entitatiuè est necessarius: non tamen illum denotat simpliciter, & absolutè; sed cum extensione ad tale obiectum; siuè illa extensio sit relatio rationis, siuè aliquid aliud: quid quid enim illud sit, cum potuerit non esse, non est perfectio simpliciter: quod satis est, vt à ratione attributi reijciatur. 11.

Postremò à ratione attributi reijciẽda sunt prædicata, quæ formaliter puram negationem significant, nullam ex eo perfectionem etiam nobis ignotam innuendo; tale est vnum transcendens, vt latè ostendimus supra §. 4. Idem diximus de his prædicatis, simplex, actus purus; quanuis Suarius lib. 3. de Trinit. c. 11. nu. 3. affirmet neminem dubitare posse, quin sub nomine attributi comprehendantur: at tamen ea non comprehendi expressè docet Fonseca lib. 7. Met. c. 8. q. 2. sect. 3. litera E. & mirum est, quod admittat Suarius controuer- 12.

Duo prædicta reijciẽda.

Fonseca.

sum esse, an hæc prædicata perfectionẽ dicant; & simul affirmet inter Theologos dubitari non posse, an inter attributa sint comprehendenda: etenim eodem teste ibidèm n.2. plures sunt theologi, qui à ratione attributi reijciunt prædicata, quæ perfectionem simpliciter non dicunt: & hanc esse communiorem, & veriorem sententiam iudicauimus suprà ar. 7. Quarè hęc duo prædicata, *simplicitas, & actus purus* à ratione attributi absque vlla dubitatione excludenda sunt: quoniam si nullam denotat perfectionem (quia puram dicunt negationem, vt plures volunt) excludenda sunt iuxta doctrinam superiùs traditã, quæ communior est, & verior, quidquid Suarius eam non recipiat. Si verò denotant perfectionem (vt alij malunt) cũ eam denotent, non per modum qualificantis diuinam essentiam, sed intrinsecè illam modificantis; excluduntur à ratione attributi: etenim, tam simplicitas, quàm pura actualitas diuinæ entitatis, formaliter non dicunt aliquã entitatem nostro modo intelligendi superadditam diuinæ entitati; sed solùm dicunt modum positiuum intrinsecum entitati diuinæ. Cuius explicatio longiorem postulabat discussionem. Et hæc de ista q.4.

QVÆSTIO V.

De distinctione attributorum.

1. De distinct. attributorũ.

DEindè agendum est de attributorum distinctione, de qua duo inquiruntur. Primum de distinctione attributorum à diuina essentia. Deindè de distinctione eorum inter se.

Quod attinet ad primũ; quia de proposita difficultate varię sunt Theologorum sententiæ; quarum singulæ pro dignitate, & absque confusione explicari non possunt, nisi de singulis specialiter inquiramus; de singulis singulos excitabimus articulos. Primò igitur inquiremus; an attributa ita cum essentia omnibus modis sint idem, vt nulla distinctione, nec rei, nec rationis distinguantur? Secundò; vtrùm attributa realiter distinguantur à diuina essentia? Tertió; an ex natura rei actu distinguãtur ante omnẽ actum intellectus? Quartó; an actualem distinctionem solùm habeant per intellectum? Quintò; an actualem distinctionem solùm consequãtur per intellectum viatoris; an verò eã habere possint per intellectum diuinũ? Postremò; an à parte rei distinguantur distinctione virtuali? Quibus explicatis satis manebit explicata celebris ista difficultas.

Quę sunt inquirenda.

Sed ante omnia illud est hoc loco aduertendum, huic quæstioni locum esse, si attributum sumatur, proùt dicit perfectionem positiuam formaliter existentem in Deo more actus, veluti adiacentis: nec enim vlla potest esse dubitatio de attributis negatiuis; aut de illis, quæ solam relationem rationis important, si quis hæc ad rationem attributi admittat. Nam, quæ negatiua sunt, positiuè distingui non possunt, sed solùm negatiuè, hoc est, per negatiuam non identitatem. Quæ verò solùm superaddunt relationem rationis; realiter distingui nequeunt: imò nec realiter possunt identificari; sed distinguẽtur eo modo, quo ens rationis distinguitur à subiecto, cui per intellectum inest.

2. In quo sensu procedat quæstio.

ARTICVLVS I.

An attributa ita cum essentia omnibus modis sint idem, vt nec re, nec ratione ab ea distinguantur?

QVòd attributa omnibus modis sint idem cum essentia, vt nulla, nec rei, nec rationis distinctione ab ea distinguantur; primùm existimauit Aureolus in primo dist.8. quæst. 3. artic. 2. quem refert Capreolus ibi quæst.4.artic. 2. contra secundum: deindè Nominales, Ochamus in primo d. 2.quæstione 1. & 2. & ibi Gabriel quæstione 2. articul. 2. conclusione 1. & 2. Gregorius in primo distinctione 8.quęstione prima, & secunda, vbi etiam Maior quæstione prima, conclusione prima, & secunda; vt omittam Aliacum, & cæteros Nominales: apud quos, & apud Aureolum quæstio ista adeò est inuoluta, vt vix ex illis aliquid certi colligas.

1. Pars affirm.

Aureolus. *Capreolus.* *Ochamus.* *Gabriel.* *Gregor.* *Maior.*

Pro

2. præmissum 1. pro explicatione huius secretiæ. Pro explicatione tamen mentis nominalium præmittendum est 1. apud eos attributum attributalemq; perfectionem duobus modis accipi. Vno modo pro ipsa reali pfectione, quæ est in Deo. Altero modo pro signo, siue mentale sit siue vocale, aut scriptum, quod de Deo prædicat aliquam perfectionem simpliciter: eam scilicèt, pro qua supponit. Ità Ochamus in 1.d.2.q.2.litera F.& quodl. li.3.q.2.Gabr.in 1.d.2.q.2.ar.1.notab.1. & 3.Greg. in 1.d.8.q.2.in principio, vbi etiã Maior q.1.Petr⁹ de Aliaco in 1.q.6.ar 2.Marsilius in 1.q.12.ar.3.in principio.

Ochamus. Gabriel. Gregorius Aliacus. Marsilius.

3. 2. præmissũ Deinde præmittendum est apud eosdem Nominales attributum communiter nõ summi pro ipsa diuina perfectione, quę de Deo prędicatur. sed pro signo siue nomine de Deo prædicabili supponẽte pro perfectione, quam de Deo prædicat: perfectionem enim ipsam nollunt appellare attributum, nisi satis impropriè. Quare cum disputant de distinctione attributorum, vel inter se, vel à diuina essentia, non disputant de ipsa pfectione attributali, sed de nominibus eam significantibus: aliqua tamen dicũt de ipsa perfectione, vt in Deo est: quę sola ad nostrum pertinent institutum: quia nos ipsa nomina non appellamus attributa, sed ipsas perfectiones Dei significatas per nomina.

4. Omissis igitur ijs, quę tàm latissimè, quàm confusissimè, imò etiam sine necessitate disputant de distinctione nominum attributorum (quis enim vnquã dubitauit nomina, siue vocalia sint, siue scripta, aut mentalia non esse diuinam essentiam?) ea sola in hac quæstione expendemus, quæ scribunt de ipsa perfectione attributali significata per nomina attributorum.

5. Mens igitur, & sententia omnium Nominalium in hoc est posita, vt perfectiones (quas nos appellamus attributa) re, & ratione sint prorsꝰ indistinctæ à diuina essẽtia: ità, vt omni sublata distinctione, aut, rei, aut rationis omnibus modis sint essentia diuina; & ideò concludunt perfectiones istas, si propriè loquendum sit, non esse in diuina essentia, sed esse ipsammet essentiam diuinam. Ità inuenies apud Ochamum in 1.d.2.q. 1 & 2.vbi Gabr.q.2.ar.2.concl.1. & 2.& apud Greg. in 1.d.8.q.1. & 2.vbi etiam Maior q.1.concl.1.& 2.vt omittam cæteros nominales. Qui omnes distinctionem attributorum, tàm inter se, quàm ab essentia solúm agnoscunt in ipsis nominibus, quę sola simplicitervocant attributa. Distinguũtur autem, tàm inter se, quàm ab essentia, vel se ipsis, vt putat Ochamus, vbi suprá q.2.litera G.in medio: vel per diuersa cnonotata, vt volunt Greg.Maior, Gabr.& cæteri.

Ochamus. Gabriel. Gregorius. Maior.

Hanc sententiam confirmant, tùm auctoritatibus, tùm etiam rationibus. Auctoritatibus quidèm, quoniam apud Augustinum in Deo, non aliud est sapiẽtia, & aliud essentia: imó Deus eò est sapiens, & iustus, quò est Deus, vt patet ex 6.de Trinitate c.4.& 5.& ex lib.7.c.1.& ex lib.15 c.5.6. & 17. Optima sunt verba, quæ habentur in d.c.17. *In illa Trinitatis simplici natura non sit aliud substãtia, & aliud charitas: sed substãtia ipsa sit charitas, & charitas ipsa sit substantia* facit, quoniam ex D. Anselmo, & alijs patribus, quos in sequẽti ar. referemus, nominibus attributorũ idem significatur. Quod verò distinctio attributorũ solũ reperiatur ratione no minũ probant autoritate Origenis in c. 10. Hieremiæ ad illa verba: *Qui fecit terrã in fortitudine*, vbi teste Magistro in 4. d. 46.litera C.in fine ità scribit: *Omnia, quæ Dei sunt, Christus est: ipse sapientia eius, ipse fortitudo, iustitia, sanctitas, ipse prudentia, ipse veritas. Sed cum vnum sit in subiacenti pro varietate sensuũ diuersis nuncupatur vocabulis: aliud enim significat sapientia, aliud iustitia: quando enim sapiẽtia dicitur, disciplinis te diuinarũ humanarũq; rerũ instruere intelligitur: quãdo iustitia, distributor, vel iudex meritorũ insinuatur.* Ecce quòd in Deo à parte rei est vnũ, pro varietate sensuũ diuersis nũcupatur vocabulis. His Origenis verbis motus Magister loco citato expressè asserit *in Deo idem prorsus esse, iustum, & iustitiam: misericordiam item & iustitiam esse omninò idem.* Obijciens autem sibi de operibus Dei scribi in sacra Scriptura, quòd quædã sunt misericordiæ, quædam iustitiæ, respondet his verbis: *bis responderi potest sic; illis locutionibus, quibus huiusmodi operum fiunt distinctiones, vt alia misericordiæ, alia iustitiæ, alia bonitati tribuantur: non diuersitas subiacentis, id est, rei bis vocabulis significatæ exprimitur; sed varietas sẽsuum, & effectuum in creaturis monstratur.* Ex quibus verbis concludunt Nominales apud Magistrum rem significatam per

Gabriel. Gregorius. Maior.

6. Confirmatur hæc sentẽtia auctoritatibus. *Ex Aug.*

Ex Anſ.

Ex Orig.

nomina attributorum non esse aliam,& aliam,sed prorsùs eandem: nomina autem esse diuersa propter diuersa cõnotata.

7. Præcipua ratio. Rationibus id etiam ipsum latissimè cõfirmant. Earum vis in hoc est posita; quoniã inter essentiã, & attributa nulla potest dari distinctio, aut rei,sine intellectu:aut rationis per intellectum.Ergò omnibus modis sunt idem. Consequentia patet. Priorem partem antecedentis latissimè probant Ochamus in 1. d. 2.q.1.& ibiGabr.q.1.Greg.in 1.d.8.q.1. Posteriorem autem non paucioribus medijs idemmet confirmant, Ochamus inquam,& Gabr.locis citatis, vterq; q. 2.& 3.Greg.item vbi suprà q.2.ar.1.vbi Maior q.1.concl. 2. quam etiam latissimè confirmat Aureolus apud Capreolum,vbi suprà.Præcipua vtriusquè partis argumenta adducemus inferiùs q.5. ar.7.§.2.& 3.

8. Reijcitur hæc sententia. Hãc Aureoli,& Nominalium opinionem, non solùm reijciunt omnes vtriusq; scholæ,Thomisticæ scilicèt,& Scoticæ sectatores; sed etiam omnes alij, qui nulli scholæ addicti eam doctrinam sequuntur, quam probabiliorem iudicant: omnes enim quotquot hac de re scripserunt,admittunt aliquam dari distinctionem inter essentiam, & attributa:controuertunt autem, àn illa distinctio sit rei,àn verò rationis.A Nominalibus dissentit etiam Marsilius in 1. q. 12.ar.3.in 2.p.articuli,si diligentiús expendantur,quæ ibi scribit. Contra Aureolum, & Nominales specialiter scribunt Torres de Trinitate q.28.ar.2.disp. 1.in 1.p.disputationis fol.45.col.3.& in 2.p.concl.3.fol.47.col. 3. vbi etiam Cumelius q. 7. concl.3. pag. 841. column. 1. & Bellomontanus 1.part. disput.117. cap.1.

Marsilius. *Torres.* *Cumelius.*

9. Et quanuis doctissimi theologi putent superuacaneum esse hanc Nominalium opinionem impugnare(vt quia supponãt sola nomina esse attributa; quod non potest nõ censeri ridiculum:recurrantquè in difficultatibus ad solam nominum distinctionem, & ad eas, quas pro libito excogitant,inutiles eorundẽ nominum connotationes) tamen non erit inutile aliqua adducere, ex quibus illorum opinio ostendatur manifestè absurda.

10. Primum fũdamentum contra Nominales. Primum autem fundamentum inde sumendum est dari plura attributorum nomina, quæ nec inter se nec in ordine ad essentiam sint synonima. Ex quo, si peripatetica doctrina seruãda est, non potest non inferri aliquam in re significata admittẽdam esse distinctionẽ:nam quæ nomina significant id,quod omnibus modis est idem; illa omnium consensu sunt verè synonima. Sed respondent Nominales,vt nomina non sint synonima: satis esse,si significent eandem rem cum diuersa connotatione: siquidẽ diuersitas terminorum sumenda est, nõ ex diuersitate rei significatę, sed ex diuersitate connotatorum. Nomina autẽ attributorum, licèt significent eandem diuinam essentiam omninò indistinctam: eam tamen significant cum diuersa connotatione. *Euasio.*

11. *Eluditur.* Sed mirũ profecto est,quòd isti theologi in explicandis diuinis perfectionibus recurrant ad nominum cõnotationes,quas ipsi pro suo tantum libito sine vlla,aut ratione, aut actoritate confingunt contra communem patrũ,& theologorum sensum. Vndè ista nominum theologia à communi schola iam diu est relegata: & meritò, quia nominum connotationes, quas fingunt,rem potiꝰ confundunt,quàm explicant.

12. Præterea inquiro;àn istę cõnotationes rerum extrinsecarum (quas in attributis commentantur) denotent aliquam rationem perfectionis repertam in rebus cõnotatis,quam ex vi illius cõnotationis in Deũ transferant: án verò nullam denotent? Si nullam:quęso,quid hę nominum connotationes conducant ad explicandam diuinæ essentiæ perfectionem? Etenim attributorum nomina adinuenta sunt gratia explicãdæ alicuius perfectionis in Deo. Porrò si denotant aliquam perfectionis rationem, quę in Deum transferatur;iam infertur essentiam diuinam, vt significatur per talem vocabuli connotationem,significari sub alia ratione reperta in diuina essentia, quàm significetur per connotationem alterius nominis. Quare velint,nolint,tenẽtur admittere pluralitatẽ perfectionũ aliquo modo reperiri in essentia diuina,saltèm virtualiter,& fũdamentaliter. V. g. hæc duo nomina sapientia,& iustitia,apud istos theologos differunt

differunt, non quidèm re significata; quia per vtrunque significatur eadem diuina essẽtia eodem modo sumpta; sed connotationediuersa: quatenus scilicèt nomen *iustitia* significat diuinam essentiam connotando iustitiam creatam, cui proprium est suum cuique reddere: & eandem diuinam essentiam significat nomen *sapientia* connotando sapientiã creatam, cui proprium est res cognoscere, & omnia debitè ordinare. Iam inquiro; àn illud nomen *iustitia*, ideó ex impositione connotet iustitiam creatã reddentem vnicuique, quod suum est, vt denotet perfectionem illam creatæ iustitiæ etiam reperiri in Deo? Si id non denotat: non potest nomen istud inter diuina attributa numerari: quia cõstat attributa fuisse à theologis excogitata vt diuinas perfectiones explicarẽt. Porrò si denotat: profectó iam nõ significat diuinam essẽtiam sub eádem perfectionis ratione, sub qua significatur per cõnotationem nominis *sapientia*.

13. 3 fundamẽtum ex sacris literis

Deinde ex sacris literis probare possumus inter essentia, & attributa dari aliquam distinctionem: nam ex illis cõstat Filium per ęternam generationem plura accepisse à Patre: accepit autem essentiam, & attributa. Ergò essentia, & attributa simpliciter dici debent plura pluralitas autem non datur sine aliqua distinctione. In hoc discursu sola maior est probanda: probatur autem apertissimè ex illo Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Quem locum de ijs, quæ Filius habet à Patre per æternam generationem intellexerunt Hilarius, & Euthymius teste Maldonato in eodem loco n. 27. In eodem sensu ijdem patres intelligunt illa verba Ioan. 17. *Nunc cognouerunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt.* Sed quia duo isti loci plures alias patiuntur interpretationes, & fortè ad literam magis accommodatas; addimus locum apertissimum Ioan. 16. *Omnia, quæ Pater habet, mea sunt.* Quę verba omnium patrum consensu intelligũtur de ijs, quę Pater Filio per æternam generationem communicauit: nam ex his verbis vrgẽtissimum argumentum ad expugnandã Arrianam hæresim sumpserunt Athanasius, Epiphianus, Nazianzenus, Didymus, Idacius, Cyrillꝰ. Augustinus, Theodorus Mopsuestensis, Leontius, Theophylactus, & plures alij, quos refert Maldonatus ibi n. 15. Non est igitur dubitandum ea, quę Filius per æternam generationem accepit à Patre, dici posse plura. Accepit autem essentiam, & ea, quæ per nomina attributorum à nobis nostro modo significantur. Iam rogam Nominales; àn Filius accepit nomina cum suis connotationibus; àn ea, quæ per nomina significantur? àn ità desipient, vt dicant Filium à Patre per ęternam generationem accepisse nomina? quod si accepit, quæ per nomina significãtur, & quę verè per generationem sũt Filio communicata; vtiq; illa erunt aliquo modo plura, & subinde distincta. Quomodo autem distinguantur; id inquirimus.

Matth. 11 *Hilarius.* *Euthymius* *Maldon.* *Ioan. 17.* *Ioan. 16.* *Athanas.* *Epiphan.* *Nazianz.* *Didymus.* *Cyrillus.* *Augusti.* *Leontius.* *Theophylactus.* *Maldonat.*

14. 3. ex Aug.

Tertiò maximè vrgent verba Augustini lib. 6. de Trinit. cap. 14. *Deo hoc est esse; quod fortẽ esse: aut iustũ esse: aut sapientẽ esse: & si quid de illa simplici multiplicitate, & multiplici simplicitate dixeris, quo substantia eius significetur.* Quæ verba satis denotant substantiam ipsam diuinam (quę est res significata per nomina attributorum) ità esse simplicem, vt multiplex dici debeat quare ex Aug. euidenter constat in diuina essentia cum summa simplicitate agnosci aliquam multiplicitatem: quæ multiplicitas inesse non potest, nisi in ordine ad suas perfectiones, & attributa. At vbi datur fundamentum multiplicitatis, vtique dandum erit fundamẽtum distinctionis. Sed de his Augustini verbis inferiùs ar. vlt. plura dicemus. Nunc ea adducimus, vt probemus apud Augustinum diuinam essentiam in ipsa sua summa simplicitate aliquam admittere multiplicitatem: multiplicitas autem non omnem respuit distinctionem, sed aliquam admittit: & hanc inquirimus.

15. 4. ex Bern.

Quartò loco euidentissima sunt verba D. Bernardi lib. 5. de consideratione ad Eugenium ante medium: *multa* (inquit) *dicuntur esse in Deo: & quidèm sanè, catholicèquè: sed multa vnum.* Ecce ex D. Bernardo sanum est, atque catholicum in Deo inesse plura; ità tamẽ, vt illa plura in Deo sint vnum. Concinit igitur dictum Bernardi cum simplicitate, & multiplicitate, quam Aug. agnoscit in diuina essentia. Quomodo autem pluralitas ista cum vnitate simul stare queat? inferiùs

riùs explicabimus: nunc dicimus, quæ realiter sunt vnum, virtute esse posse plura: & subinde per intellectum posse
16. concipi, vt actu plura.

Ex dictis iam patet verisimam omninò esse communem sententiam, quæ contra Nominales affirmat essentiam Dei non ità esse omnibus modis idem cum attributis, vt inter ea omnis excludatur distinctio, vel rei, vel rationis: actualis, aut virtualis. Quæ autem istarũ admitti debeat; in sequentibus articulis diligentiùs expendemus.

17. Adprimam cõfirmationem ex auctoritatibus

Nec aliquid efficiunt, quæ Nominales adducunt in confirmationem suæ sententiæ. Nam, quæ ex Aug. & cæteris patribus adducuntur, facilem habent sensum: solùm enim probant inter essẽtiam, & attributa nõ dari realem distinctionem, quod libenter admittimus, vt in sequenti arriculo contra Gualterum demonstrabimus. An verò probent nullam dari distinctionem ex natura rei ante omnem operationem intellectus expendemus ar. 3.

18. Origenes autem, & Magister potiùs sunt pro nobis: quoniam varietas sensuum, quam admittunt, idem est, quòd varietas conceptuum, tàm formalium, quã obiectiuorũ, quibus id, quod á parte rei in sua entitate est vnum, subijcitur, dũ à nobis in adequatè percipitur; vndè varijs vocabulis à nobis significatur: nomina enim significant res mediantibus conceptibus. Quare si aliqua res in se vna, & eadem diuersis modis à nobis concipitur; diuersis etiam nominibus à nobis significatur: res enim nõ significatur præcisè, vt est à parte rei; sed provt est in nostra cognitione, fũdata tamen in ipsa re: de quo plura inferi'.

19. Comment. Cum Origene, & Magistro concinit Commentator 12. Metaph. com. 38. dũ ait: *in ijs, quæ sunt forma non in materia, dispositio, & dispositum* (hoc est, prædicatum, & subiectum) *reducuntur ad vnum in esse, & duo in consideratione.* Nec satis est, si cum Greg. & Nominalibus respondeas Cõmentatorem ibi solùm agere de nominibus, non verò de rebus: id enim falsissimum est: quoniam schola peripatetica, sicut non in solis nominibus admittit prædicationem, sed etiam in rebus provt sunt in intellectu: ità etiam non solùm in nominibus admittit compositionem factam per intellectum; sed etiã in ipsis rebus. Immò in ipsis rebus, pro vt obiectiuè sunt in intellectu, principaliter admittit, tùm prędicationem, tùm compositionem; in vocibus autem, & terminis solùm instrumentaliter, vt latè cõtra Nominales ostendit Capreolus in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. ad 27. Aureoli contra secundam fol. 125. col. 3. & 4. idque ex sententia eiusdem Commentatoris, & Linconyensis multis in locis. De quo multa scribunt logici, tùm apud Porph. tùm apud Arist. in prædicamentis, qua de re nos ibi latè diximus. *Capreolus*

Ad fundamentum sumptum ex ratione negandum est antecedens; quoniã, vt ex sequentibus articulis patebit, inter attributa, & essẽtiam dari potest distinctio ex natura rei, non actualis, sed virtualis: in qua fundatur actualis, quam facit intellectus. Quæ autem contra hanc resolutionem Nominales obijciunt, ibi diligentiùs explicabuntur. 20. Ad rationẽ

Si verò obijciant simplicitatem diuinam, maiorẽ esse futurã, sinulla in ea admittatur multiplicitas, aut rei, aut rationis, actualis, vel virtualis: neganda est propositio; quia simplicitas sine multiplicitate virtuali potiùs arguit imperfectionem, quàm perfectionem: siquidẽ tollit eminentialem continentiam in diuina simplicitate, de quo inferiùs plura sunt dicenda. 21. Obiectio. Solutio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm attributa diuina realiter distinguatur ab essentia.

CVm iam cõstitutum sit contra Aureolum, & Nominales admittendam esse aliquam distinctionem inter essentiam, & attributa: supereſt, vt ostendamus, quęnam distinctio inter illa admittenda sit. 1.

§. 1.

Summatim referuntur varia genera distinctionum.

SEd quoniam plura sunt distinctionum genera; operæ pretiũ erit omnia summatim referre, vt omni sublata æquiuocatione singula percuramus; ità enim fiet euidentius, quænam distinctio

distinctio inter essentiam, & attributa admitti debeat.

3. *Sotus. Fonseca.*

De varijs distinctionum generibus inter alios latè scribit Sotus in prædicabilibus q 3. de vniuersalibus ar. 2. & in c. de proprio q. 2. latiùs Fonseca in 5. Metaph. c. 6. q. 6. & Suarius in sua Metaph. disp. 7. sect. 1. Varij sunt dicēdi modi

4. 1. opinio. *Heruæus. Durandus Gandau. Soncinas. Sotus Cumelius. Valentia.*

Prima opinio distinctionem diuidit in realem, & rationis; nec vllam distinctionem mediam inter vtranque admittit. Ità docuerunt Heruæus quodlib. 1. q. 2. ar. 3. & quodlib. 3. q. 3. Durandus in 1. d. 2. q. 2. & d. 33. q. 1. Ex Metaphysicis idem probauerūt Ioannes de Gandauo in 6. Metaph. q. 10. Soncin. 7. Met. q. 36. latè id probat Sotus locis citatis affirmans ante Scotum omnes Philosophos hanc admisisse opinionem. Ex nouioribus idem probauerunt Cumelius 1. p. q. 28. ar. 2. concl. 2. & post eum Valentia 1. tom. disp. 1. q. 5. punct. 1. pag. 136. §. *notatur* & q. 13. punct 3. pag. 280. & disputatione 2. q. 13. punct. 1. pag. 856. litera C. Bellomontanus hanc sententiam ità putat esse certissimam, vt dicat mediam distinctionem inter has duas omninò esse cōmentitiam. Ità scribit 1. p. disp. 116. c. 5. n. 25. citari solet à nonnullis Caietanus 1. p. q. 54. ar. 2. sed nihil apud eū inuenio quin potiùs citari solet pro hac sententia Scotus apud Porphyrium q. 3. de vniuersalibus.

5. In quo sensu hæc opinio admittenda.

Ego hanc opinionem libenter amplecterer, si nomine distinctionis realis intelligenda veniat omnis distinctio, quæ reperitur in rebus sublata omni intellectus operatione; ità vt omnis distinctio dicatur realis, quæ sine intellectu datur: rationis verò, quæ solùm actu reperitur in re, provt est in intellectu, facta in ea per intellectus operationem. Auctores tamen citati distinctionem realem non ità explicant: sed eam solùm realem appellant, quæ datur inter rem, & rem; in quo sensu distinctio realis sumitur prorijssimè, & strictissimè. At in hoc sensu verior est sententia, quæ inter distinctionem realem, & rationis mediam agnoscit, quę, nec realis sit, nec rationis. Nam admittendam esse distinctionem modalem (quæ datur inter rem, & modum rei) mediam inter realem, & rationis ferè omnes Philosophi, & Theologi fatentur. Ità docent Scotistæ, qui modū essendi appellant gradum essendi intrin secum: idem docet Fōseca in 5. Metaph. c. 6. q. 6. sect. 2. & post eum Suarius in Metaph. disput. 7. sect. 1. n. 16. & 20. Cursus Conimb. ad prefationem Porphyrij q. 4. ar. 2. post principiū. Nec hāc distinctionem reijcit Bellomontanus 1. p. disput. 116. c. 5. n. 25. quo in loco admittit hanc distinctionem modalem, eam tamē sub reali comprehendit: realis enim distinctio (vt ait) habet latitudinem, vt extendatur ad modū realem rei. Interest tamen inter Bellomontanum, & Suariū ex vna parte, & cæteros, quos citauimus: nam duo illi in hoc vno cōueniūt, vt prę ter distinctionem modalem nullam aliā admittant mediam inter realem, & rationis: quod Suarius in citato loco Metaph. multis ostendit, & tanquam certissimum supponit lib. 1. de essentia Dei c. 10. n. 4. & hanc sententiam Bellomontanus, vbi suprà ità putat verissimam, vt dicat omnem aliam mediam distinctionem esse commentitiam.

Fonseca. *Bellomont*

Sed omissa viri larga in loquendo licentia, ego puto longè probabilius esse præter distinctionem modalem dari distinctionem mediam inter realem propriè sumptam (quę est rei ad rem) & rationis: nimirum distinctionem formalē, tàm actualē, quám virtualem inter duas formalitates, duosque formales essendi gradus. Puto igitur longè esse probabilius agnoscere in vna, & eàdem re duas formales entitates, quæ licèt realiter sint idem: actu tamē, aut virtute formaliter distinguūtur secluſa omni intellectus operatione. Hanc opinionem aliquibus recentioribus placuisse refert Fonseca lib. 5. Metaph. c. 6. q. 6. sect. 1. in principio, & latiùs sect. 2. post principiū postea eandē probauit Cursus Conimb. in 4. q. vniuersalium ar. 2. §. *Id quo manifestius*. Et hæc sententia communiter tribuitur Scoto, & Scotistis.

6. Distinctio formalis admittitur.

Fonseca.

Et quanuis de hoc dubitet Suarius loco citato n. 13. (tùm, quia Scotus non satis explicat, an distinctio, quam formalem vocat, sit actualis in re, vel tantùm fundamentalis seu virtualis: tùm etiam, quia inter Scoti sectatores est varius opinandi modus; dùm aliqui existimant distinctionem formalem apud Scotum nō esse aliam à distinctione rationis ratiocinatæ quanuis, inquam, de hoc dubitet

7.

Verior sententia.

bitet Suarius; non puto posse hac de re dubitari: quia, & Scotus satis sufficienter se ipsum explicauit: & nullus est Schotistarum (quem viderim,) qui formalem distinctionem, actualem non agnoscat ante quancunquè operationem intellectus, & subinde distinctã à distinctione rationis ratiocinatæ: hæc enim actu non datur, nisi per intellectum. Et quanuis Herrera (de quo solo dubitari potest) hanc distinctionem formalem actualem non admittat inter essentiam & attributa, vt ex tertio ar. patebit; eã tamen expressè admittit, non solùm inter gradus metaphysicos, qui in ente creato prędicamentali reperiuntur, vt patet ex 1. tom. disp. 14. q. 3. notab. 3. pag. 476. col. 1. sed etiam indiuinis inter paternitatem, & spirationem actiuam, vt videre est apud eundem in eodem 1. tom, disp. 8. q. 14. si expendantur, quæ ibi scribit concl. 3. 4. & 5. & in vltimis verbis totius corporis. Deniquè Scoti sectatores communi calculo agnoscere distinctionem formalem actualem ante omnem intellectum, satis patebit ex dicendis in sequenti articulo, & satis euidenter colligitur ex ijs, quæ docent de distinctione prædicamentorum: relationis à proximo fundamento: passionis à suo subiecto: & deniquè graduum metaphysicorum, qui in vnaquaque specie, & in singulo quoque indiuiduo reperiuntur: in his enim communis Schotistarum sententia, nemine excepto, admittit distinctionem, non realem, sed formalem actualem ante omnem operationem intellectus, vt inter alios explicat Cursus Conimb. in præfatione Porph. q. 4. ar. 2. §. *his præmissis*. Quare si generaliter, & absolutè loquendũ est, nõ est negandum celebrem esse apud Scotistas sententiam præter distinctionem realem inter rem, & rem, & distinctionẽ rationis admittendam esse distinctionẽ formalem, etiam actualem distinctam à distinctione rationis raciotinatæ.

8. Scoti sententia fuisse ostenditur.

Et hanc fuisse sententiam Scoti sine fundamento dubitatur: Scotus enim nõ semel sed iterũ, atque iterum verbis expressis hanc mediam distinctionem admittit. Clarissima sunt verba, quæ scribit in 1. d. 2. q. 7. litera F F. agens enim de distinctione essentiæ á relationibus personalibus ità ait: *Dico sine assertione, & præiudicio sententiæ melioris; quòd ratio, qua formaliter suppositum est incommunicabile, & ratio essentiæ, vt essentia habent aliquam distinctionem præcedẽtem omnem actum intellectus, tàm creati, quàm increati.* In eodem lib. 1 d. 8. q. 4. §. ad quęstionem litera Q. agens de distinctione attributorum ità inquit *Est ergò ibi distinctio tertia præcedens intellectum omni modo: & est ista, quòd sapiẽtia est in re ex natura rei, & bonitas est in re ex natura rei: sapientia autem in re formaliter non est bonitas in re.* Hęc omnia eodem modo repetit in 1. d. 5. q. 2. litera M. §. *qualiter autem stat.* Ex quibus patet apud Scotũ inter essentiam, & attributa non dari distinctionẽ per intellectũ. Et cũ Scotus concedat eã nõ esse realẽ, quæ est rei à re omninò admittit distinctionẽ mediã ex natura rei.

9. Euasio ex Herrera.

His tamen Scoti locis respondet Herrera, vbi suprà disp. 8. q. 13. in fine ad argumenta pro quarta sententia Scotum se ipsum satis explicasse; nam in d. q. 7. loco citato planè docet se agere de distinctione rationis, non cuiuscunque, sed ratiocinãtis, ità enim ait: *Et intelligo sic realiter, quòd nullo modo per actum intellectus considerantis.* Iam verò distinctionem illam formalem actualẽ præcedere omnem actum intellectus ratiocinantis nõ impedit, quod ista distinctio sit rationis ratiocinatæ. Deinde vrgẽtiùs, vt putat: quoniam Scotus in d. q. 7. litera HH. resolutoriè docet, quid sentiat in hac quęstione: inquirens enim, an distinctio illa formalis, quam sine vllo actu intellect" admiserat ibi litera FF. vocãda esset realis? adductis duabus responsionibus adiungit tertiam inquiens: *Vel alio modo potest vocari differentia virtualis: quia illud, quod habet talẽ distinctionem in se, non habet rem, & rem, sed est vna res habens virtualiter, siue eminenter, quasi duas realitates, quia vtriquè realitati, vt est in illa re, competit illud propriũ, quod inest tali realitati, ac si ipsa esset res distincta: ità enim hæc realitas distinguit, & illa non distinguit; sicut si ista esset vna res, & illa alia.*

10. Refutatur.

Sed nec vna, nec altera responsio est apud Scotistas admittenda, quidquid reclamet Herrera. Primam responsiorem esse omninò friuolã euidenter ostẽdũt verba Scoti superiùs allata: Scotus enim in d. q. 7. litera FF. manifestè excludit omnem actum intellectus; tàm creati, quàm increati. Quæ verborum vniuersitas excludit omnem actum rationis,

nis, tàm ratiocinantis, quàm ratiocinatæ. Vtrunque etiam excludunt verba adducta ex distinct. 8. Primò; quia manifestè explicant distinctionem, de qua Scotus agit præcedere intellectum omni modo. Quod nihil aliud est, quàm eã præcedere omnem considerationẽ, tàm ratiocinãtem, quàm ratiocinatam. Deindè ex illis verbis satis patet Scotum agere de distinctione, quę ex natura rei est formaliter in re: hæc autem non est distinctio rationis ratiocinantis; quia hæc omnium consensu reperitur in re, proùt est apud intellectum quoad aliquid iam negotiata. Verba autem, quæ in contrarium adducũtur, non posse soli rationi ratiocinanti accõmodari nullus dubitabit: nec enim sola ratio ratiocinãs considerat, sed etiam ratio ratiocinata. Vndè Scotus in verbis immediatè sequentibus vtrunque actum intellectus excludit, vt iam expendimus.

11. Secundam responsionẽ esse satis alienam à mente Scoti ex eo primùm patet; quoniam Scotus in illis, si diligentiùs illa expendantur, solùm admittit distinctionem realem virtualem; ita vt vna, & eadem res realis possit eminenter, siuè virtualiter esse duæ res. Quem sensum manifestè explicant illa verba: *atque si ipsa esset res distincta*. Illa etiam: *sicùt si ipsa esset vna res, & illa alia.* Iam verò distinctio realis virtualis secùm admittit actualem distinctionem formalem. Quin potiús, si mens Scoti expendatur, distinctio realis virtualis fundatur in actuali distinctione formali duarũ formalitatum, quæ realiter sunt idem: etenim illa res realiter vna ratione distinctarum formalitatum, quas in se vnitè continet, potest diuersa operari, atque, si esset actu plures res. Quarè ex verbis citatis non benè infertur Scotum admittere distinctionem formalem virtualem: nec enim Scotus admittet vnã, & eandem rem, si à parte rei vnam tantùm habuerit formalitatem, esse posse virtualiter plures res.

12. Deindè in hoc hallucinatur Herrera, quod insinuat Scotum resolutoriè explicasse suam sententiam adhibita illa distinctione virtuali; in quo etiam defecit Suarius, vbi suprà num. 13: etenim Scotum suam sententiam non explicasse in sensu distinctionis virtualis euidẽtissimè probant verba, quæ affert in d. q. 7. litera HH. ita enim habent: *Breuiter igitur dico, omittendo illa verba de distinctione virtuali; non quia malè dicta sint; sed quia non oportet eis vti: dico, quòd in essentia diuina ante actum intellectus est entitas A; & est entitas B. & hæc non est formaliter illa.* Ecce Scotus disertis verbis fatetur in explicãda sua sententia se vti nolle distinctione virtuali: non quòd falsa sit; sed quia ad explicandam suam sententiam non est necessaria. Ergò quandò in verbis adductis concludit entitatem A. ante actum intellectus non esse formaliter entitatẽ B; procùl dubio fatetur illam entitatem actu non esse formaliter aliam: nam si intellexisset eam non esse aliam virtute; vtique non omitteret distinctionem virtualem, sed ea vteretur, tanquàm necessaria ad explicandam suam sententiam. Quarè euidenter, & ad oculum (vt dicitur) demonstratur Scotum ea, quæ de distinctione, siuè non identitate formali, tàm in multis locis docuit, intellexisse de distinctione formali actuali; non verò de formali virtuali.

13. Quod etiam licet colligere ex eodẽ Scoto in d. q. 7. litera HH. §. *vel vt proprijssimè dicatur*: vbi adducta opinione de distinctione virtuali tertiam refert opinionem, cuius dicendi modum appellat proprijssimum, quæ in vnitate simplicitatis (quæ est identitas realis) admittit realitatem, quæ formaliter sit alia, idque ante omnem actum intellectus. Quæ opinio cum ab Scoto referatur, & approbetur, vt distincta à præcedente, quæ distinctionem virtualem admittebat; vtique non est intelligenda de distinctione virtuali, sed de actuali, de quo iterùm dicemus q. 12. artic. 3. §. 1. vide ibi. Quarè concludendum est Scotum omni procul dubio admittere distinctionem formalem, tàm actualem, quàm virtualem mediam inter distinctionem realem, & rationis.

14. Diuisio distinctionis in cõmuni. Hac igitur præsuppositа opinione distinctionem in communi ita licebit diuidere; vt omnis distinctio, vel conueniat rebus absque vlla intellectus operatione: vel solùm conueniat rebus, pro vt sunt in intellectu, facta ab ipsa operatione intellectus. Hæc diuisio, cũ fiat per membra contradictoria non potest non admitti.

15. Distinctio prioris generis ab aliquibus appellatur realis nomine rei proprijssimè sumpto; quia hanc solam sine intellectu admittunt. Sed hanc opinionem iam reiecimus. Quarè alij, qui in hoc membro latitudinem agnoscunt, eam appellant realem, nomine rei latissimiè fuso. Sed ad tollendam æquiuocationē dicatur distinctio ex natura rei. Nec sine optimo fundamento: quoniam distinctio, quæ ante omnem actum intellectus reperitur in aliqua re, non potest eidem rei non conuenire ex natura ipsius rei. Quarè omnis distinctio, vel est distinctio ex natura rei: vel est rationis.

16 Subdiuisio. Distinctio porrò ex natura rei in cōmuni, & generaliter sumpta, vel ex ipsius rei natura excludit omnem realem identitatem inter membra distincta: vel non excludit, sed ex sua natura, non solùm admittit, sed etiam requirit realem identitatem eorum, quæ distinguūtur. Prior distinctio simpliciter dicitur distinctio realis; quia est distinctio rei à re: qualis datur inter duos lapides, & vniuersaliter inter duo supposita. Talis etiam datur inter partes integrantes alicuius substātiæ corporeæ, & multis alijs modis. Et hæc distinctio est maxima omnium distinctionum: quanuis suam etiam habeat latitudinem.

17. Posterior distinctio immediatè diuidi debet in distinctionem formalem, & modalem. Modalis datur inter rem, & modum realem essendi eius: qualis reperitur inter essentiam, & existentiam, iusta veriorem sententiam. Similiter inter existentiam accidentis, & suam actualem inhærentiam, vt docent, qui meliùs sentiunt. Datur etiam pluribus alijs modis. Formalis distinctio datur inter duas formales entitates, siuè realitates, duosque positiuos essendi gradus: vt inter relationem, & proximum fundamentum, vt verior habet philosophia: inter actionem, & passionem, vt plures docent: denique inter gradus metaphysicos, qui in eádem specie, eodemque indiuiduo reperiuntur, vt inter animal, & rationale, & cæt. Quam sententiam, tanquàm veriorem supponimus.

Formalis distinctio duplex. Hæc formalis distinctio adhùc diuiditur: quædam enim est actualis; & alia virtualis. Actualis est illa, quæ actu ante omnem intellectus operationem reperitur: virtualis autem; quæ non actu, sed solùm virtute intellectus operationem antecedit.

18. Porrò distinctio, quæ actu in rebus datur per solum intellectum, communiter diuidi solet in distinctionem rationis ratiocinantis, & distinctionē rationis ratiocinatæ. De vtraque hac distinctione plura dicemus art.5. Singula ista distinctionum genera in sequentibus articulis percurremus, & de singulis adhùc aliquid dicemus. In hoc igitur secundo artic. inquiremus; an essentia distinguatur ab attributis distinctione reali, qua res à re distinguitur?

§. 2.

Refertur sententia quædam affirmans.

19. Distinctio realis quas conditiones requirat? INter omnes conuenit distinctionem realem illam esse, qua aliquid ab alio distinguitur, vt res vna ab alia re. Verùm quænā requirantur, & sufficiāt, vt hoc distinguatur ab illo, vt res à re. Dubium est. Et quanuis Bellomontan° 1.p.disp.116.c.5.n.25. insinuet satis ad hoc esse, si duo omni operatione intellectus secluſa distinguantur; velitque in suo indice verbo distinctio se id ex Aristotele, Aug. & D.Bernard. demonstrasse: id tamen non sufficere, meliùs, & doctiùs aduertit Fonseca in 5. Metap. c.6. q.6.sect.1.post principiū: patet enim ex dictis multa distingui sine operatione intellectus, quæ realiter non distinguūtur, vt res à re.

Explicatio Bellomont. Improbat.

20. Quæ autem ad hanc distinctionē requirantur, & sufficiāt? multi multa scribunt, vt patet ex ijs, quæ latè scribit Fōseca, vbi suprà sect.1. & post eum Suari° in Met. disp.7.sect.1.n.1.& 21: quod tamē exactiùs hoc loco explicare ad præsens institutum haud est necessarium. Quarè satius erit hāc distinctionē exēplis potiùs, quàm descriptionibus declarare: quod fecit Cursus Conimbr.q. 4.ad præfationem Porphyrij art.2.post principium. Distinctio igitur realis rei à re est illa, quæ cernitur inter duo supposita, vt inter duos homines, duos lapides, & cæt: illa etiam, quæ cernitur inter partes, tàm physicas, vt materiam, & formam, quàm integrantes, vt inter manum,

Fonseca. Exēplis rei declaratur.

manum, & caput, inter totum, & partes, saltèm diuisiuè sumptas. De distinctione reali duorum accidentium: exempla non afferimus: tùm quia maiori speculatione opus erat: tùm etiam, quia in Deo nulla reperiuntur accidentia: sed quidquid in eo est, substantia est.

21. Pars affirmatiua quæstionis.

Hoc supposito ad quæstionis resolutionem accedendum est. Cuius partem affirmantem asseruit quidã Gualterus, quem refert Aug. Nymphus lib. 12. Metaph. disp. 13. c. 3. Ex quo eundem referunt Bellomontanus 1. p. disp. 116. c. 2. n. 3. & Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 10 n. 1. Fundamentum huius assertionis teste Bellomõtano indè sumebat; quoniã, quę sunt, vel quasi sunt in diuersis prædicamentis, distinguuntur realiter; sed attributa Dei, & essentia, quasi sunt in diuersis prædicamentis (quia essentia quasi ponitur in prædicamento substãtiæ; attributa verò in prædicamento qualitatis) ergò attributa realiter distinguuntur ab essentia.

Fundamentum.

22. Eadem pars Gilberto attribuitur à Molina.

Quidam eandem sententiam tribuũt Gilberto Porretano in com. ad Boetiũ de Trinitate: inter quos est Molina 1. p. q. 3. ar. 3. & q. 28. ar. 2. disp. 2. post secundam conclusionem pag. 429. col. 2. litera E. Ego tamen non puto hanc sententiam tribui posse Gilberto, si ea expendantur, quę de illo refert D. Bernardus serm. 80. in cantica ante finem: & quę ex Concil. Remensi (in quo Gilbertus iste suos errores reuocauit) cõmuniter circunferuntur, & habentur apud Bellomontanum 1. p. disp. 120. c. 2. In quo cõuenio cum Bellomontano in d. disp. 116 c. 2. n. 4. Non quidèm ob illius fundamẽtum (nam Gilbertus non solùm negabat Deum sumptum pro persona esse sapiẽtiam, bonitatem, & cæt. sed etiam sumptum pro cõcreto, hoc est, pro hoc Deo subsistente subsistentia communicabili, vt satis colliges ex D. Bernardo in d. sermone 80. in Cantica, & ex auctore commentarij in librum Boetij de Trinitate apud Bedam tom. 8. pag. 1113. quidquid reclamet Bellomontanus motus ex verbis Ottonis Frisingẽsis Episcopi, quem citat) sed ob illud potiùs: quia Gilbertus nunquàm contulit attributa (sapientiam scilicèt, & bonitatem) cum essentia; sed cum Deo subsistente, vel communicabiliter in se, vel incommunicabiliter in personis: cum quo etiam conferebat ipsam essentiam: ita vt à Deo in concreto realiter distingueret, tam ipsam essentiam, id est, deitatem, quàm ipsa attributa. Quarè nũquam dixit sapientiam distingui ab essentia, sed à Deo, à quo ipsam etiam essentiam distinguebat. Quod etiam aduertit Bellomontanus in d. disp. 116. c. 2. n. 4. & disp. 120. c. 1. n. 2. Vnde nec in Concilio Remensi, in quo illius errores sunt damnati: nec apud Beruardum, vbi suprà aliquid dictum legitur de distinctione attributorum, aut inter se, aut ab essentia: sed solùm ibi agitur de distinctione, tùm essentiæ, tùm attributorum à Deo, quem Gilbertus realiter distinguebat, & ab essentia, & ab attributis. Quarè minùs diligenter rem istam examinauit Molina; dum Gilbertum ad errorem Gualteri refert.

Sed non verè. D. Bernar.

Bedæ.

§. 3.

Hanc sententiam esse hæreticam.

23. Fundamentum.

SEntentiam Gualteri esse errorem in fide euidenter demonstratur, si intelliguatur de distinctione reali rei à re, de qua absque dubio agit Gualterus, si vera sunt, quæ de illo scribit Nimphus: etenim Deus, & essentia Dei realiter idem sunt: ita vt Deus sit sua essentia, & essentia sit Deus. Sed Deus realiter non distinguitur à suis attributis, sed re idem est cum illis. Ergò nec Dei essentia realiter à suis attributis distinguetur. Maior diffinita fuit in Concil. Remensi sub Eugenio 3. teste D. Bernardo sermone 80. in Cantica: *credimus* (inquit) *& confitemur simplicem naturam diuinitatis esse Deum: nec aliquo sensu catholico posse negari, quin diuinitas sit Deus, & Deus diuinitas.* Et satis diffinitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. in capit. firmiter, & in cap. damnamus de summa Trinitate: vbi Deus trinus in personis, & vnus in essentia definitur vna sũma res, & simplicissima, quæ est tres personæ, & vna essentia. Quod elegantissimè docuit Nazianzenus in tractatu de fide, ita inquiens: *Quæ est substantia Dei; nisi ipsum quod Deus?* Cyrillus etiam Alexandrinus libro primo thesauri capite 8. ita ait: *non est aliud natura Dei, aliud ipse Deus.*

Conc. Rem. D. Bernar.

Conc. Lat.

Nazianz.

Cyrillus.

24. Conc. Rem. Porrò minorem euidenter deducemus ex diffinitione Conc. Remẽsis, quæ ita habet: *Sicubi verò dicit Domini sapientia Dominum sapientia sapientẽ, magnitudine magnum, diuinitate Deum esse, & alia huiusmodi: credimus non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse: non nisi magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse: non nisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse: id est se ipso sapientem, magnum, æternum, vnum Deum.* Quę fuit perpetua, atque constans omnium Patrum doctrina. Multa adduci possunt ex Augustin. August. nam lib. 6. de Trinitate cap. 4: *Deo hoc est esse, quòd fortem esse, aut iustum esse, aut sapientem esse, & siquid de illa simplici multiplicitate, vel multiplici simplicitate dixeris, quo substantia eius significetur.* Et cap. 5. *Sicut autem substantia simul cum patre & filio; ita, & simul magna, & simul bona, & quidquid aliud ad se dicitur: quia non aliud est Deo esse, & aliud magnum, vel bonum esse.* lib. 7. de Trinitate c. 1: *non alio magnus, & alio Deus: sed eò magnus quò Deus.* Et lib. 15. de Trinit. c. 5: *vna ergò eademque res dicitur siuè dicatur æternus Deus siuè immortalis.* Et statim inferiùs: *proindè si dicamus æternus, immortalis, incorruptibilis, viuus, sapiens, potens, iustus, bonus, beatus, spiritus: horum omnium nouissimum, quod posui quasi tantummodò videtur significare substantiã, cætera verò huius substantiæ qualitates: sed non est in illa ineffabili, simplicique natura: quidquid enim secundùm qualitates illi dici videtur, secundùm substantiam, vel eßentiã est intelligendum?* Quibus verbis satis exprimit Augustinus; non solùm conditionem attributorum, vt ad modũ qualitatis significentur; in quo distinguuntur à nomine *spiritus*, quod significat per modum substantiæ: sed etiam declarat attributa, quanuis per modum qualitatis significentur dici secundùm substãtiam, & essentiam, ideò quia idem realiter sunt cum essentia.

25. Quod expressiùs declarauit in eodẽ lib. de Trinitate c. 6: *nec sicùt nos* (inquit) *de illo percipimus sapientiam, ita Deus de aliquo sed sua est ipse sapientia: quia non est aliud sapientia eius, aliud essentia: cui hoc est esse, quod sapientem esse.* Et inferiùs c. 7: *hoc est Deum esse, quod sapere: & ea illi essentia est, quæ sapientia.* Rursus in eodem libro cap. 17: *Nec distent in eis ista, sicut in nobis aliud est memoria, aliud intelligentia, aliud dilectio, siuè charitas; sed vnum aliquid sit, quod omnia valeat, sicut sapientia: & sic habeatur in vniuscuiusquè personæ natura, vt qui habet hoc sit, quod habet: sicut incommutabilis, simplexque substantia.* Et inferiùs: *Vt scilicèt in illa Trinitatis, simpliciáque natura non sit aliud substantia, & aliud charitas: sed substantia ipsa sit charitas, & charitas ipsa sit substantia.* In hanc etiã sententiam multa scribit lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 10. & in lib. de cognitione veræ vitę c. 7. & multis alijs in locis. Id ipsum satis docuit Dionysius de diuinis nominibus c. 5. in principio: *Non aliud ipsum bonum dicimus, aliud id, quod est: aliud vitam, aliud sapientiam.* Videndi sunt D. Fulgentius de fide ad Petrum, D. Bernardus lib. 5. de consideratione, & clariùs sermone 80. in Cantica ad finem, Hilarius lib. 7. de Trinitate, Boetius lib. 1. de Trinitate c. 3. Isidorus lib. 1. de summo bono sentẽtia quinta: *Non vsu nostro aliud Deum putare, aliud pulchritudinem eius, atque aliud magnitudinem ipsius debemus: pulchritudo, & magnitudo Dei ipse est Deus.* Et sentẽtia 16: *Ideò Deus simplex dicitur, quia aliud non est ipse, & aliud, quod in ipso est.* D. etiam Anselmus Monologion c. 16. de attributis ita scribit: *Idem est quodlibet vnum illorum, quod omnia sunt simùl, siuè singula: vt cum dicimus iustitia, vel essentia, idem significatur.* Et de æternitate, quòd idem sit cum essentia, satis explicat ibi c. 21. cum D. Aug. ps. 120. & D. Greg. 16. Moralium c. 29.

Dionysius. *D. Fulgent.* *D. Bern.* *D. Hilarius.* *Boetius.* *Isidorus.* *D. Ansel.* *D. Aug.* *D. Gregor.*

26. Nec ista catholica patrum doctrina latuit Aristotelem, alioſq; philosophos. Expressus est locus 12. Metaph. c. 6. tex. 39. vbi agens de æternitate Dei (quam constat esse attributum) ita ait: *Quare vita, & æuum continuum: & æternum Deo inest: hoc enim est Deus.* Quibus verbis explicat Deum, & esse suam vitam, & suam æternitatem. Generaliùs in eodem c. 7. tex. 37. postquam concluſit Deum esse substantiam simplicem; explicat, quidnam per simplicem substãtiam intelligendũ sit: inquiens: *simplex verò* (scilicèt dicit, & significat) *quomodò se habeat ipsum.* Hoc est simplex significat dispositionẽ, secundũ quã substãtia simplex aliqualiter se habet: quatenus scilicèt, quę in ea sunt, idẽ omninò sũt: quę est cõmunis explicatio. Quarè cũ dixerit substantiam Dei esse omninò simplicẽ, satis significat ea, quæ sunt in Dei substantia, esse omninò idẽ. Vnde eodẽ lib. c. 9. multis ostendit Deũ esse suum intelligere; nec fieri posse, vt in Deo aliud sit intelligẽs, & intellectio.

Aristot.

Deniq́ue

Deniq́ue cum multis ostenderit Deum esse actum purum; non potuit non concedere in Deo non dari aliud, & aliud.

27. *Alcinuus. Ludouicus Viues. Arist.* Quam veritatem optimis verbis declarauit Alcinuus philosophus platonicus, cuius verba refert Ludouicus Viues lib.8.de Ciuitate Dei c.6.ex quo eadem retulit Molina 1.p.q.28. ar.2. disp. 2.§.*eadem sententia fuit Aristotelis*.pag.430. col.2. *Deus ipse* (inquit) *supremus, æternus, ineffabilis, se ipso perfectus, nullius rei indigus, diuinitas, essentiæ ratio, veritas, armonia, bonũ existit. Nec verò hæc ita dinumero, vt inter se ipsa distinguantur: imò vnum potiùs cuncta considero.* Ex Commentatore, Auicenna, & *Capreol.* Alguasele multa refert Capreolus in 1. d.8.q.4.art.1.concl.1.

28. *Cumelius.* Ex quibus euidenter patet sententiã Gualteri esse longè alienam à fide: vndè eam hæreticam meritó dixerunt Cumelius 1.p.q.28.art.2.q.7.notab.3.pag. 840.col.2. vbi etiam Bellomont.disput. 116. c.2. n.5. adde Suarium lib.1. de essentia Dei c.10.n.1.Nam præter ea,quę adduximus, ex illa sequitur in Deo ponendam esse quaternitatem rerũ, quod esse hęreticum definiuit Concilium Lateranense sub Innocentio 3. in c. damnamus de Summa Trinitate.

Aliud fundamentum.

Sed ratione etiam naturali potest hic error conuinci: contra quem latè argumentatur D.Bernardus argumento sũpto ex diuina simplicitate: cuius vim nõ elidit hęretici illius responsio, vt videre est apud eundem Bellomõtanum ibi n.6. Videndus est etiam Suarius in Metaph.disp.30.sect.6.n.2.& 3. vt in re notissima alios omittamus.

29. *Aliud fundamentum huius erroris.* Fundamentum porrò, quo Gualterus nitebatur, est adeò futile,& ineptum, vt solutione non indigeat: nec enim opus est, vt omnia, quæ in diuersis prædicamentis ponuntur, realiter distinguantur, vt apud Logicos est receptissimũ. Nec si distinguerentur, indè posset firmum argumentum sumi ad diuina, in quibus non solùm docente fide, sed etiã ratione naturali ostẽdente datur sũma simplicitas. Vide Bellomõt. in d.c.2.n.7.

ARTICVLVS III.

Vtrùm attributa ante omnem intellectum ex natura rei actu, & formaliter distinguantur à diuina essentia?

§. 1.

Refertur opinio affirmans.

TErtio loco inquirendum est, an cum omnimoda identitate reali diuinæ essentiæ cum attributis (quam in art. præcedente constituim') secluſa quacũque intellectus operatione actu detur formalis distinctio inter essentiam, & attributa? 1.

Partem affirmantem in sensu explicato communem esse apud Scotistas libenter fatetur Herrera 1. tom. disp.14. q.1. in quarta sententia pag.462: agens enim de cõmuni Scotistarum sensu ita scribit. *hanc sententiam explicant dicentes attributa diuina esse plures formalitates actualiter distinctas nullo intellectu considerante*. Et in hoc quidèm optimè: quia in explicato sensu hæc opinio ferè ab omnibus Scotistis defenditur. Dixi *ferè ab omnibus*; quia non omnes eam in hoc sensu interpretantur, vt videbimus. At tamen si benè expendantur antiquiores Scotistarum, ferè omnes loquuntur de distinctione formali, quæ actu datur à parte rei absque omni intellectu: vt videre est apud Lichetum, Bargium, Bassolium, Maironium,& cæteros omnes. Nouissimè Rada in 1. p. controuersiarum controuers. 4. concl. 5. vbi in eodem sensu hanc sententiam defendit, vt quisque facilè intelliget ex ijs, quę ibi scribit, & maximè in conclus.3; dum agit de distinctione essentiæ à proprietatibus relatiuis. Adde etiam Ouandum in 1.d.8.propositione 3. & 4. de simplicitate Dei. Hanc fuisse mentem Scoti, vbicunque hac de re loquitur, latissimè ostendimus in præcedente art. §.1. In qua sententia nobiscum habemus Gregorium in 1.d.8.q.1.art.5. & Bellomontanum 1. p.disp.116. c.3.à nu.10. Vnde in hac re non est audiendus Suarius in Metaph. disp.7. sect.1.n.13.

Herrera. *Lichetus.* *Bargius.* *Bassolius.* *Maironius* *Rada.* *Ouandus.* *Gregorius.*

Pro hac sententia (in qua solùm agitur de distinctione attributorum ab essentia) hæc possunt fieri argumẽta. Primò ita cõfirmatur: quoniam attributa inter se, nec realiter distinguuntur, nec sola ratione; sed distinctione formali actuali. Ergò attributa eodem modo ab essentia distinguuntur. Antecedens ab ab eisdem auctoribus latè probabitur in q.6. sequẽte. Consequẽtia probatur: 2. Probatur 1. hæc sententia.

quoniam omnes tacito quodam consensu in hoc cõueniunt, vt attributa eodem modo distinguantur ab essentia, quo inter se distinguũtur: nec enim possent inter se actu formaliter distingui, si cum essentia actu essent formaliter vnum; iuxta regulam vulgatam, quæ sũt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.

3. Secundò; quoniam essentia, & attributa ita se habent, vt nec essentia in sua formali ratione, & quidditate includat attributa; nec attributa essentiam: si enim essentia diffiniretur; aut diffinirẽtur attributa; nec attributa in diffinitione essentiæ ponerentur, nec essentia in diffinitione attributorum. Ergò essentia, & attributa non sunt formaliter idem, sed formaliter distincta, si omnẽ intellectus operationem excludamus. Antecedens ab auctoribus huius opinionis multis probandum est inferiùs q.7. huius libri. Porrò consequentia indè probatur: quia vnum esse idem formaliter cum alio nihil est aliud, quàm vnum includere aliud in sua ratione formali, & per se primò, vt cum Scoto in 1. d.2.q.7. lit. HH. supponunt omnes Scotistæ. Quarè, quę ita se habent, vt vnum aliud in sua ratione quidditatiua non includat, non possunt non distingui formaliter.

4. Tertiò; maior est distinctio inter essentiam, & attributa, quam inter deitatem, & Deum. Sed inter Deitatẽ, & Deũ datur sola distinctio rationis, vt omnes admittunt. Ergò inter essentiam, & attributa erit maior distinctio, quàm rationis: hæc autem, cum non sit realis, vt patet ex art. præcedente; vtiq; erit formalis. Cum verò detur secluſa operatione intellectus erit formalis actualis.

5. Quartò; inter essentiam, & attributa datur ordo à parte rei nullo intellectu considerante: attributa enim supponũt essentiam, cum ex sua natura sint quædam perfectiones, quæ ipsam essentiam circunstant, ac veluti qualificant, vt ex Augustino, & Damasceno statim dicemus. Cum verò ordo non detur, nisi inter distincta, vt patet, vtique si inter essentiam, & attributa datur ordo nullo intellectu considerante, profectò erunt inter se à parte rei distincta. Et cum nõ distinguantur realiter, non poterunt nõ distingui formaliter actualiter.

6. Quintò; ante omnem operationẽ intellectus multa dicuntur de attributis, quæ de essentia dici nequeunt; & è contrario: etenim Deus est formaliter Deus sua deitate, & essentia: non tamen est formaliter Deus sua sapientia, aut iustitia, aut intellectu, aut voluntate, &c. Ergò non possunt non distingui distinctione formali actuali. Antecedens supponitur, vt verissimum: consequentia deducitur; quia contradictia nequeũt simul verificari de eodem sumpto eodẽ modo.

7. Nec poteris dicere ad hoc satis esse distinctionem rationis; quoniã hæ propositiones: *Deus est formaliter Deus sua Deitate. Deus non est formaliter Deus sua sapientia, aut iustitia*: non ideò sunt veræ; quia intellectus eas concipiens tribuit illis veritatem: sed ideò potiùs; quia sunt conformes rei, quam enuntiant. Ergò illæ propositiones supponunt id ita esse in re, sicùt enuntiatur. Supponunt igitur Deum ex se formaliter esse Deum sua Deitate, non verò sua sapientia, aut iustitia, & per consequens supponũt Deitatem ante omnem actum intellectus formaliter non esse sapientiam: & sapientiam formaliter non esse Deitatẽ. Quæ vero ante intellectum differunt, si idem sunt realiter, necessariò differũt formaliter actualiter.

8. Postremò id confirmant ex Augustino, & Damasceno. Ex Augustino quidèm: quoniam lib. 15. de Trinitate cap. 5. ita ait: *Si dicam æternus, immortalis, iustus, bonus, beatus, spiritus: horum omnium nouissimum, quod posui, videtur significare substantiam: cætera verò huius substantiæ qualitates*. Quæ verba satis indicant attributa non constituere essentiam Dei, nec eam ingredi: sed eam, veluti qualificare, vt perfectiones ab essentia actu distinctas. Quod etiam verbis ferè expressis docuit Damascenus libro primo de fide capite quarto, ita inquiens: *si iustum, si bonum, si quid tale dixeris: non naturam dicis Dei, sed quæ circa naturam.* Hæc sunt, quæ pro hac sententia communiter afferuntur.

9. Sed antequàm oppositam sententiã referamus, operæpretium erit explicare, vtrúm ex mente Scoti accommodatiùs dicatur essentiã actu esse nõ idẽ formaliter cum attributis; quàm esse

ab

1. ratio dubitandi.

ab illis formaliter distinctam? Dubitationi occasionem dedit idem Scotus in 1.d.2.q.7.litera HH. §. *num quid igitur debet concedi:* vbi agens de distinctione essentię à proprietatibus relatiuis, postquàm ostendit formalitatem essentię secluso quocunque actu intellectus non esse formalitatem relationis, inquirit in hæc verba: *Numquid igitur debet concedi aliqua distinctio?* Et respondet: *Melius est vti ista negatiua, hoc non est formaliter idem; quàm hoc est sic, & sic distinctum.* Vndè in eàdem q. potiùs vtitur nomine, non identitatis formalis, quàm formalis distinctionis. Eodem igitur modo ex mente Scoti melius erit dicere essentiam non esse formaliter idem cum attributis; quàm esse ab illis formaliter distinctam. Maximè cũ Scotus in 1.d.8.q. 4. §. *est ergò ibi distinctio tertia*. Agens de distinctione essentiæ ab attributis, & attributorum inter se, ità concludat: *Ergò non est identitas formalis à parte rei.* Et hanc sentẽtiam expressè sequutus est Herrera in d.disp. 14. q. 1. concl. 3. pag. 466. col. 2. in fine. dum asserit attributa non distingui ab essentia formaliter actualiter ante operationẽ intellectus: cessante tamen illa esse non idem formaliter.

Secunda.

opinio Herreræ.

10. Improbatur

His tamen non obstantibus dicendũ est in proposita materia non identatatem formalem coincidere cum distinctione formali; & subinde non solùm dici posse essentiam esse non idem formaliter cum suis attributis: sed etiam verisimè dici, etiam apud Scotũ esse formaliter distinctam ab illis.

Non identitas formalis distinctionem formalem necessariò nõ infert. si absolutè loquamur.

Pro cuius explicatione aduertẽdum est, absolutè loquendo, *non identitatẽ formalem* non necessariò inferre formalem distinctionem, vt idem Scotus probat in d. q. 7. loco citato. Et ratio est; quia formalis distinctio supponit formalitatem positiuam in vtroq; extremo distinctionis, & vnam non esse aliam; quam tamen positiuam formalitatem in suis extremis non supponit *non identitas formalis*: res enim non est idem formaliter cum suo modo essendi: quia formalitas rei non est formalitas modi: non quidẽ positiuè; quasi vtrunquè extremum suam propriam habeat formalitatem (quoniã modus essendi, sicut nullam dicit realitatem, ità nullam includit realem formalitatem) sed solùm negatiuè: quia formalitas rei negatur à modo essendi eiusdem. Quod euidenter declaratur in nõ identitate reali, quæ datur inter ens, & negationem, quæ in eo reperitur v. g. inter hominem, & negationem lapidis: homo enim est non idẽ realiter cum illa negatione: ab illa tamẽ non est realiter distinctus, ideò quia negatio non habet veram realitatem. Similiter igitur dicendum est in non identitate formali in ordine ad formalem distinctionem: absolutè enim ex non identitate formali non benè infertur formalis distinctio vt benè aduertit Scotus in d.q.7. loco citato, sic intellectus à Licheto, Bargio, cæterisque illius interpretibus.

Scotus.

At quanuis consequentia ille absolutè loquendo gratia formæ nonvaleat; interdum tamen valere potest gratia materiæ: quando scilicèt, in extremis, quæ non sunt idem formaliter, reperitur vera, & positiua formalitas; vt facile patet in non identitate formali, quã Scotistæ agnoscunt inter subiectum, & propriam passionem: inter relationem & proximũ fundamentum: inter actionem, & passionem: denique inter gradus metaphysicos, ex quibus componitur species: inter hæc enim ex non identitate formali necessariò infertur formalis distinctio: sicut etiã inter res realiter distinctas ex nõ idẽtitate reali necessariò infertur distinctio realis, vtpse patet.

11. Infert. tamẽ in certa materia.

Sic se res habet in essentia, & attributis suppositа opinione Scotistarum, quã retulimus. Nam licèt essentia cum suis attributis habeat omnimodam realem identitatem, vt diximus in præcedente ar. non tamen habet omnimodam identitatem formalem, non solùm negatiuè sed etiam positiuè: nam sicut essentia suam habet positiuam formalitatem, quatenus est essentia; ita etiam singula attributa suas positiuas formalitates habẽt, & deffinitiones ità: vt formalitas essentiæ positiuè non sit formalitas attributorum, nec è contrario, vt patet ex omnibus Scotistis, & ex eodem Scoto, tùm in 1.d.2.q.7. litera HH. §. *breuiter dico*; tùm d.8.q.4. litera Q. §. *Est ergò ibi distinctio tertia*, & passim alibi. Quare in hac nostra disputatione puto etiã apud Scotum valere consequentiam ex non identitate formali essentiæ cum attributis ad formalem distinctionem ab

12. In essentia & attributis valet hæc illatio ex mẽte Scoti.

Scotus.

eisdem; si non gratia formę, saltèm gratia materiæ. Vocem igitur propriam videtur ignorasse Herrera, dum admittit non identitatem formalem inter essentiam, & attributa ante omnem operationem intellectus; & negat inter ea formalem distinctionem actualem.

Itaque apud Scotum in hac disputatione non solũ concedenda est non idẽtitas formalis actualis inter essentiam, & attributa secluſa omni operatione intellectus; sed etiam actualis distinctio formalis de quo etiam vide quæ inferi' dicemus q. 1 2. ar. 3. §. 1.

1. 3 Adprimam rationẽ dubitandi.

Nec contra hanc doctrinam quidquã faciunt ea, quæ adduntur ex Scoto in 1. d. 2. q. 7. quoniam, vt optimè aduertit Bargius ibi, ideo Scotus dixit accommodatiùs dici essentiam esse non idem formaliter cum relationibus, quàm esse ab illis formaliter distinctam; quia non dum explicauerat, an paternitas diceret positiuam aliquam formalitatem, quæ esset alia à positiua formalitate essentiæ: nec enim defuerunt, qui existimauerint relationes etiam in diuinis non esse res, aut realitates aliquas, sed modos realitatum. Quare cum de positiua formalitate relationis non dum constaret; satius duxit Scotus in prædicta disputatione vti, non identitate formali quàm formali distinctione.

14. Ad secundã.

Quòd verò Scotus in 1. d. 8. agens de distinctione attributorum adhùc persistat in modo loquendi non identitatis formalis, non satis est, vt Scotista doct' affirmet Scotum negare distinctionem actualem; cum expressè ibi admittat in attributis diffinitiones, & quidditates positiuas; quarum vna non est alia, tùm inter se; tùm in ordine ad essentiam. In quibus terminis non potest non concedi ex non identitate formali necessariò

19. Comment.

inferri formalem, & positiuam distinctionem. Non est igitur audiendus Herrera oppositum docens, vt iam dicimus. Sicut etiam non est audiendus, dum ait apud Scotistas non identitatem formalem coincidere cum distinctione rationis ratiocinatæ apud Thomistas. De quo plura suo loco.

§. 2.

Ponitur opinio negans cum suis fundamentis.

15.

HAnc scotistarum sententiam explicatam de distinctione formali actuali ante omnem intellectus operationem cæteri post Scotum (plerique enim putant Scotum fuisse illius auctorem) vno consensu reijciunt; quin potiùs quàm plures, vt minus tutam explodunt. Autores; qui eam impugnant non ab omnibus fideliter citantur; fideliter nos eos citabimus. In primis eam reijciunt omnes illi Nominales, qui cũ Aureolo putant nullam admittendam esso distinctionem, etiam rationis inter essentiam, & attributa. Quos omnes retulimus ar. 1. huius quęstionis. Ex professo hanc sententiam, impugnant Ochamus in 1. d. 2. q. 1. litera D. & N. vbi etiam Gabriel q. 1. ar. 2. Greg. in 1. d. 8. q. 1. ar. 2 concl. 2. male citatus à Bellomontano atq; à Suario lib. 1. de essentia Dei c. 10. n. 3. vbi etiam rem tetigit Maior concl. 1. latè Marsilius in 1. q. 12. ar. 3. concl. 2. & 3. vt omittamus Aliacum, & cæteros Nominales, ex alijs eãdem impugnarũt Durandus in 1. d. 2. q. 2. vbi etiam Baconius q. 2. ar. 3. & Gerardus de Senis q. 2. ar. 2. Thomas de Argentina in 1. d. 6. q. 1. ar. 2. Alphõsus Toletanus in 1. d. 8. q. 1. ar. 2. concl. 2. & 3. & ibi Capreolus q. 4. ar. 1. concl. 1. & ar. 3. ad argumenta contra 1. Heruæus quolib. 1. q. 2. ar. 3. Caietanus de ente, & essentia c. 6. q. 12. Ferrariensis 1. contras Gentes c. 32. Syluester in conflato q. 13. ar. 7.

Ochamus. *Gabriel.* *Gregor.* *Maior.* *Marsilius.* *Durand.* *Baconius.* *Gerardus.* *Argentina.* *Toletan.* *Capreol.* *Heruæus.* *Caietanus* *Ferrariens* *Syluester.*

16.

Ex recentioribus contra Scotum latè disputant Præceptor Frater Franciscus à Christo in 1. d. 2. q. 3. concl. 3. Torres de Trinit. q. 28. disp. 1. in 1. & 2. p. illius, Fonseca in 5. Metaph. c. 6. q. 6. sect. 3. §. *atquè hinc ad diuina* & c. 1. eiusdem libri q. 3. sect. 3. §. *alterum desumunt*, Greg. de Valentia 1. tom. disp. 1. q. 13. punct. 3. pag. 278. Molina 1. p. q. 28. ar. 2. disput. 2. concl. 2. pag. 429. vbi etiam Cumelius q. 7. cõcl. 2. Banhes ibi dubio 3. concl. 1. pag. 1109. Suarius in Metaph. disp. 30. sect. 6. n. 2. & 3. & lib. 1. de essentia Dei c. 10. n. 3. Bellomontanus 1. p. disp. 116. c. 4. 5. & 6. Aug. Nymphus 12. Metaph. disp. 13. c. 4. Deniq; ex Scotistis contra eãdẽ sentẽtiã existimat Herrera 1. tom. disp. 14. in vltima sententia cõcl. 3. pag. 464. col. 2. in fine: quo in loco putat Scotum non oppositam, sed istam sententiam probasse.

Fr. Franc. à Christo. *Torres.* *Fonseca.* *Valentia.* *Molina.* *Cumelius.* *Banhes.* *Nymphus.* *Herrera.*

Anti-

17. Antiquiores etiam, qui ante Scotum scripserunt, contra eandem opinionem suam dixerunt sententiam: omnes enim vnanimo ferè consensu docent pluralitatem attributorum, tùm inter se, tùm cum essentia actu non dari in Deo, nisi per rationem. Quam sententiam satis expressit D. Thomas, non quidèm de veritate q. 7. ar. 6. vt malè citatur à Bellomontano, sed opusc. 9. q. 1. 2. & 3. & clariùs in 2. d. 2. q. 1. ar. 2. & 3. maximè in fine corporis, vbi expressè ait pluralitatem attributorum non benè inferre pluralitatem, & multiplicitatem in re, quæ est Deus. Addere possumus eundem D. Thomam 1. p. q. 13. ar. 4. in fine corporis & ad 1. & 2. quidquid ibi repugnet Caietanus. Idem colliges ex Alensi 1. p. q. 48. memb. 3. dum ait multiplicitatem diuinorum nominum non sumi ex multiplicitate essentiæ, sed ex consideratione intellectus. Idem colliges ex Henrico quodlib. 5. q. 1. litera R. & S. dum asserit diuinam essentiam secundum esse, quod habet in se, nullam in se habere diuersitatem, siue pluralitatem etiam rationis nisi solùm in potentia. Quod clarius explicat in eàdem quæstione ad finẽ litera A. in hæc verba: *Vndè cum attributorum diuersitas nullo modo habet esse in re ex natura rei absolutè, vt est extra intellectum: solùm modo habet esse in ea, vt cadit in consideratione intellectus conferentis circa eam.* Item quodlib. 13. q. 1. in principio ità ait: *Dico, quòd in Deo præter pluralitatem, & distinctionem personarum, & proprietatum notionalium, quæ sunt secundum rem, & naturam, & secundum relationes, & esse respectiuum; nulla est pluralitas, nec diuersitas, aut distinctio, nisi secundum rationem & considerationem intellectus, & secundum rationes attributales.* Satis etiam id colliges ex Richardo in 1. d. 2. ar. 1. q. 3. *§. quantum ad quartum*, & aliquo modo ex Magno Alberto in 1. d. 8. ar. 2. & 3. quatenus in attributis, vt sunt in Deo, nullam admittit distinctionem; sed solùm provt à nobis cognoscuntur secundum propriam cuiusq; rationem. Simili modo pro hac opinione contra Scotum citari potest Ægidius in 1. d. 2. q. 3. ar. 1. 2. & 3. quanuis non satis distinctè loquatur: distinctè tamẽ loquitur in 1. d. 34. 1. parte ar. 2. Quidam citant D. Bonauenturam in eodem loco, sed apud eum ibi nihil inuenio. Ex quibus omnibus iam patet, tàm eos, qui Scotum præcesserunt, quàm, qui eum tempore cõsequuti sunt, cõtra Scotum suam sententiam protulisse.

Alensis. *Henric.* *Richardus.* *Albertus.* *Ægidius.* *D. Bonau.* *D. Thom.*

§. 3.

Ponitur resolutio quæstionis.

18. HVi⁹ maximæ difficultatis hæc sit resolutio. Opinio affirmans essẽtiam ab attributis ex natura rei secluso quocunquè intellectu actualiter distingui distinctione formali absq; vllo fidei periculo defendi potest: negans tamen debet, vt verisima iudicari. Priorem resolutionis partem statuimus, vt quorundam recentiorum audaciam reprehendamus. Posteriorem verò; vt cõmunissimæ sententiæ veritatem propugnemus.

19. Vt veritas vtriusque partis propositæ resolutionis omni sublata confusione faciliùs ostendatur; de priori illius parte specialem excitabimus articulũ; in quo inquiremus, an inter essentiam; & attributa absque vllo fidei periculo admitti possit actualis aliqua distinctio ex natura rei ante omnem intellectus operationem? inde enim patebit veritas posterioris partis, de qua agemus in 5. ar. Quomodo autem soluenda sint argumenta partis affirmantis, facilè patebit ex doctrina sexti articuli. Quare illorum solutionem in illum locum referamus.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm absque vllo fidei periculo defendi possit distinctio formalis actualis ex natura rei sublato omni intellectu inter essentiam, & attributa?

1. HVnc articulum specialiter excitamus; tùm, vt expendamus, an reprehendenda sit licentia quorundam recentiorum in damnãda celebri Scotistarum opinione: tum etiam; vt euidentius appareat vtriusque opinionis, aut veritas, aut probabilitas: nã cum opposita iuxta se posita magis elucescant; dum expendimus argumenta, quibus Scotica opinio impetitur; simùl etiam expendimus quamnam habeant probabilitatem solutiones, quibus pro parte Scoti illa dissoluuntur.

Partem

2. Pars negãs. Partem negãtem propositę quæstionis pleriquè ex recentioribus probauerunt; dum Scoti sententiam, vt minus tutam reijciunt. Eam malè sonare in fide asserit Bartholameus Torres de Trinitate q.28.ar.2.in 1. p. primæ disputationis §. *Leuchetus vir doctus* pag. 46. & in 2.p.eiusdem disp.concl.2. Non esse consonam fidei affirmat Cumelius 1. p. q.4.ar.2.q. 3. §. *contrariam sententiam* pag. 130.Deniq; esse parũ in fide tutam testatur Molina 1.p.q.28.ar.2.disp.2.§. *deinde rationibus*, & Banhes ibi dub. 3. concl. 1. pag.1109. litera C. & ante eos Sotus in 4.d.49.q.3.ar.3.post 2.concl.vt alios omittamus. Ad quorum sententiam videtur accedere Bellomõtanus 1.p.disp. 116.c.5.dũ nititur ostendere sentẽtiam Scoti parum discrepare à sententia Gilberti damnata à D.Bernardo,& à Concilio Remensi. Nec ista censura videtur aliena à mente Suarij in Metaph. disput.30. sect. 6.n. 3. dum putat nõ esse credibilem Scotum illam probasse sententiã in sensu superiùs explicato;quòd non dixisset, nisi existimasset eam in fide esse periculosam.

Torres. *Cumelius.* *Molina.* *Banhes.*

3. Pars affirmans præfertur. *Rada.* De hac nimia horum auctorum in dãnando licentia conqueruntur Scotistæ: & inter eos Rada 1.tomo cõtrouersia 4. §. *propter hæc, & alia argumenta* pag. 59. col.2.Nec iniustè quidèm:quoniam sine vrgentissimo fundamento non est damnanda,tanquam periculosa opinio, quã celeberrima Scotistarum schola cum Scoto acerrimè defendit:probarunt famosæ Academiæ non paucæ, Parisiensium,Bellonensium,& Louanensium, si credimus Radæ vbi suprà. Et vt huius tam rigidæ censuræ iniustitia fiat euidentior;operæ pretium erit diligentiùs expendere singula, & præcipua capita é quibus aduersarij sumunt argumenta, vt probent Scoti opinionem non solùm esse parum in fide tutam, sed etiam falsam.

§. 1.

Expenditur primum caput, vndè contra Scotum Nominales sumunt argumentum.

4. Fundamentum Ochami cõtra opinionẽ Scoti. PRimò loco contra Scotum insurgit Ochamus in 1. d. 2. q. 1. litera D. cum cęteris Nominalibus. Fundamentum sumit: quia licèt admittat distinctionem formalem mediam inter realem, & rationis:eam tamen non admittit, nisi propter aliquam realem distinctionem, quæ reperiatur, vel inter extrema formaliter distincta, vel inter alterum illorum cum aliquo tertió, à quo alterum realiter non distinguatur. Itaque distinctio formalis vel supponit, quód extrema inter se realiter distinguantur(quia realis distinctio inter aliqua duo necessariò infert distinctionem formalem inter ipsa:) vel supponit, vt alterum extremum realiter distinguatur ab aliquo tertiò,à quo alterum realiter non sit distinctum. Exemplum ponunt in homine,& Petro,qui formaliter inter se distinguuntur: nam licèt homo realiter non distinguatur á Petro; tamẽ Petrus realiter distinguitur à Ioanne, à quo homo realiter non distinguitur. Ad hunc igitur sensum putat Ochamus distinctionem formalẽ reperiri non posse, nisi propter aliquam realem distinctionem,quæ reperiatur, vel inter ipsa formaliter distincta, vel inter aliquod eorum in ordine ad tertium. Hanc autem conditionem non dari in diuina essentia,& attributis,notissimum est:quoniã attributa, sicut realiter distinguuntur ab omnibus,à quibus diuina essẽtia realiter distinguitur; ità etiam realiter idẽtificãtur cum omnibus, cum quibus diuina essentia realiter est idẽ. Nec quidquam dari potest; à quo diuina essentia realiter distinguatur, cum quo diuina attributa realiter sint idem: nec è conuerso. Quod non reperitur inter essentiam,& personam v.g.Patris;nam Pater realiter distinguitur à Filio, cum quo essentia realiter est idem.

5. Probatio fundamenti. Porrò quód distinctio formalis necessariò requirat realem distinctionem in sensu explicato; ex eo probat Ochamus:quia si aliqua formaliter distinguuntur,de illis verificari possunt duo cõtradictoria. Ergò verificari etiam poterunt de illis, quæ ex natura rei sublato omni intellectu formaliter distinguuntur, quantumuis realiter sint idem. Sed duo contradictoria ex natura rei sublato omni actu intellectus verificari non possunt, nisi illa sint res distinctę, pro quibus supponunt. Ergò distinctio formalis sublato omni intellectu dari non potest,nisi inter ea,in quibus realis

distinctio

distinctio reperitur. Minorem huius prioris discursus ex eo probat Ocham' quia omnia contradictoria habēt æqualem repugnantiam: tanta enim repugnantia est inter hominem, & non hominem, quanta est inter Deū, & non Deum. Sed aliqua contradictoria inferunt nōnulla, de quibus verificatur habere realem distinctionem (illa sc. quæ ex natura rei, & sublato omni actu intellectus de duobus verificantur.) Ergò nulla cōtradictoria sublato omni actu intellectus possunt de aliquibus verificari, nisi propter aliquam realem distinctionem, quæ inter illa modo explicato reperitur.

6. Confirmat. Confirmatur ex eodem Ochamo loco citato litera D. §. *confirmatur ista ratio*: quoniam si distinctio formalis non requireret aliquam realem distinctionem modo explicato; sed cum omnimoda idēntitate reali stare posset formalis eorum distinctio sufficiens, vt de eàdem re duo contradictoria verificarentur; omninò periret omnis via ad probandum aliqua esse realiter distincta. Quod tamē est falsum. Sequela probatur: quia principalis ratio probandi realem distinctionem inter aliqua duo sumitur ex eo, quòd de illis verificantur duo cōtradictoria. Hæc autē ratio omninò perit, si vera est opinio Scoti: ea enim supposita satis est distinctio formalis inter ea, quæ realiter sūt idē, vt de illis cō tradictoria verificentur. Hæc habes ex Ochamo vbi suprà, & ex Gabriele in 1. d. 2. q. 1. ar. 1. notab. 4. litera E. cum sequentibus.

7. Hæc tamen Nominaliū impugnatio, cum nitatur doctrina satis noua, & peregrina, poterat tanquam friuola, & solutione indigna prætermitti. Sed quoniam omnibus debitores sumus, etiam his, qui in logicis, atquè metaphysicis minùs sunt versati, non erit à nobis illius solutio prætermittenda. Ad fundamentum igitur Ochami, & Nominalium latè respondet noster Alphonsus Toletanus in 1. d. 8. q. 1. ar. 2. in 2. concl. Sed omissis quamplurimis; nos simpliciter negamus fundamentum, quo nititur tota argumēti machina; quia sine vllo, vel apparenti fundamento dicitur distinctionem formalem supponere distinctionem realem etiam ad sensum ab Ochamo explicatum. Cui argumēto est, quòd nullus vno excepto Ochamo, & altero Gabriele illā doctrinam vnquā asseruit.

Solutio fūdamenti.

8. Ad probationem. Vndè probatio falsam etiam doctrinam sumit, duo scilicèt contradictoria ex natura rei sublato omni actu intellectus verificari nō posse, nisi illā, pro quibus supponunt, sint res distinctæ: hæc enim propositio non solùm euidenter petit principium, sed etiam in se est falsa, & probationem habet puerilem, & friuolam. Petit quidèm principiū; quia Scotus cum suis eā negauit. Est autē in se falsa: quoniam de diuina essentia, & de persona Patris verificantur contradictoria (etenim persona Patris est ad aliquid, essentia autē non est ad aliquid: persona Patris generat, essentia autem non generat), & tamen ea, pro quibus illa contradictoria supponunt, non sunt res distinctæ; essentia enim in illis propositionibus supponit pro se, & non pro Patre: & tamen fides docet essentiā realiter non distingui à persona Patris. In creatis etiam datur instantia; quia albedo non est relatio; similitudo autem in ea fundata est vera relatio: & tamē nec albedo, nec similitudo realiter distinguūtur, vt habet verior opinio. Instantia etiam dari potest in magnitudine, & figura: nec enim magnitudo est qualitas, sicut est figura; & tamē inter se realiter non distinguuntur. Falsa est igitur propositio sumpta ab Ochamo.

9. Deniquè probatio, qua illa confirmatur, consequentiā continet, & inutilem, & puerilem; ità enim arguit: *Omnia contradictoria æqualem habent repugnantiam: sed aliqua contradictoria inferunt realem distinctionem in illis, de quibus verificantur. Ergò omnia contradictoria verificantur de ijs, quæ realiter distinguuntur.* In quo discursu consequentia puerilis est, & euidenter inutilis. Nam si sub eàdem maiore sumas hāc minorē: *aliqua contradictoria inferunt distinctionem solius rationis inter ea, de quibus verificantur* (vt patet in his: animal est genus, homo non est genus) pueriliter inferes omnia contradictoria verificari de ijs, quę sola ratione distinguuntur. Vide de hoc Toletanum vbi suprà: nec enim in his Nominalium nugationibus immorandum est.

10. Ad confirmationem. Ad confirmationem neganda est sequela cum Toletano vbi suprà §. *nec confirmatio*

firmatio valet. Probatio autem sequelæ supponit id, quod est apertè falsum: quoniam duo contradictoria à parte rei verificantur de relatione, & proximo fundamento, de magnitudine, & figura, de actione, & passione, vt patet: quæ tamen iuxta meliorem, & antiquiorem sententiam non distinguuntur realiter. Quare nec ista via ad probandam distinctionē realem satis est (vt argumentum supponit) nec illa sublata tolletur via ad illam distinctionem probandam: etenim ad probandam distinctionem realem plures excogitarunt varias alias vias, vt patet ex Antonio Trombeta in 5. Metaph. q. 5. ar. 4. & q. 6. ar. vltimo, & lib. 7. q. 3. ar. 1. & q. 8. ar. 4. & in tractat. de formalitatibus c. 2. Boneto lib. 3. suæ Metaph. c. 2. Scoto in 2. d. 1. q. 4. Ferrariensis 1. Physicorum q. 10. Suario in Metaph. disput. 7. sect. 1. n. 1. & 21. doctissimè omnium Fonseca in 5. Metaph. c. 6. q. 6. sect. 1. §. *sunt qui dicant* vsque ad finem sectionis. Ex quibus omnibus ego colligo dari plures cōditiones, & regulas, quarum quælibet, licèt fortè non sit necessaria ad omnem distinctionem realem; satis tamen est ad eam efficaciter inferendam.

Trombeta. *Boneto.* *Scotus.* *Ferrariens.* *Fonseca.*

11. Plures regulæ ad cognoscendam distinctionē realem.

Nam vnum ex alio produci, satis superq; est, vt illa realiter distinguantur: quia nulla res se ipsam producit: hęc tamen conditio ad omnem realem distinctionem non est simpliciter necessaria: quia plura realiter distinguuntur, quorum nullum ab altero producitur. Eodē modo esse verā caussam respectu alterius non potest non inferre realem distinctionem cum effectu: quoniam nulla res potest esse caussa sui: at hæc conditio nō est simpliciter necessaria, vt duo realiter distinguantur, vt patet. Tertiò loco distinctio suppositorum necessariò infert realem distinctionem; quanuis non omnia realiter distincta sint supposita.

12.

Denique existere, aut posse existerè saltèm diuina virtute in suppositis distinctis, satis est, vt quę, ità se habēt, realiter distinguantur: nā cū suppositа sint realiter distincta; quæ in illis sunt, aut esse possunt, nō possūt nō distingui realiter. His omnibus addam hanc vltimam conditionem, non solùm satis esse ad conuincendam realem distinctionem; sed etiam omninò requiri, si ità rem explicemus; vt ad realem distinctionem necessariò requiratur, aut esse supposita distincta; aut esse posse saltèm diuinitùs in suppositis distinctis: ad hāc enim conditionem facilè reuocantur duæ priores conditiones. Ecce igitur quot modis infirmatur sequela argumenti, quod Ochamus adducit, vt probet omninò tolli omnem viam ad probandum aliqua realiter distingui, si illi negetur doctrina, quā assumit. Et de explicatione primæ impugnationis satis diximus.

§. 2.

Expenditur caput secundum, vndè Durandus cum alijs contra Scotum argumentum desumunt; an scilicèt omnis distinctio sit realis, vel rationis?

13. Pars affirmans.

SEcundò loco contra Scoti sententiam insurgunt alij sumentes ex eo fundamentum, quòd inter distinctionem realem, & rationis nulla dari potest media distinctio; vt quia omnis sit, aut realis, aut rationis. Quam fuisse plurimorum sententiam iam suprà aduertimus ar. 2. §. 1. vbi pro ea citauimus Durandum, Heruæum, Sotum, Soncinatē, Gandauensem, Cumelium, & Valentiā. Eandem, si sub distinctione reali includatur modalis, probauerunt Bellomontanus 1. p. disp. 116. c. 5. n. 25. latè Suarius in Metaph. disp. 7. sect. 1. n. 16. & 20. & tanquam certissimam probat lib. 1. de essentia Dei c. 10. n. 4.

14. Probatur 1. Ex Durādo.

Præcipuum horum ferè omniū theologorum fundamentum est hoc quoniā omne ens vel est reale, vel rationis. Ergò omnis distinctio, vel est realis, vel rationis. Antecedens, vt notum supponūt ex ijs, quę ex Aristotele 6. Metaph. communiter docentur. Consequentiam indè ostendunt; quia pluralitas (quę idem est, quòd distinctio) est passio entis, vt omnes admittunt. Ergò si ens sufficienter diuiditur per ens reale, & rationis; distinctio etiam adęquatè diuidetur per distinctionem realem, & rationis. Hoc fundamento vtuntur Durandus, Heruęus, Soncinas, Sotus, Valentia, Cumelius, imò etiam Bellomontanus loco citato: vbi putat opinionem Scoti hoc argumento adeò esse expugnatam, vt asserat omninò esse cōmentitium dari

Aristot.

mediam distinctionem inter realem, & rationis.

15. 2. ex Suario. Suarius locis citatis putat sententiã, quæ distinctionem mediam excludit, esse per se manifestam, sufficienterque demonstrari hac ratione. Quoniam si duo sunt actu inter se distincta; vel ita comparantur, vt vnionem realem inter se non habeãt: & ita necesse est esse res distinctas, distinguique, vt duas res. Vel ita comparantur, vt necessariò sint cõiunctæ: & tùnc necesse est vnam ad aliã comparari, vt modum eius: & ita consurgit distinctio modalis. Nec potest (inquit) aliud genus actualis distinctionis in re ipsa excogitari: nec fingi aliud genus entis, quod in re ipsa sit. Vndè si aliqua, quæ in re sunt idẽ, concipimus, vt duo, quorum neutrum est modus alterius, nec ens omninò indistinctum, planè non sunt vnum, nec distinguuntur in re, sed per rationem. Nec intelligi potest, quomodóvnum in re afficiat aliud, sed solùm nostro concipiendi modo. Hæc habes ex Suario in d. lib. 1. de essẽtia Dei c. 10. n. 4.

16. 3. ex eodem Vim huius demonstrationis iam anteà posuerat in Metaphysica disput. 7. sect. 1. n. 20: nam (vt ait) vel extrema distinctionis non sunt à parte rei actu distincta vllo modo: & talis distinctio proculdubio est solius rationis. Vel extrema à parte rei actu sunt distincta: & ita, vel vtrunque est vera res habens propriã entitatem; vel vnum est res, & aliud modus rei. Priori modo constituitur distinctio realis, posteriori autem, modalis. Non est autem intelligibilis (inquit) alia habitudo inter hæc extrema, nec aliud medium inter ea excogitari potest: includunt enim inter se immediatam oppositionem, quasi contradictionis. Igitur non est alius modus distinctionis. Hæc ex Suario in Metaphysica.

17. Impugnatio Scoti exprę cedenti sententia. Supposita hac sententia, quæ nullam mediam distinctionem admittit inter realem, & rationis: iam insurgunt præcitati auctores contra Scoti sententiã: quoniam fieri non potest, vt duo aliqua sine intellectus operatione actu distinguantur, nisi inter se realiter sint distincta: nam, si sine intellectu distinguuntur; vtique non distinguuntur distinctione rationis, prẽter quam sola datur distinctio realis. Quarè, cum Scotus non admittat essentiam diuinam realiter distingui à suis attributis; non potest sine contradictione admittere essentiam diuinam ab attributis sine intellectu distingui distinctione formali actuali.

18. Quoniam Bellomontanus in d. disp. 116. c. 5. nu. 26. audacter asserit impugnationem istam euidenter conuincere opinionem Scoti esse omninò commentitiam: nec dubitat Suarius locis citatis eam esse euidentem demonstrationem; non erit Scotistis iniucundum, si in gratiam illorũ vim huius impugnationis accuratiùs expendamus, ostendamusque, quam parum contra Scotum vrgeat. Quod eò libentiùs præstabimꝰ; quoniam duo nostri doctissimi Eremitæ iam contra Heruæum aduerterunt sententiam Scoti illo argumento non satis expugnari: doctissimus scilicèt Alphõsus Toletanus Archiepiscopus Hispalensis meritissimus in 1. d. 8. q. 1. ar. 2. concl. 3. dum agit contra Heruæum: & post eum non minoris eruditionis Gerardus de Senis in 1. d. 2. q. 2. ar. 2. §. *ad secundam rationem*. pag. 133. col. 2.

Vis impugnationis expenditur.

Toletanus.

Gerardus.

19. Distinctio ante Scotũ nõ alia quã realis, aut rationis.

Et vt inefficacia allatæ impugnationis euidentiùs appareat; aduerto antiquos theologos bimembrem illam distinctionis diuisionem à veteribus accepisse: etenim ad Scotum vsquè non alia penè audita est distinctio, quàm realis, aut rationis, vt benè aduertit Fonseca 5. Metaphy. cap. 6. q. 7. sect. 3. post principium. Quæ tamen, & maxima semper passa est difficultates, & ob varias illius explicationes magnam in hac materia semper peperit confusionem, quæ si tollatur; facilè apparebit, quàm inefficax sit argumentum ad cõuincendum Scotum. Tolletur autem facilè, si singulas illius diuisionis explicationes expendamus.

Fonseca.

20. 1. explicatio huius diuisionis.

Prima igitur explicatio sumitur ab Aristotele, & à veteribus philosophis: nam apud veteres, & maximè apud Aristotelem ratio in posteriori diuisionis membro idem est, atque definitio, quæ naturam, & quidditatẽ rei explicat, vt idẽ sit distingui ratione, atq; distingui diffinitione, & quidditate, quæ iã appellari solet ratio formalis. Quanuis enim asserebãt omnia, quæ non distinguũtur realiter ratione distingui: non tamẽ distinctionẽ rationis ita pressè sumebãt,

vt omnia, quæ apud eos ratione distinguebantur, sola intellectus consideratione distingui senserint: sed sæpè etiã ipsarum rerum conditione, & natura, quam appellabant rationem; nomine rationis sumpto pro diffinitione, vel pro eo, quod loco definitionis ponitur, vt benè aduertit Fonseca vbi suprà. Et hanc fuisse Aristotelis mentem, euidenter patet ex 1. Physicorum cap. 2. text. 21. vbi expressè docet album, & musicũ, & alia similia concreta, quę significant accidentia realiter distincta, *esse vnum subiecto; ratione autem diuersa*. Rationem autem in his verbis non dicere considerationem, actumvè intellectus nullus inficiebitur.

Arist.

21. Ratio igitur in illis idẽ est, quòd diffinitio, quidditas, & natura. Idem etiam Aristoteles 1. Physic. c. 7. tex. 6. & c. 9. tex. 78. & multis alijs in locis apertè asserit, *non entia ratione distingui ab ente, imò etiam specie*: materiam scilicèt à sua priuatione, & cęt. vbi ratio nequaquam sumi potest pro consideratione intellectus: constat enim negationes, & priuationes secluſa omni intellectus operatione actu reperiri in rebus, & ab illis actu distingui per actualem non identitatem. Quarè apud Aristotelem distingui ratione sæpissimè idem est, quòd distingui definitione explicante quidditatem rei, & naturam; siuè illa sit vera natura, & quidditas, siuè latè, & extenso nomine quidditatis, & naturæ: quam quidditatem, & naturam philosophi cõmuniter iam appellant rationem formalem. Nec solùm ab Aristotele ratio in hac significatione accipitur; sed etiã à D. Thoma in proposita distinctionis materia, vt idem Fonseca aduertit in d. q. 7. sect. 3. in principio, vt videre est in 1. Sent. d. 2. q. 1. ar. 3. in prima, & secunda parte corporis articuli, & clariùs in 1. d. 31. q. 1. ar. 2. & d. 22. artic. 3. & opusculo 61. c. 3. & alibi sępè: & apud Thomistas dubium esse non potest, quin ratio pro diffinitione sæpissimè vsurpetur. Et in eodem sensu vsurpatur à Varrone lib. 1. Sent. d. 3. q. 2. quem refert, & probat Scotus in 1. d. 2. q. 7. litera GG. §. *respondeo*. & litera HH. §. *Breuiter igitur dico*. Et hanc fuisse veterum mentem ex eo ostendit Fonseca vbi suprà; quia veteres non existimarunt sublata omni operatione intellectus nihil omninò interesse inter actionem, & passionem: magnitudinem, & figuram: hominem, & animal. Nam sublata omni operatione intellectus voluerunt actionẽ esse actũ agentis, passionem verò patientis: magnitudinem esse in quantitatibus, figurã autem in qualitatibus: deniq́ue admittebant præcisa omni consideratione intellectus aliquam perfectionem includi in natura hominis, quæ non includitur in natura animalis.

D Thom. Fonseca.

Varro. Scotus.

Quarè veteres non eo pacto asserebant hæc omnia distingui ratione, vt præcisa omni consideratione nihil inter illa esset discriminis: & subindè in hac bimembri diuisione, qua omnis distinctio ponitur aut realis, aut rationis, si expendenda est veterum mens, ratio non idem est, atque intellectus consideratio: sed idem est, quòd quidditas, & diffinitio. Et qui aliter veteres intellexerunt, longè ab eorum mente aberrarunt, vt benè annotauit Fonseca. 22.

Porrò si diuisio illa bimembris ita explicetur; nullum ex ea contra Scotũ poterit sumi argumentum: quoniam ex mente veterum, & Aristotelis dari possunt duo entia, quæ secluſa omni intellectus consideratione realiter sint idẽ; distincta tamen quidditate, & diffinitione. Vnde talis diuisio in eo sensu maximè fauet Scoto: ex ea enim statim sumemus non leue argumentum, vt distinctionem, quæ ante intellectum datur, in plura diuidamus mẽbra; cõstituamusq́; mediam distinctionem inter realẽ (quæ est rei à re) & rationis, quę est per actualem intellectus considerationem. 23. Hæc explicatio nõ nocet, sed fauet Scoto.

Si quis tamen reiecta veterum mente cum communi ferè omnium sententia contendat in secundo diuisionis mẽbro rationem sumi pro consideratione intellectus; facilè admittam: nam diuisio illa saltèm post Scotum ab omnibus ita explicatur: nec immeritò, quia ratio sæpissimè vsurpatur pro actu, & cõsideratione intellectus. Illud tamen aduerto diuisionem illam bimembrem à suis defensoribus non eodem modo explicari: quod non paruam in hac materia fecit confusionem, quam oportet distinguere; tùm, vt illucescat veritas; tùm, vt inefficacia argumenti euidentiùs appareat. 24. Expenditur alius sensus diuisionis.

Est

25. 2. explicatio. Est igitur secunda in ordine explicatio, quæ nomine distinctionis realis complectitur totum genus distinctionis, qua vnum ab alio distinguitur præcisa omni intellectus operatione: nomine autem rationis eam solùm distinctionem intelligit, quæ sola intellectus operatione datur: ita vt distinctio rationis idem sit, quòd distinctio, quæ solùm datur intellectu operante. Hunc explicandi modum quibusdam placuisse refert Fonseca in dicta q. 7. sect. 1. post principium: placuit enim Durando in 2. d. 2. q. 2. ar. 2. numer. 6. Ochamo ibi q. 3. Heruæo quodlib. 1. quæst. 2. in propria opinione, §. *istud non credo esse verum*, & satis explicat quodlib. 3. quæst. 3. artic. 1. §. *Ad hoc autem adduco*, Ioannes etiam de Gandauo in 6. Metaphysicæ q. 10. clariùs eundem explicandi modum probauere Toletanus, & Gerardus locis citatis, & satis explicat Soncinas 7. Metaphysicæ q. 36. & Sotus q. 3. de vniuersalibus, dum ait: *Si qua est distinctio præter operationem intellectus, ea appellanda est realis.* Iam verò eam dixerat distinctionem rationis, quæ sola operatione intellectus datur.

Fonseca. Durand. Ochamus. Heruæus.

Gandauēs. Toletanus. Gerardus. Soncinas. Sotus.

Diuisio iuxta secundā explicationem est omnino immediata.

Iuxta hanc explicationem multa aduertimus. Primò; admittendum esse diuisionem illam esse omnibus modis immediatam; ita vt quidquid ab alio distinguitur, distinguatur, vel realiter, vel sola ratione. Deindè hanc veritatem non satis efficaciter probari rationibus in argumento allatis. Tertiò; ex illa diuisione sententiam Scoti nullo modo impugnari.

26. Rationes adductæ hoc non conuincunt.

Veritas primi dicti ex dicendis facilè patebit. Quòd autem veritas illius diuisionis etiam in sensu explicato minùs efficaciter probetur, facilè patebit, si singulas rationes expendamus. Nam medium, quo Durandus, Heruæus, Bellomontanus, & cæteri vtuntur, esse minùs accommodatum ad ostendendū immediationem illorum duorum membrorum, ex eo ostendi potest; quoniam antecedens non est immediatum, si id dicitur reale, quod est in rebus sine operatione intellectus, vt supponimus: etenim negationes, & priuationes reperiuntur in rebus absque vllo intellectu considerante, vt patet: & tamen, cum non sint entia, nec sunt ens reale, nec ens rationis, vt modò supponimus tanquàm verum.

Non 1. Durandi.

Quòd si quis occurrat antecedens intelligendum esse de ente positiuo; quod ipsum adæquatè, vel est reale, vel rationis: admittendum est antecedens, si id dicatur reale, quod sine intellectu datur in rebus: in hoc enim sensu quidquid est, vel est reale, vel rationis: quia quidquid est, vel est omni actu intellectus secluso, vel est tantùm per actum intellectus: nec enim potest dari medium; cum hæc membra sint contradicentia. At vero ex illo antecedente, si benè expendatur medium consequentiæ, solùm infertur distinctionem solùm conuenire posse, vel enti reali, vel enti rationis: nam cum distinctio sit passio entis; vtique non poterit conuenire, nisi soli enti: cum verò ens sit, aut reale, aut rationis in sensu sæpiùs explicato; vtique distinctio conuenire non poterit, nisi vel enti reali, vel enti rationis. Quòd licet sit verissimum; ad institutū tamen aduersariorum nihil conducit. Si quis verò ex eo, quòd distinctio est passio entis, & ens, vel est reale, vel rationis; velit inferre distinctionem realem soli enti reali conuenire; rationis autem soli enti rationis, non bonam faciet illationem, vt benè aduertit Fonseca loco sæpiùs citato: etenim sicùt distinctio realis (id est, quæ sine intellectu reperitur) non soli conuenit enti reali, sed etiam enti rationis: ita etiam distinctio rationis non in solo ente rationis reperitur, sed etiam in ente reali, vt idem Fonseca benè annotauit. 27.

Primum patet: quoniam non solùm entia realia realiter, id est, sine intellectu distinguūtur; sed etiam entia rationis: intentio enim generis, quanuis sine intellectu non existat in natura generica: tamen existens in illa, distinguitur sine intellectu ab intētione speciei, quæ in natura specifica per intellectum inest. Posterius autem ex eo ostenditur: quoniam dantur plura, quæ cessante intellectu sunt realiter idem: per intellectum tamen sunt plura, & inter se distincta, vt patet in diuinis attributis apud communem Diui Thomæ opinionem, vt ex dicendis fiet manifestum. Quarè non satis considerata erit consequentia, si quis ex præcitato an- 28.

cecedente inferat distinctionem in hoc sensu esse vel realem, vel rationis; vt realis soli enti reali conueniat; rationis autem soli enti rationis. Ex quibus iam manifestè colliges medium, quo Durãdus cum cæteris contendit probare omnem distinctionem esse vel realem, vel rationis, non esse satis accommodatum: nam quanuis consequens sit verum (vt diximus) consequentia tamen est inutilis. Hæc autem minùs accõmodatè probatur ex eo, quòd omnis distinctio sit passio entis: hoc enim solùm infert omnem distinctionem solùm posse conuenire enti vel reali, vel rationis: quòd verò omnis distinctio sit, vel realis, vel rationis, nequaquam inferre potest. Et hæc satis sint dicta contra argumentum, quo vtitur Durandus cum cæteris.

29. Nec 2. Suar. Argumentum verò, quo vtitur Suarius, euidenter claudicat in vtroq; mẽbro, si persistendum sit in explicatione, quam supponimus. Nam cum ait ea, quę actu inter se distinguuntur, vel ita comparari, vt vnionem realem inter se non habeant: vel ita comparari, vt sint res reali vnione coniunctæ: verissimum est, si per vnionem realem intelligamus vnionem, & identitatem, quæ est sine intellectu: etenim, quę actu distinguuntur, vel ita se habent, vt sine intellectu non sint vnum, sed distincta: vel ita, vt sine intellectu vnum sint, & omninò indistincta: hæc enim sunt duo membra verè cõtradicentia. At tamen cum in minori subsumit; si vnionem realem inter se nõ habent, necessariò inter se distingui, vt duas res; apertissimè petit principium, si in data explicatione persistamus: quoniam ex sententia aduersariorũ distinctio, quæ est sine intellectu (quam nunc realem appellant) non necessariò infert distinctionem realem propriè sumptã, qua vnum ab alio distinguitur, vt res à re: possunt enim duo aliqua distingui realiter, id est, sine intellectu; & tamen esse vnum realiter, id est, esse vnam, & eandem rem. Et cum hoc sit vnicũ Scoti fundamentum, & in eo sit positus totius controuersiæ status; apertissimè committitur fallacia petitionis principij, dũ ex eo, quod duo non habent realem vnionem, sed realiter, hoc est, sine intellectu distinguũtur; infertur illa distingui, vt duas res: cũ possint esse vnũ realiter; distincta tamen formaliter. Quarè si persistamus in secunda explicatione distinctionis in realem, & rationis, argumentum omninò claudicat in priori membro.

Claudicat etiam in membro secundo: quoniã vel in eo est sermo de vnione, & coniunctione reali, proùt vnio realis idem est, quòd vnio, & indistinctio, quæ est sine intellectu: vel de vnione, qua duo aliàs distincta sunt vna res, & non plures. Si argumentum sumatur in priori sensu (in quo necessariò sumendum est, si in supposita explicatione persistimus) argumentum se ipsum destruit: nam, quæ actu ita sunt distincta, vt sine intellectu omnimodam habeant vnionem; nullam habere possunt distinctionem sine intellectu, nec etiam modalem: alioquin sine intellectu non erunt omnimodè vnum, & indistincta, sed distincta potiùs. At, si argumentum sumatur in posteriori sensu; iam committitur æquiuocatio: quia supponimus illam vnitatem dici realem, quæ est sine intellectu; argumentum autem diuertit ad vnitatem realem propriè sumptam, qua quælibet res est vna res distincta ab alia re. In quo sensu diuisio illa bimembris neganda est ab aduersarijs: quia fieri potest (vt contendunt) vt, quæ actu distinguuntur, non distinguantur, vt duæ res; sed sint vna res realiter, plures tamen formaliter. Quarè argumentum petit principium, dum sumit inter distinctionem realem, qua duo distinguuntur, vt res à re, & inter distinctionem rationis nullam aliam fingi posse distinctionem, nisi modalem: de hoc enim est controuersia, & negatur ab aduersarijs, contra quos Suarius argumentatur. Et hæc pro solutione argumenti, quo vtitur Suarius libro primo de essentia Dei cap. 10. numer. 4. 30.

31. Nec 3. eiusdem. Illud autem, quo vtitur in Metaphysica disputatione septima sectione prima numero vigesimo; ita dissoluendum est, vt admittamus extrema distinctionis, vel non esse à parte rei actu distincta; vel esse, *si idem est à parte rei*, quòd sine intellectu. Admittimus etiam, quæ à parte rei (hoc est, sine intellectu) actu non distinguuntur, proculdu-

cùldubio sola ratione distingui : negabunt tamen aduersarij ea, quæ à parte rei (hoc est secluso intellectu) actu distinguuntur, vel esse duas res distinctas, vel esse rem, & modum rei, quia admittunt, quæ sine intellectu actu distinguuntur posse esse vnum realiter, non tamen formaliter. Quarè, cum Suarius addit non esse intelligibilem tertiam aliam habitudinem inter ea, quæ sine intellectu actu distinguuntur; apertissimam committit fallaciam petitionis principij; cum hac de re sit tota controuersia. Claudicat etiam in eo, quòd putat duo membra, quæ ponit, immediatam includere cõtradictionem: hoc enim negant aduersarij; apud quos, quę sine intellectu actu distinguuntur, vel habent distinctam realitatem: vel vnum est res, & aliud modus rei: vel vtrunque est eadem res habens duas distinctas formalitates: cuius oppositum non sumendum erat, sed probandum.

32. Probatio efficax. Reiectis superioribus probationib' indè efficacissimè probari poterit diuisionem distinctionis in realem, & rationis in sensu explicato esse omninò immediatam; quoniam si omnis distinctio, quæ est sine intellectu, dicitur realis; rationis autem, quæ solum est per intellectum: nullo modo excogitari potest media aliqua distinctio: quoniam aliquid dari per solùm intellectum; & non dari per solum intellectum sunt mẽbra verè contradicentia; vt nos aduertimus ar. 2. huius quæstionis §. 1. paulò ante finem: & postea inuenimus apud Suarium in Met. disp. 7. sect. 1. n. 9. & 27. Concludendum est igitur admissa secũda explicatione distinctionis in realẽ, & rationis admittendum esse diuisionẽ illam bimembrem esse omninò immediatam. Quarè in hoc sensu libenter admittim' aduersarijs id, quod supponũt.

33. Nec secunda explicatio nocet. Ex illa tamen diuisione ita explicata nullo modo impugnari sententiam Scoti (quod est tertium nostrum assertum) facilè ostenditur: quoniam etsi argumẽtum probat inter distinctionem realẽ, & rationis nullam dari posse mediam distinctionem: non tamen probat essentiam ab attributis realiter non distingui, si distingui realiter idem est, quòd distingui ante intellectum: etenim cum apud Scotum essentia ante intellectum actu distinguatur ab attributis; facilè admittet in hoc sensu eam ab attributis realiter distingui. Nec in hoc sibi erit contrarius: nam, cum negat realem distinctionem inter essentiam, & attributa; non ita accipit distinctionem realem, sed eam solam appellat realem, qua aliquid ab alio distinguitur, vt res à re. Inter hanc autem, & distinctionem rationis admittit distinctionem mediam, quam appellat formalẽ, & ex natura rei: quod verissimũ esse iam iam monstramus.

34. Tertia explicatio. Tertia explicatio diuisionis, qua distinctio diuiditur in realem, & rationis, est eorum, qui nomine distinctionis realis eam solam intelligunt, quæ est propriè realis, vtpotè quæ solùm reperitur inter rèm, & rem: cæteras verò omnes distinctiones appellant rationis; proùt scilicèt distinctio rationis ea dicitur, quæ fit per solam operationem intellectus: vt idẽ sit distinctio rationis, quòd distinctio facta per actualem intellectus considerationem.

Fonseca. Hanc opinionem quibusdam recentioribus placuisse refert Fonseca libr. 5. Metaphys. cap. 6. q. 7. sect. 2. placuit Bellomontano, si expendantur, quę scribit 1. p. disp. 116. cap. 5. numer. 25. & in suo indice verbo distinctio, dum ait: Quę ante intellectum non sunt idem, etiam si mutuò separari nequeant, realiter distingui. Et hanc putat fuisse opinionem Aristotelis, Augustini, & Diui Bernardi. Potest etiam tribui Suario, si expendantur, quæ latè nimis scribit de varijs distinctionum generibus in Metaphysica disp. 7. sect. 1. Nam ibi num. 1. admittit distinctionem realem, quæ dici solet distinctio rei à re. Deindè numer. 4. agnoscit distinctionem rationis, quæ non est in rebus, proùt in se existunt, sed solùm proùt subsiant conceptibus nostris. Tandem numer. 9. inquirit, an præter hæc duo genera distinctionum, sit aliud medium admittendum: & recitatis duabus oppositis opinionibus resoluit numer. 16. dari quidèm distinctionem modalem, & præter modalem nullam aliam, id, quod latè confirmat numer. 20. Et subindè si distinctio modalis cum reali enumeretur in ea est sententia, vt præter distinctionem realem, quæ est inter rem, & rem,

aut modum eius, nulla alia detur distinctio, nisi rationis; proùt scilicèt distinctio rationis est ea, quæ solùm reperitur in rebus per intellectus considerationem.

35. Improbatur cum Fõseca. Hanc explicationẽ non satis esse cõsideratam asserit Fonseca in d.q.7. sect. 2. & idem est nostrum iudicium; puto enim eos in luce meridiana cæcutire, qui putant non esse admittendam aliam distinctionem, nisi realem, & rationis, si distinctio realis ea tantùm dicitur, quæ est inter rem, & rem; rationis autem, quæ solùm datur per intellectum, sumpta ratione pro actuali consideratione: in hoc enim sensu opinio est omninò improbabilis. Primò; quia solùm placuit recentioribus, & adhùc paucis, vt Fonseca testatur in d. q.7. sect.2. §. *itaquè nisi velint.* Deindè; quia puto verisimam esse illorum sententiam, qui inter distinctionem realem rei à re, & distinctionẽ rationis, quæ fit per considerationem intellectus; admittunt distinctionẽ formalem actualem (quæ iam communiter appellatur ex natura rei) non solùm inter rem, & modum rei; sed etiam inter duo entia formalia positiua.

Primò.

Secundo.

36. Fonseca. Hanc fuisse sententiam Scoti, & vniuersæ Scotistarum scholæ latè ostendimus suprà ar. 2. §. 1. Eam admittit doctissimus Fonseca in 5. Metaph. c. 6. q. 6. sect. 1. in principio, & sect. 2. post principium, vbi refert eam placuisse aliquibus recentioribus. Probauit eandem Cursus Conimbr. in præfatione Porphyrij q. 4. ar. 2. §. *id quò manifestius*. Et si de rebus creatis sit sermo (nam in diuinis aliter inferiùs sentimus) eam puto non solùm esse illustriorem, & ad vsum accommodatiorem (vt putat Fonseca vbi suprà sect. 3.) sed etiam verisimam: puto enim cum eodem ibi sect. 1. aut non dubitari, aut non debere rationabiliter dubitari plura, quæ à parte rei in rebus creatis sunt idem realiter seclusa quacunque intellectus operatione actualiter distingui suis realibus formalitatibus: etenim relatio, & fundamentum, magnitudo, & figura, gradus item metaphysici (vt gradus hominis, & animalis in homine) inter se realiter sunt idem, vt contra nonnullos supponimus: & tamen seclusa omni intellectu, actu sunt formaliter distincta; cum distinguantur inter se diffinitione, & essentia. Aliàs cogemur concedere in rebus creatis relationem formaliter, & essentialiter esse substantiam, in qua sæpè fundatur; & vicissim substantiã formaliter, & essentialiter esse relationẽ.

Simili modo cogemur admittere quãtitatem formaliter, & essentialiter esse qualitatem; & qualitatem quantitatem; quæ tamen opinio ex parte conuenit cum absurdissima sententia Parmenidis, & Melissi omnia eiusdem esse naturæ asserentium, vt benè aduertit Fonseca in d. q.7. sect. 2. §. *Itaquè nisi velint.* Deniquè hanc sententiam euidenter (ni fallor) licet colligere ex Aristotele, & veteribus, si expendantur, quę in prima explicatione huius distinctionis bimẽbris ex mente Aristotelis, & veterum suprà retulimus: constat enim ex illis dari plura, quę secluso quocunque intellectu sunt realiter vnum, distincta tamen ratione, id est, quidditate, & diffinitione. Quarè apud Aristotelem, & veteres præter distinctionem realem rei à re, & distinctionem rationis per considerationem factam necessariò danda est distinctio media eorum, quæ licèt sint realiter vnum; diffinitione tamẽ, & quidditate sunt distincta. Et hanc distinctionem Scotus cum cęteris appellat formalem, & ex natura rei; quia est distinctio sumpta ex formali rei quidditate, & natura. 73. Fonseca.

Et cum hęc sententia non solùm placuerit viris doctissimis; sed etiam Aristoteli, & veteribus philosophis, & probabilissimo nitatur fundamento; non possum non admirari audaciam Bellomontani asserentis distinctionem formalem mediam inter realem, & rationis in sensu explicato esse omninò cõmentitiam. Nec culpa vacat Suarius, dum affirmat esse per se manifestum non dari mediam illam distinctionem. Vtrunque esse non solùm manifestè falsum, sed etiam gratis dictum, facilè patebit, si argumenta soluamus, quę in oppositum adducuntur. 38.

39 Ad primam probationẽ Durandi. Toletanus. Ad primum igitur (quòd Bellomontano fuit vnicum fundamentum) respõdendum est cum nostro Toletano in 1. d.8.q.1. art.2. concluf. 3. dum agit contra Heruęum, diuisionem entis in realem, & rationis, nisi benè explicetur nõ esse

esse immediatam. Explicari autem potest duobus modis. Vno modo, vt idem sit ens reale, quod ens existens sine intellectu: ens autē rationis dicatur, quod resultat ex operatione intellectus. Altero modo; vt ens reale idem sit, quod habens realitatem, entitatemque sibi propriam distinctam à realitate alteri⁹ entis, à quo distinguitur, vt res á re.

40. Si priori modo diuisio explicetur, verè est immediata nullum tertium membrum admittens. Et in hoc sensu admittenda est consequentia, vt superiùs latè ostendimus. Cum verò distinctio realis ità explicata habeat latitudinem, vt ibi diximus (quia alia est distinctio realis propriè sumpta, qua res à re distinguitur; alia ex natura rei; quæ rursùs diuiditur in modalem, & formalem) non benè syllogizabit, qui exeo, quòd nulla datur distinctio media inter distinctionē sine intellectu, & per intellectum, intulerit nullam dari mediam distinctionem inter eam, quę est rei à re, &, quæ est per intellectum. Quare antecedens, si priori sensu intelligatur, non est medium satis accommodatum ad probandum id,

41. quod intenditur.

At si antecedens explicetur posteriori modo, negandum est diuisionem entis in reale, & rationis esse immediatam, quod negauit Toletanus cum Scoto, & suis. Etenim datur tertium genus entis, quod complectitur entia, quæ realiter sunt vnum, formaliter tamē distincta: vt sunt magnitudo, & figura: relatio & fundamentum: actio, & passio: gradus deniq; Metaphysici, qui in singulaquaq; specie reperiūtur. Nam quodlibet istorum entiū verè est ens reale: quia quodlibet à parte rei veram, ac ratam habet entitatem: vndè nullum est ens rationis, & tamen nullum ab alio distinguitur, vt res à re; sed solùm distinguitur per rationem quidditatiuam eiusdem realitatis, siue entitatis: etenim vnam, & eandem realitatem, entitatemquè habere plures rationes quidditatiuas, & formales, quę per diuersas diffinitiones explicentur, docent Philosophi sapientissimi, quorum sententiam, vt verissimam supponimus. Quare duplex distinguendum est ens reale, vt distinguitur ab ente rationis: vnum est, quod est ens reale propriè quidèm, sed non proprijssimè. Ens proprijssimè reale est illud, quod habet realitatem, entitatemq; ità sibi propriam, vt omninò excludat identificationem cum realitate, & entitate alterius entis: & isto modo distinguitur quodlibet suppositum, & quodlibet ens, quod in distinctis suppositis, subiectis vè potest reperiri. At ens propriè reale illud erit, quod habet quidèm entitatem sibi propriam non excludendo identitatem cum realitate alterius entis, á quo formaliter distinguitur: & isto modo distinguuntur, quæ à parte rei sunt realiter idem, formaliter tamen distincta. Quare inter ens reale proprijssimè sumptum, & ens rationis datur medium quoddā genus entis realis: cuius oppositum sine probatione sumit antecedens propositi argumenti. Et hæc sit prima illius Solutio.

Ens reale duplex.

Secunda Solutio ex eo sumi potest; quia admisso antecedente in sensu explicato non benè infertur omnem distinctionem esse, vel realem, vel rationis, vt superiùs annotauimus. Nec probatio aliquid efficit: quoniam distinctionem esse passionem entis, solùm potest inferre distinctionem, non posse conuenire, nisi vel enti reali, vel enti rationis: quod longè aliud est, quàm distinctionem esse vel realem, vel rationis. Vide, quæ superiùs diximus. Et hæc pro solutione primi argumenti, quod ex Durando, & Heruæo desumpsit Bellomontanus.

42. 2. Solutio.

Ad secundum argumentum, quod ex Suario adduximus, facilis est Solutio: quoniam licèt, quæ inter se actu distinguuntur, debeant à parte rei ità inter se comparari, vt habeant, vel non habeant vnionem realem in sensu explicato (quia necessariò vel distinguuntur, vt res à rè; vel non ità distinguuntur, sed realiter sunt vna res) tamen fieri potest, vt ea, quæ à parte rei sunt vnū realiter, non modo distinguantur modaliter, vt res, & modus rei; sed etiam formaliter penes distinctas formalitates, vt sæpe diximus: quanuis oppositum sine probatione sumatur. Vide suprà.

43. Ad 2. Suarij

Tertium etiam argumentum eiusdē Suarij simili modo soluitur: admittimus enim extrema distinctionis à parte rei esse, vel non esse actu distincta. Admittimus etiam, quę à parte rei sunt actu

44. Ad 3. eiusdē

distincta, vel ità se habere, vt vtrunquè sit vera res, alterum sit res, alterum modus rei: negamus tamen necessariò inter vtrunque dari distinctionem realem rei à re; quanuis vtrunque sit vera res: quoniam fieri potest, vt vtrunque sit vna, & eadem res distinctas habens quidditates, & diffinitiones, vt sæpe dictum est. Quare etiam in hoc argumento apertissimè committitur fallacia petitionis principij. Et hæc satis dicta sint vt inefficatia secundæ impugnationis appareat.

§. 3.

Expenditur tertium caput impugnationis Scoti; an essentia diuina vnitè contineat omnem attributorum formalitatem?

45. Pars affirmãs ex qua sumitur argumentum.

TErtio loco plures contra Scotum ex eo sumunt argumentum, quòd essentia diuina, sicut ex sua natura vnitè continet realitatem suorũ attributorum; ità vt & essentię, & attributorum vna sit simplicissima realitas: sic etiam ex sua natura vnitè continet omnem formalitatem illorum; ità vt, & essentiæ, & attributorum vna sit simplicissima formalis ratio. Ergò sicùt ex natura rei ante omnem intellectum essentia, & attributa habent omnimodam identitatem realem secluſa omni reali distinctione: ità etiam ex natura rei ante omnem intellectum essentia, & attributa habẽt omnimodam identitatem formalem secluſa omni distinctione formali actuali. Consequentia est nota etiam apud Scotum. Antecedẽs multipliciter probatur. Et quoniam in hoc positus est totus controuersiæ status; non erit inutile omnes rationes hoc loco referre, quibus auctores huius medij volunt antecedens illud esse confirmatum.

46. Probatur 1. ex Gerardo

Primò igitur sic argumentatur Gerardus noster: sicùt se habet realitas diuinæ essentię ad realitates attributorũ: ità se habet ratio formalis illius ad rationes formales eorum. Sed realitas diuinæ essentiæ ità continet realitates attributorum, vt illius, & attributorum vna tantùm sit realitas secluſa omni, quantunuis minima distinctione reali. Ergò formalis ratio essentiæ sic continebit formales rationes attributorum, vt omnium illorum vna tantùm sit simplicissima ratio formalis secluſa omni distinctione formali, quæ actu sit ante intellectum.

47. Secundò.

Secundò attributa transeunt in diuinam essentiam secundùm suas realitates; ità vt essentiæ, & attributorum vna tantum sit simplicissima realitas. Ergo attributa in eandem diuinam essentiam transeunt secundùm suas formalitates; ità vt vna tantùm sit illorum formalis ratio. Antecedens est de fide, vt patet ex dictis contra Gilbertum in ar. præcedente. Consequentia probatur: quoniam, quæ ratio concludit transitũ attributorum secundùm suas realitates; eadem concludit transitum eorundem secundum suas formalitates. Nam si dicas causſam prioris transitus esse perfectionem attributorum; constat attributa magis importare perfectionem secundùm suas formalitates, quàm secundùm realitates: realitas enim attributorum non importat perfectionem simpliciter, nisi propter rationem formalem eorum. Cui argumento est, quòd perfectiones creaturarum, quæ in Deo solùm eminenter continentur, non dicũt perfectionem simpliciter (alioquin in Deo formaliter continerentur) & tamen, vt sunt in Deo, sunt idem realiter cum Deo. Igitur attributa non dicunt perfectionem simpliciter præcisè ratione realitatis, sed ratione suæ formalitatis. Quare si perfectio realitatis attributorum est causſa, vt realitas eorũ transeat in realitatẽ diuinę essẽtię; vtiq; perfectio formalitatis eorum erit etiã causſa, vt formalitates eorum transeãt in formalitatem diuinæ essentiæ.

48.

Idem etiam concludendum erit, si dicas causſam prioris transitus esse perfectionem diuinæ essentiæ: cõstat enim, quòd diuina essentia non est minùs perfecta secundùm suam rationem formalem, quàm secundùm suam realitatem. Imò (si comparatio facienda est) essentia dicenda est perfectior secundùm formalitatem, quàm secundum realitatem: ideò enim vendicat sibi omnẽ formalem perfectionem; quia ex sua natura est formaliter perfectissima. Quare, si ob perfectionem suę realitatis vnit sibi realitates attributorum; vtique ob perfectionem suæ formalitatis vniet sibi omnem attributorum formalitatem. Id ipsum etiã infertur, si quis dicat trã-

situm

situm secundùm realitatē oriri ex perfectione, tàm essentię, quàm attributorum, vt per se patet. Quin potiùs idem concludendum erit, si quis asserat, tàm essentiam, quàm attributa eandem perfectionem importare secundùm realitatem, atq; formalitatem: nam, si semèl admittatur realitatem attributorum transire in realitatem essentię propter ipsius realitatis perfectionem; profecto cum formalitas eorum eandem habeat perfectionem, in ea etiam idem transitus admittendus est.

49. Confirmatur, visquè argumenti augetur.

Quòd si dicas causſam per se transit° realitatis in realitatem non præcisè esse sumendam ex perfectione, sed ex infinitate; argumentum maiorem habet efficaciam: quoniam sicut essentia est infinita quoad suam realitatem; ità etiã infinita est quoad ad suam formalitatē. Quare si essentia ex eo, quia est secundùm suam realitatem infinita, identificat sibi omnem realitatem attributorũ eàdem ratione etiam sibi identificabit omnem illorum formalitatem, cum etiã secundùm eam infinita sit, & illimitata; idem dicendum est de attributis: nam si ideò tanseunt in realitatem diuinæ essẽtiæ, quia secundùm suam realitatem sũt infinita; cum etiam habeant infinitam formalitatem; vtique etiam secundùm eam transibunt in formalitatē essentiæ. Et meritò sanè: quoniam sicùt essentia non esset realiter infinita, nisi idem esset realiter cum suis attributis: ità non esset formaliter infinita, nisi formaliter idem esset cũ eisdem: etenim distinctio inter extrema non potest simùl esse cũ infinitate alterius extremi sub illa ratione, qua est infinitum.

50. Secunda cõfirmatio.

Et confirmari potest: quoniam sicùt essentia est realiter infinita infinitate infra latitudinem entitatis, siue realitatis, quia ad nullam entis realitatem est simpliciter terminata: ità etiam est formaliter infinita; quia infra latitudinem formalitatum entis ad nullam formalem entis perfectionem est terminata. Quare, si semèl admittatur essentiam diuinam esse formaliter infinitam; vtique in se ipsa vnitè continebit omnem formalitatem suæ realitatis. Idem dicendũ est de attibutis, si semèl admittantur esse infinita, tùm quoad realitatem, tùm quoad formalitatem: vtroquè enim modo transibunt in diuinam essentiam.

51. 3. ex Gerardo.

Tertiò idem Gerardus ità arguit: attributa, provt inueniuntur in creaturis, eodem modo differunt à subſtantia secundùm suam formalitatem, quo differunt secundùm suam realitatem. Ergò si, vt sunt in Deo, realitas illorum transit in realitatem essentiæ; formalitas etiam transibit in formalitatem. Consequentia videtur nota ex paritate rationis. Antecedens indè probatur; quoniã attributa (v. g. sapientia, & iustitia) vt sunt in rebus creatis, non aliter distinguuntur à subſtantia, in qua sunt, nisi distinctione disparata simplicis negationis; quatenus scilicèt subſtantia non est iustitia, & iustitia non est subſtantia. Quam eandem distinctionem habent, siue sumãtur secundùm realitatem, siue secundùm formalitatem: non enim aliter distingui possunt, nisi distinctione disparata simplicis negationis. Quod fuit antecedens probandum.

52. 4. Ex eodẽ.

Quartò ex eodem Gerardo; actus, quo Deus intuitiuè videt suam essentiã, est vnus simplex actus, non solùm realiter, sed etiam formaliter. Ergò diuina essentia respondet illi actui, vt vnum obiectum, non solùm realiter, sed etiam formaliter. Antecedens conceditur ab Scotistis. Consequentia probatur: nam peto, vndè est, quòd talis actus sit vnus realiter, & formaliter? Si ex eo, quòd diuina essentia (quæ est obiectũ adæquatũ illius) est vna realiter, & formaliter; habemus intentum, in diuina scilicèt essẽtia non dari pluralitatem formalitatũ. Porrò, si ideó talis est, quia tàm realiter quàm formaliter est infinitus, & illimitatus; ratione cuius illimitationis sub vna realitate, & formalitate continet, realitates, & formalitates infinitorum actuum; ità vt sub vna ratione formali possit intendere in omnes formalitates attributorum; si, inquam, talis est: cur essentia (quæ est illius obiectum adequatum) nõ erit vna realiter, & formaliter? Etenim, tàm realiter, quàm formaliter est illimitata.

53. 5. Ex eodẽ.

Quintò ex eodem Gerardo; si attributa in Deo manerent distincta secundùm proprias formales rationes; vtiq; in essentia, & in attributis darentur diuersa *esse* formaliter. Cõsequens est falsum. Consequentiam supponit tanquã notam.

notam. Minorem probat: quia vel esse diuinum in suo formali, & quidditatiuo conceptu includit *esse* cuiuslibet attributi: vel non. Si includit; non distinguitur formaliter ab attributis. Non potest dici, quòd non includat: quia inde sequeretur, quòd *esse* cuiusque attributi posit per intellectum abstrahi ab essentia; quod est contra doctrinam Dionysij: etenim attributa essentialiter includuntur in essentia. Admittendum est igitur in diuina essentia non dari plura *esse* formaliter distincta, nec plures formalitates distinctas actualitèr; sed dari vnum tantùm esse formale, vnamque formalem rationem essentiæ, & atributorum.

54. 6. Ex Caietano. Sextò ità potest argui ex Caietano: cuilibet simplicissimæ rei, quæ secundũ se est maximè vna, necessariò debet respondere vna ratio formalis adęquata. Sed essentia cum suis attributis est res simplicissima, & maximè vna. Ergò illi respondere debet vnica ratio formalis adæquata, quæ eminenter cõtineat omnes rationes formales attributorum. Minor est nota. Maiorem probat: quoniam alioquin res illa non esset per se primò vnum intelligibile à quouis intellectu

55. Confirmatio eiusdem Confirmatur ex eodẽ Caietano: quoniam verbum Dei est vnicum, & perfectum, vt patet. Ergò adæquat id, cuius est verbum. Igitur res illa, cuius est verbum, est vnum formale intelligibile Iam verò verbum Dei nõ solùm est verbum essentiæ, sed etiam attributorum. Ergò essentia cum attributis est vnum obiectum formale, vnumque formale intelligibile.

56. 7. Ex eodẽ. Septimò ex eodem Caietano: quæcunquè formaliter adunantur in vna, & adæquata ratione formali Dei, non distinguuntur formaliter ex natura rei. Sed perfectiones diuinæ (quas appellamus attributa) secluso omni opere intellectus adunantur in vnica, & adæquata ratione formali essentiæ Dei. Ergò non distinguuntur formaliter à diuina essentia. Maior patet, quia aliàs diffinitio non adęquaretur diffinito. Minor probatur; quia non magis adunãtur virtutes qualitatum inferiorum in luce solari, quám perfectiones simpliciter in Deo, Sed illæ adunantur formaliter, vt ex se patet, & cõceditur ab aduersarijs. Ergò perfectiones simpliciter in Deo adunantur in vna ratione formali diuinæ essentiæ.

57. 8. Ex eodẽ. Octauò ex Cumelio: quoniam diuina essẽtia est vna res infinita simplicissima sine aliqua partitione. Ergò illius diffinitio debet esse infinita, & simplicissima, atque vna, vt cohærere posit cum maiestate tantę rei. Ergò in se includet omnem formalitatem attributorum: nam & Deus de se ipso vnam concipit rationem formalem, & vnum diuinum verbum.

58. Vltimo. Postremò; vnitas dicit perfectionem in ente: quia ex se pertinet ad primum ens. Ergó ens perfectissimum ex natura rei est maximè vnũ in sua perfectione. Ergò cum attributa ad diuinam perfectionem pertineant, Deus in illis erit maximè vnus: & subinde erit vnus, & realiter, & formaliter.

59. Ex ijs, quę tã latè adduximus, satis videtur confirmari diuinam essentiam nõ solùm ex sua natura in se vnitè continere omnẽ realitatem attributorum, sed etiã omnẽ illorum formalitatẽ; ità vt sicùt essentiæ, & attributorum datur vna simplicissima realitas omninò in distincta: sic etiam detur vna simplicissima ratio formalis ex natura rei secluso omni intellectu actualiter in distincta. Quod fundamentum si admittatur, omninò expugnat opinionem Scoti.

60. Difficultas. Hæc Scoti impugnatio petit difficultatem scitu dignissimam; vtrùm diuina essentia vnitè contineat omnem attributorum formalitatem; sicùt vnitè continet illorum entitatem, siue realitatẽ? Pars quę affirmat. Auctores huius tertiæ impugnationis affirmant; & inde inferunt essentię, & attributorũ vnam esse, & simplicissimam rationem formalem: sicùt etiam vna est illorum simplicissima realitas. Scotus tamen cum suis admittit quidèm diuinam essentiam vnitè continere omnium attributorum realitatem: negat tamen eam vnitè continere illorum formalitatem. Vndè concedit essentię, & attributorum vnam esse simplicissimam realitatem: non admittit tamen in essentia, & atttibutis vnam dari rationem formalem, sed plures. Quare ad tertiam istam impugnationem negat antecedens. Et quia illius opinionem modo defendimus, ostende-

Negat Scotus

Defenditur

ostendemus argumenta contra eam rẽ non euincere.

61. Ad primũ Gerardi. Ad primum respondetur maiorem sumi sine probatione: cum tamen negãda sit ab Scotistis. Eam in terminis negat Rada 1. tomo controuersia quarta ad confirmationem quinti principalis pag. 69. col. 2. Ratio discriminis ex eo sumi debet; quoniam apud Scotum vninitio ista essentię cum attributis solùm fit ratione infinitatis, vt ad secundum dicemus. Infinitas autem, quanuis ex sua natura comitetur, tàm realitatem, quàm formalitatem diuinæ essentiæ, tãquam gradus essendi vtriq; intrinsecus tamen ex sua natura solúm infert omnimodam identitatem in realitate, non verò in formalitate, vt colliges ex Scoto, & ex Scotistis: quos in solutione secũdi referemus. Quare licèt infinitas diuinæ essentiæ inferat omnimodam identitatem, & vnitionem cum suis attributis in realitate eorum: non tamen infert identitatem cum illorum formalitate. Ob quam rationem infinitas formalitatis essentiæ nõ est incomposibilis cũ distinctione formali in ordine ad attributa; sed solùm cum distinctione reali. De quo statim plura.

62. Ad 2. cũdũ. Ad secundum concesso antecedente, neganda est consequentia propter disparem rationem, quæ reperitur in realitate, & formalitate, tàm essentię, quàm attributorum. Quare negandum est eãdem rationem, quæ cõcludit transitum attributorum in essentiam secundũ suas realitates; concludere etiam transitum eorundem secundum suas formalitates. Probatio autem in contrarium adducta friuola est: quoniam causa illius transitus non est sumenda præcisè ex perfectione vel essentię, vel attributorum, quatenus est perfectio, sed quatenus est sũma perfectio: etenim ratio perfectionis etiam entitatiuę, quatenus est talis; sicùt non excludit distinctionẽ, vel in realitate, vel in formalitate (dantur enim entia perfecta, quæ non modo formaliter distinguuntur, sed etiam realiter) ità nõ necessariò includit vnitionẽ vel in realitate, vel in formalitate: dantur enim entia, quæ sunt & realiter, & formaliter idem; & alia, quæ sunt idem realiter, distincta tamen formaliter, vt sæpe diximus. Quare causa per se transitus attributorum in essentiam non est sumenda ex perfectione aut essentiæ, aut attributorum, quatenus est perfectio; sed quatenus est summa perfectio. Iam verò perfectio habet, quòd sit summa, ex infinitate, & illimitatione; quæ est quidam modus essendi intrinsecus diuinę entitati, & perfectioni. Igitur causa transitus attributorum in diuinam essentiã, & identificationis essentię cum attributis est ipsa infinitas, quętàm in essentia, quàm in attributis reperitur: quoniam entitas simpliciter infinita non solùm vendicat sibi omnem essẽdi gradum; sed etiam identificat secum omnem gradum essendi, & modum, quẽ in se habet. Quod est indubitatum tám apud Scotistas, quàm apud Thomistas.

63. Controuersia inter Thomistas, & Scotistas. Est tamen inter eos controuersia: quoniam Thomistę volunt infinitatem simpliciter idẽtificare secum nõ solùm omnem realitatem eorum, quæ in re infinita reperiuntur; sed etiam omnẽ formalitatem cuiuscunque gradus, & realitatis, quæ in eadem re infinita existit, vt patet ex Caietano de ente, & essentia c. 6. q. 12. & ex alijs, quos contra Scotum retulimus. Oppositum tamen docent Scotistæ, qui volunt infinitatem in gene re entis vendicare sibi omnem essendi perfectionem; non tamen omnem perfe ctionem essendi identificare secum formaliter, sed solùm realiter. Ità verbis expressis docet Rada in d. 4. controuer sia concl. 4. dum impugnat solutionem Caietani ad primum pagin. 62. col. 1. in principio, & inferiùs ad quintum argumentum principale pag. 69. col. 2. vbi cĩtat Scotum quodlib. 5. eo tamen loco licèt Scotus doceat infinitatem identificare sibi realiter omnem perfectionem quę in ente infinito reperitur; nihil tamẽ dicit de idẽtificatione formali. Quare melius citaret Scotum in 1. d. 5. quæstione 2. litera M. §. *qualiter autem stat*, & d. 8. q. 4. litera Y. §. *ad tertium concedo*, probat Lichetus in 1. d. 8. q. 3. ad secundum argumentum Caietani fol. 123. col. 3. & ante eum id ipsum probauit Maironius in 1. d. 8. q. 7. in fine quæstionis ad 3. ibidèm Bargius q. 4. ad tertium dubium Scoti fol. 188. col. 2. & 3. & est doctrina inter Scotistas communissima. Quo supposito fundamento facilè soluuntur argumenta in contrarium.

Rada. *Scotus.* *Lichetus.* *Maironius* *Bargius.*

Ad

64. Solutio primæ confirmationis.

Ad primam igitur probationem admittimus essentiam esse infinitam, siue sumatur secundùm suam realitatem, siue secundùm suam formalitatem: inde tamen non benè infertur infinitatem formalitatis identificare secum omnes attributorum formalitates: quoniam infinitas apud Scotum non potest identificare formaliter ea, quæ sunt distincta, sed solùm realiter. Quare infinitas essentiæ, siue secũdũ realitatẽ siue secũdũ formalitatẽ solũ infert idẽtitatẽ realem cum attributis, nõ verò formalem.

65.

Ex quo patet Solutio secundę probationis: nam cùm infinitas solùm inferat identitatem secundùm realitatem, non verò secundùm formalitatem; verisimè dicitur essentiam futuram non forè realiter infinitam, nisi esset idem realiter cum suis attributis: quia infinitas ex sua natura secum non compatitur realem distinctionem eorum, quæ in re infinita reperiuntur; vt latè demonstrat Scotus quolib. 5. & in tractatu de primo principio c. 4. concl. 3. quem refert, & probat Rada controuersia 27. lib. primi notab. 6. pag. 379. Quod non reperitur in infinitate formalitatis, vt formalitas est: hęc enim infinitas non per se respicit rationem formalem rei, sed realitatẽ illius. Vndè formalitas infinita nõ est simpliciciter infinita formaliter, sed solùm realiter: formaliter enim solùm est infinita in suo genere v. g. in genere essentiæ, vel sapientię, & cæt. id, quod etiã placuit Capreolo in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. ad 2. Aureoli contra secundam fol. 128. col. 1. in principio. Quare falsum est, quod in argumẽto sumitur, distinctionem scilicèt inter extrema non posse simùl esse cum infinitate alterius extremi. Nam quãuis id verum sit de distinctione reali extremorum; non tamen apud Scotistas verum est de distinctione formali; ob rationem immediatè positam: quia infinitas formalitatis, quanuis sit simpliciter infinitas in genere rei; non tamen est simpliciter talis in genere formalitatis: quia solùm est infinitas in certo formalitatis genere. Quod pro defẽsione Scoti est diligentissimè aduertẽdum. Ex qua doctrina facilè eliditur vis confirmationis, quę sumitur ex Caietano; etenim infinitas, siue sumatur secundùm realitatem, siue secundùm formalitatem, solùm excludit terminationem in realitate, nõverò in formalitate: quia vt diximus, infinita formalitas solùm est simpliciter infinita quoad realitatẽ, non verò quoad formalitatem, & ob id in sola latitudine realitatis est in termi nata; nõ verò in latitudine formalitatis. Quare suppositò fundamento Scotico (quod á Thomistis non impugnatur) optimè soluitur difficultas secundi argumenti.

Scotus. Rada. Solutio secundæ.

66. Ad tertium

Tertium argumentum parum habet efficaciæ; concedimus enim attributa, vt reperiũtur in creaturis, distingui à substãtia tũ formaliter, tũ etiã realiter: negamus tamẽ ea, vt sunt in Deo, transire secundùm formalitatem, quanuis trã seant secundùm realitatem. Ratio discriminis ex dictis facilè sumitur: quoniam attributa, vt sunt in Deo, sunt entitatiuè infinita: iam verò apud Scotum infinitas solùm infert identitatem realem, non verò formalem. Quare cõcessò antecedente, neganda est consequentia cuius probatio satis est friuola: quãuis enim oppositio, qua attributa in creaturis distinguuntur à substantia, solùm sit disparata: non tamen sola oppositio disparata est ratio distinctionis, aut realis, aut formalis. Nam & si plura disparata realiter distinguũtur; plura etiam distiguuntur solùm formaliter, vt patet in relatione respectu fundamenti, & in pluribus alijs. Vndè autem per se sumatur vera caussa distinctionis realis, aut formalis: alterius est negotij.

67. Ad quartũ

Ad quartum responderi potest (& satis ad mentem Scoti) admittendo antecedens, & negando consequentiam. Ad probationem dicẽdum erit actum, quo Deus intuitiuè videt suam essentiã, ideò esse vnũ realiter simplicem; quia est diuinus, & entitatiuè infinitus. Quòd verò sit vnus simplex formaliter, ex eo habet, quòd terminatur ad obiectũ, quod realiter est vnum simplex intelligibile: etenim essentia diuina provt in se est, quanuis sit plura obiecta formalia (vt docet Scotus in 1. d. 2. q. 7. litera F F. §. *ex hoc arguo sic*) est tamen vnum obiectũ reale secundùm se intelligibile, à quo actus intuitiuus nostro intelligendi modo sumit suam rationem formalem. Quanuis autem sit vnus tantúm actus realiter, & formaliter simplicissimus;

potest

potest tamen intelligibiliter attingere omnes formalitates, tùm essentiæ, tùm attributorum: non ob eam præcisè rationem, quòd est illimitatus; sed ob eã potiùs; quia existens illimitatus virtute, & eminenter continet plures actus. Quòd non cernitur in essentia diuina: illa enim continet plures perfectiones formales, non eminenter, & virtute tantùm; sed actu, & formaliter, vt docent Scotistæ.

68. Ad quintũ. Ad quintum admittenda est sequela, si esse formale idem est, quòd formalis ratio, & quidditas: nam apud Scotũ sicùt diuersa est formalitas essentiæ, & attributorum; ita diuersum est esse formale essentiæ ab esse formali cuiusq; attributi. Admissa igitur sequela neganda est minor. Ad probationem dicendũ est in sententia Scoti esse diuinum (hoc est esse formale diuinæ essentiæ) in suo cõceptu quidditatiuo non includere esse formale attributorum: quia apud Scotum attributa non includũtur essentialiter in essentia, vt suo loco videbimus, vbi ostendemus hanc sententiam minimè repugnare Dionysio.

69. Ad 6. Caietani. Ad sextũ neganda est maior, si intelligatur de re, quæ secundùm realitatem est simplicissima, & maximè vna; hæc enim licèt propter suam infinitatem sit realiter maximè simplex, & vna; tamen secum admittit plures rationes formales actu distinctas secluso omni intellectu. Talis autem est diuina essentia cum attributis: licèt enim realiter sit vna res simplicissima, & maximè vna; est tamen formaliter plures, vt existimat Scotus. Probatio autẽ maioris apud Scotũ non habet vim: quoniã in doctrina illius licèt essẽtia cũ attributis realiter sit vnũ tantùm; formaliter tamen est plura, vt ex Scoto diximus ad 4. argumentum.

70. Confirmationis solutio. Ad confirmationem admittendũ est verbum Dei esse vnicum, & perfectum, & subindè adequatè repræsentare ea, quorum est verbũ. Indè tamen non infertur illud esse verbum vnius duntaxat obiecti formalis: hęc enim consequẽtia etiam apud Thomistas est parũ firma: quoniam apud eos verbum diuinum est Verbum, tùm essentiæ, tùm creaturarũ: & tamen nullus Thomistarũ dicet creaturas facere vnũ obiectum formale cũ diuina essentia: sunt enim obiecta secũdaria diuini intellectus. Quarè ex eo, quòd Verbum Dei est vnum, & in repre sentando perfectum, non benè infertur, quòd sit vnius tantùm obiecti formalis. Igitur licèt Verbum diuinum per se producatur ex notitia essentiæ, & attributorum, non benè colligitur essentiã, & attributa constituere obiectum formaliter vnum.

71. Ad septimũ. Ad septimum cõcessa maiori, minor neganda est ab Scotistis. Probatio autẽ in primis maiorem continet non satis veram: quia inter res diuersi generis non datur comparatio. Iam verò virtutes qualitatum inferiorũ non vniuntur in luce Solis vnione eiusdem rationis, qua apud Caietanum perfectiones diuinę vniuntur in Deo. Nam in luce Solis non vniuntur, nisi virtualiter, & eminẽter: cum tamen perfectiones diuinæ (si inter se vniuntur, vt vult Caietanus) nõ possunt nisi formaliter vniri. Quarè nõ satis philosophicè duę istę adunationes possunt inter se comparari penès magis, & minus. Sed maiore gratis concessa, minor est omninò falsa: quia virtutes qualitatum inferiorũ non vniuntur formaliter in luce Solis, sed solùm virtualiter: quia lux Solis non est formaliter calida, aut sicca, sed solùm virtualiter. Quarè nec veritas minoris patet, nec ab Scotistis conceditur, vt malè supponit Caietanus, sed negatur potiùs à Rada. *Rada.* 1. tomo controuersia 4. ad tertium principale. pag. 68. column. 1. quo loco docet virtutes illas formaliter actualiter distinguendas fore, si in Sole formaliter manerent. Quarè cùm perfectiones diuinę formaliter maneant in Deo, non possunt non distingui formaliter ex natura rei.

72. Ad octauũ. Ad 8. argumentum patet solutio ex ijs, quæ diximus ad 2: admitendum est enim essentiam esse vnam rem infinitã, & simplicissimam. Quando verò infertur diffinitionem essentiæ futuram esse infinitam, & vnã; admittẽda est sequela; quia formalitas rei realiter infinitæ, quę per diffinitionẽ explicatur, nõ modo est realiter infinita, sed etiã formaliter: alio tñ, & alio modo; quia realiter, i. in genere rei est infinita simpliciter: formaliter tñ, & in genere formalitatis, est quidem infinita, non tamen simpliciter, sed in genere talis formalitatis.

Etenim apud Scotum impossibile est dari vnam tantùm formalitatem, quæ vnitè omnes formalitates contineat. Itaque formalitas essentiæ est infinita in genere essentiæ; quia includit infinitam perfectionem essentiæ, vt essentia est: sicùt etiam formalitas sapientię est infinita in genere sapientiæ. Vide, quæ diximus ad 2. Quarè secunda consequẽtia in via Scoti est neganda. Vndè falsũ est apud Scotistas id, quod Cumelius, vt notum supponit: Deum scilicèt concipere vnam rationem formalem: hæc enim est impossibilis, vt ex Scoto diximus, concipitur igitur à Deo obiectum vnum realiter; formaliter tamen plura: idq; per actum intellectus realiter vnũ; virtute tamen, & eminenter plures, vt diximus ex Scoto ad 4. & 6.

Ad 9. & vltimum satis patet solutio
73. ex ijs, quæ de diuina simplicitate dicemus infrà §. 4. eadem enim ratio est de vnitate. Quarè dicendum est vnitatem, vt vnitas est, nullam importare perfectionem, quia formaliter est negatio: posse tamen denotare perfectionem ratione entitatis rei, quæ est vna, non tamen ratione formalitatis: quia non repugnat dari vnam summam entitatem; benè tamen vnam summam formalitatem. Quarè summum ens ex sua natura est realiter vnũ, non tamen formaliter. Nec Deus magis esset vnus, si & realiter, & formaliter vnus esset, vt malè in argumento supponitur, id enim admittendum esset, si possibilis foret vna sũma formalitas vniẽs sibi omnes formalitates. At cùm apud Scotum hæc sit impossibilis, falsum est, quod supponitur.

Ad nonum.

Ex dictis patet opinionem Scoti non
74. satis expugnari medio, quod tertio loco sumitur, quatenus contendit essentiã diuinam vnitè continere, tùm omnẽ attributorum realitatem; tùm etiam formalitatem: etenim, quanuis hoc mediũ fortassè sit verum; rationibus tamẽ adductis non satis probatur.

§. 4.

Expenditur, an ex opinione Scoti tollatur simplicitas diuinæ essentiæ?

75. QVarta impugnatio, quæ contra Scotum proponitur, sumpta est ex quibusdam absurdis, quæ ex illa inferri videntur. Et quia aduersarij ex hoc capite præcipua deducunt argumenta, vt affirment Scoti sententiam esse parùm tutam in fide; oportet singula absurda quamdiligentissimè examinare.

Inferunt igitur ex sententia Scoti diuinam essentiam non esse omninò simplicem, nec summè vnam; sed in ea admittendam esse aliquam compositionẽ. Quòd est contra diffinitionem Concilij Lateranensis sub Innocentio tertio relatam in c. firmiter post principium, & in c. *damnamus*, §. *nos autem*, ante finem de summa Trinitate. Nam in cap. firmiter de mysterio Trinitatis habetur in hæc verba: *Tres quidèm personæ, sed vna essentia, substantia, siuè natura simplex omninò.* Et in c. damnamus ita scribitur: *Cum patri substãtia indiuisibilis sit: vtpotè simplex omninò.*

Tolli simplicitatem dari que compositionem in Deo aliqui inferũt. *Conc. Lat.*

Sequela huius argumenti, quod attinet ad simpliciratem, indè probat Molina; quia simplicior esset, & magis vna diuina essentia, si non solùm esset realiter idem cum suis attributis, sed etiam formaliter: esset enim in ea, non modo vna summa realitas simplicissima vniẽs sibi omnem attributorum realitatẽ, sed etiam vna summa, & simplicissima formalitas identificans sibi omnium attributorum formalitates. Hoc nixus fundamento putat Molina opinionem Scoti non esse satis tutam. Accedit eo; quia de ratione rei simplicis est non includere plura, ex D. Anselmo de Incarnatione Verbi c. 28.

76. Probatio Molinæ circa simplicitatem.

2. ex D. Anselmo.

Quòd verò attinet ad compositionẽ, sequela probatur ex Cumelio 1. p. q. 28. ar. 2. q. 2. in rationibus adductis pro veritate pag. 814 col. 1. in principio: quoniam compositio, & distinctio se se necessariò consequuntur. Ergò, si à parte rei datur distinctio formalis inter essentiam, & attributa; vtique ex consequenti à parte rei etiam dabitur compositio. Consequentia est nota. Antecedens multis potest ostendi. Primò; quia compositio non est aliud, quàm distinctorum vnio: sicùt etiam compositum non est aliud, quàm id, quod ex distinctis constat. Deindè; quia distinctio rationis satis est ad compositionem secundùm rationem. Ergò distinctio à parte rei satis erit, vt inter distincta detur compositio.

77. Fundamentum Cumelij circa cõpositionem.

Probatur 1. hoc fundamento.

Secundo.

Tertiò,

Tertiò. Tertiò; quia ob hãc rationem communis recentiorũ sentẽtia iam docet personam Christi verè, & propriè esse cõpositam ex natura diuina, & humana: quia scilicèt ad veram, & propriam cõpositionem satis est distinctio eorum, quæ vniuntur. Quam sententiam nos latè ostendimus in nostris prælectionib⁹ ad tertiam partem D. Thomæ q. 2. ar. 4. vbi ostendimus hanc fuisse sententiam D. Thomæ in eodem loco: eamque probasse Vldaricum relatũ à Carthusiano in 3. d. 6. q. 8. in fine. Probarunt Victoria cum cæteris post eum teste Medina in d. q. 2. ar. 4. in secunda opinione. Cõmunem esse in scholis affirmat Bellomontanus in Comment. ad d. ar. 4. vbi etiam Suarius disp. 6. sect. 4. §. *Dico ergò*, Valentia 4. tom. disp. 1. q. 2. punct. 4. & Cabreira in d. ar. 4. disp. 4. §. 2. n. 15. in prima cõclusione. Quorum sententia satis videtur confirmata ex eo, quòd quamplurima Concilia diffiniunt personam Christi facta incarnatione verè esse compositam ex natura diuina, & humana; ideò, quia cum inter se distinguantur, substãtialiter vniuntur in vna Verbi subsistẽtia.

D. Thom. Vldaricus. Victoria. Medina.

Valentia. Cabreira.

78. Quartò. Quartò; quia si attributa ex natura rei distinguuntur à diuina essentia, in Deo erũt plures entitates ex natura rei distinctæ. Ex quo palam colligitur Deũ non solùm esse compositũ; sed etiã esse magis compositum, quàm creaturam; quia plures habet entitates ex natura rei distinctas, quàm habeat creatura.

79. Nec satis est, si respondeas ad cõpositionem à parte rei necessariam esse distinctionem realem rei à re: etenim id esse falsum ostẽditur: tùm, quia compositio, & distinctio, cum se se comitẽtur, inter se proportionantur: iam verò ad actualem distinctionem non est necessaria distincto rei à re: nam apud Scotistas distinctio ex natura rei est vera distinctio. Ergò nec distinctio rei à re erit necessaria ad veram compositionem, sed satis erit distinctio formalis. Tum etiam; quia figura facit compositionem cum quantitate: relatio cum fundamento: passio cum subiecto: esse cum essentia: natura cum supposito: & deniq; genus cum differentia, cæteriq; gradus metaphysici inter se vniti. Et tamen apud Scotum, imò apud veriorem sententiam̃ inter hæc non sẽper datur distinctio realis rei à re, sed solùm formalis, & ex natura rei. Hæc igitur satis erit, vt distincta componãtur, quantunuis inter se realiter non distinguantur. Quarè non satis consequẽter negabitur compositio in essentia diuina, si semel cũ Scoto admittatur formalis distinctio inter eam, & attributa.

80. Neutrũ inferri defendunt Scotistæ. Hæc tamen argumenta non satis sũt, vt ex opinione Scoti inferant, aut Deũ non esse summè simplicẽ; aut esse à parte rei compositum. Vndè Scotus cum omnibus suis expressè negat ex pluralitate rationum formalium, actualiq; earum distinctione secluso omni intellectus actu inferri, aut Deum non esse sũmè simplicem, aut esse aliquo modo cõpositum. Ita Scotus in 1. d. 2. q. 7. litera HH. §. *ista differentia manifestatur*, & ibi d. 5. q. 2. litera M. §. *sed quomodò possunt isti duo actus*, clariùs in 1. d. 8. q. 3. litera H. §. *hanc rationem aliqualiter pertractando*, & q. 4. litera V. §. *ista autem non identitas*, & litera X. §. *ad ista ad primum*, & pluribus alijs in locis. Ita etiam Lichetus in omnibus locis citatis simùl cum Bargio. Adde Maironium in 1. d. 8. q. 7. Ex recentioribus Scotistis id ipsum docent Herrera 1. tomo disp. 7. q. 3. ad 1. & 2. pro prima opinione pag. 106. & q. 5. eiusdem disputationis notabili 1. pagina 118. & disputatione 9. q. 12. notab. 3. pag. 284. col. 2. & disput. 14. q. 1. ad 1. 6. & 9. argumentum tertiæ sententiæ pagin. 467. & 468. latissimè rem explicat Rada 1. tomo controuersia 4. ad quartum principale pagina 68. col. 2. & ibidem in secunda appendice, §. *Tertio obserua.* pag. 73. Denique est communis, receptaque sententia inter Scotistas.

Scotus. Lichetus. Bargius. Mairon. Herrera. Rada.

81. Probabiliter hoc defendi iudicatur. Ego puto Scotistas satis probabiliter negare ex sua opinione sequi perfatum absurdum: quia ex distinctione formali actuali essentiæ cum attributis, supposita omnimoda identitate reali non necessariò infertur aut tollì à diuina essentia summam simplicitatẽ; aut dari in ea compositionem.

82. Solutio primæ probationis circa simplicitatẽ Et quod attinet ad simplicitatẽ, quæ primo loco impugnatur, ex eo patet sequelam esse inutilem; quoniam sũma simplicitas, quã fides ponit in Deo trino (Trinitas enim est vna res summè, & om-

minò simplex, vt patet ex Concilio Lateranẽse suprà citato) simùl constat cũ reali distinctione personarũ: cur igitur summa simplicitas essentiæ non constabit cum distinctione formali attributorũ, tùm inter se, tùm ab essentia? Profectó nulla dabitur ratio discriminis. Cui etiam illud est argumento; quoniã statim ostendemus ex illa distinctione formali nullam in diuina essentia inferri compositionẽ. Nullo igitur modo ex illa distinctione destruetur diuina simplicitas: cũ enim simplicitas soli opponatur compositioni; ibi necessariò erit summa, vbi nulla cõpositio reperiri potest.

83. Quarè ad argumentum neganda est sequela. Prima illius probatio vim haberet, si identitas formalis inter essentiam, & attributa concederetur, vt possibilis: hæc enim non posset non arguere maiorẽ in Deo simplicitatem, illi omninò concedendam, cui summa simplicitas est omninò connaturalis. At verò cum talis vnitas formalis ex sententia Scoti non sit possibilis; simpliciter negandum est diuinam essentiam futuram fore simpliciorem, si illam formalẽ vnitatem haberet: hæc enim sequela licèt ratione formæ sit bona: non valet tamẽ ratione materiæ: quia supponit id, quod est impossibile.

84. Solutionis probabilitas ostenditur. Quæ solutio ex eo non debet videri improbabilis; quia Deus non esset simplicior, si non esset trinus in personis, sed vnius tantùm personę: idque non ob aliam rationem, nisi quia vnitas personæ in diuinis est omninò impossibilis propter fæcunditatem diuinæ naturæ. Eàdem igitur ratione diuina essentia non esset simplicior, si formaliter esset vnum cum suis attributis; non ob aliam rationem, nisi quia hæc formalis vnitas est omninò incompossibilis cum reali, & formali continentia omnium perfectionum simpliciter, quam in diuina essentia fides admittit. Quarè cum diuina essentia ex sua entitatiua infinitate vẽdicet sibi, quod formaliter in se habeat sapientiam, bonitatem, & cætera; & sapientia ex sua quidditate, & natura formaliter non sit essentia, nec bonitas, vt Scotus putat à se fuisse demonstratum; vtiq; impossibilis est transitus formalis attributorum in essentiam, vt latè cũ Scoto ostendimus supra 6. 5. Hanc rationem satis explicauit Scotus in 1 d. 8. q. 4. litera V. dum ait, ideò non identitatem formalem essentiæ cum attributis stare posse cũ Dei simplicitate; *quia distinctio formalis necessariò est ponenda inter attributa, & essentiam.* Quæ verba satis indicant impossibilem esse vnitatem formalem essentię cum attributis. Quę doctrina satis corroboratur ex verbis Augustí. 6. de Trinitate c. 14. dum simplicitatem diuinam appellat multiplicem, & multiplicitatem vocat simplicem: *Deo* (inquit) *hoc est esse, quod fortem esse: aut iustũ esse, aut sapientem esse: & siquid de illa simplici multiplicitate, & multiplici simplicitate dixeris, quo substantia eius significetur.* Oportet igitur in diuina essentia eã admittere simplicitatem, quæ secum multiplicitatem admittat: cum verò non possit admittere multiplicitatem realẽ, quæ est rei ad rẽ, vt fides docet; vtiq; admittẽda est multiplicitas formalis. Vndè fieri non potest, vt essẽtia diuina cũ attributis sit formaliter vnum. Et quãuis aduersarij verba Augustini interpretẽtur de multiplicitate formali virtuali; Scotus ea interpretatur de multiplicitate formali actuali; eo ductus fundamẽto, quia putat vnitatem formalem actualem in diuina essentia omninò esse impossibilẽ.

Scotus.

Corroboratur ex Aug.

85. Impossibilitas vnitatis formalis in Deo, vndè oriatur iuxta Scotum. Hæc autem impossibilitas oritur ex perfectione diuinę simplicitatis: sũma enim simplicitas, ideò quia perfectissima propter entitatem perfectissimam, in qua est; licèt omnem multiplicitatẽ excludat ab entitate, cui conuenit: non tamen excludit omnem multiplicitatẽ, aut formalem, aut realem ab ijs, cũ quibus realiter idẽtificatur, vt fides docet in essentia diuina, quę non excludit realem distinctionem inter personas diuinas, cum quibus realiter est idem: nam ex d. Concilio Lateranẽsi in c. dãnam°, §. *nos autem: vna quædã summa res est, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres simùl personæ, ac sigillatim quælibet earũ.* Et tamen inferiùs difinitur, *quod alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus Sãctus; nõ tamẽ aliud; sed id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus idem omninò:* idq; integra sẽper, & salua persistẽte sũma, atq; perfectissima simplicitate illius rei, quæ realiter idẽtificatur cum personis realiter distinctis. Quod si sũma simplicitas, ideòquia

Conc. Lat.

est

est perfectissima, non excludit distinctionem realem, realemque pluralitatē à rebus, cum quibus est omninò realiter idem: à fortiori non excludet distinctionem formalem actualē à perfectionibus attributalibus, cum quibus realiter identificatur. Et cum vtrunq; oriatur ex perfectione entitatis diuinæ essētiæ (nam ex sua fęcunditate non excludit distinctionem realē inter personas, cum quibus est idem: ex continentia autem formali perfectionū attributaliū, quas non eminenter, sed formaliter sibi vendicat, non excludit distinctionē formalem cum eisdē perfectionibus) vtiq; ex sua perfectione habet, quòd excludat vnitatem, tùm personæ, tùm fotmalis rationis. Quarè meritò dictū est ab Scoto formalem vnitatem esse impossibilem, idq; ob perfectionem summæ simplicitatis; quæ ex sua natura habet, quòd sit simplicitas multiplex, & multiplicitas simplex, vt ex Aug. diximus.

86. Simplicitas omnē multiplicitatem excludens imperfecta.

Ex quo iam inferimus simplicitatē, quæ omnem excludit multiplicitatem, omnemq; distinctionem tā realē, quàm formalē ab ijs, cū quibus realiter identificatur, ex sua natura denotare imperfectionem, vt patet in simplicitate puncti, & instantis, & eorum, quæ à philosophis dicuntur primò diuersa: hæc enim sunt entia ex sua ratione imperfectissima. Non est igitur hæc simplicitas admittenda in diuinis; sed illa potiùs, quæ cū identitate reali admittit multiplicitatē, non in se, sed in ijs, cū quibus identificatur. Vndè inferre possum⁹ sūmam simplicitatē, quę vel est perfectio simpliciter, vel denotat in sua entitate aliquā simpliciter perfectionē, apud Scotū solùm esse positā in omnimoda idētitate, atq; simplicitate realitatis: nō verò in omnimoda identitate, atq; simplicitate formalitatis. Thomistæ autē, & alij, qui Scoto aduersantur, ideò docēt oppositū, quia non putāt impossibilem esse vnitatē formalitatum, quin potiùs existimāt hāc pertinere ad perfectionē essentię. Quarē cū in hoc positus sit status controuersiæ, manifesta est petitio principij, dū absq; pbatione supponitur possibilitas vni⁹ formalitatis. Et cū argumentū hoc (quod fuit Molinę) hoc vitio claudicet, debili⁹ est, quā vt eo opinionē Scoti iudicemus esse minus tutā.

Ad secundā probationē eiusdem sequelæ, quā adducit Torres, facilè patet solutio ex dictis: nā licèt de ratione rei simplicis sit non includere in sua intrinseca entitate plures realitates realiter distinctas distinctione rei à re: non est tamē de ratione illius non includere in vna, & eàdem realitate plures rationes formales, etiāsi actualiter distinguātur. Anselmus autem non est intelligendus in hoc posteriori sensu, sed in priori.

87. Solutio secundæ probationis.

Quæ de simplicitate diximus, dicenda etiam sunt de vnitate: cùm simplicitas vnitatē comitetur. Vide de hoc Lichetum, quem refert, & probat Rada in d. controuersia 4. pag. 69. col. 2. in principio. Et hæc satis dicta sint pro defensione diuinæ simplicitatis, & vnitatis, suppositā opinione Scoti.

88. *Lichetus.* *Rada.*

Quòd verò attinet ad compositionē, quam ex opinione Scoti aduersarij nituntur inferre in diuinam essentiam, simili modo negāda est sequela: sicùt negatur ab Scoto, & à cæteris, quos suprà citauimus. Fundamentum, cur sequela ista neganda veniat, ex eo sumit Scotus cum suis, quod de ratione cōpositionis est, quòd fiat ex actu, & potentia. Quæ conditio omninò deficit in essentia respectu attributorū. Sed fundamentū satis est dubiū, de quo statim agem⁹. Nūc illud fundamentū & verius, & facili⁹ iudicamus, quòd de ratione cōpositionis est, vt per illā constituatur aliquid vnū distinctū à cōponentibus; quę conditio omniū consensu est receptissima: quoniam compositū ex sua intrinseca, & generali ratione dicit vnū aliquid per se constans ex pluribus distinctis. Hęc autē conditio nullo modo reperiri potest inter essentiā, & attributū: nā licet formalitas essentię, & formalitas attributi á parte rei sint plures, & distinctæ; tamen non possunt conuenire ad constituendum aliquid per se vnum. Nā licèt Theologi dicant ex essentia, & proprietate personali constitui vnam diuinam personā: nullus tamen dixit ex essentia, & attributo aliquid vnum constitui, quamuis plures doceant essentiā ab attributis formaliter distingui. Quarè essentia, & attributa vniuntur vnione identica realis idētitatis; quia realiter identificantur: non tamen vnione constitutiua alicuius tertij. Et in hoc essen-

89. Illatio circa compositionem negatur. Fundamentum Scoti. Alterum verius, & facilius.

tia distinguitur à se ipsa, proùt respicit proprietates personales: etenim ex sua natura est vnibilis cũ sua personali proprietate vnione constitutiua personæ; quia ex sua natura est per illam personabilis, vt omnes Theologi fatentur: at tamen non est talis in ordine ad attributa. Quod in hac materia est annotãdum.

90. Solutio fundamenti circa compositionem.

Hoc suppositio fundamẽto facilè dissoluitur argumentum, quo probatur cõpositio essentiæ. Neganda est enim propositio antecedens: nec enim opus est, vt compositio semper sequatur distinctionem (Petrus enim, & Paulus distincti sunt, & tamen inter se nullam compositionem habent) sed tùnc temporis, cum extrema distincta conueniunt ad constituendum aliquid vnum, vt in fundamento explicauimus. Et hunc solùm sensum probant omnes rationes adductę in confirmationem antecedentis, vt facilè intelliges, si singulas percurras. At verò formalitates essentiæ, & attributorum nullo modo conuenire possũt ad constituẽdum aliquod vnum tertiũ: quia licèt vniantur vnione identica; nõ tamen vnione constitutiua alicuius tertij, vt iam diximus.

Probationes eiusdẽ modantur.

91. Fundamentũ Scoti examinatur.

Sed iam expendamus fundamentum Scoti, quod ex eo sumitur; quia de ratione intrinseca compositionis est, vt fiat ex actu, & potentia; ita vt componẽtia inter se sint affecta, vt alterũ sit act', alterum potẽtia: nam cum per compositionẽ fiat vnum ex pluribus distinctis: plura autem non possint vnum fieri, nisi alterum sit potentia, & alterum actus, vt docet Aristoteles 7. Met. c. 16. tex. 56 & clariùs lib. 8. c. 6. tex. 15. & 16. benè infertur compositionem dari non posse, nisi inter cõponentia reperiatur ratio actus, & potentiæ. Probabilitas huius fundamenti maximè cõfirmatur ex sententia eorum, qui putant esse de ratione compositionis, quòd fiat ex partibus: vt docent Magister in 3. d. 6. Albertus ibi ar. 6. D. Thomas q. 2. ar. 3. D. Bonauent. ar. 1. q. 2. Richardus ar. 2. q. 3. cum alijs quamplurimis. Iam verò partes non possunt vnum aliquid componere, nisi in illis reperiatur ratio actus, & potentiæ, vt facilè patebit ei, qui singulas compositiones, vel quasi compositiones percurrerit.

Aristot.

Probabilitas eiusdem

Magister. *Albertus.* *D. Thom.* *D. Bonau.* *Richardus.*

Ex hoc satis probabili fundamento infertur ibi nullo modo reperiri posse compositionẽ, aut quasi compositionẽ, vbi nullo modo reperiri potest ratio potentiæ, & actus. Cui fundamento si adiũgamus inter essentiam, & attributa nullam reperiri posse rationem, aut potẽtiæ, aut actus, etiãsi inter illa admittatur distinctio formalis, & ex natura rei; necessariò concluditur ex distinctione formali inter essentiã, & attributa nullam compositionem, vel quasi compositionem inferri posse. Quòd verò in essẽtia, & attributis, etiamsi ponantur formaliter distincta, nulla detur ratio potentiæ, & actus (quod est alterum Scoti fundamentum) indè probat Scotus; quia cum formali distinctione simùl constat omnimoda identitas realis inter attributa, & essentiam: nam hæc idẽtitas inter essentiam, & personas optimè constat cum reali distinctione personarũ. Iã verò omnimoda identitas realis omnem excludit rationem actus, & potentiæ inter ea, quæ realiter idẽtificantur. Hoc est fundamentum Scoti, quo probat ex sua opinione nullam inferri cõpositionem in diuina essentia.

92. Vltrio.

Alterum fundamentum eiusdẽ probatur.

Impugnatio primi fũdamenti.

Vtrunque tamen fundamentum suas haud contemnendas patitur difficultates. Nam contra primum militat argumentum initio adductũ: ex eo enim patet ad rationem veræ, & propriæ compositionis satis, superq; esse distinctionem aliquorum, dummodò concurrãt, & conueniant ad constituẽdum aliquid vnum. Quam sententiam tanquàm verissimã probarunt omnes, quos citauim' in tertia cõfirmatione antecedẽtis.

93. Impugnatio secundi.

Contra secundum fundamentũ, quatenùs asserit identitatem realem excludere omnem rationem actus, & potentiæ ab ijs, quæ realiter identificantur, multa obijci possunt. Et in primis obijciuntur gradus metaphysici, ex quibus species tàm substantiæ, quàm accidentis cõponuntur: etenim genus apud omnes logicos est in potẽtia ad differẽtiã, quæ est diuisiua sui, & constitutiua speciei: animal enim secundũ gradũ sensitiuum ex sua natura est cõtrahibile ad hominem per rationale: vndè est in potẽtia ad hunc gradum essendi: & tamen cõstat animal realiter identificari cum rationali. Idem reperitur in albedine:

in

in qua color (qui habet rationem generis) realiter est idem cum differẽtia, qua albedo constituitur in esse albedinis (albedo enim est simplex quædam entitas): & tamen gradus coloris ex sua natura est contrahibilis per differentiã albedinis; ob quam rationem tàm in homine, quàm in albedine datur compositio Metaphysica, quę apud Scotistas nõ est rationis, sed realis. Possumus etiam aduersus idem fundamentum obijcere; quoniam apud Scotistas relatio realiter identificatur cum suo fundamento; & figura cum magnitudine; imò etiam passio cum subiecto: & tamen fundamẽtum relationis est in potentia, vt actuetur per relationem, & quantitas per figuram, & subiectum per passionem: vndè inter ista datur compositio realis, siue appelleturMetaphysica, siue reducatur ad Physicam. Ex quibus patet identitatem realem non necessariò tollere rationem potẽtiæ, & actus. Quare quãuis concederetur Scoto ad compositionem necessariò requiri rationem actus & potentię; nec satis esse distinctionem: adhùc Scotus non liberaretur ab absurdo illi imposito.

94. Explicatio 1 fundamẽti in qua facilè defenditur.

Hæc tamen solutionem Scoti non eliduntnec probabilitatem vtriusque fũdamenti, quo nititur. Et quòd attinet ad primum, facilè quis omnia argumenta euaderet, qui ità intelligeret fundamentum Scoti, vt solùm esset verum in compositione, quę est secundùm naturam, vel ad eam reducitur: hæc enim ex sua intrinseca ratione includit actum, & potentiam in componentibus, vt omnes admittunt, & satis patebit, si singulas huius generis compositiones, vel quasi compositiones percurramus. Iam verò si qua in diuina essentia cum attributis compositio foret admittenda, illa necessariò reduceretur ad compositionem subiecti cum accidente: quoniam attributa significantur, vt qualitates nostro intelligendi modo afficientes essentiam, veluti quędam illius proprietates, & perfectiones essentiam ipsam veluti qualificãtes, vt in quæstione precedentẽ latiùs ostẽdimus. Quare, si hęc compositionis ratio in diuina essentia cum attributis reperiri nõ potest (quoniam licèt inter se formaliter distinguantur apud Scotum, nullam tamen inter se habent, aut habere possunt rationem actus, & potentiæ) profectò nulla compositio inter diuinam essentiam, & sua attributa excogitari, aut fingi potest. In hoc igitur sensu puto fundamentum Scoti optimè defẽdi: & subinde satis probabiliter vitari absurdum illi impositũ.

Sed adhùc Scotus ab illo absurdo probabiliter liberari potest; quanuis primum illius fundamentum in tota sua generalitate intelligatur: nam in tota illa probatum est grauissimis, & antiquissimis theologis: omnes enim ad veram, & propriam rationem compositionis tanquam conditionem necessariam requirunt, quòd sit ex potentia, & actu. Et ad argumentum in oppositum negandũ est antecedens, quatenus asserit distinctionem, & compositionem sese necessariò cõsequi. Nam licèt compositio supponat distinctionem inter componentia; non tamen consequitur quancunq; distinctionem, sed eam tantùm, quæ interiacet inter extrema, quorum alterum habet rationem potentiæ, & alterum actus.

65. Generalis explicatio non expugnatur.

Solutio imẽ pugnationis

Nec probationes in oppositum adductæ aliquid efficiunt. Nam prima manifestè petit principiũ, vt ex dictis patet. Quare non satis est aliquid constare ex diuersis, vt verè, & propriè dicatur cõpositum. Quòd præpter Scotum manifestè affirmant theologi statim citandi. Ad secundam probationem dicendum est distinctionem rationis, siue ratiocinantis, siue ratiocinatę non esse satis, vt distincta dicantur composita per rationem; sed adhùc opus esse, vt inter se vniantur per secundam intellectus operationem, quæ dicitur compositio: quæ sine ratione potentiæ, & actus rationis ratiocinantis dari non potest: quia nõ potest fieri, nisi inter subiectum, & prędicatum; quorum subiectum habet rationem potentiæ, prædicatum verò rationem actus. Ad tertiam probationem admittimus communem recentiorum theologorum sententiam docere personamChristi esse verè, & propriè compositam ex natura diuina, & humana, quanuis inter ista duo componentia, non detur ratio potentiæ, aut actus. Et licèt nos in nostris prælectionibus ad 3. p. quęstione 2. ar. 4 disput. 2. hanc sententiam veriorem existimauerimus

96. Ad primam probationẽ.

Ad secundã

Ad tertiam

oppositam tamen docuerunt grauissimi theologi, tùm ex antiquioribus, tùm ex nouioribus. Ita Scotus in 3.d.6.q.3. cum ScotoLichetus ibi q.3.§. *secunda opinio*, Bassolius q.vnica.ad tertium principale §. *ex quo sequitur*, vbi etiamMelchior Flauius,& Ouandus propositione secũda quanuis in commentarijs ad dictam tertiam Scoti quęstionem oppositum concludat. Addimus Maironium in dicta d.6.& in 1.d.8.q.7.ar.1.§.4. *quia in tota Trinitate*, & in §. *ratio autem vnionis*. Cum Scotistis in hoc conueniunt plures ex aduersarijs: ità enim existimarunt Caietanus 3.p.q.2.ar.4 dub.3.&Præceptor Frater Franciscus à Christo in 3.d.5.q. 9.& Palatius in 3. d. 6. vbi Magnus Albertus ar.6.D.Thomas q.2.ar. 3. D.Bonauentura ar.1.q.2.Richardus ar.2.q.3. Durandus q.3. Gabriel q.2.ar.3. dub.1. Almainus q.1.concl.2. Marsilius in3. q. 1.ar.1. & q.6. ar. 6. cum Alensi 3.p.q.6. memb. 2. ar. 5. Qui omnes ideó negant in persona Christi dari compositionem ex natura diuina, & humana; quia duæ istæ naturæ in eàdem persona vnitæ, sicùt non habent rationem partis; ità nõ habent inter se rationem actus,& potẽtiæ. Cuius opinionis probabilitatem satis cõfirmat grauissima auctoritas tot, ac tantorum theologorum. Nec obstat, quòd quamplurima Concilia vnionem illarum naturarum simpliciter appellãt compositionem: quia, vt citati auctores affirmant, explicanda sunt de compositione latissimè sumpta. Non est igitur satis hoc argumentum, vt reijciamus Scoti fundamentum. Ad quartam, & postremam probationem admittimus ex sententiâ Scoti benè inferri dari in Deo plures entitates formales ex natura rei distinctas: id enim intrepidè admittunt Scotistæ, vt patet apud Radam in d.controuersia 4. pag.69. col. 2. §. *sed quæret aliquis*: ex hac tamen pluralitate formalium entitatum, siue potiùs formalitatum non semper infertur compositio, vt sæpe dictum est. Vndè probatio manifestè petit principium, cum sumat tanquàm notum id, de quo est controuersia. Quæ verò vlterius in argumento adducũtur, ad institutum, aut nihil, aut parum conducunt: quia non existimamus ad omnem compositionem necessariam esse distinctionem rei ad rem: nam interdum satis est sola distinctio formalis; quando scilicèt illa non fuerit coniuncta cum omnimoda,& perfecta identificatione reali, vt patebit ex statim dicendis.

Scotus. *Bassolius.* *Flauius.* *Ouandus.* *Maironius* *Caietanus.* *Franc scus à Christo.* *Palatius.* *Albertus.* *D.Thomas* *D.Bonau.* *Richardus* *Durand.* *Gabriel.* *Almainus* *Marsilius.* *Alensis.* 97. Ad quartã. *Rada.*

Secundum etiam Scoti fundamentũ, quo probat inter essentiam, & attributa nullam dari posse rationem potentię, & actus verissimum est, si benè intelligatur, & in sensu, quo Scotus illud intellexit. Contra quem sensum argumẽtum nihil concludit. Pro solutione igitur,& explicatione difficultatis concedimus argumentum conuincere nõ omnem realem identitatem tollere ab idẽtificatis rationem actus, & potentiæ,& subinde nec compositionem; sed eam duntaxat, quæ est identitas realiter sũma,& omnibus modis perfecta. Qualis est, quæ in solo Deo reperitur propter suam entitatiuam infinitatem. Quæ est expresa doctrina Scoti in 1 d.5. q. 2. litera M. §. *qualiter autem stat*, quam etiam satis explicat quodlib. 5. litera O. & in tract.de primo principio c. 4. in probatione primæ conclusionis, probat Rada 1.tomo controuersia 4. ad quartum argumentum principale pag. 68. col. 2. & in secunda appendice in tertia obseruatione pag. 73. col. 1. Ratio est, quoniam identitas realis omnimodè perfecta ità secum identificat ea, quæ identificantur, vt neutrum habere queat realitatem, nisi identificatam cum realitate alterius. Ex quo fit, vt non modo vnũ nunquam possit ab altero realiter distingui; sed nec possit esse sine altero. Quæ conditio reperitur in identitate, quæ est inter essentiam,& attributa: ità enim sunt realiter identificata, vt & essentia ex sua natura vendicet esse cum attributis,& attributa esse cum essẽtia. Præterea attributa ità sibi vendicant identitatem realem cum essentia, vt nullibi reperiri possint realiter distincta ab essentia: infinitas enim entitatiua non potest nõ communicari his, quæ in re infinita semèl reperiuntur.

9ª. Propugnatio secundi fũdamenti. Solutio impugnationis *Scotus.* *Rada.* Ratio.

Oppositum omninò reperitur in reali identitate, quæ non est omnibus modis perfecta; ideò quia est finita: etenim quæ in creaturis realiter identificantur, ità identificantur, vt nec vnum sibi necessariò vẽdicet alterum, vt quia sine illo esse possit: nec vnum alterum

96.

ità

ità sibi realiter identificēt, vt ab eo aliquando nequeat realiter distingui. Hæc omnia patent in gradibus Metaphysicis qui in qualibet specie, & individuo, tàm substantiali, quàm accidentali reperiūtur realiter indistincti: in his enim licèt gradus essendi inferior (à quo sumitur differentia, vel formalis, vel individualis) ex sua natura vendicet sibi gradum essendi superioris (à quo sumitur ratio generis) gradus tamen superior ex se non vendicat sibi gradum inferiorem, sed potest sine illo reperiri; imò etiam ab illo realiter distingui secundum considerationem Physicam. Nam rationale (quę est differentia constitutiua hominis) nunquam potest esse sine animali: quia nihil potest esse rationale, quin sit animal. At verò esse animalis (quæ est ratio generica hominis) ex sua ratione non habet, quòd semper sit cum rationali: potest enim contrahi ad esse equinum per differentiam substantialem equi; in equo autem esse animalis realiter distinguitur ab esse animalis, quod est in homine, si vtrunque Physicè consideretur. Et inde est, vt esse animal, & esse rationale non omnimode identificentur realiter: quia animal, & sine rationali inueniri potest, & à rationali realiter distingui. Idē inuenies in relatione, & fundamento: licèt enim relatio iuxta veriorem, & communiorem sententiam nō habeat realitatem propriā, sed semper identificatam cum suo fundamento, tamen fundamentum potest realiter esse sine relatione in illa fundata: potest enim albedo esse sine similitudine. Similitudo etiam potest interdum realiter distingui ab albedine: nam similitudo fundata in nigredine, vel in alia quauis qualitate realiter ab albedine distincta realiter distinguitur ab albedine; cui tamen realiter identificatur, quando in ea fundatur. Id ipsum reperitur in quantitate, & figura, vt facilè intuenti patebit. Quare hæc omnia non habent inter se omnimodam, & perfectissimam identificationem realem, siquidem vnum sine alio reperiri potest, & interdū cum reali distinctione, quòd perfectissimę identitati repugnat.

100. Ex hoc infert Scotus cum suis identitatem realem in creatis non omninò tollere ab identificatis rationem actus, & potentiæ: benè tamen in diuinis. Quæ tamen illatio semper mihi visa est difficilis. Ratio dubitandi est; quoniam ratio potentiæ ad actum vel expenditur penes realitatem; ità vt realitas v.g. albedinis sit in potentia ad realitatem similitudinis: vel expenditur solùm penes esse formale similitudinis; ità vt realitas albedinis sit in potentia, vt per similitudinem formaliter fiat similis tanquā principio quo. Primum non est asserendum: quia vna, & eadem realitas, quantumuis sit imperfecta, non potest esse in potentia ad se ipsam, vt patet. Si verò detur posterius, idem videtur dicendū in Deo, quod in creaturis: nam sicùt in creatis albedo formaliter est similis similitudine, vt principio quo: ità etiam Deꝰ per sapientiā est formaliter sapiēs. Quare si ex eo præcisè realitas albedinis est in potentia ad similitudinem tāquam ad actum; quia per eam vt formalitatem distinctam est formaliter similis; similiter essentia diuina dicetur in potentia ad sapientiam; quia per eā est formaliter sapiens.

Impugnatio

101. Hoc tamen non obstante dicendum est doctrinam Scoti esse satis probabilem, si res ista subtiliùs expendatur. Etenim ratio potentiæ in illis, quæ realiter sunt idem, nec pręcisè expenditur penes solam realitatem: nec pręcisè penes esse formale: sed penes esse formale, provt abstrahit à realitate rei, quę per illud perficitur v.g. potentia, quæ datur in albedine ad similitudinem, non præcisè expenditur penes solam realitatē albedinis; quia (vt in argumento tangitur) idem non est in potentia ad se ipsū. Nec etiam præcisè expēditur in ordine ad esse formale, quod albedo habet ex similitudine; quia sola distinctio formalis non potest arguere potentiā in eo, quod formaliter fit tale, vt patet in diuinis. Expēdēda est igitur penes esse formale; quod ex sua natura abstrahit à realitate rei, quæ fit formaliter talis. Nam si omninò abstrahit ab illa realitate; vt quia ex se non modo eam non necessariò includit; sed etiam potest existere cum alia realitate, illiq́ue realiter identificari; tunc non potest non supponere aliquam veram potentialitatem in re, cuius est perfectio: etenim si subiectum illud nec necessariò sibi vendicat talem formali-

Solutio.

Illatio Scoti

formalitatem; nec necessariò idẽtificat sibi omnem realitatem, quam formalitas illa habere potest; vtique cum illius sit capax, ex se erit in potẽtia ad illã, ità vt per tale esse formale realitas illa verè perficiatur, & actuetur. Cuius oppositũ omninò reperitur in perfectione, quæ se cũdũ suũ esse formale nec abstrahit nec abstrahere potest ab illa ipsa realitate rei, cuius est formalis perfectio: etenim formalitas alicuius rei præcisè sumpta non potest aut actuare, aut actuando perficere eam realitatem, quam intrinsecè includit; sed eam solùm, quam ex sua ratione non includit; quoniam hæc sola est in potentia respectu talis perfectionis. Et hæc Philosophati sumus pro defensione diuinæ simplicitatis, & pro exclusione compositionis diuinę essentię, quam ex Scoti opinione aduersarij volunt inferre.

§. 5.

Expenditur secundum absurdum, quod ex Scoto quidam inferunt, diuinam scilicèt essentiam secundum se non esse sapientem.

102. Illatio contra Scotum

Torres.

QVinto loco ex opinione Scoti nonnulli inferunt diuinam essẽtiam secundùm se, & vt prescindit á sapientia, non esse sapiẽtem. Quod esse absurdum putat Torres de Trinitate q.28.ar.2.in prima parte primę disputationis in tertio argumento contra Scotum pag.46.col.1.& post eum Molina eodem loco disp.2.concl.2. §. *tertiò si sapientia*. Sequelam inde probant; quoniam essentia diuina non potest esse, aut concipi sapiens, nisi per sapientiam. Quare si essentia diuina formaliter distinguitur à sapientia; vtique considerata præcisè secundùm se, & sine sapientia, non erit sapiens. Falsitas autem consequentis multis ostenditur. Primò; quia sequeretur essentiam diuinam non esse sapientem à se, sed ab alio, à quo distinguitur. Secundò: quia haberet se ad instar potẽtię ad actum, quo perficitur. Tertiò; sumpta secundùm se nõ esset omni ex parte perfecta, sed indigeret aliquo distincto à se, quo perficeretur. Quartò; sequeretur diuinam essentiam non esse realiter sapientem; sed solùm formaliter: nec enim esset sapiens per realitatem sapientiæ (quia hæc est ipsa realitas essentię) sed per solam formalitatem.

1. Probatio minoris.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

103. Solutio. Rada.

Herrera.

Hoc argumentum proficiscitur ex ignorantia Metaphysicæ affirmat Rada in quarta controuersia primi libri §. *secundum argumentum est* pag.66.col.1.vbi agit de illius solutione, de qua etiam agit Herrera 1.tom.disp.14.q.1.ad 4.argumentum pro tertia sententia pag.467. col.2. Et si verum nos loqui licet, argumentum apud viros doctos non potest non censeri satis debile, vt eo opinio Scoti dicatur improbabilis, ne dum minus tuta: quoniam licèt diuina essentia à parte rei semper sit formaliter sapiẽs quia semper est cum sua sapientia: tamen vt considerata secundùm se abstractione præcisiua, vt Logici, & Metaphysici appellant, est quidem illa sapiens fũdamentaliter; non est tamen formaliter sapiens: quia in suo conceptu quidditatiuo non includit sapientiam, vt Scotistę opinantur. At non proinde infertur eam esse insipientem; quia in suo conceptu non includit insipientiam, imò fundamentaliter, & radicaliter eam excludit, vt prædicatum sibi repugnans. Quare sicùt non valet: homo secundùm se consideratus non est formaliter risibilis. Ergò est formaliter irrisibilis; ità in proposito. Quin potiùs non benè infertur essentiam diuinam sumptam, vt sic, non esse sapientem; si sensus sit eam esse cum negatione sapientiæ: etenim si ità sumpta positiuè haberet illam negationem; vtique illam includeret in sua formali ratione: quoniam ità sumpta solùm consideratur cum suis quidditatiuis, & intrinsecis prædicatis: negatio autem sapientiæ non est de intrinseca ratione diuinę essentiæ. Porrò, si sensus sit essentiam diuinam, vt sic non esse sapientem negatiuè, quia scilicèt non cõsideratur cum sapiẽtia: verissimus erit sensus. Quare sicùt equinitas secundùm se considerata tantùm est equinitas, vt ex Auicen. tradunt Logici: ità etiam essentia diuina considerata præcisè secũdùm se, formaliter loquendo solùm est essentia: radicaliter tamen, & fundamẽtaliter est sapientia bonitas, & cæt.

104. Obiectio.

Si verò obijcias esse sapientem, & nõ esse sapientem esse prædicata contradictoria, & subinde necessariò esse verificanda

canda de diuina essentia etiam considerata secundùm se; respondendum erit
Responsio. contradictoria necessariò verificari de quolibet simpliciter sumpto; secus si sumatur cum particula per se, vel secundùm se, aut essentialiter: quia, vt sic non propriè sunt contradictoria: homo enim essentialiter nec est albus, nec nõ albus, vt vulgaris est logicorum doctrina. Ad argumentum igitur concedenda est sequela; si consequens sumatur in sẽsu formali: quia essentia in suo formali conceptu non includit sapientiam; & ideò, quando concipitur præcisè secundùm se, suamque quidditatem, nõ intelligitur sapiens. Et in hoc sensu neganda est minor.

105. Ad primam minoris probationem ne-
Solutio 1. probationis ganda est sequela: nam Deum habere aliquid à se, & non ab alio (quod est cõmune theologorum proloquium) non idem est, quòd illud habere, vt prædicatum sibi essentiale, & quidditatiuum, vt argumentum malè supponit: sed idem est, quòd illud habere indepẽdenter ab aliqua alia causa efficiente: etenim illa locutio explicanda est negatiuè id est per negationem communicationis illi ab alio, tanquam à causa efficiente: in hoc enim sensu explicatur diuisio entis in ens à se, & in ens ab alio, vt omnes Metaphysici aduertunt, & inter alios Suarius in Metaph. disput. 28. sect. 1. n. 7. Si quando autem apud aliquem classicum auctorem inueniamus Deum secundùm suam essentiam esse sapientiam, bonitatem, & cæt. in ea locutione illud *secundum suam essentiam* non est idem, quòd essentialiter, & quidditatiuè; sed ideò secundùm suam essentiam dicitur sapiẽs, & bonus: quia sua essentia ratione suæ infinitę perfectionis est radix, & fundamentum, quòd illi conueniat sapientia, bonitas, & cęt. Quare, quanuis essentia diuina sit sapiens per sapientiam à se formaliter distinctam; adhùc est sapiẽs secundùm suam essentiam: quia adhùc est sapiens ex vi perfectionis radicalis suæ essentiæ, quatenus ab illa veluti ema-
D. Hieronymus. nat sapiẽtia. Nam ex D. Hieronymo ad
D. Aug. Ephesios 3. *Deus sua origo est, suæque causa substantiæ.* Et Augustinus in lib. 83. quæstionum q. 15. & 16. expressè docet *Deum esse causam sapientiæ suæ.* Et 7. de Trinitate c. 1. agens de Patre ità ait: *Quod illi est causa, vt sit, est etiam causa, vt sapiens sit.* Sed de hoc latiùs alibi.

Ad secundam probationem minoris neganda etiam est sequela: nec enim ex 106.
eo, quòd essentia secundùm se sumpta Solutio 2.
non est sapiens negatiuè; quia scilicèt in suo formali conceptu non includit sapientiam; non benè infertur eam in se & à parte rei esse in potentia ad sapientiam. Quam consequentiam iterũ, atq; iterum negat Rada in d. controuersia 4. *Rada.*
pag. 65. col. 2. §. *sed quæres*, & pag. 66. col. 1. §. *sed dices.* Et omissis, quę ibi satis indigestè congerit; ratio cur non valeat illa consequentia sumenda est ex ijs, quæ cũ Scoto diximus in §. præcedente: summa enim, & perfecta identitas realis, qua essentia identificatur cum sua sapiẽtia, sicùt ab ipsa sapientia tollit rationem actus informantis: ità etiam tollit ab essentia rationem perfectibilis. Nam si expendantur, quę de forma, & actu docet Scotus in 1. d. 8. q. 4. litera X. sicut actus, quando est perfectissimus, potest *Scotus.*
dare esse, vt quo, sine imperfectione informationis: ità vt sine imformatione sit alicui principium essendi, vt quo: sic etiam id, quod est veluti subiectũ, quando est ens perfectissimũ, potest formaliter esse talè ab alio absq; vlla ratione potentialitatis. Et hoc est vnicum fundamentum Scoti.

Tertia probatio etiam continet se- 107.
quelam ab Scotistis negandam: quoniã Solutio 3.
apud eos sũma perfectio diuinę essentię (qua iuxta Anselmum maior excogitari non potest) nõ est posita in hoc, quòd formaliter sit omnis pfectio; hæc enim perfectio est omninò impossibilis; sed in hoc potiùs ponitur, quòd identicè sit omnis perfectio. Ità habes ex Rada in *Rada.*
d. controuersia 4. pag. 65. col. 1. §. *ad confirmationem dico*, & satis explicauit addi- *Additio ad Scot.*
tio ad Scotum in 1. d. 8. q. 4. litera S. §. *Nota pro dicto Damasceni*, expressè docuit Bassoli in 1. d. 22. q. 4. ar. 3 ad 3. fol. 144. *Bassolius.*
col. 2. Qua supposita opinione, si Scotistæ consequenter velint loqui, negare debent essẽtiam diuinam sumptam cum perfectionibus attributalibus perfectiorem esse, quàm si sumatur secundũ se, & vt præcisa ab illis. Nam si summa pfectio in hoc solo est posita, quòd essentia identicè sit omnis perfectio; cum essẽtia hanc perfectionem habeat, quãtunuis

tunuis sumatur secundùm se præcisa ab attributis; vtiq; attributa eam non reddent perfectiorem: summa enim perfectio non potest effici perfectior. Ad argumentum igitur neganda est sequela: quoniam essentia secundùm se sumpta, quantunuis abstrahat ab attributis secundùm esse formale; non tamen abstrahit ab illis secundùm esse reale: quia, vt sic sumpta in se includit, quòd identicè sit omnis sua perfectio attributalis.

108. Impugnatio

Solutio subtilis est, & satis sufficiens ad euadendum difficultatem. Sed fortè aliquibus ideò non placebit; quia non est negandum attributa, vt formaliter sumuntur, ex sua ratione dicere perfectionem simpliciter: id enim admittunt Scotistæ, vt patet ex Bassolio in 1. d. 22. q. 4. ar. 2. §. *his ergò præmissis* in prima ratione fol. 140. colun. 4. & satis patet ex Herrera, & Rada, atque alijs, quos retulimus suprà q. 4. ar. 7. At verò si dicunt perfectionem simpliciter, quì fieri potest, vt essentia diuina eorum veluti aduentu nostro intelligendi modo nõ perficiatur? Quare satius est distinguere duplicem perfectionem diuinę essentiæ: vnam primariam, & radicalem, alteram secũdariam, & veluti adiacentem. Quã duplicem perfectionem admittũt Scotistę; & inter eos Herrera 1. tomo disp. 14. q. 1. in 5. notab. pag. 463. col. 2. & q. 2. in 2. sententia notab. 1. pag. 470. col. 2. in fine: nam & duplicem infinitatem in diuinis primariam scilicèt, & secundariam admittit Rada in d. controuersia 4. §. *ad primi argumenti solutionem* pag. 65. col. 1. Et vtrunque satis consentaneè ad Scotum quodlib. 1. litera C. vbi in diuinis distinguit duplicem entitatem: vnã simpliciter primam, & absolutam; quã tribuit essentiæ secundùm se, & quatenus sumitur, vt essentia quoad prædicata essentialia, & quidditatiua: alteram secũdariã, quæ est veluti adiacens essẽtiæ diuinæ. Quę duplex, tam entitatis, quàm perfectionis distinctio euidenter sumitur ex Damasceno lib. 1. de fide c. 4. dum ait: *Quæcunque autem per theologiam affirmatiuam de Deo dicimus, non naturam eius, sed ea, quæ sunt circa naturam insinuant: nam si bonũ, si iustum, si quiduis aliud dixeris, non naturam dicis Dei, sed ea, quæ sunt circa naturam.* Ex quibus verbis satis intelligitur naturã diuinam, atque essentiam esse primam Dei entitatem, primariamq; perfectionem: attributa autem esse entitates veluti secundarias; vt quia sint entitates circa naturam iam in se ipsa (vt ità loquar) entitatam, & subinde præexistentem tanquam attributorum fundamentum.

Herrera. *Rada.* *Rada.* *Scotus.* *Damascen.*

Quod etiam colliges ex verbis Augustini lib. 15. de Trinitate c. 5. dum ait *nomen spiritus significare substantiam Dei: nomina verò attributorum diuinæ essentiæ qualitates.* Confirmari etiam potest ex communi doctrina theologorum, de qua in q. 4. præcedente ar. 3. vbi ostendimus attributa ex sua intrinseca ratione dicere perfectiones diuinæ essentiæ veluti adiacentes. Quare non sine fundamento duplex perfectio distingẽuda est in diuina essentia: vna primaria, altera secundaria. Illa conuenit essentiæ secundùm se: quia vt sic est veluti radix, vndè veluti emanant, & pullulant perfectiones secundariæ. Ex quo iam licèt colligere essentiam diuinam secundùm se præcisè sumptam esse quidem actu, & formaliter perfectissimam perfectione primaria; non tamen secundaria: hanc enim formaliter non habet, nisi pro secundo signo nostræ considerationis. Quare licèt concedendum sit tanquam axioma catholicum diuinam essentiam à parte rei esse omnem perfectionem tám primariam, quàm secundariam; nõ solùm vnitate realis identitatis, sed etiã actu, & formaliter: tamen secundum nostrum intelligendi modum admittendũ est aliquod rationis signum, in quo essẽtia præscindat à perfectionibus secundarijs, considereturq; sine illis. Et cum hæc consideratio sit præcisiua nullam potest arguere indigentiam, aut potentialitatem, vt perficiatur perfectione superaddita: sed solùm arguit formalem quandam non identitatem, distinctionemque à perfectionibus, quæ considerantur per modum quasi adiacentium, & superadditarum de hac re vide, quæ dicimus inferiùs q. 7. ar. 1. §. 6. & ar. 2. §. 5. ad secundam demonstrationem.

109. *Augustin.*

Duplex perfectio diuinæ essentiæ.

Quarta, & postrema probatio minoris friuolam etiam continet consecutionẽ: quoniam diuina essentia non solùm dici potest sapiens formaliter per esse formale sapientis, in quo per suam sapientiam constituitur: sed etiam potest dici sapiens

110. Solutio vltimæ.

sapiens ex eo, quia est realiter idem cũ sua sapientia. Etenim illa vna,& eadem realitas, cum sit realitas, tùm essentiæ, tùm sapientiæ, potest dici non solùm ens, sed etiam sapiens: de quo plura in sequenti §.

§. 6.

Ex opinione Scoti non benè inferri essentiam,& attributa realiter distingui.

111. Illatio Cumelij cõtra Scotum.

SExto loco alij ex opinione Scoti inferunt diuinam essentiam, & attributa realiter distingui. Quod manifestè est contra fidem. Inter alios contra Scotum ita arguit Cumelius 1. p.q.4.artic.2.q.3. §.*Contrariam sententiam.* pag.131. col.1. Sequela probatur: primò;quia omne ens,vel est reale, vel rationis. Attributa autem non sunt entia rationis,sed realia etiam apud Scotum. Ergò realiter distinguuntur. Secundò; quia inter ea daretur relatio realis: distinctio enim,quæ est ex natura rei,non est aliud, quàm relatio ex natura rei: quæ cùm non sit rationis,erit realis.At relatio realis etiam apud Scotum non potest dari, nisi inter extrema realiter distincta. Tertiò; quoniam attributa, proùt distinguũtur ab essentia,non sunt nihil,vt patet. Si aliquid. Ergò cum essentia erunt plura aliquid. Ergò realiter distincta: etenim faciunt numerum realem: omnis autem numerus, vel est realis,vel rationis. Quartò; si formaliter distinguuntur;vtique distinguuntur quidditatiué,& subindè diffinitione.At quæ definitione differunt, cùm differãt essentialiter,differunt re.Deniq; multiplicata formalitate non potest non multiplicari entitas,& realitas: etenim formalitas est inferiùs ad entitatem. Realitas autem, & entitas non multiplicatur, nisi in ijs, quæ realiter distinguuntur.

1. probatio.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Vltima.

112. Negatur illatio.

Pro Scoto dicimus nihil minus sequi ex opinione Scoti, quám id,quod ex illa aduersarij volunt inferre. Quarè negãda est sequela. Primam probationem nihil efficere, facilè patebit, si perlegas,quæ diximus suprà §.2. in 2.& 3. diuisionis explicatione: peccat enim in æquiuocatione. Nam si id dicitur reale, quod est sine intellectu; admittendũ est omne ens vel esse reale,vel rationis, vt ibi ostendimus.Et in eõdem sensu facilè admittunt Scotistæ attributa esse entia realia, & realiter distincta ab essentia: quia ponunt ea à parte rei sine intellectu actualiter distingui. Nec admittere realem distinctionem inter essentiã,& attributa in præcitato sẽsu aliquid cõtinet cõtra fidẽ: nam dum fides docet attributa ab essẽtia nõ distingui realiter;id intelligit de distinctione rei à re,quæ proprijssimè est distinctio. Et in hoc sensu negauimus art.2.essentiam realiter distingui ab attributis. In eodem igitur sensu negandum erit omne ens, vel esse reale, vel rationis, vt §. 2. latè ostendimus in tertia explicatione. Vide Herreram in dicta controuersia 14. q. 1. ad 2. argumentum principale. pagina 467. column. 2. Aduerto tamen simpliciter non esse concedendum attributa realiter distingui ab essentia, nisi explicato superiori sensu: nam nec simpliciter est verum omne ens vel esse reale,vel rationis.

Herrera.

113. Solutio 2.

Ad secundam probationem sequelæ negant Scotistæ inter essentiam, & attributa dari relationem realem, vt patet ex Rada in d.controuersia 4. pag.67 col.1.in fine,& col.2.in principio,§.*Respondeo ergò ad argumentum*. Nec sanè sine fundamento: quoniam (vt ibi ait) non satis est distinctio ex natura rei,siuè formalis ad relationem realem: id, quod etiam doctissimè aduertit Fõseca in 5. Metaph.c.15.q.1.sect.7. §.*defectu secundæ conditionis*.pag.689: etenim ex communi ferè omnium philosophia relatio realis necessariò postulat extrema realiter distincta. In quo non solùm conueniunt Scotistæ cum Scoto in 1.d. 31. §.*Secundò principale*,litera B.C.& cum eo Rada vbi suprà,& Herrera 1.tom. disp.8.q.6. notab.2. pag.170. sed etiam D.Thomas 1. p.q.13.ar.7. & q.28.ar.1. ad 2. & 2.contra Gentes c. 12. & de potentia q. 3. ar. 3. ad 5. cum omnibus Thomistis, quos refert,& probat Cursus Conimb.in prędicamentis c. de relatione q.1. ar.4. ad finẽ,latè Fonseca vbi suprà.Quorũ opinio tenenda est, quãuis Suarins in Met. disp.47.sect.9.n.4. admittat relationem realem inter rem, & modum rei; ita vt distinctio modalis satis sit ad realem relationem, idem dicturus de sola distinctione formali, si eam admitteret.

Rada.

Fonseca.

Scotus. Rada. Herrera. D.Thom.

Fonseca.

Solutio primæ probationis.

Sed in hoc non est audiendus, cum sine vrgenti fundamento à communi discedat.

114. Præmissum pro solutione 3.

Pro resolutione tertiæ probationis præmittendum est duo ista transcendẽtia *aliquid, & rem* esse omninò idem, ita vt eorum nomina sint omnibus modis synonyma. Quæ fuit sententia veterum, qui hæc nomina non aliter, quàm vt synonyma vsurparunt, vt testatur Fonseca 4 Metaph. c. 2. q. 5. sect. 2. per totam, maximè in §. *dicendum est igitur.* pag. 596. Et quanuis non desint, qui aliter senserint, vt facilè videbis ex opinionibus, quas refert Suarius in Metaph. disp. 3. sect. 2. n. 4. 5. & 6. & ex Iauello in tractat. de transcendentibus c. 1. in quarta diuisione entis concl. 4. & clariùs ibi c. 3. & 4. & ex pluribus alijs; receptus tamen vsus iam obtinuit, vt hæc tria non distinguamus ens, res, & aliquid, sed eorũ nominibus, vt verè synonymis vtamur. Nec huic communi loquendi vsui quidquam obstare debet, quod distincta sit horum nominum etymologia, & impositio: (ens enim dictum fuit ab actu essendi: aliquid autem ab alietate, quasi sit aliud quid: res verò, quasi ratam faciat essentiam) quoniam vsus loquẽdi nominum significationes potest extendere, nihil attendendo ad illorum etymologiam: nam quanuis nomen *lapis* à lædendo pede sit impositum, vsus tamen obtinuit, vt audito nomine *lapidis* nihil minùs cogitemus, quàm de læsione pedis. Vtamur igitur tribus explicatis nominibus, vt verè synonymis.

Fonseca. *Iauellus.*

115. Solutio 3.

Hoc suppositio dicendum est attributa, vt præcisè distinguuntur ab essentia, non esse nihil, sed quodlibet eorum verè esse aliquid, sicùt etiã quodlibet verè est ens, & vera res, vt optimè annotauit Bassolius in 1. d. 22. q. 4. ar. 3. ad 11. ante finem: quidquid hac de re dubitet Herrera 1. tom. disp. 12. q. 1. ar. 2. pag. 447. col. 2. & fine causa inutiliter distinguat Maironius in 1. d. 8. q. 5. in sexta difficultate, § *sed dices, hæc formalitas:* etenim cum attributa etiam sub illa cõsideratione non abstrahant ab entitate, & realitate essentiæ diuinæ; imò nec ab existẽtia illius: non possunt non dici entia, & res: etenim apud omnes id, quod cum ratione formali quidditatiua, & essentiali simùl habet entitatem,

Bassolius. Herrera. *Mairon.*

qua vel actu existit, vel aptum est existere, verè est ens, & res; siquidem attenta etymologia nominum ens ab esse dicitur; res autem ab essentia, vt suprà aduertimus. In hoc autem deceptus est Herrera, quod suppositit formalitatem distinctam necessariò habere distinctam existentiã: nam quanuis cõcederemus id esse verum in creatis, vt existimat Fonseca lib. 5. Metaph. c. 15. q. 2. sect. 7. ad 2. & 4. pag. 699. non est tamen id admittendum in diuinis, propter disparem rationem identitatis, quæ in diuinis, & creatis reperitur, quam suprà explicauimus §. 4: in diuinis enim formalitas attributi non abstrahit ab illa numero entitate, & realitate, quæ est essentiæ; cum tamen in creatis non omninò abstrahat ab entitate, cum qua realiter identificatur.

Fonseca.

116.

Quarè admittendum est attributa, etiam sumpta in sua distinctione, esse aliquid, ens, & rem: negandum tamen est illa esse plura aliquid, plura entia, & plures res, quod negauit Bassolius loco citato, & consentit Maironius vbi suprà. Nec videri debet noua hæc doctrina: sunt enim grauissimi philosophi, qui in simili ferè materia idem docent; inter quos est Fonseca, qui in actione, & passione admittit illa esse quidèm entia: negat tamẽ esse aut duo entia, aut duas res, vt patet in 4. Metaphy. cap. 2. q. 5. sect. 2. in fine pag. 596. Et quanuis data doctrina fortè sit dubia in actione, & passione, & in cæteris creatis, quæ realiter sunt idem, distincta tamen formaliter: in diuinis tamen est verissima. Cuius veritas satis deducitur ex ijs, quę scribit idem Fonseca in 5. Metaph. c. 6. q. 7. sect. 4. post principium pagin. 357: etenim (sicùt doctissimè aduertit) vt ea, quæ distinguuntur, sint plura; opus est, vt illud prædicatum, secũdùm quod dicuntur plura, contrahatur, vel quasi contrahatur ad illa, vel differentijs oppositis, vel oppositis essendi modis: nec enim dicẽtur plura animalia, nisi distinguantur oppositis differentijs, quibus animal immediatè, aut mediatè per se diuiditur. Et eodẽ modo substantię nõ dicẽtur plures, nisi distinguãtur oppositis differẽtijs, primè, aut remotè diuisiuis substãtię cõpletæ, & prędicamẽtalis. Et ob id homo, & Petr⁹ (quos secũdũ

Fonseca. *Fonseca.*

Quid requiratur, vt alia quæ verè sint plura.

gradus

gradus metaphysicos formaliter distin gui supponimus) nec dicũtur plura animalia, nec plures substantiæ: quia differentiæ, quibus tàm substantia, quàm animal contrahitur ad hominem, & Petrũ, non opponuntur. Simili modo substantia in sua generalitate analoga ad substantiam completam, & incompletam non admittit numerum in inferioribus, nisi ad ea cõtrahatur per oppositos modos essendi. Quia verò per hos oppositos essendi modos contrahitur ad materiam, & formam, & ad differentias substantiales diuersas; ideò materia, & forma dicuntur plures substantiæ; similiter corporeum, & incorporeum, vt sũt differentiæ diuisiuæ substantiæ generis. sumi. Eodem igitur modo ea, quæ sunt distincta, nunquàm dici poterunt plura entia, plura aliqua, aut plures res, nisi distinguantur inter se per oppositos modos essendi diuisiuos entis, vt ens est.

117. Illatio ex proxima doctrina. Ex qua verissima doctrina infertur ea, quæ in diuinis distinguuntur, dici nullo modo posse plura entia, plura aliqua, aut plures res; quanuis quodlibet illorum verè sit ens, aliquid, & res. Et ratio est, quia fieri nullo modo potest, vt quæ in diuinis formaliter distinguũtur, rationem entis participent per modos essendi oppositos: cùm enim rationem entis habeant à sua entitate, atque realitate; quia quodlibet ens à sua entitate habet, quòd sit ens; & quòd possit existere: entitatem verò habeant omnibus modis eandem; fit, vt nullo modo in ratione entis distingui possint per oppositos modos essendi. Non sic res habet in ratione formali illius entitatis; nam cum realiter sit infinita, ex sua natura vendicat sibi omnes formales perfectiones. Cum verò hæ perfectiones ex sua natura in vnam rationẽ formalem nequeant vniri (hoc enim Scotus putat esse impossibile) infertur esse formale in diuinis ex sua natura diuersis formalitatũ rationibus posse distingui; quãuis per diuersos essendi modos distingui nequeant. Ità fit, vt attributa in ratione attributi, & perfectionis verè sint plura; non tamen in ratione entis, & rei. Quæ doctrina pro Scoto est diligentissimè aduertenda.

118. Diximus suprà (*in diuinis:*) quoniam in creatis fortè reperitur alia ratio: quæ enim in creatis formaliter distinguuntur, non solùm possunt admittere diuersas rationes formales, sed etiam diuersos, & oppositos essendi modos. Nã ens per diuersos modos essendi per se diuisiuos entis, vt ens est, diuiditur in distincta prædicamenta, vt ex Logica, & Metaphysica supponimus: aliũ enim essendi modum ipsi enti intrinsecum habet substantia, alium quantitas, alium qualitas, alium denique relatio. Quarè licèt fieri possit, vt quantitas, & qualitas sint idem realiter; relatio item, & proximum fundamentum: adhùc tamẽ dici possunt plura entia, & plures res. Et ratio est, quia cum quodlibet illorũ cum alio non omnibus modis realiter identificetur, vt in superioribus ostendimus; sicùt quodlibet propriam habet formalitatem, ita etiam propriam secũ defert entitatem, & existentiam, si vera est opinio Fonsecæ in 5. Metaph. c. 15. q. 2. sect. 3. ad 2. & 4. pag. 699. Et siuè illa vera sit, siuè falsa; semper asserendum est, quæ in diuinis formaliter distinguũtur, nullo modo dici posse plura entia, quantunuis quodlibet illorum sit ens. Et ratio est; quia formalis illa distinctio in diuinis stat cum omnimoda idẽtitate quoad entitatem, & realitatem, vt diximus. Nam ob hanc rationem actio, & passio in creatis non sunt plura entia, nec plures res, vt iam diximus ex Fonseca in 4. Metaph. loco citato. Et ratio est; quia licèt sint plures, & distincti modi essendi: tamen ita realiter identificantur cum forma, & actu, vt nullam aliam habeant, aut habere possint entitatem propriam, nisi entitatem solius actus, & formæ. Vndè in ratione entis non habent oppositos, & essentialiter intrinsecos essendi modos, sed vnum tãtùm. Similiter res habet in essentia, & attributis: in quibus vna tãtùm entitas datur vnicuique propria. Ex quo infertur attributa nullo modo facere numerum in ratione entis; quanuis illum faciant in ratione attributi. Et ita nihil obstat, quod ex ratione numeri adducitur.

Explicatio illationis.

Fonseca.

119. Solutio 4. Ad quartam probationẽ sequelæ dicendum est nonnullos Scotistarum minimè admittere attributa, vel inter se, vel ab essentia distingui quidditatiuè,

atque diffinitione, si propriè loquendũ est de diffinitione, atque quidditate: nã cum nec Deus, nec aliquod attributum ponatur in genere; nec Deus, nec aliquod ex attributis est verè, atque propriè diffinibile. Ita habes apud Bassoliũ in 1.d.22. q.4. ar.3.ad 4. pag.144.col.2: quo in loco admittit quidem essentiam ab attributis quidditatiuè distingui, atq; etiam diffinitione, si idem est quidditatiuè diffiniri, quòd proprijs conceptibus explicari. In quo sensu admissa maiore neganda est minor. Hæc habes ex Bassolio, videtur consentire Herrera 1. tom. disp. 14. q. 1. notab. 3. §. *Ex quibus infertur*. pag.464.col.2. dum negat pluralitatem attributorum inferre pluralitatem quidditatum; quanuis inferat pluralitatem rationum formalium. Sed quæstio est de nomine: vsus enim iã obtinuit, vt ea dicamus distingui formaliter, quę diffinitione distinguuntur, siuè diffinitio propriè sumatur, siuè latè, vt idem sit definire, quòd rationem formalem explicare. Quod diffinitionis genus non negatur diuinis. Et si huius generis diffinitionem vis appellare quidditatem; non repugnabo. Quarè in hoc sensu admittimus attributa quidditatiuè, & diffinitione distingui ab essentia; quia distinguuntur suis rationibus formalibus, & suis veluti quidditatibus. In quo sensu minor est falsa. Quin potiùs neganda esset, quanuis sermo esset de diffinitione, & quidditate propriè sumpta: nec enim omnia, quæ diffinitione, & quidditatiuè distinguuntur, realiter distinguuntur: nam relatio diffinitione distinguitur à fundamento, & figura à magnitudine (nam etiam accidentibus Aristoteles suas tribuit diffinitiones, & essentias) & tamen non distinguuntur realiter, sed solùm formaliter.

Bassolius. *Herrera.*

120. Vltima superest infirmãda probatio sequelæ: in qua antecedens negandum est: nec enim necesse est, vt multiplicata formalitate multiplicetur entitas, & realitas; si de entitate, & realitate propriè loquendum est. Etenim vna, & eadẽ entitas potest habere plures rationes formales: nam relatio (vt immediatè diximus) idem est realiter cum fundamento; à quo tamen formaliter distinguitur, vt alia exempla satis nota omittamus. Et in diuinis id omninò est admittendum, si diuinæ perfectiones in vnam rationem formalẽ vniri non possint, vt Scotistæ existimant. Probatio tamen antecedentis difficultatem fecit Maironio in 1. d. 8. q. 5. in octaua difficultate fol. 51. col. 3. & Bassolio in 1. d. 22.q.4.ar.3.ad 2. fol.144. col.2. Sed facilem habet responsionem: quoniam negandum est formalitatẽ esse quid inferiùs ad entitatem: nec enim datur aliquod ens, quod non habeat suam rationem formalem, quæ illi sit veluti quidditas, & essentia explicabilis per diffinitionem. Nam omne ens est aliquid, & res: ens autem dicitur aliquid, quia habet aliquam quidditatẽ; & dicitur res, quia habet essentiam, vt videre est apud Iauellum in tractatu de trãscentibus c. 1. §. *pro euidentia secundi*. & c.3. & 4. & apud Suarium in Metaph. disp.3. sect.2. n.4. & 5. & hæc pro hoc absurdo dixisse satis sit.

Solutio vltimæ. *Mairon.* *Bassolius.* *Iauellus.*

§. 7.

Expenduntur quædam alia absurda contra Scotum illata.

121. Septimo loco præter tria absurda, quæ in proximis tribus §§. explicauimus, adhùc supersunt quinq; alia pro defensione Scoti hoc loco explicanda.

Quarta illatio contra Scotum.

Quarto igitur loco ex sententia Scoti nonnulli inferunt attributa diuina esse res creatas. Ita Torres de Trinitate q.28. ar.2. in 1.p. primę distinctionis in vltimo argumento contra Scotum pag. 46. col. 1. in fine. Et Cumelius ibi q. 2. pag.814. col.1. §. *Secunda ratio*, quod etiã priùs intulerat 1.p. q.4. ar.2.q.3. §. *contrariam sententiam*. pag.131. col.1. Sequelam probant multis modis. Primò; quia attributum v.g. sapientia, sumptum, vt distinguitur ab essentia, vel est Deus, vel non est Deus. Si est Deus: ergò non distinguitur ab essentia formaliter, quod est contra Scotum. Si non est Deus. Ergò est creatura: quia omne ens, vel est creatum, vel increatum. Secũdò, si sapiẽtia ex natura rei distinguitur ab essẽtia; ex natura rei distinguitur à deitate: quia essentia, & deitas idem omninò sunt. Ergò ex natura rei non est Deus; & per consequens erit creatura.

Torres. *Cumelius.*

1. probatio.

Secunda.

Tertiò;

Tertia. Tertiò; quoniam sapientia vt sic, vel est infinitè perfecta, vel non est. Si est: vtiq; formaliter est Deus, & deitas. Si non est: erit quid finitum, & subindè erit creatura.

5. illatio. Quinto loco quidam inferunt sapiẽtiam Dei formaliter non esse essentiam sed solùm realiter: & subindè aliquid esse formaliter in Deo, quod formaliter non sit Deus, nec deitas. Hoc esse absurdum reputat Molina 1. p. q. 28. artic. 2. concl. 2. §. *Tertio si sapientia*.

Molina.

6. illatio. Sextò; sequeretur attributa esse perfectiones extrinsecas, & accidentales, quod est impium.

122. 7. illatio. Septimò sequeretur, quod vnum attributum esset simplicius Deo, quod est falsum. Consequentia indè ostenditur; quoniam Deus in se includit omnia attributa: quodlibet autem attributorũ solùm includit suam formalitatem.

Vltima illatio. Postremò; sequeretur in Deo esse plures filios: contra doctrinam fidei. Sequela probatur: quoniam quodlibet attributum ex sententia Scoti actu est formaliter infinitũ infinitate propria. Igitur quodlibet secundùm se erit obiectum diuini intellectus, illi simpliciter adæquatum. Imò etiam erit obiectũ adæquatè, & primo ratione sui mouens intellectum Dei. Ex quo infertur in intellectu diuino admittendos esse plures actus, & subindè plures generationes filiorum, & eàdem ratione in voluntate erunt plures productiones Spiritus Sãcti.

123. Solutio 4. illationis. Ad primam probationẽ. At hæc omnia facilem habent solutionem. Nam quartum inutilem habet sequelam. Ad primam probationẽ respondent Scotistæ sapientiam sumptam in sua formalitate, nec formaliter esse Deum, nec deitatem: vtrunq; tamen esse realiter. Ex quo nec aliquid potest inferri contra doctrinam Scoti: nec benè probatur sequela. Nam sicùt benè constat, quòd sapientia sit realiter Deus, diuinaque essentia, non tamen formaliter (hæc enim est sententia Scotistarũ) ita etiam non benè infertur sapientiam esse rem creatam: nam, quanuis formaliter non sit deitas; est tamen realiter: quod satis est, vt verisimè sit ens increatum. Ad secundam probationem admittenda est ab Scotistis prima, & secunda consequentia: quia sapiẽtia apud Scotum ex natura rei est distincta, tùm à deitate, tùm à Deo secundum esse formale Dei, vt præcisè est Deus: formaliter enim nec est deitas, nec est Deus: sed solùm realiter. Ex quo satis friuolè infertur sapientiam esse creaturã: quia licèt formaliter non sit Deus; est tamen Deus realiter. Simili modo dissoluitur tertia probatio sequelæ: dicunt enim Scotistæ sapientiam formaliter sumptam esse infinitè perfectam: nam cũ realiter idem sit, quod diuina essentia; non potest in sua formalitate non habere infinitam perfectionem. Indè tamen nõ benè inferes eam esse vnum formaliter cum diuina essentia: quoniam apud Scotistas infinitas realiter identificat ea, quæ in Deo sunt; non tamen formaliter: hæc enim identificatio est omninò impossibilis, vt ex Scoto sæpè diximus. Hęc satis scripsit Rada in d. controuersia 4. pag. 66. §. *Similiter respondeo ad illud.* Et quanuis hæc non placeant Cumelio, aut Torres: placere tamen debent, vt ostendant argumentũ non habere vim.

Ad 2.

Ad 3.

Rada.

Quintum absurdum parùm vrget; 124. quoniam inferiùs §. 10. ostendemus nec sacras literas, nec Ecclesiam, nec Patres vnquam docuisse, aut essentiã formaliter esse sapientiam; aut sapientiam formaliter esse essentiam, siuè deitatẽ: nam licèt ex scripturis, Concilijs, & patribus euidenter constet essentiam in abstracto prædicari de sapientia, & sapientiam de essentia: tamen veritas harum propositionum optimè saluatur ratione realis identitatis. De quo plura inferiùs §. 10.

Solutio quę tę illationis

In sexto absurdo consequentia est 125. inutilis, & omninò friuola: nam quanuis attributa formaliter distinguantur ab essentia, nec sint de illius quidditate; sunt tamen idem cum illa omnimoda identitate reali: quod satis est, vt simpliciter non dicantur perfectiones extrinsecæ, & accidentariæ; nisi velis appellare accidentale, & extrinsecum, quidquid nõ est de quidditate, nec constitutiuum quidditatis: quod est abuti vocabulis.

Solutio. 6.

Ad septimum absurdum neganda est 126. sequela: rationem assignat Herrera in dict. controuersia 14. q. 1. ad nonum pro tertia sententia pagin. 468. col. 1. quoniã hoc loco illud dicitur simplex, quod est expers compositionis. In quo sensu

Solutio septimæ. *Herrera.*

sicùt Deus est simplicissimus; ita etiam simplicissimum est quodlibet attributorum. Quòd verò additur Deum in se includere omnia attributa; si in sensu formali id intelligatur, est falsũ: quia apud Scotum attributa non sunt de quidditate, & essentia Dei; quia sunt qualitates veluti adiacentes diuinæ essentiæ, vt in præcedente quæstione sæpè diximus. Porrò si illud intelligatur in sensu reali, & identico; verissimum est, quia Deus realiter est sua attributa: sed in eodem sensu quodlibet etiam attributum est Deus; quia quodlibet cum Deo realiter identificatur.

127. Solutio vltimæ. Bassolius.

Ad postremum absurdum fideũ negat consequentiam. Ad probationem respondet Bassolius in 1. d. 22. q. 4. ar. 3. ad 6. fol. 144 colum. 2. negatque dari plura prima obiecta diuini intellectus, aut diuinæ voluntatis: quoniam sola essentia est primum obiectum per se motiuum vtriusque potentiæ: nam apud Scotum Verbum procedit præcisè ex cognitione solius essentiæ, sicùt etiam Spiritus Sanctus procedit ex solo eiusdem essentiæ amore. Ego puto argumentum in forma facilè dissolui, si antecedens primi discursus explicetur: nam quodlibet attributũ esse formaliter infinitũ propria infinitate falsum est, si nomine propriæ infinitatis intelligamus infinitatẽ sibi peculiarem, distinctamque ab infinitate, aut essentiæ, aut cæterorum attributorum. Quoniam sicùt in hoc sensu non habet propriam entitatem, realitatemque, sed eandem numero, quam habet essentia, & quodlibet aliud attributum; ita nec habet propriam infinitatem: infinitas enim simpliciter sumpta est modus entis. Quin potiùs cum essentia diuina sit natura, ipsi tanquàm primæ radici primò debetur omnis entitas, & realitas, ita vt nostro intelligẽdi modo essentia suam numero entitatem, & realitatem veluti communicet attributis. Porrò si per propriam infinitatem intelligamus infinitatem attributis connaturalẽ, & subindè ideò propriam, quia naturaliter debitam: admittendum est antecedens, sed consequentia neganda: quia iam diuertit ad priorem sensum. Etenim obiectum adæquatum diuini intellectus apud Scotum est vnum realiter, non tamen formaliter, vt suprà diximus ex eodem Scoto in 1. d. 2. q. 7. litera FF. §. *Ex hoc arguo sic.* Et indè est, vt diuinus intellectus habeat vnum tantùm actum, qui licèt realiter sit vnus; virtute tamen, & eminenter est plures, vt sæpè etiam aduertimus. Quarè licèt actus intellectus sit realiter vnus, & virtute plures: tamen apud Scotum non habet vim producendi ex cognitione omnis obiecti: sed ex cognitione solius essentiæ, quæ est obiectum primum, & ex sua ratione fœcundum. Igitur apud Scotum argumentum parùm habet efficaciæ ad inferendum absurdum. Sed nec illam habebit, si cum alijs dicas actum illum non ex sola essentia habere vim producendi, sed etiam ex attributis; imò etiã ex cognitione creaturarum, quamuis sint obiecta omnium consensu secundaria. Quoniam Verbũ diuinum, quamuis sit realiter vnum; est tamen Verbum, non vnius obiecti, sed plurium. Vndè ex sua natura habet, quod producatur per actum realiter vnum, sed virtute, & eminenter plures. Hæc dicta sint pro liberando Scoto ab absurdis illatis, & vt ostendamus illius sententiam ex hoc capite immeritò iudicari minus tutam.

Scotus.

§. 8.

Examinantur rationes naturales, quibus sententia Scoti impugnatur.

128. Prima ratio naturalis cõtra Scotum.

OCtaua impugnatio Scoti sumitur ex rationibus naturalibus. Et prima ratio ita habet: distinctio formalis ex natura rei est maior distinctio distinctione reali. Ergò attributa non distinguuntur ab essentia formaliter, & ex natura rei. Consequentia tenet: antecedens probatur. Distinctio per intimiora est maior, quàm illa, quæ fit per ea, quæ sunt extra intima rei. Distinctio formalis, & ex natura rei est per maximè intima rei. Ergò, & cætera. Minor patet ex Scoto in primo distinction. 2. dicente, quòd distinctio formalis ex natura rei fit per prædicata primi modi, quæ insunt rei in primo signo: distinctio autem realis fit per ea, quæ insunt post. Maior autem probatur; quia distinctio per aliqualiter intima, est aliqualiter distinctio: distinctio per magis intima, est maior distinctio.

Ergò

Ergò distinctio per maximè intima est maxima distinctio: si enim simpliciter sequitur ad simpliciter, & magis ad magis: maximum sequetur ad maximum. *Caietanus.* Ratio est Caietani de ente, & essentia c. 6. q. 12. §. *quoad quartum.*

129. Confirmat. *Banhes.* Hanc rationem ità corroborat Banhes 1. p. q. 28. ar. 2. dub. 3. concl. 1. pag. 1109. quoniam distinctio formalis ex natura rei est maior, quàm distinctio realis, quę fit per accidentia extrinseca fit enim per intrinseca ex Scoto in 4. d. 2. distinctio autem, quæ fit per intrinseca, maior est: quàm ea, quę fit per extrinseca. Sed esset absurdum, si magis distinguerentur attributa ab essentia, quàm distinguatur petrus alb⁹ à se ipso nigro Ergò attributa non possunt ab essentia distingui ex natura rei, siue formaliter.

130. Secunda ratio. Secundò ità arguit Caietanus vbi suprà. Perfectiones diuinæ abstractę abstractione præcisiísima sunt formaliter infinitæ. Ergò sunt idem formaliter cũ essentia. *Scotus.* Antecedens est Scoti in 1. d. 8. q. 3. in resposione ad argumentum principale. Consequentia probatur; quia quęlibet perfectio non dicitur formaliter infinita sola infinitate infra propriã rationẽ v.g. sapientia nõ potest dici formaliter infinita infinitate infra propriam rationem sapientiæ. Ergó dicetur formaliter infinita infinitate infra latitudinem perfectionis entitatiuę. Antecedens huius secundi discursus inde probat Caietanus; quia nullum priùs formaliter includit suum posterius: iam verò perfectio diuina v.g. sapientia prior est sua infinitate: siquidem infinitas est modus intrinsecus illius. Sãpientia igitur erit formaliter infinita infinitate infra latitudinem perfectionis entitatiuæ: quæ est secunda consequentia. Non potest autem esse ità formaliter infinita, nisi infra ambitum suę rationis formalis formaliter contineat omnem perfectionem simpliciter, itá vt nullam à sua formali ratione excludat; aliàs iam esset coarctata, atque limitata infra latitudinem perfectionis formalis cõtra id, quod supponitur. Ergò sapientia ex natura rei non est distincta formaliter ab essentia, sed idem formaliter cũ illa.

131. Tertia. Tertiò ità arguit Caietanus: perfectiones diuinę ex natura rei formaliter distinguuntur ab essentia. Ergò inter eas, & essentiam datur relatio realis. Tenet consequẽtia; quia distinctio illa, cum sit relatio existens in rerum natura, necesse est, quòd sit realis; sicùt & quodlibet aliud existens in rerum natura reale est Consequens autem est contra Auicenã docentem, eiusdem ad se ipsum non esse relationem realem. *Auicena.*

132. Quarta. *Cumelius.* Quartò arguit Cumelius 1. p. q. 4. ar. 2. q. 3. §. *contrariam sententiam* pag. 130. col. 2. quoniam distinctio ex natura rei fundatur in oppositione ex natura rei. Sed inter essentiam, & attributa non datur oppositio ex natura rei. Ergó nec admittenda est distinctio ex natura rei. Maiorem probat ex Aristotele 1. Metaph. c. 7, tex. 24. Minorem verò; quia inter attributa, & essentiam non datur oppositio relatiua, vt patet. Nec etiam oppositio priuatiua; quia in hac alterum extremum denotat imperfectionem. Et ob eandẽ rationem nõ datur oppositio contradictoria: quoniam alterum illius extremum denotat negationem. Deniq; non darur oppositio contraria; quia vnum contrarium in ordine ad alterum semper est imperfectum. Nulla igitur inter essentiam, & attributa datur oppositio, quæ fuit minor; & subinde nulla datur distinctio. *Aristotel.*

Quintò; alij ex eo sumunt argumentum, quod in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio, vt docet Concilium Florentinum. Sed attributa, & essentia non opponuntur relatiuè, vt patet. Ergó sunt vnum. Quinta. *Consilium Florent.*

133. Sexta. Sextò; quia distinctio actualis facit numerum, & distinctio rationis facit numerum secundùm rationem. Ergò distinctio realis facit numerum realem. Quare, si inter essẽtiam, & attributa datur distinctio actualis ex natura rei; necessariò inter ea dabitur numerus realis. Quod est hæreticum.

Septimò ex Molina, ex consensu omnium etiam Scoti essentia, & attributa non plùs distinguuntur, quàm essentia, & relatio. Sed essentia, & relatio distinguuntur sola ratione, vt sępe asseritur in Concilio Florentino. Ergó attributa distinguuntur ab essentia non ex natura rei, sed sola ratione. Septima. *Molina.* *Cõc. Florẽ.*

Vltima. Postremò impossibile est, vt quæ sũt vnum secundũ rem, sint plura, & distincta ex natura rei. Sed essentia est vnum

secundùm rem cum attributis. Ergò nõ potest ab illis distingui ex natura rei. Consequentia patet simùl cum minori. Maior probatur: quia impossibile est, vt plura secundùm rem sint vnum ex natura rei. Ergò è conuerso, quę sunt idem secundùm rem, non poterunt esse diuersa ex natura rei.

134. Hæ tamen rationes Scoti sententiã non modo non expugnant, sed nec oppugnant: facilem enim habent solutionem. Ad primam Caietani neganda est maior cum Rada 1. tom. controuersia 4. ad secundum principale pag. 67. col. 2. constat enim distinctionem realem inter omnes esse simpliciter maximam. Quod ex eo primò ostendi potest; quia distinctio per se opponitur vnitati. Ergò ea distinctio per se dicetur maior, quæ p se opponitur maiori vnitati, eãq; totaliter excludit. Maior autẽ vnitas est vnitas realis, vt patet: distinctio autem realis magis opponitur vnitati reali, quàm opponatur distinctio formalis: etenim distinctio formalis ex sua ratione non excludit vnitatem realem: quæ enim realiter sũt vnum, possunt formaliter distingui, vt sæpe diximus, & apud Scotum est verissimum: realis autem distinctio omnibus modis excludit quãcunque vnitatem realem, quæ per se sit vnitas realis. Quod dicimus propter vnitatem per accidens, quam distinctio realis duorum accidẽtium admittit in eodem subiecto: quam Aristot. in Topicis vocat vnitatem secundũ subiectum. Distinctio igitur realis longè est maior in ratione distinctionis, quàm sit distinctio formalis. Quod secundo ex eo deducitur; quia distinctio realis necessariò secum defert distinctionem formalem: nec enim possunt duo aliqua realiter distingui, quin etiam formaliter distinguantur. Formalis autem distinctio non necessariò infert realem: possunt enim, quę formaliter distinguuntur, esse realiter idem. Iam verò illa distinctio est maior altera, quæ ità se habet ad illam, vt eam necessariò inferat, non tamen ab ea necessariò inferatur. Deniq; idem ex eo probatur, quod multo plura per se requiruntur ad distinctionẽ realem, quàm ad formalem: vt patet ex Fõseca 5. Metaphysica cap. 6. q. 6. sect. 1. Quare ad primam Caietani rationem merito iure neganda est maior.

Solutio 1. rationis. Rada. Aristotel. Fonseca.

135. Ad probationem illius respondetur primò in ea (nisi velis ab extrinseco procedere) supponi falsũ: supponitur enim maiorem, aut minorem distinctionem per se sumendam esse penes hoc, quod fiat per magis, aut minus intrinseca. Quod esse falsum doctè aduertit Rada vbi suprà: etenim distinctio sub ratione distinctionis per se pendet ex maiore, vel minore recessu ab vnitate maiore, qualis est vnitas realis, vt satis euidenter probat ratio superiùs adducta: nam cum distinctio, vt distinctio est, per se supponat oppositionem distinctorum: distinctio autem, vt talis est, per se opponatur vnitati, cuius est veluti priuatio; vtiq; eó maior erit, quò magis ab vnitate recedit. Respondendum est secundò in eàdem probatione illud esse falsum, distinctionem formalem per se dari per intima rei; realem verò per ea, quę sunt extra intima rei. Cuius assertionis prior pars est verissima quoniã distinctio formalis semper datur per rationem formalem, quidditatem, & essentiam eius, quod formaliter distinguitur ideò enim relatio formaliter distinguitur á fundamento; quia formalis ratio essentialis, & quidditatiua relationis est diuersa à formali ratione sui fũdamẽti. Porrò posterior assertionis pars (quód scilicèt realis distinctio semper fiat per extrinseca) falsissima est: etenim duo suppositа subsťãtialia, Petrus scilicèt, & Ioannes, siue sumantur secundùm considerationem Physicam, siue secundùm Metaphysicam, semper inter se distinguuntur per ea, quæ illis sunt intima: Petrus enim secundùm physicam considerationem tota sua intrinseca, & substantiali entitate distinguitur à Ioanne; nam, & materia Petri realiter est alia à materia Ioannis, atque etiam anima ab anima illius, & subinde vnius humanitas à tota humanitate alterius distinguitur, & deniquè totus ipse à toto Ioanne. At quis dicet materiam, animam humanitatem, & deniq; totum ipsum Petrum esse extra intima ipsius Petri? Idem reperiès, si Petrum, & Ioanem metaphysicè consideres: distinguuntur enim per suas ecceitates, differentiasq; indiuiduales, quibus substantialiter, & intrinsecè in esse talis ubstantiæ constituuntur.

Respõsio 2.

Realis distinctio non semper fit per extrinseca.

tuuntur. Quare hac in re non subtiliter metaphysicatus est subtilissimus Caietanus. Melius philosopharetur, si diceret distinctionẽ realẽ in hoc distingui à formali, quòd formalis semper datur per intima ipsorum distinctorum; realis autem nõ oportet, quòd semper fiat per intima: interdum enim fieri potest per extrinseca. i. p ea, quæ nõ sunt de intrinseca ratione: nam Petrus albus realiter distinguitur à se ipso nigro per albedinem, & nigredinem, quæ sunt formę ipsi accidentales. Cæterùm hæc etiam distinctio realis, quanrunuis fiat per extrinseca, est maior, quàm distinctio formalis; quia longiùs distat à reali, ac per se vnitate: etenim distinctio formalis admittit secum realem per se vnitatem quã tamen nunquam admittere potest realis distinctio, etiam si fiat per extrinseca: nam quanuis in hac detur realis vnitas, non tamen datur vnitas, quæ sit per se vnitas, sed quę sit vnitas suo modo per accidens: distinctio enim Petri albi à se ipso nigro absolutè non fundatur in vnitate substantiali Petri, sed in vnitate, quam Petrus habet cum vtraq; illa forma, quæ vnitas est vnitas per accidens, quæ dicitur vnitas subiecti.

136. Solutio cõfirmat.

Ex his patet Solutio ad confirmationem, quam adduxim' ex Banhes: maior enim simpliciter est falsa; similiter, & propositio, quæ in confirmationem adducitur, vt patet ex his, quæ immediatè diximus.

137. Solutio 2. rationis.

Ad secundam rationem Caietani, vt omnis tollatur æquiuocatio explicandum est antecedens. Nam si sensus est diuinas perfectiones esse formaliter infinitas; ità vt infinitas per se includatur in formali, & quidditatiua earum ratione; negandum est: quoniam infinitas, cũ formaliter non sit aliqua entitas, sed modus entis intrinsecus cuiquè enti infinito, non est de essentia, & quidditate diuinarum perfectionum; sicùt etiam non est de ratione quidditatiua diuinæ essentiæ. Porrò, si est sensus diuinas perfectiones ideò esse formaliter infinitas, quia quęlibet sumpta in sua ratione formali habet secum hunc essendi modum sibi intrinsecum, & inseparabilem (in quo sensu quęlibet entitas, & perfectio creata formaliter est finita) admittendũ est antecedens: quia perfectiones diuinæ, siue sumantur secundùm esse reale, siue secũdùm formale, semper habẽt intrinsecum illum modum. Concesso tamen in hoc sensu antecedente, neganda est consequentia. Ad illius probationẽ negandum est antecedens, vt patet ex ijs, quæ suprà diximus §. 3. in solutione secundi argumenti; vbi ostendimus infinitatem formalitatis cuiusque perfectionis attributalis non esse infinitatẽ simpliciter infra totam latitudinem formalis perfectionis. Sed in tali genere, hoc est, infra latitudinem proprię rationis cuiusque. Quare in secundo discursu antecedens est falsum. Cuius probatio friuola est, si enim aliquid probaret, etiam probaret in infinitate infra latitudinem totius perfectionis formalis: nam cum vtraq; infinitas sit modus entis; vtraque est quid posterius perfectione, cuius est modus. Quare si ideò perfectio diuinę sapientię non est formaliter infinita infinitate infra propriã rationem, quia est quid prius; profectó infinitas non erit formaliter infinita infinitate infra latitudinem perfectionis formalis; quia etiam prior est tali infitate. Persistendum igitur erit in ea sentẽtia, quam suprà probauimus §. 3 ad 2.

138. Solutio 3.

Ad tertium quod etiam est Caietani, patet Solutio ex dictis suprà §. 6. ad secundam probationem; vbi ostendimus consequentiam non valere. Probatio autem supponit distinctionem formaliter esse relationem; quod tamen est falsum: nec enim formaliter est relatio, sed fundamentum, ex quo potest sequi relatio, si adsint omnes conditiones ad relationem realẽ requisitæ. Hæ autem nõ dantur in sola distinctione formali, vt ibi diximus.

139. Solutio 4.

Quarta ratio, quæ sumitur á Cumelio, friuola est: quia in ea omissa est oppositio disparata, quæ satis est ad fundandam distinctionem: & licèt hæc oppositio non debeat admitti in diuinis quoad realitatem; quia in diuinis vna tantùm est realitas absoluta: benè tamẽ admitti debet quoad formalitates perfectionum: hæ namquè, sicùt apud Scotũ ponuntur plures; ità apud eundem disparatè opponuntur: essentia enim formaliter non est iustitia, nec iustitia formaliter est sapientia. Imò in distinctione secundum rationem, quam aduersa-

rij admittunt, non aliam habent oppositionem, quàm disparatam. Igitur oppositio, quæ per rationem apud aduersarios inter hæc cernitur, admittenda est in via Scoti ante omnem intellectus actum.

140. Solutio 5. Quinta etiam ratio parum habet efficaciæ: nam illud proloquium theologicum desumptum ex D. Anselmo in lib. de processione Spiritus Sancti cap. 3. *omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio*, absque dubio intelligitur de sola vnitate reali: nam realis distinctio in diuinis sine oppositione relatiua dari nõ potest. Vide Radam in d. controuersia 4. ad primum principale pag. 67. col. 2.

Rada.

141. Solutio 6. Sexta ratio facilè soluitur ex dictis §. 6. ad tertiam probationem sequelæ in fine: nam ex omni distinctione sequitur aliqua multitudo, vt benè aduertit Fõseca in 5. Metaph. c. 6. q. 7. sect. 4. in principio pag. 357. quæ enim distincta sunt, eo modo sunt multa, quo distincta. At tamen, vt idem annotauit, non ex omni distinctione nascitr̃ multitudo eorũ, quę simpliciter, & absolutè dicuntur plura entia. Igitur quę fuerint distincta per rationem, per solam rationem habebũt multitudinem, & numerum: quæ autem fuerint distincta solùm formaliter, habebunt in se ipsis multitudinem, & numerum formalitatum, formaliumque perfectionum: deniq; quę fuerint distincta realiter, simpliciter erunt plura entia. Itaque numerus simpliciter, & absolutè sumptus, solùm datur inter ea, quæ realiter distinguuntur: inter alia verò non datur numerus, nisi secũdùm quid. Quare ax sola distinctione formali non benè infertur numerus realis.

Fonseca.

Solutio 7. Ad septimam rationem, quæ est fundamentum Molinæ, concessa maiore, minor ab Scotistis omninò est neganda quorum sententiam ab omni fidei periculo suo loco liberabimus.

142. Bassolius. Solutio vltimę rationis Pro solutione vltimæ rationis multa scribit Bassolius in 1. d. 22. q. 4. ar. 3. ad 8. fol. 144. col. 3. & 4. Facilèrespodemus negãdo antecedẽs: quod nõ potest non negari ab ijs, qui mediam distinctionem agnoscunt inter distinctionem realem, & rationis. Quam sententiam probauit Scotus cum suis, & nos eã latè probauimus supra ar. 2. §. 1. Probatio antecedẽtis etiam sumit antecędens falsum: nam licèt illud sit verum in creatis (quidquid Bassolius vbi suprà contradicat) tamen in diuinis est falsissimum: nam tres diuinæ personæ realiter distinguuntur, & tamen realiter sunt vnum in essentia. Respondetur secundò admisso antecedente in creatis consequentiam esse negandam: realis enim distinctio, cum sit maxima inter omnes distinctiones, ex se excludit omnem vnitatem, non solùm realem, sed etiam formalem, & ex natura rei: quia distinctio realis secum affert omnem distinctionẽ, tàm ex natura rei, quam rationis. Non sic res habet in vnitate reali: hęc enim, quanuis excludat distinctionem realem; quia illi per se primò opponitur: non tamen excludit omnem distinctionem: etenim quòd à parte rei realiter est vnum; potest esse plura, non solùm per rationem; sed etiã à parte rei sine intellectu: quia potest tantæ esse excellentię, vt sit formaliter plura, vel actualiter, vel virtualiter. Et hæc de ista impugnatione.

2. Solutio.

§. 9.

Soluuntur ea, quæ ex D. Bernardo, & Concilio Remensi affert Bellomontanus contra Scotum.

143. Impugnatio ex D. Bern. NOnam, & principalem impugnationem sumit Bellomontanus ex D. Bernardo serm. 80. in Cantica: quoniam si sapientia v.g (idem dicito de cæteris attributis) ex natura rei, & ante intellectum non est essentia: vel sapientia ex natura sua est aliquid, vel nihil. Non dices esse nihil, vt patet. Si est aliquid; vel ex sua natura ante intellectum est superiùs, vel inferiùs, vel æquale. Superiùs esse nõ potest, vt liquet. Nec etiam inferiùs: quia ex sua natura esset creatura. Nec deniq; esset aliquid æquale: quia vel illud ęquale ex sua natura esset ipsa essentia; vel aliquid distinctum ab essentia. Si esset ipsa essentia; falsa esset opinio Scoti. Si verò esset quid distinctũ ab essẽtia, darẽtur in Deo plures essentiæ diuinę, & subinde plures dij: quod enim est Deo æquale, est ipse Deus: & quod est ęquale essentię, est ipsa essentia. Hanc rationem magnificandam esse tanquam efficacissimam putat Bellomontanus in d. disp. 116. c. 5. n. 17. & 18. ea enim D. Bernardus in Concilio Remensi

Remensi expugnauit hanc propositionem Gilberti: *Deus non est sua bonitas, nec sua sapientia.* Quare illa eadem satis erit ad expugnandam propositionem Scoti, quæ asserit: *deitas ex natura rei non est sua bonitas, nec sua sapientia.* Nam quanuis Scotus concedat deitatem, diuinamque essentiam esse eandem rem cum sua bonitate, & sapientia; tamen cum dicat essentiam ex natura rei, & ante intellectū non esse sapientiam, omninò destruit id quod posuerat: hæc enim duo manifestè secum pugnant.

144. 1. Confirm. *Conc. Remense.* Confirmatur ex eodem Bellomontano in d. n. 18. quoniam propositio Scoti conuenit cum propositione Gilberti damnata in Concilio Remensi. Nam sicùt Gilbertus absolutè negabat Deum esse veritatem, aut sapientiam, & solùm admittebat Deum esse verum, & sapiētem: ità etiam apud Scotum hæc propositio: *deitas est sapientia*, formaliter non est vera: cum tamen apud eum hęc sit formaliter vera, *deitas est sapiens*. Quare cum propositio illa Gilberti, & allata illius explicatio damnata sit in d. Concilio Remensi: vtique propositio illa in Scoto reprehendi debet: siquidem apud eum similis explicatio est facienda, vt deitas formaliter sit sapiens; non tamē formaliter sit sapientia.

145. 2. Confirm. Confirmatur secundò ex eodem Bellomotano in d. n. 18. §. *secundò, vt disputatione*: quoniam Gilbertus nunquam dixit Deum, & suam sapientiam esse duas res, aut realiter differre; sed solùm dixit Deum, & suam sapientiam distingui nō sola cogitatione mathematica: quę vnū ab alio abstrahit; sed etiā ratione theologica. Per rationem autem theologicam Bellomontanus nihil aliud potest intelligere, quàm rationem formalē, quæ à theologo conceditur in re ipsa Et tamen assertio Gilberti fuit damnata in d. Concilio. Ergò eadem assertio

146. in Scoto reprehendenda erit.

Hæc sunt argumenta, quibus Bellomontanus putat Scoti sententiam dignam esse, quæ reprehendatur; vt quę proximè accedat ad damnatam Gilberti opinionem. Sed quam id falsum sit, ex dicendis facilè patebit.

Solutio impugnationis Ad argumentum igitur principale dicimus argumentationem, qua D. Bern. vtitur contra Gilbertum, satis esse efficacem ad conuincendam propositionē asserentem diuinitatem, qua Deus est Deus, non esse Deum, sed aliud quid realiter distinctum á Deo. Contra hāc propositionem in hoc sensu ita argumentatur D. Bernardus: *Diuinitate (inquiunt Deus est) sed diuinitas non est Deus, forsitan non dignatur Deus esse, quæ tanta est, vt faciat Deum. Sed si Deus non est, quid est? aut enim Deus est, aut aliquid, quod non est Deus, aut nihil. Equidē non das Deum esse. Sed nè nihilum quidem (vt opinor) dabis, quamvsque adeò necessariam esse Deo fateris, vt non modo absquè ea Deus esse nō possit, sed ea sit. Quòd si aliquid est, quod non est Deus: aut minor erit Deo, aut maior, aut par. At quomodo minor, qua Deus est? Restat, vt aut maiorem fatearis, aut parem. Sed si maior, ipsa est summum bonum, non Deus. Si par; duo sunt summa bona, non vnum: quod vtrunque catholicus refugit sensus.* Ex quibus patet D. Bernardum hac argumentatione solùm impugnare propositionem Gilberti asserentis diuinitatem, qua Deus est Deus, non esse Deum, sed aliquid realiter distinctū à Deo: sicùt humanitas, qua homo est homo: non est homo, sed aliquid distinctū ab homine. Impugnat hanc assertionē deducendo Gilbertum ad hoc absurdū; vt vel teneatur admittere duo summa bona; vel Deum non esse summum bonum: quod vtrunque respuit catholica fides, quæ prædicat vnum tantùm esse summū bonum; & solùm Deum esse hoc summum bonum. Ad hoc autem absurdum D. Bernardus hęreticum deducebat; quia hæreticus non negabat, sed admittebat potiùs diuinitatem, qua Deus est Deus, ex se esse summum bonum, quantunuis non esset Deus, sed aliquid reale distinctum á Deo. Nam cum negare non posset Deum, vt Deus est, esse summum bonum; & admitteret Deum ipsa diuinitate esse Deum, non poterat non admittere diuinitatem esse summum bonum. Hac igitur suppositā veritate ab hęretico etiam concessa, argumentum necessariò cōcludit alterum ex illis absurdum: nimirum aut Deum non esse summum bonum; aut danda esse duo summa bona. Nam cum hæreticus dicere non posset diuinitatē esse nihil; vt quia assereret Deū diuinitate esse Deum: non poterat non fateri diuinitatem in sua illa distinctione sumptā esse aliquid. Cum verò non posset dici minor, quàm Deus;

Absurdum à D. Bernardo illatum contra Gilbertum.

quia

quia apud illum Deus diuinitate erat Deus; nihil autem facit aliquid maius se; profectò non poterat non concedere diuinitatem aut esse maiorem Deo, aut parem. Si concedatur maior necessariò infertur Deum non esse summum bonũ; siquidem daretur bonum aliud maius. At si concedatur par; iam infertur dari duo summa bona: quia & Deus esset bonum summum, & diuinitas esset aliud sũmum bonum, si illa à Deo realiter distinguitur.

147. Ab eodem Scotus liberatur.

Sed iam inquiramus à Bellomontano, àn hæc D. Bernardi argumentatio vim habeat contra Scotum asserentem essentiam formaliter distingui à persona Dei. Profectó inferiùs ostendemus argumentationem esse inutilem, non alia de caussa, nisi quia cum formali distinctione conceditur vnitas, & identitas realis inter essentiam, & personam. Nunc ostẽdamus ex eo, quod attributa formaliter distinguuntur ab essentia, cum qua realiter identificantur; nulla ratione vllum ex suprà dictis absurdis contra Scotum posse concludi. Etenim sapientia v.g. sumpta præcisè, vt distinguitur ab essentia, verè est aliquid: at tamen nõ est diuersum aliquid, nec diuersum ens, aut res ab essentia, vt ostendimus suprà §. 6. ad tertiam probationem & subinde non erit diuersum, sed idem bonum: idem autem, nec est minus se, nec maius, imò etiam nec par sibi. Quare nullus datur locus discursui, quo vtitur D. Bernardus: qui tamen satis patens esset, si attributa ab essentia realiter distinguerentur: etenim cum negari non posset quodlibet attributum esse summum bonum; quia quodlibet esset bonum increatum, & infinitum: vtiquè si esset ab essentia realiter distinctum, optimè posset cum ea conferri, & ita inquiri, an esset ens maius, quàm illa, aut minus, aut par. Et cùm non posset esse minus; quia non esset limitatum, sed infinitum: vtique esset, aut maius, aut par. Si poneretur maius; benè inferretur essentiam non esse summum bonum; quia daretur aliud maius illa. Si verò poneretur par; iam darentur duo summa bona. Decipitur igitur vir ille aliàs doctissimus, dum existimat argumẽtationem D. Bernardi, quæ satis fuit ad expugnãdum errorem Gilberti, satis etiam esse ad expugnandam sententiam Scoti. Nã argumentatio D. Bernardi vim habet ex distinctione reali, quam Gilbertus admittebat: sublata autem reali distinctione, & admissa reali identitate, quam admittit Scotus, argumentatio illius est efficaciæ, vt iam manifestè ostendimus. At inquit Bellomontanus Scotum identitatem realem, quàm admittit, omninò destruere, dum affirmat essẽtiam ex natura rei, & ante intellectum non esse sapientiam: quia hæc duo inter se manifestè pugnant. At quæso vndè probabit implicare aliqua duo esse idem realiter & distingui formaliter? Respondebit fortassis omnem distinctionem, quæ nõ est rationis, esse realem distinctione rei ad rem. Sed quàm hoc sit falsum, latè suprà ostendimus contra eundem. Quare non est in hoc audiendus, sed reprehendendus potiùs, quòd putat Scotũ cõtradictoria dixisse, admisisseq; distinctionem realem inter attributa, & essentiam, dum inter ea admittit formalem ex natura rei secluso omni intellectus actu. 148.

Sed iam specialiter expendamus argumentionem, quam ex D. Bernardo (vt putat) contra Scotum superiùs adduxit. Petit, àn sapientia ex natura rei, & ante intellectum non sit essentia? Dat Scotus formaliter non esse essentiam, benè tamen realiter. Cum rursus quęrit an sit aliquid? Concedit Scotus esse aliquid. At cum tertio loco inquirit; àn sit aliquid superiùs, àn inferiùs, àn æquale? Respondemus, si propriè loquẽdum est, nullum horũ esse. Nam licèt sit aliquid; non tamen est aliud aliquid ab essentia, sed idem omninò aliquid cum illa. Iam verò ratio superioris, & inferioris dari non potest, nisi inter illa, quę licèt realiter vniri possint in aliquo tertio; absolutè tamen possunt realiter distingui. Ob quam rationem ratio animalis, licèt in homine realiter sit idem cum rationali; tamẽ in equo realiter distinguitur ab illo. Ratio autem æqualitatis, si propriè loquendum est, solùm reperitur in ijs, quæ realiter distinguũtur; nisi velis id dicere æquale alteri, quod cum illo conuertitur. Quare absolutè loquendo sapientia in ordine ad essentiam, nec est bonum superiùs, nec inferiùs, nec æquale, sed simpliciter est idem bonum. 149. An argumẽtatio D. Bernardi contra Scotum vim habeat

Quòd

Quòd si conferas sapientiam cum essentia non secundùm realitatem, sed secundùm propriam cuiusque formalitatem (quomodò formalitas sapientiæ est alia à formalitate essentiæ, & subindè sunt plures formalitates) ad argumentum respondebo formalitatē sapientiæ, nec esse superiorem; quia apud Scotum per se non includitur in formalitate essentiæ: nec etiam esse inferiorem; quia in sua formali ratione non includit essentiæ formalitatem. Erit igitur formalitas quædam æqualis formalitati essentiæ: non solùm ratione mutuæ conuertentiæ (quatenùs quidquid est sapientia, est etiam essentia, & è conuerso) sed etiam ratione infinitatis: quia vtraque in sua perfectione est infinita. Quomodò autem ex hoc inferatur dari in Deò duas essentias, & subindè duos Deos; planè non video. Nam licèt quòd secundùm rationem formalem est æquale diuinæ essentiæ, realiter sit essentia: non tamen oportet, vt formaliter sit essentia. Quarè cum in hoc positus sit status totius controuersiæ; non potest id sumi sine manifesta petitione principij.

150. Solutio primæ confirmationis.

Ad primam confirmationem non possum non admirari viri licentiam, vt non vereatur dicere propositionē Scoti conuenire cum propositione Gilberti iam damnata. Et quàm id falsum sit, facilè intelliget, qui, & Gilberti, & Scoti tàm verba, quàm sensum perceperit. Nam Gilbertus absolutè negabat Deum esse sapientiam in abstracto; concedebat tamen esse sapientem. Et ratio est, quoniam cum sapientia apud eum non formaliter solùm, sed etiam realiter distingueretur à Deo, non poterat in abstracto de Deo verè prædicari; quia prædicatio illa nec in sensu formali, nec in sensu identico ratione realis identitatis poterat esse vera. Vndè solùm admittebat sapientiam in cōcreto prædicari de Deo: quia Deus verè est sapiens per sapientiam formaliter illi adiacentem; eo modo, quo homo dicitur risibilis, & albus per adiacentiam, & denominationem resibilitatis, & albedinis. Vndè loquutiones Sanctorum Patrum, in quibus abstracta de Deo prædicantur, ita explicabat, vt abstracta pro concretis ponerentur, in hoc solo sensu, *Deus est sapientia*, id est, *Deus est sapiens*: vt patet ex Diuo Bernardo in dicto sermone 80. in Cantica, & ex Concilio Remensi, cuius verba refert idem Beliomontanus 1. p. disputat. 120. cap. 2.

Mens Gilberti.

D. Bernar.

Conc. Rem.

151. Mens & sententia Scoti diuersa.

Longè alia fuit mens, & sententia Scoti: nec enim vnquam absolutè negauit hanc propositionem *essentia est sapientia*, aut alias similes, in quibus perfectiones attributales in abstracto prædicantur de essentia. Sicùt etiam nunquàm dixit propositiones illas non aliter esse veras, nisi abstracta pro concretis sumantur, ita vt sit sensus *essentia est sapientia*, id est, *essentia est sapiens*: *est bonitas*, id est, *est bona*. Quin potiùs simpliciter admisit propositiones illas simpliciter prolatas. Quanuis illas constanter negauerit, si addatur particula formaliter: vt si quis dicat *essentia formaliter est sapientia*, *est bonitas*, *& cætera*. Rationem discriminis alibi explicauimus: nùnc satis sit particulam illam, *formaliter*, appositam illis propositionibus ex sua ratione denotare, quòd veritas illarum fundatur in identitate formali vtriusque extremi: & cum Scotus talem identitatem neget; consequenter negare debet propositiones illas. At particula illa sublata ideò simpliciter sunt veræ, quia licèt inter extrema non detur identitas formalis fundans illarum veritatem: datur tamen identitas realis, quæ satis etiam est, vt illas propositiones reddat simpliciter veras. Ex his patet, quàm longè differat opinio Scoti ab opinione Gilberti: nam Gilbertus dicebat propositiones illas suptas in illa abstractione semper esse falsas; nec posse reddi veras, nisi in sensu concreto sumptis abstractis pro concretis; ita vt sit sensus; Deus est veritas, id est, verus: est sapientia, id est sapiens. Et hanc explicationem damnauit Concilium Remense cum Diuo Bernardo. At verò Scotus illas propositiones admittit in tota prædicatorum abstractione: quanuis non in sensu formali, sed identico. Itaque Scotus vtrasque istam simpliciter admittit: *essentia est sapientia*, *& essentia est sapiens*. Priorem in sensu identico: posteriorem verò in sensu formali: non quidem quidditatiuo; quasi essentia in sua formali ratione inclu-

Sensus formalis in prædicationib⁹ duplex.

dat sapientiam: sed in sensu formaliter denominatiuo; quia essentia est, & denominatur sapiens formaliter per sapientiam veluti sibi adiacētem: eo modo, quo homo dicitur albus formaliter per albedinem. Quarè cum Scotus admittit essentiam formaliter esse sapientem: *formaliter* non idem est, quòd quidditatiuè, sed accipitur pro forma, siuè principio formaliter denominante. Et quia Bellomontanus hanc duplicē formalitatem non distinxit; deceptus est, dùm arguit Scotum, quasi secum pugnātem, dùm negat istam: *essentia formaliter est sapientia*, & concedat hanc: *essentia formaliter est sapiens*; cum tamen verè istæ duæ non pugnent: quia in priori idem est *formaliter*, quòd quidditatiuè: in posteriori autem; *formaliter* idem est, quòd forma formaliter denominans. Quam distinctionem explicauit Herrera 1. tomo controuersia 14. q. 1. ad 5. pro tertia sententia pag. 467. col. 2.

Herrera.

153. Solutio secundæ confirmationis.

Ad secundam confirmationem negamus Gilbertum nunquàm dixisse Deū, & suam sapientiam esse duas res: hunc enim sensum satis explicauit in sua prima assertione, quam affert Bellomontanus 1. p. disp. 120. c. 2. nu. 9. dum dixit *Naturam diuinam Deum non esse; sed formā, qua Deus est: quemadmodum humanitas homo non est; sed forma, qua est homo.* Quibus verbis satis declarauit, eo modo se habere Deum ad suam diuinitatem, quo homo se habet ad suam humanitatem. Iam verò humanitas realiter distinguitur ab homine. Accedit; quia nisi in hoc sensu positionem suam intelligeret, non satis sufficienter conuinceretur argumentatione D. Bernardi, vt suprà ostendimus. Adde tertiò; quia hunc sensum referunt verba Patrum, quibus Gilbertus, & à Concilio Remensi, & à D. Bernardo arguebatur: dùm dicunt non aliud esse Deum, & aliud diuinitatem, & aliud sapiētiam. At relatiuum aliud realem denotat diuersitatem. Deniquè hunc sensum satis explicat tertia illius propositio, quæ asserit tres proprietatēs esse tres res ponentes in numero cum essentia: numerus autem realem distinctionem supponit.

154. Explicatio verborum, quæ ex Ottone refert Bellomont.

Verba autem, quæ ex Ottone refert Bellomontanus in d. disp. 116. c. 2. n. 19. & disp. 120. c. 2. nu. 12. cum non iuuant, sed oppugnant potiùs: nam expressè declarant Deum, & diuinam essentiā apud Gilbertū non distingui sola ratione abstrahente ab esse (quam appellat cogitationem mathematicam) sed ratione theologica. Per rationem autem theologicam Gilbertus non intelligit rationem formalem (vt malè putat Bellomōtanus) sed rationem realem. Quod non potest non concedere Bellomontanus, cum dicat, quæ ratione, & intellectu nō distinguuntur, realiter distingui distinctione rei à re. Quarè si apud Gilbertū Deus, & deitas non distinguuntur sola ratione; vtique distinguentur realiter, si vera est sententia Bellomontani. Cui etiam illud argumento est; quoniam ante Scotum omnis distinctio, aut erat rationis, aut realis: nam formalem mediā Scotus primus introduxit: quem Gilbertus longo tempore antecessit. Sensus igitur verborum Gilberti fuit, vt Deus, & deitas (de his enim tantúm agebat) non distinguerentur sola cogitatione mathematica; cuius propriū est abstrahere ab eo, quod est à parte rei: sed distinguerentur ratione theologica, quæ considerat res, vt sunt in se ipsis. Hunc fuisse sensum Gilberti satis declararūt illius discipuli, qui teste Ottone relato à Bellomontano in d. disp. 120. c. 2. n. 11. diffinitionem Eugenij, & Cardinalium, quòd Deus dici debeat diuina essentia non sensu ablatiui tantùm, sed etiam nominatiui, ita explicarunt, vt diffinitio esset vera non in intelligendo (quasi res ita sit intelligenda) sed in dicendo solùm: quia locutio non attingit rem, vt ipsa in se est. Quarè in Gilberto damnata est distinctio realis inter Deum, & deitatem; non verò formalis. Et hæc satis dicta sint pro liberando Scoto à calumnijs Bellomontani.

Sensus verborum Gilberti.

§. 10.

Examinantur, quæ contra Scotum adducuntur ex Concilijs, Patribus, & Philosophis.

155.

POstremam impugnationem Scoti pleriquè sumunt ex Concilijs, sacris literis, Patribus, & Philosophis. Primo igitur loco contra Scotum adduci solet, quod in Concilio Florentino sæpè asseritur essentiam diuinam sola ratione distingui à relationibus, vt

Primum argumentum ex Concil. Florent.

vt patet sessione 18. 19. & 24. cuius verba suo loco afferemus. Cum verò essentia non magis distinguatur ab attributis, quàm à relationibus; fit eam ab attributis sola ratione distingui.

156. Secundum ex scriptura, & sanctis Patribus.

Secundò quidam contra Scotum expendunt communem loquendi modum tùm sacræ scripturæ, tùm etiam Patrũ: ita enim attributales perfectiones Deo tribuunt, vt eas in abstracto prædicent de Deo, & de diuina essentia. Prędicatio autem in abstracto infert attributa formaliter non distingui ab essentia: quæ enim formaliter distinguuntur, de se inuicem in abstracto non prædicantur. Quòd verò perfectiones Dei in sacris literis de Deo prædicentur in abstracto, patet ex verbis Christi Ioannis 14: *Ego sum via, veritas, & vita.* Et primæ Ioãnis 1: *Deus lux est*; & rursus cap. 4: *Deus charitas est.* Et cap. 5: *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Hic loquendi modus adeò semper placuit primis Ecclesiæ theologis, vt teste Dionysio de diuinis nominibus cap. 4. in principio, omnes ipsam thearchicam essentiam, bonitatem dixerint, & hanc esse propriam diuinitatis excellentiam, ita enim scribit: *Si igitur oportet, iam sermone ad ipsam eamus boni nominationẽ, quam excellenter attribuunt theologi superdeæ deitati, & ab omnibus determinant ipsam, sicùt reor, thearchicam essentiam: bonitatem dicentes.* Et inferiùs in eodem capite clariùs id explicauit inquiens: *Hoc bonum laudatur à cunctis theologis, & sicùt pulchrum, & sicùt pulchritudo; & sicùt dilectio, & sicùt diligibile: & quæcunque aliæ conuenientes sunt pulchrificæ, & gratiosæ habitæ pulchritudinis denominationes: pulchrum autem, & pulchritudo non sunt diuidenda in causſa, quæ in vno tota comprehendit.* Quibus verbis satis indicat perfectiones, quæ de creatis in concreto prædicantur, de Deo, eiusque essentia prædicari, non solùm in concreto, sed potiùs in abstracto; ita vt Deus sit, & pulcher, & ipsa pulchritudo: sit sapiens, & ipsa sapientia. Vndè statim addit: *hæc enim in existentibus in participationes, & participantia diuidentes, pulchrum quidèm esse dicimus, quod participat pulchritudinem: pulchritudinem autem, participationem pulchra facientis. Supersubstantiale verò pulchrorum, pulchritudo quidèm dicitur propter traditam ab ipso, & cætera.* Quam veritatem de fide diffiniuit Eugenius Papa cum Cardinalibus, vt refert Otto Fricingensis Episcopus in libro de gestis Fiderici imperatoris primi cap. 57 in hæc verba: *Ne aliqua ratio inter naturã, & personam diuideret: nè vè Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatiui tãtùm, sed etiam nominatiui; hoc est, ne solùm dicatur pater deitate est Deus, sed est ipsa deitas.* Vndè Damascenus libro primo de fide capite octauo credit, *Deum esse per se lucem, per se bonitatem, per se vitam per se subsſantiam, & cætera.* Athanasius in oratione contra Idola in fine: *Per se, est illa potentia patris, illa lux, illa veritas, & cætera.* Optima sunt verba Leonis Papæ epistola 95. capite quinto: *Nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo iustitia est: sed multi participes sunt veritatis, sapientiæ, atque iustitiæ: solus Deus nullius participationis est indigens, de quo quidquid dignè, vtcunque sentitur, non qualitas est, sed essentia.* Meliora sunt verba Diui Gregorij libro decimo Moralium capite vigesimo primo ad illa verba, *qui autem nouerunt*, vbi ita scribit: *Deus hoc est, quod habet: æternitatem quippè habet; ipse est æternitas: lucem habet; sed lux sua ipse est.* Augustinus etiam decimo quinto de Trinitate capite 5: agens de natura Dei, ita ait: *Ipsa est enim vera æternitas*: & statim agens de Deo: *non enim percipit sapientiam, qua sapiens sit: sed ipse sapientia est.* Denique idem loquendi vsus sæpè reperitur apud Augustinum, Ambrosium, & cæteros Patres. Prædicatio autem in abstracto, vt diximus, infert identitatem formalem.

Ioan. 14. 1. Ioan. 1. 4. & 5.

Dionysius.

Otto.

Damascen.

Athanasi⁹

Leo papa.

D. Gregor.

D. Aug.

157. Tertium ex Patribus.

Tertio loco Bellomontanus in dicta disputatione 116. capite quinto numer. 22. expendit contra Scotum, quod Patres vno ore docent in Deo non esse aliud, & aliud, sed omnia esse vnum. Nam Isidorus libro primo de summo bono capite primo sententia sexta: ita inquit: *Ideò Deus dicitur simplex, siuè non amittendo, quod habet: siuè quia non aliud est ipse, & aliud, quod in ipso est.* Adde eundem eodem loco sententia quinta: *Non vsu nostro aliud Deum putare, aliud pulchritudinem eius, atque aliud magnitudinem ipsius debemus: pulchritudo, & magnitudo Dei ipse Deus est.* Richardus etiam de Sancto Victore libro 2. de Trinitate capite 17. postquàm ostendit Deum esse verè simplicem, ita inquit: *Constat itaque, è, quia in illa æterna*

Isidorus.

Idem.

Richard.

æterna felicitate, & verè felici æternitate sit vera incommutabilitas, & consequenter vera, & summa simplicitas. Vbi autem summa simplicitas, ibi vera & summa vnitas: quidquid ergò in summo bono est, verè, & summè vnum est; nec ibi aliud, & aliud esse potest, & idem ipsum est totum, quod est. Bernardus Diuus etiam Bernardus lib. 5. de consideratione ante medium, ita scribit: *Non est compositus Deus, merum simplex est, & vt liquidò noueris, quid simplex dicam; idem, quod vnum: tàm simplex Deus, quàm vnus est: est autem vnus, & quomodò aliud nihil? Si dici possit, vnitissimus est.* Nyceta. Addit etiam verba Nycetæ in orationem 24. Nazianzeni ad illa verba, *duas summas*; agens enim de diuina essentia, ita inquit: *simplex enim propriè hæc sola est, & vnum propriè, & vnitas, atque vt ita dicam solitas: quæcunque autem post Deum sunt, veluti duplicia sunt, & compositu.* Nos in huius confirmationem plura aliorum patrum testimonia addere possumus. Dyonisius. Nam Magnus Dionysius in c. 5. de diuinis nominibus non longè à principio ita ait: *Non autem aliud esse bonum dicit, & aliud existere, & aliud vitam, aut sapientiam: sed vnius esse omnes bonos processus, & à nobis laudatas Dei denominationes.* Idem. Idem eodem loco c. 2. & 13. sæpissimè docet, *Deum esse vnum, quia omnia vnicè est secundùm vnitatem eminentiam vnitatis.* Greg. Nyssenus. Gregorius etiã Nyssenus in lib. ad Ablauium in fine: *Omnem circa essentiã diuersitatem rei icit diuina simplex & variationis insciа natura.* Basilius. D. etiam Basilius epistola 80: *Quæcunque nomina diuina protuleris, vnum est perpetuò, quod significatur.* Boetius. Boetius in lib. de Trinitate in fine: *Hoc verè vnum, in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud, præter id, quod est.* Augustinus. Augustinus etiam 11. de Ciuitate Dei cap. 10: *Deum, atque Trinitatem simplicem esse omninò: & ideò simplicem dici, quoniam quod habet, hoc est; sicùt pater ad se ipsum dicitur viuens, habendo vtique vitam, & eadem vita ipse est.* Et rursus: *Propter hoc itaque natura dicitur simplex, cui non sit aliquid habere, quod vel possit amittere, vel aliud sit habens, & aliud, quod habetur.* Et inferiùs: *Secundùm hoc ergò dicuntur illa simplicia, quæ principaliter, vereque diuina sunt; quod non aliud est in eis qualitas, aliud substantia, & cæt.* In eundem sensum multa docet lib. 12. de Ciuitate cap. 2. & lib. 15. de Trinitate cap. 6. & 17. & lib. 6. de Trinitate cap. 7. & multis alijs in locis. Fulgentius. Diuus etiam Fulgentius de fide ad Petrum, ita scribit: *In Dei substantia non est aliud, quod non sit substantia: quasi aliud sit ibi substantia, aliud, quod accidit substantiæ: quidquid ibi intelligi potest, substantia est.* Addere possumus Irenæum libr. 2. contra hæreses cap. 18. Irenæus. Iustinum aduersus Gentes q. 144. Iustinus. Cyrillum Alexandrinum 1. lib. thesauri c. 8. Cyrillus. D. Anselmum Monologion cap. 16. Anselmus. Ex quibus omnibus euidenter patet eã simplicitatẽ in Deo esse ponendam, quæ sit summa, & vnitissima: adeò, vt sit ipsa solitas absque aliorum consortio; & in qua non sit aliud, & aliud. At si opinio Scoti vera esset, Dei simplicitas nõ esset summa, nec summa vnitas, quæ esse potest: etenim ex sententia Scoti in ea ante intellectum ex natura rei est aliud, & aliud: maior autem esset simplicitas, vnitas, & indiuisio, si ex natura rei non esset aliud, & aliud, sed summa indiuisio, atque solitas.

158. 4. ex D Bernardo.

Quarto loco idẽ Bellomontanus vbi suprà diligenter expendit D. Bernardũ lib. 5. de consideratione ante medium disputantem contra Gilbertum, qui dicebat personam diuinam, vt patrem, non esse ipsam deitatem, sed per illam tanquàm per formam superadditam esse Deum, ita enim ait: *Multa dicuntur esse in Deo, & quidèm sanè, catholicèque; sed multa vnum: alioquin si diuersa putemus, non quaternitatem habueris, sed centenitatem. V. c. causa dicimus magnum, bonum, iustum & innumerabilia; sed nisi omnia vnum in Deo, & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum.* Multiplicem inquam: quia licèt sit vnus; si tamen attributa non sunt vnum cum essentia, iam Deus non erit simplex, sed multiplici varietate compositus: Deum autem dici non posse compositum; quia perfectius est tribuere Deo omnimodam simplicitatem, ita enim ait: *Mihi verò non deest, quod cogitem melius eiusmodi Deo tuo: quæris quid? mera simplicitas vero iudicio: nam simplex multiplici antefertur.* Et inferiùs ita inquit: *Qui Deum multiplicem facit, non ad merum simplex peruenisse, nec ad id, quo melius cogitari non potest.* Deindè addit: *non esse simplex, quod vel vni fuerit obnoxium formæ.* Ex quibus verbis concludit Bellomontanus ex sententia Bernardi illud simplex non esse, quod non se ipso est, sed aliqua forma. Vndè ex Bernardo sic argumentatur: ex sententia Scoti Deus est sapiens sapientia, quæ

Argumentatio in forma.

quæ ex natura rei non est ipse Deus. Ergó sapientia ex natura rei est forma, qua Deus est sapiens. Ergò Deus ex natura rei obnoxius est alicui formæ: & per consequens ex sententia Bernardi nõ est merè simplex, nec id, quo melius excogitari non potest. Sumit etiam Bellomontanus argumentum ex alijs verbis eiusdem Bernardi vbi suprà: *Meus Deus ipse catholicè est: tàm non habet hoc, & illud; quàm non hæc, & illa: est, qui est, non quæ est.* Ex quibus verbis, vt ait, satis patet ex mente Bernardi in Deo re ipsa non assignari hoc, & hoc, nec multa, vt hæc, & illa distinguamus: sed ipse Deus *est, qui est*, hoc est, est ipsemet sibi: *sed non quæ est*, hoc est nõ est multa, quæ in ipso sint. At ex sententia Scoti benè possumus dicere in Deo est hoc, & hoc: & Deus est multa illa, quæ in ipso sunt. Quarè sententia Scoti directè contradicit doctrinæ sanctissimi D. Bernardi.

Altera ex alijs verbis eiusdem.

159. 5. ex D. Anselmo.

Quintò adhùc contra Scotum Bellomontanus expẽdit D. Anselmum in lib. de Incarnatione Verbi c. 3. vbi agens contra quendam, qui in eodem errore fuit cum Gilberto, ita ait: *Itaque si omne compositum cogitatione dissolui potest; cum dicit Deum esse compositum, dicit Deo aliquid maius se posse intelligere.* Etenim, vt immediatè anteà dixerat, *maius est id, quod nec actu, nec intellectu dissolui potest, quam illud, quod potest dissolui saltèm intellectu.* Ex quibus verbis contra Scotum ita arguit: maius est, quod nec re ipsa, nec ex natura rei vllo modo distinguitur, quàm illud, quod ex natura rei plura in se habet; quia hoc nec re, nec intellectu dissolui potest; illud autem, si non re, intellectu tamen potest dissolui. Ergò admittendum est diuinam essentiam, nec re ipsa, nec ex natura rei posse in plura distingui: quia vt sic, nec re ipsa dissolui poterit, nec intellectu: siquidèm nec in ea vnũ sine alio poterit existere (quod apud Anselmum est re dissolui) nec intellectus in ipsa inueniet aliqua ex natura rei distincta, quorum distinctione moueatur, vt illa sua cogitatione dissoluat affirmando vnum non esse aliud.

160. Vltimũ ex Aristotele, alijsque philosophis.

Postremò Scoti sententiam pleriq́ue impugnant testimonijs, tùm Aristotelis, tùm aliorum philosophorũ. Ex Aristotele adduci solet locus ex lib. 12. Metaph. c. 7. tex. 37: explicans enim quid sit simplex, ita ait: *Simplex verò, quomodò se habeat ipsum.* Sẽsus est, vt simplex sit, in quo id, quod habet, & quod habetur, sunt idem. Adducitur præterea locus ex eodem c. 7. text. 39. in hæc verba. *Quarè vita, & duratio continua, & æterna existit in Deo: hoc enim est Deus.* Deniq́ue eodem lib. c. 9. text. 51. multis probat Aristoteles Deũ esse suum intelligere, & esse actum purum, ac omninò immutabilem. Quod etiam censerat Plato in Phædone, & in Tymæo. Iam verò ægrè intelligi potest, quòd attributa ex natura rei actu distinguantur ab essentia; & quòd essentia non comparetur ad ea, vt potentia ad actum. Adducunt etiam Commentatorem, Auicennam, & Alguazelem, quorũ testimonia refert Capreolus in 1. d. 8. q. 4. ar. 1. cõcl. 1. ex quibus facilè quisq́; colliget ante intellectum in Deo nullã reperiri distinctionem essentiæ à suis attributis. Quòd etiã satis videtur expressisse Alcinous philosophus Platonicus relatus à Ludouico Viues in annotationibus ad Augustinũ lib. 8. de Ciuit. Dei c. 6: *Deus ipse, inquit, supremus, æternus, ineffabilis, se ipso perfectus, nullius rei indigus, diuinitas, essentiæ ratio, veritas, harmonia, bonum existit. Nec verò hæc ita dinumero, vt inter se ipsa distinguam, imò vt vnum potiùs cũcta considero.*

Commentator. *Auicen.* *Alguazel.* *Capreol.* *Alcinous.*

Sed hæc, quę contra Scotum adducũtur, non satis sunt, vt dicamus illius sententiam, aut esse parùm tutam in fide; aut malè sonare. Quòd facilè patebit, si singula diligentiùs expendamus.

161. Defenditur Scotus.

Quòd non satis sit id, quod ex Cõcilio Florentino primo loco adducitur, non possunt non agnoscere ipsi etiam Scoti impugnatores: quoniam Ioãnes ille, qui in dictis locis latinorũ partes agebat, non procedebat diffiniendo, sed disputando solùm ad inquirendam veritatẽ illius articuli, de quo inter Latinos, & Græcos erat cõtrouersia. In disputationibus autẽ, quę in concilijs ante diffinitionẽ præmittuntur, quisq́; suã dicit sẽtentiã nõ diffiniẽdo, sed quod verius cẽset, explicãdo. Quin potiùs cũ adveritatẽ articuli definiẽdi indagandã, pcedatur opiniones illæ sumũtur, quæ cõmuniores sunt, magisq́ue inter theologos receptæ, vt benè aduertit Rada in dicta controuersia 4. §. *Ad primam dico.* pagin. 60. Quarè Ioãnes ille distinctionem realem

Solutio primi argum.

Rada.

realem inter essentiam, & personam, vt impiam, semper reiecit; admisit autem distinctionem solius rationis, non vt vsquequaque certam, nec vt necessariã ad diffinitionem principalis articuli; sed vt probabilem, vt benè ex illius verbis deducit Rada, & ostendemus inferiùs q. 12. ar. 3. §. 6.

162. Solutio 2. Secunda ratio nullam vim habet non solùm ad ostendendum opinionem Scoti aliquid periculi habere, sed nec aliquid falsitatis: æquè enim currit contra opinionem Scoti, & contra eos, qui putant attributa non esse de formali ratione essentiæ: etenim ex illa prædicationis forma, qua attributa in abstracto prædicantur de essentia, solùm infertur attributa non distingui formaliter ab essentia. Cuius oppositum tãtùm abest, vt sit parùm tutum, vt valdè sit probabile: ita enim existimant non solùm omnes Scotistæ, sed etiam plures Thomistarum, vt Capreolus cum alijs, quos *Capreolus.* etiam probat Bellomontanus, de quo agemus inferiùs q. 7. vbi iterùm agem' de solutione huius argumẽti. Nùnc pro defendendo Scoto satis sit consequentiam esse nullam. Et ratio est; quia prædicatio in abstracto non solùm potest habere veritatẽ in sensu formali, id est, ratione identitatis formalis, quæ inter extrema reperitur; sed etiam in sensu identico, ratione identitatis realis, quę inter ea cernitur. Et hæc est doctrina *Scotus.* Scoti in 1. d. 8. q. 4. ad primum principale litera Z. quam sequuntur omnes Scotistę, & cũ illis Capreolus in d. dist. 8. q. *Capreolus.* 4. ar. 3; non quidèm ad vndecimum Aureoli contra primam, vt falsò eum citant Suarius, & Bellomontanus, sed ad vigesimum secundum Aureoli contra secundam fol. 129. col. 2. Latè eam probat Bellomontanus 1. p. disp. 119. c. 2. in principio, & n. 7. & disp. 121. c. 2. n. 4. & disp. 138. c. 3. & in annotationibus ad q. 39. D. Thomæ ar. 5. n. 43. §. *Tertiò obseruandum.* Nec doctrina ista omninò respuitur à Suario: quanuis enim lib. 1. de essentia Dei c. 14. n. 8. non admittat locutionem patrum explicandam esse in solo sensu identifico: tamen lib. 6. de Trinitate c. 7. n. 3. & 11. facilè admittit aliquas propositiones, in quibus abstracta in diuinis de alijs prędicantur, explicãdas esse non in sensu formali, sed identico. De quo latiùs dicendũ erit inferiùs q. 10. ar. 1. & 2. Hoc autem supposito euidenter patet in illa consequentia committi fallaciã à pluribus caussis ad vnã caussam; dùm ex illa patrum locutione infertur attributa esse de formali conceptu essentiæ, & subindè ab ea formaliter non distingui: etenim illa patrum locutio vera esse potest, vel in sensu formali, vel in identico. Cum verò nihil periculi sit eam in sensu identico explicare (vt aduersarij concedent) vtique ex illa locutione patrum nõ benè infertur opinionem Scoti esse minus tutam.

163. Solutio 3. Tertia ratio aut nullam, aut satis debilem habet efficaciam contra opinionem Scoti; tantùm abest, vt conuincat eam aliquid periculi continere. Nam si singula patrũ testimonia percurramus, non solùm optimè explicãtur de vnitate, & alietate reali; sed etiam insinuant hanc fuisse patrum mentem, & intentionem. Quod non solùm significat relatiuum *aliud*, quo vtuntur (denotat enim realem diuersitatem) sed etiam plura, quę in singulis testimonijs apponuntur. Præcitatũ sensum faciunt verba Isidori: priora enim explicant sensum posteriorũ: nam in eo sensu in Deo non aliud est ipse, & aliud, quod in ipso est; in quo dictum est Deum amittere non posse id, quod habet. Amissio autem denotat distinctionem realem. Quæ verò secundo loco ex eodem adducuntur, se ipsa explicant, dùm asserunt, non ad nostrum vsum id est (non iuxta ea, quæ in creaturis experimur) aliud esse Deum, & aliud pulchritudinẽ eius. Iã verò hæc in creaturis ita inueniuntur, vt aliud realiter sit ipsa creatura, & aliud pulchritudo eius. Accedit; quia illa propositio, *magnitudo Dei est ipse Deus*, non est explicanda in sensu formali, sed in identico, vt immediatè diximus ad secundũ, in quo nobiscũ consentiunt nonnulli ex aduersarijs. Richardũ de Sãcto Victore in eodẽ sensu explicãdum esse ex eo quis facilè intelliget; quia sũmam simpliciatẽ Dei deducit ex vera, & reali Dei incommutabilitate. Iam verò sicùt mutabilitas creaturæ infert distinctionem non formalem, sed realem; ita incõmutabilitas diuina infert realẽ simplicitatẽ, & vnitatem eorũm, quę in Deo sunt: hæc autẽ cũ distinctione formali cõstare potest.

Ad Isidor.

Ad Rich. de S. Vict.

Ex

D. Bern. Ad Nyceta

Ex eodem fundamento D. Bernardus; & Nyceta explicandi sunt de vnitate reali: etenim vnitatem inferunt ex negatione compositionis: compositio autem realem distinctionem supponit. Verba

Ad Dion.

Dionysij explicanda esse de vnitate reali satis declarat relatiuũ *aliud*, quod denotat distinctionem realem. Et præterea ex eo id colligi potest; quia agit de vnitate, quæ omnes creaturas continet secundum vnicã eminentiam, quæ eminentia cõuenit vnitati diuinæ entitatis.

Ad Nyss.

Nyssenum ita esse explicandum satis declarant illa verba: *Variationis inscia natura*: variatio autem arguit distinctionẽ realem in illis, quæ variationis sunt causſa de Nysseno iterum dicemus inferiùs q. 7. ar. 2. §. 5. ad secundã demonstrationẽ.

Ad Basilium

Verba D. Basilij nihil habent, quod impediat, quin de sola reali vnitate intelliguantur.

Ad Boetiũ

Boetius, cùm denumero loquatur, qui propriè non datur, nisi inter realiter distincta, optimè exponitur de

Ad Aug.

reali alietate. Verba Augustini 11. de ciuitate c. 10. intelligenda esse de sola identitate reali satis explicat prędicatio abstracti, qua vtitur: explicanda enim est in sensu identico. Vt omittamus Augustinum agere de distinctione eorum, quæ inter se possunt separari, & amitti; quæ separatio, & amissio realem distinctionem postulat. Quare eodem modo explicandus est, & intelligendus, vbicunque similes protulerit sentẽtias. Denique si ea, quę ex Fulgentio, Irenęo, Cyrillo, Iustino, & Anselmo adducuntur, intimiùs considerentur, omnia optimè explicãtur de reali vnitate, & alietate. Itaque ex patribus colligitur admittendam esse in Deo summam vnitatem, summmãquè simplicitatem, quæ à Deo omninò excludat aliud, & aliud. Talis autem est vnitas realis. Distinctio autem formalis, cum non satis sit, vt faciat aliud, & aliud; simùl cõstare potest cum vnitate reali.

Ad alios Patres.

164. Solutio 4. ex D. Bern.

Quarta ratio, quæ specialiter sumitur ex D. Bernardo, facilè dissoluitur quoniam ratio D. Bernardi efficaciter demonstrabat ex opinione Gilberti benè sequi Deum non esse summè simplicẽ sed compositum: quia Gilbertus ponebat diuinam personam esse Deum per deitatem, tanquam per formam realiter ab illa distinctam, eo modo, quo Petrus est homo per humanitatem, à qua realiter distinguitur. Admittebat igitur Gilbertus Deum constitui in esse Dei per deitatem tanquam per veram formam realiter actuantem. Ex quo nõ potest non inferri vera compositio, veraque multiplicitas in diuina entitate. Et hoc solùm probãt authoritates, quę primo loco adducuntur. Quare ad argumentum ex illis desumptum Scotus libenter admittet antecedens, si ità intelliguatur, vt Deus sit sapiens sapientia, quæ ex natura rei, & formaliter non est Deus: negabit tamen illud, si intelliguatur de sapientia, quæ realiter non est Deus. Consequentia autem inferri non potest ex antecedente, nisi in posteriori sensu sumatur, in quo sumebatur à Gilberto: nam sumpto antecedente in sensu priori, consequentia est inutilis: quia sola distinctio formalis non est satis, vt id, quo aliquid est tale, sit verè, & realiter illius forma, veramq; exerceat causſalitatem formalem, vt optimè explicauit Scotus in 1. d. 8. q. 4. litera X. in hoc probandus non solùm à suis, sed etiam ab aduersarijs: quoniam ad verã, & propriam rationem formę, & actus requiritur distinctio realis. Ad posterius verò argumentum admissa doctrina D. Bernardi tanquam verè catholica negandum est ex opinione Scoti benè inferri in Deo esse plura: quia cùm distinctio formalis simùl stet cum vnitate, & identitate reali, vt sæpe diximus, non satis est, vt faciat plura entia, aut plures res; quãuis faciat plures formalitates ex natura rei distinctas. Nec desunt ex Scotistis, qui doceant sine vllo fidei periculo admitti posse in Deo esse plures formales realitates: quia hęc pluralitas, cùm non sit pluralitas simpliciter, sed secundùm quid; non satis est, vt simpliciter dicamus in Deo esse plura entia. Vide Radam 1. tomo controuersia 4. ad 4. principale in fine §. *sed quæret aliquis*. pag. 69. col. 2.

Ad argumẽtationem

Scotus.

Ad secundã

Rada.

165. Solutio 5.

In quinta ratione Bellomontanus nõ satis percipit mentem, & sensum D. Anselmi, dum putat idem esse aliquid re, aut cogitatione dissolui; atque aliud re, aut cogitatione distingui: quod longè est á verò. Nam D. Anselmus agit de solutione totius in suas partes, quæ in solo composito reperitur: omne namque

compositum (vt ait D. Anselmus) necessariò dissoluitur in suas partes; aut re ipsa (vt quando realiter, & actu separãtur, vt anima per mortem separatur à corpore, & forma à materia in corruptione substantiali) aut saltèm cogitatione, & intellectu. Quo pacto corpora cœlestia, vtpote incorruptibilia, dissolui possunt: nam licèt viribus naturæ nequeant realiter separari; intellectu tamen, & mente sunt dissolubilia tùm in partes essentiales, materiam scilicèt, & & formã; tùm in partes integrãtes. Omne igitur compositum (vt ait D. Anselmus) est dissolubile (in partes scilicèt) aut re, & actu; aut intellectu. Quod non reperitur in re omninò simplici: hæc enim, cum careat partibus, nec re, nec intellectu dissolui potest; *cuius enim* (inquit Anselmus eo in loco) *partes cogitari non possunt; id in partes nullus intellectus dissoluere potest.* Ex his iam patet sensus illorum verborum, quæ ex Anselmo in argumento adducuntur: *si esset* (inquit) *aliquid, quod neq; actu, nec intellectu dissolui posset; maius esset, quàm quod vel intellectu est dissolubile*: sensus est; si aliquid esset, quod nec actu, nec intellectu posset in partes dissolui: id maius esset, quàm quod, si nõ re, & actu, saltèm tamen intellectu est dissolubile in partes: quia illud in sua realitate verè esset quid simplex; hoc verò verè esset compositum ex partibus, quę si non re, & actu separari possunt; mente tamen separari queunt, ita vt mẽte possimus concipere vnam non esse aliam; & inde infert Deum non esse compositum: quia scilicèt si non re; saltèm mente esset resolubilis in partes: & subinde posset aut dari, aut cogitari aliquid maius Deo: illud scilicèt ens, quod nec re, nec intellectu propter suam simplicitatem esset resolubile in partes. Hæc est argumentatio Anselmi, qua aduersarium, quo cum disputat, conuincit: hæc est verborum, & mentis eius verissima explicatio.

166. Ex qua iam patet, quàm turpiter, & quã longè à mẽte Anselmi fiat transitus à dissolutione in partes ad distinctionẽ in plures formalitates: etenim res entitatiuè simplex nullo modo, aut re, aut intellectu est dissolubilis in partes; quia scilicèt partibus caret, vt ait Anselmus at tamen quanuis realiter non sit plurificabilis; est tamẽ plurificabilis formaliter. Sed iam vim argumenti in forma expendamus. *Maius est* (inquit Bellomõtanus) *quod nec re ipsa, nec ex natura rei vllo modo distinguitur, quàm illud, quod ex natura rei formaliter est plura. Ergò essentia diuina, nec re, nec ex natura rei potest in plura distingui.* Nos dicimus pro Scoto antecedens illud non esse D. Anselmi; quia D. Anselmus non egit de distinctione aut reali, aut formali; sed de dissolutione, quę vel re, vel intellectu fit in partes. Deinde dicimus antecedens ideò esse falsum; quia supponit dari posse rem aliquã ita simplicem, quæ nec realiter, nec formaliter sit plurificabilis, sed in omnibus, & quoad omnia sit, & realiter, & formaliter vnum: nam hoc esse impossibile putant Scotistæ, vt latè diximus suprà §. 4. Ad argumẽtum in forma.

Postrema ratio sumpta ex testimonijs Aristotelis, & philosophorum eãdem habet solutionem. Aristoteles enim in locis adductis satis, superque explicatur de identitate reali. Similiter Plato, & Alconous. De Commentatore, Auicena, & Algazele maior est dubitatio: videntur enim docere Dei attributa nõ in re esse distincta, sed in solo intellectu considerãte, vt inferiùs videbimus. Sed non proinda opinio Scoti iudicanda est non dico parùm tuta in fide: sed nec in se falsa, aut parùm philosophica. Et hęc de isto ar. 167. Solutio vltima.

ARTICVLVS V.

Vtrùm potius tenenda sit opinio, quæ negat ante intellectum attributa actu distingui ab essentia; quàm quæ affirmat?

ARticulum de distinctione actuali essẽtiæ ab attributis ante omnem operationem intellectus in tres diuisimus articulos, nè illius explicatio sua longitudine, aut fastidium pareret, aut confusionem. Quare in 3. ar. huius quæstionis duas celebres, & oppositas sententias retulimus; quarum altera actualem distinctionem admittebat; altera negabat. Quæstionis breuem resolutionem posuimus in d. ar. 3. §. 3. Ex qua resolutione duæ insurgebant difficultates explicatione dignæ. Vna; quęnam illarum opinionum simpliciter esset vera & tenenda? Altera; an opinio affirmatiua

tiua Scoti sine vllo fidei periculo defendi posset? Ob hanc causſam non sine cõcilio statuimus vtranque difficultatem singulis excitatis articulis explicare, vt vtriusque resolutio fieret euidentior. Quoniam verò ex resolutione posterioris facilior reddebatur resolutio prioris; proinde in 4. ar. excitauimus quæstionem; an opinio Scoti aliquid periculi in fide contineret? Resoluta parte negatiua consequenter explicandum venit, quænam illarum simpliciter vera sit & tenenda? Positis enim Scoti fundamentis facilior euadet resolutio quæstionis in hoc ar. excitatę.

2. Nostrum de proposita quæstione iudicium in 3. & 4. ar. satis explicauimus: licèt enim nullum contra fidem periculum in opinione Scoti agnouerimus; veritatis tamen fundamentum non satis firmum in ea agnoscimus: de quo in hoc ar. agendum erit. Statuimus igitur nec certum esse, nec admodum probabile attributa á diuina essentia ante omnem intellectus operationem distingui ex natura rei distinctione formali actuali. Vndè antequam intellectus circa diuinam entitatẽ operetur, nullam aut realem, aut formalem distinctionẽ admittimus inter attributa, & essentiã. Hanc assertionem si non vt omnibus modis certam; tamen vt maximè certam statuimus. Non quidem ex fundamento Nominalium, quod in præcedente ar. §. 1. explicauimus; quoniam illud, vt omninò friuolum ibi reiecimus. Nec secũdo ex fundamento Durandi, Heruęi, & aliorum, quod sumpserunt ex eo, quòd non datur distinctio media inter realẽ, & rationis: quia hęc doctrina vel falsa est, vel contra Scotum nihil cõcludit, de quo latè diximus §. secundo præcedẽtis articuli. Nec tertio loco nostræ sententię veritatem colligimus ex ijs, quæ adducta sunt contra Scotum ex concilijs, patribus, & philosophis: ea enim non satis esse ad conuincendum falsitatis Scotum, in ar. præcedente latissimè ostendimus: vbi etiam liberauimus Scotum à pluribus absurdis, quæ ex illius opinione plerique inferebant.

Resolutio.

3. Fundamentum resolutionis. Fundamentum igitur ex eo puto esse sumendum; quia non video, cur diuinæ essentię, & attributis ex natura rei sit concedenda summa vnitas realis, qua realiter sint inter vnum; neganda verò vnitas formalis, qua formaliter vniantur, & identificentur. Porró si admittatur ea vnitas formalis, funditùs corruit opinio Scotistarum. Scio Scotistas huic fundamento occurrere sumentes rationem huius negationis, & discriminis; quòd vnitas realis est Deo non solùm possibilis, sed etiam naturalis, vnitas verò formalis ex natura rei est omninò impossibilis. Impossibilitatem satis expressit Scotus cùm multis in locis, tùm maximè in 1. d. 8. q. 4. litera V. dum ait distinctionem formalem formalemque non identitatem necessariò ponendam esse in diuina essentia tũ respectu relationum personalium; tùm etiam attributorum. Eandem impossibilitatem explicauit Lichetus in eàdem d. 8. q. 3. fol. 123. col. 3. ad secundum argumentum, dum ait implicare sapientiã formaliter includere bonitatem. Quod etiam affirmat Maironi in eodem loco q. 7. in fine quęstionis ad 3. Bargius etiã ibi fol. 188. col. 3. litera G. & nouissimè Rada 1. tom. controuersia 4. §. *ad confirmationem dico* pag. 65. col. 2. in principio, & inferiùs ad quintum argumentũ principale pag. 69. col. 2. Scio, inquam, hanc esse communem Scotistarum doctrinã, primumque fundamentum, quo aduersariorum tela retundunt: sed simùl scio hoc fundamentum, licèt firmum fortè videri possit, nè facilè expugnetur: non tamen satis esse firmum, vt propugnetur: nec enim video, vndè Scotistæ hanc impossibilitatem deducant. Nam argumenta, quibus probant secluso omni intellectu dari in Deo actualem distinctionem formalem, tàm inter essentiam & attributa, quàm inter ipsa attributa, infirmiora sunt, quàm vt illis hęc impossibilitas efficaciter probetur: habent enim facillimam solutionem apud eos, qui rem istam solius veritatis ergò pertractant, vt facilè patebit ex ar. 8. huius quæstionis, & ex ar. 5. quæstionis sequẽtis.

Euasio. Scotus. Lichetus. Maironius Bargius. Rada.

4. Confirmatur Euasio. Sed nunc expendamus præcipuum illius impossibilitatis fundamentum, quod iam tetigimus §. 3. præcedentis articuli. Inquiunt hanc impossibilitatẽ ex eo oriri, quòd diuina essentia ex sua infinita perfectione naturaliter sibi vẽdicat habere in se ipsa omnem perfectionem

ctionem simpliciter; non quocunq; modo, sed formaliter: etenim quia est infinitè perfecta, formaliter est sapiens, bona, iusta, æterna, & cæt. At quælibet harum perfectionum ex sua natura habet, quod formaliter non sit alia v.g. sapientia ex sua natura non est iustitia: Deus enim ex sua natura est sapiens sapientia, & non iustitia. Implicat igitur dari vnam tantùm rationem formalẽ, in qua tàm essẽtia cũ attributis, quã ttributa inter se formaliter vniãtur, & idẽtificẽtur. Quare sicùt fæcunditas naturæ diuinæ facit impossibilem vnitatem in diuinis personis: ita etiam infinita perfectio eiusdem naturæ, qua formaliter sibi vendicat esse omnem perfectionem simpliciter, reddit impossibilem vnitatem rationis formalis in diuinis: vtpote quòd nec essariò sibi vendicat pluralitatem perfectionum formaliũ, quarum vna non est alia. Hoc est vnicum, imò totum fundamentum Scoti.

5. Elicitur. Sed ego in hoc discursu desidero firmiorem, atque solidiorem cõfirmationem minoris propositionis: etenim in hoc est posita controuersia, an quælibet perfectio diuina ex sua natura habeat, quòd actu nõ sit alia. Nec probatio adducta aliquid efficit; quoniam, vt Deus formaliter sit sapiens sapientia, & non iustitia non est necessaria distinctio actualis inter sapiẽtiam, & iustitiam, sed satis est virtualis, vt in sequenti ar. latiùs ostensuri sumus. Iam verò vnitas formalis summa, & perfecta, quanuis ex sua natura sit vna tantùm; ex sua tamen natura habet, quòd virtualiter sit plures, vt in sequenti ar. etiam monstrabimus. Nec eadem ratio est de fæcunditate diuinę naturæ in ordine ad vnitatem personę, & de perfectione illius in ordine ad vnitatem rationis formalis: nam fæcunditas naturę saluari non potest cum vnitate reali in persona; cum enim reducatur ad esse per realem emanationem vnius personæ ab alia, necessariò postulat realem personarum pluralitatem, & distinctionem. At verò infinita perfectio naturæ potest formaliter esse omnis perfectio cum vna formali ratione, quæ licèt actu sit vna, virtute tamen est plures.

6. Ex quibus iã patet non satis efficaciter ab Scotistis probari impossibilitatẽ vnius formalis rationis in diuinis. At verò si vnitas ista manifestè non repugnat, non video, quomodo possit Deo negari: quia negari non potest maiorem esse vnitatem, quę plura inter se vnit tã realiter, quàm formaliter; quàm si solũ vniat realiter, non tamen formaliter. Quód si vnitas, quæ est secundùm realitatem, & formalitatem eorum, quæ vniuntur, est maior; vtique & simplicitas eorum maior erit, & lõgè perfectior: iã verò summa simplicitas, & omnium perfectissima est tribuẽda Deo: cui debetur omnis perfectio in sũmo gradu possibili.

7. Hoc est mihi fundamentum, & (ni fallor) vrgentissimum, vt existimem verissimam esse, & tenendam sententiam, quę docet sublato omni intellectu nullam actualem distinctionem, aut realem, aut formalem admittendam esse inter attributa, & essentiam: sed sicut à parte rei essentia, & attributa actu sunt vnum, & idem re; ità à parte rei sit illis vna, & eadem ratio formalis.

8. Resolutionis confirmatio. Cui fundamento accedit; quoniam apud veteres theologos ante Scotũ hæc sententia adeò fuit celebris, & indubitata, vt Scotus non sit ausus ab ea asserendo discedere, sed solùm disputando, & sine prę iudicio melioris sententiæ; vt patet ex 1. d. 2. q. 7. §. *Sed hìc restat vlterior* litera EE. post Scotum præter suos discipulos vix inuenias, qui eam defendat; imó ex Scotistis non defuerunt, qui non modo eam non recipiant, sed etiam negent eam in sensu explicato placuisse Scoto, vt patet ex Herrera 1. tom. disp. 14. q. 1. concl. 3. pag. 466. col. 2. *Herrerá.*

9. 2. Confirm. Adduci etiam potest in confirmationem, quòd in Concilio Florentino non semèl, sed iterùm & tertiò nostra ista sententia in simili fuit asserta à Ioanne agente Latinorum partes, vt suo loco dicemus. Deniq; cum admissa vna tãtùm ratione formali, non solùm longè absit à diuinis vera compositio, sed etiam omnis compositionis obumbratio digna est hæc sententia, quę, vt indubitanter vera ab omnibus approbetur.

Solutiones autẽ eorum, quę pro Scotistis in contariũ sũt obiecta suprà ar. 3. §. 1. iã sæpe retulimus in. 8. ar. quoniam præmissa doctrina sequentis articuli vis argumentorum facilè repelletur.

ARTI-

ARTICVLVS VI.

Vtrùm secluſa quacunque intellectus operatione attributa aliquo modo diſtinguantur ab eſſentia?

§. I.
Refertur opinio negans?

1. CVM ex proximis tribus articulis manifeſtum iam ſit ante omnem intellectus operationem nullam dari actualem diſtinctionem inter eſſentiã,& attributa:antequàm inquiramus, an per intellectum detur actualis diſtinctio illorum;inquirendum eſt; an à parte rei ſublato omni intellectu aliquo modo diſtinguantur? Partem negãtem quamplurimi probauerunt theologi, qui volunt ſecluſa omni intellectus operatione nullam à parte rei admittendã eſſe diſtinctionem, ſed omnimodam vnitatem, idẽtitatemque, tùm realem;tùm etiam formalem. Sed non omnes huius ſententiæ auctores eam eodem modo explicant, nec eodem nituntur fundamento.

Pars quæ negat.

Ochamus. Gregorius.

Nam Ochamus,Gregorius,& cæteri Nominales,quos in primo articulo citauimus, dum negant dari poſſe aliquam diſtinctionem inter attributa, & eſſentiam,ſiue à parte rei,ſiue per intellectũ; à fortiori inter illa omnem excludent diſtinctionem.

2. Alij,quihãc ſententiam negare nequeunt.

Ex ijs autem, qui aliquam diſtinctionẽ admittunt,illi partem negantem non poſſunt non probare, qui inter attributa,& eſſentiam ſolam diſtinctionem rationis ratiocinantis agnoſcunt. Nam cumhęc diſtinctio in hoc diſtinguatur à diſtinctione rationis ratiocinatæ,quòd nullum habeat fundamentum in re; qui inter eſſentiam, & attributa ſolam diſtinctionem rationis ratiocinantis admittit; non poteſt non negare ſecluſa omni intellectus operatione dari in re ipſa aliquam fundamẽtalem diſtinctionem:nam ſi hæc daretur, iam diſtinctio illa non eſſet rationis raciocinãtis, ſed ratiocinatę.

3. Bellomontanus eandem probare tenetur.

Eandem negantem ſententiam mihi probat Bellomontanus: fundamentum inde ſumo; quia docet nullã diſtinctionem rationis, quæcunque illa ſit habere aliquod fundamentum in re, quæ diſtinguit. Ita expreſſè docet 1.p.diſp.117. c.3.n.8.& 9.& diſp.119. c.2. n. 8.& diſp. 121.c.5.n.17.& 18.§.*ego verò quanuis*,& §. *fateor igitur*. Nam quanuis ex illius ſentẽtia omnis diſtinctio rationis habeat aliquod fundamentum in rebus;nullum tamen habere poteſt in ipſa re,quæ diſtinguitur:intellectus enim(vt ait) non modo non inuenit in ea aliquam pluralitatem, à qua moueatur ad diſtinguẽdum, quæ in ea ſunt indiuiſa; ſed nec aliquod veſtigium pluralitatis,atque diſtinctionis. Ita expreſſè ſcribit in d.diſp.117. c. 3.n.8.§.*ex dictis infertur*. At qui negat in re ipſa,quę per rationem diſtinguitur, inueniri aliquod veſtigium diſtinctionis; omninò negat in ea dari aliquod diſtinctionis fundamẽtum,aliquam ve diſtinctionem etiam virtualem. Cui doctrinę ſi adiungas Bellomontanũ in ea eſſe ſententia,vt attributa,tùm inter ſe,tùm ab eſſentia diſtinguantur ſola diſtinctione rationis, vt patet ex diſp. 116. cap. 4.& diſp.117.c.2.& 3.& diſp.119.c.2.n.8. nõ poteſt non negare (ſi conſequenter loqui debet) omnem diſtinctionem etiam fundamentalem, & virtualem ſecluſo omni intellectu.

4.

Hanc opinionem omiſſo fundamento Nominalium, & eorum, quos ſecundo loco citauimus (vtrunque enim eſt friuolum)ex ijs,quæ adducit Bellomontanus,multis confirmare poſſumus. Et primò auctoritate D.Bernardi lib.5. de conſideratione ad Eugenium pauló ante finem,vbi in hæc verba: *Viſus ſum protuliſſe plura,ſed vnum eſt:vnus Deus ſignatus eſt pro captu noſtro,non pro ſuo ſtatu:diuiſus eſt hic non ille:voces diuerſæ, ſemitæ multæ; ſed vnus per ea ſignificatur, vnus quæritur*. Ex quibus verbis colligitur ex D.Bernardo diſtinctionem in Deo prouenire ex ſola intellectione viatoris,non ex natura Dei,qui in ſe ipſo ſemper eſt vnus,& idem. Quòd ſi ex mente D. Bernardi diſtinctio rationis eorum, quæ per intellectum in Deo diſtinguimus, prouenit ex ſola noſtri intellectus operatione;vtique nulla admittẽda eſt diſtinctio in ipſo Deo ſecluſa omni intellectus actione.

1. Probatio ex D. Bernardo.

5. 2.ex D.Th.

Secundò confirmari poteſt authoritate D.Thomę de potentia q.7. ar.6. nã in fine corporis concludit cauſſam diuerſitatis, ſiue multiplicitatis, diſtinctionisque nominum, & conceptuum eorum.

eorum, quæ in Deo sunt vnum, esse ex parte nostri intellectus, qui non potest pertingere ad videndum essentiam Dei, sicuti est. Et ad quintum ita ait: *Dicendum, quòd cum omnimoda vnitas sit ex parte Dei, & multiplicitas ex parte creaturarum.* Ecce causſa, & fundamentum distinctionis non datur ex parte Dei, cum ex parte illius detur omnimoda vnitas. Quæ verba manifestè excludunt omne distinctionis fundamentum, omneque vestigium ex parte Dei.

6. 3. ex vtroq; Tertiò ex verbis tàm D. Bernardi, quã D. Thomæ potest colligi huius negantis opinionis non leue fundamentum: quoniam si quæramus causſam per se adæquatam, cur intellectus noster ea, quæ in Deo sunt vnum, & idem intelligendo diuidat, distinguatque per diuersos conceptus, & notitias, nulla ponitur, nisi imperfectio, atq; imbecillitas nostri intellectus, qui Deum, diuinamquè essẽtiam non potest apprehendere, vt ipsa est in se, sed veluti per partes motus ex diuersis creaturarum perfectionibus, vt patet ex D. Thoma de potentia Dei q.7.ar.6. & in 1.d.2.q.1. ar. 3. §. *quantum verò ad quartum*, & 1. p. q. 13. ar. 4. in quo ab omnibus recipitur: & satis confirmatur ex verbis D. Bernardi suprá citatis, & ex illis, quę paucis interiectis scribit: *Nobis; quia non possumus cum Deo simplicitate contendere; dum contendimus apprehendere vnum, occurrit veluti quadruplicatum: facit hoc speculum & ænigma per quod solùm videre datur.* At si ex parte Dei, illiusq; natura aliquo modo daretur distinctio, alioquodque distinctionis vestigium etiam fundamentale, & virtuale; falsa esset præcitata doctrina: nec enim tota causſa distinctionis, quæ fit per intellectum, esset illius imperfectio, & infirmitas in intelligẽdo: nam ex ipsa etiã diuina essentia moueretur intellectus ad faciendam intellectionum multiplicitatem.

7. 3 rario aliunde confirmatur. Cui illud etiam est argumento, quod beatus videns Deum sicuti est, nullã in Deo facit intelligendo multiplicitatem nec enim, quę vnitę sunt in Deo, distinguit; sed potius vnitè concipit, vt idem Bernard' loco citato docet his verbis: *Cum autem videbimus facie ad faciem, videbimus sicuti est: nec enim iam tunc fragilis acies mentis nostræ, quantumlibet vehementer intendat, aliquatenus resiliet; disilietvè in suam pluralitatem. Colliget se magis, conformabitque vnitati illius, vel potius vnitati Illi; vt vna vni faciei respondeat faciei.* Ex quibus verbis manifestè colligitur (inquit Bellomontanus in d. disp. 118. c. 2. n. 5. §. *Tertio ex verbis*) diuina attributa, quæ distincta in via cognoscebantur, ita videri in patria indiuidua, & absque distinctione, vt quantumuis intellectus videntis Deũ conetur ea distinguere, non valeat. Quę etiam est (inquit) expressa sententia D. Thomæ in 1.d.2.q.1.ar. 3. §. *quantùm verò ad quartum*, & de potentia q.7.ar.6. ad finem corporis, & 1.p.q.13.ar. 4. & lib.1. contra Gent.c.31. Et ratio est, quod in Deo nullum inuenit distinctionis fundamentum: si enim ibi aliquod inueniret: vtiquè distinctionem faceret. D. Thom.

8. Confirmatur rursus. Capreolus. Caietanus. Bellomont. Idem etiam argumentũ sumi potest ex diuino intellectu; qui nullam facit distinctionem inter ea, quæ in se ipso videt, quę fuit sententia Capreoli in 1.d. 8. q.4.ar. 3. multis in locis, & Caietani 1.p.q.13. ar. 4. circa solutionem tertij, quam probat Suarius lib. 1. de essentia Dei c.13.n. 6. & lib. 4. de Trinitate c.4. n.17. & in Metaph.disp.7.sect.1.n. 8. in fine, & latiùs disp. 54. sect. 2. n.20. cum sequentibus, & post eum Bellomontan' 1.p.disp.118.c. 2. per totũ. Faceret autẽ distiuctionem, si aliquod illius vestigiũ ex natura rei in sua essentia inueniret. Hęc pro parte negãte sint adducta.

§. 2.
Asseritur opinio affirmans.

9. Pars quę affirmat; præfertur. HIS tamen nõ obstãtibus affirmãs sententia semper mihi visa fuit verisimа: tùm; quia est de mente antiquorum, & inter nouiores receptissima. Tùm etiam; quia cum doctrina Patrum satis est consentiens. Et quidem, quòd ex parte Dei, diuinæq; essentię spectata natura rei, omni intellectu secluso detur fundamentum distinctionis, quæ per intellectũ dat inter attributa, & essẽtiam, euidenter patet ex ijs, quæ docet D. Thomas 1. sentent. d.2.q.1.ar.3.§. *quãtùm verò ad quartum*: inquirens enim vtrũ pluralitas rationum, quas intellectus noster in Deo distinguit, sit tantùm ex parte nostri intellectus, vel aliquo modo sit ex parte Dei; post multa in §. *sic ergò* Probatur ex D. Th.

ergò patet. concludit in hæc verba: *Vndè patet, quòd pluralitas istarum rationum non tãtùm est ex parte intellectus nostri; sed etiam ex parte ipsius Dei: & ideò pluralitati istarum rationum respondet aliquid in re, quæ est Deus.* Idem repetit ibi in §. *Et sic patet quartum*, ità inquiens: *quòd pluralitas istorum nominum non tantùm est ex parte intellectus nostri formantis diuersas conceptiones de Deo, quæ dicantur diuersæ rationes; sed ex parte ipsius Dei.* In eundem sensum etiam scribit ibi ad quartum, & quintum, & idem satis significat de veritate quæstione 3. articul. 2. ad tertium; quatenùs docet, *pluralitatem rationum, quæ per nostrum intellectum reperitur in Deo, reduci ad ipsum Deum.* Optima sunt verba, quæ scribit in primo d. 22. q. 1. artic. 3. ad 4: *dicendum quòd differunt nomina attributorum secundùm rationem; non tantùm, quæ sit in ratiocinante, sed, quæ saluatur in ipsa re secundùm veritatem, & proprietatem rei.* Ibi etiam d. 33. q. 1. art. 1. ad 3. & 4. verbis expressis asserit ex parte Dei aliquid respondere, in quo fundatur pluralitas rationum. Deniq́ue in 1. d. 2. q. 1. ar. 3. ad 5. expressè affirmat pluralitatem rationum attributaliũ habere firmitatem, & ab ipso intellectu, & ab ipsa diuina essentia. Ex quibus patet distinctionem rationis ex mente D. Thomæ non solùm habere fundamentum in ipso intellectu distinguente perfectiones diuinas; sed etiam in ipsomet Deo, cuius perfectiones distinguuntur. Et tamen oppositum docuit vnus Bellomontanus.

10. Item ex antiquioribus theologis. *Richard.*

Sed ostendamus doctrinam D. Thomæ esse à cæteris omnibus probatam. Idem docuerunt antiquiores theologi, vt Richardus in primo distinctione 2. artic. 1. quæst. 3. vbi pluralitatem istam reducit primo ad infinitatẽ perfectionis Dei; deindè ad limitationem intellectus. *Ægydius.* Clariùs id docuit Ægidius in primo dist. 2. in primo principali quæst. 3. articul. 1. 2. & 3. vbi semper concludit pluralitati attributorum aliquid respondere ex parte Dei tanquàm fundamentum: ita vt non solùm sumenda sit ex parte solius intellectus; sed etiam ex parte ipsius Dei. Cum Diuo Thoma docuit *Capreol.* Capreolus in primo dist. 8. q. 4. multis in locis. Nam artic. 1. concluſ. 4. statuit hanc assertionem: *causa pluralitatis rationum est non solùm nostri intellectus limitatio, sed etiam Dei plena perfectio.* Sensum huius conclusionis magis explicat art. 3. ad confirmationem decimi quinti argumenti Aoreoli contra secundam fol. 128. col. 4. apertè declarans pluralitatem rationum esse in ipsa diuinitate fundamentaliter. Videndus est dùm soluit tertiam improbationem eorum, quæ vltimo loco sunt adducta contra secundam fol. 130. col. 4. in hæc verba: *& intendit Sanctus Thomas, quòd pluralitas istarum rationum non tantùm est ex parte intellectus nostri isto modo, quòd istæ rationes non habeant proximum fundamentum in Deo, sed remotum: sicùt quidam dixerunt, quòd rationes horum attributorum sunt tantùm in intellectu, & non in re, quæ est Deus: & intellectus eas adinuenit ex consideratione creaturarum.* (Ecce opinionem Bellomontani) *illo modo enim Sanctus Thomas negat pluralitatem rationum esse tantùm in intellectu; imò dicit eam esse in re, sicùt in proximo fundamento.* Et paucis adiectis. *Sic ergò intelligitur pluralitatem rationum, & distinctionem esse in Deo: quia Deus in se habet, vndè diuersis conceptibus perfectionalibus correspondeat.* Paludanum etiam posuisse huius distinctionis fundamentum in ipsa diuina essentia testatur Capreolus vbi suprà fol. 128. columna 4. §. *prædictis consonat.* *Capreolus.* Deniq́ue in diuina essentia inueniri fundamentum distinctionis, quæ est per intellectum, receptissima est sententia inter theologos, vt ex sequentibus patebit.

11. Ruafio.

Sed fortassè quis respondebit pro Bellomontano ex ijs, quæ ex Diuo Thoma, cæterisque adduximus, solùm haberi, ideò ex parte Dei dari causſam pluralitatis rationum, quas intellectus distinguit; quia ex parte Dei datur fundamentum veritatis omnium illarum rationum: etenim ideò hæc est vera: Deus est sapiens: Deus est bonus, & cætera; quia in Deo reperitur sapientia, & bonitas, & sic de cæteris. Nam Diuus Thomas in primo distinctione secunda quęstione prima articulo tertio, *D. Thom.* §. *Quantum verò ad quartum*, ita concludit: *Vndè patet, quòd pluralitas istarum rationum non tantùm est ex parte intellectus nostri, sed etiam ex parte ipsius Dei: in quantùm sua perfectio superat vnãquanque conceptionẽ intellectus nostri. Et ideò pluralitati istarũ rationũ respondet aliquid in re, quæ est Deus: non quidẽ*

pluralitas rei; sed plena perfectio, ex qua contingit, vt omnes istæ conceptiones ei aptentur. Et inferiùs §. *Et sic patet quartum*, postquã docuit pluralitatem nominum non tantùm esse ex parte intellectus, sed etiam ex parte Dei; immediatè addit: *In quantùm scilicèt est aliquid in Deo correspondens omnibus istis conceptionibus, plena scilicèt, & omnimoda ipsius perfectio; secundùm quam contingit, quòd quodlibet nominum significantium istas conceptiones de Deo verè, & propriè dicitur.*

12. Ex quibus patet D. Thomam solùm ponere ex parte Dei fundamentum veritatis diuersarum cõceptionum, quas intellectus de Deo format. Et hunc solum sensum satis declarat in locis suprà citatis, si diligentiùs expendantur: imò eundem solùm satis exprimunt Ægidi⁹, Richardus, Capreolus, & Paludanus. Ex quo non benè infertur dari aliquam multiplicitatem, aut distinctionem ex parte ipsius Dei, si omnem intellectus operationem excludamus: quia illa vna, & simplicissima res secundùm suam vnitatem etiam formalem absque vlla distinctione ex parte Dei reddit veras omnes conceptiones, & prædicationes, quas de Deo facit intellectus. Quod satis videtur declarasse Diuus Thomas de veritate quæst. 3. art. 2. ad 3. dùm hanc rationum differentiam, & distinctionẽ non vult reducere ad aliquam multiplicitatem, quæ sit in diuina essentia, sed ad vnitatem illius, ita enim ait: *Vndè talis differentia secundùm rationem non reducitur ad aliquam rei diuersitatem, sed ad vnitatem rei.* Quod etiam satis significauit in primo dist. 2. in dicto §. *Et sic patet quartum*: nam postquàm explicauit pluralitati rationum ex parte Dei respondere plenam, & omnimodam ipsius perfectionem, inquit: *Respondere quidèm in hoc sensu, vt quælibet ratio, seu conceptio sit vera: non autem ita, quòd aliqua diuersitas, vel multiplicitas ponatur in re, quæ est Deus, ratione istorum attributorum.*

D. Thom.

13. Resolutio. His tamen non obstantibus dicendũ est ex doctrina D. Thomæ, & theologorum, quos citauimus (si ea consideratiùs penetretur) satis efficaciter deduci in ipsa diuina essentia ex natura rei sublato omni intellectu admittendam esse aliqualem distinctionem, quæ verè sit fundamentum non modo veritatis diuersarum conceptionum; sed etiam ipsius distinctionis, quam facit intellectus: ita vt, nisi illa aliqualis distinctio ex natura rei sublato intellectu daretur in Deo; intellectus nullo modo posset ea distinguere, quę de Deo, & in Deo cognoscit. Id, quod ex doctrina ex D. Thoma adducta singulari quadam subtilitate deduxit Caietanus in lib. de ente, & essentia c. 6. q. 12. §. *Ad euidentiam tamen secundæ*, & 1. p. q. 13. ar. 4: nec enim posset diuina vnitas fundare, fulsireque veritatem plurium conceptuum, distinctarumque propositionum, quas intellectus de Deo format, nisi esset vnitas quædam eminẽs, & veluti fæcunda, quæ non solùm eminenter contineret in se plures perfectiones, quas intellect⁹ sub distinctis formalitatibus de Deo prædicat, vnitissimè haberet easdem in se sub formali, & propria cuiusque ratione. Itaque illa diuina perfectio, quę realiter, & formaliter in ipso Deo est summè vna, nullo modo posset fundare veritatẽ distinctionis, & pluralitatis, quã intellectus, & in concipiendo, & in prædicando habet de Deo; nisi virtualiter esset omnes perfectiones, quæ sunt in creaturis: nisi etiam eminenti quadam vnitate formaliter esset omnis pfectio, quę tanta cum distinctione illi per intellectum tribuitur. Etenim illa ipsa diuina perfectio, quę respondet conceptui sapientię, & propositioni, qua Deus dicitur sapiens; respondet etiam conceptui bonitatis, iustitiæ, & cæt. propositionibusque, quæ de Deo prædicant, tùm bonitatem; tùm etiam iustitiam.

Caietan.

14. At quo modo illa vna, & eádem absq; vlla actuali pluralitate, & distinctione potest fundare veritatem distinctarum conceptionum, & prædicationum; nisi omnes illas perfectiones in se ipso formaliter contineret, non quocunque modo, sed vnitissimè, & vnitate quadam eminenti, quę formaliter simùl esset sapientia, bonitas, & iustitia? Hæc autem eminentia non potest non arguere in ipso Deo ex natura rei distinctionem, & multiplicitatem; non quidèm actualem (hanc enim secluso intellectu à natura diuina iam relegauimus) sed aut fundamentalem, aut virtualem in sensu inferiùs explicando. Quæ ipsa, quanuis non sit vera distinctio; est tamen aliqualis

qualis distinctio, & cum additamento veram rationem distinctionis distrahẽte. Hæc omnia satis colliges ex Caietano de ente, & essentia loco citato, & in fine quæstionis, §. *Potest autem breuius*, & in d.q.13.ar.4.§. *in responsione ad 2.* & §. *in eadem responsione*: vbi optimè aduertit eminentiã illius diuinæ vnitatis esse primam radicem distinctionis, quæ per intellectum potest fieri: indè enim habet illa vnitissima perfectio, quòd verè pos sit multipliciter cõcipi, & repręsentari.

15. Explicatio mẽti Diui Thomæ cõformis.

Nec longè abest hæc explicatio à mẽte D. Thomæ 1.p.q.13. art.4. ad 3: nam postquàm docuit ad perfectã Dei vnitatem pertinere, quòd ea, quæ sunt multipliciter, & diuisim in alijs, in ipso sint simpliciter, & vnitè (quæ vnitas non est alia, quàm eminentialis) indè tanquàm ex prima radice (vt benè exponit Caietanus) intulit Deum ita esse vnum re, vt sit plures secundùm rationem: non quidèm actualiter (quia actualis pluralitas non reperitur in Deo à parte rei) sed virtualiter, eminenter, fundamẽtaliter, siuè etiam (vt alij appellant) aptitudinaliter, & inchoatiuè. Et hoc satis insinuat idem D. Thomas, dùm in 1.d.2. loco citato docet pluralitati rationũ ex parte Dei respondere non pluralitatem rei (intellige actualem) sed plenam perfectionem: plenam inquam, non solùm, quia in se cõtinet omnes perfectiones, quæ sunt in alijs; sed quia eas in alijs dispersas, & diuisas in se ipso vnitissimè continet, vt explicauit in d.q.13.ar.4.ad 3: ratione cuius vnitionis, & adunationis virtute, & eminenter est plures perfectiones; idque formaliter. Ex qua eminentia habet, quod fundamentaliter sit pluraliter intelligibilis. Et ideò in d. distinctione secunda addit hæc verba: *Ex qua* (scilicèt vna, & plena perfectione) *contingit, vt omnes istæ conceptiones ei aptentur*; quia scilicèt ratione plenitudinis eminentialis, qua vnitè formaliter tamẽ continet omnes perfectiones, potest aptare, & veras efficere distinctas sui ipsius conceptiones, & prædicationes. Et ob hanc causam in q. 3. de veritate ar. 2. ad 3. postquàm differentiã, distinctionemque rationis reduxit, non ad diuersitatem in re (intellige actualem) sed ad vnitatem illius, addidit: *vnitatem illam esse diuersimodè intelligibilem*; non alia ratione, nisi suæ eminentiæ, qua ita est vna, vt virtualiter sit plures.

D. Thom.

§. 3.

Partem istam affirmantem esse communem, & consentientem cum doctrina Patrum.

16. EX dictis iam licèt colligere ex ipsa natura rei secluso intellectu essentiam ab attributis aliquo modo differre: nimirùm distinctione, quæ licèt simpliciter non sit distinctio; sit tamen aliqualis distinctio, & secundùm quid, quæ ex sua natura sit fundamentũ, & radix distinctionis actualis, quæ per intellectum inter ea reperitur. Hæc distinctio à Paludano apud Capreolũ vbi suprà dicitur inchoatiua; quia scilicèt est radix quædam, & veluti origo distinctionis actualis, quę per intellectum datur. Ab alijs appellatur distinctio aptitudinalis, nẽpè à Bartholomęo de Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 1. in 2. p. §. *duplex itaque est*. fol. 48. colum. 2. & ab Heruæo quodlib. 8. q. 1. §. *si autem loquamur*, & satis est de mente eius in 1. d. 2. q. 2. ar. 1. Communiter appellari solet distinctio fundamentalis: at cõmunius, & verius dicitur distinctio virtualis, siuè eminentialis. Vtroque modo appellatur à Caietano de ente, & essentia c. 6. q. 12. §. *quoad tertium*, & §. *ad euidentiam*, & in fine quæstionis. Satis eam explicat 1. p. q. 39. ar. 1. & q. 13. ar. 4. Cumelius 1. p. q. 4. ar. 2. q. 3. §. *Sed vt rem hanc*, & inferiùs ad 2. idem Cumelius q. 28. art. 2. q. 2. §. *Quam conclusionem, vt intelligas*; vbi etiam Banhes dub. 3. concl. 2. atque etiam Molina disp. 2. concl. 3. Valentia 1. tomo disp. 1. q. 13. puncto 3. §. *Nihilominùs contraria sententia*. pag. 279. A. præceptor frater Franciscus à Christo in 1. d. 2. q. 3. conclusione 4. Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 13. n. 2. 5. & 6. & lib. 4. de Trinitate cap. 4. numer. 14. & 15. & in Metaphy. disp. 7. sect. 1. numer. 4. in fine, satis Fonseca in 5. Metaph. c. 6. q. 6. sect. 3. §. *Potest autem prior*, pag. 352. Cursus Conimbr. q. 4. ad præfationem Porphyrij artic. 2. §. *id quo manifestius*. pagin. 91. Ex Scotistis Herrera 1. tomo disput. 14. q. 1. concluſ. 3. in secunda ratione pagin. 467. colum. 1. Qui omnes admittunt aliquam distinctionem inter essentiam, & attributa ex natura rei secluso omni

Paludan°. *Torres.* *Heruæus.* *Caietan.* *Cumelius.* *Idem.* *Banhes.* *Molina.* *Valentia.* *Fr. Franc. à Christo.* *Fonseca.* *Herrera.*

actu intellectus, quam appellant virtualem, siuè eminentialem. Eandem distinctionem admisit ante Scotum quidam doctor teste eodem Scoto in 1. d. 2. q. 7. litera GG. §. *Sed nunquid hæc distinctio*, vbi additio marginalis citat Varronem in 1. d. 3. q. 2. & D. Bonauenturam in 1. d. 5. q. 1. nec reprobat Scotus ibi litera HH. §. *Breuiter igitur dico*. Eandem approbat noster Toletanus in 1. d. 8. ar. 2. concl. 4. nec dissentit Durādus in 1. d. 2. q. 3. n. 15. Ex quibus patet, quàm sit inter theologos recepta distinctio formalis virtualis inter essentiam, & attributa; idque ex ipsa natura diuinæ perfectionis secluso omni intellectu. Quarè non est, quòd ab hac sententia recedendum sit.

Varro. *Bonauent.* *Scotus.* *Toletanus.* *Durandus.*

17. *Augusti.* Maximè cum satis consentiat cum doctrina, tùm Augustini, tùm etiã magni Dionysij. Nam Augustinus lib. 6. de Trinitate c. 14. hæc scribit verba: *Deo hoc est esse, quòd fortem esse, aut iustum esse, aut sapientem esse, & si quid de illa simplici multiplicitate & multiplici simplicitate dixerit.* Quę verba satis significāt in ipso Deo diuinaque essentia cum summa vnitate dari multiplicitatē, & cum multiplicitate dari vnitatem; ita vt essentia diuina in se ipsa & vna sit, & multiplex: cum verò id nequeat intelligi de multiplicitate actuali, vt ex Augustino sæpè ostendimus; necessariò intelligendum erit de multiplicitate virtuali, siuè eminētiali.

18. *Dionysius.* Ad eādem sententiam plurimum cōducunt, quæ scribit Dionysius de diuinis nominibus c. 2. totus est ibi in ostēdendo modo diuinæ vnitatis, atque discretionis, quæ reperitur in diuina natura tùm in ordine ad personas, tùm ad creaturas, vt patet ex illis verbis: *Oportet autem, vt arbitror, magis resumentes nos perfectum diuinæ vnitionis, & discretionis exponere modum.* Ostendit autē in toto illo capite tàm in diuina vnitione, quàm discretione simùl dari vnitionem, & discretionem; ita vt detur vnitio quædam discreta, & discretio quædā vnita: idq; non solùm si diuina essentia conferatur cum emanatione personarum; sed etiã si conferatur cum emanatione creaturarum ab ipsa: etenim (vt ait D. Thomas ibi lectione 2.) primum principium secundùm se vnum est; secundùm autem emanationem, qua ab eo procedit multitudo, iam inuenitur, quomodò distingui possit: licèt enim in se sit vnum; virtualiter tamen, & eminenter est plura: ita vt iuxta citatā Augustini doctrinam vnitas diuina sit multiplex, & multiplicitas sit vna. Quòd intelligi non potest, nisi de multiplicitate virtuali, & eminentiali.

19. Hanc vnitatis eminētiam, & virtuositatē multiplicitatis satis declarat idē Dionysius de diuinis nominibus c. 13. dùm iuxta quandam versionem ita ait: *Vnum autem* (scilicèt est Deus) *quoniam omnia vnitiuè est, secundùm vnicā vnitatis eminentiam.* Hæc autem eminētia, & virtuositas in multiplicitate ortum habet ex excessu, quo vnitas diuina excedit, & superexcedit omnes alias vnitates: etenim ex eo ortum habet, quòd omnia in se perfectissimè, & vnitissimè prehabet, vt sæpissimè declarat idem Dionysius tùm in d. c. 13. tum c. 5: ideò enim vnitatem illam appellat excedentem, & eminentem; quia in ea omnia sunt singulariter congregata, & super vnita. Nam in d. c. 13. agens de vnitate diuina ita scribit: *In qua omnia singulariter congregata sunt, & superunita*, & c. 5. ita ait: *Igitur omnia existentia ipsi secundùm vnam omnium segregatā vnitionem sunt tribuenda.* Et statim: *omnia quidèm in se ipso præhabet secundùm vnum simplicitatis excessum.* Igitur ex Magno Dionysio vnitas diuina ideò est virtute, & eminenter multiplex; quia omnia in se ipsa habet congregata, & superunita. Concludendum est igitur secluso omni intellectu ex natura ipsius diuinitatis admittendam esse distinctionem inter essentiam, & attributa: non quidē actualem (hanc enim contra Scotum iam exclusimus) sed eminentem, & virtualem. Quomodò autem, & in quo sensu ista distinctio dicenda sit virtualis, & eminentialis; latè explicabimus in q. sequēte ar. 7. vbi vide.

Idem Dionysius.

§. 4.

Soluuntur, quæ in oppositum sunt obiecta

§. 1.

20. ARgumenta, quæ §. 1. obiecimus, facilè soluuntur. Et de fundamento Nominalium nihil curandum est: illud enim, vt friuolum, & paradoxū iam reiecimus suprà ar. 1. Nec similiter curandū est de fundamento secundę sē-

tentiæ;

tētiæ; quoniã ar. 9. satis impugnabitur. Sola igitur expendenda sunt argumẽta, quæ pro Bellomontano fecimus.

21. Solutio primæ probationis. Primum, quod illi fuit principale fũdamentum, nullius est efficaciæ: quoniã ex verbis D. Bernardi solùm colligitur in Deo nullam dari distinctionẽ actualem, nisi opere nostri intellectus: hunc enim solum sensum denotant verba, quę adducuntur. At planè non video, quomodò indè inferatur nullam esse ponẽdam in Deo distinctionem virtualem. Quin potiùs si benè philosophamur, oppositum colligi potest: quoniam distinctio rationis, quæ in Deo per intellectũ actu datur, non potest non habere fundamentum in ipso Deo ex parte ipsius Dei, quidquid reclamet Bellomontan⁹, de quo in d. ar. 9.

22. Solutio 2. Ad secundum iam ostendimus §. 2. quàm longè sit à mente D. Thomæ ponere causſam pluralitatis nominum, & rationum in solo nostro intellectu. Nec locus in contrarium adductus quidquã facit cõtra nostram resolutionem; imò facit pro nobis: expressè enim docet ex parte Dei aliquid correspõdere pluralitati conceptionum; ita enim ait: *Sic omnes rationes sunt quidèm in intellectu nostro, sicùt in subiecto; sed in Deo sunt, vt in radice verificante has conceptiones.* Quas tamen verificare non potest, nisi ratione distinctionis virtualis, vt latè ostendimus §. 2. Quarè cũ ait diuersitatis nominũ causſam esse ex parte intellectus; id non est intelligendum in sensu exclusiuo, quasi ex solo intellectu sumenda sit causſa huius distinctionis: oppositum enim multis in locis docuit, vt ostendimus §. 2. Quód verò obijcitur ex solutione ad 5. intelligitur de vnitate, & multiplicitate actuali: Deus enim actualem vnitatem ex se habet: multiplicitatẽ autẽ actualem, ex solo intellectu. Cum quo benè constat quòd cũ vnitate actuali habeat multiplicitatẽ virtualẽ modo explicato

23. Solutio 3. Ad tertiũ falsũ est, quod supponitur: nam quanuis imbecillitas nostri intellectus causſa sit, cur non possimus Deũ concipere, nisi per distinctas notitias: prima tamẽ, & radicalis causſa est infinitas, & ẽminẽtia essẽtiæ diuinæ, ex qua habet veluti ortũ virtualis multiplicitas illius simplicissimę, & vnitissimæ pfectionis, qua Deus formaliter est omnis perfectio. Vndè apud eos, qũi volũt distinctionẽ rationis inter diuinas perfectiones etiã fieri per intellectũ diuinũ, causſa illius distinctionis erit, nõ imbecillitas intellectus (cum ille adæquet totã diuinam perfectionẽ) sed sola multiplicitas ista virtualis, vt dicemus ar. vlt. Quarè negandũ est antecedẽs. Nec oppositũ docuit D. Thomas in locis in argumẽto citatis; imò nobiscũ consentit, vt vidimus. Nec verba D. Bernardi aliquid concludunt; quia nec loquũtur in sensu exclusiuo, nec intelliguntur, nisi de pluralitate, distinctionevè actuali, vt patebit ex sequenti ar.

24. Solutio primæ confirmationis. Ad primã confirmationem dicimus beatũ vnica tantùm visione beatifica, & non pluribus videre Deum, vt ostendimus in præcedẽti libro. Quarè in hoc sensu admittimus beatũ videndo Deum nullam facere multiplicitatẽ; quia non multiplicat cõcept⁹, vt visa distinguat, cũ actus beatificus sit tantùm vnus. Nõ distinguit igitur ea, quæ beatificè videt multiplicatione distinctarũ notitiarũ: quin potiùs nec formare potest plures notitias; quia ab vnitate obiecti necessitatur ad vnã tantùm notitiã adęquatẽ modum, quo se intellectui præsentat. Et in hoc sensu docet D. Bernardus beatũ, quantuncũq; vehemẽter intendat, & penetret diuinam essentiã, non posse, aut resilire, ne videat (visio enim supposita præsentia diuinæ essentiæ est naturalis, & necessaria) aut etiam dissilire, vt plures formet beatificas notitias: quia sicùt ab obiecto naturaliter mouetur ad exercitium actus; ita naturaliter determinatur ad actus vnitatem. Hoc tamen nõ impedit, quominùs per notitias, aut reflexas, aut abstractiuas possit diuidere ea, quæ beatificè videntur: id enim concedit D. Thomas in 1. d. 2. loco, qui in argumento citatur. De quo aliqua dicenda sunt in vltimo art. *D. Thom.*

25. Solutio secundæ confirmationis. Ad secundã confirmationẽ negabũt id, quod sumitur, qui putant distinctionẽ rationis etiam posse fieri per intellectum diuinũ: hæc enim fuit sentẽtia plurimorum theologorũ, de cuius veritate plura dicẽda sunt inferiùs in vltimo ar. huius quæstionis. Et hæc diximus de distinctione virtuali, quæ absq; vllo intellectu datur inter essentiã diuinã, & attributa, plura dicturi in seq. quæst. ar. 6.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm attributa actu distinguantur ratione ab essentia?

§. 1.

Refertur pars negans.

1. Ochamus. Gabriel. Gregorius Maior. Aoreolus. Capreolus

PARTEM negantem simpliciter sequuti sunt Nominales: Ocham[a] in 1.d.2.& Gabriel ibi, vterque q. 2.& 3.Greg.in 1.d.8.q.2.ar.1. & ibi Maior q.1. concl. 2. Eandem probauit Aureolus in 1. d.8. q. 3. art. 2. quem refert Capreolus ibi q.4.ar.2. contra secundá fol. 121. col.2. Qui omnes in hoc conueniunt, vt in diuinis nulla dari possit distinctio etiam rationis, quæ fit per intellectum. Et indè inferunt inter essẽtiam, & attributa nec dari distinctionẽ rationis.Solùm autem admittunt distinctionem in ipsis nominibus attributorum; nullam autem in re significata per nomina, vt diximus latè suprà ar.1. huius quæstionis.

Pro hac sententia primùm adducunt Patrũ auctoritates, quæ omnes ad hoc tendunt,vt nominibus essentiæ,& attributorum non significetur aliud,& aliud sed idem omnimodè. Id autem deducũt ex Augustino, Origene, Anselmo, & ex pluribus alijs,quos retulimus suprà ar. 1. n.6. Deindè argumentantur pluribus rationibus, quas ex varijs medijs desumunt. Et vt ordine procedamus primo loco adducemus generale quoddã medium, quo vtitur Aoreolus. Secundò explicabimus aliud etiã generale medium,quod Nominales assumunt. Tertio loco afferemus indiscriminatim cõmunia alia argumenta,quę à varijs pro hac negante sententia afferuntur.

§. 2.

Refertur fundamentum generale Aoreoli asserentis Deum non posse concipi pluribus conceptibus.

2. Primũ fundamentum generale.

PRimum fundamentũ huius negantis partis excogitauit Aoreolus,si vera sunt, quæ de eo refert Capreolus, vbi suprá. Quo in loco Aoreolus rem adeò confundit, vt interprete potiùs indigeat,quàm relatore. Nos,vt omnia artificiosè referamus, omnia ad vnum hunc syllogismum reducemus. Si attributa ab essentia, vel inter se possẽt ratione distingui,ideo esset;quia potest intellectus de essentia, & de illius attributali perfectione plures formare conceptus,in quibus,& essentia ab attributis, & attributa inter se distinguantur. Consequens tamen est falsum. Ergò nullo modo possunt hæc distingui ratione. Consequentia patet:quia omnes,qui distinctionem rationis inter ista agnoscunt, non aliundè eam inferunt, quàm ex diuersitate conceptuum,quos intellectus de essentia, eiusque perfectionibus formare potest.Quarè si omnis pluralitas conceptuum de medio tollatur; vtique auferenda etiam est distinctio rationis inter essentiam, & attributa. Totus igitur est Aoreolus in ostendenda falsitate consequentis. Quam innumeris medijs nititur ostendere.

3. Prima consequentis probatio.

Primò;quia Deus est vnum quoddam conceptibile:non potest igitur concipi pluribus conceptibus: vbi enim dantur plures conceptus;ibi dentur necesse est plura conceptibilia.

4. Secunda.

Secundò; quia diuina essentia ex eo, quia est secundùm suam realitatem infinita, & illimitata, non potest secundũ suam realitatem concipi, nisi vnico tãtùm conceptu. Ergò cum secũdùm suã perfectionẽ sit etiã illimitata, nõ poterit secũdũ eandẽ cõcipi pluribꝰ cõceptibꝰ.

5. Tertia.

Tertiò; diuina perfectio est summè vna, & omninò indiuisibilis. Ergò non modo à parte rei diuidi non potest in plura,sed nec per intellectum:etenim licèt intellectus de vna eàdem re simplici possit plures formare conceptus ratione nominum, quibus illa significatur; non tamen ratione ipsius rei: nam, cum in se sit indiuisibilis, & tota simùl, non potest intellectus circa illam formare plures partium conceptus, vt format de re composita; quia caret partibus: nec poterit ita eam concipere, vt aliquid illius concipiat, & aliquid relinquat: nec enim in se habet aliquid,& aliquid,sed tota simùl est,vndè oportet tota simùl concipiatur.

6. Quarta.

Quartó; intellectus in re indiuisibili non potest ponere distinctionẽ,nisi aliquid fabricet,quòd illi distinctioni substernatur: nam, cùm in se sit indistincta, nihil in se habet, in quo distinctio funde-

fundetur,& subinde aliquid per intellectum est fabricãdum circa rem,in quo fundetur talis distinctio. Hoc autem nõ potest intellectus fabricare circa diuinam essentiam;nam,cùm distinctio fundetur in diuinis perfectionibus;si illę essent per intellectum fabricatæ;vtique sine intellectu non essent in Deo: quod est falsissimum.

7. Quinta. Quintò; si conceptus v. g. sapientiæ esset distinctus à conceptu essentię;vtiq; sub alia ratione conciperetur essentia, & sub alia sapientia. Iam inquiro;an ratio essentiæ concipiatur,vt ratio quędã disparata à ratione sapientiæ:aut vt ratio quędam per rationem sapientiæ integrata:aut deniquè vt ratio quædam substracta rationi sapientiæ. Primum dici non potest: quia ratio sapientię nõ posset de Deo prędicari. Nec dari potest secundum: quia ratio essentię est quædam ratio simplex. Nec deniq́ue potest admitti tertium: quia sequeretur posse aliquid maius cogitari, quàm essentiam, contra doctrinam D. Anselmi.

8. Sexta. Sextó non potest sapientia concipi conceptu distincto à conceptu essẽtię, nisi addatur aliquid ad conceptum essẽtiæ. Nihil autem potest addi. Etenim nec addi potest res, aut formalitas ex natura rei: quia in diuina essentia nihil datur, quod aut realiter, aut ex natura rei distinguatur. Dici autem non potest quod addatur aliquid rationis: quia sequeretur sublato intellectu Deum non esse sapientem.

9. Septima. Septimò;si de diuina pfectione plures conceptus formarentur, omnes essent vnius rationis: nam, & visiones beatorum sunt eiusdem rationis, & speciei. At si plures conceptus admittendi sũt, non possunt non esse diuersæ rationis.

Octaua. Octauò,si darentur plures cõceptus; vtiquè darentur plures, & distinctæ rationes perfectionum attributalium. Quod esse falsum ſex argumentis probat Aureolus apud Capreolum in d.ar. 2.fol.121.col.2.3.& 4.

10. Nona. Nonó,si conceptus v. g. sapientiæ esset distinctus à conceptu essentiæ;ratio etiam sapientiæ distincta esset à ratione essentiæ. Quod est falsum: quia ratio sapienniæ quidditatiuè, & essentialiter in essentia includitur:

11. Decima. Decimò,si perfectiones diuinæ,& essentia pluribus cõceptibus posſent cõcipi,ex eo esset;quia & illimitatio essentiæ diuinæ,& limitatio intellectus creati cogerent ad formandum plures conceptus. At neutra est causſa sufficiens, vt intellectus plures conceptus formet. Maior conceditur ab auctoribus huius sententię. Prior pars minoris ostenditur; quia si illimitatio essentiæ esset causſa, cur de ea formentur plures conceptus;vtiq́; illimitatio sapientiæ causſaret plures illius conceptus, quod est falsum. Porró si limitatio intellectus creati satis esset;sequeretur,quòd rusticus plures conceptus formaret de Deo, diuinaq́;perfectione, quám theologus: habet enim intellectum magis limitatum.

12. Vndecima. Vndecimò; quia intellectus vel formaret plures istos conceptus comparando diuinam perfectionem ad creaturas: vel comparando eas ad intra. Neutra autẽ pars dari potest. De priori multis id probat Henricus. De posteriori verò multis idem probant Godofredus, & Durandus, vt inferiùs suo loco ostendemus.

13. Vltima. Postremò; obijcitur auctoritas D. Anselmi, Magistri, & articuli Parisiensis. Nam D. Anselmus in suo Monologio capit. 16. ita inquit: *Quæcunque de Deo dicuntur, dicuntur de eo vno, & vna consideratione.* Et inferiùs negat Deum secundùm aliam, & aliam considerationem distingui, ita enim ait: *Illa summa essentia nullo modo sit aliquid, vt illud idem secundùm alium modum, & secundùm aliam considerationem sit.* Magister etiam in primo distint. 8. in diuinis solúm admittit distinctionem secundùm nomina. Articulus verò Parisiensis iudicat vt errorem, *si quis dicat diuinum intellectum esse alium, vt se intelligit, & alium, vt intelligit creaturas.*

D. Anſ.

Magiſter.

Articulus Pariſienſis.

Hæc sunt, quæ ex Aureolo potui colligere ad probandum minorem discursus initio propositi; fieri scilicèt non posse, vt intellectus creatus de diuina essentia, eiusq́ue perfectionibus plures conceptus formet. Quòd si verum est,

nulla potest dari distinctio rationis in ipsa essentia, perfectioneq́ue illius.

(***)

§. 3.

Explicatur aliud generale medium ex Nominalibus: fieri scilicèt non posse, vt res vna distinguatur à se ipsa per rationem.

14. Secundum fundamentũ generale.

SEcundo loco Nominales alio longè diuerso vtuntur medio. Admittunt enim contra Aoreolum posse Deum à nobis concipi pluribus conceptibus: & tamen negant Deum in illis à se ipso distingui ratione. Pro medio sumunt fieri non posse, vt res, quæ realiter est vna, distinguatur à se ipsa ratione id est consideratione intellectus. Ita igitur argumentantur. Fieri nõ potest, vt vna res à se ipsa differat ratione, quãtunuis diuersis concipiatur conceptibus. Sed essentia cum suis attributis est vna res, maximè realis, & vna. Ergò fieri nõ potest, vt à se ipsa differat ratione quantunuis diuersis cõceptibus concipiatur. Minorẽ hui⁹ discursus supponũt quia est in fide verissima. Porrò maiorem confirmant Ochamus, Gregorius, & Gabriel varijs medijs.

15. 1. Probatio maioris ex Ochamo.

Prima illius maioris probatio ex Ochamo vbi suprà q. 3. est hęc. Si vna res ratione differt à se ipsa; vtiquè differt, vel propter diuersas rationes fabricatas ab intellectu circa ipsam: vel quia ipsamet res aliter, & aliter concipitur. Neutrũ satis est, vt vna res à se ipsa dicatur ratione, & intellectu differre. Ergò, &cęt. Maior supponitur; quia nihil aliud potest excogitari, quo res illa possit rationedifferre à se ipsa. Prima pars minoris oste͂ditur: quoniam sicùt intellectus potest formare diuersas rationes circa eandem rem; ita caussa realis; potest circa eandem rem plures res diuersas caussare: etenim potest caussare in lactè albedinem, & dulcedinem. Sed eadem res non potest dici realiter distincta à se ipsa, quantunuis in ea, & circa eam fiant plura realiter distincta. Ergò nec etiam poterit á se ipsa secundùm rationem distingui, quantunuis intellect⁹ circa ipsam formet plures, & diuersas rationes. Minorem probat Ochamus: quoniam si in lactè fiant albedo, & dulcedo, lac à se ipso nunquam distinguetur realiter; sed vel albedo à dulcedine, vel etiam aggregatum ex lacte, & albedine realiter erit distinctum ab aggregato ex lacte, & dulcedine. Confirmat id ipsum Gregorius vbi suprà in quinta ratione; quia ipsum lac semper est vna res omninò indiuisa. Eodem igitur modo si intellectus circa eandem rem sibi obiectam formet diuersas rationes; poterũt quidem ipsæ rationes inter se ratione distingui; similiter, & aggregatum ex re & ratione ab alio simili aggregato: at quòd ipsa res à se ipsa distinguatur ratione; fieri nullo modo potest.

Confirmatio ex Greg.

16.

Posteriorverò pars eiusdem minoris ab eodem Ochamo ita confirmatur. Nam quando res est aliter, & aliter cõcepta; aut illa res est omnibus modis eadem; ita vt nec secundum rem, nec secundum rationem multiplicitur, quantunuis multiplicenter modi concipiendi: aut aliquo modo multiplicatur per rationem. Si primo modo; non potest ipsa res à se ipsa distingui ratione, vt immediatè dictũ est in probatione prioris partis. Adde etiam qnoniam cum idem obiectum aliter, & aliter videtur ab oculo, aut auditur ab aure, sẽtiturvè ab alio sensu: res ipsa nunquam à se ipsa distinguitur, aut fit alia, quantunuis modi sentiendi sint alij, & alij. Ergó si res intellectui obiecta in se non multiplicatur, nunquam poterit à se ipsa distingui ratione, quantunuis aliter, & aliter concipiatur. Porrò si ipsa res aliquo modo multiplicatur secundum rationem; ita vt eam aliter, & aliter concipi, faciat eam esse plura obiecta; adhùc nõ potest à se ipsa distingui ratione: quoniam si illa multiplicatio obiectiua est ex natura rei, & ex parte ipsius; iam in illa re non datur vnitas, sed distinctio ex natura rei sine intellectu, cuius oppositum supponimus. Si verò illa multiplicatio non est ex natura rei, sed in ipsis actibus; vtiqúe quantunuis actus multiplicentur, ipsa res à se ipsa non potest ratione differre, vt probatum est. Hæc est tota Ochami demostratio maioris, quam pro fundamento sumpsit.

17. 2. ex Greg.

Secunda probatio eiusdem maioris ponitur à Gregorio, vbi suprà in prima ratione: quoniam si res aliqua posset ratione distingui à se ipsa; sequeretur aliquam rationem esse, & non esse rationem illius rei: quod implicat. Consequentiam probat: quoniam id, quo vnum ab alio distinguitur, ita est illi proprium, vt non conueniat ei, à quo distinguitur,

guitur, vt ex se patet. Ergò si aliqua res distinguitur ratione à se ipsa, aliqua ratio erit sibi propria, quatenꝰ distinguitur à se; quia nihil potest ab alio distingui, nisi per id, quod sibi est proprium. Rursus illa ratio non erit sibi propria, quatenus ipsa est alia à se; nam id, quo res ab alia distinguitur, non cõuenit ei, à quo distinguitur. Eadem igitur ratio erit eidem rei propria, & non erit. Quæ fuit sequela.

18. 3. ex eodem Gregorio. Tertia probatio maioris est eiusdem Gregorij, vbi suprà in secunda ratione: sequeretur enim vnam, & eandem rem esse plura. Sequelam probat: quia id, quod distinguitur, & id, à quo distinguitur, sunt aliqua distincta. Ergò si vna res à se ipsa aliquo modo distinguitur, eadem res secum erit plura distincta, & subinde erit plura. Falsitas consequẽtis inde ostenditur; quoniã illa vna res, vel esset plures res, vel plura entia rationis. Non potest esse plures res: tũ; quia supponitur, quòd sit vna: tùm etiam; quia iam realiter distingueretur à se ipsa, cuius oppositum supponitur. Nec illa res esset plura entia rationis: quia res realis non potest esse ens rationis.

19. 4. ex eodem Quarta probatio maioris est eiusdẽ Gregorij, vbi suprá in tertia ratione: quia nullo modo fieri potest, vt res aliqua sit non ipsa, nõ solùm secundùm rẽ, sed nec etiam secundum rationem. Ergò nec fieri potest, vt res aliqua per rationẽ sit distincta à se: aliàs fieret vt res ipsa per rationẽ fieret nõ ipsa: contra id quod in antecedẽte probatum est.

20. 5. ex eodem Quinta probatio maioris est eiusdẽ vbi suprà ratione 4. nam cum dicimus aliquam rem à se ipsa distingui ratione vel ita intelligimus, vt eadem res à se ipsa distinguatur ratione, tãquam causa efficiente talem distinctionem: vel itavt distinguatur ratione, tanquam formali distinctiuo. Neutrum dici potest. Ergò, & cæt. Non potest dici primum: quia licèt fieri queat, vt intellectus vnã rem ab alia distinguat, vt quando distinguit hominem ab equo: & similiter fieri possit, vt intellectus sua actione vnam rem compositam dissoluat in suas partes, separetque vnam intelligendo ab alia: tamen fieri nullo modo potest, vt intellectus effectiue distinguat, resolnatque idem à se ipso; ita vt vna, & eadẽ res tota fit, quæ distinguitur, & tota sit, à qua ipsamet distinguitur: id enim implicat. Nec dici potest secundum: etenim nec vna res potest à se ipsa distingui ratione, vt distinctiuo intrinseco; eo modo, quo homo distinguitur ab equo per rationale: nec vt distinctiuo extrinseco, eo modo, quo Petrus albus distinguitur à Ioanne nigro. At nõ potest res à se ipsa distingui ratione, vt distinctiuo intrinseco: quia ratio, id est, intellectus nõ est aliquid intrinsecum ipsi rei, quæ distinguitur. Nec etiam distingui potest, vt distinctiuo extrinseco: tùm; quia distinctiuum extrinsecum supponit extrema inter se intrinsecè esse distincta, vt patet: iam verò idem à se ipso essentialiter non distinguitur. Tùm secundo; quia distinctiuum extrinsecum non potest facere, vt idem à se ipso distinguatur: etenim si in vna substantia sint plures qualitates realiter distinctæ; non proinde ipsa substantia à se ipsa distinguitur ipsis qualitatibus: & ratio est; quia distinctiuum, quo vnum ab alio distinguitur, ita debet esse proprium ei, quod distinguitur, vt non conueniat ei, à quo distinguitur. Iam verò qualitas, quæ est in substantia, communis est ipsi substantiæ, & quatenus est id, quod distinguitur, & quatenus est id, à quo distinguitur.

21. Vltima ex eodem. Postrema probatio eiusdem maioris ponitur à Gregorio in sexta ratione: nullum ens rationis distinguitur à se ipso secundùm rem. Ergò nullum ens reale potest distingui á se ipso per rationem. Antecedens est notum. Consequentiam probat: primo; quia non minꝰ res realis est ipsa, quàm ens rationis sit ipsum. Deinde; quia sicùt esse realiter idem, vel diuersum, est proprium entis realis; ita esse idem, vel diuersum ratione, est proprium entis rationis. Tertiò; quia sicùt se habet distingui realiter ad ens rationis; ita distingui ratione ad ẽs reale. Quare si ens rationis non potest distingui à se ipso secundum rem; ita etiam nec ens reale poterit distingui à se ipso secundum rationem.

Hæc sunt, quibus Ochamus, Gregorius, & Gabriel cum cæteris Nominalibus generaliter confirmant maiorem, quam pro solido fundamento sumpserunt; fieri scilicèt non posse, vt aliqua

res

res à se ipsâ distinguatur ratione, id est, per cõceptus & notitias distinctas, quibus aliter, & aliter concipiatur. Ex quo fundamento deducunt fieri non posse, vt essentia ab attributis distinguatur ratione per cõceptus, & notitias distinctas: etenim essentia cum attributis est vna, & eadem res. Quare si essentia ab attributis posset ratione distingui; vtiq; eadem res à se ipsa posset distingui ratione, cuius oppositum putant se demõstrasse.

§. 4.

Referuntur alia quædam argumenta ex Nominalibus.

23. 1. Ratio ex Nominalib

NON satis fuit Nominalibus suã confirmasse sententiam generali quodam fundamento; sed etiã specialioribus vtuntur rationibus ad eandem confirmandam. Prima ratio est Ochami vbi suprà q. 2. litera F. attributa realiter sunt diuina essentia. Ergó nõ possunt ab ea distingui ratione, considerationéque intellectus. Consequentia probatur; quia nihil, quod realiter est diuina essentia, potest ratione distingui ab eo, quod realiter etiam est diuina essentia. Hanc propositionem inde probat Ochamus, quia idem & distinctum sunt passiones, quæ immediate cõueniunt ei, cui conueniunt; idque quocunq; alio circunscripto. Ergò si distingui ab alio. alicui conuenit; vtiquè illi cõuenit omni alio circunscripto. Et per consequens si attributum ratione distinguitur ab essentia, semper ab ea distinguitur, quantunuis omnis operatio intellectus circunscribatur. Igitur ab ea distingui non potest ratione, quod erat probandum.

24. Secunda.

Secunda ratio; idẽtitas vel distinctio necessariò consequitur extrema, quando ponuntur in esse: ita vt si duo ponuntur in rerum natura, necessariò vel erũt idem, vel erunt distincta. Ergò si illa ante omnem intellectum sunt omnimodè idem & nullo modo variata, non possũt variari per intellectum; & per cõsequẽs nec possunt distingui ratione. At attributa, & essentia in Deo sine intellectu sunt omninò idem, & inuariata. Ergó nullo modo possunt variari per intellectum.

25. Tertia.

Tertia ratio; nihil distinguitur realiter ab alio, nisi sit res. Ergó nihil ab alio distingui potest ratione, nisi sit ratio. Sed nec essentia esse potest ratio; quia inse est res realissima. Nec itẽ attributũ ratio esse potest; quia alioquin realiter distingueretur ab essentia. Ergò attributa, & essentia non possunt ratione distingui.

26. Quarta.

Quarta ratio; Nihil, quod est ens reale, potest esse idem secum ratione. Ergò nihil, quod est ens reale potest ratione distingui ab alio reali. Sed attributum, & essentia sunt entia realia. Ergò non possunt abinuicèm ratione distingui. Secundus discursus, & in antecedente, & in consequentia est optimus. Consequentia autem prioris discursus est bona: quoniam quicquid potest esse idem secundùm rationem, potest etiam secũdúm rationem esse distinctum, & è contrariò. Antecedens verò ex eo ostenditur; quoniam sicùt ens rationis potest esse idem realiter cum altero ente rationis; ita nullum ens reale potest esse idem ratione cum altero ente reali.

27. Quinta.

Quintò: si attributa ab essẽtia ratione distinguerentur ideo esset; quia intellectus non potest totaliter apprehendere diuinam essentiam, sed particulatim. At hoc est falsum: quia diuina essentia non est particulatim apprehensibilis; sed vel nullo modo apprehenditur; vel apprehenditur totaliter.

28. Vltima.

Postremã rationẽ quidã ex eo sumũt, quòd attributa essentialiter in essentia includũtur. Fieri igitur non potest, vt ratione ab ea distinguantur. Antecedens supponunt. Consequentiam probant: quia vt aliqua concipiãtur distincta, oportet, vt aliquo modo vnũ nõ sit aliud. At nihil concipi potest, vt distinctum ab eo, quod in suo conceptu essentialiter includit. Ergó si essentia essentialiter includit attributa, nõ potest ratione distingui ab illis.

Hæc sunt aut omnia, aut potiora argumenta, quibus pars negans, tàm ab Aoreolo, quàm à Nominalibus confirmatur.

§. 5.

Resoluitur pars affirmatiua.

29.

PARS tamen, quæ affirmat attributa ab essentia ratione distingui à cæteris omnibus theologis vno consensu

consensu recipitur. Pro ea sunt Scotistę: nec enim negant, sed fatentur attributa ab essentia non solùm posse distingui consideratione intellectus, sed etiã de facto distingui quam sæpissime. Asseritur à D. Thoma opusculo 9. q. 1. 2. & 3. & in 2. d. 2. q. 1. ar. 2. & 3. & de potentia q. 7. ar. 6. & 1. p. q. 13. ar. 4. in corpore, & ad 3. tanquã notissimum supponit Ægidius in 1. d. 2. q. 3. ar. 1. 2. & 3. & ibi affirmat Richardus ar. 1. q. 3. §. quantum ad secundum & q. 4. Alensis 1. p. q. 48. memb. 3. Hericus quodlib. 5. q. 1. litera R. & S. & in fine quęstionis litera A. & quodlib. 13. q. 1. in principio, Argentina in 1. d. 6. q. 1. ar. 3. & 4. Durandus in 1. d. 2. vbi etiam Bachonius q. 2. ar. 3. & 5. Gerardus ibi q. 2. ar. 2. Toletan. in 1. d. 8. q. 1. ar. 2. concl. 4. Capreolus ibi q. 4. ar. 1. concl. 2. Soncinas q. 4. concl. 5. Hispalensis Aiala ibi ar. 2. Heruæus quodlib. 3 q. 3. ar. 1. ante finem, & in 2. d. 2. q. 2. Caietanus 1. p. q. 13. ar. 4. §. *in responsione ad 3.* & §. *in eddem ratione* & q. 39. ar. 1. §. *in ratione ad secundum*, & de ente, & essentia c. 6. q. 12. Marsilius in 1. q. 12. ar. 3. concl. 2. & 3. ex nouioribus præceptor Franciscus à Christo in 1. d. 2. q. 3. cõcl. 5. Torres de Trinitate q. 28 ar. 2. disp. 1. in 2. illius parte conclusione 4. fol. 47. col. 3. vbi etiam Banhes dub. 3. concl. 2. pag. 1110. Molina disp. 2. concl. 2. & ibi Cumelius q. 7. Idem Cumelius 1. p. q. 4. ar. 2. q. 3. Valentia 1. tomo disp. 1. q. 13. punct. 3. pag. 278. Bellomontanus 1. p. q. 116. cap. 4. Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 13. n. 2. & in Metaph. disput. 30. sect. 6. Fonseca 5. Metaph. c. 6. q. 6. sect. 3. pag. 351. Cursus Conimb. q. 4. in prefatione Porphirij ar. 2. §. *id, quo manifestiùs in fine*, Denique Augustinus Nymphus 12. Metaph. disp. 13. c. 4. Qui omnes vno consensu affirmant attributa distingui ab essentia ratione.

D. Thom. *Ægidius.* *Richardus Alensis.* *Henricus.* *Argẽtina.* *Durandus* *Bachonius* *Gerardus.* *Toletus.* *Capreolus* *Soncinas.* *Hispalẽsis.* *Heruæus.* *Caietanus.* *Marsilius.* *F. Franciscus à Xpõ.* *Torres.* *Banhes.* *Molina.* *Cumelius.* *Valentia.* *Fonseca.* *Nimphus.*

30. Probatur 1. pars affirmatiua.

Hæc verissima sententia primum cõfirmari potest grauissima authoritate non solùm illius Ioannis theologi, qui in Concilio Florentino Latinorum partes egit; sed etiam omnium Patrum Latinorum, qui contra græcos disputabãt: dixerunt enim essentiam á personis distingui ratione. At eadem est ratio de essentia in ordine ad attributa.

31. 2. ex D. Bernardo.

Deinde confirmatur auctoritate D. Bernardi lib. 5. de consideratione ad Eugenium paulò ante finem; quo in loco expresse docet Deum apud nostrum intellectum pluralitate conceptuum, & signari, & diuidi: *visus sum* (inquit) *protulisse plura, sed vnum est: vnus Deus signatus est pro captu nostro, non pro statu suo: diuisus est hic, nõ ille: voces diuersæ, semitæ multæ; sed vnus significatur, vnus quæritur.* Sensus est; Vnus Deus signatus, & diuisus est multiplici consideratione; idque pro captu nostro, non pro suo statu, id est, non quatenus in se est, sed quatenus à nobis conceptus est. Quem sensũ satis indicant verba consequentia: *Diuisus est hic, non ille.* Quẽ dixerat signatũ, nũc appellat diuisũ capt⁹ enim noster, hoc est, noster intellectus diuisus est, dum multipliciter Deum cõsiderat: at Deus in se ipso non est diuisus. Optima sunt verba, quæ sequuntur: *Nobis autem, quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, dum contendimus apprehẽdere vnum, occurrit veluti quadruplicatum.* Igitur apud D. Bernardum Deus in nostro intellectu ob pluralitatem cõceptuum, quos de eo formamus, est veluti diuisus quia scilicèt sub pluribus semitis, id est perfectionibus formalibus à nobis est intellectus.

32. 3. ex Commentatore.

Tertiò confirmatur auctoritate Cõmentatoris 12. Metaph. comment. 38. & 39. agens enim de ijs, quæ sunt abstracta à materia (quæ vocat formam, non in materia) expresse docet in illis dispositionem, & dispositum (id est, subiectum, & prædicatum) in esse (hoc est, à parte rei) non esse diuisa, sed idem; bene tamen diuisa esse in intellectu, qui ea quę in se sunt in diuisa, & vnũ, posteà sua consideratione diuidere. Verba Commentatoris apud Capreolum in 1. d. 8. q. 4. ar. 1. concl. 1. ita habent: *In eis autem, quæ sunt forma, non in materia, dispositio, & dispositum reducuntur ad vnum in esse, & duo in consideratione.* Et statim *actu enim essentia cum fuerit accepta, secundum quod est posita, & disposita* (per aliquam scilicèt intellectus compositionem) *tùm dispositio, & dispositũ vnum erit in prædicatione, & duo in intentione:* (quia scilicèt prędicatum differt à subiecto) *sed tamen non sicùt prædicatum differt à substantia in propositionibus categoricis substãtialibus* (id est, quę sunt de rebus compositis, atq; corporeis, quæ solæ apud Cõmentatorem ponuntur in prædicamento substantiæ (*despositio enim, & dispositum*

idem

idem est, sicùt in rebus abstractis: sed in potentia duo, quando intellectus diuiserit alterum ab altero. Et inferiùs addit: *Cum autem fuerit considerata dispositio, & dispositum in eis, quæ non sunt in materia* (hoc est cum hæc considerantur in se ipsis, & vt sũt à parte rei) *tùm reducuntur ad vnam intentionem omnibus modis: & nullus modus erit, quòd distinguatur prædicatum à subiecto, & dispositio extra intellectum, id est, in essentia rei: sed cum intellectus componit aliquã propositionem ex dispositione, & dispositio in talibus reb⁹* (simplicibus scilicèt, & abstractis) *non intellexit ex eis nomina synonyma, ita vt propositio sit secundùm nomen, & non secundùm intentionem* (id est, rem significatam) *sed intellegit ea differentia*. Quomodo autem differant; statim exponit, de quo inferiùs. Ex quibus omnibus verbis optimè colligit Capreolus apud Commentatorem vitam, & sapientiam (de his enim agit) non differre in Deo, diuinaque essentia, nisi in intellectu. Id intellige de differentia actuali, de qua sola agit. Nec audiendi sunt Ochamus, & Gregorius cum cæteris Nominalibus, dum explicant Commentatorem, vt solùm agat de nominibus, secundisque intentionibus: nam quàm sit hæc explicatio aliena à mente & verbis Commentatoris, nullus non videbit. Cum Commentatore consentiũt Auicena, & Algazel relati à Capreolo vide apud eum vbi suprà.

Explicatio Nominaliũ reijcitur.

Auicena. Algazel.

33. 4. probatur ratione.

Quartò id ipsum ratione etiam ostẽditur: quoniam essentia, & attributa cõcipiuntur à nobis pluribus concepibus formalibus re, & ratione prẽcisis. Ergó essentia, & attributa apud intellectum ratione distinguuntur. Huius discursus & antecedens, & consequẽtia sunt à nobis diligentius explicanda. Et quod attinet ad antecedens illud quotidiana docet experientia: alium enim conceptum formamus de sempiterna Dei diuinitate, alium de illius virtute, alium denique, & alium de singulis illius attributis. Quod etiam licèt colligere ex verbis Pauli ad Roman. 1. *Inuisibilia Dei* (inquit) *à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciũtur: sempiterna quoquè eius virtus, & diuinitas.* Ex quibus verbis non solùm colligimus hæc omnia pluribus conceptibus à nobis intelligi; sed etiam causſam à priori illius pluralitatis: nam in primis Paulus in plurali loquitur; *Inuisibilia* (inquit) *Dei conspiciuntur à nobis.* Plura igitur sunt, quę à nobis conspiciuntur. Plura autem non nisi pluribus conceptibus possunt à nobis concipi propter nostri intellectus in intelligendo imperfectionem, atque limitationẽ. Deinde diuinitatem à virtute, veluti distinguit tanquam duo intelligibilia, dũ ait: *sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.*

Antecedẽs huius ratio nis expenditur.

Ad Rom. 1.

Tertio ostendit causſam à priori in illis verbis: *à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Etenim, quæ sunt Dei, conspicere non possumus, nisi ex cognitione eorum, quæ facta sunt. Quòd etiam agnouit Aristoteles cum cęteris philosophis. Quare cùm multa sint, quæ facta sunt; ex singulis singulas Dei perfectiones à posteriori discurrẽdo deducimus. Vnde ex creaturis primum concipimus, quod Deus sit, varias circa hanc veritatem demostrationes conficientes, vt patet ex 8. Physicorum, & ex 12. Metaph. Deinde supposito quód Deus sit, de eo nunc hanc, nunc illam perfectionem demonstramus; idque ex cognitione huius, & illius perfectionis, quam in creaturis agnoscimus. Quare dubitari non potest, quin de Deo, & de eius perfectionibus plures, & distinctos conceptus formemus. Quod satis explicat D. Bernardus lib. 5 de consideratione ad Eugenium in verbis, quæ pauló ante citauimus in secunda confirmatione. *Visus sum protulisse plura: sed vnum est.* At vbi dantur plura nomina, plures etiã conceptus dentur, necesse est. Addit: *Vnus Deus signatus est pro captu nostro.* Sensus est; Deus pro captu nostri intellectus est significatus à nobis, non vno, sed pluribus conceptibus: quem sensum explicãt verba sequentia: *Diuisus est hic, non ille,* id est, noster intellectus in Deo intelligendo diuiditur; non verò Deus in se ipso. Vnde concludit: *Voces diuersæ, semitæ multæ, sed vnus significatur, vnus quæritur.* At vbi plures sunt voces, plures etiã sunt conceptus; quia voces mediantib⁹ conceptibus res significãt, ex Arist. lib. 1, Periherm. c. 1. Annotanda adhùc sũt verba, quæ sequuntur: *Nobis autem, quia non possumus cum diuina simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere vnum, occurrit veluti quadruplicatum.* Quibus verbis explicat causſam multiplicationis nostrorum conceptuum.

34.

Bernard⁹

Aristotel.

35. Chrysost. Id ipsum probat auctoritas Chrysostomi, quam refert D. Thom. in 1. d. 2. q. 1. ar. 3. §. *Quantum verò ad* 4. docet enim angelos ita Deum laudare, vt quidã maiestatem, quidam vt bonitatem, &c. illũ laudant. Cõmentator etiam in locis superiùs adductis id ipsum euidẽter probat: sed optimus locus est 12. Met. cõm. 37. relatus à Capreolo in 1. d. 8. q. 4. ar. 2. in 6. argum. contra secundam fol. 122. col. 1. in principio, ita enim habet: *Dicẽdum, quòd intellectus potest quidèm formare diuersos conceptus de eadem perfectione: non tamen illam rem diuidendo, & cæt.* Quarè mirum est, quòd Aoreolus de hac notissima veritate dubitauerit. Quam in hoc sensu intelligimus, vt plures illi conceptus non solùm re sint ad inuicem præcisi, ita vt vnius entitas entitatẽ alterius non includat; sed etiam ratione, quatenùs vnus conceptus formalis ita repręsentet Dei sapientiam sub ratione sapiẽtiæ, vt non repręsentet eam sub ratione, aut essentiæ, aut iustitiæ: nam essentiam, & sapientiam sub ea ratione concipiũt distincti illi cõceptus, sub qua essentiã, & sapientiam ex creaturis conceperũt: quæ ratio cũ debeat esse cõmunis Deo, & creaturis, ita se habet ad aliam rationẽ, vt ab ea omninò sit præcisa: etenim ratio sapientiæ sub sua analogica communitate distincta est à ratione iustitię, & essentiæ, vt inter doctos conuenit.

Commentator.

36. Concludendũ est igitur verissimũ esse nostrũ antecedẽs, essentiã, scilicèt, & attributa concipi à nobis conceptibus formalib⁹ re, & ratione ad inuicẽ distinctis. Ex quo antecedẽte optimè deducitur essentiã, & attributa apud intellectũ ratione distingui. Quã consequentiam primò ita ostẽdimus; quia negandũ non est intellectũ, dùm rẽ intelligit, tribuere illi quoddã esse in genere intelligibiliũ, quod appellamus esse rationis, quidquid illud sit: nã in superiori libr. cõtra nõnullos cũ D. Thoma, & cõmuni Thomistarũ latè ostẽdimus admittendũ esse duplex esse existẽtiæ: vnũ reale, alterum obiectiuũ. Quorũ illud est in genere rei: hoc autẽ in genere intelligibiliũ, quod appellatur esse rationis, ideò quia expẽditur penes existentiã, quã res habẽt in intellectu, dũ illi obijciuntur. Cùm verò intellectus de re alioquin simplici, etiã de Deo possit formare plures cõcept⁹, vt ostendimus; poterit etiã eidẽ rei tribuere plura esse rationis: sicùt enim cõceptus formales rei sunt plures, ita etiã plura erunt esse obiectiua eius rei, quæ pluribus conceptibus obijcitur. Et hæc est communis doctrina, vt aduertit Capreol. in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. ad 4. impugnationẽ Gregorij contra 2. fol. 117. col. 1. &cũ eo Sõcinas ibi q. 4. cõcl. 5. ad 2. Gregorij impugnationẽ. Et cum ad pluralitatem in esse necessariò sequatur distinctio; vtiq; dum intellectus vni, & eidem rei simplici effectiué tribuit plura esse rationis; ex consequenti, & secundariò caussabit in ea distinctionem rationis.

Prima consequentię, probatio.

37. Secũda probatio. Deindè eadem consequẽtia hoc etiã discursu potest demonstrari: quoniam conceptibus formalibus re, & ratione præcisis necessariò respondent plures conceptus obiectiui ratione actualiter præcisi; ita vt res ipsa (quæ est conceptus obiectiuus) actu representetur sub vna ratione actualiter abstracta, & præcisa à quacunque alia ratione formali cuiuscunq; alterius obiectiui cõceptus. Ergò rationes illæ obiectiuæ secundũ esse, quod habent in intellectu sunt ab inuicem diuisæ, & distinctæ per rationem: in quo posita est distinctio rationis, vt ex sequenti §. meliùs patebit.

§. 6.

Quid nam hoc loco sit distingui ratione?

38. Præmissum. Triplex rationis acceptio. Aristot. SEd vt hæc veritas omni sublata æquiuocatione (quæ confusionẽ parit) euidentiùs explicetur; oportet explicare, quidnã sit aliqua inter se ratione distingui? Pro explicatione præmittẽdum est nomen rationis multifariã accipi apud philosophos, vt præter alios benè aduertit Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 2. dub. 4. fol. 49. col. 4. in princ. Et omissis pluribus alijs acceptionibus, quod attinet ad nostrũ institutum, ratio tripliciter sumi potest. Nã interdùm sumitur pro intellectu: intellectus enim est hominis ratio, qua circa res potest ratiocinari. Deindè sumitur pro natura, essentia, & quidditate rei, quæ diffinitione, aut quasi diffinitione explicatur: ratio enim ex Arist. 4. Metaph. c. 7. tex. 28. sumitur pro diffinitione: definitio autem sæpissimè sumitur pro ipsa quidditate, & essẽtia rei.

In hac significatione sumitur à philosophis cum docent genus, & differentiam esse rationem speciei, v.g. animal rationale esse rationem hominis, colorem esse de ratione albedinis, & generaliter omnia prædicata essentialia dicũtur esse de ratione rei, cuius sunt prædicata. In hoc sensu nomen rationis à veteribꝰ philosophis, & ab Aristotele sæpissimè fuisse vsurpatum asserit Fonseca lib. 5. Metaph. c. 6. q. 7. sect. 4. in principio, & nos id annotauimus suprà ar. 4. §. 2. In hoc sensu hoc nomen accepit Aristoteles in 1. Physic. c. 2. tex. 21. dum ait albũ, & musicum esse idem subiecto, ratione autem distingui. Similiter etiam; dùm in eodem libro c. 7. tex. 6. & c. 9. tex. 78. asserit nõ entia ratione distingui ab ente. Deniq́ue rationem interdùm sumi pro quidditate, & natura, quæ est in ipsa re, expressè docet D. Thomas in 1. d. 22. q. 1. ar. 3. Tertio modo sumitur ratio pro conceptu, quem intellectus formatde re: ratio enim, quam significat nomen, est conceptio intellectus de re significata per nomen, vt ait D. Thomas 1. p. q. 13. ar. 4. & in 1. d. 2. q. 1. ar. 3. §. *Quantum ad primum*, & 1. contra Gentes c. 35. & de potentia q. 9. ar. 4. Et est acceptio apud theologos, & philosophos vulgatissima: apud quos ratio idem est, quòd conceptus de re: conceptus item idem est, quód ratio rei. Vndè sicùt conceptus communiter diuiditur in formalem (quem plures appellant mentalem) & obiectiuum; ita etiam ratio communiter diuiditur in formalem, siuè mentalem, & obiectiuam, vt patet ex Fonseca in 4. Metaph. c. 2 q. 2. sect. 1. in principio, & Cursu Conimbricensi in c. 5. prædicamentorũ q. 1. ar. 1. in principio. Quarè quatuor habemus rationis acceptiones. Primò accipitur pro intellectu. Secũdò pro essentia, aut quasi essentia. Tertió pro conceptu formali. Quartò deniq́ue pro conceptu obiectiuo.

Fonseca. *Arist.* *D. Thom.* *D. Thom.* *Fonseca.*

39. Rationis acceptio quæ sit propria huius loci.

At in quanam harum acceptionum nomen rationis sumendum sit; non facilè colliges ex scribentibus: plures enim de vna ad aliam significationem sæpè diuertunt: loquentes enim de conceptu formali diuertunt ad obiectiuũ: & agẽtes de ratione sumpta pro essentia trãseunt ad rationẽ sumptã pro conceptu. Rationem pro conceptu, notitiavè formali accipit præceptor Frater Franciscus à Christo in 1. d. 2. q. 3. concl. 2. At verò pro conceptu obiectiuo eam accipit Torres in dicto dubio 4. §. *Respondemus*, expressiùs Bellomontanus 1. p. disp. 117. c. 1. n. 2. An sit accipienda pro conceptu, an verò pro quidditate non determinat Heruæus, nec in 1. d. 2. q. 2. nec quodlib. 8. q. 1. Rationem accipi nõ posse pro conceptu scribit Gregorius in 1. d. 8. q. 2. ar. 1. in principio.

Fr. Franc. à Christo. *Torres.* *Heruæus.* *Gregorius.*

40. Vera explicatio.

Ego puto in hac disputatione rationem solùm sumi pro intellectu, eiusq́ue operatione, quæ ipsa idem est, quòd cõceptus formalis. Pro cuius explicatione aduerto in hac disputatione distingui ratione nihil esse aliud, quàm distingui distinctione rationis: etenim hoc nitimur probare attributa ab essentia nõ distingui aut distinctione reali, aut formali, quę sit sine intellectu, sed sola distinctione rationis. At quandò dicimus attributa distingui ab essentia distinctione rationis, ratio solùm sumitur p intellectu, operationeq́; illius; vt sit sensus, quòd distinguantur distinctione ab intellectu, illiusq́; operatione caussata. Ergò cũ dicimus attributa distingui sola ratione; ratio idem erit, quòd intellectꝰ, atq́; operatio illius. Minor huius discursus ex eo facilè probatur, quòd distinctio rationis nihil est aliud, quàm distinctio caussata per rationẽ, operationemq́; rationis, vt patet ex terminis, & benè aduertit Suarius in Metap. disp. 7. sect. 1. n. 7. & 8: etenim ratio, quæ habet operationem accõmodari non potest, nisi soli intellectui, potentiæq́; intellectiuæ, non verò, aut quidditati, aut cõceptui obiectiuo. Ex hac resolutione infertur ablatiuũ *rationis* solùm denotare principiũ effectiuũ; vt idem sit distingui ratione, qđ distingui distinctione caussata per operationẽ rationis, atq́; intellectꝰ. Cũverò solus intellectꝰ sua operatione, formaliq́; notitia sit caussatiuꝰ distinctionis, q̃ est p rationẽ; vtiq́; solꝰ intellectus, eiusq́; operatio, cõceptꝰvè formalis intelligẽdꝰ venit nomine rationis.

41. Vberior explicatio.

Non negamus cõceptus obiectiuos diuinarũ perfectionũ, siuè potiùs ipsas diuinas perfectiones sũptas in esse cognito, quod habẽt in intellectu, distingui ratione, ideſt, suis formalitatibus, & quidditatibꝰ (quia alia est ratio, & quidditas sapien-

sapientiæ, proùt habet esse cognitum in intellectu, & alia ratio, quidditasvè iustitiæ, quanuis à parte rei vna, & eadem sit) negamus tamen conceptus illos obiectiuos distingui ratione, id est, distinctione rationis à se ipsis causata: nam cũ à se ipsis non habeant illud esse cognitum, secundùm quod distinguuntur; sed effectiuè ab intellectu, & illius operatione, formaliq; conceptu; vtique nec à se ipsis habebunt distinctionem rationis, quæ consequitur illud rationis esse. Itaq; conceptus illi obiectiui à distinctione formali virtuali, quæ inter suas formales, & essentiales rationes reperitur, fundamentaliter habent, quòd possint actu distingui per intellectum: at, quòd actu distinguantur, solùm habent à ratione sumpta pro intellectu, tanquã à principio effectiuè distinctiuo illarũ perfectionũ: nã à solo intellectu, eiusq; formali conceptu habent, quòd actu cõcipiantur cõceptu præciso ab alijs perfectionibus: etenim quia intellectus cõcipit sapientiam sub ratione formali sapientiæ præscindẽdo à ratione formali iustitię, id est, non concipiendo iustitiã; indè habet sapientia, quòd actu habeat esse obiectiuum, vel sine iustitia, vel distinctum ab esse obiectiuo iustitiæ: ad quod esse sequitur actualis distinctio sapientiæ á iustitia. Itaq; quia intellectus concipit sapientiam conceptu re, & ratione præciso à iustitia (quia concipit sapientiam, eiusq; rationem formalem interim non concipiendo rationẽ formalem iustitiæ) ideò sapiẽtia habet esse cognitum actu distinctum à iustitia.

42. Resolutio. Concludendũ est igitur distingui ratione in hac disputatione nihil aliud esse, quàm distingui distinctione rationis hoc est distinctione, quam ratio ipsa facit. In quo sensu ratio, nec sumi potest pro essentia, vt est à parte rei; nec pro conceptu obiectiuo. Primum patet: hoc secundum ex eo ostenditur; quoniã cõceptus obiectiuus potiùs recipit distinctionem rationis, quàm illam causset: nec enim conceptus obiectiuus sapiẽtiæ caussauit, aut esse rationis, in quo sapientia distinguitur à iustitia; aut distinctionem, qua distinguitur. Nam cum illam distinctionem non habeat, nisi provt actu præscindit à iustitia; hanc autẽ præcisionem non habeat ex sua ratione, & quidditate (quia, vt est in Deo, nõ præscindit à iustitia) fit, vt eã solùm habeat à ratione, hoc est, ab intellectu, & ab illius operatione, cõceptuvè formali: etenim intellectus suo formali conceptu ita concipit rationem sapientiæ, vt illo conceptu pręscindat à ratione iustitię.

Quarè non sunt audiendi, aut Torres, aut Bellomontanus (ille de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 2. dub. 4. hic 1. p. disp. 117. c. 1. n. 2.) quatenùs asserunt distingui ratione hoc loco idẽ esse, quòd distingui conceptu obiectiuo. Nam conceptus obiectiui sunt, qui distinguuntur ratione; non verò ratio, qua effectiuè distinguũtur. Meliùs igitur dixit doctissimus præceptor Frater Franciscus à Christo in 1. d. 2. q. 3. concl. 2. dum asserit hoc loco idem esse distingui ratione, quod distingui conceptu formali. Melius dixisset distingui ratione idem esse, quòd distingui intellectu, conceptuvè formali: illo tanquã principio effectiuo, vt quod; hoc tanquã principio effectiuo, vt quo: etenim intellectus sua operatione, suoq; formali conceptu, tanquàm principio, vt quo, caussat in conceptibus obiectiuis esse quoddã rationis pręcisum à ratione formali, essentialivè aliorũ conceptuũ obiectiuorũ: ad quam præcisionem consequitur in illis distinctio rationis.

43. Torres, & Bellomont. reijciuntur.

Fr. Franc. à Christo.

Ex qua resolutione infertur in hac propositione, *attributa distinguuntur ratione* ablatiuum illum *ratione* non denotare principium intrinsecè distinctiuum, sed extrinsecum tantùm, cum denotet principium effectiuum, quod non est, nisi extrinsecum. Vndè non est audiendus Capreolus, dum docet ablatiuum illum denotare principium intrinsecum formale, vt statim dicemus ad quintam probationem Gregorij §. 8.

44. Illatio contra Capreolum.

§. 7.

Soluitur argumentum Aoreoli contra pluralitatem conceptuum.

45. SVpereſt solutio argumentorũ: soluentur autẽ eo ordine, quo fuerũt proposita. Quarè primó soluemus fundamentũ Aoreoli: nã, quę ex Patrib. §. 1. adducta sunt, facilè soluuntur ex dictis suprà ar. 1. solùm enim probant inter essentiã, & attributa nullam dari distinctionem realem. Origenem autẽ, & Magistrum pro nobis stare ibi ostẽdimus.

46. Ex dictis suprà §. 2. iam constat Aoreolum in hoc suam machinam fundasse, vt ostenderet fieri non posse, vt intellectus plures conceptus formet de essentia, & attributis; vt indè inferret ea ratione non distingui; siquidèm ratione distingui non possunt, nisi de illis plures formentur conceptus. Nos hoc fundamentum tanquàm falsissimum iam reiecimus suprà §. 5. ratione 4. Quarè soluenda sunt argumenta, quibus suam paradoxam opinionem confirmauit.

Solutio argumenti.

47. Ad primum concedendum est Deum esse vnum quoddam conceptibile, quãtum est de se: virtute tamen esse plura conceptibilia. Ex quo antecedente licet benè inferatur Deum posse concipi vnico tantùm conceptu; non tamen infertur non posse, nisi vno tantùm conceptu concipi. Et ratio est; quia ex se est conceptibilis vnico tantùm, illoque simplicissimo conceptu ab intellectu, cui primò, & per se est obiectum adæquatum; qualis est solus intellectus diuinus; à quo solo in sua eminentiali vnitate adæquatè concipi potest. At cum respectu aliorum intellectuum sit obiectum inadæquatum per infinitum excessum, est quidèm obiectum ab illis perceptibile; inadæquatè tamen: & subindè ab illis est perceptibile sub certa, & determinata intelligibilitate obiectiua, ratione virtualis multiplicitatis, quam includit. Quarè à creato intellectu, quãuis totus concipiatur; non tamen concipitur totaliter, & adæquatè; quia non concipitur, nec concipi potest sub adequata illius intelligibilitate; sed sub intelligibilitate indiffinitè certa, & limitata, vt colliges ex D. Thoma 1. p. q. 12. ar. 7. ad 3. & de veritate q. 8. ar. 2. ad 2. & in 3. d. 14. q. 1. ar. 2. quæstiuncula 1. ad 2. & in 4. d. 49. q. 2. ar. 3. ad 3. In quo communiter recipitur à theologis. Quarè Deus in ordine ad nostrum intellectum secundùm se est quoddam intelligibile actu vnum, sed virtute multiplex: & subindè est diuisibilis non secundùm esse, quod habet extra intellectum; sed secũdùm esse, quod habet in intellectu nostro. Solutio satis est ad mentẽ Capreoli in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. ad 9. Aoreoli contra secundam fol. 128. colum. 2. & Aialę Hispalensis ibi ar. 4. ad 9. eiusdem Aoreoli fol. 107. col. 1.

Solutio primæ probationis.

D. Thom.

Capreolus. Hispalens.

48. Secundum argumẽtum, si diligentiùs expendatur, supponit auctores nostræ opinionis admittere diuinam realitatẽ siuè entitatẽ vnico tantùm conceptu à nobis concipi; perfectionem verò illius pluribus: nisi enim hoc à nobis concedi supponeret, non rectè cõtra nos argueret. At nihil minùs supponimus: nam sicùt docemus diuinam entitatem totam quidèm concipi; non tamen totaliter: & ideò non vno, sed pluribus conceptibus concipi; ita etiam docemus totam diuinam perfectionem cõcipi quolibet nostro conceptu; nullo tamen modo concipi totaliter; & ob id pluribus conceptibus esse conceptibilem à nobis. Et vt hoc meliùs intelligatur, aduertendũ est non ita hac de re theologizandum esse, vt entitas, siuè realitas diuina in se ipsa concipiatur, non concepta sub aliqua perfectione: hæc enim imaginatio falsa est: quia diuina entitas, nec in essendo, nec in intelligẽdo separari potest à sua perfectione; sicùt etiam nec perfectio à sua entitate. Quarè hæc duo inseparabiliter se se comitantur, vt nec entitas diuinitatis sine perfectione diuina cõcipiatur; nec perfectio sine diuina entitate. Non negamus entitatem diuinam sub vna perfectione posse concipi conceptu præciso ab alia perfectione; quin potiùs id in hac disputatione supponimus: negamus tamen eam posse concipi sub præciso conceptu entitatis, non concepta aliqua perfectionis ratione.

Secundum argumẽtum, si diligentiùs expendatur, supponit auctores nostræ opinionis admittere diuinam realitatẽ siuè entitatẽ vnico tantùm conceptu à nobis concipi; perfectionem verò illius pluribus: nisi enim hoc à nobis concedi supponeret, non rectè cõtra nos argueret. At nihil minùs supponimus: nam sicùt docemus diuinam entitatem totam quidèm concipi; non tamen totaliter: & ideò non vno, sed pluribus conceptibus concipi; ita etiam docemus totam diuinam perfectionem cõcipi quolibet nostro conceptu; nullo tamen modo concipi totaliter; & ob id pluribus conceptibus esse conceptibilem à nobis. Et vt hoc meliùs intelligatur, aduertendũ est non ita hac de re theologizandum esse, vt entitas, siuè realitas diuina in se ipsa concipiatur, non concepta sub aliqua perfectione: hæc enim imaginatio falsa est: quia diuina entitas, nec in essendo, nec in intelligẽdo separari potest à sua perfectione; sicùt etiam nec perfectio à sua entitate. Quarè hæc duo inseparabiliter se se comitantur, vt nec entitas diuinitatis sine perfectione diuina cõcipiatur; nec perfectio sine diuina entitate. Non negamus entitatem diuinam sub vna perfectione posse concipi conceptu præciso ab alia perfectione; quin potiùs id in hac disputatione supponimus: negamus tamen eam posse concipi sub præciso conceptu entitatis, non concepta aliqua perfectionis ratione.

Solutio secundæ probationis.

Ità igitur theologizandũ erit, vt diuina entitas, siuè realitas ratione suæ infinitatis in essendo, non solùm vendicet sibi perfectionẽ, siuè essentialẽ, & quidditatiuã, qua primò, & per se constituitur in esse essentiæ, naturæ, & quidditatis diuinæ (qualis est entitas substantię, viuentis, & spiritualis:) sed etiam vendicet sibi omnem perfectionem simpliciter, quam appellamus attributalem. Cum verò ex hoc habeat, quòd in essendo sit infinitè perfecta; ex eodem etiam habet, quòd in sua perfectione formali sit infinitè intelligibilis; intelligibilitate tamen virtualiter multiplici; cum & perfectiones, quas sibi naturaliter vẽdicat, sint virtute plures, vt dixim⁹ suprà ar. 6. Igitur in quolibet conceptu creato concipitur tota entiras, realitasque diuina cũ tota sua perfectione; nõ tamẽ totali-

49.

totaliter: quia non concipitur, nisi sub certa, & determinata perfectione. Et indé est, vt realitas diuina, diuinaq; perfectio diuidatur secundum esse, quod habet in intellectu; ita vt secundum tale esse alia sit realitas, quæ sub præcisa ratione sapientiæ obijcitur intellectui; & alia, quæ obijcitur sub præcisa ratione essentiæ: cuilibet tamen respondet tota entitas diuina, quæ est à parte rei; inadæquatè tamen: quia, vt diximus suprà ex Molina, realitas illa diuina obiectiuè existens in intellectu (quam conceptum obiectiuũ appellamus) quanuis supponat pro tota diuina realitate, quæ est à parte rei: non tamen supponit pro illa totaliter, sed inadæquatè, quatenùs scilicèt illa realitas continet in se perfectionem, sub qua intellectui obijcitur. Ex his patet explicatio allati argumẽti: negandum est enim realitatem diuinam ratione suæ infinitatis vnico tantùm cõceptu concipi ab intellectu creato; cum ipsa infinitas potiùs sit causa, cur à nobis vno tantùm conceptu concipi non queat. Efficit igitur infinitas illius realitatis, vt concipi non possit, nisi tota: at tamen simùl efficit, vt concipi non queat totaliter, sed inadæquatè secundùm determinatam perfectionis rationem. Hoc autem vniformiter seruatur tàm in diuina realitate, quàm in diuina perfectione. Et hęc est optima huius argumenti explicatio: quod *Capreolus.* non satis explicarunt Capreolus vbi suprà fol. 117. col. 4. ad 1. Aoreoli secundo loco contra secundam; & *Aiala.* Aiala loco citato fol. 106. col. 3. ad 2. principale.

50. Solutio tertiæ. Ad 3. respondet Capreolus vbi suprà fol. 128. & Aiala fol. 107. vterque col. 1. ad 6. In forma facilè solues, si ita explices antecedens, vt diuina perfectio extra intellectum in se actu sit summè vna & indiuisibilis: virtute tamen sit plures, vt diximus ar. 6. Et hoc modo consequẽtia non est bona. Ad cuius probationẽ dicimus intellectum non ita dividere diuinas perfectiones, vt dicat eas in Deo esse actu diuisas; sed ita, vt vnam concipiat cõceptu pręscindente ab alia, quæ est diuisio abstractiua, ad quã satis est virtualis distinctio præsupposita in re, vt sine mendacio fiat. Quarè admittim⁹ intellectum vnam perfectionem concipere, alteram non concipiendo. In quo aliquo modo assimilatur partitioni reali; quanuis verè non sit partitio; siquidẽ non ita vnum separet ab alio, vt à parte rei vnum non sit cum alio.

51. Solutio 4. ex Capreolo, & Hispalensũ. Facilior solutio. Pro solutione quarti plura scribit Capreolus cum suo assecla Hispalensi ad decimum quintum Aoreoli, ille fol. 128. col. 3. iste fol. 107. col. 3. Sed omissis, quæ scribunt, faciliùs solues, si dicas intellectum illam distinctionem effectiuè causare; quia de diuina entitate, & perfectione format distinctos conceptus formales re, & ratione pręscisos: indè enim resultat diuinam realitatem diuidi secundùm distinctas existẽtias obiectiuas, sub quibus distinctis conceptibus formalibus obijcitur. Quarè distinctio illa fundatur in ipsismet diuinis perfectionibus: non simpliciter, sed pro vt habent distinctas existẽtias obiectiuas, quarum quælibet est ens quoddam rationis resultans in re concepta ex cõceptibus formalibus. Nam omnium cõsensu, quia intellectus format conceptũ formalem Petri; ideò Petrus consequitur esse cognitum, quod ipsum est ens rationis. Igitur cum intellectus format conceptum sapientiæ diuinæ, realitas ipsa diuina, vt est sapientia, consequitur quoddam esse rationis, quod dicitur esse cognitum. Dum verò format cõceptum essentię, realitas ipsa, vt est essentia, consequitur aliud esse rationis à priori distinctum. Quandò igitur Aoreolus inquirit, in quonam distinctio ista rationis fundetur? respondendum est fundari quidèm in ipsa diuina realitate, vt est sapientia, tanquàm in subiecto quod: in ipso tamen esse obiectiuo, sub quo intellectui obijcitur, vt in subiecto quo. Nec opus est rationes alias fabricari, vt Aoreolus arguit. Sicùt etiã ex nostra sententia non infertur diuinas perfectiones, quæ apud intellectum ratione distinguũtur, non esse illas, quæ sunt in Deo: quia, vt sæpè diximus, illa eadem res, quæ est à parte rei, est, quæ est in intellectu; variata tamen secundũ aliud, & aliud esse. Et hæc est facilis huius argumenti explicatio.

52. Solutio 5. De quinto argumento aiunt Capreolus, & Aiala vbi suprà, ille fol. 128. col. 3. ad 13. iste fol. 107. col. 2. ad 13. & latiùs in 3. ar. notab. 3. Ego puto solutionem esse facillimam: quia admittendum est

entitatem diuinam, quæ à parte rei est essentia, & sapientia; apud intellectum sub aliqua ratione concipi, vt est essentia, & sub alia, vt est sapiẽtia. Nam istas rationes esse distinctas expressè concedit D. Thomas in 1. d.2.q.1.ar.3.§. *Quãtùm ad quartum*; sed clariùs d.22.q.1.ar.3. in corpore, & ad 3. & 4. & d.31.q.1.ar.2. ad 2. & de potentia q.7.ar.6. Vndè Thomistæ vno ore id concedunt, vt patet ex Capreolo in 1. d.8. q.4. ar.1.concl.2. fol.118.col.2.§. *In creaturis*. Nam, cùm intellectus concipiat Deum sub illis perfectionibus manu ductus ex creaturis, vt dicemus ar. 9. dùm concipit Dei sapientiam, non cõcipit eam sub propria, & adæquata ratione, quã habet in Deo; sed solùm sub communi, & analoga ratione sapientię, vt satis colliges ex D. Thoma in dicta d. 22. q.1. ar. 3. ad 4. & benè annotauit Hispalensis Aiala in d. notabili 3. sub quo conceptu sapientia nec est essentia, nec iustitia; sed perfectio quædam sua diffinitione quidditatiua distincta à perfectione essentiæ, vt est essentia, & iustitiæ, vt est iustitia. De quo nulla esse potest dubitatio apud auctores nostrę opinionis, & à fortiori nec erit apud Scotistas, qui hasce perfectiones distinguunt, non ratione modo, sed ex natura rei secluſa omni intellectus consideratione. Quandò igitur Aoreolus inquirit; an ratio essentiæ cõcipiatur vt disparata à ratione sapientię, & iustitię; dicendum est eas concipi, vt disparatas cum Aiala in d. notab. 3: etenim ratio essentiæ, vt absolutè est essentia, disparata est à ratione sapientiæ, & iustitiæ. Nec indè benè infert Aoreolus sapientiã non posse de Deo prędicari: nam constat sapientiam in concreto prędicari de Deo formaliter. An verò in abstracto prędicetur de Deo, & de diuina essentia? Affirmatiuè respondẽdum est. Vtrùm verò hæc prędicatio sit vera in sensu formali, an in solo idẽtico? Quęstio est inferiùs explicanda.

D. Thom.

Capreolus.

D. Thom. Aiala.

53. Solutio sex æ ex Capreolo, & Aiala reijci tur. Vera solut.

Ad 6. respondent Capreolus, & Aiala, ille fol.128. iste fol.107. vterque col. 1. ad 7. Sed omissis, quæ scribunt, fortè vt impertinentibus, argumentum videtur puerile: nam cum cõceptus isti sint pręcisi, vtique conceptus sapientiæ nõ includit in se rationem formalem essẽtiæ, nec illi aliquid addit. Quòd si Aoreolus velit inquirere, an perfectio sapientię sit aliquid superadditum perfectioni essentiæ? Respondendum est nostro intelligendi modo per sapientiam aliquid superaddi essentiæ; quia concipitur, vt perfectio veluti adiacens illi, eamque qualificans. Si rursus inquiratur, an illa sit aliquid rationis, an res, an verò formalitas ex natura rei distincta; Puerilis est interrogatio: respondemus tamen sapientiam esse ens quoddã reale; non tamen realiter distinctum, nec etiam ex natura rei actualiter; sed solùm virtualiter, vt est in Deo; actualiter verò, vt est in intellectu: & ideò propositio formata per intellectum est verissima. Nec benè theologizat Aoreolus, dùm ex eo, quòd sapientia sola ratione distinguitur ab essentia, infert sapientiam per solum intellectum conuenire Deo.

54. Solutio 7.

Ad 7. omissis, quæ respondent Capreolus, vbi suprà fol.28. column. 1. ad 5. & Aiala fol. 106. col.4. ad 5. neganda est sequela: quoniam conceptus formati de Deo sub diuersa perfectione attributali specie inter se distinguuntur; quoniã conceptus obiectiui, à quibus per se specificantur, distinguuntur specie. Nec aliquid officit quod obijcitur de visionibus beatorum; quoniam illæ tàm in hominibus, quàm in angelis terminantur ad vnum formale obiectũ sub vna formali ratione, vt modó supponimus.

55. Solutio 8.

Ad 8. admittenda est sequela: quia perfectiones attributales absolutè sũptæ, & in sua analogica communitate dicunt plures, & distinctas specie rationes, vt patet ex Diuo Thoma in locis citatis, & est communis sententia. Admissa igitur sequela neganda est minor. Probationes autem, quas ad illam confirmandam adducit Aoreolus, latè dissoluunt Capreolus, vbi suprà ad argumẽta Aoreoli primo loco adducta cõtra secundam fol.121.column.2. & Aiala ibi artic. 4. ad eadem argumenta fol. 106.column.1. & Soncinas in eàdem distinctione 8. quæst. 4. concl.5. ad argumenta Aoreoli: nec enim decet in soluẽdis sophismatib⁹ fine causſa spatiari.

Capreolus.

Aiala.

56. Solutio 9.

Ad 9. facilis est solutio apud eos, qui putant attributa essentialiter non includi in ratione quidditatiua essentiæ: hi

hi enim admissa sequela negabunt minorem. Porrò, qui contrariam sententiam defendunt, eam in hoc sensu intelligunt, vt tàm essentia, quàm sapientia considerentur secundùm eam rationem, qua in Deo existunt; hoc enim modo omnia attributa essentialiter insunt in essentia. At tamen, si tàm essentia, quã sapientia, cęteraque attributa considerentur sub ratione analogica communi etiam creaturis; negandum est sapientiam essentialiter ingredi quidditatem essentiæ. Nam in hoc sensu est quædam perfectio disparata: nam si vt sic, ingrederetur rationem essentiæ; omnis essentia creata in sua essentiali ratione includeret sapientiam, quod est falsum.

D. Thomas Aiala. Quæ doctrina est D. Thomæ in 1. d. 22. q. 1. ar. 3. ad 4. & probauit Aiala in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. in 3. notabili, & ar. 4. ad 11. Au-

Capreolus. reoli contra 2. fol. 107. col. 2. Quod etiã docuit Capreolus ibi fol. 128. col. 2. De quo plura sunt dicenda inferius q. 7. Ad argumentum igitur in forma admittenda est sequela, si sermo sit de ratione essentiæ, & sapientiæ in sua communitate analoga, in quo sensu sumuntur, cum concipiuntur ab intellectu viatoris, vt Capreolus cum Aiala annotauit, & in hoc sensu neganda est minor. At si sermo sit de ratione essentiæ, & sapientiæ, vt est in Deo, neganda est sequela; siquidem conceptus viatoris, cum sit inæadquatus tàm respectu essentiæ, quàm sapientiæ, non representat rationem aut essentiæ, aut sapientiæ, nisi secundum rationem anologicam communem creaturis, vt benè annotarunt Capreolus, & Aiala.

57. Solutio 10. Ad decimũ respõdetur maiorem esse verisimã, in hoc tamen sensu, vt vtrũq; simùl sit per se causa pluralitatis cõceptuum, de quo plura in sequenti quęstione ar. 8. In hoc igitur sensu neganda est minor quo advtranque partem. Ad probationem prioris partis nõ eodem modo respondent Capreolus, & Aiala: hic

Capreolus. Aiala. enim loco citato fol. 106. column. 4. ad 3. putat intellectum creatum de sapientia etiam formaturum fore plures conceptus, si eam in se ipsa apprehenderet. At Capreolus, vbi suprà fol. 127. col. 4. ad 2. putat sapientiam diuinam magis esse limitatam in ratione perfectionis, quã sit res ipsa; quę est essentia, & perfectio. Et ratio est; quia res, quæ est essentia, & perfectio, est conceptibilis omni cõceptu perfectionis: potest enim concipi non solùm conceptu sapientię, sed etiam iustitiæ, bonitatis, & cęt, cum tamen perfectio sapientiæ ad vnum tantùm sapientiæ conceptum sit determinata, quatenus talis est. Ex qua solutione benè colligitur apud Capreolum sapientiam in Deo non eodem modo esse illimitatam, atque est res, quę est diuina essentia in ratione perfectionis. Sed pfectò, si res ista consideratius expendatur, nec vna, nec altera solutio est recipienda. Non videtur recipienda solutio Aialę; quia intellectus creatus, si per impossibile apprehenderet diuinam sapientiam, vt in se est; vnum tantùm illius conceptum formaret, alioquin illam nõ apprehenderet, vt est in se. Quare, cum dicimus intellectum creatum non posse non formare plures conceptns de re, quæ est diuina essentia, agimus de illo, provt illam rem concipit secundùm rationem analogam perfectionis, quę cõmunis est etiam creaturis; in quo sensu de diuina sapientia non plures, sed vnũ tantùm conceptum format; quia semper eam concipit sub ratione formali sapientiæ. Et ita vrget difficultas argumenti.

Neutra solutio placet

58. Non placet solutio Capreoli. Porrò Solutio Capreoli, ideo non placet; quia licèt sapientia diuina sub cõmuni ratione perfectionis non sit illimitata; quia habet determinatam rationem perfectionis, vt patet: tamen in ratione talis perfectionis est etiam illimitata. Cur igitur de ea intellectus creatus plures conceptus non formabit; si respectu illius datur eadem causa pluralitatis? Hęc est difficultas, quæ vr-

propria solutio. get solutionem Capreoli. Quare puto difficultatem, quæ tangitur in priori parte minoris, facile solui, si dicamus intellectum creatum, quanuis de diuina sapientia non formet plures conceptus perfectionis diuinę, provt diuina perfectio concipitur sub ratione analogica perfectionis communi Deo, & creaturis (quia semper eam concipit sub ratione sapiẽtiæ, quæ est distincta á ratione iustitię, cæterarumque perfectionũ) tamẽ de ipsa sapiẽtia adhùc potest formare cõceptus plures sub ratione sapientię; quia adhùc nõ potest ipsam sapiẽ-

tiam, vtpote infinitam, & illimitatam totaliter comprehendere. Igitur sapiẽtiam non poterit concipere, nisi sub ratione communi sapientię; at tamen sub illa ratione non potest non formare plures conceptus eiusdem sapientiæ; quia nullũ potest de illa formare, nisi inadęquatum. Et hæc satis pro priori illa parte minoris.

59. Nam, quæ adducuntur pro confirmanda posteriori illius parte facilem habent solutionem: quoniam rusticus plures quidem conceptus de diuinis perfectionibus formabit, quàm theologus; non tamen plures distinctos, sed confusos, & inexplicatos. Nam quód theologus vno conceptu de Deo distinctè intelligit, rusticus intelligere non poterit, nisi pluribus confusis, & indistinctis. Quare de Deo rusticus non plures perfectiones concipiet, quàm theologus, sed pauciores: quanuis ad vnam perfectionem cognoscendam pluribus indigeat, quàm theologus. Igitur limitatio intellectus causa est, vt perfectiones Dei non vnico, sed pluribus conceptibus apprehendat. Quòd verò pluribus, aut paucioribus conceptibus indigeat ad intelligendas diuinas perfectiones; hoc non oritur præcisè ex limitatione intellectus; sed interdum ex maiori illius perfectione interdum ex minori. Nam si sermo est de cognitione distincta illarum perfectionum, altior intellectus plures perfectiones sub paucioribus conceptibus intelliget: at si de cognitione confusa, & imperfecta; qui intellectus minorem habuerit in intelligendo perspicacitatem, pluribus indigebit conceptibus, vt ad distinctam vnius perfectionis notitiam deueniat. Et ad hũc sensum explicabis, quæ satis confusè adducuntur à Capreolo, vbi suprà fol. 128. col. 1. ad 4. & ab Aiala fol. 106. ad 4. col. 4.

60. Solutio 11. Vndecimum argumentum petit difficultatem latiùs explicandam in quæstione sequente articul. 8. 9. & 10. Vide, quæ ibi dicemus.

Sol. vltimæ. Ad postremum argumentum, quod attinet ad D. Anselmum, hæc sunt illius verba: *Quemadmodum itaq; vnum est, quidquid essentialiter de summa substantia dicitur: ita ipsa substantia vno modo, vna consideratione est, quidquid essentialiter est.* In quibus verbis nomine *considerationis* non est intelligenda operatio intellectus, vt benè aduertit Bellomontanus 1. p. d. 116. cap. 4. n. 14. nec enim in hac significatione aliquid facit ad institutum Anselmi. Sed nec considerationis nomen ibi accipitur, vt idem sit, quòd res; quicquid velit Bellomontanus: etenim nec consideratio vnquam habuit hanc significationem; nec ad institutum etiam facit. Quare consideratio ibi idem est, quòd ratio formalis, & quidditatiua, sub qua cuiusque rei essentia á nobis consideratur. Est igitur sensus: sicùt ea, quæ de summa Dei substantia dicuntur, sunt vnum realiter: ita etiam ipsa diuina substantia *vna consideratione*, hoc est, vna ratione formali est omne id, quod est: quia non vnum vendicat sibi substantialiter, aliud accidentaliter: sed quicquid sibi vendicat, id vendicat sub vna ratione substantiali. Et in eodem sensu explicãda sunt verba, quę statim adiungit: *Illa verò summa essentia nullo modo sic est aliquid, vt illud idem secundum alium modum, aut secũdum aliam considerationem non sit; quia quicquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum, quod est.* Sensus enim est: vt diuina essentia nullo modo ita sit aliquid, vt sub alio modo, aliavè ratione non sit illud: sed quicquid aliquo modo est secundum essentiam, id ipsum substantialiter est totum, quod est: nam si diuina essentia est id, quod est iustum: ipsum esse iustũ est esse sapientem, esse misericordem, & cæt. Hæc est vera explicatio D. Anselmi. Quem explicant Bellomontanus vbi suprà, & Capreolus loco citato fol. 128. col. 2. ad 10. & fol. 129. col. 2. ad 23. & Aiala fol. 107. col. 1. ad 10. sed nullus satis accommodatè. *Bellomõt. Capreolus. Aiala.*

61. Nec Magister sententiarum negat, sed admittit potiùs multiplicitatem cõceptuum: sed de hoc modò parúm curamus. Sicùt etiam non est curandum de articulo Parisiensi, in verbis tamen citatis solùm iudicat errorem affirmare intellectum in Deo, vt intelligit se, realiter esse alium, prout intelligit creaturas. Et hæc pro solutione fundamenti, quod ex Aoreolo primo loco adduximus §. secundò.

§. 8.

Soluitur fundamentum generale Nominalium,

IN

62. Solutio 2. fundamenti generalis

IN generali demonstratione Nominalium latet æquiuocatio, quæ confusionem parit, & fallaciam, quam præsensit Capreolus in 1.d.8.q.4. ar. 3. ad 5. primo loco contra secundam fol. 127.col.2.& post eum Soncinas ibi q.4. concl.5.ad primum Gregorij, qui tamẽ rem istam potiùs confundunt, quàm explicent. Dicendum est igitur maiorem veram esse, si faciat hunc sensum, vt nihil distinguatur à se ipso si omnibus modis fuerit ipsum: nam in his terminis propositio est nota: si enim aliquo modo distinguitur, iam non omnibus modis est ipsum. In hoc autem sensu minor est falsa: quoniam essentia licèt realiter sit idem cum attributis; nõ tamen omnibus modis habet cum illis ipseitatem: etenim, vt nostra habet opinio, potest ab illis ratione distingui: vnde in hoc sensu Nominales sumunt id, quod erat probandum. At tamen, si sensus maioris propositionis fuerit, vt nihil distinguatur à se ipso, id est, ab eo, cum quo aliquo modo est ipsum; propositio est falsa; quia licèt Petrus albus subiecto sit idem cum petro nigro; tamen dicitur distingui à se ipso nigro, vt statim ostendemus. Præterea, quæ realiter sunt vnum, & idem ens, possunt distingui vel formaliter, & ex natura rei, vt interdum cernitur in creatis; vel saltem secundum rationem, vt cernitur in diuinis. Maior igitur in sensu explicato neganda est. Nec oppositum probant, quæ in confirmationem illius maioris tam variè, & sophisticè adducuntur.

63. Ad primã probationẽ maioris.

Ad primam probationem, quæ sumptã est ex Ochamo, & Gregorio, omissis quę adducunt Capreolus, & Soncinas vbi suprà, & Aiala ibi ar. 4. ad quintam probationem Gregorij contra secundam fol.105.col.4. dicendum est vnam, & eandem rem vtroque modo posse à se ipsa secũdum rationem differre: nam illa vna res, quę à parte rei habet vnum tantùm esse, dum aliter, & aliter concipitur, habet aliud, & aliud esse rationis. Exempli gratia punctus, quanuis à parte rei sit vnum quid indiuisibile secundum suam entitatem: tamen dum concipitur, vt est principium partis sequẽtis, & vt est finis partis præcedentis, habet apud intellectum aliud, & aliud esse obiectiuũ, aliumque, & alium formalem conceptum; quorum quilibet & re est pręcisus ab alio (quia est diuersa qualitas ab illo) & etiam ratione: punctus enim, dum concipitur sub ratione principij, præscindit à se ipso, vt habet rationem finis. Idem dicendum est de essentia diuina: nam licèt à parte rei sit vnum simplex ens cum suis attributis, vnamque habeat rationem formalem: tamen dum aliter, & aliter concipitur, nunc sub ratione formali essentiæ, nunc autem sub ratione sapientię, aut iustitiæ; ipsa operatione intellectus consequitur aliud, & aliud esse obiectiuum, & rationis, quorum quodlibet est ratione pręcisum ab alio. Ad argumentum igitur concessa maiore, neganda est minor quoad vtranque partem.

64.

Quoad priorem quidem; quoniam res cõcepta habet diuersum esse rationis caussatum in ea per intellectũ: quod ipsum satis est, vt ipsa sub vno esse ratione distinguatur à se ipsa sub alio esse Ad probationem verò negandũ est lac, vt album, non distingui realiter à se ipso, vt est dulce: oppositum enim docet Aristoteles. in 1. Physic. citatus à Capreolo, dum ait sortem in domo esse diuersum à se in foro: vbi Commentator ab eodem Capreolo citatus post multa id ipsum concludit. Oppositum etiam in pomo odorifero, & sapido docuit D. Thomas de malo q.2.ar.6.ad 12.dũ ait: *pomum esse multiplex quale propter diuersitatẽ odoris, & saporis; licèt sit idem quale propter vnitatem subiecti*: cuius doctrinam referunt, & probant Capreolus, Aiala, & Soncinas vbi suprà. Iam verò vbi datur multiplicitas, necessariò datur distinctio, & diuersitas. Ratione etiam idem demonstratur sumpta ex doctrina Porphyrij in c. de differentia sine contradictione probata ab omnibus logicis: etenim quando duo accidentia sunt in eodem subiecto, non solùm secundum suas entitates distinguuntur in abstracto; sed etiam dum informant subiectũ, faciunt illud differre à se ipso differentia communi, & accidentaria: ita enim scribit Porphyrius: *Omnis in vniuersum differentia diuersum alicui adiuncta facit.* Ex quibus verbis omnes colligunt accidẽtia communia diuersum facere subiectum, quod afficiũt, vt patet ex Scoto q. 24. in prædicabilia, & ex Caietano, Soto Louani-

Aristotel. Commentator. *D. Thom.* *Capreolus.* *Aiala.* *Soncinas.* *Porphyrius.* *Scotus.* *Caietanus.* *Sotus.*

Louaniēsis Louanienſibus,&ex alijs in d.c.de differētia,& aduertit CurſusConimb.ibi tū in Comentario,tum q.1.ad 3. Quare nō ſolùm albedo in lacte differt à dulcedine; ſed etiam facit differre ipſum lac à ſe ipſo.Quare lac, vt album, non ſolùm realiter differt à ſe ipſo non albo; ſed etiam à ſe ipſo dulci. Quod adeó verum eſt, vt grauiſsimi metaphyſici doceant lac, vt album realiter differre à ſe ipſo Fonſeca. dulci relatione reali, vt putat Fonſeca in 5.Metaph. c.15. q. 1. ſect. 7. §. *defectu ſecundæ* pag. 689. Quare ſi duo accidentia realia ſatis ſūt, vt ſubiectum, in quo ſunt, faciant realiter diuerſum à ſe ipſo; quantunuis ſint vnum ſubiecto: eàdem ratione diuerſa accidentia rationis ſatis erūt, vt rem in ſe ipſa realiter vnam faciant à ſe ipſa diuerſam ſecundum rationem.

65. Ex dictis patet poſteriorem partem minoris, quam negauimus, eſſe falſam: etenim ſatis eſt, vt vna res ratione differat à ſe ipſa, quod aliter, & aliter ab intellectu intelligatur, id eſt, ſub alia, & alia ratione: idque conceptu formali præscindente à ratione, ſub qua ab alio conceptu percipitur v. g. ſatis eſt, vt res, quæ realiter, & formaliter eſt eſſentia, ſapientia, & iuſtitia concipiatur ab intellectu ſub diſtinctis cōceptibus mutuo præciſis, vt ipſamet res, quatenus concipitur ſub ratione eſſentiæ, ratione diſtinguatur à ſe ipſa, vt concipitur ſub ratione ſapientiæ, aut iuſtitiæ: etenim diuerſi illi modi cōcipiendi cauſſāt in illa re aliud, & aliud eſſe rationis, & ex conſequenti cauſſant diſtinctionem eiuſdem rei à ſe ipſa. Minor igitur quo ad poſteriorem partem eſt neganda.

66. Ad probationem verò, quam nobis obijcit Ochamus, dicendum eſt, quando vna, & eadem res aliter, & aliter cōcipitur, nec eſſe omnibus modis eandē rem; nec ipſam eandem ſimpliciter multiplicari, vt male ſupponit argumentū: ſed eſſe vnam, & eandem rem, ſub alio tamen, & alio eſſe obiectiuo apud intellectum. Nam quód ipſamet res, quæ à parte rei eſt ſecundum realem exiſtentiam, ſit, quæ eſt in intellectu ſecundum exiſtentiam obiectiuam, vulgatiſsima eſt doctrina: cōceptus enim obiectiuus eſt ipſamet res, quę eſt ad extra, vt com- Fonſeca. muniter docetur, & patet ex Fonſeca lib.4.Metaph. c.2.q.2.ſect. 1. §. *conceptus obiectiuus*, & exCurſus Conimb.in prędicamentis in c. de ſubſtantia q.1.ar.1. in principio, & ex Suario in Meteph diſp. 2.ſect.1.n. 1.& ſatis colliges ex Commētatore 12.Metaph.com. 51. & in 7. Me- *Comment.* taph.com.23. Imò etiam ex D.Anſelmo *D.Anſ.* Monologion c.36. quem refert, & probat D. Thomas 1. p. q. 14. ar. 13. apud *D.Thomas* quem,& apud ſuos ipſamet res, quæ eſt extra, eſt, quę exiſtit in intellectu ſub alio tamen eſſe. Et quanuis à parte rei ſit vna,& eadem;tamen,vt eſt in intellectu, habet aliam, & aliam exiſtentiam obiectiuam;quæ ſatis eſt, vt ipſam rem faciat ratione diuerſam;quanuis fundamentaliter ſit vna,& eadem. Nam ſi diuerſa accidentia realia, dum eidem ſubiecto tribuūt aliam,& aliam exiſtētiā(etenim petr⁹ ablus,& calidu ſduplicē habet exiſtētiāaccidentariā) faciūt, vt idem numero ſubiectū, provt eſt ſub vno,ſit diuerſum à ſe, provt eſt ſub alio, vt iam oſtendimus ad priorem partem minoris;eodem modo aliud,&aliud accidens rationis efficiet,vt eadem numero res,vt eſt ſub vno illorum, ſit diuerſecundū rationē à ſe ipſa,vt eſtſub alio.

67. Itaque vt ad argumentum redeamus res,quæ aliter,& aliter concipitur, nec eſt omnibus modis eadem (quia per aliud,& aliud eſſe obiectiuū diſtinguitur) nec ſecundum rē in ſe ipsa multiplicatur,ſed ſemper eſt eadē, quia ſicūt multiplicatio conceptus formalis non arguit diuerſitatem rerum conceptarum, ſed rationum,ſub quibus cōcipitur: ita etiam multiplicatio exiſtentię obiectiuæ non arguit diuerſitatem rerum cōceptarum,ſed rationum, quæ in eàdem re reperiuntur.

68. Si inquiras, vtrum illa vna,& eadem Dubium. res,quæ in intellectu habet aliam, & aliam exiſtētiam obiectiuam, conſtituat diuersa obiecta. Affirmatiuè reſpōdebo cum Aiala in 1.d. 8. q. 4. ar. 4. ad 2. *Aiala.* Gregorij contra ſecundam fol.105.col. 2. etenim, vt obiectum intellectus multipliciter,non eſt neceſſe multiplicetur res ipſa;ſed ſatis eſt multiplicari rationem formalem,ſub qua obijcitur intellectui: ſicut etiam idem pomum cenſetur plura obiecta,quatenus vt coloratū mouet viſum;vt ſapidum mouet guſtum & vt odoriferum mouet olfatum: nam

Reſpōſio.

eadem

eadem res sub alia, & alia formali ratione pertinet ad distinctas scientias, tanquam diuersa illarum subiecta. Sic igitur eadem res, quæ sub pluribus rationibus distinctas habet existentias obiectiuas in intellectu, costituet diuersa intellectus obiecta, ad quæ distincti conceptus formales terminantur. Ita fit, vt distincto obiectorum in intellectu non necessariò requirat distinctionem in rebus obiectis; benè tamen distinctionem rationum formalium vni', & eiusdem rei. Nec inde benè arguit Ochamus multiplicationem illorũ obiectorum sumi ex distinctione actuali illarum rationum, quę ex natura rei ante intellectũ in illis reperiatur; etenim ex parte rei satis ad hoc est distinctio virtualis, vt inferiùs dicemus. Atque ita resoluta est tota machina Ochami. Illud adhùc aduerto Capreolum, Soncinatẽ, & Aialam existimare nõ esse absurdum eandem rem visam duplici visione habere duplex esse intentionale; sicùt etiã duplici conceptu apprehensa, habet duplex esse cognitum. Et de hoc Ochami argumento hæc dixisse satis sit.

Aduertẽtia

69. Ad secundã proba onẽ Capreolus. Aiala. Soncinas.

Ad secundam maioris probationem, quæ est Gregorij, respondet Capreolus loco citato ad primum contra secundam fol. 126. col. 2. §. *potest tamen aliter dici*, & Aiala ibi q. 4. ar. 4. ad primum Gregorij, contra secundam fol. 105. col. 1. & Soncinas ibi q. 4. concl. 5. ad primum Gregorij §. *secundo dico*. In forma neganda est sequela, si consequens ita intelligatur, vt aliqua ratio sit, & non sit alicuius eodem modo sumpti: concedenda tamen, si ita intelligatur, vt aliqua ratio sit huius vno modo considerati, quæ nõ sit illius, vt consideratur alio modo: hęc enim sibi non contradicunt. Nam quãdo Petrus albus differt à se ipso calido; albedo, quæ est fundamẽtum distinctionis, est Petri, quatenus in se subiectat albedinem: at nõ est Petri, provt subiectat in se calorem. Simili modo quando pũctus consideratur vt principium; ratio principij conuenit pũcto, vt principiat partem sequentem; at non conuenit illi, vt terminat partem antecedẽtem. Itaq; quanuis & ratio principij, & ratio finis à parte rei conueniant eidem puncto; tamen ratio principij illi non conuenit sub ratione finis, nec è conuerso. Idem reperitur in illis, quæ distinguuntur ratione ratiocinante, nam licèt idem Petrus in intellectu habeat in se intentionem subiecti, & prædicati: tamen ratio subiecti non est illi propria, provt subest intentioni prædicati. Simili igitur modo dicendum est de re, quæ realiter est diuina essentia, & attributa: quanuis enim eadem res sit, quæ concipitur sub pręcisa ratione essentiæ, & sub præcisa ratione sapientiæ: tamen existentia obiectiua, quæ illi est propria, provt concipitur sub ratione sapientiæ, non est propria illi provt concipitur sub ratione essentiæ: etenim cõcepta sub pręcisa ratione essentię non includit rationem sapientiæ; vnde sub hac ratione distinguitur à se ipsa, vt concipitur sub sapientię ratione.

70. Ad tertiam *Capreolus.* *Aiala.* *Soncinas.*

Ad tertiam probationem eiusdem maioris, quæ est Gregorij latè respõdet Capreolus ad 3 Gregorij fol. 126. col. 2. 3. & 4. & Aiala fol. 105. col. 1. ad 2. & Sõcinas in d. conclusione 5. ad 2. Gregorij. Ex illorum mente admittẽda est sequela: quoniam res, quæ á parte rei est in se vna, apud intellectum est plures, si alio, & alio modo concipiatur. Quam sententiam probant verba D. Thomę allata à Capreolo: *si intellectus multos conceptus formet de vna re; talis dicitur esse plures, & distincta, & multiplex secundũ rationem hoc est secundum esse, quod habet in intellectu.* Quæ verba refert Capreolus ex 4. contra Gẽtes c. 5. ea tamen ibi non reperio, nec inuenire potui, quo in loco D. Thomas ea scripserit: puto tamen sententiam esse verissimam, quam probauerunt Capreolus, Soncinas, & Aiala locis citatis, & satis significauit Molina 1. p. q. 28. ar. 2. disp. 3. concl. 2. §. *probatur conclusio.*

D. Thomas

Capreolus. Soncinas. Aiala. Molina.

71. Diuina essẽtia quo pacto sit diuisibilis.

Pro cuius explicatione aduertẽdum est rem, quę est diuina essentia, & attributa, licèt extra intellectum in se non sit diuisibilis diuisione reali; imò nec distinguibilis ex natura rei: esse tamen diuisibilem secundum esse, quod habet in intellectu, diuisione abstractiua, atq; pręcisiua ipsius intellectus: hęc enim diuisio non repugnat rei, quantunuis simplissimæ, maximè si virtualiter est multiplicis perfectionis: nam cum quęlibet perfectio ex natura sua sit intelligibilis si virtualiter ab alijs sit distincta; vtiq; per intellectũ potest abalijs abstrahi, & sine

sine illis intelligi. Imò ipsa vna, & eadē res, cùm sit virtualiter plures perfectione, potest concipi secundum vnam perfectionem cōceptu præscindēte ab eàdem re secundùm aliam perfectionē. Quare cum essentia diuina ex sua natura habeat virtualem illam perfectionū multiplicitatem, poterit ab intellectu concipi pluribus conceptibus re, & ratione abinuicem præcisis. Re quidem: quia sunt qualitates realiter distinctæ: ratione verò; quia quilibet eorum rem illam concipit sub distincta ratione formali, hoc est, sub distincta perfectione præscindendo à qualibet alia, sub qua per alios conceptus apprehenditur. Cū verò quilibèt conceptus formalis ratione præcisus ab alio formali conceptu habeat proprium conceptum obiectiuum præcisum ab alijs obiectiuis aliorum conceptuum; hinc est, vt res illa, quę est diuina essentia, & attributa, pvt est in intellectu, sit diuisa diuisione abstractionis, & præcisionis in plures res obiectiuas, quas cōcept⁹ obiectiuos appellamus: etenim res illa, provt obijcit intellectui sub formali ratione essentię; est vna res obiectiua: alia verò, provt obijcitur aut sub formali ratione sapiētiæ, aut iustitiæ.

72. Ita fit, vt illa ipsa res, quæ extra intellectum est vna, & in se indiuisa, tàm realiter, quàm formaliter; secundùm esse, quod habet in intellectu, sit plures res obiectiue diuisæ inter se diuisione abstractionis sub distinctis perfectionib⁹, quæ extra intellectum sunt in ipsa diuina essentia, actu quidem indiuisæ; virtualiter tamen diuisibiles: ob quam rationem talis abstractio non est mendax siquidem ipsamet res ex se est virtualiter diuisibilis per intellectum iuxta diuisibilitatem virtualem perfectionum. Concludimus igitur cum D. Thoma rē, quę extra intellectum est vna, secundū esse, quod habet in intellectu, esse plures res, non pluralitate reali, sed pluralitate obiectiua; quatenus diuidi potest in plures conceptus obiectiuos, pluraque obiecta intelligibilia. Nec hoc debet esse mirū ei, qui aduerterit conceptum obiectiuū esse ipsā rē, quę est extra intellectū; nō simpliciter; sed secundū eā rationem, sub qua intellectui obijcitur, vt benè aduertit Molina, vbi suprà.

Ex quibus patet admittendam esse sequelam argumenti. Nec falsitas consequentis sufficienter probatur à Gregorio. Nam quando inquirit, an illa res sit plures res; an verò plura entia rationis? Respondendum erit rem illam extra intellectum actu non esse plures res benè tamen provt est in intellectu: non eo enim cùm sit plures conceptus obiectiui, erit etiam plures res obiectiuę: conceptus enim obiectiuus est ipsa res ad extra, provt est intellectui obiecta. Et ex consequenti res illa erit plura entia rationis, provt ens rationis dicitur, quód aliquo rationis ente afficitur: in hoc enim sensu plura entia realia dici possunt entia rationis: quia plura possūt habere in intellectu existentiam obiectiuam, quæ est quoddam ens rationis. Itaque res illa extra intellectum vna, est plures in intellectu, vt ait D. Thom. Ex qua pluralitate non benè infertur distintio realis eiusdem rei, vt est extra intellectū. Et in eodem esse potest dici plura entia rationis, provt ens rationis est id, quod afficitur aliquo esse rationis: secus si ens rationis propriè sumatur: quia vt sic res obiectiua non est ens rationis; sed habens in se esse rationis. Cessat igitur Gregorij argutia. 73. Responsio ad argumētum in forma.

Quarta probatio cōtinet aliam puerilem argutiam Gregorij: cui respondent Capreolus, & Aiala, vterque ad tertiam impugnationem Gregorij contra secundam. In forma explicandum est antecedens: potest enim accipi, vel in sensu diuiso, vel in composito, vt benè annotauit Aiala. In sensu diuiso accipitur, cum res nudè sumitur secundum se abstrahendo ab accidentibus, quę illam faciunt diuersam. In sensu verò cōposito; quando illa consideratur sub vno accidente, & comparatur secum, vt est sub alio. Priori modo antecedēs est verum: cum enim res nudè sumpta sit omnimodè à se ipsa indistincta, fieri nō potest, vt aut secundùm rem, aut secundùm rationem sit non ipsa, vt diximus ad primam probationem. At in posteriori sensu antecedens est negādum, vt ex dictis manifestè patet: contrarium enim docuerunt Aristoteles, Porphyri⁹, Comment. D. Thomas, & cōmunis philosophia: Petrus enim in foro differt à se ipso, vt est in domo ex Aristotele, & Cōmen- 74. Ad quartā.

Cõmentatore: Petrus albus differt à se ipso nigro, vt ex Porphyrio diximus ad 1. Eodem igitur modo eadẽ res, vt objicitur intellectui subvna ratione, distinguitur à se ipsa secũdùm rationem, pro vt objicitur sub alia. Quarè eadem res, vt est sub vna ratione, erit non ipsa, pro vt est sub alia. Disputatio autem nostra sumit antecedens non in sensu diuiso, sed in composito, vt satis patet ex Aristotele, & alijs.

75. Ad quintã. Quinta probatio, quæ etiam est Gregorij, soluitur à Capreolo, & ab Aiala locis citatis ad quartam impugnationẽ Gregorij, & à Soncinate vbi suprà concluſ. 5. ad 2. eiusdem. De cõsensu omniũ maior intelligenda est vtroque modo: etenim, quæ ratione distinguuntur; distinguuntur ratione, & vt principio effectiuo, & vt principio formaliter distinctiuo: vtrunq; enim sensum denotare potest ablatiuus ille *ratione*. Quam doctrinam puto esse optimam, si accõmodatè explicetur. Nam quòd illa distinguantur ratione, vt principio effectiuo, patet ex dictis suprà §. 4. Nam, quæ ratione distinguũtur, distinguũtur distinctione rationis causata ab intellectu: intellectus enim sua operatione format plures conceptus formales eiusdẽ rei, quibus immediatè respondent plures obiectiui; mediatè autẽ ipsa res ad extra. Impugnatio autẽ huius sensus falsũ sumit: quoniam fieri potest, vt intellect' consideratione sua non solùm diuidat partes totius, sed etiã rem simplicem, & incompositã: quia nulla datur à parte rei, quæ non habeat aliquam virtualẽ multiplicitatem, secundùm quã per intellectũ diuidatur diuisione præcisiua. Quarè licet intellectus in quolibet cõceptu totam diuinã essentiã concipiat; non tamen eã toraliter, & adæquatè cõcipit, sed inadęquatè, & veluti partialiter. Nõ est igitur negandum eã, vt est in intellectu à se ipsa distingui ratione, vt principio effectiuo illius distinctionis.

76. Sed nec erit negandum eam distingui ratione, vt principio formaliter distinctiuo, nõ extrinseco, sed intrinseco: etenim diuina essentia, vt est in intellectu, per hunc conceptũ concipitur sub vna formali perfectione, & per aliũ sub alia. Vndè ipsa diuina essentia, vt est conceptus obiectiuus sui sub ratione sapientiæ, distinguitur à se ipsa, vt est conceptus obiectiuus sui sub ratione essentiæ. In qua distinctione ipsa ratio formalis sapientiæ est principium formale, quo distinguitur à se ipsa, vt est essentia. Essentia autem, & quidditas dicitur ratio rei. Prętęr hoc principium formaliter, & intrinsecè distinctiuum datur adhùc aliud principium formale, nimirũ esse obiectiuum, quod essentia habet in intellectu, proùt est conceptus obiectiuus. Nam, vt est conceptus obiectiuus sapientię, habet distinctam existentiam obiectiuam ab ea, qua existit conceptus obiectiuus essentiæ: & cum illa existentia sit ei intrinseca; vtique est principium formale intrinsecum illius distinctionis. Quarè essentia diuina, proút est in intellectu, est alia, & alia per aliã, & aliam existentiam obiectiuam, tanquàm per principium formale intrinsecè distinctiuum eius. Contra quem sensum nihil valet instantia allata à Gregorio: quia licet intellectus non sit intrinsecus rei intellectæ; tamen esse cognitum, quod res consequitur in intellectu, est illi intrinsecũ. Et hoc modo facilè dissoluitur ista quinta impugnatio.

77. Vltima probatio maioris apud Capreolum, & Aialam inutilem habet cõsequentiam propter disparem rationẽ, quæ datur inter ens rationis, & reale: quod etiã probat Soncinas in dicta cõcluſ. 5. ad 4. Gregorij. Nec sine fundamẽto; si sermo sit de ente rationis propriè sũpto, vt condiuiditur cõtra ens reale. Nam si aduersarij illud appellãt ens rationis, quod habet aliquod esse rationis; antecedens est falsum: quoniam ens reale habens esse rationis in intellectu, potest secũdùm rem à se ipso distingui secundum esse extra intellectũ. Pro quo aduerte ens rationis, vt distinguitur ab ente reali, esse illud, quod solùm habet esse, vt est obiectiuè in intellectu, quæ est cõmunis explicatio sumpta ex Cõmentatore in 6. Met. com. 3. à veteribus recepta, & à nouiorib', de qua latè Suarius in Met. disp. 54. sect. 2. n. 6. Curs. Conimbr. in præfat. Porphyrij q. 6. ar. 1. & ante eos Fonseca in 5. Metaph. c. 7. q. 6. sect. 5. Hoc ens rationis eius est naturæ, vt nullo modo possit affici per aliquam realem entitatem; vndè non potest habere aliquod esse reale, secundũ

Ad vltimã. Quid sit ratio nis ens.

Commentator.

Fonseca.

quod vel à ſe, vel ab alio valeat realiter diſtingui, vt patet. Cuius oppoſitum reperitur in ente reali: hoc enim poteſt habere eſſe rationis; poteſt enim eſſe cognitũ, eſſe prædicatum, aut ſubiectũ, deniq; poteſt eſſe genus, aut ſpecies. Cũ verò poſsit habere non ſolùm eſſe reale in ſe ipſo; ſed etiam eſſe rationis apud intellectum: vtique poteſt, & à ſe ipſo, & ab alio re, & ratione diſtingui. Et ideò conſequentia meritò negatur.

78. Nec valent, quæ in illius confirmationem adducuntur. Nam prima obiectio facilè ſoluitur: quoniam cum ipſeitate, quavnumquodque ens eſt ipſum, poteſt dari diuerſitas, ſi ipſummet diſtinctis eſſendi modis aut realiter, aut ſecundũ rationem varietur, vt diximus de Petro albo reſpectu ſui non albi, & de vna, & eadem re, quæ apud intellectum pluribꝰ conceptionibus variatur. Nam & ipſũmet ens rationis poteſt ſecũdùm rationem variari, & à ſe ipſo diſtingui; nõ ob aliam cauſſam, niſi quia ipſum in ſe poteſt fundare diſtinctas rationis intẽtiones: nam vna, & eadem intentio generis poteſt in ſe ipſa cognoſci obiectiuè; poteſt fundare intẽtionem prædicati, aut ſubiecti; deniq; poteſt fundare intẽtionem aut generis, aut ſpeciei, vt ex logicis ſupponimus. At verò quia nõ poteſt in ſe recipere aliquod eſſe reale, vt diximus; ideò non poteſt à ſe ipſa diſtingui ſecundùm eſſe reale. Secunda etiam

79. conſequentiæ probatio falſò ſupponit *eſſe idem, vel diuerſum ſecundùm rationem* cõuenire ſoli enti rationis: oppoſitũ enim ex dictis patet: nam cum ens reale poſsit habere in ſe ipſo eſſe rationis apud intellectum; vtiq; poteſt ſecũdùm illud, vel eſſe idem ſibi, vel diuerſum tùm à ſe, tùm ab alio, quod Capreolus, Aiala, & Soncinas benè annotarũt, & nos aduertimus cum Fonſeca ſuprà ar. 4. §. 2. Tertia deniq; probatio continet maiorem falſam: nec enim *diſtingui realiter* ſic ſe habet ad ens rationis, ſicùt ſe habet *diſtingui ſecũdùm rationem* ad ens reale: nam (vt diximus) *diſtingui realiter* ita ſe habet ad ens rationis, vt nunquàm poſsit illi cõuenire; quia fieri non poteſt, vt ens rationis habeat aut eſſe reale, aut realem diſtinctionẽ: cum tñ *diſtingui ſecundũ rationẽ* nõ repugnet enti reali, vt aduertimꝰ.

Capreolus. Aiala. Soncinas. Fonſeca.

Ex dictis manifeſtè patet generalem demonſtrationem Nominaliũ deficere in principali fundamento, dùm aſſerit nihil poſſe diſtingui ab eo, cum quo realiter eſt ipſum: hoc enim apertè eſt falſum, vt iam oſtendimus. Sed accedamus ad ſolutionem ſpecialium argumẽtorum eorundem Nominalium.

§. 9.

Soluuntur argumenta ſpecialiora Nominalium.

SVpereſt diſſoluere ſpecialiores rationes: quibus Nominales contra noſtram reſolutionẽ inſurgunt ſuprà §. 4. Prima ratio inutilem habet cõſequentiam. Propoſitio autem, quæ ad illam confirmandam ſumitur, apertè petit principium; quia ſumit id, quod negatur. Probatio autem illius continet ineptam argutiã: concedimus enim has entis paſsiones *idem, aut diuerſum* immediatè conuenire omni enti, quod actu exiſtit exiſtẽtia reali, vel obiectiua: etenim omne ens habens exiſtentiam realem, aut rationis eſt idem vel diuerſum, ſi cum alio comparetur. Cõcedimus itẽ alteram iſtarum paſsionum conuenire cuicunq; enti ſecluſa omni operatione intellectus, qua actu cõcipiatur: nam cũ altera illarum naturaliter conſequatur ad ens; vt altera illarum conueniat, non eſt neceſſe, vt illa concipiatur: etenim, quę aut re, aut ratione ſunt diſtincta; in ſe ipſis ſunt diſtincta, quanuis non concipiantur eſſe diſtincta. In hoc igitur ſẽſu explicandus eſt primus diſcurſus. Ex quo non benè infertur ſecunda conſequentia: quia licet, vt aliqua diſtinguãtur ratione, minimè ſit neceſſe intellectum illorum diſtinctionem concipere; eſt tamen neceſſariũ, vt intellectus actu concipiat ea, quæ diſtinguuntur. Itaque vt eſſentia diuina ſecundùm rationẽ diſtinguatur, opus eſt ipſam ab intellectu concipi: non tamen opus eſt concipi illius diſtinctionẽ. Diſtinctio igitur, quæ eſt ſecundùm rationẽ abſtrahit ab operatione illam concipiente; non tamẽ ab operatione cõcipiẽte res, quę diſtinguuntur. Et hoc modo optimè explicatur argutia, ſeu potiùs fallacia Ochami.

80. Solutio primę rationis Nominaliũ

Ad ſecundam rationẽ admittendum eſt antecedens, & negãda conſequẽtia: quoniã, vt ſæpè diximus, id, quod à parte rei eſt omnibus modis inuariabile,

81. Solutio ſecundę rationis.

poteſt

potest variari, & diuidi secundum esse, quod habet in intellectu: nihil enim est ita inuariabile in se, atque indiuisibile, quod virtute non sit multiplex, vt sæpissimè aduertimus.

82. Solutio tertiæ. Ad tertiam rationē admisso antecedente, negāda est consequentia, si ratio idem est, quòd ens rationis propriè sūptum: quoniam ens reale, cum ex sua natura sit intelligibile, sicùt potest habere esse per rationem; ita etiā potest per rationem distingui. Itaq; sicùt nihil potest distingui secundùm rē, nisi habeat esse reale; ita nihil potest secundùm rationē distingui, nisi habeat esse rationis. Iā verò esse rationis nō solùm cōuenire potest enti rationis, sed etiā enti reali.

83. Solutio 4. Quarta ratio fallū continet antecedens: quoniā ens reale, sicùt habet esse secundùm rationē, dùm ab intellectu cōcipitur; ita etiā secūdū tale esse, est idē sibi: nā omne ens, eo modo, quo est ens, est vnū, & idem secū; quia secundùm tale esse, est indistinctum à se. Nec probatio aliquid valet; quia, vt diximus ad vltimum præcedentis §. dispar ratio inuenitur in ente rationis in ordine ad habere esse reale, & in ente reali in ordine ad habere esse rationis: nam esse reale omninò repugnat enti rationis; cum tamē esse rationis nō repugnet enti reali. Et hęc solutio satis sit pro explicatione huius argumenti: quanuis alijs etiam modis posset explicari. Sed in his Nominalium ineptijs nō est diù immorandū.

84. Solutio 5. Ad quintam rationē dicimus maiorē non esse recipiendam ab illis, qui putāt diuinum intellectum posse etiam efficere hāc distinctionē rationis inter attributa, & essentiā: qui tamen adæquatè, & totaliter apprehēdit essentiā diuinam. Sed quicquid sit de hoc, admittimus maiorē; quia saltē in ordine ad intellectum viatoris hæc est adequata ratio, cur inter essentiam, & attributa possit facere distinctionē rationis. Admissa tñ maiore negāda est minor propositio: oppositū enim in tota hac disputatione supponim⁹: de quo iterum erit sermo in seq. q.

Solutio vlti mæ. Ad postremā rationem negabunt antecedens, qui putant attributa essentialiter non includi in essentia. Si verò oppositum probas, neganda erit consequētia: rationem adducemus inferiùs q. 7. vbi hanc difficultatē iterùm repetem⁹.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm attributa ab essentia sola ratione distinguantur?

§. 1.

Refertur opinio negans, quæ est Scoti.

1. SVpereſt expēdere, an attributa distinguātur ab essentia sola ratione? Est enim in hoc articulo inter theologos controuersia. Partem negantem negare debent in primis, qui putant attributa realiter distingui ab essētia, qui fuit error Gualteri, de quo ar. 2. huius quæstionis. Deindè eandem negant, qui inter attributa, & essentiā admittūt distinctionem formalē ex natura rei: quæ fuit opinio Scoti cōmunis inter Scotistas, vt patet ex 3. ar. huius quæstionis. Fundamenta erroris Gualteri posuim⁹ in d. ar. 2. At fundamēta Scoti latè scripsimus in d. ar. 3. ibi videnda sunt.

§. 2.

Probatur pars affirmatiua.

2. AT tamen quòd attributa ab essentia sola ratione distinguantur exceptis Scotistis cęteri ōnes theologi defendunt. Probatur omnibus nouioribus. Ita Torres de Trin. q. 28. ar. 2. disp. 1. in 2. illius parte concl. 4. fol. 47. col. 3. Cumelius 1. p. q. 4. ar. 2. q. 3. §. *Sed vt rem hanc intelligas*, pag. 131. col. 1. in fin. Fonseca 5. Metaph. c. 6. q. 6. sect. 3. §. *Potest autem*, pag. 352. Bachonius in 1. d. 2. q. 2. ar. 3. §. *Tunc volunt illos*, & clariùs ar. 5. §. *Respondeo ergò*, præceptor Franciscus à Christo in 1. d. 2. q. 3. concl 5. nec sibi cōtradicit, dùm conclus. 2. asserit attributa ab essentia præcisè non distingui sola ratione: nam ibi agit de distinctione abstrahente ab actuali, & virtuali: at in conclusione quinta loquitur de sola distinctione actuali. In eodem sensu exclusiuo nostram conclusionē expressè probat Henricus quodlib. 5. quæst. 1. litera A. in fine quæstionis, vbi in hæc verba: *Vndè cum attributorùm diuersitas nullo modo habeat esse in re ex natura rei absolutè, vt est extra intellectum; solummodò habet esse in ea, vt cadit in considerationē intellectus conferentis circa eam.* Eundem sensum exclusiuum posuit quodlibet. 13. quæstione prima

Torres. Cumelius. Fonseca. Bachonius. Fr. Franc. à Christo. Henricus.

in principio: *Dico quod in Deo præter distinctionem personarum, & relationum nulla est pluralitas, nec diuersitas, aut distinctio, nisi secundùm rationem, & considerationem intellectus.* In eodem sensu exclusiuo ponitur à D. Thom. D. Thoma in 1.d.2.q.1.ar.2.ad primum; vbi ita ait: *In Deo remanet pluralitas tantùm secundùm rationem*, & satis eum sensum expressit opusculo 9.q.1.

3. Probatur 1. Hæc sententia primùm confirmatur: quia in Concilio Florentino, tùm à Ioãne theologo: tùm à patribus latinis non semel, sed iterùm, & iterùm asseritur essentiam à personis sola ratione distingui, vt in propria quæstione videbimus. Eadem autem ratio est in essentia respectu attributorum.

4. 2. ex D. Bernardo. Deindè probatur authoritate D. Bernardi lib.5.de consideratione ad Eugenium, cuius verba retulimus in præcedẽte articulo §. 5. Ex quibus non solùm colligitur Deũ mente, & intellectu posse multipliciter distingui; sed etiam sola mente distingui. Id mihi satis probãt illa verba: *Vnus Deus signatus est pro captu nostro, non pro statu suo.* Vbi negatio illa *non pro statu suo* exclusiuam denotat: vt sit sensus, pro solo captu nostro signari potest Deus pluribus conceptibus, & distinctionibus: nam pro statu suo multipliciter signaretur, si aliter, qũàm pro captu nostro, signari posset. Eundẽ sensum faciunt illa alia verba: *hic diuisus est, non ille*: quia solus noster intellectus diuiditur: non verò Deus in se.

5. 3. ex Commentatore. Satis id ipsum expressit Commentator in locis adductis in præcedente articulo §.5. maximè in illis verbis: *Et nullus modus erit, quod distinguatur prædicatum à subiecto, & dispositio extra intellectum.* Ex quibus verbis Capreolus in 1.d.8. q.4.ar.1. *Capreolus.* concl.1. colligit apud Commentatorem vitam, & sapiẽtiam non differre in Deo, diuinaque essentia, nisi in intellectu; ita vt nullo modo differant extra intellectum differentia scilicèt actuali, de qua agit Commentator.

6. Vltimò ratione. Ratione etiam cõfirmari potest hæc sententia ex ijs, quæ diximus in hac quæstione. Nam ex 1.ar. constat attributa, tùm ab essentia, tùm inter se aliquo modo actualiter distingui, vt ibi ostendimus contra Aoreolum, & Nominales. At non distinguuntur realiter, vt ar. 2. demonstrauimus contra Gualterũ. Nec etiam distinguuntur ex natura rei, formaliter actualiter sublato omni actu intellectº, vt satis ostendimus ab ar. 3. vsq; ad 5. Ergò à sufficienti partiũ enumeratione solùm distingui possunt per intellectum, & ob id sola ratione.

§. 3.

Soluuntur argumenta Scoti adducta ar. 3.

7. Argumenta, quibus Scotus probat attributa ab essẽtia actu distingui ex natura rei, & formaliter sublato omni actu intellectus adduximus suprà ar. 3: & quia illa etiã impugnant huius articuli resolutionem; ideò illorum resolutionem ad hunc locũ retulimus; quia illorum solutio maximè pendebat ex doctrina de virtuali distinctione, quã ar.6. statuimus. Hac igitur distinctione suppositа facilè soluuntur, quæ ibi pro Scoto adduximus.

8. Solutio primi argumẽti Scoti. Ad primũ quatenùs contendit attributa inter se nec realiter, nec sola ratione distingui, sed distinctione formali actuali; negandum est antecedens: de quo in sequenti quæst. latiùs dicemus.

9. Solutio secundi. Secundum argumentũ petit difficultatẽ inferiùs q 7. latissimè discutiendã, an attributa essentialiter includãtur in essentia? Qui negãt, facilè ab argumẽto liberantur. Qui concedunt, maiorẽ habent difficultatem. Nostra resolutio ibi hęc erit, vt attributa cũ essentia, si considerentur secundũ se, & in illa vna formali vnitate, quam actualiter habent in Deo, sint vnum formaliter. At verò, pro vt considerantur secundùm illã virtualem distinctionẽ, quę datur in diuina essẽtia sublato omni actu intellectus, quæ ipsa reducitur ad actum secundùm esse, quod habẽt in intellectu: vt sic, inquam, cõsiderata, nec includũtur essentialiter in essentia, nec essẽtia in attributis. Putoq; hanc sententiã non posse non probari ab ijs, qui nobiscũ putant attributa ratione distingui ab essentia. Sed de hoc latior futurus est sermo in d.q.7.

10. Solutio tertij. *Molina.* Ad 3. concessa maiori, & minori, neganda est consequentia: quam benè negat Molina 1.p. q.28.ar.2. disp.2.in fine ad 8: etenim intra limites distinctionis rationis datur maior, & minor distinctio, vt idem Molina aduertit cum Bellomontano 1.p. disp.121. cap.5. numer. 18. §. *Fateor igitur.* Itaque cùm tam inter

Deum,

Deum,& deitatẽ,quàm inter attributa, & essentiam sola detur distinctio rationis; vtiq; ex maiori distinctione actuali vnius ad alterum non benè infertur distinctio maior, quàm rationis: benè tamen distinctio maior intra limites rationis. Quod est verisimum:quia Deus distinguitur à Deitate ex solo modo significandi concretè,& abstractè;cum tamẽ attributa inter se distinguãtur suis formalibus rationibus: actu quidèm,vt sunt in intellectu:virtute tamen,vt sunt in re. Aliam solutionem vide in sequenti quæstione ar.5.§.3. ad 8.

11. Solut. quarti.

Ad 4. distinguenda est maior: si enim intelligatur, vt inter attributa,& essentiam actu, & formaliter detur aliquis ordo secluso omni actu intellectus; neganda est: nam,cùm ordo supponat distinctionem ordinatorum;si inter attributa, & essentiam nulla actualis distinctio datur secluso intellectu: vtiq; inter ea nullus etiam dabitur actualis ordo,si intellectum secludas. At veró si maior intelligatur, vt inter attributa,& essentiam secluso omni intellectu detur aliquis ordo, non actu,sed virtute; admittenda est: nam, cum inter se à parte rei virtute distinguantur; vtique inter ea à parte rei virtute etiam dabitur ordo. Quod satis est de mente Fonsecæ in 5. Metaph. c.1. q.3. sect.3. §. *Alterum desumitur.* pag.29. in principio, & ante eum satis indicauit Caietanus de ente, & essentia c.6.q.12. ad 6. Scoti. Nam ex eo, quod attributa virtute veluti circunstant essentiam, eamque veluti qualificant(efficiunt enim id,quod efficerent, si à parte rei essent qualitates, & proprietates ipsius essẽtiæ) colligimus nos essentiam virtute se habere ad attributa,veluti eorum subiectum,& naturam, à qua quasi pullulant,& emanãt;quo fit, vt essentia virtualiter sit prior attributis, tanquàm quid illis præsuppositum. Argumẽtum autem in eo peccat, quòd nullam aliam admittit distinctionẽ secluso intellectu,nisi aut realem, aut formalem actualẽ:cùm tamen inter vtrãq; mediet virtualis, vt diximus suprà ar. 2.§.1.& ar.7.precedente.Iste autem ordo virtualis satis est,vt inter essentiam, & perfectiones diuinas sit ordo demõstratiuus, quo ex essentia demonstram⁹ attributa, & inter ea facimus prædicationes formales,& non formales,vt benè annotauit Caietanus vbi suprà. Vide Capreolum in 1. d.8.q.4.ar.3. ad 9 Scoti contra primam fol.125.col.2. & Aialam ibi ar.4.fol.104. etiam ad 9. & Soncinatem ibi concl.4. ad 7.& 8.Scoti.

Fonseca. *Caietan.* *Caietan.* *Capreolus.* *Aiala.* *Soncinas.*

12. Solut.quinti.

Ad 5.argumentum cum cõmuni sentẽtia concesso antecedẽte neganda est sequela. Nam ex eo,quòd aliqua dicantur de essentia, & negentur de attributis, non benè infertur dari inter illa distinctionem formalem actualem secluso intellectus operatione: quia absque hac distinctione potest dari ratio, cur hoc prædicatum verè dicatur de essentia,non verò de attributis:ad hoc enim satis est distinctio virtualis,quæ sine intellectu inter illa reperitur. Ita respondet Molina 1.p. q.28. ar. 2. disp. 2. ad 6. Scoti,& Suarius lib.1. de essentia Dei c. 13.n.6.& clariùs lib.4. de Trinitate c.4. n. 18. & Valentia 1. tomo disp. 1. q. 13. punct.4. pag.280. ad 3. argumentum, & est satis communis inter nouiores theologos. Non desunt,qui ideò consequentiam negent; quia, vt duo contradictoria desinãt esse cõtradictoria, posintq; de vna, & eàdem re prædicari, satis est distinctio rationis. Ita Torres de Trin. q.28. ar.2. disp.1.part.3. ad 3. & disp.3. in tertia illius parte, Cumelius 1.p. q.4. ar.2. q.3. ad 2. pag. 131. col. 2. Suarius cum Molina vbi suprà, Bellomontanus 1.p. disp.116. c.6. n.27. & disp.120. c.6. n.25. Quæ doctrina sumpta est ex Diuo Thoma in 1.d.5. q.1. ar.1. ad 1. & d. 33. q.1.ar.4.ad 1.& de potentia q.8.ar.2.ad 7.probat Capreol. in 1. d.2.q.3. §.*Quantum ad* 3. vbi fol.51.col.1. §.*Constat autem.* multis adductis locis D. Thomæ, tandẽ concludit distinctionem rationis satis esse, vt contradictoria de eàdem re verificentur,probat Aiala in 1.d.2.q 1.ar. 3. notab. 2. & ar.4. §.*Ad primum.* fol.36. col.2. Sed de vtràque solutione iterùm redibit sermo in q. de distinctione essẽtiæ à personis.

Molina. *Valentia.* Aliorum solutio. *Torres.* *Cumelius.* *Molina.* *D.Thom.* *Capreolus.* *Aiala.*

13. Solutio sexti ex Caietano.

Ad 6. respondet Caietanus de ente, & essentia c.6. q.12.ar.5. ad 2. Scoti negando minorem, si sermo sit de distinctione actuali naturæ, & intellectus: hæc enim non præcedit intellectionem, quę est primum distinctiuum secundùm distinctionem actualẽ rationis. Ad probationem negat id, quod sumitur:nã,vt

aliqua distinguantur intellectione, vt intellectio est, & non natura, satis est distinctio rationis fundamentalis, quæ est inter naturã, & intellectum. Quarè quãtunuis distinctio actualis inter naturã, & intellectũ non præcedat intellectionem: illam tamen præcedit distinctio rationis fundamentalis. Et ad hunc sensum explicanda est propositio, dùm ait: Quicquid distinguitur intellectione, vt est indistincta à natura, distinguitur etiam natura: est enim vera de intellectione actu, & fundamentaliter indistincta à natura: falsa tamen, si sit indistincta actu, virtute tamen, & fundamentaliter distincta. Hæc habes ex Caietano.

14. Solutio vlti mi. Ad postremum dicendum est tàm Augustinum, quàm Damascenum agere de essentia, & attributis, proùt à nobis cõcipiuntur; & subindè proùt distinguuntur ratione. Satis id colliges ex verbis vtriusque. *Si dicam*, inquit Augustinus: *si dixeris* ait Damascenus. Dicere autem est opus intellectus. Admittimus autẽ ex nominibus ab Augustino enumeratis nomen *spiritus* dicere essentiam: quia nostro intelligendi modo dicit prædicatum ex sua natura constitutiuum essentiæ: cum tamen perfectiones attributales cæteris nominibus significatas nostro intelligendi modo denotent perfectiones veluti qualificantes essentiã, illique adiacẽtes, vt dicit Damascenus. Et hæc de hoc ar. 8.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm attributa distinguantur ab essentia ratione ratiocinante; an verò ratiocinata?

1. IN hac quæstione vnum inquiritur, & alterum supponitur. Supponitur dari duplicem distinctionem rationis: ratiocinantis scilicèt, & ratiocinatæ. Et hac suppositа inquiritur; an attributa vna, an altera distinctione distinguãtur? De vtroque est controuersia hoc loco explicanda.

§. 1.

Dandam esse distinctionem rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ.

2. Pars negãs. QVod attinet ad id, quod supponitur, vnus est Bellomontanus, qui in hac quæstione controuersiam excitauit: fatetur enim sibi semper hanc diuisionem displicuisse, ita 1.p.disp.117 c.3.n.8. & 9. & disp.121. c.5. n.17. & 25. Fundamentũ dubitandi indè cepit; quia non admittit distinctionẽ rationis, quæ nullo modo habeat fundamẽtum in re, sed in solo nostro modo concipiẽdi, sed omnem fundari nõ in solo modo nostro concipiendi, sed etiam in re. Cum verò cõmunis sententia ob hãc rationem illam distinctionem vocet rationis ratiocinantis; hanc verò ratiocinatę; quia illa non habet fundamentum in re; benè tamen ista: cùm fundamentum sit falsũ; vtiq; talis distinctio, vt falso nixa fundamento, est reijcienda. Falsitatẽ illius fundamẽti ex eo probat; quia nulla dari potest distinctio rationis, quæ non habeat fundamẽtum tùm in modo concipiendi; tùm etiam in ipsa re extra intellectum. Etenim nunquàm intellectus distinguit plura in eàdem re, quæ in se est simplicissima, nisi quando rem non cognoscit perfectè, sicuti est. Et tùnc nunquã potest distinguere, nisi attendat ad aliqua realiter distincta; ratione quorũ distinguat id, quod in se indiuisum est: quatenùs illud cõcipit ad instar illorũ, quæ realiter distinguuntur. Ergò nulla distinctio rationis datur pro solo libito, sed omnis habet fundamẽtum in re. Non quidẽ in ipsa re, quæ distinguitur, quasi in ipsa præcedat aliqua multitudo, aut distinctio (ita enim fieret, vt illa distinctio esset in ipsa re ex natura rei) sed in aliqua re, distinctionevè reali, ex qua mouetur ad distinguendum rẽ, quæ in se est omninò simplex. In hoc igitur sensu distinctio rationis dicitur habere fundamentum in re; quia semper fit per ordinem ad res inter se distinctas.

Fundamentum.

Quòd si illi obijcias petrum, quandò de se ipso prædicatur, ratione distingui à se ipso; abiq; vllo fundamẽto in re, sed in solo modo concipiẽdi: occurrit duobus modis. Vno modo negando petrũ à se ipso ratione distingui: etenim in illa prædicatione solũ repetitur idẽ nomẽ, vel etiã idem cõceptus: quod nõ est distinguere petrũ, sed illius nomẽ, aut cõceptũ iterũ repetere. Altero modo, vt illa distinctio eiusdẽ à se ipso etiam fiat per ordinem ad ea, quæ realiter sunt diuersa. Nã cum idẽ petrus ponatur tùm in subiecto, tùm in prædicato repetito eodem

3. Obiectio quæ est fũdamentum alterius partis. Prima replica.

Secunda.

eodem nomine; ipsum Petrum ratione distinguimus per anologiam de alias propositiones, in quibus prædicatum, & subiectum sunt diuersa. Hanc posteriorem solutionem ponit in d.disp.117. c.3.n.7.priorem verò ibi, & inferiùs n. 9.& rursus disp.121.c.5.n.18.

4. Pars affirmans præferrur.

Opposita tamen sententia iam versa est in axioma logicum, quod ipsum ipsa sua celebritate non potest nõ probari: etenim distinctionem rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ omnes recentiores(vno exceptoBellomontano)summo consensu agnoscunt. Ita Fonseca in 5. Metaph.c.6.q.6.sect.3.in principio, Suarius in Metaph.disp.7. sect. 1. n. 4. Cursus Conimbricensis ad prefationẽ Porphyrij q.4.ar.2.§.*id, quo manifestius*, Rubeo in eãdẽ prefatione in tractatu de natura ẽtis rationis 2.p.n.25.pag.314.&115 & in c. de differẽtia q.6.n. 168.pag.547. Cumelius 1.p.q.28.ar.2.q.2. post primã conclusionem §. *Quam conclusionem vt intelligas* pag.813.col.2. vbi etiam Banhes dubio 3. notabili 3.pag. 1108. Molina ibi disp.1.concl.1. ex Scotistis Herrera 1.tom.disp.14. q.1. notabili 4. pag.465. col. 1. & Rada 1. tomo controuersia 4. notabili 1. pro explicatione opinionis D. Thomæ pag. 52. col.1. vt alios innumeros omittamus.

Fonseca. *Rabeus.* *Cumelius.* *Banhes.* *Molina.* *Herrera.* *Rada.*

5. Confirmatur ex D. Thoma.

Confirmatur etiam; quia hanc distinction ẽ satis significauit D.Thomas in 1. d. 22. q. 1. ar. 3. in fine corporis in hæc verba: *Sed præter hoc est etiam in Deo inuenire distinctionem rationum, quæ realiter, & verè in ipso sunt; sicùt ratio sapientiæ, & bonitatis, & huiusmodi: quæ quidem omnia sunt vnum re, & differunt ratione, quæ saluatur in proprietate & veritate: ita dicimus Deum verè esse sapientem, & bonum, & non tantùm in intellectu ratiocinantis.* Ex quibus verbis euidenter colligimus apud D. Thomam dari duplicem distinctionem rationis: vnam, quæ solùm saluatur in intellectu ratiocinantis: Alteram, quæ saluatur in proprietate, & veritate rei. Saluatur autem non ob aliam causam, nisi quia in ea fũdatur. Eandem distinctionem satis declarat ibi ad 4. *Dicendum, quòd differunt nomina attributorum secundùm rationem: non tamen, quæ sit solùm in raciocinante; sed quæ saluatur in ipsa re secundùm veritatem, & proprietatem rei.* Ecce non solùm datur distinctio rationis, quę solùm sit in ratiocinante; sed etiam, quę veluti sit in re (fundamentaliter scilicèt) quam appellant rationem ratiocinatam. Accedat D. Thomas in 1.d. 33.q.1.ar.1.ad 3. *Dico igitur, quòd cum dicitur, quod est alia ratio paternitatis, & essentiæ in diuinis, non accipitur ratio, prout est in ratiocinante tantùm; sed secundũ quod est nomen intentionis.* Quæ ipsa intentio, vt statim declarat, est quidem in anima; sed habet aliquid in re respõdens, cui intellectus huiusmodi intentiones attribuit. Eandem distinctionem satis insinuauit D.Thomas in 1.d.2.q. 1.ar.3. §. *Et ex hoc patet secundum*, & clariùs de potentia q.7.ar 6 in corpore.

D. Thomas. *Idem.*

6. Fundamentum huius sententiæ ex D. Thoma firmatur.

Ex his, quæ modo adduximus ex D. Thoma, non solùm colligitur admittendam esse distinctionem rationis ratiocinantis, & ratiocinatę; sed etiam firmũ esse fundamentum communis sententiæ quanuis Bellomõtano non placeat: nam ex verbis D. Thomæ manifestè colligitur dari distinctionem, quam ratio facit absque vllo fundamento in re: aliam verò, cuius fundamentum in re inuenitur. Quod satis euidenter patet in distinctione, qua Petrus differt à se ipso, dũ de se ipso prædicatur. Etenim si semel admittatur in Petro talis distinctio rationis; negari nõ potest eam nullum habere fundamentum in re extra intellectum: nec enim ratio subiecti, nec ratio prędicati, per quas in intellectu distinguitur, reperitur in Petro, vt est à parte rei, sed solùm prout est in intellectu. Quòd verò Petrus à se ipso sub vtraque illa ratione verè distinguatur secũdum rationem contra Bellomontanum euidenter ostenditur. Nam siue sumamus ipsum nomen *Petrus*, siue conceptum obiectiuum Petri (qui teste Bellomontano est ipse Petrus) semper in tali mentis compositione diuersam consequitur intentionem secundam: alia est enim intentio subiecti, & alia prædicati, vt ex Logica supponimus. Quare Petrus in esse obiectiuo, dum in illa propositione prędicatur de se ipso, distinctam consequetur intentionem ab ea, quam consequitur, vt est subiectum. Iam verò si satis sunt duo accidentia realia, vt subiectum faciant à se ipso diuersum (Petrus enim albus realiter distinguitur à se ipso nigro, vt contra Ochamum latè iam ostendimus in prędcdẽte ar.§.7), profectò

Solutio 1. replicæ.

duo accidentia rationis satis etiam erunt, vt idem numero subiectum, in quo sunt, verè distinguant à se ipso distinctione secundùm rationem.

7. Nec obstat, quòd in illa propositione non datur aliud, quàm simplex repetitio eiusdem Petri: quoniam illa repetitio facta per intellectum satis est, vt in eodem Petro repetito causset distinctas intentiones secundas subiecti scilicèt, & prædicati: at causando distinctas secundas intentiones (quę sunt distincta accidentia rationis) non potest non causare in eodem Petro distinctionem secundum rationem. Melius igitur rem aduertit Fonseca vbi suprà, dum admittit intellectum repetẽdo vnam rem, eandem facere multa: non ob aliam rationem, nisi quia tali repetitione diuersas ei tribuit intentiones rationis. Porrò si Bellomontanus admittit Petrum in illa rationis compositione à se ipso verè distingui ratione, non potest non admittere talem distinctionem non habere fundamentum in re; siquidem extra intellectum nihil datur, vbi intellectus fũdet talem distinctionem. Nam friuolum est recurrere ad propositiones, in quibus subiecta, & prædicata realiter distinguuntur; quanuis Bellomontanus in secũda solutione ad eas recurrat. Enim verò nec propositiones illæ sunt extra intellectum; nec intellectus ad eas necessariò debet attendere, vt identicã faciat propositionem. Quare instantia allata de distinctione rationis, qua idẽ à se ipso distinguitur, dũ de se ipso prædicatur, omninò confirmat fundamentum communis opinionis, & elidit illud quo nititur Bellomontanus.

Fonseca.

Solutio 2.

8. Admittendũ est igitur cum D. Thoma & communi sententia dari duplicem distinctionem rationis: vnam ratiocinantis; alteram ratiocinatæ. Illa dicitur rationis ratiocinantis; quia solùm fundatur in eo, quòd ratio ex sua ratiocinatione causauit in re intellectui obiecta absque vllo fundamento à parte rei: vt patet in distinctione, qua Petrus in prędicatione identica distinguitur à se ipso: etenim Petrus præter esse obiectiuũ; quod consequitur, dum ab intellectu cõcipitur; ex eo, quod per intellectum cũ se ipso componitur, cõsequitur duo entia rationis, hoc est, duas secundas intẽtiones subiecti, & prædicati; quæ cum inter se sint distinctæ, non possunt non distinguere ipsum Petrum, in quo veluti subiectantur. Cum igitur illa distinctio solum fundetur in distinctione illarum intentionum, quæ non conueniunt Petro, nisi in intellectu; optimè dicitur nullum habere fundamentum in re, sed in solo eo, quod ratio ratiocinans immediatè causauit in re vt concepta. Cuius oppositum reperitur in distictione rationis ratiocinatæ: hæc enim licèt necessariò exigat in re, quæ distinguitur, esse obiectiuum; formalis tamen ratio distinctiua non est aliquid in re ipsa per operationem intellectus causatum; sed ipsamet ratio formalis rei, quam habet à parte rei.

Summa prę cedentis do ctrinæ.

Exẽplis id declaratur: etenim distinctio, qua punctus, vt est principium, distinguitur in intellectu à se ipso, quatenus est finis, fundatur in ratione principij, & finis: ideó enim intellectus sub alio conceptu formali concipit punctum vt est principiũ; & alio, vt est finis: quia alia ratio est principij, & alia finis: quæ tamen vtraque ratio reperitur in puncto; tùm vt est in intellectu; tùm vt est à parte rei: quanuis aliter, & aliter in eo reperiatur in vtroque illo statu: nam à parte rei vtraque reperitur in punctò vnita: at in intellectu vna actu præscindit ab alia. Idem reperitur in actione, & passione: in relatione, & fundamento; in figura, & magnitudine, & si quę sunt alia huius generis: hæc enim apud quosdam sunt idem realiter; distincta tamen sola ratione ratiocinata: quoniam vnũ ab alio distinguitur ratione sibi propria, & essẽtiali, quam habet à parte rei; non tamen pręcisa, & actualiter distincta, prout est in intellectu.

9. *Exempla.*

§. 2.
Resolutio quæstionis.

SVpposita igitur duplici distinctione rationis, ratiocinantis scilicèt, & ratiocinatæ; iam relinquitur locus quęstioni propositæ: an scilicèt attributa distinguantur ab essentia distinctione rationis raciocinantis; an verò raciocinatæ. 10.

Dubitationem hac in re fecerũt quidam theologi, quos refert Banhes 1. p. q. 28. *Quorũdam sententia.*

q.28.ar.2.dub.3.concl.2.pag.1109.qui simpliciter docuerunt attributa tum inter se, tum ab essentia distingui sola ratione ratiocinante. Quam sententiam formaliter scripsit Præceptor meus Frater Fr. Franciscus á Christo in 1.d.2.q.3. cõcl.5. vbi hac ratione putat se rem confecisse. Quæ sunt vnum actu realiter, & formaliter, non possunt actu distingui, nisi ratione raciocinante. At diuina essentia, & attributa sunt vnum realiter, & formaliter. Ergò actu distingui non possunt, nisi ratione raciocinante. Minor patet, maior ostenditur. Distingui, est vnum ab altero separari. At hæc separatio in re vna, & simplicissima non potest effici, nisi per actionem rationis; quatenus scilicèt vnum obiectum formale varijs respondet mentis conceptibus. Ergó attributa diuina ab essentia & inter se sola ratione ratiocinante actu distinguuntur.

F Franc. á Christo.

Fundamentum.

11. Alij apud Banhes ex eo argumentum sumebant, quòd diuina simplicitas sola distinctione rationis ratiocinantis cõseruari potest. Ergò sola illa distingui possunt attributa. Consequentia est nota: antecedens inde forte probabunt: quia distinctio rationis ratiocinatæ, cũ supponat fundamẽtum in re necessariò supponit in re distincta aliquam pluralitatem, siue distinctionem sublato quocunque actu intellectus. Iam verò diuina simplicitas non potest conseruari, si aliqua distinctio in ea sublato intellectu admittatur.

Aliorum fũdamentum.

12. Opposita tamen sententia est omninò asserenda: quam asserunt omnes, qui hac de re agunt: omnes enim, qui attributa distinguunt ab essentia sola ratione, affirmant hanc distinctionem habere fundamẽtum in re, vt colliges ex ijs, quos latissimè citauim⁹ suprà cc. 7. §. 3. Hanc esse sentẽtiã Thomistarũ testatur Cumelius 1.p.q.28.ar.2.q.2.pag.814. col.2.§. *Ex his colligit Caietanus.* In hoc consentire Thomistas, & Scotistas testatur Rada 1. tomo controuersia 4. notab. 1. pag.52.col.1.§. *distinctio autem rationis*, Id expressit Banhes 1.p.q.28.ar.2.dub.3. concl.1.pag.1109. Cursus Conimb. in 4. q. in præfationem Porphyrij ar.2.§. *id quò manifestius.* Molina 1.p.q.28.ar.2.disp. 2.concl.1. Suarius lib.4. de Trinitate c. 4.n.15. & lib.1. de essentia Dei c.13.n.5. & in Metaph. disp.7.sect.1.n.5. satis innuit Fonseca in 5.Metaph. c.6.q.6. sect. 3.§. *atquè hinc ad diuina.* Torres de Trinitate q.28.ar.2.disp.3.in 2.p.concl.3.§. *ex quibus colligitur.* Herrera 1. tomo disp. 14.q.1.cõcl.2.pag.814.col.2. & inferiùs ad septimum argumentum pro 4. opinione. Satis eam expressit D. Thomas in locis citatis §.1. dum differẽtiam inter attributa non admittit fundari in ratione ratiocinante, sed in rationel, quæ fundatur in proprietate, & veritate ipsius rei.

Vera sentẽtia.

Cumelius.

Rada.

Banhes.

Molina.

Fonseca. Torres. Herrera.

D. Thom.

Nec de hoc potest esse dubium, si vera sunt, quæ de ratione ratiocinante, & ratiocinata explicauimus suprà §.1. Nam illa distinguuntur ratione ratiocinata, quæ per intellectum ita distinguuntur, vt distinctio fundamentum habeat in ipsa re, quę distinguitur. Iam verò distinctio, qua attributa ab essentia distinguuntur, habet fundamentum nõ in ipso intellectu, sed in diuina essentia, quæ suas perfectiones ita vnitè continet: vt virtualem distinctionem in illis admittat, vt iam ostendimus ar.6. 13. *Fundamẽtũ*

Nec, vt puto, doctissimus præceptor noster sententiam negauit, cum admittat inter attributa, & essentiam distinctionem formalem virtualẽ, in qua fundatur actualis, quæ est secundum rationem, vt patet ex quarta conclusione, quam ibi probat. Quare distinctionem rationis ratiocinãtis eam appellat, quæ fit per operationẽ intellectus: in quo sẽsu omnis distinctio rationis est ratiocinantis; quia omnis fit per actionem intellectus. Quare si distinctionem rationis duplicem agnouisset, quam communis sententia agnoscit; vtique non dixisset attributa distingui sola ratione ratiocinante. Et hanc fuisse illius mentem satis indicat argumentum, quo vtitur. Nam maiorem (quam illi negare debemus) ex eo solùm probat; quia distinctio in re simplicissima fieri non potest, nisi per operationem intellectus: quasi supponat idem esse distinctionem fieri per operationem intellectus, atq; esse rationis ratiocinantis. Quod tamẽ iuxta nostram sententiam omninò est negandum. 14.

Solutio primi fũdamẽti.

Ad fundamentum aliorum theologorum negandum est antecedens: quia distinctio rationis ratiocinatæ in nullo derogat 15. *Solutio 2.*

derogat diuinæ simplicitati; quin potiꝰ indicat infinitam illius excellentiam, quę omnem perfectionẽ ita indiuisè in se formaliter habet, vt virtute sit multiplex, posſitq; pluribus inadæquatis cõceptibus à nobis concipi.

Annotatio ad finem quæstionis.

TRia adhùc dubia supersunt explicanda. Primùm, an attributa possint à nobis distingui ab essentia absque vllo ordine, & respectu ad creaturas ex sola consideratione Dei ad intus? Secundum; an ista distinctio possit fieri ab intellectu beato? Tertium deniq́ue, an fieri queat ab intellectu diuino? Verúm, quia ista quinta quęstio plus iusto excreuit, consultò illorum resolutionem in sequentem quæstionem sextã reseruauimus; nam in ea accomodatiorem locum fortasis habebunt.

QVÆSTIO VI.

De distinctione attributorum inter se.

1. DEINDE explicãdum est, quomodo attributa inter se distinguantur. De qua difficultate ferè omnia sunt inquirẽda, quæ de distinctione eorum de diuina essentia in præcedente quæstione inquisiuimus: est enim hęc disputatio cum præcedente coniuncta: nos tamen claritatis gratia vnam ab altera separauimus; quia non nihil habent discriminis.

Quæ inquirenda sunt.

Primò igitur inquirimus, an attributa inter se aliquo modo distinguantur? Secundó; an inter se distinguantur realiter, vt res à re? Tertiò; an sublato intellectu distinguantur ex natura rei distinctione formali actuali? Quartò vtrũ actu distinguantur ratione? Quintò; an actu distinguantur sola ratione? Sextò; an sublato intellectu inter se distinguãtur formaliter virtualiter? Septimò; in quonam sensu perfectiones attributales dicantur virtute distingui? Octauò; an attributa à nobis valeant distingui sine ordine ad creaturas? Nonó vtrùm attributa ab intellectu beati ratione distinguantur? Postremò; an valeant etiã distingui à diuino intellectu.

ARTICVLVS I.

An attributa inter se aliquo modo distinguantur?

PArtem negantem probauit Aoreolus in 1. d. 8. q. 3. ar. 2. relatus à Capreolo ibi q. 4. ar. 2. contra. 2. Probarunt Nominales, Ochamus in 1. d. 2. q. 1. ar. 2. vbi Gabriel q. 2. ar. 2. concl. 1. & 2. Gregorius in 1. d. 8. q. 1. & 2. & ibi Maior q. 1. concl. 1. & 2 Aliacus, & alij, quos consultò omittimus. Hi omnes cũ Aoreolo existimant attributa non solũ esse omninò indistincta ab essentia, sed etiã inter se: itavt nulla distinctione, aut rei, aut rationis inter se distinguantur. Qui omnes sumunt attributa non pro nominibus vocalibus, aut mentalibus, sed pro re significata per illa nomina: id est, pro perfectionibus, quæ in Deo veré, & formaliter reperiuntur: has enim putant esse omninò indistinctas inter se adeò, vt in se ipsis nec admittant distinctionem rationis factam per intellectum.

1. Pars negãs. *Aureolus. Capreolus. Ochamo. Gabriel. Gregorius. Maior. Aliacus.*

Hanc suam sententiam primò probant auctoritate Augustini 6. de Trinit. cap. 4. & 5. & lib. 7. c. 1. & lib. 15. c. 5. 6. & 17. & Origenis in c. 10. Hieremiæ, & Magistri in 4. d. 46. litera C. deniq́ue ex cõmuni sententia patrum, quatenus docẽt in Deo non esse aliud sapientiam, aliud bonitatem, aut iustitiam.

2. Probatur auctoritate.

Deinde ratione à sufficienti partium enumeratione: qnoniam nec distingui possunt distinctione, quæ datur ante intellectum, vt contra Scotum latè deducunt: nec distinctione per intellectum, vt multis ostendunt cõtra communem sententiam, de qua inferiùs ar. 4. Hæc omnia latiùs videnda sunt in præcedẽte quæstione ar. 1.

3. Deinde ratione.

Pars tamẽ affirmatiua à cæteris omnibꝰ theologis admittitur: omnes enim, cuiuscũque sint scholæ, vno consensu opinionem Nominalium, tanquam omninò improbabilem reijciunt; & ex Nominalibus cum hac communi sententia consentit Marsilius in 1. q. 12. ar. 3. in 2. p. articuli. Videndi sunt Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disput. 1. in 1. p. fol. 45. col. 3.

4. Cõtraria sententia vera. *Marsilius. Torres.*

col. 3. & in 2. p. concl. 3. fol. 47. column. 3. & ibi Cumelius q. 7. concl. 3. pag. 841. column. 1. & Bellomontanus 1. p. disp. 117. cap. 1. & Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 13. n. 2.

Cumelius.

Nos contra hanc sententiam latissimè egimus ar. 1. præcedentis quęstionis: tum ex sacris literis, in quibus præter pluralitatem personarum agnoscitur pluralitas perfectionum, vt patet Matth. 11. Ioan. 17. tum ex Augustino, & Bernardo, qui ita in diuinis agnoscunt vnitatem naturæ, vt eam multiplicem appellent. Tum etiam ratione euidenti sumpta ex pluralitate nominum, quam Nominales admittunt. Vide latè in d. ar. 1. nam, quæ ibi cõuincunt distinctionem inter attributa, & essentiam; eam etiam euincunt inter attributa. Deniq; quæ in oppositum adducuntur, ibi soluta inuenies.

5. Impugnatio 1. sententiæ & fundamẽtorum solutio indicatur.

ARTICVLVS II.

An attributa inter se realiter distinguantur?

1. Pars affirmans.

AFfirmantem partem asseruit quidam Gualterus teste Augustino Nympho lib. 12. Metaph. disp. 13. c. 3. & Bellomontano 1. p. disp. 116. c. 2. n. 3. & Suario lib. 1. de essentia Dei c. 10. n. 1. Eundem errorem tribuit Molina Gilberto Porretano, vt patet 1. p. q. 3. ar. 3. & q. 28. ar. 2. disp. 2. post secundam conclusionem. Sed non satis constat, an Gilbertus hunc errorem habuerit. Vide, quæ diximus in præcedẽte quęstione ar. 2. n. 21. & 22.

Hæresis dãnatur.

HancGualteri sententiam continere errorem hæreticum non est dubitandũ: vnde hæreseos eam damnarunt Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 10. n. 1. & Bellomontanus in d. disp. 116. c. 2. n. 5. Cumelius 1. p. q. 28. ar. 2. q. 7. notab. 3. pag. 840. col. 2. Quam censuram primùm confirmamus; quia hęreseos damnauimus eũdem Gualterum, quatenus docuit essentiam ab attributis realiter distingui: quę enim ibi id tanquam hęreticum cõuincunt; conuincũt etiam & hoc, de quo agimus: eadem enim est vtrobiq; ratio. Vtrunq; damnandum esse, vt errorem in fide satis cõuincit diffinitio Concilij Lateranensis sub Innocentio 3. posita in c. firmiter, & in c. damnamus de summa Trinitate: vtrobiq; enim diffinitur in Deo trino, & vno dari vnam rem simplicissimã (diuinam scilicèt essentiam) quæ est tres personæ, & vna essẽtia. Diffinitur etiam substantiam patris (diuina scilicèt natura) esse rem omninò simplicem. Quod etiam diffiniuit Concilium Remense teste D. Bernardo sermone 80. in cantica: cuius verba refert Bellomontanus prima p. disp. 120. c. 2. n. 10. *credimus, & confitemur simplicem naturam diuinitatis esse Deum.* Simplex autem esse nõ posset, si attributa, aut ab essentia, aut inter se realiter distinguerentur: nec enim realis illorum distinctio sine vera, & propria compositione dari posset: siquidem ibi detur, necesse est vera, & propria compositio, vbi datur vnum ex pluribus realiter distinctis constitutum. Accedit etiam, quia inde sequeretur in Deo non solùm admittendam esse quaternitatem, sed etiam centenitatem: nam præter Trinitatem personarum, darentur omnes perfectiones, quæ sunt numero plures: quarum quælibet numerũ realitatum constitueret: quam damnauit Concilium Lateranense in d. c. damnamus, dum contra Ioachimum Abbatem quaternitatem rerum in diuinis, vt hęreticam damnauit.

Cumelius.

1. Fũdamentum.

2. Ex Conc. Lateranẽsi, & Remensi.

3 Ex D. Bernardo.

Conc. Lateranense.

Quo argumento contra Gilbertum vsus est D. Bernardus lib. 5. de consideratione paulò ante medium: vbi agens de diuinis perfectionibus (quas vocamus attributa (ita ait: *Multa dicuntur esse in Deo, & quidem sanè, catholicèque; sed multa vnum: alioquin si diuersa putemus, non quaternitatem habueris sed centenitatem. v. g. dicimus magnum, bonum, iustum, & innumerabilia; sed nisi omnia vnum in Deo, & cum Deo consideres habebis multiplicem Deum.* Quibus verbis expressè docet perfectiones attributales, quas sub numero plurali catholicè appellamus, esse vnum, id est, non esse plura entia in Deo, sed vnum ens. Id probat primò; quia aliàs in diuinis haberemus, non solùm quaternitatem rerum, quę inter se realiter distinguerentur; sed plusquàm quaternitatem: siquidem in Deo non solùm tres personę distinguerentur realiter; sed etiam perfectiones absolutę: cum tamen fides solam Trinitatem personarum realiter distinctam admittat, & quaternitatem, aut plusquàm quaternitatem, tanquam impiam,

2. *D. Bern.*

piam, & hæreticam damnet, vt diffinitum est in d. Concilio Lateranensi.

3. Alio etiam medio id ipsum damnat
4. Ex eodē. D. Bernardus in præcitatis verbis: quia si perfectiones diuinæ non vnum essent, sed plura; iam haberemus multiplicem Deum. Nam quanuis adhuc vnus Deus posset à nobis considerari; non tamen posset cōsiderari simplex, sed multiplici entitate compositus. Quare clarissima sunt verba citata D. Bernardi contra realem distinctionem attributorum. Quam adhùc improbat inferiùs, dū ait: *Meus Deus ipse catholicè est: tam non habet hoc, & illud; quàm non hæc, & illa: est, qui est: non, quæ est*, id est, est vnum, & non plura. Quare ex sententia D. Bernardi in Deo non potest assignari hoc, & illud substātiuè. Vnde perfectiones Dei, & attributa non sunt plura entia inter se realiter distincta; sed omnia sunt vnum ens.

4. Id ipsum elegantissimè explicauit
5 Ex D. Dionisio alijsq; patribus. Magnus Dionysius in cap. 5. de diuinis nominibus non longè à principio ita inquiens: *Non autem aliud esse bonum dicit, & aliud existens, & aliud vitam, aut sapientiam: sed vnius esse omnes bonos processus, & à nobis laudatas Dei denominationes.* Ecce apud Dionysium esse existentię, vita, sapientia, & omnes alij boni processus, & denominationes (attributa intellige) non sunt aliud, & aliud. Hoc eodem loquendi modo vtitur Augustinus lib. 15. de Trinit. *Augusti.* c. 6. *quia non est aliud sapientia eius, aliud essētia, cui hoc est esse, quod sapientem esse.* Et inferiùs c. 17. *In illa simplicissima, summaque natura non est aliud substantia, & aliud charitas: sed substantia ipsa sit charitas.* Et lib. 6. de Trinitate c. 6. *Non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omninò ipsum esse.* Simili loquendi forma vtitur Isidorus lib. 1. de *Isidorus.* summo bono sententia 5. in hæc verba: *Non vsu nostro aliud Deum putare, aliud pulchritudinem eius, atque aliud magnitùdinem ipsius debemus: pulchritudo, & magnitudo Dei ipse Deus est.* Addimus etiam Richardum *Richardus* de Sancto Victore libr. 1. de Trinitate c. 17. agens enim de perfectionibus Dei ita concludit: *Quicquid ergò in summo bono est, verè, & summè vnum est: nec enim ibi aliud, & aliud esse potest: idem ipse est totum, quod est* Accedat, & Boetius in lib. de Trinitate *Boetius.* in fine: *Hoc verè vnum, in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud, præpter id, quod est.* Ecce apud partes perfectiones attributales non sunt aliud, & aliud: cum verò relatiuum aliud denotet diuersitatē realem; vtique mens illorum Patrum est ab attributis omnem tollere realem diuersitatem tùm in ordine ad essentiam, tùm inter se.

In quam etiam sentētiam optimè ad- 5.
ducuntur verba D. Basilij epistola 80. *Basilius.* *quæcunque* (inquit) *nomina diuina protuleris, vnum est perpetuo, quod significatur.* Sunt igitur apud Basilium omnes diuinæ perfectiones vnum, & idem. Clariora sunt verba Nysseni in lib. ad Ablauium in fi- *Nyssenus.* ne: *Omnem circa essentiam diuersitatem reijcit diuina simplex, & variationis insciа natura.* Quæ verba directè nostram confirmāt veritatem. Non possumus omittere P. *Augusti.* Augustinum, qui pluribus in locis verbis formalibus eam docuit. Nam lib. 15. de Trinitate c. 5 ita habet: *Vna ergò eademquè res dicitur: siue dicatur æternus Deus, siue immortalis, siue incorruptibilis, siue immutabilis: itemque cum dicitur viuens, intelligens, quod est vtiq; sapiens, hoc idem dicitur.* Quod rursus repetit in c. 6. sequenti: *nam si vna eademquè res in Dei natura potest esse sapientia & potentia, aut vita, & sapientia; cur non vna, eademquè res esse possit in Dei natura æternitas, & sapientia, aut beatitudo, & sapientia.* Ecce igitur ex Augustino in Deo sapiētia, vita, & cætera attributa sunt vna, & eadem res. Eandem sententiam proponit lib. 6. de Trinitate c. 6. *Deus verò* (inquit) *multipliciter quidem dicitur: magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, & quidquid aliud nō indignè dicitur: sed eadem magnitudo eius est, quæ sapientia: & eadem bonitas, quæ sapientia, & magnitudo, & eadem veritas, quæ illa omnia Et non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnū esse, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omninò ipsum esse.* Vidimus apud Augustinum assertionem affirmantem diuinas perfectiones esse vnam, & eandem rem: videamus assertionem, quæ negat illas esse res diuersas. Lib. 15. de Trinitate cap. 5. ita scribit: *Bonitas etiam, atquè iustitia nuncquid inter se in natura Dei, sicùt in omnibus operibus distant; tanquam duæ diuersæ sint qualitates Dei, vna bonitas, & alia iustitia? non vtiquè: sed quæ iustitia, ipsa bonitas; & quæ bonitas, ipsa beatitudo.* Tandem in eodē lib. c. 17. *Nec distant in eis ista, sicùt in nobis, aliud est memoria, aliud intelligētia, aliud dilectio, siue charitas: sed vnū aliquid sit, qđ omnia valeat.*

Et

Et pro confirmanda hac catholica veritate hæc diximus ex Patribus.

6. ex antiquis philosophis.

6. Quibus concinunt veteres philosophi: nam Alcinous philosophus platonicus relatus à Ludouico Viues in annotationibus ad lib. 8. Augustini de Ciuitate Dei cap. 6. in hæc verba docuit: *Alcinous.* *Deus ipse supremus, æternus, ineffabilis, se ipso perfectus, nullius rei indigus, diuinitas, essentiæ ratio, veritas, harmonia, bonum existit. Nec verò hæc ita dinumero, vt inter se ipsam distinguam: imò vt vnum potiùs cuncta considero.* Quæ verba de vnitate reali, realiq; distinctione sunt intelligenda. Quam eandem veritatem verbis expressis docuit Commentator relatus à Capreolo in 1. d. 8. q. 4. ar. 1. concl. 1. fol. 117. col. 4: vbi reprehendit legem Maurorũ quòd hasce omnes dispositiones, perfectionesq; attributales intelligerent, vt additas essentiæ: vt Deus sit vnus per vnam dispositionem additam essentiæ, & dispositionibus: & tandem his verbis concludit: *Multiplicitas igitur in Deo non est, nisi in intellectu differentia; non in esse.* Quæ verba explicatione non indigent. Expressissima sunt verba Auicennæ relata ab eodem Capreolo vbi suprà folio 118. col. 1: *Cum igitur* (ait) *intellexit proprietates primi principij secundùm hunc modum; profectò non inueniuntur de eis aliqua, quæ faciant debere esse in eius essentia partes, nèc multiplicitatem aliquo modo.* Similia verba adducit Capreolus ex Alguazele: *In ipso necesse esse* (id est, in Deo) *nullo modo pluralitas est: oportet tamen omninò designare necesse esse* (id est Deum) *aliquibus designationibus, & necesse est distinguere designationes, quæ inducunt pluralitatem in ipsum ab his, quæ non inducunt pluralitatem: sic quod non tribuantur ei, nisi hæ solæ, quæ nullam faciunt multitudinem.* Per designationes autem intelligit perfectiones attributales; quas Auerroes expressit nomine dispositionum, Auicenna verò nomine proprietatum.

Commentator. *Auicenna* *Alguazel.*

7. Vltimũ ex Aristotele.

7. Sed nec veritas ista latuit Aristotelem: nam breuibus quibusdam verbis explicauit 12. Metaph. c. 7. tex. 37. vbi vt simplicitatem Dei explicaret, his verbis explicat, quid sit simplex: *simplex verò quomodò se habeat, ipsum.* Sensus est, vt simplex dicatur, quod vnum, & ipsum est in his, quibus disponitur. Vel (si manis) vt simplex sit, quod semper est ipsum, quomodocunq; se habeat: vt quia in illo ea, quibus aliquo modo se habet, nullam faciunt diuersitatem. Quem sensũ videntur explicare verba paulò post adducta tex. 39: *Quarè vita, & duratio continua, & æterna existit in Deo: hoc enim est Deus.* Sensus est. Hæc quidèm in Deo existunt; idem tamen realiter cum ipso Deo: quæ verò identificantur in tertio, si absoluta sunt, realiter non differunt. Denique Aristoteles 12. Metaphysicæ cap. 9. tex. 51. multis probat Deum esse suum intelligere, & quendam actum omninò purum: omnimoda autem puritas omnem realem distinctionem excludit ab ijs, quæ in eo sunt. Quod naturali ratione satis euidenter demonstrant metaphysici in lib. 12. Metaphysicæ. Latè Suarius in Metaphysica disputation. 30. sect. 6.

Et hæc pro expugnatione huius erroris. Quę in illius confirmationem adducuntur, nullius sunt momenti.

ARTICVLVS III.

An attributa ante omnem intellectum actu, & formaliter inter se distinguantur?

1. CVM iam constitutum sit dari aliquam distinctionem inter attributa, vt patet ex primo articulo: nec admittenda sit distinctio realis inter ea, vt contra errorem Gilberti ostẽdimus in articulo præcedente; examinandum est tertio loco; an sublato quocunque actu intellectus detur inter ea aliqua distinctio ex natura rei, quæ iam appellari solet distinctio formalis actualis.

2. Pars affirmans.

Partem affirmantem probarunt omnes Scotistæ vno dempto Herrera; sicut etiam probarunt eandem distinctionẽ dari inter attributa, & essentiam. Ita Maironius in primo dist. 8. quæst. 5. 6. & 7. Bassolius in primo dist. 22. quæst. 4. Lichetus apud Scotum in primo dist. 8. quæstione 3. vbi etiam Bargius, Ouandus ibi propositione 3. & 4. de simplicitate Dei, latè Rada 1. tomo controuersia 4. conclusione 4. Et quanuis Herrera in sensu explicato eam non probet 1. tomo disputatione 14. quæstione 1. in vltima sententia conclusione 3. pag. 466. eam tamen tanquam non improbabilem à calumnijs aduersariorum li-

Mairon. *Bassolius.* *Lichetus.* *Bargius:* *Ouandus.*

berat ibi, pagina 467. column. 1. Hanc fuisse mentem Scoti latè ostendimus in quęstione quinta præcedente. Nam, vt omittamus in hoc sensu Scotum admisisse distinctionem essentiæ à relationibus personalibus, vt patet in 1. distinct. 2. q. 7. litera FF; vt suo loco dicemus; satis id explicauit de distinctione attributorum inter se in primo distinct. 8. quęst. 4. §. *Ad quæstionem*, litera Q. vbi ita ait: *Est ergò ibi tertia distinctio præcedens intellectum omni modo: & est ista, quòd sapientia est in re ex natura rei; sapientia autem in re non est bonitas in re.* Hæc omnia etiam scribit in primo dist. 5. quæstione 2. litera H. §. *Qualiter autem stat.* Quòd verò hæc verba non sint intelligenda de distinctione virtuali (quam Herrera cum communi aliorum appellat distinctionem rationis ratiocinatæ) euidenter declarant illa verba. *Est ergò ibi distinctio præcedens intellectum omni modo.* Nihil autem est distinctionem illam omni modo præcedere intellectum, quàm præcedere omnẽ considerationem tàm ratiocinantem, quàm ratiocinatam. Sed euidentiùs id ostendunt verba Scoti in primo dist. 2. quæst. 7. litera HH: *Breuiter igitur dico, omittendo illa verba de distinctione virtuali; nõ quia malè dicta sint; sed quia non oportet eis vti. Dico, quòd in essentia diuina ante actum intellectus est entitas A; & est entitas B; & hæc non est formaliter illa.* Ecce Scotus manifestè asserit se non agere de distinctione virtuali; non quòd falsa sit; sed quòd ad rem istam declarandam non est necessaria. Dissertis igitur verbis declarauit Scotus, quę de distinctione, seu non idẽtitate formali in multis locis docuit, intellexisse de distinctione formali actuali, non de virtuali; vt quia hæc distinctio sit proprijssima, vt ibi declarat, §. *velut proprijssimè dicatur*. quod contra Herreram, & Suarium etiam ostendimus in quæstione præcedente artic. 2. §. 1. Ex quibus etiam constat apud Scotum in subiecta materia non identitatem formalem coincidere cum formali distinctione, vt contra Herreram latiùs diximus in quæstione præcedente art. 3. §. 1. Itaque constitutum sit tám apud Scotistas, quàm apud Scotum attributa inter se ex natura rei secluso omni actu intellectus non solùm habere non identitatem formalem, sed etiam formalem distinctionem. Huius opinionis varia argumenta adducemus inferiús art. 5. vbi vide.

Scotus.

Hanc Scotistarum sententiam omnes, qui post Scotum scripserunt acerrimè oppugnarunt. Quin potiùs non desunt ex nouioribus, qui eam reijciãt, vt minus tutam in fide. Contra Scotum senserunt omnes, qui contra eundem censuerunt attributa ab essentia actu non distingui ex natura rei: eos omnes retulimus in quæstione præcedente ar. 3. §. 2. vbi etiam ostendimus hanc Scoti sententiam non placuisse antiquioribus theologis D. Thomæ, Alensi, Richardo, Ægidio, Henrico, & alijs. Vide, quæ ibi diximus.

3. Pars negãs.

Nos hanc difficultatem eodem modo, quo priorem putamus esse resoluẽdam, cum vnius, & alterius eadem sit ratio. Quarè contra nouiores quosdam theologos pro Scoto statuimus sine vllo fidei periculo defendi posse attributa inter se formaliter actualiter distingui ex natura rei sublato omni actu intellectus. At contra Scotum pro communi sententia dicimus illius opinionẽ non esse admodùm probabilem, & oppositam esse verisimam.

4. Resolutio.

Priorem huius assertionis resolutionem statuimus aduersus Molinam 1. p. q. 28. ar. 2. disp. 2. concl. 2. §. *Deindè rationibus*, & aduersus Torres de Trinitate in eodem loco disp. 1. in 1. illius part. pag. 46. & in 2. p. concl. 2. Dominicũ Banhes ibi dub. 3. cõcl. 1. pag. 1109. liter. C. Cumelium 1. p. q. 4. ar. 2. q. 3. pag. 130. §. *Contrariam sententiam*, & q. 28. ar. 2. q. 7. concl. 2. fol. 841. col. 1. in medio, Bellomontanum 1. p. disp. 116. c. 5. n. 18. & Suarium in Metaph. disp. 30. sect. 6. n. 3. Qui omnes Scoti sententiam reijciunt, vel vt parùm tutam, vt Torres, Banhes, & Molina: vel vt malè sonantem, vt Cumelius: vel vt dignam reprehensione, vt Bellomontanus: vel denique vt adeò absurdam, vt non sit credibile Scotum eam in sensu explicato approbasse, vt Suarius. Nos existimamus eã nec esse in fide periculosã, nec in fide malè sonare, nec esse reprehendendam ob aliquod in fide periculum: nec deniq; adeò esse absurdã, vt cum aliqua probabilitate defendi non possit. Quarè iudico Scotistas de his theologis merito iure conqueri;

5. Prior pars contra recẽtiores. *Molina. Torres. Banhes. Cumelius.*

quòd

quòd damnent sententiam in celeberrima schola solemniter celebratam.

6. Prior pars ostenditur. Quòd nihil habeat periculi in fide, ex eo confirmamus; quia nec sacris literis, aut sacris Concilijs contradicat: nec receptæ doctrinæ Patrum: nec probatis theologiæ principijs: quin potiùs saluet omnia, quæ ex fide deduci possunt. Hæc omnia facilè patebunt ex ijs, quæ latissimè diximus ar. 4. præcedentis quæstionis. Nam si nullum continet fidei periculum attributa ex natura rei sublato intellectu distingui ab essentia; à fortiori nullum continebit periculũ, si ipsa attributa inter se eodem modo distinguãtur. At verò, quòd nec in theologo rigore debeat, vt absurda reijci, indè ostendi potest; quia si strictus disputationis rigor seruetur, fundamentum, quo Scotus nititur, non omnimoda caret probabilitate, dùm ait vnitatem formalem, vnamque formalem rationẽ in diuinis perfectionibus esse omninó impossibilem. De cuius fundamẽti probabilitate latè egimus in quæst. præcedente ar. 4. §. 3. per totum: impossibilitate sumpta ex omnimoda perfectione essentiæ diuinæ; ex qua sibi vendicat formaliter esse omnem perfectionem simpliciter; ita vt vendicet sibi esse formaliter sapientiam, iustitiam, bonitatem, &c. Iam verò vix intelligi potest, quomodò manente in Deo propria formalitate cuiusq; perfectionis detur vna ratio formalis, quæ omnes istas formalitates formaliter contineat. Quarè, sicùt ex fæcunditate essentiæ oritur impossibilitas, vt sit essentia vnius tantùm personæ; ita ex omnimoda perfectione eiusdem essentię oritur impossibilitas, vt vna tantùm formali ratione formaliter perficiatur. Deniq́ue cum argumẽta, quæ ex ratione naturali in oppositũ adducuntur, non sine maxima probabilitate pro Scoto dissoluantur, vt patet ex dicto artic. 4. non potest reijci illius opinio, vt omnimodè absurda, & improbabilis, quicquid sine solido fundamẽto Suarius dicat.

7. Posterior pars probatur. His tamen non obstãtibus adhúc persistimus in posteriori nostræ resolutionis assertione, dicimusque opinionem Scoti, vt non omni careat probabilitate; non esse tamen admodum probabilem. Vndè pro oppositа sententia hanc statuimus conclusionem. Sublato omni intellectu attributa inter se nec ex natura rei, nec formaliter actu distinguũtur. Eandem conclusionem posuimus de distinctione attributorum ab essentia in præcedente quæstione ar. 5. Et cũ eadem sit ratio vnius, & alterius difficultatis; quę pro illa veritate confirmãda adduximus, pro confirmanda nostra assertione sunt etiam adducenda, nec enim opus est acta agere. Vbi etiam multa diximus pro soluendo Scoti fundamento, quod ibi tetigimus.

Argumenta porrò, quæ in confirmationem Scoticæ sententię adduci solẽt, adducemus, & soluemus inferiùs ar. 5.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm attributa inter se actu ratione distinguantur?

1. SImilem articulum excitauimus in præcedente quæstione artic. 7. vbi egimus de distinctione attributorum ab essentia. Et cum eadem sit ratio vnius, & alterius articuli; quæ ibi dicta fuerunt, huic etiam articulo aptissimè accommodabuntur. Hoc loco summatim repetemus, quæ ibi laciùs dicta sũt.

Pars negãs. Partem negãtem secutus est Aoreolus, & cum illo Nominales, Ochamus, Gregorius, Gabriel, Maior, & si qui sunt alij. Omnes docent in diuinis attributis nullam aut dari, aut dari posse actualem distinctionem, nec eam, quam facit intellectus, siuè cum essentia conferantur, siuè inter se. Id probant primó non- Probatur ex Patrib⁹. nullis auctoritatibus Patrum, Augustini, Origenis, Anselmi, & aliorum, quos retulimus artic. 1. quęstionis præcedẽtis nu. 6. Deindè aliquibus rationibus. Prima est Aoreoli: quoniam intellectus Deinde ratione Aoreoli. non potest de attributis plures, & diuersos formare conceptus. Non igitur potest attributa inter se ratione distinguere. Consequentia est nota: quoniam, qui attributa ratione distinguunt, ea distinguũt per diuersos cõceptus, quos formant de diuinis perfectionibus. Antecedens autem probat Aoreolus multis medijs, quę adduximus in præcedente quæstione art. 7. §. 2.

2. 3. ratione Nominalium. Secunda ratio est Nominalium: quia fieri non potest, vt eadem res à se ipsa distin-

distinguatur ratione, vt multis argumẽtis confirmant positis in d. ar. 7. §. 3. Iam verò attributa inter se sunt vna, & eadem res, vt ostendimus artic. 2. huius quæstionis.

3. Denique aliis rationibus.

Tertio loco adducunt quædam alia argumenta posita in d. ar. 7. §. 5. quæ ad hanc sententiam in nostris terminis cõprobãdam facilè accõmodari possunt.

Pars affirm. præfertur.

His tamen non obstantibus asserenda est pars, quæ affirmat attributa ratione actu distingui. Quam sententiam exceptis Nominalibus, & Aoreolo, cæteri omnes Theologi probauerunt. Ita censent D. Thomas, Ægidius, Richardus, Alensis, Henricus, Argentina, Durandus, Baconius, Gerardus, Toletus, Capreolus, Soncinas, Aiala, Heruæus, Caietanus, Marsilius cum omnibus nouioribus, quos citauimus in d. ar. 7. §. 5. Rationes, quibus hæc sententia confirmari debet, sunt illæ eædem, quibus in d. §. 1. confirmauimus attributa ratione distingui ab essentia: omnes enim conuincunt attributa inter se distingui ratione. Nam, quæ diximus ex Concilio Florentino, D. Bernardo, & Commentatore, confirmant hanc rationis distinctionem. Ratio autem, quam ibi sumpsimus ex pluralitate conceptuum, rem omninò demonstrat in nostra quæstione, vt facilè quis intelliget, si vim illius ad attributa inter se collata accõmodauerit.

4.

Nec solùm asserendum est attributa inter se ratione distingui; sed etiam distingui ratione non ratiocinante, sed ratiocinata: nam eodem modo ea distingui ab essentia latè ostendimus in præcedente quæstione ar. 9. quæ ibi dicta sunt, hoc loco repetita censeantur.

Ad probationes partis negãtis.

Argumenta in oppositum adducta nihil obstant: nam quomodò Patres sint intelligendi ostendimus in d. ar. 7. §. 7. in principio. Vbi etiam diximus rationẽ Aoreoli falsum habere antecedens: soluimusque quamdiligentissimè, quæ ab Aoreolo in oppositum adducebantur. Vide ibi.

Secundam etiam rationem Nominalium latè dissoluimus in d. ar. 7. §. 8. Vbi etiam §. 9. diligenter explicauimus argumenta, quæ vltimo loco sunt adducta. Nec opus est iterùm repetere, quæ semel sunt explicata.

ARTICVLVS V.

Vtrùm attributa inter se sola ratione distinguantur?

1.

HVNC etiam articulum excitauimus de attributis in ordine ad essentiã in quæstione præcedẽte ar. 8. Et cum par ratio in illa, & in hac quæstione reperiatur; satis erat resolutionem huius articuli ad resolutionem illius remittere. Verùm quia ad hunc locum reseruauimus solutionem argumentorum Scoti; oportet hunc articulum hoc loco aliquantulum latiùs examinare.

§. 1.

Refertur pars negans.

2. Pars negãs.

PArtem igitur negantem propositę difficultatis primùm tenere debent, qui putant attributa realiter inter se distingui: quam sententiam fuisse cuiusdam Gualteri ostendimus suprà ar. 2. huius quæstionis. Is igitur non potest non negare attributa inter se sola ratione distingui. Sed hunc errorem iam impugnauimus in dicto secundo articulo.

3. Scoti sententia de formali distinctione eandem partẽ tuente.

Maius negotium facesśit opinio Scoti, & Scotistarum, quam adduximus suprà ar. 3: nam quanuis Scotus cum suis non neget attributa operatione intellectus interdùm inter se distingui: negat tamen ea inter se distingui sola ratione, considerationeque intellectus: docet enim secluśa omni intellectus cõsideratione attributa ex natura rei habere inter se actualem distinctionem formalem. Quarè licèt interdùm actualiter distinguantur ratione; quandò scilicèt actualiter ab intellectu considerantur (nam ea etiam, quæ à parte rei realiter distinguuntur, dùm apud intellectum habent esse obiectiuum etiam inter se distinguuntur ratione) tamen non sola ratione distinguuntur, cum ante omnem rationem actu etiam distinguantur.

4. Primum fundamentum Scoticæ sententiæ.

Pro hac opinione Scoti multipliciter arguitur. Primò cum eodem Scoto omnes ita arguunt: sapientia, & bonitas (idem dicito de cæteris attributis) absolutè distinguuntur ex natura rei.

Ergò

Ergò sapientia infinita, & infinita bonitas distinguentur formaliter ex natura rei. Antecedens est euidens; quia nec sapientia, vt sapientia est, in sua ratione includit bonitatem; nec bonitas sapientiam. Consequentia probatur: quoniam infinitas non variat rationem formalem eius, cui additur: quæcunque enim perfectio semper retinet eandem formalem rationem in quocunque gradu suæ latitudinis intelligatur, siue ille sit finitus, siue infinitus: etenim finitas, vel infinitas sunt modi intrinseci rei, cui adduntur, vnde illius formalem rationem non variant: vt patet in albedine finita, & infinita; in vtraque enim ratio formalis albedinis semper conseruatur inuariata. Si ergò sapientiæ finitæ, & infinitæ eadem est ratio formalis; profectò si ratio sapientiæ, vt sapientia est, ex natura rei formaliter distinguitur à ratione formali bonitatis, vt bonitas est; vtique ratio formalis sapientiæ infinitæ ex natura rei non includit rationem formalem bonitatis.

Confirmatur. Confirmatur primò hæc ratio: quoniam, quæ distinguuntur difinitione, distinguuntur formaliter. Attributa autem diuina distinguuntur diffinitione: alia est enim diffinitio sapientiæ, alia bonitatis.

5. Secundum fundamentum. Secundò; intellectus diuinus intuetur veritatem, & bonitatem in Deo. Vel ergò ea intuetur, vt distincta obiecta formalia; vel vt vnum ex natura rei omninò indistinctum. Non est dandum hoc posterius: quia Deus non intueretur se sapientem sapientia, & non bonitate: siquidèm ex datis illa intuetur, vt indistincta ex natura rei. Si detur primum; infertur veritatem, & bonitatem esse distincta ex natura rei ante quencunque actum intellectus. Probatur cõsequentia; quia intellectus intuitiuus præsupponit in obiecto id, quod in eo intuetur. Quarè si intuetur bonitatem distinctam esse à veritate; vtique supponit illam distinctionem iam inesse in illis attributis.

6. Tertium. Tertiò; filius in diuinis producitur per intellectum, & non per voluntatem: è contrario Spiritus Sanctus producitur per voluntatem, & non per intellectum. Ergò intellectus, & voluntas ex natura rei distinguuntur in Deo formaliter secluſa operatione intellectus. Antecedens est de fide; consequentia probatur: quoniam si intellectus, & voluntas in Deo essent omnibus modis idem formaliter, non magis intellectus esset principiũ producẽdi filium, quàm voluntas: nec voluntas magis esset principium producendi Spiritum Sanctum, quàm intellectus, quod est fidei contrarium.

7. Prima confirmatio. Confirmatur; quoniam Deus vult voluntate, & non intellectu: intelligit autem intellectu, & non voluntate. Ergò intellectus, & voluntas habent distinctionẽ ex natura rei: si enim essent prorsús idem, non diceretur Deus potiùs intelligere intellectu, quàm voluntate: nec velle voluntate potiùs, quám intellectu. Quod omninó pugnat cum communi vsu loquentium.

8. Secunda. Confirmatur secundò; quoniam operatio voluntatis etiam in Deo ex natura rei supponit operationem intellectus: nam etiam in Deo nihil est volitum, quin præcognitum: & indè est, vt processio Spiritus Sancti per voluntatem supponat processionem verbi per intellectum: sitque ex natura rei ordo originis inter filium, & Spiritum Sanctum, vt docent Theologi. Quod non esset, si intellectus, & voluntas in Deo ex natura rei non distinguerentur.

9. Tertia. Confirmatur tertio; quia intellectus, & voluntas etiam in Deo habent obiecta diuersa à parte rei; verum scilicét, & bonum. Habent præterea diuersas diffinitiones, quarum munus est explicare distinctas naturas. Adde, quia habent distinctas operationes immanentes. Deniique Deus intelligit mala culpę, nõ tamen ea vult. Quæ omnia arguunt distinctionem ex natura rei, tùm inter intellectum, & voluntatem, tùm inter intelligere, & velle.

10. Quartũ fundamentum. Quartò, Deus intelligit suam essentiam, vt veram; eam autem vult, vt bonam. Ergò veritas, & bonitas distinguuntur ante omne actum intellectus. Consequentia probatur; quia distinctio obiectorum præuenit distinctionem actuum, sicut causa suum effectum.

11. Quintum. Quintò; si sapiẽtia, & bonitas non distinguerentur formaliter ex natura rei, essent formaliter synonyma. Quod etiã

apud aduersarios est falsum. Probatur sequela: quia sapientia, & bonitas non significant, nisi ipsas perfectiones in re nullo modo distinctas in ea.

12. Sextum. Sextò; Inter perfectiones diuinas sublato intellectu inuenitur cõtradictio: Deus enim intellectu intelligit, non voluntate: sicùt etiam voluntate vult, non intellectu. Vndè intellectus est principium intellectionis, non verò voluntas: sicùt etiam voluntas est principium volitionis, & non intellectus. Item filius intellectu producitur, non voluntate: Spiritus Sanctus producitur voluntate, nõ intellectu. Deus sapientia est sapiens, non iustitia: sicùt etiam iustitia formaliter est iustus, non sapientia. Quæ omnia euidenter demõstrant inter ista attributa dari distinctionẽ ex natura rei citra omnem operationem intellectus.

13. Septimum. Septimò; Hæ propositiones, quas intellectus noster format: *sapientia non est bonitas: intellectus non est voluntas*, non ideò sunt veræ, quia intellectus illas concipiens eis tribuat veritatem; sed quia cõformes sunt rei, quam enuntiant. Supponunt igitur in re ita esse id, quod enũtiatur. Ergò supponunt sapientiam ex sua natura non esse bonitatem ante intellectum. At quoties ante intellectum vnum non est aliud, necesse est ante intellectum ab eo differre ex natura rei. Ergò sapientia ex natura rei differt à bonitate, & sic de cæteris.

14. Octauum. Octauò; maior est distinctio inter intelligere, & velle in Deo, quàm inter Deum, & deitatem. Maior item inter sapientiam, & iustitiam, quàm inter sapientem, & sapientiam. Sed Deus, & deitas: sapiens, & sapientia distinguuntur ratione. Ergò intelligere, & velle in Deo, sapientia item, & iustitia maiori distinctione distinguentur, quàm sit distinctio rationis. Distinguentur igitur ex natura rei.

15. Nonum. Nonó; inter perfectiones attributales datur ordo demonstratiuus; doctores enim vnam perfectionem ex alia demonstrant. Datur etiam ordo æqualitatis ex Augustino 15. de Trinitate. Ordo autem non datur, nisi inter distincta.

Decimum. Decimò; Distinctio fundans distinctionem realem non dependet ab opere intellectus, sed ex natura rei datur ante intellectum. Sed distinctio attributorum fundat distinctionem realem emanationum diuinarum. Ergò distinctio attributorum non est rationis, sed est ex natura rei ante intellectum.

16. Vndecimũ. Vndecimò; si sapientia infinita ex natura rei formaliter est bonitas infinita; sequitur, quod sicùt Deus ex natura rei est formaliter sapiens sapientia, esset etiam formaliter sapiens bonitate, aut misericordia. Quod repugnat.

Duodecim. Duodecimò; si attributa ex natura rei sunt formaliter idem; hę propositiones erunt veræ: *sapientia est iustitia: intellectus est voluntas*, quod tamen est falsum: aliàs quicquid de vno verè prædicatur, de alio etiam verè prædicaretur; quod dici non potest: nam de iustitia verè prædicatur, quòd puniat: punire tamen non prædicatur de sapientia, aut misericordia: Deus enim sapientia sapit, & misericordia miseretur.

17. Vltimũ ex Augustino. Postremò confirmatur ex Augustino sic scribente lib. 3. contra Maximum cap. 10: *si potes Deum patrem concedere simplicem; & tamen esse sapientem, bonum, iustum, verum, & cætera, quantò magis vnus Deus potest esse simplex; & tamen trinitas: ita, vt personæ non sint partes vnius Dei?* Ex quibus verbis patet Augustinum hoc argumento probare Deum esse trinum, & tamen simplicem: *si in patre sine vlla compositione, & partialitate possunt esse multæ perfectiones simpliciter. Ergò multò magis possunt esse tres personæ in deitate sine vlla compositione.* Hoc argumentum nullam poterit habere vim, nisi perfectiones attributales ex natura rei formaliter sint distinctæ: nam si sola ratione distinguuntur, ita argueret Augustinus. In patre admittitur simplicitas, quanuis in eo dentur plures perfectiones sola ratione distinctæ. Ergò in deitate admittenda est simplicitas, quantunuis in eo dentur plures personæ realiter distinctæ. In quo sensu consequentia est manifestè friuola: responderet enim aduersarius disparem esse rationẽ in distinctione perfectionum absolutarum, quæ dantur in patre, & in distinctione personarum: quia hę distinguuntur realiter; illæ autem sola ratione. Et ob id licèt ille compositionem non faciant, sed simùl stent cum omnimoda simplicitate: tamen hę possunt compositionem

sitionem facere. Quare si argumentum Augustini vim non habet, nisi attributa ponãtur ante intellectum ex natura rei distingui; vtique ex sententia Augustini ita distinguuntur.

Hæc sunt omnia, vel saltem potiora argumenta, quibus Scotistę videntur suadere attributa ante omnem actum intellectus inter se distingui formaliter actualiter.

§. 2.

Resoluitur pars affirmans.

18. HIS tamen non obstantibus resoluẽda est difficultas cum opinione affirmatiua; cum qua etiam resoluimus quæstionem de distinctione attributorum ab essentia ar. 8. præcedẽtis quæstionis. Quare hanc statuimus
Conclusio. conclusionem. Attributa, sicùt ab essentia sola ratione distinguuntur; ita, & inter se. Hæc conclusio interminis istis
Henricus. exclusiuis statuitur ab Hérico quodlib. 5. q. 1. litera A. in hęc verba: *Vnde cum attributorum diuersitas nullo modo habeat esse in re ex natura rei absolutè, vt est extra intellectum solùm modo habet esse in ea, vt cadit in consideratione intellectus conferentis circa eã.* Quodlib. etiam 13. q. 1. ita scribit: *Dico quòd in Deo præter distinctionem personarum, & relationum nulla est pluralitas aut distinctio nisi secundùm rationem, & cõsideratione intellectus.* In eodem sensu exclusiuo generaliter ponitur à D. Thoma in 1. d. 2. q. 1. ar. 2.
D. Thom. ad primum: *In Deo remanet pluralitas tantũ secundum rationem.* Quod etiam satis expreisit opusculo 9. q. 1. Probarunt Ba-
Bachonius. conius in 1. d. 2. q. 2. ar. 3. §. *Tunc volunt illi.*
Torres. Et clariùs ar. 5. §. *respondeo ergò*, Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 1. in secũda illius parte concl. 4. fol. 47. col. 3. Cume-
Cumelius. lius 1. p. q. 4. ar. 2. §. *Sed vt hanc rem intelligas* pag. 131. col. 1. ante finem, Fonseca in 5.
Fonseca. Metaph. c. 6. q. 6. sect. 3. §. *potest autem* pag. 352. Adde insignem Præceptorẽ Fratrẽ
F. Franc. à Christo. Franciscum à Christo in 1. d. 2. q. 3. concl. 5. cuius sensum explicauimus in quæstione præcedente ar. 8. §. 2.

19. Probatur primò ex Concilio Florẽtino quatenus Ioannes Theologus simùl cum Patribus latinis disputans aduersus græcos solam distinctionem rationis admittit inter essentiam, & personas: par autem est ratio de attributis inter se.
Probatur ex Cõcilio Florentino

Accedat auctoritas D. Bernardi lib. 5. de consideratione, cuius verba expẽdimus in d. ar. 8. §. 2. quę directè loquũtur de attributis inter se collatis. Sed *Comment.* & Cõmentator in loco ibi adducto idẽ docet. Apertiora sũt verba, quæ ex eodem adduximus ar. 2. huius quęstionis: ita enim habent: *Multiplicitas igitur in Deo non est, nisi in intellectu differentia, non in esse.* Faciũt, quę ibi adduximus ex Algazele: postquam enim docuit in Deo nullo modo esse pluralitatem, addit oportere, vt Deus aliquibus designationibus designetur, atque distinguatur: quod intelligi nõ potest, nisi de designatione, & distinctione facta per rationem, vt facile videbit, qui illius verba diligentius considerauerit. 2. ex D. Bernardo.

Tertiò; id demonstrat ratio á sufficienti partium enumeratione. Nam ex 1. ar. attributa inter se debent aliquo modo distingui: non possunt realiter distingui, vt patet ex ar. 2. nec ex natura rei sublato intellectu ex ar. 3. Ergò sola restat distinctio, quæ fit per rationem. 3. Ratione.

§. 3.

Soluuntur argumenta pro Scoto adducta.

SED dissoluamus argumenta, quę in fauorem Scoti adduximus suprà §. 1. Ad primum argumẽtum omissis, quæ respõdent Ochamus, Gabriel, Marsilius cum cæteris Nominalibus, communis solutio concesso antecedente negat consequentiam: ita expressè Toletus noster in 1. d. 8. q. 1. ar. 3. ad primũ Scoti contra secundam, Præceptor Franciscꝰ à Christo in 1. d. 2. q. 3. ad 2. Scoti contra tertiam fol. 44. col. 2. Molina 1. q. 28. ar. 2. disp. 2. ad 7. Cumelius 1. p. q. 4. ar. 2. q. 3. ad primum Scoti pag. 131. col. 2. & satis est de mente Caietani de ente, & essentia c. 6. q. 12. ar. 5. ad primum Scoti. Ad probationem consequentiæ duplicem distinguunt infinitatem: vnam simpliciter, quæ est secundum entitatem; alteram, quæ solùm est secundum gradũ vel extensionis, vt in quantitate: vel intẽtionis, vt in albedine. Infinitas, quæ est secundum solum gradum entitatis non variat rationem formalem formæ, cui additur: quantitas enim infinita semper retinet rationem formalem quantitatis, vt est quantitas: similiter etiam al-

20. Communis solutio 1.
Toletus. *Fr. Franc. à Christo.* *Molina.* *Cumelius.* *Caietanus.*
Infinitas duplex.

bedo infinita semper cõseruat communem rationem albedinis, vt est albedo. Non sic res habet in infinitate, quæ est secundùm entitatem: hæc enim non potest non variare rationem formalem formæ, cui additur, ita Caietanus cum cæteris.

21. Ratio discriminis.

Ratio discriminis est manifesta: quoniam infinitas, quæ solùm est secundũ gradùm, non est infinitas in essẽdo, quin potiùs supponit formam, cui additur, limitatam esse, & definitam ad certam entis speciem, certamque, ac limitatam formalem rationem entis; vnde non illimitat, nec infinitat aut entitatem, aut formalem illius rationẽ, sed solùm gradualem perfectionem determinatę entitatis, & formalitatis; & ob id non tollit vniuocationem cum ente in tali specie finito, & limitato: nam quantitas infinita in ratione quantitatis vniuocè conuenit cum quantitate finita. Similiter albedo infinita in eodẽ genere qualitatis ponitur cum finita. Infinitas autem secundùm entitatem, sicùt illimitat formam, cui additur, infra totius entis latitudinem; ita vt habeat omnem essẽdi modum: sic etiam illimitat infra totius perfectionis latitudinem eleuando formam, vt formaliter sit omnis perfectio; & hinc est, vt omninò tollat omnem rationem vniuocam cum forma finita, & solùm relinquat vnitatem, & conuenientiam analogicam cum illa iuxta veriorem sententiam, quę docet enti finito, & infinito nihil commune vniuocum dari posse, sed solùm analogum; de cuius ratione est, vt analogata diuersæ omninò sint rationis, etiam in ipso communi analogo. Posita igitur hac duplici infinitate corruit fundamentum Scoti; inquit Caietanus: quoniam licèt infinitas quoad gradum non variet rationem formalem formę, cui additur; illam tamen variat infinitas secundum entitatem, qualis est infinitas sapientiæ diuinæ, & cæterarum perfectionum attributalium.

22. Impugnatio Radæ.

Occurrit tamen Rada in dicta controuersia 4. primi tomi pag. 61. col. 2. in fine, & pag. 62. col. 1. in principio, & ait Caietanum in sua ista solutione supponere infinitatem secundùm entitatem formaliter identificare omnem perfectionem sibi composibilem; cùm tamẽ id negent omnes Scotistæ; apud quos infinitas ista identificat quidem sibi omnem illarum perfectionum realitatem; non tamen omnem illarum formalem rationem, & subinde adhùc veram esse Scoti doctrinam; nullam scilicèt infinitatem variare rationem formalem formæ, cui additur. Hæc tamen Radæ animaduersio non impedit, quominus solutio Caietani illidat vim Scotici argumenti: nam, cùm argumentum nitatur doctrina illa Scoti, quam Caietanus cũ cæteris non admittit; non potest liberari Rada à petitione principij, cũ supponat, tanquam verum id, de quo est cõtrouersia. Quare fundamentum Caietani vim habet, vt ostendat argumentum Scoti non satis esse ad ostendendũ sapientiam in Deo ex natura rei distingui à bonitate, cæterisque attributis. Responsio.

23. Melior impugnatio.

Hæc diximus vt communem solutionem liberaremus ab impugnatione Radę: nobis tamen non admodum placet, si antecedens admittatur: illo enim admisso cõsequentia videtur firma. Quod aduertit Bellomontanus in dicta disputatione 116. c. 6. n. 26. dum ait valere consequentiam: *sapientia in communi ex natura rei differt à iustitia in communi. Ergò sapientia infinita ex natura rei differt à iustitia infinita*. Nam ex Metaphysica quod per se conuenit superiori etiam analogo, per se etiam conuenit inferioribus etiam analogatis. Quare si sapientia in communi, vt abstrahit à creata, & increata, ex natura rei non est bonitas in communi, vt in antecedente sumitur; non video, quomodo possit negari sapientiam increatam ex natura rei formaliter distingui à bonitate increata. Quo fundamento nituntur Scotistæ, vt dicant repugnare dari in Deo vnam rationem formalem formaliter identificantem omnes rationes formales diuinarum perfectionum: nam, cùm apud eos quęlibet diuina perfectio, quatenus absolutè est talis, distinguatur ex natura rei ab alia, nõ potest formaliter identificari cum alia. Quare, qui antecedens simpliciter admiserit, vt consequenter loquatur, non potest non admittere cum Scoto nullam infinitatem variare rationem formalem perfectionis, cui adiungitur:

Quare

24. Alia solutio facilior.

Quare plánior erit, & longè facilior solutio, si ad argumentum negetur antecedēs, sapientiam, scilicèt in communi distingui à bonitate in cōmuni; quod negauit Bellomontanus in dicto cap. 6. n. 26. & ante eum noster Gerardus de Senis in primò d. 2. q. 2. ar. 2. ad quartam probationem pag. 138. col. 1. Nec id negatur sine fundamento: nam, quę communia sunt Deo, & creaturis, in sua illa communitate analoga nullam dicunt naturam, nullumvè essendi gradùm ab inferioribus abstractum, & pręcisum, vt est communis doctrina, de qua Fonseca in 4. Metaph. cap. 1. q. 1. sect. 4. pag. 504. & sect. 8. pag. 507. Quin potiùs vel solo nomine sunt communia, vt pleriq; putant; inter quos Bellomontanus 1. p. disp. 22. cap. 5. & disp. 116. c. 6. n. 26. vel non habent vnum conceptum obiectiuū præcisum à suis inferioribus, non dico ex natura rei (quod tanquam certum asserit Suarius in Metaph. disp. 2. sect. 3. n. 7.) Sed nec ratione, nisi fortè secundū quid, vt est communis sententia apud metaphysicos, de qua Fōseca in quarto Metaph. c. 2. q. 2. sect. 4. quam tanquā verisimā supponimus. Porrò si sapiētia in cōmuni, vt abstrahit à creata, & increata non est aliqua natura, nec aliquis essendi gradus præscisus ab inferioribus, profectò sumpta in illa communitate non potest ex natura rei distingui à bonitatè sumpta etiam in cōmuni: etenim distinctio, cum sit passio entis; sicút non potest conuenire, nisi enti: ita si est distinctio ex natura rei, non potest conuenire, nisi ei, quod ex se est aliqua entitas aliquavè natura. Ob quam rationem (& sit præcedentis rationis confirmatio) non auditur Scotus, dum ait dari vnum conceptum obiectiuum entis ex natura rei pręcisum, & subinde distinctū ab inferioribus, vt patet ex Suario in dicta disputatione secunda sect. 2. n. 5. & sect. 3. n. 7. etenim quod ex natura rei distinguitur, debet esse aliqua natura. Quare si sapientia in communi non est aliqua entitas, nec aliqua natura abstracta, atquè præcisa; profectò nec ex natura rei poterit ab aliquo distingui.

Gerardus.

Fundamētū

Fonseca.

Fonseca.

25. Ampliatio Bellomontani.

His addit Bellomontanus antecedēs illud adhùc fore negandum, quanuis cōcederemus dari vnum conceptum sapiētiæ abstractū, & præcisū ab increata & creata: nā, cùm ille conceptus, vt ait, sit vniuersalis per nostrum intellectum solùm per illum debet differre; & ob id adhùc negandum esse sapientiam in cōmuni ex natura rei differre à bonitate in communi. Sed non puto hoc satis cōsiderate dici: nam res esse actu vniuersales per solùm nostrum intellectum nō tollit eas ex natura rei posse inter se distingui, non solùm formaliter, sed etiam realiter: nam in creatis sapientia, & iustitia non sunt actu vniuersales, nisi per nostrum intellectum; & tamen ex natura rei realiter distinguuntur. Quare si admittatur vnus conceptus obiectiuus communis sapientiæ creatæ, & increatę ab vtraque simpliciter præcisus; non video, cur non sit admittendum sapientiam in communi ex natura rei distingui à bonitate in communi: cum enim talis conceptus non sit fictitius, sed ex natura rei abstrahibilis ab vtraque sapientia, non potest non denotare aliquē essendi gradum ex sua natura distinctū ab alijs gradibus essēdi. Vnde in hoc optimè philosophatur Scotus: nam, quanuis non desint, quid illum communem essendi gradùm adhùc liberent ab vniuocatione; à distinctione tamen nullus eum liberare potest. Reijcitur.

26. Maior declaratio solutionis.

Quare relicta hac Bellomōrani imaginatione, ideo negandum est illud antecedens; quia supponit sapientiam in communi dicere vnam naturam, vnūq; essendi gradùm communem creatę, & increatæ, quod non est admittendum. Admittimus igitur vnum conceptum obiectiuum sapientiæ in communi, non tamen simpliciter, sed secundum quid. Similiter admittimus conceptum illum non esse conceptum bonitatis in communi, & subinde sapientiam in communi non esse bonitatem in communi: dicimus tamen id non habere ex natura rei, sed per solam intellectus operationem, qui rationem sapientiæ increatæ (quam per sapientiam creatam cognouit) non adæquatè, sed inadæquatè cōcepit, & ab ea secundum istum inadæquatum conceptum (in quo sapientia creata illi est similis) abstraxit conceptum obiectiuum sapientiæ in communi qui non est simpliciter vnus, sed solùm secundum quid, vt quia in se nō abstra-

hat,

hat á conceptibus vtriusque sapientiæ, nisi confusè tantùm, iuxta communem metaphysicam, quam supponimus. Et hæc de solutione primi argumenti.

27. Solutio 1. cõfirmationis. Ad primam confirmationem omissis solutionibus Herreræ, & aliorum, concessa maiore neganda est minor. Tum; quoniam, quæ sunt in Deo, diffiniri non possunt diffinitione propriè sumpta per genus, & differentiam. Tum etiam; quia si perfectio aliqua in diuinis explicari posset eo modo, quo est in Deo; explicaretur eàdem diffinitione cum cæteris; haberet enim cum cęterisvnam tantùm rationem formalem, vt quęstione sequẽte latiùs explicabimus.

28. Solutio 2. In secunda confirmatione maior sumitur sine probatione: cum tamen sit neganda: nam rationes formales sapientiæ, & bonitatis manent quidem in Deo; quia Deus formaliter est sapiens, & bonus: at tamen cum in Deo ex sua natura sint perfectiones infinitæ, non manent actu diuisæ, sed summè identificatæ, & vnitæ, vt videbimus q. sequente.

29. Solutio 2. argumenti. Ad secundum argumentum admittẽdum est intellectum diuinum clarè, & distinctè intueri veritatem, bonitatem, cęteraque diuinæ essentiæ perfectiones. Ad id verò, quod inquiritur, an eas Deus intueatur, vt distincta obiecta formalia; an verò, vt vnum ex natura rei in distinctum? omnes conueniunt Deum eas non videre, vt actu distinctas ex natura rei: quia à parte rei eam distinctionem non habent. Quin potius cũ à parte rei actu sint indistinctæ; intellectus diuinus eas intuetur, vt actu indistinctas. Instãtia verò, quæ adducitur, vrget eos, qui putant intellectum diuinum intelligendo non distinguere suas perfectiones, nec aliquo modo eas cognoscere, vt plures, sed vt vnam simplicem perfectionem; quæ est sententia Bellomontani 1.p.disp.118.c.5. in principio, & videtur fuisse Capreoli in 1.d.8.q.4.ar.3.fol. 131.col. 3. in fine: nec enim admittendũ puto Deum clarè, & distinctè non cognoscere se non esse sapientem bonitate, sed sapientia: sicut etiam nunquam admittam Deum clarè, & distinctè non intueri filium procedere per intellectum, & non per voluntatẽ; & Spiritum Sanctũ per voluntatem, & non per intellectum, de quo plura in ar. 10.

Bellomõt. Capreolus.

Simili modo instantia vrget eos, qui dicunt intellectum diuinum non distinguere attributa, nec eorum distinctionem cognoscere, nisi in intellectu creato eas diuersis conceptibus distinguente: Deumque ab æterno cognouisse suas perfectiones distinctas; non tamen eas cognouisse ab æterno distinctas; quæ fuit solutio Caietani de ente, & essentia q. 12. ad 3. Scoti: horum, inquam, opinionem vrget allata instantia; quoniam licèt doctrina fortè sit vera (quicquid repugnet Bellomontanus) nunquam tamen admittam Deum in illis veritatib⁹ cognoscẽdis pẽdere ab intellectu creato. Quare illorum opinio nobis videtur verior, quæ docet intellectum diuinum se ipso, suaque operatione distinguere diuina attributa; ita vt actualis eorum distinctio ab intellectu diuino caussetur de quo inferiùs ar. 10. §. 6. Quam sententiam non esse alienam à philosophia dixit Caietanus vbi suprà, quanuis 1.p. q. 13. ar. 4. ad finem Commenti oppositum senserit. Hac igitur supposita sententia facilè patet solutio ad argumentum: quoniam De⁹ licèt suas perfectiones intueatur, vt ex sua natura actu indistinctas & vt vnam simplicem perfectionem: tamen simùl eas intuetur, & cognoscit, vt virtute distinctas, nõ quidem in ordine ad extra, sed in se ipso, vt dicemus ártic. 10. §. 5. Quare Deus suas perfectiones alioquin vnitas concipit, vt virtute plures: quæ notitia satis est, vt dicantur per diuinam intellectionem actu diuisæ, vt cum Molina, & alijs dicemus ar. vltimo. Admittimus igitur sapientiam, & bonitatem secluso quocũq; intellectu ex natura rei in Deo esse distincta, non actu, sed virtute, & hanc virtualem distinctionem supponit visio intuitiua, & non aliam.

30. *Caietanus.*

31. 1. Solutio 3. Ad tertium argumentum variè responderi solet. Prima solutio est eorum, qui putant in Deo idem esse intelligere, & velle; intellectum similiter, & voluntatem, si hæc secundum proprios conceptus considerentur, & provt in Deo sunt: solùm verò distingui, provt à nobis ex creatis concipiuntur. Vnde videntur negare, si intellectus, & voluntas considerentur, vt sunt in Deo, filiũ procedere per intellectum, & non per volũtatem; & Spiritum Sanctum per voluntatem;

ratem, & non per intellectum: quia in Deo intellectus, & voluntas idem omninò sunt. At verò, quia nos loquimur de Deo, & de ijs, quæ sunt in Deo, secundum quod ex creaturis concipiuntur à nobis; quomodo alia est ratio intellectus, & alia voluntatis; proinde sicùt dicitur Deus intelligere per intellectum, & non per voluntatem; ita dicitur filius procedere per intellectum, & non per voluntatẽ: & sicùt Deꝰ dicitur velle per volũtatem, & non per intellectum; ita Spiritus Sanctus dicitur procedere non per intellectum, sed per voluntatem. Istam solutionem habes ex Herrera in dicta cõtrouersia 14. q. 1. ad 6 quartę sententiæ pagin. 469. col. 1. & satis est de mente Bellomontani, dum ait id, quod dicimus intellectum in diuinis intelligere, & generare, non verò voluntatem; prouenire ex diuersitate nostrorum conceptuũ, & in ordine ad nos: nam si intellectus, & voluntas conciperentur, vt sũt in se ipsis; vtique vno conceptu exprimerentur, nec aliquid vni tribueremus, quod negaremus alteri. Cõsentiunt igitur hi auctores non esse admittendum antecedens argumenti, si intellectus, & voluntas considerentur, vt sunt in Deo, quia vt sic filius producitur per idem principium, per quod producitur Spiritus Sanctus. Sed hanc sententiam impugnabimus inferiùs ar. 7. & 10.

Herrera.

Reijcitur.

34. Communis igitur solutio est, vt concesso antecedẽte negetur consequẽtia, si consequens intelligatur de distinctione formali actuali; quoniam vt filius dicatur produci per intellectum, & nõ per voluntatem, non est necessaria actualis distinctio ex natura rei, sed satis est distinctio virtualis, quam plerique appellant aptitudinalem. Ex quo patet probationem sequelę satis esse debilem; haberet enim vim, si intellectus, & voluntas spectata natura rei, & secluso intellectu ita essent actu vnum, & idem in Deo, vt omnem distinctionem tàm actualem, quàm virtualem excluderent: ita enim fieret, vt intellectus ex se non magis esset principium producendi filium, quàm voluntas, nec voluntas ex se magis esset principium producendi Spiritum Sãctum, quàm intellectus: in quo sensu loquũtur auctores primę solutionis. At tamẽ actualis vnitas, quæ à parte rei datur inter intellectum, & voluntatem, non admittitur in sensu explicato; quia intellectus, & volũtas ita admittuntur esse vnum, vt ex natura rei, & secluso intellectu ponantur virtute distingui. Qua posita opinione inutilis est probatio consequentiæ; quia solùm procedit contra eos, qui sublato intellectu nullam inter attributa admittũt distinctionem aut actualem, aut virtualem: non tamen contra nos, qui & si negemus actualem distinctionem, admittimus tamen virtualem, quæ satis est, vt sublato omni intellectu filius procedat per intellectum, & non per voluntatem.

Vera & cõmunis solutio.

35. Hæc est communis solutio, quam præ cæteris omnibus clariùs expressit Molina 1. p. q. 28. ar. 2. disp. 2. §. *ad primum ergò argumentum*, pag. 431. col. 2. satis est de mente Capreoli in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. ad 6. Scoti contra primam §. *sciendum tamen* fol. 124. col. 4. & Didaci de Aiala ibi q. 4. ar. 4. ad 6. Scoti contra primam fol. 104. col. 2. & Præceptoris Fratris Francisci à Christo in 1. d. 2. q. 3. ad primum contra tertiam, Cumelij 1. p. q. 4. ar. 2. q. 3. ad 2. Scoti pag. 131. col. 2. Suarij lib. 1. de essentia Dei cap. 13. n. 6. Fonsecę in 5. Metaph. c. 6. q. 6. sect. 2. pag. 350. in principio, vt omittamus Caietanum de ente, & essentia c. 6. q. 12.

Molina. *Capreolus.* *Scotus.* *Aiala.* *F. Franc. à Christo.* *Cumelius.* *Fonseca.*

36. Illud admonuerim plerosque theologorum hanc distinctionem appellare fũdamentalem, alios aptitudinalem, & ferè omnes docent eam esse rationis ratiocinatæ, & hanc distinctionem satis esse, vt filius dicatur procedere per intellectum, & non per voluntatem; & Spiritus Sanctus per voluntatem, & non per intellectum, vt patet ex Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 1. in 3. illius. p. ad tertiam probationem fol. 48. col. 4. Quin potiùs Capreolus cum communi aliorum putat distinctionem illam virtualem ideo dici virtualem; quia virtutem habet mouendi intellectum creatũ ad distinguenda attributa, ita vt ex se dicat ordinem ad intellectum creatum vt posibiliter distinctiuum illius. Sed quàm aliena sit hæc explicatio à veritate expendemus inferius ar. 7.

Torres. *Capreolus.*

37. Ad primam huius argumenti confirmationem ex dictis patet solutio: eandem enim petit difficultatem. Auctores igitur prioris solutionis negarent antecedens,

Ad primam cõfirmationem.

cedens, si intellectus, & voluntas concipiantur, vt sunt in Deo. At nos admisso antecedente in illo sensu negamus consequẽtiam; quoniam satis est distinctio virtualis, vt Deus dicatur intellectu intelligere, & non voluntate: velle autem voluntate, & non intellectu. Vide Molinam vbi suprà ad confirmationem quarti argumenti.

38. Ad secundi — Ad secundam confirmationem concesso antecedente neganda est consequentia: quoniam satis est distinctio virtualis inter intellectum, & voluntatem, vt voluntas diuina in sua operatione nostro intelligendi modo præsupponat actum intellectus; &, vt detur ordo originis inter filium, & Spiritum Sanctum; ita vt processio Spiritus Sancti, quę est per voluntatem supponat processionẽ Verbi, quæ est per intellectum. Vide Molinam vbi suprà ad secundum Scoti, & Fonsecam in 5. Metaph. cap. 1. q. 3. sect. 3. pag. 29. in principio §. *alterũ desumit*, vt alios omittamus.

Molina. Fonseca.

39. Ad tertiam — Ad primam partem tertiæ confirmationis admittendum est antecedens, si sermo sit de obiecto formaliter sumpto etenim etiam in Deo obiectum formale intellectus distinguitur à formali obiecto voluntatis; non quidem actu, sed virtute. Quare in Deo verum formaliter virtualiter distinguitur à bono: & hæc distinctio satis est, vt illa obiecta dicantur diuersa. Ad secundam partem eiusdem confirmationis iam diximus suprà ad primam confirmationem primi argumenti. Tertia verò pars facilè soluitur: quoniam intelligere, & velle in Deo, quanuis actu formaliter nõ distinguantur; distinguuntur tamen virtute. Quare licèt simpliciter non dicantur plures actiones, benè tamen dici possũt plures virtute, quæ est conditio diminuens. Vltima tandẽ pars solùm arguit virtualem distinctionem ex natura rei, non verò actualem.

40. Solutio 4. Caietanus. — Ad quartum argumentum principale Caietanus negat consequentiam de ente, & essentia c. 6. q. 12. ad 4. Scoti & neganda est, si consequens intelligatur, quòd veritas, & bonitas in Deo ante omnem intellectum actualiter distinguantur: etenim, vt Deus dicatur intelligere suam essentiam, vt veram; & voluntas dicatur eandem velle, vt bonam, satis est, quòd veritas, & bonitas ante omnem intellectum ex natura rei virtute distinguantur, siue Fũdamẽtaliter, vt Caietanus loquitur. Nã sicùt intellectus, & volũtatis virtualis distinctio satis est, vt Deus dicatur intelligere per intellectum, velle autem per voluntatẽ: ita etiam virtualis distinctio inter verũ, & bonum satis erit, vt intellectus tẽdat in essentiam sub ratione veri, & non sub ratione boni; voluntas autem in eãdem feratur sub ratione boni, & nõ sub ratione veri. Ita fit, vt etiam in Deo nostro intelligendi modo seruetur communis philosophia distinctionem scilicèt obiectorum præsupponi ad distinctionem actuum. Quæ philosophia maximè vera erit in Deo, in quo actus intellectus, & voluntatis, vt directò terminantur ad diuinam essentiam, nondũ actu distinguuntur ratione, sed solùm virtute. Vtrum autem, & quomodo per diuinum intellectũ actu distinguantur? dicemus ar. vltimo huius quęstionis.

Obiectio Radæ. — Occurrit tamẽ Rada in dicta controuersia quarta in 3. argumento pro quarta conclusione pagin. 62. col. 2. nititurq; probare solutionem nullo modo satisfacere argumento. Nam (inquit) non est actualis distinctio actuũ sine actuali distinctione obiectorum. Sed omissa huius propositionis maiore consideratione, obiectio vim nõ habet, nisi supponat actus intellectus, & volumtatis in Deo esse actualiter distinctos ex natura rei secluso quocunque intellectu. At suppositio petit principium; id enim negamus Scoto. Quando verò inquirit, an actus illi terminentur ad veritatem, & bonitatem sub vna ratione, an sub diuersis? ex solutione ad secundum patet solutio: quoniam actus intellectus, & voluntatis terminantur ad diuinam essentiam sub pluribus rationibus, non actu, sed virtute distinctis. Quare solutio Caietani adhùc vim habet.

Solutio. — In quinto argumento consequentia est omninò inutilis; quia synonymitas tollitur, quanuis significetur vna, & eadem res; si tamen significatur non sub vna ratione, sed sub diuersis, vt expressè docet D. Thomas 1. p. q. 13. ar. 4. in fine corporis, & ad primum. Quare licèt nomina attributorum significent vnam, & eandem rem cum omnimoda actuali

41. Solutio 5. — D. Thomas

identitate; tamen quia eam significant sub diuersis rationibus, non solùm formalibus, sed etiam obiectiuis; quibus ex parte Dei respondent plures rationes formales; si non actu, virtute tamen distinctæ; nullo modo possunt dici in significando synonyma. Nec obstant, quæ

Obiectio Radæ præcluditur. *Herrera.*

obijcit Rada in dicta controuersia 4. in 2. argumento quartæ conclusionis, §. *Huic argumento* pag. 62. col. 2. ex Herrera in dicta disp. 14. q. 1. in secundo argumento quartæ sententiæ, pag. 462. quoniam ad rationem synonymitatis parũ refert, quod nomina principaliùs significẽt res, aut minùs principaliter: cùm enim negandum non sit ea etiam significare conceptus, vt docent Logici in cap. 1. primi de interpretatione, & Cursus Conimbricẽsis ibi q. 5. ar. 2. nec etiã negandum erit nomina significare res mediantibus conceptibus; quia id docuit Aristoteles in d. c. 1. & D. Thomas in dict. q. 13. ar. 1. & 4. Negandum igitur non est synonymitatem nominum non solùm esse expendendam ex rebus, sed etiam ex earum conceptibus: vtrunque enim requiritur ad synonymitatẽ; identitas scilicèt rei, & identitas conceptus. Debet igitur & res esse vna, & conceptus vnus saltèm ratione. Quarè sicùt si res significata non fuerit eadem, sed diuersa, omninò tollitur synonymitas nominis; ita etiam tolletur, si conceptus non fuerit ratione vnus.

Arist. *D. Thom.*

42. Dubium. Responsio Radæ, & Herreræ. Vera sententia.

Si verò quæras à quanam identitate principaliùs pendeat nominis synonymitas? Rada, & Herrera satis indicant eam principaliùs pendere ab identitate rei: ego verò oppositum censeo; quoniã synonimitas per se primò posita est in identitate rationis formalis per cõceptum formalem representatæ: ideò enim nomen dicitur cum alio synonymum; quia significat vnam rem sub vna ratione formali, vel quasi formali. Et indè est, vt manente identitate rei, si varietur ratio formalis, sub qua significatur, necessariò tollatur synonymitas: quæ tamen non tolleretur, si per impossibile manente vna ratione formali ex parte conceptus res significata non sit vna: ob quam rationem Petrus, & Ioannes in homine habent rationem synonymam. Sed de hoc latiùs disputare, nõ est huius loci: satis sit solutionem argumenti non satis philosophicè impugnari ab Herrera, & Rada. Vtrùm autem nomina attributorum synonyma sint in diuino intellectu? alterius est quæstionis, de qua in artic. vltimo, & iterùm in quęstione sequente.

Ad sextum patet solutio ex ijs, quæ diximus in quæstione prȩcedente ar. 8. §. 3. ad 5: concesso enim antecedente neganda est consequentia: quia vt vnum prædicatum dicatur de vno attributo, & negetur de alio, satis est distinctio virtualis, quæ inter attributa datur sine vllo intellectu; nec est necessaria distinctio actualis præcedens omnem intellectum. Ita respondent omnes, qui cõtra Scotum sentiunt, & inter illos Molina, Suar. & Valentia in locis ibi citatis. Concinunt antiquiores, dùm docent ad id satis esse distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ est sententia Diui Thomæ, quam probant Capreolus, Aiala, Torres, Cumelius, Molina, Suarius, & Bellomontanus, quos etiam eo loco citauimus. De qua solutione plura in quæstione de distinctione essẽtiæ à personis.

43. Solutio sexti.

Ad septimum admittimus veritatem illarum propositionum non haberi ex solo intellectu; quasi solus intellectus illis veritatem tribuat; sed ideò esse veras, quia conformes sunt rei, quam anũtiant. Quæ est doctrina Diui Thomæ vbicunque hac de re loquitur; semper enim docet pluralitatem, & distinctionem attributorum habere fundamentum in ipso Deo; ita vt omnes nostri intellectus conceptiones aptentur rei significatæ: nam in primo dist. 2. quęst. 1. artic. 3. §. *Quantum verò ad quartum*, postquàm dixit pluralitatem rationum attributalium non tantùm esse ex parte intellectus, sed etiam ex parte Dei, ita scribit; *Et ideò pluralitati istarum rationum respondet aliquid in re, quæ est Deus: non quidèm pluralitas rei, sed plena perfectio: ex qua contingit, vt omnes istæ conceptiones ei aptentur.* Quid est conceptiones ei aptari, nisi conceptiones cum re significata conformari? Conformatió autem intellectus cum re intellecta est formaliter veritas, quę in propositionibus reperitur. Quod magis declarat inferiùs in §. *& sic patet ad* 4: explicans enim pluralitatẽ attributorum etiã pendere ex parte Dei,

44. Solutio septimi.

D. Thom.

ita ait: *In quantum scilicèt aliquid in Deo correspondens omnibus istis conceptionibus; plena scilicèt, & omnimoda ipsius perfectio: secundùm quam contingit, quòd quodlibet nominum significantium istas conceptiones de Deo verè, & propriè dicitur.* Vndè in 1. d. 22. q. 1. ar. 3. ad 4. docet pluralitatem attributorum saluari in ipsa re significata secundùm veritatem rei: ita vt etiam à re significata habeat firmitatem, quod etiam asseruit in 1. d. 2. q. 1. ar. 3. ad 5: & hæc est communis doctrina theologorum, de qua plura diximus in præcedente quæstione ar. 6. §. 2. & 3. Itaque propositiones illæ ideò sunt veræ; quia conformes sunt rei significatæ.

45. Quarè concedimus illas supponere id, quod enuntiatur, ita esse in re, vt enûtiatur: quia re vera sapientia à parte rei sublato quocunque intellectu formaliter non est bonitas; non quidèm distinctione actuali, sed virtuali: quatenùs virtute distinguitur à bonitate. Quæ virtualis distinctio non solùm est caussa, vt intellectus possit prædicando diuidere vnam perfectionem ab alia; sed etiam vt verè eam diuidat. Quarè argumentum in hoc deficit, quòd supponit propositiones illas non posse habere veritatem, nisi à parte rei ante omnem intellectum detur in rebus significatis actualis distinctio, actualisque negatio ex actuali distinctione consequês: in quo est euidens deceptio; quia satis est virtualis distinctio, vt intellectus possit propositiones illas negatiuas formare: est enim radicale fundamentum, vt vna perfectio possit ab alia actualiter negari.

46. Solutio octaui. Ad octauum primò respondere possumus, vt respondimus in ar. 8. præcedentis quæstionis §. 3. ad 3. argumentum: concessa enim maiore, atque minore neganda est consequentia: nam quanuis attributa inter se magis distinguantur, quàm Deus, & deitas: quanuis etiam Deus, & deitas actu distinguantur sola ratione; non proindè benè infertur attributa plusquã ratione inter se distingui: nam cùm distinctio rationis intra suos limites habeat latitudinem; fieri potest, vt intra terminos distinctionis rationis attributa inter se magis distinguantur, quàm Deus, & deitas. Quod rectè dicitur: quoniam tàm attributa inter se, quàm Deus, & deitas actu distinguuntur sola ratione: Deus autem minùs distinguitur à deitate, quoniam solùm distinguitur ex diuerso significandi modo, vt plures volunt: attributa autem distinguuntur suis rationibus formalibus. Meritò igitur negatur illa consequentia à Molina 1. parte q. 28. ar. 2. disputatione 2. ad 8. & à Bellomontano 1. parte disput. 121. cap. 5. numer. 18. §. *Fateor ego.* Quæ solutio optima est, si sermo sit de sola distinctione actuali: hanc enim attributa inter se non habent, vt considerantur ante intellectum, sed solùm proút sunt in eo. Abstrahendo tamen à distinctione actuali, & virtuali, concedendum est attributa maiori distinctione inter se distingui, quàm sit distinctio rationis, quia inter se distinguuntur ante omnem rationem. At indè ineptè infertur distinctio actualis, cum præter illam detur distinctio virtualis. Vndè consequentia continet fallaciam à pluribus caussis ad vnam caussam.

Molina. Explicatio solutionis. Altera solutio.

47. Solutio noni. Ad nonum dicendum est, vt diximus ad quartum Scoti in ar. 8. præcedentis quæstionis §. 3: nec enim ante omnem intellectus operationem actu datur vllus ordo inter attributa, sed solùm virtute, vt ibi diximus ex Fonseca in 5. Metaphysicę cap. 1. q. 3. sect. 3. §. *Alterum desumitur.* pag. 29. in principio, satis ex mente Caietani de ente, & essentia cap. 6. q. 12. ad 6. Scoti: in hoc enim sensu intellectus præsupponitur ad voluntatem, & immutabilitas ad æternitatem. Iam verò ordo virtualis satis est ad fũdandum ordinem demõstratiuum, quo vnum attributum ex alio demonstratur, vt benè annotauit Caietanus vbi suprà, & satis docuerunt Capreolus in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. ad 9. Scoti contra primam folio 125. column. 2. & Aiala ibi ar. 4. folio 104. ad 9. eiusdem, & Soncinas ibi concluſ. 4. ad 7. & 8. eiusdem contra eandem. Apud quos inter perfectiones datur æqualitas negatiuè; quatenùs vna in Deo non excedit aliam, ad quam æqualitatem satis est distinctio virtualis.

Fonseca. *Caietanus.* *Capreolus.* *Aiala.* *Soncinas.*

48. Solutio decimi. Ad decimum cõcessa maiori negãda est minor, vt benè ait Caietanus vbi suprà ad vltimum Scoti: nam licèt distinctio formalis, & specifica emanationũ fundetur *Caiet.*

fundetur in distinctione intellectus, & voluntatis; non tamen distinctio realis illarum, vt Caietanus loco citato aduertit, & explicauit Suarius lib. 1. de Trinitate cap. 9. n. 3. & 4. & ante eos Aiala in 1. d. 8. q. 4. ar. 4. ad primum Scoti contra primam fol. 103. column. 4. & indè est, vt Scotus frustra finxerit distinctionem formalem actualem inter intellectum, & voluntatem, vt in ea fundaret realem distinctionem emanationũ, siuè processionum pasiuarum, vt benè contra eum aduertit Bellomontanus 1. p. disp. 16. in vltimis verbis. Quin potiùs nec ipse Scotus in ea perstitit sententia; quia alibi docuit emanationes istas ideò realiter distingui, quia se totis distinguuntur, vt quia sint processiones quædam totales, vt scribit in 1. dist. 13. q. 1. Vndè autem emanationes istæ per se sumãt realem distinctionem; alterius est quæstionis, de qua in 1. d. 13. & apud D. Thomam 1. p. q. 27. ar. 5. & q. 36. Vide Bellomontanum 1. p. disp. 148. per totam, & Suarium lib. 1. de Trinitate cap. 9. Si verò quis obijciat indè sequi formalem distinctionem emanationum fũdari in distinctione intellectus, & voluntatis: Cum verò emanationes secluso intellectu formaliter distinguantur; benè infertur intellectũ, & voluntatem distingui inter se secluso intellectu. Si quis, inquam, ita obijciat, respondendum erit argumentum conuincere admittendam esse aliquam distinctionem ex natura rei, quæ intellectum præcedat: hanc tamen non esse actualem, sed virtualem, vt benè aduertit Caietanus vbi suprà, & vno verbo explicauit Capreolus vbi suprà ad primum Scoti contra primam fol. 124. dũ ait satis esse dari à parte rei inter intellectum, & voluntatem inchoationem distinctionis, quam nos appellamus distinctionem virtualem.

Caietanus. Aiala. *Scotus.* *Obiectio.* *Responsio.* *Caietanus.* *Capreolus.*

49. Solutio 11. Ad vndecimum non desunt, qui admittant consequentiam; quoniam sublato intellectu sapientia idem est formaliter, quòd bonitas. Sed neganda est sequela: quoniam licèt Deus formaliter sit sapiens illa perfectione, quæ formalitate quadam vnitissima est sapiẽtia, & bonitas; non tamen est sapiens illa perfectione, prout est formaliter bonitas, sed prout est formaliter sapientia. De quo plura dicemus in sequente quæstione.

50. Solutio 12. Duodecimum argumentum petit difficultatem, an, & quando vnum attributũ possit de altero in abstracto prędicari? Quæ etiam pendet ex alia; an vnum attributum alterius essentiam ingrediatur? De quibus quæstionibus disputandum erit in quæstione sequente. Nùnc satis sit dixisse admittendas esse propositiones, in quibus vnum attributum de altero prædicatur in abstracto, vt sapientia est iustitia: similes enim propositiones frequenter inueniuntur apud Patres. Controuersia tamen est, in quonam sensu sint admittendæ? Quidam illas admittunt in sensu formali, vt Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 2. dubio 3. §. *Tertio voluntas, & intellectus*, fol. 152. column. 4. & Suar. lib. 1. de essentia Dei cap. 14. numer. 7. vbi asserit hanc esse communem sententiam Thomistarum. Imò putat hanc sententiam sine dubio esse Augustini, Anselmi, D. Bernardi, & D. Thomæ. Alij volunt illas in sensu formali simpliciter esse falsas, & solùm admittendas esse in sensu identico. Ita Capreolus in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. non ad 11. Aoreoli contra primam (vt malè citant Bellomontanus, & Suarius) sed ad 22. eiusdem contra secundam fol. 129. col. 2. Gregorius ibi q. 2. ar. 2. quos etiam sequitur Bellomontanus 1. p. disp. 119. cap. 2. Quænam sententia sit tenenda; explicabimus in sequente quæstione. Nùnc satis sit ostendere argumentum vim non habere, siuè vnam, siuè alteram sequaris sententiã. Nam iuxta priorem ad argumentũ admissa sequela neganda est minor.

Controuersia. *Torres.* *Capreolus.* *Gregorius.*

51. Ad cuius probationem respondent ex eo, quòd sapiẽtia est iustitia, non benè inferri sapientiam punire, si iustitia punit: nec intellectum velle, si voluntas vult; quantunuis intellectus sit volũtas. Ita habes apud Suarium vbi suprà num. 10. & apud Torres loco citato fol. 53. col. 1. §. *At opponimus*. Quam solutionem in quæstione sequente latiùs expendemus. Auctores tamen posterioris sententiæ admittunt sequelã in sensu identico, non tamen in formali. Quæ solutio longiore indiget explicatione, de qua in sequẽte quæst. Nùnc solutionem ita intelligito; quoniam hęc propositio:

Sapientia est iustitia, duos potest facere sensus identicos. Primus est, si ex eo dicatur identica; quia vtrunque extremum est eadem res: in quo sensu Scotus illam propositionem admittit. Secundus est, si dicatur identica, quia tàm sapientia, quàm iustitia est illa ipsa formalitas, quæ vnitissimè, atque formaliter est omnis perfectio; vt sit sensus: sapientia formaliter est illa perfectio, quæ formaliter est bonitas: in quo sensu etiam est verissima. Quarè illa propositio sapientia est iustitia in vtroque sensu identico est admittenda: non tamen admittenda est in sensu formali; ita vt sapientia formaliter sit iustitia, aut bonitas. Nam quanuis sapientia formaliter sit illa vnica perfectio, quam in diuinis agnoscimus: non tamen adæquatè, & totaliter est tota illa perfectio: sicùt etiam illa vnita perfectio, quæ formaliter vnitissimé est omnis perfectio; quanuis tota totaliter, & adæquatè sit omnis perfectio: non tamen totaliter, & adæquatè est sapientia, sed inadæquatè solùm: idque propter virtualem distinctionem, quam in sua actuali totalitate admittit secluso omni intellectu, de quo aliquid dicemus in artic. 7. & latiùs in quæstione sequente. Itaq; sapientia, quanuis sit cum iustitia actualiter identificata, & vnita in illa actuali formalitate vnitissima, quam agnoscimus in Deo, non tamen est ipsa formalitas iustitiæ, sed virtute ab ea distinguitur. Quarè propositio ista, *sapientia est iustitia*, in sensu formali semper est falsa, etiam vt est in Deo; quia in ipso Deo semper virtute distinguitur à iustitia.

Sensus identicæ duplex.

52. Ad postremum argumentum sumptum ex Augustino in lib. 3. contra Maximum cap. 10. respondent D. Thomas in primo dist. 19. in expositione literæ, Gregorius in primo dist. 8. q. 2. artic. 2. Capreolus ibi quæst. 4. artic. 3. ad 13. Scoti contra primam fol. 128. colum. 3. & Aiala ibi q. 4. artic. 4. ad 13. eiusdem Scoti folio 104. col. 3. & Soncinas ibi quæst. 4. conclus. 4. ad decimum argumentum. Ex quibus patet longè aliam esse mentem, & intentionem Augustini ab ea, quam Rada cum Scotistis explicat. Nam postquàm Augustinus aduersus Maximinum constituit personam Patris (quam solam hæreticus appellabat Deum) habere plures perfectiones, non tanquàm partes, ex quibus componeretur; idque propter summam illius simplicitatem (in hoc enim cum hæretico conueniebat) ita scribit: *si ergo in vna Patris persona plura inuenis, & partes non inuenis; quanto magis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & propter indiuiduam deitatem vnus est Deus; & propter vniuscuiusque proprietatem tres personæ sunt; & propter singulorum perfectionem partes vnius Dei non sunt?* Ex quibus verbis euidenter constat intentum Augustini non esse probare realem personarum pluralitatem ex pluralitate perfectionum attributalium; sed probare diuinas personas non esse partes vnius Dei ex eo, quod plures perfectiones in vna persona Patris non sint partes illius personæ.

Soluitio vltimi. *D. Thom. Gregorius. Capreolus.* *Aiala. Soncinas.*

53. Arguit autem sumpto argumento ex ratione eiusdem hæretici: ideò enim hæreticus nolebat perfectiones attributales in Patre habere rationem partiũ componentium ipsam Patris personã; quia illa erat summè perfecta, & simplex. Ex hac igitur ratione veluti ex datis arguit Augustinus contra hæreticum personas diuinas esse vnum Deũ absque eo, quòd sint partes illius: quoniam & Deus ipse est omninò perfectus, & simplex. Hæc est mens, & intentio Augustini: hæc vis argumenti ab eo facti. In quo autem sensu hæreticus admiserit in Deo plures perfectiones attributales, nobis non constat. Fortè eas admittebat, vt distinctas realiter; & ideò nolebat admittere personam Patris esse ex illis compositam; quia summam simplicitatem in illa agnoscebat. Indè Augustinus motus fuit, vt ex datis hæreticum conuinceret. Et hæc dicta sint pro solutione argumentorum Scoti.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm sublato intellectu attributa inter se ex natura rei distinguantur formaliter virtualiter?

1. COnstituimus in præcedẽtibus articulis nullam actualẽ distinctionem dari posse inter diuina attributa, nisi per solam rationem. Superest inqui-

inquirere, an sublato omni intellectu admittenda sit inter illa distinctio, quæ iam communiter appellatur virtualis? Quam quæstionem excitauimus in quęstione præcedente circa distinctionem attributorum ab essentia.

2. Pars negãs. Ex ijs, quæ ibi diximus ar. 6. §. 1. constat Nominales non admissuros hãc distinctionem virtualem inter attributa: quoniam omnem distinctionem ab illis relegant. Constat secundò partem negantem probaturos esse, qui nullam distinctionem inter attributa admittunt, nisi rationis ratiocinantis: hi enim, vt consequenter loquantur, nullam admittẽt distinctionem ante intellectum, nec actualem, nec virtualem. Denique constat Bellomontanũ, vt secum concinat, hanc virtualem distinctionem negaturum esse: in ea enim est sententia, vt ex parte rei, quæ distinguitur, nullum detur fundamentum, nullumq; vestigium pluralitatis, aut distinctionis. Non negat attributa actu inter se distingui distinctione rationis. Nec etiam negat distinctionem rationis habere aliquod fũdamentum à parte rei extra intellectũ, à quo intellectus moueatur ad formandos plures conceptus de re simplici: at tamen negat aliquam distinctionem rationis dari, quæ habeat fundamentum in ipsa re per rationem distincta. Quarè satis euidenter negat in re, quæ distinguitur, dari aliquam distinctionẽ fũdamentalem, siuè virtualem; non modo ante intellectum; sed nec in ipso intellectu. Id primò probat ex D. Bernardo lib. 5. de consideratione, dùm ait Deum solùm signari, & distingui pro captu nostro, non pro statu suo. Deindè ex Diuo Thoma, quatenùs docet ex parte Dei esse omnimodam vnitatem; multiplicitatem verò solùm dari ex parte creaturarum.

{Bellomontano tribuitur.

Prima probatio.

Secunda.

Tertiò; quia ex D. Bernardo, & ex D. Thoma caussa adęquata, cur intellectus noster intelligendo Deum diuidat per plures conceptus, est sola imbecillitas nostri intellectus, quatenùs in via non potest videre Deum, sicuti est: nam beatus, ideò quia Deum clarè videt, non potest de Deo plures conceptus formare, nec facere distinctionem rationis inter attributa. Et ob eandem rationem nec diuinus intellectus potest intelligendo distinguere suas perfectiones. Hęc omnia latiùs ostendimus in præcedente quæstione ar. 6. §. 1.

3. Tertia.

His tamen non obstantibus partem affirmantem cum communi sententia ibi resoluimus: in qua etiam sententia nunc persistimus; dicimusque sublato quocunque intellectu admittendam esse ex natura rei inter attributa distinctionem formalem virtualem. Hanc esse sententiam D. Thomæ addnctis pluribus locis ostendimus ibi §. 2. Deindè §. 3. diximus hanc esse sententiam Caietani, Heruæi, Torres, Cumelij, Banhes, Molinæ, Valentiæ, Franciſci nostri, Suarij, Fonsecæ, Cursus Conimbr. & tandẽ Herrerę. Nùnc addimus Capreolum in 1. d. 8. q. 4. ar. 1. concl. 5. in fine. Ostendimus etiam hanc sententiam satis consentire cum doctrina Augustini libr. 6. de Trinitate cap. 14. quatenùs diuinam simplicitatem appellat multiplicem. Adduximus etiam Magnum Dionysiũ, quatenùs in libro de diuinis nominibus cap. 2. multis ostendit in diuinis dari vnitionem discretam, & discretionem vnitam, non solùm in ordine ad emanationem personarum; sed etiam creaturarum: ratione cuius discretę vnitionis in eodem libro cap. 13. diuinam vnitatem sæpissimè appellat supereminentẽ, superunitam, & superexcedẽtem; quia singularem quẽdam modum habet vnitionis.

4. Pars affirmans præfertur.

Non est igitur audiendus vnus Bellomontanus, dùm contra communem theologorum, & mentem Patrum, nec vestigium pluralitatis, aut distinctionis vult admittere ex parte diuinæ essentiæ; cum tamen non possit non admitti ex natura rei in ipsa diuina essentia vnitas quædam, & simplicitas virtute multiplex, & suo modo discreta, vt diximus ex Dionysio, & Augustino; quæ sit radix, & fundamentum earum distinctionum, quæ inter attributa facit noster intellectus.

5. Bellomontanus reijcitur.

Argumenta autem, quibus nititur Bellomontanus, latè dissoluimus in dicto articulo 6. §. 4. Nùnc supereſt explicare naturam, & modum huius virtualis distinctionis; quod in sequenti articulo commodiùs explicabitur.

Solutio probationum.

ARTICVLVS VII.

In quonam sensu attributa dicantur virtute distingui?

§. 1.

Adducuntur, & impugnantur nonnullæ explicationes.

1. Prima explicatio.

RES ad explicandum proposita, & intellectu difficilis est, & explicatu difficilior. In qua varij sunt explicandi modi. Prima explicatio est eorum, qui putant ideò hanc distinctionem dici virtualem; quia ante omnem actum intellectus apta est causare distinctos conceptus, & facere actualem distinctionem rationis inter attributa: ob quam caussam eam etiam appellant distinctionem aptitudinalem: ita Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 1. in 2. parte, §. *Duplex itaque est*, fol. 48. colum. 2. distinctionem in potentia appellat Hēricus quodlib. 5. q. 1. litera R. & Magister Alexander de Sancto Elpidio nostri ordinis quodlib. 1. q. 2. Fauet huic expositioni Paludanus relatus à Capreolo in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. ad confirmationem argumenti decimi quinti Aoreoli contra secundam fol. 128. col. 4. §. *prædictis consonat*, cùm ait hanc distinctionem esse distinctionē rationis inchoatiuæ, quasi sit quædam veluti inchoatio illius. Annuent facilè qui hanc distinctionem vocant fundamentalem, vt Caietanus de ente, & essentia cap. 6. q. 12. art. 3. & ita appellāt ferè omnes, inter quos Suarius lib. 1. de essentia Dei cap. 13. num. 2. & 5. & lib. 4. de Trinitate cap. 4. num. 15. quia scilicèt in ea fundatur actualis distinctio rationis, quasi in ista virtualiter contenta. Vndè hæc etiam distinctio à pluribus dicitur distinctio rationis ratiocinatæ, vt patet ex Suario in dicto num. 15. & ex Fonseca in 5. Metaph. cap. 6. q. 6. sect. 3. & q. 7. sect. 3. in principio: quia scilicèt nostra ratio ex hac virtuali distinctione ratiocinatur actualem distinctionem inter eadem attributa. Itaque apud istos auctores hæc distinctio, ideò dicitur virtualis; quia apta est fundare, & de facto fundat actualem distinctionem rationis.

Torres. Henricus. Alexā. de Sancto Elpidio. Paludan. *Caietanus.* *Fonseca.*

2. Reijcitur.

Hæc tamen explicatio nequaquam placere debet: nam quamuis distinctio ista virtualis possit dici distinctio rationis aptitudinaliter inchoatiuè, & fūdamentaliter, ideò quia ab ea, tanquàm à radicali fundamento caussatur actualis distinctio, quam facit intellectus: nō placet tamen, quòd ea sola de caussa dicatur virtualis, quòd possit fundare distinctionem rationis: excellentior enim est, quàm, vt virtus eius solùm respiciat rationis distinctionem; vt satis probāt, quæ de eminentia illius scribit Magnus Dionysius: nec enim plurimùm contineret mysterij, si ob hanc solam aptitudinem, & virtuositatem diceretur virtualis. Quarè vnitas perfectionis diuinæ (quam Dionysius singularem, & superexcedentem appellat) non ideò virtute est plures; quia potest fundare distinctionem rationis: sed è cōuerso, ideò potest fundare illam distinctionē; quia in se ipsa ex sua natura est singulari quodam modo virtuosa, & eminens.

Dionysius.

3. Quarè posse fundare distinctionē rationis sequitur veluti quædam passio ad eminentiam, & virtualem multiplicitatem vnitatis diuinæ, eamque supponit, & ideò ratio per se huius virtuositatis, & eminētialis multiplicitatis per se collocanda est in aliqua priori ratione excellentiori: & hanc inquirimus. Vndè colliges distinctionem istam, nec satis accommodatè enumerari à Fonseca inter distinctiones rationis, nec satis aptè appellari rationis ratiocinatæ: patet enim distinctionem istam nostro intelligendi modo priùs natura habere rationem distinctionis, quàm illi conueniat posse fundare distinctionem rationis. Quod non solùm verum est, quatenùs hæc distinctio reperitur in diuinis, sed etiam proùt reperitur in rebus creatis: nam cùm tàm in diuinis, quàm in creatis conueniat ex natura rei; in vtrisque priùs natura est distinctio virtualis, quàm sit aptitudo fundandi distinctionem rationis.

Fonseca.

4. Quarè nos artic. 2. huius quæstionis distinctionem ex natura rei accommodatiùs diuisimus in realem, & formalē: formalem autem in actualem, & virtualem. Sed de his alibi.

5. Secunda explicatio.

Secunda explicatio est quorundam recentiorum, qui putant distinctionem istam ideò dici virtualem; quia diuina perfe-

perfectio vna in se virtute continet perfectiones creatas, quæ in creatis realiter plurificantur. Itaque ideo perfectiones diuinę dicuntur virtute plures, & distinctæ; quia in se ipsis virtute, & eminẽter continent plures, & distinctas perfectiones, quæ sunt in creaturis. Rem istã declarãt sũpto exẽplo à luce solari: hęc enim quanuis realiter, & formaliter sit vna qualitas; virtute tamẽ est plures: quia virtute, & eminenter continet non solùm plures, & distinctas virtutes, calefactiuam scilicèt, & exsiccatiuam, quæ sunt in igne; sed etiam distinctos illarũ virtute effectus. Quæ explicatio non lõgè est à mente Suarij lib. 4. de Trinitate c. 4. n. 16. dum putat hanc attributorum distinctionem sumi per habitudinem, & proportionem ad effectus, & pprietates habentes actualem distinctionem in creaturis.

6. Improbatur primo. Sed nec ista explicatio est recipiẽda. Primò; quia supponit pefectiones attributales suam pluralitatem, & distinctionem sumere ex habitudinè ad res creatas actualiter inter se distinctas. Quod tamen nec in omnibus attributis est admittendum, sicùt idẽ Suarius nõ admittit; nec in aliquibus, de quo statim plura ar. 8. & 10. Secundò; quia explicatio illa supponit vnicam illam perfectionẽ Dei non formaliter, sed solùm virtute continere perfectiones simpliciter, quę in creatis sunt dispersæ. Hoc autem esse falsum statim ostendemus. Quòd autẽ illud supponat, satis ostendit exemplum allatum ex luce solis: lux enim illa ita continet effectus potentiæ calefactiuę, & exsiccatiuæ ignis, calorem scilicèt, & siccitatem, vt licèt ipsum solem reddat formaliter potentem calefacere, & exsicare; non tamen illum reddit formaliter calidum, aut siccum: cum tamẽ diuina perfectio, quantumuis sit vnica, non solùm reddat Deum potentem sapere, iusta operari, & cæt. Sed etiam reddat eum formaliter sapientem, formaliter iustum, & cæt. Quare non possum non admirari, quòd Molina vir alioquin perspicacis ingenij prima p. q. 28. ar. 2. disp. 2 concl. 3. ad hunc sensum sæpe diuertat.

Secundo.

7. 3. explicat. Tertia explicatio est quorundam recentiorum, qui ideo hanc attributorum distinctionem dicunt esse virtualẽ; quia diuina perfectio eas omnes perfectiones virtualiter cõtinet, & eminẽti quodam modo: est enim virtualiter, atque eminenter sapientia, iustitia, bonitas, & cæt. Hæc tamen explicatio ex eodem fundamento reijcienda est, quo præcedentẽ reiecimus: nam quanuis primum vitauerit absurdum; non tamen secundum: adhùc enim supponit diuinam perfectionem non esse formaliter suas perfectiones, sed solùm eminenter, & virtualiter; contra quod statim dicemus. Reijcitur.

8. 4. Banhes. Quartam explicationem inueni apud Dominicum Banhes 1. p. q. 28. ar. 2. dub. 3. concl. 3. pagin. 1109. column. 1. putat enim distinctionẽ istam ideo apppellari virtualem; quia licèt iustitia sit sapientia, bonitas, & cæter. tamen essentia diuinina ita est iustitia, atq; si nihil aliud esset, quàm iustitia. Sed explicatio friuola est, nec satis theologa: nam licèt essentia diuina ex sua eminenti perfectione habeat, quòd formaliter sit iustitia: non tamen ex eà habet, quòd ita sit iustitia, atquè si nihil aliud sit, quàm iustitia, quin potiùs ex illa eminentiali perfectione vendicat sibi, vt quantũuis perfectissimè sit iustitia; perfectissimè etiam sit sapientia, bonitas, & cæt. Improbat.

§. 2.
Vera expositio.

9. VEra igitur explicatio huius virtualis distinctionis sit, vt perfectiones attributales ideo sint, & dicantur virtualiter distinctæ; quia ita sunt in Deo, & ita singulæ sua propria exercent, ac si essent realiter distinctæ. Ita formaliter Caietanus 1. p. q. 39. ar. 1. §. *ad secundam verò*, & post longam disputationem ita etiam concludit de ente, & essentia cap. 6. q. 12. in vltimis verbis. Et ad hunc sensum reducũtur, quæ scribit Molina 1. p. q. 27. ar. 2. disp. 2. concl. 3. & satis significauit Valentia primo tomo disp. 1. q. 13. punct. 3. pagin. 279. Aiunt attributa, licèt vnum quid sint simplicissimum, dici posse virtualiter distingui; quia ob suam infinitatem in illa sua vnitate sufficiunt ad omnia, ad quæ sufficerent, si actu distinguerentur. Itaquè perfectiones attributales ideo dicuntur virtute distingui; quia sub illa actuali indistinctione ad omnia valent. *Caietanus.* *Molina.* *Valentia.*

ad quæ valerent, si essent actu distinctæ. Quæ explicatio vel ex eo probanda venit, quòd expressè est Augustini lib. 15. de Trinitate cap. 17. in hæc verba: *Nec distant in eis ista* (agit de perfectionibus attributalibus Dei) *sicùt in nobis aliud est memoria, aliud est intellectus, aliud intelligentia, aliud dilectio, siue charitas: sed vnum aliquid sit, quòd omnia valeat.* Quid est; *quòd omnia valeat?* nisi quia illa vnitissima perfectio sub illa actuali vnitate & indistinctione virtuosa est, & potens per singulas illas perfectiones formaliter operari, quæ illæ operarentur, si in ipsa actu essent distinctæ formę Deum formaliter perficientes. vide q. 9. ar. 2. §. 2. & 3. Quare, cùm hæc sit explicatio Augustini nō est quærenda alia, maximè cum omnes dirimat difficultates.

Probatur ex Augustino.

10. Illatio.

Ex qua verissima explicatione infertur istam virtualem distinctionem conuenire diuinæ perfectioni ex sua natura & in ordine ad ea, quę intùs sunt in Deo: quatenus illa, quæ actu est vna, multifariam Deum perficit: etenim illum reddit formaliter sapientem, formaliter iustum, & bonum, & cæt. Quare distinctio ista virtualis non modo conuenit diuinis perfectionibus secluso omni opere intellectus (quæ est principalis resolutio) sed etiam illis priùs conuenit, quàm fundamentalis, & radicalis ordo ad distinctionem rationis faciendā per intellectum, vt dicebamus contra primam explicationem: etenim si per impossibile nullus daretur talis ordo, adhùc daretur in diuinis illa virtualis distinctio; quia adhùc Deus esset multipliciter in se ipso perfectus: adhùc enim esset iustus, sapiens, bonus, & cæt. essetq; iustus formaliter per iustitiam, & non per sapientiam; & formaliter sapiens per sapientiam, & non per iustitiam. Nec enim puto audiendos esse, qui volūt perfectiones diuinas, vt sunt in Deo, ita se habere, vt formaliter sapientia sit iustitia, bonitas, & cæt. Puto etiam istas propositiones: *filius Dei non producitur voluntate: Spiritus Sanctus non producitur intellectu*, non posse tutè non concedi, etiam si omnis ordo à nostro intellectu tollatur: nam, cū à parte rei productio filij sit generatio; non tamen talis sit productio Spiritus Sancti: vtique à parte rei secluso quocunque ordine ad rationem filius producitur per intellectum, non verò Spiritus Sanctus. Iam verò ridiculum est (ne dicam temerarium) asserere filium habere rationem geniti, nō verò Spiritum Sanctum, dependēter ab ordine ad nostrum intellectum potentem distinguere in Deo intellectum à voluntate.

11. Summa resolutionis.

Quare concedendum est distinctionem virtualem dari ex natura rei in diuinis perfectionibus omninò independenter à distinctione rationis, quam noster intellectus potest facere: & per consequens nostro modo intelligendi admittendam esse distinctionem illam virtualem in diuinis perfectionibus in aliquo signo priori, in quo nondum intelligatur aliquis ordo, aliquavè habitudo ad distinctionē rationis: quę per intellectum possit fieri. Sed de hoc iterum redibit sermo ar. 10 §. 6. n. 65. & 66.

ARTICVLVS VIII.

An attributa à nobis valeant distingui sine ordine ad creaturas?

§. I.

Referuntur variæ opiniones.

I. Bellomontanus 1. p. disp. 117. c. 3. n. 6. affirmat se vidisse neminem, qui partem negantem non probaret. Vnde putat omnes in hoc conuenire, vt intellectus viatoris minimè possit in Deo plura distinguere, nisi respiciat creaturas re ipsa distinctas. Sed non omnes legit, qui hac de re scripserūt: varij enim sūt de hac quęstione dicēdi modi.

Pars negās

Partem negantem non nullos probasse testis est Scotus in 1. d. 8. q. 4. litere A. §. *ad hærentes huic opinioni*, & §. *alij declararūt*. Vbi additio marginalis, & communiter interpretes Scoti hanc sententiam tribuunt Henrrico quodlib. 5. q. 1. & 3. & Godofredo quodlib. 7. q. 1. & quidem Godofredum simpliciter ita sensisse ferè omnes affirmant: de Henrico aliquādo dubitaui; sed nunc affirmo eum verbis expressis illam asseruisse in d. q. 1. nō solùm ex sententia quorūdam litera D. sed ex propria sententia ibi litera Y. & ad finem quæstionis litera C. Eandem in terminis probauere Durandus in 1. d. 2. q. 3. n. 15. & Heruæus ibi q. 3. ar. 3. in tertia

Henricus Godofred.

Durandus Hervæus.

Gerardus. tia opinione, Gerardus noster ibi q. 2. ar. 3. §. *idcirco est alius modus* pag. 144. col. 1. Ex nouioribus Bellomontanus in d. disp. 117. cap. 3. & ante eum Siluester 3. Physic. q. 5. §. *sed aduertendum*, satis eam significat Molina 1. p. q. 28. ar. 2. disp. 3. concl. 1. post principium, citatur Nimphus 12. Metaph. disp. 13. cap. 4. Pro eàdem Bellomontanus citat D. Thomam in 1. d. 2. q. 1. ar. 3. §. *quantum verò ad quartum*, & de potentia q. 7. ar. 6. & opusculo 9. c. 1. 2. & 3. citat etiam Capreolũ in 1. d. 8. q. 4. ar. 1. concl. 4. & ar. 3. ad finẽ; sed quàm benè vtrunque citet, ipse viderit, nam oppositum videntur docere. Pro eàdem citatur Ægidius à nostro Gerardo; sed non satis recte: nihil enim ex eo colligi potest.

Siluester. Molina. Nimphus. D. Thomas Capreolus.

2. Pars affirmans Scot. Partem tamẽ affirmantem in primis probauit Scotus loco citato §. *contra istã positionem*, & §. *contra rationem eius*, vbi totus est in impugnanda opinione negatiua Scotum sequuntur omnes illius interpretes. Eandem affirmantem partẽ clariùs probauit Præceptor Frater Frãcisc̃us à Christo in 1. d. 2. q. 5. concl. 1. vbi agens de intellectu viatoris docet multitudinem rationum, quas de Deo format, non necessariò accipi ex distinctione reali, quæ cernitur in creatis. Paulus etiam Soncinas in 1. d. 8. q. 4. cõcl. 7. his verbis suam declarat conclusionem: *distinctio attributorum in intellectu creato potest esse sine omni habitudine ad creaturam. sed per comparationẽ ad intra*. Quod iterum repetit in solutionibus argumẽtorum. Eadem sentẽtia satis est de mẽte Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 2. dub. 1. dum reprehendit Capreolum, quòd dixerit nullam futurã fore distinctionem rationis in attributis, si nulla posset esse distinctio realis in creaturis, & eandem insinuat ibi dub. 3. Expressè partem istam probauit Aiala in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. notab. 4. ad finem, & melius ar. 4. ad finem §. *ad argumenta Durandi*, vbi expressè docet distinctionem attributorum, nec necessariò, nec vniuersaliter requirere distinctionem realem in creaturis.

F. Franc. à Christo. Soncinas. Torres. Capreolus. Aiala.

3. Et profectò hæc fuit sentẽtia Capreoli, quanuis falsò pro parte negante citetur à Bellomontano. Primó, quia in 1. d. 8. q. 4. ar. 1. concl. 4. simpliciter transit cum D. Thoma in 1. d. 2. quem refert, vbi affirmantem istam sententiam probat, vt videbimus. Deinde, quia id satis exprimit ibi ar. 3. ad argumenta vltimo loco adducta fol. 130. col. 2. Proposita enim quæstione, an attributorum distinctio consurgat ex opere intellectus comparantis Deum ad creaturas; vel ex opere intellectus considerantis Deum in se, ita ait: *Dico quòd S. Thomas videtur in scripto declinare ad hanc partem, quòd scilicèt licèt pro isto statu, quo Deum ex creaturis cognoscimus, consurgat distinctio attributorum in intellectu nostro ex hoc, quòd diuinam perfectionem in habitudine ad creaturas cognoscimus: & ex conceptionibus formatis proportionaliter perfectionibus creaturarum, quæ diuisæ sunt, & particulatæ, tamen posito quòd intellectus noster non cognosceret creaturas, nec vnquã eas vidisset; adhùc posset distinguere diuinam perfectionem sine qua cunque tali habitudine ad creaturas.* Et inferi° col. 3. in principio ita ait: *Ideo dico, quòd distinctio attributorum non solùm prouenit ex opere intellectus comparantis Deum ad creaturas: imò talis distinctio posset esse per intellectũ considerantem Deum in se; quia ex sui limitatione nullam conceptionem habere potest, quæ cõplectiuè representet obiectum.* Vnde eo loco soluit argumenta, quæ pro parte negãte contra priorem suæ assertionis partem adducuntur, quatenus probant intellectum nostrum sine comparatione ad creaturas non posse attributa distinguere: & inferiùs fol. 131. col. 3. in fine soluit argumenta, quæ probant intellectum nostrum nõ posse formare plures conceptus Dei per solam considerationem ad intra. Non est igitur, quòd Bellomontanus citet Capreolum pro parte negante. Sed fefellerunt illum, sicùt & Bartholameũ de Torres verba, quę Capreolus ponit ibi fol. 131. col. 3, in principio in solutione noni argumenti, ita enim ait: *Istud argumentum benè concludit, quòd si nulla posset esse distinctio realis in creaturis, nulla posset esse distinctio rationis inter attributa diuina*. Etenim in his verbis (vt statim ipse declarat) non agit de distinctione rerum, quæ conceptibus respondent, & à quibus intellectus ducitur ad distinguenda attributa: sed solùm agit de distinctione reali conceptuum formalium: nisi enim intellectus creatus posset formare de diuinis perfectionibus plures conceptus realiter distinctos; nulla posset dari distinctio rationis

nis inter attributa; cũ illa in intellectu creato saltem pro statu viæ pendeat à reali distinctione conceptuum formalium diuinarum perfectionum. Quare, nec Torres, nec Bellomontanus rectè intellexere verba Capreoli.

4. D. Thomas pro eadem parte explicatur cõtra Bellomõtanum.

Pro hac etiam affirmante sententia stat D. Thomas in eodem loco, quem citat Bellomontanus, quidquid ipse repugnet: etenim in 1.d.2.q.1.ar.3.§. *quantum ad quartum*, verbis expressis ostendit causſam multiplicationis conceptuum non esse tantum reducendam ad imperfectionem intellectus quatenus non nisi ex creatis potest diuinas perfectiones intelligere; sed etiam ad imperfectionẽ, quatenus est impotens diuinam perfectionem vno conceptu adæquatè concipere. Et ob hanc rationem Capreolus supra citatus fatetur D. Thomam ad eã partem declinare, vt doceat distinctionem attributorum non necessariò consurgere ex opere intellectus comparantis Deum ad creaturas. Quam declinationem ex eo colliges, quòd D. Thomas eo in loco non vnam, sed duplicem causſam multiplicationis conceptuum in nostro intellectu agnoscit. Quæ fuit cõstans doctrina D. Thomę, quam etiam posuit opusculo 9.c.3. & quanuis de potentia q.7. ar. 6. vnam tantùm videatur assignare causſam; non tamen aliam exclusit, sed de ea sola tunc egit; quia tunc illa sola ad institutum attinebat. Quare nec Bellomontanus est audiendus, nec Lichetus loco citato; dum vterque D. Thomam refert ad sententiam negantem.

Capreolus. *D. Thomas*

5. Media sententia.

Mediam opinionem mihi videtur probasse Suarius lib. 4. de Trinitate c. 4. n. 16. dum ait distinctionem istam rationis inter attributa frequentius quidem sumi per habitudinem, & proportionẽ ad effectus, vel proprietates habentes actualem distinctionem ad creaturas: non tamen semper ita fieri; quoniam inter diuinum intellectum, & voluntatem etiam concipimus distinctionem ex his tantùm, quæ inter Deum inuenimus, scilicèt ex reali distinctione personarum per voluntatem, & intellectum procedentium. Quibus verbis satis indicat distinctionem rationis semper sumi ex habitudine ad aliqua realiter distincta; non tamen semper sumi per habitudinẽ ad ea, quæ ad extra realiter distinguuntur; sed interdum sumi per habitudinẽ ad ea, quæ intùs realiter sunt distincta. Qui dicendi mod' priùs placuit Cumelio 1. p. q.28. ar. 2. q. 2. ad dubia parua pag. 818. col. 1. quo in loco ita resoluit, vt attributa, quæ nullum ordinem habent ad distinctionem personarum (vt iustitia, bonitas, misericordiæ, & cæt.) non possint à nobis ratione distingui, nisi per ordinem ad distinctionem in creaturis inuentam: illa verò, quæ ordinem habent ad distinctionem personarum, distinguantur per ordinẽ ad distinctionem illarum intùs inuentam. Et tãdem cõcludit nullam distinctionem rationis sumendam fuisse ad intra, si ad intra nulla daretur distinctio realis. Hæc opinio mediam viam tenet: negantem enim sententiam putat esse veram in attributis, quę realem personarum distinctionem non respiciunt; affirmãtem verò in illis, quæ respiciunt illam; cuiusmodi sunt intellectus, & voluntas.

Cumelius.

§. 2.

Vera difficultatis resolutio.

6.

DIfficultas ista, nec facilis est, quãuis Cumelio facilis videatur; nec vnanimen habet theologorũ cõsensum, licèt oppositum doceat Bellomontanus. Pro vera illius resolutione 1. Premitt. premittendum est de intellectu viatoris duobus modis agi posse. Vno modo quatenus diuina intelligit modo sibi suoque statui naturali. Altero modo, quatenus adhùc manens in via diuinit' eleuatur, vt altiori modo res intelligat, quàm suę naturę conueniat: nam Adamus altiorem modum intelligendi habuit quàm nos: habuit enim scientiam infusam, qua sine conuersione ad phantasmata vti poterat.

7. Secundum.

Secundò premittendum est duo expendi posse circa conceptus rerum diuinarum, qui naturaliter in viatore inueniuntur. Primum est illorum exercitium: alterum est illorum natura, & per se ratio. Nam circa illos possumus primum expendere, quonam modo viator ad eorũ actum naturaliter reducatur. Deinde, quęnam sit illorum conditio, & natura: inde enim pendet difficultatis vera explicatio.

His

8.
1. Cõclusio. His præmissis de viatore, quatenus modo intelligendi suo statui cõnaturali diuina intelligit; sit prima conclusio. Intellectus viatoris seruato naturali intelligendi modo non potest diuinas perfectiones aut cognoscere, aut distinguere, nisi ex cognitione creaturarũ à posteriori manuducatur ad eas, & cognoscendas, & distinguendas. Conclusio in his terminis est indubitata, & ab omnibus asserta, qui de hac difficultate scripserunt. Etenim indubitatum est seruato nostro naturali intelligendi modo diuinas perfectiones à nobis cognosci nõ posse, nisi ex cognitione creaturarum. Ad huius probationem satis sint verba Pauli ad Rom. 1. *inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* A creatura (inquam) mundi; hoc est ab intellectu creato hominis viatoris. Cum igitur intellectus noster lumine sibi naturali directus diuinas perfectiones intelligere non valeat, nisi ex cognitione creaturarum, quæ illas diuisim participant; benè infertur nec eũ posse suis conceptionibus eas diuidere nisi ab eisdem perfectionibus creatis manuducatur. Ita habes ex D. Thoma in 1.d.2.q.1.ar.3.§. *quantum ad quartum*, & 1.p.q.13.ar.4. & ex Capreolo in 1.d.8.q.4.ar.3. ad argumenta vltimo loco fol. 130. col. 2. & ex Henrico quodlib. 5.q.1. litera Y. & in fine quæstionis litera C.

Ad Rom. 1. *D. Thomas* *Capreolus.* *Henricus.*

9.
2. Cõclusio. Secunda conclusio: intellectus viatoris solo naturali ductus lumine nulla ratione potest distinguere diuinas perfectiones, nisi conceptibus ex sua natura habentibus habitudinem, atque proportionem ad perfectiones creatas similes, ex quarum cognitione formati fuerũt. Hæc conclusio statuitur pro sententia negante, quæ in sensu explicato omninò est tenẽda. Eam ferè in terminis posuit Henricus quodlib. 5.q.1. litera Y. in hęc verba: *Quòd omninò verum est apud intellectum creatum secundum eius naturalem cognitionem: non plus enim intelligit deitatem esse essentiam, aut substantiam, nisi ex respectu ad substantiam creaturæ: nec sapientiam, nisi ex respectu, & comparatione ad sapientiam creaturæ.* Et inferiùs paulò ante finem: *sicùt apud intellectum creaturæ naturalem non concipiuntur diuersæ rationes circa diuinam essentiam, vt bonitas, & sapientia, nisi ex respectu ad bonitatem, vel ad sapientiam sibi correspondentem in creaturis, ad quas reflectit omnem suum intellectum:* ibi etiam litera R. *nullus* (inquit) *intellectus creatus ex puris naturalibus potest eam concipere omninò sine adminiculo creaturarum.*

Henricus.

10. Idem colliges ex D. Thoma 1.p.q.13. ar.4. quatenus asserit, *intellectum nostrum, cùm cognoscit Deum ex creaturis formare ad intelligendum Deum conceptiones proportionales perfectionibus procedentibus à Deo in creaturas* Idem in terminis probat Capreolus in 1.d.8.q.4.ar.3. ad argumenta vltimo loco fol. 130. column. 3. §. *ad secundam improbationem*, & fol. 131. column. 1. §. *& tunc ad primam*, vbi docet hanc fuisse expressam sententiam Commẽtatoris 12. Metaph. com. 38. & 39. vbi agens Commentator de ijs, quæ à materia sunt abstracta, ita scribit: *Cum intellectus componit aliquam propositionem in talibus rebus, tunc nõ intellexit ex eis nomina synonyma; sed intelligit ea differentia secundùm assimilationem scilicèt; quòd intellectus accepit duo, quorum proportio ad inuicem est sicùt proportio prædicati ad subiectum, & eis componit propositionem aliquam: nullam differentiam intelligit esse inter ea, nisi secundum acceptionem; quia scilicèt idem accipit esse dispositionem, & dispositum: intellectus enim potest intelligere idem bis duobus modis, secundùm similitudinem ad propositionem categoricam in rebus compositis; sicùt intelligit multa secundùm similitudinem: & si intellectus non acceptet in istis dispositionem, & dispositum nõ posset intelligere naturas eorum.* Pro eàdem sententia expressè stat Scotus in 1.d.8.q.4. litera E. §. *item contra minorem*, vbi expressè docet intellectum creaturæ naturalis non distinguere attributa, nisi ex respectu ad aliqua in creaturis, ad quas reflectit omnem suum intellectum Vide ibi Lichetũ, & Bargium pag. 184. col. 1. in principio.

D. Thomas *Capreolus.* *Comment.* *Scotus.* *Lichetus.* *Bargius.*

11. Fundamentum nostræ conclusionis ab omnibus tangitur: nam, cum illæ cõceptiones formatæ sint, & veluti caussatæ ex cognitione earũdem perfectionum, vt sunt in creaturis; non possunt non includere in sua natura proportionem, & habitudinem ad perfectiones creatas; ita vt sub eisdem rationibus concipiantur, sub quib⁹ intellectus eas concipit in creaturis: in hoc enim sensu intelligenda est reflexio intellectus, cuius Henricus meminit. Iuuat hãc doctrinam

Fundamẽtũ

Confirmatur ex doctrina Arist.

striuam vulgata philosophia Aristotelis intellectum pro statu viæ intelligere non posse, nisi conuertendo se ad phãtasmata: inde enim fit, vt quas conceptiones de diuinis perfectionibus format intellectus; eas de eisdem, vt sensibiliter sensatis formet phantasia: quod argumento est intellectum in suis conceptionib°, quas naturaliter format de perfectionibus diuinis habere respectũ & proportionem ad perfectiones, quas sensibus tàm internis, quàm externis

12. suo modo percipit.

Ex qua philosophia necessariò infertur non posse nostrum intellectum modo sibi naturali concipere perfectiones diuinas, nisi priùs eas sensu aliquo suo modo perceperit: nam, quo pactò intellectus se conuertet ad illarum phãtasmata, si illas exterius semsibiliter non percepit? Quare fieri nullo modo potest, vt intellectus viatoris modo sibi connaturali diuinas perfectiones intelligat, quas nulla præcedente sensatione à Deo immediatè percepit. Non negamus intellectum nostrum, vt est in via absolutè loquendo posse à Deo immediatè recipere diuinas perfectiones (id enim, tãquam factu possibile supponit D. Thomas) sed negamus posse Deum eas nostro intellectui nulla præcedente earum sensatione immediatè præsentare intelligendas ab eo modo sibi connaturali: siquidem naturaliter nihil potest intelligere, nisi conuertendo se ad

13. phantasmata, & cum habitudine ad res, quarum phantasmata in se habet.

Concludendum est igitur pluralitatem, & distinctionem attributorum à nostro intellectu naturali modo intelligente fieri nullatenus posse, nisi per habitudinem, & proportionem ad perfectiones creatas, quarum cognitione est manuductus ad illa cognoscenda. Quare opinio negans vniuersaliter est verissima, non solùm in ordine ad omnem cognitionem de attributis naturaliter formandã; sed etiam in ordine ad omne attributum. Vnde nec opinio affirmatiua in hoc sensu est admittenda; nec opinio media, dum intellectum, & voluntatem à regula excipit: sicùt enim intellectus viatoris naturali modo non potest cognoscere, aut distinguere diuinam sapientiam, & iustitiam, nisi per habitudinem ad sapientiam, & iustitiã creatam; ita nec potest cognoscere, aut distinguere intellectum, & voluntatem Dei, nisi per ordinem, & porportionem ad nostrum intellectum, & voluntatem.

In quo sẽsu admitti nequeat pars affirmans & media.

14. Dubitatio.

Solet hoc loco dubitari, an conceptus viatoris, quibus diuina attributa ratione distinguit, necessariò habeant habitudinem, & porportionem ad perfectiones creatas realiter distinctas? Pars quę affirmat. Quidam affirmant, inter quos Godofredus in dicto quodl. 7. q. 1. si vera sũt, quæ ex eo refert Capreolus vbi suprà fol. 123. col. 3. Eadem sententia satis est de mente Durandi in 1. d. 2. q. 3. n 15. & 17. atq; etiã Heruæi ibi q. 3. maximè ar. 3. §. *ad cuius euidentiam*. Adde nostrũ Gerardũ ibi q. 2. ar. 3. §. *ad euidentiam primi*, pag. 144 column. 2. & pag. 145. column. 1. post medium, vbi generaliter statuit omnem distinctionẽ rationis semper supponere aliquam distinctionem realem, quod etiã latè probat noster Argẽtina in 1. d. 6. q. 1. ar. 3. & 4. nec videtur improbilis Henrico in d. quodlib. 5. q. 1. ad finem. satis probatur Bellomontano 1. p. disp. 117. cap. 3. n. 8. & 9. Alij tamen in distinctè negant, docentque satis esse, quòd conceptus illi habeant habitudinem ad ea, quæ in creatis sola ratione distinguuntur: nam verum, & bonum in Deo ratione distinguuntur per habitudinem ad veritatem, & bonitatem creatam, quæ in creaturis sola ratione distinguũtur. Hæc est sentẽtia Didaci de Aiala in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. notab. 4. & ar. 4. ad argumenta Durandi in fine quæstionis fol. 108. col. 3. in fine. Mediat inter vtranque opininonem Cumelius 1. p. q. 28. ar. 2. q. 2. ad dubia quædam parua pag. 818. col. 1. satis enim esse putat, si hæc habitudo sit ad ea, quæ in creatis distinguuntur, vel realiter, vel ex natura rei.

Godofred°. *Capreolus.* *Durandus.* *Gerardus.* *Argẽtina.* *Henricus.* Pars, quæ negat. *Aiala.* Media sententia.

15. 3. Cõclusio dubitationẽ satisfaciens.

Hanc difficultatem resoluet tertia conclusio in hunc modum: Attributa de factò ab intellectu viatoris ratione distinguuntur per habitudinem ad realẽ distinctionem, quàm perfectiones attributales habent in rebus creatis: hæc tamen habitudo non est per se, & simpliciter necessaria, vt attributa per creatum intellectum ratione distinguantur. Prior pars huius assertionis ex eo efficaciter probatur; quia omnes perfectiones, quæ in rebus creatis correspondẽt diuinis

diuinis attributis, distinguuntur realiter, vt patet. Nec est, quòd Aiala nobis obijciat verum, & bonum realiter non distingui etiam in creaturis, sed sola ratione: quoniam verum, & bonum à ratione attributi reiecimus q. 4. huius libri ar. 5. n. 6. & 8. Ex quo colligitur ꝓbatio partis posterioris: etenim veritas, & bonitas in rebus creatis nõ distinguuntur realiter, sed sola ratione, vt ex metaphysica supponimus: & tamẽ bonitas, & veritas in Deo ratione distinguũtur ex eo, quòd à viatore distinctis cõceptibus cõcipiuntur. Ergò vt ea, quę sunt in Deo ratione distinguantur ab intellectu viatoris, non necessariò requiritur habitudo ad res creatas realiter distinctas. Cui etiam argumento est, quòd viator ratione distinguit intellectum, & voluntatem in Deo; & tamen non omnes admittunt intellectum in nobis realiter distingui à voluntate: oppositum enim docet schola, tùm Scotistarum, tũ Nominaliũ. Quare habitudo ad distinctionem realem non est simpliciter necessaria ad distinctionem rationis.

16. 4. Cõclusio. Quarta conclusio: si sermo sit de intellectu viatoris, provt à Deo eleuatur, vt possit altiori modo intelligere, & absq; conuersione ad phantasmata; potest diuinas perfectiones cognoscere, & cognoscẽdo distinguere distinctione rationis absq; vlla habitudine, & proportione ad perfectiones, quæ in reb⁹ creatis disperſſæ sunt, & distinctæ. Hæc conclusio est Capreoli in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. ad argumenta vltimo loco fol. 131. col. 2. post principium. Eandem vno verbo tetigit Caietanus 1. p. q. 13. ar. 4. ad finem commenti. Et, ni fallor, satis est ad mẽtem D. Thomæ, vt facilè colligi potest ex 1. sent. d. 2. q. 1. ar. 3. §. *quantum verò ad quartum*, vbi ita ait: *Sciendum est, quòd ista pluralitas rationum contingit ex hoc, quòd res, quæ est Deus, superat intellectum nostrum: intellectus enim noster non potest vna conceptione diuersos modos perfectionis accipere: tum; quia ex creaturis cognitionem accipit, in quibus diuersi sunt modi perfectionum secundum diuersas formas. Tum; quia hoc, quòd in Deo est vnũ, simpliciter plurificatur in intellectu nostro, etiã si immediatè à Deo reciperet: sicùt multiplicatur processio suæ bonitatis in alijs creaturis. Vnde, cum Deus secundum vnam, & eandem rem sit omnibus modis perfectus, vnica conceptione nõ potest integrè perfectionem eius apprehendere.* Ex quibus verbis patet Diuũ Thomam duas causſas annotare, cur noster intellectus de Deo non possit non formare plures conceptus.

Capreolus. Caietanus. D. Thomas

Prima est; quia ex creaturis cognitionem accipit. Secunda est; quia Deus simpliciter plurificatur in nostro intellectu, etiam quando à Deo immediatè recipit species ad cognoscendũ; sicùt multiplicatur processio diuinæ bonitatis in alijs creaturis; in quibus non potest non multifariam se communicare, ideo quia creatura in essendo est limitata. Declarat igitur D. Thomas Deum in nostro intellectu duobus modis se multiplicare. Vno modo mediatè; vt quando se multiplicat mediante cognitione creaturarum; qui modus pro isto statu est nostro intellectui connaturalis. Altero modo immediatè; vt quãdo plurificat se se sine creaturis per species per se infusas, quæ Deũ, diuinasque perfectiones repræsentant absque vlla dependentia, tùm ad phantasmata, tùm ad res creatas: qui modus se se communicandi viatori est extraordinarius, vt patet. Cum vero etiã isto modo nõ possit Deus se nostro intellectui cõmunicare, nisi multiplicando cõceptus secũdũ diuersas suas pfectiones; necessariò infertur intellectum viatoris etiam isto modo posse distinguere diuina attributa. Et cum illi cõceptus producantur independenter ad phantasmata, nullam in se ipsis habebunt habitudinem ad distinctionem rerum creatarum; sed ad solam diuinam perfectionem, quæ longè superat capacitatem creaturæ in recipiendo illam, tùm in genere rei, tùm in genere intelligibilium. Vnde D. Thomas eo in loco causſam huius multiplicationis non assignat distinctionem creaturarũ sed excessũ diuinæ perfectionis. Cõclusio igitur satis est de mente D. Thomæ. 17.

De cuius etiam veritate non dubitabit, qui benè intellexerit, tùm naturam specierum per se infusarum; tùm distinctionem earum ab acquisitis. Nam hæ causſantur ab ipsis rebus: illæ verò à rationibus intelligibilib⁹ altioris ordinis: ob quã rationẽ hæ nõ possũt nõ causſare cõceptus ꝓportionales perfectionibus creatis, & depẽdẽter ab eis: illę autem 18. 4. Cõclusio. suadetur.

tē ex sua natura abstrahūt ab hac proportione, habētq; habitudinem ad diuinas perfectiones, vt in se ipsis sunt virtute multiplices, tùm in reali sui communicatione, tùm in communicatione intelligibili; sed de hoc rursus in sequēti artic. & in vltimo. Et hęc pro resolutione propositæ difficultatis, qua sententiæ oppositæ facilè conciliantur.

§. 3.

Expenduntur duæ priores assertiones.

19. SVperest, vt aliqua explicemus, quæ præcedentem resolutionem videtur impugnare. Et quod attinet ad primam illa apud omnes est indubitata: omnes enim concedunt viatorē seruato ordine intelligendi sibi connaturali non posse diuinas perfectiones, aut cognoscere, aut distinguere, nisi ex cognitione creaturarum.

20. 2. Cōclusio amplius cōfirmatur. Secunda etiam conclusio (ni fallor) non potest nō omnibus probari in terminis, in quibus proponitur: nā præter ea quæ in illius confirmationē adduximus, hoc etiā argumento confirmatur: quoniā talis erit conceptus rei intellectę, qualis fuerit species intelligibilis à qua causatur. At species à nostro intellectu naturaliter acquisitæ sunt abstractæ à phātasmatibus rerū, quæ externo sensu sunt sensatæ: erunt igitur proportionatę ipsis rebus, à quarū phantasmatibus abstractę sūt, iuxta doctrinam D. Thomę 1.p.q.13. ar.4. Ergò cōcept⁹ ab his specieb⁹ causati habebūt ad easdē res naturalē proportionē, & habitudinē

21. Aduertētia Sed pro maiori illius explicatione aduerto in hac nostra assertione nihil minus asseri, quàm conceptus ratione distinguentes diuinas perfectiones ex sua natura habere habitudinem ad distinctionē realem, quam eædē perfectiones habēt in rebus creatis, vt quidā absolutè volūt cū Godofredo: id enim impugnabimus in duobus sequētib⁹ articulis. Quare in hac nostra assertione solùm asserimus cōceptus, qui de diuinis perfectionibus naturaliter habētur ex cognitione creaturarum, ex sua natura esse proportionatos perfectionibus, quæ sunt in creatis: & sub inde non posse diuinas perfectiones distinguere, nisi cum ordine, & dependentia ad extra. Hoc autem non negant, qui contra Godofredum volunt distinctionē rationis inter diuinas perfectiones sumi posse per solā habitudinē ad intra: inter quos est Henricus quodlib. 5. q. 1. is enim, quanuis opinionem contra Godofredum latissimè defendat; nostram tamen assertionem admittit in terminis, in quibus proponitur. Quare cùm nec vna, nec altera opinio nobis contradicat; non est quòd hoc loco vnius, & alterius argumenta dissoluamus. *Henricus.*

§. 4.

Diligentius expenditur tertia assertio.

22. 3. Assertio diligentius expenditur. TErtia assertio oppugnatores habet ferè omnes, quos pro sententia negante retulimus Godofredum scilicèt, Durandum, Hernæum, Gerardum, & Argetinam, cū quibus in hoc puncto cōsentit Cumelius: omnes enim in hoc conueniūt, vt dicāt distinctionē rationis inter attributa sumi p habitudinē ad res ad extra realiter distinctas; nō quidē ratione materiæ, vt asserit nostra assertio; sed ex ipsa natura distinctionis, quæ est secundū rationem, quod nostra assertio negat. Vnicūest omnium fundamētum; nullā scilicèt distinctionē rationis absolutè fieri posse sine ordine ad aliquam distinctionem realem: in quo fundamento cum præcitatis fortè consentit Hēricus in d. quodlib. 5. q. 1. ad finem. Ex omnibus argumentis hęc sunt potiora.

23. 1. Ratio generalis. Prima ratio generalis sit hęc: sicùt se habet ens rationis ad ens reale; ita distinctio rationis ad distinctionem realem. Sed ens rationis habet ortum ab ente reali. Ergó pluralitas, & distinctio rationis habebit ortum ex pluralitate, & distinctione reali: & per consequens nunquam causabitur ab intellectu, nisi cum habitudine, & respectu ad ea, quæ distinguuntur realiter.

2. Ratio. Secunda ratio, vt generalis sit, ita formari potest. Intellectus noster, aut ponit distinctionem rationis in his, quæ realiter distinguuntur: aut in re, quæ secundum se realiter est vna, & simplex. Si primo modo; talis distinctio, & pluralitas rationis manifestè reducitur ad distinctionem realem. Si secundo modo; in illa re nō potest ponere distinctionem

ctionem, nisi per habitudinẽ ad ea, quæ secundùm rem sunt plura. Ergò omnis distinctio rationis reducitur ad aliquã distinctionem realem, ad quam intellectus habeat habitudinem, & proportionem. Consequentia patet à sufficienti partium enumeratione: & eodem modo maior est nota.

24. Prior autem pars minoris ex se est manifesta. Posterior verò ex eo probatur; quia distinctio rationis, quam intellectus facit inter genus, & differentiam, sumitur ex ijs, quæ secundùm rem sunt diuersa: nam ratio generis in animali sumitur ex operationibus sensus; ratio verò differentię in rationali sumitur ex operationibus intellectus; quas constat esse realiter distinctas. Simili modo ratio coloris in albedine sumitur ex motione visus: color enim visum immutat: ratio verò differentiæ in eàdem albedine sumitur ab actione disgregatiua visus; quæ duo (vt volunt) sunt realiter distincta. Colligitur ratio ex Godofredo apud Capreolum vbi suprà fol. 123. col. 4. in quinto argumento.

Godofred⁹

3. Ratio. Tertia ratio sumitur ex Durando vbi suprà n. 17. quoniã in creatis distinctio rationis nõ fit, nisi per comparationem ad aliquam diuersitatem realem. Ergò in diuinis eodem modo fiet. Ergò nulla distinctio rationis fit, nisi per comparationem ad realem diuersitatem. Vltima consequentia patet ex sufficienti enumeratione. Prima autem probatur; quia eadem est ratio in vtraque, nec vna distinctio minor est, quàm altera.

25. Porrò antecedens probat Durandus adductis aliquibus exemplis, vt idem dicendũ sit in omnibus. Albedo enim, & color sunt idem re, & vniuersaliter omnis species cum suo genere; at nullus posset iudicare colorem, & albedinem ratione differre, si præter albedinẽ nullus esset alius color realiter distinctus ab ea: quin potius color, & albedo idem essent omnino. Et idem dicendum erit de quocunq; alio genere: nec enim cognoscere possemus genus ratione distingui ab specie, nisi videremus dari sub illo genere species realiter distinctas. Idem igitur dicendum erit in cæteris omnibus, quæ in creatis ratione distinguuntur. Quod fuit antecedens.

26. 4. Ratio, Quarta ratio est Gerardi. Omnis distinctio secundum rationem prouenit, vel ex natura, & dispositione rei necessitantis intellectũ, vt eam concipiat sub diuersis rationibus: vel ex modo intelligendi nostri intellectus non potentis rẽ apprehẽdere, nisi sub plurib⁹ rationib⁹. Vtroque autẽ modo distinctio rationis sumitur ex reali aliquorum distinctione Maior supponitur; priorem partem minoris probat sumpto exẽplo in vno loco terminante diuersos motus: vnum; vt est terminus ad quem; alterũ; vt est terminus à quo; sine qua habitudine vnus ille locus non potest ratione distingui. Posteriorẽ verò partem inde confirmat quia intellectus noster ratione suæ imperfectionis in cognoscendo nõ potest inuestigare rei quidditatem nisi procedendo de vno gradu imperfectò ad magis perfectum: quam distinctionem facere non potest, nisi per habitudinem ad diuersas quidditates.

27. 5. Ratio. Quintò arguit Cumelius; quoniam distinctio rationis non est vera distinctio. Ergò non potest intelligi sine ordine ad distinctionẽ realẽ, quæ est distinctio vera. Cõsequẽtiã ꝓbat; quia ens rationis nõ potest cõcipi sine ꝓportione ad ẽs reale

28. Vltima rat Postremò confirmatur auctoritate Cõmentatoris 12. Metaph. com. 38. vbi expressè docet, quod intellectus nõ posset distinguere rem simplicẽ, nisi dispositionem, & dispositum accepisset, vbi realiter distinguuntur: id est, nisi illas diuersas rationes sumpsisset ex rebus realiter distinctis.

29. Hæc sunt, quibus aduersarij probatũ esse volunt distinctionẽ rationis ex sua natura sibi vendicare, vt sumatur ex aliqua reali diuersitate. Quod si verum est benè infert distinctionẽ rationis inter attributa necessariò sumi per habitudinem ad aliquam distinctionem realem ad extra. Quod negat nostra assertio.

30. Persistitur in sentẽtio. *D. Thomas* His tamen non obstantibus persistẽdũ est in nostra assertione. Fundamẽtũ autẽ aduersariorũ plane fallũ est: oppositũ enim docet D. Thomas de veritate q. 3. ar. 2. ad 3. vbi verbis expressis docet pluralitatẽ rationis (quã distinctio rationis necessariò sequit) quandoque reduci ad aliquã diuersitatẽ rei; quandoq; nõ reduci. Cui⁹ auctoritate illã ꝓpositionẽ, vt fallã negarũt Capreolus in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. ad argumẽta vltimo loco *Capreolus.*

fol.130.column.3.§.*tunc ad primam improbationem*, & inferiùs ad quintum, & sextum; Soncinas ibi concluſ.7.ad primum Durandi, & Godofredi §.*dico secundò*, & Aiala ibi q.4.ar.3.notab.4. Quorum doctrinam esse verisimam euidenter probat distinctio rationis ratiocinantis: hæc enim, cùm non habeat fundamentum in re, vt cum communi doctrina contra Bellomontanum ostendimus in quæstione præcedente artic.9. non potest immediatè, & proximè sumi ex aliqua reali distinctione; sed ex distinctione quorundam modorum essendi, quos res intellectui obiecta per ipsum intellectum consequitur: etenim distinctio rationis: quæ est inter Petrum, vt de se ipso prædicatur, nõ fundatur in aliqua distinctione reali, ad quam intellectus habeat habitudinem, vt in Petro rationem prædicati concipiat distinctam à ratione subiecti: sed solùm fundatur in distinctione, quæ datur inter illas duas secundas intentiones prædicati, & subiecti, quas Petrus immediatè consequitur ex eo, quòd de se ipso per intellectũ prædicatur. Quæ duę secundæ intentiones nec in esse, nec in concipi per se pẽdent ex aliqua distinctione reali; quia ex se tàm cõuenire possunt entibus realibus, quàm entibus rationis, si obiectiuè intelligantur. Et hinc est, vt distinctio rationis ratiocinantis non solùm dari possit in entibus realibus, sed etiã in entibus rationis: sicùt enim Petrus ratione distinguitur à Ioãne, dũ à Ioãne in prædicatione negatur; ita etiã intentio generis secundùm rationem distinguitur ab intentione speciei. Concedẽdum est igitur doctrinam illã falsam esse in distinctione rationis ratiocinãtis. Quin potiùs falsa etiã est in distinctione rationis ratiocinatæ; quia, vt diximus in nostra tertia conclusione intellectus noster facit distinctionem rationis inter bonitatem, & veritatem diuinam sine vlla habitudine ad realem distinctionem; siquidẽ bonitas, & veritas in creatis inter se realiter non distinguantur.

Soncinas. *Aiala.*

31. Non placet solutio aduersariorũ.

Nec vim argumenti solues, si dicas verum, & bonum in creatis non distingui realiter; benè tamen res ipsas, quæ veritatem, & bonitatem habent: nõ solues (inquam) quoniam apud aduersarios distinctio rationis in diuinis ideo requirit habitudinem ad distinctionem realem in creaturis; quia illarum distinctio conducit, vt res diuinas possimus concipere, vt distinctas: v.g. distinctio rationis, quam intellectus noster facit inter sapientiam, & iustitiam Dei, ideo postulat habitudinem ad realem distinctionem sapientiæ, & iustitiæ in creatis; quia ex distinctione reali inuenta inter eas, potest eas distinguere in diuinis. Iam verò distinctio inter res creatas habentes in se ipsis veritatem, & bonitatem nihil conducit ad distinguendam diuinam bonitatẽ à veritate: ad id enim solùm conducit distinctio, quæ datur inter bonitatem, & veritatem creatam. Hæc autem nullo modo est realis, sed rationis. Quod in hac materia est maximè aduertendũ; meritò igitur D. Thomas cum his, quos citauimus, expressè negauit id, quod aduersarij pro fundamento sumpserunt.

32. Solutio primi argumẽti. *Capreolus, Aiala, Soncinas.*

Nec obstant, quæ in illius confirmationem adduntur. Ad primam rationem respondent Capreolus, Aiala, & Soncinas negatione maioris: nec enim in omnibus eodẽ modo se habet distinctio rationis ad realem, quo se habet ens rationis adens reale; ita habes apud Capreolum, vbi suprà fol.131. column. 1. §. *ad tertiam dico.* Aialam fol. 108. col. quarta §. *ad vltimam probationem*, Soncinas in d. conclus. septima §. *respondeo, negatur consequentia*: qui omnes varias adducunt instantias, fortè non satis accommodatas: quare satius erit sine instantia illam negare, cùm sine probatione sumpta sit: maximè; quia ens, & distinctio entis sunt veluti disparata: vnum enim est subiectum, alterum passio illius.

33. Maior solutio.

Faciliùs soluetur argumentum, si distinguamus maiorem: quoniam ens, & distinctio possunt dici realia duobus modis. Vno modo, vt id dicatur reale quod est sine intellectu. Altero modo; quia distinguitur, vt res à re. Si maior intelligatur primo modo; admittendus est totus discursus; quoniam distinctio rationis semper habet ortum ex aliqua distinctione, quæ ab intellectu non pẽdet: nec enim intellectus poterit moueri ad formãdos plures cõceptus de eãdẽ simplissima re, nisi præcedat aliqua distinctio, quæ distinctio ab intellectus

non

non pẽdeat siuè illa præcedat in re, quæ distinguitur, siuè in alia. Quare ad distinctionem rationis, quam in diuinis facit intellectus naturaliter intelligẽs, semper necessaria est habitudo ad distinctionem realem in creaturis vel actualem, vel virtualem, siue fundamentalem. Quod etiam verissimum est in distinctione rationis, qua veritas, & bonitas in Deo naturaliter fit à nostro intellectu: habet enim habitudinem ad distinctionem fundamentalem, quæ seclusso intellectu datur in vero, & bono creato. Porrò, si sermo sit de posteriori sensu, sumpta scilicèt distinctione reali pro ea, quæ datur inter rem, & rem, & maior est negãda, & minor. Maior quidem; quoniam sine fundamento sumitur in materia disparata, vt suprà diximus. Minor verò; quia nõ est necesse, vt ens rationis immediatè fũdetur in ente reali: potest enim immediatè fundari, tùm in alio ente rationis, vt logici docent; tùm in ente reali, quod propriam non habet realitatem, vt est relatio. Nam in relationibus dantur genera, & species.

34. Solutio 2. Ad secundam rationem admittimus distinctionem rationis, quam intellectꝰ ponit in realiter distinctis, per se reduci ad distinctionem realem, vt fatetur D. Thomas de verirate q. 3. ar. 2. ad 3. negamus tamen non posse dari distinctionem in re, quę in se est vna, & simplex, nisi per habitudinem ad ea, quæ secundùm rem sunt plura: oppositum enim docuit D. Thomas immediatè citatus, dum dixit differentiam rationis, quæ ponitur inter diuinas perfectiones non reduci ad aliquam realem distinctionem. Quæ doctrina non solùm vera est in terminis nostrę quartæ assertionis, in quibus distinctio rationis sumitur per habitudinem ad intra; sed etiam in terminis assertionis tertiæ, in quibus distinctio necessariò sumenda est per habitudinem ad res creatas: adhùc enim non est necessaria habitudo ad distinctionem realem propriè sumptam, vt ostendimus ad primam rationem. Quare propositio, quæ simpliciter ponitur in secunda parte minoris, absolutè est negãda. Nec probatio sumpta ex distinctione rationis, quæ datur inter genus, & differentiam, aliquid valet: nã, vt admittamus cum D. Thoma vbi suprà distinctionem illam rationis sumi per habitudinem ad distinctionem propriè realem; non benè infertur omnẽ distinctionem rationis necessariò sibi postulare talem habitudinem: etenim ex D. Thoma aliqua distinctio rationis reducitur ad realem: aliqua non reducitur. At ex vna particulari inferre vniuersalem, est inutilis illatio.

35. 1. Solutio 3. Ad tertiam rationem sumptam ex Durando respondetur primò negatione antecedentis: est enim falsum in distinctione rationis ratiocinantis, vt suprà diximus: imò non est vniuersaliter verum in distinctione rationis ratiocinatæ: nam distinctio inter verum, & bonum in creatis nullam habet habitudinem ad distinctionem propriè realem, vt etiam ostendimus. Probatio autem antecedentis ex particulari infert vniuersalem; quæ consequentia non est bona, nisi vel in materia necessaria, vel quando in omnibus particularibus datur eadem ratio, quod in proposito non cernitur. Respondetur secundo admisso 2. Solutio. antecedente non valere primam consequentiam propter disparem rationem, quæ inter diuina, & creata reperitur; nã in Deo ad intus absque vlla habitudine ad extra datur sufficiens caussa pluralitatis conceptuum in concipienda diuina essentia; nimirum infinitus excessus, quo illa vim nostri intellectus excedit, vt vbiquè docet D. Thomas, & patebit ex ar. 9. & 10. In creatis autem nulla datur res in se ipsa simplex, quæ in se ipsa sine habitudine ad extrinseca habeat sufficientem caussam plurificandi conceptiones sui. De hoc latiùs in duobus articulis sequentibus.

36. Solutio 4. Ad quartam rationem Gerardi negãda est vtraque minoris pars. Et quod attinet ad priorem partem dicendum Ad priorẽ partem minoris. est non esse opus, vt in omni distinctione rationis, quæ prouenit ex natura rei, quæ distinguitur, reperiatur habitudo ad realem distinctionem, vt facilè patet tàm in rebus creatis, quàm in diuinis. In creatis quidem; quoniam distinctio rationis, quæ in qualibet re reperitur inter transcendentia (v.g. inter verum, & bonum) non sumitur per habitudinem ad distinctionem realem, vt iam ostendimus. In diuinis verò; quoniam

nõ solũ Dei intellectus, & intellect' beati possunt facere hãc rationis distinctioẽ sine tali habitudine, vt patebit ex duobus articulis sequentibus; sed etiam intellectus viatoris eleuatus, vt diximus in quarta cõclusione. Meritò igitur neganda venit prior pars minoris. Probatio autem in eo deficit; quoniam, quod in vna distinctione reperitur, putat in omnibus reperiri; cũ tamen in omnibus nõ eadẽ sit ratio. Pro cui' explicatione aduertẽdũ est apud D. Thomã cũ multis in locis, tùm maximè de veritate q. 3. ar. 2. ad 3. non vnam dari causſam pluralitatis conceptuum, & distinctionis inde consecutæ: interdum enim pluralitas, & distinctio prouenit ex reali diuersitate, atq; dispositione vnius, & eiusdẽ rei: vt quãdo vnus locus variatur penes diuersam terminationem diuersorum motuum; quia scilicèt vnius est termin' à quo; alterius verò ad quem. Idem etiã cernitur in puncto, provt est finis præcedentis partis, & principium consequẽtis: atque etiam in Petro provt successiuè est albus, & niger; aut simùl albus, & calidus: in his enim casibus vna & eadẽ res variè disponitur, & afficitur'

Aduertẽtia.

37. Interdum verò distinctio rationis prouenit non ex diuersitate reali eiusdem rei, sed ex perfectissima rei vnitate, quę ita est actu vna, vt virtute sit multiplex; vt cernitur in diuina essẽtia, quæ distinguitur distinctione rationis. Cum igitur duplex reperiatur causſa, cur vna, & eadem res distinguatur ratione; nõ potest sumi argumentum, vt quod in vna distinctione reperitur, in alia etiam reperiatur; quia, vt diximus, potest in vtraq; dispar esse ratio. Itaque facilè admittimus ad distinctionẽ rationis, quæ prouenit ex realivarietate eiusdem rei, necessariam esse habitudinem ad distinctionem realem, vt cernitur in distinctione vnius, & eiusdem loci, qui penes hanc, vel illam rationem terminandi motum ratione distinguitur: at non proinde cogimur admittere hanc habitudinem esse necessariam ad distinctionẽ rationis, quæ causſatur ex perfectione vnitatis rei, quæ per rationẽ diuiditur; qualis est distinctio rationis, quę cernitur in attributis: hæc enim non semper indiget prędicta habitudine. Et hęc pro explicatione prioris partis minoris.

Similis defectus reperitur in probatione posterioris partis: etenim duplex cernitur imperfectio in nostro intellectu. Vna intrinseca; limitatio scilicèt virtutis in intelligendo: altera in modo intelligendi sibi connaturali, quia non potest intelligibilia percipere, nisi ex sẽsibilibus: vnde in inuestigandis intelligibilibus, siue sint abstracta à materia, siue concreta cum illa, semper procedit à sensibilibus ad intelligibilia; ab imperfectioribus ad perfectiora; deniq; á posteriori ad id, quod est prius. Interest autem inter vnam, & aliam imperfectionem; quoniam prior imperfectio est inseparabilis ab intellectu creato: posterior autem separabilis; nam in patria omninò ab ea liberabitur; in via autem ex priuilegio liberari potest. Dicimus igitur distinctionem rationis quæ nascitur ex posteriori imperfectione, semper requirere prædictam habitudinem ad distinctionem realem, vt patet ex tertia assertione: quam tamen non necessariò requirit distinctio rationis, quæ præcisè nascitur ex priori imperfectione: hæc enim dari potest sine tali habitudine, vt patet ex assertione quarta, & amplius patebit ex sequenti artic. Deficit igitur Gerardus in eo, quòd putat id, quod in vna distinctione reperitur, in alia etiam admittendum esse; in quo euidẽter decipitur; quia potest dari dispar ratio in vtraque.

38. Adposterio rempartem minoris.

Gerardus.

Quinta ratio, quæ est Cumelij, debilior est, quàm possit certũ reddere virũ doctum, vt certò credat distinctionem rationis non posse intelligi sine aliquo ordine, & proportione ad ea, quæ distinguuntur vel realiter, vel ex natura rei: nam quamuis distinctio rationis sumpta in actu signato pro se ipsa, & vt est distinctio rationis, intelligi non possit, nisi per analogiam ad distinctionem realem (est enim distinctio conueniens cũ distinctione reali solùm analogicè) tamen in actu exercito non necessariò requirit extrema ab intellectu distingui per habitudinem ad aliqua, quę realiter distinguantur. Ad argumentum igitur in forma admittitur tot' discursus; quia solùm probat distinctionem rationis sumptam pro se non posse cognosci, nisi in ordine ad distinctionem realem, ad cuius analogiam dicitur distinctio.

39. Ad quintã rationem.

At

38. Adposterio empartem minoris.

At inde inferre nihil posse distingui secundum rationem, nisi per habitudinẽ ad distinctionem realem inter alia repertam, non est aliud, quàm facere trãsitum de conceptu ipsius distinctionis ad conceptus extremorum, quæ distinguuntur: quæ illatio est disparata.

40. Ad postremum. *Capreolus.*

Ad postremum dicimus cum Capreolo, vbi suprá fol. 131 column. 1. §. *& tunc ad primam probationem*, commentatorem agere de intellectu, prout Deum intelligit ex creaturis, qui modus intelligendi est sibi connaturalis. Quod etiam docuit idem Capreol⁹ ibi fol. 130. col. 1. §. *ad secundam improbationem.* In hoc autem sensu distinctio rationis necessariò requirit habitudinem ad ea, quæ in creatis realiter distinguuntur, vt diximus in secunda conclusione. Et hæc diximus pro defensione tertiæ assertionis.

§. 5.
De quarta conclusione.

41. De 4. cõclu.

SVpererat expendere, quæ contra quartam conclusionem obijci possunt, quatenus caussam distinctionis attributorum sumit non ex diuersitate creaturarum ad extra; sed ex vnitate perfectissima diuinæ essentię, quæ se habet ad intra: cõtra quod multi multis insurgunt. Sed quia hæc difficultas etiam tangit resolutionem sequentis articuli; ideo tàm argumenta, quàm solutiones eorum differimus in sequentem articulum §. 4. & 5.

39. d quintã tionem.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm attributa ab intellectu beati ratione distinguantur?

§. 1.
Refertur pars negans.

1. Auctores partis negãtis.

DE proposita quęstione cõtrouersia est inter theologos. Partem negantem tanquam verissimam plerique probant; inter quos est Bellomontanus 1. p. disp. 118. c. 2. vbi refert Capreolum in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. in fine in solutione cuiusdam argumenti: sed Capreolus ibi agit de solo intellectu diuino. vt patet ex solutione primi argumẽti fol. 131 column. 3. in fine §. *ad primum quidem dico*; nec in fine illius quæstionis de beato verbum facit. Quinimò in eo articulo de beato semper docuit oppositum, vt videbimus. Eandem sententiã negãtem probare videtur Suari⁹ in Metaph. disp. 54. sect. 2. n. 25. & eam insinuat lib. 1. de essentia Dei c. 13. n. 6. & clariùs lib. 4. de Trinitate cap. 4. n. 17. consentit Antonius Rubeus apud Porphyrium in tractatu de natura entis rationis in 5. dubio pag. 294 col. 2. & probat Fonseca 7. Metaph. cap. 8. q. 2. sect. 7. literaF.

Huius opinionis fundamenta varij variè sumunt. Bellomontanus primum fundamentum sumit ex D. Bernardo lib. 5. de consideratione ad Exgenium paulò ante finem in hæc verba: *Nobis autem quia non poßumus cum Deo simplicitate contẽdere, dum contendimus apprehendere vnum, occurrit veluti quadruplicatum. Facit hoc speculum, & ænigma, per quod solùm videre datur. Cum autem videbimus facie ad faciem, videbimus sicuti est; nec enim iam tunc fragilis acies mentis nostræ, quantumlibet vehementer intendens aliquatenus resiliet, disilietvè in suam pluralitatem: colliget se magis, adunabit, conformabitquè vnitati illius, vel potius vnitati illi, vtvna vni facies respondeat faciei.* Quæ verba putat adeo esse expressa, vt nec ac vllo scholasticæ theologiæ studioso aliquid clariùs dici, aut desiderari potuerit. Etenim expressè asserit multitudinem illam perfectionum, quam varijs vocibus de Deo significamus, prouenire ex infirmitate nostri intellectus adhùc cognoscentis Deum per ænigma: eam verò multitudinem nõ mansurã in nostro intellectu cũ Deũ videbimus sicuti est. Quin poti⁹ expressè asserit diuina attributa, quę distincta in via cognoscebantur; sic videri in patria indiuidua, & absque distinctione; vt quantunuis intellectus videns Deum conetur ea distinguere, non valeat: id enim illis verbis significauit: *nec quantũlibet vehementer intendens aliquatenus resiliet disilietvè in suam pluralitatem.* Iã verò (ait Bellomontanus) posset in suam pluralitatem resilire, disilirevè, si posset plura in Deo distinguere.

2. 1. Fundamentum. *D. Bern.*

Deinde hanc sententiam confirmat auctoritate D. Thomæ q. 7. de potentia ar. 6. vbi concinit cum D. Bernardo; docet enim ex infirmitate nostri intellectus prouenire, vt Deum nõ valeat cognoscere, nisi eum diuidendo. Ergó si in-

3. 2. Fundamentum. *D. Thomas*

tellectus Deum obiectiuè apprehendat, sicuti est; cum in se ipso nullam habeat distinctionem aut pluralitatem; vtique nullo modo poterit distingui, aut distinctus apparere.

4. 3. Ratio. Tertiò ita argumentatur: vel beatus eàdem intellectione, qua cognoscit diuinam essentiam, distinguit in ea plura attributa; vel alia. Non eàdem; vt fatentur aduersarij: nam, cùm essentia simpliciter apprehendatur, non distinguitur in plura. Aliam nullus vnquam in beato agnouit; sed nec potest agnoscere: quia omnes visiones sunt eiusdem speciei.

5. 4. Ratio. Quartò ex mente illius ita possumus arguere: quia notitia intuitiua terminatur ad rem, sicuti est à parte rei. Ergò non concipit, vt plura, quæ in ipsa re sunt vnum, vt ex eodem habes in d. disp. 118. c. 2. n. 4. & 7. & disp. 223. cap. 1. n. 2. & 1. 2. disp. 12. c. 2. n. 6. Ergó cùm cognitio beati sit intuitiua, non poterit in ipsa diuina essentia concipere plura, cum in illa omnia sunt vnum; & per cõsequens nec poterit facere distinctionẽ rationis inter atttributa.

6. 5. Ratio. Quintò alij, vt Suarius, inde fundamentum sumunt; quia distinctio rationis dari non potest, nisi medio intellectu concipiente rem imperfectè, abstractè, & confusè; sed beatus non videt diuinas perfectiones imperfectè, sed perfectè, non abstractè, sed intuitiuè: non confusè, sed clarè. Ergò non potest inter eas facere distinctionem rationis. Minor est indubitata: maiorem probat Suarius in Metaph. disp. 7. sect. 1. n. 8. & disp. 54. sect. 2. n. 20. & 21. & satis explicat lib. 4. de Trinitate cap. 4. n. 17. Vnicũ fundamentum inde sumit; quia distinctio rationis, cũ non consistat in re ipsa, vt cognita, solùm consistet in quadam denominatione extrinseca, quam res habet à conceptibus. Ergò requirit aliquam distinctionem in ipsis conceptibus, & in denominatione extrinseca, quæ ab illis sumitur. At distinctio conceptuum non solùm denotat imperfectionem ratione pluralitatis; sed etiam ratione modi concipiendi rẽ: nã quãdo res est in se vna, ideo pluribus conceptibus apprehenditur; quia singulis imperfectè, & inadæquatè apprehenditur; quod imperfectionem dicit. Hoc est fũdamentum, quo Suarius cum nonnullis probat distinctionem rationis semper denotare imperfectionem in intellectu illã faciente: quam imperfectionem nõ habet intellectus beati in ordine ad diuinas perfectiones, cum illas clarè, & distinctè apprehendat.

7. 6. Ratio. Sextò & vltimo; inde alij argumentãtur; quoniam beatus illam distinctionem rationis nec potest sumere ab ipsa diuina essentia; nec per habitudinem ad creaturas. Nullo igitur modo potest facere aliquã rationis distinctionẽ. Cõsequẽtia est nota: quia distinctio rationis nõ potest fieri, nisi altero illorũ modorũ Minor probatur: quoniã visio beata in cognoscẽdis diuinis perfectionibus nõ dependet à creaturis. Ergó si visione ipsa facere debet distinctionem rationis, eam faciet sine habitudine ad extra: & subinde illam sumet ex sola diuina essentia. At ex illa eam sumi non posse, ex eo facilè patet; quia diuina essentia, in se ipsa nullam habet distinctionem, sed sũmam vnitatem. Iam verò vnum quatenus vnum, nõ potest caussare, nisi vnum: distinctio autẽ rationis resultarè nequit, nisi ex obiectis cognitis, vt pluribus. Hęc sunt huius negantis partis fundamẽta.

§. 2.

Pars affirmatiua censetur probabilior.

8. Pars affirmans. PArtem tamen affirmantem propositæ quæstionis probarunt grauissimi theologi: eam probare debent, qui in sequenti articulo volunt distinctionem rationis inter attributa diuina posse fieri à diuino intellectu: à fortiori enim concedent eam fieri posse ab intellectu hominis, vel angeli beati. Sed specialiter de intellectu hominis beati hanc affirmatiuam partem latè confirmat Henricus quodlib. 5. q. 1. maximè litera S. & litera Z. in fine, citatur à Bellomontano Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 2. dub. 1. 2. & 3. at de intellectu beati nihil loquitur. Eandem sententiã mihi probat Caietanus 1. p. q. 13. ar. 4. ad finem commenti; quatenus pluralitatem rationum de Deo à solo diuino intellectu excludit; quasi eã non excludat ab intellectu creato, etiam si Deo maximè appropinquet. Molina etiam mihi hanc partem probat 1. p. q. 28. ar. 2. disp. 3. nam licèt ibi post primam con-

Henricus.

Caietanus.

Molina.

clusionem

clusionem §. *cõsulto etiam*, neget per visionem beatam fieri posse distinctionem rationis per habitudinem ad distinctos conceptus; non negat tamen, sed concedit per eam, hanc distinctionem posse fieri eo modo, quem in quinta conclusione explicat de diuino intellectu. In eàdem sententia est Capreolus, quanuis à Bellomontano pro sententia opposita falsò citetur. Nam in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. nõ semel, sed iterũ & iterũ hãc distinctionẽ inter attributa cõcedit intellectui creato videnti Deum, vt patet fol. 125. col. 4. in principio §. *addo etiam*, & fol. 130. col. 2. ad finem, & clarius fol. 131. column. 2. post principiũ; expressè id docuit 1. p. d. 27. q. 2. art. 3. ad 8. Durãdi fol. 206. col. 2. Id ipsũ etiã affirmat Aiala ibi q. 4. ar. 4. fol. 106 col. 3. in fine, & Soncinas eodem in loco concl. 7. in principio. Nec ista sententia videtur aliena à D. Thoma in 1. d. 2. q. 1. ar. 3. §. *quantum verò ad quartum*. Hanc etiã fuisse sententiam Scoti, non dubitabit, qui eum legerit in 1. d. 8. q. 4 litera E. §. *item contra minorem*. Consentit Lichetus cum Bargio ibi fol. 184. col. 1. in principio.

Capreolus. *Aiala.* *D. Thomas* *Scotus.*

9. Probatur pars affirmans.

Ego hanc sententiam puto esse longè probabiliorẽ, si debitè explicetur. Præmittendum est igitur, sicùt Theologi cũ Augustino duplicem cognitionem in patria distinguũt: matutinam vnam; qua cognoscunt, & Deum visione beatifica, & res in Deo: vespertinam alteram; qua cognoscunt, & Deum, & res in proprio genere: ita etiam distingui in ea duplicem beatorum politiam. Quarum altera iã cõmuniter appellatur vespertina; altera verò matutina. In vtraque plures actiones exercent beati; tũ necessarias, tùm etiam liberas, vt ex D. Thoma, & cæteris Theologis diximus in superiori libro q. 9. artic. 5. §. 1. concl. 2. Possumus igitur de beatis in patria agere, vel quoad cognitionem vespertinam, qua per scientiam infusam, atque etiam acquisitam in via Deum cognoscunt cognitione abstractiua: vel quoad cognitionem matutinam, quam erga Deum, & intus Deum exercent. Hæc autem adhùc duplex est: vna est ipsa visio diuinæ essentiæ, qua & beati sunt, & comprehensores. Altera, quæ ad illam consequitur; etenim ex visione, & amore intra ipsum Deum prorumpunt in diuinas laudes, gratiarumque actiones, exhibẽtes Deo cultum, & reuerentiam, vt ex D. Thoma opusculo 63. cap. 5. & 6. & ex nostro Didaco de Tappia de incarnatione q. 21. ar. 2. concl. 5. diximus in d. q. 9. ar. 5. De beatis igitur agere possumus iuxta triplicem, quam in illis admittimus, cognitionem. Sequentes igitur conclusiones statuimus.

August. *D. Thomas* *D. Thomas* *Didacus Tappia.*

Sit prima conclusio: non est negandũ beatos per cognitionem vespertinam, quam habent de Deo in proprio genere, posse diuina attributa ratione distinguere, & de facto illa distinguere. Hanc conclusionem probat Molina vbi suprà §. *consulto etiam*, quam priùs iam probauerat q. 13. ar. 4. in fine commenti. Euidenter demonstratur: quoniam in ipsis beatis quoad hanc vespertinam cognitionẽ datur perfecta causa pluralitatis cõceptuũ circa Deũ, diuinasq; perfectiones: nã datur limitatio intellectus, & infinita intelligibilitas ex parte diuinæ essẽtiæ, cui nullus creatus cõceptus potest adæquari. Id etiã satis docuit D. Chrysostomus citatus à D. Thoma in 1. d. 2. citato loco dũ ait *angelos laudare Deũ; quosdam, vt maiestatem; quosdam verò, vt bonitatem, & cætera*. Ex quibus verbis euidenter colligitur in illa politia vespertina angelos beatos plures conceptus formare de diuinis attributis re, & ratione præcisos; ita vt vno concipiatur bonitas præcisa à sapientia; altero verò concipiatur sapientia præcisa à bonitate; ad quam abstractionem necessariò consequitur diuisio attributorum, & distinctio illorũ secundùm rationẽ. Et sicùt verba Chrisostomi de his actionibus, & cognitionibus explicari possunt; ita etiam de illis explicari poterunt verba D. Thomæ loco citato, dum ait beatum plures cõceptiones de Deo formaturum, si vidẽs Deum velit illi nomen imponere. In eodem etiam sensu explicandus erit Capreolus in locis citatis, quatenus ait beatum videntem Deum de Deo formare plures conceptiones: id enim intelligi non potest de ipsâ beatifica visione, quæ in se vnica tantùm esse potest: & maiori cum ratione in eodem sensu explicãdus est idẽ Capreolus fol. 125. col. 1. ad 5. Aoreoli, dũ docet aliquos beatos vnico conceptu cognoscere, quæ alij inferiores non cognoscũt, nisi per plures.

10. 1. Cõclusio.

Chrysost. *D. Thomas* *Molina.* *Idem.* *Capreolus.*

Secunda

11. 2. Cõclusio. Secunda conclusio: nec etiam negandum est posse beatos in politia matutina (in qua cum Deo non extra Deum, sed intra communicant) easdem diuinas perfectiones, quas beatifica visione vnitè vident, intelligendo diuidere. Hęc conclusio etiam debet esse indubitata apud eos, qui admittunt matutinam politiam in beatis: debent enim admittere beatos ex beatifica visione plures actiones exercere, tùm necessarias, tùm etiam liberas erga Deum, & proximos, quos in Deo vident, vt diximus in d.q.9. præcedentis libri ar.5. inter quas actiones annumerandæ sunt diuinæ laudes, & gratiarum actiones, in quas beati prorumpunt. De quibus satis accommodatè, imò accommodatius explicantur verba Chrysostomi suprà citata. Imò etiam de his actionibus explicari possunt, quæ docet D. Thomas in loco ibi citato cum Capreolo non solùm in 1.d.8. loco citato, sed etiam in 1.d.27.q.2.ar.3.ad 8. Durandi fol.206.col.2. vide inferiùs quæstione 12.art.6.§.2. cõcl. 3. Quilibet igitur beatorum videns, & amans Deum ex ipsa visione, & amore cum Deo intus communicans prorumpit in varias Dei laudes ob eas, quas in eo videt, perfectiones, singulas illas singulis laudationibus extollens. Iam verò laudatio, sicut & gratiarum actio, sunt actiones intellectus, quibus singulæ perfectiones ab alijs præcisè concipiuntur simùl, & distinguuntur.

12. 3. Cõclusio. Tertia conclusio: nec similiter negãdum est diuinas perfectiones ipsa etiam visione distingui posse, imò de facto distingui, si non eodem, saltem in diuersis beatis. Hæc conclusio, quanuis à nemine asserta sit, ab omnibus tamen quoad vtranque partem probari debet. Prior pars euidenter probatur, si vera est illorum theologorum sententia, quæ docet posse per diuinam potentiam diuinam essentiam videri, non visis interim attributis; videri etiam vnum attributũ altero non viso: id enim si fiat, concedendum est dari posse duas visiones intuitiuas diuinæ essentiæ, vel successiuè in eodem, vel simùl in diuersis re, & ratione præcisas: quæ præcisio dari non potest sine distinctione attributorũ ipsas intuitiuas visiones consequente. Posterior etiam pars ex eo mihi est euidens; quia perfectio eminentialis, qua Deus omnem entitatem creabilem, omnesq; essendi gradus à creatura immitabiles atquè participabiles in se ipso eminenter continet, in beatis inæqualiter beatis hanc patitur rationis diuisionem; de quo nullus dubitare potest, qui admiserit magis beatum videre plures essendi rationes, & immitabilitates, quæ in illa eminentiali perfectione continentur. Hæc autem illius perfectionis præcisio sine eiusdem distinctione dari non potest. Quin poti⁹ singulæ pfectiones formales Dei in beatis inæqualibus simili modo diuiduntur: quia magis beatus in singulis illis plures illius perfectionis gradus, & immitabilitates percipit, quã percipiat minus beatus v.g. magis beatus, dum diuinam sapientiam magis penetrat, quàm minus beatus, diuinam ipsam sapientiam intelligibiliter diuidit, dum in ipsa visione non secundum eosdem sapiendi gradus, nec secũdum easdem sapientiæ immitabilitates sapientia ipsa representatur. Quo argumento Commẽtator 12.Metaph.com.44. probauit primam intelligentiam ratione diuidi ab inferioribus, dum ait motorẽ Iouis aliam conceptionẽ formare (agit de intuitiua) de prima substantia, quàm formet motor Saturni, vt patet ex Capreolo vbi suprà fol.130.col.3. in finẽ. *Cõmẽtator* *Capreolus.*

13. 4. Cõclusio. Quarta conclusio: beatos vidẽdo diuinas perfectiones in Deo ipsamet visione eas omnes ratione distinguit. Cõclusio est controuersa: contradicũt, qui negantem probauere sententiam: consentiunt tamen, qui pro parte affirmãte sententiam dixere. In hoc enim sensu eam defendunt Henricus, Caietanus, & Molina. Probare debent, qui volunt diuinum intellectum suas perfectiones ratione etiam distinguere, dum eas distinctè cognoscit: nam quoad hoc eadem est ratio in vtroque intellectu. Probatur conclusio: quoniam, vt attributa per intellectum beati ratione distinguantur, satis est, quòd distinctè cognoscantur, vt virtute distincta: hac enim cognitione manent in intellectu distincta actualiter. Sed beatus ipsa beata visione, qua Deum videt non solùm distinctè videt ipsa diuina attributa, sed etiã distinctè videt illa in sua simplici vnitate habere virtualem distinctionem. *Henricus.* *Caietanus.*

Ergò

Ergò beati ipsa visione actu distingunt diuina attributa distinctione rationis. Discursus est legitimus. Maiorem probabimus in sequenti art. §. 5. minor autem notissima est ex ijs, quæ de visione beatifica diximus in lib. superiori q. 9. ar. 3. vbi ostendimus visionem beatificam formaliter esse simplicem, & incõplexam; virtute tamen esse complexam, non solùm apprehensiuam veritatum diuinarum; sed etiam iudicatiuam earum. Beatus igitur ipsa visione non solùm videt perfectiones diuinas, quatenus sunt vnitę; sed etiam iudicat eas inter se virtute esse distinctas. Et cũ hoc sufficiat ad distinctionẽ rationis, vt dicemus in sequẽti ar. vtiq; talis visio sub illa virtuali eminentia, quam habet, satis erit ad faciendã distinctionẽ rationis inter attributa. Sed de hoc latiusin sequenti ar. vbi iterum erit sermo de hac visione beata, tùm §. 4. tùm etiam quinto; vbi ostendemus beatum priùs nostro intelligendi modo, quàm visione ipsa videat aut creaturas, aut emanationes personarum, videre hanc virtualem attributorum distinctionem: & ex consequenti distinguere attributa absque vlla habitudine ad distinctionem realem, aut creaturarum, aut emanationum.

§. 3.

Soluuntur argumenta partis negantis.

14. NEc argumenta, quæ pro parte negante initio adduximus, tanti sunt, vt nos à nostra moueant sẽtentia.

Ad primũ. Ad primum dicimus verba S. Bernardi non adeo esse clara, vt cõuincant hãc fuisse illius sententiam: alijs enim clarioribus vteretur, si de hac difficultate suam nobis vellet sententiam explicare. Et quidem ex verbis adductis constat D. Bernardum agere de pluralitate, non quidem diuinarum perfectionum, sed cõceptuum formaliũ, quibus illas perfectiones apprehẽdimus, vt patet ex illis verbis: *nec enim resiliet desilietvè in suam pluralitatem*: quam scilicèt in via habebat: pluralitas autem, quæ viatori est propria, est pluralitas cõceptuum, quibus, dum vnum Deum nititur apprehendere, quadruplicatum inuenit, vt scilicèt quadruplicatis conceptibus illum apprehendat. Et ob hanc conceptuum pluralitatem non possumus etiam in intelligendo cum Deo simplicitate contendere, vt idem Bernardus ait: quia licèt Deus in se sit summè simplex; nos tamen in illo intelligendo sumus maximè cõpositi. Itaque agit eo in loco D. Bernardus de pluralitate conceptuum quibus diuina apprehendimus, non vt quid vnum, sed vt plura, *D. Bern.*

15. Hæc igitur conceptuum multitudo ortum habet ex infirmitate nostri intellectus, provt in via per ænigma, & per speculum apprehendit Deum, supposita ex parte Dei infinita intelligibilitate. Hæc igitur multitudo conceptuum nõ manebit in patria, dum Deum in se ipso clarè videbimus: videbimus enim Deũ, & omnia diuina vnico tantùm, & simplicissimo conceptu, quam simplicitatem caussabit simplicitas, & vnitissima vnitas obiecti beatifici, vt ostendimus in præcedente lib. q. 9. ar. 3. n. 10. In hanc igitur cõceptuum multitudinem intellectus beati nunquam poterit aut resilire, aut desilire, quantũuis in Deum vehementer intendat, & diuinam essentiã intelligendo penetret: quia nec retrocedere potest in pluralitatem impeditus ab vnitate obiecti, quod vnitissimè sibi objcitur: nec per saltum in illam incidere. At tamen hæc indiuidua attributorum actualis vnitas, sicùt à se obiectiuè non excludit virtualem illorum pluralitatem, & distinctionem; ita non excludit à visione vna, & incomplexa virtualem complexionem, & compositionem tam apprehensiuam, quam iudicatiuam. Quare illa verba: *nullatenus resiliet, desilietvè in suam pluralitatẽ*. Sicùt intelliguntur de pluralitate actuali ex parte conceptus, non verò de virtuali; ita etiã intelligenda sunt de pluralitate actuali obiectiua, non verò de virtuali.

16. Ad secũdum dicendum est duplicem in nostro intellectu infirmitatẽ esse distinguendam: vnã intrinsecam; quia scilicèt habet limitatam vim intelligendi: alteram naturalem; quatenus Deum nõ nisi ex creatis potest intelligere. Prior est omninó inseparabilis à nostro intellectu; & ideo quantumuis diuinitus eleuetur, nunquã poterit formare conceptum, notitiã vè Deo adæquatam; ob quã caussã talis imperfectio dicitur intrinseca. Ad secũdã.

seca. Posterior autem, quanuis naturalis sit; suo tamen modo est extrinseca: quia potest intellectus diuinitus liberari ab ea, & de facto liberabitur in patria. Ex posteriori imperfectione habet intellectus noster, non solùm quòd non possit Deum videre, sicuti est; sed etiã quod nõ possit diuinas perfectiones aut cognoscere, aut distiguere, nisi pluribus conceptibus: etenim non cognoscit eas, nisi ex cognitione creaturarum, in quibus eas inuenit actualiter distinctas. Neutrum tamen habet ex priori infirmitate; vndè ab vtraque potest intellectus liberari, etiam in via, & de facto ab vtraque liberabitur in patria: nam & Deum videbit, sicuti est, & omnes diuinas perfectiones vnico tantùm, & simplicissimo conceptu percipiet.

17. Ad argumentum igitur explicandum est antecedẽs: nam si sermo sit de priori infirmitate; negandum erit: nec enim ex limitata virtute intelligendi prouenit, quòd intellectus non videat Deum, sicuti est: quia in patria eam infirmitatem habet; & tamen Deum intuitiuè videt. Nec ex eàdem limitatione prouenit, quòd Deum cognoscendo non diuidat, nisi pluribus cõceptibus: quoniam in patria vno conceptu potest Deũ cognoscendo diuidere. Porrò si sermo sit de infirmitate posterioris generis; admittenda est prior pars antecedentis; secunda autem indiget distinctione: neganda est enim, si intelligatur de diuisione quocunque modo facta: quia absolutè loquendo attributa secundũ rationem diuidere non prouenit ex imperfectione, cum id concedatur diuino intellectui, vt dicemus in sequenti ar. At verò si intelligatur de diuisione facta per pluralitatem conceptuum; admittenda est: quia, vt diximus, hoc prouenit ex infirmitate orta ex naturali modo intelligendi, quo noster intellectus diuina intelligit. Ex antecedente autem ita explicato non bene infertur intellectũ videntem Deum non posse absolutè illũ intelligendo diuidere: sed solùm infertur non posse diuidere Deum pluralitate conceptuum: quod libenter admittimus: quia beatus vnica dũtaxat visione videt Deum, diuinasque perfectiones; quæ tamen quatenus eminenter est cõplexa, atque iudicatiua, potest illas ratione distinguere. Et ita facilè explicatur argumentum sumptum ex doctrina D. Thomæ, & satis ad mẽtem illius. Nec desunt qui licèt in beatis vnicam intellectionem admittant; non negent tamẽ plura verba & plures cõceptus obiectiuos, vt Capreolus 1.d.27.q.2.ad 8. Durãdi fol.206.col.2. de quo plura libro 7.

18. Ad tertiam

Ad tertiũ dicimus beatum eadem visione, qua videt Deũ, facere hanc distinctionem: nec oppositum docent auctores nostræ sententiæ, vt falsò illis imponit Bellomontanus. Id facilè colliges ex verbis Henrici quodlib. 5. q. 1. litera S. vbi sic ait: *Et sic capit eam* (scilicèt diuinã essentiam) *omnis intellectus beatus, quasi prima, & simplici actione intelligendi: aut in quantum intellectus, quasi post comprehensionem huiusmodi negotiatur circa huiusmodi simplex comprehensum per actum intelligendi.* Ex quibus verbis patet apud Henricum beatũ eodem actu, quo diuinam essẽtiam simpliciter apprehendit, circa eam negotiari. Clariùs id colliges ex verbis Molinę vbi suprà: *verum* (inquit) *an per comparationem ad intellectum diuinum, visionemq; beatificã attributa diuina alijs modis ratione distinguantur; paulò post explicabitur.* Nec Bellomontanus afferre poterit, qui in hac opinione aliam intellectionem ponat. Nam Capreolus, & D. Thomas, quos fortè pro se citabit, non loquuntur in terminis nostræ cõclusionis; sed in terminis conclusionis secundæ, & tertiæ. Itaque beatus eàdem visione, qua videt Deum, facit hanc rationis distinctionẽ.

Henricus. *Molina.* *D. Thom.* *Capreolus.*

19. Quomodo visio faciat distinctionem.

An visio illa distinctionem istam faciat, quatenus respondet simplici intellectus apprehensioni; an vero quatenus eminenter est complexa, & iudicatiua? res est controuersa: quæ etiam habet locum in visione increata, de qua oppositæ sunt sentẽtiæ, vt videbimus in sequenti articulo. Magis placet hanc distinctionem fieri per visionem, vt eminenter est apprehensiua, & iudicatiua eorum, quæ videt in diuina essentia: & hæc fuit sententia Henrici loco citato. Beatus igitur videns diuinam essentiam notitia veluti simplici, & quatenus respõdet primæ operationi nostri intellect⁹, videt ipsam essentiam, & diuinas perfectiones, vnitas tamen, & quatenus cum essentia sunt vnum obiectum simplicissimum

Henricus.

simum: at tamen, quatenus eminenter est notitia complexa, & iudicatiua, sicut continet vnum iudicium simplicissimũ terminatum ad illam eminentem vnitatem, vt diximus in lib. præcedente q. 9. ar. 4. n. 6. ita etiam eminenter continet cognitionem, qua videt, & iudicat illam vnitatem perfectionum virtute esse multiplicem, atq; distinctam; quæ cognitio satis est, vt inter ea faciat actualem distinctionem, vt in sequenti ar. dicemus.

18. ad tertiam

20. Ad quartũ. Ad quartum posset quis respondere cõsequentiã absolutè nõ esse bonã: quia licèt sit vera in notitia intuitiua, quæ & formaliter, & obiectiuè est complexa; non est tamen vera, si fuerit obiectiuè complexa: nam dari posse notitiam intuitiuam obiectiuè complexam admisimus lib. superiori q. 9. ar. 3. n. 10. cum Caietano 1. p. q. 58. ar. 5. & Cursu Conimbr. lib. 1. de interpretatione cap. 1. q. 5. ar. 4. §. *quod attinet ad* 2. pag. 53. potest enim quis aut videre, aut intellectu intueri hominem album. Posset igitur quis dicere notitiam intuitiuam obiecti complexi terminari posse ad plura. Sed hæc solutio videtur supponere falsam philosophiam; quia licèt possit dari notitia intuitiua obiectiue complexa (vt cùm videtur homo albus) illa tamen notitia non terminatur ad illud obiectum, nisi vt actu est vnum, & per modum vnius. Quare respondetur secundó doctrinam illam Bellomontani solùm esse veram in notitia, quæ formaliter, & virtualiter est simplex, & incomplexa, qualis est notitia intuitiua ordinis naturalis, siue illa sit sensus, siue intellectus, hæc enim, cum ex sua natura sit imperfecta; sicùt non potest terminari, nisi ad vnum per modum vnius; ita nec potest tendere ad illud, nisi modo incomplexo. Falsam tamen esse, & non admittendam in notitia intuitiua perfecta, & ordinis supernaturalis, quæ ex sua natura ita actu, & formaliter est incomplexa, & simplex, vt virtute sit cõplexa cõplexione cõpositionis, & iudicij, qualis est visio beata, vt ostendimus in d. q. 9. ar. 3. §. 3. n. 11. & §. 5. n. 26. hæc enim (vt ibi diximus) rem, quæ est vna, virtute tamẽ plures, potest intelligere, non solũ simpliciter, vt actu est vna, & indistincta; sed etiã cõplexè, vt scilicèt existit virtute plures: & ob id potest in ea plures rationes intelligibiles, & concipere, & concipiendo distinguere distinctione secundum rationem.

Caietanus.

1. Respõsio.

2. Respõsio

19. Quomodo visio faciat distinctionem.

Ad 5. argumentũ neganda est maior ab ijs, qui cõcedunt distinctionẽ rationis inter attributa fieri, & ab intellectu beato, & à diuino: etenim saltẽ in diuino nulla admittẽda est imperfectio. Nec ꝓbatio maioris vim habet, si hac de re bene philosophamur: Etenim nec antecedens est verũ; nec si verũ foret, valeret cõsequẽtia. Et, vt ab hoc posteriori incipiamus; quãuis daremus distinctionẽ rationis esse denominationẽ extrinsecã sũptã à cõceptu distinguẽte; non video, quã bene inferatur realis cõceptuũ aut pluralitas, aut distinctio: ad illã enim denominationẽ satis est distinctio virtualis, quæ admittẽda est in visione beatifica, quatenus eminẽter est cõplexa, & veluti plures valens ex se determinari ad plura obiecta, eaq; vt plura, & distincta concipere, & concipiendo distinguere.

21. Ad quintũ.

Sed omissa hac solutione ad priorẽ cõuertamur, quę antecedẽs negat, vt manifestè falsũ: etenim distinctio rationis siue sumatur fũdamẽtaliter, ꝓ negatione idẽtitatis cũ re, à qua distinguitur; siue formaliter ꝓ relatione rationis, quã cõsequitur ex illa negatione; sẽper cõcipiẽda est, vt forma intrinseca intrinsecè denominãs rẽ, quę ratione distinguit.

22. Melior solutio.

Quod distinctio rationis sumpta fũdamẽtaliter sit in ipsa re, quæ distinguitur non denominatione extrinseca, sed intrinseca potius; facile patebit, si præmittam⁹ distinctionẽ rationis nihil aliud esse, quàm negationẽ idẽtitatis secũdũ esse rationis cũ illa re, à qua ratione distinguitur. Hoc inductione ꝓbari potest: nã distinctio rationis, qua Petrus vt prędicatũ, distinguitur à se ipso, vt est subiectum in hac propositione *Petrus est Petrus*, non est aliud, quã negatio identitatis, quàm Petrus, vt subiectum, habet respectu sui, vt est prædicatũ: ideo enim distinguitur à se, quia quatenus est prædicatum, non est idem secum, quatenus est subiectum. Eodem modo distinctio rationis, qua intẽtio generis in animali distinguitur ab intentione speciei, quæ est in homine, non est aliud, quã negatio identitatis, quã habet intentio generis ad intentionẽ speciei: ideo enim distinguitur ab ea, quia non est idem cum ea. Similiter etiam distinctio rationis, qua

23. Præmissum

sapientia diuina distinguitur à diuina bonitate, vt vtraq; est in intellectu viatoris, nihil est, nisi negatio identitatis, quam secundũ obiectiuam existentiã in intellectu habet in ordine ad diuinã bonitatẽ. Quę inductio cõfirmatur cõmuni metaphysicorũ doctrina, quæ docet distinctionẽ ex se dicere negationẽ idẽtitatis, de qua idem Suarius in Metaph. disp. 7. sect. 1. n. 7. & clarius sect. 7. n. 6. Nec sine fundamento sanè: quoniam distinctio inter aliqua ex hoc primũ prouenit, quòd inter ea datur hoc, & nõ hoc quatenus hoc, quod est idem sibi, nõ est idẽ illi, à quo distinguitur, quæ est optima doctrina D. Thomę, ex quo eam docet Fonseca in 4. Metaph. cap. 2. in com. litera D. D. §. *bis obiectionibus*, pag. 526. in fine. Affirmandum est igitur distinctionem rationis (de qua agimus) ex se esse negationem identitatis secundum esse rationis cũ illa re à qua ratione distinguitur. Iam verò negatio huius idẽtitatis formaliter inest, & suo modo subiectatur in re, in qua reperitur hęc carentia idẽtitatis: negatio enim formæ in eo subiecto inest, in quo nõ reperitur forma negata: inest enim in eo subiecto, in quo inesset forma, quę negatur. Iã verò idẽtitas, quæ negatur, si daretur, vtiq; in esset in ea re, quæ illius absentiã habet. Quare non est negandum distinctionẽ rationis fundamentaliter sumptã (pro negatione scilicèt identitatis) non extrinsecè, sed intrinsecè conuenire rei, quæ ab alio distinguitur.

D. Thomas

24. Quod verò distinctio rationis, vt formaliter sumitur pro relatione rationis, quam res distincta consequitur ex negatione identitatis, in qua proximè fundatur, intrinsece, & non extrinsecè rẽ ipsã distinctã denominet, ex eo generaliter probari potest; quoniã talis relatio est quoddã ens rationis, vt omnes fatẽtur. Iã verò ens rationis nõ est aliqua extrinseca denominatio, sed intrinseca, vt modo supponimus contra nonnullos & bene aduertit Antonius Rubeus apud Porphyrium in tractatu de ente rationis in quęstione, quid sit ens rationis ad finem in 3. corollario pagin. 276. in fine. Quæ sententia absq; dubio est probãda in ente rationis sumpto pro relatione rationis, vt idẽ Rubeus ibi aduertit: id enim facile demonstratur ex generali ratione relationis, vt relatio est: habet enim ex sua natura, quod sit forma quędam intrinseca rei, quam relatam aut fecit, aut denominat, vt optime annotauit Cursus Conimbr. in c. de relatione in prædicamentis q. 1. ar. 1. §. *hæc posterior sententia*, pag. 339. nam, cum ex sua natura posita sit in tendentia vnius ad alterum; necesse est, insit in eo, quod per relationem in aliud tendit: & inde est, vt prædicamẽtum ralationis inter ea prædicamenta enumeretur, quæ ex sua natura sunt formæ intrinsecè denominãtes substantiam: sicùt enumeratur prædicamentum quantitatis, atque etiam qualitatis. Cum igitur hæc sit propria natura relationis, vt formaliter est relatio, absque dubio id ipsum conueniet relationi rationis.

Rubeus.

25. Quod etiam probatur ex propria natura relationis rationis, quatenus est relatio rationis: eius enim est naturæ, vt nõ existat, nisi obiectiuè in intllectu, idque per actum comparatiuum aut directum, aut veluti reflexum, quæ est cõmunis metaphysicorum sentẽtia, quam supponimus tanquam veram, probatãq; tũ antiquioribus, tũ etiam recentioribus, de qua Cursus Conimb. in præfatione Porphyrij q. 6. ar. 1. cõcl. 2. pag. 120. Conueniunt omnes relationẽ rationis solũ existere obiectiuè in intellectu per actũ comparatiuum. Quanuis autẽ controuersia sit, an existat per actũ directò cõparãtem ipsa relationis extrema; an verò per actũ veluti reflexũ, quo concipiuntur ipsa extrema, vt iam comparata, vel potius ipsa comparatio formaliter in se ipsa: tamen siue hoc, siue illo modo explices ipsum actum comparãtem, semper colligemus relationem rationis ex se esse formam intrinsecè denominãtem rem, quę per eam refertur. Et quidem res facilè intelligitur, si cum Scoto in 1. d. 45. q. vnica, & 5. Metaph. q. 11. dixeris relationẽ rationis existere per actum directo comparantem extrema, inter quę interiacet; itavt ex ipsa extremorũ collatione resultet relatio; nam si per ipsam actualem extremorũ comparationem resultat relatio inter extrema; absq; dubio in ipsis extremis intrinsecè inexistet, quasi veluti forma, quæ iam inexistens in illis per actum reflexum cognoscitur.

Idem confirmatur.

Scotus.

Porrò

26. Porrò, si cum alijs putas relationem rationis solùm existere per actum veluti reflexum (quam sententiam esse D. Thomæ, & Caietani putat Cursus Conimb. in d.q. 6. pag. 121. & latè probat Suarius in Metaph. disput. 54. sect. 2. n. 15. & 16.) ex hac etiam sententia conuincitur relationem rationis formaliter; & intrinsece denominare extremũ, quod ad aliud refertur: etenim actus ille ita concipit ipsam comparationem, relationemque extremorum, vt eam cõcipiat concernendo ipsa extrema relata. Quocunque igitur modo fiat ipsa relatio rationis, sẽper cõcipitur, vt forma intrinsecè denominans extremũ, qnod per eam refertur. Et subinde verissima est doctrina, quòd omnis relatio rationis ex se est veluti forma intrinseca suis extremis relatis. Et proinde cum distinctio rationis (de qua agimus) formaliter sumpta sit quædam relatio rationis; vtique erit forma, non extrinsecè, sed intrinsecè denominans rem, quæ distinguitur: quod probare nitebamur. Quare siue distinctio rationis sumatur formaliter pro relatione rationis; siue fundamentaliter pro negatione identitatis, quæ conuenit rei ab alia distinctę; semper sumenda est, & consideranda, vt forma intrinsecè denominans rem distinctam. Cuius oppositum sumebat antecedens quinti argumenti, cuius solutionem inquirimus.

Alioꝝ opinio: *D. Thom.*

27. Vltimum argumentum non vno modo soluitur ab omnibus: est enim apud Theologos cõtrouersia; an distinctio rationis fieri possit sine habitudine ad distinctionẽ aut realem, aut ex natura rei, quę reperitur in creaturis. Quidam absolutè negant, vt Godofredus, Durãdus, Heruæus, Gerardus, & Argentina, atque alij, quos retulimus in art. præcedente §. 2. post secundam conclusionem. Qui cum his auctoribus existimauerit; necessario respondebit beatos hãc distinctionem facere per habitudinẽ ad creaturas. Oppositum tamen docet Henric. quodlib. 5. q. 1. cũ alijs, qui putant tam diuinum intellectum, quàm beatum hãc distinctionẽm sumere non ex distinctione creaturarum; sed ex perfectione diuinæ essentiæ.

Ad vltimã. *Godofred.* *Durandus.* *Heruæus.* *Gerardus.* *Argentina*

28. Ego priorem responsionem admittẽdam puto; si sermo sit de beato, quatenꝰ cognitione vespertina vtitur modo intelligendi sibi cõnaturali per cõuersionẽ ad phantasmata, sicùt potest: de qua cognitione sermo est in prima huius ar. conclusione: etenim hæc cognitio, sicùt etiã species, & lumen, à quo dependet, ex sua natura habet habitudinẽ, & proportionẽ ad perfectiones creatas, vt latè ostẽdimus in præcedente ar. §. 2. cõcl. 2. At posteriorem solutionem puto esse admittendã in terminis aliarũ conclusionũ. Et vt singulas percurramus; solutio mihi videtur certissima in terminis primę cõclusionis, de beato scilicèt, qui cognitione vespertina Deũ, diuinasque perfectiones intelligit sciẽtia infusa. In eisdẽ terminis hanc sentẽtiam amplexi sumus in præcedente ar. §. 2. concluſ. 4. vbi pro nobis citauimus Capreolum in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. ad argumenta vltimo loco fol. 131. column. 2. post principium. Nec est audiẽdus Molina in locis in prima assertione citatis, dum oppositum docet: etenim hæc scientia, cùm sit per se infusa, ex sua natura abstrahit ab habitudine ad res creatas, & solùm includit habitudinem, & proportionem ad diuinas perfectiones, vt in se ipsis, & ex se ipsis sunt intelligibiles, vt in d. 4. concl. dicebamus: effectus enim proportionantur suis causis. Iam verò species per se infusæ repræsentantes diuinas perfectiones immediatè producuntur à Deo, provt in se ipso, & ex se ipso est intelligibilis: debent igitur repræsentare ipsas diuinas perfectiones secundum propriam, quam in se habent, intelligibilitatem. Quam doctrinam confirmare possumus ex varijs excellentijs, quas Theologi explicant de scientia per se infusa, & de lumine illi proprio, de quibus latè agit Suarius 1. tom. ad 3. p. disp. 29. per totam; quam adeo dignificat, vt putet satis esse probabilem sententiam, quæ docet lumen huius scientiæ esse ipsum lumen gloriæ, vt patet ex sectione 4. citatæ disputationis.

Posterior respõsio quã do si admittenda. *Capreolus.* *Molina.*

29. Quæ scientiæ dignitas, & excellentia satis est, vt dicamus absurdã esse sẽtẽtiã & omninò reijciẽdã, quę hãc sciẽtiã ita deprimit, vt eã subijciat intelligibilitatirerũ creatarũ, itavt nõ possit diuinas pfectiones cõcipere, nisi per analogiam ad res creatas. Quòd si hoc est absurdũ, à fortiori maius absurdũ erit beatũ in

29.

terminis secundæ, & quartæ conclusionis distinctionem inter attributa sumere per habitudinem ad distinctionem, quæ est in creaturis: etenim in illis terminis cognitio pendet à diuina essentia vt ab specie intelligibili, & à lumine gloriæ. Iam verò nec diuina essentia, vt habet rationem speciei intelligibilis in repræsentando diuinas perfectiones: nec lumen gloriæ in illuminando ealdē, vt in se ipsis sūt actu indistinctæ, distinctæ autem virtute, pendet ab habitudine ad creaturas, sed à propria ipsarum perfectionum intelligibilitate. Ad argumētum igitur in forma dicendum est beatum illam distinctionem sumere nō per habitudinem ad creaturas, sed per habitudinem ad ipsam diuinam essentiā Quod verò obijcitur *vnum semper facere vnum*, id intelligitur de vno, quod omnibus modis est vnum: iam verò diuina essentia, quanuis actu sit vna omnibus modis, tam realiter, quàm actualiter vnitissima; tamen virtute est multiplex: ratione cuius multiplicitatis diuina attributa ex sua natura sūt virtute distincta, vt ex Dionysio, & Augustino in superioribus diximus. Quæ virtualis distinctio sufficit, vt beatus possit diuinas perfectiones sua visione diuidere. Vide, quæ hac de re iterum dicemus §. 4. & 5. sequentis articuli.

Ad argumē tū in forma.

ARTICVLVS X.

An attributa distinguantur ratione per diuinum intellectum?

§. I.

Refertur opinio negatiua.

1. Autores negantis sententiæ.

QVæstio ista est controuersa inter Theologos tùm antiquiores, tùm etiam nouiores. Partē negantem ex nouioribus latè probat Bellomontanus prima p. disput. 118. cap. 2. & 3. quam antea probauerat disput. 73. cap. 2. num. 7. & 8. Eandem probauit Suarius in Metaphysic. disput. 7. sect. 1. n. 8. in fine, & latius disput. 54. sect. 2. num. 20. cum sequentibus, in eadem persistit lib. 1. de essentia Dei cap. 13. num. 6. & lib. 4. de Trinitate cap. 4. n. 17. late Antonius Rubeus apud Porphyrium in tractatu de natura entis rationis in 5. dub. concl. 2. pag. 291. non omnino displicet Cumelio prima p. q. 28. artic. 2. q. 2. ad dubia quædam parua pag. 817. column. 2. vbi affirmat hanc fuisse quorundam sententiam, nullo tamen citato, quæ etiam probata fuit Fonsecæ 7. Metaph. c. 8. q. 2. sect. 7. litera. F. Ex antiquioribus eam probauit noster Gerardus in 1. d. 2. q. 2. ar. 3. pag. 143. col. 1. §. *hæc opinio non mihi*, & pag. 145. column. 1. §. *secundo ostendo*, & post eum Caietanus 1. p. q. 13. artic. 4. in fine commenti, in eam magis inclinat Toletanus noster in 1. d. 8. q. 1. art. 4. ad primum Scoti contra tertiam. Pro eàdem referri solet Capreolus in eadem distinctione 8. q. 4. artic. 3. ad finem; nam fol. 131. column. 3. in fine hæc scribit verba: *Deus ab æterno intellexit essentiam suam sub vna ratione, quæ includit in distinctè omnes rationes de essētia sua formabiles; ipse non concipit distinctas rationes de ipsa*. Quod si distinctas rationes non concipit; vtique nullam facit distinctionem rationis; cum hæc sine distinctis rationibus non detur. Hæc ex Capreolo pro hac sententia.

Cumelius. *Gerardus.* *Caietanus.* *Toletanus.* *Capreolus.*

2. 1. Probatio

Hæc opinio primum probatur quadam generali ratione. Quoniam diuino intellectui repugnat, quòd per eum formentur entia rationis. Ergò eidem repugnabit formare distinctionem rationis inter diuina attributa. Consequentia patet: quia distinctio rationis est quoddam ens rationis. Antecedēs probatur; quoniam ens rationis nō formatur, nisi concipiendo per modum entis id, quod verè non est ens. Hoc autem arguit imperfectionem in ipsa cognitione: etenim ad perfectionem cognitionis pertinet, vt repræsentet obiectum, sicuti est: si verò cognitio recedit ab hac proprietate, id non habet ex proprietate ipsius cognitionis, sed ex aliqua imperfectione adiuncta. Cum vero hęc imperfectio non proueniat ex parte obiecti; quia illud ex se est repræsentabile, sicùt in se est; vtique talis imperfectio proueniet ex parte ipsius cognoscētis. Igitur, cum in diuino intellectu cognoscente non possit admitti aliqua imperfectio; nec etiam in ipsa diuina cognitione, aut in modo cognoscendi; vtique nec etiam admitti poterit per diuinum intellectum formari posse aliquod ens rationis.

Confirma-

3. Cõfirmat. 1 Confirmari potest hęc ratio à sufficienti partium enumeratione: quoniã ens rationis solet communiter diuidi in relationem rationis, negationẽ, atq; priuationem. Sed Deus non potest concipere modo relato ea, quæ relata non sunt: Deus enim res ipsas apprehendit, sicùt sunt in se ipsis: in se ipsis autem nõ habent relationem rationis. Nec item potest concipere negationes, aut priuationes per modum entium positiuorum: eas enim iam aliter conciperet, atque sunt in se, & modo illis extraneo. At verò negationes, & priuationes non sunt entia rationis, nisi quia concipiuntur per modum entium positiuorum. Ergo Deus nullo modo potest formare aliquod ens rationis.

4. Cõfirmat. 2 Confirmatur secùndó, quia Deus sua cognitione nihil addit rebus à se cognitis: sed illas apprehẽdit, sicuti sunt in se ipsis. Sed ens rationis non est in rebus, sed solùm est in nostra apprehensione. Ergo Deus non potest sua intellectione formare aliquod ens rationis: & subindenec formabit rationis distinctionem: quia hæc est ens rationis.

5. 2. Ratio. Secũda ratio ex eo sumitur, quod distinctio rationis ex sua natura includit plures imperfectiones in cognitione, per quã fit: iam vero fas non est aliquã imperfectionẽ admittere in diuina cognitione. Quod distinctio rationis imperfectiones dicat in cognitione, per quam fit, facilè ostenditur. Nam in primis arguit conceptũ, quo fit, non posse cõcipere rẽ, quam distinguit, sub vna adæquata ratione, sed inadæquatè sub pluribꝰ: si enim res sub vna tantùm ratione cõciperetur; vtiq; ratione non distingueretur. Ex hoc infertur conceptũ, quo fit, non repręsentare rẽ, sicuti est in se ipsa: etenim, cũ eam adęquatè nõ repręsẽtet, non repræsentat eã, vt illa in se est vna, & simplex, sed, vt est multiplex. Ex quo 3. infertur distinctionẽ rationis ex sua natura postulare pluralitatẽ conceptuũ: cũ enim res illa nõ distinguatur ratione nisi quatenus inadæquatè cõcipitur; nõ potest distingui, nisi intelligatur pluribus cõceptibus; ita vt vno repręsẽtetur secundũ vnam rationẽ, alio verò secundum aliam. Quod etiam ex eo quidam ostendunt; quia distinctio rationis ex sua natura posita est in quadã denominatione extrinseca, quam res habet à conceptu formali eam distinguẽte. Hęc autem extrinseca denominatio arguit pluralitatem, & distinctionem conceptuum, vt videre est in præcedente art. in 5. argumento partis negantis.

6. 3. Ratio. Tertiò; quidam apud Cumeliũ ita argumentantur, distinctio rationis nõ est vera distinctio, sed apprehẽditur, quasi sit distinctio. Quare nisi apprehendatur vt distinctio, non potest esse completa distinctio: nec res distinctæ possunt actu esse distinctæ, nisi apprehendãtur, vt distinctæ. At diuinus intellectus non potest apprehendere, vt distinctũ id, quod non est distinctum. Ergò nec poterit rẽ aliquam ratione distinguere.

7. 4. Ratio. Quartò arguit Caietanus; si absolutè, & vniuersaliter loquamur, radix, quare Deus est multiplex ratione, & quare potest multipliciter per intellectum distingui, non solũ est infinita perfectio diuinæ essentiæ; sed etiam finitas intellectus eam concipientis, vt patet ex D. Thoma 1. p. q. 13. ar. 4. in corpore, & ad 3. hæc autem ratio non datur in diuino intellectu: est enim infinitus, & diuinam perfectionem adæquatè concipit: ergò diuinus intellectus non potest ipsas diuinas perfectiones distinguere distinctione rationis. D. Thom.

8. 5. Ratio. Quintò arguit Suar. d. disput. 54. Metaph. sect. 3. num. 20. fieri non potest, vt intellectus diuinus concipiat spiritualia instar corporalium: is enim cognoscendi modus est imperfectus; ad perfectionem verò diuini intellectus pertinet, vt intueatur spiritualia, sicùt ipsa sunt, & non aliter. Ergò pari ratione fieri non potest, vt intellectus diuinus cõcipiat, vt distincta, quę in re distincta non sunt: nam & modus iste cognoscẽdi est imperfectus, & lõgè alienus à cognitione diuina.

9. 6. Ratio. Sextò argumentatur Bellomõtanus: Deus se ipsũ, & suas perfectiones intuiti uè cognoscit. Ergò nõ cognoscit eas nisi vt in se ipsis sunt: hæc enim est natura notitiæ intuitiuę. Sed pfectiones diuinæ à parte rei non sunt distinctæ, sed indistinctæ potius. Ergò Deus eas non cognoscit, nisi vt in distinctas, nec vlla ratione potest eas distinguere.

10. Cõfirmatio Confirmatur ex eodem; res, quæ intellectui obijcitur, sicuti ipsa est; si in

se nullam habet distinctionem, & pluralitatem; nullo modo apud intellectum potest distingui, aut apparere distincta. Sed diuina essentia obijcitur diuino intellectui, vt ipsa est in se: in se autem nullam habet distinctionem, aut pluralitatem. Ergò nullo modo potest per diuinum intellectum ratione distingui, nec illi, vt distincta apparere.

11. 3. Ratio. Septimo ex eodem: intellectus diuin⁹ non potest distinguere ipsam diuinam essẽtiam, perfectionesque illius illa notitia, qua videt essentiam, vt aduersarij fatentur, & ex eo patet; quia diuina essẽtia per illam notitiam videtur, vt ipsa in se est vna, & indistincta. Sed nullam aliam habet, aut habere potest, vt patet Ergò diuinus intellectus non potest facere aliquam distinctionem rationis in diuina essentia.

12. 4. Ratio. Postremó arguitur: diuinus intellect⁹ nihil habet, vnde possit facere distinctionem rationis inter perfectiones diuinas. Nec enim illam potest facere per ordinem ad intra, & per respectum ad diuinam essentiam. Nec per habitudinẽ ad intellectum creatũ, aut ad distinctionem in creaturis repertam: quia vtrũq; istud arguit imperfectionem. Ergò nullo modo potest facere hanc distinctionem. Hæc adducuntur pro hac negante sententia.

§. 2.

Eligitur pars affirmatiua.

13. Vera opinio affirmans. SEntentiam tamen, quæ affirmat etiam diuinum intellectum sua attributa ratione distinguere, probauerunt quãplurimi Theologi, tum antiqui, tùm etiam moderni. Ex modernioribus eam expressè probauere Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 2. dub. 1. & 3. Molina ibi disp. 3. cõcl. 5. Ex antiquioribus expressè Henricus quodlib. 5. q. 1. litera N. S. V, Godofredus quodl. 7. q. 1. Bachonius in 1. d. 2. q 3. ar. 5. §. *respondendo ergo*, & d. 39. q. 1. ar. 2. concl. 6. & ar. 3. concl. 7. & 8. Magister Alexander de S. Elpidio ordinis nostri in suo 1. quodlib. q. 1. relatus à Gerardo nostro in 1. d. 2. q. 2. ar. 3. pag. 142. col. 2. satis eam insinuat Heruæus ibi q. 3. ar. 3. §. *sed nec ista positio*, & inferiùs in solutione ad 4. & satis quodlib. 8. q. 1. §. *si autem loquamur*, & §. *ratio autem quarti*, nec longè abest ab hac

Torres. *Henricus.* *Godofred⁹* *Bachonius* *Alex de S. Elpid.* *Gerardus.* *Heruæus.*

sententia quodlib. 3. q. 3. ar. 3. & 4. sæpe enim eam supponit, Durandus etiam eã significat in 1. d. 2. q. 3. n. 20. dum concludit Deum non posse ponere differentiam rationis inter attributa, si nihil aliud à se intelligeret, & ita videtur concedere attributa à Deo distingui, cùm non solùm se, sed alia à se de facto intelligat: non est igitur dubitandum de mẽte Durandi. Nec aliena est hæc sententia à mente Caietani de ente, & essentia cap. 6. q. 12. ar. 5. ad 3. Scoti: eadem procul dubio fuit sententia Capreoli in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. etenim nõ semel, sed iterũ, atque iterum verbis expressis fatetur diuinũ intellectũ sua intellectione attributa distinguere, vt patet fol. 125 col. 4. ad 16. Scoti contra primam, vbi in hæc verba: *ad ib dico, quòd diuina attributa possũt distingui per intellectum diuinum, & per creatum.* Et fol. 126. col. 1. citato Paludano ita concludit: *Patet ergo, quòd attributa diuina distinguuntur ratione per comparationem ad intellectum diuinum, & creatum.* Et respõdens ad primam improbationem huius partis ita ait: *Et ideo argumentum bene cõcludit, quòd intelligere, & alia attributa sunt in Deo non per opus intellectus: sed non probat quin Deus per suum intelligere distinguat attributa sua, quorum vnum est intellectio sua: quæ etsi non facit se; tamen distinguit se, & alia secundum rationem.* Deniq; fol. 128. col. 3. in fine admittit non solùm intellectũ creatum, sed etiam diuinum posse distinguere attributa diuina.

Caietanus. *Capreolus.*

Ex quibus locis patet Capreolũ stare pro hac sententia affirmante: nam verba, quæ ex eo pro sententia negante adduximus suprà §. 1. in principio solùm affirmant Deum ab æterno intellexisse suam essentiam, non sub pluribus rationibus ante intellectum in Deo actu distinctis, sed sub vna, quæ potentia sine potius virtute est plures: hunc enim sensum explicat idem Capreolus dum immediatè addit, *illam vnicam rationem in distinctè includere omnes rationes de essentia efformabiles.* Quibus verbis supponit illã vnam rationem actualem, sub qua Deus suam essentiam intelligit, virtute esse plures, quia ex se talis est, vt locum relinquat efformationi plurium rationũ. Quare non puto Capreolum pro sentẽtia negante bene citari à Bellomontano in d. disp. 118. c. 2. n. 4. Sed quicquid sit de

14. Capreolus pro nobis.

Capreolo,

Palud. Capreolo, certissimum est Paludanum citatum à Capreolo, vbi suprà fol. 125. col. 4. & fol. 126. col. 1. expressis verbis hanc affirmantem sententiam approbasse: quam etiam non reijcit noster Toletanus. Toletanus in 1. d. 8. q. 1. ar. 3. ad 2. Scoti. Et hanc fuisse sententiã Commentatoris testatur Bachonius in 1. d. 2. q. 2. loco citato, vbi refert Commentatorem 12. Metaph. com. 39. in principio. Pro eadem stat Bargius apud Scotum in 1. Bargius Scotus. d. 8. q. 3. pag. 184. column. 1. in principio. Quin potius hanc sentẽtiam ponit Scotus ibi q. 4. litera E. §. *item contra minorem.* Non est igitur dubitandum sententiam istam affirmantem quamplurimis præstantissimis Theologis placuisse. Cui ego libentissimè subscribo, non alio ductus argumento, quàm quòd non video, cur hoc diuino intellectui negãdum sit, vt ex solutionibus argumentorum patebit.

§. 3.

Distinctionem rationis inter attributa fieri ab intellectu diuino, non mediatè videndo eã in intellectu creato, sed immediatè intelligendo suam essentiam.

15. SVpposita sententia affirmante, vt longè probabiliore explicandum est, quo nam pacto hæc rationis distinctio fiat à diuino intellectu? Nec enim de hoc conuenit inter theologos huius opinionis patronos.

Quæst. explicanda. Primo loco inquirendum est, an diuinus intellectus hanc distinctionem faciat immediatè intelligendo suam essẽtiam; an verò mediatè videndo eam iam 1. Opinio. fabricatam ab intellectu creato in eodem creato intellectu? Etenim, si quibusdam credendũ est, non desunt ex nouioribus, qui doceant diuinum intellectum se ipso immediatè, & primó hanc rationis distinctionem facere non posse inter attributa; bene tamen mediatè, dum distinctionem rationis ab intellectu creato formatam in ipso intellectu obiectiuè concipit. Quam opinionem Bellomontanus in d. disp. 118. Capreolus. c. 3. n. 9. tribuit Capreolo in 1. d. 8. q. 4. art. 3. dum affirmat attributa diuina, licèt à Deo non distinguantur; cognosci tamen ab eo distincta per intellectum creatum. Sed verius tribui potest Suario in Metaph. disp. 54. sect. 2. n. 23. & 24. dum admittit Deum, quanuis per se, & immediatè nõ formet entia rationis: tamẽ, dum ea perfectissime cognoscit per intellectum creatum formata, dici posse illa habere aliquod esse ex vi diuinæ cognitionis. Ex quo infertur ex sentẽtia Suarij entia rationis mediatè fieri à diuino intellectu. Qua opinione, si vera foret, conciliari possent duæ præcitatæ sententiæ inter se oppositæ, vt negans in eo sensu sit vera; quia diuinus intellectus, vt immediatè terminatus ad essentiam, & attributa, ea nullo modo distinguat: affirmãs autem ideo vera dicatur, quia mediatè concipit attributa per creatum intellectum iam distincta.

Itaque prior pars huius opinionis cũ negante opinione consentit; posterior verò dissentit ab ea. Quare priorem cõfirmabit eisdem argumentis, quibus negans opinio confirmatur: vt solùm probent diuinum intellectum non posse immediatè distinguere attributa. Posteriorem autem partem inde hæc opinio videtur confirmare; quia diuinus intellectus non potest non videre distinctionem attributorum factam ab intellectu creato: eam autem distinctionem non potest concipere; quin suo etiam conceptu eandem distinctionem faciat: etenim præfata distinctio ex vi diuinæ cognitionis habet esse obiectiuum in diuino intellectu. Ergò quanuis Deus hãc distinctionẽ nequeat efficere, dum immediatè concipit diuinam essentiam, vt obiectum primarium: eam tamẽ potest facere mediate; dum diuinam essentiam ratione distinctam videt in ipso creato intellectu, tanquam in obiecto secundario suæ intellectionis. 16.

Hæc tamen opinio nec in se vera est, nec recipitur ab alijs: tota tamen difficultas est in expendendis rationibus, quibus impugnatur. Quod expendere non erit inutile; quia non parum luminis id afferet ad difficultatis resolutionem. 17. Reijcitur opinio præcedens.

Nonnulli inde eam improbant, quia supponit Deum apprehẽdere, & cognoscere sua attributa, vt distincta sunt in intellectu creato. Contra quod multis insurgit Bellomontanus in d. disp. 118. c. 3. & 4. Et c. 3. n. 10. primó ita argumẽtatur in §. *Deniquè non alio modo.* Nam diuina attributa diuino intellectui non Fundamentum Bellomontani cõtra præcedentem opinionem.

1. Ratio.

aliter nunc obijciuntur, quàm obijcerentur, si nullus esset intellectus creatus etenim Deum intelligere se ipsum, & esse obiectiuè sibi præsentem, à nullo pẽdet extrinseco. Sed si nullus esset creat⁹ intellectus, qui diuinam essẽtiam ratione posset distinguere; Deus non apprehenderet sua attributa distincta ab intellectu creato, vt patet. Ergò nec modò ipsa apprehendit, vt sic distincta.

18. 2. Ratio. Secũdò arguere possumus ex ijs, quæ scribit in d.c. 3.n. 10. quia fieri non potest, vt diuina attributa diuino intellectui obijciantur, provt in creato intellectu sunt distincta. Ergò diuinus intellectus non potest illa apprehendere, & cognoscere, provt distincta sunt in intellectu creato. Consequentia est nota; quia nullus intellectus intelligit, nisi quod sibi obiectiuè præsentatur. Antecedens verò inde probat; quia conceptus obiectiuus nostri intellectus formaliter pendet à formali nostro conceptu, ita vt à nullo alio possit præsentari. Sed cõceptus formalis, quo attributa apud intellectum creatum distinguuntur, non potest Deo conuenire propter suã imperfectionem. Ergó conceptus obiectiui attributorum, qui apud nostrum intellectum sunt distincti, non possunt vt ita distincti præsẽtari diuino intellectui Hunc discursum simùl cum fundamẽto colliges ex Bellomontano, tum in d.c. 3. n. 10. tum cap. 4. n. 14.

19. 3. Ratio. Tertiò arguit in d.c. 4. n. 12. quoniam si Deus intelligeret illam distinctionem rationis, quam intellectus creatus facit inter attributa; & simul illa apprehenderet, provt in intellectu creato sũt distincta; non posset non concedi Deum in suo intellectu ipsamet sua intellectione formare figmẽtũ quoddam, & mõstrum: conciperet enim, vt ens id, quod non est ens. Hoc autem non minus est absurdũ, quàm si primariè illud figmentum formaretur à diuino intellectu absque vlla occasione alicuius intellectus creati. Ergò si ob illud absurdum Deus non potest primariè formare in se illam distinctionem rationis inter attributa, vtiq; nec mediatè in suo intellectu eam formare poterit occasione intellect⁹ creati: nam De⁹ ad illud esse obiectiuũ, quod distinctio rationis haberet in diuino intellectu, cõcurreret, vt integra causa; quia ad illud non concureret intellectus creatus.

20. 4. Ratio. Quartò adhuc contra eãdem opinionem sumi potest argumẽtum ex ijs, quæ idem Bellomõtanus docet in d.c. 4. n. 12. §. *adde quòd si Deus*: nam si Deus nunc cognoscit ens rationis confictum ab intellectu creato; vtique illud cognoscit ab æterno, antequam intellectus creatus illud effingat. Ergo Deus se solo, nullo cooperante creato intellectu, potest effingere ens rationis: & subinde non mediatè solùm, sed immediatè, & primario poterit illud effingere, & per cõsequens formare inter attributa hãc rationis distinctionẽ: cuius oppositũ docet hæc opinio. His argumẽtis mouetur Bellomõtanus, vt existimet Deum non cognoscere distinctionem rationis, quam inter attributa facit creatus intellectus: quanuis admittat Deum videre sua attributa ab intellectu nostro distingui; & præterea intueri nostrum conceptum formalem, quo distinguuntur attributa. Vide illum in d. cap. 3. n. 10.

21. Reprobatur fundamentum Bellomontani. Hæc tamen Bellomontani opinio cõmuniter reijcitur, nec vlla ratione est recipienda: omnes enim, qui hac de re scribunt, libentissimè admittunt Deum cognoscere, tum distinctionem rationis quam creatus intellectus de diuinis attributis format; tum etiam ipsa attributa, vt in illo actu sunt distincta. Ita expresse Capreolus in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. ad 6. Scoti contra primam fol. 124. col. 4. §. *Similiter dicendum est*, & ad confirmationẽ 15. argumenti ex Aureolo contra secũdã fol. 128. col. 4. §. *prædictis consonat*, & ad decimum argumentum vltimo loco fol. 131. col. 3. in medio, quibus in locis pro eàdem sententia citat Paludanum, nostrum etiam Gerardus in 1. d. 2. q. 2. ar. 3. ad finem pag. 148. §. *tertio modo*, atque etiam Toletanus in 1. d. 8. q. 1. ar. 3. ad 2. Scoti contra tertiam. Ex nouioribus Molina 1. p. q. 28. disp. 3. concl. 4. Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 13. n. 7. & lib 3. de attributis positiuis c. 3. n. 7. & lib. 4. de Trinitate c. 4. n. 17. quod antea docuerat in Metaph. disp. 7. sect. 1. n. 8. in fine, & clari⁹ disp. 54. sect. 2. n 23. & 24. late Antonius Rubeus in tractatu de natura entis rationis dub. 5. pag. 291. & 292. satis Cumelius 1. p. q. 28. ar. 2. q. 7. ad dubia quædã parua pag. 817. & 818. Quæ cõmunis

Capreolus. *Paludan⁹.* *Gerardus.* *Toletanus.* *Molina.* *Cumelius.*

sententia

sententia a leo mihi videtur certa, vt existimem de ea dubitari non posse, quod etiam fuit iudicium Suarij, & Molina eã putat esse notissimam: euidenter enim demonstratur: quoniam Deus ob infinitam suam in intelligendo perfectionem non potest nõ intelligere omne id, quod aliquo modo habet rationem entis, & intelligibilis: distinctio autem rationis, quam intellectus creatus de diuinis attributis format, aliquo modo est ens, & intelligibile. cuius legitimi discursus maior apud omnes est in confesso: nam, vt ait D. Thomas 1. p. q. 14. ar. 9. omnia intelligit quæcunque sunt quocunque modo: alioquin non haberet infinitam omnium entium, omniumque intelligibilium comprehensionem. Minor verò ex eo est notissima; quia distinctio illa rationis facta ab intellectu creato est quoddam ens rationis. Iam verò omniũ rectè philosophantium commune est placitum ens rationis esse quoddam genus entis à reali diuersum, vt benè annotauit Ochamus in 1. d. 2. q. 8. & post eũ Cursus Conimbr. q. 6. in præfationem Porphyrij ar. 1. in principio.

D. Thom.

Ochamus.

22. Quam cõmunem doctrinam ex Aristotele deduxerunt non solùm prisci illi Aristotelis interpretes, vt Commentator; sed etiam D. Thomas cum communi philosophorũ peripatetica schola Quare paradoxum omnino erit negare aut non dari entia rationis; aut ea aliquo modo non habere rationem entis; ita vt non solo nomine dicantur entia, sed propter aliquam cognationem, & cõueniẽtiam, quam habent cũ ente reali, vt bene aduertit Fonseca in 4. Meth. c. 2. q. 1. sect. 3 in 1. conclusione. Porrò si distinctio rationis facta à nostro intellectu de diuinis attributis aliquo modo rationem entis participat; non video, cur negari aut debeat, aut possit eam distinctè cognosci à diuino intellectu: *cum nihil inuisibile sit in conspectu eius: sed omnia nuda, & aperta sint oculis eius*, vt dicitur ad Hebr. 4. Verissima est igit cõmunis sẽtẽtia, quæ asserit distinctionẽ illã rationis, quam creatus intellectus facit inter diuina attributa, esse in diuino intellectu, tanquam intellectum in intelligere: nam, & hoc modo in diuino intellectu existere omne ens rationis formatum ab intellectu creato admittunt communiter Theologi apud D. Thomã 1. p. q. 14. ar. 9. vbi Molina, & Suarius lib. 3. de attributis positiuis c. 3. n. 7. Quam sententiam satis significat D. Thomas in d. ar. 9. dum asserit: *Deum cognoscere omnia, quæ sunt in potentia opinandi, imaginandi, vel quocũq; modo significandi.* Quibus verbis satis expressit, quæ à nostro intellectu obiectiuè formari possunt, ea cognosci à diuino intellectu. Non est igitur Bellomontanus hãc de re audiendus.

Fonseca.

Ad Hebr. 4.

Molin. 1. D. Thomas.

Nec oppositum probant, quæ ex illo adduximus. Nam prima ratio maiorem continet explicandam: si enim sermo sit de diuinis attributis sumptis secũdum se, & provt continentur in obiecto primario diuinæ intellectionis; verissima est: sed ex ea non bene syllogizatur consequentia; quia nos hoc loco non agim⁹ de diuinis attributis, vt diuino intellectui obijciuntur simùl cum essentia, tãquã obiectũ primariũ; sed provt illi obijciũtur in creato intellectu: quo'pacto obijciũtur tãquã quędã obiecta secundaria; cũ obijciãtur nõ simpliciter, & vt in se sunt; sed vt sunt in intellectu creato, & secundũ esse, quod in illo habent. In quo sensu maior est falsa: nam si nullus daretur intellectus creatus distinguens attributa: illa non repręsentarẽtur diuino intellectui, tanquam obiecta secundaria, & secundum esse secundariũ, quod haberent in intellectu diuino: sed solũ obijcerẽtur, vt obiecta primaria ab omni extrinseco independentia.

23. Solutio rationum Bellomontani.

Ad secundam rationem negandum est antecedens: nam, cum diuina attributa, provt sunt distincta per intellectũ creatũ, sint quędam obiecta aliquo modo intelligibilia secũdum esse rationis, quo sunt affecta, & provt illo affecta sũt; non possunt nõ obijci diuino intellectui cuncta cognoscenti, & cernenti, vt habetur Hester 13. & 16. *in cuius conspectu cuncta sunt posita*, vt diximus ex Paulo ad Hebræos 4. Porrò antecedentis probatio sumit maiorem falsissimam, & à nemine assertam: cuius falsitas euidenter patet, si sermo sit de conceptu obiectiuo nostri intellectus materialiter sũpto pro re, quæ nostro intellectui obijcitur: hæc enim cum à pluribus intellectibus intelligi possit; à pluribus conceptibus formalibus potest intelligibiliter repræsentari. Quare licèt pendeat à

24. Ad secundã

Hester 13. & 16.

Ad Hebr. 4.

nostro

nostro cõceptu formali, vt nostro intellectui obijciatur; non tamen simpliciter ab eo pendet quoad obiectiuam repræsentationem; sed potest à pluribus alijs conceptibus repræsentari.

25. Attributa igitur diuina, vt sunt per nostrum intellectum distincta, quamuis nostro intellectui obijci non possint, nisi per nostrum conceptum formalem: possunt tamen diuino intellectui obijci per notitiam diuinam. Porrò si sermo sit de conceptu obiectiuo formaliter sumpto, nimirum penes esse obiectiuũ, sub quo res intellecta intellectui obijcitur; admittimus illud *esse* necessariò pẽdere infieri, & conseruari à nostro conceptu formali; quia illud *esse obiectiuum* res intellectui obiecta habere non potest, nisi per nostrum formalem cõceptum: at tamen in intelligi, obijciq́ue intellectui ab illo non per se pendet: quia res illa nostro intellectui obiecta non solùm absolutè potest concipi a diuino intellectu in se ipsa; sed etiam secundum illud esse obiectiuum, quod habet in nostro intellectu: Deus enim nõ modo videt hominem secundum esse, quod habet à parte rei, sed etiam secundum illud esse cognitum, quod in nostro intellectu habet: videt enim hominem obiectiue esse in nostro intellectu, cum hominem intelligimus, illumq́ue sub tali esse cognoscit. Ita fit, vt illud esse obiectiuum, quod homo in nostro intellectu habet terminans nostram intellectionẽ tanquam obiectum *quo*; illud inquam *esse obiectiuum* sit obiectum, vt *quod* intellectus diuini. Itaq́ue licet vt exercet rationem formalem erga rem obiectã nostro intellectui, necessariò dependeat à nostro formali conceptu; ita, vt isto modo non possit repræsentari, nisi per nostrum conceptum formalem: tamen, vt est quoddam ens in se ipso intelligibile, vt *quod*, non per se dependet à nostro conceptu formali; sed potest per alium formalem conceptum alij intellectui repræsentari, & habere aliud esse cognitum, sub quo repræsentetur alij intellectui: nam vnum ens rationis potest fundare aliud rationis ens, vt Logici docent. Hæc autem non distinguere est causſa deceptionis

26. Ad tertiam rationem dicendum est argumentum esse ad hominẽ; quia si aliquam habet vim, eam solùm habet suppositis ijs, quæ admittit opinio, quam nitimur impugnare: nec enim simpliciter, & absolutè probat Deum non cognoscere distinctionem rationis, & alia rationis entia, quæ creatus intellectus efformat. Quare non habet vim aduersus eos, qui negant entia rationis, quæ de rebus veris dicũtur, esse pura figmẽta: hi enim negabunt maiorem; qua negata corruit tota argumenti machina. Similiter argumentum non vrget eos, qui negant Deum intelligendo ens rationis formatum ab intellectu creato effingere aliud ens rationis, quæ est plurimorum sententia: hi enim inficiabuntur maiorem: quia non oportet, vt Deus intuendo ens rationis confictũ à creato intellectu suo intuitu etiam effingat aliquod ens rationis: nec enim ad intelligere ens rationis necessariò sequitur effingere, vt illa vult opinio, & ipse Bellomontanus admittit, de quo statim plura.

27. Cõtra quos habeat vim argumentũ.

Quare argumẽtum solùm vim habet aduersꝰ auctores opinionis, quam nitimur impugnare; quatenus concedentes ens rationis esse ens quoddam confictũ, quoddamq́ue figmentum, admittunt diuinum intellectum non posse sua intellectione immediatè, & primario facere aliquod ens rationis; bene tamẽ, si illud iam effictum per creatum intellectũ apprehendat: his enim suppositis videtur argumentum vrgere: nam si diuinus intellectus ideo primariè nõ potest intelligendo effingere ens rationis; quia nõ potest intelligere, vt ens, id, quod non est ens; profectó nec etiam mediatè poterit illud effingere, quantumuis videat in intellectu creato illud effictum. Quare si Deus non potest apprehendere ens rationis formatum à creato intellectu, nisi sua apprehensione effingat, & formet ens rationis, vt illa opinio admittit; cum absurdũ sit Deum effingere aliquod ens rationis, quãtumuis mediatè illud effingat: profecto à destructione consequentis bene infertur Deum non apprehendere ens rationis factum ab intellectu creato, vt illa opinio supponit. Hæc est huius argumenti vis, & efficacia: petitq́ue rationem discriminis, cur Deus primariè non possit effingere ens rationis; bene tamen mediatè, & secundario;

Ad tertiam

secundario; cum semper absurdum sit Deum intelligendo concipere, vt ens id, quod non est ens.

28. Vera solutio tertiæ rationis.

Licèt hanc difficultatem non teneamur dissoluere; quia opinionem, quam impugnat, nos etiam impugnamus: tamen gratia indagandæ veritatis dicim⁹ argumentum non omnino concludere præfatam sententiam: quia in ordine ad diuinum intellectum datur dispar ratio inter primariam efformationem entis rationis, & secundariam: nam in prima efformatione immediatè concipitur, vt ens, quod actu non est ens, quod denotat imperfectionem. At in secunda efformatione hoc non reperitur; quia per eam concipitur, vt ens confictum, quod verè est confictum per intellectũ creatum; vnde non concipitur obiectum aliter, atque in se est, in quo posita erat tota intelligendi imperfectio. Ita fit, vt id, quod per creatum intellectum est confictiuũ, dum ab intellectu diuino concipitur, vt iam confictum, habeat esse obiectiuũ apud diuinum intellectum. Hoc autem satis est, vt à diuino intellectu sua intellectione dicatur esse efformatum: nam quanuis tali conceptione ens rationis non primo fiat; fit tamen actu cognitum à diuino intellectu; quod satis est, vt aliquo modo dicatur ens rationis efformari. Quam solutionem, si non ita distinctè, obscure tamen tetigit Suarius in d. disp. 54. Metaph. sect. 2. n. 23. & 24. Et hæc satis sint pro explicatione huius tertiæ rationis.

29. Ad postremam rationem Bellomontani.

Ad postremam rationem dicendum est Deum ab æterno cognouisse notitia visionis hoc ens rationis, quod intellectus creatus nunc conficit; non tamen pro tota æternitate, sed pro coexistentia illius ad tempus, in quo intellectus creatus illud ens formauit: & ob id De⁹ scientia visionis non cognouit illud ens rationis, ante quàm intellectus creatus illud effingeret. Porrò pro tempore antecedente Deus illud ens rationis non cognouit, nisi vt futurum, & adhùc effor mandum. Ex quo non benè infertur cõsequentia; quia Deus semper cognoscit illud ens rationis media cooperatione intellectus creati, vel præsenti, vel futura: ex quo ex vi formæ non benè infer tur posse Deum se solo non cooperante creato intellectu effingere ens rationis Quare argumentum non satis est ad expugnandam præcitatam opinionem.

30. De qua supra n. 15.

Ex quo infertur opinionem, quam nitimur impugnare non ideo esse reijciendam, quòd supponat Deum cognoscere sua attributa, vt per intellectum creatum sunt distincta: in hoc enim verissima est, & ab omnibus, quos viderim, approbata vno excepto Bellomontano. Quare alia impugnatio efficacior est excogitanda.

31. 2. Impugnatio præcedentis opinionis de qua n. 15.

Secundò igitur loco præcedens opinio ab alijs ex eo impugnatur, quod docet diuinum intellectum intelligendo distinctionem rationis ab intellectu creato inter attributa effictam, ipsa etiam attributa distinguere, & ita mediatè inter ea distinctionem rationis caussare. Quod plerisque non placet: licèt enim admittant Deum cognoscere distinctionem factam ab intellectu creato; negant tamen hac cognitione aliquam distinctionẽ rationis caussari. Quam opinionem refert Suarius in d. disp. 54. sect. 2. n. 24. nec putat esse omninò improbabilem: & quanuis ibi in oppositam sententiam magis videatur inclinare: hanc tamen absolutè probat lib. 1. de diuina essentia c. 13. n. 7. & lib. 3. de attributis positiuis c. 3. n. 7. lib. 4. de Trinitate c. 4. n. 17. Fundamentum huius opinionis est inefficacia fundamẽti oppositæ sententiæ: inde enim probat diuinum intellectum sua attributa mediatè distinguere, quia cognoscit ea per intellectum creatum distingui. Quę illatio est inutilis: nec enim ex eo, quod Deus cognoscit attributa per intellectum nostrum distingui, bene infertur diuinum intellectũ ea distinguere. Etenim ex eo, quòd Deus cognoscit nostrũ intellectum discurrere, non bene colligitur Deum etiam discurrere: Deus enim licèt optime noscat discursum nostri intellectus, & modum, quo discurrit (vnũ scilicèt ex alio illatiuè cognoscẽdo) tamen ipse, dum ista cognoscit, non discurrit, nec in sua cognitione ex vno in aliud procedit. Simili modo bene scit Deus nos intelligere spiritualia per species materiales, & subinde de rebus spiritualibus habere conceptus instar rerũ corporearũ longè ab ipsis alienos: ipse tamen in suo intellectu non potest ita intelligere, & similes conceptus de

Fundamẽtũ

rebus

rebus spiritualibus efformare. Eadem igitur ratione non bene sequitur: Deus cognoscit attributa distingui per intellectum creatum: ergò Deus per suum intellectum eadem etiam distinguit. Et nõ solùm Suarius isto argumẽto impugnat præcedẽtem opinionem, sed etiam Bellomontanus, vt patet ex ijs, quæ scribit in d.disp.118.cap.3.

32. Nec 2. impugnatio satis est

Sed nec ista ratio satis est, vt præcedentem expugnet sentẽtiam: nam si ens rationis fieri, & efformari nihil aliud est quá ens rationis obijci intellectui, atq; ab eo intelligi (vt fatetur idem Bellomõtanus in d.disp.118.c.4.n.13.§. *Deinde contra eosdem*, & inferiùs ostendemus) profecto non erit inutilis hæc consequẽtia, sed necessaria: *Deus intelligit ens rationis effictum ab intellectu creato: ergo Deus effingit ens rationis*: etenim si intelligitur à diuino intellectu; vtiquè illi obijcitur: at ens rationis obijci intellectui, & ab eo intelligi, est ipsum illius fieri, vt diximus. Ex qua doctrina facilè intelliges allatas instantias illi consequentiæ nihil officere propter disparem rationem, quæ inter illas reperitur, nam discursum intelligi ab intellectu, non est discurrere, vt patet: cum tamen ens rationis intelligi formaliter sit ipsũ illius fieri, vt supponimus. Et ob hanc causſam discursus intelligi potest sine discursu: cum tamẽ ens rationis nequeat intelligi, quin ipsa sui intellectione efformetur.

33. Quare sententiam initio allatam ex eo reijciendam esse putamus; quia nulla ratio probabilis vrget, vt dicamus posse diuinum intellectũ mediatè distinguere attributa, ea in intellectu creato distincta intuendo; nõ verò immediatè, dum sua attributa simùl cum essentia in se ipso primarió intelligit. Sicut etiã nihil vrget, vt dicamus posse diuinum intellectum mediatè efficere ens rationis, dum illud in intellectu creato iam effictum conspicit; nõ tamen immediatè, dum res ipsas in se ipsis intelligit; id, quod euidentius apparebit ex solutione primi argumenti, vbi hoc ipsum iterum repetemus.

34. Vera resolutio.

Quare illud statuimus intellectũ diuinũ ipsa immediata intellectione, qua suam essentiam, suaque attributa immediatè intelligit, immediatè distinguere sua attributa. Cui non obstat, quod ea iterum distinguat, dum illa concipit in creato intellectu iã distincta: nec enim negari potest Deum in intellectu creato videre, tum distinctionem rationis attributorum, quam intellectus creat⁹ fecit; tum etiam ipsa attributa per eundem actu distincta. Quomodo autẽ intellectus diuinus attributa immediatè distinguat; ex sequẽtibus facilè patebit.

§. 4.

Distinctionem attributorum non fieri à diuino intellectu per habitudinem ad aliqua realiter distincta.

35. De modo quo diuinus intellectus distinguit attributa.

PRæsupposita præcedẽti resolutione, Deũ scilicèt immediatè distinguere attributa eàdẽ intellectione, qua intelligit se ipsum; supereſt explicandus modus, quo hæc rationis distinctio ab intellectu diuino fiat, nam de hoc etiam est controuersia non parua inter eos, qui nobiscum admittunt diuinum intellectum attributa distingere.

36. 1. Opinio.

In hac difficultate est opinio, quę docet diuinum intellectum nõ facere hãc distinctionem, nisi per habitudinem ad aliquam distinctionem realem; ita vt diuinus intellectus nostro intelligendi modo prius videat aliqua distingui realiter: deinde concipiat, vt distinctas suas perfectiones attributales. Iste dicendi modus ita explicatus cõmuniter tribuitur Godofredo quodl.7.q.1.probat illũ Heruęus in 1.d.2.q.2.ar.2.in 3.opinione & q.3.ar.3.opinione.3. & ad 4. & satis Durandus ibi q.3. Argentina noster in 1.d.6.q.1.ar.3. & 4. nec omnino displicet Henrico quodlib. 5.q.1. ad finem quæstionis litera C.

Godofred⁹ Heruæus. Durandus. Argentin. Henricus.

Diuersa opinionis explicatio.

Sed licèt hi omnes conueniant, vt diuinus intellectus hanc distinctionem faciat per habitudinem ad aliquam realẽ distinctionem; differunt tamen, an eam faciat per habitudinem ad extra in ordine ad distinctionem realem, quã Deus in creaturis nouit; an verò per habitudinem ad intra in ordine ad realem distinctionem personarum, secluſa quacunque habitudine ad creaturas. Priorem dicendi modum probarunt Godofredus, Heruæus, & Durandus; posteriorem verò Henricus. Itaque apud Godofredum, Heruæum, atque Durandũ Deus ex eo, quod cognouit suas perfectiones attributa-

Explicatur modus dicẽdi Godofredi, Heruæi, & Durandi.

attributales esse realiter distinctas in creaturis, easdem in se ipso ratione distinxit. Modus autem distinguendi est iste: quoniam Deus se ipsum perfectissimè intelligens simul etiam intelligit alia à se, idest, creaturas: eas autē intelligendo cognoscit sapientiam, iustitiā, & cæteras perfectiones attributales in creaturis distingui realiter, & inde cōcipit suas perfectiones, vt distinctas: nimirū se esse iustum, quia suum vnicuiq; tribuit: se esse sapiētem, quia omnia intelligit conformiter ad cuiusquè naturam, & sic de cæteris. Id autē intelligit, vel quia videt perfectiones creatas virtualiter in sua essentia contineri, & per consequens essentiam suam esse virtualiter plures, vt indicat Durandus in d.n. 15. vel vt vult Heruæus locis citatis maximè q. 3. ad 4. quia ex cognitione diuersitatis, quæ est in creaturis, concipit sua attributa secundum rationem analogam sibi cum creaturis communem habere pluralitatem, atquè distinctionem.

37. Explicatur modus dicē di Henrici.

Henricus autem in d. quodlib. 5. q. 1. quanuis simpliciter non admittat distinctionem atrributorum sumi per habitudinem ad aliquam distinctionē realem, vt statim videbimus: tamē si oporteret distinctionem rationis inter attributa reducere ad aliquam distinctionē realem; Illa sumenda esset per habitudinem ad intra hoc est ad distinctionē realem diuinarum personarum, & emanationum, vt scribit in. d. q. 1. ad finem litera C. Fundamentū ex eo sumit; quia omnia attributa diuina pertinent vel ad intellectum, vel ad voluntatem. Ergò, cum filius in diuinis procedat per modū intellectualis operationis, & Spiritus Sanctus per modum operationis voluntariæ; vtiq; quæcunquè attributa pertinent ad intellectum, habebunt respectum ad emanationem Verbi; & quæ ad voluntatē spectant, respectum habebunt ad emanationem Spiritus Sancti. Quare, sicut apud intellectum creatum naturaliter intelligentē non concipitur distinctio attributorum, nisi per respectum ad creaturas, in quib⁹ similes perfectiones reperiuntur, quia intellectus creatus ad hanc distinctionem reflectit omnem suam naturalem intellectionē: ita apud intellectum diuinum distinctio attributorum non concipitur, nisi per respectum ad duas personarum emanationes; quia scilicèt Deus ad hasce emanationes dirigit omnem suum intellectum. A qua Henrici mente non multū distat Scotus, si expēdantur, quæ docet in 1. d. 8. q. 4. litera F. §. *item contra minorem*, cum quo simpliciter transit Lichetus ibi, & Bargius pagin. 184. column. 1. in principio, vbi expresse docet diuinū intellectum distinctionem attributorū sumere per habitudinem ad emanationes personarum.

Scotuscum Henrico.

Lichetus. Bargius.

38. Intellectum diuinum distinguere attributa per respectū ad distinctionē realem.

Quod diuinus intellectus non possit distinguere attributa, nisi per habitudinem ad aliquā distinctionem realem (in quo omnes auctores citati conueniunt) ex eo probant; quia distinctio rationis ex sua natura, & quidditate sibi vēdicat sumi ex aliqua reali distinctione; quod præter Godofredum, Heruęum, & Durandū, probant Gerardus, Argentina, & Cumelius, quorū rationes, & argumenta adduximus suprà art. 8. §. 4. n. 22. Quod si admittatur; non potest non admitti distinctionem rationis, à quocūque intellectu illa fiat, non aliter fieri, quàm per habitudinem ad aliquam distinctionem realem. Quare, qui admittit diuinum intellectum posse facere distinctionem rationis; necessario tenetur admittere eam fieri non posse ab eo, nisi per habitudinē ad aliquam distinctionem realē.

39. Quod nō distinguat nisi per habitudinem ad creaturas.

Porrò quod diuinus intellectus attributa non distinguat, nisi per habitudinem ad distinctionem realem in creaturis (quæ est sententia Godofredi, Heruæi, & Durandi) ex eo probat Durandus in d. q. 3. n. 15. quia distinctio rationis, nisi sit fictitia, debet habere fundamentum à parte rei. Sed ad distinguenda, nullum aliud potest dari, nisi habitudo ad distinctionem realem in creaturis. Ergo diuinus intellectus non potest ratione distinguere attributa, nisi per habitudinem ad creaturas. Maior patet, quia id, quod solus intellectus efformat, nisi habeat fundamentum in re, vanum est, & fictitium. Minorem probat Durandus; quia sublata habitudine ad creaturas essentia diuina est vnum quid cum suis attributis, non solùm actualiter, sed etiam virtualiter. Igitur intellectus diuinus nihil in ea inuenire potest, in quo distinctionem fundet. Quare

si intellectus diuinus debet fundare distinctionem rationis in diuina essentia, opus est, vt in ea inueniat aliquam pluralitatē saltem virtualem. Hanc autem habere non potest, nisi per habitudinē ad creaturas: ideo enim est virtute plures, quia creaturas virtute continet. Hæc est prima ratio Durandi.

40. Cōfirmat. Confirmatur hæc ratio ex Heruæo in d.quæst.3. art. 1. §. *circa primum*: quia in eo nō potest dari distinctio rationis, in quo non potest dari distincta ratio intelligibilitatis. At circunscripta habitudine ad creaturas nulla potest dari in diuina essentia distincta ratio intelligibilitatis. Ergo nec poterit dari distinctio rationis. Maior patet; quia distinctio rationis non conuenit rei, nisi provt est obiectū intellectus eā aliter, & aliter intelligentis. Minor probatur, quoniam in re, quæ in se est vna, non potest distingui ratio intelligibilitatis, nisi per habitudinem ad ea, quę realiter sunt distincta. Iam verò diuina essentia secundum se habet summam vnitatē: nec est alia distinctio realis, à qua aliter, & aliter sit intelligibilis, nisi distinctio realis creaturarum.

41. 2. Ratio. Secunda ratio ponitur à Durando in d.q.3.n.16. id, quod ex se imperfectionē includit, non potest in diuinis reperiri, nisi, vt est terminus habitudinis creaturæ. Sed distinctio inter attributa, cū sit inter absoluta, dicit aliquam imperfectionē. Ergò non potest esse in diuinis, nisi provt Deus terminat aliquam habitudinem creaturæ, & subinde non potest dari in Deo, nisi per habitudinem ad creaturam. Maior huius discursus ex eo patet; quia omnis imperfectio absolutè denegatur Deo; nec aliqua ibi admitti potest, nisi quatenus Deus terminat habitudinē creaturæ, quæ aliquā denotat imperfectionem: vt patet in ratione Ideæ; nam diuina essentia dicitur habere rationem Ideæ in gradu limitato (quod aliquam denotat imperfectionem) quia est terminus creaturæ, quæ diuinam essentiam imitari non potest, nisi in gradu essendi limitato. Et idem dicendum est de reliquis, quæ aliquam denotāt imperfectionem, vt de Deo dici nequeant, nisi per habitudinem ad creaturam. Minorem probat Durādus; quoniā distinctio, quæ est inter absoluta (qualis est distinctio inter attributa) ex sua ratione includit, quod vtrūq; extremum, vel saltem alterum sit finitū. Et vt finitum apprehendatur: etenim non dantur duo infinita. Hoc autem denotat imperfectionem.

42. 3. Ratio. Tertia ratio refertur ex Godofredo: quoniam diuinus intellectus non distinguit ideas, nisi per habitudinem ad extra ad creaturas, vt omnes fatentur. Non ob aliam rationem, nisi quia nullū in essentia aliud inuenit fundamentum, quam habitudinem ad creaturas. Eadem autem ratio est in attributis. Hæc pro opinione Godofredi, & aliorum, qui volunt diuinū intellectū non distinguere diuina attributa, nisi per habitudinē ad distinctionē realē in creaturis.

43. Fundamentum opinionis Henrici Pro opinione Henrici, qui cum Scoto docet hanc distinctionem sumi per habitudinem ad distinctionem realem diuinarum emanationum, & personarum, quæ est ad intra, nullum aliud fundamentum inuenio, nisi, quod Deus omnem suum intellectum dirigit ad distinctionem realem emanationum; sicut creatus intellectus omnem suum actum reflectit ad creaturarum distinctionem.

44. Non probatur superior sententia. His tamen non obstantibus iste dicēdi modus videtur mihi omnino improbabilis: quod etiam fuit iudiciū eiusdē Henrici quodlib.5. q.1. litera S. & V. & ad finem quęstionis litera C. dum ait distinctionem attributorum fieri absque vllo respectu ad aliud, hoc est ad aliquā realem distinctionē, vt patet ex ijs, quæ immediatè scribit. Post Henricum nobiscum consentit Bachonius in 1.d.2.q. 2.ar.5.§. *respondendo ergo ad articulum*, & d. 39. q. 1.ar. 3. concl. 7. & tandem Bellomontanus in d. disput. 118. cap. 3. n. 8. Cuius argumenta ideo omittenda sunt, quia sensū aduersariorū nō impugnant: nec enim aduersarij volūt Deū ideo attributa distinguere per habitudinē ad creaturas, quia ea cōcipit cū relatione ad illas eo modo, quo cōcipit ideas; sed quia eorū distinctionē nō facit, nisi supposita cognitione distinctionis realis, quę in creatis datur, ad instar cuius sua cōcipit attributa, vt facilè colliges ex ijs, quę ex Durando, & Heruæo diximus initio huius §. *& ex ijs*. quæ docet Durādus in d.q.3.n. 10. & Heruæus in eadem quæst. 3. §. *ad cuius euidentiam*.

Henricus. Bachonius

Omittūtur argumenta Bellomōtani.

Omissis

45. Omissis igitur argumentis Bellomõtani sententiam Godofredi ex eo primũ impugnamus, quod sine solido fundamẽto intellectum diuinũ ligat habitudine non modo nõ necessaria ad distinguẽda attributa, sed etiam, quæ fortassis minꝰ conuenit cũ diuina perfectione. Quare, cum alius distinguẽdi modus accomodatior tradatur à communi sententia, non videtur modus iste recipiendus.

1. Argumẽtum contra superiorem opinionem.

46. Deinde contra illũ expendimus, quod falso nitatur fundamento: falsum est enim distinctiouem rationis ex sua natura sumi non posse, nisi per habitudinem ad aliquam realem distinctionem, vt late ostendimus suprà ar. 8. §. 4. non solùm auctoritate D. Thomæ, sed etiã Capreoli, Sõcinatis, & Aialę, quos ibi citauimꝰ; rationibus etiã, quas ibi diligẽter expẽdimꝰ, & soluimus argumẽta in cõtrariũ.

Secundum.

47. Tertio accedit; quia in essẽtia pro illo priori, pro quo secundum suas perfectiones absolutas nostro intelligẽdi modo antecedit nõ solũ creaturas, sed etiã emanationes personales; (essentialia enim, & absoluta prę supponuntur relatiuis) habet sufficiens fũdamẽtũ, vt per intellectũ diuinũ distinguatur: nã pro illo priori ita est vnitè vna, vt tamẽ virtute sit plures: cuius virtualis pluralitatis cognitio est actualis attributorũ distinctio, vt in §. seq. ostendemus. Ergò diuinus intellectus ante omnẽ habitudinem ad distinctionẽ realem, vel ad creaturas ad extra, vel ademanationes personales ad intra distinguit attributa. Quod fundamẽtũ nõ solũ cõuincit diuinũ intellectũ sine vlla habitudine ad vllã distinctionem realẽ distinguere sua attributa; sed etiã intellectũ beati: siquidẽ priꝰ ratione, quã in essẽtia diuina videat creaturas; imò etiã prius quã nostro intelligendi modo videat realẽ distinctionẽ emanationũ; intuetur in diuina essentia virtualẽ illã attributorũ pluralitatẽ, & distinctionẽ: in quo sensu explicãda sũt, & intelligẽda, quæ de beato diximus in prę cedente ar. §. 2. concl. 4. & §. 3 ad vltimum argumentum.

Tertium.

48. Quin potius fundamentum istud conuincit intellectum nostrũ nondum beatum, diuinitus tamen eleuatũ per species infusas, infusumque lumen ad intelligendam diuinam essentiam, ad illam ratione distinguendam non necessario indigere habitudine vlla ad realem distinctionẽ vel ad extra, vel ad intra: etenim absquè vlla habitudine ad vllam distinctionem realem vel creaturarum, vel diuinarum emanationũ potest eleuari ad cognitionẽ abstractiuam virtualis illiꝰ pluralitatis, & distinctionis, quę datur inter attributa antecedẽs nostro intelligendi modo distinctionem tùm creaturarum, tùm etiam emanationum. Et ad hunc sensum vim habẽt, quæ de intellectu viatoris eleuato diximus suprà ar. 8. §. 2. concl. 4.

49. Optima impugnatio opinionis præcedẽtis.

Ex hoc fundamento infertur optima expugnatio opinionis Godofredi, Heruæi, & Durandi, quatenus docet diuinũ intellectum non posse attributa distinguere, nisi per habitudinẽ ad distinctionem realem creaturarum. Cõtra quam opinionem multis insurgunt Henricus in d. quodl. 5. q. 1. Bachonius in locis suprà citatis, Bellomõtanus in d. disp. 118 c. 3. n. 8. Scotus latè contra Godofredũ disputans in 1. d. 8. q. 4. §. *contra istam positionem*, Magister Alexander de S. Elpidio in 1. suo quodl. q. 1. Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 2. dub. 1. & 3. Et satis eã reijcit Capreolus in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. fol. 130. col. 2. §. *ad argumenta vltimo loco adducta*. Et si sermo sit de intellectu diuino eam reijcit Gerardus noster in 1. d. 2. q. 2. ar. 3. ad tertiam rationẽ Magistri Alexandri pag. 143. col. 1. §. *ad tertiam* & tandem eam reijcit Molina 1. p. q. 28. ar. 2. disp. 3. concl. 5. ad finem. Qui omnes varijs medijs insurgunt cõtra Godofredũ, quæ afferre longum esset, & inutile; pleraquè enim non magnam habent efficaciam; maximè tamen vrget fundamentũ positum in tertia ratione: etenim essẽtia diuina ex se, & in se sufficiens habet fũdamẽtum, vt ratione distinguatur ante habitudinẽ ad creaturas illarũq; distinctionẽ: illa enim vnitas, qua actu sibi vnit omnes suas perfectiones, ex sua ratione habet virtualẽ multiplicitatẽ sufficientẽ, vt diuinus intellectus eã apprehẽdẽs atributa sua ratione distinguat, vt ex se quẽti. §. patebit. Quo supposito fũdamẽto funditus euertitur fũdamentũ aduersariorũ: in eo enim fundantur, quia ante habitudinem ad creaturas nullũ agnoscunt in diuina essentia fundamentũ distinguendi diuinas pfectiones, vt patet ex 1. argumento ex Durãdo, & Heruæo.

Henricus. *Bachonius* *Scotus.* *Alexand.* *Torres.* *Gerardus.* *Molina.*

50. Vrget argumẽtũ Henrici.

Hoc fundamento ſuppoſito maximè vrget argumẽtũ, quo Hẽricus nititur reijcere opinionẽ Godofredi. Nã attributa cõueniunt Deo abſq; vlla habitudine ad creaturas, & indepẽdẽter à cognitione illarũ, quod admittũt Durãd⁹, & Heruæus in d.q.3. iſte in principio, ille n.11. Ergo poſſunt à Deo cognoſci abſq; vlla habitudine ad creaturas; & ſubinde abſq; illa poſſũt diſtingui. Hoc argumẽtũ habere vim, ſi ſemel admittamus diuinũ intellectũ ratione diſtinguere attributa, teſtatur Bellomõtan⁹ in d. diſp. 118.c.5.n.18. At tamẽ video vltimã cõſequẽtiã negari á Durãdo, & Heruæo, dũ volũt attributa Deo cõuenire abſq; vlla habitudine ad creaturas; & abſq; illa à Deo intelligi, & tamẽ negãt ea diſtingui. Iã verò apud aduerſarios aliud eſt attributa intelligi in ſua indiſtinctione, quã habẽt àparte rei, aliud intelligi, vt diſtincta. Illud cõuenit intellectui diuino abſq; ordine ad creaturas (quia ſicut ſe res habet ad eſſe, ita ad intelligi ſecũdũ ſuum eſſe) hoc autẽ cõuenire nõ poteſt, niſi intellectus inueniat fũdamẽtũ diſtinguẽdi; quod tamẽ nõ inuenit ante habitudinẽ ad creaturas, vt volũt aduerſarij. Cui ſolutioni deberet occurrere Bellomõtanus, vt vim argumẽti defenderet. Nos tamẽ illi occurrim⁹ elidẽdo ſolutionis fũdamẽtũ: nã ſuppoſito quod intellect⁹ diuinus ante habitudinẽ ad creaturas inuenit fũdamẽtũ diſtinguendi attributa, optima eſt cõſequẽtia: intellectus diuin⁹ abſq; habitudine ad creaturas cognoſcit attributa, vt ſũt in ſe. Ergò abſq; illa habitudine ea diſtinguit. Et ratio eſt quia abſq; illa habitudine cũ actualivnitate illorũ ſimũl cognoſcit illorũ virtualẽ multiplicitatẽ, cuius cognitione diſtinguũt, vt patebit ex §. ſeq. Ex eo etiã vim habet argumẽtũ, ſi idẽ fũdamẽtum ſupponatur; quoniam adhuc intellectus diuin⁹ diſtingueret attributa, ſi nulla poſſibilis foret creatura: adhuc enim perfectiones attributales virtualẽ diſtinctionẽ haberẽt, quã intellectus diuinus cognoſceret, & eã cognoſcẽdo perfectiones ratione diſtingueret. Deniq; ſuppoſito noſtro fũdamẽto facilè ſoluũtur argumẽta quib⁹ aduerſarij nitũt, vt ſtatim patebit. Et hęc ſatis ꝓ impugnatione Godofred.

Occurritur ſolutioni.

51. Reijcitur opinio quæ aliquando fuit probata Henrico

Quod attinet ad opinionẽ, quam Hẽricus aliquo modo probauit, non oportet inilla impugnãda diutius immorari; quoniã illa nec ab Henrico ſimpliciter fuit aſſerta, ſed ſub cõditione, ſi oporteret diſtinctionẽ attributorũ reducere ad aliquã realẽ diſtinctionẽ. Cum verò hęc hypotheſis ſit falſa, etiã apud Hẽricũ nõ poteſt talis opinio illi ſimpliciter tribui. Sed quicquid ſit de mẽte illi⁹, opinio nõ eſt ſatis ꝓbabilis, quã interminis nõ recipit Bachonius in locis ſuprà citatis, nec placet noſtro Gerardo in 1.d. 2.q.2.ar.3.pag.146.col.1.§. *concludo ergo.*

Illius im ꝓbabilitas 1. ſuadetur, quia nullo nititur probabili fundamento, vt patebit ex ſolutionibus argumentorũ. Deinde; quia pro fundamento ſumit id, quod eſt falſum, diſtinctionẽ ſcilicèt rationis neceſſariò ſumẽdã eſſe ex aliqua reali diſtinctione. Quod eſſe falſũ ſæpe dixim⁹, & oſtẽdimus ſuprà ar.8.§.4. Tertio perſuadetur ex fundamento poſito in tertia ratione contra Godofredũ: diſtinctio enim virtualis, quã in attributis admittimus, antecedit noſtro modo intelligẽdi diſtinctionẽ emanationũ, vt ex §.6. patebit. Ergo intellect⁹ diuin⁹ ante habitudinẽ ad diſtinctionẽ realẽ emanationũ ſufficiẽs habet fũdamẽtũ, vt ratione diſtinguat attributa. Et cum ante eandem habitudinem actu intellexerit virtualem illam diſtinctionem, vtique per eam attributa inter ſe ratione diſtinxit, vt in ſequenti §. oſtendemus.

52. 1. impug:

2. impug.

Tertia.

Accedit quartò; quoniam diſtinctio principiorum, quibus emanationes diſtinguuntur; cum ſit fundamentũ, & veluti radix diſtinctionis emanationũ, antecedit diſtinctionem illarum. Principia autem emanationum diuinarũ ſunt intellectus, & voluntas, quæ ſunt quædã attributa. Ergò diſtinctio intellectus, & voluntatis præſupponitur ad diſtinctionem emanationum, eamque noſtro intelligendi modo antecedit. Ergò prę intelligitur à diuino intellectu, & per cõſequens intellectus, & volũtas diſtinguntur ab intellectu diuino abſq; vlla habitudine ad diſtinctionẽ emanationũ.

53. 4. Inſtantia

Vis huiꝰ argumẽti nõ aliter ſoluitur ab aduerſarijs, niſi negando intellectum, & voluntatem eſſe principia emanationũ. Ita reſpõdet Durandus in d.q.3. n.18. & Heruæus q.etiã 3. ad 1. argumentũ: exiſtimant enim proceſſiones diuinas non eſſe immediatè per intellectũ, & voluntatem

Solutio Durãdi & Heruæi maleau dit.

tatẽ, sed per naturã, vt est quoddam ens fęcundũ, vt expressè ait Durand. in 1. d. 6. q. 2. & d. 10. q. 2. & ibi Heruæus q. 1. Verũ cum hæc opinio apud Theologos malè audiat, vel quia temeraria, vel quia errori proxima, vt supponimus cũ Suario lib. 1. de Trinitate. c. 5. n. 4. nõ est admittenda solutio, sed releganda potius. Vnde vis argumenti adhúc persistit. Et hęc pro expugnatione huius opinionis.

§. 5.

Soluuntur argumẽta opinionis præcedentis.

54. NEc obstãt; quæ in confirmationẽ vtriusq; sententiæ initio prędedẽtis §. *adduximus*. Nã primũ argumẽtũ vtriq; illi opinioni cõmune falsum sumit fũdamẽtũ: nec enim distinctio rationis ex se habet fieri solũ in ordine ad aliquam distinctionem realem, vt latè ostendimus art. 8. §. 4. vbi omnia argumenta in oppositum dissoluimus.

Ad prima. Ad primã rationẽ pro opinione Godofredi neganda est minor propositio, quã Durãdus sumit. Cuius ꝓbatio assumit falsũ, vt patet ex tertia ratione cõtra Godofredũ: etenim sublata omni habitudine ad creaturas, diuina essentia, quãuis sit vnũ quid cũ suis perfectionibus omnimodè indistinctũ actualiter; nõ tamẽ est talis virtualiter, sed multiplex, vt ex Dionysio, & Augustino sæpi⁹ diximus: nõ quidem sola multiplicitate virtuali potẽtiæ actiuæ, quæ virtute cõtinet creaturas; sed multiplicitate virtuali formalis ꝑfectionis; quia scilicèt ipsa perfectio formalis diuinæ essentiæ est virtute plures perfectiones formales, de quo in §. seq. Et cũ hęc virtualis distinctio antecedat habitudinẽ ad creaturas, vt supponim⁹, vtiq; ante talẽ habitudinẽ datur sufficiẽs fũdamẽtũ, vt diuin⁹ intellect⁹ attributa ratione distinguat. Illud etiã addiderim pro explicanda inefficacia huius argumenti, illã virtualẽ multiplcitatẽ virtutis actiuæ (in qua distinctio rationis apud Durãdũ. fũdatur) fuisse ab intellectu diuino prędintellectã ante cognitionẽ, distinctionẽq; creaturarũ: Deus enim nostro intelligẽdi modo prius cognouit multiplicitatẽ rationũ imitabilitatis diuinæ essentiæ, quàm cognouerit ipsas creaturas diuinam essentiã entitatiuè imitãtes: nec enim decet perfectionẽ diuinæ cognitionis, vt ex cognitione creaturarũ diuinam entitatẽ participantiũ reflectatur, vt cognoscat essentiã diuinam esse variè participabilẽ à creaturis. Nam sicut diuina essentia, vt practicè imitabilis, est ratio idealis, quã diuinus intellectus attẽdit, vt res actu producat; ita etiã, vt est speculatiuè imitabilis, est ratio formalis repræsentatiua creaturarũ in esse possibili, secundũ quod à Deo speculatiuè cognoscuntur: alioquin Deus nõ directè sed reflexè cognosceret multiplicitatẽ suæ imitabilitatis: in quo imaginatio Durandi videtur defecisse.

55. Ad cõfirm. Cõfirmatio sumpta ex Heruæo simili modo dissoluitur: sumit enim minorẽ falsam. Cuius probatio etiam claudicat in maiore: nam licèt distinctio intelligibilitatis, quę per solam rationem fit, necessariò sumenda sit ex aliqua distĩctione ex parte rei intellectæ, quæ sine vllo intellectu illi conueniat; non tamẽ necesse est, vt illa sumatur ex distinctione reali, aut ex natura rei, sed satis est distinctio virtualis, vt latè diximus ar. 8. §. 4. & iterũ dicemus in §. sequente.

56. Ad secunda Ad secundam rationem, quam affert Durandus pro Godofredo, concessa maiore neganda est minor, si simpliciter, & absolutè sumatur: nam licèt distinctio realis inter absoluta per se includat imperfectionem (denotat enim compositionem, & potentialitatem) non tamen omnis distinctio, quæ est sine intellectu, imperfectionem denotat. Nam Scotistę admittunt inter attributa distinctionẽ formalem ex natura rei absque vlla imperfectione. Deinde sine controuersia distinctio virtualis (quam cõmunis opinio in attributis admittit) non modo nõ denotat imperfectionẽ aliquam, sed summam potius perfectionem, vt diximus ar. 6. quæstionis prędedentis, & iterum dicemus in §. sequenti. Quod si ista virtualis distinctio sine vlla impfectione admittitur inter perfectiones absolutas diuinæ essentiæ, à fortiori sine vlla imperfectione dari poterit distinctio rationis. Minor igitur est falsa. Cuius probatio etiam sumit propositionẽ omninó falsam, & ab omnibus negandam, si vniuersaliter intelligatur. Nã licèt vera sit in reali distinctione, in qua solùm habet locum illius confirmatio; non est tamẽ vera in distinctione ex natura rei,

quam admittunt Scotistę, nec in distinctione virtuali, quam admittunt reliqui Theologi: hæ enim distinctiones interiacent inter extrema infinita. Quare distinctio rationis, quantũuis sit actualis, poterit dari inter extrema infinita ex vtraque parte.

57. Ad tertiam

Ad tertiam rationem ex Godofredo admittendum est diuinum intellectum non distinguere ideas nisi per habitudinem ad creaturas: id enim expresse docet D. Thomas 1.p.q.15.ar.2. ad 3. & est communis doctrina theologorum. Sed inde non bene infertur diuinum intellectum no distinguere attributa, nisi in ordine ad creaturas, vt satis colliges ex Henrico in d.quodlib.5.q.1. & explicat noster Gerardus in 1.d.2.q.2.ar.3. pag. 143. col. 2. §. *iste modus dicendi.* Ratio est manifesta: quoniam idea per se includit respectum ad creaturas; vel rationis, vt communis docet; vel transcendentalẽ, & secundum dici, vt alij volunt: quem tamen respectum non includunt attributa, vt fatentur Durãdus in d.q.3.n.10. & Heruæus in eadem 3. q. in principio. Ita fit, vt distinctio idearum per se pendeat ex distinctione creaturarum, quia relatiua à terminis sumunt suam distinctionem. Attributa verò, cum respiciant ipsam essentiam diuinam, tanquã perfectiones eius, nõ possunt distinctionem sumere ex creaturis, sed ex diuersa ratione perficiendi. Concesso igitur antecedẽte neganda est consequentia, propter disparem in vtrisque rationem.

Henricus. Gerardus.

Durandus. Heruæus.

58. Ad fundamentũ Hẽrici.

Quod verò attinet ad fundamentum, quod pro sententia Henrici adduximus quam illud vim habeat, prorsus non video, nam sicut non intelligo, quid sit intellectum creatum omnem suum actum reflectere ad distinctionem creaturarũ; ita etiã non satis percipio, quid sit Deũ omnem suum intellectum dirigere ad distinctionẽ realẽ emanationum. Quod autem annotat omnia attributa pertinere vel ad intellectum, vel ad voluntatem; non videtur admittendum, vt patet ex ijs, quæ diximus q.4. huius libri ar.8. n.4. vbi ostendimus esse æternum, immẽsum, immutabile, & id genus alia negatiua prædicata verè esse attributa, quæ tamen non pertinent vel ad intellectum vel ad voluntatem; sed ad naturam diuinam secundum se sumptam.

§. 6.

Intellectum diuinum distinguere attributa, dum apprehendit virtualem illorum distinctionem.

59. Diuinũ intellectũ distinguere attributa per actum simplicem.

Ex dictis suprà §.3. iã constat intellectum diuinum non mediatè in alio, sed immediatè in se ipso, & in sua diuina essentia distinguere attributa. Constat deinde eadem distinguere sine vlla habitudine ad distinctionem realem, vel ad extra, vel ad intra, vt patet ex 4. ar. Ex quo colligitur intellectũ diuinum distinguere diuinas perfectiones intuendo eas, provt sũt à parte rei, secluso quocunq; discursu etiã virtuali, quo ex aliqua antecedente cognitione veluti inferat distinctionem attributorum.

Quare ea distinguit per actum simplicem, id est, non discursiuum. Cum verò à parte rei diuina essentia sit actu vna, virtute autem multiplex; inquirendum est, sub qua ratione intellectus diuinus eam distinguat: vt inde fiat euidens, an eam distinguat actu simplici; an verò actu eminenter complexo?

60. 1. Cõclusio.

Pro resolutione sit prima conclusio: intellectus diuinus nõ potest distinguere attributa per suum intelligere, provt terminatur ad diuinam essentiam diuinasque perfectiones, vt à parte rei sunt vnum quid actu indiuisum. Hęc conclusio in propositis terminis non potest nõ esse indubitata; vnde nullus eorum, qui admittunt attributa diuina à diuino intellectu ratione distingui, eam vnquam fuit inficiatus. Facilè demonstratur ex propositione omnium cõsensu receptissima; distinctionem scilicèt rationis, si non est fictitia, habere aliquod fundamentũ in re, quę distinguitur. Quæ propositio indubitanter ab omnibus agnoscitur in distinctione rationis ratiocinatæ: in distinctione autem rationis ratiocinantis est etiam verissima: nam hæc etiam supponit aliquod fundamentum, non quidem ex parte rei (vt distinctio rationis ratiocinatæ) sed ex parte intellectus: intellectus enim ideo distinguit Petrum à se ipso; quia dum Petrum de Petro prædicat, distinctas illi secundas intentiones tribuit, prædicati scilicèt, & subiecti, in quibus distinctio illa fundatur. Verissima est igitur assumpta

propositi-

propositio, & absque dubitatione vera in distinctione rationis ratiocinatæ, de qua est sermo. Cui si adiungamus in diuina essentia, prout est vnum quid cum suis perfectionibus actu omnibus modis indiuisum, nullum dari fundamentum, vt per intellectum distingui possit; necessariò infertur diuinum intellectũ sub illa ratione non posse diuinas perfectiones distinguere.

61. Alia ratio. Huic demonstrationi possumus adiũgere intellectum non posse ratione distinguere rem; quæ actu est vna; nisi eã sub distincta intelligibilitate, distinctaque intelligendi ratione concipiat, vt patet. Iam verò diuina essentia, vt actu est quid vnum cum suis perfectionibus, sicut habet indistinctam entitatẽ, ita etiam habet indistinctam intelligibilitatem. Non igitur, vt sic fundabit distinctionem rationis, quæ non nisi in aliqua multiplicitate, pluralitateq; fũdari potest. Quo fundamento nitebantur, qui in §. præcedẽte docebant attributa per intellectum diuinum distingui non posse, nisi per habitudinem ad realem aliquam distinctionem, vel creaturarum ad extra, vel emanationũ ad intra: nec enim in ipsa diuina essentia, vt in se est, aliquod distinctionis fundamẽtum inueniebant. Quorum imaginatio recta foret, si ipsam diuinam essentiam solùm cõsiderassent, vt præcisè est actu vna, & indiuisa: hallucinati tamen sunt, dum existimarunt in diuina essentia cũ illa actuali vnitate nullam dari pluralitatem ante habitudinem ad realem distinctionem: quod esse falsum in præcedente §. asseruimus, & facilius patebit ex sequente conclusione.

62. 2. Cõclusio. Sit secunda conclusio: Deus attributa ratione distinguit cognoscendo virtualem illorum distinctionem; ita vt attributa cognosci, vt virtualiter distincta, sit ea per rationem distingui. Conclusionis primus auctor fuit Magister Alexand. de Sancto Elpidio Eremita *Alexand.* noster in 1. suo quodlib. q. 2. quem referũt noster Gerardus in 1. dist. 2. q. 2. ar. 3. pag. 142. col. 2. §. *est alius modus*, noster etiam Argentina in 1. d. 6. q. 1. ar. 3. Post eum idẽ docuit Bachonius in 1. d. 2. q. 2. *Bachonius* ar. 5. §. *respondendo ergo*, & d. 39. q. 1. ar. 6. concl. 7. & nouissime Molina 1. p. q. 28. *Molina.* ar. 2. disp. 3. concl. 2. & est iam communis inter nouiores. Hæc conclusio probatur 1. quia non est alius modus, quo intellectus diuinus hanc distinctionem faciat. Deinde; quoniam pluralitas illa, atquè distinctio, quæ à parte rei est solùm virtualis, cognita ab intellectu est actualis secundum rationem, id est, secundum esse obiectiuum, quod habet in intellectu, vt bene aduertit Molina vbi suprà satis ad mentem Bachonij: quanuis enim quodlibet attributorum concipiatur, vt à parte rei virtute distinctũ: quodlibet tamen est cõceptus obiectiuus distinctus à conceptu obiectiuo alterius; quod satis est, vt illa dicantur actu distincta secundum rationem, vt aduertebamus in præcedente ar. §. 2. concl. 4. Et conclusio erit sine dubio vera, si distinctio virtualis idem est, quòd distinctio aptitudinalis, & veluti potentialis, vt per intellectum distinguatur; quæ est communis explicatio, de qua suprà ar. 7. etenim (vt bene aduertit M. Alexand. de S. Elpidio) hæc aptitudo, siue potius non repugnantia ad actum reducitur, dum per diuinum intellectum attributa cõcipiuntur, vt virtute distincta: nam ob eam rationem à Paludano, *Paludan.* & quibusdã alijs distinctio illa virtualis appellatur distinctio rationis inchoata; quia scilicèt nihil aliud deest, vt sit secundum rationem actualis, quam extrema virtualiter distinguibilia actu concipi, vt distincta. Imó ideo à Caietano, & ab alijs communiter appellatur *Caietanus.* distinctio fundamentalis, quia fundamentum continet, vt attributa actu distinguantur per intellectum.

Probatur conclusio.

Quin potius veritas conclusionis facile etiam apparebit, si attributa ideo dicuntur virtute distincta, quia ita sunt inter se vnita in Deo, vt quodlibet ita formaliter maneat, vt proprium suum formalem effectum per se, & sine alio formaliter exerceat: quam esse veram explicationem illius virtualitatis ostẽdimus suprà ar. 7. & latius ostẽdemus in q. sequente. Nam si quodlibet attributũ ita est vnitum alijs, vt quodlibet se ipso suum formalem effectum exerceat; profecto nihil deest, vt quodlibet secundũ rationem actu ab alio distinguatur, nisi quodlibet ab intellectu diuino concipi vt distinctum ab alio. Hoc autem fit, dũ ab intellectu repræsentatur secundum

63.

propriam rationem distinctam à ratione alterius: ita enim repræsentatum cõstituitur in esse conceptus obiectiui actu distincti à conceptu obiectiuo alterius. Constituendum est igitur diuinum intellectum distinguere attributa, dum cognoscit virtualem multiplicitatem, & pluralitatem, quam habent in diuina essentia: etenim hæc virtualis pluralitas sufficiens est fundamentum, vt cognita faciat actualem pluralitatem secũdum esse rationis.

64. 1. Difficultas contra 2. conclusio

Sed nonnullæ sese offerunt difficultates, quarum solutione secunda conclusio fiet euidentior. Prima difficultas petit, quomodo diuinus intellectus cognoscendo distinctionem illam virtualẽ distinguat attributa? Etenim ex ar. 7. huius quæstionis patet non eodem modo ab omnibus explicari virtualem illã distinctionem. Et vt omittamus plures explicandi modos, qui ad rem non faciunt; communis explicatio in eo est posita, vt distinctio illa ideo dicatur virtualis; quia attributa diuina ante omnẽ actum intellectus apta sunt caussare distinctos conceptus in intellectu creato, & ita facere distinctionem sui in eodẽ intellectu. Qua supposita explicatione quidam ita rem explicant, vt Deus attributa distinguat, dum cognoscit perfectionem diuinam aptam esse mouere creatum intellectum, vt diuersis formatis conceptibus distinguat diuinas perfectiones. Hunc distinguendi modum satis explicat Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 2. dub. 1. in principio, quem etiam probauit Molina ibi disput. 3. in d. concl. 5. satis expresit Capreolus in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. ad 9. vltimo loco fol. 131. column. 3. in principio, dum ait diuinam perfectionem diuidi per intellectum diuinum intelligentem eam esse distinguibilem per intellectum creatum. Satis etiam id expresit Paludanus relatus à Capreolo, vbi supra ad 16. Scoti contra primam fol. 126. col. 1. §. *quinto quando res.*

Opinio quorundam.

Torres. Molina. Capreolus. Paludan°.

65. Non admittitur præcedens explicatio.

Hæc tamen opinio non est recipienda, si intelligat diuinum intellectum solo illo modo attributa distinguere: quoniam falsum est distinctionem virtualẽ ob solam illam caussam dici virtualem, vt patet ex dictis in ar. 7. huius quæstionis §. primo & 2. vbi latè ostendimus diuinam perfectionem ex sua natura esse multiplicem, quantumuis ab ea per intellectum abstrahamus aptitudinem ad mouendum intellectum creatum. Vbi etiam diximus diuinam perfectionem in se ipsa vnam, & actualissimã ideo dici virtute multiplicem, atque distinctã; quialicèt sit vna, ex sua tamen natura est multipliciter perfectiua Dei, hoc est perfectione multiplicis rationis; quia illa vna Deũ reddit formaliter sapiẽtẽ, iustũ, bonũ, &c. Quod facere nõ posset, nisi ex sua natura, & in sua actuali vnitione formaliter contineret formalitates omnium perfectionum vnitate quadam perfectissima, qua ita formaliter est adæquatè omnes perfectiones, vt inadæquatè formaliter sit singulæ. Ex quo fit, vt Deum faciat formaliter iustum, nõ per totam adæquatam suam formalem rationem, sed inadæquatè per iustitiam, non verò per sapientiam. Itaque illa vna perfectio ita formaliter est omnis perfectio, vt sit formaliter quælibet. Quem dicendi modum latius explicabimus in q. 7. & 9.

66. Vnde sumẽda sit virtualis distinctio

Ex his in d. ar. 7. collegimus virtualẽ istam distinctionem sumendam esse in ordine ad ea, quæ intus sunt in diuina essentia, & nostro intelligendi modo veluti exercentur circa eam intus perficiendam secluſa omni dependentia, & respectu ad aliquid extra. Et inde intulimus admittẽdum esse aliquod signum nostro modo intelligẽdi prius, pro quo & in quo non dum intelligatur aliquis ordo, aliquavè habitudo ad distinctionem rationis, quæ per creatum intellectum fiat. Etenim (vt ibi aduertimus) ridiculum est, imò temerarium affirmari de filio esse genitum per intellectum, negari verò de Spiritu Sancto dependẽter à distinctione rationis, quam inter diuinum intellectum, & voluntatem potest facere noster intellectus.

67. Confirmat.

Accedit id, quod in d. ar. 7. etiam aduertimus, quoniam, quæ Dionysius tam excellenter, ac mysteriosè prædicat de illa vnitate virtualiter multiplici, arguunt eam diuiniorem esse, & excellentiorem, quàm vt solùm includat solam virtuositatem, & aptitudinem ad mouendum intellectum creatum, vt attributa actu distinguat. Quid enim mysterij cõtinet hęc aptitudo, & is ordo ad distinctionem

ctionem rationis per creatum intellectum efformandam? Quare nunc idem concludimus, quod in d. §. 1. tunc concluſimus, illam perfectionem diuinæ eſſentiæ, quæ ex Magno Dionyſio ſupereminenter, & ſuper excedenter eſt vna, & multiplex, non ideo præciſè eſſe virtute plures, quia poteſt fundare diſtinctionem rationis; ſed è conuerſo potius, ideo poteſt diſtinctionem rationis fundare, quia in ſe ipſa ex ſua natura eſt ſingulari quodam modo virtuoſa, & eminens. Quare poſſe fundare diſtinctionē rationis nō eſt ipſa virtualis diſtinctio, ſed ſequitur ad eam, tanquam ad quid antecedens.

68. 3. Cōcluſio. His ſuppoſitis ſit tertia concluſio: diuinus intellectus tunc per ſe primó ratione diuidit diuina attributa, cum cōcipit virtualem multiplicitatem, & diſtinctionem diuinæ perfectionis in ſe ipſa actu vnitiſsimæ. Tunc autem iſto modo eam concipit, cùm concipit eam ita adæquatè perficere diuinam eſſentiā, vt inadæquatè eam perficiat, non per vnā perfectionem, ſed per plures, vt latius explicabitur in q. 9. ar. 2. Non eſt tamen negandum intellectum diuinum etiam diſtinguere attributa, cum cōcipit virtutem, & aptitudinem, quam habet illa vnica diuina perfectio ad mouendum intellectum creatum, vt inter attributa formet diſtinctionem rationis. Itaque intellectum diuinum his duobus modis diſtinguere attributa, admittit Molina in d. concl. quinta.

69. 2. Difficultas; an diſtinctio fiat per ſimplicē intuitum. Secunda difficultas petit, an iſta rationis diſtinctio inter attributa fiat per intuitum diuinum, vt eſt ſimplex quædā apprehenſio diuinæ eſſentiæ, & attributorum; an verò, vt eminenter eſt apprehenſiua, iudicatiuaque veritatum, quas Deus de ſua eſſentia, ſuiſquè perfectionibus cognoſcit? In qua inquiſitione ſupponimus notitiam diuinam, quanuis in ſe ipſa ſit ſimpliſsima ſine vlla complexione, vel ſecūdæ operationis noſtri intellectus, vel etiam tertiæ; eminenter tamen eſſe, tum apprehenſiuam, & iudicatiuā, tum etiam diſcurſiuam. Et quoniam conſtat diuinum intellectum non diſtinguere attributa ex cognitione alicuius realis diſtinctionis noſtro intelligendi modo prę ſuppoſita, ex qua veluti per virtualem dicurſum inferat attributorum diſtinctionem, vt patet ex dictis ſuprà §. 4. ſolum ſupereſt inquirendum, an iſta diſtinctio fiat diuino intuitu, provt eſt ſimplex quædam apprehenſio; an verò, vt virtute, & eminenter eſt apprehenſiua, & iudicatiua veritatum, quas Deus de ſua eſſentia, & attributis cognoſcit?

Hanc difficultatem diſſoluet quarta concluſio in ordine: diuinus intellectus non diſtinguit attributa per ſimplicem intuitum, vt præciſè eſt ſimplex apprehenſio attributorum; ſed vt eminenter eſt apprehenſio iudicatiua diſtinctionis virtualis, quæ in illis datur. Itaq; diſtinctio rationis non fit per actum diuini intellectus, vt habet rationem primæ operationis, ſed ſecundæ. Cōcluſio iſta licèt in his terminis à nemine proponatur; in ſenſu tamen explicato ab omnibus recipitur, vt ſatis colliges ex Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. diſp. 2. dub. 1. & ex Molina ibi diſput. 3. concl. 5. & ex Bachonio locis citatis, deniquè ex alijs, qui hanc difficultatem explicant: omnes enim agunt de cognitione, qua Deus diſtinctionem virtualem inter attributa repertam, & apprehendit, & iudicat. 70. 4. Cōcluſio. *Torres. Molina. Bachonius*

Priorē aſſertionis partem verbis expreſsis probat Henricus in d. quodl. 5. q. 1. litera R. & S. vbi in hæc verba: *Si verò loquamur de ſimplicitate diuinæ eſſentiæ ſecundo modo, adhùc conſideratur dupliciter: aut in quantum mouet intellectum, quaſi ſimplici intelligentia; & ſic adhùc concipitur per rationem ſuæ ſimplicitatis abſque omni reſpectu, & pluralitate rei, vel rationis.* Sed & poſteriorem affirmat, dū addit: *Et in ipſo intellectu, vt intellectus eſt; & in ipſa re, vt cadit ſub actuali perceptione intellectus: non ſimplicis intelligentiæ, ſed quaſi componentis, & diuidentis.* Quare illum actum appellat negotiātem circa diuinam eſſentiam, & collatiuum vnius cum alio, qui eſt eminenter componens aut diuidens, quare Hēricus noſtræ cōcluſioni non repugnat. Imò nec repugnat noſter Alex. de S. Elpid. quādo quodlib. 1. q. 2. contra Godofredum negat diſtinctionem iſtam fieri per actum negotiatiuum, ſed per actum ſimplicem: quoniam ex verbis eius euidenter colligitur eum actum appellare negotiatiuum, qui datur in intellectu ex habitudine ad aliquā diſtinctionē realem ad extra, qui talis ex ſe aliquem diſcurſum includit. 1. Pars concluſionis.

Noſtra

72. Probatur cõclusio à posteriori.

Nostra igitur conclusio demonstrari potest, & à posteriori, & à priori. A posteriori quidem: quoniam distinctio rationis fieri non potest, nisi per actum negatiuè comparantem extrema, quæ distinguuntur, vt patebit inferius §. 6. ad primum. Sed cognitio, quæ ad primã intellectus operationem pertinet, cùm sit obiectiuè simplex, & incõplexa, nullam potest facere extremorum cõparationem, aut affirmatiuam, aut negatiuã vt patet. Ergò distinctio rationis inter attributa non potest fieri per visionem, vt præcisè habet rationem simplicis apprehensionis. A priori autem ita videtur demostrari; quoniam cognitio, qua inter aliqua caussatur distinctio rationis, natura sua est distinctiua vnius ab alio, vt patet: nec enim potest aliqua distinguere, nisi illa apprehendat vt plura: etenim distinctio pluralitatem sequitur. Non potest autem plura, vt plura, apprehendere, nisi quodlibet eorũ concipiat, vt distinctum ab alio; si non formaliter, saltem materialiter, concipiendo scilicèt vnum sub vna ratione, & alud sub alia. Simplex autem rei apprehensio, provt ad primam operationem pertinet, sicut ex natura sua non est apprehensiua plurium; ita nec est aliquorum distinctiua. Quod satis expressit Aristoteles, dum in 3. de anima c. 6. n. 26. primam intellectũ operationem appellat apprehensionem indiuisibilium: non quód semper ad rem ex se se indiuisibilem terminetur (interdum enim terminatur ad rem compositam, imò etiam ad complexam: interdum enim apprehendit hominem, interdum autem hominem album) sed quia semper terminatur ad rem sibi obiectam modo indiuisibili; hoc est eam non diuidendo, nec distinguendo; sed secundum suam totalem vnitatem indiuisibiliter apprehendendo. Et ad hunc sensum à philosophis communiter dicitur notitia simplex, nõ solùm formaliter, sed obiectiuè: quia sẽper est vnus cõceptus formalis, & semper terminat advnũ cõceptũ obiectiuũ, vt est vnũ quid actu indiuisum, vt diximus in superiori libro q. 9. ar. 3. n. 10. Sola autem cognitio complexa, quæ respondet secundæ operationi nostri intellectus, ex sua natura est apprehensiua plurium vt plura sunt, & illorum distinctiua secundum rationem, vt omnes fatentur.

Probatio à priori.

Aristotel.

73.

Visio igitur diuina, vt cõsideratur vt simplex apprehensio correspõdens primæ operationi intellectus, terminatur ad diuinam essentiam, diuinasque perfectiones, vt sunt vnum quid simplicissimum, & vnum obiectum actu indiuisum. Quare vt sic nullo modo habere potest rationem notitiæ distinctiuæ diuinarũ perfectionum. Non ita cõsideranda est, provt eminenter est cognitio apprehẽsiua, & iudicatiua earum veritatũ, quas in diuina essentia speculatur, & cognoscit: licèt enim in se ipsa sit formaliter simplicissima; obiectiuè tamen est eminenter plura: quia intuendo diuinas perfectiones, & speculando veritates earũ, eas eminenti quadam cõpositione, atq; diuisione componit, & diuidit. Nam distinctè, & clarè cognoscit, quænam sit ratio sapientiæ, vt sapientia est; & quæ bonitatis, aut iustitiæ: quæ item sit ratio formalis intellectus, & quæ voluntatis. Vnde cognoscit intellectum, vt intellectus est, non esse voluntatem; filiũq; generari intellectu, non autem voluntate: & Spiritum Sanctum voluntate produci, non intellectu. Quare intellectus diuinus sua increata visione, quatenus est notitia apprehensiua, & iudicatiua distinctè intuetur essentiam suam habere virtualem perfectionum multiplicitatem; quam speculando actu distinguit secundũ rationem ipsas perfectiones, vt tertia asserit conclusio.

74. Objicitur contra præcedentẽ doctrinam.

Contra hãc veritatem hæc vnica obijci potest instantia: quoniam visio diuina vt est simplex apprehensio, terminatur ad diuinam essentiam, vt est à parte rei, iuxta illud 1. Ioannis 3. *Videbimus eum, sicuti est.* At essentia diuina in se ita habet actualem vnitatem, vt etiam habeat virtualem multiplicitatem, atquè distinctionem. Ergó visio diuina, vt est simplex quædam apprehensio diuinę essentiæ, etiam in ea apprehendet virtualem istam distinctionẽ. Sed vt diximus in secunda assertione essentia diuina ratione distinguitur, dum eius virtualis distinctio cognoscitur. Ergo distinctio rationis fiet per visionem diuinã, vt est simplex apprehẽsio correspondens primæ operationi nostri intellectus. Huic obiectioni respondendum est visionem diuinam sumptam præcisè sub ratione

Responsio.

simplicis

simplicis notitiæ, & prout est veluti prima apprehensio diuinę essentiæ, terminari quidem ad diuinam essentiam, quæ virtute est multiplex; non tamen, vt virtute est multiplex. Quod nihil aliud est, quàm dicere eam materialiter quidem terminari ad virtualem diuinæ essentiæ distinctionem; non tamen formaliter: etenim virtualis illa distinctio formaliter solùm apprehenditur per eandem visionem, vt eminenter est complexa, apprehensiua scilicèt, & iudicatiua: vnde sub hac sola ratione distinguit ipsa attributa.

3. Difficultas. Tertia difficultas inquirit, quonam actu hęc attributorum distinctio fiat ab intellectu diuino? an ne actu, quo directè concipit vnum non esse aliud? an verò actu, quo veluti reflexè concipit distinctionem illorum, sed huius dificultatis resolutio commodius explicabitur in sequenti §. ibi vide.

§. 7.

Pro solutione primi argumenti expenditur, an entia rationis formari possint per intellectum diuinum.

75. Vtrum ens rationis fiat per diuinũ intellectũ. PRobauimus sententiam, quæ affirmat posse diuinum intellectum attributa ratione distinguere: superest, vt eam ab argumentis aduersariæ sententiæ liberemus. Et in hoc §. agemus solùm de solutione primi argumenti; in quo excitatur quædam difficultas inter nouiores agitata; an aliquod ens rationis possit formari per intellectum diuinum? Partem negantem probasse nõnullos refert Fonseca in 4. Metaph. c. 2. q. 6. sect. 14. pag. 638. §. *quod verò attinet.* Eandẽ breuiter probat Suarius in Metaph. disp. 7. sect. 1. n. 8. in fine, latissimè disp. 54. sect. 2. n. 20. cum sequentibus: in eadem persistit lib. 1. de essentia Dei c. 13. n. 6. & lib. 3. de attributis positiuis cap. 3. num. 7. & lib. 4. de Trinitate cap. 4. num. 17. Cui sententiæ adeo adhęret Antonius Rubeus apud Porphyrium in tractatu de natura entis rationis dub. 5. pag. 290. vt affirmet impossibile esse aliquod ens rationis fieri per diuinum intellectum. Quin potius Bellomontanus 1. p. disp. 118. c. 4. n. 12. cum sequentibus nõ solùm docet nullum ens rationis fieri per intellectum diuinum. Sed nullum ab eo cognosci. Quorum opinio confirmatur rationibus adductis in hoc primo argumento cum duabus suis confirmationibus.

opinio negans,

76. Opinio affirmans, Contrariam tamen sententiam non possunt nõ probare, qui probant intellectum diuinum facere distinctionem rationis inter attributa, quos citauimus suprà §. 2. Cum quibus facit Caietanus de ente, & essentia cap. 6. q. 12. ar. 5. ad 3. *Caietanus.* Scoti, dum asserit non esse alienũ à philosophia distinctionem rationis fieri à diuino intellectu. Cum verò hæc omniũ consensu sit ens quoddam rationis, non possunt non concedere diuinum intellectum posse efformare aliquod ens rationis. Idem euidenter deducitur ex D. Thoma 1. p. q. 15. ar. 2. ad 3. dum ait: *D. Thom.* *Respectus rationis, quibus distinguuntur, ideæ caussari ab intellectu diuino comparante essentiam ad res.* Quibus verbis non satis accõmodatè respondet Rubeus, vbi suprà pag. 293: sed cum hęc doctrina de Ideis communis sit, non solùm inter Thomistas, sed etiã inter alios theologos (id enim satis docuerunt Ægidius in 1. d. 36. ar. 2. q. 2. in corp. & ad primum; Argentina q. 1. ar. 1. Henricus quodlib 9. q. 1.) cõmunis etiam erit sententia diuinum intellectum aliqua entia rationis efformare: illi enim respectus sunt quædam rationis entia. Idem admittit Fonseca de entibus rationis, quæ sunt rationis relationes: nam in 4. Metaph. c. 2. q. 6. sect. 14. pag. 638. 639. apertè fatetur relationes rationis, quæ dicuntur conuenire rebus per operationẽ intellectus creati; si non omnes, saltem plurimas consequi intellectionem diuini intellectus, vt generis, speciei, & similes, & oppositũ nõ rectè dici. Generalius loquitur lib. 7. Metaph. c. 8. q. 2. sect. 6. litera D. dum ait entia rationis fieri à diuino intellectu per ideas eorũ in quibus illa fundãtur. *Ægidius.* *Argẽtina.* *Henricus.* *Fonseca.*

77. Opinio affirmans vera. Hanc sententiam puto esse verissimã, tum quia antiquioribus placet, displicet autem paucis nouioribus. Tum etiã quia non video, cur negandum sit posse diuinum intellectum intelligendo facere, non dico aliqua entia rationis, sed etiam omnia. Quod facilè erit ostendere, si singula entis rationis genera percurramus. Illud esse triplex (quod ad institutum pertinet) constituimus. Primũ cõtinet ens rationis logicum, quod appellatur

Ens rationis triplex.

Pellatur secunda intentio. Secundum complectitur negationes, sub quibus comprehendimus priuationes. Ad tertiũ spectant figmenta, vt chimæra, hippocentaurus, & alia huius generis mõstra. Interquæ hoc est discrimen, quod duo priora genera habẽt fundamẽtũ in re, quatenus habẽt veras res, de quibus verè dicuntur: tertiũ verò nullum habet in re fundamentum; quia nullam rẽ habet, cui conueniat. Hęc omnia vulgata sunt apud logicos, & videri possunt apud Fonsecam in 5. Metaph. c. 6. q. 6. sect. 5. Suarium in Metaph. disp. 54. sect. 4. & apud D. Thomam in 1. d. 2. q. 1. ar. 3. & d. 19. q. 5. ar. 1. Singula percurramus.

Fonseca.
D. Thom.

Deus potest facere entia rationis Logicæ.

78. Ens rationis logicum nõ posse fieri à Deo, qui asserant.

ET vt ab ente rationis logico (quod inter cætera est principalius) incipiamus; negant aduersarij ens rationis logicum posse fieri à diuino intellectu. Ita expressè Bellomontanus 1. p. disp. 118. c. 4. n. 14. & disp. 73. c. 2. n. 7. & 8. colliges ex Suario disput. 54. Metaph. sect. 4. n. 20. & ex Rubeo in d. tract. de natura entis rationis pag. 290. Eo ducuntur fundamento, quia putant entia rationis etiam logica, esse entia per intellectum conficta, concepta autem, tanquam entia, cum tamen non sint entia. In hoc fundamento cum illis conuenit Cursus Conimb. q. 6. in præfatione Porphyrij ar. 1. §. *quæ vltima differentia*, & inferius concl. 1. At fieri non potest, vt diuinus intellectus aliquid intelligat aliter, quàm est in se, non potest igitur cõcipere, vt ens id, quod non est ens.

Affirmat Fõseca: cuius opinio vera

Affirmat tamen Fonseca in 4. Metaph. loco citato, vbi fatetur relationes rationis, quę dicuntur conuenire rebus per operationem intellectus creati, cõsequi etiam intellectionem intellectus diuini, vt generis, & speciei, &c. Cuius opinionem puto esse verisimam: nec enim video, cur id diuino intellectui negandum sit: nam si intentiones istę logicæ in intellectibus creatis consequuntur res, vt sunt cognitæ, & quatenus sũt cognitæ; quid impedit, quominus etiam consequantur easdem res, vt cognitæ sunt à diuino intellectũ? Etenim fundamentum, quo nituntur aduersarij ab ipsis sine vllo fundamento excogitatũ est contra communem antiquiorum doctrinam: vnde & nouam continet philosophiam.

Ens rationis logicum esse confictũ reprobatur.

Quod satis patet, si doctrinã D. Thomæ, Heruæi, Durandi, atque omniũ Scotistarum expendamus: omnes enim admittunt secundas logicorum intentiones esse entia quædam vera, & positiua debilissimæ tamen entitatis, & quæ solũ conueniat rebus ratione existentiæ obiectiuæ, quam res habent in intellectu; quæ ipsa licèt vera sit existentia (vt ex Aristotele omnes colligunt) est tamen satis debilis. Hęc, quę dicim°, apud Scotistas sunt indubitata: hi enim secundis intentionibus logicorum tribuunt verum esse, quanuis satis diminutum: ita existimauit Rada 1. p. controuersia 29. ar. 3. pag. 414. col. 1. & 2. p. controuersia 1. ar. 2. pag. 14. & ante eum idem docuerant Ioannes Anglicus in prædicabilia dub. 5. & q. 29. ar. 3. ad 2. Mauritius ibi q. 4. in fine, & q. 8. cum quibus consentit Bargius, dum asserit has secundas intẽtiones habere propriam existentiã suæ entitati accommodatam, vt scribit in 1. d. 8. q. 3. pag. 185. litera F. & d. 13. q. vnica fol. 207. litera K. satis eadem sententia deducitur ex Scoto q. 9. in prædicabilia, dum asserit secũdas logicorum intentiones, cæteraque logicorum entia esse in re cognita, sicut in subiecto, qnatenus tamen est cognita; quam doctrinam Scotistæ interpretãtur de subiecto inhæsionis, vt patet ex Ioanne Anglico q. 8. in Prophyrium in principio, & inferius dub. 8. inhærere autem non cõuenit, nisi enti verò, & positiuo. Fundamentum igitur aduersariorum non cõsentit cum communi Scotistarum doctrina.

79. 2. Intentiones sunt vera entia.

Rada.
Ioãnes Anglicus.
Mauritius.
Bargius.
Scotus.

Sed nec consentit cum opinione eorum, qui volunt entia logica esse quosdam modos positiuos, quibus modificatur existentia obiectiua rerum, quibus conueniunt, quæ fuit sententia Heruęi quodlib. 3. q. 1. in tertia opinione, & Durandi in 1. d. 19. q. 6. n. 9. & 12. in vltimis verbis, quorũ sententiam olim probauimus, dum quæstiones proæmiales Porphirij interpretaremur. Sed nec satis est consentaneum illorum fundamẽtum cum sententia D. Thomæ opusculo 48. in 2. tractatu cap. 1. vbi docet ens rationis (de logico agit) non esse rem, sed intentio-

80. Fundamentum aduersariorũ à pluribus non recipitur.

Heruæus.
Durandus.

D. Thom.

intentionem: quibus verbis secundis intentionibus logicorum denegat quidē realem entitatē, non tamen omnem entitatem: siquidem illis concedit entitatem quandam intentionalē; quo verbo explicauit entitatem illarū esse diminutissimam, vt quæ solùm conueniat rebꝰ vt sunt obiectiue in intellectu, & provt in illo sunt obiectiuè, quod nihil est aliud, quàm dicere illam entitatem solùm conuenire rebus secundum existentiam obiectiuam, & intentionalem, quam sibi vendicant ex eo, quod intellectui obijciuntur, quicquid illa sit; hoc enim explicare alterius est negotij. Aduersarijs etiam expressè repugnat Caietanus 1.p.q.28.ar.1.§. *ad primū vero dubium*, vbi expressè asserit relationē rationis esse veram relationem, & particulam illam *rationis* siue *in ratione* nō esse particulam diminuentem. *Caietanus.*

81. Ex quibus patet fundamentū aduersariorum contradicere doctrinæ antiquiorum, & subinde continere doctrinā nouam, & ab illis pro libito confictam, quæ non solùm contradicit antiquiorū doctrinæ, & omnium, qui hac de re locuti sunt; sed etiam videtur contraria philosophiæ iam receptæ, quæ docet diuisionem entis in reale, & rationis non esse solius nominis, vt suprà §.3. aduertimus ex Fonseca 4. Metaph.c.2.q.1.sect. 3. in 1. conclusione, & quanuis id neget Bellomontanus 1.p.disp.114.cap.2.n.5. illam tamē, vt Aristotelicā recipit Suarius in Metaph.disp. 54. sect.1. nec enim fingi, vt ens, satis esse videtur, vt cū ente reali aliquam habeat cognationem, & cōuenientiam; maximè in entibus logicis, quæ iuxta communiorē, & veriorē sententiā prius dantur in intellectu, quā in se ipsis obiectiuè cōcipiantur, vt modo supponimus. Quod argumētum omnino conuincit fundamentum aduersariorum non esse recipiendū ab illis, qui putant entia rationis logica prius in se ipsis esse in rebus intellectui obiectis, quàm in se ipsis ab intellectu concipiantur. Et cum hæc sententia communior sit, & fortè verior, vt inferius videbimus; imò etiam apud aduersarios sit probabilis, vt patet ex cursu Conimbr. in d. quæst. 6. in præfationem Porphyrij ar.1. pag.121. §. *Sed dissensio est*, infertur fundamentum aduersariorum non esse vsquequaque firmum. Quare cum sine probatione sumatur, saltem in entibus logicis; sine alia probatione negandum erit. *Fonseca.*

Deus potest negationes, & priuationes facere entia rationis.

82. NEgationes, & priuationes inter entia rationis numerari nullus dubitare potest; quia Aristoteles inter entia rationis eas enumerat 4. Metaph.c.2.text. 2. & lib.5.c.7.tex.14. controuersia tamen est, an entia rationis huius generis possint fieri per diuinum intellectum? negant Suarius in Metaph.disp.54.sect.2.n.22.& lib. 3. de attributis positiuis c.3.n. 8. Bellomontanus 1.p. disp. 118. dum generaliter negat entia retionis fieri per intellectum diuinum; sed specialiter id negat 1.p. disp.61.c.2.n. 5. consentit Rubeus apud Porphyrium in tractatu de natura entis rationis pag. 292. in medio. Fundamentum est; quoniam negationes non possunt directò in se ipsis cognosci, nisi concipiendo eas ad instar entis, & fingendo eas, vt entia, cum tamen entia nō sint. Quòd si ab illis quæras, quonā modo negationes à Deo cognoscātur (cognosci enim eas à Deo non est negandū) respondent Deum in hoc sensu eas videre; quia videdo entia positiua, in quibus fundantur; videt vnum nō esse aliud, vel vnum non habere aliud. Itaque Deꝰ dicitur cognoscere cæcitatem Petri; non affirmando eam esse in Petro, sed non videndo visum in Petro, eumque negādo à Petro. Similiter dicitur cognoscere negationem equi, quæ est in homine; quia videns hominem, & equum cognoscit hominem non esse equum; idque absquè vlla directa repræsentatione negationis in se ipsa: ita Suarius, & satis insinuat Bellomontanus. *Aristotel.* Opinio negans. Fundamentum illius.

83. Contrariam sententiam expressè significauit, imo, vt verissimam vno verbo proposuit doctissimus Fonseca in 7.Metaph. c.8.q. 2. sect. 6. litera D. vbi agens de ideis negationū ait negationes cognosci à Deo, atque etiam fieri per ideas eorum, quæ negantur. Satis eam insinuat Molina.1.p.q.14.ar.9.post principiū, ex cuius verbis colliges Deum negationes in se ipsis cōcipere. Quam ego opi- Contraria sententia. *Fonseca.* *Molina.* Probat hæc opinio.

nionem puto verisimam: nec enim video, cur Deus sua directa cognitione nõ possit negationes, & priuationes in se ipsis apprehendere. Nam si Deus videns oculũ, & visum iudicat visum non esse in oculo, vt aduersarij fatentur, & in hoc quidẽ benè; cur nõ percipiet negationẽ ipsã vis°, quę est in oculo? Maximè, quia concedendũ est Deum habere hoc iudicium: *cæcitas, siue carentia visus nõ est ens: carentia visus est in oculo: carẽtia visus non est in lapide*, & similia alia, quæ circa ipsã carentiã nos philosophamur. At hæc iudicia concedi nõ possunt, nisi simul cõcedatur in Deo eminẽter existere apprehensionẽ simplicẽ ipsius carentię visus. Deniq; cum nihil cogat hoc Deo denegare; vtique non erit denegandum.

84. 1. Obiectio aduersariorum.

At inquiũt aduersarij negationes nõ posse à Deo directò concipi, nisi concipiantur ad modũ entis; cum tamen non sint entia. Sed p explicatione obiectionis velim ab aduersarijs edoceri, quidnã sit negationẽ cõcipi per modũ entis? Explicatur. Nam si idem est, quòd eam cõcipi, tanquam ens positiuum, ita vt esse ens positiuum de illa cõcipiatur; falsũ est, quod sumitur: nam intellectus creatus, si ita negationẽ cõciperet; falso eã cõciperet Porrò si negationem concipi ad instar entis idem est, quòd eã cõcipi ad instar eius, quod aliquo modo est ens; admittẽdũ est id, quod sumitur: nihil enim potest cõcipi ab intellectu, nisi aliquo modo habeat rationem entis; ita vt distinguatur à puro nihil. Et hoc modo negatio verè concipitur ad modũ entis: quia in hoc cõuenit cum ratione entis, quod sublato intellectu aliquo modo est in rebus, quod non conuenit non enti, vt est purum non ens, & omnino nihil. Itaque in hoc sensu negatio concipitur ad instar entis; quia in rerum natura aliquo modo existit in rebus, sublato quocunq; intellectu; quod aliquo modo importat rationẽ entis. Negationẽ autẽ illo modo concipi, quanuis imperfectionẽ denotet ex parte ipsius negationis (quia existit in re, non aliquid in ea ponendo, sed aliquod ab ea remouendo) nullam tamen imperfectionem denotat aut ex parte cognoscentis (quia ad perfectionem eius pertinet cognoscere quidquid aliquo modo habet rationen entis, & intelligibilis) aut ex parte cognitionis; quia nõ terminatur ad negationem aliter, atque ipsa est, sed vt ipsa verè in rebus est. Hoc loco aduertendum est ea, quæ à parte rei aliquo modo sunt entia, quanuis simpliciter non sint talia; tamen apud intellectum simpliciter esse entia rationis: ad hoc enim satis est, quod de illis intellectus possit aliquid verè affirmare, vt patet ex Aristotele 4. Metaph. c. 2. Aduertẽtia

85. 2. Obiectio soluitur.

Sed rursus obijciunt aduersarij negationem concipi non posse, nisi per analogiam ad aliud, nempe ad formam, quam negat. Admitto libentissimè, si concipi per analogiam ad formam idẽ est, quod concipi dependenter à forma; ita vt nulla præcedente notitia formæ, nulla ratione concipi queat negatio illius. At nullum est inconueniens nostro intelligendi modo dari hanc dependentiam in pluribus, quæ à Deo intelliguntur.

86. 3. Obiectio diluitur.

Deniq; obijciunt negationem ideo dici ens rationis; quia ab intellectu fingitur ens; cum tamen non sit ens. Respondetur negationem nõ ideo dici ens rationis, quia ab intellectu fingitur aliquod ens positiuum: nec id aduersarij vnquam probabunt; alioquin conceptus negationis etiam apud intellectum creatum esset falsus, quod nõ est admittendum. Quare ideo negatio concepta dicitur ens rationis; quia de ea concepta, etiam vt est negatio, potest aliquod verum dici, ex Aristotele 4. Metaph. cap. 2. text. 2. & libr. 5. cap. 7. text. 14. ad hoc autem non est necessarium, quód negatio fingatur ens positiuum; sed satis est, quód concipiatur ab intellectu, vt ipsa est in se, & sub ratione negationis. Ideo autem ita potst concipi; quia à parte rei absque vllo intellectu verè existit ipsa negatio, quæ est quędam entis conditio. Nihil igitur impedit diuinum intellectum concipere negationem, vt est negatio. Per quamvero ideam illam concipiat, alterius est negotij.

Monstra etiam à Deo concipi posse.

87. Inter entia rationis enumerari figmenta etiam seruato loquendi rigore bene aduertit Cursus Conimbr. quæst. 6. in præfationem Porphyrij ar. 2. ad finem pagin. 123. §. *ad secundam obiectionem*,

D. Thomas

iectionem, & satis admittit D. Thomas in primo d. 2. q. 1. artic. 3. & d. 19. q. 5. ar. 1. Vnde ens rationis in communi diuiditur in illud, quod habet fundamentum in re, qualis est negatio, & relatio rationis, cæteraquè entia logicalia: & in illud, quod non habet fundamentum in re, quale est figmentum, vt patet ex D. Thoma locis citatis, & ex Fonseca 5. Metaph. cap. 7. q. 6. sect. quinta. Quare ostendendum est hæc etiam entia rationis fieri ab intellectu diuino.

Fonseca.

Aduertendum est igitur omnes concedere figmẽta à diuino intellectu cognosci, provt tamen sunt à creato intellectu conficta: id enim satis colligitur à D. Thomá 1. p. q. 14. art. 3. dũ asserit diuinum intellectum cognoscere, quęcũq; sunt in potentia opinandi, & imaginandi creaturę; & subinde cognoscere, quæ à creatura possunt fictitiè, & chimæricè cogitari: non tamen conueniunt omnes, an diuinus intellectus se ipso, suaq; intellectione possit fingere entia ista rationis figmentitia? Negant quam plurimi, inter quos est Suarius lib. 3. de attributis positiuis cap. 3. num. 5. Bellomontanus 1. p. disp. 61. cap. 2. num. 5. At tamen affirmat Molina 1. p. quæst. 14. artic. 9. post principium. Cuius opinio magis placet: nec enim video, cur Deus concipiens entia realia, ex quibus hæc figmẽta finguntur cõposita, nõ possit illorũ cõpositionẽ cõcipere, non vt verã, & possibilẽ à parte rei, sed vt impossibilẽ, & falsã: nã si cõcipiens illa entia realia simul cõcipit ea à parte rei esse incõponibilia (etenim cognoscẽdo hominẽ, & equũ simul cognoscit hominẽ nõ esse equũ, nec ex homine, & equo aliquid cõponi posse) cur etiã nõ cõcipiet ea fictitiè cõponi posse? Nã quod ita cõcipiat, ex eo videtur satis probari, quia in se ipso cõcipit hãc veritatẽ, chimæra est nõ ẽs.

Inquo sit positã controuersia.

88. Obiectio & illius solut.

At inquiunt aduersarij Deũ non posse hoc figmentum effingere, nisi concipiendo illud ad modum entis, cum tamẽ nõ sit ens: quod imperfectionẽ denotat. Respondeo imperfectionem esse concipere illud figmẽtum, vt verum ens; quia conceptus erit falsus: at illud concipere, vt habens entitatem positiuam solũ per imaginationẽ, nullam denotare imperfectionem; quia talis conceptus non erit falsus, sed verus. Vnde sicut intellectus creatus hoc modo concipiendo chimęram, cõcipit eam, sicuti est; quia eam concipit, vt habentem entitatem chimęricã, circa quam multa vera philosophatur; ita etiam diuinus intellect' in se ipso chimæram concipiens eam concipit, vt illa est in se ipsa: vnde de illa ita intellecta plura prædicata vera concipit, cognoscit enim, quod sit non ens: quod sit ens impossibile: & alia huius generis prædicata, quæ supponunt conceptum directum, & simplicem ipsius chimęræ.

Secundò inquiunt aduersarij nõ posse hoc figmentum intellectu fabricari, nisi vnũ per aliud intelligatur, quod diuino intellectui non conuenit, sed soli creato. Respondeo falsam esse propositionem assumptam, si idem est intelligi vnum per aliud, quod vnum illatiuè ex alio intelligi: nec enim hoc requiritur ad fabricanda entia chimęrica, etiam si sermo sit de intellectu creato; satis est enim concipere extrema realia cũ chimærica illorum cõpositione, quod pertinet ad secundam operationem intellectus. At tamen vera est propositio, si intelligi vnum per aliud idem est, quod vnũ intelligi cũ cõparatione ad alterũ; Nec enim potest cõcipi, aut efformari figmẽtũ, nisi entia realia, ex quibus fingitur cõpositũ, inter se ab intellectu cõparentur, ac veluti cõponantur; vel formaliter, vt fit per intellectum creatum; vel eminenter, vt fieri potest per intellectum diuinum. Nec enim video quam imperfectionem denotet intelligendo facere hanc compositionem, alioqui ex se cõceptibilẽ per intellectũ. Quare puto huiusmodi figmenta non solũ intelligi obiectiuè; sed intelligẽdo fieri à Deo.

89. 2. Obiectio dissoluitur.

Quonam actu entia rationis fiant ab intellectu diuino?

90. Quæstio.

SVpereſt explicare, quonam actu entia rationis fiãt à diuino intellectu? Supponimus enim actum diuini intellectus, quanuis in se sit actu, & formaliter vnus, & simplex; eminenter tamen, & virtute esse plures. Quæ dubitatio in entibus fictitijs, & negationibus non videtur habere difficultatem: etenim figmentum tunc primo fit, & existit, cum primó apprehẽditur à diuino intellectu illa entium realium compositio; impos-

sibilis quidem; sed tamen cõceptibilis. Nam, vt communiter docetur, fieri huius entis est ipsum intelligi: etenim per ipsum intelligi constituitur in esse entis in anima; quia tunc primò aptum est, vt de eo aliqua verè possint per intellectũ affirmari, aut negari: in quo posita est ratio entis in anima, vt satis indicat Caietanus de ente, & essentia cap. 1. in fine primi commentarij. Idem dicendum est de negatione: tunc enim primum fit ens rationis, cum ab intellectu concipitur ipsa carentia formæ, quę est à parte rei; non quidem vt realis, & positiua entitas (vt malè asserit Cursus Conimb. in d. q. 6. in prefationem Porphyrij art. 1. pag. 121. 9. *ex dictis præsertim*) sed vt entitas negatiua sine intellectu existens in re priuata, vt patet ex ijs, quæ supra diximus: sic enim concepta statim fit terminus verę aut affirmationis, aut negationis. Quare & ipsum intelligi negationis, vt à parte rei est, est ipsum fieri ens in ratione. Quare tam figmenta, quàm negationes fiunt entia rationis per actum intellectus siue creati, siue diuini, quo directè intelliguntur. Et cùm non sint relationes, sed entia absoluta non indigent actu comparatiuo, aut reflexo. Quare per vnum actum fiunt, & per aliũ intelliguntur iam facta.

Quæstionis solutio de entibus fictitijs & negationibus.

De entibus logicis, secundisque intentionibus est inter auctores dubitatio: quia etiã dubitatio est, an omnia sint relationes rationis; an verò aliqua sint entia absoluta? Qui putant aliqua illorũ esse entia absoluta (etenim de vniuersalitate formaliter sumpta, de intentione generis, & speciei, alijsquè huius generis id plures existimarant, & idem existimauimus apud Porphyrium, & modo existimamus) consequenter docent ea fieri per actum simplicem, in quo res simpliciter intellectui repræsẽtantur; nec ad id requiri actum comparantem: etenim homo tunc primò fit vniuersalis, & species, cum ab intellectu concipitur sine differentijs contrahentibus: quoniam vniuersalitas consequitur rem, vt est intellectui simpliciter præsẽs, & obiecta. Vnde, vt actu existat, non indiget actu formaliter eam concipiente; quidquid Fonseca cum alijs repugnet, docens vniuersalitatem ante talẽ actum cõuenire quidẽ rebus intellectui obiectis; nõ tamẽ in se ipsa existere. Qui dicendi modus nunquã placuit. De veritate huius opinionis modo nõ curamus; quia illius resolutio parũ cõducit ad distinctionẽ attributorũ, cui⁹ naturã inquirim⁹: cõstat enim hãc distinctionẽ, cũ sit rationis, esse rationis relationẽ.

91. Dubitatur de 2 intentionibus.

Quorũdam opinio.

Est igitur aliorum opinio, quæ docet secũdas intentiones logicorũ esse quasdam relationes rationis. Et hæc opinio est communior, & in his scholis iam recepta. Auctores illius vnanimiter docẽt entia rationis logica non fieri ab intellectu per actũ simplicẽ, sed per cõparatiuũ. Antiquitatẽ hãc opinionẽ recepisse refert Cursus Conimb. in d. q. 6. ad prefationẽ Porphyrij ar. 2. pag. 120. in secũda cõclusione ex Alberto, D. Thom. Scoto, & alijs. Et quidẽ ita dicẽdũ esse, si secũda intẽtio ponatur esse relatio rationis, null⁹ rationabiliter potest dubitare: quoniã omnis relatio rationis fieri non potest, nisi per apprehensionem rationis conferentis vnum alteri, vt expresse docet D. Thomas 1. p. q. 28. ar. 1.

92. 2. Opinio communis.

D. Thom.

Sed iã est cõtrouersia, per quẽnam actũ cõparatiuum fiat hæc relatio rationis? Duplex enim actus cõparatiuus excogitari potest, per quẽ fiat, vt bene idẽ Cursus loco citato aduertit. Vnus, quo extrema ipsa inter se cõferũtur, vt cũ intellect⁹ in prædicatione simpliciter tribuit albũ Sorti: hæc enim attributio nõ fit sine vtriusq; extremi collatione. Ali⁹ actus comparatiuus est, quo apprehenduntur ipsa extrema vt iam comparata: siue potius ipsa comparatio extremorũ vel directó, vel in obliquo: id est, aut repręsentãdo formaliter ipsã relationẽ, & cõcernẽdo subiectum: aut formaliter subiectũ denotãdo relationem.

93.

94. Alia dubitatio.

Dubitant igitur doctores, an relatio rationis fiat per ipsum actum, quo directò ipsa extrema inter se comparantur; an verò actu, quo extrema, vt iam comparata formaliter concipiuntur? v. g. an vniuersalitas generis consequatur actum, quo intellectus cõparat animal homini, & equo, vt quoddam illis cõmune; an verò consequatur actum, quo intellectus veluti reflexus supponens priorem extremorum comparationem formaliter cõcipit ipsam cõparationẽ, ipsaq; extrema, vt iã cõparata? affirmat Scot⁹ in 5. Metaph. q. 11. cũ pleriq; alijs.

Negant

Negant alij, quorum sententia tribuitur D. Thomæ, & Caietano, quam Cursus loco citato putat probabiliorem. Auctores prioris sententiæ asserunt relationem rationis nec fieri, nec existere eo actu, quo formaliter cognoscitur: quia fit actu directè extrema cõparãte; cognoscitur autẽ actu reflexo. Opposito modo philosophantur auctores posterioris sententiæ asserentes relationẽ rationis eo actu fieri, quo cognoscitur; ita vt illius fieri sit ipsam cognosci.

95. Propria sententia.

Quæstionem dissoluere non intendimus; quia ad logicũ id pertinet. Vtrãq; opinionem putamus probabilẽ, siue relationes sint logicæ, siue non: probabiliorem tamen esse Scoti sententiam; quã ego puto cum mente D. Thomæ, & Caietani consentire, quidquid Cursus Conimb. oppositum asserat. Nam D. Thomas 1.p.q.28. art. 1. ad finem corporis simpliciter affirmat relationem rationis esse in apprehensione rationis cõferentis vnum alteri, & 1.p.q.15.art.2. ad 3. simpliciter asserit respectus ideales caussari à diuino intellectu comparante diuinam essentiam ad creaturas: quæ verba non bene accommodantur actui formaliter comparatiuo. Caietanus etiam hanc sententiam expressè videtur habere 1.p.q.28.ar. 1. nam ibi §. *aduerte hic duo* asserit apud D. Thomam nomine rationis conferẽtis vnum alteri intelligendum esse intellectum quouis modo intelligentem vnum cum comparatione ad alterum, vt doctrina D. Thomæ sit vniuersalis complectens omnes modos comparationis vnius ad alterum, quos enumerauit D. Thomas in primo d. 26. q.2.artic.1. & de potentia q.7.artic.11. quibus in locis semper egit de actu directè comparatiuo, nullum verbum faciens de actu formaliter, & reflexè cõparante.

D. Thom. *Caietani, D. Thom.*

96. Explicatur mens Caietani.

Nec cum his pugnat, quod idem Caietanus ibi ait §. *ad hoc ex 5. & 6. Metaph.* relationes rationis nullum habere esse, nisi in intelligi: nec enim agit de intellectione formaliter terminata ad ipsã relationem; sed de intellectione, quæ est in intellectu; vt idem sit intelligi, quod esse in intellectione aliqua intellectus: & est sensus; relatio rationis non habet esse, nisi in intelligi, hoc est, nisi cum est in intellectu. Etenim ibi agit contra Scotum, qui putat relationem rationis etiam fieri à voluntate; cõtra quem resoluit relationem rationis posse fieri à voluntate fundamentaliter tantum, & in potentia; actu verò nũquam fieri, nec existere, nisi in intellectu. Vtrum verò existat per hunc, vel illum intellectus actum, nihil curat; quia nihil id refert ad impugnandum Scotum. Hæc est vera explicatio mentis Caietani.

97. Illatio & resolutio dubitationis.

Ex his infertur quonam actu intellectus diuini fiat distinctio rationis inter attributa; quod iam ad nostrum pertinet institutum: nam, cum omnis distinctio rationis sit quædam rationis relatio; fieri non potest, nisi per actum cõparatiuum intellectus diuini; non quidem illo actu, quo ipsa distinctio formaliter concipitur; sed quo ipsa attributa directò inter se comparãtur, dum intellectus assentitur vnum non esse aliud. Quare illa distinctio tunc actu fiet, cum per visionem, vt est eminenter complexa, vnum attributum cum alio confertur, & concluditur vnum non esse aliud. Sicut igitur ex hoc, quod intellectus animal sibi obiectum confert cum inferioribus, resultat in animali relatio generis, & non antea, quantunuis repræsentetur abstractum à differentijs contrahentibus; ita relatio distinctionis non est actu in diuino intellectu, nisi cum intellectus attributa, quæ simpliciter concepit, ad inuicem confert concipiendo vnum non esse aliud, quanuis oppositum etiam sit probabile. Et sic manet resoluta difficultas, quam §. quinto excitatam ad hunc locum retulimus.

§. 8.

Solutio primi argumenti.

98. Solutio primi argum.

EX ijs, quæ tam latè diximus, iam patet primum argumentum positum §. 1. sumere antecedens falsũ: quia omnino falsum est repugnare diuino intellectui formare entia rationis. Cuius probatio sumit propositionem non minus falsam, quæ asserit ens rationis non fieri, nisi concipiendo per modum entis id, quod non est ens: ostendimus enim hoc esse falsum in omni genere entis rationis: nam entia chimærica, quanuis non sint vera entia, sunt tamen

entia cõceptibilia per intellectum, vnde, cùm concipiuntur; concipiuntur, provt in se sunt: quia non concipiuntur vt vera entia, sed vt entia solúm imaginabilia, sub quo tantum conceptu sunt entia rationis. Entia verò negatiua nõ concipiuntur, vt entia positiua (esset enim conceptus illorum falsus) sed vt verè sunt à parte rei negatiua; & vt sic cõcepta reponuntur in esse entis rationis; quia, vt sic possunt esse subiecta alicuius veritatis affirmatiuæ: in hoc enim sensu dicuntur entia rationis ab Aristotele 4. & 5. Metaph. Porró entia logica cõcipi non sub fictitia aliqua entitate, quã non habeant, sed sub vera, quam habent latè ostensum est.

Aristotel.

99. Propositio igitur assumpta falsa est in omni genere entis rationis. Vnde diffinitio entis rationis, quam affert Suarius in d. disp. 54. sect. 1. n. 6. *ens rationis illud esse, quod cogitatur, vt ens, cum tamen in se entitatem non habeat*, propria auctoritate comficta est sine auctore, & fũdamento: quam nec commentator asseruit, nec D. Thomas, nec Durandus, nec Caietanus, quanuis in illius confirmationem citentur; nam Commentator 6. Metaph. com. 3. & Durand. in 1. d. 19. q. 5. n. 6. & q. 6. n. 9. & Caietanus de ente, & essentia c. 1. in fine primi Commentarij solùm asserunt entia rationis non habere esse, nisi obiectiuè in intellectu, & per operationem intellectus, quæ est doctrina communis: ex qua non satis firmiter infertur intelectum illi fingere entitatem, quam non habet: etenim non repugnat ens rationis habere propriam entitatẽ; eam tamen non habere, nisi ab intellectu operatam, siue caussatam. Sed quomodo D. Thomas pro illa opinione citetur, planè non video: nam 1. p. q. 75. ar. 1. (quem locum citat Curtius Conimbricensis) nullum scribit verbum de ente rationis. At 1. p. q. 16. ar. 3. ad 2. solùm dicit non ens apprehẽsum á ratione esse quoddam ens rationis: ex quo non satis video, quomodo inferatur ens rationis habere entitatẽ confictam: etenim negatio ideo fit ens rationis, quia, dum cõcipitur, apud intellectum fit terminus propositionis veræ, vt benè aduertit Caietanus de ente, & essentia, vbi suprà. Porro 1. 2. q. 8. ar. 1. ad 3. solùm asserit *id, quod non est ens in rerum natura, accipi, vt ens in ratione*: non quod illud concipiat sub aliqua positiua entitate; sed quia, vt sic, iam accipitur, vt terminus propositionis. Deniq; opusculo 42. c. 1. solùm docet *intellectum, non posse intelligere nõ ens, nisi fingendo ipsum aliquo modo ens*; fingendo inquam, nõ sub aliqua ficta entitate; sed faciendo illud ens aptum, vt de eo veritas aliqua dicatur: sub qua entitate cõstituitur, quanuis sub negatione nõ entis concipiatur: nam ipsa negatio entis concepta, induit rationem entis rationis, ideo, quia potest esse terminus veræ affirmationis: in hoc enim consistit entitas rationis; quam Aristoteles appellat entitatem in anima. Et hæc pro solutione primi argumenti.

Cõmẽtator. Durandus Caietanus.

Malè citatur D. Th.

Caietanus.

100. Prima confirmatio ponitur à Suario in Metaph. disp. 54. sect. 1 n. 20. sed quàm parùm habeat efficacię facilè quis intelliget, si vtranque obiectionis partem expenderit. Nam in relatione rationis duo distingui debẽt ex D. Thoma opuscul. 48 in secundo tractatu c. 1. ipsa scilicèt relatio rationis (quę formaliter est ens rationis) & res ab illa denominata. Nam in genere reperitur animal, quod denominatur genus, & reperitur secunda intentio generis, quæ communiter ponitur relatio rationis. Si sermo est de ipsa relatione formaliter sumpta cum ipsa sit, aut saltem concipiatur ab intellectu, vt relatio; non potest non cõcipi modo relatiuo; nec, vt puto, id negabit vir doctissimus. At si sermo sit de re, quę denominatur à relatione; quanuis illa secundum se, & secundum esse, quod directò obijcitur intellectui, sit absolutum quid; tamen, vt opere intellectus coiunctam habet relationem, nõ potest non concipi modo relatiuo; quia vt sic, opere intellectus verè est relatiuum. Ad argumentum igitur concedenda est maior: quia Deus non potest cõcipere modo relato, quæ nec secundum se, nec opere intellectus sunt relata. Minor autem claudicat, siue intelligatur de relatione formaliter, siue de re denominata, provt relationi subijcitur: nã relatio rationis, quãtũuis ab intellectu fabricata, cõcipitur, vt relatio: res verò denominata, velstatim cõiũcta est cũ relatione rationis, cũ apud intellectũ obiectiuè ponatur; vel saltẽ cũ ipsa relatio formaliter pcipitur cõcernẽdo obiectũ

Ad 1. cõfirmationem.

Secunda.

101. Ad 2. cõfirmationem.

Secunda. Confirmatio continet fundamentum, quo Bellomontanus putat se rem omnino confeciſſe 1. p. diſp. 118. c. 4. n. 11. ſed friuolum eſt quoniam maior, vt ſit vera, ita eſt explicanda; vt Deus ſua cognitione rebus cognitis nihil reale addat: addere tamen aliquid rationis expreſſè fatentur noſtræ opinionis patroni, dum docent relationes rationis, quę intellectum creatum conſequũtur, conſequi etiam operationem diuini intellectus, vt patet ex Fõſeca. Quare maior illa, niſi ita intelligatur, manifeſtè petit principium, dum ſine probatione ſumit, quod eſt in cõtrouerſia. Nec obſtat quòd Deus apprehendat res, ſicuti ſunt in ſe ipſis; nam ſi ſermo ſit de rebus, vt à parte rei in ſe ipſis ſunt, ſolùm directò id concipit de illis, quod habent à parte rei: hoc autem non impedit, quominus ad illas, vt cognitas aliquid rationis cõſequatur, ſolùm reflexè conceptibile: nã intellectus creatus, dum hominem concipit, directò non concipit intentionem ſpeciei, quæ ad illum conſequitur; quia, quæ conſequuntur rem, vt obiectam intellectui, non cõcipiuntur actu directo, ſed reflexo. Deus igitur, dum actu directo aliquid concipit, ſolùm cõcipit, quę ſunt in re à parte rei; quæ verò conueniunt rei, vt cognitæ, ea non concipit, niſi actu veluti reflexo; quo etiam actu concipit rem, vt in ſe ipſa eſt, quatenus tamen eſt intellectui obiecta. Nihil igitur impedit, quominus Deus poſsit formare ens rationis: ſiue dicas illud formari per actum directum, quo res ſit obiectiuè in intellectu; ſiue actu reflexo, quo res concipitur formaliter, quatenus eſt obiecta intellectui.

100. 1. cõfirtionem.

§. 9.

Soluuntur reliqua argumenta poſita §. 1.

102. Ad 2. principale.

AD ſecundum argumentum principale, quo Suarius, & Rubeus præcipuè nituntur, negamus diſtinctionem rationis ex ſua natura, & quatenus eſt diſtinctio rationis includere aliquam imperfectionem: nam, quę imperfectiones reperiũtur in diſtinctione rationis facta ab intellectu creato, illæ proueniunt ex imperfectione creati intellectus, nõ ex natura ipſius diſtinctionis. Ad primam imperfectionem, quæ deducitur, negandum eſt diſtinctionem rationis ex ſua natura requirere conceptum inadæquatũ rei, quæ diſtinguitur: quia ad eam ſatis eſt, quod conceptus rem concipiat ſub ratione adæquata actualiter vna, virtute tamen pluribus. Quare licèt conceptus diuinus ſit in ſe formaliter vnus, atque etiam obiectiuè vnitate actuali, quia tamẽ obiectiuè eſt virtualiter plures, ſatis eſt ad faciendam diſtinctionẽ rationis inter attributa, vt ex noſtro Alexandro de S. Elpidio, Bachonio, Molina, & ex communi nouiorum ſententia aduertimus ſuprà ar. 9. §. 2. concl. 4. & latius in hoc ar. §. 5. in ſecunda concluſione. Hoc ſuppoſito iam facilè patet non eſſe de ratione intrinſeca diſtinctionis rationis, fieri per conceptum non repræſentantem rem, vt eſt in ſe ipſa: quia diuinus conceptus repræſentat diuinam eſſentiam, vt in ſe ipſa actualiter eſt vna, virtute tamen plures ſecundum perfectiones attributales. Similiter etiã iam facilè patet diſtinctionem rationis non neceſſariò poſtulare pluralitatem conceptuum formalium; ſed ſatis eſſe pluralitatem conceptuum obiectiuorum, aut actu, aut virtute plurium. Quod verò Suarius obijcit diſtinctionem rationis ex ſua natura poſitam eſſe in denominatione quadam extrinſeca; hãc autem poſtulare pluralitatem conceptuũ formalium; vtrunque eſſe falſum oſtendimus in præcedente ar. 9. §. 3. ad 5.

Alexand. Bachonius Molina.

103. Ad tertia.

Ad 3. dicendum eſt diſtinctionem rationis in ratione diſtinctionis eſſe infimam; veram tamen eſſe in ſuo genere: nam, quæ ratione diſtinguũtur, actu diſtinguuntur ſecundum exiſtentiam obiectiuam, & intentionalem; quanuis ſecundum eſſe reale à parte rei nõ diſtinguantur. Quòd verò additur diſtinctionem rationis non eſſe completam, niſi actu cõcipiatur; nec res diſtinctas eſſe actu diſtinctas, niſi actu concipiãtur, vt diſtinctæ, pendet ex reſolutione alterius difficultatis; quando nam detur iſta diſtinctio? Quidam exiſtimant eam ſtatim dari, cum res in ſeipſa apud intellectum repręſentatur ſub diſtincta ratione obiectiua; quantumuis ipſa diſtinctio formaliter non cõcipiatur; nec res formaliter concipiantur, vt diſtinctæ. Si placet hęc opinio negandum eſt non dari

Quando diſtinctio rationis exiſtat.

completam distinctionem rationis, antequam ipsa distinctio cõcipiatur. Porro si magis placet opinio opposita, & putas distinctionem rationis actu non existere, nisi, cum actu in se concipitur; & subinde, quæ per rationem distinguuntur, tum actu formaliter distingui, cũ actu concipiuntur, vt distincta: si inquã hæc placet opinio; dicendum est distinctionem formaliter actu non dari, nisi, cum actu concipitur; dari tamen fundamentaliter, de quo plura inferius. Cum vero in minori obijcitur intellectũ diuinum non apprehẽdere, vt distinctum, quod non est distinctum: verissimum, id est, si intelligatur de distinctione, saltem fundamẽtali: satis enim est extrema fũdamentaliter esse distincta, vt ab intellectu, tã creato, qnàm increato possint apprehendi: nam virtualis distinctio inter attributa satis est, vt illa per intellectum diuinum apprehendantur, & fiãt actu distincta.

104. Ad 4. Ad 4. negandum est Caietano, vt De' multipliciter per rationem distinguatur, necessariò requiri, tum infinitam Dei perfectionem; tum etiam finitatem intellectus eam cõcipientis: etenim idẽ Caietanus de ente, & essentia q. 12. art. 5. ad 3. Scoti fatetur non esse alienum à philosophia intellectum diuinum facere distinctionem rationis inter attributa. Non igitur alienum erit à philosophia negare eidem Caietano intellectũ finitum esse necessarium ad faciendam distinctionem inter attributa. Et merito id negandum est; quia ad distinctionẽ rationis satis est pluralitas obiectiua ex parte obiecti, quæ datur in intellectu diuino, vt diximus ad 2. Vtrũ autẽ hoc sit contra D. Thomã; alterius est quæstionis: negabunt Paladanus, Capreolus, & siqui sunt alij ex thomistis, qui admittũt attributorum distinctionem fieri per intellectum diuinum. Quibus ego subscribo: nam vbicunq; D. Thomas duas istas causas requirit, agit de distinctione, quæ fit per cõceptuum formalium pluralitatem; nec vnquam dixit vtrunque illud requiri, vt distinctio rationis absolutè fiat.

Caietanus.

Explicatur D. Thom.

105. Ad 5. Ad 5 admisso antecedente consequẽtia est inutilis; nec enim est par ratio in vtroque. Nam concipere spiritualia ad instar corporalium per se includit intellectum non posse spiritualia in se ipsis cognoscere; quæ est summa imperfectio. At ratione distinguere diuina attributa nullam arguit imperfectionem; nam concipiuntur, vt distincta, quæ in se ipsis distinguuntur nõ actu, sed virtute.

106. Ad 6. Ad 6. admittendum est Bellomontano Deum sua visione intuitiua cognoscere suas perfectiones, vt sũt in se ipsis: at negandum est illi perfectiones diuinas in se ipsis nõ esse virtualiter distinctas; vt contra eundem iam ostendimus ar. 6. huius quæstionis, & latius q. 5. ar. 6. Quare argumẽtũ continet minorẽ falsã.

Ad confirmationem. Et ex eodem fundamento ad confirmationem neganda est minor.

107. Ad 7. In septimo argumento sumit Bellomontanus, vt concessum id, quod à patronis nostræ sententię expressè negatur: omnes enim fatẽtur diuinum intellectũ ipsa intuitiua visione distinguere perfectiones, quatenus videt eas inter se virtute distingui.

Ad postremum. Ad postremum patet solutio ex dictis §. 5. concl. 2. diuinus enim intellectus in ipsa diuina essentia inuenit virtualem perfectionum diuersitatem, quæ sufficientissimum est fundamentum, vt sua visione actu distinguat attributa. Et hæc de isto artic. & quæstione.

QVÆSTIO VII.

De mutua attributorum inclusione, & prædicatione, tum cum essentia, tum inter se.

IVXTA ordinem propositũ in prefatione ad quartã quęstionem disputandum est 3. loco de mutua inclusione, & prædicatione atributorum, tum respectu essentiæ; tum inter se, de quo quatuor sunt inquirenda. Et primo loco inquiretur, quomodo attributa se habeant ad essentiam? Secundò; quomodo essentia quoad hoc se habeat ad attributa? Tertiò; quomodo se habeant attributa inter se? Quartò tandẽ; quomodo de se mutuò prædicentur? Quoniam verò hæc omnia possunt dupliciter considerari: vno modo, provt essentia, & attributa considerantur à nobis. Altero modo, provt illa sũt à parte rei; proinde in ista inquisitione hęc duo singulatim

gulatim in singulis quæstionibus expẽdemus.

Quod igitur attinet ad primũ circa inclusionem attributorum in essentia diuina duos excitabimus articulos. Primus est, an attributa, vt per intellectum ab essentia ratione distinguuntur, ita se habeant ad eam, vt in illa essentialiter, & quidditatiuè includantur? Secundus est; vtrũ provt sunt à parte rei attributa sint de quidditatiua ratione essentię.

ARTICVLVS I.

Vtrum attributa, vt à nobis cognoscuntur, essentialiter, & quidditatiuè prædicentur de essentia?

§. I.

Præmittuntur nonnulla ad explicationem quæstionis necessaria.

1. Opinio negãs placere debet Scotistis,

PRo explicatione quæstionis illud aduertendum est partem negantẽ in scholaScotistarum esse omnino indubitatam: cũ enim in illa schola attributa ex natura rei secluso opere intellectus formaliter distinguantur ab essentia; nulla ratione possunt in illa essentialiter includi: nam, quæ essentialiter in alijs includuntur, ab illis formaliter non distinguuntur. Quare attributa non esse de essentia diuinæ essentiæ ex Scotistis docuerunt Bassolius in 1. d. 22. q. 4. fol. 140. column. 4 §. *his ergo præmissis* & Herrera 1. tomo disp. 8. q. 9. concl. 2. pag. 181. col. 1. & Rada 1. p. controuersia 4. cõcl. 5. pag. 64. quam satis expressit Scotus quodlib. 1. litera Y.

Bassolius. Herrera. Rada.

2. Apud quos quæstio habet locum,

Quare quæstio ista non excitatur, nisi supposita illorum sententia, qui attributa ab essẽtia sola ratione distinguũt, vt bene aduertit Bellomõtanus 1. p. disp. 119. c. 1. n. 1. quod satis explicatur in tt. quæstionis: expendimus enim hoc loco essentiam, & attributa, provt concipiuntur à nobis, & secundum illam rationem, secundũ quam à nobis distinguuntur ab essentia; vtrum scilicèt vt sic, de illa quidditatiuè, & essentialiter prædicentur? Nam quid dicendum sit de essẽtia, & attributis, vt extra intellectum sunt in se ipsis; explicabimus in sequenti ar. Quod aduertimus propter Cumelium, & quosdam alios nouiores, qui ab vno sensu ad alium diuertunt, transeuntes de diuina essentia, & atttributis, vt à nobis concipiuntur, & distinguuntur ad essentiam, & attibuta, provt sunt in se ipsis; & ita quæstionem istam (alioquin difficillimam) ita confundunt, vt eã reddant prorsus inintelligibilem. Alij ex alio capite eandem confundunt; excitantes enim hanc quæstionem non distinguũt, in quonam sensu eam disputẽt. Quod contigit Molinæ 1. p. q. 28. ar. 1. disp. 4. & fortè Suario in Metaph. disp. 30. sect. 6. n. 4. vsq; ad 9. vnde distinctius quæstionem istam explicauit lib. 1. de essentia Dei c. 11. Sed ad explicandam quæstionem satis difficilem accedam.

Cumelius.

Molina.

§. 2.

Refertur sententia affirmans.

IN sensu igitur explicato quæstio est cõtrouersia. Pars affirmãs à Bellomõtano tribuitur Bartholomeo de Torres de Trinit. q. 28. ar. 2. disp. 2. in 5. dub. fol. 50. col. 3. & 4. sed fortè nõ agit de essẽtia, & attributis, nisi, vt sunt in se ipsis. In quo eodem sensu quęstionem explicarunt Molina in disp. 4. & Cumelius in eadem q. 28. ar. 2. q. 8. in 3. dub. pag. 845. vnde non est, quod eos pro hac affirmãte sententia referamus: sicut nec etiam pro eadem citari potest Bachonius in 1. d. 2. q. 1. ar. 1. concl. 2. quoniã quæstionem non disputat in hoc sensu. Quare ex ijs, quos legi, vnus est Suarius, qui hãc affirmantẽ partem defendat: nam quãuis in Metaph. disp. 30. sect. 6. n. 4. vsque ad 11. quæstionem explicet de essentia, & atributis, vt sunt in se ipsis, tamen à n. 11. de illis agit, provt à nobis concipiuntur. Eodem modo procedit lib. 1. de essentia Dei c. 11. vbi à n. 1. vsque ad 6. agit de illis, vt sunt in re; at à n. 6. quęstionem disputat in nostro sẽsu, & vtrobique affirmantem partem probat.

3. Opinio affirmans, *Torres.*

Molina. Cumelius.

Bachonius.

Suarius solus affirmat.

Ex his, quæ scribit, hoc est pręcipuũ illius fundamentum positum in d. c. 11. n. 6. Attributa, vt sunt in se ipsis, verè sũt de essentia, & quidditate diuinæ naturę. Ergo vt concipiuntur à nobis erunt de illius essentia, & quidditate. Antecedẽs putat se probasse in præcedẽtibus. Cõsequentiam inde probat; quia (vt ait) in his est optimum argumentum à re ipsa ad eandem, vt obiectã nostro cõceptui.

4. Fundamentum primũ.

Suppono

Suppono (inquit ille) verè nos concipere diuinam naturam veram, & non fictã: quia fieri non potest, vt in re sic cõcepta, non includantur omnia, quæ in re sũt de essentia. Vnde si in essentia sic concepta, non includerentur attributa, verum esset dicere has perfectiones non esse de essentia diuinæ naturæ sic conceptæ. Ergò vel ibi non concipitur vera natura diuina; vel idem dici potest de diuinitate in se. Si ergo hoc posteri⁹ falsum est; etiam & illud prius.

5. Secundum. Deinde ex Metaph. n. 12. hoc etiam argumentũ videor mihi colligere: quoniam hoc loco ita sermo est de rebus ipsis, quæ de Deo à nobis concipiuntur, & provt concipiuntur à nobis; vt tamen illa reduplicatio non designet modum concipiendi ex parte nostri, sed ex parte rei conceptæ: etenim (vt ait) licet res diuinæ imperfectè concipiãtur à nobis; non tamen concipiuntur cum falsitate, & errore; sed sub illo nostro concipiendi modo veram earum perfectionẽ cõcipimus. Ergo talem concipimus naturam Dei, vt iudicemus in re ipsa omnia attributa esse de illius essentia, quæ diuisim, & per varios conceptus nos apprehendimus. Hanc consequentiam, vt notam supponit.

6. Tertium. Tertium adhuc argumentum colligi potest ex eodem Metaph. loco n. 18. si supponamus illam communem theologorum doctrinam, *essentiam esse rationem, qua attributa Deo conueniunt*, non esse intelligendam de essentia secundum se; sed secundum nostrum modum concipiendi, quatenus ex conceptu essentiæ colligimus perfectiones attributales esse illi tribuendas. Hoc supposito iam sic potest confici argumentum. Id vnde ex essentia, vt à nobis cognita colligimus perfectiones attributales esse tribuendas Deo; id inquam etiam colligit eas tribuendas esse, non vt cunq; sed, vt illi essentiales, & quidditatiuas. Ergò attributa, vt á nobis concepta essentialiter conueniunt essentię diuinæ. Consequẽtia videtur nota: antecedens inde probatur; quoniam colligimus attributa conuenire Deo ex essentia, quatenus cognoscitur à nobis esse ens primum, & per essentiam; inde enim habet, quod vẽ dicet sibi omnem perfectionem simpliciter. Sed hoc etiam cogit, vt dicamus illas perfectiones conuenire essentię, nõ vt cunque, sed essentialiter: nam ens per essentiam isto modo sibi postulat omnẽ perfectionem.

7. Quartũ ex aliis. Quartò alij sic argumentantur: si attributa non includerentur formaliter, & essentialiter in diuina essentia, esset in Deo aliquid, quod non esset Deus; & per consequens Deus esset sapiens sapientia, quæ non esset ipsa essentia. Hoc autem esse falsum inde colligitur; quoniã omne ens, aut est à se, aut est ab alio: sià se; ergo est deitas; & subinde essẽtialiter includitur in essentia. Si est ab alio ergo est creatura, & sic bene infertur illatum absurdum; Deum scilicèt dici sapientem sapientia, quæ non est Deus.

8. Postremum. Postremo; si essẽtia diuina, vt à nobis concepta, in suo conceptu non includeret attributa; in suo conceptu non esset infinitè perfecta; quia in suo conceptu non contineret omnem perfectionem simpliciter. Consequens tamen admitti non potest; quia infinitas ita est intrinseca diuinæ essentiæ, vt sine illa, nec concipi possit; sicut nec Deus concipi potest sine deitate. Hæc sunt argumenta, quæ pro confirmanda hac affirmante sententia potui ex auctoribus colligere.

§. 3.
Refertur opinio negans.

9. Opinio negans: *Salas. Bellomõt. Fonseca. Capreolus. Aiala.* OPinionem tamen negantem latè probat Bellomontanus 1. p. disp. 119. c. 2. satis eam explicauit Ioannes de Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 3. sect. 7. n. 32. fol. 223. probauit expressè Fonseca lib. 7. Metaph. c. 8. q. 2. sect. 7. litera F. pag. 344. col. 2. colligitur ex Capreolo in 1. d. 8. q. 4. art. 3. vbi multis in locis satis euidenter explicat attributa non prædicari inquid de essentia: id colliges ex eo fol. 127. col. 3. in principio, & clarius fol. 128. col. 3. ad 12. & fol. 129. col. 1. ad 16; & ad 19. & col. 2. ad 22. Similiter etiam hæc opinio colligitur ex Didaco de Aiala in eãdẽ d. 8. primi q. 4. ar. 4. in solutione ferè omniũ argumẽtorũ Aureoli contra 2. fol. 106. col. 1. satis eam colliges ex Aureolo apud Capreolum vbi suprà ar. 2. argumento 21. eiusdem contra 2. fol. 123. col. 1. §. *& est notandum*. Possunt etiam pro ea citari Nominales, qui in sensu, quo in attributis

tis admittunt prædicationem de essentia; negãt ea prædicari inquid de illa, vt
Gregorius. Marsilius. paret ex Gregorio in 1.d. 8.q. 2.ar.3. in 2.dicto fol.64.col. 2. & ex Marsilio in 1. q.12.ar.3.fol.61.col.3.§. *verum huiusmodi.* Denique hanc sententiam communiter probant iuniores in suis ordinarijs prælectionibus.

10. Opinio cõmunis. Damasc.
Pro hac sententia primo loco adducitur auctoritas Damasceni lib. 1.de fide c.4.vbi ita ait: *qnæcunq; autem per theologiam affirmatiuam de Deo dicimus; non naturam eius sed, quæ sunt circa naturam, insinuant nam si bonum, si iustũ si sapiens, siquid vis aliud dixeris; non naturam dicis Dei, sed ea, quæ sunt circa naturam.* Quæ verba satis significãt Damascenũ agere de Deo, atque de ijs, quæ de Deo dicuntur, provt per affirmatiuam theologiam à nobis concipiuntur; & tamen docet attributa non dicere naturam Dei, sed ea, quæ sunt circa naturam; & subinde, quæ sunt extra essentialem, & quidditatiuam rationem naturæ. Cum Damasceno consentiunt D. Cyrillus lib.11. thesauri c. 1. & Nyssenus ad Ablauium, quorum verba latè expendemus infra art.2.§. 5.ad primam Suarij demonstrationem.

11. Augusti.
Deinde pro eàdem refertur Augustinus 15. de Trinitate c.6. vbi ita scribit: *Si dicam æternus, immortalis, iustus, bonus, beatus, spiritus: horum omnium nouissimum, quod posui, videtur significare substantiam; cætera vero huius substantiæ qualitates.* Et cum Augustinus explicet enumerata prædicata, provt ab eo concipiuntur; vtique non agit de illis, vt sunt in se ipsis, sed vt cõcipiuntur à nobis: & tamen inter spiritum, & cætera, quæ enumerat, hoc discrimen constituit; vt spiritus significet substantiam, tanquam prædicatũ ex sua natura constitutiuum essentię: cætera vero solũ qualitates essentię adiacẽtes.

12. Augusti.
Tertio loco pro hac sententia possũt expendi verba Augustini in lib.83.quæstionum q.15. & 16. dum ait *Deum esse causſam suæ sapientiæ*: vbi causſa idem est, quod ratio: etenim essentia Dei, vt est essentia, & sub conceptu essentiæ, est ratio cur Deo conueniat sapientia: iam vero essentia non potest esse ratio eorum, quę sibi essentialiter, & quidditatiuè conueniunt: nec enim essentia hominis est ratio, cur homini conueniat aut animal, aut rationale: cum tamen sit ratio, cur illi conueniat risibile.

Sed & rationibus eadem sententia confirmatur. Sit prima ratio sumpta ex 13. 1.Ratio. receptissima inter antiquiores, & recẽtiores sententia, quam, tanquam verissimam constituimus supra q.4.ar.3.n.3. Esse scilicet de ratione attributi prædicari de Deo per modum adiacẽtis: quã sententiã idem Suarius, vt verisimam probat lib.1.de essentia Dei c.9. n.6. & lib.3. de Trinitate c.11. n.1. vnde argumentum dici potest ad hominem. Quod si perfectiones, de quibus agimus, omnium consensu verè sunt attributa; prędicentur necesse est de diuina essentia, vt quædam perfectiones adiacentes illi, non vero vt perfectiones cõstituentes illam: etenim si prædicentur quidditatiuè; vtique prædicãtur, vt quidditantia, cõstituentiaquè ipsam essentiam. Quomodo igitur prædicantur, vt adiacẽtia? Etenim, quod adiacet alicui, illud non constituit, sed constitutũ supponit. Nec satis accomodate respondebis, si dixeris attributa ideo dici adiacere essentiæ; quia confusè inclusa in essentia eam veluti partialiter explicant: nam quam alienus sit sensus iste à mente cõmunis opinionis, quam retulimus, nullus non videt.

Secunda ratio: Essentia distinguitur 14. 2.Ratio. ratione ab atttributis. Ergo in sua ratione formali, & essentiali non includit attributa. Antecedens latè ostendimus supra.q.5. ar.7. & 8. Consequentia probatur; quoniam id, quod aliud in sua essentia includit, formaliter identificatur cum illo. Ergo non potest ab illo etiam ratione distingui.

Tertia ratio: Essentia diuina concipitur à nobis, vt præcisa ab attributis. 15. 3.Ratio. Ergo attributa non sunt de intrinseca ratione essentię. Antecedens cõceditur ab aduersarijs, dum nobiscum admittũt essentiã ab attributis ratione distingui: hæc enim distinctio non aliter fit, quàm concipiendo essentiam sine attributis, & attributa sine essentia. Consequentia inde videtur nota; quia id, quod est de essentia rei, non potest à re, nec per intellectum præscindi, vt est vulgatissima doctrina logicorum; nec enim concipies hominem præscindendo aut ab animali, aut à rationali: quomodo enim res concipietur sine sua essentia?

Quarta:

16. 4. Ratio. Quarta: Sapientia sub illa ratione, qua cõcipitur distincta ab essentia, non potest formaliter prædicari de essẽtia. Ergo sapientia, vt à nobis concepta, nõ includitur essentialiter in essentia. Antecedens huius rationis (in quo posita est difficultas) non solùm probatur ab auctoribus huius sententiæ, Capreolo, Bellomontano, & alijs; sed etiam à Suario. Nam in disp. 30. suæ Metaph. sect. 6. n. 13. aperte docet has propositiones, *iustitia, vt iustitia, est misericordia: intellectus, vt intellectus, est voluntas*, & alias similes esse falsas, si sermo sit de rebus, provt distinctè, & expressè concipiuntur à nobis; ita enim scribit: *Cum dicitur iustitia, vt iustitia, esse misericordia: aut intellectus, vt intellectus, esse voluntas, si sermo sit de rebus ipsis conceptis, veræ sunt illæ locutiones: si verò sit sermo de rebus, provt distinctè, & expressè concipiuntur à nobis; sic illæ locutiones sunt falsæ.*

Capreolus. Bellomõt.

17. Eandem doctrinam eleganter explicat lib. 1. de essentia Dei cap. 14. n. 8. nam præmissa duplici intelligentia sensus formalis, expressè concedit propositiones illas provt considerantur secũdum id, quod in quolibet extremorum à nobis expressè concipitur, esse falsas. Habemus igitur Suarium patronum nostri antecedentis; sapientiam scilicèt sub illa ratione, qua concipitur, & distinguitur ab essentia, nõ posse formaliter prædicari de essentia; & subinde hanc esse falsam: *essentia secundum id, quod expressè à nobis concipitur, est sapientia*. Et in hoc quidem rectè; quia erit sensus; essentia secundum expressam rationem essentiæ, sub qua à nobis concipitur, est sapientia: quod esse falsum, & ipse Suarius agnoscit, & euidenter ostenditur; quoniam essentia tunc concipitur à nobis sub ratione essentiæ, cum cõcipitur sub ratione entis subsantialis, spiritualis, & viuentis: hæc enim prædicata omniũ consensu sunt quidditatiua, constitutiuaque essentiæ in quidditate essentiæ, vt latè ostendimus suprà q. 3. ar. 3. & q. 4. ar. 3. n. 6. & sub his prædicatis concipitur ab omnibus, cum dicitur distingui ratione ab attributis: iam verò essentia non habet, quod sit sapientia, vel sub ratione entis, vel sub ratione substantiæ, aut viuentis: alioquin quatenus est substantia, aut viuẽs intelligeret, vellet, misereretur, puniretque: quod nec Suarius admittit in d. c. 14. n. 10. nec est admittendum, vt patebit ex ar. sequenti. Antecedẽs igitur huius tertiæ rationis admitti debet in terminis, in quibus proponitur, & admittitur à Suario in locis citatis, & à Bellomontano 1. p. disp. 119. c. 2. n. 7. & 8. & disp. 138. c. 3. & in com. ad q. 39. D. Thomæ ar. 5. & satis est de mẽte Capreoli in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. in solutionibus argumentorum Aureoli contra secundam, maximè ad 11. fol. 128. col. 2. & ad 16. fol. 129. col. 1. & ibi ad 18. 19. & 20.

Antecedẽs 4. rationis verum.

Capreolus.

Admisso autem antecedente consequentia videtur nota: nam, quæ in aliquo essentialiter includuntur, de eodem formaliter prædicantur: ob hanc enim rationem animal, & rationale formaliter prædicantur de homine. A destructione igitur consequentis; si sapientia, provt à nobis cõcipitur, formaliter nõ prædicatur de essentia, vt in antecedente sumitur; vtique non includetur in ea essentialiter: idque nec expressè, nec tacitè: nec explicitè, nec cõfusè: quoniam negatio illa, qua vnum verè de alio negatur, vtranque inclusionem excludit, vt inferius dicemus.

18.

Postrema ratio ex eo sumitur; quia attributa, vt sunt in se ipsis, non ingrediuntur rationem essentialem diuinæ essentiæ, vt dicemus in sequenti ar. Ergo nec illam ingrediuntur, provt à nobis concipiuntur, valet enim argumentũ à re ipsa, vt est in se, ad se ipsam, vt cõcipitur, conceptus namque, vt sit verus, debet rem concipere, vt illa est in se. Hęc sunt huius opinionis potiora argumenta.

19. Postrema ratio.

§. 4.

Opinio affirmans, si debitè explicetur, est probabilior.

20. Affirmatiua est probabilior.

IN hac perdifficili quæstione semper dubius fui, & anceps: inclinaui tamẽ semper in partem negantem. Nunc re consideratius inspecta, vtranquè iudicio probabilem; probabiliorem tamen, quæ affirmat; si tamẽ debitè explicetur.

Præmittũt.

Pro illius explicatione illud est præmittendum, essentiam diuinam duobus modis concipi posse à nobis. Vno modo; sub confusa, & indeterminata ratione essentiæ, vt est essentiæ. Altero modo; provt concipitur sub particulari ratione

tione vnius, vel plurium prędicatorum essentialium: vt quando concipimus essentiam sub ratione entis per essentiam aut sub ratione substantiæ, vel spiritus, vel sapientię, & cæt. In hac quæstione non agimus de diuina essentia posteriori modo concepta: quia inter omnes constat diuinam essentiam conceptam sub ratione substantiæ, & quatenus formaliter est substantia, non modo non esse formaliter iustitiam, aut sapientiã (de quibus est controuersia an sint prędicata essẽtialia) sed nec esse formaliter spiritum, aut vitam, quæ prædicata omnium consensu sunt quidditatiua; & ratio est; quia diuina essentia sumpta præcisè sub ratione substantiæ, consideratur sub quadam habitudine, qua tanquam vltima veluti differẽtia ratio substantiæ constituitur: iam vero diuina essentia non cõstituitur in ratione substantiæ per propriam rationẽ spiritus, aut vitæ, aut iustitiæ. Quin potius sub hac ratione per intellectum formaliter distinguitur à se ipsa, vt formaliter est vita, aut iustitia: adeo, vt hæc sit vera: essentia, vt est substantia, formaliter non est spiritus, nec vita, nec sapientia, aut iustitia, vt dicemus ad quartum argumentum partis negãtis. Hæc autem negatio excludit omnem aliam formalem rationem non solùm explicitè, sed etiã implicitè: quod facilè patet in homine, si præcisè consideretur sub ratione animalis, aut rationalis; quia, vt est animal & sub ratione animalis, non est rationalis: sicut etiam sub ratione rationalis non habet, quod sit animal: quin potius à sua formali ratione excludit rationẽ animalis, non vt repugnantem, sed tanquam extrinsecam.

21. Inquosita sit difficultas.

Tota igitur controuersia erit; an essentia diuina concepta sub confusa, & indeterminata ratione essentię (quæ in concreto significatur per hoc nomen Deus) essentialiter includat perfectiones attributales, sicut essentialiter includit substantiam, spiritum, & vitã. In hoc sensu puto affirmatiuam sententiã esse longè probabilorem. Fundamentum mihi vnicum, & firmũ hoc est; quia Deus ex sua intrinseca ratione est ens per essentiam, id est, est ens essentialiter habens entitatem. Ex quo fundamento infero Deum ex sua intrinseca ratione non solùm vendicare sibi, quod substantialiter sit omnis sua perfectio; sed etiam, quod essentialiter sit omnis illa, quia hoc pertinet ad suã perfectionem. De Deo igitur ita puto esse philosophandum, vt Deus habeat esse per suam diuinam essentiam, & naturam, id est, per deitatem cõstitutum, quidditatum, atque, vt ita loquar, essentiatum in esse essentię omni gradu perfectionis simpliciter. Quam theologiam in sequenti artic. diligentius confirmabimus.

Ex quo verissimo fundamento ego infero diuinam essentiam in ratione diuinæ essentię, non posse à nobis verè concipi, nisi concipiatur, vt constituta, quidditata, atque essẽtiata per omnem substantialem modum, gradumque essendi, qui ex se fuerit perfectio simpliciter: nam si diuina essentia in se ipsa à parte rei essẽtialiter est, quidquid perfectionis est: vtiq; nisi ita, aut explicitè, aut implicitè cõcipiatur; necverè cõcipietur imò nec cõcipietur, vt vera diuina essẽtia, vt doctè aduertit Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 11. n. 6. Cõcludendũ est igitur diuinã essentiam, sub ratione diuinæ essentiæ, generaliter, & indeterminatè sumptã; hoc est nullam particularem rationem explicitè determinando, sed vt in concreto constituit Deum, essẽtialiter includere omnes perfectiones attributales: idque non solùm à parte rei, sed etiam, vt à nobis sub hac indeterminatione concipitur: & proinde attributa tam à parte rei, quã in nostro intellectu ad essentiam diuinam essentialiter, & quidditatiue pertinent.

22. Illatio.

Est tamẽ hoc loco aduertendũ, quod latius annotauimus q. 4. huius libri ar. 3. n. 11. duplex prædicatorum genus distinguendum esse in Deo, diuinaquè essentia. Alterum eorum, quæ ex sua ratione sunt essentialia, & quidditatiua, constitutiuaque essentiæ; cuius generis sunt prædicata, quæ ex prædicamento substantię sunt Deo cum creaturis cõmunia: vt esse substantiam, esse spiritum esse viuens, esse intellectuale: hæc enim prędicata tam in creaturis, quàm in Deo sunt prædicata constitutiua essentiæ, vt ostẽdimus in d. q. 4. ar. 3. Alterum genus est eorum prędicatorum, quę ex sua natura non sunt constitutiua alicuius essentię;

23. 2. Aduertẽtia.

sentiæ, vt quia possunt aduenire substãtiæ, quæ in esse essentię iam sit completè constituta: huius generis sunt prædicata communia creaturis cum Deo, sũpta tamen ex aliquo prædicamento accidẽtis; vt esse sapientẽ, esse iustũ, & alia huiꝰ generis prędicata: his enim ex sua communi, & analogica ratione non repugnat aduenire rei, quæ iam habeat essentiam perfectè, & vltimatè constitutam: vnde in creaturis sunt perfectiones adiacentes essentiæ, eamq; consequentes.

24. Quid interfit inter prędicata vnius, & alterius generis.

Prædicata prioris generis habẽt essentialitatem, non solùm ex essentialitate diuinæ essentiæ, quatenus diuina essentia ea sibi essentialiter vendicat; sed etiam ex sua propria ratione: quia ad huc essent de essentia, & quidditate Dei, si Deus per impossibile nõ foret infinitæ essentiæ, nec essentialiter sibi vendicaret omnem essendi gradum. At verò prædicata posterioris generis non ita se habent in diuinis; vt quia in Deo vendicant sibi esse essentialia, non ex propria essentialitate, quam ex sua intrinseca ratione habeant, sed ex essentialitate orta ex diuina essentia, quæ eius est perfectionis, vt omnem perfectionẽ postulet non quocunque modo, sed essentialiter. Igitur hæc prędicata sunt essentialia, quia diuina; quia scilicèt natura diuina ex sua essentia, suaque infinitate ea essentialiter exigit.

Ex quibus patet in constituẽdo, quidditando, essentiandoque diuinam essentiam in esse completò, & vltimato essentiæ, admittendum esse ordinem nostro loquendi modo: nam prędicata prioris generis prius constituunt diuinam essentiam; posterius verò attributa: nec enim diuina essentia esse potest, aut cõcipi, vt sapiens, vt iusta, & cæt. nisi prius supponatur substantia spiritualis, & viuens. Quare ita theologizandum erit, vt natura diuina primò constituatur in esse essẽtiæ diuinę per esse substantiam, deinde per esse spiritum, tertio per vitam, & tandem per attributa, nullo tamẽ inter ea seruato ordine suppositionis.

25. Sed pro cõplemẽto huius doctrinæ aduertẽdũ est hoc interesse inter prędicata posterioris generis, & prioris, quod prędicata prioris generis cũ ex sua natura sint substantialia, & sumpta à generibus substantię, constituunt essentiã diuinam per modũ cuiusdam entis per se subsistentis; idque ad modum generis cum sumantur à generibus substantiæ, vnde prædicantur in quid de Deo, & de diuina essentia. At vero prædicata posterioris generis constituunt essentiam diuinam per modum differentiæ, quæ constituit essentiã substantialiter qualificando, vnde prædicantur de essentia, non in quid, sed in quale quid. Hæc igitur erit tota diffinitio essentialis Dei (vt à nobis cognosci potest) est substantia prima, & infinita, spiritualis, viuens, omnibus modis perfecta: quod vltimum prędicatum cum vltimo constituat essentiam in esse diuinę essentiæ, habebit rationes differentiæ, quę constituunt essentiam qualificando, vt diximus.

§. 5.

Pro parte affirmante soluuntur argumenta partis negantis.

26. Solutio argumentorũ partis negãtis.

Opinio negans contra affirmatiuam arguit primó auctoritatibus Damasceni, & Augustini, deinde nonnullis rationibus. Omnia tamen facilè soluuntur.

Explicatur Damascen⁹

Ad Damascenum respondet Suarius libr. 1. de essentia Dei cap. 11. n. 8. attributa à Damasceno ideo dici esse circa rei naturam; quia singula secundum nostrum modum concipiendi non prædicant totam Dei naturam, sed quasi per partes, nostro loquendi modo, explicãt quid illa sit. Damascenus igitur vult attributa esse circa naturam diuinam, nõ quia sunt extra illius quidditatem, & essentiam; sed quia eam confusè sumptam explicatius manifestant, & explicant. Quem sensum colligit ex verbis eiusdem Damasceni ibi cap. 12. dum ait attributa dicere *aliquid eorum, quæ naturam affectantur*. Affectantur inquam, id est, comitãtur, & quasi essentialiter cõstituunt. Sed quàm aliena sit à mente Damasceni hæc explicatio, facilè intelliget, qui Damascenum legerit, tum in d. cap. 4. tum inferius cap. 12. & 13. Nam attributa ideo dici esse circa naturam; quia sunt extra essentiam, & quidditatem diuinę naturæ euidenter colliges ex verbis eiusdem capit. 13. epilogans enim

Reijcitur præcedẽs explicatio.

enim omnia, quæ dixerat, & iterum cõcludens per attributa non apprehendi ipsam Dei substantiam, sed quæ sunt circa substãtiam; explicans illorum sẽsum adducto exemplo hæc scribit verba: *Perinde nec corporis substantiam cognoscimus, si cognoscimus quod album, & nigrum est: sed ea, quæ circa substantiam sunt.* Quæ verba adeo clarè explicant sensum assertionis Damasceni, vt nihil clarius dici possit. Eundem sensum satis explicant verba capitis duodecimi: *at vero bonum, iustum, sanctum, & id genus talia, naturã consequuntur, non autem substantiam ostendunt.* Ex quibus patet apud Damascenum idẽ esse attributa esse circa naturam, atque consequi naturam. Iam verò, quæ naturam consequuntur, supponunt naturam in esse naturæ, & essentiæ iam completam. Denique illa verba satis rem euincunt: *non verò substantiam ostendunt:* hęc enim negatiua negat attributa non solum non ostendere totam naturam, sed nec aliquam (nostro loquendi modo) illius partem.

27. Vera explicatio Damasceni.

Reiecta igitur præcedente solutione pro explicatione mentis Damasceni aduertendum est diuina attributa duobus modis posse à nobis considerari. Vno modo, prout via veluti inuentionis à posteriori cognoscuntur esse in Deo, & de Deo prędicari. Altero modo; prout supposita iam illorum existentia cognoscũtur à nobis veluti à priori ex propria diuinę essentię ratione. Priori modo nulli dubiũ est, quin à nobis cognoscantur, non vt essẽtialia prędicata Dei, sed vt illi veluti adiacentia: etenim in creaturis nullam sibi vendicant essentialitatem, sed solam adiacẽtiam circa naturam. At posteriori modo, cum iam considerentur cognitione sumpta, non à posteriori, & cum habitudine ad creaturas; sed sũpta à priori à principijs ipsius diuinæ essentię; absque dubio non iam cognoscuntur à nobis, vt adiacentia, sed vt essentialia. Igitur Damascenus agit de attributis priori modo sũptis, vt patet, tum ex capite 3. tum ex illis verbis capitis 13. *& ad diuinam substantiã manu ducti.* Quod vnico verbo visus est sensisse Capreolus in 1. d. 8. q. 4. art. 3. fol. 129. column. 2. ad 21.

Capreolus.

28. Ad primum Augustini testimonium respondetur Augustinũ potius esse pro nobis, si integra eius verba afferantur: nam verbis adductis immediatè addit: *sed non est in illa ineffabili, simplicique natura: quidquid enim secundum qualitatem illi dici videtur; secundum substantiam, vel essentiam est intelligendum.* Quæ verba satis significant affirmare Augustinum attributa videri quidem significare qualitatẽ diuinæ essentiæ; verè tamen illam nõ significare: sed substantiam, vel essentiam quæ verba nobis fauent. Ad 1. testimoniũ Aug.

Ad 2. testimonium ex eodẽ Augustino respondetur primo hunc esse verborũ sensum, vt Deus sit causa suę sapientię; quia Deus sicut non est ab alio, sed à se ipso habet suam essentiam; ita etiã à se, & non ab alio habet suam sapientiam. Responderi potest secundo si idem sit causa, quod ratio, vt sit sensus Deũ esse causam, id est, rationem suæ sapientię; nam adhuc hoc supposito sensu, adhuc sapientia concipitur, vt intrinseca, & essentialis diuinæ essentię: nam prima, & fundamentalis ratio quidditatiua essentiæ (nimirum esse ens per essẽtiam, & à se) nostro intelligendi modo est ratio; cur sibi cõueniant cætera omnia prędicata quidditatiua, quæ de Deo cognoscimus. Et quanuis in nobis id nõ reperiatur, vt argumentum sumit; reperitur tamen in Deo, non respectu sui, sed nostri: quia omnia, quæ est, est super eminenter, & modo quodam ineffabili, & anobis incomprehensibili. 29. Ad 2.

Prima ratio facilè soluetur ab ijs, qui non admittunt doctrinam in argumento suppositam: nec enim desunt, qui negent esse de intrinseca ratione attributi significari, & prædicari de Deo per modum adiacentis: hoc enim videntur probasse Gabriel, Molina, & quidam alij, vt diximus q. 4. ar. 3. n. 2. apud quos ea etiam, quæ sunt essentialia, possunt dici attributa. At maximè vrget eos, qui præcitatam doctrinam admittũt, vt ibi aduertimus n. 10. cui difficultati nullus occurrit: nos tamen, qui illam probauimus sententiam, propositam difficultatem eo loco dissoluimus illam communem doctrinam in hoc sensu esse admittẽdam, vt de ratione attributi sit denotare aliquid, quod sumptum secundum suam rationem non includat esse quidditatiuum essentiæ, sed qualificatiuum potius: quod non impedit, quominus ex 30. Solutio 1. rationis.

alio capite habeat rationem essētialis, & quidditatiui prædicati; nimirum ex essentiali ipsius essentiæ ratione, vt late ibi explicabimus. Quem intellectum facile colliges ex 1. Augustini testimonio dum ait attributa videri quidem significare qualitates essentiæ; cum tamen verè non dicant qualitatem, sed essentiam. Itaquè ex sententia Augustini in ratione attributi includitur, vt ex sua ratione videatur significare aliquid adiacens essentiæ; cum tamen non significet, nisi id, quod est essentia. Non ineptè dicere possumus de ratione intrinseca attributi esse quod significetur per modum adiacentis abstrahēdo ab adiacere essentialiter, & non essentialiter. Attributa autem possunt hoc modo significari, quanuis sint prædicata essentialia, quia, vt diximus suprà artic. 1. 6. quarto in fine attributa sunt de essentia ad modū differentiarū vltimo essentiā constituentiū: vnde non prædicātur in quid de essentia, sed in quale quid.

August.

Optima solutio.

31. Ad 2. rationem. Ad secundam rationem negandū est antecedens, si diuina essentia cōcipitur sub indeterminata, & cōfusa ratione essentiæ, sub qua cōstituit Deū; quia vt sic est formaliter idē cū omnibus suis prædicatis essentialibus tam simul, quā diuisim sumptis: etenim illo modo cōceptū, & provt denominat hoc concretum Deus, formaliter est substātia, spiritus, vita, sapientia, iustitia, & cæt. Nam sicut homo conceptus sub ratione hominis sumptus indeterminatè, & confusè, formaliter est idē tum cū sua diffinitione (quia formaliter est animal rationale) tum etiam cū singulis illi' partibus (est enim formaliter animal, & formaliter rationalis) ita etiā diuina essentia formaliter est tota sua diffinitio, & quidditas, & formaliter est singulæ illius diffinitionis veluti partes, vt ita loquamur, est enim formaliter substantia, spiritus, vita, sapientia, iustitia, &c. Iam vero cū formali identitate non potest esse simul formalis distinctio etiam secundum rationem. Nam quanuis diffinitum ratione distinguatur, tum à diffinitione, tum à singulis illius partibus: non tamen ab illis distinguitur formaliter quia in vtroq; conceptu semper repræsentatur vna, & eadem res sub vna, & eàdem ratione adæquata, vel inadæquata. Solum igitur distinguitur distinctione, quæ datur inter idem explicite, vel implicite repræsentatum. At vero antecedens est verissimum, si essentia diuina concipiatur sub determinata aliqua ratione vna, vel pluribus: etenim diuina essentia concepta sub ratione substantiæ distinguitur à se ipsa, provt cōcipitur sub ratione sapiētię, aut iustitiæ. Imò provt concipitur sub ratione spiritus, aut vitæ: illæ enim omnes rationes formaliter sumptæ, & vt tales sunt, sunt rationes distinctæ, etiam à parte rei, virtualiter tamen. Et in hoc sensu intelligenda est, & explicanda sententia, quę inter essentiam, & attributa admittit distinctionē rationis: & in eo sēsu intelligitur à suis auctoribus: nā ideo probant essentiā sub ratione essentię, distingui à iustitia, quia ratio substantię spiritualis, & viuentis (sub qua ratione ab illis cōcipitur, quatenus est essentia) distinguitur à ratione iustitię.

In quo sensu antecedēs sit verū.

32. 1. Solutio 3 rationis. Pro solutione tertiæ rationis multa scribit Suarius in d. disput. 30. Metaph. sect. 6. n. 16. & lib. 1. de essentia Dei c. 11. n. 7. cuius solutionem non facile accomodabis ad formam argumenti. Quantum ego potui colligere, solutio in hoc est posita; vt essentia à nobis concepta abstrahat quidem ab attributis explicitè; quia expressè non concipiuntur conceptu essentiæ; non tamen abstrahat implicitè; quia dum concipimus essentiam diuinam, eam concipimus infinitam; & subinde in ea concipimus saltem implicitè omnem perfectionem: illa enim essentialiter est omnis perfectio. Itaquè cum de illa explicitè prædicamus sapientiam, vel quodcunque aliud attributum, explicamus, & distinctè enuntiamus id, quod in ipsa essentia simpliciter, & confuse continebatur. Rem explicat (& vt putat satis accōmodate) exēplo diffiniti, & diffinitionis: nā, cū dicimus *homo est rationalis*, non prædicamus aliquid, quod sit extra essentiā hominis à quo cōcept' hominis (vt est diffinitū) absolutè, & modis omnibus præscindat; sed explicitè prædicamus id, quod in conceptu essentiali hominis confusè continebatur. Eodem igitur modo cum prædicamus sapientiam de essentia, nō prædicamus aliquid, quod sit extra essentiam in conceptu illius non inclu-

sum

sum; sed prædicamus, quod in conceptu essentiæ confusè inclusum inerat.

Contra hãc solutionem insurgit Bellomontanus in d. disp. 119. cap. 2. n. 6. §. *respondent aliqui*, affirmatque eam nullius esse momenti. Primò, quia hoc loco non agimus de essentia, & attributis, vt extra intellectum sunt in se ipsis; sed vt sunt in nostra cogitatione. At in nostro conceptu, quem formamus de essentia explicitè non sunt attributa. Ergo attributa non sunt in essentia, vt à nobis cognita. Secundò; cum expressè apprehendimus essentiam, & attributum, de vtroque formamus distinctos conceptus, quorum vnus nullo modo est in alio. Ergo essentia, & attributum ita differũt in nostris cõceptibus, vt in illis essentia nõ cõtineat attributa. Quod vero attinet ad exẽplũ diffiniti, & diffinitionis promittit se disp. 121. c. secundo ostensurum essentiam non differre ab attributis penes implicitũ, & explicitũ.

33. Non recipitur à Bellomontano.

Sed nec implicuit promissum; nec instantiæ vim aliquam habent aduersus datam à Suario solutionem, vt idẽ Suarius aduertit lib. 1. de essentia Dei c. 12. n. 2. & 8. Nam ad primam respondet attributa non esse explicitè in conceptu essentiæ; bene tamen implicite. Ad secũdam admittet aduersarius conceptum essentiæ in nobis distinctum esse à conceptu sapientię: cum vero additur vnũ conceptum nullo modo esse in alio; si sermo sit de conceptu formali, verum est, quod sumitur; quia conceptus formales sunt qualitates realiter distinctę quarum vna in genere rei non est alia. At falsum est, si sermo fuerit de conceptu obiectiuo: nam licèt essentia obiectiuè cognita, & repræsentata per propriũ conceptum formalem sui explicitè non sit sapientia, nec explicitè cognoscatur sub ratione sapientię: implicitè tamen est sapiẽtia, & sub ratione sapientię implicitè repræsẽtatur per ipsum met cõceptum formalem essẽtiæ. Aduersarius igitur eodẽ effugio euitat has instãtias quo vitauit principalem difficultatem.

Argumenta Bellomõtani non sunt firma.

Ego alio modo puto esse impugnandam illam solutionẽ: si nimirum aduertamus essentiam ita à nobis cõcipi prę-cisam ab attributis, vt sub ea formali ratione sub qua prę-cisè concipitur, vere negetur esse sua attributa: hæc enim propositio est vera, *essentia sub formali ratione essentiæ nõ est sapientia: nõ est iustitia, &c* vt verior habet sententia cum eodem Suario, vt in 4. ratione annotatur. Hæc autem negatio omnino cõuincit attributa non modo expressè non includi in ratione essentiæ; sed nec confuse, & implicitè: etenim si rationale posset verè negari de homine concepto sub ratione confusa hominis; ita vt hæc esset vera, *homo sub ratione hominis, non est rationalis*; vtiquè conceptus hominis, vt homo est, non solùm explicitè abstraheret à rationali, sed etiam implicitè, & confusè. Quare, cum essentia sub formali ratione essentiæ ita prę-scindat à sapientia, vt verè dicamus *essentia sub ratione formali essentiæ non est sapientia*; nullo modo dici potest sapientiam implicite, & cõfusè includi in conceptu essentiæ, vt est essentia. Ex quo inferri potest exemplũ diffiniti, & diffinitionis non satis esse accommodatum ad rem præsentem explicandam: quia conceptus hominis, vt est diffinitum, licèt explicitè abstrahat à rationali; non tamen abstrahit implicitè; quia nunquam potest homo, vt homò est, non esse rationalis: cuius oppositum reperitur in diuina essentia, prout à nobis concipitur, vt iam diximus.

34. Vera impugnatio solutionis.

Tertia igitur ratio facile soluetur ex ijs, quæ præmisimus §. 4. essentia enim diuina duobus modis concipi potest. Vno modo sub ratione essentiæ indeterminata, & confusa, vt si eam concipiamus, vt est abstractum huius cõcreti *Deus* nulla speciali ratione explicata. Altero modo sub aliqua ratione determinata essentiæ, v. g. sub ratione substãtię, aut spiritus, aut vitę. Si sermo sit de essentia priori modo concepta, negandum est eam concipi, vt abstractã, prę-cisamque ab attributis: nam quãuis, vt sic, explicite abstrahat a illis, non tamẽ implicitè: sicut etiam omnium cõsensu non abstrahit à prædicatis essentialibus substantiæ, spiritus, & vitæ: nihil enim abstrahit ab ijs, quæ sibi sunt essentialia: & in hoc cõuenit essentia cum diffinito. Verè enim, vt sic concipitur, vt quoddã diffinitum. Et in hoc sensu verissima est solutio Suarij. Cui non obstat, quod in contrarium aduertebamus: quia essentia ita concepta sicut ratione nõ distinguitur ab attributis; ita de illis formaliter

35. Vera solutio tertię rationis.

liter negari non potest, vt patet in solutione secundæ rationis: nam si essentia, vt sic concepta, est idem formaliter cũ tota sua veluti diffinitione, & cum singulis illius quasi partibus; nullo modo poterit de illis formaliter negari. Porrò si essentia cõcipiatur posteriori modo, v. g. sub ratione substantiæ: cum sub illa ratione sit formaliter distincta ab attributis, & formaliter negetur de illis vt diximus §. 4. non potest, vt sic, non excludere etiam implicite à sua ratione omnem aliam rationem, quantunuis sibi aliàs essentialem. Ex hoc autem antecedente ita explicato nihil cõtra nos potest inferri, quia agimus de essentia sumpta priori modo. Et ita satis explicatur argumenti difficultas.

36. Ad quartã rationem.

Quarta ratio nõ impugnat sensum, in quo defendimus essentiam essentialiter includere omnia attributa: agim' enim de essentia sub ratione essentię indeterminatè, & confusè, & vt est veluti quoddam diffinitum explicabile per suã quasi diffinitionem. Argumẽtum verò agit de essentia, vt concipitur sub determinata ratione, aut substantiæ, aut spiritus: in quo sensu non solùm negamus diuinam essentiam essentialiter includere attributa, sed etiam includere alia prædicata, quæ omnium consensu sunt illi essentialia: nam, (vt sæpe diximus) essentia diuina sub ratione substantiæ formaliter, nec est spiritus, nec vita; quia non constituitur in ratione substantiæ per rationem spiritus, vt spirit' est, nec per rationem vitæ, vt est vita. Quare cum ratio extra chorum saltet, nullam habet efficaciam. In forma igitur admittimus sapientiam sub illa ratione, qua concipitur distincta ab essentia, nõ posse formaliter prædicari de essentia, & ex consequenti neq; essentialiter includi in ea: dicimus tamen sapientiam formaliter non negari de essentia indeterminatè sũpta, vt suprà diximus: solũ igitur negatur de ea, vt concipitur sub aliqua determinata ratione, sub qua formaliter non est sapientia. In hoc igitur deficit hęc quarta ratio, quod supponit essentiam tunc concipi, vt essentiam absolutè loquendo, cum expressè concipitur, vt substantia immaterialis, & viuens: quod tamen est falsum; quia vt sic non adæquatè concipitur sub ratione essentiæ; sed inadæquatè sub aliqua certa ratione, sub qua à cęteris suis prędicatis distinguitur: cum tamen essentia, vt essentia formaliter sit omnia sua prædicata. Quare sicut homo, prout concipitur sub ratione animalis, non adęquatè concipitur, vt homo; ita etiã essentia, vt concipitur sub aliqua determinata rætione essentiæ, non adæquatè concipitur, vt essentia.

37. Ad vltimam rationem.

Ad postremam rationem negandum est id, quod sumitur: quoniam diuina essentia, vt est à parte rei, non solũ substantialiter identificat sibi omnia attributa, vt cum illis sit vna substantia: sed etiam essentialiter; vt cum illis sit vna simplicissima essentia. De quo in sequenti ar.

§. 6.

Pars negatiua suam etiam habet probabilitatẽ, & soluuntur argumenta in contrarium.

DIximus suprà §. 4. partem negatiuam suam etiam habere probabilitatem: habet enim doctissimos patronos, vt vidimus suprà §. 3. Aureolum scilicèt, Capreolum, Aialam, Bellomõtanum, & Ioãnem de Salas: nec ab ea longe sunt Nominales, Gregorius inquam, & Marsilius cum cummuni recẽtiorum. cuius probabilitatem maximè confirmat grauissima auctoritas Damasceni, quam non satis accomodatè explicat Suarius, vt vidimus §. 5. nostra autem explicatio ibi etiã adducta supponit id, quod est in controuersia: vnde, & cum hac negante sententia potest consistere: nec enim negãdum erit attributa considerari posse, vel vt via inuẽtionis à posteriori à nobis cognoscũtur; vel vt cognoscuntur à priori. Sed cũ cognita à posteriori cognoscãtur, vt adiacẽtia, vt ibi cõcessimus; quid cogit vt à priori non etiam cognoscantur vt talia? Si respondeas diuinam essentiam ex sua ratione vendicare attributa, vt sibi essentialia; iam pro fundamento sumis id, de quo controuertitur. Attributa igitur cognita à posteriori, vt adiacentia essentiæ quoad an est; postea cognoscentur à priori per causſam ipsius adiacentiæ. Quare negare non possum verba Damasceni pro hac sententia negante maximè vrgere: quod satis est, vt iudicetur probabilis.

38.

Aureolus. *Capreolus.* *Damasc.*

Pro

39. Per quid essentia diuina cõstituatur in esse essentiæ.

Pro defensione illius constituendum est, tanquam fundamẽtum essẽtiam diuinam in esse essẽtiæ cõstitui, atq; quidditari per sola prædicata prioris generis, de quibus egimus §. 4. per illa inquã prædicata, quæ absolutè, & ex sua natura sunt essentialia, & constitutiua essentię in quacunque re illa reperiantur; qualia sunt, quæ ex prædicamento substantiæ Deo cum creaturis sunt communia: vt esse substantiam: esse spiritum: & esse viuens. Illa vero, quæ in posteriori genere collocantur sumpta exgeneribus accidentium, cum ex sua natura non sint constitutiua essentię, vt aduersarij fatentur; non est, quod aliunde reddantur essentialia, sed semper retinebunt naturam prædicatorum essentiam qualificantium. Et ob id, siue à posteriori cõcipiantur ex creaturis; siue à priori ex essentia Dei iam naturaliter cognita; semper erunt prædicata nostro intelligendi modo veluti qualificatiua diuinæ essentię, illique adiacentia, vt ait Damascenus. Vide, quę in sequenti artic. §. 5. dicimus ad primam demonstrationem.

40. Essentiã diuina 2. modis concipi potest.

Nec negandum est aduersarijs diuinam essentiam posse concipi illis duob⁹ modis sæpius explicatis: vt scilicèt diuina essentia vno modo concipiatur sub ratione essentiæ confusè, atque indeterminatè sũpta. Altero modo sub aliqua certa & determinata ratione eiusdem essentię, v. g. sub ratione substantiæ, aut spiritus, aut etiam viuentis: nam quodlibet diffinitum duobus illis modis sæpe concipitur: homo enim interdum concipitur indeterminatè, vt homo est; interdum verò, vt est animal, aut vt est rationalis. Concedendum etiam est essentiam cõceptam posteriori modo, non solùm ratione distingui ab attributis, sed etiã ab alijs prędicatis quidditatiuis; ita vt sub illa ratione possit formaliter negari de alijs: etenim essẽtia diuina, vt est substantia, nec est spiritus, nec vita: sicut etiam homo conceptus, provt est animal, non est rationalis. Simili modo admittendũ est essẽtiam diuinam conceptam priori modo explicitè quidem abstrahere ob omnibus suis prædicatis etiam quidditatiuis; non tamen implicitè; & inde prouenire, vt essentia, quatenus est essentia, sit formaliter idem cum suis prædicatis quidditatiuis.

Quidin hac difficultate certum sit.

Tota igitur difficultas est, an sola prędicata prioris generis sint essentialia? Aduersarij affirmant: negant tamen Autores huius sententiæ, pro qua modo pugnamus; apud quos essentia diuina, vt à nobis essentialiter concipitur vltimatè constituitur in esse essentiæ, & (vt ita dicam) vltimatè quidditatur per viuens: cætera verò prędicata, quæ de Deo cognoscimus, manẽt extra rationẽ essentialẽ diuinę essẽtię, vt est essentia. Itaquè si diuina essentia, vt à nobis cognoscitur sit essentialiter diffinienda, solùm diffinietur per substãtiam spiritualem, & viuentem, supposita semper in illis prędicatis infinitate. Ex quo infertur diuinam essentiam conceptã sub ratione essentię implicitè includere sola illa tria prædicata, non verò attributa. Hæc igitur sint huius opinionis fundamenta.

41. In quo sit posita difficultas.

Supereſt igitur sententiam istam hoc modo explicatam ab impugnationibus aduersariorum vindicare: vindicabitur autem facile; si prius explicemus, an essentiam diuinam esse ens à se: esse ens per essentiam: & deniquè esse ens secundum essentiam infinitum, inferat eam essentialiter esse quidquid est; sicut infert eam, quidquid est, substantialiter esse? Ex hoc enim pendet totius difficultatis resolutio. Affirmant aduersarij, vt patet ex §. 4. negant auctores huius sententię, vt patet ex Bellomontano 1. p. disp. 119. c. 3. n. 10. §. *ad aliam rationem*: nec possunt non negare, si consequenter loqui velint. Cum illis consentiunt Scotistę: cum enim negent attributa essentialiter includi in diuina essentia, simul etiam negant ex illis propositionibus oppositum necessario demonstrari, vt pro Scoto satis aduertimus suprà q. 5. ar. 4. n. 105. cum sequentibus. Singula expendamus.

42. Quæstio de qua nascitur.

43. Aduerte.

Quod ex hac propositione *Deus est ens à se, & quidquid habet, à se habet*, non bene infertur Deum omne, quod habet, essentialiter habere; & ratio suadet, & instãtia sũpta ex diuinis relationibus. Nam illa propositio ab omnibus explicatur in sensu negatiuo; vt Deus ideo dicatur esse ens à se, quia suam entitatem non habet ab alio; sed eã habeat independẽ-

ter ab omni causſa efficiente: quę eſt cõmunis explicatio probata Suario in Metaph.diſp.28.ſect.1.n.7. Quæ negatiua locutio ſemper eſt vera, quãuis Deꝰ aliquid habeat, & non eſſentiale ſibi. Cui argumẽto eſt relatio diuina, quam Deus habet indepẽdẽter ab omni cauſſa efficiente: & tamen eam eſſentialiter non includit in ſua eſſentia, vt ſuo loco dicemus.

44. Quid ſit Deum eſſe ens per eſſentiã

Simili modo *Deum eſſe ens per eſſentiam: & quidquid eſt per eſſentiam eſſe* non idẽ eſt, quod eſſentialiter, & quidditatiuè eſſe id, quod eſt; quaſi omne, quod eſt, ſit quidditatiuè, & eſſentialiter, vt iam aduertimus ſuprà q.5. ar.4. §.5. num.105. Poteſt autem explicari illa propoſitio duobus modis. Vno modo ad mentem Bellomontani 1.p.diſp.25.cap.5.n.9. vt ideò dicatur Deus ens per eſſentiam, & per eſſentiam eſſe, quidquid eſt, quia id, quod habet, habet per ſuam naturam ab alio non acceptam. In quo ſenſu idẽ eſt Deum eſſe ens per eſſentiam, quód Deum eſſe ens à ſe. Quæ expoſitio, ſi placet: iam patet ex præcitata propoſitione nõ benè inferri Deum, quidquid eſt, eſſentialiter eſſe: poteſt enim eſſe id, quod eſt, per eſſentiam ab alio non acceptam, quãuis non eſſentialiter ſit omne, quod eſt. Altero modo poteſt explicari illa propoſitio; vt ideò Deus dicatur eſſe per eſſẽtiam, quidquid eſt; quia diuina eſſentia ratione ſuę perfectionis eſt radix, & fundamentum, vt Deus habeat id, quod habet. Quem ſenſum nos explicauimus in d.art.4. n.105. At cum hoc ſenſu benè conſtat Deum non omne, quod habet, eſſentialiter habere: ſed aliqua eſſentialiter, aliqua verò ratione ſuæ eſſentiæ, & naturæ. Itaque in illa propoſitione *Deus eſt ens per eſſentiam; ita vt quidquid eſt, per eſſentiam ſit*, eſſentia non idem eſt, quòd eſſentialiter: ſed idẽ eſt, quod natura, vt ſit ſenſus Deum per ſuã naturam diuinam eſſe omne, quod eſt.

45. Ex infinitate Dei non benè inferri Deũ omne quod eſt eſſentialiter eſſe.

Deniq́ue; quod ex infinitate Dei non benè inferatur Deum omne, quod eſt, eſſentialiter eſſe, facilè oſtendi poteſt, ſi omnes rationes infinitatis percurramus. Et in primis non benè infertur ex infinitate, aut immenſitatis in ordine ad locum, aut æternitatis in ordine ad durationem, aut intelligibilitatis, quatenùs à nobis intellectu eſt incõprehenſibilis; aut deniq́ue virtutis, qua omnia poteſt facere: omnes enim hæ infinitates ſtare poſſunt, quanuis Deus aliquid habeat, non eſſentialiter, & quidditatiuè. Sola igitur remanet infinitas ſecundùm eſſentiam, quæ infinitas in eſſendo appellatur. At nec ex iſta infinitate inferri poſſe eſſentialitatem omnium, quæ ſunt in Deo, facilè intelligemus; ſi formalem huius infinitatis rationem diligentiùs expẽdamus. Et quidem res eſt clara, ſi cum quibuſdam ex recentioribus dicas infinitatem in eſſẽdo in eo eſſe poſitam, quod Deus à nulla cauſſa habeat eſſe, quam explicandi rationem probat Bellomontanus 1.p. diſp.25.c.5: nam iuxta hanc explicationem idem erit Deum eſſe infinitum ſecundùm eſſentiam, & Deum eſſe ens à ſe: ex quo non benè infertur Deum omnia eſſe eſſentialiter, vt iam oſtẽdimus. Simili ratione idem erit dicendum, ſi cum Thomiſtis dicas Deum eſſe infinitum, quia non habet eſſe in alio receptum: cum hoc enim benè ſtat Deum nõ eſſe omnia eſſentialiter: ad hoc enim ſatis eſt, quod eſſe ſit diuinum, quantunuis Deo non conueniat eſſentialiter, & quidditatiuè. Porrò ſi dicas cum quibuſdam ex recentioribus Deum ideò dici infinitum, quia vendicat ſibi infinitas perfectiones attributales; adhúc rẽ non obtinebis: quoniam hæc infinitas optimè poteſt intelligi, quanuis non intelligamus Deum eas omnes perfectiones ſibi vendicare, vt eſſentiales ſibi, & quidditatiuas. Tandem ſi cum meliori ſententia dicas Deum ideò dici infinitum in eſſendo; quia vendicat ſibi omnem eſſendi gradum, & perfectionem; nec iſto modo rem confeciſti: quia optimè intelligi poteſt Deum omnem eſſendi gradum habere, omnemq́ue eſſendi perfectionem; quanuis non omnem gradum entis, nec omnem entis perfectionem habeat, vt eſſentialem ſibi, & quidditatiuam: nam illud priùs omnes tenemur admittere, quia eſt de fide: nõ tamen fides cogit, vt admittamus hoc poſterius, ſed id adhùc eſt ſub opinione. Quo argumento optimè conficitur aliud eſſe Deum habere omnem eſſendi gradum, omnemq; perfectionẽ: & aliud Deum hæc omnia eſſentialiter habere: nam illud prius eſt certiſsimũ: hoc autẽ poſte-

Deus vndè dicatur infinitus.

Nota.

posterius est satis dubitabile. Cui etiã illud est argumento, quód diuina essentia ratione suæ infinitatis in essendo vendicat sibi esse relatiuum; quòd tamẽ essentialiter sibi non vẽdicat: vndè quatenus est essentia non est formaliter relatiua, sed solùm eminenter, & virtualiter, vt ipsi etiam aduersarij fatentur. Cur igitur idem de attributis non dicemus? Quarè apud auctores nostræ sẽtentiæ Deus dicitur sapiens secundùm essentiã, non quod essentialiter, & quidditatiué sibi vendicet sapientiam; sed quia est prima ratio, & radix, quòd illi conueniat sapientia.

46. Ex infinitate Dei quid inferatur.

Et hanc fuisse sententiam Scotistarũ diximus suprà q. 5. ar. 4. §. 5. n. 105. Itaq; infinitas Dei in essendo euincit quidẽ, vt infra latitudinem essendi omnem essendi modum habeat: & infra latitudinem perfectionis omnem habeat perfectionem: non tamen euincit, vt omnem essendi gradum, omnemque perfectionem habeat, vt sibi essentialem, & quidditatiuam. Et indè est, vt Scotus quodlib. 1. litera C. duplicem theologizet in Deo entitatem, idque nostro intelligẽdi modo: primam vnam, alteram secundariam. Primam tribuit essentiæ, vt est essentia, & ratione prædicatorum illi essentialium: secundam tribuit essentiæ ratione attributorum, veluti illius cõplementum. Nec ab hac theologia longè est Capreolus in 1. d. 8. q. 4. art. 3. fol. 128. col. 3. ad 12. Aureoli contra secundam. Vide, quæ rursus dicemus ar. 2. §. 5. ad secundam demonstrationem.

Capreol.

47. Ad primum arg. positum §. 2.

Eneruato iam affirmantis sententiæ principali fundamẽto, quod pro ea adduximus §. 4. facilè erit soluere argumẽta, quæ §. 2. pro ea posuimus. Ad primũ sumptum ex Suario ex mente Bellomõtani 1. p. disp. 119. c. 2. n. 6. §. *Respondent aliqui*, ex eo negandum est antecedẽs; quia supponit aliquid posse includi in essentia, vt est extra intellectum in se ipsa; quod putat esse falsum: persistit enim in opinione, quod extra intellectum nulla sit admittenda distinctio in diuinis: cuius tamen opinionem, nec admisimus q. 6. ar. 6. nec q. 5. ar. 6. Licet enim à parte rei omnia in Deo actualiter sint vnũ, virtute tamen sunt plura.

Solutio Bellomontani non probatur.

48. Admissa autem distinctione virtuali inter attributa, & essentiam, iam datur locus inquirendi, an in essentia attributa essentialiter includãtur, de qua quæstione agendum erit in sequenti artic. Omissa solutione ex Bellomontano fortè aliquis admisso antecedẽte negaret consequentiam; ob eam fortè rationẽ; quia noster intellectus diuinam essentiam intelligit conceptu sũpto ex creaturis, in quibus perfectio attributalis non est essentialis; sed adiacens essentiæ, & secundúm hanc analogiam concipit attributa in Deo, vt perfectiones adiacentes; quanuis à parte rei in Deo non sint tales. Sed contra hanc solutionem maximè vrget argumentum Suarij: etenim, quanuis diuinam essentiam non possimus comprehendere; eo tamẽ modo, quo illam cognoscimus, non formamus falsos de illa conceptus: falsi autem essent, si sapientiam Dei conciperemus, vt quid non essentialiter inclusum in diuina essentia: nec enim iste cõceptus conformis esset rei significatæ, si à parte rei sapientia essentialiter Deo conueniret. Nec satis est, si dicas cum Bellomontano vbi supra c. 3. n. 9. intellectum nostrum concipere attributa, vt adiacentia essentiæ; non tamen affirmare id ita esse suapte natura: non satis est inquam, tùm; quia conceptus ille attributi, quantunuis simplex sit, & sine vlla affirmatione; tamen in se non est conformis rei significatæ; & subindè erit falsus falsitate, quæ simplici conceptui potest conuenire. Tum secundò; quia apud auctores nostræ sententiæ non solùm concipere possumus diuinam essẽtiam abstractione præscindente à sapiẽtia; sed etiam abstractione negante sapientiã à diuina essentia: fatentur enim hanc esse veram, *essentia formaliter non est sapientia:* quæ non potest non esse falsa, si admittatur antecedẽs. Quarè illud omninò negãdum est ab auctoribus huius negantis sententiæ, de quo latè dicendum est in sequenti articulo. Nec audiendus est in hoc Fonseca in 7. Metap. c. 8. q. 2. sect. 7. litera F. dum negat consequentiam, contra quem agimus q. 13. art. 1. §. 1.

Aliorum solutio.

Instatur cõtra eam.

Vera solut.

49. Ad 2. arg.

Ad secundum libentissimè admittimus totam doctrinam positam in antecedente: agimus enim de diuina essentia, & attributis, provt à nobis concipiuntur reduplicatione designante rationem

tionem obiectiuam, & formalem, sub qua diuina essentia, & attributa formalibus nostris conceptibus repræsentãtur. Admittimus deindè ea, quæ de diuina essentia, & attributis à nobis concipiuntur, sine vlla concipi falsitate, quanuis imperfectè concipiantur. Sed nõ video, quomodó inde inferatur nos ita concipere Dei naturam, vt iudicemus in re ipsa omnia attributa esse de illius essentia; quæ tamen consequentia sine vlla probatione supponitur, vt nota. Fortè eam indè vult esse probatam; quia nisi ita concipiamus diuinam essentiam, non possumus sine errore eam concipere, ob eam rationem, quia ipsa à parte rei essentialiter sibi vendicat omnia attributa. Sed in hoc apertissimè petitur principium. Id enim iam negauimus ad primum; & iterùm negandum erit in sequenti artic. ab illis, qui hanc sententiam defendunt.

50. Ad 3. Ad tertium primò possumus respondere doctrinam illam etiam intelligendam esse de essentia secundùm se, si sermo sit de ratione fundamentali: etenim noster intelligendi modus (nisi sit fictitius) habere debet fundamentum in re. At admittamus doctrinam illam intelligendam esse secundùm nostrum modum concipiendi: & in hoc sensu negãdum est antecedens: ad cuius probationem admissa maiore neganda est minor. Cuius probatio sumit, quod esse falsum iam ostendimus: etenim ex eo, quod Deus sit ens per essentiam, benè quidem infertur Deo conuenire omnẽ entis gradum: non tamen infertur omnem entis gradum conuenire illi essentialiter: etenim Deum secundùm essentiam esse omne ens, non est Deum, essentialiter esse omne ens: quia illud *secundum essentiam* non idem est, quòd essẽtialiter; sed idem est, quòd Deum à sua diuina essentia, & natura, & non ab alio habere omnem suam entitatem: vel idẽ est, quòd suam essentiam esse radicem, & fundamentum, vt vendicet sibi omnẽ essendi gradũ. Vide, quæ suprà diximꝰ.

51. Ad 4. Ad quartum respondet Bellomontanus in d. disp. 119. c. 3. n. 9. Sed omissa illius solutione neganda est sequela, si cõsequens intelligatur in sensu identico; ita vt inferatur aliquid esse in Deo, quod realiter non sit Deus, nec diuina essentia: fieri enim potest, vt id, quod realiter est diuina essentia, non sit de quidditate essentiæ: paternitas enim essentialiter non includitur in essentia, vt modò supponimus; & tamen realiter est diuina essentia. Quarè in hoc sensu sequela nullam vim habet. Porrò, si cõsequens intelligatur in sensu formali, vt aliquid sit in Deo, quod sub illo conceptu formali, quo à nobis concipitur, non est diuina essentia; admittenda est sequela: nec enim sapientia concepta sub formali ratione sapientiæ formaliter est diuina essentia, vt etiam aduersarij fatentur. Admissa autem sequela in sensu explicato neganda est minor. Ad cuius probationem admittendũ est id, quod in Deo formaliter non est diuina essentia, esse ens à se: ex hoc tamen non benè inferri illud essentialiter includi in diuina essentia, vt iam ostendimus: nec enim valet hæc consequentia: hoc realiter est deitas. Ergò est essentiale Deitati.

52. Ad vltimũ. Ad postremum dicendum est diuinã essentiam simpliciter, & absolutè sumptam esse infinitè perfectam, includereq; omnem perfectionem simpliciter, cuiuscunque illa sit generis: sumptam verò cum reduplicatione, vt est essentia, & sub formali ratione essentiæ, non habere omnem infinitatem perfectionis, sed solam infinitatem sui generis; perfectionis scilicèt essentialis. Quod non solùm est de mente omnium Scotistarum, vt diximus suprà q. 5. art. 4. §. 3. n. 65. & §. 5. n. 108: sed etiã de mente Thomistarum: nam Capreolus in 1. d. 8. q. 4. art. 3. ad 12. Aureoli contra 2. fol. 128. col. 3. in principio admittit essentiam diuinam sub ratione essentiæ præcisè sumptam non esse intrinsecè perfectissimam: intrinsecè inquam, id est, quidditatiuè, quasi quidditatiuè includat omnem perfectionem. Vndè duplicem perfectionem, duplicemque illius infinitatem distinguere debemus: vnã primariam, & essentialem; alteram secundariam, & perficientem, de quo vide in d. n. 108. & 109. & iterùm in sequenti ar. Ad argumentum igitur in forma admittendum est diuinam essentiam sub conceptu essentiæ esse quidèm infinitè perfectam infinitate sui generis; quia in genere essentialis perfectionis habet infinitam

Scotus. *Capreol.*

Duplex perfectio & duplex infinitas est distinguenda in Deo.

nitam perfectionem; non tamen esse infinitè perfectam infinitate omnis perfectionis formalis; quia non omnẽ perfectionem in sua ratione essentialiter includit; quia essentialiter non includit perfectionem accidentariam, quæ ex sua natura non est quidditans essentiã, sed complens eam, & perficiens. Nec obstat, quod obijcitur: licet enim infinitas sit intrinseca essentiæ diuinæ, vt simpliciter, & sine reduplicatione consideratur; sola tamen infinitas primaria (quæ est infinitas in genere essentiæ) est illi essentialis, & quidditatiua: & ideò benè potest concipi sine infinitate secundaria, & hæc de hoc articulo.

ARTICVLVS II.

Vtrùm essentia, vt est à parte rei, essentialiter includat attributa?

§. 1.
Explicatur titulus quæstionis.

1. IN superiori art. egimus de diuina essentia, & attributis, prout à nobis concipiuntur: nùnc de illis agendum est, prout extra intellectum in se ipsis sunt. Id, quod iam aduertimus in præcedente artic. §. 1. vbi etiam diximus quæstionem istam excitari apud eos, qui essentiam actu non distinguunt ab attributis, nisi sola ratione: nam si cum Scotistis essẽtiam ab attributis distinguamus ex natura rei, pars negatiua erit omninò approbanda: id enim, quod in alio essentialiter includitur, non potest ab eo formaliter distingui. Quarè Scotistæ constanter negant attributa essẽtialiter includi in essentia diuina; siuè essentia, & attributa considerentur, prout à nobis concipiuntur; siuè prout à parte rei in se ipsis existunt, quod docuerunt Balsolius, Herrera, & Rada citati in §. 1. præcedentis articuli, & satis expressit Scotus quodlib. 1. litera Y.

Pars negatiua apud Scotistas vera.

2. Aduertendum deindè titulum quæstionis ex eo à nonnullis improbari, quòd contineat & quæstionem, & locutionem ineptam; dùm supponit aliquid essentialiter posse includi in diuina essentia, vt est extra intellectum: putant enim id esse falsum, ita Bellomontanus 1. p. disp. 119. c. 2. n. 6. §. *Respondent aliqui*: nam sicut in ea non datur aliud, & aliud, ita nec dici potest aliquid in ea essentialiter includi. Fundamentum est: quia diuina essentia, vt est extra intellectum, est vnum quid simplicissimum cum suis attributis: existimat enim extra intellectum in diuinis, nec vestigium distinctionis reperiri. Quarè secluso intellectu non modo non admittit actualem distinctionem ex natura rei inter essentiam, & attributa; sed nec etiam virtualem. At verò vnum in alio includi distinctionem aliquam præsupponit inter includens, & inclusum. At nos opinionem Bellomontani tanquam singularem cõtra cõmunẽ theologorũ, & mẽtẽ Dionysij, atque Augustini reiecimus suprà q. 5. & 6. vtrobique ar. 6: nam quanuis admittendum sit à parte rei in Deo omnia esse vnum actualitate quadam vnitissima: non est tamen negandũ in illa vnitate dari virtualem quandam pluralitatem, & distinctionem. Admissa autem hac virtuali distinctione iam datur locus quæstioni, an attributa essentialiter includantur in essentia? Quod contra Bellomontanũ iam aduertimus in præcedente ar. §. 6. ad primum. Quarè ad explicandas varias opiniones accedamus.

Opinio quorundam.

Reijcitur.

§. 2.
Refertur opinio affirmans.

3. PArtem affirmantẽ propositæ quæstionis plures probauerunt. Ita Bachonius in 1. d. 2. q. 1. ar. 1. concl. 2. Ferrariensis 2. contra Gentes c. 9. §. *Aduertendum tamen.* Torres de Trinitate q. 28. ar. 2 disp. 2. in 5. dubio fol. 50. col. 3. & 4. vbi etiam Molina disp. 4. & Cumelius q. 8. in 3. dubio pag. 865. latè Suarius in Metaph. disp. 30. sect. 6. n. 4. vsque ad 11. & lib. 1. de essentia Dei c. 11. à n. 1. vsque ad 6. & ante eos Sotus in 4. dist. 49. q. 3. ar. 3. §. *Clara ergò est solutio*, pag. 603 col. 1. adde Fonsecam 7. Metaph. c. 8. q. 2. sect. 7. litera F.

Auctores opinionis affirmantis.

Hæc opinio multis confirmatur: & à Suario in d. c. 11. n. 2. primò confirmatur grauissima D. Thomæ auctoritate, nam 1. p. q. 3. ar. 6. docet attributa non prædicari de Deo per accidens, nec per se secundò, sed per se primò, quod ipsũ est prædicari essentialiter. Deindè q. 6. ar. 3. ait perfectionem, quam solent habere

4.

bere substantiæ creatæ per accidentia, habere Deum per suam essentiam: *& quæ de alijs solent prædicari accidentaliter, de ipso prædicari essentialiter, vt esse potentem sapientem, & alia huiusmodi.* Tertio loco q. 13. ar. 2. dicit nomina attributorum significare substantiam Dei, & de Deo prædicari substantialiter: & ne putes (inquit) *substantialiter* ibi sumi, prout distinguitur contra accidentaliter; idem D. Thomas ar. 6. eiusdem quæstionis explicauit hæc attributa prædicari de Deo essentialiter. Ex his locis colligit assertionem, quòd attributa de Deo essentialiter prædicentur, sumi ex Diuo Thoma. D. Thom.

Secundò id ipsum ostendit pluribus Patrum testimonijs. Primum sumitur ex Dionysio de diuinis nominibus c. 2. in hæc verba: *Ipsa quidem bonitas diuina totam essentiam quidquid tandem sit, definiens, atque enuntians, à Scriptura Sancta laudata est.* Omnia ergó significãt vnam perfectionem essentialem Dei, & subindè omnia essentialiter dicuntur. Secundum testimonium habetur apud Augustinum 6. de Trinitate c. 4. 6. & 7: *hoc* (inquit) *est Deo esse, quòd fortem esse: aut iustum esse: aut sapientem esse, & siquid de illa simplici multiplicatione, vel multiplici simplicitate dixeris.* Et lib. 15. c. 5: *non est aliud sapientia, aliud essentia cui hoc est esse, quòd sapientẽ esse.* Quod sæpè repetit in illis locis, & lib. 5. c. 8. 10. & 11. & lib. 10. c. 11. Tertium testimoniũ adducitur ex D. Anselmo in Monologio c. 16. vbi non solùm ait hęc omnia de Deo essentialiter dici; sed etiam omnia secundùm vnã considerationẽ, & secundùm vnum nomen; ita enim ait: *idem est quodlibet vnum illorum, quòd omnia sunt simul, siuè singula: vt cum dicitur iustitia, vel essentia vnum significat, quod alia, vel omnia simul, vel singula.* Vbi non negat distinctionem rationis, sed docet essentialem inclusionem. Quarto loco vult eandem veritatem docuisse Gregorium lib. 16. Moralium c. 20. & 21. Cyrillum Alexandrinum lib. 1. thesauri c. 8. & lib. 11. c. 1. Theodoretum lib. 1. de diuinis decretis c. de principio. In eodem etiã sensu vult dixisse Isidorum lib. 1. de summo bono c. 1: *quòd in Deo non aliud est ipse, & aliud, quòd in ipso est.* Idem etiam vult sensisse Richardum de Sancto Victore lib. 1. de Trinitate c. 13. & 17. & idem haberi in lib. de cognitione veræ vitæ c. 7. inter opera Augustini tom. 9. Denique refert Bernardum sermone 80. in Cantica, & lib. 5. de consideratione c. 7. Plures alios Patres habes apud Torres, & Cumelium, vbi suprà, & apud Molinam 1. p. q. 3. ar. 3. & q. 10. ar. 1. disp. 2. concl. 2. & in d. q. 28. ar. 2. disp. 2. concl. 2. omnes enim ibi citatos stare pro hac sententia putat idem Molina in d. q. 28. ar. 2. disp. 4. vbi hanc sententiam probat, & eàdem ratione pro hac sententia citare posset Aristotelem, & alios philosophos, quos in eisdem locis refert. 3. Dionysius. August. Anselm. D. Gregor. Isidorus. Bernard.

Tertio loco eadem sententia confirmatur pluribus rationibus. Et primò à Suario in d. lib. 1. de essentia Dei c. 11. n. 4: quoniam nemo dubitabit, quin prædicata illa, quę secundùm formalem rationem communem Deo, & creaturis dicũtur essentialiter de substãtijs creatis, multò magis dicantur essentialiter de Deo: scilicèt esse substantiam, viuẽtem, spiritualem. Ergo omnia attributa positiua de Deo, diuinaque essentiæ essentialiter prędicabuntur. Antecedẽs latè ibi probat, probationem omittimus, quia ab omnibus antecedens conceditur. Consequentiam inde ostendit: quia per illa attributa nihil aliud Deo tribuitur, nisi id, quod in summa perfectione illius esse intellectualis per essẽtiam formalissimè continetur, vt explicando singula manifestiùs constabit. 6. Prima ratio affirmatiuæ opinionis.

Secunda ratio ex eodem in d. cap. 11. n. 5. sumitur ex summa perfectione, & infinitate diuinę naturæ. Nam sapientia v. g. (idem dicendum est de cęteris) vel includitur essentialiter in Deo; vel non. Si includitur. Ergò prædicatur essentialiter de illo. Si non includitur. Ergò illud ens, quod essentialiter est Deus, ex vi suę essentię non est summè perfectũ, nec ens infinitum: quia non includit in suo esse essentiali omnem perfectionem possibilem. Nec satis est, si quis dicat, quòd includit quasi in radice, sicut essentia includit passionem: nam in primis ille modus imperfectus est respectu earum perfectionum, quæ dicuntur simpliciter simplices: quia melius est habere illas formaliter, quàm vllo alio modo. Deinde respectu illarum modus ille est omninò impossibilis, si haberi debent summo, & perfectissimo 7. 2. Ratio.

modos

modò: & ideò necesse est, vt in ipso esse per essentiam summè perfectò formaliter, & essentialiter includãtur. Et ideò
Nyssenus. rectè dixit Gregorius Nyssenus in lib. ad Ablauiũ: *omnem circa essentiam diuersitatem reijcit diuina simplexq; natura.* Et iterũ: *quod prorsus est infinitum, non aliqua quidem re diffinitur, aliqua verò non.* Quasi dicat omnia in sua essentiali ratione includere, quæ ad suam perfectionẽ pertinent. Ri-
Richard. chardus etiam de Sancto Victore lib. 1. de Trin. c. 17: *quidquid* (ait) *in summo bono est, verè, & summè vnum est, nec ibi aliud, & aliud esse potest: sed idẽ ipsum est totũ, quod est.*
Bernard. Sic etiã D. Bernardus lib. 5. de consideratione c. 7. ex hoc principio, quod Deꝰ cogitari debet optimo modo, cõcludit cogitandum esse cum summa, & simplicissima inclusione omnium perfectionum, quæ de illo dicuntur. Idem ergò dicemus de essentia Dei, quatenus essẽtia est, & quoad ea, quæ essentialiter includit. Igitur omnes hæ perfectiones de Deo essentialiter dicuntur.

8. 3. ratio. Tertia ratio est eiusdẽ Suarij in Met. in d. disp. 30. sect. 6. n. 5: quoniã Deus ex vi sui esse necessarij (est enim necesse esse) ex se ipso est ens essentialiter summé perfectũ. Ergo hoc ens pręcisè sũptum, secundùm id, quod est, includit in sua essentia omnem possibilem perfectionem. Sed attributa formaliter sunt quædam perfectiones simpliciter. Ergo in Deo essentialiter continentur.

9. Confirmatio. Confirmatur (inquit) & declaratur hęc ratio; quoniam perfectiones, quę in Deo sunt eminenter, prout in ipso sunt, sunt de conceptu essentiali Dei. Ergo perfectiones, quę formaliter sũt in Deo, prout in eo sunt, sunt de essentia eius. Consequentiam multis probat ibi n. 7. sed modó satis sit prima ratio; nam cæteræ potiùs pertinent ad confirmandã principalem conclusionem. Consequẽtiã igitur ex eo probat, quia perfectiones simpliciter eodem modo comparãtur ad Dei essentiam, sicut comparatur illa eminens Dei perfectio: nã sunt formaliter in Deo, & habent æqualem idẽtitatem, & intimam coniunctionem cũ diuina essentia. Antecedens verò latissimè pbat ibi n. 6. & primò; quia ex Augustino 4. de Genesi ad literam c. 24. & lib. 4. de Trin. in principio, & ex D. Anselmo in monolog. c. 34. & 35. & in Prosologio c. 17. *creatura in Deo nihil aliud est, quã ipsa creatrix essentia:* ideò scilicèt, quia illa eminentia, seu eminens perfectio, qua Deus eminẽter continet inferiores perfectiones, est ipsamet essentialis ratio Dei: atq; ideo de illiꝰ essẽtia. Secũdò, 2.
Antecedẽs multis probatur. 1. quia Deus cõtinet omnia ista inferiora, quatenus est primũ ens de se necessariũ in quo essentialis eius ratio consistit. 3.

Tertiò; quia si illa eminẽtia non esset 10.
de essentia Dei, oporteret intelligere in Deo aliã rationem essentialem ratione priorẽ, quàm sit illa eminẽtia: nã prima ratio vniuscuiusq; entis est illa, quæ est ei essẽtialis. De illa igitur priori ratione interrogabo, an in illa contineantur eminenter omnia, nec ne? Si affirmatur: iã in ipsa essentiali ratione Dei admittitur cõtinentia eminẽtialis illarũ perfectionũ. Ergo frustra fingitur illa alia eminẽtia, quæ non est de essentia Dei. Si verò negetur; infertur primò rationem illã essentialem, quam priorẽ ponimus, esse finitã in genere entis; quandoquidẽ ex vi illius nec formaliter, nec eminenter omnia continentur in tali ente. Deinde sequitur talẽ eminentiã nullo modo posse cõuenire Deo: quia nec conuenit formaliter ex vi rationis essentialis, vt dicitur: nec conuenit cõcomitanter, aut consequẽter; quia nihil cõcomitãs, nihilvè consequens potest essentiæ intrinsecè, & ex proprijs conuenire, nisi quod in ipsamet essẽtia rerũ eminẽter, seu virtute continetur. Nec potest illamet prior eminentia iterùm eminenter cõtineri; ne procedatur in infinitũ: erit igitur in ea sistendum. Et ita Deus per eã formaliter, & essentialiter habet, vt sit eminenter omnia, quæ sunt, vel esse possunt. Et ita probatum relinquit antecedens prædictæ confirmationis.

Quarta ratio sumitur ex eodem in d. 11. 4. ratio.
sect. 6. n. 7. in 2. probatione cõsequentię: nã attributa, cũ sint perfectiones simpliciter, nõ prius sunt in Deo eminẽter, quàm formaliter; quinimò solùm sunt formaliter. Ergo sũt in Deo essẽtialiter. Antecedens probatur; quia nullam includunt in seiperfectionẽ, & nullus datur altior cõtinendi modus, nullaq; continentia nobilior, quàm formalis. Consequentiã inde probat: quoniam hę perfectiones necessariò debẽt cõtineri in prima, & essentiali ratione Dei; aliàs ratio

primę, & essentialis non esset infinita: & cũ in illa nõ pri⁹ cõtineãtur eminenter, quàm formaliter; necessariò debẽt formaliter contineri in prima, & essentiali ratione diuinæ essentiæ. At quæ formaliter continẽtur in prima, & essentiali ratione, non possunt non essentialiter contineri.

12. 5.ratio. Quinta ratio ex eodẽ d.n.7. Deus est ens non modo perfectissimũ, sed perfectissimo modo, quo excogitari potest. Sed si attributales perfectiones essentialiter includantur in diuina essentia, perfectiori modo includuntur, quàm si solùm includantur, vt adiuncta, & concomitantia. Ergo essentialiter includũtur. Maior patet, minor probatur; quoniam si ita includantur, Deus ex vi suæ essentiæ intelligetur infinitè perfectus: non ita, si essentialiter non includantur; nihil enim intelligitur summè perfectũ, nisi formaliter affectũ sit omnibus perfectionibus simpliciter.

13. 6.ratio. Sexta ratio ex eodẽ n.8. perfectiones attributales sunt in Deo, non vt aliquid accidentale, sed vt aliquid de substantia Dei. Ergo vel pertinent ad naturam, siue essentiam; vel ad constitutionẽ personarum. Non ad constitutionẽ personarum, vt patet. Ergo pertinent ad Dei naturam, siue essentiam. Ergo sunt illi essentiales: nam ipsa natura, siue essentia diuina maximè est de essentia.

14. 7.ratio. *Bernard.* Septima ratio apud Suarium est, qua (vt ait) vtitur D. Bernardus contra Gilbertum sermone 80. in cantica teste eodem lib. 1. de essentia Dei c. 11. n. 6. in fine, & c. 12. n. 5. si sapientia, qua Deus est sapiens, & essentia Dei ità condistinguuntur, vt sapientia non includatur essentialiter in essentia: interrogo; an sapientia sit æqualis essentiæ, vel maior, vel minor? si minor; nõ est increata, sed creata. Maior esse non potest, vt cõstat. Si verò est æqualis; necesse est, vt sapiẽtia includat totam perfectionem essentiæ. Hæc ratio (inquit) quãuis à Bernardo fiat ad probandum naturam, & personalitatem Dei non posse esse res distinctas: tamen in vniuersum probat nihil esse in Deo, quód essentialiter non includatur in eo, & in illius diuinitate. Hæc desumpsimus ex Suario.

15. 8.ratio. Octaua ratio est Molinæ, quam etiã desumit ex summa Dei perfectione: quoniam diuina essentia de sua intrinseca ratione formali non modo est quiddam infinitum, sed etiam illimitatum quoad perfectionem, omnivè ex parte perfectum, & proinde de suâ intrinseca ratione habet omnẽ vniuersim perfectionem simpliciter: alioquin non esset illimitatum quoad perfectionem. Vel igitur non esset omni ex parte perfectum; vel perficeretur aliquo alio superaddito, & existente extra intrinsecam ipsius rationem: atque adeo, à quo ex natura rei distingueretur: compareturque ad illud, vt potentia ad actum. Et cum hęc omnia sint absurda, repugnentque diuinæ simplicitati; fit, vt attributa sint de intrinseca ratione essentiæ diuinæ.

16. 9.ratio. Nona ratio sumitur ex Torres, & ex Cumelio: esse est de essentia Dei, ex D. Thoma 1. p. q. 3. ar. 4. Sed omnes perfectiones attributales intrinsecè continentur in esse Dei, ex eodem D. Thoma 1. p. q. 4. ar. 2. in corp. & ad 3. Ergo omnes perfectiones attributales sunt de essentia Dei. Hæc consequentia liquidò constat: quoniam si animal est de essentia hominis, reliqua, quæ sunt de essentia animalis, sunt etiam de hominis essentia.

17. 10.ratio. 10. ex eisdem: sapientia est de essentia Dei. Ergo & reliqua attributa. Patet consequentia; antecedẽs probatur: quando aliquod prędicatum dicitur de subiecto cum reduplicatione, est intrinsecum, & essentiale tali subiecto. Sed essentia in quantum essentia, est sapiẽtia. Ergo sapientia essentialiter includitur in essentia. Maior patet: minorem probant ex Augustino 7. de Trinitate capite 2. dum ait: *Deus eo est sapientia, quo essentia.*

18. 11.ratio. 11. ex eisdem: in diuinis est duplex tantùm modus prædicandi, secundùm substantiam, & secundùm relationem, vt ex Augustino docet D. Thomas 1. p. q. 28. artic. 2. ad 1. Sed attributa non prędicantur de diuina essentia secundũ relationem. Ergo prædicantur secundùm substantiam. Ergo essentialiter.

Confirmatur hoc ipsum, quia in Deo tantùm est substantia, & relatio. Dei attributa non sunt relationes. Ergo sunt Dei substantia, & subinde de essentia.

12. 12.ratio. 12. Ex eisdem: si attributa non essent de essentia Dei, Deus esset in potentia ad

ad illa, sicut homo ad risibilitatē, quod repugnat diuinæ perfectioni.

Decima tertia. 13. inquit Torres: blasphemum est dicere perfectiones Dei non esse de essentia Dei. Sed attributa sunt perfectiones. Ergò sunt de essentia.

Decima 4. 14. arguunt alij: si essentia diuina essentialiter non includeret sapientiam, nec alia attributa, non esset infinitè perfecta: consequens est falsum; quia infinitas ita est intrinseca essentiæ diuinæ, vt sine illa cogitari nequeat.

19. Decima 5. 15. si sapientia essentialiter non includeretur in essentia, aliquid esset in Deo, quòd non esset Deus: etenim sapientia, vel esset ens à se, vel ens ab alio: si à se; ergò essentialiter est Deus, cuius oppositum dicitur; si ab alio, esset creatura, & per consequens non esset Deus.

Postrema ratio. Postremò id confirmant authoritate Aristotelis 12. Metaph. c. 7. text. 39. in fine, quatenus docet æternitatem esse de essentia Dei. Eadem autem est ratio de cæteris omnibus attributis. Hęc sūt omnia argumenta, quibus auctores huius opinionis hanc quæstionis partem affirmatiuam volunt esse confirmatam.

§. 3.

Explicatur opinio negans.

20. Qui probāt partem negantem. PArtem negantem non possunt non probare, qui in præcedente ar. negantem partem probauerunt: etenim si semel admittatur essentiam diuinam extra intellectum essentialiter includere attributa, necessariò infertur nec veros esse conceptus, quibus attributa à nobis concipiuntur, vt adiacentia diuinæ essentiæ; nec veras propositiones, in quibus attributa formaliter negantur de essentia: nec enim conceptus simplex sapientiæ habet conformitatem repræsentationis ad sapientiam, quæ est in Deo; quia longè aliter eā repręsentat, atque ipsa in se est: nec ista propositio, *essentia formaliter non est sapientia* habet conformitatē in dicendo: quia aliter dicit, atque res habet à parte rei. Quare, qui in præcedente ar. admiserūt conceptus attributorū esse veros, quibus attributa, vt perfectiones veluti adiacentes, repræsentantur, & prætereà veras esse propositiones, in quibus attributa formaliter sumpta negantur de essentia; si velint consequenter loqui, non possunt non admittere, ita se rem habere à parte rei, vt per illos conceptus, & propositiones significatur: in hac enim materia (sicut in alia quacunque) est optimum argumētum á re, vt est in se, ad ipsam, vt est concepta: & è conuerso, à re, vt est concepta, ad se ipsam, vt in se est: id, quod doctissimè aduertit Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 11. n. 6. Et nos hoc argumēto conuicti in præcedente ar. agentes partem negantem, non aliter soluimus primum eiusdē Suarij argumentum, quàm negando essentiam diuinam, vt est à parte rei, essentialiter includere attributa, vide, quæ ibi diximus §. 6. ad 1. argumentum.

Ex quibus ego puto omnes, quos in prędcedēte articulo citauimus pro parte negante; in hoc etiā pro eādem parte negante citandos esse; quāuis nullus eorum in terminis huius articuli quæstionē disputauerit. Et pręter illos hęc etiam pars negans habet etiam Scotū cum suis omnibus, qui expressè negant diuina attributa essentialiter includi in diuina essentia, etiam vt est extra intellectum. Ita docuit Scotus quodlib 1. lit. Y. & Bassolius in 1. dist. 22. q. 4. fol. 140. col. 4. §. *bis ergo præmissis*, & Herrera 1. tomo disp. 8. q. 9. concl. 2. pag. 181. col. 1. & Rada 1. p. cōtrouersia 4. concl. 5. pag. 64 quos hoc loco iterūm citamus, quoniā in hoc idē apud nos operari debet distinctio formalis virtualis, quod apud illos operatur distinctio formalis actualis. 21. *Scotus. Bassolius. Herrera. Rada.*

Sed iam expendamus huius negantis partis fundamēta: nec enim desunt, quę illam reddant aliquo modo probabilē. Et primum quidem fundamētum sumitur ex auctoritate Damasceni lib. 1. de fide c. 4. 12. & 13. cuius verba fideliter scripsimus suprà ar. 1. §. 3. ex illis euidēter patet Theologiam affirmatiuā, quæ Deo tribuit perfectiones attributales, illi nō tribuere, quæ sūt de illi⁹ essentia, sed quę sunt circa essentiā. Cū verò hęc affirmatiua Theologia Damasceni sit vera, asserendū est ex sentētia Damasceni attributa extra intellectū ita cōuenire Deo, vt non constituant essentiam, sed eam suo modo compleant: nec enim explicatio Suarij satis est accommodata ad mentem Damasceni, vt in articulo prędcedenti §. 5. euidenter ostendimus. 22. Prima ratio partis negantis. *Damasc.*

23. 2.Ratio. Ex hac doctrina Damasceni corroboratur argumentum sumptum ex cõmuni theologorum sentẽtia à pluribus aduersariorum probata, de ratione attributi esse, vt de Deo per modum adiacentis prædicetur, vt ostendimus suprà q.4.ar.3. Cui communi doctrinæ, si adiungas has prædicationes non esse falsas, sed veras; optimè colliges has perfectiones ita se habere, vt à parte rei cõueniant essentiæ, non vt essentiales perfectiones, sed vt perfectiones substantiales substantialiter essentiam qualificantes. Quæ ratio ex ratione sequenti magis corroborabitur.

24. 3.Ratio. Sit ergò tertium fundamẽtum sumptũ ex virtuali distinctione, quæ dat extra intellectum inter attributa, & essentiã: hæc enim virtualis distinctio ꝓ hac sententia efficacissimum suppeditat argumentũ: nam, quod in sua ratione aliquid essentialiter includit, ita est idẽ formaliter cum illo, vt omnem ab illo distinctionem etiam rationis excludat. Quomodò enim formaliter distinguetur ab eo, etiã per rationẽ, sine quo nullo modo potest concipi; potest enim diffinitũ à sua diffinitione, aut ab aliqua eius parte ratione distingui penes concipi confusè, vel distincte; at, quòd per intellectũ formaliter distinguatur; fieri nullo modo potest. Quare si essentia in sua quidditatiua ratione includeret attributa; nullam prorsus formalem distinctionẽ cum illis admitteret etiã per rationẽ. A destructione igitur consequentis, cũ extra intellectum admittat distinctionẽ virtualẽ, vt aduersarij concedunt; vtiq; ea in sua essentiali ratione nõ includet.

Corroborat. argum. Quod argumentũ maiorem vim habet, si supponamus virtualem distinctionem ita ex natura rei extra intellectum conuenire diuinæ essentiæ, vt illi conueniat per habitudinem ad intus, & in quodam priori signo antequam intelligatur aliquis ordo, aliquavè habitudo ad distinctionẽ rationis, quæ per intellectum nostrum, aut diuinũ fieri possit, vt ostendimus in præcedenti quæst.ar.7.§.2.in fin. expenditur enim penes rationẽ formalem virtute multifariam, quam essentia diuina in se ipsa habet, tùm quoad esse, tum quoad perfici. Porrò si diuina essẽtia ex sua natura formaliter virtualiter distinguitur à suis attributalibus perfectionibus; qui fieri potest, vt eas essẽtialiter includat? Fieri enim nõ potest, vt id, quod in alio essentialiter includitur, ab eo formaliter distinguatur.

25. 4. Ratio ad hominem. Sed nec minus efficax erit argumentum, quod ad hominẽ sumitur: fatentur enim aduersarij istã propositionẽ esse falsam, *essentia secundùm formalem rationem essentiæ, secundùm quam à nobis concipitur, est sapientia*, vt patet ex ar.præced.§.3. in 4. ratione: etenim si sapiẽtia, vt sapientia est, essentialiter includitur in essentia sub conceptu essentiali essentiæ, illa ꝓpositio nõ potest nõ esse verissima, etiã sub omnib⁹ illis reduplicationibus: homo enim, quãtuncunq; concipiatur sub ratione hominis, verissimè est animal sub ratione animalis; verissimè etiam est rationalis, sub ratione rationalis; quia vtraq; illa formalis ratio, siuè cõiunctim, siue disiunctim sumatur, ingreditur essentiam hominis, quatenus est homo. Hæc sunt potissima, imò omnia fundamenta huius negantis sententiæ.

§. 4.

Defenditur opinio affirmans, vt probabilior.

26. Affirmatiua probabilior. QVanuis in partẽ negantem semper inclinauerim; nũc re diligẽtius considerata ad affirmantẽ, vt longè probabiliorẽ transeo; non denegando tamen parti neganti suã probabilitatẽ. Fundamentum vnicum erit illud idẽ, quod in præced.art.§.4. explicauimus; si tamen aduertamus diuinam essentiã, vt in se ipsa est, à nobis adęquatè cognosci non posse, nec vno, nec pluribus conceptibus: hoc tñ non obstante posse à nobis adęquatè cognosci sub illis essendi rationibus, quæ nobis de illa iã innotuerunt. In hoc igitur sensu agimus de diuina essentia, dũ nunc inquirimus adæquatã rationem essentialem, ac veluti diffinitionẽ quidditatiuã illius: & inquirimus, vtrũ essentialiter includat, tum prædicata generis substantiæ, quæ nobis cũ Deo sunt cõmunia, vt esse substantiam, esse spiritũ, esse vitam: tũ etiã prędicata generis qualitatis, quę etiam communia sunt nobis, & Deo, vt esse sapientem, esse iustũ, &c. quæ appellamus attributa: nam si à parte rei omnia ista prædicata essentialiter includit; omnia illa implicitè significamus, cum diuinam essẽtiam absolutè proferimus: si

Fundamentum.

verò

verò à parte rei solùm includit prædicata prioris generis; sola illa implicitè significabûtur, cum diuinam essentiam indiffinitè cõcipimus. In hoc igitur posita est tota difficultas. Nunc asserimus omnia illa prædicata, siue prioris, siue posterioris sint generis, essẽtialiter ingredi diuinam essentiam, & omnia per se esse constitutiua naturæ diuinæ in esse essentiæ, & quidditatis.

27. Nota. Fundamentũ huius opinionis in d. §. 4. ex eo sũpsimus; quia Deus est ens per essentiam in hoc sensu, vt à se ipso. i. nõ ab alio essentialiter sit ens. Quę negatio non solùm negat imperfectionem entis per participationem, quasi sumatur purè negatiuè; sed denotat quandam perfectionem positiuã in essendo, quam nõ aliter scimus, quàm ignoratione iuxta ea, quæ ex Dionysio diximus suprà q. 4. ar. 6. n. 9. Hanc autem ignotã nobis perfectionẽ non aliter explicare possumus, quàm dicendo Deum ex se esse ipsam essentiam entitatis: non potest autẽ esse ipsa entitatis essentia, nisi essentialiter includat omnem entitatem, vel formaliter; si entitas dicat perfectionem simpliciter: vel eminenter; si in sua ratione imperfectionem includat. Et hanc perfectionẽ in sensu explicato mihi denotat illud Exodi 3: *Qui est, misit me ad vos*: sensus enim est; *qui est*, id est, qui essentialiter est ens; imò, qui est ipsa essentia entitatis. Et hũc sensum explicant Patres, qui affirmant Deum esse infinitũ quoddam entitatis pelagus, vt patet ex Damasc. lib. 1. de fide c. 12: explicans enim præcitata Exodi verba ita ait: *Totũ enim in se ipso comprehendens habet ipsum esse, veluti quoddam pelagus substantiæ infinitum, & in terminum.* Ex quo colligo, quod in d. §. 4. colligebã Deum in sua essentiali ratione non solùm vendicare sibi, quod substantialiter sit omnis sua perfectio; sed etiam, quod essentialiter sit omnis illa. Quod corollarium cõfirmat alia litera eiusdem Damasceni in hæc verba: *Vniuersum enim id, quod est, tanquam immensum quoddam, & infinitum essentiæ pelagus complexu suo continet.* Quæ verba satis indicant diuinã essentiã intra suæ essentiæ complexũ cõtinere omnẽ perfectionẽ: quod nihil est aliud, quã dicere essẽtiã diuinã essẽtialiter cõtinere omnẽ perfectionẽ.

Dionysius. *Exod. 3.* *Damasc.*

28. Ex hoc 1. infertur Deum in hoc sensu esse ens à se, & omne, quod habet, à se habere; quia omne id, quod in se habet, essentialiter habet: nam quãuis cõmuniter explicetur in sensu negatiuo, vt Deus ideò dicatur ens à se, quia suã entitatẽ non habet ab alio: tamen explicatio illa negatiua non est sumenda in sensu purè negatiuo: sed, vt per illam negationem importetur perfectio quædam positiua habendi entitatem, quam non scientia cognoscimus, sed ignoratione, vt ex mẽte Dionysij suprà aduertimus; quam ignotam perfectionẽ etiã denotãt esse increatum, independentẽ, incorporeũ, & incõprehensibilẽ, & deniq; esse æternũ, vt in d. q. 4. ar. 6. n. 9. latè ostẽdimus. Nec obstat instãtia sũpta ex diuinis relationibus, quæ essentialiter nõ includuntur in essentia: nã quanuis essentialiter non includantur in essentia diuina, vt est quædam natura; includuntur tamen in essentia. i. in quidditate Dei, vt Deus est, de quo inferiùs suo loco dicemus.

Deum esse ens à se verè explicatur.

29. Infertur 2. vera explicatio axiomatis metaphysici, & theologici, *Deus est ens per essentiam*: sensus enim est Deum essentialiter, & quidditatiuè ita esse ipsum ens, vt essentialiter sit ipsa per se entitas. Quòd si Deus essentialiter est ipsa entitas; vtique essentialiter est, quicquid in se est. Quare si est omnis sua perfectio; vtique essentialiter erit omnis illa.

Deum esse ens per essẽtiam explicatur.

30. Hoc præiacto fundamento, & prę̃missis ijs, quæ in 1. ar. §. 4. præmisimus; facilè soluuntur fundamenta, quæ §. 3. iecimus pro negante sententia. Ad primum sumptum ex Damasceno patet solutio ex ar. 1. huius quæstionis §. 5. vbi reiecta explicatione Suarij verum sensum Damasceni explicauimus.

Ad 1. negãtis opinionis §. 3.

Ad 2. Ad 2. respondimus in d. §. 5. in solutione secundæ rationis: nec est, cur acta ibi, iterùm nunc agamus.

31. Ad 3. facilis etiã est solutio, si expendantur, quę dicta sunt in d. §. 5. ad secundã rationẽ: supponitur enim in hoc argumẽto essentiã diuinã sub ratione formali essẽtię virtualiter distingui ab attributis; quæ suppositio nõ est vera, si essẽtia sumatur ꝓ adæquata ratione essẽtię, quã habet, vt est in se: hoc enim modo sũpta nec actu, nec virtute distinguit̃ à suis attributis, sed idẽ est formaliter cũ omnib⁹ illis, & cum singulis illorũ, vt benè ꝓbat argumẽtum. Secus dicendũ

est, si diuina essentia solũ expẽdatur sub aliqua inadæquata ratione, v.g. sub ratione substantiæ, aut spiritualis, aut viuentis, & vt sic comparetur cum perfectionibus attributalibus: hoc enim modo iam sumitur sub speciali aliqua perfectione: cùm verò hęc in se ipsa ab alia virtute distinguatur, vt dicemus q.9. vtiq; & ipsa, vt sic, & sub illo esse inadæquato virtute distinguetur à se ipsa, pro vt sub perfectionibus attributalibus sumitur: etenim essentia adæquatè sũpta ita essẽtialiter est omnis sua perfectio, & inadæquatè singulæ; vt tñ sub ratione vnius essẽtialiter nõ sit alia, nec vt sic eã essẽtialiter includat, de quo lati' in q.9.

32. Aduertẽtia. Sed vt res ista clarior euadat, aduertendũ est non ita esse philosophandũ de diuina essentia, quatenùs est essentia, vt eam cõcipiamus præcisam ab omnibus suis veluti partibus essentialibus, per quas diffiniẽda foret, si diffiniretur: hæc enim philosophia, nec in essẽtia rei creatæ vera est: nam, cùm illa sit quoddã totum constitutum ex suis partibus essentialibus: totũ autẽ constitutum ex partibus non possit cõcipi præcisum ab illis; quasi concipiatur, vt habens entitatem, quæ in se entitatẽ partium non includat; vtiq; non potest concipi pręcisa à suis partibus: nec enim essentia hominis est quid entitatiuè abstrahẽs ab animali rationali: similiter igitur dicendũ est de essentia diuina; hæc enim in se ipsa includit omnes suas veluti diffinitionis partes: quarè sine illis, aut aliqua illarum concipi non poterit; sed adęquatè concepta secundùm omnes illas cõcipietur, saltem implicitè: inadæquatè verò cõcipietur sub aliqua illarũ: & tũc ipsamet, vt est sub illa perfectione, conferetur secum, vt est sub alia: quomodò virtute distinguetur à se, sicùt etiam illa perfectio specialis virtualiter ab alia distinguitur. Et in hoc sensu accipitur diuina essentia, cùm dicitur virtute distingui ab attributis; nec enim concipitur adæquatè, sed inadæquatè, vt est substantia spiritualis, & viuens.

33. Ad 4. Ad 4. etiam patet solutio ex dictis in illo §.5. ad quartam rationẽ: imò ex ijs, quæ immediatè diximus ad 3: quoniam auctores, qui negãt essentiã sub ratione essentiæ formaliter esse sapientiam; non accipiunt essentiã sub adæquata ratione essentiæ, & vt est quoddã totũ veluti diffinibile: quia, vt sic propositio est verissima; sicùt hæc est vera: homo, quatenus homo, est animal, est rationalis. Sumunt igitur essentiã sub illis prędicatis, quæ omnium consensu sunt quidditatiua: vt sit sensus, essentia, vt est substãtia spiritualis, & viuẽs (quę apud eos est tota diffinitio essentię, vt est essentia) formaliter est sapiẽtia. In quo sensu propositio verè est negãda, etiã apud auctores nostræ sentẽtiæ; quia alia est ratio substãtiæ, & alia sapientię, vt patebit ex q.9. & hęc pro defensione opinionis affirmantis.

§. 5.

Pars negans etiam est probabilis.

DIximus suprà opinionẽ negãtem suam etiã habere probabilitatẽ: nã, & Scotistas habet patronos; omnes enim illi in hac negatiua conueniũt, vt perfectiones attributales essentialiter nõ includãtur in diuina essẽtia: loquũtur autem de diuina essentia, vt illa est in se ipsa, & provt secundùm se cõsideratur. Cum verò hæc doctrina tam celebri placeat scholę, non possum non admirari, quòd Torres hanc assertionẽ appellet blasphemã. Quarè, sicut superius pro Scoto ostẽdimus sine vllo fidei periculo defendi posse attributa extra intellectũ distingui ab essẽtia formaliter ex natura rei; ita nunc ostendemus sine vllo periculo blasphemiæ defendi posse perfectiones attributales essẽtialiter nõ includi in diuina essentia. Simul etiam patebit oppositam sententiã non ita esse certam, vt ratione naturali demonstretur; quidquid dicant Cumelius, & Suarius. Pro illius igitur defensione omnia illa sunt præmittenda, quę præmisimus in §.6. præced. articuli. Quibus suppositis soluẽda sunt argumenta, quę §.2. adduximus pro parte affirmante.

34. Defenditur pars negãs. Reprehenditur Torres.

Et quod attinet ad 1. non video, vnde Suarius opinionem affirmantem sumat ex D. Thoma. Nã 1.p.q.3.ar.6. nec verbũ fecit de prędicari per se primò, aut secũdo modo: sed solùm demonstrat in Deo non esse aliquod accidens, nec illud, quod appellatur accidens per se. Agit autem de accidente, provt est ens in alio inhęrens, vt Caietanus declarat, & omnes D. Thomæ interpretes. Quare

35. Ad 1. ex D. Thoma.

ex

ex D. Thoma in illo ar. solùm colligitur, quidquid in Deo est, esse substantiam. Ex quo non bene infertur omne, quod in Deo est, essentialiter illi conuenire.

36. D. Thomas non fideliter refertur

Locus sumptus ex 1.p.q.6. art. 3. non fideliter refertur non solùm in quæstione, sed nec in verbis; ita enim habet litera D. Thomæ: *Sed quæ de alijs dicũtur accidentaliter, sibi conueniunt essentialiter, vt esse potentem, sapientem, & huiusmodi, sicut ex dictis patet:* scilicèt q.3.ar.6. vbi conuenire *essentialiter* non idem est, quod conuenire quidditatiuè: sed idem est, quod conuenire *substantialiter*, & non secundũ aliquod accidens superadditum. Quem sensum euidenter colliges, si aduertas

Explicatur D. Thom.

D. Thomam illis verbis probare perfectionẽ secundo loco ibi adductam (qua aliquid perficitur per accidẽtia superaddita) non conuenire Deo: quod probat ex resolutione posita in eadem 1.p. q.3. art. 6. vbi docuit Deo nullum accidens conuenire; sed quidquid Deo cõuenit, esse substantiam, conuenireque Deo, non accidentaliter, sed substantialiter. Quare, cum conclusionem positã q.6 ar. 3. deducat ex resolutione posita q.3.ar.6. vtiquè in d.q.6. ar.3. idem erit *essentialiter*, quod *substantialiter*, & iste est verus sensus intẽtus à D. Thoma. Quem etiam satis possumus colligere ex sensu, in quo D. Thomas in eodem ar. concludit solùm Deum esse bonum per essentiam: etenim ibi non idem est *esse bonum per essentiam*, atque esse bonum *essentialiter & quidditatiuè*: id, quod euidenter colliges ex solutione ad primum dum ait *quanlibet rem esse vnum per essentiam*; cõstat autem vnum non prædicari essentialiter, & quidditatiuè de qualibet re; imò nec de Deo, si formaliter sumatur; quia indiuisio à se ipso, suaque entitate (quæ est formalis ratio vnius) cum sit quædã negatio, non potest essentialiter Deo conuenire, nec alicui alteri rei, cum sit passio entis, vt Metaphysici volunt. In quo autem sensu D. Thomas ibi intelligat solùm Deum esse bonum per essentiam: alterius est quæstionis, quę ad nos modo non pertinet: vide Caietanum ibi, & Molinam disp.2. & Bellom. disp.24. vt alios omittamus. In quocunque enim alio sensu conclusio illa intelligatur, nõ probat bonitatem Deo essentialiter cõuenire, id est, quidditatiuè.

Tertius locus ex 1.p.q.13.ar.2. dũ ait *nomina attributorum significare substantiam, ex prædicari de Deo substantialiter*, absque dubio ita explicandus est, vt idem sit prædicari *substantialiter*, quod prædicari non vt accidens, sed vt substantiam. Nec obstat, quod in art. 6. eiusdem quæstionis dicat D. Thom. illa nomina dici de Deo *essentialiter*: quia si bene aduertis, *essentialiter* ibi idem est, quod *formaliter*, provt distinguitur à prędicari *caussaliter*. Hunc esse sensum D. Thomæ colliges, tum ex Caietano ibi, cęterisque interpretibus; tum ex principali intento D. Thomæ, tàm ibi, quàm art.2. ad quem se refert: vtrobique enim contra nonnullos nititur ostendere nomina attributorum nõ solùm dici de Deo substantialiter (id, quod aduersarij facile admittebant) sed etiam dici non caussaliter solùm, sed etiam formaliter per quandam prœeminentem existentiam, qua in Deo existũt. Et vt sensum istum explicaret, se retulit ad dicta in ar.2. Ex quibus iam patet nõ satis sufficienter colligi D. Thomã approbasse sententiam affirmantem.

37. Ad 3. locũ D. Thomæ.

Ad 2. fundamentum sumptum ex patribus facilis erit solutio, si singula testimonia expendamus. Testimonium D. Dionysij ex c.2. de diuinis nominibus in principio nihil omnino iuuat ad probãdum bonitatem, cæteraque attributa quidditatiuè prædicari de diuina essentia. Quod manifestè intelliges, si attendas Dionysium, omnium interpretũ cõsensu, ab illo secundo capite explicare ea nomina diuina, quę toti Trinitati sũt cõmunia. vultquè esse illa nomina, quæ totam essẽtiam significant. Nomine autem totius essentię non intelligit totam quidditatiuam rationem essentiæ (nullũ est enim nomen, quod in hoc sensu significet totam essentiam) sed intelligit essentiam ipsam, id est, naturam diuinã prout est communis Patri, Filio, & Spiritui Sancto. Sensus igitur verborum Dionysij est, bonitatem in sacris literis laudari, quod declaret totam essentiam diuinam, vt existentem, & quatenus existit in tota Trinitate. Non est igitur mens, & intentio Magni Dionysij docere bonitatẽ explicare quidditatẽ quidditatiuaquè prædicata diuinæ essentiæ (iste enim sensus longe est ab scopo, in quem tendit Dionysius) sed nomẽ istud,

38. Ad Dionys.

ficut, & cętera, manifestare essentiam diuinam, vt est in tota Trinitate. Quem sensum facilè colliges, si attendas variã illius loci versionem; in quibusdã enim loco *essentiæ* ponitur *natura*; in alijs ponitur *subsistentia*.

39. Ad August.

Quem sensum habeant verba Augustini manifestè ostenduntverba antecedentia: volens enim Augustinus ostendere in Deo omnia esse realiter vnum, nec in eo dari realem diuersitatem, quę in creaturis reperitur (is enim est scopus, in quem ibi tendit) sumpto exemplo ex virtutibus, quæ sunt in animo nostro, ita scribit: *Humano quippe animo non hoc est esse, quod fortem esse, aut prudentem, aut iustum, aut temperatum: potest enim esse animus & nullam istarũ habere virtutum. Deo autem, hoc est esse, quod fortẽ esse, aut iustũ esse, aut sapientẽ esse, & si quid de illa simplici multiplicitate vel multiplici simplicitate dixeris, quo substãtia eius significetur.* Posteriorũ horũverborũ sẽsus ex sensu priorũ sumẽdus est, cũ Deus cõtra ponatur animo humano. Iã vero cum Augustinus ait: *in animo humano non hoc est esse, quod fortem esse, aut prudẽtem esse* absque dubio significat ipsumesse, id est, ipsam existẽtiam animi humani aliud realiter esse ab esse fortẽ, & esse prudentem: vnum enim esse est substantiale aliud est accidentale à priori realiter separabile, vt declarat in illis verbis: *potest esse animus, & nullam istarum habere virtutum.* Igitur idem est dicere *non hoc est esse, quod fortem esse*, atq; dicere aliud est esse, & aliud fortem esse. Ergo quãdo de Deo inquit: *hoc est esse, quod fortem esse* vult dicere, eadem res in Deo est esse, & fortem esse: quia in Deo esse, & fortem esse realiter est vna substantia. Augustinus igitur agit de identitate reali, non verò de identitate reali, & quidditatiua: hæc enim identitas ad institutum Augustino propositum nihil cõducebat, qui totus ibi erat in ostendenda reali, & substantiali identitate cum diuina essentia eorum omnium, quæ in Deo sunt.

40. Ad aliũ locum Aug.

Eundem sensum habere verba Augustini in initio capitis septimi satis clarè colligitur ex ijs, quæ docet c. 6. etenim initio capitis sexti ita ait: *Si autem quæritur, quomodo simplex, & multiplex sit illa substantia; animaduertẽda est primo creatura: quæ re sit multiplex, nullo autem modo verè simplex.* Et percurrens creaturam corporalem, & spiritualem ostendit in vtraquè creatura dari realem multiplicitatem, quæ omnimodæ simplicitati repugnat: & tãdem initio capitis septimi cõcludit his verbis: *Deus vero multipliciter quidẽ dicitur: magnus, bonus, sapiens, beatus verus, & quicquid aliud non indignè dici videtur. Sed eadem magnitudo eius est, quæ sapientia; & eadem bonitas, quæ sapientia, & magnitudo; & eadem veritas, quæ illa omnia: & non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.* Aliud autem, & aliud diuersitatem realem denotat. Quę verba satis explicant sensum eorũ, quæ capite 4. sunt posita: *Deo autem hoc est esse, quod fortem esse*: quia scilicèt in Deo non aliud, sed idẽ est esse, & fortem esse. Quę omnia tam laté diximus, vt reprehẽdamus quorundam recentiorum incuriã, qui verba Patrum in cortice solùm vident, sensum autem, & mentem non expendunt. Nec enim satis expenderunt locum ex Augustino 15. de Trinitate c. 6. nam ipsamet verba euidenter declarant hũc esse verborum sensum, vt ideo Deo *hoc sit esse, quod sapientem esse*; quia in Deo non est aliud (hoc est) non est alia res sapientia, & aliud essentia. Quem sensum Augustinus non semel, sed iterũ, & iterum explicauit c. 5. & 6. nam. c. 5. ita ait: *Vna ergo, eademque res dicitur, siue dicatur æternus vnus Deus, siue immortalis: itẽq; cum dicitur viuens, & intelligens.* Et statim: *Bonitas etiã, atquè iustitia numquid inter se in natura Dei, sicut in eius operibus distant, tanquã diuersæ sint qualitates Dei, vna bonitas, alia iustitia? non vtiquè: sed quæ (scilicèt res) iustitia, ipsa bonitas; & quæ bonitas, ipsa beatitudo.* Deniquè ibi c. 6. ante verba, quæ nobis obijciuntur, ita dicitur: *Nam si vna, eademq; res in Dei natura potest esse sapientia, & potentia*. Quare cum Augustinus dicit: *Non est aliud sapientia eius, & aliud essentia; cui hoc est esse, quod sapientem esse*: sensus est in quo (scilicèt Deo) esse idẽ realiter est, quod sapientem esse: quia eadem res est esse, & sapientia. Et in eodem sensu explicabis id, quod Augustinus asserit in d. c. 6. *Deum esse suam sapientiam*: quia scilicèt eadem res est cum sua sapientia: nec enim est sapiens per sapientiam superadditam, vt nos sumus.

Augustinus se ipsum explicat.

Vera intelligẽtia quorundam locorũ Aug.

In eodem etiam explicanda est alia eiusdem Augustini propositio posita ibi cap. 5. *quæ vita dicitur in Deo, ipsa est essentia*

eius

eius atque natura, vt scilicèt vita Dei realiter, & identice sit essentia, & natura Dei: nam ipsum verbum *natura Dei* appositum *essentiæ* satis significat ibi non idē esse *essentia*, quod *essentialiter*. Deniquè similes sententias, quas Augustinus protulit lib. 5. de Trinitate c. 8. 10. & 11. & lib. 10. c. 11. & pluribus alijs in locis in eodem sēsu ab Augustino fuisse assertas ex eisdem, in quibus habentur, locis facile colliges, si antecedentia, & consequentia diligentius expendas.

22. Ad aliū locum Aug. Nec ob hæc, quod plerique obijciunt ex Augustino in lib. de cognitione veræ vitæ c. 9. tom. 9. dum ait: *Deum totam vitā totam sapientiam, totam æternitatem simul essētialiter possidere*: nam nec liber ille est Augustini, nec aliquid obstat, quominus particula *essentialiter* idem sit quod *substātialiter*, siue secundum essentiam, atque naturam diuinam: diuina enim essentia, atquè natura vēdicat sibi esse totam sapientiam, totamquè ęternitatem.

23. Ad Anselm. Quod verò attinet ad D. Anselmum, si mens illius rectè expendatur, particula *essentialiter*, quia sępe vtitur, non idem est, quod *quidditatiuè* (is enim sensus ad institutum eius non conducebat) sed idē est, quod secundum essentiam, & ratione ipsius diuinæ essentiæ: vult enim ostendere, quæ de Deo dicuntur, non significare aliud, & aliud, sed vnam, & eandem naturam; & substantiam. Quando igitur dicit: *quemadmodum vtiquè vnum est, quicquid essentialiter de summa substantia dicitur, ita ipsa vno modo, vna consideratione est, quidquid est essentialiter*: non est sensus, quod sicut vnū est, quicquid quidditatiuè dicitur de illa summa substantia; ita vno modo, & vna consideratione est, quicquid quidditatiuè est: iste enim sensus est falsus: nam, quæ de diuina essentia quidditatiuè prædicantur, non subvna formali ratione de ea prædicantur: ratio enim iustitiæ, vt præcisè est iustitia, non est ratio sapientię, vt aduersarij fatētur. Verus igitur sensus illorum verborum est: *sicut quicquid dicitur de summa illa substantia essentialiter*, hoc est ratione suę essentię, atq; substātialiter *est vnū*: quia omnia significant vnam, & eandem substantiā (vt in eodem capite, & in præcedente Anselmus declarauit) *ita ipsa, quicquid est essētialiter*, id est, quicquid illi conuenit secundum suam essentiam, & ratione essentiæ, *est*, & *conuenit vno modo, vna vè consideratione*, substantiali scilicèt, ita, vt nō sit secūdum aliud hoc, & secūdum aliud illud. Quem sensum satis explicant verba immediatè sequētia: *Cum enim aliquis homo dicatur corpus, & rationalis, & homo, non vno modo, & consideratione hæc tria dicitur: secundum aliud est corpus, & secundum aliud rationale, & singulum horum non est totū id, quod est homo: illa vero summa essentia nullo modo sic est aliquid, vt illud idem secundum alium modum, aut secundum aliam considerationem non sit: quia quicquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum, quod ipsa est*: quia scilicèt quicquid alio modo de diuina illa substantia dicitur, realiter idē est, quod ipsa: quod tamēn non esset verum, si *essētialiter* ibi idē esset, quod *quidditatiuè*: quoniam etiam apud aduersarios non omne prædicatum essentiale diuinæ essentię adęquatè dicit totā quidditatē illi⁹: cum tamen quodlibet prædicatum dicat totam realitatem, & substantiam essentiæ diuinæ. Quare illa verba Anselmi nullo modo adduci possunt, vt probent attributa essentialiter conuenire: quia de vnitate identitatis realis optimè explicantur.

24. Ad aliū locū Anselmi. Quod vero Torres adducit ex D. Anselmo in eodem libr. c. 15. *quidquid igitur eorum de illa dicatur, non qualis, vel quāta, sed magis quid sit monstratur*. Hunc habet sensum; illa scilicèt prædicata non significare aliquid, quod sit accidēs, sed quod sit quid, id est, substātia: vult enim ostēdere illa prædicata, quæ denotant perfectionē simpliciter, non dicere aliquid, quod Deo sit accidens, sed quod sit substantia. Quare illa verba eiusdem Anselmi: *qua propter cum quæritur de illa, quid sit* sic sunt explicanda: cum quæritur de illa, quid substantialiter sit: hunc enim sēsum indicat ipsa, de qua agit materia. Longè igitur ab hoc loco sit formalis logicorū locutio de quæstione quid est.

25. Ad alios Patres. Ad cęteros Patres, qui turmatim adducuntur, vt legentibus persuadeatur opinionem affirmantē apud Patres esse vulgatam, turmatim etiam respōdendū est; quoniam nihil aliud probant, nisi in Deo nō esse aliud, & aliud, nec in eo aliud esse essentiā, & aliud sapientiam, & aliud iustitiam. Nam apud Gregorium 16. Moralium c. 20. nihil reperitur ad institutum conducens: in c. 21. solùm habet

Ad Gregor. hæc

hæc verba: *Nec enim aliud ipse, aliud dies eius sunt: Deus enim hoc est, quod habet: æternitatem quippe habet; sed ipse est æternitas: lucem habet, sed lux sua ipse est: non est ergo in eo aliud esse, & aliud habere*, quæ verba ad rem non

Cyrillus Alexand.

faciũt Cyrillus etiam Alexandrinus lib. 1. thesauri c. 8. solùm dicit *non esse aliud naturam Dei, & aliud ipsam Deum.* At lib. 11. c. 1. solùm asserit in Deo *non esse aliud ipsũ Deum, & aliud cognitionẽ eius.* Illi ora verba, quę in argumẽto adducũtur, nihil aliud important, quam *Deum non esse aliud, & aliud, quod in ipso est.* Richardus de Sancto

Ad Richardum.

Victore lib. 1. de Trinitate c. 13. & c. 17. & lib. 2. c. 17. nihil aliud affirmat, quã in Deo *non esse aliud, & aliud.* Ex D. Bernardo tam in sermone 80 in cantica, quam in lib. de consideratione c. 7. præter argumentum, quo vtitur contra Gilbertũ (de quo inferius) nihil aliud colliges, quam illa multa, quæ in Deo sunt, non esse diuersa, sed omnia esse vnum quid simplicissimum. Tandem ex Theodoreto de diuinis decretis c. 1. nihil aliud

Ad Theodoretum.

habes, quàm diuinam substantiam, sapientiam, & potentiam, denique ipsum Deum comprehendi non posse.

46. Patres non contradicũt sententiæ nostri.

Ecce omnium illorum Patrum verba, ex quibus volunt esse demonstratum attributa essentialiter includi in diuina essentia. Sed quęso, quomodo hanc conclusionem inferes ex Theodoreto docente Deum comprehendi non posse? Etenim incomprehensibilitas Dei optimè saluatur, quanuis attributa nõ sint de essentia essentiæ. Num ex eo, quod in Deo nihil est diuersum, sed omnia sũt realiter vnum (quod solum asserit Bernardus, vt statim patebit) bene colliges omnia in diuina essentia esse essentialiter inclusa? Nam distinctio virtualis rationum formalium realem identitatem non excludit: imò nec distinctio actualis ex natura rei, vt pro Scoto ostendimus q. 5. ar. 4. §. 6. Denique videre non possum, quomodo inferatur attributa esse constitutiua diuinæ essentię ex eo, quod attributa in Deo non sunt aliud, & aliud; etenim Patres illos agere de alietate reali late ostendimus in d. q. 5. ar. 4. §. 10. in solutione tertiæ rationis. Consultius esset à tanta Patrum allegatione abstinere, quam inefficaciter eos afferre. Sed iam demonstrationes expendamus.

47. Soluitur 1. demõstrat.

Tertium fundamentum continet demonstrationes, quibus sententia affirmans comprobatur. Ad primam, quæ est Suarij concedimus antecedens; cõsequentiam esse inutilem non immerito putant negantis sententiæ patroni. Probatio autẽ minus habet efficaciæ: quoniam si propositio assumpta intelligatur de continentia per essentiam, hoc est essentiali, & quidditatiua; apertissimè petitur principium; dum sumitur, vt certum, de quo est controuersia. Si verò intelligatur de continentia radicali, & virtuali, qua diuina essẽtia, ideo quia infinita, & perfecta infinitate, & perfectione primaria, vendicat sibi omnem perfectionem secundariam substantialiter veluti qualificatiuam; admittitur propositio. At ex eo inefficaciter infertur consequentia negata propter disparem rationem, quæ in his, & in illis prædicatis reperitur: nam priora prædicata ex sua formali ratione sũt quidditatiua, constitutiuaque essentiæ: vnde vbicunque sunt, essentialia sunt. Oppositũ cernitur in prædicatis posterioribus: hæc enim ex sua intrinseca ratione non sunt constitutiua alicuius essentiæ, de quo diximus in præcedenti ar. §. 4. & latius q. 4. §. 3. n. 11.

48. Elicitur responsio.

Nec satis est, si dicas illa prædicata ex sua ratione analogica non habere, quòd sint quidditatiua, bene tamẽ, quatenus sunt diuina: non, inquam, est satis: quoniam illa prædicata esse diuina bene infert illa transire in substãtiam, essęque prędicata substantialia: an verò transeant in essentiam, ita vt sint essentialia, & quidditatiua essẽtię, in hoc est controuersia. Negant omnes Scotistæ, quorum sententiam, vt probabilem defendimus q. 5. ar. 4. §. 3. per totum: nec possunt non negare patroni huius sententiæ: apud quos huiusmodi prædicata quanuis ideo, quia diuina, amittant accidentalitatem transeundo in substantiam; non amittunt tamen rationem veluti qualificatiuam, ita vt perficiant, & compleant essentiam veluti circunstando circa eam, vt ex Damasceno colligitur, & iam aduertimus in præcedente ar. §. 6. Nec id mirum videri debet: quoniam hæc doctrina, & theologia non solùm fũdatur in Damasceno, vt vidimus sed etiam in Cyrillo Alex. & Gregorio Nysseno.

Attributa licèt amittant accidẽtalitatẽ, nõ amittunt rationem qualificatiuam.

Damasc.

49. Nyssenus

Nyſſeno. Nam Cyrillus lib. 11. theſauri c. 1. ferè poſt medium pag. 307. litera H. ita ait: *Sapienter dicitur nihil accidere ſubſtantiæ Dei; quoniam in ſe ipſa perfecta eſt: ſed tamẽ cogimur nonnunquam quaſi accidentia, etiam ſi non omino accidant Deo hæc dicere, & mẽte accidentium more concipere.* Et quanuis hanc doctrinam tradat ratione prædicatorum, quæ negatiuè de Deo dicuntur; tamen accommodari etiam poteſt prędicatis poſitiuis: licèt enim ſint ſubſtantialia (quia in Deo quidquid eſt, ſubſtãtia eſt) tamen non ſunt eſſentialia. Vnde cogimur dicere in diuinis dari ſubſtantiam, quæ Deo conuenit ſubſtantialiter, ſed non modo ſubſtantiali, ſed veluti accidentali; ideo quia nõ eſſentiali. Quæ ipſa ſubſtantificant eſſentiam, non tamen modo ſubſtantiali, qui eſt quidditare, & eſſentiam conſtituere; ſed modo ſui generis, qui eſt qualificare. Quod in hac materia eſt diligẽtiſsimè aduertendũ. Nec id mirum videri debet; quoniam licèt prædicamentum relationis in diuinis tranſeat in ſubſtantiam; tranſit tamen cum modo proprio ſui prædicamenti, qui eſt referre ad aliud. Similiter etiam prædicamentum qualitatis in Deo tranſit in ſubſtantiam, conſeruato tamen modo ſui generis, qui eſt qualificare ſubſtantiam.

49. Nyſſenus. Quam theologiam non obſcure mihi tradit Nyſſenus ad Ablauium pag. 93. ad medium, vbi ita ait: *Nos verò ſcripturæ documenta ſequentes innominabilem, & inexplicabilem eam* (ſcilicèt naturam diuinã) *eſſe didicimus, & omne nomen, ſiue ab humana conſuetudine adinuentum, ſiue à ſcripturis traditum fuerit, aliquid denotandi vim habere dicimus eorum, quæ circa diuinam naturam eſſe intelliguntur: ipſius verò naturæ non continere ſignificationem.* Quid eſt non cõtinere ſignificationẽ naturę, niſi non eſſentialiter in natura contineri? Et relictis nominibus metaphoricis de alijs ita ſcribit: *Ea autem, quæ idcirco prodita ſunt, vt nos deducerent ad Dei cognitionem, peculiarem vnumquodque continet in ſe ſententiam comprehenſã: nec vllam in diuinis nominibus vocem reperies aliquo carentem intellectu. Ex hoc itaque demonſtratur, quod non ipſa diuina natura per aliquod eorum nominum denotatur; ſed aliquid eorum quæ ei adiuncta ſunt, per ea, quæ dicuntur, indicatur.* Quæ verò ſint iſta nomina, declarat immediatè ſubiungens: *Dicimus v. g. ſi res ita ferat, numen eſſe incorruptibile, vel potens vel quæcunque alia dicere, mos eſt: ſed reperimus cuiuſquè nominis peculiarem eſſe ſignificationem, quam deceat intelligi, ac dici de diuina natura: quæ ſignificatio tamen non illud ſignificat, quod natura iuxta eſſentiam eſt.* Ex quibus verbis patet Nyſſenum non ſolũ agere de prædicatis negatiuis, ſed etiã de poſitiuis: agit enim de attributo potẽtiæ, vt patet ex illis verbis: *dicimus autem numen eſſe incorruptibile:* ecce prædicata negatiua: *vel potens*: ecce poſitiuum attributum potentię. *Vel quæcunquè alia dicere mos eſt:* quibus verbis explicat cętera poſitiua prædicata, quæ in ſacris literis paſsim Deo tribuuntur. De attributo potentiæ ſtatim ita ſcribit: *Eodem modo ſi quod viuificum dixerimus, cum id quod efficit, per appellationem ſignificauerimus, ipſũ efficiens, ac naturam effectricem eo verbo non indicamus.* Et concludens immediatè adiungit: *Item in cæteris omnibus eadem ratione ex ea, quæ inſita eſt, auguſtioribus vocibus ſignificatione reperimus, aut ea, quæ id, quod nõ oportet de diuina natura ſentire, interdicant: aut quæ ſentire deceat, nos doceant; non autem ea, quæ continent ipſius naturæ ſignificationem*: id eſt, diffinitionem, & eſſentiam. Quæ omnia mihi ſatis probant apud Nyſſenum perfectiones attributales non ingredi eſſẽtiam eſſentiæ, ſed illi veluti adiuncta eſſe: & cùm non ſint ſubſtantialiter adiũcta adiunctione reali (quia tranſeuntes in realitatem ſubſtantię, ſunt vna ſubſtantia cum eſſentia) ideo dicuntur, & ſunt adiuncta, quia adiunguntur illi, nõ eam ſubſtantialiter quidditando, & eſſentiando, ſed ſubſtantialiter qualificãdo conſeruantes modum afficiendi ſui prędicamenti, ſicut relatio eum conſeruat.

50. Ad 2. demõſtrationem. Ad ſecundam demonſtrationem admittendum eſt ſapientiam in Deo eſſẽtialiter non includi. Quãdo vero infertur id, quod eſſentialiter eſt Deus ex vi ſuæ eſſentiæ non eſſe ens ſummè perfectum, aut infinitum; admittunt Scotiſtæ, ſi ſermo ſit de infinitate, & perfectione adęquata: quia licèt Deus ſimpliciter, & abſolutè loquendo ſit infinitus, & ſummè perfectus omnimoda infinitate, & perfectione: tamen ſumptus cum hac reduplicatione, vt eſſẽtialiter eſt Deus, & quatenus præciſè continet prædicata, quibus eſſẽtialiter cõſtituitur in eſſe

Dei,

Dei, non est omnibus modis infinitus, nec omnimode perfectus; quia, vt sic nõ includit perfectionem secundariam. Sumptus igitur, vt sic est quidem infinitus, & perfectus; infinitate tamẽ, & perfectione primaria, qualis est infinitas, & perfectio debita essentiæ, vt essentia est. Hãc esse doctrinam Scotistarum diximus suprà q. 5. ar. 4. §. 5. n. 108. & iterũ in præcedente ar. §. 6. & est doctrina sũpta à Scoto quodl. 1. litera C. quã sequũtur, & probant omnes Scotistæ, vt patet ex Herrera 1. tom. disp. 14. q. 1. in 5. notabili pag. 463. col. 2. & q. 2. in secunda sententia notab. 1. pag. 470. column. 2. in fine; & ex Rada 1. p. controuersia 4. §. *ad primi argumenti solutionem* pagin. 65. column. 1. & satis est de mente Capreoli in 1. d. 8. q 4. articul. 3. fol. 128. column. 3. in principio ad 12. Aureoli contra 2. Non igitur admirari potest Suarius, si illi negemus Deum in primo signo consideratum sub solo esse essentiæ essẽtialiter non includere omnem perfectionem; quanuis omnem includat per suã essentiam in hoc sensu; quia ex sua essẽtia, tanquam ex prima totius perfectionis radice habet, vt omnis perfectio sibi insit. Vnde probanda est responsio, quam Suarius ibi adducit.

Scotus. *Herrera.* *Rada.* *Capreolus.*

51. Solutio 1. obiectio.

Nec aliquid officiunt, quæ in cõtrarium affert: nam prima obiectio sumit id, quod erat probandũ: licèt enim simpliciter melius sit formaliter habere perfectiones attributales, quam nõ habere; & proinde concedendum sit eas omnes formaliter conuenire Deo: non tamen simpliciter est melius habere illas perfectiones essentialiter, quàm nõ essentialiter. Et cum id auctores huius sententiæ de factò negent, nec possint non negare; non deberet Suarius illud principium sumere, vt indubitatum, sed probare. Secunda etiam obiectio eodem pede claudicat: supponit enim tam ipsas perfectiones, quàm modum habẽdi eas essentialiter, dicere perfectionẽ simpliciter: cum tamen modus ipse habẽdi nullam denotet perfectionem simpliciter. Quin potius auctores negantis sententiæ tenentur dicere fieri non posse, vt perfectiones attributales essentialiter habeantur: & ratio est, quia ex sua natura perficiunt non quidditando essentiam, sed eam veluti qualificando. Quod est huius sententiæ fũdamentum satis cõfirmatum in solutione primæ demonstrationis.

Ad 2. obiectionem.

52. Patres nobisnon contradicunt.

Nec hoc fundamentum impugnant, quę ex Nysseno, Richardo, & Bernardo, adducuntur à Suario. Et quod attinet ad Nyssenum, non possum non admirari, quod verba Nysseni aliquis non intelligat de diuersitate reali; ita enim habet litera iuxta editionem vltimam Basileæ 1571. *Sed Deus quidem Pater, Deus itẽ Filius: vnus vero eadem prælicatione Deus est; quippequũ nec naturæ, nec efficaciæ aliqua differentia in deitate consideretur. Nam si variaret, & diuersa esset in Sancta Trinitate natura; prout suspicantur nonnulli errore decepti; consequenter in multitudinem Deorum numerus dilataretur; atque vna cum diuersitate essentiæ subiectorum diuiderentur.* Quis nõ videt Nyssenum agere de reali diuersitate naturæ in tribus diuinis personis, quæ faceret tres Deos? Addit deinde aduersans his, quę immediatè dixerat: *Sed quia omnem, circa essentiam, diuersitatem reijcit diuina, simplex, & variari, alterari vè nescia natura, vt vna sit, multitudinis significationem in se non admittit.* Quæ verba si vel superficie tenus legantur; vtique intelliget ur Nyssenum agere non de diuersitate quidditatiua, & formali, sed de diuersitate reali, nõ quacunque, sed quę multitudinem, & pluralitatem naturarũ, atque Deorũ faceret. Quare suprà q. 5. ar. 4. §. 10. ad 3. rationem consideratius hæc verba intellexim⁹ de diuersitate reali. In quo sensu locus nullum potest suppeditare argumentũ contra hanc negantem sententiam.

Nyssenus 1. loco explicatur.

53. Explicatur verba Nysseni 2. loco.

Verba, quæ secundo loco ex eodem Nysseno obijciuntur, nihil omnino efficiunt, si mentem Nysseni expendamus: nititur enim eo loci ostendere naturam diuinam indiffinitam esse, & incomprehensibilem, vt patet ex verbis, quę antecedunt: *nos quidem indiffinitam, & incomprehensibilem diuinam naturam esse credentes*, id est, interminatam, & carentem omni termino tam in esse, quàm in intelligi. Quando igitur dicit: *quod prorsus est infinitum non aliqua re diffinitur, alia vè non: sed omni ratione infinitas effugit diffinitionem.* Per diffiniri intelligit terminari, & limitari & per diffinitionem intelligit terminationem, & limitationem in esse, & in intelligi. Non est igitur sermo de diffinitione

nitione sumpta pro explicatione essentiæ, & quidditatis; in quo solo sensu verba illa possent argumentũ suppeditare.

54. Explicatur Richardus. In Richardo de Sancto Victore primum expẽdo verba, quæ nobis obijciũtur, non haberi lib. 1. de Trinitate c. 17. ex quo citantur, sed lib. 2. c. 17. Deinde expendo verba illa intelligenda non esse de vnitate, aut alietate formali, aut quidditatiua, sed de reali, vt iam aduertimus q. 5. ar. 4. §. 10. ad 3. rationẽ. Quẽ sensum inde colligimus, quia vnitatem diuinam deducit ex diuina incommutabilitate, quæ opponitur mutabilitati creaturæ: sicut autem ex creaturæ immutabilitate deducitur diuersitas realis; ita ex incommutabilitate diuina deducitur realis vnitas. *Quicquid igitur in summo bono est, verè & summè vnum est*; vnitate scilicèt reali, & substantiali: nam immediatè adiungit: *nec ibi aliud, & aliud esse potest, sed idem ipsum est totum, quod est*. Et est sensus, quia ibi non est diuersitas aliqua realis, ideo Deus totum, quod est, vnum est vnitate quadam reali, & substantiali; in quo etiam sensu idem Richardus intellexit id, quod scripsit lib. 1. de Trinitate cap. 13. & 17. dum dixit, *in Deo non esse aliud, & aliud*. At ex vnitate reali inutiliter infertur vnitas essentiæ, & quidditatis; ita vt omnia, quæ in Deo sunt, essentialiter, & quidditatiuè vnum sint. Hanc enim consequentiam negant Scotistæ, & auctores negantis sententiæ.

55. Ad D. Bernard. D. Bernardum lib. 5. de consideratione c. 7. iterum, & iterum legi, nec inueni D. Bernardum ex proposito principio intulisse in Deo esse summam simplicitatem cum inclusione omnium perfectionum. Sed demus D. Bernardum id scripsisse: nunquid idem est omnẽ perfectionem in Deo simplicissimè includi, & includi essentialiter? Auctores huius sententiæ id negant: & meritò; quia ad excludẽdam compositionem (quam D. Bernardus astruit) non est necessaria quidditatiua inclusio omnium perfectionum: saluatur enim negatio compositionis cum negatione quidditatiuę inclusionis. Quarè nec Nyssenus, nec Richardus, nec Bernardus posito à nobis fundamento contradicit.

56. Soluitur tertia demonstratio. Tertia eiusdem Suarij demonstratio eodem nititur medio, quo prima, & secunda. Dicimus igitur ipsum necesse esse simpliciter, & absolutè sumptum esse summè perfectum omnimoda perfectione tàm primaria, quàm secundaria. At si sumatur contractè, & penes solam essentiã, non vendicat sibi omnem perfectionem, sed solam primariam, vt de Deo diximus ad secundam demonstrationem.

Ad confirmationem, quicquid sit de consequentia, antecedens est negandũ: etenim perfectio eminentialis, quocũq; modo illa explicetur, est perfectio attributalis; & ideò non est quidditatiua essentiæ, sed substantialiter qualificatiua illius, vt diximus ad primum. Prima probatio in explicatione dicti Augustini, & Anselmi manifestè petit principium: nec enim creatura in Deo ideo dicitur creatrix essentia, quod eminentia illa, qua Deus creaturam continet, sit de quidditate, & essentia Dei: sed ideo; quia ipsa potentia creandi, siue potius ipsa perfectio eminentialis substantialiter est ipsa Dei essentia. In secunda probatione persistitur in fundamento sæpius negato: nec enim ens per se necessarium, vt secundum essentiam præcisè sumitur, essentialiter sibi vendicat omnem perfectionem, quam habet. Admittimus igitur Deum, qui est ens per se necessariũ, continere omnia ista inferiora, quia est primum ens; nisi enim in se ipso essentialiter esset primũ ens, non postularet sibi habere in se omnem essendi rationem, vel formaliter, vel eminenter: at quanuis essentialiter sit primum ens, non proinde essentialiter continet istam eminentem continẽtiam inferiorum, sed solùm radicaliter, vt ad tertiam probationẽ iam diximus. Tertia probatio æquiuocatione laborat, & rem aliàs intellectu difficilẽ reddit omninò inintelligibilem.

57. Ad confirmationem. Ad primam probationẽ. Ad 2. Ad 3.

58. Aduertendum est igitur continentiã eminentialem duobus modis (quod ad iustitutum pertinet) accipi posse. Vno modo pro continentia, quæ aliquid cõtinet in esse quodã altioris ordinis, & secundũ se lõgè nobilius, & perfectius: & hęc vel est causalis, vel ordinẽ habet ad cõtinentiã causalẽ, quã ppriè appellamus cõtinentiã virtualẽ, virtualitate sc. actiua. Et hoc modo creaturę eminẽter continẽtur in Deo: quia cõtinentur in eo secundum esse quoddam altioris

ordinis, & lõgè nobilioris perfectionis: sunt enim in Deo ipsa creatrix essentia, vt dicunt Augustinus, & Anselmus. Altero modo continentia eminentialis sumitur pro continentia prima, & radicali conueniẽtiæ alicuius prædicati: quia scilicet est prima ratio, cur tale prædicatum conueniat. Quam eminentialem continentiam distinctam à priori tenetur admittere Suarius, cũ sępissimè doceat diuinam essentiam eminenter continere relationes diuinas, vt patet ex Met. disp. 30. sect. 5. n. 2. & passim alibi: nec enim diuina essentia continet relationes diuinas in aliquo esse altioris ordinis, & perfectioris, vt per se patet; sed ideò dicitur eas continere, quia est veluti radix, & prima ratio, cur illæ Deo formaliter conueniant, vt idem Suarius explicauit lib. 7. de Trin. c. 5. n. 13. & generaliter essentia dicitur eminenter cõtinere eas perfectiones, quę ad eam, aut consequuntur, aut veluti consequũtur. Non ineptè igitur theologizabimus, si dicamus essentiam diuinam, vt essentialiter est essentia, in hoc sensu eminenter continere suas perfectiones attributales; quia nostro modo intelligendi, est prima radix, & prima ratio, cur illæ cõueniant Deo veluti qualitates quædam substantiales substantialiter eam veluti qualificantes.

59. Soluitur 3. probatio. Hoc supposito ad tertiam probationem admittimus: in Deo, nostro intelligẽdi modo, ponendam esse priorẽ quãdam rationem essentialem, quàm sit ipsa formalis eminẽtia creaturarũ. Quãdo verò interrogatur, an in illa eminenter contineantur creaturæ? Respondẽdum est eminenter contineri eminẽtia quadam radicali; quia radicaliter in ea continetur ipsa formalis continentia eminentialis: ex quo non bene infertur ipsam formalẽ continentiã eminentialem creaturarũ essentialiter includi in diuina essentia: risibilitas enim radicaliter continetur in essentia hominis; & tamẽ non continetur essentialiter. Quare negandũ est ipsam continentiã eminentialem creaturarum formaliter cõuenire essentiæ diuinæ secundùm illam primam essẽtialem rationem. Nec inde bene inferes illam rationẽ essentiæ esse finitam in genere entis: quia licet in sua essentiali ratione essentialiter nõ includat omnẽ perfectionẽ simpliciter; omnem tamẽ continet eminẽtia radicali: quod satis est, vt simpliciter dicat ens infinitũ infinitate entitatiua. Nec similiter bene inferes continentiam eminẽtialem nullo modo posse Deo conuenire: quoniã licet non conueniat essentialiter; conuenit tamen consequenter, & cõcomitanter; ad hoc enim satis est cõtinentia radicalis, quæ diuersa est à cõtinentia eminentiali creaturarum. Et quia vtraque ista continentia non fuit distincta, ideò argumentum apparentiã habuit demonstrationis; cùm tamen longè sit à demonstratione.

60. Ad quartã demonstrationem. Quarta etiã demonstratio ex eodem, simili ęquiuocatione laborat: nam si de eminẽtia radicali sit sermo; antecedens est falsũ: quin potiùs ex eo attributa sũt formaliter in Deo; quia in diuina essentia essentialiter sumpta eminenter cõtinentur: eminenter inquam, i. tanquam in prima radice, & ratione totius perfectionis simpliciter simplicis. Id, quod de perfectionibus relatiuis docuit idẽ Suarius in Met. disp. 30. sect. 5. n. 2. ideo enim, vt ait, necessariũ fuit eas formaliter esse in Deo; quia eminenter continebãtur in diuina essentia: non quidem ea eminentia, qua creaturæ cõtinentur in Deo (hęc enim opponitur modo essendi formaliter) sed eminẽtia, quę est prima ratio, & radix, cur aliquid Deo conueniat. Eodem igitur modo ideò attributa sũt in Deo formaliter; quia in diuina essentia tanquam in prima radice continentur. Porrò si antecedens intelligatur de eminentia, quæ conuenit secundum esse altioris ordinis (qualis est eminentia, qua creaturæ sunt in Deo) cũ talis eminentia nec detur, nec dari possit in Deo respectu perfectionũ attributalium; admittimus attributa in eo sensu nõ prius esse in Deo, quàm sint formaliter. Cum verò additur ea nõ aliter posse Deo cõuenire, nisi formaliter; id negãdum est: possunt enim etiã conuenire eminenter eminentia radicali; si nimirum Deus sumatur, vt essentialiter est Deus: ideò enim formaliter conueniunt Deo; quia essentia diuina essentialiter sumpta eminenter, id est, radicaliter postulat ea formaliter sibi inesse. Si verò antecedens sumatur in sensu negatiuo: attributa scilicèt non posse Deo conuenire eminen-

61. Ad quin demonstr tionem.

62. Ad argu tum in fo ma.

eminenter eo eminentiæ genere, quo creaturæ eminenter sunt in Deo: consequentia est inutilis: cuius probatio satis est friuola; quia ex eo, quod attributa essentiali ratione diuinæ essentiæ illo modo non conueniunt, infert attributa illi, vt sic, conuenire formaliter; cũ tñ detur eminentia radicalis, quæ formali non opponitur; quin potius eã, vt sibi debitã postulat. Hęc tam latè, & explicatè diximus, vt inclusã in argumẽto ęquiuocationẽ euidẽter ostenderemus.

61. Ad quintã demonstrationem.

Ad quintam demõstrationem ex eodem dicendum est, quod sicut Deus est ens perfectissimũ entitate, quæ simpliciter est perfectio: ita est ens perfectissimo modo, qui denotet perfectionem simpliciter: etenim sicut Deus habere non potest, nisi entitatem, quæ est perfectio simpliciter; ita suam entitatẽ habere non potest, nisi modo, qui ex se denotet perfectionem simpliciter. Et ob hanc rationem omnia, quæ habet, substantialiter habet; quia modus substantialiter essendi id, quod est, est modus denotans perfectionem simpliciter. Talis autem non est aut modus essendi aliquid formaliter, aut essendi aliquid essentialiter. Nam esse formaliter tale, nõ semper denotat perfectionem: nec enim Deus est formaliter leo, aut lapis, sed solùm eminenter. Simili modo esse essentialiter tale ex se nõ denotat perfectionem simpliciter, sed tunc solùm, cum ex non esse essentialiter tale, infertur esse tale accidẽtaliter. Quæ illatio solũ vim tenet in rebus creatis; quoniam in illis, quòd essentialiter non conuenit, accidentaliter conuenit: & quod non est essentia, est accidens, at in Deo talis consequentia non valet; quia licet essentialiter, non sit talis, non proinde est talis accidentaliter; quia est talis substãtialiter. Cum igitur esse essentialiter tale ex se non dicat perfectionem simpliciter, non oportet, vt Deus quicquid est, essentialiter sit.

62. Ad argumẽtum in forma.

Ad argumentum igitur in forma dicendum est Deum & esse ens perfectissimum, & habere suam entitatem modo habẽdi simpliciter perfectissimo. i. modo, qui ex se dicat perfectionẽ: nã sicut Deo debita est omnis entitas, quæ est simpliciter pfectio: ita debetur omnis modus eã habẽdi, qui ex se denotat perfectionẽ simpliciter. Et ideò omnia, quę habet, substãtialiter habet: quia quoad omnia, quæ habet, melius est habere ea substantialiter, quàm non habere substantialiter: cæteros autẽ habendi modos habebit consentaneè ad naturã entitatis, quæ Deo tribuitur. Et quia perfectiones attributales sũt perfectiones simpliciter simplices, ideo eas habet formaliter: quia melius est eas habere formaliter, quàm solùm eminenter: cæteras autẽ pfectiones, quæ sunt in creaturis, non habet formaliter, sed solùm eminẽter: quia perfectiones illius generis melius est habere eminenter, quàm formaliter. Explicata autem maiori in sensu dato, neganda est minor: quia essentialis inclusio, cũ ex se non denotet pfectionẽ simpliciter (id enim affirmandũ est in hac sententia negante) ex se nõ est perfectior; sed tũc solùm, cũ eius negatio infert inclusionem accidentalem, quã non infert in diuinis, sed in creatis.

63.

Quare iste modus habẽdi conueniet Deo iuxta naturã eorũ, quę sunt in Deo: & ideò prędicata ex sua generali ratione essentialia, & quidditatiua essentialiter includet; quę verò ex sua ratione nõ sunt talia, includet quidẽ substãtialiter (quia nõ possunt non trãsire in substantiã) non tamẽ essentialiter; quia in Deo ex sua natura conseruãt modũ sui generis, vt suprà dixim⁹, & patet in relationibus diuinis, quæ licet trãseant in substantiã; seruãt tñ modũ sui generis: quia afficiunt essentiã substantialiter quidẽ; sed tñ modo relatiuo: quare melius est eas nõ essentialiter cõuenire Deo, quàm essentialiter. Minor igitur merito erit negãda: tantũ enim abest, vt perfectiones attributales pfectiori modo includãtur, si essentialiter includãtur, vt melius sit eas essentialiter nõ includi; quia melius est, quod naturæ cuiusq; perfectionis conuenit. Ad probationẽ minoris sæpè diximus satis esse, vt Deus intelligatur infinitè perfectus, si ex vi suæ essentiæ sit prima radix, primaq; ratio conuenientiæ omnis perfectionis simpliciter, quãnis ex vi suę essentiæ nõ vẽdicet essentialiter omnẽ perfectionem.

64. Ad sextam demonstrationem.

Sexta demõstratio adhuc est eiusdẽ. Pro solutione admittim⁹ pfectiones attributales esse in Deo, vt aliquid de substãtia Dei: nec ptinere ad cõstitutionẽ

personarum, sed ad absolutam Dei substantiam. Sed plane non video, quomodò inde inferatur eas esse essentiales essentiæ. Nam si consequentia deducatur ex eo, quòd perfectiones realiter sunt idem cum essentia; consequētia non est formalis: quia relationes sunt idem realiter cum essentia; & tamen non sunt de illius essentia, vt idem Suarius fatetur. At si ex eo inferatur consequentia, quia perfectiones attributales conueniunt essentiæ, & ratione essentiæ Deo; adhuc est inutilis; quia petit principium: contendimus enim non omnia, quæ pertinent ad essentiam, esse de illius essentia. At, inquit, diuina essentia maximè est de essentia: respondemus ipsam quidem essentiam sub ratione essentiæ esse sibi essentiam: non tamen, quæ illi veluti adiūguntur, esse illi essentiam: de hoc enim est controuersia.

65. Ad 7. Septimam rationem adducebat Bellomontanus contra Scotum in quæst. de attributis, vt vidimus q. 5. ar. 4. §. 9. Sed sicut ibi nihil contra Scotum effecit; ita nec modò aliquid efficiet. Rationem D. Bernardi contra Gilbertum ibi latè declarauimus, nam contra Gilbertum vim habet: contra nos, nullam: admittimus enim sapientiam (quam ponimus extra essentiam essentię) nec maiorem esse ipsa essentia, nec minorem: esse tamen æqualem. Cum verò infertur sapientiam includere totam perfectionem essentię, si de perfectione essentiali id intelligatur; sumitur id, de quo est controuersia. Si verò id intelligatnr de perfectione substantiali; vt sit sensus sapientiam includere totam realitatem essentiæ; admittimus: quia est vna substantia cum illa. At inde non benè infertur sapientiam essentialiter includi in essentia, vt sæpiùs aduertimus.

66. Ad 8. Octaua ratio Molinæ euidenter petit principium, si intrinseca ratio idem est, quòd ratio essentialis: de hoc enim est controuersia, an diuina essentia essentialiter includat omnem infinitatē, atque perfectionem: negat hæc opinio: nam licet absolutè diuina essentia dicēda sit infinita, & omni ex parte perfecta: tamen sumpta cum reduplicatione, vt est essentia, solùm habet infinitatem, & perfectionem sui generis, quam Scotus appellat primariam: & in hoc sensu essentia est omnis perfectio non formaliter, aut essentialiter, sed radicaliter. Nec benè inde infert Molina eam, vt sic esse in potentia. Vide, quę pro Scoto diximus q. 5. ar. 4. §. 5. n. 106.

67. Ad 9. Ad 9. quidam negant maiorem, si sermo sit de esse existentiæ: nolūt enim existentiam essentialiter includi in essentia diuina. Aliquos ita sēsisse refert Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 2. n. 4. inter eos est Ioannes de Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 3. sect. 7. n. 32. pag. 223. Sed oppositam sententiā probauit vtraque schola Thomistarum, & Scotistarum: ex Thomistis vide Caietanum 1. p. q. 3. ar. 4. ad 2. ex Scotistis Herreram 1. tom. disp. 8. q. 9. notab. 5. pag. 180. col. 1. ex Nouioribus Suariū ad 3. p. disp. 11. sect. 1. & lib. 1 de essentia Dei c. 2. n. 5. Molinam 1. p. q. 3. ar. 2. disp. 1. Valentiam 1. tom. disp. 1. q. 3. punct. 4. Admissa igitur maiore negāda est minor: quam non assumit D. Thomas 1. p. q. 4. ar. 2. quia solùm dicit omnes perfectiones pertinere ad perfectionem essendi; quod est verum: an verò omnem sibi essentialiter vēdicet? id non expressit. *Caiet.* *Herrera.* *Molina.*

68. Ad 10. Ad 10. negatur antecedens. Ad probationem respondetur primò propositionē sumptam etiā apud Logicos esse falsam, homo enim, quatenus homo, est risibilis, & tamen risibile non est de essētia hominis, nec datur aliqua ratio, cur illa propositio in creatis vniuersaliter non sit vera; bene tamē in diuinis; quin potius inferiùs dicemus hāc esse falsā: *Deus in quantū sapiens, est iustus.* Respōdetur 2. ex Capreolo in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. ad 16. Aureoli cōtra 2. fol. 129. col. 1. Augustinū non reduplicare rationem formalē sapientiæ, sed modū prædicandi absolutè, vel relatiuè, siue potius rationē prædicati essentialis, vel notionalis. Mens ergo Augustini ex sentētia Capreoli est hæc, vt filius *non eo verbū, quo sapiētia*; quia, qua verbū, dicitur relatiuè, & habet rationem notionalis: at quà sapientia, dicitur absolutè, & habet rationem essentialis, vt idem Augustinus ibi explicat: cum tamen filius eo sapientia sit, quo essentia: quia vtroque modo dicitur absolutè, & ad essentiam pertinet. *Capreol.* *August.*

69. Ad 11. 11. ratio indigna est solutione: vnde enim valet hęc cōsequētia: attributa prędicāt secūdū substātiā, i. nō relatiuè, sed absolu-

absolutè. Ergo prædicãtur essẽtialiter?

Similiter friuola est cõfirmatio: quoniam nec ista valet: attributa pertinent ad substantiam, & non ad personas. Ergo includuntur essentialiter in essentia.

Ad 12. 12. ratio puerilis est: nec enim in diuinis, in quibus omnia substantialiter sunt vnum, valet hæc consequentia: hoc non est de essentia. Ergo essentia est in potentia ad illud. Vide, quæ diximus pro Scoto q. 5. ar. 4. §. 5. n. 106.

Ad 13. 13. ratio est indigna viro docto: nam petendo principium appellat blasphemum id, quod doctissimis placet theologis. Quare & inscitia in arguendo notanda est, & audacia reprehendenda.

Ad 14. 14. ratio ex dictis soluta manet: nec enim negamus infinitatem essentiæ etiã pro illo signo, in quo cum sua essentialitate sumitur: est enim infinita in suo genere, nempe in genere essentiæ: etenim infinitam habet substantiam, infinitam immaterialitatem, & denique infinitam vitam: negamus tamen illi pro illo signo omnem infinitatem; quia, vt sic, non habet infinitatem secundariam, & qualificatiuam. Vnde dici potest infinita intensiuè, non tamen extensiuè.

70. Ad 15. Ad 15. neganda est sequela; si inferatur aliquid esse in Deo, quod realiter, atque substantialiter non est Deus: nã perfectiones relatiuæ essentialiter non includuntur in essentia; & tamen realiter sunt idem cum essentia. Probatio autem sequelæ nullam habet vim: cum enim sapientia realiter sit Deus, erit ens à se, id est, non ab alio: nec enim habet caussam efficientem. At inde friuolè infertur sapientiam essentialiter includi in essentia: datur enim instantia in relatiuis. Vide in art. præcedente §. 6. Porrò si inferatur aliquid esse in Deo, quod formaliter nõ est diuina essentia; admittenda est sequela: nec id est absurdum in sensu inferiùs explicando. Impugnatio autem satis est debilis: quia satis est sapientiam esse idem realiter cum essentia, vt dicatur esse ens non ab alio, sed à se: ex quo non bene infertur sapientiam essentialiter includi in Deo.

71. Ad postremum. Ad postremum argumẽtum dicimus Aristotelem nunquam dixisse æternitatem esse de essentia Dei: hæc enim sunt illius verba: *Quare vita, & duratio continua, & æterna existit in Deo: hoc enim est Deus*, quę verba vel possunt explicari in sensu idẽtico, vt sit sensus; Deus realiter est hæc omnia, vt diximus supra q. 5. ar. 4. §. 10. n. 167. Vel hunc habent sensum, *hoc enim est Deus*, id est, Deus est viuens, & est æternus; & hæc de isto art. & quæstione.

QVÆSTIO VIII.

Quomodò essentia se habeat ad attributa quoad essentialem inclusionem?

RONTVLIMVS attributa cum essentia inquirendo, an essentialiter includerentur in ea. Nunc conferimus essentiã cum attributis, & inquirimus, an essentialiter in illis includatur? Nec quæstio videri debet superflua: quia fieri potest, vt inter duo non detur mutua conuertẽtia quoad essentialem inclusionẽ: animal enim essentialiter includitur in homine; non tamen homo in animali. Duobus autẽ modis potest essentia cũ attributis conferri. Vno modo, prout à nobis simul cum illis concipitur; & est sensus; vtrum essentia sit de conceptu quidditatiuo attributorum. Altero modo; prout essentia, & attributa sunt in se, & est sensus; vtrùm essentia sit de essentia attributorum. Duo ergo erunt articuli. Primus inquiret; vtrùm essentia, vt à nobis concipitur, sit de essentiali conceptu attributorum? Secundus quæret; vtrùm essentia, vt est in se, sit de attributorum essentia?

ARTICVLVS I.

Vtrùm essentia, vt à nobis concipitur sit de conceptu quidditatiuo attributorum?

§. I.

Refertur pars affirmans.

PRO parte affirmãte communiter citatur Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 2. dub. vlt. post princip. pag. 511. col. 3. sed de attributis potius agit in terminis sequentis art. idẽ tamen diceret in nostris terminis: nã si à parte rei, vt ille putat, essentia essentialiter includitur in attributis; à fortiori in nostro intellectu erit de conceptu essentiali illorũ. Idem iudico de Cumelio

1. Torres. Cumelius.

ibi q.8.in 3.dub. pag. 845. col. 2. §. *quam rē vt intelligas*, atque de Molina ibi disp. 4. in principio: quanuis enim agant de attributis,& essentia,vt sunt in re;idem dicerent de illis, vt sunt in nostro intellectu. Quare in terminis propositis in ar. partem affirmantem defendit Suar. lib.1.de essentia Dei c.12.n.3.& 7. Vnicum fundamentum est:quoniam impossibile est excludi à cōceptu alicuius rei, quod à parte rei est de illius essentia. Sed à parte rei essentia est de essentia, & quidditate cuiusque attributi. Ergò essentia essentialiter includitur in conceptu quidditatiuo cuiusq;. Minor supponitur,vt vera,probanda in ar.sequēti.Maior est nota ; quia, quod est de essentia alicuius rei, nec potest excludi à conceptu illius abstractione negatiua; nec præcisiua: non quidem negatiua, quia, si quod est de essentia alicuius, de eo negetur, iam idem non concipitur: essentia enim variatur aliquo vel addito, vel dempto. Nec etiam præcisiua: quia licet, quod est de essentia actu, & explicitè non consideretur considerata re,de cuius essentia est; implicitè tamen in ea consideratur: vt patet in eo, qui actu cōsiderat hominem, vt animal rationale; is enim,quanuis actu non cōsideret viuens, corpus,substantiam, & ens;virtute tamen,& implicitè illa considerat, cum implicitè contineantur in animali.

Fundamentum sententiæ affirmātis.

§. 2.

Refertur pars negans.

PArtem tamen negantem in nostris terminis probat Bellomontanus 1.p. disp.119. c. 2. vbi docet, quòd sicut attributa non sunt de conceptu essentiæ, nec de illa essentialiter prædicantur ; ita etiam essentia essentialiter non includitur in conceptu attributorum,nec de illis prędicatur in quid.Referri solet pro hac sententia Capreol⁹ in 1.d.8.q.4.ar.3. ad 16. Aureoli contra secundam: sed ibi hanc sententiam non inuenio. Illam tamen tenentur probare Scotistæ: cum enim existiment essentiā à parte rei non esse de essentia attributorum,vt patebit ex sequenti art.à fortiori existimabunt eam non esse de cōceptu quidditatiuo eorum.

2. Auctores sēntiæ negātis.

Capreol.

3. Prima ratio

Hæc sententia primò confirmatur: quodlibet attributorum concipitur à nobis,vt præcisum ab essentia.Ergo essentia non includitur essentialiter in cōceptu attributorum. Antecedens patet: consequentia probatur ; quia nihil potest concipi sine eo,quod est de conceptu quidditatiuo illius.

4. Secundò.

Secundò ex Bellomontano: quoniam hoc loco agimus de essentia,& attributis,vt sunt in nostro conceptu: at in nostro conceptu sapientia expressè non est essentia. Ergo in nostro conceptu sapientia non est essentia,quanuis re ipsa sapiētia contineatur in essentia; imò sit idem cum ea. Consequentia inde patet;quia, quod expressè nō est in nostra cogitatione, non includitur in re cogitata,prout à nobis cogitatur.

5. Tertiò.

Tertiò ex eodē Bellomontano:quando expresè apprehendimus sapientiā, & essentiam,de illis formamus diuersos conceptus,quorum vnus non est in alio. Ita ergo differunt ratione, vt in nostro conceptu sapientia non comprehendat essentiam. Et ita de cæteris attributis.

6. Quartò.

Quartò;quodlibet attributum distinguitur ratione ab essentia.Ergo nullum attributum in suo conceptu includit essentiam.Antecedēs conceditur ab omnibus, vt patet ex q.5.ar.7.& 8. Consequentia probatur;quoniam,quod aliud in sua essentia includit, formaliter est idem cum illo ; non igitur potest ab eo distingui ratione. Accedit;quia si totū, quod includitur in ratione essentiæ,includitur in ratione attributi;quomodò potest attributum ratione distingui ab essentia?

7. Quintò.

Quintò ; essentia sub ea ratione, qua concipitur,vt distincta à sapientia v.g. non potest formaliter prædicari de sapientia. Ergo essentia, vt à nobis concepta,non ingreditur conceptū sapientiæ. Consequentia est nota: quoniam, quę sunt de essentiali conceptu alicuius rei,formaliter prædicātur de illa re:ob hanc enim rationē animal, & rationale formaliter prędicātur de homine.A destructione igitur cōsequētis, si essētia, vt à nobis cōcepta, formaliter nō prædicatur de attributis;vtiq;nec includetur in cōceptu quidditatiuo illorū.Porrò antecedēs nō solū nobis ꝓbatur, sed etiā aduersarijs: si enim bene expēdantur,quæ Suar.scribit tū in Met. disp.30. sect.

sect. 6. n. 13. tum lib. 1. de essentia Dei c. 14. n. 8. sicut in toto rigore hæc propositio est falsa *iustitia, vt est iustitia, est misericordia*, si sermo sit de iustitia, & misericordia, vt concipiuntur à nobis; ita etiam in eodem sensu ista erit falsa: *essentia, vt essentia, est iustitia*: nec enim iustitia in esse iustitiæ, vt à nobis concipitur, constituitur per rationem essentiæ, quatenus est essentia. Ergo essentia sub ea ratione, qua concipitur, vt distincta à iustitia, non potest formaliter prædicari de iustitia, quod fuit antecedens probandum.

8. Vltima ratio.

Postremo; essentia, vt est in re, nõ est de essentia attributorum. Ergò nec in intellectu erit de conceptu quidditatiuo illorum. Antecedẽs supponitur probandum in sequenti ar. Consequentia inde patet: quia in hac materia valet argumentum de re, vt est in se, ad se ipsam, vt est intellectui obiecta. Hæc sunt huius opinionis potiora fundamenta.

munis doctrina metaphysicorum in d. cap. 5. & logicorum lib. 1. Poster. cap. 4. Quare si de essentia theologizandũ est, vt respectu attributorum habeat rationem veluti subiecti; vtique dicendũ est eam in diffinitione attributorum non poni, vt partẽ per se diffinitiuam illorũ, sed solùm, vt quoddam veluti additamẽtum. Ex quo infertur eam non prædicari de attributis in primo modo per se, nam, quę ita prædicantur, sunt partes essentialiter diffinientes id, de quo prædicantur, vt patet ex communi doctrina logicorum in d. c. 4. nam & attributa iuxta explicatum theologizandi modũ prædicantur de essentia, non primo modo per se, sed secundo.

Ad fundamentum opinionis affirmantis.

Nec huic opinioni aliquid officit fũdamentum opinionis affirmantis: quoniam supponit essentiam diuinam in re esse de essentia attributorum, quod auctores huius opinionis negant, sed de hoc in sequenti articul.

§. 3.

Partem negantem probandam esse, si attributa essentialiter non includuntur in essentia.

9. In quo sẽsu opinio negãs sit vera.

PRo resolutione quæstionis non satis ab auctoribus explicatæ illud primo loco, tanquam certissimũ statuendum est partem negandam omnino esse probandam si attributa non sunt de conceptu quidditatiuo essentię: patet; quoniam in hac opinione attributa à nobis concipiuntur ad modum quarundam proprietatum substantialium diuinę essentię, vt diximus suprà q. 4. ar. 3. n. 3. & q. 7. ar. 1. §. 6. & ar. 2. §. 5. cui theologizãdi modo satis fauent Damascenus lib. 1. de fide c. 4. Cyrillus lib. 11. thesauri cap. 1. Nyssenus ad Ablauium pag. 93. post medium. Cum igitur essentia apud istos theologos cõcipienda sit à nobis ad modum veluti cuiusdam subiecti in ordine ad attributa; fieri nõ potest, vt essentia, quatenus essentia, sit de essẽtia attributorum: nam apud Aristotelem, & omnes metaphysicos, quæ habent rationem proprij subiecti, sunt extra essentiam, & conceptum quidditatiuum suarum veluti proprietatum ex 7. Metaph. cap. 5. tex. 17. vbi subiecta in diffinitione suarum proprietatum ponuntur, vt additamenta: quæ est com-

Damasc. Cyrillus. Nyssenus.

Aristotele

§. 4.

Quid dicendum sit, si attributa ponantur essentialiter includi in essentia.

10. Quid dicẽdum sit si attributa ponantur esse intrinseca essentiæ.

SEd quoniam in præcedente q. art. 1. §. 4. longè veriorem censuimus sententiam, quę affirmat attributa esse de intrinseca, & essentiali ratione essentiæ; oportet, vt hac sententia supposita quæstione m dirimamus. Pro vera resolutione prę mittendũ est id, quod præmisimus in præcedente q. ar. 1. §. 4. essentiam scilicèt duobus modis posse à nobis concipi. Vno modo sub adæquata ratione essentiæ, confusè tamen, & inexplicatè concepta, id est, nõ explicando prædicata essentialia, quibus constituitur in esse essentiæ, vt quando concipitur sub ratione diuinitatis absolutè. Altero modo provt concipitur sub aliqua speciali, & determinata ratione ipsius essentiæ; vt si diuinitas concipiatur sub ratione substantię, aut spiritus, aut viuentis, aut deniq; iustitię, vel misericordię.

Si diuina essentia hoc posteriori modo concipiatur (quomodo concipitur à Scotistis, qui essentiam diuinam concipiunt, vt substantiam quandam infinitã, immaterialem, atquè viuentem, & hanc distinguunt ex natura rei ab attributis.

Quo etiam modo concipiunt diuinam essentiam, qui docent attributa non esse de intrinseca ratione essentiæ; deniq; isto modo concipitur essentia ab ijs, qui eam ab attributis sola ratione distinguũt: omnes enim isti, dum dicũt essentia, vt essentia est, reduplicãt rationẽ substantiæ immaterialis, & viuentis) si, inquam, diuina essentia isto posteriori modo sumatur; sit prima conclusio diuina essentia non est de quidditatiuo conceptu suorum attributorum. Hæc est verissima, quanuis admittamus attributa essentialiter includi in essẽtia. Probatur: quoniam licèt diuina essentia in suo conceptu essentialiter includat omnia sua essẽtialia prædicata; ipsa tamen prędicata diuisim sumpta se se mutuo essentialiter non includunt. De attributis id latè ostendemus in sequẽti q. de prædicatis verò omnium cõsensu essentialibus idem affirmari debet, vt diximus in q. 7. ar. 1. §. 4. etenim diuina essentia præcisè sumpta sub ratione substantię solùm consideratur sub quadam habitudine, qua tanquam vltima differentia ratio substantiæ constituitur in tali esse; quę ipsa non est ratio, qua veluti vltima differentia constituitur esse immateriale, aut esse viuentis in tali esse. Quin potius diuina essentia præcisè sub ratione substantiæ formaliter distinguitur saltem per intellectũ à se ipsa, vt formaliter est spiritus, aut vita; adeo, vt hæc sit vera: conceptus diuinæ essentiæ, provt est substantia, non est conceptus diuinæ essentiæ, vt est vita: quia ratio formalis obiectiua substantiæ, non est ratio formalis obiectiua vitæ, sicut etiam cõceptus diuinę essentię, vt est substantia, aut spiritus, aut vita, non est conceptus illius, vt est sapientia, de quo inferius q. 9. & 10. Cum igitur prędicata essentialia diuinæ essentię diuisim sumpta sese mutuo in suis conceptibus non includant, concedendum est diuinam essentiam conceptam sub aliqua speciali ratione sibi essentiali non esse de conceptu attributorũ; quantunuis ipsa absolutè concepta in suo conceptu includat attributa.

§. Cõclusio.

12. Nec aduersus hanc conclusionem ita explicatam quicquam facit fundamentum opinionis affirmantis: quia negandum est essentiam diuinam sub illo cõceptu esse de conceptu essentiali attributorum. Imò negandum est ipsa attributa esse de essentia ipsius essentiæ, provt sic concipitur; quanuis admittatur ea esse de conceptu diuinæ essentię absolute sumptæ.

13. Si verò essentia diuina concipiatur priori modo; id est, sub adæquata ratione essentiæ, confusè tamen, & inexplicatè, sit secunda conclusio: diuina essentia concepta sub adæquato conceptu essẽtiæ, confuso tamen, est quidem essentialiter idem cum suis attributis; non tamen est de essentia illorum, nec de illis prædicatur in quid primo modo.

2. Cõclusio.

Pro explicatione huius conclusionis præmittendum est non esse omnino idẽ aliquid esse de essentia alicuius, & esse idem essentialiter cum illo: nam, vt aliquid sit essentialiter idem cum alio, satis est, quod cum illo sit vnum in essentia, quomodo diffinitum idem essentialiter est cum sua diffinitione. At vero, vt aliquid sit de essentia alterius, opus est, vt per se primo sit constitutiuum illius in aliquo certo, & determinato essendi gradu essentialiter illi debito, tãquam primum formale principium talis gradus essendi: hoc enim reperitur in omnibus prædicatis, quæ de alio essentialiter prædicantur: etenim animal ideo est de conceptu hominis, quia cõstituit hominem in esse sensitiui, vt primum formale principium sentiendi, & sic de cęteris. In diuinis etiam ideo substantia infinita dicitur esse de conceptu essentiali diuinę essentiæ; quia per se est formale principium huius essendi gradus.

Non idem est esse de essentia alicuius, & esse idem essentialiter cũ illo.

Ex hoc iam infertur nostræ assertionis confirmatio: nam essentia diuina concepta sub ratione essentiæ, & quatenus talis est, non potest per se, & ratione sui aliquod attributum constituere in esse talis attributi: v.g. non potest per se constituere sapientiam in esse sapientiæ. Ergo non potest esse de essentia alicuius attributi. Consequentia valet ex præmissa doctrina. Antecedens autem euidenter ostenditur, si præmittamus essentiam diuinam sub ratione adęquata essentiæ non dicere specialem aliquẽ essendi gradum abstrahibilẽ à suis prædicatis essentialibus, ratione cuius possit constituere attributum in aliquo essendi

Vera cõfirmatio. cõclusio.

sendi gradu: sicut enim essẽtia hominis non dicit aliquem gradũ essendi distinctum ab animali rationali, nec abstrahibilẽ ab animali, & rationali; sed, vt est hominis essentia formaliter est ipsum animal rationale (diffinitum enim formaliter non dicit aliquid abstrahibile à sua diffinitione, sed formaliter est sua diffinitio) ita etiam diuina essentia non dicit aliquem essendi gradum distinctũ & abstrahibilẽ à gradibus essendi suorum essentialium prædicatorum: sed formaliter est sua essentialia prædicata, vt vnita ineffabili quadam essentiæ vnitate. Quomodo igitur, vt essẽtia est poterit esse primum constitutiuum alicuius in aliquo speciali essendi gradu?

14. Alia cõfirmatio.

Sed id clarius ostendamus suppositahac doctrina: si diuina essentia, vt est essẽtia, est de cõceptu sapientię v.g. ergo sub ratione essentię erit cõstitutiua sapientiæ in esse, & gradu sapientię: diximus enim nihil esse de essentia alicuius, nisi sit cõstitutiuum illius in aliquo esse eidem substantiali. Iam inquiro; an essentia, vt essentia est, constituat sapientiam in esse, & conceptu sapientię, quatenus est sapientia; an quatenus est substantia, aut spiritus, aut vita, aut iustitia, & cæt. Hoc posterius dari non potest; quia diuina essentia, vt formaliter est substantia, & præcisè sub gradu substantię formaliter nõ est sapientia, nec sub gradu spiritus, aut vitę, aliorum ve attributorum, vt sæpe diximus, & fatentur aduersarij. Sed nec potest dari illud prius; quia essentia formaliter constituta est in esse sapientiæ per ipsammet sapientiam: sapientia enim ideo est de essentia essentię (vt supponimus) quia formaliter eam constituit in esse sapiẽtię, tanquam primum, & formale principium sapiendi. At impossibile est, vt vnum sit principiũ formale per se constitutiuum alterius in aliquo esse, & vicissim ab illo in tali esse constituatur, vt à principio formali, & primo talis gradus essendi. Scio aliquos id non reputare impossibile, quando duo sũt vna res simplicissima, & infinita. Sed cum id vix sit intelligibile, nec aliquid cogat, vt dicamus essentiam esse de conceptu suorum attributorum; longe puto probabiliorem sententiam, quæ id negat.

Concludendum est igitur essentiã diuinam sumptam sub adæquata ratione essentiæ esse quidem essentialiter idem cum suis attributis; non tamen esse de essentia suorum attributorũ: sicut enim homo essentialiter est idem cum animali rationali, & diffinitum cum sua diffinitione: non tamen est de essentia suæ diffinitionis, aut alicuius partis illius. Quomodo autem essentia de attributis prædicetur; dicemus quæst. 10. 15.

§. 5.

Expenditur vis argumentorum partis negantis.

QVoniam nostra opinio ita parti affirmanti repugnat, vt neganti non omnino consentiat; operæ pretium erit expendere vim argumentorum, quæ pro negante parte adduximus. Primum argumentum apud aduersarios parum habet efficaciæ; quia sine probatione sumit, quod affirmantes negant: nec enim admittunt aliquod attributum posse à nobis concipi conceptu omnibus modis præciso ab essentia. Nam cum ponant essentiam esse de essentia cuiusq; illorum; nõ potest cõceptus attributi esse præcisus ab ea: quia licèt possit ab ea explicitè prescindere; nunquam tamen præscindet implicitè, vt docet Suarius libr. de essentia Dei c. 12. n. 8. Et oppositum non probatur, sed supponitur. Sed nec efficaciam habet apud nostram opinionem: nam quanuis negemus essentiam esse de essentia attributorum; admittimus tamen essentiã formaliter, & essentialiter esse idem cũ attributis, & singulis illorum. Supposita autem hac opinione antecedens est falsum: quia fieri non potest, vt attributum concipiatur, vt omnino præcisum ab essentia: quia partes diffinitionis nullo modo possunt in suis cõceptibus abstrahere à diffinito. Non ideo, quod diffinitum sit de illarum essentia (id enim diximus esse falsum) sed quia sunt idem formaliter, & essentialiter cum diffinito: nihil autem in suo conceptu potest abstrahere ab eo cum quo formaliter est idem. Cum igitur attributa sint partes diffinientes diuinam essẽtiam, idem essentialiter erunt cum illa, & per consequens nec eorum conceptus ab illa abstrahant. 16. Ad 1. partis negantis.

Nec

17. Nec obstat, quod cõceptus formalis cuiusq; attributi realiter sit alius à cõceptu formali diuinæ essentię, etiam vt sumitur confusè: nec enim inde bene infertur cõceptum obiectiuum vnius abstrahere à conceptu obiectiuo alterius: nam in hac propositione, *Petrus est Petrus* distinctus est conceptus formalis Petri, vt subiecti, & vt prædicati: & tamen cõceptus obiectiuus terminãs vnum conceptum formalem, non abstrahit à cõceptu obiectiuo alterius. Quod si instes ex diuersitate conceptuum formalium inferri, conceptus obiectiuos distingui inter se ratione; respondebo ex diuersitate conceptuum formalium necessario inferri aliquam distinctionem inter obiectiuos; quia licèt non necessario inferatur distinctio rationis ratiocinatæ; necessario tamẽ infertur distinctio saltem rationis ratiocinantis, vt patet, cũ Petrus de se ipso prędicatur. Quare cõceptus obiectiui diffinitionis, & diffiniti non differunt ratione aliqua ratiocinata; sed solùm differunt penes modum concipiendi confusum, aut distinctum; quæ distinctio pertinet ad rationem ratiocinantem. Similiter dicendum erit de essentia, & attributis: sapientia enim explicitè concipitur, cum concipitur sub ratione sapientiæ; implicitè vero cum concipitur sub conceptu essentiæ: & è conuerso essentia implicite concipitur, cum concipitur sapientia.

Solut. quędã instãtia.

Alia instãtia dissoluitur.

18. Secundum argumẽtum, quod est Bellomontani, nihil prorsus habet efficaciæ, vt contra eum bene aduertit Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 12. n. 8. quia cõsequentia est inutilis: fundatur enim in propositione falsa; falsissimum enim est *id, quod expressè non est in nostra cognitione non includi in re cogitata, prout à nobis cogitatur*, si generaliter intelligatur: nam fieri potest, vt expressè non includatur; includatur tamen implicitè: aliàs (vt bene adnotauit Suarius) quando ego expressè formo hunc conceptum, *homo est animal*, superiora (viuens scilicèt, corp⁹, & substantia) non includerentur in cõceptu hominis; quod est contra commu nem modum concipiendi.

Ad 2.

19. Tertium argumentum ex eodem Bellomontano est omnino inutile: quia licet conceptus formales, quos formam⁹ de sapientia, & essentia, sint ita diuersi, vt vnus non sit in alio (quia sunt qualitates realiter diuersæ) obiectiui tamen conceptus illis correspondentes ita se habẽt, vt vnus implicitè sit in alio: nam sapientia diuina obiectiuè cõcepta implicitè includit diuinam essentiam; diuina etiam essentia obiectiuè cognita implicitè continet sapientiam, vt diximus ad primum. Vide supra q. 7. ar. 1. §. 5. ad tertiam rationem.

Ad 3.

20. Ad quartum iam respondimus in d. §. 5. ad 2. vbi negauimus antecedẽs, si essentia diuina concipiatur sub confusa, & indeterminata ratione essentiæ; quia vt sic, est formaliter idem cum omnibus & singulis suis prædicatis essentialibus, in quibus enumeramus attributa.

Ad 4.

21. Ad quintum patet solutio ex d. §. 5. ad quartam rationem. Nunc in forma dicimus in antecedente supponi falsum: quoniam essentia, vt cõcipitur sub adæquata ratione essentiæ, inconfuso tamẽ, non est formaliter distincta ab attributis, nec à singulis eorum: sicut etiam essentia hominis, vt confusè significata, non distinguitur formaliter à sua diffinitione, nec à singulis eius partibus: homo enim, vt homo est, non solùm est animal rationale, sed etiam est animal, & est rationalis. Non negamus essentiam conceptam confusè distingui ratione à suis essentialibus prędicatis conceptis distinctè: hęc tamen distinctio est rationis ratiocinantis. Antecedens igitur in sensu explicato negandum est. Ad probationem dicendum, est longum esse discrimen inter attributa collata inter se, & inter essentiam comparatam cum attributis: nam singula attributa habent propriam, & specialem rationẽ formalem, propriumque essendi gradũ distinctum à gradu essendi aliorum, & abstrahibilem ab illis, ita vt super illum possit cadere reduplicatio. Hoc autem non reperitur in essentia: nec enim dicit aliquem specialem gradum præter gradus suorum prædicatorũ: vnde hæc reduplicatio *essentia, vt essentia* solùm reduplicat (cõfusè tamen) rationem prædicatorum, ex quibus essentialiter constituitur: & inde est, vt nunquam possit negari de suis attributis, etiam diuisim sumptis: nam homo, vt homo est, nunquam verè negabitur, aut de sua diffinitione, aut do aliqua illius parte: hæc enim

Ad 5.

enim propositiones nunquam erunt veræ, *homo non est animal rationale*: *homo non est animal*: *homo non est rationalis*: quanuis hæc sit vera, *homo quatenus animal non est rationalis*: hęc item; *homo quatenus rationalis non est animal*. Similiter igitur dicendum est has propositiones esse veras: *essentia diuina, quatenus iustitia, non est misericordia: & quatenus sapientia non est iustitia*; hæ tamen erunt falsæ: *essentia, vt essentia, non est substantia: non est vita: non est iustitia, & cæt.* Quod in hac materia est diligentissimè obseruandum.

Ad vltimũ. Postremum argumentum nec repugnat nostræ primæ assertioni, nec secũdæ: contra aduersarios verò vtrum valeat? ex sequenti ar. patebit.

ARTICVLVS II.

Vtrum diuina essentia in se sit de essentia attributorum?

1. AGendum est consequenter de essentia, & attributis, vt sunt in se ipsis: & inquirendum, an sicut attributa, vt sunt in re, essentialiter includuntur in essentia, iuxta veriorem sententiam, quam probauimus; ita etiam essentia essentialiter includatur in attributis? Quæ quæstio nec est inepta, nec ineptè supponit in diuinis à parte rei dari vnius in alio essentialem inclusionem, vt contra Bellomontanum ostẽdimus q. 7. ar. 2. §. 1. datur enim à parte rei sufficiens fundamẽtum huius inquisitionis: quia illa vnitas actualissima omnium, quæ sunt in Deo, ex sua natura est virtute multiplex admittens virtualem aliquam distinctionem. Et ita iam datur locus inquirendi, an ea, quæ virtualiter distinguuntur, ita se habeant, vt vnum sit de essentia alterius.

§. 1.
Pars affirmans.

2. Auctores partis affirmantis. *Torres. Cumelius. Molina.* PArtem affirmantem expressè probarunt Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 2. dub. vlt. pag. 511. col. 3. Cumelius ibi q. 8. in 3. dubio pag. 445. column. 2. §. *quam rem vt intelligas*, & ibi Molina disp. 4. in principio; latè Suarius lib. 1. de essentia Dei cap. 12. vbi n. 3. affirmat moderniores id ipsum sentire. 1. p. q. 3. ar. 6. & q. 13. ar. 4. & q. 28. ar. 2. satis hoc significat Ferrar. 2. contra Gentes c. 9. §. *aduertendum tamen*. Pro hac opinione Suarius primò ita arguit: si essentia diuina non est de essentia attributorum, nec attributa sunt de essentia ipsius essentiæ: sed capite 11. probatum est attributa in re esse de essentia ipsius essentiæ. Ergò essentia est de essentia attributorum. Consequentiam inde probat; quia essentia magis essentialiter includitur in omnibus, quæ sunt intra Deum, quàm è conuerso, vt putat se probasse lib. 3. de Trinitate c. 7. n. 7. & 8. Ergo si attributa essentialiter includuntur in essentia, à fortiori essentia essentialiter in attributis includetur. *Ferrar.* 1. Ratio opinionis affirmantis.

Secundo arguit n. 4. sapientia Dei essentialiter est actus increatus. Ergo essentialiter est Deus. Ergò essentialiter includit essentiam diuinam. Quod sapientia sit actus increatus ex eo patet, quia non est creatura. Quod verò essẽtialiter sit actus increatus, inde ostẽditur; quia si sapientia Dei est increata, ergo est suũ esse actualis existentiæ. Ergo habet illud ex vi suę essentiæ: nec enim aliunde potest eam habere. Ergo est essentialiter actus increatus. Quod fuit antecedens. Porrò prima cõsequentia inde deducitur, quia nihil potest esse essentialiter ens actu, nisi quod est essentialiter Deus: nam, quod est essentialiter ens actu, est suum esse per essentiam: cum vero hoc sit proprium Dei, bene infertur, quod essentialiter est ens actu, essentialiter esse Deum. Ex quo bene infertur sapientiam essentialiter includere essentiam diuinam, quæ fuit secunda consequentia. 3. 2. Ratio.

Tertio numero 5. arguit argumento D. Bernardi cõtra Gilbertum serm. 80. in cantica: si sapientia, qua Deus est sapiens & essentia Dei ita condistinguuntur, vt vna nõ sit de essẽtia alterius, nec è conuerso; interrogo, an sapientia sit æqualis essentiæ, vel maior, vel minor. Si minor; non est increata, sed creata. Maior esse non potest, vt patet: si autẽ est æqualis; necesse est, vt sapientia includat totã perfectionem essẽtiæ. Quę ratio (vt ait) licèt à D. Bernardo adducatur ad probandũ naturã, & personalitatem Dei esse non posse res distinctas; tamen in vniuersũ probat nõ posse esse aliquid 4. 3. Ratio.

aliquid in Deo, quin essentialiter includat omnem perfectionem essentię diuinę: quod enim non est essẽtialiter Deº, nec Deus esse potest, & consequenter erit quid creatum.

Confirmatio. Confirmat id ipsum; quia D. Bernardus ex argumento immediatè proposito concludit *impijssimè dici sapientiam, qua sapiens Deus est, non esse Deum.* Idem diceret de cæteris attributis. At non video (inquit) quomodo sapientia possit esse Deº nisi essentialiter includat diuinitatem: nam idem Bernardus vult in diuinitate, vt diuinitas est, omnia includi, & illam includi in omnibus; ita enim inquit: *Nec enim aliunde bonus, quam vnde magnus; nec aliunde iustus, aut sapiens, quam vnde magnus, & bonus: nec aliunde denique simul hæc omnia est, quàm vnde Deus; & hæc quoquè non nisi se ipso.* Deus igitur ex D. Bernardo inde habet illa attributa, vnde habet, quod sit Deus: est autem Deus essentialiter per diuinitatem. Ergo per diuinitatem essentialiter erit illa omnia, & per consequens diuinitas in illis omibus essentialiter includitur.

5. 4. Ratio. Quarto ita possumus arguere ex eodem lib. 3. de Trinit. c. 7. n. 7. & 8. sapientia est Deus. Ergo essẽtialiter est Deus. Ergo in suo cõceptu essentiali includit diuinitatem. Antecedens patet ex D. Bernardo. Prima consequentia probatur: quia si sapientia est Deus. Ergo est summè perfectum, quod esse, aut concipi potest: sed perfectissimus modus est habere essentialiter deitatem, potius quam alio modo. Hoc argumento putat nihil esse in Deo, in quo essentialiter non includatur diuinitas.

6. 5. Ratio. Quinto loco Torres, & Cumelius hoc vtuntur medio: quoniam sicut ens ita se habet ad omnes res, vt intrinsecus, & essẽtialiter includatur in omnibus rebus (quælibet enim res intrinsecus, & essentialiter est ens) ita diuina essentia ita se habet ad omnia diuina, tam absoluta, quam relatiua, vt intrinsecus, & essentialiter includatur in qualibet re diuina. Inde concludunt nihil esse in Deo, quod intrinsecus non sit Deus, & diuina essentia: adeo, vt blasphemum sit asserere aliquid esse in Deo, quod intrinsecè non sit Deus: aliàs aut esset creatura, aut daretur aliquid medium inter Deũ, & creaturam.

7. Postrema ratio ex D. Thom. Postremo id confirmant verbis D. Thomæ 1. p. quæst. 27. ar. 2. ad 3. dum ait *in ipsa perfectione diuini esse contineri, & verbum intelligibiliter procedens, & principium verbi: sicut, & quæcunquè ad eius perfectionem pertinent.* Ergo ex sententia D. Thomæ esse Dei, & perfectio diuini esse (essentia scilicèt diuina) continet in se omnia diuina tam absoluta, quam relatiua. At non continet omnia continentia interna; ita vt essentialiter omnia in se contineat, quidquid Caietanus dicat: quoniam diuina essentia essentialiter in se non continet relatiua, vt ex mente D. Thomæ supponitur. Ergo ex mente D. Thomæ essentia continet in se omnia diuina absoluta, & relatiua continentia communicationis, qua diuina essentia est communis omnibus rebus diuinis essentialiter in illis inclusa, vt ens essentialiter includitur in omnibus rebus. Quare ex mente D. Thomæ essentia diuina est de essentia suorum attributorum. Hæc sunt præcipua opinionis affirmantis argumenta.

§. 2.

Eligitur opinio negans.

8. EX ijs, quæ diximus in præcedente ar. facilè intelligitur quæstionem resoluendam esse pro parte negãte. Sed, vt distinctius procedamus, sequentes statuimus conclusiones.

1. Cõclusio. Sit prima conclusio, essentia diuina non potest esse de essentia attributorum, si attributa non sunt de essentia essentiæ. Vnde Scotistæ priorem opinionem probantes hanc etiam probãt, vt patet ex Rada 1. p. controuersia 4. concl. 5. pag. 64. Ratio est euidens: quia supposita hac sententia ideo in re, attributa non sunt de essentia essentię, quia in re sunt quædam diuinę perfectiones, quæ ex sua natura non constituunt essentiam, sed solùm veluti qualificant, vt diximus q. 7. ar. 2. §. 5. ad primam, & quin tam demonstrationem, vbi diximus hoc esse satis consentaneum theologiæ Damasceni, Cyrilli, & Nysseni. At, quæ in re ita se habent, vt vnum sit veluti qualitas alterius, mutuo se se excludunt à ratione essentiali, & quidditatiua, vt ostensum est in præcedente articul. 9. tertio. Quare si attributa in re non sũt de intrinseca ratione essentiæ; nec essentia

Rada.

sentia erit de intrinseca ratione attributorum.

9. 2. Cõclusio. Secũda cõclusio: apud eos qui verius existimant attributa essentialiter includi in essentia; essentia est quidem idem formaliter & essentialiter cum suis attributis; non tamẽ est de essentia illorũ. Huius conclusionis confirmatio quoad vtranque partem iam est posita in præcedente ar. §. 4. concl. 2. vide ibi.

10. Ad 1. partis affirmatiuę Nec huic resolutioni obstãt, quę pro parte affirmante adduximus. Ad primũ auctores primæ assertionis admittunt primam consequẽtiam: quia apud illos nec essentia est de essentia attributorũ, nec attributa sunt de essentia essentiæ: argumenta in oppositum soluta sunt q. 7. §. 5. Porro, qui secundam probant cõclusionem, cum admittãt attributa esse de essentia essentiæ; negent autem essentiam esse de essentia attributorum; admissoantecedẽte negabunt primam cõsequentiam. Ad probationem neganda est propositio sũpta, si essẽtialiter includi idẽ est, quod esse de essentia: ratio patet ex ar. 1. §. 4. cõcl. 2. nihil enim est de essẽtia alteri⁹, nisi illud per se primo cõstituat in aliquo determinato essendi gradu. Iam vero, quæ sunt intra Deum (de absolutis loquor) ita se habent ad diuinam essẽtiam, vt illam per se primò constituant in certo quodam gradu essendi, vt patet: essentia autem, vt est essentia, non potest constituere in aliquo essendi gradu perfectiones, quæ intus sunt in Deo, vt ostendimus in d. concl. 2. Essentia igitur idem est essentialiter cũ suis attributis; quia se habet ad illa, vt diffinitum ad suam diffinitionem; nõ tamen est de essentia suorũ attributorum quia diffinitum non est de essentia suæ diffinitionis. At verò attributa non solum sunt idem formaliter cum essentia, sed etiam sunt de de illius essentia; quia illã per se primo cõstituũt in aliquo esse ei essentiali. Quæ vero adducuntur à Suario lib. 3. de Trinitate cap. 7. n. 8. si quid probant, solum probant nihil esse in Deo, quod essentialiter non sit Deus, & de essentia Dei: non tamen probant, quod Deus sit de essentia omniũ quæ sũt in Deo, nãlicèt Deus, eiusq; diuinitas sit idẽ assẽtialiter, & formaliter cũ ijs, quę sunt in Deo (quia se habet ad illa, vt diffinitum ad diffinitionẽ) non tamen Deus est de essentia illorum; quia diffinitum non est de essentia diffinitionis.

11. Ad 2. Ad secundum argumentum explicãdum est antecedens: nam si est sensus, sapientiam Dei essentialiter esse actum increatum, id est, ex sua essentia vendicare sibi esse actum increatum; eo modo, quo homo ex sua essentia vendicat sibi risibilitatẽ; quia essẽtia est ratio, cur risibilitas debeatur homini: antecedẽs est verum; sed ex eo nihil potest deduci contra nostram sententiam. Porro si est sensus, sapientiam essentialiter esse actum increatum; quia esse increatũ est de illius essentia, & quidditate; negãdum est antecedens: quoniam in rigore loquendo, nec sapientiæ, nec Dei est essentiale prædicatum: nam esse increatum, vel sumitur negatiuè, vt idem sit quod esse à se, & non ab alio: vel sumitur positiuè pro illa perfectione, & eminentia in essendo, quam per illam negationem declaramus. Neutro autem modo potest esse de essentia Dei, aut sapiẽtiæ. Quod negatiuè sumptum non sit de essentia, aut Dei, aut sapientiæ, res est notissima: quam agnouit Suarius in Metaph. disput. 30. sectione 6. n. 20. quia nulla negatio est de essentia positiui. Quod autem nec sit de essentia, si sumatur positiuè, ex eo patet, quia sicut *infinitum* non dicit aliquam positiuam perfectionem in Deo, sed modum quẽdam essendi eminentissimum; ita etiam *increatum* nõ dicit aliquam perfectionem positiuã, sed modũ eminentissimũ habẽdi entitatẽ: quod volumus esse suppositũ. At modus essẽdi, quantũuis sit intrinsecus rei, nõ est tamẽ aliquod prædicatũ constitutiuũ essentię in aliquo gradu entitatis; quod requiritur, vt sit de essẽtia. Quare antecedẽs fallũest, siue *increatum* sumatur negatiuè, siue positiuè.

12. Probatio antecedentis non valet. Nec probatio antecedentis aliquid habet efficaciæ: quin potius multiplices patitur defectus. Cum arguit: *sapientia Dei est increata. Ergo est suum esse actualis existentiæ*: vel est sensus; *ergo sapientia includit existentiam in sua essentia*: vel est sẽsus; *ergo sapientia à se, & non ab alio habet sua existentiam.* In priori sensu multi negabunt consequentiam; illi scilicet, qui putant existentiam non esse de essentia Dei; vt inter alios existimauit Salas 1. 2. quæst. tertia tract. secund. disput. 3. *Salas.*

sectione septima num. 32. pagin. 223. quam sententiam puto esse verisimam non ob illud, quo ille nititur, fundamentum; sed quia existentia in Deo formaliter sumpta non est gradus essendi, sed essendi modus: modus autem essendi à ratione prædicati essentialis reijcitur. Illa igitur consequentia non erit formalis. Quare *esse increatum* necessario inferet existtentiam actualem esse modũ essendi intrinsecum Deo; non tamen esse essentiale prædicatum. Porro si cõsequens in posteriori sensu intelligatur; admittenda est sequela; quia *esse increatum, & esse ens non ab alio* idem prorsus sunt, teste Suario in Metaph. disput. 28. sectione 1. num. 14. Cum vero rursus infertur. *sapientiam Dei habere existentiam ex vi suæ essentiæ*, neganda est sequela, si sensus est, quod habeat existentiã ex sua essentia: quia, vt diximus, existẽtia Dei, cum solùm sit modus essendi, nõ potest esse constitutiua essentiæ. At si propositio habeat hunc sensum, *vt sapientia ex vi suæ essentiæ vendicet sibi existentiam* eo modo, quo essentia hominis vendicat sibi risibilitatem; admittenda est sequela: quia sicut essentia hominis est prima radix, vnde risibilitas homini conueniat; ita essentia Dei est veluti prima origo, cur existentia intrinsecè, & necessario conueniat Deo. Sed inde inutiliter infertur sapientiam Dei essentialiter esse actum increatum, ita vt *esse increatum* sit de essentia illius.

13. 2. Solutio argumenti 2. Nec solùm argumentum est inefficax ratione antecedentis; sed etiam ratione consequentiæ. Nam & si gratis dem sapientiam Dei vendicare sibi esse actũ increatum, vt partem suæ essentiæ: adhuc inde non bene infertur sapientiam Dei essentialiter includere essentiam diuinam, vt prædicatum de essentia. Ad probationem dicimus propositionem istam, *nihil potest essentialiter esse ens actu, nisi quod essentialiter est Deus* à Scotistis esse negandam; quia vt aliquid ex sua essentia sit ens actu, satis est, quod realiter, & identicè sit Deus, quanuis formaliter Deus non sit: etenim attributa diuina apud Scotistas sunt essentialiter ens actu; & tamen formaliter non sunt Deus: relationes etiam diuinæ essentialiter sunt suum esse, vt supponimus; & tamen apud Scotistas formalter non sunt Deus; quod etiam probauerunt plures ex modernis, inter quos Bellomontanus 1. p. disputat. 121. cap. secundo. Quare propositio assumpta non est vsquequaquè indubitata: neganda enim erit ab illis, qui putant attributa non esse de essentia Dei. Quin potius etiam negari potest, quanuis admittamus attributa essentialiter includi in diuina essentia, si sẽsus fuerit: *nihil potest esse ens actu, nisi Deus fuerit de eius essentia*: Etenim si attributa sunt de essentia essentię, sine dubio essẽtialiter sunt suum esse; & tamen Deus non est de illorũ essentia; quia in ordine ad ea se habet veluti diffinitum, iuxta ea quæ supra diximus. Et hæc satis sint pro explicanda multiplici huius argumenti inefficacia.

14. Ad 3. Ad 3. dicimus argumentum, provt à Suario proponitur, nõ esse D. Bernardi, vt patet ex q. 5. ar. 4 §. 9. n. 146 Et vt alia omittamus, D. Bernardus ex admissa æqualitate inter personam Dei, & diuinitatem infert dari duo summa bona: cũ tamen argumentum, vt proponitur, inferat sapientiam includere totam perfectionem essentiæ. At consequentia D. Bernardi ex ijs, quæ hæreticus concedebat, est optima, vt diximus, in d. n. 56. inutilem autem esse consequentiam, quam facit Suarij argumentum, iam ostendimus q. 7. ar. 2. §. 5. ad 7. rationem. Admittimus igitur sapientiam nec minorem esse, nec maiorem, quam essentiam; sed esse æqualem in hoc sensu, quia est eiusdem entitatis cum essentia. Cum vero inde infertur *sapientiam includere totam perfectionem essentiæ* admittenda est sequela, si sermo sit de inclusione per realem, & substantialem identitatem: sed inde non bene infertur essentiam esse de essentia, & quidditate sapientiæ: nam essentia est substantialiter idem cum relatione; & tamen relatio non est de essentia essentiæ. At si est sensus *sapientiam includere totam perfectionem essentiæ*, vt prędicatum de sua essentia; neganda est sequela: quia æqualitas, quam admittimus, solùm est posita in identitate substantiali; ex quo non bene infertur essentiam esse de essentia sapientię. Quare ratio, quæ D. Bernardo falso imponitur, in vniuersum non probat, nihil esse in Deo, quin essentialiter includat

Explicatur Bernard.

cludat omnem perfectionem diuinæ essentiæ.

13. Ad confirmationem. Ad confirmationem fatemur D.Bernardum ex suo argumento contra Gilbertum optimè intulisse *impijssimè dici sapientiam, qua Deus est sapiens, non esse Deum*: quia verè impium est in sensu, in quo id asserebat Gilbertus: qui volebat sapiẽtiam realiter distingui à Deo: in quo sẽsu impijssimè dicitur sapientiam Dei non esse substantialiter Deum. Hic est genuinus intellectus verborum D.Bernardi; qui totus ibi erat in confirmanda reali, & substantiali identitate inter personam Dei, & diuinitatem. Quare non est asserendũ D.Bernardum appellare impijssimam eam assertionem, quę asserit sapientiam nõ includere Deum, vt prædicatum de essentia: quomodo enim impijssimum erit, quod tot, ac tanti theologi affirmant? At inquit Suarius se non videre, quomodo sapientia possit esse Deus, nisi essentialiter includat diuinitatem. At grauissimi theologi vident, & optimè vident sapientiam dici posse Deum ex sola reali, & essentiali identitate, vt videbimus quæst. 10. Imo bona theologia videt sapientiam posse dici Deum, non modo in sensu idẽtico; sed etiam in sensu formali, indirecto tamen; quanuis Deus, diuinaque essentia non sit de essentia sapientiæ, ex eo præcisè, quia essentialiter est idem cum Deo: etenim animal rationale formaliter dicitur homo prædicatione indirecta, quanuis homo non sit de essentia animalis rationalis iuxta ea, quæ diximus suprà artic. primo §. 4. nec enim idem est aliquid esse de essentia alterius & esse idem essentialiter cum illo. Deus igitur in ordine ad sua prædicata essentialia se habet tãquam diffinitum. Erit ergo vnum essentialiter cum singulis suæ diffinitionis veluti partibus (interquæ enumeramus attributa) non erit tamen de essentia cuiusquè illarum. Quare facilè videtur, quomodo sapiẽtia sit Deus, non modo in sensu identico; sed etiam in formali indirecto; quanuis Deus non sit de essentia sapientiæ. Verba autem, quæ vltimo loco adducuntur ex D. Bernardo, longè alium habent sensum, vt ostendemus in quæstione nona articulo secundo, §. quinto, vbi ostendemus sẽsum esse: *Deus non aliunde bonus, quam vnde magnus*, id est, non alia re est bonus, & alia est magnus, vide, quę ibi dicemus.

Quartũ argumẽtum facile soluet, qui senserit attributa non esse de essẽtia diuinæ naturæ: is enim ex consequenti dicere tenetur essentiam non esse de essẽtia attributorum: negabit igitur hanc propositionem, *sapientia est Deus* in sensu formali, de quo q. 10. erit igitur illa propositio vera in sensu identico, in quo solo prolata fuit à D.Bernardo, vt sæpe diximus, & iterum dicemus q. 9. & 10. In hoc autem sensu prima consequẽtia est friuola: quia diuina essentia in sẽsu idẽtico est relatio; & tamen essentia essentialiter non est relatio consentiente eodem Suario. Sed nec argumẽtum valet, si dixeris attributa essentialiter includi in diuina essentia: nam in hac sententia essentia idem erit essentialiter cum sapientia; non tamen erit de essentia sapientiæ: iuxta ea, quæ de diffinito, & diffinitione sæpe diximus. Quare illa propositio *sapientia est Deus* non solùm est vera in sensu identico, sed etiam in formali indirecto, vt ad 3. dicebamus. Cũ vero infertur, *ergo sapientia essentialiter est Deus* bona est sequela, si sensus est sapientiam esse idem essentialiter cum Deo ex quo sensu non valet vltima consequentia: quia diffinitio est idem essentialiter cum diffinito; non tamen illud includit in sua essentia. At tamen si in prima consequentia consequentis sensus est, *ergo de essentia sapientiæ est Deus* neganda est sequela ex doctrina sæpius tradita. Ad probationem verò admittimus sapientiam Dei esse quid summè perfectum, quod concipi potest. Quando vero additur: *perfectissimum modum habendi Deitatem esse habere illam essentialiter*; admittimus: non tamem inde infertur solùm modum habendi deitatem, vt prędicatum de essẽtia esse perfectissimum: quia etiam perfectissimus est habere deitatem per identitatem formalem; quatenus habens est idem formaliter, & essentialiter cum Deitate. Vterque igitur modus habendi est perfectissimus. Quorum alter debite accommodatur diffinito in ordine ad diffinitionem; alter diffinitioni in ordine ad diffinitum. Et ad hunc sensum verissimum est, quod Suarius concludit, nihil esse

14. Ad 4.

in Deo, in quo non contineatur diuinitas.

17. Ad. 5. Ad quintũ maior sumitur sine probatione, quæ tamen est neganda, vt colliges ex Bellomontano 1. p. disp. 119. c. 2. n. 6. dispar enim ratio cernitur inter ens respectu omnium entium, & diuinitatem respectu eorum, quæ sunt in Deo: nam ens verè est transcendens quoddã commune omnibus entibus in recta linea, & subinde est superius omnibus, ab illis abstractum sub vna ratione analoga. Vnde cum nullo suorum inferiorum reciprocatur, nec ad aliquod ens se habet per modum substrati, ac veluti subiecti. Horum autem nihil conuenit diuinæ essentiæ respectu eorum, quæ sunt in Deo: etenim cum reciprocetur cum singulis eorum, non potest habere rationem alicuius superioris transcendẽtis: cum vero veluti qualificetur suis perfectionibus, iuxta modum theologizandi Cyrilli, Nysseni, & Damasceni; potius se habet respectu illarum admodum cuiusdam substrati, atque subiecti habẽtis illas, quam ad modum superioris, & communis. Quin potius cum iuxta veriorem sententiam omnia in se essentialiter includat, vt prædicata, quibus in esse essentiæ constituitur; potius se habet ad illa ad modum diffiniti, quã ad modum diffiniẽtis. Deniq; cum ratio entis non sit vna in suis inferioribus; essentia verò vna tantum sit in omnibus: concedendum est longe alio modo se habere ens ad sua inferiora; atque se habet diuina essentia ad ea, quæ sunt in Deo. Destructo autem argumenti fundamento, totum ipsum destruitur. Quod vero addit blasphemum esse asserere aliquid esse in Deo, quod de se intrinsecus non sit Deus; admittendum est, si id asseratur in sensu identico; quidquid enim est in Deo ex se, & intrinsecus est substantialiter Deus; in hoc enim sensu esset creatura. At si velit Torres blasphemum esse aliquid dari in Deo, quod licet substantialiter sit Deus; non tamen formaliter; cauenda est talis censura; quia grauissimi theologi id asserunt; nec inde infertur, quod illud tale sit creatura.

Cyrillus. Nyssenus. Damasc.

18. Ad postremum. Postremum argumẽtum sumptum ex D. Thoma nihil habet difficultatis: quia verba adducta euidenter intelliguntur de continentia per substantialem identitatem: omnia enim siue personalia, siue essentialia in Deo sunt vna substantia: quem sensum explicauit, dum dixit se iã id docuisse q. 14. ar. 4. nam in eo loco expressè probat in Deo omnia esse substantiam diuinam, & nihil illi esse accidens. Ex quo patet, quam alienus sit à mente D. Thomæ sensus ipsius Torres. Et hæc de isto ar. & q.

QVÆSTIO IX.

De mutua attributorum inclusione inter se.

CONSEQVENTER agendum est de mutua attributorum inclusione inter se, & sicut attributa contulimus cum essentia vel provt apud nostrum intellectum ab illa distinguebãtur ratione: vel provt à parte rei erant in se ipsis: ita & nunc vtroque modo attributa considerabimus. Duo igitur erunt articuli. Primus; an attributa provt inter se ratione distinguuntur, ita se habeant, vt vnus alterius essentiam ingrediatur? Secundus vtrum provt sunt à parte rei, ita sint idem essentialiter, vt vnum essẽtialiter in alio mutuo includatur?

ARTICVLVS I.

Vtrum attributa, vt à nobis distinguuntur, se se mutuo essentialiter includant?

§. 1.
Refertur opinio affirmans.

1. Explicatur sensus quæstionis. AGimus de attributis, provt à nobis ratione distinguuntur. Nec de illis agimus supposita sentẽtia Scoti distinguentis illa ex natura rei sublato quocũque intellectu: nam apud Scotum pars negatiua semper erit vera, siue attributa secundum se considerentur; siue provt in nostro intellectu. Disputatur igitur quæstio supposita sẽtentia, quæ inter attributa nullam admittit actualem distinctionem, nisi rationis.

2. Auctores partis negatis. Pro parte affirmãte solet citari Torres de Trinit. q. 28. ar. 2. disp. 2. in 5. dub. fol. 50. column. 3. & 4. sed forté non agit de attributis in nostro sensu. Eam tamẽ affirmat

affirmat Suarius in Metaph. disp. 30. sect. 6. num. 10. & 11. & lib. 2. de essentia Dei. capit. 13. quibus in locis putat in conceptu vnius attributi essentialiter includi cætera omnia, ita vt conceptus vnius à cæteris saltē implicitè nequeat præscindere,

3. 1. Ratio. Primum fundamentum: quoniam attributa, vt sunt in re, ita se habent, vt de ratione essentiali cuiusque sint cætera. Ergo, vt concipiuntur à nobis, de cuiusque ratione erunt cętera. Antecedēs supponitur probandum in sequenti ar. Consequentia ex eo vim habet (vt idem Suarius ait in d. lib. 1. cap. 11. n. 6.) quia in his est optimum argumentum à re, vt est in se, ad se ipsam, vt obiectam nostro conceptui. Quare si in re de ratione cuiusque attributi sunt cætera omnia; fieri non potest, vt in quoque illorum, vt obiecto intellectui non includantur cętera: etenim si res aliqua verè concipitur, in ea concipiūtur omnia, quæ sunt de illius essentia. Colliges hoc argumētum ex Suario in d. c. 11. n. 6.

Cōfirmatio Confirmatur; quoniam si in vno attributo concepto in eius essentiali cōceptu non includerentur cætera; verum esset dicere de conceptu v. g. sapientiæ non esse iustitiam. At illa negatio est falsa, si à parte rei de conceptu sapientiæ est iustitia.

4. 2. Ratio. Secundo licèt attributa diuina imperfectè concipiantur à nobis; non tamen concipiuntur cum falsitate, sed eo modo, quo illa concipimus, veram illorum perfectionem concipimus. Ergo ita concipimus naturam cuiusque attributi, vt iudicemus cætera esse de essentiali illius ratione. Suarius in d. disp. 30. sect. 6. n. 12.

5. 3. Ratio. Tertio; si vnum attributum, provt nostro obijcitur intellectui, in suo essētiali conceptu non includeret cętera omnia attributa; attributum in suo conceptu non esset infinite perfectum; quia in eo non contineret omnem perfectionem. Consequens tamen non est admittendum: quia infinitas ita est intrinseca cuique attributorum, vt sine illa nullum attributum possit concipi. Hæc argumenta potui colligere pro hac sententia.

§. 2.

Pars negans censetur longè probabilior.

HIs tamen nō obstantibus opinio, quæ negat, videtur mihi longe probabilior: quam in terminis propositis latè defendit Bellomontanus 1. p. disp. 119. c. 2. & pro nobis non possunt non stare Scotistæ: etenim si attributa ex natura rei suis formalibus rationibus inter se distinguuntur; ita vt vnum essentialiter nō includatur in alio; à fortiori ita distinguentur, provt concipiuntur à nobis. Igitur pro negante opinione hæc conclusio statuenda est: Attributa, vt à nobis concipiuntur distincta ratione, non ita se habent, vt de ratione essentiali cuiusquè sint cætera. 6. Eligit pars negans.

Hanc conclusionem, omissis Bellomontani fundamentis, primò confirmamus; quoniam attributa extra intellectum in re ipsa non ita se habent, vt de essentia cuiusque sint cætera. Ergo nec ita se habebunt, provt sunt in intellectu. Consequentia est nota: quia intellectus, vt sit verus, debet conformari rei. Antecedens in sequenti articulo ostendetur. 7. 1. Argum.

Secundo; vnum attributum concipitur à nobis, vt præcisum ab alijs. Ergo attributa non ita se habent, vt de essentia cuiusque sint cætera. Antecedens conceditur ab aduersarijs, dum admittunt attributa inter se ratione distingui: hæc enim distinctio fieri non potest, nisi vnum sine alijs concipiatur, ita vt cōceptus vnius re, & ratione sit præcisus à conceptibus aliorum. Consequentia videtur indubitata: quod enim est de essentia rei, non potest à re nec per intellectum præscindi: quia idem sine se ipso concipi non potest; vnde nec concipimus hominem sine animali, aut rationali. 8. 2. Argum.

Huic argumento respondet Suarius in Metaph. disp. 30. sect. 6. n. 16. & libr. 1. de essentia Dei c. 11. n. 7. & fatetur vnum attributum explicite quidem ab alijs, præscindere; quia, dūvnū cōcipimus, de alijs expresse non cogitamus: implicitè tamen non prēscindere ab alijs. Solutionem istam latè impugnauimus q. 7. ar. 1. §. 5. vbi reiectis impugnationibus Bellomōtani, vt minus efficacibus, efficacem impugnationem inde sumpsimus; quia vnum attributum ita à nobis concipitur præcisum ab alijs, vt sub illa ratione prēcisa ab alijs verè negetur. Hęc 9. Solutio argumenti. Reijcitur.

enim est vera: *sapientia sub formali ratione sapientiæ non est iustitia, nec misericordia*, vt ex mẽte Suarij statim ostendemus. Hęc autem negatio omnino conuincit iustitiam non solùm expressè non includi in conceptu formali sapientię, sed nec implicite, & confusè, vt ostendimus q.7.ar. 1.§.5.in solutione tertiæ rationis: sicut enim, si hęc esset vera, *homo, quatenus homo, non est rationalis*; vtique rationale nec explicite, nec implicite ingrederetur rationem hominis: ita etiam cum hæc sit vera, *sapientia sub ratione sapientiæ, non est iustitia*; bene infertur iustitiam nec explicitè, nec implicitè essentialiter includi in quidditatiuo conceptu sapientiæ: agimus enim de sapientia, quatenus est quoddam diffinitum, cuius totalis ratio formalis reduplicatur, cum dicitur *sapientia quatenus sapiẽtia*. Iam vero, quod negatur de diffinito sub absoluta ratione diffiniti; id nec explicitè, nec implicite includitur in ratione formali illius Dixi: *sub absoluta ratione diffiniti*: quia si reduplicatio tantum reduplicet aliquam specialem rationẽ diffiniti; poterit alia pars de illo negari: hęc enim est vera: *homo quatenus animal, non est rationalis*, & *quatenus rationalis, non est animal*. Iam vero in hac propositione *sapientia, vt sapientia, non est iustitia* reduplicatio absolutè cadit super totam rationem sapientiæ. Quare, si illa est vera, infertur iustitiam nec explicite, nec implicite includi in essentiali conceptu sapientiæ. Adhuc igitur secunda ratio in sua vi permanet.

10. Tertium.

Tertia ratio quoniã attributa inter se ratione distinguuntur. Ergo vnũ in sua formali ratione nõ includit cętera. Antecedens ostensum est q.6.ar.4 & 5. vbi ostendimus attributa non solùm distingui ratione, id est, intellectu; sed etiã ratione. i. diffinitione, quæ cõmuniter dicitur ratio formalis; ita vt attributa p intellectũ formalibus suis rationibus distinguantur in hoc sẽsu, vt apud intellectũ ratio sapientiæ actu sit alia à ratione iustitię: quod satis est de mẽte D. Thomæ 1. cõtra Gent. c. 36. si bene expendatur, & satis declarat Capreolus in 1.d.8. q.4.ar.3.fol.129.col.1.ad 17. vide eũ fol. 128.col.1.in principio, & fol.129.ad 16. 18.19.& 20. Explicato igitur vero antecedentis sensu facilior erit probatio consequentiæ: nã quod aliud in sua essentia includit, formaliter est idẽ cũ illo. Igitur nõ poterit formaliter ab eo distingui secũdũ ration. ẽ Sed dices ad distinctionẽ rationis satis esse, quod vnũ attributũ explicitè sine alio cõcipiatur, quãuis implicitè illud includat in sua formali ratione. Hęc tamen solutio eximediatè dictis satisimpugnatur: quoniã vnum attributum ita ratione distinguitur ab alijs, vt sub formali sua ratione negetur de illis; quæ negatio non solum negat inclusionem explicitam, sed etiam implicitam; de quo in sequenti ratione.

Capreolus

Sit igitur 4. ratio; vnum attributum sub ea ratione, qua distinguitur ab alio, nõ potest formaliter de alio prædicari v.g. sapientia sub ratione sapientię, qua concipitur, vt distincta à iustitia, non potest formaliter prædicari de iustitia. Ergo vnum attributum, vt à nobis concipitur, in suo conceptu essentialiter nõ includit cætera attributa. Antecedens communiter recipitur, vt patet q.7.ar. 1.§.5.ratione 4. & patebit q.10. Consequẽtia est nota; quoniam, vt diximus in d.ratione 4. quæ in aliquo essentialiter includuntur, de eo formaliter prædicãtur; diffinitio enim, & illius partes formaliter prædicantur de diffinito. Ergo à destructione cõsequentis, quæ de diffinito formaliter non prædicantur, in eo essentialiter non includuntur; idque nec explicitè, nec implicitè.

11. Quartum.

12. Proprium fundamẽtũ.

Hæc argumenta mihi videtur efficacissima, vt negemus vnum attributũ in sua essentiali ratione alia includere. In quam sentẽtiam ideo libentius eo; quia non possumus non concedere, filium ita procedere per intellectũ, vt non procedat per voluntatẽ; & Spiritum Sanctum ita procedere per voluntatem, vt nullo modo procedat per intellectum. Quæ negatio sufficienter probat in Deo diuersas esse rationes formales intellectus, & voluntatis; si non à parte rei (vt plures existimant) saltem provt à nobis concipiuntur; ita vt ratio formalis vnius sit alia à ratione formali alterius; non solùm explicitè, sed etiam implicitè; quod verum esse non potest, si apud intellectum nostrum Dei intellectus formaliter esset idem, quod voluntas. Argumenta aduersaria dissoluamus.

§. 3.

§. 3.

Soluuntur argumenta in contrarium.

13. Ad 1. Solutio quorundam.

NEc argumenta partis affirmantis tanti sunt, vt partem negantẽ impugnent. Ad primum quidam negant consequentiam propter disparẽ rationem, quæ reperitur in attributis, vt sunt in se, & vt sunt in nostro intellectu. Nam in se ipsis vnam habent adæquatam quidditatem, quæ omnia essentialiter includit: at prout à nobis concipiuntur, concipiuntur ad instar perfectionum creatarum, quæ inter se essentialiter distinguuntur. Sed solutio iã non placuit q.7.ar.1.§.6.ad 1: licet enim naturaliter non cognoscamus attributa, nisi ex creaturis; non oportet tamen vt cognito an est illorum, cognoscãtur à nobis ad instar creaturarũ; alioquin possent à nobis concipi, vt realiter distincta. Quod si attributa cognosci ex creaturis non cogit, vt cognoscantur cum distinctione reali; nec etiam coget, vt cognoscantur, tanquam essentialiter distincta, si aliàs in se ipsis ita non distinguuntur. Accommodatius loqueretur, qui ideò consequentiam negaret; quia vnumquodque attributorum à nobis concipitur, non secundùm adæquatam rationem, quam in re habet; sed secundùm inadæquatam; veram tamen: quia verè inexistit in Deo, quod concipitur de Deo. Sed nec ista solutio admitti debet: licet enim illa satis sit, vt saluet veritatem conceptus simplicis (quia abstrahentium non est mendacium) non est tamen satis, vt saluet veritatem conceptus negatiuè abstrahentis vnum attributũ ab alio; vt quando concipimus sapientiam v.g. formaliter non esse iustitiam: hæc enim negatio nunquam poterit esse vera, si à parte rei vnum essentialiter includit aliud. Quare ad argumentum negandum est antecedens: non ob eam rationem, quã assignat Bellomontanus (quam iam non admisimus in d. §. 6.) sed quia in se est falsum, vt in sequẽti ar. demõstrabitur.

Accommodatior solutio.

Ad cõfirm.

Ex his patet solutio ad confirmationem: supponit enim id, quod immediatè negauimus.

14. Ad 2.

Ad 2. iam respondimus q.7. ar.1.§.6. ad 2: habet enim consequentiam non satis firmam. Vnde enim valet: *concipimus attributa sine falsitate, ergo ita illa concipimus, vt iudicemus de ratione essentiali cuiusque esse cætera?* nisi dicas ideo valere; quia à parte rei attributa mutuò se se essentialiter includunt. Sed iam id negauimus, & iterùm negamus, vt patebit ex sequenti articulo.

15. Ad 3.

Ad tertium argumentum dicendum est quodlibet attributorum esse quidẽ simpliciter infinitũ realiter. i. quia realiter est ipsa diuina essentia: formaliter tamen sumptum non habere omnem infinitatem, nec omnem perfectionẽ; sed solam infinitatem, & perfectionem sui generis. Quod præter Scotistas satis explicauit Capreolus in 1.d.8.q.4. ar.3.ad 2. Aureoli cõtra 2.fol.128.col.1. in principio. Vide q.7.ar.1.§.6.ad postremum argumentum, & ar. 2. §.5. ad 2, demonstrationem, & latiùs q.5.ar.4. §.3. n.65. & §.5.n.108. & 109.

Scotistæ. Capreol.

ARTICVLVS II.

Vtrùm attributa extra intellectum ita se habeãt, vt de essentiali ratione cuiusque sint cætera?

16. Quæstioni dandum esse locum ostenditur cõtra Bellom.

QVæstionem propositam, vt ineptam, quidam derident; quia nec rectè dicitur attributa in se ipsis mutuò sibi esse de essentia, nec mutuò se ipsa essentialiter includere: etenim vnum esse de essentia alterius, aut in essentia alterius includi supponit distinctionem vnius ab alio: cum tamen inter attributa in se ipsis nulla detur distinctio, nec vestigium distinctionis. Vtrunque loquendi modum reijcit Bellomontanus 1.p. disp.119.c.2. n.6. §. *respondent aliqui.* Priorem tamen admittit Molina, posteriorem autem putat esse satis impropriũ: ita 1.p.q.28.ar. 2.disp. 4.§. *ad hoc argumentum dicendum est.* Sed cũ ipsa materia euidenter ostendat posteriorem loquutionem non esse intelligẽdam de inclusione propriè sumpta, non est, cur à tali locutione abstineamus, cum de sensu constet. Priorem tamen admittendam esse suadet virtualis distinctio, quæ extra intellectum datur inter attributa, etiam, vt sunt in se ipsis. Quare datur locus ad inquirendum; an attributa eo modo, quo virtualiter distinguuntur, mutuò se ipsa essentialiter

includant: nam vbi datur aliqua distinctio, ibi datur negatio vnius de altero; & ideò potest dari comparatio vnius cum altero. Quare non sine fundamento inquirimus, quomodò attributa se habeant inter se: maximè cum huius quæstionis explicatio plurimum conducat ad explicandas non leues in hac materia difficultates.

§. 1.

Refertur pars affirmans.

2. *Torres.* QVòd attributa extra intellectũ in se ipsis mutuò sibi sint de essentia, ita vt mutuò se ipsa diffiniant, ex nouioribus probarunt Torres de Trinitate q.28. ar.2. disp.2. dub. vlt. per totum, quem ad literam transcripsit Cumelius ibi q.8. in 3. dubio, pag. 845. Molina eodem loco disp.4. Suarius lib.1. de essentia Dei c.13. & in Metaph. disp.30. sect.6. n.10. Quæ satis significatur à Caietano de ente, & essentia c.6. q.12. ar.3. §. *ad euidentiam primæ propositionis*, quatenus docet in diuinis dari vnam simplicissimam rationem formalẽ. Qui autem hanc admittunt, non possunt non admittere omnia attributa habere vnã adæquatam diffinitionem essentialem.

Cumelius. Molina. Suar. Caiet.

Confirmatur ex Diuo Thoma. Hæc sententia apud Cumelium primò confirmatur: quia D. Thomas credit quodlibet attributum includi essentialiter in quolibet, esseque de essentia alterius: sed locum non citat, fortè erit idem, quem inferiùs simul cum Torres refert ex 1.p. q.13. ar.5. quo in loco, vt ait Torres, hanc sententiam significat.

3. *Confirmatur ex Patribus. Augusti.* Deinde confirmatur auctoritate Patrum. Et hanc esse apertam sententiam Augustini, affirmant Torres, Cumelius, & Suarius. Nam Augustinus libr. 6. de Trinitate capite 1. ad finem ita habet: *eadem quippè virtus, quæ sapientia; & eadem sapientia, quæ virtus est. Ita ne igitur etiam de cæteris? vt eadem sit magnitudo, quæ virtus, & siqua alia, quæ vel supra commemorata sunt, vel commemorari possunt.* Rursus ibi c.7. *sed eadem magnitudo eius est, quæ sapientia; & eadem bonitas, quæ sapientia, & magnitudo; & eadem veritas, quæ est illa omnia.* In eodem libr. c.10. ad finem: *ita singula sunt in singulis, & omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & vnum omnia.* Deniquè à Suario refertur Augustinus libr.7. de Trinitate cap.1. vbi hæc verba reperio: *Eadem quippè eius magnitudo, quæ virtus: & eadem essentia, quæ magnitudo*, quæ verba ex lib.6. c.1. iam adduximus. Refertur etiã D. Anselmus in Monologio c.16. in hæc verba: *idem igitur est quodlibet illorum, quod omnia sunt simul, siue singula: & cum dicitur iustitia, vel essentia, idem significat, quod alia, vel omnia simul, vel singula.* Et eodem cap. *quid ergo, si illa summa natura tot bona est; erit ne composita tot pluribus bonis? an potius non sunt plura bona, sed vnum bonum tam pluribus nominibus significata?* Et inferiùs: *cum igitur illa natura nullo modo composita sit; & tamen omnimodè tot illa bona sit: necesse, vt illa omnia non plura, sed vnum sit: idem igitur est quodlibet vnum illorum, quod omnia sunt simul.* *Anselmus*

4. *Bernardus* Tertio loco citatur D. Bernardus libr.5. de consideratione c.13. in hæc verba: *Vides tantam esse latitudinem, quantam & longitudinem: vtinam sic videas non tantam esse, sed ipsam: id esse vnam, quod alteram; non minus vnam, quàm duas; nec plus duas, quàm vnam. Deus æternitas, Deus charitas est, longitudo sine protensione, latitudo sine distentione.* Et sermone 80. in Cantica: *Nec aliunde bonus, quàm vnde magnus; nec aliunde iustus, aut sapiens, quàm vnde magnus, & bonus: nec aliunde denique simul hæc omnia est, quàm vnde Deus; & hoc quoque non nisi se ipso.* Ex his colligunt Torres, & Suarius hanc affirmantem partem esse Augustini, Anselmi, & Bernardi.

5. *1. ratio.* Rationibus etiam eãdem confirmãt. Primò; quoniam sapientia essentialiter includit diuinam essentiam: diuina essẽtia essentialiter includit iustitiam. Ergo sapientia essentialiter includit iustitiam, & sic de cæteris attributis. Maiorem putant se probasse. Minorem iam probatam relinquunt supra q.7. Consequentia autem ex præmissis est necessaria.

Secunda. Secundò; Vnumquodque attributum est infinitum, non tantùm in tali, vel tali genere, sed simpliciter in genere entis. Ergo essentialiter includit totam infinitatem. Antecedens supponitur. Consequentia indè probatur, quia de ratione entis infiniti simpliciter est, vt totam illam perfectionem optimo modo includat. Ergo essentialiter.

6. *Tertia.* Tertia ratio existimatur esse à priori: quoniam vnumquodque attributum includit essentialiter ipsum esse per essentiam.

sentiam. Sed in esse per essentiam essentialiter includitur omnis perfectio vnitissimè, & simplicissimè, ex Dionysio de diuinis nominibus c. 13: *vnde Deus est, quia omnia vnicè est secundùm vnicam eminentiam vnitatis.*

4. Quarta. Quarta ratio Molinæ ad præcedentes reducitur: quoniam vnumquodque attributorum de sua intrinseca ratione formali non solùm est ens quoddam infinitum; sed etiam est ens quoddam illimitatum quoad perfectionem; ita vt sit omni ex parte perfectum. Ergo de sua intrinseca ratione habet omnem vniuersim perfectionem simpliciter. Ergo ex sua intrinseca ratione habebit omnem perfectionem attributalē. Hæc vltima consequentia est nota; quia omnis attributalis perfectio est perfectio simpliciter. Prima verò consequentia inde patet; quia si quodlibet attributū ex sua ratione intrinseca non includeret omnem perfectionem; vtique vel nō esset omni ex parte perfectum, cuius oppositū sumitur in antecedente: vel perficeretur aliquo alio superaddito, quod esset extra suam intrinsecam rationē: quod est absurdum: haberet enim se ad illud, vt potentia ad actum: & cum hoc repugnet simplicitati diuinæ; dicendū est quodlibet attributum in sua essentiali ratione includere cætera omnia. Et in hoc sensu putat esse intelligendū, quod ex Aug. & ex Anselmo adduximus; attributa vsque adeò inter se esse vnū, vt nec plus perfectionis, entitatis, aut rationis formalis realis sint hæc omnia in Deo, quam vnumquodque eorū: nec minus vnumquodque eorum, quàm omnia simul.

8. Vltima ratio. Postrema ratio sumitur ex communi sententia theologorum, quæ contra Scotum affirmat in Deo, vt est extra intellectum, dari vnam tantùm rationem formalem, & vnam tantùm quidditatiuam diffinitionem; ita vt attributa, sicut secundùm suam realitatē transeunt in diuinam essentiam; ita vt omnium sit vna vnitissima entitas: ita etiam omnia transeant in vnam formalitatem, vnāq; rationem formalem; ita vt omnium sit vna, & simplicissima formalis ratio. Ita *Caiet.* Caietanus de ente, & essentia c. 6. q. 12. *Gerardus.* ar. 3. multis id confirmat Gerardus noster cum communi Thomistarum sententia, vt patet supra q. 5. ar. 4. §. 3. Non potest autem dari in Deo vna formalis ratio, vnaque essentialis diffinitio, nisi attributa mutuo se se essentialiter includant, & diffiniant.

9. In quo differant auctores citati. Ex his concludunt præcitati auctores attributa se se mutuo essentialiter includere; ita vt si quodlibet diffiniendum esset, prout est in se, per cętera omnia esset diffiniendum. Sed quanuis omnes in hoc conueniunt; differunt tamen: quia plerique putant vnumquodque attributum cætera includere, non propter suam rationem formalē, sed ratione essentiæ, quam essentialiter includit. Alij asserunt quodlibet ex sua formali ratione includere cætera: quia ex sua formali ratione includit omnem perfectionem simpliciter. Primam sententiā probauit Torres; consentire videntur Cumelius, & Suarius: posteriorem defendit Molina. *Torres. Cumelius. Molina.*

§. 2.

Pro explicatione præmittuntur nonnulla.

10. Eligitur opinio negans. QVòd attributa, vt sunt in se, mutuo se se essentialiter non includant, sed formaliter, & adæquatè inter se distinguantur; ita vt vnum sit extra essentiam alterius: semper iudicaui probabilius, & idem nunc iudico. Hanc sententiam probauerūt Scotistæ, *Herrera.* vt patet ex Herrera 1. tom. disp. 14. q. 2. *Rada.* notab. 3. & concl. 2. pag. 471. & Rada cō trouersia 4. conclus. 4. pag. 61. col. 1. vt alios omittamus. Eandem probasse plures Thomistarū affirmat Cumelius; qui simul cum Torres pro ea referunt Ca- *Capreol.* preolum in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. ad Aureolū contra 2. maximè ad 16. fol. 129. col. 1. hanc tamen sententiam apud Capreolum nunquam inueni: quin potiùs oppositam significauit fol. 130. col. 4. ad finem, dum negat in Deo esse plures rationes attributorum, vnamque esse ab alia distinctam. Sed quidquid sit de Capreolo, ego puto hanc sententiam esse multo probabiliorē: indiget tamen accurata explicatione.

11. 1. præmiss. Præmittēdum est igitur contra Scotum in Deo, vt est in re, vnicam tantùm admittendā esse perfectionem formalē secūdùm vnam formalem rationē actu indiuisam. In hoc fundamento præter

Sco-

Scotistæ. D. Thom. Scotistas conueniunt omnes. Illud satis explicauit D. Thomas de potentia q. 7. ar. 6. in corp. & ad 5. dum ait ex parte Dei omnimodam esse vnitatem. Satis ad hoc probandum sint verba Dionysij de diuinis nominibus c. 2. *vnum autem* (scilicèt est Deus) *quoniam omnia vnitè est secundùm vnicam vnitatis eminentiam.* Probari etiam potest ex communi philosophia: quia omnia, quæ in inferioribꝰ dispersa sunt, & diuisa, in superioribus sunt vnita, & maximè in Deo. Vide Caietanum de ente, & essentia c. 6. q. 12. ar. 1. & 3.

Dionysius.

Caiet.

12. præmiss.

Præmittendum est secundò istã vnicam Dei perfectionem in se habere omnes pfectiones simpliciter vnitate quadam supereminenti, superexcedẽte, atq; singulariter segregata. In hoc omnes conueniunt, vt patet ex Caietano in d. q. 12. §. *Scito secundò*, & §. *amplius perfectiones*, & 1. p. q. 39. ar. 4. §. *ad euidentiam horum.*

Caiet.

Dionys.

Quod satis expressit Dionysius in d. c. 2. in verbis supra citatis, *ibi omnia est secundùm vnicam vnitatis eminentiam.* Cap. 5. *igitur omnia existentia ipsi secundùm vnam omnium segregatam vnitionem sunt tribuenda.* Et statim: *Omnia quidem in se ipsa habet* (scilicèt diuina natura) *secundùm vnum simplicitatis excessum.* Et c. 13: *In qua omnia singulariter congregata sunt, & superunita.*

13. Præmissum 3.

Præmittendum tertiò istam diuinæ perfectionis vnitatem ita esse eminentem, vt in se sit multiplex, & prout est in re. In quo etiam conueniunt omnes, qui in Deo vnicam eminentem perfectionẽ admittunt: de quo latè diximus suprà q. 6. ar. 7. §. 1. & 2. & multis alijs in locis huius libri. Pro huius veritatis confirmatione satis sint testimonia Magni Dionysij, & Magni P. Augustini. Etenim Dionysius in d. c. 2. post principium ita ait: *Oportet igitur, & vt arbitror magis resumentes nos perfectum vnitionis, & discretionis exponere modum.* Ex quibus verbis patet apud Dionysium in Deo dari, & vnitionem discretam, & discretionem vnitã: Augustinus autem lib. 6. de Trinitate c. 14. ita scribit: *& siquid de illa simplici multiplicitate, & multiplici simplicitate dixeris.* In eodem lib. c. 6: *Si autem quomodò simplex, & multiplex sit illa substantia.* Et initio capitis septimi: *Deus verò multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, &c.* Hanc multiplicitatem theologi appellant virtualem, vt diximus in d. q. 6. ar. 7.

Dionysius. August.

Præmittendum quartò istam vnicam Dei perfectionẽ ita in se continere omnes perfectiones, sapientiam scil. iustitiam, bonitatem, &c. vt formaliter sit singulæ, etenim in se ipsa, vt est in re formaliter est iustitia, & formaliter est sapientia, bonitas, & sic de cæteris: nam & Deus per illam vnicam perfectionẽ formaliter est sapiẽs, formaliter est iustus, bonus, &c. In quo cum Caietano locis citatis conueniunt omnes, qui vnam in Deo perfectionem agnoscunt. Omnes igitur fatentur vnicam illam Dei perfectionem ita in se ipsa esse vnam formalem perfectionem, vt formaliter sit omnes collectim, & formaliter sit singulæ diuisim. Et in hoc posita est superexcedens perfectio, & eminentia huius vnius perfectionis: quia in creatis nulla datur, aut dari potest vnitas, quæ ita in se plura vniat, vt formaliter sit omnia, quæ in se vnit, & formaliter sit singula.

14. Præmissum 4.

15. In quo sita sit difficultas.

His præmissis tota difficultas posita est in explicanda hac vna supereminenti formalitate diuinæ perfectionis, quæ formaliter sit sapientia, iustitia, &c. etenim ex vera huius rei explicatione pẽdet totius difficultatis resolutio. Vt autem distinctè explicetur, prius afferemꝰ nostrum explicandi modum, & inde deducemus nostræ sententiæ confirmationem: deinde modum aliorum expendemus, & expugnabimus.

§. 3.

Dei perfectionem esse vnam vnitate vnionis omnium perfectionum.

16. Propria explicatio.

NOs eminẽtiam huius vnicę perfectionis diuinæ cũ Magno Dionysio ita concipimus, vt sit vnica perfectio vnitate cuiusdam veluti totius ex vnione omnium perfectionum constituti, ac veluti integrati: ex quo præiacto fundamento colligemus euidentem confirmationem sententiæ negantis. Aduertendum est igitur ex mẽte Magni Dionysij diuinam perfectionem, vt est in se, ad hũc sensum esse vnã, quia in se ipsa habet congregatas, & vnitas omnes perfectiones simpliciter quadam supereminenti aggregatione, & vnitione. Hunc sensum euidenter declarant, quę §. 2. in 2. prẽmisso adduximus: *vnum autem est Deus* (inquit ille c. 2.)

In quo sensu diuina perfectio sit vna ex mẽte Dionysij.

quia

quia omnia vnitè est. Et c. 5. *Omnia inexistentia ipsi secundum vnam omnium segregatam vnitionem sunt tribuenda.* Et c. 13: *In qua omnia singulariter congregata sunt, & superunita.* Denique in d. cap. 2. ait: *Oportet perfectum vnitionis, & discretionis modum exponere.* Ex quibus verbis euidenter patet vnitatẽ vnicæ illius perfectionis iuxta theologiam magni Dionysij esse vnitatẽ vnitionis, & vt talem esse à nobis concipiẽdam. Cum verò vnitio ex sua natura dicat multorũ indiuisionẽ in aliquo vno, ex Aristotele 3. Rhetoricorum cap. 12. (nec enim vniri possunt, nisi, quæ in se aliquo modo sunt plura) vnitas diuinæ perfectionis erit vnitas plurium perfectionum modo quodam eminenti vnitarum.

17. Quomodo diuina perfectio concipiatur à Dionysio.

Ex quo infertur Magnum Dionysium diuinam illam perfectionem concipere, vt vnum quoddam totum ex omnib⁹ perfectionibus veluti aggregatum. Hãc esse illius theologiam euidenter (ni fallor) ostendunt verba, quæ ex eo adduximus: nam c. 2. ait: *Deum esse vnum, quia omnia vnitè est.* Et vt illius aduerbij *vnitè* extraneas explicationes reijciat in c. 13. declarat in eo sensu Deum esse vnitè omnia; *quia in eo omnia singulariter sunt congregata, & superunita.* Et ob hanc rationẽ vnitatem illius perfectionis vbique locorum appellat vnitionem perfectionũ, vt significet vnitatem illam considerãdam esse à nobis ad modum cuiusdam totius, sublatis tamen omnibus imperfectionibus, quę in toto creato reperiũtur. Cum Dionysio concinit Damascenus, dum lib. 1. de fide c. 12. diuinam istã perfectionem appellat perfectionũ infinitum pelagus.

18. Confirmatur hæc theologia.

Qui theologizandi modus ideo videtur probandus; quia illo admisso optimè explicantur duo illa, quæ de eminẽtia diuinę vnitatis omnes admittunt, de quibus in 3. & 4. præmisso. Nam supposita vnitate diuinæ perfectionis ad modum cuiusdam totius, optimè philosophamur in ea virtualem multiplicitatẽ, quam theologi communiter admittunt cum Dionysio, & Augustino: nam quod vnum est per aggregationem, & vnitionem multorum, non modo non excludit multiplicitatem; sed eam necessariò includit: quia vnitas vnionis ex sua ratione supponit pluralitatem, & distinctionem in vnitis: vnio enim ex sua natura est coniunctio plurium in aliquo vno, vt iam diximus ex Aristotele 3. Rhetoricorum c. 12. Cui si adiungas, quę vniũtur, in ipso vno, in quo vniuntur, non amittere, sed retinere suam pluralitatẽ, saltem secundùm rationes formales; nõ potest non concedi in ista vnitate diuinæ perfectionis dandam esse aliquam vnitorum multiplicitatem, de quo inferiùs. *Arist.*

Simili modo supposita vnitate per modum cuiusdam totius, facilè est intelligere, quomodò diuina perfectio ita formaliter sit omnes perfectiones collectim, vt formaliter sit singulę diuisim: etenim totum ex pluribus vnitis potest considerari, & adæquatè in ordine ad omnes partes simul; & inadæquatè in ordine ad singulas diuisim. Possumus igitur intelligere eminentiã illius eminentissimæ vnitatis in hoc etiam esse positam, vt categorematicè considerata secundùm suam adæquatam totalitatem formaliter sit omnes perfectiones, vt ad inuicem sunt vnitæ: considerata verò syncategorematicè secundùm singulas perfectiones, ex quibus veluti integratur, formaliter sit quælibet. Quod in vnionibus creatis non reperitur: in illis enim licet totum formaliter sit suæ partes simul (vt multorum fuit opinio) diuisim tamen non est suæ partes; quin potius à singulis distinguitur. Hæc igitur eminentia soli vnitati diuinę perfectionis est propria: vnde in hoc est supereminens, & superexcedẽs. 19. In quo sensu vna Dei perfectio formaliter sit omnes perfectiones.

§. 4.

Ex dictis colligitur partis negantis confirmatio.

SVpposita hac Magni Dionysij theologia, facilè potest veluti demonstrari veritas opinionis negantis, quam probamus. Et prima demonstratio sumatur ex eo, quòd vnica illa formalis Dei perfectio ita formaliter est vna, vt virtute sit formaliter multiplex, vt ex Dionysio, & Augustino iam diximus. Cum hac autem formali multiplicitate non potest simul consistere, quód omnium attributalium perfectionũ sit vna formalis, & essẽtialis ratio. Etenim si ratio formalis sapientiæ, vt in re est sapientia, est vna, & eadem cum ratione forma- 20. Confirmatio sententiæ quæ negat.

formali iustitiæ, quam iustitia habet in re, vt volunt aduersarij; qui fieri potest, vt in illa vna diuina perfectione saluetur formalis multiplicitas? Quæ enim in se ipsis formaliter sunt vnũ, non possunt in se ipsis formaliter esse multiplicia.

21. Responsio aduersariorum.

Respondent aduersarij, cum illa idẽtitate formali rationis saluari multiplicitatem virtualem in illa vnica Dei perfectione: quoniam illa ex se apta est mouere intellectum creatum ad eã distinguendam, & ita fundare distinctionem rationis inter attributa: nam multiplicitas virtualis in hoc solum est posita, vt possit fundare multiplicitatem, & distinctionem rationis, iuxta cõmunem sententiam, de qua q. 6. art. 7. §. 1.

Impugnatur responsio.

Sed hoc non satis accommodatè dicitur iam ostendimus in d. ar. 7. §. 2. & in eâdẽ q. 6. ar. 10. §. 6. Etenim, quę Magnus Dionysius tam excellenter, & mysteriosè docet de hac diuina vnitate virtualiter multiplici, arguunt eam diuiniorem esse, & excellentiorem, quam vt solùm includat virtuositatem, & aptitudinem ad mouendum intellectum creatum, vt illius perfectiones distinguat. Quid enim mysterij includitur in hac aptitudine? At tamen Magnus Dionysius hanc multiplicem vnitatem appellat supereminentem, & superexcedentem. Mihi igitur ridiculum est eminentiam, & excellentiam illius multiplicitatis explicare de multiplicitate fundamentali ad fundandam distinctionem rationis faciendam per creatũ intellectum. Quod etiã satis colliges ex Augustino, si expendis, quàm mysteriosè loquatur de multiplicitate illa simplici lib. 6. de Trinitate c. 4. 6. & 7. vbi ostendit eam ita excellentem esse, vt in creatis non reperiatur.

Explicatio aduersariorum videtur ridicula.

August.

Videtur etiam aliquo modo temeraria.

Sed non solùm id mihi videtur esse ridiculum, sed etiam aliquo modo temerarium: quoniam vel admittendum est processionem filij in re ita esse per intellectum, vt etiam sit per voluntatem (quod puto erroneum) aut si simpliciter admittẽdum est filium in re ipsa ita procedere per intellectum, vt non procedat per voluntatem; admittenda etiã est virtualis distinctio inter intellectũ, & voluntatem independenter ab omni habitudine, & ordine ad distinctionem rationis possibilem fieri per intellectũ creatum; cum filius à parte rei procedat absque omni dependentia à tali distinctione etiam possibili.

22. Virtualis distinctio inde pendet à distinctione per rationẽ.

His ducti fundamentis in duobus citatis locis concluſimus multiplicitatẽ istam virtualem in diuinis perfectionibus, vt sunt in se, dari omnino independenter à distinctione rationis, quam noster intellectus potest facere: & per consequens nostro intelligendi modo admittendam esse in aliquo priori signo, in quo non dum intelligatur aliquis ordo, aliquavè habitudo ad creatum intellectum: & inde intulimus eam sumendam esse in ordine ad ea, quæ intus sunt in diuina essentia, & quæ nostro intelligendi modo veluti exercentur circa eam intus perficiendam; ita vt ipsa diuina perfectio, quæ in re est vna, in re etiam sit multipliciter perfectiua. Quẽ sensum mihi faciunt verba Augustini lib. 6. de Trinitate c. 6. dum ait: *Si autem quæritur, quàm simplex, & multiplex sit illa substantia.* Multiplex inquam perfectione; quia scilicèt multipliciter in se est perfecta. Et initio capitis septimi, *Deus, ideò dicitur multipliciter; quia dicitur magnus, bonus, sapiens, & cæt.*

August.

23. Vnde sumãda sit multiplicitas virtualis.

Porrò si multiplicitas illius vnius perfectionis sumenda est penes multiplicem rationem perfectionis ad intus, vt satis conuincunt, quæ immediatè diximus; profectò vrget prima nostra demonstratio: quia ista multiplicitas sũpta penes variam rationem perficiendi diuinam essentiam, non potest simul cõsistere cum vnitate formali omniũ perfectionum, quæ sit in re. Sic ita theologizandum erit de illa vnica Dei perfectione formali, vt ipsa in se habeat vnã adæquatam rationẽ, in qua omnes perfectiones attributales singulari quodã modo vniantur; ita vt detur vna perfectio formalis per modum cuiusdam totius vniẽtis in se ipso omnes perfectiones, omnesque rationes formales earũ. At tamen ista vna formalis perfectio, quæ categorematicè habet vnam adæquatam rationem formalem vnitatis vnionis, sumpta syncategorematicè (pro ipsis scilicèt perfectionibus vnitis diuisim acceptis) formaliter est multiplex multiplicitate quadam virtuali: quæ nõ potest non arguere singulas attributales perfectiones esse formaliter alias, & alias

Quomodo sit theologizandum de vnica Dei perfectione.

aliaſ, ita vt ſingulæ in re ipſa habeant ſpecialem quandam veluti differentiã, qua in ſuo proprio genere conſtituantur, & ab alijs diſtinguantur.

24. Itaque differentia illa, quam Suarius lib. 1. de eſſentia Dei c. 14. n. 8. admittit in ſingulis perfectionibus diuinis, prout ſingulæ à nobis expreſſè concipiuntur, admittenda eſt in ſingulis, prout in re ſunt: nec enim aliter aggregatio perfectionũ vnitiua, quam Dionyſius theologizat in diuina perfectione, prout eſt in re, poteſt in ipſa re reperiri, niſi differentia illa in eiſdem perfectionibus, vt ſunt in re, admittatur: etenim Dionyſium theologizare diuinam illam vnitatem, non præciſè, vt à nobis concipitur, ſed, vt eſt in re, euidenter probant verba, quæ ex eo ſuperiùs adduximus: *omnia* (inquit) *vnitè eſt*. Eſt, inquam, in ſe non vt concipitur: *omnia exiſtentia ipſi tribuuntur*, tribuuntur inquam, non vt à nobis concipitur, ſed vt in ſe eſt ſecundùm ſingularem vnitionem. *Omnia in ſe ipſo habet*, ait; non vt eſt in intellectu. Deniq́ue *in ea omnia ſingulariter congregata ſunt*; in ea inquam, vt in ſe eſt, non vt eſt in intellectu. Quæ omnia ſatis indicant Dionyſiũ explicare, quæ ſunt in re, vt eſt in ſe ipſa, non verò, vt eſt in noſtra conſideratione. Quę omnia aduerto, vt facilèquis intelligat nullum relinqui locum diſtinctioni, quam Suarius excogitauit in d. c. 14. n. 8. de qua iterùm inferiùs.

Sensus Dionyſij.

25. Secũda demonſtratio ſumitur ex alia eminentia illius vnicæ perfectionis, quã in re admittimus in Deo: ita enim eſt aggregata ex omnibus (vt verbis Dionyſij vtamur) vt formaliter ſit ſingulæ: formaliter enim eſt ſapientia diuiſim ſumpta, & formaliter eſt iuſtitia, & cęt. Ex qua eminentia infertur ſingulas perfectiones, ex quibus aggregatur in ipſamet aggregata vnitate eſſe formaliter diſtinctas. Quomodò igitur quælibet cæteras omnes eſſentialiter includet? Antecedens ab omnibus admittitur: conſequentia verò ex antecedente facilè deducitur: quia fieri non poteſt, vt vnica illa perfectio ſecundùm ſuam totalem, & adæquatam formalem rationem, quam in re habet, formaliter ſit quælibet. V. g. fieri non poteſt, vt diuina perfectio ſecundùm ſuam adæquatam formalem rationem ſit ſapientia: ſolùm igitur erit ſapientia inadæquatè: hoc autem, ſi admittatur, fieri non poteſt, vt ſapientia eſſentialiter in ſua formali ratione includat cætera attributa. Sed ſingula perſequamur. Quod fieri non poſsit, vt diuina perfectio ſecundũ ſuã totam, & adæquatam rationem formaliter ſit ſapientia; ex eo probatur, quoniam ex theologia Dionyſij diuina perfectio, vt eſt in re conſideranda eſt ad inſtar cuiuſdam totius. Ergo fieri non poteſt, vt ſua ratio formalis totaliter, & adæquatè includatur in ſapiẽtia: hæc enim eſt natura totius, vt totaliter non includatur in vna ſuarum partiũ. Quare illa vnica diuina perfectio ita formaliter eſt ſapientia, vt non ſit ſapientia totaliter, hoc eſt ſecundùm totam, & adæquatam ſuam formalem rationẽ, quam habet in re: nam etiam formaliter eſt iuſtitia, bonitas, &cæt. Quod expreſſè docuit Capreolus in 1. d. 8. q. 4. ar. 3. ad 6. Scoti contra primam fol. 124 col. 2. & 3. Cui theologiæ concinunt, qui docent illam vnicam Dei perfectionem ita Deum reddere formaliter ſapientẽ, vt eum non reddat talem, quatenus formaliter eſt iuſtitia, ſed quatenus formaliter eſt ſapientia, quibus conſentit Suarius in Metaph. diſp. 30. ſect. 6. n. 14. Eãdem ratione Deus per intellectũ intelligit, & non per voluntatem; & per voluntatem vult, & non per intellectũ. Hæc autem theologia non aliunde ſumitur, niſi quia illa diuina perfectio, nec totaliter includitur in ſapiẽtia, nec totaliter in intellectu, aut voluntate.

Quomodò vnica perfectio ſit ſingulæ.

Capreol.

Secunda noſtræ opinionis demonſtratio.

26. Porrò ſi diuina perfectio tota includitur in ſingulis ſuis perfectionibus, nõ tamen totaliter; profectò ſingulæ perfectiones in ſua eſſentiali ratione ita includunt totam illam perfectionem, vt eam non includant totaliter, nec ſecundùm adæquatam rationem formalem, quam habet in re: ſi enim diuina ſapientia, v. g. illam Dei perfectionem eſſentialiter includeret ſecundùm adæquatam rationem formalem, & eſſentialẽ; Profectò ipſa diuina pfectio totaliter etiã includeretur in ſapientia. Cuius oppoſitum in antecedente ſupponitur. Vnde Capreolus loco citato expreſſè docet in definitione eſſentiali ſapientię includi quidem totam eſſentialem Dei perfectionem; non tamen totaliter. Ex quo

Capreol.

euidenter deducitur singula attributa in sua essentiali diffinitione, & quidditate non includere cætera: nam si sapientia essentialiter includeret cætera omnia attributa; vtique in sua essentia totaliter includeret diuinã perfectionem: cuius oppositum in antecedente supponitur.

27. Tertia demonstratio. Tertia demonstratio sumitur ad hominem; quoniam aduersarij docent nostrum intellectum vnumquodque attributorum concipere sub speciali quadã ratione, quæ dici potest quasi differentia, vel modus vltimatè constituens tale attributum: concipit enim sapientiã sub expressa ratione sapientiæ, tanquã sub quadam differentia vltimatè constitutiua sapientię in esse sapientiæ. Voluntque ad hunc sensum sapientiam in sua essentiali ratione non includere cætera attributa; & subinde hanc propositionem esse falsam, *sapientia est iustitia*: cum tamen à parte rei sapientia cætera omnia essentialiter includat. Ita scribit Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 14. n.8. Sed duo ista secum pugnare facilè ostendi potest. Nam si sapientia in re non constituitur in esse sapientiæ per aliquam specialem rationẽ, quæ sit veluti differentia vltimò constitutiua illius in tali esse: sed vltimatè constituitur in esse sapientiæ diuinæ per rationẽ adæquatam totius diuinæ perfectionis; non potest sapientia diuina vllo modo verè concipi à nobis sub aliqua speciali ratione, quæ veluti sit differentia vltimatè constitutiua illius in esse sapientiæ; ita vt sic considerata verè non sit iustitia: cuius oppositum in data doctrina supponitur. Sequela probatur; quia illa consideratio, & negatio aliter considerat, & enuntiat, atque res habet in se: etenim sapientia sub ratione sapientiæ, quam habet in re adæquatè includit rationem iustitiæ, & bonitatis, vt conceditur in eãdem doctrina. Quare si in hac materia optimum est argumentum à re, vt est in se, ad se ipsam, vt obiectam nostro intellectui (vt idẽ Suarius fatetur in eodem lib. c. 11. num. 6.) profectò talis enũtiatio erit falsa. Quare si admittitur, vt vera consideratio nostri intellectus; vt sapientia concipiatur sub ratione constitutiua sapientię; profectò à parte rei admittenda est in illa specialis ratio, quæ sit ratio sapientiæ, & non iustitiæ; alioquin intellectus non conciperet veram sapientiã Dei, sed aliam ab eo confictam.

28. Accedit etiam; quoniam possum inquirere, an illi conceptui expresso sapientiæ, sub quo Dei sapientia à nobis concipitur, respondeat à parte rei aliqua formalitas sapientię diuinæ, vel nõ respondeat? si non respondet; contradicis doctrinę à theologis receptæ ex D. Thoma in 1. d. 2. q. 1. ar. 2. §. *quantum verò ad quartum*, & d. 22. q. 1. ar. 3. & d. 33. q 1. art. 1. ad 3. quæ docet ex parte Dei aliquid respondere nostro conceptui. Porrò si respondet; igitur habet Deus in se talem formalitatem: & simili modo habebit formalitatem correspondentem conceptui expresso iustitiæ. Hoc supposito iam inquiro: an quando intellectus negat sapientiam esse iustitiam; talis negatio habeat in Deo aliquod fundamentum? si non habet; non est vera propositio: nam ex D. Thoma in locis citatis Deus in se ipso habet fundamentum omnis veritatis, quam intellectus de eo format. Porrò, si illa negatio habet fundamentum in diuina essentia; ratio illa formalis correspondens conceptui expresso sapientiæ verè non erit ratio formalis iustitiæ; & per consequens illa ratio formalis sapientiæ essentialiter non includet rationem formalem iustitię. Et sic de cæteris.

29. Responsio. Respondebis perfectionem illam iustitiæ verè non includi in perfectione sapientiæ; at tamen essentialiter includi in ipsa sapientia: hęc enim præter illam perfectionem sapientiæ intrinsecè includit cęteras perfectiones. At hæc solutio admitti potest, quando agitur de ratione formali diuinæ essentiæ in ordine ad attributa: at si sermo fuerit de singulo quoque attributo, indigna est, quæ recipiatur: inde enim sequitur perfectionem correspondentem conceptui sapientiæ non solùm habere specialem rationem, quæ illi sit veluti vltima differentia, prout à nobis concipitur; sed etiam, vt est in re: etenim iam concluſimus illam non esse rationẽ iustitię. Habet igitur in re aliquid, quo distinguatur à ratione iustitiæ, quod ipsum habet rationem differentię constitutiuæ sapientiæ in esse sapientię. Illam igitur

30. Quarta [illegible] opinionis dem[illegible] ratio.

Impugnatur.

igitur rationem formalem ego dico esse ipsam diuinam sapientiam, quæ formaliter quidem à parte rei est vnita cęteris attributis iuxta theologiam Dionysij; non tamen formaliter est idem cum illis: longum enim discrimen est inter esse idem formaliter cum alio; & esse illi formaliter vnitum: nam esse idē formaliter cum alio, est illud includere in sua formali ratione: at esse formaliter adunatum, & identificatum cum illo in aliquo vno denotat esse cum illo congregatum in vna veluti formalitate ex vtroque cōstituta: hoc autem potius arguit vnum non ingredi essentiam alterius, sed cum illo vnam essentiam cōstituere. Quod in hac materia est diligenter obseruandum. Potest id exemplo declarari: animal enim, & rationale essentialiter, atque formaliter adunantur in homine: non tamen inter se formaliter sunt idem: quia nec animal essentialiter includitur in rationali, nec rationale in animali. Simili modo attributa adunantur in vna perfectione diuinæ essentiæ; quia simul constituunt vnam veluti diffinitionem adæquatam diuinæ essentiæ: non tamen formaliter sunt idem. Sed de hoc in sequenti demonstratione.

§. 5.

Diuinam perfectionem non ita esse concipiendā, vt secundùm suam formalem rationem adæquatè, & indiuisim sit singulæ perfectiones.

36. Quarta nostræ opinionis demonstratio.

QVarta demōstratio specialiter sumenda est ex impugnatione explicationis, qua auctores sententiæ affirmantis explicant vnitatem formalem diuinę perfectionis. Pro quo aduertendum est eminentiam vnitatis diuinæ perfectionis ab illis ita explicari, vt ipsa diuina perfectio per vnam simplicissimam rationem formalem indiuisim, & adæquatè sit singulæ perfectiones formales; ita vt secundùm eandem formalem rationem, qua est sapientia, sit etiam iustitia, & bonitas; ita vt vna, & eadem diffinitio sit sapientię, iustitię, cæterorumque attributorum, vt in re sunt. Ex quo necessariò infertur quodlibet attributorum cætera omnia includere in sua essentiali ratione. Ita colliges ex Caietano, & ex cæteris, quos pro parte affirmante citauimus. Qui tamen explicandi modus mihi videtur improbabilis, & contra Magni Dionysij theologiam. Et quanuis illius impugnatio iā pateat ex ijs, quæ immediatè diximus; est tamen specialiter impugnandus, vt expendamus aduersariorum respōsiones.

Primam igitur impugnationem sumimus ex prima demonstratione posita in §. precedente: nec enim cum illa formali identitate toraliter, & adæquatè cōmunicata singulis perfectionibus potest vllo modo consistere multiplicitas formalis, quam cum Augustino, & Dionysio omnes admittunt: nam quo pacto illa formalis ratio, & identitas potest esse formaliter multiplex, si illa eadem, & eodem modo perficit diuinam essentiam, & includitur in singulis perfectionibus, nec enim alia multiplicitas potest in illa vna ratione formali perfectiōnis diuinæ excogitari, nisi quod tota includatur in singulis; non tamen totaliter: inde enim ortum habet, vt non vna ratione perfectionis Deum perficiat, sed pluribus: etenim multiplicitatem illam expendi penes aptitudinem, qua multipliciter potest mouere intellectum creatum ad distinguendas Dei perfectiones, iam suprà reiecimus, tanquam quid ridiculum. Porrò si expenditur in ordine ad multiplicitatem, quā ex se habet ad Deum multifariam perficiendum, talis multiplicitas omnino excludit illam vnam Dei perfectionem conuenire singulis perfectionibus secūdùm totalē, & adæquatā suam rationē.

31. 1. impugnatio.

Secundò impugnatur; quoniam si illa vnica Dei perfectio totaliter, & adæquatè includitur in singulis perfectionibus, ita vt singulę cęteras omnes perfectiones essentialiter includant; sequitur istas propositiones in Deo esse veras: *intellectus est voluntas: voluntas est intellectus: sapientia est iustitia: iustitia est sapientia.* Quod tamen est falsum; quia inde sequitur istas etiam esse veras: *intellectus, quatenus intellectus est voluntas: voluntas, quatenus voluntas, est intellectus: sapientia, vt sapientia, est iustitia.* Ex quo item sequeretur filium in diuinis procedere per voluntatem, & Spiritum Sanctum procedere per intellectum; Deum formaliter esse

32. 2. impugnatio.

sapientem per iustitiam: iustum autem per sapientiã: quas propositiones theologi non admittunt, imò nec fides.

33. Responsio aduersariorum non recipitur.

Ad hoc argumentum aduersarij admittunt primam, & secundam consequentiam, vt patet ex Molina 1. parte quæst. 28. artic. 2. disput. 4. ad finem, & ex Cumelio ibi quæst. 8. pagina 846. columna 1. §. *Sed vlterius vrget argumentum*, & quidam alij: qui non solùm admittunt intellectum esse voluntatem, & sapientiam esse iustitiam; sed etiam intellectum, quatenus est intellectus, esse voluntatem, & è contrario; & sapientiam, vt sapientiam esse iustitiam. Vltimam tamen consequentiam quidam simpliciter negant: alij eam admittunt, si sermo sit de istis attributis, vt sunt in se ipsis; secus, prout à nobis concipiuntur. Priores ideo negant vltimam consequentiam; quoniam cum hæc attributa distinguantur, aut ratione, aut virtute, committitur fallacia accidentis, dum, quod conuenit vni, vt ab alio distinguitur, eidem tribuitur. Sed neutra solutio est admittenda. Nam (quod attinet ad posteriores) ex eo distinctio illorum est reijcienda; quia fides non disputat de distinctione principiorum diuinarum emanationum, vt illæ à nobis concipiuntur; sed, vt sunt in se ipsis. Quod verò ad priores spectat; iam diximus distinctionem virtualem inter intellectum, & voluntatem non esse sumendam in ordine ad distinctionem rationis; alioquin faciendam per intellectum creatum. Porrò si distinctio ista, & multiplicitas formalis diuinæ perfectionis sumenda est ad intus, nimirum per ordinem ad multiplicem rationem perfectiuam diuinæ essentiæ; iam ostendimus ea non posse simul consistere cũ vnitate rationis formalis in singulis quibusque attributis. Quarè si aduersarij admittunt vnam esse omnium attributorum formalem rationem, non benè recurrunt ad distinctionem virtualem.

34. 3. impugnatio

Tertiò impugnatur; quia ille dicendi modus non satis videtur consentire cum theologia Dionysij, qui vnitatem diuinę perfectionis theologizat vtvniẽtem in se, & aggregantem omnes perfectiones simpliciter per modum cuiusdam totius ex pluribus constituti, vt in superioribus latè ostendimus. Iam verò sicut de ratione totius ex pluribus constituti est non totaliter includi in singulis partibus, sed inadæquatè, vt patet; ita de ratione partium est proprias suas rationes, & diffinitiones etiã in ipso toto retinere, & conseruare. Vtrunque negat ille dicendi modus.

Et hæc satis dicta sint pro confirmatione negantis partis. Restat dissoluere argumenta partis affirmantis.

§. 6.

Soluuntur argumenta partis affirmantis.

35. Ad testimoniũ D. Thomæ.

NEc argumenta adducta pro parte affirmante expugnant negantem sententiam. Ad primum sumptum ex Diuo Thoma 1. parte quęstione 13. articul. 5. dicendum est ex illo articulo hæc sola verba ad institutum facere: *sed cum hoc nomen* (scilicet sapiens) *de Deo dicimus; non intendimus significare aliquid distinctum ab essentia, vel potentia, vel esse ipsius.* Sed non video, quomodò ex his verbis Cumelius colligat asseruisse Diuum Thomam quodlibet attributum includi essentialiter in quolibet: agit enim ibi de distinctione, de qua agit in verbis immediatè sequentibus: *cum hoc nomen sapiens de nomine dicitur, significamus aliquam perfectionem distinctam ab essentia hominis, à potentia, & ab esse ipsius.* Hanc igitur distinctionem negat significari per illud nomen, cum dicitur de Deo. Ex quo nihil contra nos.

36. Ad Augustũ.

Ad secundum sumptum ex Patribus non video vnde illi auctores colligant hanc fuisse apertam sententiam Augustini, Anselmi, & Bernardi. Singulorum & verba, & mentem expendamus, vt facilè appareat, quàm oscitanter hæc verba lecta fuerint. Nam verba Augustini ex sexto de Trinitate capite primo ad finem esse intelligenda de identitate reali euidenter intelliges, si ad discursum Augustini diligenter aduertas. Etenim Augustinus in eo capite arguit contra nonnullos: qui dicebant Patrem in diuinis non esse sapientiam; imò nec esse sapientem, nisi per sapientiam, quam genuit, id est, per Filium, qui est sapientia patris. Contra istos ex eo arguit; *quia si Pater non dicitur sapientis, nisi quia est genitor sapientiæ; cur*

non

non dicetur pater magnitudinis suæ, & bonitatis, & æternitatis, & omnipotentiæ suæ? Vt non ipse sit sua magnitudo, & sua bonitas, & sua æternitas; sed ea magnitudine sit magnus, quam genuit: & ea bonitate bonus, &c. Ecce argumentum Augustini contra aduersarios.

37. Respondebant huic argumento; ideo diuinum patrem non dici patrem suæ magnitudinis, suæ bonitatis, & cætera; ne cogamur multos filios Dei dicere. Hac responsione supponentes attributa ista in Deo esse realiter distincta. Occurrit Augustinus ex eo, quod pater dicatur pater suæ magnitudinis, & suæ bonitatis, & cæt. non bene inferri patrem esse patrem multorum filiorum. id autem ex eo probat; quia ex Paulo Christus dicitur virtus patris, & sapientia patris: & tamen vnus tantùm est filius. Et ratio (inquit) est: *quia in Deo eadem est virtus, quæ sapientia; & eadem sapientia, quæ virtus:* & cum idem dicendum sit de cæteris, vt eadem sit magnitudo, quæ virtus: insistit in sua initantia; cur pater nõ dicatur pater suæ magnitudinis per magnitudinem, quam genuit. Ex quibus patet Augustinum verba in argumento obiecta adduxisse, vt ostenderet ex eo, quod pater diceretur pater suæ magnitudinis, suæ bonitatis, & cęt. non bene inferri patrem futurum esse patrẽ multorum filiorum: sicut de facto non dicitur pater multorum filiorum ex eo, quod est pater suæ sapientiæ, & suę virtutis, quam genuit. Et ratio est: quia sicut virtus, & sapientia in Deo non sunt diuersæ res (vt malè aduersarij supponebant) sed eadem: ita magnitudo, & cætera attributa non sunt diuersæ res, sed vna, & eadem. Agit igitur Augustinus non de identitate formali, sed reali.

38. Ad alium locum Augustini. Locus ex eodem libro cap. 7. in eodẽ sensu intelligendus est, vt patet ex verbis immediatè sequentibus: *Et non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse.* Quæ verba declarant præcedentia, vt sit sensus: *eadem magnitudo eius est, quæ sapientia.* Eadem inquam, id est, eadem res: vt declaret multiplicitatẽ, qua Deus dicitur multiplex multiplicitate attributorum, non esse realem, sed formalem: non quidem actu, sed virtute. Vnde totam disputationem ad finem capitis noni concludens, ita ait: *Nunc autem æqualitas trinitatis, & vna, eademque substantia demonstrata est:* vt intelligamus in præcedẽtibus sermonem esse de vnitate, & identitate reali. Et in eodẽ sensu manifestè intelliguntur verba, quæ à Suario adducuntur ex lib. 7. de Trinitate cap. 1.

39. Ad 3. locum Augustini. Verba adducta ex libr. 6. cap. 10. euidentiùs, quàm cætera intelliguntur de identitate reali vnius, & eiusdem substantiæ: nam in præcedentibus de identitate reali agebat, cum dixit: *Vbi est prima, & summa vita: cui non est aliud viuere, & aliud esse, sed idem est esse, & viuere. Et primus, ac summus intellectus, cui non est aliud viuere, & aliud intelligere; sed id, quod est intelligere, hoc viuere, & hoc esse, est vnum omnia.* Persistens in eodem sensu, ponit discrimen inter vnitatem trinitatis, & rerum corporearum, ita inquiens: *sed hic in rebus corporeis non tantum est res vna, quantum tres simul: & plus aliquid sunt duæ, quàm vna res.* Deinde immediatè addit: *Cæterum in illa summa Trinitate tantùm est vna res, quantùm tres simul: nec plus aliquid sunt duæ, quàm vna: & in se infinita sunt.* Quæ verba esse intelligenda de vnitate substantiali, nullus dubitabit; vt sit sensus: Omnes tres personæ sunt vna substantia: nec duæ personę sunt aliquid plus substantialiter, quàm vna. Quare verba, quæ nobis obijciuntur, *ita & singula sunt in singulis, & cætera*, ita sunt explicanda, vt singula sint in singulis: quia singulæ personæ ratione essentiæ sunt in singulis alijs: & omnes tres personę ratione essentiæ sunt in singulis personis: & singula quæque persona ratione essentiæ est in omnibus alijs: *Denique omnia* (id est, omnes tres personæ) ratione essentiæ sunt in omnibus personis. *Et vnum omnia*, id est, omnes tres personæ sunt vna substantia.

40. Etenim Augustinum ibi de personis agere ex antecedentibus, & consequẽtibus manifestum est: quidquid repugnet Torres loco citato, pagina 53. colum. 1. Nec oppositum probant verba, quæ ex eodem capite adducuntur: quia in illis agitur de intellectu, & vita, vt in patre dicuntur prima vita, primusque intellectus, à quo, & per quem procedit filius, qui ibi dicitur imago patris per

omnia ei correspondens. Declarat igitur loco citato Augustinus mutuam inexistentiam vnius personæ in alia, quã theologi appellant circuminsessionem: quæ ipsa ex vnitate essentiæ ortum habet, vt est communis omnium explicatio, de qua D. Thomas 1. p. q. 42. ar. 5. & scholastici in 1. d. 19.

41. Ad Anselmum. Sed mirum est, quòd pro sententia affirmante adducatur D. Anselmus in Monologio c. 16. cum intẽtum illius sit ostendere naturam diuinam non esse cõpositam, quamuis habeat plura bona, hoc est plures perfectiones attributales. Quod euidenter ostendunt verba 2. & 3. loco obiecta: compositio autem nõ fit, nisi ex reali distinctione componentium. Quare cum Anselmus in hæc verba concludit: *Cum igitur illa natura nullo modo composita sit; & tamen omnimode tot illa bona sit; necesse est, vt illa omnia non plura, sed vnum sint*; manifestè suum explicat sensum, vt illa bona non sint realiter plura, sed realiter vnum: quia aliàs facerent compositionem. Eundem sensum colliges ex verbis quæstionis initio capitis propositæ, quæ manifestè intelliguntur de reali vnitate. Igitur cum ait: *idem est quodlibet vnum illorum, &c.* intelligendus est de identitate reali, de qua in præcedentibus egerat.

42. Ad Bernardum. Sed nec D. Bernardus pro sententia affirmante facit: nam lib. 5. de consideratione c. 13. ex quo priora verba desumuntur, manifestè agit de vnitate, identitateque reali: totus est enim, vt ostẽdat longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profundum (per quæ Deum definierat) in Deo esse vnam rem, & non plures. Diffinit igitur Deum initio capitis inquiens: *quid est Deus? longitudo, latitudo sublimitas, & profundum.* Hæreticis autem inde inferẽtibus quaternitatem in Deo; negat consequentiam ita dicens: *Quia non diuisione substãtiæ in quaternario isto expressè sunt.* Et reddit rationem, quia singula vnum sunt; ita enim scribit: *Singulũ hoc est, quod illa quatuor simul, & illa quatuor ipsa, quod singulum est.* Tandem in fine capitis hunc sensum euidenter ostendit in hæc verba: *res vna, effectus multiplex; & illa vna res est longitudo propter æternitatem: latitudo propter charitatem: sublimitas propter maiestatem; profunditas propter sapientiam.* Res vna, inquit; Quare priora verba nobis obiecta ita explicanda sunt, vt idem sit, id esse vnum, quod alterum, atque vnum esse eandem rem, quod alterum.

43. Verba autem posteriora sumpta ex sermone 80. in cantica paulò ante finẽ denotare vnitatem, & identitatem realem ex eo patet; quia D. Bernardus agit contra Gilbertum, qui diuinitatem realiter distinguebat à Deo; & subindè magnitudinem, bonitatem, & cæteras perfectiones. Secundò; quia postquam cõtra illum conclusit diuinitatem, & Deũ esse realiter vnum, ita scribit: *Iam de magnitudine, bonitate, iustitia sapientiaque idẽ per omnia, quod de diuinitate sentimus: vnum in Deo sunt, & cum Deo.* Vnum inquam re ipsa. Quare cum addit: *nec enim aliunde bonus, quàm vnde magnus*, sensus est: non alia re est bonus, & alia magnus: sed per vnam, & eandem rem bonus est, & magnus. Quem sensum manifestè declarat illis verbis immediatè additis: *bonitate fateor bonum; sed non alia, quam ipse est.* Et clariùs, dum infert: *alioquin illa erit maior, quàm Deus.* Quæ sequela supponit sermonem esse de alietate reali, & hæc satis, vt ostendamus nec Augustinum, nec Anselmum, nec Bernardum nobis aduersari. Sed rationes expendamus.

44. Ad primam rationem. Ad primam rationem facilè respondebunt, qui putant attributa essentialiter non includi in diuina essentia: hi enim simul etiam negabunt essentiam essentialiter includi in attributis. Illud prius, tanquam probabile defendimus suprà quæstione 7. hoc posterius etiam defendimus quæstione 8. Hi igitur, & maiorem negabunt, & minorem. Nos autem quia quæst. 7. putauimus minorem esse longè veriorem, solùm negabimus maiorem: de cuius falsitate satis diximus quæst. 8.

45. Ad 2. Præmittuntur non nulla. Pro vera resolutione secundæ rationis notandum est in quolibet ente etiã diuino duplicem distinguẽdam esse entitatem: vnam, quæ in quolibet est simpliciter prima, primumque fundamentum essendi; quod cæteris essendi gradibus præstat veluti fulcimentum. Alteram; quę in quolibet ente est entitas veluti secundaria; vt quia ex sua natura supponat entitatem veluti priorem, in qua fulciatur. Entitas prioris generis ex sua

sua natura est constitutiua essentiæ, & quidditatis per modum substantiantis, & quidditantis ipsum esse: qualia sunt omnia prædicata sumpta ex prędicamento substantiæ. Posterioris generis entitas ex sua natura est qualificatiua, & perfectiua essentiæ, qualia sunt prędicata sũpta ex alijs prędicamentis. Hanc duplicem entitatis rationem primus excogitauit Scotus quodlib. 1. litera C. nec potest non admitti in sensu explicato, siue attributa distinguas ab essentia ex natura rei, siue sola ratione: siue dicas illa essẽtialiter includi in essẽtia, siue id neges; semper enim hæc duplex entitatis ratio nostro intelligendi modo distinguenda est, vt entitas diuina sumpta secundum prædicata prioris generis dicatur entitas veluti prima: entitas autem perfectionum attributalium dicatur entitas veluti secundaria; vt quia ex sua ratione supponat gradus essendi substantiales: nam Deum esse sapientem, bonum, iustum, &cæt. supponit Deum esse substantiam immaterialem, & viuentem: quod enim non est substantia, viuens, & spiritualis, non potest esse sapiens, iustum, atqué bonum bonitate morali. Cum vero infinitas cõsequatur entitatẽ, quæ à se est entitas, tãquã modus entitatiuus illius; duplex etiam in diuinis distinguenda est infinitas: vna primaria, & radicalis; altera secundaria; vt optimè philosophantur Scotistæ, vt suprà aduertimus q. 3. ar. 6. §. 3. n. 108. & 109. Inter vtranque explicatam entitatem hoc interest: quod entitas prima (qualis est entitas essentiæ) ex sua ratione vendicat sibi infinitatem in genere entis: entitas verò secunda (qualis est entitas attributorum) ideo vendicat sibi infinitatem in essendo, quia in essendo est idem realiter cum essentia.

46. Ad formam argumenti. His ita præmissis admittimus attributa esse infinita in genere entis infinitate non primaria, sed secundaria, in quo sensu neganda est consequentia; si in consequenti tota infinitas idem est, quod infinitas entitatis, & perfectionis; nam licèt quodlibet attributũ habeat totam entis infinitatem; quia idem est realiter cum ente simpliciter infinito, qualis est essentia; non tamen habet totam infinitatem perfectionis; sed eam solam, quæ est sui generis. Ad probationem consequentiæ dicendum est nõ esse vsquequaque certum, an ens infinitum infinitate primaria (qualis est essentia) essentialiter includat omnem formalẽ perfectionem: id enim plures negant, vt diximus supra quęstione septima artic. primo, §. 6. & articul. 2. §. 5. Sed quia oppositum putamus esse longè probabilius; negandum est infinitum infinitate secundaria essentialiter includere infinitatem perfectionis. Cum verò additur de ratione entis infiniti esse includere non solùm omnem perfectionem, sed etiam optimo modo, & essentialiter: vtrunque est negandum: nam quanuis enti infinito infinitate primaria debeatur omnis perfectio simpliciter, atque essentialiter, vt verior habet opinio; nõ tamen debetur enti infinito infinitate secundaria; nam, cum hoc infinitum solùm vendicet sibi infinitatẽ ex eo, quod est realiter idem cum ente infinito, satis est, si inde consequatur infinitatem entitatis; nec est opus, vt cõsequatur infinitatẽ perfectionis. Quin potius eam consequi non potest: obsistente multiplici perfectibilitate diuinę essentię; est enim Deus multipliciter perfectibilis, vt diximus ex Augustino libr. 6. de Trinitate c. 4. 6. & 7. quæ multiplex perfectibilitas consistere non potest cum infinitate perfectionis in quolibet attributo. *August.*

47. Ad 3 rationem. Tertia ratio cum sumat vtranq; prę-missam satis dubitabilem, non erit demonstratio à priori, nec à posteriori. Nam minor non recipitur ab omnibus, vt patet ex quæstione 5. articul. quarto §. 5. n. 105. & q. 7. artic. 1. vbi diximus esse ens per essentiam non necessario inferre illud essentialiter includere omnem perfectionem. Similiter nec maior omnibus probatur; sunt enim, qui negant existentiam essentialiter includi in essentia. Quod si essentia essentialiter nõ est suum esse; nec attributum essentialiter erit suum esse. Præterea esse ens per essentiam idem est, quòd esse ens non ab alio; in sensu enim negatiuo abomnibus explicatur etiam à Suario in Metaph. disp. 28. sect. 1. n. 7. Negatio autem non potest esse de essentia alicuius. Quod si maior ita explicetur, vt vnumquodque attributũ essentialiter sit illud esse, quod nõ est ab alio; iã redit difficultas primi

argumenti; an scil. attributum in sua essentiali ratione includat essentiam, de qua in quæst. præcedente.

48. Ad 4. Ad quartam rationem patet solutio: antecedens enim sumit id, de quo est cõtrouersia: de hoc enim certatur, an attributum essentialiter sit ens illimitatũ quoad perfectionem? affirmant aduersarij: nos negamus. Vide ad secundam rationem. Quanuis autem attributum v.g. sapientia, essentialiter non includat omnem perfectionem simpliciter; non proinde manet imperfecta, vt indigeat perfici, vt malè argumentum supponit: quia nihil indiget perfici, nisi, quod careat aliqua perfectione sibi debita: perfectiones autem aliorum attributorum non debentur sapientiæ. Sapientia igitur non est omnis perfectio; sed est certa quædam perfectio infinita in suo genere.

49. Ad vltimã. Advltimam rationem admittimus in Deo, vt est in se, vnam tantum rationem formalem, & vnam quidditatiuam diffinitionem: & simul negamus attributa mutuo se se essentialiter diffinire. Quare ad argumentum neganda est minor. Etenim admittimus in Deo vnam perfectionem, vnamque illius formalem rationem vnitate vnionis, quæ est per aggregationem omnium perfectionum ad inuicem vnitarum vnione quadam singulari, & supereminenti, vt diximus ex Dionysio. Cuius eminentia in hoc est posita (quantum possumus concipere) vt omnes perfectiones ita inter se vniantur in vna totali perfectione, vt quælibet in suo toto suam retineat propriã rationẽ formalẽ virtute distinctam ab alia. Itaque illa tota vna perfectio cõstituta ex omnibus perfectionibus vnitis adequatè est omnes perfectiones simul, inadæquatè vero est singulæ, vt in superioribus iam ostendimus. Et ita cũ vna perfectione formali ad modum totius optimè saluatur distinctio formalis virtualis inter singulas perfectiones. Et consentaneè ad hanc theologiam medij stamus inter Scotum, & Caietanum cæterosquè aduersarios.

Explicatur mens Dionysij.

50. Media sententia inter Scotũ & Caietanum. Quoniam Scotus ita diuinas perfectiones distinguit, vt eas nullo modo formaliter adunet, sed solum realiter; quin potius singulas ponit, vt totales quasdã perfectiones inter se veluti dissutas. Caietanus autem ita illas omnes vnit in vna ratione formali, vt eas secundum esse formale nec virtualiter distinguat. Nos vero cum Magno Dionysio omnes pfectiones ita formaliter vnimus, vt tamẽ illã vnitatẽ dicamus esse virtualiter multiplicẽ cum Augustino, & Dionysio. Nec deerit exemplum satis accommodatum petitum à philosophia: etenim vnitas totius homogenij ita ex partib⁹ vnitis constituitur, vt entitas, & ratio formalis cuiusque partis maneat distincta ab entitate alterius; non quidem actu, sed potentia tantum, vt bene aduertit Fonseca in 5. Metaph. c. 6. q. 6. sect. 2. ad finem §. *distinctio potentialis*: quam doctrinã admittit Suarius in Metaph. disp. 7. sect. 1. n. 22. in sensu ad nostrum institutum accomodato: etenim partes Homogeneæ, licèt actu sint partes, vt actu sint in toto, vt vna pars non sit alia; ideo tamen actu non distinguuntur; quia actu non sunt entia, sed solùm potentia sumpto nomine entis, pro ente existente per se.

[Explicatur exẽplo sũpto ex philosophia.

Fonseca.

51. Ex hoc exemplo illud solum volumus obtinere non repugnare philosophiæ, quæ per se vniuntur in aliquo toto actu non distingui; & tamen ita se habere, vt sublato intellectu vnum non sit aliud ratione distinctionis potentialis, quam inter se habent. Igitur non repugnabit perfectiones diuinas per se vnitas vna eminentissima vnitate actu formaliter non distingui inter se, bene tamen virtualiter, ita vt sublato intellectu vna nõ sit alia. Sed de his satis.

QVÆSTIO X.

De mutua prædicatione attributorum, tum inter se; tum cum diuina essentia.

QVARTO loco agendum est de mutua prædicatione attributorum tum cum Deo, tũ inter se; Cuius quæstionis resolutio ex ijs, quæ tam latè diximus q. 7. 8. & 9. facilis erit explicatu. Vt clare procedamus; primum inquiremus, an & quomodo diuina attributa de Deo enuntiari possint, & Deus de illis? Deinde an, & quomodo diuina attributa de se ipsis mutuo enuntientur? Cũ verò enuntiatio

tiatio sit opus intellectus; hinc infertur sermonem esse hoc loco de Deo, diuinaque essentia, & attributis, prout à nobis concipiuntur.

ARTICVLVS I.

Vtrum, & quomodo diuina attributa de Deo enuntientur, & Deus de illis?

1. Attributa & essentia varijs modis inter se cõparantur.

ATtributa diuina, & diuina essentia quanuis duobus tantum modis à nobis concipi possint; in abstracto scilicèt, & in concreto; varijs tamen modis possunt inter se comparari, vt bene aduertit Suarius libro 1. de essentia Dei ca. 14. n. 1. Nam comparari possunt vel inter se, vel in ordine ad aliquod tertium, inter se autem; vel concretum cũ cõcreto; vel abstractum cum abstracto: vel denique concretum cum abstracto variatis omnibus penes subiectum & prædicatum.

§. 1.

De Deo aliquid posse verè, & propriè prædicari.

2. Multa possunt de Deo vere prædicari.

INitio huius disputationis, in qua agimus de mutua prædicatione Dei, & attributorum, supponẽdum est posse à nobis de Deo efformari plures propositiones affirmatiuas, veras, proprias, & non synonymas. Hanc veritatẽ colliges ex D. Thoma 1. p. q. 13. art. 3. 4. & 12. est manifesta quoad singulas partes: nam Paulus ad Rom. 1. inquit: *Inuisibilia Dei à creatura mũdi* (.i. ab homine) *per ea, quæ facta sunt intellecta, cõspici; sempiternam quoquè eius virtutem, & diuinitatem.* Iam verò, quæ creatura rationalis cõcipit, & intelligit, potest enuntiando explicare: vnde sacra Scriptura plures de Deo propositiones nobis proponit: quod sit vnus, & trinus, bonus, iustus, sapiens, & cæt. Aristoteles etiam plura prædicata de Deo demõstrat 8. physic. & 12. Metaph. Experientia etiã docet nos plures propositiones affirmatiuas efformare: & suadet ratio D. Thomæ 1. p. q. 13. ar. 12. quoniam ibi potest dari propositio affimatiua, vbi plura concipiuntur, quæ diuersa sunt saltem secundum rationem. At noster intellectus plura de Deo concipit, quæ licèt in re sint idem, ratione tamen sunt diuersa, vt ex dictis iam patet. Ergo de Deo possumus plures de Deo formare propositiones affirmatiuas. Vide D. Thomam in d. art. 12. & ibi Caietanum, eundem D. Thomam in 1. d. 4. q. 2. ar. 1. & lib. 1. contra Gentes. c. 36.

D. Thom. Ad Rom. 1.

Arist.

D. Thom.

Caietanus.

3. De Deo formantur plures propositiones affirmatiuæ.

Quod vero de Deo formentur plures propositiones affirmatiuæ, quarum prædicata positiuè Deo conueniant, ostendit D. Thomas in d. q. 13. ar. 2. & in 1. d. 2. q. 1. ar. 3. & de potentia q. 7. ar. 5. quib⁹ in locis impugnat quorundam opinionem, qui negarunt dari posse prædicata affirmatiua, quæ de Deo in sẽsu verè affirmatiuo prædicarentur: vel quia omnia in sensu erant negatiua, imposita potius ad remouendum aliquid à Deo quã ad ponendum aliquid in eo (quæ fuit opinio Rabi Moysi in lib. qui dicitur ductor dubiorum, & Auicennæ in libr. de intelligentijs, & satis Henrici in summa ar. 32. q. 4. & quodlib. 5. q. 1.) vel quia non denotant aliquam formalem inexistẽtiam eorũ in Deo, sed solùm virtualem; vt scilicèt Deus dicatur sapiens, quia est causa sapiẽtię in nobis: iustus; quia est causa nostrę iustitiæ, & sic de cæteris; quæ etiam fuit aliquorum sententia teste D. Thoma vbi suprà. Sed vtranque opinionem tanquam improbabilẽ multis impugnat D. Thomas locis citatis, & nos iam vtranque rejecimus suprà q. 4. ar. 6. n. 6. & 7. vbi etiam ostendimus nec Damascenum, nec alios Patres ibi relatos vni, aut alteri opinioni fauere. Vide, quæ ibi diximus, & interpretes D. Thomæ in d. q. 13. ar. 2.

Rabi Moyses. Auicen. Henricus.

4. De Deo plura prædicãtur proprie

Nec solum formamus de Deo propositiones de prædicatis verè positiuis; quę scil. explicant, quę positiuè in Deo reperiuntur; sed etiam de prædicatis, quæ propriè Deo cõueniunt, & non impropriè. Quam veritatem ex D. Ambrosio lib. 2. de fide in principio prologi docuit D. Thomas 1. p. q. 13. art. 3. vbi latè illius interpretes, cum Bellomontano in comment. ad illum articulum, & disp. 22. cap. 6. vidẽdus etiam est Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 9. n. 10. & 11. aliquid nos diximus q. 4. ar. 2. Et quoniam hęc veritas nota est, & lumine fidei, & naturali, satis sit hæc dixisse: dummodo tamen aduertamus doctrinam D. Thomæ in d. ar. 3. (prædicata illa quoad res significatas propriè de Deo dici; impro-

D. Thom.

Explicatur D. Thom.

propriè

priè tamen secundum nostrum cõcipiendi modum) ita esse intelligendam, vt non proinde simpliciter, & absolutè negetur illa prædicata de Deo proprijssimè prædicari, vt bene aduertit Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 9. n. 10 nam quãuis modus noster concipiendi denotet aliquam imperfectionem; res tamẽ significata nullam includit, non modo inse ipsa, sed nec, vt à nobis significatur. Iam verò, vt prædicatio simpliciter dicatur propria, sãtis est, quod res ipsa propriè rei conueniat; licet enim rem ex se perfectam imperfecto concipiendi modo tribuamus Deo, tamen nec modus ipse tribuitur, nec res cum illo modo, ita vt modus se habeat ex parte obiecti. Et inde est, vt quanuis res, quæ tribuitur, cõcipiatur à nobis, imò & tribuatur per modum compositionis: res tamen ipsa non tribuitur, vt componens, sed eo modo, quo est in re.

5. quomodo explicandi sũt patres qui docent hæc prædicata impropriè dici de Deo.

Vtrum vero Patres, qui docent hæc prædicata impropriè dici de Deo (ita enim fertur dixisse Dyonisium de Mystica theologia c. 12, & de diuinis nominibus c. 7. Iustinum apologia 1. Clemẽtem Alexand. lib. 5. stromatum, Basilium epistola 80. Augustinum lib. 5. de Trinitate cap. 1. & denique Boetium de Trinitate) vtrum inquam hi Patres id dixerint non ratione rei significatæ, sed ratione modi significandi? Aliqui affirmant, vt Suarius in d. c. 9. n. 11. & Bellomontanus locis citatis cum nonnullis alijs: sed mihi id nõ placet: aliam enim fuisse mentem illorũ Patrum explicauimus q. 4. ar. 6. n. 7. nam D. Thomas in d. q. 13. ar. 3. ad 2. in nostro sensu explicauit Dionysium: quanuis autem art. 12. ad primum ad priorem solutionem videatur recurrere; tamen explicat Dionysium, quatenus docet affirmationes, quas de Deo formamus, esse incompactas, siue inconuenientes, vt habet alia translatio: quæ verba accommodatè explicantur non ratione rerum significatarum, sed ratione modi significandi.

D. Thom.

6. Prædicationes de Deo non sunt synonymæ.

Denique quod propositiones affirmatiuæ, quas de Deo formamus, non sint synonymę, nec identicæ, sed in sensu sint plures, & distinctæ; res est indubitata. De quo vide D. Thomam 1. p. q. 13. ar. 4. & de potentia q. 7. ar. 6. constat enim diuersa illa prædicata, licèt significẽt rẽ à parte rei vnã; illã tamẽ significare vt ratione distinctã: quod satis est, vt ab illis tollatur synonymitas. Vide interpretes D. Thomæ in d. ar. 4. Caietanum, Banhes Cumelium, & Bellomontanum, atque etiam Suarium libr. 1. de essentia Dei c. 13. n. 10. Vtrũ vero respectu Dei, & beatorũ propositiones illæ sint synonymæ? alterius est quęstionis: negat Suarius in d. n. 10. affirmat Bellomontanus lo co citato. Prior sententia magis nobis placet propter virtualem distinctionem, quam intellectus diuinus, & beatus in Deo cognoscunt.

Caietanus. Banhes. Cumelius.

Dubitari tamen poterat, an hæc distinctio rationis, qua synonymitas tollitur ab his prędicatis, habeat fundamẽtum in re significata, an in solo nostro modo concipiendi? Rationem dubitãndi fecit Bellomontanus, qui putat nullã distinctionem rationis habere fundamentum in re, quæ distinguitur, sed solũ in re, ad instar cuius noster intellectus facit distinctionem: sed nos iam illum reiecimus q. 5. ar. 9. §. 1. Quare dicendũ est distinctionẽ illam sumi ex re propter virtualem distinctionem, quæ in ea sine intellectu reperitur.

7. Dubitatur.

Ex quibus omnibus iam patet posse à nobis plures propositiones affirmatiuas, pluresque prædicationes de Deo efformari. Vtrum autem de essentia, & attributis vere efformentur? Et in quo sensu? id modo erit explicandum.

§. 2.

De prædicatione mutua concretorum.

8. Pro parte negatiua.

QVod attributa in concreto nec bene, nec accõmmodatè prædicentur de Deo (quod est concretum diuinitatis) illud suadere poterat; quia modus iste concipiendi, atque prædicandi videtur denotare compositionem aliquam inter prędicatum, & subiectum, vt patet. Iam vero attributa diuina sunt in Deo absque vlla compositione ex D. Thoma 1. p. q. 3. ar. 7.

9. Cõcreta attributorum verè & propriè dici de Deo.

Hoc tamen non obstante, nullus vnquam dubitauit concreta attributorũ verè, & propriè prędicari de Deo: etenim ex diuinis literis, & ex philosophia Aristotelis euidenter constat Deũ esse sapientem, iustum, bonum, &cęt. Matthęi 19. Marci 10. Lucę 18. *nemo bonus, nisi vnus Deus.*

Loci ex S. scriptura.

Deus. Psal. 118. *Bonus est tu.* Psal. 10. *Quoniã iustus Dominus.* Ps. 114. *Misericors Domin⁹, & iustus.* Et rursus: *fidelis Dominus in omnibus vijs suis.* Primæ Ioannis 1. *Fidelis, & iustus es.* Iob. 4. *Sapiens corde est, & fortis robore.* Deniq́ue ad Roman. 16. *Soli sapienti Deo.* Aristotelem multa de Deo in concreto prædicasse non est dubium: nam 8. physic. demonstrat Deum esse incorporeũ, & æternum. Et lib. 12. Metaph. c. 7. tex. 39. concludit Deum esse sempiternum, & optimum viuens. Primo Metaph. c. 2. asserit Deum esse sapientem, idem affirmat lib. 3. metaph. c. 4. tex. 16. & lib. 10. ethic. c. 8. Deniq́ue in ethicis vbiq́ue appellat Deum beatum, ac felicissimum. Quin potius si expendamus nostrum intelligendi modum, non aliter possumus perfectam, atq́ue consummatam Dei perfectionem explicare, quam per modum concreti habendi aliquid: quoniã apud nos nullus concipitur perfectus, nisi cõcipiatur, vt habens in se ipso perfectionem. Quin potius (si recte aduertimus) cõcretio in significando, quãuis compositionem videatur denotare, quę imperfectionem includit; tamen etiam denotat identitatem prædicati cũ subiecto; quæ licèt in creatis coniuncta sit cum quadam veluti compositione; tamen potest ab imperfectione abstrahere; quia potest res, quę prædicatur, esse in subiecto absq́ue vlla compositione. Et ita soluitur ratio dubitandi: quoniã licet modus concretus ex parte cõceptus denotet modum compositionis; illũ tamen non denotat ex parte rei cõceptę. Vide in §. præcedente.

Arist.

10. Prędicatio attributorũ in concreto de Deo etiã formalis.

Si inquiras, an istę prędicationes sint formales? respõdetur affirmatiué; quia nullus dicitur formaliter sapiens, aut iustus, nisi à sapientia, aut iustitia: hoc enim cõcretũ *sapiens*, sicut quoad vocem denominatur à nomine abstracto sapiẽtia, vt à forma formaliter denominãte; ita etiam in re formaliter constituitur à forma, quæ est sapientia. Nec de hoc fuit vnquam aliqua dubitatio. Fuit tamen tempore D. Bernardi in Concilio Rhemensi anno Domini 1148. controuersia circa sensum huius propositionis *Deus est sapiens*: nam Gilbertus volebat Deum dici sapientem sapientia, quę nõ erat Deus, sed forma realiter distincta à Deo. Contra quem sensum, vt hæreticum disputauit D. Bernardus cùm toto concilio serm. 80. in Cantica: cuius cõcilij verba ex quodam Codice à Gallia Romam misso ad Gregorium 13. anno Domini 1590. refert Bellomontanus 1. p. disp. 120. c. 2. In eo Concilio diffinitum fuit Deum esse sapientem sapiẽtia, quæ est ipse Deus, & sic de cæteris attributis. Et licet Eugenius 3. diffinitiones illius Concilij non confirmauerit, ipse tamen in concilio quodam Cardinalium diffiniuit *Deum dici Deum essentia: non solùm in sensu ablatiui, sed etiam nominatiui, vt non tantum dicatur Deus Deitate De⁹, sed etiam dicatur ipsa deitas*, vt ex Othone refert idem Bellomontanus.

Sensus Gilberti hæretici.

D. Bern.

Concilium galliæ Remense.

Eugenius.

Ex qua diffinitione infertur Deum dici sapientem sapientia in sensu ablatiui; ita tamen, vt ipsa etiam sit sapientia, sicut statim dicemus; nunc enim solùm contendimus propositiones istas esse verisimas in sensu formali, vt De⁹ sit sapiens sapientia in sensu ablatiui, & simili modo sit iustus iustitia, & sic de cæteris: vnde Deus dicitur sapiens habendo in se sapientiam. Quem sensum expresit Aristoteles in 1. Metaph. c. 2. ante finem. Qui sensus, & catholicè, & philosophicè ita est explicandus, vt sit sapiens sapientia nõ realiter à se distincta (vt hæreticè dicebat Gilbertus) sed sapientia, quæ realiter est ipse, vt definiere Eugenius, & Concilium Rhemense, & de æternitate expresse docuit Aristoteles 12. metaph. c. 7. tex. 39. in fine.

11.

Vtrum vero tales prædicationes sint formales de termino absoluto, an vero connotatiuo? dubitari potest. Qui putant attributa esse extra quidditatem diuinę essentiæ, nõ possunt non admittere has prædicationes esse de prædicato connotatiuo, siue denominatiuo: prędicant enim ea, quæ sunt circa essentiã diuinam, vt ex Damasceno, Cyrillo, & Nysseno sæpe diximus, maxime q. 7. Lõgè tamen verior est sententia, quæ putat attributa essentialiter includi in diuina essentia, vt patet ex d. q. 7. Auctores tamen illius putant hæc prędicata esse quidditatiua; ita vt ad quęstionem, quid est Deus? optime respondeatur, est sapiens, est iustus, & cæt. Iuxta quam sententiam prędicationes istę erunt formales de termino, voce quidem connotatiuo; re autem absoluto: quia sapiens

12. An illæ prędicationes sint formales absolutè an connotatiue.

quoad

quoad vocē videtur significare aliquid, vt adiacens: cum tamen in Deo re ipsa significet per modum subsistentis. Sed ego longè aliter censeo: nam, quanuis existimem attributa esse prædicata Deo essentialia, non tamen puto esse prædicata, quę de Deo prędicētur in quid, sed solum in quale quid, ad modum differētiarum essentialium: si enim diffiniretur Deus, diffiniretur per substantiam quidem spiritualem, & viuentem, veluti per quędam genera: quia ex sua natura sunt prædicata quidditatiua, ac per se subsistentia: per attributa vero diffiniretur veluti per quasdā intrinsecas differētias quæ nō simpliciter dicūt quid, sed quale quid. De quo vide suprà q. 7. Igitur propositiones illę erūt formales de termino quidē connotatiuo, essentiali tamen.

Propria sēntia.

13. Deus in cōcreto an prædicetur de attributis.

Hæc diximus de concretis attributorum, vt ex parte prędicati dicuntur de Deo. Erat consequenter explicandū an Deus prædicetur de attributis in cōcreto? Respondendum est hasce propositiones non esse in vsu: illas tamen esse verissimas: nam si Deus est sapiēs; vtiq; quod in diuinis est sapiens, est Deus, & sic de cæteris. Valet consequentia per regulam conuersionum; de qua Arist. 1. Priorum c. 2. Et de his satis.

§. 3.

Attributa in abstracto de Deo prædicari.

14. Loci ex sacra Scriptura.

ATtributa in abstracto prædicari de Deo nullā dubitare potest, qui scripturas, Patres, & antiquos philosophos legerit. In sacris literis passim reperitur is loquendi modus: Ioannis 14. *Ego sum via, veritas, & vita*. Primę Ioannis 1. *Deus lux est*, c. 4. *Deus charitas est*: & cap. 5 *Hic est verus Deus, & vita æterna*. De Christo Paulus 1. Corint. 1. *ipsis autem vocatis Iudæis, atque græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiā*. Prouerb. 8. ait Deus. *Ego sapientia habito in concilio*. Deus igitur in sacris literis vocatur lux, charitas, sapientia, virtus, & vita. Is loquendi modus placuit primis Ecclesię Patribus. Dionysius de diuinis nominibus capit. 4. in principio: *si igitur oportet iam sermone ad ipsam eamus boni nominationem; quam excellenter attribuunt theologi super deæ deitati, & ab omnibus ipsam, sicut reor, thearchicham essentiam, bonitatem dicētes*. Et inferius *Hoc bonū laudatur à cūctis theologis, & sicut pulchrū, & sicut pulchritudo; & sicut dilectio & sicut diligibile & quæcūq; aliæ cōueniētes sunt pulchrificæ, & gratiosæ habitæ pulchritudinis denominationes: pulchrum autem, & pulchritudo non sunt dividenda in causa, quæ in vno tota cōprehendit*. Et inferius *supersubstantiale vero pulchrorum pulchritudo quidem dicitur*. Optima sunt verba D. Gregorij lib. 10. Moral. c. 21. *Deus hoc est, quod habet: æternitatem habet; ipse est æternitas: lucem habet; sed lux sua ipse est*. Accedant verba Leonis Epistola 95. c. 5. *Nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo iustitia est: sed multi participes sunt veritatis, sapientiæ, atquè iustitiæ: solus Deus nullius participationis est indigens; de quo quicquid digne vtcunquè sentitur, non qualitas est, sed essentia*. D. Athanasius in oratione contra Idola in fine: *per se est illa potentia Patris, illa lux, illa veritas*; agit de Filio Dei. Augustinus 15. de Trinitate agens de Deo ait *Non enim percipit sapientiam, qua sapiens sit; sed ipse sapientia est*. Damascenus lib. 1. de fide c. 8. credit *Deum esse per se lucem, per se bonitatem, per se vitam per se substantiam*. Cum his Patribus consentiunt philosophi antiqui: nam Aristoteles 12. Metaph. c. 7. tex. 39. ita ait: *Quare vita, & duratio continua & æterna existit in Deo: Hoc enim est Deus* id est, Deus est ipsa sua duratio, & ipsa sua vita. Quod Deus sit sua intellectio, satis explicat ibi c. 9. tex. 51. Alcinous item philosophus Platonicus Deum appellat *diuinitatē, veritatem, & harmoniam*, vt patet apud Ludouicum viues in Annotationibus ad Augustinum lib. 8. de ciuitate Dei cap. 6. cuius verba retulimus q. 5. ar. 4. §. 10. n. 160.

Dionysius. D. Gregor. Leo Papa. D. Athan. Damascen. Arist. Alcinous.

15. In quo sensa attributa in abstracto prædicētur de Deo.

Ex quibus iam patet modum loquēdi, quo attributa in abstracto prædicantur de Deo, satis esse vsurpatum à sacris literis, Patribus, & philosophis. Tota controuersia fuit, & modò est de sensu huius loquutionis. Nam Gilbertus in concilio Rhemensi teste D. Bernardo sermone 80. in cantica volebat in illis loquutionibus abstractum sumi pro cōcreto: vt sensus sit: *Deus est sapientia*, id est *sapiens*; *Deus est veritas*, id est, *verē*. Volebat enim propriè loquendo Deum esse sapientem sapientia in sensu ablatiui, non vero nominatiui: ita vt Deus esset sapiens sapientia, non tamen esset sapientia. Istum sensum, tanquam hæreticum damnauit Concilium Rhemense ex D. Bernardo vbi supra: *melius exponeres* (inquit)

Reijcitur sēsus Gilbertī. Concilium Rhemense.

(inquit) *Deus est verus, id est, veritas.* Eundem etiam damnauit Eugenius tertius in Concilio Cardinalium, vt ex Othone refert Bellomontanus 1.p.disp.120.c.2. in hæc verba: *Ne Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatiui tantum, sed etiam nominatiui: hoc est ne solum diceretur Pater deitate est Deus; sed est ipsa deitas.* id, quod de deitate diffinitur, diffinitum censetur de sapientia, cæterisque attributis. Quare iam sine hæresi non potest non admitti prædicatio attributorum de Deo, etiam in abstracto.

Othon. *Eugenius.*

17. Quod sint veræ in solo sensu identico fetiũt. plures.

Est tamen inter theologos non parua controuersia; in quonam sensu hæ propositiones intelligi debeant? In solo ne sensu identico; an vero etiam in sensu formali seruato loquendi rigore? Quod sint veræ in solo sensu identico, probarunt, qui attributa extra diuinam essentiam posuerunt, tanquam prædicata non essentialia. Ita Scotus in 1. distinct. 8. quæst. 4 ad primum principale litera Z. Lichetus ibi quæstion. 3. fol. 118. col. 3. §. *ad argumenta principalia*, vbi etiam Bargius fol. 138. col. 3. §. *ad argumentum principale* Maironius ibi multis in locis ibi maximè quæst. 5. difficult. 5. fol. 51. col. 1. Herrera 1. tomo disput. 14. q. 2. ad confirmationem quinti argumenti pag. 473. col. 2. Rada 1. tomo cõtrouersi 4. pag. 66. col. 2. §. *similiter respondeo.* Idem docet Bellomontanus 1. part. disp. 116. cap. 2. in principio, & n. 7. & disp. 121. c. 2. in principio, satis insinuat Capreolus 1. sententiarum d. 8. q. 4. art. 3. ad 18. Aureoli contra 2. fol. 129. col. 1. & clarius ibi ad 16. dum negat essentiã diuinam in quantum essentiam diuinam esse sapientiam: plures Thomistarum idem sentire affirmat Cumelius statim citandus.

Scotus. *Lichetus.* *Maironi°.* *Rada.* *Capreolus.*

18. Oppositasẽ tentia.

Oppositam sententiam defendunt, qui putãt attributa essentialiter includi in essentia; hi enim docẽt propositiones illas veras esse non tantum in sensu identico, sed etiam formali: ita Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 2. dub. 5. in principio fol. 50. col. 3. Cumelius ibi q. 8. in 3. dub. in principio fol. 845. col. 1. & Suarius in Metaph. disp. 30. sect. 6. n. 13. clarius, & latius lib. 1. de essentia Dei c. 14. n. 3. 4. & 5. vbi putat hanc sententiam certam esse, etiam seruato loquendi rigore, ante omnes idem docuit Bachonius in 1. d. 2. quæst. 1. artic. 1. concl. 2.

Torres. *Cumelius.* *Bachonius*

19. Media sententia.

Tertiam sentẽtiam veluti mediã ego colligo ex his, quæ scribit Suarius in d. cap. 14. num. 8. vbi aduertit sensum formalem harum propositionum dupliciter considerari posse. Vno modo considerata forma illa per abstractum significata secundum eam rationem formalem, quam habet in re. Altero modo cõsiderato eo solo quod expressè concipitur in tali attributo ad modum vltimę differentiæ constitutiuę illius. V. g. in attributo sapiẽtiæ possumus (inquit) cõsiderare formalitatem sapientiæ, vel vt est à parte rei; vel provt expressè cõcipitur sub speciali ratione, quę est veluti differentia constitutiua sapientiæ in esse talis. Hac distinctione supposita

1. Propos.

ttia ex illo colligo. Primum est propositionem istam *Deus est sapientia*, si ratio sapientiæ consideretur, vt est à parte rei esse verissimam in sensu formali: quia tota ratio sapiẽtiæ essentialiter includitur in ratione adequata Dei: putat enim attributa essentialiter contineri in Deo.

20. 2. Propos.

Secundum assertum est propositionẽ præcitatam entiam in sensu formali esse falsam, si ratio sapientiæ consideretur, provt à nobis expressè concipitur sub illa speciali sapientię ratione quæ est veluti differentia constitutiua illius in tali esse: nam (vt ait) sensus illius propositionis est sapientiam sub eadẽ ratione speciali constitui in esse sapientiæ, qua constituitur Deus in esse Dei: quod putat esse falsum.

21. 3. Propos.

Tertium assertum est propositiones, in quibus attributa in abstracto de Deo prædicãtur, absolute prolatas communiter vsurpari in priori sẽsu, & ideo absolutè esse simpliciter veras in sẽsu formali, & in hoc sensu putat explicandam esse posteriorem sententiam, vt scilicèt in sensu formali propositiones illæ sint veræ, si attributa considerentur, vt sunt in re: falsæ autem; si considerentur, vt concipiuntur à nobis.

Propria sẽtentia.

De hac difficultate hoc sit nostrũ iudicium; vt secunda sententia simpliciter sit verissima quocunque modo attributa considerentur; prima tamen opinio in vtroque sensu sit maximè probabilis: tertiæ vero nullus sit relictus locus.

22. 2. Sententia similiter vera.

Quod secunda sententia simpliciter sit vera, ex eo probo; qui existimo verissimam esse opinionem, quæ affirmat attributa essentialiter includi in Deo, diuinaque essentia, vt late dixi q. 7. ar. 1. & 2. Quia suppositâ sententia necessariò asserendum est propositiones illas in sensu formali esse verissimas in omne rigore loquendi: diffinitio enim, & singulæ illius partes, sicut formaliter sunt idem cum suo diffinito, vt omnes concedunt etiam Scotistæ; ita etiam in toto rigore formaliter prædicantur de illo: homo enim, sicut formaliter est animal rationale; ita etiam formaliter est animal, & formaliter est rationalis. Et facta præfata suppositione opinionem istam esse verissimam, nec dubitant auctores primæ opinionis, nec dubitare aliquis potest. Est autem illa verissima, siue formæ attributales cõsiderentur, vt sunt in re; siue vt concipiuntur à nobis: quidquid tertia opinio aliter iudicet. Quod illæ propositiones sint veræ, provt formæ in abstracto significatæ considerantur, vt sunt in re, libentissime admittit opinio tertio loco explicata. Quod autem veræ sint, etiam vt concipiuntur à nobis, euidenter demonstratur: quia sapientia cõcepta sub expressa, & determinata ratione sapientiæ, qua veluti vltima differentia constituitur in esse sapientiæ, verissimè includitur in essẽtia Dei, vt Deus est: Deus enim (vt in hac opinione supponimus) non solùm est formaliter sapientia secundum adæquatam rationem sapientiæ, quam habet in re (iuxta illorum opinionem loquimur, qui putãt in vno attributo cætera essẽtialiter includi) sed etiam secũdum illam specialem, & expressam, sub qua à nobis cõcipitur nam sub illa constituitur in esse essẽtiali Dei, licet inadæquatè. Ob quam rationem nunquam hæc propositio erit vera, *sapientia formaliter non est Deus*, de quo statim. Interest autem maximè inter attributa collata cum Deo, diuinaque essentia, & attributa comparata inter se, vt patebit in sequenti ar.

23. Prima opinio est probabilis.

Quod autem prima opinio maximam habeat probabilitatem, ex eo confirmatur; quia maximè probabile est attributa essentialiter non includi in essentia Dei, vt late ostendimus quæst. 7. art. 1. & 2. vbi eam vindicauimus à calumnijs aduersariorum. Hac autem opinione suppositâ non potest non concedi propositiones illas in sensu formali esse falsas, siue extrema considerentur, vt concipiuntur à nobis, siue, vt sunt à parte rei: vtroquè enim modo attributa sunt extra rationem essentialem Dei, diuinæque essentiæ, vt loco citato diximus. Et quidem teste etiam Suario falsa est hæc propositio, *Deus est sapientia*, si sapientia consideretur, vt à nobis concepta: & ratio est; quoniam Deus non habet, quod sit Deus per eam rationem, qua sapientia est sapientia: nam deitate est Deus; non vero sapientia, hoc est cognitione altissimarum rerum: quod satis est, vt illa propositio in sensu formali negetur. Ex quo infertur attributa, vt sunt à parte rei etiam esse extra essentiam Dei: nam si à parte rei esset intra essentiam; non posset non esse vera illa propositio, etiam, vt sapiẽtia concipitur à nobis: esset enim conformis rei significatæ, in quo veritas cuiusque propositionis formaliter est posita. De hoc diximus quæst. 7. artic. 1. §. 6. in fine solutionis primi argumenti; & artic. 2. §. 3. in principio, & latius quæst. 9. artic. 2. §. 3. in tertia demonstratione. Ex quo colligitur nullum relinqui locum tertiæ opinioni; quia forte in se ipsa continet pugnantia; De quo in sequenti ar.

24. 1. Obiectio

At obijcit Suarius cõtra primam sententiam. Primo; quia per istas propositiones *Deus est sapientia*, *Deus est iustitia* significatur Deum non esse talẽ per participationem, sed per se primo, & cum summa perfectione. Ergo istæ propositiones sunt veræ in sensu formali. Consequentiam supponit, tanquam notam. Antecedens probat; quia illud non significatur per concretum, vt explicat D. Bernardus lib. 5. de consideratione c. 7. dũ ait: *Non est formatus Deus; sed forma: non est affectus, Deus affectio est.* Idẽ significare voluit, dũ contra Gilbertum abstractũ pro concreto sumentẽ inquit: *Melius diceres; Deus est verus, id est, veritas*, non ab aliã rationẽ, nisi quia per abstractũ significatur Deũ nõ esse talẽ p participationẽ sed p se: quod p cõcretũ nõ significatur. *D. Bern.*

25. Secunda.

Secundo obijcit: quoniã Deus est hæc omnia per suam essentiam. Ergo hæ propositiones sunt veræ in sensu formali.

Tertio;

Terti. Tertio; eàdem est ratio de ista propositione *Deus est deitas*, quæ de ista *Deus est sapientia*. Sed prima propositio est ita vera, vt dixerit Concilium Rhemense in nullo sensu catholico negari posse. Ergo & posterior eodē modo negari nō potest. Minor patet ex d. Cōcilio. Maior est Bernardi, & Augustini, & probatur à paritate rationis: quia tā simplex, & tam subsistens est sapientia, quā deitas.

Quarta. Quartò; à priori ita obijcit; quia nihil includitur in illo subiecto, quod non contineatur in prædicato: solus autem significandi modus non sufficit, vt propositio illa sit falsa: quia ille significandi modus non tribuitur Deo, sed solùm res significata.

26. Soluūtur obiectiones. Hæc parum vrgēt, si supponamus attributa esse extra rationē essentię, quod supponit sententia illa negans. Ad primum admittimus antecedens: quia per illas propositiones ex suo modo significandi verè denotatur Deum non esse talem per participationem, vt optimè declarauit Leo Papa citatus à Suario epistola 93. c. 5. dum dixit: *nemo hominum veritas: nemo sapientia: nemo iustitia est, sed multi participes fiunt veritatis sapientiæ, & iustitiæ: solus autem Deus nullius participationis indigens est.* Concedimus etiam hanc emphasim non significari per concretum, vt bene colligitur ex D. Bernardo. Sed inde nō bene infertur per illas propositiones significari Deum esse talem per se primo, id est, in primo modo per se, & ex consequenti nō bene inferri illas esse veras in sensu formali. Quæ tamen consequētia non probatur, sed supponitur. Nam ex eo, quod Deus sit talis non per participationem, non bene infertur eū esse talem formaliter: quoniam Deum non esse talem per participationem solùm probat Deū habere sapientiā, & iustitiā à se, id est, nō ab alio. Ex hoc autē nō bene infertur Deū esse talē essentialiter, vt sæpe diximus, & ostendimus q. 7. ar. 1. §. 6. ad 1. etenim, nec Deus habet esse relatiuū per participationē ab alio, & tamē non habet illud esse, tanquam sibi essētiale, vt cum Suario dicemus inferius q. 13. Quare per illas propositiones bene significatur Deū substātialiter, & in sēsu idētico esse sapientiam: ille enim sēsus satis est, vt propositio sit vera, quāuis vera non sit in sensu formali.

Secundum argumentum eodem modo soluitur: nec enim esse tale per essētiam idem est, quod esse tale essentialiter, vt latius dixi q. 7. loco citato. 27. Ad 2.

Ad 3. neganda est maior; quia deitas, cum sit natura diuina, ex sua intrinseca ratione est quidditas Dei, qua Deus in esse Dei essentialiter constituitur: at vero sapientia apud auctores negantis sēsentiæ est prędicatum non dicens naturam, sed id, quod substantialiter est circa naturam, vt ex Damasceno, Cyrillo, & Nysseno sæpe diximus. Vnde huius generis prædicata ex sua communi ratione non habent essentiare, quidditare ve substantiam, sed suo modo qualificare. Maior igitur est falsa: quam nec Augustinus vnquam probauit, nec D. Bernardus, vt ostendimus quęst. 7. 8. & 9. Sapientia autem in sensu identico tam subsistens est, quam Deitas, non tamen in sensu formali: quoniam deitas, non solum, vt est deitas; sed etiam, vt est quædam natura substantialis, includit, quod sit subsistens; quod tamen non includit sapientia: quia licèt, vt diuina includat identicam subsistentiam; non tamen, vt est sapientia: & ob id eam non includit in sensu formali. Ad 3.

Quartum argumentum (quod existimatur esse à priori) minoris est efficaciæ; quia petit principiū: supponit enim attributa esse intra essentiàm Dei, quod negat sententia, quā modo defendimus. 28. Ad 4.

Ex his patet argumenta adducta non tantæ esse efficacię, vt certam reddant opinionem, quę putat illas propositiones esse veras in sensu formali. Maneat igitur hęc opinio cum probabilitate lō gé maiore: non tamen cum certitudine.

§. 4.

Deum in concreto prædicari de attributis in abstracto.

29. Deus in cō creto prædicatur de attributis in abstracto. COntulimus attributa in abstracto ex parte prædicati cum diuina essentia in concreto: nunc è conuerso Deum conferamus cum attributis abstractis ex parte subiecti. Certissimum sit Deum prędicari de attributis sumptis in abstracto; ita vt sapientia sit Deus, & sic de cæteris. Hoc adeo verum est, vt D. Bernardus sermone 80. in Cantica dixerit *impijssimè dici*

sapientiam, qua sapiens Deus est non esse Deum. Isidorus lib. 1. de summo bono c. 1. sententia 5. ita ait: *pulchritudo, & magnitudo Dei ipse Deus est.* Probatur etiã per regulam simplicis conuersionis, de quã Aristoteles lib. 1. priorum c. 2. nam si ista est vera, *Deus est sapientia* per simplicem cõuersionem hæc etiam erit vera, *sapientia est Deus.* Simili ratione in concilio Rhemensi hæ duæ conuertuntur; *Deus est diuinitas: diuinitas est Deus.*

Arist.

30. In quo sensu prædicentur.

Siquis inquirat, in quonam sensu prò positiones huius generis sint veræ? Respondendum est eandem esse dubitationem de ijs propositionibus, quæ est de prioribus, in quibus attributa in abstracto de Deo prædicãtur: eadem enim est ratio dubitandi. Igitur, qui negant essẽtiam esse de essentia attributorum, ad solum sensum idẽticum recurrunt; quã sententiam esse probabilem putamus. Nam si ista, *Deus est sapientia* solùm est vera in sensu identico, à fortiori ista *sapiẽtia est Deus*: solum vera erit in eodem sensu. Vide, quæ diximus in §. præcedente. At nos putamus verius esse has propositiones veras esse etiam in sẽsu formali; quia verius est attributa esse de essẽtia essentiæ. Ex quo colligo Deum respectu attributorum habere rationem diffiniti. Iam vero tam diffinitio, quàm partes diffinitionis formaliter prædicantur de diffinito, quauis predicatione indirecta; hęc enim *rationale est homo* formaliter est vera; quantumuis non sit in 1. modo per se, ideo quia est indirecta. Similiter igitur dicendũ est de Deo respectu attributorũ in abstracto; quoniam attributa sunt de diffinitione Dei. Quare, quæ diximus in §. præcedente, hoc etiam loco dicta censeantur. Vide etiam Suarium lib. 1. de essentia Dei c. 14. n. 6.

§. 5.

Attributa in concreto verè prædicari de essentia in abstracto.

31. Prædicationes istæ sũt veræ.

SEd iam conferamus attributa in cõcreto cum essentia in abstracto. Omnibus consentientibus hæ etiã prædicationes sunt veræ; *deitas est sapiens est iusta est bona, & cæt.* De hoc Suarius lib. 1. de essentia Dei cap. 14. n. 6. etenim ab Ecclesia in officio Trinitatis deitas ipsa dicitur vna, summa, & sãcta in antiphona ad magn. in primis vesperis, *Gratias tibi vera, & vna trinitas; vna, & summa deitas; sancta, & vna vnitas.* Et in prima antiphona ad laudes; *gloria tibi trinitas, æqualis vna deitas* ab Augustin. *essentia dicitur creatrix* dũ ait *creaturas in Deo esse ipsam creatricem essentiam.* Probatur etiam hęc veritas ex doctrina Magni Dionysij de diuinis nominibus capit. quarto vbi docet in caussa rerum omnium non esse diuidenda concretum, & abstractum; *pulchrum* (inquit) *& pulchritudo non sunt diuidenda in caussa.* Quare *si deitas est sapientia*, vt statim dicemus; vtique *deitas erit sapiens.* Accedit; quoniam Deus est sapiens: sed deitas est Deus. Ergo deitas est sapiẽs. Quæ consequentia in absolutis est optima, vt bene annotauit Suarius vbi supra.

Dionysius.

32. In quo sensu sũt veræ.

In his etiam dubitari potest, in quonam sensu sint veræ? Quod sint veræ in sensu identico, nullus dubitat: an in solo illo sint veræ? Dubitari potest. Specialem dubitandi rationem facit, quia cõcreta denominatiua in sensu formali semper prædicãtur. Sed, vt omnis tollatur æquiuocatio; duplex distinguendus est sensus formalis: vnus formalitate denominatiua; quia id, quod prædicatur, prædicatur veluti forma adiacens. Alter formalitate essentiali, & quidditatiua; prout formale idem est, quod essentiale. Ad quæstionem igitur dices propositiones istas esse formales formalitate veluti denominatiua: quia sapientia, siue essentialis sit essentiæ diuinæ, siue nõ sit; semper dicitur per modum adiacentis. Vnde Scotus in hoc sẽsu admisit, & Deum, & deitatem esse formaliter sapientem; quia Deus formaliter est sapiens ipsa sapientia: similiter, & deitas, vt aduertimus q. 5. art. 4. §. 10. n. 151. & 152. Vtrum vero sint formales formalitate essentiali, & quidditatiua? Controuersum est. Negabit Scotus cũ cæteris, qui attributa extra essentiam essentię constituunt. Affirmabunt; qui oppositum docent. Affirmatiua verior: negatiua probabilis. Vide supra §. tertio.

Nũ sint veræ formalitate essẽtiali.

§. 6.

Attributa, & essentiam in abstracto de se mutuo prædicari.

Supereſt

33. Affirmatio vera.

SVpereſt, vt conferamus attributa, & eſſentiam, vt in abſtracto ſumũtur; hoc modo illa de ſe mutuo prędicari facta variatione penes ſubiectũ, & prædicatum, omnes admittunt. Nam quod attributa in abſtracto dicãtur de eſſentia etiam in abſtracto ſumpta, manifeſte docet Dionyſius de diuinis nominibus c. 4. in principio, dum affirmat omnes theologos thearchicham eſſẽtiã appellare bonitatem: ita enim ait: *Si igitur oportet, ſermone ad ipſam eamus boni nominationem, quam excellenter tribuunt theologi ſuperdeæ deitati: Et ab omnibus determinant ipſam (vt reor) thearchicham eſſentiam bonitatem dicentes.* Aug. lib. 15. de Trinitate cap. 5. agens de natura Dei ita ait: *Ipſa eſt enim vera æternitas*, & c. 17. eſſentiã ipſã appellat charitatẽ his verbis; *In illa ſimpliciſſima, ſũmaq; natura nõ eſt aliud ſubſtãiv, & aliud charitas; ſed ipſa ſubſtantia eſt charitas.* Ex quo infertur per ſimplicẽ conuerſionem attributa in abſtracto etiam eſſe eſſentiã v.g. bonitatem eſſe deitatem. Quod hoc etiam argumento probatur; Deus eſt deitas; bonitas eſt Deus. Ergo bonitas eſt deitas. Quare non eſt dubitandum de mutua prædicatione eſſentiæ, & attributorum in abſtracto.

Dionyſius.

Auguſt.

In quo ſenſu ſint verę.

Dubitari tamen poteſt, in quonã ſenſu ſint veræ hæ prædicationes? Et ex dictis iam patet quoſdam eas ſolũ admittere in ſenſu identico; quoſdam autẽ in ſẽſu formali. Nos de illis idem dicimus quod §. 3. diximus de cæteris. Hæc enim poſterior ſententia eſt verior; prior illa eſt probabilis. Et hæc de comparatione attributorum cum eſſentia.

ARTICVLVS II.

Vtrum, & quomodo diuina attributa de ſe ipſis mutuo enuntientur?

§. 1.

Attributa in abſtracto de ſe ipſis mutuo enuntiari.

1. Confirmatur affirmatio.

QVod attributa in abſtracto de ſe mutuo prædicentur, ambigi nõ poteſt; id enim euidenter probatur auctoritate Auguſtini 15. de Trinitate c. 5. oſtendens enim iuſtitiã, & bonitatem in Deo non differre, ſicut in nobis, addit; *Sed quæ iuſtitia, ipſa bonitas, & quæ bonitas ipſa beatitudo.* Et idem repetit ibi c. 17. & lib. 6. de Trinitate c. 1. 6. & 7. Idẽ colliges ex D. Anſelmo in Monologio c. 16. & ex D. Bernardo de conſideratione cap. 13. & paſsim ex alijs Patribus. Fatentur id ipſum omnes theologi, vt Scotus in 1. d. 8. q. 4. ad finem litera Z. quem ſequũtur omnes Scotiſtæ; tanquam verum ſupponunt omnes Thomiſtæ, vt pãtet ex Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. diſp. 2. dubio vltimo, & Cumelio ibi q. 8. in 3. dub. poſt principiũ, & inter alios vide Suarium lib. 1. de diuina eſſentia c. 14. n. 7. & Bellomont. 1. p. diſp. 119. c. 2. n. 7. Quare in diuinis hæ propoſitiones ſunt admittendę; *iuſtitia eſt ſapientia: ſapientia eſt bonitas; intellectus eſt voluntas*, & aliæ huius generis, & ſatis id patet ex 1. art. in hac enim materia hæc eſt bona conſequentia; *Deus eſt iuſtitia: Deus eſt ſapientia; ergo ſapientia eſt iuſtitia.* Et è conuerſo.

Anſelmus.

Scotus.

Torres. Cumelius.

§. 2.

Haſce propoſitiones in ſenſu identico eſſe veras, non in formali.

2. quidam putanteſſe veras in ſenſu formali.

TOta dubitatio eſt de ſenſu, in quo propoſitiones iſtę ſimpliciter ſũt admittendæ: eſt enim de hoc non parua controuerſia inter theologos; an ſcilicèt illæ ſint veræ in ſenſu identico; an vero etiam in formali? Quod debeant admitti in ſenſu formali ſeruato loquendi rigore expreſsit Suarius in d. c. 14. n. 6. & ante eum Torres loco citato, nec poteſt non eſſe eorum, qui putãt attributa ſe ſe mutuo eſſentialiter includere. Hanc ſententiam eſſe communem inter Thomiſtas putat Suarius vbi ſupra ſumiq́ue ex D. Thoma 1. p. q. 39. artic. 5. in ſolutionibus argumentorum, & ar. 6. & de potentia q. 7. art. 6. & in 1. d. 2. q. 1. ar. 2. & 3. imo affirmat hanc ſine dubio eſſe ſententiam Auguſtini, Anſelmi, & Bernardi in locis ab eo citatis cap. 12. Eandem confirmat hac ratione: Deus eſt ſua ſapientia: Deus eſt ſua iuſtitia. Ergo iuſtitia eſt ſapientia. Deinde arguit: quoniam attributa mutuo ſe ſe eſſentialiter includunt; ita vt de eſſentiali conceptu vnius ſint cætera. At nihil verius, & formalius prædicatur de alio, quam id, quod eſt de eſſentia illius.

D. Thom.

3. Oppoſita ſẽtentia.

Oppoſitam tamen ſententiam defẽdit Scotus in 1. d. 8. quæſt. 4. ad finem litera

litera Y. §. *ad tertium concedo*, & litera Z. §. *ad argumenta principale*, & vtrobique Lichetus, & Bargius q. 3. ille fol. 118. col. 3. in principio, & §. *ad argumenta principalia*: hic autem fol. 188. colũn. 3. expresse Bassolius in 1. d. 22. q. 4. ar. 2. §. *his ergo præmissis*, fol. 140. col. 4. & inferius ad primũ; & secundũ argumentum principale fol. 145. col. 3. Maironius in 1. d. 8. q. 5. difficult. 5. Herrera 1. tomo disput. 14. q. 2. cõcl. 2. pagin. 71. col. 2. & inferius ad 6. argumentum pagin. 473. col. 2. Rada 1. tomo controuersia 4. concl. 4. fol. 61. col. 1. cum cæteris Scotistis: cum quibus in hoc consentit Bellomontanus 1. p. disp. 119. cap. 2. in principio, & n. 7. & disput. 121. cap. 2. in principio; Consentiunt plures thomistarum teste Cumelio vbi supra, & tribuitur Capreolo, qui tamen id nunquam clarè docuit.

Scotus. *Lichetus,* *Bargius.* *Bassolius.* *Mairon.* *Herrera.* *Rada.*

4. Probatur opinio Scoti

Ego hanc opinionem puto esse verissimam: quia puto verissimum esse attributa se se mutuo essẽtialiter nõ includere; quãuis in essẽtia essẽtialiter includãtur, vt latè ostendi in q. præced. artic. 1. & 2. §. 4. At si attributa, quantunuis in vna perfectione diuina actu sint vnita, formaliter ita distinguũtur, vt vnũ, nec formaliter sit aliud, nec aliud in sua essẽtiali ratione includat; fieri nullo modo potest, vt prædicatio vnius de alio vera sit in sensu formali, sed solũin idẽtico.

5. Expẽditur fundamẽtũ Bellomontani.

Sed vt veritas huius opinionis magis appareat, expendendum est diligenter argumentum cõmune, quo inter alios vtitur Bellomontanus loco citato c. 2. n. 4. Si in sensu formali vnum attributum de alio prædicaretur, quilibet actus attributorum de quolibet alio attributo posset prædicari in sensu formali, ita vt dicamus: *intellectus vult: voluntas intelligit: iustitia miseretur: misericordia punit.* Quod ho syllogismo ostendit: intellectus diuinus intelligit: intellectus diuinus formaliter est voluntas: Ergò voluntas intelligit. Similiter iustitia ponit: iustitia est misericordia. Ergò misericordia punit. Quod est absurdum.

6. Respõsio ex Suario.

Huic argumento respondet Suarius in d. c. 14. n. 10. negando sequelam maioris; quanuis enim intellectus formaliter sit voluntas, non proinde actus vni tribuitur alteri, & proinde non valere consequentiam prioris, & posterioris syllogismi; in illis enim consequentijs variatur (inquit) appellatio, dũ verbum substantiuum mutatur in adiectiuum; cuius hæc est natura, vt appellet attributum cui additur, secundum propriã, & formalissimam rationem illius; quã veluti propria differentia constituitur in tali esse. Quam tamen appellationem non habet verbũ substantiuum est; quia appellat formalem, & adæquatam rationem attributi, secundum quam formaliter est aliud attributum. Hæc est vera, & facilis explicatio huius solutionis quã excogitauit Suarius in d. c. 14. n. 8. 10.

7. 2. Solutio ex Molina.

Secunda illius argumenti solutio sumitur à Molina 1. p. q. 28. ar. 2. disp. 2. ad confirmationẽ quarti argumenti, & latius disp. 4. ad finem §. *obijcies rursus*, & à Cumelio (qui omnia confundit) ibi q. 8. dub. 3. pag. 846. col. 1. §. *sed obijcies iterum*, & col. 2. §. *hac in re dico* 1. Qui similiter negant tam sequelam maioris, quam consequentiam argumenti, vt quia in eo cõmittatur fallacia accidẽtis; nam, cũ intellectus, & voluntas ratione distinguãtur; nihilominus infertur conuenire vni quod alteri conuenit, provt à priori distinguitur; etenim intelligere conuenit intellectui, provt ratione distinguitur à voluntate; & tamen tribuitur voluntati, vt ratione distinguitur ab intellectu. Idem dicerent de iustitia, & misericordia in ordine ad actũ puniendi, & miserendi. Hi auctores etiã negabunt hãc consequentiã; intellectus est voluntas. Ergo Pater per voluntatem generat Filium, & per intellectum producit Spiritum Sanctum. Nam cum ex prima solutione mutetur appellatio, consequentia erit inutilis; ex secunda vero solutione in ea datur fallacia accidentis, dum id, quod cõuenit intellectui, vt distinguitur à voluntate, tribuitur voluntati.

8. Neutra solutio soluit vim argum.

Vtraque ista solutio, si bene expenda tur, in idem recidit; neutra vim argumẽti elidit; imo si bene philosophamur ex vtraque vis argumẽti corroboratur. Et vt à secunda solutione incipiamus, quãdo dicunt intelligere conuenire intellectui, vt ratione distinguitur à voluntate; & punire conuenire iustitiæ, vt ratione distinguitur à misericordia; vel id intelligũt de distinctione rationis actuali, quę solum fit per intellectũ; vel de distinctione virtuali, quæ dici solet rationis ratiocinatæ. Primum illud dici non

Impugnatur 2. solut.

potest.

potest. Si dicatur hoc posterius, nostra sententia euidentiùs confirmatur. Singula ostendamus.

9. Quòd prius illud dici nequeat: intelligere scilicet tunc solùm conuenire intellectui diuino, cum per nostrum intellectum actu distinguitur à voluntate, ex eo facilè conuincitur; quia simpliciter loquendo, & consentaneè ad rem significatam, intelligere non magis conueniret Deo per intellectum, quàm per voluntatem. Sed simpliciter æque bene, & æque perfectè actus ille esset voluntatis, atque est intellectus: nam, quę solùm per intellectum sunt talia, simpliciter non sunt talia, sed veluti secundũ quid. Hoc autem dici non posse, satis conuincit doctrina fidei, quæ simpliciter, & absolutè docet patrem intellectu generare filium, & non voluntate: & ob eã causam solam productionem filij esse generationem. Fides autem non docet, nisi ea, quæ simpliciter, & à parte rei sunt talia: non verò, quæ solùm sunt talia, prout à nobis cognoscuntur. Accedit etiam; quoniam hæc negatio, *filius non procedit per voluntatem* non potest esse vera, vt à nobis intelligitur, nisi in re habeat suæ veritatis fundamentum: alioquin vel illa distinctio erit vana, vel solùm erit rationis ratiocinantis, quę inter attributa non admittitur, vt diximꝰ q. 5. ar. 9. & q. 6. ar. 4.

10. Intelligere conuenit intellectui diuino ante omnem operationẽ nostri intellectus.

Concedendum est igitur *intelligere* cõuenire intellectui diuino, prout ante omnem nostri intellectus operationem virtualiter distinguitur à diuina voluntate. Ex quo infertur diuinum intellectum, non solùm, vt concipitur à nobis, sed etiam, vt est à parte rei, distingui formaliter à voluntate. Illationem ex eo probamus; quia distinctio virtualis inter intellectum, & voluntatem non est expendenda ex eo, quod potest fundare distinctionem à nostro intellectu faciẽdam; sed ex eo, quod illa vna diuina perfectio ita est vnitione vna, vt Deum formaliter perficiat multifaria perfectione: ita enim est formaliter vna perfectio, vt ipsamet sit formaliter plures perfectiones, secundùm quas non vno modo, sed multipliciter Deum perficit: eum enim reddit sapientem per sapientiam, & non per iustitiam: intellectiuũ per intellectum, & non per voluntatem: deniq́ue volitiuum per voluntatem, & non per intellectum, vt ostendimus q. 6. ar. 7. & q. 9. ar. 2. §. 2. 3. & 4. Ex quo iam intelligitur secluso omni intellectu intelligere solùm cõuenire intellectui diuino, vt intellectus est: & velle soli volũtati. Similiter etiam punire solius esse iustitię, misereri verò solius misericordiæ.

11. Quomodò intellectus, & voluntas virtute distinguũtur.

Quæ attributa ideo dicuntur distingui, non actu, sed virtute; quia, cum omnia sint actu vnita in vna diuina perfectione ex omnibus aggregata (vt ait Magnus Dionysius) nullum eorum est actu distinctum ab alio, quasi perfectio veluti totalis; sed solùm virtute, quatenus in vna totali perfectione veluti quędam perfectio partialis, à cæteris partialiter distinguitur: hæc est enim natura eorum, quæ in aliquo vno, vt in toto vniuntur; vt in illo non actu sint, sed potentia, vt diximus q. 9. ar. 2. Cum verò omnia in illa actuali perfectione suam formalitatem retineant; omnia etiam, vt in illa sunt vnita, formaliter distinguuntur. Hæc est theologia Magni Dionysij, quam latè explicauimus q. 9. ar. 2. §. 2. cum sequentibus.

12. Non placet theologia aduersariorum.

Aduersarij verò ideo rem confundũt; quia theologizant in Deo vnam formalem perfectionem simpliciter simplicẽ, quæ secundùm suam adæquatam rationem sit in singulis. Et ad hunc modum putant omnia in re esse vnum formaliter; virtualem autem distinctionem solùm expendunt in ordine ad distinctionem rationis, quam intellectus noster potest facere, dum perfectionem diuinam intelligit ad instar perfectionum creaturarum. Quæ tamen imaginatio omnia confundit, nec á falsitate liberare potest eos conceptus, quos de diuina perfectione formamus; de quo iam diximus q. 9. ar. 2. §. 4.

13. Expenditur 1. solutio.

In prima solutione illud dignum est diligenti examine, quòd asseritur verba adiectiua variare appellationem, quam verbum substantiuum appellabat in his propositionibus, *intellectus est voluntas: iustitia est misericordia*. Nam (vt aiunt) hæc verba adiectiua *punit, miseretur, intelligit, vult*, & alia huius generis appellant attributum, cui adduntur, secundùm propriam, & formalissimam rationem illius, qua veluti quadam differentia cõ-

stituuntur in tali esse. Ex quo infertur apud istos auctores verbum substantiuum appellare adęquatam rationẽ formalem attributi, secundum quam se se mutuo omnia includunt. Sed hunc theologizandi modum pugnantia continere ostendimus q. 9. ar. 2. §. 4. in 3. demonstratione: fieri enim non potest, vt verba illa adiectiua appellent cuiusque attributi propriam rationem, quin illa ipsa ratio reperiatur in eodem attributo á parte rei formaliter distincta à rationibus aliorum attributorum, vt latè ibi ostendimus. Quare vna, & eadem est appellatio verbi adiectiui, & substantiui: & per consequens si verbum adiectiuum denotat attributum, cui additur, formaliter distingui ab altero; vtique eandem distinctionem denotabit verbum substantiuum. Quare si ista est falsa *intellectus vult*, ista etiam erit falsa *intellectus est voluntas*; ratio igitur nostræ assertionis firma manet.

Non placet iste dicendi modus.

§. 3.

Soluuntur argumenta in oppositum.

14. Ad 1. NEc argumenta affirmantis partis vim habent. Nam ad 1. Scotus cum suis negaret maiorem, & minorem in sensu formali, de quo agimus: quia putant attributa non esse de intrinseca ratione essentiæ. Nos tamen vtranque propositionem admittimus; quia admittimus attributa esse de essẽtia diuinæ essentiæ. Consequentia tamẽ est neganda: nam licet valeat in terminis simpliciter sumptis sine aliquo modo adiuncto; non valet tamen, si termini sumantur cum modo; datur enim hęc instantia: *homo formaliter est animal: homo formaliter est rationalis*, non valet tamen *ergo rationale formaliter est animal*, quia sensus erit, *rationale, vt rationale, est animal*, quod est falsum, sicut etiam falsum est animal, vt animal, esse rationale. Et ratio est, quia licet partes diffinitionis sint de intrinseca ratione diffiniti; non oportet tamen, vt partes diffinitionis se se essentialiter includant. Cum igitur attributa in nostra opinione sint de ratione formali Dei, formaliter prædicãtur de Deo: non oportet tamen, vt de se formaliter prædicentur.

15. Ad 2. In secundo argumento neganda est maior: quia sumit pro fundamentò id, quod auctores nostræ sententiæ inficiantur.

Sed mirum est, quod auctores illi asserunt oppositam sententiam sine dubio esse Augustini, Anselmi, & Bernardi: cũ tamen hi Patres nihil minus senserint, vt ostendimus q. 9. §. 5. Quomodò autem illi auctores suam sententiam sumant ex D. Thoma in locis in argumento citatis, prorsus non intelligo. Adducant verba, & expendemus, an ex illis bene deducatur: nec satis est auctorem citare, quando tantæ est auctoritatis, vt venerandus sit, & suspiciendus: sed debent afferri verba fideliter, & ea inducere ad suæ sententiæ confirmationem. Et hęc de isto art. & quæst.

Patres non faciunt pro aduersarijs.

QVÆSTIO XI.

De Visione diuinorum attributorum.

EXPLICATIS ijs, quæ pertinent ad rationem, & distinctionẽ attributorum, mutuamque illorum inclusionem, & prædicationem, iuxta ordinem positum supra q. 4. in principio; superest inquirendum de visione eorum, hoc est, quomodò à beato videantur, quod ad nostrum institutum principaliter pertinet.

De visione eorum quatuor sunt inquirenda. Primò; An attributa sint numero infinita? Secundò; An omnia attributa de facto videantur à beatis? Tertiò; An à beato possit naturaliter videri essentia sine attributis: vel vnum sine alio? Quartò denique; An de potentia absoluta id fieri queat?

ARTICVLVS I.

An attributa sint numero infinita?

§. 1.

Referuntur opiniones.

1. QVæstio ista est veluti prœambula ad ea, quę de visione attributorum dicenda sunt: erit enim longè facilior explicatio quęstionis, an beatus

beatus videat omnia attributa? si illa fuerint numero finita.

1. opinio. De proposita quæstione plures inuenio sententias. Prima simpliciter, & indistinctè affirmat perfectiones attributales esse multitudine infinitas. Ita verbis expressis docet Ferrariensis 3. cõtra Gentes c. 56. ad finem, §. *ad vltimum dicitur*, dum ait: *Beatos non videre distinctè omnes diuinas perfectiones, quæ sunt infinitæ*, quod etiam ibi asseruit §. *ad secundum dupliciter*. Satis etiam id expressit Paludanus in 4. d. 49. q. 2. ar. 1. n. 4. ad finem. Expressè etiam id docuit Lælius Zecchus tom 1. sui tractatus theologici in tractatu de Christo cap. 6. dicto 8. vbi ideò negat Christum, aut quencunque alium beatum cognoscere omnia attributa, quia sunt infinita. Id ipsum videtur sentire Ferdinandus Velloſillus in suis adnertentijs ad tom. 9. Augustini quæsito 16. dub 2. in 3. argum. pro 2. sententia iuncta illius solutione. Id ipsum videtur probasse Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 1. ad finem primæ partis in 4. argumento contra Scotum fol. 46. col. 1. dum ex opinione Scoti infert dari in Deo infinitas entitates ex natura rei distinctas: quæ consequentia non valet, nisi supponat dari in Deo infinitas perfectiones attributales. Denique hæc opinio à quibusdam tribuitur Victoriæ.

Ferrar. *Paludan.* *Lælius Zecchus.* *Velloſillus* *Torres.* *Victoria.*

2. opinio. Alij in oppositā sunt sententia simpliciter docentes attributa propriè sūpta esse numero finita. Cuius opinionis videtur esse Molina 1. p. q. 12. ar. 7. disp. 3. §. *at objeciet aliquis*, vbi addit illa ne quidem magno esse numero. Addè Suariū lib. 2. de attributis negatiuis c. 22. n. 14. & 15. & Herreram 1. tom. disp. 14. q. 4. ad 3. argumentum, & fuit Scoti in 4. d. 13. q. 1. litera AA. in eam videtur accedere Bellomontanus 1. p. disp. 10. c. 7. n. 28. & disp. 25. c. 1. n. 1. quo in loco ait attributa, siue considerētur, vt sunt à parte rei; siue, vt concipiūtur à nobis, semper esse numero finita.

Molina. *Suar.* *Herrera.* *Bellomōt.*

3. opinio. Tertia opinio quæstionem dissoluit posita distinctione. Nam vel agimus de attributis, vt sunt à parte rei; vel vt à nobis concipi possunt. Si priori modo sumantur, non modo non sunt numero infinita; sed nullum habent numerum. Cum vnicum tantùm sit attributum. Si verò sumantur modo posteriori, sunt infinita numero. Ità procedit Fonseca in 2. Metaph. c. 1. q. 2. sect. 3. §. *quod igitur nullus*, pag. 316.

Fonseca.

4. opinio. Quarta denique opinio distinctione etiam vtitur: nam vel sermo est de attributis, quæ non includunt ordinē ad creaturas; vel de illis, quæ talem ordinē includunt. Quæ sunt prioris generis, sūt numero finita: secus dicendum de illis, quæ sunt generis posterioris. Ita Dominicus Banhes 1. p. q. 12. ar. 7. dub. 2. pag. 540. & ad 1. argumentum, pag. 542. vbi etiam Cumelius q. 1. ad 5. dicto 3. pag. 264. col. 1. Salas t. 2. q. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 2. n. 11. pag. 242. vbi addit attributa, quæ includunt respectum ad creaturas, non esse propriè attributa; bene tamen, quæ ad creaturas nullum includūt ordinem. Quare apud istum attributa propriè sumpta sunt numero finita: quę verò impropriè sunt attributa, sunt infinita. Hæ sunt omnes opiniones, quas in hac quęstione inuenire potui.

Banhes. *Cumelius.* *Salas.*

§. 2.
Resoluitur quæstio.

5. Vera resolutio. EGO cum illis existimo, qui putant attributa propriè sumpta esse finita numero: infinita tamen, si impropriè sumantur. Sed, vt quæstio clariùs enodetur, præmittendum est nonnullos velle ea attributa propriè esse attributa, quę ex se nullum ordinem dicunt ad creaturas; & hæc esse numero finita: quæ verò ordinem ad creaturas includunt, impropriè dici attributa, & ob id non esse mirum, si infinita sint numero. Ita explicat Salas, vbi suprà. Sed hæc doctrina falsum asserit: quoniam inter omnes constat omnipotentiā enumerandam esse inter attributa propriè sumpta; & tamen ex sua intrinseca ratione includit ordinem, non quencunq; sed transcendentalem ad creaturas. Simili modo perfectio illa, qua Deus eminenter continet omnes creaturas, est quædam perfectio formaliter existens in Deo; nam licet creaturæ, quæ in sua ratione imperfectionem includunt, nō sint formaliter in Deo (nec enim Deus formaliter habet esse leoninum, aut lapideum) sed solùm eminenter: tamen ipsa eminentialis perfectio formaliter est in Deo; quia est perfectio, quam esse melius

Opinio quorundam. Reijcitur.

melius est, quàm non esse: imò inter omnes est maxima, & distinguitur ab omnipotentia, vt modò supponimus. Hæc autem ex sua intrinseca ratione includit ordinem ad creaturas possibiles, quas eminenter continet. Falsum est igitur omnes perfectiones, quæ dicunt ordinem ad creaturas, impropriè esse attributa.

Explicatur præcedens doctrina.

Quare, vt illa doctrina vera sit, & ad rem præsentem explicandam accòmodata ita explicabitur; vt illæ perfectiones, quæ inter se solùm distinguuntur per varios respectus rationis ad creaturas, impropriè dicantur attributa: quales sunt illi essendi gradus, secundũ quos Deus est à suis creaturis imitabilis, quos plures theologorum appellant diuinas essendi imitabilitates, & participabilitates: isti enim gradus sub vna perfectione eminentiali, qua Deus eminenter est omnia, per varios respectus rationis inter se distinguuntur, & habent rationem idearum, prout concipiuntur à diuino intellectu. Hæ igitur imitabilitates diuinæ essentiæ sunt in Deo formaliter: quia tamen omnes materialiter, & pro subsirato illorum respectu sunt vna eminentialis imitabilitas, & solùm formaliter distinguuntur per speciales respect° ad diuersas creaturas; ideo non constituunt plura attributa, sed vnũ tantùm; quia sub illis respectibus non dicunt perfectionem, ob quam causam satis impropriè dici possunt attributa, vt aduertimus q. 4. ar. 7. n. 5. & 6. Vnde non est mirum, si numero sint infinita.

6. 1. conclusio.

His ita præmissis sit prima conclusio: Attributa, quæ propriè sunt attributa (quæ vel nullam includunt relationem ad creaturas, vel solam transcendentalem) non sunt numero infinita; siue sumantur in se, siue, vt à nobis concipiuntur. Hæc ab omnibus recipitur. Eã recipiunt auctores secundæ, & quartæ opinionis; Molina, Suarius, Bellomont. Banhes, Cumelius, & Salas: nec resistunt auctores primæ sententiæ; quoniam in solis illis perfectionibus admittunt numerum infinitum, quæ habent respectũ rationis ad creaturas, vt patet ex Ferrariensi, & Paludano locis citatis, si vtrunque attentè legeris. Et in eodẽ sensu Fonseca intellexit secundam partem suæ assertionis, vt patet ex probatione, qua illam confirmat. Hæc cõclusio euidenti ratione ostendi non potest: quis enim Dei abscondita penetrauit? puto tamen satis esse probabile perfectiones simpliciter non esse plures, quàm eas, quas ex creaturis, vel naturali lumine, vel lumine fidei philosophando deduximus, vt tacitè significauit Suarius lib. 2. de attributis negatiuis c. 22. n. 14: existimo namq; probabilissimũ esse Deũ ob suam bonitatem cõmunicasse creaturis omnes suas perfectiones (quas simpliciter simplices appellamus) quarum ratio sibi cum illis poterat esse cõmunis, siue illæ sint ordinis naturalis, siue supernaturalis: illas verò, quæ nihil cum creaturis poterant habere cõmune (vt sunt, quæ per prædicata negatiua cognoscuntur, de quibus in d. q. 4. ar. 6.) voluisse nobis esse notas per remotionem nostrarum imperfectionum, cui illud etiam erit argumento: quoniam sicut non est inconueniẽs in gradibus genericis entis dari certum numerũ (omne enim ens vel est substantia, vel accidens: substantia, vel est corporea, vel incorporea: corporea vel est viuens, vel non viuens: deniq; viuens vel est vegetatiuum, vel sensitiuum, vel intellectiuum) ita etiam non erit inconueniens dari certum numerum in perfectionibus, quæ enti, quatenus est ens, ita tribuuntur, vt in quolibet, quatenus est ens, melius sit inesse, quàm non inesse. Deniq; accedit; quoniam communis theologorum docet esse de ratione attributi, vt sit perfectio simpliciter cognita de Deo ex creaturis; siue illa communis sit eis cũ Deo; siue soli Deo propria; dũmodò de Deo cognoscatur per remotionem, & ignorationem, vt diximus supra q. 4. ar. 6. n. 6. Hæc omnia de attributis diuinis diximus, veluti balbutiendo: nam, vt nostra conclusio sit probabilis, satis est eam cõmuni theologorum calculo comprobari, vt iam aduertimus.

Probatio cõclusionis.

7. 2. conclusio.

Secunda conclusio: hæc attributa nõ solùm sunt plura, vt à nobis concipiuntur; sed prout sunt in se ipsis. Conclusio statuitur aduersus Bellomontanum 1. p. disp. 10. c. 7. n. 28. & disp. 25. cap. 1. n. 1. & aduersus Suarium libr. 2. de attributis negatiuis cap. 22. n. 13. quatenus dicunt attri-

attributa, si considerentur in se ipsis, nõ esse plura numero, sed vnũ tantùm. Quę fuit sententia Cani teste Banhes, vbi suprà dub. 2. pag. 540. & placuit Fonsecæ loco citato, §. 1. opinion. 3. Contra quos illud obijcimus; quoniã attributa propriè sumpta, licet à parte rei actu sint indistincta, vtpotè actu vnita in vna Dei perfectione; tamen virtute sunt plura, atque distincta, vt latè ostendimus suprà q. 5. ar. 6. & latiús q. 6. ar. 6. vbi ostẽdimus falsam esse opinionem Bellomõtani, dum negat secluso intellectu dari in Deo aliquam virtualem distinctionẽ, de quo in d. q. 5. ar. 6. §. 1. n. 4. Ostendim⁹ deinde contra Suariũ, & nõnullos alios virtualem illam distinctionem non esse denominationem aliquam extrinsecam sumptam in ordine ad intellectum potentem distinguere diuinas perfectiones; sed dari in Deo ante quencunq; ordinem ad intellectum. Vide in d. q. 6. ar. 7. & ar. 10. §. 6. & q. 9. ar. 1. Quare dicendum est diuinam perfectionẽ, licet actu sit vna, ex sua tamen natura esse multipliciter perfectiuam Dei sublato quocunque ordine ad intellectũ distinguẽtem hanc illius virtualem multiplicitatem: & subinde attributa etiam à parte rei esse virtualiter plura, reduciq́ue ad actum actualis pluralitatis per intellectum tam creatum, quàm etiam diuinũ. Vide q. 6. ar. 9. & 10.

8. 3. conclusio. Tertia conclusio: Attributa impropriè sumpta (quæ sc. dicunt perfectiones diuinas distinguibiles per solos varios respectus ad creaturas) sunt numero infinita. Statuitur pro quarta sentẽtia, quam probarunt Banhes, Cumelius, & Salas, & satis est de mente Paludani, Ferrariensis, & Fonsecæ, si bene expendantur; quare in hoc sensu vera est prima opinio. Probatur conclusio ex verissima opinione, quę docet Deum posse facere species rerum in infinitũ semper meliores: quæ fuit opinio D. Thomę 1. p. q. 25. ar. 6. & ibi illius interpretes probant Caietanus, Banhes, Cumelius, Molina cum cęteris. Docuit Capreolus in 1. d. 43. latè probat Suarius in Metaph. disp. 30. sect. 17. n. 18. & lib. 3. de attributis positiuis c. 9. n. 10. & Bellomõtanus 1. p. disp. 106. c. 4. n. 9. Quam opinionem quidam adeo putant esse certam, vt dicant oppositum vel non esse satis tutum, vt Molina, vel esse intolerabile, & erroneum, vt Suarius. Sed quidquid sit de hac censura (plerisque enim displicet) opinio est longè probabilior, quàm opposita. Ex qua necessariò infertur in Deo eminenter contineri infinitas creaturas specie distinctas, & in perfectione se se mutuo in infinitum excedentes: quę infinitas specierum creabilium necessario infert perfectionem illam eminentialem ex sua natura esse per infinitos respectus rationis distinguibilem, quos solus intellectus diuinus adæquatè, & categorematicè comprehendit: intellectus verò beatus solùm successiuè infinitate quadam syncategorematica. Quare ad hunc sensum non possunt non admitti in Deo infinitę perfectiones imitabiles, participabilesque à creaturis: vnde in Deo admittuntur infinitæ ideæ rerum creabilium.

Deus potest facere species rerum in infinitũ meliores.

7. conclusio.

§. 3.

Explicantur argumenta contra propositas conclusiones

HAs tamen conclusiones nonnulla videntur impugnare. Contra primam potest obijci Dionysius de diuinis nominibus c. 12. in principio, vbi ita ait: *Laudare nos conuenit eum, qui est infinitorum nominum.* Per nomina autẽ intelligit perfectiones attributales. 9. Obiectiones contra assertionẽ. Prima.

Secundò obijci potest D. Bernardus lib. 5. de consideratione c. 7. ita scribẽs: *Dicimus Deum iustum, bonum, & innumeratalia.* Quæ verba intelligenda sunt de attributis propriè sumptis. Secunda.

Tertiò obijcitur; quia infinitas Dei ex eo videtur probari, quòd in Deo sunt perfectiones infinitæ, quæ fuit quorundam opinio: etenim illud dicitur infinitè perfectum, quod caret termino perfectionis: diuina autem perfectio termino non careret, si perfectiones essent numero finitæ. 10. Tertia.

Quartò; attributa, vt cognoscuntur à nobis ex creaturis, sunt numero infinita. Ergo prima conclusio quoad hanc partem est falsa. Consequentia patet; antecedẽs probatur: nam, qui diuinam essentiam, & perfectionem, vt relucet in creaturis, cognoscere nituntur; coguntur in infinitũ discurrere per varia attributa diuina à rebus creatis participata; 11. Quarta.

cipata; quandoquidem dari non potest vlla creatura, aut certus creaturarum numerus, in quo diuina perfectio perfectè repręsentetur.

Quinta. Quintò; Deus potest facere species rerum in infinitum semper meliores. Ergò potest illis in infinitum communicare perfectiones simpliciter, quæ in infinitum semper sint meliores. Antecedens proponitur, vt certum in tertia conclusione: consequentia ex eo probatur, quoniam species, quæ semper est simpliciter melior, & perfectior, de nouo habebit perfectiones simpliciter sẽper meliores.

Sexta. Sextò contra secundam conclusionẽ obijcitur; quoniam in Deo est vnica, & simplicissima diuina essentia vnius simplicissimæ, & vnitissimæ perfectionis. Ergo diuina attributa, vt sunt in re, nõ sunt plura, sed vnicum tantum.

12. Septima. Septimò contra tertiam conclusionem obijcit Bellomontanus; quoniã attributa non possunt distingui, aut pluri-ficari per intellectum diuinum, nec per intellectum beati, vt supponit. Solùm igitur distinguentur per intellectũ viatoris. Nullus autem viator vnquam cõcepit de Deo perfectiones infinitas, sed solùm finitas.

Vltima. Postremò; creaturæ, quę in Deo eminenter continentur, vt creabiles à Deo, non sunt numero infinitæ. Ergo attributa etiam impropriè sumpta, non erũt numero infinita. Consequentia est nota; quia tertia conclusio in his solis perfectionibus vera redditur. Antecedens á grauissimis theologis probatur. Ita Aureolus ápud Capreolum in 1. d. 43. q. 1. artic. 2. in argumentis contra sextam; *Aureolus.* Durandus in 1. d. 44. q. 2. & 3. nec omnino eam respuit Scotus in 3. d. 13. q. 1. *Durandus.* Probant Henricus (licet cum formidine) quodlib. 5. q. 13. Heruæus quodlib. 5. q. 2. in eádẽ opinione fuisse plures Thomistarum affirmat Cumelius vbi suprà. *Henric.* Eam probabilem esse in accidentibus ordinis supernaturalis putat Suarius in Metap. disp. 30. sect. 17. n. 22. putat enim in his accidentibus posse dari vnã speciem summè perfectam, ex quibus patet hanc sententiam esse satis probabilem. Qua suppositа omnino destruitur

13. tertia assertio.

Hæc facilè diluuntur. Ad primũ respondetur Dionysium agere de nomini- Ad 1.
bus diuinis significãtibus perfectiones Dei emanantes ad creaturas, & in ordine ad effectus ad extra, vt ibi explicat D. Thomas lectione 1. & satis colliges ex vltimis verbis capitis præcedentis. Iam verò perfectiones, quæ includunt respectum ad creaturas esse numero infinitas verior, & communior habet sententia.

Ad secundum respondetur Bernardũ 14.
vti communi loquendi modo: solemus Ad 2.
enim appellare innumera, quę in numero sunt excedente. Quare Bernardus non impugnat nostram opinionem, sed eos, qui volunt perfectiones diuinas esse in paruo numero, inter quos est Molina.

Ad tertium respondeti potest primò 15.
infinitatem Dei non bene expendi ex Ad 3.
multitudine infinita attributorum, vt asserit Banhes 1. p. q. 12. dub. 2. ad 2. Vnde opinionem illam vulgarẽ esse, & popularem, & nullo probabilitatis momẽto fulciri ait Bellomontanus 1. p. disp. 25. c. 1. n. 1. Cuius tamen ratio popularis est, dum supponit à parte rei nõ dari in Deo perfectionum multiplicitatem virtualem contra doctrinam Dionysij, & Augustini, vt sæpè diximus. Nec video, cur infinitas Dei à posteriori demonstrari non possit ex infinitate extensiua perfectionum, quæ eminenter sunt in Deo in ordine ad creaturas, sed de hoc alibi. Dicẽdum est igitur ad argumentum infinitatem Dei optimè demonstrari ex infinitate perfectionum; non quidem earũ, quæ in Deo sunt formaliter; sed earum, quæ in Deo sunt eminenter: continet enim infinitas essendi imitabilitates, vt ex dictis patet. In his igitur perfectionibus diuina perfectio caret termino: in perfectionibus verò, quę sunt perfectiones simpliciter, habet terminum: non quidem priuatiuè (quasi detur aliqua, qua ille careat) sed negatiuè: quia nulla est talis perfectio, quam ille non habeat. Iam verò hæ perfectiones numerum certum habent. 16.

Ad quartum negandũ est antecedẽs, Ad 4.
si sermo sit de perfectione simpliciter, quæ formaliter est in Deo: qui enim eã nituntur cognoscere, vt relucet in creatura, non coguntur in infinitum discurrere per varia attributa à reb' creatis

partici-

participata. Id verò, quod obijcitur, indiget explicatione, ne confusionem pariat. Nam licet nulla detur perfectio creata, quæ perfectionem Dei, vt est in illo, repræsentet: quælibet tamen eam repręsentat secundùm rationẽ analogã communem Deo, & creaturis, secundũ quam rationem ex creaturis Deo tribuitur. Ex quo non bene infertur infinitas quoad multitudinem istarum perfectionum: quia, vt diximus, perfectiones simpliciter non sunt plures, quàm illæ, quas ex creaturis vel naturaliter, vel fide deducimus. Potest igitur dari certus perfectionum creatarum numerus, qui adæquatè repræsentet numerũ earum perfectionum, quæ formaliter sunt in Deo; quanuis singulas perfectiones distinctè, & adæquatè non repræsentet, vt sunt in se ipsis.

17. Ad 5. Ad quintum admittendum est antecedens: neganda tamen consequentia: nec enim opus est, vt species, quæ est perfectior secundùm quid (qualis est perfectio entitatis creatæ) semper cõsequatur meliorem perfectionem simpliciter: quanuis necesse sit, vt semper consequatur meliorem perfectionẽ accidentariam sibi connaturalem.

18. Ad 6. Ad sextum patet solutio ex dictis in secunda conclusione: vnica enim diuinæ essentiæ perfectio licet actu sit vnica tantùm; virtualiter tamen est multiplex secluso omni ordine ad intellectũ.

19. Ad 7. Ad septimum & falsum est, quod supponitur, & argumentum est friuolum. Primum patet; quoniã attributa distingui possunt, & per intellectum Dei, & per intellectum beati. Secundum ex eo ostenditur; quia licet viator nunquam conceperit perfectiones actu, & categorematicè infinitas; potest tamen eas in infinitum syncategorematicè concipere: quod satis est, vt dicamus eas in Deo esse infinitas.

20. Ad postremum. Ad postremum dicimus ad institutũ nostrum non multum referre, an perfectiones diuinę huius generis sint numero finitæ. Quin potiùs ad nostrum institutum magis conducit eas esse finitas numero. Sed quia veritatẽ inquirimus, magis placet eas esse numero infinitas. Ad argumentum igitur negandum est antecedens: opinio autẽ, quæ obijcitur, negãda est: quam, vt parum tutã reijcit Molina; vt intolerabilem, & erroneam reprobat Suarius: dura tamen est censura, vt aduertit Bellomôt. 1.p.disp.106 c.4.n.8. apud quem disp.25. c.1. n.1. res illa adhuc est sub opinione. Sed quidquid de hoc sit, opposita sententia longè verior est, vt diximus in 3. conclusione.

ARTICVLVS II.

An omnia Dei attributa de facto videantur à beatis?

§. 1.
Refertur opinio negans.

1. Sensus quæstionis. VT ea, quæ à nostris theologis de hac quæst. confusè satis scribuntur, distinctiús explicemus præmittendum est sermonem esse hoc loco de ijs, quæ à beato videntur per actum visionis beatificę. An verò attributa ab ipso beato videri possint per aliũ actũ? alterius est quæstionis. Præmittimus 2. in hoc ar. solùm esse sermonẽ de ijs, quę secundùm legem ordinariam in Deo videntur à beato: nam vtrum vnum attributum sine alio; vel essentia sine attributis possit videri: & vtrum attributa videãtur per modum vnius, an per modum plurium; deniq́ue an singula videãtur secundùm omnes modos, & gradus; ad sequentes pertinet articulos. Sensus igitur quęstionis est; an beatus visione, qua beatificè videt essentiam, simul etiã videat omnia attributa.

2. Pars negãs. Ochamus. Partem negantem probauerunt grauissimi theologi. Communiter pro ea citantur Nominales cum duce Ochamo: ille enim in 4.q.13.ar.1.litera B. docet solum Deũ cognoscere omnia prædicata sibi conuenientia: quo videtur negare beatum omnia cognoscere. Eisdẽ verbis loquũtur Gabriel in 3.d.14.q. vnica art.3.dub.2. litera Q. ad finem, & ibi Almainus q.1. in fine. Per prędicata autem intelligunt attributa. Expressius id docet Ferrariensis 3.contra Gent.c. 56. §. *ad secundum dupliciter*, & ad finem capitis, §. *ad vltimum dicitur*; vtroque in loco docet perfectiones diuinas in Deo esse infinitas, nec à beato distinctè videri. Idẽ affirmat Banhes 1.p.q.12.ar.7. dub. 2. cõcl.2. vbi cõcludit nõ esse de fide beatos videre omnia, quę formaliter sũt in Deo,

Gabr. Almainus. Ferrarien. Banhes.

Deo,& hanc sententiã tribuit Victorię. Eandem etiam colliges ex Paludano in 4.d.49.q.2.ar.1.n.4.ad finem,dum negat beatos cognoscere omnes perfectiones attributales Dei. Citatur etiã pro hac sententia noster Argentina in 3.d.14.q. vnica ar.3.ad 3.pro conclusione 1;quatenus docet beatos nõ cognoscere omnes essendi modos, qui sunt in diuina essentia, per quos modos intelligit attributa.Expressiùs id explicauit Lęlius Zecchus in 1.tom. tractatus theologici in tractatu de Christo c.6.dicto 8.in fin. Ouãdus in breuiloquio ad 4. d.49.propositione 20.dum ait vnum beatum plura videre eorum, quæ formaliter sunt in Deo, quam alius videat, & in 1.d. 1. propositione 10.Palatius in 4. d.49.disput.2.in fine, dum affirmat vnum beatũ plura videre attributa, quàm alium; ex quo infertur non omnes beatos videre omnia attributa.

Palud. Argent. *Lælius Zecchus.* *Quandus.* *Palatius.*

3. 1.ratio. Primum huius opinionis fundamentum est ; quia diuina attributa sunt numero infinita : infinita autẽ in Deo sine Dei cõprehensione videri non possunt.

Secunda. Deinde ; quia inæqualitas beatitudinis, quæ secundùm fidem inter beatos concedenda est,aliunde prouenire non potest, nisi ex inæqualitate eorum, quæ formaliter videntur in Deo, quatenus scilicet vnus plura videt, quàm alius. Ita Palatius,& Ouandus.

4. Tertia. Tertium fundamentum addit Ouandus;quoniam fidei succedit visio: sed in via vnus plures articulos fidei nouit, quàm alius. Ergo in patria vnus plures veritates attributales cognoscit in Deo quàm alius.Ad hæc tria fundamenta reducuntur omnia,quæ pro hac parte adducit Salas,vbi suprà n.8.pag.238.

§. 2.

Pro resolutione nonnulla præmittuntur.

5. Primũ præmissum. PRO resolutione quæstionis præmittendum est non esse hoc loco sermonẽ de cognitione distincta perfectionum attributalium, prout attributa distinctè videri, idem est, quòd videri distinctis actibus: tum;quia certum est Deũ, & quæ sunt in Deo, á quolibet beato videri vnica beatificavisione, vt diximus in superiori libro. Tum etiam ; quia distinctio ita sumpta non est distinctio modificans notitiã in esse formali notitiæ, quatenus in obiectum tendit; sed est distinctio sumpta pro plurificatione actus tendentis in obiectũ: qui ipse potest esse in se distinctus ab alio actu, quanuis sit actus confusus. Quare sermo est de cognitione distincta perfectionum, prout illa cognitio obiecti dicitur distincta, quæ obiectum attingit non communi aliquo conceptu,sed proprio.In cognitionibus abstractiuis talis erit cognitio quidditatiua rei:in intuitiuis verò talis erit,quę terminatur ad rem,prout in se ipsa existit.

6. 2.præmiss. *Ferrar.* Secundo præmittendum est ad mentem Ferrariensis 3. contra Gentes cap. 56. 9.ad secundum dubium ea, quæ sunt in Deo, duobus modis posse videri à quolibet beato.Vno modo veluti materialiter ; quia scilicèt videtur essentia diuina,quæ est illa omnia.Altero modo formaliter ; quia scilicèt quodlibet illorumvidetur sub propria formalitate, qua Deum perficit, v.g. quando sapientia videtur sub propria ratione sapientiæ, & prout Deum formaliter reddit sapientem:iustitia autem,prout sub ratione iustitiæ formaliter facit Deum iustum,& sic de cæteris.

7. 3 præmittitur. Tertiò prępmittendũ est diuinas perfectiones duobus modis videri posse à beatis. Vno modo, prout in Deo sunt vnum quid simplicissimum, & vnitissimum,vel realiter; vt vult Scotus: vel etiam formaliter, vt alij volunt. Altero modo ; prout inter se distinguuntur eo modo,quo pluralitatem admittũt: quo modo si videntur, videntur per modum plurium.

4.præmittitur. Quartò præmittendum est duplex à theologis distingui genus perfectionũ. Alterum earum, quæ formaliter sunt in Deo. Alterum earum, quæ in Deo sunt solùm eminenter. Ad primũ genus pertinent perfectiones simpliciter,quas in quolibet melius est esse, quàm non esse. Ad genus secundum pertinent, quæ in creaturis aliquam imperfectionem includunt, vt esse leonem, equum, lapidem, & cætera. Inter vtrasque hoc interest; quòd perfectiones prioris generis sunt in Deo formaliter, ita vt Deum formaliter denominent talem: nam sapientia Deum denominat sapiẽtem ; iustitia, iustum, & sic de cæteris.

Cum

Cum verò quidquid formaliter est in Deo, realiter sit ipse Deus, vt omnes volunt; imò etiam formaliter, vt alij rectius sentiunt; omnes perfectiones prioris generis sunt idem realiter cum diuina essentia. Hoc autem non reperitur in perfectionibus generis posterioris: nam licet perfectio eminentialis, quæ istas perfectiones eminenter continet, realiter, & formaliter sit Deus, iuxta illud Augustini, & Anselmi, *creaturæ, vt sunt in Deo, sunt ipsa creatrix essentia*: ipsæ tamen in se ipsis sicut formaliter non denominant Deum, ita nec realiter sunt Deus. Perfectio igitur eminentialis, qua Deus est imitabilis à creaturis, est formaliter in Deo; non solùm, vt adæquatè sumitur, quatenus est vna eminentia omnis gradus essendi, quo Deus à creaturis est imitabilis; sed etiam, vt sumitur inadæquatè; prout scilicèt est quædam imitabilitas huius, vel illius gradus essendi, leonini scilicèt, humani, lapidei, &c. Deus enim formaliter est entitatiuè imitabilis ab homine, leone, & cæt. Hoc loco nõ agim⁹ de visione eorũ, quę in Deo solũ sũt eminẽter: de hoc enim inferius agemus: sed agimus de illis perfectionibus, quæ formaliter sũt in Deo; siue illę formaliter sint entia positiua, vt sapientia, iustitia, & cæt. siue solùm sint modi reales entitatiui, vt esse infinitum, immensum, &c.

Augustin. Anselm.

6. præmiss. rrar.

7. præmitti. r.

præmitti r.

8. Vltimũ præmissum.

Postremò præmittendum est perfectionũ, quę formaliter sũt in Deo, quasdam habere propriam, & veram rationem attributi; quasdam verò satis impropriè. Illę propriè sũt attributa, quæ vel nullum includunt ordinem ad creaturas, vel solùm transcendentalem: impropriè verò, quę ad creaturas habent respectus rationis. Vide, quæ diximus in precedente ar. §. 2.

§. 3.

Omnes beatos videre omnia, quæ formaliter sunt in Deo.

9. 1. conclusio.

PRo resolutione propositę quęstionis sit prima cõclusio. Omnes beati videndo diuinam essentiam vident omnia, quæ formaliter sũt in Deo. Hæc conclusio apud omnes est indubitata, nec potest salua fide negari: nam ex sacris literis euidenter deducitur, & ratione theologica demõstratur, & cõfirmatur cõmuni theologorũ consensu.

10. Probatur ex S. Scriptura.

Primo loco euidẽter deducitur ex 1. Ioannis 3: *Videbimus eum sicuti est.* Quæ verba communi Patrum interpetratione, & theologorum consensu intelliguntur de visione beatifica diuinæ essentię, vt lib. 7. diligentiùs ostendemus. Vnde in Concilio Florentino in decreto de purgatorio diffinitur *animas iustorum recipi in Cœlum, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & vnum, sicuti est.* Non videbitur autem Deus, sicuti est in se, nisi videantur omnia, quę formaliter sũt in ipso. Quod etiam satis indicant verba Pauli 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem*, id est, secũdùm ipsam expressam, & veluti indiuidualem Dei formam: res autem secundùm propriam formam videri non potest, nisi tota videatur. Quam etiam totalitatem satis insinuãt pronomina demõstratiua, quibus vtitur Sacra Scriptura: nam Genes. 15: *Ego verò merces tua magna nimis*: ego inquam, vt sum ipse: omnia autẽ, quæ sunt in Deo, sunt ipse Deꝰ. Apocalip. 21: *Qui vicerit, possidebit me*, i. me ipsum totum. Ioannis 12: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te.* Quę pronomina demõstrant totum id, quod est Deus vnus, & trinus: nam qui dicit *ego*, totum se ostẽdit. Accedat & Paulus loco citato: *nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Quæ verba iuxta explicationem Caietani intelliguntur de cognitione ex parte obiecti, vt sit sensus; sicut ego cognitus sum à Deo, non quidẽ ex parte, & secundùm aliqua tantũ prędicata, sed prout ego in me ipso sum: ita in patria cognoscam Deũ, non quidem ex parte, & secundùm aliqua tantùm prædicata, vt in via cognoscebam; sed sicut ipse in se ipso est. Deniique id satis probatur ex Parabola denarij diurni: omnibus enim operarijs vnus denarius datus est in præmium. Nomine autem denarij intelligitur Deus, qui est nostra beatitudo obiectiua; qui totus omnibus beatis datur. De hac parabola latiùs lib. 7.

Conc. Flor. 1. *Cor.* 13. *Gen.* 15. *Ioan.* 12. 1. *Cor.* 13.

11. Demonstratio theologica.

Demõstratio theologica sumitur ex omnimoda Dei simplicitate: est enim in se simplicissimus, atque vnitissimus, & omnia, quæ in se formaliter habet, habet per omnimodam realem identitatem modo quodam supereminenti, &

superunitissimo, vt ex Dionysio sæpè diximus, docet fides, demonstrat ratio naturalis. Iam verò hæc est natura, & cõditio rei simplicis, vt aut tota videatur, aut tota ignoretur, vt est philosophorũ commune proloquium.

12. Confirmatio. D. Thom.

Confirmat id ipsum theologorũ omnium vnus consensus: ita D. Thomas 1. p. q. 12. ar. 7. ad 2: *Deus, non propter hoc dicitur incomprehensibilis, quasi aliquid eius sit, quod non videatur; sed quia non ita perfectè videtur, sicut visibilis est.* Eiidem ferè verbis 3. contra Gentes cap. 55. in fine: *non autẽ sic dicitur, quod diuina substantia ab intellectu creato videtur, non tamen comprehenditur, quasi aliquid eius videatur, & aliquid non videatur.* Idem repetit in 4. d. 49. q. 2. art. 3. ad 3: nam postquam dixit Deum non videri totaliter à beatis, addit: *non ita tamen, quod aliquis modus sit in Deo, quem non videat beatus* ar. 4. ad 4. ait: *Quilibet enim videbit Deum esse eo modo, quo est.* Ex quibus patet apud D. Thomã nihil esse in Deo, siue realitas sit, siue modus realitatis, quod nõ videatur à quolibet beato: ex quo infert Deum à quolibet beato videri totum, vt concludit in 4. d. 49. q. 2. ar. 3. ad 3. *totam*, inquit, *diuinam essentiam videbunt in patria.* Idem affirmat 3. p. q. 10. ar. 1. de veritate q. 8. art. 2. ad 1. 2. & 6. & q. 20. ar. 5. Idem docuit D. Bonauentura in 3. d. 14. art. 1. q. 2. n. 12. & 13. vbi concludit necessariò asserendum esse Deum ob suam summam simplicitatem totum videri; quanuis ob suam infinitatem non videatur totaliter. Idem asserit Richardus ibi artic. 1. quæst. 4. ad 1. & 4: nam quanuis ibi fateatur Deum totaliter non videri à beato, sed aliquid illum latere de illius profunditate: fatetur tamen totum ipsum Deum videri. Quomodò autem hæc duo non repugnent, suo loco ostendemus. Sed, & Scotus idem docet in 4. d. 50. quæst. 5. litera C: docet enim inæqualitatem beatitudinis non prouenire ex parte obiecti: *quia*, vt ait, *totum secundum rem, & rationem obijcitur intellectui.* Et ad primum litera 1. affirmat *essentiam diuinam dari omnibus, sub æquali ratione: quia datur infinita ex parte obiecti.* Idem docent Scotistæ, vt patet ex Bassolio in 4. d. 50. quæst. 2. artic. 1. fol. 173. col. 3. & artic. 3. in principio, vbi ait obiectum beatificum idẽ esse omnibus, & secundùm eandem rationem diuinitatis, quantum est ex parte sui, æqualiter obijci. Satis explicat Durandus in 4. d. 49. q. 2. numer. 25: dum ait essentiam diuinam eodem modo, & æque immediatè repræsentari omnibus beatis. Idem habes apud Capreolum in 3. dist. 14. quæst. 1. artic. 3. ad 4. contra primam fol. 58. column. 4. & in 1. dist. 36. quæst. 1. artic. 3. ad 3. contra secundam fol. 253. column. 3. in medio. Abulensis in cap. 5. Matthæi, quæst. 154. litera DD. docet omnes beatos videre totum, quod est Deus, & omnem modum essendi eius, & denique quidquid realiter est diuina essentia; & errare, qui oppositũ docuerit. Sotus etiam in 4. dist. 49. q. 3. artic. 1. ad primum argumentum principale; Maior ibi quæst. 15. in fine, dum ait beatos videre omnia Dei interna, & quidquid cum eo identificatur; quod etiam expressit D. Antoninus 3. parte, tit. 30. cap. 4. §. 2. ad finem. Denique indubitatum est apud Theologos Deum non videri à beatis secundùm aliquid sui, & secundùm aliquid non videri, sed ab omnibus videri totum. Quæ veritas desumpta est ab Isidoro quæstion. 41. in Exodum, dum ait, *Deum totum videri; non tamen in toto.* Quæ verba suo loco explicabuntur. Nouiores cum hac communi antiquorũ sententia vnanimiter scripserunt omnes beatos videre clarè, & distinctè omnia, quæ formaliter sunt in Deo: ita Suarius lib. 2. de attributis negatiuis cap. 22. numer. 8. Bellomontanus 1. parte disput. 48. cap. 2. in principio, Cumelius 1. parte q. 12. artic. 7. q. 2. concl. 6. pag. 267. Molina ibi artic. 8. disput. 3. vbi affirmat hanc esse communem sententiam: quam expressè docuit Capreolus in 3. dist. 14. quæst. 1. artic. 3. ad 17. Tertio loco contra primam pagina 63. column. 1. & Herrera 1. tom. disput. 14. q. 4. concl. 2. Denique Sotus in 4. dist. 49. quæst. 3. artic. 3. concl. 1. pag. 61. col. 2.

13. D. Bonau. Richard. Scotus. Bassolius. Durandus Capreolus. Abulens. Sotus. D. Anton. Isidorus. Nouiores. Capreolus. Herrera. Sotus.

14.

Nec oppositũ voluere theologi, quos pro sententia negante citauimus: nec enim intelligendi sunt de cognitione eorum, quę formaliter sunt in Deo quoad esse materiale: imò nec quoad esse formale; prout tamen cognoscuntur, vt in re sunt vnum; sed, vt inter se sunt distincta. Quem sensum colliges ex Ferrariensi loco citato; de quo iterùm inferiùs.

feriùs. Quomodò autem hæc omnia cognosci possint in Deo absque comprehensione illius; ex dicendis facilè patebit.

§. 4.

In quo sensu intelligendum sit beatos videre omnia, quæ formaliter sunt in Deo.

15. Quomodo beati vidēt omnia, quæ formaliter sunt in Deo

QVanuis omnes theologi conueniant in prima conclusione, beatos scilicèt clarè videre omnia, quæ formaliter sunt in Deo: non tamen omnes conueniunt in sensu illius, nec in modo, quo beati illa omnia in Deo intuentur. Nam quidam ita eam intelligunt, vt beati videant omnia illa, non solùm cognitione materiali (quatenus ea vident secundum esse, quod habent in diuina essentia, quatenus scilicèt omnia sunt vna substantialis entitas simplicissima) sed etiam cognitione formali, quatenus ea vident sub vna ratione formali actualissima, & vnitissima, quam omnia habent in Deo, idq; absq; omni distinctione illorum; ita vt omnia videant, non vt distincta, sed, vt indistincta potius. Alij volunt omnes beatos videre illa omnia indiuisa quidem, atq; materialiter; quia ea vident, vt sunt vna substantialis realitas omnino simplicissima quoad esse; distincta tamen formaliter, & ex natura rei. Tertio loco accedunt, qui volunt beatos hæc omnia videre non solùm sub vna substātiali vnitate, qua realiter sunt idem; sed etiam sub vna formalitate, actu quidem indistincta, distincta tamen virtualiter. Pro resolutione sequentes addimus conclusiones.

1. opinio.

2. opinio.

16. 2. conclusio.

Sit igitur secunda conclusio in ordine: quicunq; beatus de lege ordinaria, atque de facto ex vi visionis diuinæ essentiæ clarè, & distinctè videt omnes perfectiones, omnesque reales essendi modos in Deo formaliter existentes, prout omnes in Deo sunt vna substantialis realitas simplicissima. Hæc conclusio in his terminis apud omnes, cuiuscunque illi sint scholæ, debet esse indubitata: quia apud omnes indubitatū est (cum sit de fide) omnia, quæ formaliter sunt in Deo, siue sint entia positiua, siue modi essendi reales, esse vnam substantiam omnibus modis simplicè quoad esse; id enim, & ratio naturalis demonstrat, vt supponimus ex Metaph. & omnes Patres docent, vt ostendimus q. 5. & 6. & definit Concilium Lateranēse in c. firmiter, & in c. damnamus de summa Trinitate. Cum igitur omnes beati ex vi visionis beatificæ videant totā essentiam in sua totalitate, veluti categorematica, vt patet ex prima conclusione; necessariò videbunt omnia, quę sunt in Deo, quatenus sunt vna substantia, & sub vna substantiali vnitate: idq; siue illa ex natura rei distinguantur, vt putat Scotus; siue non distinguātur, vt alij verius existimant; siue illa essentialiter cōtineantur in essentia, vt verior habet opinio; siue sint extra essentiam, vt habet opinio satis probabilis: nā siue hoc, siue illo modo dicatur, semper est verissimum omnia illa esse realiter vnam substantiam omnino simplicem, vt definitum est in d. Concilio Lat. Conclusionē istam in nostris ferè terminis posuit Ferrariēsis lib. 3. contra Gent. c. 56. §. *ad secundum dubium*; vbi fatetur infinitatem Dei (idem iudiciū est de cæteris perfectionibus) videri à quolibet beato materialiter; quia scilicet quilibet videt essentiam diuinam, quæ realiter est infinitas.

Ferrar.

Omnia quę formaliter sunt in Deo sunt vna substantia.

Tertia cōclusio: omnes beati ex vi visionis beatificæ vident omnia, quæ formaliter sunt in Deo, non solùm, vt realiter sunt vnū, sed etiā, vt sunt vnū formaliter formalitate actu indiuisa. Hāc conclusionē propono nō, vt omnimodè certam: sed vt lōgè probabiliorē. Quòd non sit certa, inde patet; quia de ea dubitare debent Scotistæ: licet enim fateātur omnia, quæ sunt in Deo, transire in substātiam diuinæ essentię; ita vt vna sint substantia cum illa; tamē non fatētur omnia transire in vnā essentiæ formalitatē; cum doceant attributa ex natura rei actu distingui, tum ab essentia, tū inter se, vt patet ex q. 5. & 6. Quod nō sit omnibus modis certa, facilè intelliges ex ijs, quæ in defensionē Scoti latè diximus in d. q. 5. ar. 4. §. 3. vbi ostēdimus sine vllo periculo fidei defendi posse attributa inter se, & ab essētia formaliter distingui; nec in Deo admitti posse vnā tantū formalitatē. Quòd verò nostra cōclusio sit lōgè verior, ex eo ostenditur; quia lōgè verius est sublato omni intellectu nullā dari actualē distinctionē, aut

17. 3. conclusio.

inter attributa, & essentiã, aut inter attributa inter se, de quo latè q. 5. ar. 5. & q. 6. art. 6. Dari autem in Deo vnam formalem perfectionem actualiter indistinctam, in qua omnes perfectiones Dei vnitissimè contineantur, iam ostẽdimus q. 9. ar. 2. §. 2. Qua supposita sententia nostra conclusio est omnino vera: quoniam, cum beati videant Deum, vt est in se ipso; si quæ sunt in Deo, sunt vnum formaliter formalitate actu indiuisa; vtique beati omnia illa videbunt sub eàdem vnitissima formalitate.

18. 4. conclusio. Quarta conclusio: necesse est, vt omnes beati ea, quæ vident per modum vnius, etiam videant per modum pluriũ; idque ex vi suæ beatificæ visionis. Hæc conclusio non recipitur ab omnibus: oppositum enim docet Suarius lib. 2. de attributis negatiuis cap. 22. n. 10. & 11. vbi hanc oppositam scribit assertionẽ: *non oportet, vt qui videt Deum, videat diuina attributa per modum plurium, sed vt verè sunt vna simplex perfectio absoluta formaliter continens omnes perfectiones, quas nos multis attributis significamus.* Cum quo facere videtur Ferrariensis 3. contra Gentes cap. 56. ad finem, §. *ad vltimum*, dum ait, *beatos videre diuinam essentiam infinitas perfectiones vnitè, & simpliciter absque vlla distinctione cõtinentem.* Quæ verba satis indicant beatos ea, quæ formaliter in Deo vident, non videre, vt distincta, sed vt indistincta potiùs, atque vnita. Facit etiam Fõseca in 7. Metaph. cap. 8. quæst. 2. sect. 7. litera F. pagina 344. columna 2. in principio, dum ait beatos non distinguere ea, quæ sunt in Deo, sed ea videre, sicut sunt in Deo, in quo nullam admittunt distinctionem. Facit etiam Bellomontanus, quatenus sæpè affirmat in Deo, vt in se est, vnicam tantùm dari perfectionem omnino indistinctam, vt patet 1. part. disput. 10. cap. 7. numer. 28. & disput. 25. cap. 1. numer. 1. Sed nostram assertionẽ probare debent omnes Scotistæ: nam, cum admittant perfectiones diuinas in ipso Deo, & inter se, & ab essentia ex natura rei sine intellectu distingui; non possunt non admittere beatos eas videre, vt actu distinctas, vt bene annotauit Bellomontanus 1. p. disp. 118. cap. 2. numer. 6: nam cum beatus perfectiones illas ita videat, vt sunt à parte rei (quia videbimus eum, sicuti est Primæ Ioannis 3.) si à parte rei formaliter sunt plures; vtique à beato, vt plures videbuntur. Et quanuis opinio Scoti, nec nobis videatur admodum probabilis; assertio tamen nostra eodem medio confirmabitur suppositâ distinctione virtuali: quoniam beati ita vident diuinas perfectiones, vt ipsæ in se ipsis sunt. Sed in se ipsis sunt virtute multiplices, & distinctæ, vt aduersarij etiam concedunt. Ergo beatus eas videt, vt virtute distinctas. At eas videri, vt virtute distinctas, formaliter est eas ipsa visione actu distingui, vt cum Bachonio, nostro Alexand. de Sancto Elpidio, & Molina latè ostendimus suprà q. 6. ar. 9. §. 2. concluſ. 4. & ar. 10. §. 6. concluſ. 2. Vnde nouissimè nobiscum consentit Salas 1. 2. q. 3. tractat. 2. disput. 4. sect. 2. num. 10. pag. 242. col. 1. post medium affirmans hoc esse ferè certum de fide.

Qui non recipi aut nostram quartam conclusionem.

Ferrar.

Fonseca.

Auctores 4. cõclusionis.

Salas.

19. Solutio argumenti. Huic argumento occurrit Suarius in d. c. 22. n. 13. virtualem illam distinctionem non esse, nisi quandam extrinsecã denominationem, quatenus intellectus viatoris potest pluribus formatis conceptibus diuinas perfectiones ratione distinguere. Cum verò minimè necesse sit, vt beatus illam vnitatem diuinarum perfectionum, quam in Deo videt, comparet ad distinctionem, quam viator facit; minimè etiam erit necesse, vt intellectus beati videat illas perfectiones vt distinctas, quanuis eas, vt distinctas videre possit, nõ in ipsa diuina essentia distinctas, sed in intellectu viatoris in diuina essentia sibi præsentato. Sed hæc solutio multa falsa supponit. Nam primò supponit virtualẽ illam distinctionẽ esse denominationem sumptam ex intellectu viatoris potente illas distinguere.

Non recipitur solutio.

20. Sed hanc explicationem longè alienam esse à mente Magni Dionysij, & Augustini, & à vera huius rei theologia iã sæpiùs ostendimus, vt videre est q. 6. ar. 7. §. 1. & 2. & ar. 10. in 1. difficultate. Vbi videbis, quàm indigna sit hęc explicatio eius excellentiæ, & mysterij, quod Dionysius prædicat de illa perfectionũ diuinarum multiplicitate cum vnitissima illarum vnitate: quæ enim ille tam excellenter prędicat de virtuali illa distinctione, omnino conuincunt eã diuiniorem esse, & excellentiorem, quam vt

sit

fit extrinseca denominatio à virtute distinguendi, quæ est in intellectu viatoris. Ob quam rationem ibi cõclusimus virtualem hanc distinctionem sumendam esse in ordine ad ea, quæ intus sunt in diuina essentia, & exercẽtur (vt ita loquamur) circa eam intus perficiendam secluſa omni dependentia, & respectu ad aliquid extra: & subinde admittendam esse talem distinctionem in aliquo priori nostro intelligendi modo, in quo nõdum intelligatur aliqua habitudo ad distinctionem rationis, quæ per aliquem intellectum etiam diuinum fieri possit.

21. Et ob id ridiculũ existimauimus, imo temerarium asserere hoc, quod est *Filiũ procedere per intellectum & non per voluntatẽ & Spiritum sanctum per voluntatem, & non per intellectum*, per se pendere à denominatione extrinseca, quę fingitur, & à distinctione rationis, quam potest facere intellectus viatoris. Quare dicendum est (vt ibi diximus) diuinam illam perfectionem ideo dici virtute multiplicẽ, & distinctã; quia ex sua natura est multipliciter perfectiua Dei, id est, perfectione multiplicis rationis: quam multiplicem virtutem ideo habet; quia ita in se ipsa est formaliter vna perfectio, vt formaliter sit quælibet: quia ita est formaliter vna perfectio totalis, vt hæc formaliter sit sapientia, sit iustitia, & cæt. Vnde illa vnica perfectio reddit Deum formaliter sapientem, non secundũ totam suam rationem adæquatã; sed quatenus inadęquatè est sapientia, non vero quatenus est, aut iustitia, aut misericordia, vt diximꝰ in d.q.6.ar.10.§.6.in 2. difficultate, & latius q.9.art.2.§.2. Quare beatus visione beatifica videt hanc virtualem multiplicitatem in perficiẽdo diuinam essentiam, & videndo eam distinguit perfectiones secundum singulas inadæquatas: vnde videt eas, vt distinctas, vt latè diximus in d.q.6.ar.9. & de diuino intellectu ar.10.cũ Hẽrico, Molina, & alijs contra Bellomontanum, Suarium, & alios, qui negant intellectũ beatum suavisione distinguere attributa. In quo etiam deficit allata solutio.

Quare perfectio diuina dicatur virtute multiplex.

19. lutio ar- menti.

20.

22. 4. Cõclusio firma sit.

Nostra igitur quarta assertio firma maneat: nec enim credẽdũ est beatũ ita videre omnes illas perfectiones, vt eadem visione non judicet Deum esse sapientem, iustum, & cæt. ita vt per sapiẽtiam talis sit, & non per iustitiam. Hoc autem iudicium intelligi non potest sine distinctione illarum perfectionum, vt intellectui beati obijciuntur. Quare ita puto hac de re esse theologizandum vt beatus visione beatifica, quatenus est simplex quædam apprehẽsio, videat omnia, quæ formaliter sunt in Deo, pro vt realiter, & formaliter sunt vna substantia, vnaque perfectio diuina: at vero eadem visione, provt eminenter est apprehensiua, & collatiua plurium, atq; etiam iudicatiua veritatum, videat virtualem illam multiplicitatem, quæ in illa vnita perfectione datur: & videndo simul etiam, & iudicãdo ratione distinguat, quę vnitè videt; & tandem illa omnia videat, vt distincta. De hoc plura in d.q.6.ar.10.§.6.in 2.difficultate.

23. Respondetur quæstioni.

His assertionibus præmissis supereſt respondere quæstioni. Cuius facilis est solutio, si sermo sit de visione attributorum, vt materialiter sumũtur: omnes enim fatentur cunctos beatos videre omnia, quæ formaliter sunt in Deo secundum esse reale, quod habent in diuina essentia: nam, cũ omnia realiter idẽtificentur in ea, visa illa non possunt nõ materialiter videri omnia, quę in ea sũt. In hoc igitur sensu nulla est difficultas, vt patet ex prima, & 2. assertione. Sicut etiam nulla est dubitatio, quin omnia, quæ formaliter sunt in Deo, ab omnibus videantur non solum materialiter, sed etiam formaliter apud eos, qui volunt omnia illa in Deo esse formaliter vnũ: nec enim fas est negare omnes beatos videre diuinã essẽtiam, & vt est vna quędam substantia, & vt est vna formalis perfectio: omnes enim vident Deum totum quoad quid est illius. Supereſt igitur inquirendum, an omnes beati defacto videãt omnia attributa, vt distincta Est enim de hoc controuersia, vt ex dictis patet.

In quo sensu nulla sit difficultas.

Status difficultatis.

Pro resolutione sit quinta conclusio: quilibet beatorum de lege ordinaria videt omnes Dei perfectiones, quæ propriam attributi rationem habent; idq; vt distinctas. Conclusio ista facilè demonstrabitur, si contradicentium fundamenta expendamus, & soluamus. Primo loco huic assertioni cõtradicit Suarius, dum putat minimè esse necessariũ, vt beatus sua visione beatifica videat

24. 5. Cõclusio.

Qui contradicant.

attributa, vt distincta. Fundamentũ est, quia beatus visione sua non potest distinguere attributa: nam; cum ea videat vt sunt in Deo, in quo nullam habent distinctionem, nõ potest visione ea distinguere. Secum habet socios Fonsecam, & Bellomontanum, vt patet q. 6. artic. 9. Ex hoc infert beatum non posse immediatè videre Dei perfectiones, vt distinctas; sed solum mediatè: quia scilicèt potest eas videre actu distinctas in intellectu viatoris: si nimirum illam diuinam vnitatem comparauerit ad intellectum viatoris in diuina essentia sibi obiectũ. Cum vero necesse non sit, beatum non facere illam comparationem; nec intellectum viatoris in Deo sibi præsentari, vt actu distinguentem attributa; inde infert beatum non necessario videre attributa, vt distincta. Hoc est vnicum Suarij fundamentum. Sed iam virum doctissimum non audiuimus asserentem beatum sua visione immediatè, atque directè non posse attributa distinguere: oppositum enim ostendimus supra q. 6. artic. 9. & suppositum in 4. assertione. Quod addit beatum non videre diuinas perfectiones, vt distinctas, nisi in intellectu viatoris, in quo actu distinguuntur, mihi videtur paradoxum: quis enim dicet, quod beatus non videat Filium Dei non procedere per voluntatẽ, sed per intellectum, nisi quando in intellectu viatoris voluntas Dei ab intellectu distinguitur? Melior erit theologia, quæ docet beatum ideo videre Filium non procedere per voluntatem, sed per intellectum; quia distincte videt illam vnam eminẽtem perfectionem, ita adæquate, & vnitè esse omnes perfectiones; vt formaliter sit singulæ diuisim, & inadęquatè: ob quam rationem non omnia præstat secundum adæquatam rationẽ formalem, secundum quam formaliter est omnes; sed secundum inadæquatam, qua formaliter est sapientia v. g. iustitia, & cæt. Quod satis est, vt ipsas diuinas perfectiones sua visione distinguat, & vt distinctas videat, idque immediatè in ipsa diuina essentia, vt diximus in quarta conclusione, & latius quæst. 6. ar. 7. & ar. 10. cõcl. 4. Non est igitur, quod à nostra quinta conclusione recedamus propter fundamẽtum à Suario obiectum.

Non recipitur fundamentum.

Sicut etiam non est, quod ab eadẽ recedamus ex eo, quod attributa propriè sumpta sint numero infinita: etenim id esse falsum iam constituimus in prędcedente artic. Quare supposita assertione 4. supereſt quintam assertionem demonstremus. Et facile demonstrabitur, si attributa essentialiter includuntur in essentia: nam, cum sublato aliquo essentiali iam nõ maneat eadem essentia (nã essẽtię sũt sicut numeri) si aliquod attributorum non videtur; vtique iam non videtur eadem essentia, sed alia. Vnde mirandum est, quod Ouandus dixerit defacto non omnia etiam essentialia ab omnibus videri. Porro si attributa non includuntur in essentia; cum illa sint perfectiones illius naturales, non videbitur essentia, sicuti est, si aliquod attributum non videatur. Vnde ipsi etiam Scotistę, qui attributa ex natura rei distinguunt ab essentia, fatentur vnum sine alio de lege ordinaria non videri, vt patet ex Herrera in d. disp. 14. ad 2. argumentum principale in fine quæstionis. 25. Soluitur instãtia. *Herrera.*

Vltima conclusio: nullus beatorum defacto videt omnes perfectiones, quæ improprie attributi rationem participant. Hæc euidenter demonstratur ex 3. conclusione prędcedentis articuli, quę asserit perfectiones huius generis esse numero infinitas sub infinitis speciebꝰ. In quo sensu non possunt omnes videri à beato, quin diuina essentia comprehẽdatur, vt suo loco diligentius explicabimus. 26. Vltima cõclusio.

§. 5.

Soluuntur argumenta aduersaria.

NEc obstant, quæ §. 1. pro parte negãte adduximus. Ad primum ex dictis patet solutio: nam attributa proprie sumpta non sunt numero infinita, vt diximus. At si sermo est de attributis sumptis improprie, argumentum confirmat nostram vltimam conclusionem. 27. Ad 1.

Ad secundum admittimus beatos esse inæquales, vt ostendemus lib. 7. & ibi inquiremus propriam huius inæqualitatis rationem. Nunc dicimus hanc inæqualitatem sumendam non esse ex inęqualitate quoad numerum perfectionum attributaliũ; quia omnes in se ipsis ab omnibus videntur, sed quoad modũ, quod 28. Ad 2.

quod singulæ earum à quolibet beato penetrantur; de quo in q. an beati Deũ comprehendant.

29. Ad 3. Tertium argumentum consequentiã habet inutilem: nec enim video, quomodo propositiones assumptæ possint in forma apparenter disponi. Quare si cõsequẽs intelligatur de veritatibus propriè attributalibus, consequentia est neganda simul cum consequente. Si vero cõsequens intelligatur de perfectionibus, quę impropriè sunt attributales; consequens est verum, vt patet ex vltima conclusione; consequentia vero est asyllogistica.

ARTICVLVS III.

An beatus possit naturaliter videre essentiam sine attributis: & vnum sine alio.

1. In quo sẽsu detur locus quæstioni. IN hac quæstione supponimus attributa videri posse à beatis per modũ plurium: nam quanuis non omnes cõsentiant, an beatus possit immediatè videre attributa per modum plurium, & vt distincta: omnes tamen conueniũt ea posse ita videri vel immediate, vel mediate, vt Suarius cum nonnullis alijs existimat lib. 2. de attributis negatiuis c. 22. n. 13. Hoc igitur supposito iam datur locus inquirendi, an possit videri essentia sine attributis, & vnum attributum sine alio. In hoc autem art. agimus, an beatus supposita visione beatifica possit facultate sibi naturali ferri in essentiam, aut sine attributis, aut nõ cum omnibus.

2. Quæ faciũt pro parte affirmante. Partem affirmantem probare debet Suarius, si velit consequenter loqui: existimat enim nullum beatum sua visione posse attributa immediate distingue re: nec posse ea videre, vt distincta, nisi prout in intellectu viatoris sibi præsentantur, vt distincta. Cum vero non necesse sit essentiam diuinam beato præsentari, vt distinctam ab intellectu viatoris; poterit beatus interdum videre essentiam sine attributis, interdum non cum omnibus.

Pro eadem parte affirmante potest alia ratio dubitandi sumi ex doctrina Scotistarum, qui putant beatum nõ necessario, sed libere Deum videre. At si libere Deum videt, libere etiam potest ferri in essentiam modò sine attributis, modo cum aliquibus tantùm.

3. Pars negãs, & probãda. Pars tamen negans est omnino asserenda, & satis ad mentem Scoti in 1. d. 1. q. 2. §. *quantum ad tertium articulum* litera G. quanuis enim solum agat de visione essentiæ in ordine ad personas, eadem tamen ratio est apud Scotum, & suos de essentia in ordine ad attributa: nã apud Scotum, sicut essentia ex natura rei distinguitur à personis; ita etiam ab attributis. Consentiunt in hoc Scotistæ: interminis id probauit Bassolius in 1. d. 1. q. 2. ar. 3. fol. 40. col. 6. §. *modo restat vltimo*; & Herrera 1. tomo disp. 14. q. 4. ad secũdum argumentũ principale in fine quæstionis. *Scotus.* *Bassolius.* *Herrera.*

4. Fundamentum opinionis. Hæc opinio in primis confirmatur, quoniam fundamẽtum, quo Suarius affirmantem partem probare debet, iam à nobis est impugnatum in præcedente art. concl. 5. etenim iam ostẽdimus beatum sua visione non posse nõ distinguere attributa immediate, & directè; & subinde non posse immediatè non videre diuinas perfectiones, vt distinctas, & per modum plurium. Qua opinione sup posita euidenter probatur pars negãs: intellectus enim, cum non sit potentia libera, sed naturalis, non potest non naturaliter ferri in obiectum sibi debitè præsentatum eo modo, quo sibi præsentatur. Essentia autem diuina se se obijcit, vt est in se cum omnibus suis attributis virtualiter inter se distinctis. Nõ potest igitur intellectus beati relictus suo naturæ non videre essentiam cum omnibus attributis.

5. Confirmatur ratio. Quæ ratio euidenter conuincit, si expendamus intellectum quoad primã essentiæ visionem: intellectus enim quoad primam operationem patriæ nullo modo subijcitur imperio voluntatis: vnde cum primũ sibi diuina essentia fuit obiecta, non potuit non illam videre, vt est à parte rei. In continuatione autem, & permanentia eiusdem visionis non potest intellectus à voluntate impediri apud eos, qui docent voluntatem naturaliter ferri in diuinam essentiam clare visam: quę est verissima sentẽtia. Quod si cum Scoto putas eam liberè ferri; poterit quidem voluntas pro sua libertate suspendere suum actum, ne amore feratur in essentiam visam: non tamen est in

in eius libera potestate imperare intellectui, ne videat essentiam sibi præsentatam, aut ne videat hæc, vel illa; in hoc enim intellectus obedire non potest; quia posito obiecto, non potest in illud non ferri. Et ita soluta manet ratio dubitandi sumpta ex opinione Scoti.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrum diuina potentia possit essentia videri sine attributis: aut vnum attributum sine alio?

§. 1.

Refertur pars affirmans.

1. PArs affirmans cõmuniter tribuitur Scoto in 1. d. 1. q. 2. §. *quantum ad tertium articulum* litera G. quanuis Scotus ibi non agat de visione essentiæ in ordine ad attributa, sed solum in ordine ad personas. Fundamentum tamẽ Scoti vtrobique locum habet: & ideo hæc opinio, tanquam Scoti defenditur ex Scotistis. Ita Maironius in 1. d. 1. q. 4. Bassolius q. 1. ar. 3. §. *sed non video* fol. 39. col. 3. & 4. Bargius ad Scotum, vbi supra fol. 51 col. 5. litera H. Rada 1. tomo controuersia 6. concl. 5. pag. 92. Herrera 1. tom. disput. 14. q. 4. notabili 1. & latius in disp. de personis diuinis, & satis insinuat Ouandus in 1. d. 1. propositione 10. in 1. ratione pro Scoto. Citantur pro hac opinione Capreolus in 1. d. 27. q. 2. ar. 3. ad 8. Durandi contra primam, & Ferrarienſis 1. contra Gentes c. 53. §. *quinta est*, & Caietanus 1. p. q. 27. ar. 1. ad 3. dubium: sed eos falsò citari, bene annotauit Bellomontanus 1. p. disp. 48. c. 1. n. 4. vt ex dicendis patebit. Pro Scoto tamen stat Ioannes de Salas ad 1. 2. q. 3. tract. 2. disput. 4. sect. 2. pag. 241. & 242. Hæc etiam est sententia D. Antonini 3. p. tt. 30. cap. 4. §. 2. & satis videtur esse de mente Bachonij in 1. d. 1. q. 2. ar. 2. fol. 20. col. 4. §. *item secundarium*, nec displicebit Palatio in 1. d. 1. disp. 3. pag. 29. col. 1. dũ affirmat Deum de facto non ostendere beatis omnes suas perfectiones.

Scotus. *Maironi⁹.* *Bassolius.* *Bargius.* *Rada.* *Capreolus.* *Ferrar.* *Caietanus.* *Salas.* *D. Anton.* *Bachonius* *Palatius.*

2. Præcipuum huius opinionis fundamentum sit non implicare videri essentiam sine attributis, aut vnum attributum sine alio. Id, quod multis modis cõfirmatur. Primo, quia attributa ex natura rei formaliter distinguuntur, & inter se, & ab essentia. Ergo non implicat essentiam videri sine attributis, aut vnũ atttibutum sine alio. Antecedẽs placet Scotistis. Consequentia probatur: quia hæc distinctio satis est, vt vnum possit videri sine alio; sicut etiã satis est, vt Pater cõmunicet essentiam Filio nõ communicata sua proprietate: satis etiam est, vt natura humana primo vniatur personalitati verbi, & non essentiæ. Cur igitur illa nõ satis erit, vt essẽtia videri possit sine attributis? Nam quando duo obiecta ita se habent, vt vnum nõ includatur in conceptu alterius, nec vnum sit prius alio, non implicat vnum videri sine alio. Iam vero ita se hebet essentia respectu attributorum, & vnum attributum respectu alterius.

1. Confirm.

3. Secundo essentia est primarium obiectum visionis beatificæ, attributa vero sunt obiecta secundaria. Ergo non implicat essentiam videri sine attributis. Antecedens probatur; quia attributa ex natura rei distinguuntur ab essentia, quę est obiectum primarium. Et hęc est communis Scotistarum opinio, vt videre est apud Bassolium, vbi supra, & Ouandum in 4. d. 49. propositione 20. Consequentiam probant; quia ideo essentia potest videri non visis creaturis; quia creaturæ pertinent ad obiectum secundarium. Deinde; quia si essentia sine attributis est obiectum primariũ, poterit se ipsa secluſis attributis mouere intellectum beati, & illius visionem terminare.

Secunda.

4. Tertio; quia nulla est implicatio, si quod est veluti subiectum, & est fundamentum alterius, intelligatur, non intellecta passione, vel quasi passione. Sed essentia est veluti subiectum in ordine ad attributa, quæ sunt perfectiones circa ipsã essentiam, vt ex Damasceno sępe diximus. Ergo nulla datur implicatio, si essentia videatur sine attributis.

Tertia.

5. Quarto arguit Maironius; quia in via possumus cognoscere Deum ignoratis pluribus illius perfectionibus. Ergo in patria potest diuina essentia videri non visis pluribus attributis.

Quarta.

Quinto; fieri potest, vt essentia videatur sine personis, & vna persona sine alia vt inferius ostendent Scotistæ q. 14. ar. 3. Ergo essentia videri potest sine attributis

Quinta.

butis, & vnum sine alio: etenim eadem est ratio in vtrisque.

6. Vltima. Postremo arguit Palatius; quoniam de facto non videntur omnes perfectiones attributales; nam si omnes viderẽtur comprehenderetur Deus. Non igitur implicat videri essentiam non visis omnibus attributis.

Quæstũcula Si inquiras, an in hoc casu vidẽs diuinã essẽtiã esset beat⁹? affirmatiuè respõdent omnes Scotistæ: quia essentia secũdum se, & secundum propriam rationẽ diuinitatis est obiectum beatificum. Ita Bassolius, & Rada in locis citatis. Oppositum sentit Salas, vbi supra pag. 242. col. 2. §. *de potentia autem absoluta*, & pag. 245. col. 2. in medio, & pag. 246. col. 1. §. *ad tertiam confirmationem.*

§. 2.

Refertur pars negans.

7. Auctores partis negãtis. QVod tamen nulla potentia, etiã absoluta Dei, possit essentia videri sine attributis, & vnum sine alio, est commune placitum recentiorum. Ita Sotus in 4. d. 49. q. 3. ar. 3. cõcl. 2. Banhes 1. p. q. 12. ar. 7. dub. 2. & ibi Cumelius q. 2. concl 6. pag. 267. col. 1. Molina ibi disp. 4. §. *quod ad primum attinet* Suarius lib. 2. de attributis negatiuis c. 22. n. 8. & 20. Bellomontanus 1. p. disput. 48. c. 2. Ex antiquioribus solum inueni Henricum quodlib. 13 q. 1.

Scotus. *Banhes.* *Cumelius.* *Henricus.*

8. 1. Argum. Pro hac opinione hæc fieri solent argumenta. Primum est Suarij; quoniam impossibile est videri aliquam rem clarè, & intuitiuè, nisi simul videantur clarè, & distinctè omnia prædicata essentialia illius vsquè ad vltimam differentiam: nam videre rem, sicuti est, idem est, quod eam videre, vsque ad vltimam differentiã eius constitutiuam. Sed omnia attributa sunt de essentia, & quidditate diuinæ essentiæ, vt supra ostensum est. Ergo fieri non potest, vt videatur diuina essentia non visis attributis.

9. Secundum Secundum argumentum est Bellomõtani, vbi supra n. 7. vbi supponit inter attributa, & essentiam à parte rei dari summam identitatem sublata omni, vel minima distinctione. Iam sic: visio, qua beatus videt Deum, ita est visio Dei, vt in se est, vt ipse non aliter appareat in mente beati, quam sit in se ipso. Sed in se ipso Deus est omnino simplex, nec attributa in eo distinguuntur, aut inter se aut ab essentia. Ergo necesse est, vt tam essentia, quam attributa in visione sint omnino indiuisa: aliàs iam essentia non repræsentaretur, vt in se est.

10. Cõfirm. 1. Cõfirmatur ratio; impossibile est videri aliquid, provt est in se, & non videri quidquid est idem cũ illo: nã si diuina essentia videtur, vt in se est, vtique nõ aliter apparet in mente beati, quam est in se. Sed in se idem est cum attributis. Ergo impossibile est videri sine illis.

Cõfirm. 2. Confirmatur secundo ex Molina; tãta est identitas inter essentiam, & attributa, quanta est inter Michaelẽ, & eundem Michaelem: aliàs Deus non esset simplicissimus. Sed implicat videri Michaelem non viso Michaele, vt patet. Ergo implicat videri essentiam non visis omnibus attributis.

11. 3. Argum. Tertio principaliter arguitur; quoniam visio intuitiua ex sua natura terminatur ad rem, sicuti est in se, vt omnes fatentur. Sed diuina essentia in se est simul cũ attributis. Ergo videri nulla ratione potest sine illis.

Confirm. Confirmat id ipsum Bellomontanus: quoniam, qui distinguit obiectũ, iam illud non concipit conceptu intuitiuo, vt putat se probasse 1. p. disp. 118. c. 2. n. 7.

12. 4. Argum. Quarto principaliter arguit Suarius in d. lib. 2. de attributis negatiuis c. 23. n. 20. quoniam si videri posset essentia sine attributis, aut illud esset per eandẽ visionem, quam beati nunc habent, faciente Deo, vt repræsentet Deum, & nõ attributa: vel per aliam. Non per eandem: quia illa visio ex sua natura habet repręsentare essentiam cum attributis; nam, cum de facto nunc ista repręsentet, ex sua natura est forma naturaliter repræsentatiua illorum; ita, vt naturalis effectus illius sit illa repręsentare. Quare sicut illa manente in intellectu, non potest non facere videntem ipsum intellectum; ita non potest non repræsentare illi essentiam cum attributis: etenim ex sua natura vtrunque indiuisibiliter repræsentat. Nec dici potest esse aliam visionem: quoniam illa alia visio non esset diuersæ speciei; quia visiones, quibus Deus in patria videtur, non possunt habere specificam distinctionem, vt modo supponimus. Si vero est diuersa solo numero, vix intelligitur illam sufficere

ad

ad faciendam tantam diuersitatem in actibus, vt vnus ex natura sua habeat repræsentare essentiam cum attributis, alius præscindendo ab illis.

14. Quintum. Quinto sic arguit vbi supra n. 23. quoniam illa visio cuiuscunque modi, & rationis fingatur, est ex sua natura quidditatiua cognitio intuitiua essentiæ. Ergo necesse est, vt ex sua natura habeat proprietates essentiales cognitionis intuitiuæ. Ergo necesse est, vt ex sua natura repræsentet essentiam cum identitate, & intima coniunctione, quam habet ad attributa, sed essentia habet intimã coniunctionem cum attributis. Ergo non potest repræsentare essentiam sine illis. Minor huius vltimi discursus ex eo patet; quia diuina natura ex se est infinita. Postulat igitur ex se omnes perfectiones simpliciter, tanquam sibi naturales, quibus perficiatur; cum vero hæc perfectibilitas in essentia sit actualis, non potest nõ videri visa essentia; & subinde essentia ex se habet intimã cõnexionem cum attributis, sine qua repræsentari non potest.

14. Confirm. Confirmatur hæc ratio; quia fieri nõ potest visio clara, & intuitiua Dei, quin natura sua repræsentet essentiam omnibus modis perfectam. Iam vero quod visio habet ex sua natura, impediri non potest; quia causa formalis positis omnibus necessarijs impediri non potest à suo effectu formali.

6. Argum. Sexto principaliter arguit Cumelius ex Soto, & rogat, si nullum attributũ in essentia videtur, quid nam videt beat⁹? si vero videt vnum sine alio; quænam ratio maior est in vno, quam in alio?

15. Septimum. Septimo quodcunque attributum ita intrinsecè conuenit Deo, atque conuenit ipsum esse: sed Deus non potest intuitiue videri non viso esse Dei. Ergo nec poterit videri essentia, non visis omnibus attributis.

Octauum. Octauo; id, quod est simplex, non potest secundum aliquid videri, & secundũ aliquid non videri. Sed essentia diuina est simplex. Ergo, qui illam videt, non potest non videre, quę in illa sunt. In ea autem sunt attributa.

Postremũ: Postremo, de ratione beatitudinis est, quod videantur attributa: pertinent enim ad obiectum primarium beatitudinis. Sed non potest videri diuina essentia, quin videns sit beatus. Ergo non potest beatus videre essentiam sine attributis.

§. 3.
Resoluitur difficultas.

16. 1. Cõclusio. PRo resolutione quæstionis sit prima conclusio: nullus quæstioni relinquitur locus apud eos, qui à parte rei nullam admittunt distinctionem inter essentiam, & attributa, sed omnimodam vnitatem, & simplicitatem: nã ex hac identitate inferrtur euidens repugnantia, & contradictio; tum ex parte obiecti, tum ex parte visionis. Ex parte quidem obiecti: quoniam idem sine se ipso videri non potest; alioquin videretur, & non videretur; videretur; quia id supponitur: nõ videretur autem; quia nihil sine se ipso videri potest: iam vero quod non videtur, est ipsum met, quod supponitur videri. Ex parte etiam visionis intuitiuæ id repugnat: quoniam de intrinseca illius ratione est, quod repræsentet rem, vt ipsa est, & non aliter, atq; ipsa est. Iam vero, si idem intuitiue posset videri, non viso eo, cum quo omnibus modis est idem; visio ipsa repræsẽtaret eam, vt ipsa in se est (quia id supponitur) & non repræsentaret; quia non repræsentaret id, quod omnibus modis est ipsa. Nec in hoc sensu datur locus solutioni, quam subtiliter excogitauit Suarius lib. 2. de attributis negatiuis c. 23. n. 7. dum ait non esse de ratione cognitionis intuitiuæ, vt repræsẽtet rẽ cũ omni modo, quo est; sed vt id, quod de re repræsentat, ita sit in re. Ex quo infertur visionem istam essentiæ non aliter repræsentare essentiam, atque est; quãuis non repræsentet attributa; quia satis est, vt id, quod de essentia repræsentat, sit à parte rei. Non est inquam locus huic solutioni; quoniam illa solùm potest habere locum, quando à parte rei datur aliqua distinctio inter id, quod repræsentatur, & id, quod non repræsentatur; vt sine eo, quod non repræsentatur, verè maneat aliquid, quod repræsentari queat, atque præscindi ab alio absque vllo iudicio distinctionis. At vero, quãdo in re non datur vlla, vel minima distinctio, sed omnimoda identitas; si aliquid in re vere repræsentatur, nihil manet, quod vere possit non repræsentari, tanquam

Non datur locus solutioni. 3

tanquam ab alio præcisum. Quare statuendum est quęstioni propositæ solùm dari locum, si inter essentiam, & attributa aliqua à parte rei admittatur distinctio.

17. 2. Cõclusio. Secunda conclusio: nullus etiam datur locus quæstioni apud eos, qui putãt beatum sua visione immediatè, & directe non distinguere essentiam ab attributis, nec attributa inter se: sed solùm eavidere distincta in intellectu viatoris in Deo sibi repræsentato. Nam isti non vident essentiam, & attributa, vt distincta, sed vt à parte rei sunt vna simplicissima substantia omnib⁹ modis indistincta. Iam verò ex prima conclusione patet fieri non posse, vt essentia videatur non visis attributis, si essentia, & attributa sunt omnino indistincta. Si verò expendas visionem istam, vt mediatè videt essentiam, & attributa distincta in intellectu viatoris; dicẽdum est beatos interdum videre essentiam non visis attributis; interdum autem videre vnũ attributum sine alio. Hanc resolutionem facilè colliges ex Suario lib. 2. de attributis negatiuis c. 22. n. 13. nam, cum hęc solùm videãt in intellectu viatoris pręsentato sibi in diuina essentia: in intellectu autem viatoris interdum concipiatur essentia sine attributis, interdũ vnum attributum sine alio, vt docet experientia; profecto beati interdum videbunt essentiam non visis attributis; interdum autem vnum attributum alio non viso. Verum hanc opinionem, vt parum theologam sæpius reiecimus. Vide suprà art. 2. §. 4. post quartã cõclusionẽ.

18. 3. Cõclusio. Tertia conclusio: apud eos, qui putãt attributa essentialiter includi in diuina essentia, opinio negans debet esse indubitata: Euidenter enim demonstratur; quia implicat clare, & intuitiuè aliquid videri nõ visis omnibus, quæ sunt de illius essẽtia. Sed omnia attributa sunt de essentia diuinæ essentiæ. Ergo implicat essentiã videri nõ visis omnib⁹ attributis. Minorẽ supponimus in hac conclusione. Maior autẽ probatur; quia implicat rẽ vnã videri ipsa nõ visa. Sed si non videtur omnia, quæ sunt de essentia rei, nõ videtur ipsa res; quia addita, vel dẽpta aliqua essentiali particula, iã variatur essentia (sunt enim essentię, sicut numeri ex Arist.) variata autẽ essenttia variatur ens, & res, quoniã vnũquodq; dicitur ens, & res à sua essentia ex D. Thoma de ente, & essentia c. 2. Ex hoc infertur opinionem, quæ simpliciter negat fieri posse etiam per diuinã potentiam, vt essentia videatur non visis attributis, esse longè probabiliorem; quia probabilius est attributa essentialiter includi in diuina essentia, vt ostẽdimus q. 7. ar. 2. §. 4. D. Thomas

19. 4. Cõclusio. Quarta conclusio: supposita opinione Scoti, quod attributa, & ab essentia, & inter se secluso intellectu distinguuntur formaliter actualiter; si sermo sit de visione absolutà, siue sit beatifica, siue non; non video, cur negandũ sit diuinæ potentiæ videri posse essentiã, aut nullo viso attributa, aut non visis omnibus. Hæc conclusio est omnium Scotistarũ, & eorũ, quos citauimus pro parte affirmante, & satis videtur esse de mẽte Bellomontani 1. p. disp. 48. c. 2. nu. 10. Huius opinionis probabilitas ex eo sumenda est; quia omnia argumenta in oppositũ facilè soluentur §. 4. Et vt sũmatim omnia cõplectamur, huius rei repugnantia vel sumẽda est ex parte obiecti, quia scilicet essentia, & attributa sunt realiter idem; vel ex parte visionis; quia scilicet non potest non esse intuitiua. At ex parte visionis nõ posse cõtradictionẽ deduci ostendemus §. 4. ad 3. 4. & 5. Quod verò nec deducatur ex reali identitate satis ostendit Suarius in d. c. 23. n. 4. 5. 6. & 19. etiam in fortioribus terminis, si nimirum supponamus nullam dari actualem distinctionem inter ea. Fũdamẽtũ.

Fundamentũ est; quia nõ obstante sũma idẽtitate inter essentiam, & relationem aliquid dicitur de essẽtia, quod negatur de relatione: Pater enim communicat essentiam filio; non tamen paternitatẽ: natura humana immediatè vnitur personæ Verbi, & non essentiæ: natura etiam creata potest per se primo vniri essentiæ ratione subsistentiæ essẽtialis, & non relationibus. Igitur absolutè loquendo identitas realis inter essentiam, & attributa non necessariò infert essentiam videri non posse nonvisis attributis. At dices aliam rationẽ cerni in identitate essentiæ, & relationis, & aliam in identitate essentiæ, & attributorũ: quatenus illa non est adæquata, sed inadæquata potius: siquidem nõ cũ quocũq; identificatur essentia, identificatur 20. Responsio. Reijcitur.

tificatur relatio: hęc verò est omnino adæquata, vt quia cum quocunq; identificatur essẽtia, idẽtificãtur attributa; & è conuerso. Huic solutioni respondebo, quòd non obstante hac adęquata identitate essentiæ, & attributorum; aliquid dicitur de vno attributo, quod negatur de alio: & aliquid cõuenit essẽtię, quod non conuenit attributo: nã filius procedit per intellectũ, & non per voluntatẽ; & è cõtrario Spiritus Sanctus procedit per voluntatẽ, & nõ verò per intellectũ: Deus formaliter est sapiens per sapientiam, non verò per iustitiam: denique essentia est prima radix operandi, & nõ sapientia. Quid igitur impedit, quominus essentia videri possit non visis attributis? Etenim actualis distinctio inter essentiam, & attributa, quam ponunt Scotistę, satis erit, vt essentia prout subest rationem speciei intelligibilis, repræsentet se ipsam non repræsentatis attributis.

21. 5. Cõclusio. Quinta conclusio: si sermo sit de visione vt formaliter est beatitudo, probabilius mihi est essentiam videri non posse non visis omnibus attributis. Hæc cõmuniter non probatur Scotistis, Bassolio scilicet, & Radæ; placet tamẽ Ioãni de Salas. Fundamentum est; quoniam obiectum beatificum, ideo formaliter est beatificum quia formaliter est summè perfectum. Iam verò essentia sub præcisa ratione essẽtiæ, licet apud Scotistas sit summè perfecta in genere essẽtię, & perfectione, quam vocant radicalem, & primariam: formaliter tamen non est perfecta perfectione secũdaria qua nostro intelligẽdi modo completè, veluti perficitur. Attributa igitur, licet fortè dici possint obiecta aliquo modo secundaria in genere visibilis, non tamẽ in genere beatificatiui; sed formaliter complent essentiam in ratione talis obiecti: nec enim eadem est ratio visibilis atque beatificatiui: quoniam essentia formaliter est visibilis, quia vera: est tamen completè beatificatiua, quia vltimatè perfecta.

22. At verò ratio entis veri nostro intelligendi modo prius conuenit essentiæ, quatenus est essentia, quàm illi conueniant attributa, & ideo in ratione essentiæ cõpletè est visibilis. Porrò ratio beandi tum primò conuenit essentię, cũ primo est summè perfecta: in hoc autẽ esse completè, & vltimatè constituitur per perfectiones attributales: quare illæ præ se pertinent ad obiectum beatificatiuum, vt beatificatiuum est.

23. Resolutio difficultatis suppositæ distinctione virtualis. Diximus quid dicendum sit suppositæ opinione Scoti de distinctione formali actuali; consequenter dicendũ est, quid resoluendum sit suppositæ opinione, quæ essentiam ab attributis, & attributa inter se distinguit distinctione virtuali: provt scilicet attributa sunt multifariæ perfectiones diuinę essentiæ virtute distinctæ inter se. Res ista in hoc sensu est explicatu difficilior. Suarius in d.c.23.n.4. cum sequentibus non omnino reijcit nullam dari repugnantiam ne essentia sine attributis videatur. Ego tamen sextam statuo conclusionem: essentia visione, quæ simpliciter est visio Dei, potest videri de potentia absoluta nullo viso attributo: cum attributis autem nequit videri, nisi omnia videãtur. 6. Cõclusio. 1. pars conclusionis. Prima pars ex eo probatur; quia supposito, attributa non esse de essentia diuinæ essentiæ (quæ fuit nostra opinio) licet essẽtia, & attributalis perfectio realiter sunt vnum, formaliter tamen virtute distinguuntur. Hoc antem supposito non video, cur id diuinæ potentiæ sit denegandum: omnia enim argumenta in cõtrarium facilè soluentur. Secun 2. Pars dam resolutionis partem ideo probo; quia illam opinionem puto probabiliorem, quæ admittit vnam attributalem perfectionem ex omnibus perfectionibus superminenter vnitam: quę ita formaliter est omnes, vt formaliter sit singulę, de quo multa diximus q.9.art.2. §. 2. ratione cuius superminentis vnitatis beatus visione sua non potest videre vnam perfectionem; quin omnes alias videat: siquidem nullam videt, nisi quia vĩ det illam vnã ex omnibus vnitã. Si oppositũ magis placuerit, nõ repugnabo.

24. Vlt. concl. Vltima conclusio: fieri nullo modo potest, vt aut omnia attributa, aut aliquod illorum videatur non visa essentia. Hæc apud omnes erit indubitata. Et quidem, quod attributa sine essentia non possint videri visione beatifica, res est per se nota: quia obiectum beatificum, vt tale est, per se includit primariam, & radicalem beandi rationẽ, quæ lis est essentia.

Quod

Quod vero nec videri possint simplici quadam visione, inde patet; quoniam realitas attributorum est ipsa met realitas, & substantialitas essentiæ: formalitas autem apud hanc opinionem ex se est quædam perfectio substantialiter qualificans essentiam; quæ ratio videtur includere visionem essētię, quæ qualificatur.

Et hæc diximus pro resolutione huius difficilimæ quæstionis. An vero possit beatus habere notitiam iudicatiuã essentię, & nõ attributorum; facile colliges ex quæstione 14. ar. 5.

23. Resolutio difficultatis suppositæ distinctione virtualis.

§. 4.

Argumenta partis negantis non impugnant quartam assertionem.

6. Cõclusio.

25. Solutur argumẽta partis negatis contra 4. cõclusi.

Ad 1.

ARgumẽnta §. 2. adducta pro parte negante, quatenus nostræ resolutioni videntur repugnare, facile solui possunt. Nam primum solum probat tertiam nostram conclusionem: at contra conclusionem quartam vim nõ habet: quoniam supponit attributa essentialiter includi in essentia; quod & Scotus negat, & nos supponimus in 4. assertione. Cum vero illam opinionem iudicauerimus probabilem q. 7. art. 2. §. 5. probabilis etiam erit opinio, quod possit diuinitus fieri, vt essentia, & sine attributis, & sine aliquibus videri possit.

1. pars conclusionis.

26. Ad 2.

Secundum argumentũ, quod est Bellomontani, admissa suppositione nostrã confirmat primam conclusionẽ: etenim ex omnimoda identitate inter attributa inter se, & essentiam necessario infertur essentiam sine attributis, imo sine omnibus attributis videri nullo modo posse propter contradictionem, quę euidenter infertur. Vide, quæ diximus in 1. conclusione. At vero contra Scotũ, nostramque conclusionem quartam parum vrget: quoniam suppositio, quam Bellomontanus prœmittit, & negatur ab Scoto, & in se est falsa: quoniam secluso quocunque intellectu, imo sublata quacunque habitudine ad intellectum admittenda est à parte rei distinctio virtualis, vt contra Bellomontanum multis locis ostendimus: maxime quæst. 6. art. 6.

2. Pars.

24. Vlt. concl.

27. Ad 1. cõfirmationem.

Ad primam confirmationem negandum est antecedens prioris discursus, si intelligatur de ijs, quæ realiter sunt idem, distincta tamen formaliter, & ex natura rei, siue actu, siue virtute. Ad probationem admittimus essentiam diuinam non aliter apparere in mente beati, quam est in se. Admittimus etiã essentiam, vt est in se, esse idem realiter cum attributis: sed neganda est consequentia: quoniam non sequitur; videtur *sine attributis. Ergo videtur aliquid aliter, atque est in se*: quia non videtur cum aliquo, quod non habeat in se. Vide solutionem adquintum.

28. Ad 2. cõfirmationem.

Ad secundam confirmationem, quæ est Molinæ, respondendum est primo maiorem indigere diligenti explicatione propter æquiuocationem identitatis: nam Michael est idem secum identitate vnitatis transcendentalis: quia quodlibet ens est indistinctũ à se: essentia vero cum attributis est idem identitate simplicitatis, quę expenditur penes negationem compositionis. Hęc solutio indigebat diligentiori examine.

Solutio 2.

Respondetur secundo ad minorem: nã quanuis Michael videri non possit non viso Michaele; potest tamen videri nõ viso aliquo, quod est in Michaele v. g. non viso pede. Etenim idẽtitas illa trãscendentalis, qua Michael est idem secũ, non tollit Michaelem in se ipso esseverè compositum tum essentialiter, tum integraliter. Si obijcias Michaelem realiter distingui à suo pede; respondebit Scotus essẽtiam etiam distingui formaliter à suis attributis, quæ distinctio satis est, vt videri possit illis non visis. Sit tertia solutio negatione consequentiæ: licet enim tanta identitas sit inter essẽtiam, & attributa, quanta est inter Michaelem, & ipsum met Michaelem; tamen identitas essentiæ, & attributorum est longe nobilior: nam propter excellentiam diuinæ entitatis vnitas illa realitatis, quantunuis sit vnitissima, est tamen virtute multiplex, vt ex Dionysio, & Augustino sæpe diximus; vnde nõ excludit omnem distinctionem. At vero vnitas, & identitas Michaelis ad se ipsum propter imperfectionem, quam includit, ex se excludit omnem distinctionem, non solùm realem, & ex natura rei, sed etiam rationis ratiocinatæ, & solum admittit distinctionem

Solutio 3.

rationis ratiocinantis, & ideo dispar ratio cernitur in vna, & altera identitate.

29. Ad 3. arg. Ad tertium argumentum principale, quod etiam est Bellomontani, respondebunt Scotistæ cum eodem Suario in d. c. 23. n. 7. visionem esse intuitiuam terminatamque ad rem, sicuti est in se; non bene inferre, quod visa re videantur omnes modi, quos in se habet: datur enim instantia, quia Dæmon intuitiuè videt humanitatem Christi, non tamen videt modum vnionis, quem habet in Verbo. Et inde est, vt non valeat hæc consequentia, *videt quis humanitatẽ Christi, vt est in se, & humanitas in se est vnita Verbo. Ergo videt vnionem ad Verbum.* Similiter etiam non valet, *visio terminatur ad Deum, vt est in se: Deus in se est trinus. Ergo necessario videtur trinus.* Sic igitur in proposito nõ valebit: *visio terminatur ad essentiam, vt est in se: essentia in se est cum attributis. Ergo necessario videtur cum attributis.* Et ratio est; quia rem videri, vt in se est, potest dupliciter intelligi. Vno modo; vt videatur secundũ omnem modum, quem in se habet. Altero modo, vt id, secundum quod videtur, sit à parte rei, sicut videtur. De ratione autem visionis intuitiuæ non est, quod terminetur ad rem, vt in se est, id est cũ omni modo, quo est in se: bene tamen, quod id ad, quod terminatur, vere sit in re. Et in hoc sensu explicanda est maior argumenti, & concessa minore, neganda est consequentia. Non displicebit solutio Scotistis.

Ad cõfirm. Ad primam confirmationem negandum est id, quod sumitur: quoniam tam beatus intellectus, quam etiam diuinus distinguunt attributa, vt ostendimus q. sexta articul. 9. & 10. nec oppositum vnquam probabit Bellomontanus.

30. Ad 4. arg. prior solut. Ad quartum principale, quod est totum Suarij fundamentum, primò respõdemus accommodatius id fieri per eãdem visionem, qua nunc beatus videt essentiam, & attributa: illa enim visio penes intensionem variata potest repræsentare solam essentiam non repræsentatis attributis; sicut etiam idem numero lumen gloriæ, quod obiectiuè illuminabat essentiam, & attributa, & vigorabat intellectum, vt posset sua visione tẽdere in vtrunque: si remittatur, potest non illuminare obiectum quoad attributa, sed solum quoad essentiam; vnde non vigorabit intellectum, vt tendat in attributa, sed solũ in essẽtiã: nam, vt dicemus lib. octauo; causa per se inæqualitatis obiectiuæ eorum, quæ videntur in Deo, sumenda est ex maiore, vel minori intensione tum luminis, tum visionis. Igitur illa eadem numero visio, quę sub tali intensione antea repræsentabat essentiam, & attributa; dum à Deo remittitur (quod factu est possibile) iam non repræsentat, nisi solam essentiam: non ex eo, quod vnus illius gradus præcise repræsentet solam essẽtiam, & alius sola attributa, vt imaginatur solutio, quam affert, & impugnat Suarius; quanuis aliquando illi placuerit: quoniam in ea sumus sententia, vt omnes & singuli visionis gradus Deum, & attributa, omniaq; quę in Deo à beato videntur, indiuisibiliter repræsentent, vt optimè probat Suarius in d. capite 23. num. 21. sed ex eo, quod, dum remittitur simul cum lumine gloriæ, facta est minus vigorosa in repræsentando diuinam essentiam, quod in secundo tomo libro octauo diligentius elaborabimus. Nec admittendum est Suario illam numero visionem ex sua natura esse formam naturaliter repręsentatiuam attributorum, & eorum quę beatus nunc videt in Deo: nam licet, vt est quædam visio indiuidua naturaliter sit repræsentatiua Dei sub quacunque intensione sumatur; quia diuina essentia est primum, & per se obiectum eius: tamen nõ est naturaliter repręsentatiua horum, vel illorum, nisi, vt est sub hac, vel illa intensione: nec enim admittimus, sententiam eiusdem Suarij existimantis inæqualitatem visionis in patria per se consistere in inæqualitate perfectionis indiuidualis ita, vt quælibet indiuidualis visio ex sua indiuiduali perfectione naturaliter habeat hęc repræsentare; ita vt nec plura, nec pauciora repręsentare possit: hanc enim sententiam non admittemus in octauo libro, quam etiã non admisit Bellomontanus 1. p. disput. 50. c. 5. n. 27. & 30.

Potest etiam secũdo modo solui hoc argumẽtum, si dicamus beatum videre posse essentiam sine attributis non per eandem visionẽ, quam nunc habet, sed per aliam, id, quod placuit Bellomontano

31. Posterior solutio 4. arg.

no 1.p.disp.48.c.2.in fine. Non quidē visione specie distincta; quia supponimus omnes visiones Dei, saltem hominū esse eiusdem speciei: visio igitur illa erit numero distincta, vt etiam placuit Bellomontano. Ad id, quod in contrarium obijcitur, dicendum est ex ijs, quæ idē Suarius docet de inæqualitate beatitudinis satis intelligi posse diuersitatem numericam inter individua non solum satis esse, sed necessariò facere illam diuersitatem actuū; vt vnus repræsentet hæc, alius repræsentet illa. Et hæc pro solutione quarti argumenti.

32. Ad 5. Ad quintum eiusdem Suarij admittimus primum discursum; illa enim cognitio ex sua natura habebit proprietates essentiales cognitionis intuitiuæ. At ex eodem Suario ibi n.7. de ratione cognitionis intuitiuæ non est, vt videatur res secundum omnem modum, quem in se habet: sed, vt ita existat à parte rei, vt videtur; & subinde vt id, quod repręsētat, ita sit à parte rei, vt repræsentatur. Ex quo infertur non esse necessarium visionem illam repręsentare coniunctionem, quam essentia habet ad attributa, quantūuis sit intima, & naturalis, cū nō sit essentialis: sed satis esse, si repræsētet diuinam naturam, quatenus existit substantia spiritualis, & viuens; quoniam à parte rei verè talis est. Quare, si vera est doctrina Suarij in d.n.7. (veram autē esse credimus) non est de ratione illius visionis, quamtūuis sit intuitiua, quod repræsentet intimam illam coniunctionē ad attributa; quæ potest dici quædam perfectibilitas, radicalisq; aptitudo (vt more nostro loquamur) ad illas perfectiones: nam hęc etiam aptitudo, & perfectibilitas est veluti quædam proprietas diuinæ essentiæ; sicut aptitudo substantiæ corporeæ ad quantitatem est quædam proprietas inseparabilis à substantia, vt pleriq; docent. Sed admittamus etiam secundum discursum, diuinā scilicet essentiam in illa visione repræsentari cum tali intima cōnexione. Num quid inde bene infertur attributa necessario etiam repręsentari? non video, vnde valeat hęc consequentia; nam licèt necesse sit videri illam perfectibilitatem id est, videri entitatem illam infinitam, esse perfectibilem omni perfectione simpliciter; non tamen oportet, vt ipsæ perfectiones determinatè videantur.

33. Ad Confirmat. Ad confirmationem ipsemet Suarius solutionem præstitit, dū in d.n.7. docuit non esse de ratione notitiæ intuitiuæ, vt repræsentet rē cū omnibus modis, quos in re habet. Quare maior illa probanda erat, cum de ea tota sit cōtrouersia.

34. Ad 6. arg. Sextum argumentum puerile est: nā qui videret essentiam sine attributis, videret primam, atque substātialem entitatem, quę dicitur natura, & essentia; à qua, vt à 1. essendi radice veluti pullulāt omnes perfectiones eam substantialiter qualificātes, & circa eā veluti circū iacētes, vt loquitur Damascenus lib. 1. de fide cap. 4. Vide Radam supra citatum §. 1.

35. Ad 7. Ad 7. Scotus negaret maiorem: quoniam attributa apud eum non sunt de essentia Dei: cum tamen iuxta veriorē sententiam esse conueniat Deo essentialiter. Et quanuis non conueniret (vt aliqui putant) adhuc consequentia non valeret; quoniam notitia intuitiua ex sua ratione terminatur ad rem existentem, vt existens est: quam tamen habitudinem non habet ad prædicata, quæ sunt extra essentiam rei.

36. Ad 8. Ad octauū respondetur maiorē verā esse de re simplici, quæ omnem multiplicitatem excludit, vt punctus, instans, formæ simpliciter simplices, & siquæ alia sunt simpliciter indiuisibilia: fallā vero de re simplici, quæ cū sua simplicitate aliquā admittit multiplicitatē, vel realē, vel formalē actualē, aut virtualē, talis autem est diuina essentia, vt sæpe diximus. Nec ob id erit minus simplex: quia simplicitas, quæ omnem excludit multiplicitatem, ex sua natura includit imperfectionem; quæ vero cum summa simplicitate aliquam includit multiplicitatem, denotat summam perfectionē, vt diximus q.5.ar.4.§.4.n.86.

37. Ad postremum. Post remum argumentum sine probatione sumit maiorem, quam Scotistę negant. Deinde sumit minorem, de qua pleriq; dubitant. Quare nec hoc argumentum, nec cætera, quæ pro parte negante adducta sunt, omnino conuincunt partem affirmantem.

§. 5.

Soluuntur argumenta partis affirmantis.

38. Ad fūdamētum partis affirmantis. SOluenda sunt etiam argumēta §. 1. adducta, quatenus aliquibus ex assertionibus positis contradicunt; assertionis scilicet tertiæ, & quintę. Et ad fundamentū principale dicēdum est absolute loquendo fieri non posse, vt essentia sine attributis, imo sine omnibus videatur, quia attributa sunt de intrinseca ratione diuinæ essentiæ, in quibus terminis posuimus tertiam cōclusionē; quibus suppositis euidens datur cōtradictio: quia essentia videretur, & nō videretur. Videretur quidem; quia supponitur: non videretur autem; quia sublatis aut omnibus, aut vno attributo iam nō erit eadē essētia: nec enim essētia potest nō variari detracta aliqua essētiali particula. Quare inhoc sensu argumēta contra tertiā nihil concludunt. Sed nec cōtra quintam cōcludunt; quia sublato vno tantùm attributo omnino tollitur ratio formalis obiecti beatifici: vnde visio illa esset, & non esset beatitudo.

39. Ad 1. Ad primū igitur pro defensione tertię assertionis negandum est antecedēs: ea enim, quæ sunt de essentia non possūt formaliter distingui à diffinito: & ideo argumentum solùm habet vim in terminis quartæ assertionis. At pro defensione quintæ, etiam si concedatur antecedens, non valet consequentia: quia licèt attributa formaliter distinguantur ab essentia, vt est essentia: tamen, vt est obiectum beatificum sunt de intrinseca ratione illius: nec enim formaliter est tale, nisi quia est summè perfectum. Vide in quinta assertione.

40. Ad 2. Ad secundum negandum est antecedens in sensu tertiæ, & quintæ assertionis. In sensu tertiæ; quoniam, cum attributa sint prædicata essentialia, sunt cōstitutiua essentiæ in esse essentiæ: cū verò essentia, vt essentia, sit primarium obiectum visionis, vt est visio; ipsa etiam attributa ad obiectum primarium pertinebunt: vnde fundamētum Scotistarū sumit falsum in terminis tertię assertionis: nam pro assertione quintæ essentia vltimate cōstituitur in esse obiecti beatifici per ipsas attributales perfectiones: etenim essentia nostro intelligendi modo illis completè perficitur. Quare siue essentia sumatur in ratione obiecti visibilis, siue in ratione obiecti beatifici, semper attributa per se includuntur in obiecto primario visionis. 41.

Ad 3. Ad tertium pro tertia assertione neganda est minor: quia attributa essētialiter includuntur in essentia, eamq; cōstituunt in esse essentiæ, vt diximus q. 7. ar. 2. vbi mentem Damasceni explcauimus.

Ad 4. Ad 4. neganda est cōsequentia propter disparem rationem viæ, & patrię: nā in via cognoscimus per speculum, & in ænigmate: in patria autem facie ad faciem ex Paulo 1. Corint. 13.

Ad 5. Ad 5. respondetur 1. antecedens dubium esse, vt suo loco dicemus. Respondetur secundo consequentiam non valere; quoniā personæ non sunt de ratione intrinseca essentiæ, vt sunt attributa.

Ad vltimū Ad vltimum negandum est antecedēs, si sermo sit de perfectionibus proprie attributalibus, vt diximus artic. 2. Et hęc de isto ar. & quæst. imo de tota disputatione attributorum.

QVÆSTIO XII.

De visione diuinarum personarum.

POST lōgam disputationē de visione attributorū, cōsequitur disputatio de visione diuinarū personarū, quę in præfatiuncula ad q. tertiam 3. loco fuit proposita. De hac primum inquiremus de ipsis diuinis personis in ordine ad essētiam. Deinde de visione earum.

Quę sint inuestiganda. Quod attinet ad ipsas diuinas personas, duo sunt generaliter inuestiganda. Primum est distinctio earum, tum inter se, tum ab essentia. Secundum est mutua inclusio essentialis essentiæ cum personis, mutuaque illorum prædicatio.

Circa primū illa omnia inquiremus, quę de attributis quęsiuimus. Primo; an detur aliqua distinctio inter essentiam, & personas? Secundo; an distinguantur realiter? Tertio; an sublato intellectu actu distinguantur? Quarto; an actualem distinctionem solū habeant per intellectū? Quinto; an secluso intellectu aliquo modo distinguantur? Sexto; an intellectus beati essētiā à relatione ratione distinguat? Septimo; an hāc distinctionē faciat diuinus intellectus? Postremo; an hæc

distinctio

distinctio fiat sine habitudine ad creaturas?

ARTICVLVS I.

An detur aliqua distinctio inter essentiam, & diuinas personas?

§. 1.

Refertur opinio negans.

1. *Aureolus.* PArtem negantẽ vnus probauit Aureolus in 1. d. 1. p. 1. in principio contra Varronem, & ar. 2. & 3. atq; etiam in 1. d. 2. p. 3. art. 3. in principio, & ar. 4. atque etiam in 1. d. 33. p. 1. ar. 3. In quibus locis affirmat relationes personales cum diuina essentia re, & ratione esse idem omnimoda identitate, & indistinctione. Quam sententiam adeò cõfundit, vt consulto fundamenta non referam: continẽt enim peregrinam theologiam, & philosophiam. Sed ne laborẽ subterfugere videamur, ex ijs, quæ scribit, hæc colligo fundamenta.

2. 1. argum. Primũ est; quia omnis distinctio etiã rationis tollit à diuina persona summã simplicitatem: etenim, si inter essentiã, & proprietates daretur aliqua distinctio etiam rationis, non posset non dari in diuina persona aliqua compositio, saltem per rationem: omnis autem cõpositio etiam rationis repugnat simplicitati diuinæ personæ. Ergo inter essentiam, & proprietates personales, nec distinctio rationis debet admitti. Sequelam probat; quia vbi datur distinctio eorum, quæ in aliquo sunt vnum, necessario datur compositio eiusdem generis: realis scilicèt, si realiter distinguũtur; formalis, & ex natura rei, si hęc inter extrema distinctio reperitur; deniq; rationis; si sola ratione distinguantur. Nec vim argumenti elides (inquit Aureolus) si dicas essentiam, & proprietates esse idem realiter: quoniã licet idẽtitas realis tollat compositionem realẽ inter ea, quę realiter identificantur; nõ tamen tollit cæteras compositiones, si cum illa reali identitate adhuc permanet distinctio ex natura rei, vel rationis: nam talis ordo, & habitudo datur inter ea, quæ distinguũtur aut formaliter, aut ratione; qualis datur inter ea, quę realiter sunt distincta. Quare si quę realiter distinguũtur, vnita faciunt realem compositionem; facient etiam formalem, quæ distinguuntur formaliter; vel rationis, si sola ratione fuerint distincta. Quare sequela argumenti satis est firma.

Falsitatem porrò consequentis multis nititur probare. Primò; quia non est satis consonum fidei admittere in diuina persona aliquã compositionẽ: Deus enim est summè simplex, vt fides docet. Secundò; quia simplicitas est perfectio simpliciter: omnis autem talis in Deo est summa: summa autẽ simplicitas excludit compositionem etiam rationis. Tertiò; quoniam persona diuina, sicut est perfecta secũdùm rem; ita etiam secundùm rationem: iam verò compositio secundùm rationem includit imperfectionem secundùm rationẽ: nec enim datur compositio sine aliqua potentia. Quartò; quia melior cogitatur Deus, & diuina pſona, si cogitetur omnino simplex etiam secundùm rationem. Quintò deniq; quia id satis expressè docuit D. Anselmus in lib. de Incarnatione c. 3. & in Monologio c. 17. Ex quo colliges in Deo non dari compositionem aliquam, etiam, quæ est secundùm rationem. Hoc est primum Aureoli fundamentũ in d. ar. 2. pag. 74. col. 2. in fine.

3. Falsitas cõsequentis multis probatur ab Aureolo. 1. 2. 3. 4. 5.

Secundo loco fol. 76. col. 1. ita arguit: essentia nec cum tribus relatiuis proprietatibus, nec cum singulis earum facit numerum, vt diffinitur in c. damnamus de summa Trinitate. Ergo nec essentia est aliqua res conceptibilis sine proprietate relatiua, nec proprietas sine essentia. Probatur consequẽtia: quoniam quę res non faciunt numerũ apud intellectum, illæ non habent propriam vnitatem, sub qua vna concipiatur abstracta ab alia: nam si eã haberent; vtiq; apud intellectum constituerent numerum. Ergo essentia non distinguitur ratione à proprietate: talis enim distinctio non datur sine pluralitate conceptuum.

4. 2. argumentũ Aureoli.

Tertiò fol. 78. col. 1. litera A. ita argumentatur, si aliquis concipiat essentiam, deinde paternitatem, per secundum conceptum nihil addit ad illud, quod concepit conceptu priori. Ergo essentia, & paternitas sunt vna res, & vna vnitas conceptibilis; ita vt dum cõcipitur paternitas, simul etiam concipiatur

5. 3. Aureoli.

piatur essentia, & è couerso. Probatur consequentia: quandocunque duo conceptus sic se habent, quòd vnus nihil addit ad alterum, per vtrunque idem concipitur, & secundùm eandem vnitatem. Ergo si conceptus posterior paternitatis nihil addit conceptui essentiæ; profectò idem concipitur per vtrunque, ita vt nec essentia separetur à paternitate, nec paternitas ab essentia. Antecedens autem probatur: quoniam conceptus paternitatis non potest addere aliquã rem conceptui essentiæ: aliàs paternitas & essentia iam essent duæ res ponentes in numerum, contra diffinitionẽ Concilij. Nec addit formalitatem solũ; quia sequeretur patrem non esse realiter patrem, sed tantùm formaliter. Nec denique addit solam rationem, id est, aliquid fabricatum per rationem: alias pater sola ratione esset pater, qui fuit error Sabellij.

16. S. Aureoli. Quartò sic arguit pag. 78. litera F. in quarta ratione principali. Quoniã personæ, & proprietates personales per se includuntur in conceptu essentiæ. Ergo essentia non est res præcisibilis, aut cõceptibilis præter proprietates; sed est vna, & eadem res fundans vnum conceptum. Consequẽtia est nota: antecedẽs probatur; quoniam in conceptu essentię includitur quidquid per se facit ad beatitudinem obiectiuam: personæ autem per se faciunt ad eam.

Vlt. Aureoli. Postremò id probat ex Augustino 1. de Trinitate c. 8. vbi docet nullam personarum diuinarum ostendi posse sine alijs. Ex quo infertur essentiam ostendi non posse sine personis. Ergo nec intelligi poterit sine illis. Hæc ex Aureolo desumpsimus.

§. 2.
Affirmatio eligitur.

7. Reijcitur opinio Aureoli. HAnc opinionem Aureoli cæteri omnes theologi tanquam singularem, & omnino improbabilem reijciunt. Nam, & Nominales, qui cum eodem nullam etiã rationis distinctionem in attributis, & inter se, & cum essentia agnoscunt, illum in hoc art. deserunt. Supersedemus à citatione Autorum, quia cæteri omnes nullo excepto admittunt aliquam distinctionem inter essentiam, & relationes, solùmque dissentiunt in qualitate distinctionis.

8. Conc. Flor. Contra Aureolum satis sit adduxisse, quòd in Concilio Florentino inter græcos, & latinos in hoc summa fuit consensio, vt essentia aliquo modo differat à personis, & relationibus: nam postquã Marcus Ephesinorum Episcopus agẽs græcorum partes à latinis quæsiuit; an substantia, & persona esset idem; & Ioãnes ex parte Latinorum respondisset diuinam substantiam re quidem esse idẽ, differre tamen secundum modum intellectionis nostræ, idem Marcus respondet in hæc verba, vt patet tom. 4. sessione 18. pag. 837. col. 2: *quemadmodum diuina substantia, & persona differant inter se, non opus est in præsentia dicere; cum præsertim in hoc minimè forsan differamus: constat enim ipsas differre simpliciter, vt commune differt à proprio, vt Magnus Basilius ad suum fratrem Gregorium scribit.* Ecce apertè fatetur cõstare inter omnes aliquam admittendã esse distinctionem inter essentiã, & personam. Quod etiam in eodem Concilio iterum, atque iterum supponitur. Vnde idem Marcus sessione 19. ad finem, pag. 845. col. 1. ita scribit: *sed quoniam vna quæque persona vna cum substantia intelligitur; idcirco separantes hæc; substantiam ipsam mente concipimus.* Quæ verba directè Aureolo repugnant. In quem etiam sensum Andreas quidam sessione 19. pag. 842. col. 1. dixerat Doctores audito nomine substantię concipere substantiam communem tribus personis: audientes autem substantiã patris concipere patris personam. Quare, dum Aureolus affirmat à tribus personis non abstrahi aliquid vnum præcisum à relatiuis proprietatibus simpliciter cõtradicit theologiæ receptę ab Ecclesia latina, & græca.

9. Argumentum contra Aureolum. Contra eundẽ Aureolum obijci possunt, quæ ipse sibi obijcit in d. art. 3. in quibus dissoluendis multum desudat ar. 4. & 5. sed non satis theologicè, & philosophicè. Sed in expugnanda sententia omnibus paradoxa, & peregrina non oportet diu immorari. Illud satis sit annotasse; si nulla omnino distinctio admittenda est inter essentiam, & relatiuas proprietates; non posse non concedi nomina ista esse omnibus modis synonyma. At quis dicet ea nomina esse verè synonyma, de quorũ significatione inter

inter vtranque Ecclesiam in Concilio generali tandiu cõtrouersum est? Quomodò erunt synonyma, de quibus contradictoria verificantur. Etenim secundùm fidem essentia nec generat, nec generatur; cum tamen persona patris generet, filij autem generetur. Porrò si illa nomina non sunt synonyma, euidenter infertur aliquã in re significata admittendam esse distinctionem, saltem fundamentalem: nam, quæ nomina significãt id, quod omnibus modis est idẽ; illa omnium consensu sunt verè synonima. Sed fundamenta Aureoli dissoluamus.

§. 3.

Soluuntur argumenta Aureoli.

10. Ad 1. arg. AD primum Aureoli negamus distinctionem rationis inter essentiam, & proprietatem relatiuam tollere simplicitatem diuinæ personæ. Ad probationem admittimus dari in diuina persona compositionem secundùm rationem, quam ferè omnes theologi admittunt in materia de Trinitate, vt modò supponimus: nec enim arguit vllam imperfectionem, nec tollit omnimodam simplicitatem; sicut etiam non tollit simplicitatem diuinæ essentiæ, vt cum attributis per rationem veluti cõponitur. Ad argumentum igitur in forma negãda est minor. Ad primam probationem dicimus compositionem, cõstitutionemque diuinæ personæ nec fidei repugnare, nec diuinæ simplicitati diffinitę in Concilio Lateranensi: in eo enim solùm diffinitur summa simplicitas à parte rei, quæ non tollitur per cõpositionem, constitutionemque personę secundùm rationem: nam in Concilio Florentino sæpè admittitur constitutio diuinę personæ ex essentia, & proprietate, vt patet ex sessione 19. eiusdẽ Concilij. Quin potiùs non desunt, qui velint errorem esse negare diuinas personas esse constitutas ex essentia, & proprietatibus. Cum verò constitutio personæ sit quædam compositio, non potest non admitti in diuina persona cõpositio secundùm rationem. Ad secundam probationem respondetur simplicitatem in realitate esse perfectionem simpliciter; & hanc dicimus esse summã in diuinis personis: huic tamen simplicitati non repugnat diuinam naturam, atq; personam esse distinguibilem per intellectum: siquidem illi non repugnat virtualis multiplicitas, vt ex Augustino, & Dionysio sæpe diximus: etenim simplicitas sine ista virtuali multiplicitate potius arguit imperfectionem, vt diximus q. 5. art. 1. n. 21. Tertia probatio ex dictis soluta est: persona enim diuina ita secundùm rem est perfecta, vt semper ab intellectu debeat concipi, vt perfecta: quod non obstat, quominus intellectus eam ratione distinguat, & componat; quoniam compositio secundùm rationem nec in re vllam dicit imperfectionem, nec eam necessariò supponit; cum ortum habeat ex sola intellectus nostri imperfectione. Quarta probatio sumit id, quod sæpe negatum est. Vltima tandem falsò imponit Anselmo, de quo iam diximus q. 5. art. 7. §. 7. n. 60.

Ad primã probationẽ consequentiæ.

Ad secundã

Ad tertiam.

Ad 4. & vltimam.

11. Ad 2. argumentũ principale. Ad 2. respondetur diffinitionem Cõcilij intelligendam esse de numero reali à parte rei: nec enim essentia cum tribus relationibus facit quaternitatẽ rerum, quam hęreticus admittebat, contra quem Concilium definit. Hoc autẽ non impedit, quominus intellectus ratione distinguat essentiam à relationibus, & á singulis earũ, vt admittit Marcus Ephesinus in Concilio Florentino in loco suprà citato. Quare nullus relinquitur locus consequentiæ. *Conc. Flor.*

12. Ad 3. Ad tertium argumentum iam respõdimus suprà q. 5. ar. 7. n. 53. ad 6: etenim conceptus posterior addit priori aliquid reale; quia addit veram rem; non tamen realiter distinctam, sed sola ratione. Ex quo non bene infertur aut addere aliquid fabricatum per rationem, aut patrem sola ratione esse patrem: quia licet id, quod additur, ratione distinguatur à priori; non tamen est ens rationis; sed ens reale ratione tamen distinctũ. Vide, quę loco citato dixim⁹.

13. Ad 4. Ad quartum respondetur antecedẽs non ab omnibus admitti, imò probabilius negari, vt suo loco videbimus. Sed admisso antecedẽte consequentia puerilis est: nam animal includitur in conceptu hominis; & tamen est aliquid prędicabile ab homine. Quare licet essentia includeret relationes, cũ illa sit quoddam commune non conuertibile cũ illis, bene potest concipi sine illis.

Postre-

14. Ad postremum.

Postremum argumentum facile est: nam, vt demus nullam personam ostendi posse sine alijs, nec essentiam videri posse sine personis (quod tamen est cõtrouersum) inde non infertur aut essentiam non posse ratione distingui à personis, aut sine illis intelligi non posse: nam viator & essentiam sine personis concipit, & vnam personam sine alijs. Quin potius plerique; id concedunt beatis; non quidem per actum visionis beatificę, sed per alium, de quo suo loco.

Sit igitur constitutum inter essentiã, & relationes personales aliquam admittendam esse distinctionem. Quæ autem admittenda sit? ex sequentibus patebit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm essentia realiter distinguatur à personis, & relationibus.

§. 1.

Refertur error Gilberti affirmantis.

1.

VARIA esse genera distinctionis ostendimus q. 5. ar. 2. §. 1. & inter eas distinctionem realem primũ locũ tenere. Primò igitur inquirimus, an essentia diuina à personis, & proprietatibus realiter distinguatur, vt res à re? Dixim⁹ *à personis, & proprietatibus*: quoniam idem nunc est quęrere, an essentia differat à personis, & inquirere, an differat à proprietatibus: nam cùm persona constet ex essentia, & proprietate, si persona differt ab essentia, vtique ab ea non differt, nisi proprietate.

2. Error Gilberti.

Partem affirmantẽ probasse Gilbertum Porretanum patet ex Codice Cõcilij Remensis, cuius verba refert Bellomontanus 1. p. disp. 120. c. 2. in quibus duæ continentur propositiones, ex quibus constat Gilbertum essentiam à proprietatibus realiter distinxisse, vt rem à re. Prior propositio asserebat *diuinam naturam, siue diuinitatem non esse Deum, sed formam, qua Deus est; queadmodum humanitas homo non est, sed forma, qua homo est.* Posterior affirmabat *tres personales proprietates esse tres res æternas differentes numero à diuina substantia*. Ex hac posteriori propositione euidenter infertur diuinam substantiam realiter differre à proprietatibus: etenim cum illis ponit in numero rerum. Idem infertur ex priori, quatenus fatetur diuinitatem non esse Deũ, sed formam, qua Deus est Deus: eo modo, quo humanitas non est homo, sed forma, qua homo est homo: humanitas autem realiter distinguitur ab homine. Quare diuinitas apud Gilbertum realiter distinguitur à Deo. Nomine Dei Gilbertum intelligere personam apertè colliges ex Othone relato à Bellomontano, vbi suprà c. 1. n. 4.

3. Cum Gilberto quidã clericus.

Eundem errorem in sensu Gilberti probauit quidam clericus, de quo D. Anselmus in lib. de Incarnatione Verbi cap. 1. si credendum est Bellomontano in dicto cap. 1. numer. 6. & 7. At, ex verbis Anselmi euidẽter colligitur clericum illum non vnam naturam, & essentiam in Trinitate posuisse, sed tres in tribus personis. Quem errorem postea secutus fuit Abbas Ioachimus, de quo in cap. damnamus de summa Trinitate: qui cum illo clerico non ponebat in Trinitate esse vnam rem, vnamq; essentiam communem tribus personis, nisi in illis realiter distingueretur, & poneretur quaternitas in Trinitate: & inde inferebat in Trinitate non dari vnam essentiam communem tribus personis, quæ cum illis esset idem realiter. Ab istis discedebat Gilbertus; qui admittebat in diuinis vnam essentiam in tribus personis; realiter tamen distinctam ab illis: volebat enim relationes personales esse assistentes essentiæ, & extrinsecus illi affixas, vt de Gilberto referunt D. Thomas 1. p. q. 28. ar. 2. Alẽsis 1. p. q. 68. memb. 5. art. 6. §. 3. D. Bonauentura in 1. d. 33. q. 2. & communiter scholastici. Nec video, cur Bellomontanus 1. p. disp. 114. c. 1. & disp. 120. c. 1. n. 1. non admittat hunc sensum in Gilberto: etenim in eodem illam sententiam protulisse colliges ex Canone 3. Concilij Remensis relato ab eodem Bellomõtano. Sed quocunque modo Gilbertus suum errorem intellexerit, semper docuit essentiam diuinam in tribus personis esse vnam, ab illis tamen, & à singulis illarum esse realiter distinctam. Nec audiendus est Bellomontanus in dicta disputatione 120. cap. 1. numer. 6. dum asserit Gilbertum non posuisse apertã distinctionem realem rei à re, contra quem

Error Abbatis Ioachimi.

Sensus erroris Gilberti.

D. Thom. Alensis. D. Bonau.

quem iam egimus q. 5. art. 4. §. 10. n. 153. & 154.

4. Hunc errorem Gilbertus ex eo confirmabat; quia si illa vna natura esset idē realiter cum personis, & proprietatibus illarum, necessariò concedendum esset diuinam naturam esse incarnatam omnesq; tres personas: essentiam diuinam simul esse generantem, & genitam. Vtrunque autem est contra fidem. In quo fundamento cum Gilberto conueniebant Ioachimus cum præcitato clerico.

§. 2.

Sententiam Gilberti esse hæreticam.

5. HAnc Gilberti sententiam hæreticam esse notissimum est: ad eam expugnādam, tanquam erroneā cōuenerūt Remis omnes Episcopi prouinciæ simul cū D. Bernardo editis cōtra eū canonibus, vt refert Otto in lib. de gestis Federici Imperatoris cap. 57. Quorum primus est; *credimus, & confitemur simplicē naturam diuinitatis esse Deū: nec aliquo sensu catholico posse negari, quin diuinitas sit Deus, & Deus sit diuinitas.* Et post alia, *credimus non nisi ea diuinitate esse Deum, quæ est ipse.* In secundo canone confitentur, Episcopi, *& tres personas esse vnum Deum vnam diuinam substantiam: & è conuerso vnū Deum, vnamque diuinam substantiam esse tres personas.* In tertio canone diffinitur, *nulla res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates dicātur, adesse Deo: quæ sint ab æterno, & non sint Deus:* relationes autem, & proprietates non essent Deus, nisi realiter essent idem cum diuina essentia.

Con. Rem. D. Bernar. Otto.

§. 6. Deinde Eugenius Remis agēs coacto Cardinalium Concilio præcitatum errorem damnauit his verbis teste Ottone; *ne aliqua ratio inter naturam, & personam diuideret: ne vè Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatiui tantum; sed etiam nominatiui: hoc est, ne solùm dicatur pater deitate est Deus, sed est ipsa Deitas.* Quę diffinitio falsa esset, si pater à Deitate realiter distingueretur: quæ enim distinguuntur realiter de se non prædicantur in abstracto. In eodem Concilio D. Bernardus cum Gilberto publicè disputauit, qui conuictus coram concilio errorem publicè reuocauit. Vide D. Bernardum sermone 80. in cantica, & lib. 5. de consideratione cap. 7.

Eugenius.

D. Bernar.

Realem identitatem inter essentiam, personas, & proprietates diffiniuit Cōcilium Lateranense sub Innocentio III. nam in cap. *firmiter* de summa Trinitate habentur hæc verba: *Firmiter credimus & simpliciter confitemur, quòd vnus solus est verus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres quidem personæ, sed vna essentia, substantia seu natura, simplex omnino.* Et clarius in cap. Damnamus contra Ioachimum ita habetur: *Nos sacro approbante Concilio credimus, & confitemur cū Petro, quòd vna quædam summa res est incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres simul personæ, ac singillatim quælibet earundem: & ideo in Deo solummodò Trinitas est, non quaternitas, quia quælibet trium personarum est illa res; videlicet substantia, essentia, seu natura diuina.* Et inferius: *& sic eadem res est Pater, & Filius, nec non Spiritus Sanctus.* 7. *Conc. Lat.*

In Concilio Florentino sessione 18. Ioannes ita ait: *Diuina substantia, & persona re quidem idem sunt.* fol. 837. col. 1. in fine. Consentit Marcus agens partes Græcorum fol. 838. col. 1. & sess. 19. fol. 842. col. 1. Andreas Episcopus Colossensis explicans Ioannis, & Marci disputationem ita scribit: *Plurimum refert simpliciter proferre diuinam substantiam, vel patris, filiiq; substantiam; haud quaquam tamen ex eo putare debetis, vt re differant.* Rursus sess. 24. pag. 870. col. 2. post principium Ioannes explicans Latinorū sententiā ita inquit: *Pater cum summa substantia ne dum indiuisibilis sit à substantia, & hypostasi indistinctè percipitur: propterea, quia non re, sed sola ratione paterna hypostasis à substantia sua seiungitur.* Sessione etiam vltima Latini sæpe profitentur indiuisibilitatem substantię ab hypostasibus, vt patet pag. 874. col. 1. Tandem Latini in quadam Fidei cōfessione, quam ad Græcos miserunt pag. 875. col. 1. his verbis scribunt: *Porrò autē ne identitatem, coniunctionemque diuinæ substantiæ distribuere ac ipsam eandem substantiā re, non autem: sola ratione ab hypostasibus, & personis differre credere videamur, & cæt.* Quæ disputantium assertiones plurimum debent habere auctoritatis, quia explicāt id, quod vtraque Ecclesia confitetur. 8. *Conc. Flor.*

Et vt in re notissima in fide finem dicendi faciamus: omissis Patrum testimonijs satis modo sit duplex testimonium D. Bernardi. Nam lib. 5. de consi- 9. *D. Bernar.*

deratio-

deratione probans in Deo solũ esse numerum personarũ, non naturæ, ita scribit. *Aut si diuidere quis conetur, vel personas à substantia; vel proprietates à personis; nescio, quo modo Trinitatis se profiteri cultorem possit, qui in tantam rerum numerositatem excesserit.* Et iterum, *quaternitas orbem disterminat; non signat deitatem: Deus Trinitas est: Deus trium singula personarum: si quartam diuinitatem adijcere placet; interim ego hanc, quæ Deus non est, persuasi mihi minimè adorandam.*

10. Hæc satis sit adduxisse contra hũc errorem: nec fundamentum illius vim habet; quia satis est distinctio virtualis inter essentiam, & proprietates, vt dicamus, nec diuinam naturam esse primò, & immediatè incarnatam, nec Patrem, aut Spiritum Sanctum. Illa etiam distinctio satis est, vt negemus essentiam, aut generare, aut generari.

ARTICVLVS III.

An sublato omni intellectu essentia actu distinguatur à relatione?

§. I.

Referuntur Auctores partis affirmantis.

1. CVm iam constitutum sit fidem Catholicam non admittere inter essentiam, & relationes distinctionem realem rei ad rem; inquirendum est, an sublato intellectu detur inter illa actualis aliqua distinctio?

Hæc sentẽtia est Scoti. Pars affirmãs communiter tribuitur Scoto; & quidquid nonnulli repugnent, eam scripsit, 1. d. 2. q. 7. §. *Sed hic restat*, lit. FF. vbi non semel, sed iterum, & iterum satis declarat suam opinionem in sensu explicato: eundem sensum colliges ex eodem in 1. d. 5. q. 2. litera M. §. *qualiter autem stat.* In eodem sensu Scotum sequitur Rada controuers. quarta, conclusio. 3. pag. 55. & verè ita docuerunt antiquiores Scotistæ: Maironius in primo dist. 2. quæst. 13. & distinct. 33. quæst. secunda, Bassolius ibi q. 1. ar. 3. fol. 180. col. tertia, Lichetus apud Scotum in 1. d. 2. q. 4. fol. 57. colun 4. Bargius ibi pag 98. col. 4. & pag. 99. columna 1. litera E. vbi refert Vigerium, Ouandus in primo, distinct. octaua prop. 4. cum Scoto consentiunt Nominales: Ochamus in primo, dist. 2. quæstione prima litera G. & latius, q. 11. litera F. Gabriel ibi quæstione prima, articulo primo, not. 3. & quæst. 11. ar. 2. concl. secunda, Adamus in primo dist. 33. quæst. 1. artic. 1. conclusione nona, Marsilius in primo, quæst. 6. art. secundo conclus. 4: qui omnes loquuntur de distinctione formali ex natura rei secluſa omni operatione intellectus. Et quod attinet ad actualem distinctionẽ, id ipsum probauit Durandus in primo d. 33. quæst. prima, articul. 3. num. 23. & d. 34. quęst. 2. & in 3. dist. prima quæst. 2. num. 14. ad finem. Pro eàdem referuntur D. Bonauentura, Bachonius, Ferrarienſis, & Palatius relati à Ioanne de Salas, apud quos oppositam potius sententiam inuenies.

Rada. Mairon. Bassolius. Lichetus. Bargius. Vigerius. Ocham. Gabriel. Adamus. Marsilius. Durandus.

2. Herrera. Sed antequam ad vlteriora procedamus, aduertendum est ex Scotistis vnũ Herreram existimasse Scotum inter essentiam, & relationem non admittere distinctionem formalem actualem positiuam; sed solam non identitatem formalem, quæ ab alijs appellatur distinctio formalis negatiua: putatque hanc coincidere in re cum distinctione formali virtuali: Vnde affirmat Scotum nõ dissentire à D. Thoma. Idem iudicium de Scotistis fatit Ioãnes de Salas in prima secundæ q. 3. tract. secundo disp. 4. sect. 3. numer. 34. pag. 255. col. secunda, & ante eum Suarius in Metaph. disput. 7. sectione prima, nu. 13. & lib. 4. de Trinit. cap. 4. num. 2. Salas.

3. Sed quam id alienum sit à mente Scoti, euidenter ostendimus supra quæst. quinta, articulo secundo, §. primo, num. 7. & articul. 3. §. primo, numero nono. In duobus autem defecit Herrera, & qui cum eo sentiunt: primo; quia putãt opinionem Scoti coincidere cum illa, quæ essentiam distinguit à relatione distinctione virtuali: in quo quàm longe sint à mente Scoti ad oculum ostendimus in dicto articulo secundo, §. primo, nu. 11. & 12. vbi videbis Scotum, dum egit de distinctione virtuali, egisse non de distinctione formali virtuali, sed formali reali, ita enim habet: *Vel alio modo potest vocari differentia virtualis; quia illud, quod habet talem distinctionem, in se non habet rẽ, & rem, sed est vna res habens virtu aliter siue eminenter quasi duas realitates: quia vtrique realitati, vt est in illa re, conuenit illud propriũ, quod ineſt tali realitati, ac si ipsa esset res distincta:* ita

Herrera defecit. Scotus.

ita enim hæc realitas distinguitur, & illa non distinguitur; sicut si ista esset vna res, & illa alia. Et ad hunc sensum Lichetus intellexit Scotum ibi fol. 58. columna tertia §. *Sed nunquid hæc distinctio*, itaque Scotus agit de distinctione virtuali, quæ contraponitur distinctioni actuali inter rem, & rem vt patet ex dicta quæstione septima litera GG. §. *Sed nunquid hæc distinctio:* ita enim habet: *respondeo non est proprie realis actualis intelligendo sicut communiter dicitur realis actualis illa, quæ est differentia rerum, & in actu.*

Hanc igitur distinctionem realem
4 actualem negat, non verò actualem formalem, quin potius non admitteret distinctionem realem virtualem, nisi supponeret distinctionem formalem actualem, vt aduertimus in dicto numero vndecimo: nisi enim res, quæ realiter est vna, actu sit plures formaliter, non potest eminenter, & virtualiter continere, quæ realiter sunt distincta, vt res à re.

5 Ex alio etiam capite ostenditur distinctionem formalem, quam probat Scotus, non esse virtualem, sed actualē: quoniā Scotus in eodē loco litera HH, §. *Breuiter igitur dico*, expressis verbis dicit se nolle vti distinctione illa virtuali, cuius meminerat: non quòd illa in se sit falsa; sed quod ad explicandam suam sententiam non erat necessaria. Quomodo igitur distinctio formalis, quam eligit, erit distinctio virtualis? Quòd si illa formalis distinctio, quam probat, non est formalis virtualis; vtique erit actualis.

6 Reiicitur Bargius. Non est igitur audiendus Herrera, imò nec audiendus est Bargius apud Scotum in dicta distinctione secūda fol. 100. col. quarta litera M. dum vult eam distinctionē, quam Scotus appellat formalem ex natura rei, Thomistas appellare virtualem. Nec contra hoc adduci potest Maironius in primo distictione 33. quæstione secunda circa finem, dum concedit distinctionem non actualem, sed fundamentalem: agit enim de distinctione, vt est terminus secundæ intentionis apponēs aliquid rebus distinctis, quendam, scilicet, respectum rationis: hunc respectum non vult semper actu superaddi; semper tamē superaddi fundamentaliter; vt contingit in distinctione non identitatis formaliter: hæc enim distinctio, cum ex ipsa loquendi forma sit negatiua, non semper ponit in rebus distinctis positiuum illum respectum, quem denotat distinctio, vt est terminus secundæ intentionis; quanuis illum ponat fundamentaliter; quatenus intellectus potest concipere, vt formaliter distincta, quæ concipit, vt non formaliter eadem. Quod Bargius non aduertit vbi supra fol. 101. columna tertia, litera H.

In eo etiam deficit Herrera, quod putat apud Scotum non identitatem formalem, quam ponit inter essentiam, & relationem, non coincidere cum distinctione formali positiua: oppositū enim ostendimus supra quæstione quinta, articul. 3. §. primo, numero nono; namquāuis non identitas formalis absolutè loquēdo non necessariò inferat distinctionem formalem, vt ibi ostendimus num. 10. tamen coincidit cū distinctione formali, quando in extremis, quæ formaliter non sunt idem, reperitur vera, & positiua formalitas, vt ibi ostendimus nu. 10. Iam verò tam in essentia, quàm in relatione reperitur vera, & positiua entitas, atque formalitas, vt idem Scotus docet in d. quæstio. septima litera HH. §. *Breuiter igitur dico;* ita enim habet: *Dico quod in essentia diuina ante actū intellectus est entitas A. & est entitas B. & hæc non est formaliter illa.* 7 2. Defectus Herrera. Scotus.

Sed occurres cum Herrera in dicta disputatione 14. quæstione prima in vltima sententia notabili. tertio ad finē, & notabili. quarto pag. 465. columna prima, ad distinctionem formalem non satis esse, quòd extrema habeant rationes formales positiuas, sed requiri, quòd habeant aliam, & aliam quidditatem: in essentia autem, & relatione, licet detur alia, & alia ratio formalis; non tamen datur alia, & alia quidditas. Sed profectò hoc est gratis dictum, & sine vllo fundamento apud Scotum; quin potius illi repugnat, si subtilius expendamus, quæ scribit in primo distinctione octaua quæst. 4. litera Q. docet enim *inter sapientiam, & bonitatem esse non identitatem formalem, in quantum earum essent distinctæ diffinitiones, si essent definibiles,* 8 Solutio pro Herrera. Non recipitur. Scotus.

in quibus verbis diligenter expendenda est caussa, cur inter sapientiam, & bonitatem admittenda sit non identitas formalis: caussa, inquit est; quia si essent diffinibiles, haberent definitiones diuersas. Ergo ex mente Scoti si haberēt diffinitiones diuersas, à fortiori essent non idem formaliter.

9 Scotus. Accedit; quoniam apud Scotum, vt hæc consequentia sit bona, *non est idem formaliter. Ergò distinguitur formaliter*, satis est, quòd in vtroque extremo detur positiua formalitas, hoc est, ratio formalis positiua; nec requiritur, quòd in vtroq; detur formalitas verè & propriè quidditatiua. Quod est de mente omniū interpetrum Scoti vbi supra, Licheti fol. 58. col. 4. §. *ibi nuncquid igitur?* Bargij fol. 105. col. 3. litera I. Bassolij in 1. d. 33. q. 1. art. 4. fol. 182. col. 3. in principio: & satis constat ex auctore formalitatum Scotistarum, quem refert Bargius; vt omittamus, quòd apud Scotum in 1. d. 8. q. 4. ad 1. principale litera Z. rationes formales in diuinis sunt quidditatiuæ, si nō propriè, saltem largè. Quare constitutum sit apud Scotistas in hac materia non identitatem formalem coincidere cum formali distinctione: nam promiscuè illis vtuntur: quod etiam in Scoto idem obseruauit Ouandus: nam licet in 1. d. 2. q. 7. dixerit potius dicendum esse essentiam non esse idem formaliter cum relatione, quàm essentiam distingui à relatione; id dixit, vel quia nondum ostēderat relationem habere propriam formalitatem, vt Bargius putat; vel quia loquutio non videtur ita dura, vt putat Ouandus. Vnde postea in eādem materia nunc vtitur vna loquendi forma, nūc altera.

Licetus. Bargius. *Ouandus.*

Quare indubitatum sit apud Scotum, & Scotistas (vno excepto Herrera) essētiam distingui à relatione distinctione formali actuali secluſa quacūque intellectus operatione: & subinde Scotistas consentire cum Durando, & Nominalibus.

§. 2.

Referuntur varij modi, quibus explicatur hæc actualis distinctio.

10 OMnes autores; quos citauimus, in hoc cōueniūt, quod secluso intellectu inter essentiam, & relationē ex natura rei detur aliqua actualis distinctio: non conueniunt tamen in explicanda hac distinctione actuali. Et omissis pluribus dicēdi modis, qui nullā habent probabilitatem, de quibus apud Bassolium; tres sunt potiores, quos refert Durādus. Primus in hoc solùm hæc distinguit, quod nō sunt idem adęquatè & conuertibiliter: etenim licet essentia sit paternitas; est tamē aliquid, quod nō est paternitas, quia est filiatio, quæ realiter distinguitur à paternitate: vnde fit vt licet paternitas realiter sit essentia; non tamen est omne id, quod est essentia. Secundus dicendi modus distinguit essentiam à relatione, vt rē à modo, quo habetur: ita vt essentia sit res; relatio autem sit quidam modus habendi essentiam: paternitas enim est quidam modus habendi essentiam, vt à quo est alius per generationē: filiatio autem est modus habendi eandem essentiam, vt qui ab alio per generationem. Deniquе Spiritus Sāctus dicit modum habendi essētiam, vt quia est à duobus. Et hanc fuisse sententiam Durandi affirmant Bellomontanus 1. p. disp. 120. n. 14. & 15. & Suarius lib. 4. de Trinitate c. 4. n. 2. Tertius tandem modus dicendi distinguit ista distinctione formali actuali: quia scilicet eadem res per vnam formalitatem dicitur essentia, per aliam verò dicitur relatio. Et hæc sine dubio est sententia Scotistarum, & Nominalium.

Primus modus dicendi. 2. Modus. 3. Modus.

11 Ex his dicendi modis solus tertius est probandus: quod facilè intelliges, si aduertas diuinam personam verè esse constitutam ex essentia, & relatione tāquam ex forma quadam positiua, qua & constituitur in esse personæ, & ab aliis distinguitur, quod modo supponimus ex Tertulliano in lib. aduersus Praxeam cap. 2. vbi docet relationes, & proprietates esse formas personarum.

Probatur modus tertius.

12 Inde colliges neutrū ex duobus prioribus dicendi modis esse admittendum. Non primum; quoniam adæquata, vel inadæquata conuertibilitas formaliter sumpta non est aliqua forma, sed supponit formas in vtroque extremo inter se conuertibiles adæquatè vel inadæquatè. Nec secundum: quoniam modus essendi non est aliqua forma positiua; cum non sit entitas, sed modus entitatis

1. Modus reijcitur.

Damascen. tis. Nec illi fauet Damascenus lib. 1. de fide cap. 9. 11. & 13: nam modus ibi idem est quòd ratio: proprietates autem dicunt rationem inexistendi non absolutam, sed relatiuam. Quibus addo secundum dicendi modum fortè non ita esse intelligendum, vt relatio solùm sit modus: quanuis dicat, relationem distingui ab essentia, vt is cui conuenit hoc vel illo modo habere essentiam. Sed quidquid sit de mente eorum, qui illum dicendi modum probauerunt; tamen mihi videtur opinionem illam non esse Durandi, quidquid Suarius, & Bellomõtanus: Nam Durandus loco citato numer. 28. & 29. relationes iterum atque iterum appellat formalitates formaliter distinctas ab essentia: modus autem rei non est formalitas: existimo igitur relationes diuinas apud Durandum nõ esse modos essendi, sed formas positiuas, quibus essentia diuina alio, & alio modo habetur à personis. Quare solus tertius dicendi modus est approbandus, in hac affirmatiua opinione: ita vt distinctio actualis, quæ inter essentiam, & relationem admittitur, sit distinctio formalis, & positiua. Quæ est sententia Scoti, Scotistarum, Nominalium, & (ni fallor) Durandi.

Durandus.

§. 3.

Ponuntur argumenta partis affirmantis.

13. HÆc affirmatiua sententia à suis auctoribus confirmatur, & auctoritatibus Augustini, & rationibus. Auctoritatibus quidẽ Augustini; quia ex lib. 7. de Trinitate, videtur manifestè colligi Augustinum actualem distinctionem ponere inter essentiam, & relationem; idque in re & secluso omni intellectu. Nam c. 1. in eo probat Patrẽ non esse sapientẽ sapientia genita, quia sequeretur essẽtiam esse quid relatiuũ, quod implicat: *si enim essentia* (vt ait) *relatiuè dicitur; iam essentia non est essentia.* Ergo ex Augustino sapientia genita, quæ est filius in re actu distinguitur à sapientia non genita, quæ est essentia: Etenim Pater formaliter est sapiens hac, & non illa. In eodẽ etiam c. 1. expressè affirmat Augustinus *id, quod relatiuè dicitur esse aliquid excepto relatiuo: Pater enim non diceretur ad aliud, si non esset aliquid ad se.* Ergo ex Augustino in Patre præter paternitatẽ est aliquid absolutum, quod relatiuè dicatur. At quod est excepto alio actu non est illud. In c. etiam 2. docet Augustinus in hoc toto *sapientia genita* includi alterũ & alterum; sapiẽtiam sc. quæ dicitur ad se, & est essentia: & rem genitam, quę dicitur relatiuè. At vbi actu datur alterũ & alterum, ibi actu datur distinctio. In 3. etiam capite expressè docet verbum diuinum, secundùm quod est sapientia, & essentia, id ipsum esse, quod est Pater: at secundùm quod est Verbum, non esse hoc, quod est Pater. Vnde c. 6. affirmat substantiam Patris esse quidem Patrẽ, *non quo Pater est, sed quo est.* Deniq́ue in eodem c. 6. explicans illa verba: *Ego & Pater vnum sumus*, ita ait: *vnum secundùm essẽtiam; quod est Deus: sumus; secundùm relatiuũ, quo ille, Pater; hic, filius est.* Quæ omnia satis manifestè probare videtur apud Augustinum inter essentiam, & relationẽ secluso omni intellectu dari actualem distinctionem.

Augustin.

Sed rationibus id ipsum probãt. Prima ratio est vnicum Nominalium fundamentum: quia fieri non potest, vt id, quod realiter idem est cum duobus realiter distinctis, ab illis non distinguatur formaliter ex natura rei: quia non potest esse idem cum illis adæquatè, & cõuertibiliter; sed solùm inadęquatè, & nõ conuertibiliter; quæ inadæquatio non potest non inferre aliquam formalem distinctionem. Iam verò in Deo essentia ita se habet ad relationes inter se realiter distinctas: est enim idem realiter cũ illis, & cũ singulis illarũ; identitate tamen non adęquata, nec conuertibili.

14. Prima ratio.

Secundò ex Scoto: Pater intelligens se in primo signo originis aut intelligit essentiam & paternitatem, vt duo obiecta formaliter distincta: aut vt idem obiectum sub alio, & alio modo concipiẽdi. Nõ hoc secũdo modo: quia tũc nõ esset maior distinctio inter Deũ, & relationẽ, quàm concipiẽdo Deũ, & deitatẽ: quod nõ est dicendũ; aliàs pater nõ magis cõciperet paternitatẽ cõmunicabilẽ, quàm deitatẽ incõmunicabilem, nec Pater magis diceretur beatus intuẽdo essentiã, quàm proprietatẽ. Dicendũ est igitur, patrem in illo primo signo intelligere essentiã, & paternitatem, vt duo obiecta formaliter distincta: Ergo illa à parte rei actu sunt talia: nam cognitio

15. Secunda.

intuitiua terminatur ad rem, vt ipsa in se est.

16. Tertia. Tertiò; contradictoria non possunt verificari de duobus, quæ in re aliquo modo actu non distinguuntur. At de essentia, & paternitate duo contradictoria verificantur omni sublato intellectu. Ergo essentia, & paternitas secluso intellectu actu distinguuntur. Consequentia est nota: maior patet; quia fieri non potest, vt contradictoria simul sint vera de eodem. Minor probatur; quia Pater generat; essentia non generat: Pater est ad aliud; essentia non est ad aliud: essentia est communicabilis; paternitas non est communicabilis.

17. Quarta. Quartò; Pater secluso intellectu habet essentiam, quæ est entitas communicabilis: habet etiam paternitatem, quæ est entitas incommunicabilis. Ergo essentia secluso intellectu est formaliter distincta, & alterius rationis à paternitate. Antecedens est notissimum. Consequentia probatur; quia non est intelligibile, quòd vna, & eadem entitas in re simul sit communicabilis, & incõmunicabilis.

18. Quinta. Quintò; ante omnem intellectum paternitas constituit Patrem in esse personæ realiter distinctæ à filio: vel igitur constituit Patrem, vt est idem formaliter cum essentia, vel vt ab ea formaliter distinguitur. Si dicatur hoc secundo modo, habemus intentum. Priori autem modo non potest Patrem constituere: sequeretur enim essentiam sub ratione essentiæ constituere Patrem realiter incommunicabilem, & distinguere inter se ipsas personas: quod dici non potest; quia personæ sunt vnum essentia, vt explicat Augustinus.

19. Sexta. Sextò; secluso intellectu essentia est in Patre, in quo non est filiatio: similiter est in filio, in quo non est paternitas. Ergo secluso intellectu essentia actu distinguitur á relatione: nam si actu esset omnino idem cum paternitate, nõ esset in Filio sine paternitate.

20. Septima. Septimò; Pater, & Filius secluso intellectu conueniunt in essentia, & differunt proprietatibus. Ergo paternitas, & filiatio secluso intellectu nõ sunt actu idem formaliter: quia impossibile est, vt idem sit ratio realis conuenientiæ, & realis differentiæ.

21. Octaua. Octauò; Pater generando Filiũ præbet ei essentiam, non tamen paternitatem: Pater enim omnia, quę Patris sunt, vnigenito suo gignendo dedit præter esse Patrem, ex Concilio Florentino in literis sanctæ vnionis. Ergo paternitas, & essentia non sunt idem formaliter.

Nona. Nonò; tota ratio paternitatis consistit in esse ad alterum: ratio verò essentiæ posita est in esse ad se. Sed ratio absoluta formaliter distinguitur à ratione relatiua. Ergo essentia, vt essentia, formaliter distinguitur à relatione.

Decima. Decimò; relatio in re est extra conceptum essentialem essentiæ. Ergo non potest non distingui formaliter ab essentia.

Vltima ratio. Postremò; essentia magis distinguitur à relatione, quàm à se ipsa. Sed à se ipsa distinguitur sola ratione. Ergo à relatione distinguitur secluſa omni ratione.

§. 4.

Eligitur pars negatiua, vt probabilior: ita vt affirmatiua sine periculo fidei defendatur.

22. Auctores partis negãtis. OPinionem tamen, quæ negat secluso intellectu actu dari distinctionem formalem inter essentiã & relationem, præter Scotistas, Nominales, & quos citauimus, probauere cęteri ferè omnes Theologi tã antiquiores, quàm nouiores. Quòd secluso intellectu nulla detur distinctio, implicitè affirmãt, qui volunt essentiam à relatione solùm distingui distinctione secũdùm rationem, intellectumque, quos inferiùs citabimus.

23 Dixi *implicitè*; quoniam nec D. Thomas, nec alij, qui Scotum præcesserunt, explicitè negarunt hanc distinctionem actualem. At verò, qui post Scotũ scripserunt, explicitè eam negant. Ita Aureolus in primo dist. 2. parte 3. artic. 3. pag. 156. Capreolus in 1. dist. 33. quæst. 1. artic. 3. ad argumenta Scoti contra tertiam, fol. 231. col. 4. Aiala ibi quæst. 1. ar. 4. ad argumenta Scoti contra secundam, pag. 238. col. 4. Soncinas ibi q. 1. concl. 3. ex nostris Gerardus de senis ibi quæst. 2. art. 3. Toletanus q. 2. art. 2. concl. 3. & ar. 3. contra Scotũ, Gregori⁹

Aureolus. *Capreol.* *Aiala.* *Soncinas.* *Gerardus.* *Toletanus.* *Gregor.*

Fr. Franc. à Christo. Caiet. Torres.

q. 1. ar. 2. præceptor frater Franciscus à Christo q. 1. pag. 163. col. 2. in fine, ex Thomistis Caietanus 1. p. q. 39. artic. 1. Sotus in 4. d. 49. q. 3. ar. 3. post quartam conclusionem pag. 602. col. 2. Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 3. fol. 54. col. 2.

Banhes. Cumelius. Molina.

Banhes ibi dub. 3. §. *de hac difficultate*, pag. 1107. Cumelius ibi q. 2. concl. 1. pagina 813. col. 1. ex alijs Molina in eodem loco disp. 5. Bellomontanus 1. p. disp. 120. cap. 4. Suarius lib. 4. de Trinitate cap. 4. num. 5. Valentia 1. tomo disp. 2. q. 13. punct. 1. pag. 855. Deniq́ue ex Scotistis

Herrera.

Herrera 1. tomo disput. 8. quæst. 13. concl. 3.

24. Qui putãt sententiam Scoti non esse tutam.

Quamplurimi ex his theologis adeò adhærent huic neganti opinioni, vt putent oppositam sententiam Scoti esse minus tutam in fidę; quatenus secluso intellectu actualem distinctionem formalem ex natura rei admittunt inter essentiam, & relationem; ita expressè Molina loco citato, Scoti sententiam aut ponere quaternitatem, aut maximè ad eam accedere putat Suarius in dicto cap. 4. n. 13. quod etiam multis contendit Valentia consentiens cum illis, qui volunt Scoti sententiam parum esse cõsentaneam fidei; vt quia non solùm accedat ad quaternitatem; sed etiam precludat viam defendendi mysterium Trinitatis: non omnino resistit Bellomontanus, si expendantur vltima verba capitis quarti, & quatenus putat sententiam Scoti parum distare à sententia Gilberti damnata in Concilio Remensi, quod etiam existimauit disp. 116. c. 5. Sotus non intelligit, quomodò hæc opinio Scoti saluare possit summam Dei simplicitatem, vnde ad marginem censetur periculosa. Torres vbi suprà fol. 55. col. 2. ad finem iudicat eam non esse fidei cõsonam, quod etiam fuit iudiciũ Cumelij. Deniq́ue præceptor Franciscus à Christo putat eam non satis congruere cum diuina infinitate.

Suarius. Valentia.

Bellomõt.

Torres.

Fr Franc. à Christo.

25. Resolutio quęstionis.

In hac grauissima difficultate idem nunc iudicium fero, quòd de distinctione attributorum superiùs tuli q. 3. ar. 3. §. 3. Puto igitur hanc negantem sententiam esse verisimam: affirmantem tamẽ sine vllo fidei periculo defendi posse. Hoc posterius primùm ostendemus: deinde illud prius; & tandem dissoluemus argumenta partis affirmantis.

§. 5.

Defenditur Scotus à Valentia.

QVod igitur attinet ad primum; non possum non audire iustam querelam Scotistarum, & maximè Radæ controuersia 4. §. *propter hæc, & alia argumenta*, pag. 59. col. 2. qui de nimia præfatorum theologorum in damnando licentia conqueruntur: etenim sine vrgentissimo fundamento non est damnanda, vt in fide periculosa opinio celeberrimę Scotistarum scholæ; maximè cùm & Nominales, & Durandus, & quidam alij cum Scoto in præcipua cõclusione conueniant. Cuius etiam sententiam, vt probabilem defendit Bachonius in 1. d. 33. q. 1. art. 3. & 4. quanuis oppositam sententiam, vt longè veriorem probet. Accedit etiam; quia antiquiores theologi, qui contra Scotum scripserunt, ita illius opinionem reijciunt, vt nullam ei censuræ notam imponãt: vt videre est in Aureolo, Cãpreolo, Aiala, Soncinate, Gregorio, Gerardo, Toletano. Deniq́ue & Caietanus abstinuit à censura. Nos igitur cum quibusdam grauissimis nostri temporis theologis non solùm à censura abstinebimus; sed etiam argumenta, quæ pro confirmanda censura obijciuntur, pro viribus ita explicabimus, vt nulla censurę suspicio timeatur. Et primo loco adducemus in terminis, quæ Valentia contra Scotum adducit.

26. Scotistarũ iusta querela.

Probatur Scoti sentẽtiam nihil habere periculi.

Valentia igitur in dicta disp. 2. q. 13. punct. 1. §. *quibus non obstantibus*, pag. 855. contra Scotum ita scribit: *Quibus non obstantibus hæc opinio Scoti aliquibus videtur non modo falsa, sed etiam parum fidei consentanea, primò; quia cum in cap. damnamus, negatur essentiam diuinam esse quartam rem in diuinis, simpliciter, & absolutè reijci videtur omnis opinio, secundùm quam propriè loquendo oportet concedere essentiam diuinam esse rem quartam realiter distinctam. Sed iuxta opinionem Scoti, si propriè sit loquendum omnino oportet admittere essentiam diuinam esse rem quartam realiter distinctam. Ergo Scoti opinio plane videtur in eo loco ab Ecclesia reiecta, ac proinde, vt minimum est parum consentanea fidei. Maior patet ex ipsa Ecclesiæ diffinitione, quæ simpliciter negat essentiam esse rem quartam, & simul concedit etiam simpliciter essentiam esse ipsas tres personas, & contra. In qua loquutione,*

27. Scoti sentẽtia apud Valentiam est parum tuta.

Prima ratio contra Scotum.

cum essentia in abstracto significata prædicetur de personis, non obscurè significatur sensus identicus re ipsa: atque adeo pugnat prorsus cum hac Ecclesiæ diffinitione ea opinio, secundùm quam propriè loquendo negari oportet personas esse ipsam essentiam, & affirmari, quod sit res distincta ab illis. Minor verò probatur. Nam vbi re ipsa est actu alia, & alia quidditas, est actu aliud, & aliud ens transcendentaliter, cùm vocabulum, ens, significet formaliter essentiam, & quidditatem; sicut vocabulum, homo, humanitatem, vt patet ex principijs positis in Metaphysica. Rursus vbi est aliud ens, eo ipso est alia & alia res, cum res, & ens transcendentaliter conuertantur. Ergo de primo ad vltimum opinio Scoti, quæ admittit re ipsa actu esse aliam quidditatem personæ diuinæ, & aliam quidditatem essentiæ; propriè loquendo cogitur admittere duas res esse personam diuinam, & essentiam.

28. Confirmatio contra Scotum.

Confirmatur; nam quidditas personalitatis, vt secundùm Scotum est alia, non est alia per solum conceptum rationis: & tamen propriè secundùm eundem Scotum est alia. Ergo superest, vt sit alia quidditas realiter; ac proinde erit realiter distincta. Patet hoc totum: nam sicut inter ens reale, & rationis non est medium, ita nec inter modum alietatis (vt sic dicam) siue distinctionis realis, vel rationis. Cum enim distinctio sit passio entis, non latiùs patere potest distinctionis modus, quàm modus entis. Ex quo rursus sequitur, impossibile esse dari mediam distinctionem inter realem, & rationis, quæ scilicèt nec in ambitu distinctionis realis, nec in ambitu distinctionis rationis comprehendatur, vt bene etiam deducit Durandus in 1. dist. 33. quæst. 1.

29. Solutio pro Scoto nō recipitur.

Sed dicet aliquis illa diffinitione non reijci omnem omninò distinctionem realem essentiæ, & personæ, sed eam, quæ debeat dici rei à re. Quare Scotum, qui non ponit distinctionem realem, vt rei à re, nihil ab illa Ecclesiæ diffinitione alienum dicere. Ego verò contra, primum obijcio, quod vtcunque Scotus illam suam distinctionem ex natura rei appellet; verè de illa verificatur, quod sit realis transcendentaliter, vt ante probatum est. Quocirca videtur ea etiam distinctio in illa Ecclesiæ diffinitione reiecta. Siquidem ibi absque vlla limitatione, aut exceptione modi, quo ille loquatur simpliciter Ecclesia negat esse realem distinctionem essentiæ, & personæ.

30. Contra Scotum confirmatur 1. argum.

Deinde quomodocunque illam distinctionem appellet, ex illius positione sequitur, in re quidem tam perfectam distinctionem esse inter personalitatem diuinam, & essentiam, quàm est inter ipsas personalitates, seu personas diuinas. At hoc manifestè est contra illam Ecclesiæ diffinitionem. Ergo sententia Scoti est omnino abhorrens ab Ecclesiæ diffinitione. Minor cum consequentia est clara. Maior probatur. Nam si dicas cum Scoto personalitatem non esse aliam rem, quia non potest separari: semper tamen manebit, quòd distinctiua personalitatis, & essentiæ, sunt tam perfecta, quàm distinctiua personarum inter se. Ergo cum ponat actualem distinctionem re ipsa: tam perfecta erit distinctio personæ & essentiæ, quàm personarum, & personalitatum inter se. Consequentia patet, & antecedens probatur; quia distinctiua personarum sunt tres illæ relationes: distinctiua autem personalitatis, & essentiæ secundùm Scoti opinionē sunt ex natura rei quidditas relationis, & quidditas essentiæ. At negari non potest, quin quidditas essentiæ, & quidditas filiationis sint tam perfecta distinctiua, quàm paternitas, & filiatio inter se: cum in diuinis nihil sit maius, & minus, vt patet ex symbolo Athanasij. Ergo vtrobique sunt æque perfecta distinctiua. Neque verò poterat Scotus rectè hìc dicere, quanuis sint vtrobique æque perfecta distinctiua; tamen non vtrobique æque perfectè distinguere; quia non possunt separari ab inuicem essentia, & relatio, & propterea non esse inter ista distinctionem realem, vt rei à re. Hoc inquam dici nòn potest: nam sequeretur distinctionem realem inter personas non esse, vt rei à re. Patet, quia similiter nec vna persona potest vllo modo separari ab altera, cum altera in altera sit intimè, iuxta illud: Ego in patre, & pater in me est. Quare nullo modo videtur Scotus potuisse defendere, quin secundùm suam sententiam æque perfectè distinguatur in diuinis realiter essentia à persona, atque persona à persona, quod est contra fidem.

31. 2. argumentum Valentiæ contra Scotum.

Secundo contra Scoti sententiam hoc modo argumentor. Si diuina essentia, & personalitas ante omnem operationem intellectus actu distinguũtur, consequens erit, vt sit aliquid ad intra in diuinis, quod sit creatura, & non Deus. At istud consequens est erroneum, vt patet. Ergo & illa sententia ex qua id sequitur, prorsus est reijcienda. Maior probatur. Nam si loquamur de quidditate personalitatis, illa quidditas iuxta ipsorũ opinionem, intrinsecè, & secundũ se non est quidditas essentiæ diuinæ; siquidem est alia ex natura rei. Ergo intrinsecè non est Deus. Ergo intrinsece est creatura. Prima consequentia patet; quia nihil est intrinsecè Deus, nisi intrinsecè sit essentia diuina, quæ est intrinseca Deo. Secunda verò consequentia patet, quia inter Deum, & creaturam, nullum est medium.

Tertiò

32. 3. Arg. eiusdem contra Scotum.

Tertio: sequitur etiam ex illa sententia personam diuinam non esse simpliciter ens infinitum. Consequens est falsum, Ergo, &c. Maior probatur; quia constaret ex duobus finitis simpliciter: & certum est ex duobus finitis non posse cõstitui aliquid infinitum simpliciter. Id autẽ probatur; tum; neque quidditas essentiæ haberet perfectionem personalitatis, nec quidditas personalitatis perfectionem essentiæ: & sic tum essentia, tum personalitas (ex quibus cõstat diuina persona) esset quoddam finitum. Duo enim modi sunt habendi perfectionem alicuius. Vnus est secundum actualem identitatem: & iste non haberet hìc locum, si personalitas, & essentia nõ sunt actu idem. Alter est secundum eminentiam: & nec iste potest habere in proposito locum. Nam quod eminenter est aliud perfectius est illo. Sed in diuinis nihil est maius, aut minus. Ergo non potest in diuinis aliquid habere eminenter perfectionẽ alterius.

33. Cõfirmatur

Confirmatur: nam dato, quod aliqua ratione posset concedi essentiam habere eminenter perfectionem personalitatis; aut contra personalitatem habere perfectionem essentiæ; impossibile tamen est omnino, vt & essentia habeat eminenter perfectionem personalitatis, & vicissim personalitas perfectionem essentiæ: nam tunc idem secundum idem esset perfectius, & imperfectius alio. Quare secundum illam opinionẽ Scoti nulla ratione potest defendi, quin alterutrum saltem istorum esset finitum. Et sic aliquid in diuinis ad intra esset creatum, & finitum.

34. Vltimũ arg. contra Scotum.

Postremo; si quidditas essentiæ, & quidditates trium personalitatum ex natura rei ante omnem operationem intellectus actu distinguuntur quæro, an sint omnes istæ quidditates infinitæ; vel nulla infinita: vel aliqua infinita, & aliqua non? Primum non potest dici, vt patet ex argumento proximè facto. Si autem secundum, vel tertium dicatur; sequitur vel aliqua, vel omnia esse finita in diuinis ad intra, atque adeo creata.

35. Scoti sententia apud Valentiã obitat mysterio Trinitatis.

Quare hæc sententia Scoti vehementer videtur obstare Trinitatis mysterio: præcludit enim viam potissimam illud defendendi ab impossibilitate: nam præcipua difficultas in hoc mysterio est, quod ex pluralitate, & distinctione reali personarum illico videtur sequi personas distinctas non esse simpliciter infinitas, cum altera alterius perfectione careat. Cui difficultati non possumus aliter respondere, nisi dicamus eas idẽtificari actu re ipsa in quidditate essentiæ, atque eatenus alteram alterius perfectionem participare, & ea ratione omnes illas esse infinitas. Tãtummodo enim esset impossibile, vt plura sint infinita simpliciter in nullo tertio identificata. Patet autem hanc ratiocinandi viam præcludi prorsus ab illa sententia Scoti.

36. Patres contra Scotum.

Et quod ad Patres attinet, dubium non est, quin senserint inter essentiam diuinam, & personam esse re ipsa summam identitatem actualẽ, ratione cuius ipsas etiam personas vnum, & idẽ in essentia esse dicunt: vt D. Dionysius 2. capite de diuinis nominibus p. 1. vbi perpendens illud Ioannis 10. Ego & Pater vnum sumus: inquit neminem arbitror ex ijs, qui in diuinis eloquijs rectissima piaque intelligẽtia sunt enutriti, huic sententiæ contradicturum, quod diuina omnia iuxta exactissimam rationem toti diuinitati insunt: *quia scilicet diuina essentia omnia diuina includit in sua ratione sibi ea identificans. Vnde ibidem docet, quomodo non per hoc introducatur confusio personarum,* Quod siquis (*inquit*) dixerit confusionem personarum hac ratione introduci, non poterit persuadere. *D. Athanasius oratione contra Gregales Sabellij ita ait:* Vniuersa plenitudo, & integritas diuinitatis est Pater, vt Pater, & Filius, vt Filius. *Et infra:* idem de Spiritu Sancto existimandum, *& sermone 4. contra Arrianos Paulo post initium inquit:* necesse est, vt cogites ipsam Deitatem, & proprietatem Patris essentiam Filij cõstituere. *Nazianzenus oratione in Sancta lumina ait,* vnum in trib^s diuinitas est, & tria vnum, in quibus diuinitas est, velut magis propriè dicam, quæ diuinitas est, *vbi vides deuinitatem propriè esse ipsa tria suppositа, atquè adeo sola ratione ab eis distingui. D. Augustinus 7. de Trinitate capite 6. inquit* non aliud est Deo esse, aliud personam esse sed omnino idem. *Et infra:* non aliquid aliud eius essentia est præter istam trinitatem: tamen tres personas eiusdẽ essentiæ, vel tres personas vnam essentiam dicimus. Tres autem personas ex eãdem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit, quod essentia est, aliud, quod persona. *Vnde cum dicit eodem libro c. 4.* aliud esse Deo esse, aliud Patrem esse, vel Dominum esse, *loquitur secundùm distinctionem tantum rationis quomodo Deus, & Dominus distinguuntur. Atque eadem est sententia passim aliorum Patrum.*

Dionysius. Athanasius. August.

37. Ioan. 10.

Imò etiam hoc ipsum re vera docuit Christus, cum Ioannis 10. affirmauit se, & Patrem, vnũ quiddam esse secundùm naturam, siue essentiã, vt supra q. 1. punct. 1. §. 16. demonstrauimus. Quod certè verum minimè esset, si personæ ab essentia distinguuntur re ipsa actu vllo modo.

38. Defenditur Scotus à calumnijs Valentiæ.

Hæc sapientissimi viri argumenta nõ cõuincunt, vt opinionem Scoti reijciamus, tanquam periculosam in fide. Ad primum igitur, quod nititur quaternitatem inferre in diuinis, respõdemus in Concilio Lateranensi damnari quidem omnem sententiam, quę propriè loquẽdo infert essentiam diuinam esse rem quartam realiter distinctam à tribus personis, seu à tribus personalitatibus: negamus tamen id inferri ex opinione Scoti. Quam consequentiam Scotistæ, tanquam veri catholici firmiter negãt, vt patet ex Rada in d. controuersia 4. ad secundam confirmationem tertij argumenti fol. 60 col. 2. Vnde ad argumentũ neganda est minor.

Ad 1. Valẽtiæ.

39. Ad 1. probationem.

Herrera.

Ad primam probationem facilè responderet, qui diceret essentiam, & relationem formaliter distingui, non per aliam, & aliam quidditatẽ (vt male supponit probatio) sed per aliam, & aliam rationem formalem: quæ fuit sententia Herreræ in 2. tom. disp. 13. q. 1. pag. 464. vbi docet non valere hanc consequentiam: *hæc duo distinguuntur formaliter. Ergo distinguuntur quidditatiuè, id est distinctis quidditatibus.* Vnde apud eundem essentia, & relatio sunt plura obiecta formalia; nõ tamen sunt plures quidditates, vt idem docet disp. 8. q. 14. in fine. In hoc igitur primo deficit Valentia, quod ex diuersitate formalitatum quam inter essentiam, & relationem admittunt Scotistæ, infert diuersitatem quidditatum: cum tamen apud Scotistas diuersitas formalitatum non necessario postulet diuersitatem quidditatum, sed solam diuersitatem rationum formalium: formalitas enim apud Scotistas, licet sumatur à forma; non tamen sumitur à forma totius, quæ propriè dicitur quidditas, sed à forma sũpta pro ratione formali, sub qua vnaquæque res cõcipi potest, vt præter Herreram in d. disp. 13. docuit Rada in 4. controuersia tomi primi pag. 53. col. 2. Iam vero ratio formalis latius patet, quam quidditas: nam in puncto continuatiuo partium lineæ reperitur ratio formalis principij, & finis, neutra tamẽ ratio est quidditas puncti: vnde pũctus, vt finis formaliter distinguitur à se ipso, vt est principium; non tamen quidditatiuè. Quæ doctrina est verisima, si quidditas propriè sumatur pro forma totius, natura, essentiaque substantiali: hæc enim tria natura, essentia, & quidditas apud theologos sunt idem, vt ex D. Thoma de ente, & essentia cap. 1. colligit Fonseca in 4. Metaph. c. 2. q. 3. sect. 2. pag. 575. in fine.

Herrera. Rada.

Explicatur præcedens doctrina. D. Thom. Fonseca.

40.

Porrò si nomen quidditatis fusè sumatur pro ratione formali cuiusque rei (quo pacto etiam in accidentibus reperitur, sicut & essentia) admittendum est formalitatem coincidere cum quidditate; ita vt, quæ formaliter distinguũtur distinguantur etiam quidditatiuè: nam Scotus interdum ipsam formalitatem appellat quidditatem, vt patet in 1. d. 8. q. 4. ad argumentum principale litera Z. Sed in hoc sensu probatio Valentiæ sumit propositionem tanquam notam in Metaph. quæ tamen falsa est, & negatur à theologis: nec enim opus est, vt vbi in re datur alia, & alia quidditas, detur aliud, & aliud ens, alia, & alia res; si *aliud, & aliud* denotẽt alietatẽ realẽ propriè sumptam; illam scilicèt, quæ datur inter rem, & rẽ: quia fieri potest, vt vna, & eadem res distinctas habeat quidditates. Ob quam rationem noster Argẽtina in 1. d. 33. q. 1. ar. 4. ad argumentum principale negauit hanc propositionẽ: *quæ differunt quidditatiue, differunt entitatiuè, & realiter*: quia (vt ait) manente eadem entitate reali per aliam, & aliam comparationem variatur ratio quidditatis. Quod si verum est (est autem verisimum) neganda est Valentiæ propositio, quam sumit, tanquam notam: *vbi re ipsa est actu alia, & alia quidditas, est aliud, & aliud ens transcendentaliter*: quia vna, & eadem res potest habere plures quidditates, pluresque formales rationes.

Scotus.

Argentina

41. Palatius.

Hanc philosophiam esse indubitatam expressè existimauit Palatius in 1. d. 33. & 34. disp. 1. pag. 184. col. 2. in principio vbi ita scribit: *nam vnã rẽ sortiri duas quidditates (quas Scotus formales vocat rationes) cernimus passim: nam vnus effectus duabus quidditatibus potitur, actionis scilicèt, & passionis; namque actio, & passio (quippe quæ duo sunt genera generalissima) duas necesse est, vt sortiãtur quidditates diuersas. Et si credimus Nominalibus philosophis, substantia, quantitas, & relatio vna res sunt: at quidditatibus distingui, diuersa ve esse, quis ambiget? Nemo vtique, nemo. Atq; iam hinc scande ad diuinorum excelsitatem, & non molestum tibi erit creditu, vnam rem esse*

essentiam

essentiam, & relationem, seu proprietates personales; at vero nihilominꝰ duabus insigniri quidditatibus. Et inferius; *Itaq; quia vna res duas nanciscitur, aut plures quidditates; inde habet ortum distinctio, quæ formalis est.* Quæ Metaphysica etiam placuit Ægidio, si attente legatur in 1. d. 33. 1. p. q. 3. fol. 171. litera P. & fol. 172. litera F. I. & k. & distinctione 34. 1. p. q. 1. ad secundum principale; vbi expresse docet essentiam, & relationem secundum esse (id est, secundũ realem entitatem) idem esse; distingui tamẽ quidditate. Eadem Metaphysica placuit Herreræ 1. tom. disp. 7. q. 5. notab. 3. pag. 119. vbi expresse docet cum identitate reali, quæ est inter essentiam, & relationem, stare distinctionem quidditatiuã. Deniq́ue qui admittunt distinctionem ex natura rei, siue formalem esse mediã inter distinctionem realem, & rationis (si vtraq́ue propriè sumatur) non possũt non admittere vnam, & eandem rẽ posse formaliter esse plures; quod colliges ex Fonseca in 5. Metaph. cap. 6. q. 6. sect. 2. in principio, & diximus supra q. 5. ar. 2. §. 1. n. 15. & 16. Igitur maior illa, quæ Valentiæ est totum fundamentum, absolutè proposita neganda est.

Ægidius. Herrera. Fonseca.

42. Cuius probatio in hoc sensu verum sumit, vt ens transcendentaliter sumptum formaliter significet essentiam, & quidditatem, nomine essentiæ, & quidditatis latè fuso; provt scilicet essentia, & quidditas idem est, quod ratio formalis alicuius entis. Nam si essentia, & quidditas propriè sumatur, non potest ens in sua transcendentalitate formaliter dicere essentiam, & quidditatẽ; quoniam essentia, & quidditas propriè sũpta non reperitur in accidentibus, sed in solis substantijs, vt ex Metaph. verissimè supponimus. Quare ens in sua trãscendentali ratione non eo modo dicit essentiam, & quidditatem, quo homo dicit humanitatem; sed provt essentia, & quidditas idẽ est, quod ratio formalis, quę ipsa licet inferat id, cuius est ratio, esse ens, & rem; tamen non necessario infert esse ens realiter diuersum; quia, vt dictum est, vna res potest habere plures rationes formales suæ realitatis.

43. Ad cõfirmationem eiusdem argumẽti admittimus quidditatem, siue potius rationem formalẽ relationis apud Scotum distingui à quidditate essentiæ sublata omni operatione intellectus, & in hoc sẽsu à parte rei esse aliam. Cum vero infertur eam esse aliam quidditatem realiter, latet æquiuocatio in consequẽte: nã si aduerbiũ *realiter* cadit super relatiuum *alia*, vt sit sensus quidditatem relationis esse realiter aliam, & realiter distinctam à quidditate essentiæ: neganda est consequentia, propter fallaciam à pluribus causis ad vnam caussã; etenim à parte rei secluso omni intellectu datur duplex alietas, siue distinctio; vna realis, quæ est rei ad rem; altera formalis, quæ est doctrina Scoti. Nõ valet igitur hæc consequentia *quidditas relationis secluso intellectu est alia à quidditate essentiæ. Ergo est realiter alia*; quia potest esse alia formaliter. Probatio autem consequentiæ falsam sumit doctrinam, non dari scilicet medium inter alietatẽ siue distinctionem realem, & rationis, si distinctio realis idem est, quod distinctio rei à re; & distinctio rationis idem sit, quod distinctio facta per intellectũ: oppositum enim ostendimus supra q. 5. ar. 2. §. 1. n. 4. & ar. 4. §. 2. per totum: Vide quæ ibi diximus. Porro si in consequente prioris cõsequentiæ aduerbium *realiter* idem est, quod à parte rei, ita vt solum excludat operationem intellectus distinguentis, & sit sensus, quidditas relationis realiter, id est, à parte rei secluso intellectu est alia à quidditate essentiæ; propositio apud Scotum est verissima; quia Scotus à parte rei admittit distinctionem formalem actualem inter relationem, & essẽtiam. Admissa autem in hoc sensu priori consequentia, neganda est posterior propter fallaciã à pluribus caussis ad vnam caussam, vt immediate diximus.

Ad confirmationem.

44. Quod vero post confirmationem obijcit in d. cap. *damnamus* reijci alietatem formalem; negandũ est id omnino, quoniam ex ipsis verbis Concilij euidenter constat in eo solum damnari distinctionem realẽ, quam Ioachimus contra Magistrum inferebat: illam scilicet, quę in diuinis infert quaternitatem rerum; qualis est sola distinctio realis rei à re: hęc enim sola constituit essentiam esse rem quàrtam ponentem in numero cũ tribus personis, vt bene aduertit Rada in d. controuersia 4. pag. 60. columna 2. §. *ad secundam confirmationem.*

44. Ad aliã cõfirmationẽ.

45. Ponderatur excluditur Valentiæ.

At (inquit Valentia) in definitione Concilij absque vlla limitatione, aut exceptione reijcitur realis distinctio essētiæ, & personæ: jam verò distinctio ex natura rei, & formalis, quam ponit Scotus, verè infert inter essentiam, & personam esse distinctionem realem transcendentaliter, vt in primo argumento (inquit) est probatum. Ad hoc dicimus

Explicatur Concilium.

Concilium solum definire in Deo tantū ponendam esse Trinitatem rerum, damnandam verò quaternitatē; ita enim ait *Nos sacro approbante Concilio credimus, & cōfitemur cum Petro, quod vna quædam summa res est incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; tres simul personæ ac sigillatim quælibet earundem. Et ideo in Deo solum modo Trinitas est, non quaternitas; quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essētia, seu natura diuina.* Ex quibus verbis patet Concilium inde colligere reijciēdā esse à diuinis quaternitatem rerum, & solam Trinitatem esse credendā; quia essentia diuina est quidem vna summa res, quę veraciter est tres personę, & tres personę veraciter sunt illa vna res: inde enim fit, vt res, quæ est essentia, nō ponat in numerum rerum cum tribus personis, nec constituat rem quartam cum illis.

46. Quid damnetur in Cōcilio.

Quare definitio Concilij sumpta in suo rigore eam solam distinctionem dānat, quæ tollit summam illam realem identitatem, qua essentia cum personis & personæ cum essentia sunt realiter vnum. Inde fit, vt qui inter essentiam, & personas admittit distinctionem, quæ summam istam, ac realem identitatem non tollit, sed verè saluat; is definitioni Concilij nullo modo contradicat. Tota igitur difficultas in eo est posita, quænā distinctio summam illam realem identitatem euertat, vt quaternitatem rerū vere inducat. Constat inter omnes distinctionem rei á re directo opponi sūmæ illi identitati; quia veraciter facit essentiam esse rem quartam distinctam à tribus proprietatibus relatiuis. Hanc ponebat Gilbertus Porretanus damnatus in Concilio Rhemensi. Hanc cōtra Magistrum inferebat Abbas Ioachimus in d. Concilio Lateranensi, & quia nesciebat illam non ponere cum reali distinctione personarum; ideo illam negauit: & in hoc, tanquam hæretica damnata est illius opinio.

47. Dubitatio.

Vtrum vero distinctio ex natura rei, siue formalis euertat summam illam identitatem realem essentiæ cum personis? potest esse dubitatio. Scotistæ negant; quia summa illa identitas simul constare potest cum distinctione formali, & ex natura rei: siquidem vna, & eadem res potest habere plures reales, imo etiam quidditatiuas formalitates: nec pluralitas formalitatum necessario infert pluralitatem entium, aut rerum, vt diximus ad primum argumētum. Vnde Bachonius in 1.d.34.q.1.ar.3.§. *secundo modo dico duo*, aperte fatetur non contradicere Concilio, qui inter essentiam, & relationes personales admittit distinctionem ex natura rei, dūmodo admittatur summa illorum identitas realis: hanc autem Scotus cum suis, vt veri catholici credunt, & confitentur. Nec ego video, quomodo distinctio formalis, & ex natura rei repugnet identitati reali essentiæ cum personis, vt contra Valentiam ex sententia plurimorum theologorum aduertimus in solutione primi argumenti.

Bachonius

48. Modus loquendi an sit castus.

De modo loquendi solum potest esse dubitatio, an scilicét casta sit, & admittenda hæc locutio: *essentia realiter differt à personis: distinctio inter essentiam, & relationes est realis.* Quod loquutiones istæ admitti possint, hoc videtur suadere; quoniā pleriq́ue volunt omnem distinctionem esse, vel realem, vel rationis, si distinctio realis dicatur, quæ non est facta per intellectum, sed sine illo datur in re, vt diximus supra ratione 5.art. 4. §. 2. Iuxta quam opinionem distinctio formalis dici potest realis. Quare, si admitti potest imo à pluribꝰ admittitur distinctionem formalem; & ex natura rei esse realem; cur non dicentur differre realiter, quæ formaliter differunt? Cur essentia non dicetur realiter differre à personis? Etenim inde non bene infertur essentiā esse quartam rem realiter distinctam à personis.

49. Negatiua placet.

Hoc autem non obstante dicendum est illas, loquutiones nec esse castas in hac materia, nec simpliciter esse, aut proferendas, aut admittēdas: nam quanuis possint habere sanum sensum, si nimirū superiori modo explicentur: tamen simplici-

simpliciter prolatæ præ se ferunt distinctionem realem rei à re, quam Fides Petri, & Ecclesię condemnat. Et eò vel maximè cauendæ sunt, quia nõ desunt, qui doceant solam illam distinctionem, quæ est inter rem, & rem, esse realem; cæteras verò rationis. Qui verò putant omnes distinctiones esse reales, quæ non sunt per operationem intellectus; non simpliciter id affirmant, sed cum modificatione, si nimirum omne id dicendũ est reale, quod est sine intellectu. Quia verò vtraque illa opinio impropriè loquitur; ideo verior censetur opinio, quę inter distinctionem realem, & rationis mediam agnoscit, quæ nec rationis sit, nec realis. Ex quibus patet distinctionẽ realem cõmuniter sumi pro distinctionem rei à re. Quare illas loquutiones in materia de Trinitate apud Theologos esse cauendas optime docuit Bachonius loco citato: imo & ipse Scotus distinctionem formalem, quam admittit, non vult appellare realem in 1.d.2.q.4. litera GG. §. *sed nunquid hæc distinctio*. Vnde Scotistæ illas lucutiones cauent, & Durandus malè audit, quòd distinctionem inter essentiam, & relationẽ vocat realem, licet secundum quid.

Bachonius.

50 Aliæ locutiones cauendæ.

Simili modo cauendæ sunt hæ loquutiones: *essentia est alia res à relatione: relatio est alia res ab essentia*, vt optime aduertit Bachonius vbi supra: alietas enim cadens super *rem*, videtur importare distinctionem realem. Vnde ex illis facilè inferri potest in diuinis dari quatuor res: quod simpliciter admittendum non esse aduertit noster Ægidius in 1.d.33. 1.p.q.1.art.3.fol.172.col.2.litera G. Nã licet essentia sit res & relatio sit res; nõ tamen est alia, & alia res; sed summa vna res, vt diffiniuit Concilium Lateranense. Hoc tamen non impedit, quin in illa vna summa re dentur plures formalitates: datur enim in ea formalitas ẽtis absoluti, & formalitas entis relati: quarũ vna non conuenit essentiæ, altera verò non conuenit relationi. Quin potius illas plures formalitates esse plures realitates, & plures entitates colliges ex Scoto in 1.d.2.q.4.litera FF. & HH. quẽ sequuntur Scotistæ: & satis id expressit Palatius in 1.d.33. & 34.disp.1. fol. 184. §. *ad argumenta respondeo*. Nec inde bene inferes dari plura entia, & plures res; quia vt supra diximus, vna, & eadem res, quantumuis sit summè vna, potest habere plures formalitates, pluresvè quidditates nomine quidditatis fusè sumpto.

Ægidius.

Scotus.

Palatius.

Ad institutum igitur redeũtes ad obiectionem primam Valentiæ negamus ex opinione Scoti inferri inter essentiã & personãdari distinctionẽ realẽ transcẽdentaliter sumptã; nec id probat primum illius argumentum, vt iam vidimus. Ad id, quod secundo loco obijcit, sequi scilicet ex opinone Scoti tam perfectam esse distinctionem inter personalitatem diuinam, & essentiam, quàm est inter personas diuinas; inficiãda est illatio. Ad probationem omissis alijs dicimus distinctiua vtrobique in re esse æque perfecta; non tamen in ratione distinctiui. Primum patet: quoniam id ipsum, quod distinguit à persona distinguit etiam ab essentia; paternitas enim, quæ distinguit Patrem à Filio, distinguit etiam Patrem ab essentia.

51 Solutio 1. obiectionis Valentiæ.

Ad 2. obiectionem eiusdem.

Secundum verò ex eo euidenter ostẽditur, quòd Paternitas distinguit à Persona, vt exercet oppositionem relatiuã, quæ ex sua natura realiter distinguit: ab essentia autem distinguit oppositione, quæ appellatur disparata; relatio enim hoc modo distinguitur ab eo, in quo est, & in quo fundatur. Est igitur eadem forma relatiua, quæ distinguit; habens tamen duas rationes distinguendi: quarum vna (nempe relatiua) ex sua natura distinguit realiter; altera vero (nempe disparata) non semper realiter distinguit. Quod si aduerteret Valentia, non fingeret solutionem, quam nec Scotus, nec Scotistæ vnquam somniarunt. Vnde non est, quod ad illam respondeamus. Et hæc pro solutione eorum, quæ spectant ad primum argumentum principale.

52

Secundum argumentum principale (vt pace dixerim viri doctissimi) friuolum est. Neganda est sequela posita in maiore. Ad probationem admittimus quidditatem, idest, rationem formalem personalitatis, siue relationis ex se non esse quidditatem essentiæ; quia ex sua natura est relatiua, essentiæ autẽ est absoluta. Sed quæso vnde valet quidditatem relationis intrinsecè non esse Deum? Nam vt & personalitas ipsa, &

53 Ad 2. principale.

ratio

ratio formalis eius intrinsecè sit Deus, satis est, quòd intrinsecè sit idem realiter cum essentia diuina: iam verò formalis distinctio non tollit, quominus ipsa personalitas ex sua natura, & intrinsecè sit idem realiter cum diuina essentia.

45 Ad 3. Ad tertium argumentũ similiter neganda est sequela. Probatio futilis est. Primo; quia vt vtrunque dicatur simpliciter infinitum, satis est, quòd vtrũque sit vna, & eadem entitas simpliciter infinita, qualis est entitas diuina. Hæc autem realis identitas semper saluatur, quanuis ratio formalis vnius, formaliter sit alia à ratione formali alterius. Quare inaduertenter dictum est in argumento apud Scotum non dari actualem identitatem realem inter essentiam, & relationem: Scotus enim nunquam dixit essentiam, & relationem non esse idem realiter; sed solùm dixit essentiam cum persona formaliter non esse idem: prior autem identitas satis est ad infinitatem. Secundo, probatio ideo censenda est friuola; quia distinctio formalis non aufert à distinctis infinitatem sui generis, quam appellare possumus infinitatem intensiuam; quanuis auferat infinitatem extensiuam, non simpliciter, sed vt quodlibet præcisè sumitur sub propria ratione formali. Personalitas igitur in persona, quam constituit, habet infinitatem sui generis, id est entis relatiui; habet enim omnẽ perfectionem relatiui entis. Essentia etiam habet sui generis infinitatem; quia in se includit quidquid ad perfectionem essentiæ pertinet, vt sæpè diximus: & quanuis formaliter non habeat esse relatiuum; illud tamen habet eminenter, vt Suarius fatetur in Metaphysica disp. 30. sectione quinta, numero secundo: nõ quidem eminentia, quæ includit virtutem actiuam ad causandum quæ eminenter continentur (hæc enim ex sua natura est altioris ordinis) sed eminentia radicali, qua essentia rei continet suas naturales perfectiones, hæc enim non infert maiorem perfectionem. Vide, quæ diximus supra quæstione septima, articulo secũdo, ad quartam demõstrationem. Ex hac enim duplici eminẽtia facilè explicabis, quæ adducuntur in confirmationẽ huius tertij argumenti.

Ad vltimũ. Postremum denique argumẽtum facilè etiam explicabitur, si expẽdas, quæ diximus ad tertium argumentum.

55 Explicatur Patrum testimonia. Porrò Patrum testimonia parum vrgent Scotum. Nam in testimonio Dionysij tota diuinitas idem est, quòd tota Trinitas, ac tres diuinæ personæ, vt explicant Diuus Thomas, Carthusianus, & cæteri interpretes: sensus enim est; Omnia, quæ Deo conueniunt, conueniunt etiam toti Deitati, id est omnibus personis Deitatis: nam & hoc est institutum Dionysij in eodem capite. Et eũdem sensum satis expressit in principio illius his verbis: *Igitur hoc quidem, & in alijs inquisitum à nobis est demonstratum omnes semper Deo conuenientes Dei denominationes, non particulariter, sed in tota, & perfecta, & integra, & prima Deitate ab eloquijs laudari, & ones ipsas simpliciter absolutæ, & in obseruatæ totaliter vniuersæ totalitati perfectè, & omnis Deitatis apponi.* Igitur in verbis à Valentia citatis per *diuina omnia*, intellige omnes denominationes, & omnia prædicata Deo conueniẽtia, vt Diuus Thomas, & cæteri interpretantur. Per *totam verò diuinitatem* accipe omnes tres diuinas personas, quibus, & cuilibet illarum prædicata Dei secundum exactissimam rationem conueniunt. Quare non satis accommodatè per *totam Deitatem* intellexit Valentia solam essentiam in sua ratione formali omnia identificantem. Ad Dionysium.

56 Ad Athanasium. Verba Athanasij (quæ habentur loco citato pag. 98. litera B.) quid contra Scotum iuuent Valentiam planè non video: etenim Diuus Athanasius eo in loco totus est, vt ostendat in tribus personis realiter distinctis esse vnam integrã, & indiuisam naturam diuinam. Quare cùm ait: *Vniuersa plenitudo Dei, & integritas Deitatis est Pater, vt Pater: vniuersa item plenitudo Deitatis est Filius, vt Filius*; sensus est: Pater, vt Pater, & vt distinguitur à Filio continet totam, & integram naturam diuinam: similiter etiam Filius, vt est Filius, personaque distincta à Patre, eandem etiam integram, & totam includit. Quem sensum euidenter ostendunt verba immediatè consequentia, quæ assertionem præcedentem confirmant, ita enim habent: *Quandoquidem vna forma intelligitur, quæ integrè se in vtroque, & solidè exhibet.* Sed quid inde contra Scotum? Respodebit Valentia prædicationem illam

lam diuinitatis in abstracto de Patre, & Filio arguere identitatem formalem, & per consequens tollere formalem distinctionem. Sed facilè occurreret Scotus ad illam prædicationem satis esse realem identitatem, vt inferius dicemus in quæstione de mutua inclusione, & prædicatione essentiæ, & relationis.

57. Ad aliũ locum Athanasij. Nec etiam intelligo quid contra Scotum inferatur ex verbis eiusdem Athanasij sermone quarto contra Arianos pag. 236. litera C. *Nam Deitatem, & proproprietatem Patris* (id est, ipsum Patrem ex vtraq; cõstitutũ) *constituere essẽtiã Filij*, per æternam generationem, quid facit ad distinctionem solius rationis? imò si aliquid facit, potius arguit distinctionem secluso intellectu: siquidem eo secluso Pater constat ex Deitate, & proprietate.

58. Ad Naziãzenum. Ex verbis Nazianzeni ex eo sumit argumentum Valentia, quòd *Diuinitas dicitur esse ipsa tria suppositа*. sed quàm solidè inde inferatur diuinitatem sola ratione distingui à personis, alij iudicent: quoniam ad illam prædicationem satis est realis identitas, vt Scotus cum suis sæpius annotauit. Deniq́ue verba Augustini explicanda esse de vnitate, & alietate reali sæpe admonuimus: quod, & ipsa verba præ se ferunt, & satis ostendit intentum Augustini eo in loco.

59. Ad locum Ioan. 10. Sed mirum est, quòd Valentia ex opinione Scoti audeat inferre falsam esse Christi Domini sententiam Ioannis decimo. *Ego, & Pater vnum sumus.* Quod profecto nõ inferret, si simpliciter ambularet, & non in æquiuocatione. Ait ex Scoto *personæ ab essentia re ipsa actu distinguuntur.* Sed quæso, vbi Scotus illam & verbis illis scripsit sententiam? apud Scotum inuenio essentiam à relatione distingui secluso omni intellectu, vt videre est in omnibus locis, in quibus hac de re agit, & maximè in primo d. secunda quæst. 7. litera FF. At, quod scripserit *personas ab essentia re ipsa actu distinguí*, nullibi inuenire potui. Itaq́ue apud Scotum personę ab essentia non distinguuntur re ipsa, id est, realiter; bene tamen re ipsa, id est à parte rei, & sine intellectu. Sensus iste posterior nihil de veritate sententiæ Christi diminuit; bene tamen prior. Quem Scotus cum suis semper damnauit, vt hæreticum. Sublata est igitur æquiuocatio allatæ propositionis, & purgatum illius venenum. Et opinio Scotica ab impugnationibus Valentię simpliciter est defensa.

§. 6.

Defenditur Scotus à Bellomontano.

60. SEcundo loco liberandus est Scotus ab impugnationibus Bellomõtani prima p. disputatione 120. c. quarto, & quinto; nam & ille ex opinione Scoti infert non solum quaternitatem in diuinis ad finem capitis quarti sed etiam compositionem in capite quinto. Sed illa, quæ scribit, expendamus.

61. Obijcit patrum testimonia. In capite quarto numer. 16. ita scribit: *in primis igitur sunt contra Scotum testimonia omnia à nobis allata disputatione 116. capite quarto quibus in vniuersum probatur in Deo nihil distingui ex natura rei præter personas inter se. Facit etiam Bernardus, qui de attributis, & præsertim de relatione, & essentia idem docet propter Dei summam simplicitatem, cuius testimonia non est necesse repetere.* Omnia Patrum testimonia pro Scoto diligentissimè expendimus supra quæstione quinta articulo quarto 9. decimo in solutione secundæ, tertiæ, & quartæ rationis numero 162. & 163. Vbi etiam numero 164. omnia explicauimus, quę ex Diuo Bernardo contra Scotũ adduxit, ibi vide: nec enim opus est ea repetere. Ibi tamen non expendimus verba, quę disputatione 116. capite quarto numero 14. adducit ex Anselmo in Monologio, quæ ita habent: *quemadmodum itaquè vnum est, quidquid essentialiter de summa substantia dicitur; ita ipsa vno modo vna consideratione est, quidquid est essentialiter.* Et cum ostendisset hominem secundum vnam considerationem esse corpus, & secundum aliam rationalem, & secundum aliam hominem, subiungit: *Illa vero summa essentia non modo sic est aliquid, vt illud idem secundum alium modum, aut secundum aliam considerationem non sit: quia quidquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum quod ipsa est.* Ex his verbis colligit Bellomontanus

Explicatur.

Ad Anselm.

excludi distinctionem ex natura rei inter ea, quæ in Deo sunt.

Sed profecto nõ video, quomodo inde id magis colligatur, quam colligatur excludi omnem distinctionem rationis:
62. etenim verbis expressis asserit omnia, quæ in Deo sunt, in eo esse vno modo, & vna consideratione. Quod si hęc verba bene intellecta non excludũt distinctionem rationis; nec etiam excludent distinctionem ex natura rei, sed solam distinctionem realem. Etenim teste Bellomontano nomine considerationis intelligit nõ solam operationem intellectus, sed etiam rẽ ipsam, vt patet ex eo, quod ait *hominem secundum aliam considerationem esse corpus, & secundum aliam esse rationalem.* Sensus enim est, quod secundum vnam partem est corpus, & secundum aliam rationalis, nimirum secundum animam. Quare cum negat Deum id, quod est, esse secundum aliam, & aliam considerationem; solũ negat Deũ id, quod est esse secundum aliam, & aliam partem, aut secundum aliud, & aliud realiter distinctum; sed ita esse vnum id, quod in Deo est, vt tale sit secundum vnam, & eandẽ realem identitatem. Sensus igitur verborũ est: *quemadmodum vnum est* (scilicet realiter) *quidquid de sũma substãtia dicitur essẽtialiter*, id est, secundum ipsam diuinam essentiam: *ita quidquid de ea dicitur, dicitur vno modo, & vna consideratione*: quia semper conuenit secundum vnam, & eandẽ rem realiter indistinctã. Qui sensus, sicut nõ excludit distinctionem rationis, ita nec excludit distinctionem ex natura rei. Vide, quæ diximus supra quæst. 7. art. 2.

Pergit Bellomontanus in d. disp. 120.
63. n. 16. & 17. *nunc autem de relatione, & essen-*
Obijcitur *tia probatur primo auctoritate Damasceni* 1. *de*
Damasen⁹. *fide eap.* 11. *vbi sic ait: Vnaquæque enim ipsarũ personarum nihilo minus erga aliam se habet, quàm ipsa secum: hoc est vnum, idemque omnino sunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nisi quod Pater genitus non est, Filius genitus est, Spiritus processit: quod autem in ea dictum est, cogitatione sola distinguitur. Cum dicit sola cogitatione distinguitur excludit plane omnem aliã distinctionem ex natura rei. Cum vero ait in ea hoc est essentia, non solùm ostendit attributa illius, quæ antea enumerauerat, ab ea non distingui; verum etiam communem essentiam potentiam, bonitatem aliaque ibi enumerata ita esse eadem in tribus personis, vt ab eis non differant, nisi sola cogitatione.* Agnoscimus Damascenum inter relationes, & essentiam probare distinctionem per rationem, & intelligentiam. At quòd solam illam astruat verba allata non probant; sed sine exclusiua locum transfert Faber Stapulensis in hæc verba: *secundum omnia vnum sunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; præter (si ita dicamus) ingenitum, & gignentiam, & processionem. Ratione autem, & intelligentia hoc distinctum: nam vnum agnoscimus Deum.* Quod si litera græca exclusiuam continet, non negabimus Damasceneum esse contra Scotum. At non inde illius opinio damnari potest, vt periculosa in fide. Respõsio ad Damascenũ

Vlterius progreditur Bellomontanus in d. capite. 4. n. 17. §. *Secundo confirmatur*, & contra Scotum adducit sententiã Ioannis, Marci, & Andreæ in Concilio Florentino sessione 18. quorum verba inferius adducemus, cum vera quęstionis resolutio explicabitur. Quæ expressè probant attributa, essentiam, & relationem sola ratione distingui. At tamẽ nec inde sententia Scoti haberi potest, vt parũ tuta in fide, vt ex aduersarijs fatetur Torres de Trinitate quæst. 28. ar. 2. disp. 3. in secunda parte post principium pagin. 55. column. 2. & satis aduertunt Scotistæ, vt habes apud Radam in d. controuersia 4. §. *ad primum dico* pagin. 60. & nos iam aduertimus supra quæst. 5. artic. 4. §. 10. num. 161. etenim illa verba dicta sunt à theologis qui sententiam probabiliorem disputando asseruerũt. Pro quo notandum est distinctionem rei á re inter essentiam, & personas semper fuisse reiectam, vt impiam ab omnibus vtriusquæ Ecclesiæ disputatoribus: distinctionem vero rationis assertam esse, non vt certam, aut necessariam, sed vt probabiliorem, & magis receptam inter antiquos theologos.

64. Obijcit ex Concilium Florentino

Responsio.

Torres.

Rada.

Quod satis expressit Ioannes, qui Latinorũ agebat partes: nam Marco Ephesino interrogauti, an substantia, & persona essent idem? his verbis respondit: *Diuina substantia, & persona re quidem sunt idem; secundum autem modum intellectionis nostræ differre videntur.* Quod verbum denotat probabilitatem, non certitudinem, vt bene aduertit Rada. Vnde Marcus
65.

Ephesinus

Ephesinus ex parte Græcorum respondens Ioanni (pag. 838.) ita ait: *Quemadmodum diuina substantia, & persona differant inter se, non opus est in præsentia dicere; cum præsertim in hoc minime forte differamus: constat enim ipsas differre simpliciter, vt commune differt à proprio, vt Magnus Basilius ad suum Fratrem Gregorium scripsit.* Eundem sensũ satis explicauit Andreas Præsul colossensis ibi pagin. 842. col. 1. auditis enim Ioannis, & Marci disputationibus de nomine *substantia*, quasi illos concilians dixit Græcorum, & Latinorum theologiã in hoc conuenire, vt differat simpliciter proferre diuinam substantiam, aut substantiam Patris, Filijq; sumpta substantia pro hypostasi, & addit: *Haud quaquã tamen ex eo putare debetis, vt re differant, quandoquidem sola ratione, atque intelligentia differre credantur.* Quibus verbis manifestè declarauit distinctionem realẽ inter essentiam, & personas indubitanter reijci: distinctionem vero rationis, vt probabilem communiter admitti: nam verbum *creduntur* solam denotat probabilitatem.

66. Obijcit Cõcilium Rhemense. Persequitur adhuc Bellomontanus in d. cap. 4. n. 18. ita inquiens. *Tertio plurimũ valet contra Scotum celebris diffinitio Concilij Rhemensis, quam cap. 2. retulimus: 1. quia si, vt definiuit Eugenius, inter relationem, & essentiam ratio non debet distinguere, efficitur, vt formaliter ex natura rei non distinguantur: cum enim Eugenius definiuit, ne ratio distinguat, intellexit secundum phrasim Gilberti, quam cap. 1. commemorauimus, rationem, & considerationem non mathematicam, sed theologicam, quæ est ex natura rei, & ante nostram considerationem, vt ibidem explicauimus.*

67. Obijcit Bernardum. *Secundo; quia damnatur à Bernardo modus ille loquendi Gilberti: Pater est Deitas, id est Deus: est bonitas, id est bonus, eo quod putaret Gilbertus necessarium addere explicationem illam, id est, Deus: id est, bonus, vt propositio esset vera, displiceret etiam ei distinctio, quam inter personam, & essentiam diuinam Scotus constituit. Etenim ex hac Scoti sententia eodem modo sequitur addendam esse eandem explicationem, id est, Deus, vt prædicta propositio Pater est deitas, formaliter sit vera; nam iuxta sententiam Scoti Pater ex natura rei potius est Deus quam deitas; siquidem à deitate differt ex natura rei, & formaliter; & propositio illa sine explicatione in sensu formali, & ex natura rei non est vera.*

Tertio si magis probati discipuli Gilberti post Concilij diffinitionem dicebant inter relationem seu personam, & essentiam non esse distinctionẽ in intelligendo, sed in nominando, vt capite secundo explicauimus, efficitur solo nostro modo cognoscendi, qui variis vtitur nominibus, non autem consideratione theologica, quæ tendat ad rem ipsam, vt est in se, aliquam ibi posse distinctionem inueniri. 68. 3. Obiectio ex discipulis Gilberti.

Sed negandum est Bellomontato ex diffinitione Eugenij inferri essentiam, & relationem formaliter, & ex natura rei non distingui: nam quando Eugenius prohibet, *ne ratio inter relationem, & essentiam distinguat*; sicut non prohibet distinctionem rationis; ita nec prohibet distinctionem ex natura rei, sed solam distinctionem realem, quam Gilbertus hæretice introducebat. Qui sensus ex eo patet, quod damnat Deum dici Deum diuinitate in solo sensu ablatiui casus; cum etiam dici debeat Deus in Iesu nominatiui, ita vt dicatur deitate Deus, & Deitas. Iam verò sola distinctio realis sensum nominatiui tollit, non verò distinctio, aut rationis, aut ex natura rei. Quare, cum vetat, *ne ratio inter essentiam, & personam diuidat*, vetat diuisionem, quæ sensum nominatiui excludit. In hoc autẽ hallucinatus est Bellomõtanus, quòd putat Gilbertum nunquam declarasse distinctionem realem rei à re inter essentiam, & personas; sed solùm egisse de distinctione formali ex natura rei, quam (vt vult) intellexit per rationem theologicam: vtrunque esse falsissimũ contra eundem iam ostendimus supra quæstionne 5. art. 4. §. 9. n. 153. & 154. 69. Ad 1.

Quod vero secundo loco addit in sẽtentia Scoti hanc propositionem, *Pater est Deitas* explicandam esse per concretum, vt sit sensus, *Pater est Deus*, arguit Scotum ab eo male fuisse intellectum, imo falsum testimonium in re grauissima Scoto imposuisse, vt contra eũdem latè ostendimus in dicto §. 9. num. 150. vbi viri licentiam redarguimus. Et ibidem num. 154. in fine explicuimus mentem discipulorum Gilberti quam Bellomontanus tertio loco expendit contra Scotum: ideo enim dixerunt definitionem Eugenij esse veram *non in intelligendo, sed in dicendo*; quia intelligentia attingit rem, vt est in se; nonvero locutio. Volebant igitur istam propositionem 70. Ad 2.

tionem, *Deus est deitas*, in sola locutione admittendam esse in sensu nominatiui; non vero in intelligẽtia intellectus, quæ rem attingit; & ideo adhuc admittebãt realem distinctionem inter essentiam, & personam, quam ex suo præceptore didicerunt. Hęc est vera explicatio illius hæreticę explicationis; quæ vero à Bellomõtano affertur aliena est à mente illorum hæreticorum.

71. Facit Scotũ assertorem quaternitatis.

Sed adhuc in d.c.4. pergit, & Scotum facit assertorem quaternitatis in diuinis: nam postquam retulit definitionẽ Concilij Lateranensis contra Ioachimũ de qua in c. damnamus de summa Trinitate, ita scribit: *Scotus autem, Durandus, & qui asserunt distingui ex natura rei relationes ab essentia, quãtumuis addant nõ differre sicut rẽ & rem, sed sicut duas formales rationes, vt ait Scotus; aut sicut rem, & modum rei, vt inquit Durandus; nequeunt pluralitatem, & numerũ inter relationem, & personam ex natura rei negare, cum distinctionẽ adstruãt. Quod si realis pluralitas cõceditur, incidimus in aliquam quaternitatem, essentiæ nimirum, & trium personarum sicut Bernardus lib. 5. de cõsideratione ante medium contra Gilbertum inferre nititur. Nam postquam adduxit testimonium illud Boetij in lib de Trinitate, hoc verè vnum, in quo nullus est numerus, quod supra explicauimus disp. 116. c.4. probat in Deo esse solum numerum personarum, non naturæ: subiungit vero deinde; aut si diuidere quis conetur, vel personas à substantia, vel proprietates à personis; nescio quomodo Trinitatis se profiteri cultorem possit, qui in tãtam rerum numerositatem excesserit. Si ergo Scotus, Durandus, & alij distinguunt ex natura rei proprietates à natura: sequitur eos plusquam ternarium personarũ introducere, & vere quaternarium ex natura rei concedere.*

72. Liberãtur Scotus à calumnia præcedente.

Pro defensione Scoti statuendum est Concilium Lateranense solum damnasse numerum quaternarium rerum, vt in §. præcedente contra Valentiam iã aduertimus. Scotus igitur nõ negat numerum formalitatum inter essentiã, & personas; quia ex omni distinctione sequitur aliqua multitudo eiusdẽ generis cũ distinctione. At inde inferre numerum rerũ, ita vt essentia sit res distincta à relationibus, illatio est viro docto indigna; quoniã inter bonos philosophos cõstat vnam, & eandem rem posse habere plures formalitates actu distinctas secluso quocunque intellectu, vt contra Valentiã ostendimus in §. præcedente. Scotus igitur, vt veré catholicus nullã realem distinctionem admisit inter essentiam, & relationes; nec etiã admisit essentiam, & relationem esse plures res, vt idẽ Bellomontanus fatetur disp. 116. c.4.n.16. Cũ vero ex pluralitate formalitatum, rationũ formalium, atq; quiddi tatum, nisi ineptè, aut proterue, nõ inferatur pluralitas rerum, vt sæpe diximus frustra adducũtur Boetius, & Bernard. Ad Boetiũ. Nam Boetium solum agere de numero rerum, ex illius verbis patet, si fideliter adducantur; ita enim habent: *Quo circa hoc verè vnum, in quo nullus numerus, nullum in eo aliud præter id, quod est.* Hæc verba intelligenda esse de numero rerum iam aduertimus q.5.ar.4.§.10.n. 163. agunt enim de numero, in quo reperitur aliud & aliud. Iam vero aliud, & aliud non datur, nisi inter aliã, & aliã rẽ. Et ideo cũ dixisset, *in quo nullus numerus*, explicãs, de quo numero loqueretur, addit quasi appositorie *nullum in eo aliud*. Porro D. Bernardum etiam agere de numero rerum, ostendũt vltima verba: *Qui in tantam* (inquit) *rerũ numerositatem excesserit*: rerum, ait, non formalitatum. Ad Bernardum.

73. Adhuc instar Bellomontanus.

At pro impugnatione huius nostræ solutionis in d. cap. 4. n. 20. in fine §. *sed dices*, nostram adducit solutionem in hęc verba: *sed dices; Bernardus solum damnauit numerositatem illam vltra ternarium personarum, si esset rerum: at prædicti doctores non dicunt esse quatuor res, sed quator rationes formales, vt ait Scotus.* Quæ fuit nostra solutio; contra quam obijcit in hæc verba; *sed certè Bernardus nihil curaret, vtrum hoc, aut illo modo numerus introduceretur; dum tamen esset numerus in re ipsa ante intellectum.* Explicatur instantia. Dicimus: tollatur æquiuocatio, & apparebit captiosa locutio. Etenim, si *per numerum in re ipsa*, intelligat numerũ realem; non alius est numerus, quem Bernardus impugnaturus esset, sed ille idẽ est, quem Bernardus agnouit, & impugnauit. Sed Scotus hunc numerum non admittit. At si *numerus in re ipsa* idem est, quod numerus existens à parte rei secluso intellectu; negamus omnem talem numerum impugnandum iri à D. Bernardo; quia non omnis talis numerus est rerum, quem solum Bernardus impugnat. At inquit Bellomontanus, *si plures essent rationes ex natura rei, verus numerus*

esset

esset præter ternarum personarum. In hoc rursus petit principium; id enim negat Scotus; nec sine probabilitate: cum enim illa formalitatum pluralitas non faciat distinctas res, vt millies diximus; non potest ponere in numerum cum pluralitate reali personarum.

74. Adhuc objicitur Bernardus.

Sed adhuc instat Bellomontanus inquiens: *D. Bernardus, cum dixisset Deum esse longitudinem, latitudinem, altitudinem, & profunditatem, quibus videbatur quaternitatem introducere excusat se non dicendo illas esse quatuor res: sed dicendo, voces diuersæ, semitæ multæ sed vnum prorsus significatur.* Respondemus 1. D. Bernardum per semitas multas fortè intellexisse multas formales rationes perfectionum attributalium; quæ licet multæ sint in ratione semitæ; non tamen sunt plures res, sed vna cum ipsis personis. Respondetur secundo ex illis verbis solum posse colligi D. Bernardum admisisse solam distinctionem rationis: fortè enim non dum erat in vsu distinctio formalis media. Sed quid inde?

Explicatur.

75. Alia instantia ex Bernardo soluit.

Quæ importunè superaddit ex eodē Bernardo lib. 5. de consideratione, ad institutum non pertinent, intelliguntur enim de re quarta à Gilberto introducta. At iam ostendimus Bellomontanum non intellexisse verba Gilberti. Nō est igitur curandum de conclusione posita ad finem capitis, quia falso nititur fundamento.

Objicit cōtra rationes quæ iā sunt solutæ.

In 5. capite Bellomontanus contra Scotum repetit nōnullas rationes, quas iam adduxerat disp. 116. cap. 4. Nos eas iam dissoluimus supra quæst. 5. artic. 4. Primam (quam tribuit D. Bernardo) late explicauimus ibi §. 9. à n. 146. Secundam latè expendimus in d. artic. 4. §. 4 Vltimam, qua in fine capitis impugnat mediam distinctionem inter realem, & rationis latissimè dissoluimus in eodē ar. 4. §. 2. & ar. 2. eiusdem quæstionis §. 1. Et hæc pro solutione eorum, quæ contra Scotum attulit Bellomontanus.

§. 7.

Pro Scoto soluuntur argumenta Doctissimi Suarij.

76. Doctissimus Suarius lib. 4. de Trinitate cap. 4. latè impugnat sentētiā, quæ secluso intellectu inter essentiam, & relationes admittit actualem distinctionem. Et quāuis mitius loquatur; non inficiatur tamen ex opinione Scoti inferri quaternitatē in diuinis; quod satis est, vt Scoti opinio sit periculosa. Oportet igitur diligēter expendere argumenta, quibus nititur.

1. Objicitur ex doctrina Concilij Lateranensis.

Primo igitur suam sententiam probat ex doctrina Ecclesiæ in Concilio Lateranensi, Florentino, & Rhemensi. Ex Concilio quidem Lateranensi, quoniam in cap. *damnamus* de summa Trinitate diffinitur tres personas esse vnam essētiam, & substantiam: & in fine ita concluditur: *id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus, idem omnino.* Affirmatque hoc vltimum verbum plane stare non posse cum distinctione actuali. Ex Concilio autem Florentino ex eo sumit argumētum; quoniam sessione 25. in quadam Latinorum fidei declaratione sunt hæc verba: *Ne ipsam substantiam re, non autem sola ratione ab hypostasib⁹, & personis differre, credere videamur.* Quæ doctrina iterū, & iterum repetitur sessione 17. 18. & 19. Denique in Concilio Rhemensi in hæc verba scribitur: *& tres personas esse vnam diuinitatem, & vnaquanque proprietatem esse Deum.* Putatque hoc non esse verum, si à parte rei proprietates à diuinitate actualiter distinguuntur.

77. Solutio pro Scoto.

Pro Scoto ad id, quod adducitur ex capite *damnamus* respondemus verbum illud *idem omnino* non posse non intelligi de identitate reali, de qua sola in præcedentibus erat sermo: Dixerat enim *essentiam esse vnam summam rem, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* Et rursus, *& ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas: quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura diuina.* Quare verba illa; *id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus, idem omnino,* hunc habent sensum, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt, eadem omnino res, quæ est substantia, & essentia diuina. Et hunc sensum euidenter colliges ex verbis sequentibus: *licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus; non tamen aliud sed id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus, idem omnino; vt secundum orthodoxam, & catholicam fidem cōsubstantiales esse credantur.* Cum dicitur; *Alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud.* Sensus est quod non sint

aliud substantialiter: quod etiam denotat illud relatiuum, *id, quod est Pater*: sensus enim est; id, quod substantialiter est Pater, est etiam Filius, & Spiritus Sanctus; quia omnes tres personæ substantialiter sunt ipsa diuina substantia. Et ideo infert Concilium personas ita esse substantialiter idem omnino, vt secundum Fidem catholicam comsubstantiales credantur. Quare illa verba *idem omnino*, ad consubstantialitatem referenda sunt, vt sit sensus, sunt eiusdem omnino consubstantialitatis. Iam inquiro; quomodo distinctio actualis formalitatum repugnet huic diuinarum personarum consubstantialitati? Planè non video; nisi velit Suarius ex distinctione actuali formalitatum inferre distinctionem actualem rerum. Quod de viro verè doctissimo non est parcredere.

78. Ad florentinum. Argumentum ex Concilio Florentino mihi efficax est, vt dicam probabilius esse essentiam à personis actu non distingui, nisi sola ratione, de quo inferius: non tamen aliquid valet, vt sententia Scoti censeatur aliquid periculi in fide continere, vt ostendimus in §. præcedente.

79. Ad Concilium Rhemense. Ad Concilium Rhemense pro Scoto dicimus assertionem allatam, si non verbis formaliter, in sensu tamen haberi in illo Concilio. Et quanuis Eugenius statuerit, ne Canones illius Concilij haberentur pro regula fidei, vt ex Othone refert Bellomontanus in d. disp. 120. cap. 2. num. 11. assertionem tamen, vt de fide libenter admittimus. At negamus distinctionem formalem actualem stare non posse cum catholica illius assertionis veritate. Etenim, vt sæpe diximus, cum illa actuali distinctione formali optimè stat summa realis identitas inter essentiam, & proprietates, quę satis est, vt tres personæ sint vna diuinitas, & vt proprietas verè sit Deus, de quo inferius. Et cum hoc sit fundamentum Scotistarum, nec sane improbabile, mirum est, quod sine vlla adducta probatione à viris istis alioquin doctissimis asseratur actualem distinctionem stare non posse cum veritate illarum propositionum alioquin catholicarum. Etenim res controuersa in materia fidei non simplici assertione probāda est; sed ratione, non quacunque, sed firma, & solida

80. Obijcitur Athanasius Secundo loco suam sententiam probat Suarius ex Patribus: Athanasio, inquam, Damasceno, Bernardo, & Magno Dionysio. Verba singulorū expendam. D. Athanasius dialogo 1. de Trinitate cōtra Anomæos p. 1041. lit. D. agens de immortalitate, incorruptibilitate, iustitia, denominatione, potestateque diuina, quę Anomæus, quo cum disputabat, realiter distinguebat à diuina hypostasi, ita ait: *Nec Deus hæc esse dicitur per compositionem, sed ex diuersis considerationibus.* Explicatur Hæc tamen verba non ita fauent opinioni communi, quæ in Deo hæc sola ratione distinguit, vt non satis probabiliter explicentur de rationibus formalibus, quę actu in re distinguuntur: Deus enim dicitur quidem esse omnia illa diuersis considerationibus sūptis à diuersis rationibus formalibus attributorū. Quem sensum satis probabiliter explicat, dum ait: *Dictus est immortalitas, quod desinere; incorruptibilitas, quod dissolui non possit: iustitia, propter æquitatem, & sic de cæteris.* Quę omnia conueniunt Deo à parte rei, & non per solum intellectum. Consideratio igitur non ineptè sumi poterit pro ratione formali, quam intellectus cognoscit esse in Deo.

81. Obijcitur Damascen⁹ Damascenus (vt ait) clarius, & apertius id docet libro 1. de fide cap. 9. 10. & 11. vbi inter alia ita inquit: *Tres personas secundum omnia idem esse excepta oppositione relatiua.* Et infra ita scribit: *Diuinitas est in personis; vel (vt exactius loquar) personæ sunt diuinitas.* Ex prioribus verbis (ni fallor) ita videtur arguere: si personę secundū omnia idem sunt excepta oppositione relatiua. Ergo formaliter sunt idem cū essentia. Non igitur actu ab ea formaliter distinguuntur. Ex posterioribus autem non potest non ita argumentari: personæ sunt ipsa diuinitas. Ergo personę formaliter sunt ipsa diuina essētia. Sed profectò vtraque consequentia nō Explicatur satis videtur firma. Nam priora verba intelliguntur de sola identitate reali; quia relatiua oppositio hanc solam destruit. Sensus ergo erit: personæ diuinæ secundum omnia, quæ habēt præter relationes oppositas, sunt realiter vnum. Cum qua identitate potest simul esse distinctio formalis, vt sępe sæpius dixim⁹.

Conse-

Consequéntia ex verbis posterioribus valeret, si abstracta in diuinis solũ possent esse vera in sensu formali. At ex Scoto verissimaque sententia possunt etiam verificari in sensu identico; de quo inferiùs.

82. Obiectio ex Bernardo soluitur.

Ex D. Bernardo in 5. de consideratione c. 8. hæc verba refert: *personarum proprietates non aliud, quàm personas. & personas ipsas non aliud, quàm vnam essentiam, vnamque substantiam, & naturam diuinam fides Catholica profitetur.* Sed quid inde contra Scotum? Nunquid Scotus affirmat personas esse aliud, quàm diuinam essentiam. Etenim relatiuum *aliud* arguit non modo diuersitatem realem, sed etiam substantialẽ. Scotistæ autem vbiq; clamant cum idẽtitate substantiali esse posse distinctionem formalem; hoc autem verba Bernardi minimè impugnant.

83. Obijcitur, sed explicatur Dionysius.

Vltimo loco ex Dionysio de diuinis nominibus c. 2. adducit illa verba: *Totius proprietatis identitatem omnia superantem.* Et præterea, quòd vnitatem personarum in essentia dicat *esse summam, & superare omnem coniunctionem corporalem, & spiritualem.* Sed ex neutro loco sumi potest argumentum, quòd distinctionem actualẽ formalium rationum expugnet. Nam in prioribus verbis non esse sermonem de identitate proprietatum personalium, sicut supponitur, satis probat & varietas versionum, & illarum explicatio cõmunis inter interpretes. Quidam locũ vertunt *per identitatem totius proprietatis omnia superantem.* Alij *per immutabilitatem totius proprietatis*, vt habet versio antiqua apud Carthusianum, qui iuxta hanc posteriorem versionem ita locum explicat, vt diuina essentia (de cuius excellẽtijs ibi agitur) sit causa effectiua, & cõseruatiua proprietatum omnium rerũ.

84. Ex quo sensu nullum contra Scotum sumi potest argumentum. Recepta tamen, tanquam communiori, prima versione, verba illa non explicantur de idẽtitate proprietatis personalis (quia ibi explicantur excellentię non proprietatum, sed essentiæ, vt legenti patebit) sed de summa, & superexcellẽti identitate soli diuinæ essentię propria. Quasi dicat Dionysius illam identitatem, & vnitatẽ naturæ diuinæ, qua ipsa eadem est in tribus personis realiter distinctis, habere in se hanc proprietatem, vt longè excedat omnes proprias aliarum rerũ identitates: vide D. Thomam ibi lectione 2. in commento illorum verborum. Hæc autem huius identitatis excellens proprietas ex mente Dionysij in eo est posita, quod ipsa existens vna: & summa res veraciter est tres personæ realiter distinctæ summa quadam, & excellenti reali quadam identitate. In quo hæc identitas à Dionysio extollitur, & ab Ecclesia veneratur, tanquam propria solius essentiæ diuinæ: nihil curando de identitate, vel non identitate formali; quia nec formalis identitas hanc identitatem facit excellẽtiorem, nec distinctio formalis illam identitatem aufert. Ex quo iam intelliges verba posteriora nihil officere distinctioni formali inter essentiam, & personas: hac enim admissa vnitas personarum in essentia adhuc est summa, & longè superexcedens omnem vnitatem rerum tam corporaliũ, quàm spiritualium. Quæ nec perfectior esset, si cum identitate reali simul haberet idẽtitatem formalẽ: quoniam apud Scotum vnitas formalis in diuinis propter naturæ diuinæ excellentiam non est possibilis, vt iam ostendimus q. 5. ar. 4. §. 4. num. 84.

85. 1. ratio Suarij contrà Scotum.

Tertio loco idem Suarius in d. lib. 4. de Trinitate c. 4. n. 8. fiam contra Scotum sententiam pluribus rationibus cõfirmat. Prima ratio ex distinctione actuali in re infert personam diuinã non esse summè simplicem contra definitionem Concilij Lateranensis in c. *firmiter*, de Summa Trinitate. Sequelam probat: tum; quia si personalitas in re esset distincta ab essentia, iam non esset summè vnum cum illa, & per consequens non constitueret personã sine cõpositione. Tum secundò; quia persona diuina foret simplicior, si tali formalitatum pluralitate careret. Vnde D. Bernardus libr. 5. de consideratione c. 7: *nisi omnia vnũ in Deo, & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum. Mihi verò non deest quid cogitẽ melius eiusmodi Deo tuo. Quæris quid? mera simplicitas.* Et ad hanc simplicitatem explicandam tribuit Deo superlatiuum illud *vnitissimus*. Eadem ratio (inquit Suarius) sumitur ab Anselmo de Incarnatione c. 3. Richardo de Sancto Victore lib. 1. de Trinitate c. 7. Damasceno lib. 1. de fide cap. 12. dicente: *Deus simplex est,* Bernard.

& incompositus: quod autem ex multis differentibus coalescit, compositum est. Et cap. 13. generaliter concludit: *Illa igitur omnia in diuinitate accipienda sunt identiter (vt sic dicam) & omnino indiuidue.* Hæc in prima ratione Suarij.

Hoc tamen argumentum pro Scoto iam satis superque solutum est à nobis q. 5. ar. 4. §. 4: vbi diligenter ostendimus summam simplicitatem in diuinis optimè constare cum formali distinctione actuali inter essentiam, & attributa: eâdem igitur ratione optimè constabit simplicitas diuinæ personæ cum eâdem distinctione inter essentiam, & relationes. Ad argumẽtum igitur neganda est sequela. Prima illius probatio vim haberet, si identitas formalis inter essentiam, & proprietates admitteretur, vt posibilis: nec enim posset non arguere maiorem simplicitatem in diuinis personis. At apud Scotum talis vnitas formalis non est posibilis. Vide in d. §. 4. n. 83. Quod verò additur posita illa distinctione non posse personam non esse compositam; id negandum est: quoniã ad compositionem non satis est quæcunque distinctio; sed necessaria est distinctio eorum, quę inter se habeant rationem actus, & potentiæ. Vide in d. ar. 4. n. 93. In secunda probatione sequelæ neganda est illa maior simplicitas, vt ex dictis patet, & ostendimus in d. ar. 4. numer. 83.

86. Responsio.

Ad Bernardum.

Inde iam facilè intelligitur verba D. Bernardi nihil Scoto nocere; quia summa simplicitas in Deo non est expendenda penes vnitatem formalem (hæc enim in diuinis non est posibilis ex sẽtentia Scoti) sed penes vnitatem realẽ, de qua sola Bernardus agit: etenim sola illa efficeret Deum multiplicem, & compositum. Quare illa verba: *Nisi omnia vnum in Deo, & cum Deo consideres* ex mente Bernardi intelligenda sunt de vnitate reali, & eodẽ modo intelligẽdus est Bernardus, cum dicit, *Deum esse vnitissimum*, vt iam aduertimus q. 5. art. 4. §. 10. n. 163.

87. Ad Anselmum, & Richardum.

D. Anselmum in eodem loco etiam explicauimus. Richardus verò in lib. 1. de Trinitate c. 7. nihil hac de re scribit: citandus erat in lib. 2. de Trinitate c. 17: illum tamen agere de vnitate reali in citato loco ostendimus. Damascenum agere de multitudine, & differẽtia reali euidenter colliges ex probatione, quã post priora verba adiungit: *si igitur increatum incorporeum, immortale, æternum, bonum, & id genus substantiales differentias, differentesque substantias dixerimus in Deo; ex tot coalitum minimè simplex erit.* Ecce agit de substantijs differentibus substantialibus differentijs, quæ non possunt non esse realiter distinctæ. Quare cùm cap. 13. dicit, *omnia, quæ sũt in diuinitate accipienda esse identiter*, intelligendus est de identitate reali, quæ cum distinctione formali constare potest, vt sępius diximus. Et hæc de prima ratione.

88. Secunda ratio eiusdem contra Scotum.

Secunda ratio (vt ait numero 11.) *non minus est efficax: quia posita illa distinctione personalitas Dei non erit essentialiter Deus; sed suo modo habebit distinctam entitatem ab essentia Dei. Erit ergo quid creatum, vt suprà argumentabamur, & colligit Bernardus in d. cap. 7. concludens nihil posse esse in Deo, nisi quod Deus sit.* Hæc in secunda ratione in d. num. 11.

Solutio.

Sed non video, vbi posita sit huius rationis efficacia, ne dum maior efficacia. Eâdem contra Scotũ vtuntur Torres, & Cumelius, vt vidimus q. 5. ar. 4. §. 7. n. 121. atque etiam Bellomontanus, vt vidimus in d. ar. 4. §. 10. n. 158. Vtroque in loco eam dissoluimus: in §. 7. n. 123. in §. 10. n. 164. In forma respondent Scotistæ personalitatem Dei essentialiter, & formaliter non esse Deum; quia personalitas in sua ratione non includit diuinam essentiam, quam sententiam prę ter Scotistas, quamplurimi alij approbarunt, vt suo loco dicemus: attamen realiter esse Deum: & ob id inutiliter infertur eam esse creaturam. D. autem Bernardus contra Gilbertum arguebat supposita distinctione reali, quam admittebat Gilbertus. Et in hoc sensu optimum erat Bernardi argumentum, vt diximus in d. §. 10. n. 164.

89. Vltima ratio soluitur

Omissa tertia ratione, quia contra Scotum non militat, vltimam rationem adducit n. 13: *quia ex actuali distinctione sequeretur aliquo modo à parte rei dari in Deo quaternitatem: quia erunt in Deo tres formalitates reales, & vna res à parte rei ab ipsis distincta. Hoc autem est, quod damnatur in c. damnamus, de Summa Trinitate: vel certè multum ad illud accedit.* Sed profectò mirum est, quod accedat ad quaternitatem rerum (quæ sola damnatur in d. c. damnamus) qui

qui constanter confitetur essentiam esse vnam summam rem cum personis? nã distinctio rationum formalium non infert plures res, sed cum vna re realiter vnitissima optimè consistit; quod est Scotistarum fundamẽtum nequaquam euersum, aut à Suario, aut ab alijs: cum tamen in illius euersione totis viribus elaborandum esset.

§. 8.

Dissoluuntur argumenta, quæ contra Scotum objcit Molina.

90. REstat adhuc dissoluere argumẽta, quibus Molina 1.p. q.28.ar.2. disp. 5. conclusione 2. putat sententiam Scoti non esse in fide tutam.

Primũ arg. Molinæ. Primo loco sic arguit. *Quoniam essentia diuina ob sui infinitatem eminentiam, & illimitationem non minorem vim habet, vt cum ea sint idem formaliter, quæ inter se sunt indistincta formaliter quàm vt cum ea sint idem re, quæ inter se realiter distinguuntur: nec vnum est mirabilius, quàm aliud. Sed de fide est personas & relationes diuinas, quæ secundùm rem inter se distinguuntur, esse idem re cum essentia: aliàs in Deo esset quaternitas rerum contra id, quod in Concilio Lateranensi in c. damnamus de Summa Trinitate est dissimum. Ergo eædem personæ, & relationes diuinæ, quæ inter se formaliter distinguuntur, erunt etiam idem formaliter, & ex natura rei cum essentia diuina.*

91. Solutio. Hoc argumentũ non satis est, vt opinio Scoti videatur minus tuta, si expẽdamus, quæ latissimè diximus q.5.ar.4. §.3.à n.60. cum sequentibus: vbi contra nostrum Gerardum, Caietanũ, & quosdam alios probabilissimum iudicauimus, omnia, quæ sunt in Deo, quoad suã realitatem transire in vnam realitatẽ essentiæ; non tamen quoad suam formalitatem. Et ob id diuinã essentiam vnitè continere realitatem omnium, quæ in se habet; non tamen omnium formalitatem. Rationem discriminis ex Scotistis assignauimus ibi, & clariùs §.4.n. 83.84.& 85. quia perfectio diuinę entitatis ex sua natura infert non posse dari in Deo vnam rationem formalem. Quare ad hoc argumentum Molinę maior neganda est, & de facto negatur à Scoto, & à Scotistis: nec sine probabilissimo fundamento, si expendantur, quæ ibi diximus. Nec enim repugnat diuinę perfectioni, quod omnia in Deo sint realiter vnum, & idem; imò hoc ex perfectione diuinę infinitatis fit consequens: at tamen diuinæ perfectioni repugnat omnia formaliter esse vnum.

92. Fundamentum est, quia diuina perfectio, ideo quia infinita, ex sua natura postulat, vt illa summa vnitas realis formaliter sit omnis perfectio, non solùm collectiuè; sed etiã diuisiuè: in hoc enim diuina perfectio omnem creatam intelligentiam excedit, quod actu, & formaliter est iustitia, similiter, & misericordia: & ita sit formaliter iustitia: vt per rationem iustitiæ formaliter sit iusta, non verò per rationem misericordiæ. Quæ excellentia nullo modo admittit vnam solam rationem formalẽ, sed necessariò postulat plures formales rationes inter se actu distinctas. Igitur infinitas diuinæ essentiæ non ideo desinit formaliter identificare omnes formales rationes eorum, quæ sunt in Deo, quod id sit mirabilius, sed quod ex natura rei est simpliciter impossibile. Latiùs hæc vide in d.§.3.& 4.n.85.

93. Secunda ratio Molinę. Secunda ratio Molinę ita habet: *Si relationes diuinæ ex natura rei distinguerentur formaliter ab essentia, aliquid esset in Deo, nempe Pater, constitutum ex rationibus formalibus distinctis inter se formaliter, videlicet ex essentia, & relatione; ex quibus non secus tanquam ex rationibus formalibus formaliter inter se distinctis constaret, quam angelus ex genere, & differentia tanquam ex rationibus formalibus inter se distinctis constat. Id verò pugnat cum diuina simplicitate: simplicius namque quidppiam esset Pater, si alteram tantùm rationem formalem haberet, quàm habens duas formali diuersitate distantes inter se. Accedit, quia videtur id esse contra cap. firmiter, & c. damnamus de Summa Trinitate. In quorum* 1. dicitur, Deum esse tres personas, & vnam essentiam simplicem omnino, *hoc est nec compositam in se, nec cum alio. In secundo verò sic asserit*, Vna summa res veraciter est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: tres simul personæ, ac sigillatim quælibet earũ: & ideo in Deo solummodò trinitas est, non quaternitas: quia quælibet trium personarũ est illa res, videlicet substantia, essentia, & natura diuina. *Hæc Concilium. Quibus in eodem capite hæc subiunguntur:* licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus; non tamen aliud: sed id, quod est

Pater,

Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus, idē omnino. *Qua planè sententia absoluta identitas etiam formalis cuiusque personæ cum natura diuina apertissimè indicatur.*

94. Solutio. Si verbis Concilij apertissimè indicata est identitas formalis cuiusq; personæ cum natura diuina: cum verba Cōcilij certissimam fidei diffinitionem cōtineant; vtique iudicatum est contra sententiam Scoti: nec poterit non censeri nonmodò parum tuta in fide, sed erronea, imò, & hæretica. At quis hoc dicet? Sed nec verba Concilij apertissimè indicant illam formalem identitatem; nec ratio eam conuincit. Hoc posterius inde vel euidentissimè patet; quoniam maior semper est falsa, siue dicas gradus metaphysicos generis, & differentiæ distingui ex natura rei; siue sola ratione ratiocinante. Et quidē falsitas illius apparet; si gradus generis, & differentię distinguuntur ex natura rei: ita enim sunt distincti, vt inter eos verè reperiatur ratio potentię, & actus, quātunuis sint idem realiter: cuius rationē assignauimus q. 5. ar. 4. §. 4. n. 99. cum sequentibus. Vnde ex illis datur vera cōpositio metaphysica, quę est communis sententia Scotistarum, de qua vbi suprà n. 98. quam satis expressit Scotus in 1. d. 5. q. 2. litera M. §. *qualiter autem stat.* Et quodlib. 5. litera O. & in tractatu de primo principio cap. 4. in probatione primæ conclusionis. Vide etiam illum in 1. d. 2. q. 7. & in 2. d. 3. q. 1. & in 7. Metaph. q. 16. Quem sequuntur omnes sui: Lichetus, Bargius in locis citatis, Antonius Andreas in 7. Metaph. q. 7. Iandunus 2. Metaph. q. 9. Rada 1. tomo controuersia 4. ad quartum principale pag. 68. col. 2. & in 2. appendice obseruatione 3. pag. 73. col. 1. Eandem sententiam constanter defendit Fonseca in 5. Metaph. c. 6. q. 6. ar. 2. §. *potest autem distinctio*, & c. 7. q. 3. sect. 3. ad 2. tertiæ sententię, pag. 393. & latiùs in 7. Metaph. cap. 12. q. vnica sect. 12. quam sententiam ego puto esse verissimam; à qua non longè habet ipsemet Molina 1. p. q. 5. art. 7. disp. 1. §. *quod autem*, quatenus ait genus cum sua differentia componere speciem, & q. 5. ar. 2. dum ex sententia Aristotelis affirmat genus contrahi, & determinari per differentias, non secùs atque materia determinatur per formam. Quare cum rationes formales, ex quibus constat diuina persona, propter perfectissimam realem identitatem, qua identificantur omnibus modis excludant omnem rationem actus, & potentiæ; omnem item rationem contrahibilis, & contrahentis, vt patet; falsissimū est rationes istas formales eodē modo se habere ad personam diuinam, quo se habent rationes formales generis, & differentiæ ad angelum.

Scotus. *Lichetus.* *Bargius.* *Antonius Andr.* *Iandunus.* *Rada.* *Fonseca.* *Molina.*

96. Porrò si existimas gradus generis, & differentiæ non differre ex natura rei, sed sola ratione (quę fuit opinio D. Thomæ, & eorum, quos refert, & probat Cursus Conimbricensis q. 4. in præfationem Porphyrij ar. 2. in secunda sententia, & probat Suarius in Metaphysi. disp. 6. sect. 9. vt alios omittamus) si inquam ita existimas; adhuc maior est neganda: quoniam auctores illius sententiæ expressè docent intellectum inuenire fundamentū in re ipsa, vt ex illa possit concipere vnam rationem, vt potentialem, & determinabilem, & alteram, vt actualem, & determinantem, vt expressè habes apud Suarium, & Cursum Conimb. locis citatis. Cum tamen in diuinis intellectus tale fundamentum inuenire non possit. Denique cum Angelus admittat compositionem metaphysicā ex illis gradibus distinctis, ex quibus componitur: hanc autem compositionem in Deo ipse etiam Molina non agnoscat 1. p. q. 3. ar. 5. non potest non esse falsum ex opinione Scoti inferri nō secùs diuinam personam constare ex rationibus formalibus essentiæ, & relationis actu distinctis; quàm constet angelus ex conceptibus generis, & differentiæ, qui actu inter se formaliter distinguuntur: etenim inter vnam, & aliā constitutionem longum est discrimen, vt ex dictis patet. Maiore autē non admissa corruit rationis machina. Quòd verò in minore sumit Patrem diuinum simpliciorem futurum, si vnam tantùm rationem formalem haberet, iam eidē Molinæ hoc negauimus suprà q. 5. ar. 4. §. 4. n. 83. quia talis simplicitas non est possibilis, vt ad primum diximus. *Molina.* 97.

Quæ adducuntur posteriori loco ex Concilio Lateranensi in c. *firmiter*, & in c. *damnamus*, explicauimus in §. precedēte in principio. Ex ijs, quæ ibi diximus, clarè

clarè videbis, quàm longè sit à mente Concilij iudicare identitatem formalẽ.

98 Tertia ratio eiusdem Molinę: *si relationes ex natura rei distinguerentur formaliter ab essentia, essentia compararetur ad illas tanquam potentia ad actus: essent namque formæ ex natura rei distinctæ, quasi superuenientes essẽtiæ eamque actuantes, & determinantes ad verissimam constitutionem ex natura rei, & non solùm ex nostro intelligendi more diuinarũ personarum. Præterea eiusmodi relationes nec essent Deus, neque Deitas in sensu formali, simpliciterque, & absolutè loquendo: & quod inde fit, aliquid esset in Deo, quod non esset Deus.* Hæc Molina. Sed quod primò infertur (essẽtiam scilicèt comparari ad proprietates, vt potentiam ad actũ) non erat simpliciter assumendum, sed probandum: quia sequela illa negatur à Scotistis, tũ in hac quęst. tum in quæst. de distinctione attributorum ab essentia. Expressè negatur à Scoto in 1. d. 8. q. 3. litera K. & in 1. d. 5. q. 2. litera R. negat Herrera 1. tom. disp. 7. q. 3. in 3. notab. pag. 103. & ad 1. pro prima sententia pag. 106. col. 1. & q. 5. concl. 2. pag. 120. Rada 1. tomo controuersia 24. §. *Sed obijciunt nobis*, pag. 343. col. 2. Fundamentum est; quoniam ex Scoto in d. q. 3. litera K. & sæpe alibi summa, & perfectissima identitas realis, qua essentia realiter est vnum cum relationibus, & attributis, excludit ab illis omnem rationem potentiæ. Vide, quæ pro Scotistis diximus suprà q. 5. ar. 4. §. 4. n. 100. cum sequentibus. In re igitur graui, & contra grauissimos theologos non est credendum Molinæ, nisi probet. Sicut etiam non debet esse satis, quod Molina putet esse absurdũ relationes ex natura rei, & non solo nostro modo intelligendi personas constituere, quoniam Scotistę id non reputant absurdum, sed verissimum, vt videre est apud Herreram in d. disp. 7. q. 3. concl. 4. & clariùs q. 5. concl. 2. & apud Radam in d. controuersia 24. concl. 7. qui omnes fatentur personas realiter constitui per relationes secluso omni ordine ad intellectum. De quo disputare non est huius loci.

Terria ratio Molinæ. Solutio. *Scotus.* *Herrera.* *Rada.* *Herrera.* *Rada.*

99. Illud aduertimus non posse non reprehẽdi, quòd vnus doctor, doctissimus quidèm, sed modernus rem inter doctissimos controuersam simplici sua assertione definiat, inde inferens oppositam sententiam esse parum tutam.

Quarta ratio eiusdem Molinæ *sumitur ex Concilio Florentino sessione 18. & 19. vbi sæpe asseritur relationes sola ratione distingui ab essentia. Accedit illud commune theologorum proloquium, in diuinis omnia sunt vnum, vbi nõ obstat relatiua oppositio: cuius fit mentio in Concilio Florentino sessione 19. fuitque desumptum ex Anselmo in lib. de processione Spiritus Sancti cap. 13.* Hæc Molina. Sed ad Concilũ Florentinum iam respondimus suprà §. 6. vbi vide. Proloquium verò, quod obijcitur, parum habet efficaciæ, vt iam aduertimus suprà q. 5. art. 4. §. 8. n. 140. euidenter enim intelligitur de vnitate reali, quę in diuinis, nisi per oppositionem relatiuam tolli non potest: & hic est communis sensus talis proloquij.

Quarta ratio Molinæ. Responsio.

Hæc satis dicta sint á nobis, vt opinio Scoti vindicetur à nota censuræ, qua à quibusdam nouioribus nostri temporis immeritò notatur. Nũc explicemus quænam sententia sit probabilior.

§. 9.

Opinio negans est verissima.

100. QVanuis opinio affirmãs sine vllo fidei periculo defendi queat: mihi tamen semper fuit verissima opinio, quæ negat essentiam à relationibus personalibus actualiter distingui distinctione ex natura rei, atque formali secluso omni opere intellectº. Quare sicut q. 5. ar. 5. secluso intellectu nullam actualem distinctionem admisimus inter essentiam, & attributa; ita nunc inter eandem, & suas personales relationes nullam talem distinctionem admittimus.

101. Huius opinionis veritatem maximè mihi confirmat, quòd in Concilio Florentino vtraque Ecclesia Latinorũ, scilicèt, & Græcorum sine vlla contradictione approbauit essentiam à proprietatibus sola ratione distingui, vt in sequenti art. videbimus. Et quanuis hæc approbatio non fuerit decretum fidei; magnum tamen habere debet authoritatis pondus, vt sententiam illam amplectamur, tanquam verissimam. Cui etiam accedit: quoniã ex Patribus pro hac sententia habemus Athanasium, & Damascenum, de quo in sequenti artic. Adde etiam, quod antiquiores theologi

Confirmatur ex Florentino.

ante

ante Scotum solam distinctionem rationis agnouerunt, vt etiam in sequenti artic. ostendemus. Ex his verò, qui post Scotum scripserunt, communior pars contra eum suam sententiam dixerunt, vt ostendimus §.4. imò præter Scoti discipulos vix inuenias, qui Scoto adhæreat. Quin potius, & ipse Scotus non est ausus à communi sententia asserendo discedere, sed solùm disputando, & sine præiudicio melioris sententiæ, vt patet in 1.d.2. q.7. §. *Sed hic restat vlterior*, litera EE. nec desunt, qui negent sententiam affirmantem in sensu explicato placuisse Scoto; ita enim existimat Herrera 1. tom. disput. 8. q. 13. in vltima sententia. pag. 200.

Scotus.

Herrera.

102. Proprium fundamentum.

Mihi hoc vnicum sit fundamentum; quia non video, cur diuinæ essentiæ, & relationibus ex natura rei sit concedenda sûma vnitas realis, qua realiter sint vnum; neganda verò vnitas formalis, qua sint vnum, & idem formaliter. Nec satis est recurrere ad impossibilitatem vnitatis formalis, ad quam superius cũ Scotistis recurrimus: id enim non esse satis probabile iam ostendimus q. 5. ar. 5. n. 5. vbi vide. Porrò si semel admittatur non repugnare dari in diuinis vnam rationem formalem essentię, & relationum; vtique sine fundamẽto negabitur in diuinis: quia negandum non est maiorem esse vnitatem, quæ plura inter se vnit tam realiter, quàm formaliter, quã si illa vniat solùm realiter. At si talis vnitas maior est, vtique maior etiã erit simplicitas; & subinde absq; dubio erit tribuenda Deo. Quomodò autem hæc formalis vnitas essentiæ, & relationis ita sit in diuinis, vt diuina substantia sit formaliter absoluta, & formaliter relatiua; ita vt sub ratione absoluta substãtialiter vniat personas; sub ratione verò relatiua eas realiter distinguat? ostẽdemus ar. 5. Restat argumenta pro Scoto adducta dissoluere.

§. 10.

Soluuntur argumenta partis affirmantis posita §. 3.

103. Ad August.

NEc obstant, quæ §. 3. adduximus pro sententia affirmante. Ab auctoritatibus Augustini facilè se liberat Bellomontanus 1. p. disp. 120. c. 6. in fine, dum ait Augustinum solùm voluisse significare distinctionem rationis inter essentiam, & relationes, vt ostenderet eas alio, & alio modo significari. Sed cum ea, quæ Augustinus docet, vera sint ante omnem intellectus operationem; imò etiam secluſa omni habitudine ad distinctionem rationis, vt patebit ar. 5. non est satis hæc solutio. Melius occurrit Caietanus 1. p. q. 39. ar. 1. §. *ad auctoritates autem*. Augustinum loqui de relatione, & essentia, vt de distinctis formaliter; quia à parte rei sunt formaliter distincta, non quidem actualiter, sed virtualiter: hæc enim distinctio satis est, vt vera sint, quę Augustinus docet. Quomodò autem id sit explicandũ, ostendemus ar. 5. postulat enim id diligentiorem explicationem.

104. Ad fundamentum Nominalium. *Molina.*

Ad primam rationem, quæ est vnicũ fundamentum Nominalium respondet Molina 1. p. q. 28. ar. 2. disp. 5. post secundam conclusionem, & admittit essentiã, & paternitatem non esse idem adæquatè; in hoc tamen sensu; quia paternitas ita est realiter idem cum essentia, vt tamen nõ sit realiter idem cum omni eo, quod realiter est idem cum essentia: etenim paternitas non est idem realiter cum filiatione, cum qua essẽtia realiter est idem. Ex hoc tamen antecedente ita explicato non bene infertur (vt ait) paternitatem, & essentiam distingui ex natura rei. Et ratio est; quia illa non identitas non est eius, quòd dicitur non idẽ adæquatè, sed alterius, quod cum ipso est idem. Sed nõ video, cur illa non idẽtitas non sit ipsius paternitatis, si ipsa paternitas ex se vendicat realem identitatem cum essentia, quæ ex sua natura est idem cum filiatione, à qua paternitas realiter distinguitur. Quòd si paternitas ex se habet, quòd non sit adæquatè idem cum essentia, adhuc vim habet difficultas. Quare facilius respondebimus argumentũ optimè probare distinctionem formalem ex natura rei inter essentiam, & relationẽ; non tamen benè probare distinctionẽ actualem, sed solã virtualem: hęc enim satis est, vt essentia possit esse realiter idem cum personis realiter distinctis: siquidem illa vnitas formalis, quæ adęquatè est formaliter essentia, & relatio, adæquatè non est formaliter singula, sed solùm inadæquatè.

Quæ

Quæ solutio melius explicabitur ex ijs, quæ dicemus art. 5.

105. Ad 2. Ad secundum; quod est Scoti, communis est responsio, & satis facilis sūpta ex Caietano in dicta quæst. 39. art. 1. §. *ad secundum verò dicitur*, Patrem intelligere essentiam, & paternitatem, non vt duo obiecta in se actu distincta, sed vt obiectum vnum actu, virtute autem plura. Quo vno intuitu illa actu distinguit, de quo vide, quæ diximus suprà quæstione sexta, articulo quinto, §. 3. ad secundum, num. 29. & ita cessat argumenti machina. Cum Caietano conueniunt ferè omnes.

106. Ad 3. communis solutio. Ad tertium communis solutio negat maiorem. Ratio est, quia licet verissimum sit contradictoria non posse verificari de aliquo, quod omnibus modis est idem; sed necessariam esse in aliquo aliquam distinctionem, vt rationem contradictoriorum amittant: tamen non semper necessariam esse distinctionem actualem in re; sed satis esse distinctionem rationis, vel ratiocinantis, si termini contradictorij fuerint solius ratiocinantis rationis; vel ratiocinatæ, si distinctio sit in re fundata, quæ communiter appellatur distinctio virtualis. Et ad hunc modum explicanda est communis solutio, quæ docet distinctionem rationis satis esse, vt termini contradictorij verificentur de eàdem re amissa contradictionis natura. Quæ doctrina sumpta est ex Diuo Thoma in primo Sententiarum distinctione 5. q. 1. artic. 1. ad primum, & distinctione 33. quęstione 1. ar. 4. ad primum; & de potentia quæstione 8. artic. 2. ad septimū. Quam probant Capreolus, Aiala, Torres, Molina, Valentia, Cumelius, Suari', Bellomontanus cum cæteris, quos citauimus suprà q. 5. ar. 8. §. 3. n. 12. Quare, cum relatio, & essentia inter se distinguantur ratione ratiocinata, vt patebit ex sequenti articulo; satis erit hæc distinctio rationis, vt contradictoria, quæ in omnibus ferè argumentis nobis obijciuntur, de essentia, & relatione aptissimè verificentur. Verissimè igitur dicitur essentiam, vt distinguitur à Patre, non generare; Patrem tamen generare, vt distinguitur ab essentia. Eàdem ratione essentia, vt ratione distinguitur à relatione, est communicabilis: relatio verò, siue persona, vt ratione distinguitur ab essentia, est incōmunicabilis.

D. Thom. *Capreol.* *Aiala.* *Torres.*

Sed intellectus in hac generali doctrina non quiescit. 107. Non satisfacit. Nam intellectus verè theologus statim inquirit, an illa contradictoria vera sint de illa vna re, quę realiter, & formaliter est essentia, & relatio secluso omni intellectus opere; an verò sit necessaria actualis distinctio per intellectum? Cui difficultati solus Bellomontanus expressè, atque directè occurrit, affirmans, vt contradictoria illa actu sint vera, necessariam esse distinctionem actualē factam per intellectum diuersis conceptibus actu concipientem essentiam, & relationem. Opinio Bellomontani. Ita 1. parte disputatione 120. cap. 6. n. 25. Quo loco carpit Episcopum Canariensem Bartholomeū de Torres, quod senserit contradictoria illa verificari; antequam intellectus essentiam, & relationem distinguat. Etenim Bellomontanus in ea est sententia, vt ista rationis distinctio inter relationem, & essentiam nullum habeat fundamentum ex parte Dei, vt est in se; sed solùm in relatione, & essentia, quę in rebus creatis reperiuntur distincta: ab his enim intellectus noster mouetur, vt in Deo illa cōcipiat, tāquam distincta. Ex hoc infert in Deo, diuinaque substantia, vt est in se, nullam dari fundamentalem contradictionem inter essentiam, & relationē: & ob id beatos, qui Deum vident, sicuti est, nullos formare posse terminos contradictorios, nullasq; contradictorias propositiones de relatione, & essentia: quas tamen nos ideo formamus, quia Deum non concipimus, vt est in se; sed prout à nobis per diuersos conceptus cognoscitur. Inde infert fieri nullo modo posse, vt de essentia, & relatione verè enuntiemus contradictoria, nisi facta prius inter eas actuali distinctione.

Sed non videtur Bellomontanus statum difficultatis attigisse. 108. Non recipitur. Nā, vt omittamus; quæ falsò supponit; nunc non inquirim', an actualis distinctio rationis necessaria sit, vt de essentia & relatione cōtradictoria à nobis verè enuntiētur. Quis enim de hoc vnquā dubitauit? Nā si intellectus noster non potest facere actuales prędicationes, nisi extrema propositionū actu concipiat; vtiq; prius quā formet has propositiones, *essentia nō gene-*

rat: Pater generat, form are debet cõcept⁹ distinctos tum essent; æ, tum etiam Patris. De hoc igitur non inquirimus; sed inquirimus, an significata illarum propositionum (quæ sunt æternæ veritatis, cum sint propositiones necessarię) sublata omni intellectus operatione sint vera: ita vt sublato omni intellectu Patri diuino conueniat generare, essentiæ verò non conueniat: paternitati conueniat non communicari, essẽtiæ autẽ verè cõueniat. Nõ puto, quòd aliquis negabit significata illarum propositionum vera esse sublato omni intellectu: quia nullus negabit propositiones, quarum veritatem de Trinitate ad intus fides prædicat, esse necessarias: & subinde esse æternæ veritatis. Quomodò enim mysteria Trinitatis, quæ ad intus sunt, simpliciter, & absolutè prolata, non erunt æternæ veritatis?

109. Alia respõsio.

Sed respondebit aliquis propositiones illas, earumque significata esse ęternæ veritatis, non quidem considerata Trinitate, vt in se est, sed prout cadit sub nostros conceptus. Sed non possum cum Scotistis non admirari, quòd theologi isti omnia Trinitatis mysteria ad nostros conceptus referant; ita vt illorum veritas non pendeat ab ipsa Trinitate, vt in se est, sed prout à nobis concipitur. Quæ theologia, si illis placet, mihi maximè displicet, & displicuit Radæ primo tomo controuersia 24. pagina 342. columna 2. in principio, vt alios omittamus: etenim veritas illa prima in se ipsa datur, & à se ipsa pendet; cum in re ipsa prior sit omni dependentia à distinctione nostrorũ conceptuum; non modo actuali (quam Bellomontanus, vt necessariam requirit) quia potuit Deus nullum intellectum creare: sed nec possibili; quia illa omnino permaneret, si per impossibile nulla creatura intellectualis foret possibilis.

Non admittitur.

Radæ.

110.

Porrò si propositiones illæ sunt ęternæ veritatis, & illarum significata ex se ipsis sunt vera sublata omni dependentia ad nostrum intellectum; vtique sublato omni intellectu reperitur in Deo fundamentalis illa contradictio; ita vt de illa summa re, quæ est Trinitas, termini isti contradictorij fundamentaliter sint veri; quidquid cum Bellomontano vbi supra oppositum dicat Suarius in dicto libro 4. de Trinitate capit. 4. numer. 18. Admissa autem hac fundamentali contradictione, non potest non admitti aliqua distinctio ex natura rei fundata in ipsa substantia diuina omni sublato intellectu. Cum verò hæc distinctio non sit actualis iuxta sententiam verissimam, quam defendimus; vtique erit virtualis, quam esse admittendam, patebit ex art. 5. quidquid reclamet Bellomontanus.

Ad tertium igitur argumentum simpliciter neganda est maior; quia, vt cõtradictoria de duobus verificentur, nõ est per se necessaria aliqua distinctio actualis inter illa, sed satis est virtualis, si debitè explicetur, de quo in dicto art. 5.

Ad quartum admisso antecedente admittenda est consequentia, si consequens intelligatur de distinctione, aut actuali, aut virtuali. Neganda est tamen, si consequens intelligatur de sola actuali. Cuius probatio eodem modo est distinguenda: etenim satis est intelligibile suppositio lumine fidei, quod vna, & eadem res, si virtualiter sit multiplex, communicabilis sit, & incommunicabilis, de quo plura artic. 5.

111. Ad 4. arg.

Ad quintum admittendum est paternitatem ante omnem intellectum constituere Patrem in esse personæ realiter distinctæ à Filio. Quando verò inquiritur, quomodò eum constituat; respondetur illum constituere, prout formaliter virtualiter distinguitur ab essentia. Nam illa formalis vnitas adæquatè continens (formaliter tamen) formalitatem essentiæ, & formalitatem relationis, constituit Patrem, non sub tota adæquata sua formali ratione, sed sub inadęquata, quatenus inadæquatè formaliter est relatio. Vide articulo quinto.

112. Ad 5. arg.

Ad sextum admisso antecedente quoad omnes partes negatur consequentia. Ad probationem dicimus antecedens nullo modo posse verificari, si essentia omnibus modis esset realiter, & formaliter idem cum relatione. At tamen quia ab ea distinguitur formaliter virtualiter; ideo consequentia non bene deducitur ex antecedente.

113. Ad 6.

Ad

Ad 7. Ad 7. similiter neganda est consequentia: quia satis est distinctio virtualis inter essentiam, & relationē, vt personæ realiter conueniant essentia, differant autem relatione.

Ad 8. Ad 8. consequentia similiter est inutilis, si consequens intelligatur de non identitate formali actuali: quia satis est non identitas virtualis inter paternitatem, & essentiam, vt Pater generando communicet essentiam Filio, non autem paternitatem.

Ad 9. Ad 9. eodem modo respondetur; quia ad illud satis est distinctio virtualis.

Ad 10. Ad 10. de antecedente est dubitatio; illo tamen admisso admittimus relationem non posse non distingui ab essentia formaliter: quia necessariò debet distingui formaliter ab ea, distinctione vel actuali, vel virtuali.

Ad vltimū. Ad vltimum admittimus totum discursum: quia essentia secluso omni intellectu verè distinguitur à se ipsa. Inde tamen non infertur eam formaliter actualiter distingui à relatione.

ARTICVLVS. IIII.

An essentia à relatione actu distinguatur per solam rationem?

1. Sensus quæstionis. IN hoc artic. sermo est de sola actuali distinctione: in sequenti enim articulo inquiremus, an secluso intellectu aliqua alia detur distinctio inter essentiam, & relationem, præter actualē. Quæstio cum sit exclusiua, duas habet præiacentes. Vnam affirmantem, an essentia per rationem actu distinguatur à relatione? Alteram negantem; an nulla alia distinctione distinguatur ab ea? Ratio hoc loco idem est, quod intellectus: & est sensus, an essentia à relatione solùm distinguatur distinctione facta per intellectum. De nomine rationis diximus suprà quæstione 5. artic. 7. §. 6.

2. Aureolus. Quoad præiacētem affirmantem solus Aureolus negat dari aliquam distinctionem rationis inter relationem, & essentiam. De quo plura diximus suprà art. 1. vbi eius argumenta dissoluimus. Plura alia habes ex eodem Aureolo suprà q. 5. artic. 7. §. 2. quæ ibi §. 7. latè soluta sunt. Possunt etiam pro Aureolo accommodari ea argumenta, quibus Nominales docent vnam, & eandē rem non posse ratione distingui, quæ latè adduximus in dicto artic. 7. §. 3. & 4. & latè dissoluimus ibi §. 8. & 9. Quare non est, quòd circa affirmatiuam præiacentem immoremur. Satis sit omnes theologos, vno excepto Aureolo, admittere essentiam à relatione actu distingui per intellectum; quia scilicèt potest intellectus eas, vt distinctas concipere. An verò id soli intellectui viatoris conueniat; an verò etiam conueniat intellectui beato, atque etiam diuino? inferiùs explicabitur.

3. Gilbertus. Tota igitur difficultas est de præiacente negatiua; an scilicèt actualiter nō distinguantur. Negat Gilbertus, qui realem distinctionem admittit inter essentiam, & relationem. Sed hunc errorem iam reiecimus suprà ar. 2. Negat etiam Scotus, & qui cum eo existimant secluso omni intellectu inter essentiam, & relationem dari distinctionem actualē ex natura rei. Sed art. præcedente hanc sententiam non admisimus.

4. Vera opin. Quare admittenda est opinio, quæ in sensu verè exclusiuo essentiam, & personas, relationesque personales actualiter distinguit sola distinctione rationis. Quam sententiā cæteri omnes theologi probauerunt. Eam in sensu exclusiuo expressit D. Thomas 1. p. q. 28. ar. 2. in illis verbis, *nisi secundùm intelligentiæ rationem*, & q. 39. ar. 1. ibi: *Relatio autem ad essentiam comparata non differt re, sed ratione tantùm.* Idem Diuus Thomas in 1. d. 33. quæstione 1. artic. 1. & de potentia q. 8. ar. 2. & pluribus alijs in locis. Cum Diuo Thoma sentiunt omnes Thomistæ in vtroque loco, vbi Caietanus. Omnes etiam interpretes in dicta quæstion. 28. artic. 2. vbi Torres disput. 3. in secunda parte in principio, conclusione prima, Banhes dub. 2. conclusione 4. pag. 1110. Cumelius q. 2. conclusione 1. pag. 813. col. 1. Capreolus in 1. d. 33. q. 1. artic. 1. concl. 3. & art. 3. ad argumenta contra eandem, vbi Aiala q. 1. ar. 1. conclus. 2. Soncinas ibi concl. 3. Sotus in 4. d. 49. q. 3. ar. 3. post secundam conclusionem. Ex antiquioribus in eādem sententia fuit noster Ægidius in 1. d. 2. in 2. p. q. 2. & d. 33. 1. parte, quæst. 3. in illis verbis, *Nam cum ab essentia sola ratione distinctæ sint.*

D. Thom. *Caietanus.* *Torres.* *Banhes.* *Cumelius.* *Capreolus.* *Aiala.* *Soncinas.* *Sotus.* *Ægidius.*

Quæ verba ibi sæpius repetit, & d. 34. 1. p. q. 1. & 3. vbi in corpore; & ad 4. se ipsum clariùs explicat. Idem senserunt Albertus magnus in 1. d. 2. art. 20. Alexander de Ales 1. p. q. 44. in fine, Henricus quodlibeto 5. q. 6. & in summa art. 23. q. 2. Idem etiam affirmat D. Bonauentura (quanuis à nonnullis in oppositum citetur) in 1. d. 34. ar. 1. q. 1. n. 8. 9. & 10. vbi n. 11. in fine in hæc verba: nec differunt, nisi ratione. Vnde quando d. 33. ar. 1. q. 1. n. 7. & q. 2. n. 11. asserit essẽtiam aliquo modo differre à relatione, nimirum per modum aliter se habendi, non aliam distinctionem posuit, nisi rationis; quia ratio ideo distinguit, quoniam in re inuenit fundamentum aliter se habendi.

Alb. magnus. *Alensis.* *Henricus.* *D. Bonau.*

5. Quòd verò in d. q. 1. numer. 7. dicit: *necessariò sequi, quod realiter aliquo modo differat proprietas à persona*, aduerbium *realiter* latè sumitur; prout id aliquo modo dicitur differre realiter, quod magis differt, quàm modo loquendi: impugnabat enim opinionem, quæ nullam aliam distinctionem admittebat inter essentiam, & relationem, nisi per diuersum modum loquendi. Sed tamen cauenda est illa locutio, vt suprà aduertimus; & hæc diximus pro explicatione mentis D. Bonauenturæ. In eàdem sententia est Richardus in 1. d. 33. art. 2. q. 1. & d. 34. ar. 1. q. 1. & 2. latè Gerardus noster in 1. d. 33. q. 2. art. 5. & ibi noster etiam Argentina quęstione vnica art. 1. §. *ad rationem in contrarium*, & §. *ad secundum dicendũ*, & clariùs ad nonum contra secundam, & d. 34. quęstione vnica, §. *Tertio loco*, Bachonius in 1. d. 33. & Palatius ibi distinctione 33. & 34. disputatione 1. Ex nonioribus Molina 1. parte quæstione 28. artic. 2. disputatione 5. conclusione 4. Valentia 1. tomo disputatione 2. quæst. 13. punct. 1. pagina 859. Suarius libr. 4. de Trinitate cap. 4. Bellomontanus 1. parte disputatione 126. cap. 4. Citatur pro eàdem sententia, Gregorius in primo dist. 33. q. 1. ar. 2. sed falsò, quia oppositum videtur asserere, dum affirmat non esse impossibile aliqua realiter distincta esse vnam entitatem, à qua aliquo modo non distinguantur; persistit enim in sententia Nominalium asserentium, quæ sunt vna, & eadem res, nec ratione distingui posse. Nec contra hãc sententiam est præceptor meus Franciscus à Christo in primo distinct. 33. q. 1: nam quanuis neget essentiam à relatione sola ratione distingui; ideo id negat, quoniam abstrahit à distinctione actuali, & virtuali; nam si de sola actuali ageret; vtique nobiscum consẽtiret.

Richardus. *Argentina* *Gerardus.* *Bachonius.* *Palatius.* *Molina.* *Valentia.* *Fr. Franc. à Christo.*

6. Hæc sententia ideo mihi verisima videtur, & omnino tenenda; quia & aliquorum Patrum expressa auctoritate confirmatur, & in Concilio Florentino vtriusq; Ecclesiæ consensu asserta fuit, & approbata. Ex Patribus hanc sententiam verbis ferè expresis dixit D. Athanasius dialogo primo de Trinitate contra Anomæos, pagina 1041. D. vbi agens de quibusdam attributis, quę Anomæus realiter distinguebat à diuina hypostasi, ita ait: *Nec Deus hæc esse dicitur per compositionem, sed ex diuersis considerationibus.* Nec enim nomen *consideratio* accommodatè sumi potest pro ratione formali; quanuis in hoc sensu hoc verbum explicauerimus in præcedente articulo, §. 7. dum partes Scoti ageremus.

Probatur hæc sententia. *Athanas.*

7. Clariora sunt verba Damasceni lib. 1. de fide cap. 11. quæ ita habent: *Vnaquæque ipsarum* (scilicet personarum) *nihilominus erga aliam se habet, quàm ipsa secum: hoc est, vnum, idemque omnino sunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Quod autem in ea* (scilicèt essentia) *dictum est, cogitatione sola distinguitur*, & quanuis Faber Stapulensis excluiuam in sua versione non ponat; satis nobis est, quòd Damascenus essentiam à relatione cogitatione distinguat. His duobus testimonijs satis probabilis redditur hæc sententia: nam, quæ Valentia adducit ex Dionysio, Athanasio, Augustino, & alijs ad institutum non pertinent.

Damascen.

8. Ex Concilio Florentino aperta habemus testimonia. Nam sessione 18. pagina 837. columna 2. Marcus Ephesinus à Ioanne pro Latinis disputante inquirit, an substantia, & persona sint idem? Respondens Ioannes ait: *Diuina substantia, & persona re quidem sunt idem; secundum autem modum intellectionis nostræ differre videntur: nam persona ex substantia, proprietatęque subsistit, quæ tametsi ratione, ac secundùm nostram intelligentiam differat, &c.* Marcus autem paucis verbis interpositis

Conc. Flor.

sitis, pag 878. col. 1. ita respondet: *quemadmodum diuina substantia, & persona differant inter se non opus est in præsentia dicere cum præsertim in hac minimè forsan differimus, constat enim ipsas differre simpliciter vt commune differt à proprio, vt Magnus Basilius ad suum fratrem Gregorium scribit.* In sessione 19. Andreas præsul Colossensis pag. 842. ex disputatione Ioannis, & Marci ita concludit: *Haud quaquam tamē ex eo putare debetis, vt re differant; quandoquidem sola ratione, atq; intelligentia differre creduntur.* Sessione etiā 24. pag 870. col. 2. his verbis ait Ioānes: *Propterea quia non re, sed sola ratione paterna hypostasis à substantia sua seiungitur.* Denique sessione 25. in declaratione fidei Latinorum ita scribitur: *ne ipsam eandem substantiam re, non autem sola ratione ab hypostasibus, & personis differre credere videamur.* Hęc ex Concilio Florentino retulimus; quæ licet non diffiniēdo, sed disputando dicta sint; tamen quia ab vtraque Ecclesia hæc distinctio non semel, & iterum, sed ter, vel quater asseritur, & à toto Concilio, saltem tacitè, recipitur, non possum non agnoscere in hac sententia grauissimum auctoritatis pōdus, vt digna sit, quæ ab omnibus, tanquam longè probabilior habetur.

9. Probatur ratione.

Huic probabilitati sumptæ ex auctoritate potest accedere probabilitas ex ratione: Quoniam hæc sententia ita cōciliat vnitatem essentiæ cō reali distinctione personarum, vt etiam consentiat cum summa diuinæ substantiæ simplicitate. Nam cum hęc sententia secum admittat distinctionē virtualem omni intellectus operatione sublata, optimè cōciliat vnitatem essentiæ cum Personarū reali distinctione, vt patebit ex sequēti art. Excludit prætereà à diuinis omnē compositionem, non solùm realē, vt per se patet; sed etiam rationis, quod, maximè consentit cum diuina simplicitate: licet enim essentiam à relatione intelligendo distinguamus, non proinde in cō stitutione personarum cogimur agnoscere aliquam rationem potentiæ, sine qua nulla datur compositio. Vnde non desunt, qui in diuinis nec compositionē rationis agnoscant. Quanuis nihil absurdi sit illam in diuinis admittere: eam enim admittit Torres de Trinitate q. 40. ar. 4. fol. 275. col. 4. & Cursus Conimbric. in c. de substantia in prędicamētis q 1. ar. 2. §. *at secundum ergo*: nihil enim imperfectionis affert in Deo, cum nullam potētiam in eo ponat in re, sed solo nostro modo intelligendi, vt ait Torres. Vide Bellomontanum 1. p. disp. 125. c. 3. ad 3. n. 11. & 12.

Cōpositio rationis an admittāt in diuinis.

Torres. Curs. Con.

Constituendum est igitur essentiam à relatione distinctione actuali solùm distingui secundum rationem. Siquis verò inquirat, an distinguatur ratione ratiocinata, an verò ratiocināte? Sine dubio admittenda est distinctio rationis ratiocinatæ cum habeat fundamentum in re, nimirum distinctionem formalem virtualem sublato omni intellectu, vt patebit ex sequente art. Quare nō sunt audiendi quidam Theologi, qui aut expressè docent, aut saltem insinuant admittendam esse solam distinctionem rationis ratiocinantis, quos latè impugnauimus suprà q. 5. art. 9. §. 2. 10. Dubitatio.

ARTICVLVS V.

Vtrùm secluso omni intellectu, essentia aliquo modo distinguatur à relatione.

EX ijs, quę resolnimus, iā patet nullam actualem distinctionē admittendam esse inter relationē, & essentiam, nisi solius rationis; & subinde secluſa omni intellectus operatione essentiam à relatione nullo modo actualiter distingui, non solùm realiter, sed nec formaliter. Superest inquirere, an sublato omni intellectu aliqua sit inter ea admittenda distinctio. 1.

§. I.

Refertur pars negans.

NVllam distinctionem inter essentiam, & relationem admittendā esse, si omnem intellectus operationem auferamus, plerique Theologorum probauerunt: non tamē omnes eodem nituntur fundamēto. Sunt nōnulli, qui simpliciter negant, omnē in vniuersum distinctionem etiam rationis; à fortiori igitur negabūt omnem aliam, quæ sine intellectu detur. Hanc opinionem colligo ex nostro Gregorio in 1. d. 33. q. 1. art. 2. ad finem secundæ conclusionis, vbi simpliciter concludit nō esse impossibile duo, quæ realiter distinguuntur, 2.

esse vnam entitatē, à qua neutrū ipsorū modo aliquo distinguatur. Et subinde diuinas personas realiter inter se distingui, quanuis realiter sint vna essentia diuina, à qua ex natura rei nullo modo distinguantur. Priora verba mihi excludūt omnem distinctionem etiā rationis inter relationem, & diuinam essentiam: maximè quia Gregorius cū Nominalibus putat vnā, & eandē rem non posse à se ipsa distingui ratione, vt diximus suprà q. 5. & 6. Posteriora autem verba excludunt omnē distinctionem ex natura rei, quæ sine intellectu detur. Quare apud Gregoriū à reuelatione, & diuina essentia excluditur omnis distinctio ex natura rei etiā virtualis. Huius opinionis non aliud apud Gregorium inuenio fundamentum, quàm quod non sit impossibile aliqua realiter distincta, realiter esse vnam entitatem, à qua nullum eorum aliquo modo distinguatur.

Secundo loco, qui inter essentiā, & relationē aliquā distinctionē agnoscūt, illi partē negantē nō possunt nō probare, qui inter essentiam, & relationē solū admittūt distinctionē rationis ratiocinātis. Nā, cùm hæc distinctio nullū habeat fundamentū in re, nulla in re ipsa poterit dari distinctio, etiam fundamētalis, si omnem intellectus operationē aufera mus, & subinde non dabitur virtualis.

3. Bellomōt. Tertio loco eandem negantē tententiam mihi probat Bellomontanus; si vera est opinio illius nullam distinctionē rationis, quæcunque illa sit, habere aliquod fundamētum in re, quæ distinguitur, vt ex eo ostendimus q. 5. ar. 6. §. 1. n. 3. & videre est apud eum 1. p. disp. 117. c. 3. num. 8. & 9. & disp. 119. cap. 2. nu. 8. & disp. 121. cap. 5. num. 17. & 18. Quibus in locis docet in ijs, quę sola ratione distinguūtur, intellectū in ipsa re, quę distinguitur, non modo non inuenire aliquam pluralitatem, à qua moueatur ad distinguendum, quæ in ea sunt indiuisa; sed nec aliquod vestigium pluralitatis, & distinctionis. Ita expressè scribit in d. disp. 117. cap. 3. num. 8. §. *ex dictis infertur.* Ex quibus verbis euidenter colligitur in re, quæ sola ratione distinguitur, nullam reperiri distinctionem, aut fundamentalem, aut virtualem: etenim si hæc distinctio omni sublato intellectu in illa re reperiretur; vtique aliquod vestigium pluralitatis, & distinctionis in ea inueniretur. Quare cum Bellomōtanus essentiam à relatione sola ratione distinguat prima parte disp. 120. c. 4. non potest non negare in Deo omnē distinctionem etiam fundamentalem, & virtualem à parte rei secluso omni intellectu. Et hanc esse suam mentem satis explicauit in d. cap. 4. in principio in his verbis; *Ego idem de relationibus, & essentia, quod de attributis, & essentia dicendum arbitror: nimirum nullo modo, vel minimo genere distinctionis ex natura rei ante intellectum, sed sola cogitatione distingui.* Idem colliges ex eodem disp. 121. cap. 5. num. 18. §. *Tertiò doctrinam.*

Postrema sententia est Toletani nostri in primo dist. 33. & 34. quęstione prima, & secunda; vbi præter non identitatem realem conuertibilē, & adęquatam nullam aliam distinctionē ex natura rei admittit, siue illa formalis sit, siue virtualis. Licet autem admittat distinctionem rationis; putat tamen illam non satis esse sine non identitate reali cōuertibili. Itaque inter essētiam, & relationem admittit quidem distinctionem rationis (quia non potest negare ea actu distingui in nostro intellectu) distinctionem autem ex natura rei generaliter excludit tanquam omnino superfluam, & minimè necessariam ad tollēdam à diuinis veram rationem contradictionis. 4. Toletanus.

§. 2.

Asseritur opinio affirmans.

His tamen opinionibus non obstātibus omnino probanda est pars affirmans, quam etiam probauimus in quæstione de distinctione attributorum supra quæstione quinta, & 6. vtrobique articulo sexto. Ibi ostendimus sublato omni intellectu admittendam esse distinctionem formalem virtualem inter attributa, tum inter se; tum in ordine ad essentiam. Idem nunc dicimus de essentia respectu relationis, omni enim intellectu sublato ab ea distinguitur ex natura rei distinctione formali virtuali. Quam sententiam probauere ferè omnes, qui essentiam à relatione distinguūt sola ratione. In proprijs nostris terminis receptissima est inter nouiores, vno excepto Bellomontano 5. Vera sent.

Fr. Franc. à Christo. Molina. tano. Eam posuit insignis præceptor meus in primo d. 34. quæstione prima, dū veram explicat sententiam fol. 164. columna quarta, Molina prima parte, quæst. 28. articulo secundo, disp. quinta, *Valentia.* concluſ. 3. Valentia primo tomo disp. 2. q. 13. punct. primo, pag. 859. & latiùs q. 4. punct. primo ad primum argumentum contra vnitatem diuinæ essentiæ, *Herrera.* pag. 769. ex Scotistis Herrera primo tomo disp. 8. quæst. 13. in vltima sententia notabili primo, pag. 200. columna 2. & inferiùs concl. 3. pag. 202. colum. 2. cum reliquis nostri temporis Theologis, & ante eos ita docuit Caietanus *Caietanus.* prima parte q. 39. artic. 1. & ante Caietanum Capreolus in primo dist. 8. q. 4. artic. primo concl. 5. in fine, & ante Ca- *Capreolus.* preolum idem docuit noster Gerardus *Gerardus.* in primo dist. 33. q. 2. articulo quinto, §. *qua propter si volumus*, pag. 550. columna prima, nisi quod distinctionem virtualem appellat potentialem. Ad quem sēsum loquitur Torres prima parte q. 28. *Torres.* art. 2. disp. 3. in tertia illius parte post principium, vbi hanc distinctionem appellat aptitudinalem, quam explicat ab alijs dici virtualem, vt patet disp. prima in secunda illius parte §. *Duplex itaque est*, fol. 48. colum. secunda. In idem recidūt, qui hanc distinctionem volunt esse rationis ratiocinatæ, quomodò loquitur *Sotus.* Sotus in 4. d. 49. quæst. 3. articulo 3. post secundam conclusionem §. *Sed profectò hæc differentia*, in fine pag. 602. columna secunda.

6. *Cumelius. Banhes.* Ita etiam loquuntur Cumelius prima parte, q. 28. articulo 2. q. 2. conclusione prima, & ibi Banhes dub. 3. concl. 4. pag. 1110. qui omnes admittunt distinctionē rationis ratiocinatæ coincidere cū distinctione, quam Caietanus appellat virtualem. Cum quibus etiam est Cursus Conimb. q. 4. in præfationē Porphyrij art. 2. pag. 91. & Fōseca in 5. Metaph. *Fonseca.* cap. 6. q. 6. Sesion. 3. §. *Potest autem prior*, pag. 352. Ad quos etiam accedit Pala- *Palatius.* tius in primo dist. 33. & 34. disp. prima in conciliatione D. Thomæ cum Scoto fol. 184. columna prima. Denique Suarius lib. 4. de Trinitate cap. 4. num. 15. libenter fatetur distinctionem rationis ratiocinatæ in re coincidere cū distinctione virtuali, atq; fundamentali; quāuis ob vitandam æquiuocationem potius vtendum esse distinctione rationis ratiocinatæ, in quo cum illo non consentimus, vt inferiùs patebit. Igitur omnes citati Auctores in hoc conueniunt, vt sublato omni intellectu admittenda sit quædam distinctio formalis (idque ex natura rei) inter essentiam, & relationem; quæ tamen non sit actualis; sed vel potentialis, vt loquitur Gerardus: vel aptitudinalis, vt appellat Torres: vel fundamentalis, vt alij volunt: vel denique virtualis, vt nos existimamus cum Molina, Valentia, Herrera, & præceptore Fratre Francisco.

7. Hæc sententia est Diui Thomæ.

Hanc sententiā satis esse de mente D. Thomæ ex eo facilè est ostendere; quia sæpè docet aliquid inueniri in re, quę simul est essentia, & relatio, quod correspondeat distinctioni rationis, quā inter essentiam, & relationem fabricat intellectus, in quo illa distinctio verisimè fundetur. Nam primo Sentent. d. 33. q. prima, art. 1. ad 3. sic habet: *ita etiam ipsa ratio, quam dicimus aliam, & aliam, in diuinis non est in re* (agit autem de diffinitione, vt est secunda intentio) *sed in re est aliquid respondens ei, in quo fundatur; scilicèt, veritas illius rei, cui talis intentio attribuitur: est enim in Deo, vnde possunt rationes diuersæ illi conuenire.* Eandem sententiam satis explicat ibi ad 4. dum affirmat distinctionem istam habere aliquid in re illa diuina, in quo fundetur. Quod etiam colligitur ex quodam opusculo relato à Capreolo in primo distinctione 33. q. prima, ar. 3. ad 7. Aureoli fol. 231. col. 3. in principio. In distinctione attributorū. Eandē sententiam explicat idem D. Thomas in locis citatis suprà q. 5. ar. 6. §. 2. numero 9. quorum optimus est, qui habetur in 1. d. 22. q. 1. art. 3. ad quartum: *Dicendū, quod differunt nomina attributorum secundum rationem; non tantum, quæ sit in ratiocinante, sed quæ saluatur in re ipsa secundum veritatem, & proprietatem rei.* Fortiori igitur ratione dicendum erit rationes, quas intellectus inter essentiam, & relatiuas proprietates distinguit, non esse tantùm in intellectu ratiocinante, sed saluari in ipsa re secundum eiusdem rei veritatem, & proprietatem. Iam verò si res ipsa diuina in se secluso omni intellectu fuerit omnibus modis (actualiter, scilicèt, & virtualiter) indistincta, nullo modo in ipsa re secundum ipsius pro-

8.

prietatem saluari potest distinctio rationum, atque definitionum; etenim nisi res diuina sublato intellectu in re ipsa aliquo modo sit distinguibilis, non poterit secundum proprietatem suæ entitatis fundare distinctionem rationum formalium, quas noster intellectus de ea format. Quod satis expressit Capreolus. Capreolus vbi suprà fol. 231. col. 4. ad 3. Scoti, dum ait essentiam, & proprietates ex eo fundare posse veritatem diuersarum rationum formaliũ, quas intellectus in eis distinguit; quia res illa propter suam illimitationem eminenter continet ea, quæ in creaturis specie distinguuntur. Hæc autem eminentialis continentia facit eam virtualiter esse multiplicem, & subinde distinguibilem, vt ex Augustino, & Dionysio statim dicemus.

9. Quod adeò verum est, vt nisi illa res actualiter simplicissima haberet in se ipsa hanc virtualem, & eminẽtialem distinguibilitatem, & multiplicitatem, nõ posset à parte rei esse principium distinctiuum diuinarum personarum, vt idem Capreolus docet in d. fol. 231. col. 2. ad 6. Aureoli, quam veritatem mihi satis expressit D. Thomas in d. distinct. 33 q. 1. art. 1. in corpore: inquirens enim rationem, cur relatio existens idem realiter cur essentia distinguat personas, nõ autem essentia, eam inde sumit; quia relatio ipsa habet in se aliquid, in quo nõ vnitur cum essentia; quatenus, scilicèt, in se habet respectũ ad aliud, in quo nõ est idem cum ea. Eãdem rationem reddit ibi ad secundum, cur paternitas sit in Patre, & nõ in Filio, in quo est essentia, cum qua idem est realiter, ita enim ait: *Sed paternitas habet aliquid, in quo non vnitur cum essentia: scilicèt rationẽ paternitatis, quæ est alia à ratione essentiæ. Vnde secundum istam rationem respectus potest esse in Patre, & non in Filio, scil. distinguere Patrem à Filio.* Quæ verba satis indicãt dari à parte rei aliquã distinctionem inter relationem, & essentiam, idq; secluso intellectu; siquidẽ secluso intellectu relatio distinguit personas secũdum id, quod in se habet, quas tamen essentia non distinguit. Vide hac de re, quæ scripsimus suprà q. 5. articulo 6 §. 2. vbi hanc virtualem distinctionem inter attributa omni sublato intellectu latè defendimus, & ostendimus satis esse de mente antiquiorum theologorum D. Thomę, Ægidij, Richardi, Capreoli, & aliorum, qui omnes idẽ docent de distinctione essentiæ, & relationũ personaliũ. Et prẽter D. Thomam in locis citatis vide Ægidium in 1. d. 34. in 1. p. q. 1. ar. 2. ad 2. & 3. Richardum ibi artic. 1. q. 1. ad 4. & q. 2. in corpore, & ad argumenta, sæpe id notat Capreolus in 1. dist. 33. quæst. 1. artic. 3. ad 5. & 6. Aureoli fol. 231. col. 2. & 3. & ad 2. & 3. Scoti col. 4.

Richardus. Ægidius.

Capreolus.

Et vt omnia cõcludamus hanc distinctionẽ virtualem satis declararũt Dionysius, & Augustinus, dum diuinam simplicitatem appellant multiplicẽ, & discretam. Vide, quæ diximus in d. q. 5. art. 6. §. 3. n. 17. & 18. vbi nu. 16 plures citauimus, qui distinctionẽ virtualẽ in diuinis attributis admiserũt, idq; ex natura rei, & secluso omni intellectu. Cũverò apud omnes constet essentiam magis distingui à relationibus personalibus, quàm distinguatur ab attributis (etenim inter essentiã, & attributa datur idẽtitas realis omnino adæquata, & conuertibilis, cũ tamen inter essentiã, & relationes identitas nõ sit conuertibilis, sed inadęquata) si inter essentiam, & attributa ex natura rei sublato intellectu datur distinctio virtualis; à fortiori danda erit inter essentiam, & relationes.

10. *Dionysius. Augustin.*

Hęc opinio satis confirmata manet patronorũ tũ multitudine, tũ auctoritate, quę in hac materia nõ parũ habet põderis. Sed amplius cõfirmabitur impugnatione opinionũ, quas pro parte negante retulimus. Nam prima (quæ est nostri Gregorij) omnino est improbabilis in philosophia: si enim inter essentiam, & relationem nulla omnino distinctio est admittẽda, nõ potest nõ concedi ad formalẽ contradictionẽ in diuinis esse verã, quod tota respuit philosophia, imò etiã, & Theologia, quę nec per diuinam potentiã admittit contradictoria posse simul esse vera. Oportet igitur, vt inter essentiã, & relationes aliqua distinctio interueniat, quæ satis sit ad tollendam contradictionis repugnantiã. Quæ nullo modo potest tolli, nisi admittatur distinctio inter ea, de quibus propositiones secundùm formam contradictoriæ verificantur, ita vt non verificentur de eodem omnibus modis eodem.

11. Impugnatur alię sententiæ.

Reijcitur prima.

Secun-

13. Reijcitur. Secũda opinio, quæ solam distinctionem rationis ratiocinãtis admittit, ipsa sua improbabilitate se ipsã destruit: vnde communi consensu, vt improbabilis reijcitur, vt latè ostendimus q. 5. ar. 9. §. 2. Et satis sit D. Thomam in terminis eam reprobasse in 1. d. 33. q. 1. ar. 1. ad 3. his verbis: *Dico igitur, quod cum dicitur, quod est alia ratio paternitatis, & essentiæ in diuinis, non accipitur ratio, prout est in ratiocinante tantùm.* Ex eo etiam euidenter demonstratur; quia, cum termini contradictorij à parte rei verificentur de essentia, & relationibus (etenim essentia non generat, Pater autem generat: essẽtia est communicabilis, relatio vero incommunicabilis) non potest in ipsa re diuina non reperiri aliquod fundamentum distinctionis, quam intellectus facit inter essentiam, & relationem.

D. Thom.

14. Reijcitur. Tertiam opinionem Bellomontani latissimè impugnauimus, non solum quatenus docet nullam distinctionem rationis habere fundamentum in re, quæ distinguitur (de quo supra q. 5. ar. 9. §. 1.) sed etiã quatenus affirmat distinctionẽ rationis inter essentiam, & relationem sublato omni intellectu nec vestigium distinctionis in re habere: contra quam assertionem latè diximus supra q. 6. art. 6. vbi contra Bellomontanum adduximus theologorum omnium communẽ consensum, qui satis est, vt illius opinionem reddat improbabilem. Debet etiã à fortiori censeri improbabilis ex doctrina Dionysij, & Augustini: quorum iste diuinam simplicitatẽ appellat multiplicem; ille vero discretam nominat; & vterque multiplicitatem illam, & discretionẽ ponit in ipsa diuina essẽtia cõiunctam cum sũma illius vnitate, & simplicitate; vt satis explicat Augustinus 6. de Trinitate capite 6. dum ait; *Si autem quæritur, quomodo simplex, & multiplex sit illa substantia.* Quod satis est, vt dicam' sententiam Bellomontani in hac materia non nihil habere temeritatis; maximè, quia ipsa vnitas diuinæ essentiæ cõiuncta cum reali distinctione personarum satis conuincit intellectum, vt aliquam faciat distinctionem inter essentiam, & relationes. Nam cum intellect' inueniat illam realem identitatem essentiæ cum personis in ipsa re secluso intellectu esse inadæquatam, & non cõuertibilem, non potest non distinguere essentiam à relationibus, idque omnino independenter à distinctione, quæ in creatis reperitur inter essentiam, & personam: etenim realem illam inadæquationem non inuenit in rebus creatis, sed in sola diuina essentia. Igitur sola illa inadæquatio, vt in sola diuina essentia existit, satis est ad mouendum nostrum intellectum, vt essentiam à relatione distinguat. Et ita cessat imaginatio Bellomontani, quæ omnem mouẽdi occasionem sumit ex rebus creatis.

August.

15. Non nego intellectum nostrum, cum primum hoc mysterium ei reuelatur, moueri ad faciendam illam distinctionem ex ijs, quę de creatis nouit: sed nego illum necessario moueri ex distinctione, quam cognoscit in creatis, ita vt solum ab illa possit moueri. Hoc inde patet; quoniam si crearetur intellectus, cui ante omnem naturalem rerum cognitionem hoc mysterium reuelaretur; iste ex ipsa vnitate inadæquata sufficienter moueretur, vt essẽtiam distingueret à personis. Quare intellectus noster facta ordinaria reuelatione huius mysterij, mouebitur veluti à posteriori ex distinctione, quam in rebus creatis inuenit inter essentiam, & personam. At re intimius iam penetrata, à priori mouebitur ex ipsa inadęquata vnitate, quã fides reuelat inter essentiam, & relationes. Non est igitur probanda opinio Bellomontani. Sed nec admittenda est quarta opinio nostri Toletani. In qua illud maximè displicet, quod affirmat veram rationem contradictionis, & illius repugnantiam non posse tolli, nisi admittatur distinctio, quę aliquo modo tollat gradum omnimodæ identitatis, & vnitatis realis inter relationem, & essentiam: hoc enim non esse satis tutum late ostẽdimus supra ar. 3. vbi etiã diximus inter essentiam, & relationem dari, no posse identitatem, siue realem, siue formalem non adæquatam, & non conuertibilem, nisi sine intellectu detur aliqua formalis distinctio inter ea, non quidem actualis, sed virtualis. Vide, quæ ibi diximus.

15.

Reijcitur.

16. Ex quo sumi potest tertia confirmatio nostræ assertionis: etenim ex dictis contra Gregorium constat ad tollendam rationem contradictionis, atque illius

3. Assertionis cõfirm.

illius repugnantiam à terminis cõtradictorijs, qui in diuinis simul verificantur; non posse non admitti aliquam distinctionem inter essentiam, & relationem, ratione cuius illi termini contradictorij desinant verificari de eodem omnibus modis eodem; quo solo modo potest tolli vera repugnantia illorum terminorum. Hæc distinctio non potest esse realis, siue adæquata, siue non adæquata, qualis est realis non idẽtitas adę quata, vt contra Gilbertum ostendimus supra ar. 2. & contra Tolletanum ar. 3. Nec ad tollendam illam repugnantiam satis est distinctio rationis ratiocinantis: quia licet ista satis sit vt tollat contradictionem ab eadem re secũdum ea, quæ illi per solum intellectum conueniunt (vt esse prædicatum, & nõ esse prædicatum in hac propositione Petrus est Petrus) non tamẽ satis est, vt eã tollat secundum ea, quæ rei sine intellectu conueniunt. Iam vero generare, & non generare sine intellectu conueniunt; hoc quidem essentiæ; illud autem Patri.

17. Nec. 3. loco illam repugnantiam auferet distinctio rationis ratiocinatę secundum suam actualitatem, hoc est quatenus actu fit per intellectum: nam termini illi contradictorij verificantur in diuinis sublata omni actuali distinctione facta per intellectum, vt contra Bellomontanum ostendimus supra ar. 4. §. 10. ad tertium argumẽtum. Igitur à sufficienti partium enumeratione euidenter concluditur, admittendam esse aliquam distinctionem inter essentiam, & relationem ante omnem operationem intellectus, qualis est distindctio virtualis, quæ à pluribus appellatur distinctio fundamentalis, rationisque ratiocinate, quanuis non satis accommodatè nisi amplius explicetur, vt patebit ex sequẽti §. 3.

§. 3.

In quo sensu explicanda sit hæc virtualis distinctio.

18. SEd, vt omnia debitè explicentur, explicandus est verus sensus huius distinctionis virtualis, vt videam' quomodo essentia á relatione virtualiter distinguatur. De sensu huius distinctionis inter essentiam, & attributa late diximus supra q. 6. ar. 7. §. 1. & 2. & ar. 10. §. 6. num. 65. & q. 9. ar. 2. Ex ijs, quæ ibi diximus, patet communem sententiam in hoc sensu hanc distinctionẽ appellare virtualem; quia ante omnẽ actũ intellectus apta est causſare in nostro intellectu distinctos conceptus, & facere actualem distinctionem rationis inter essentiam, & relationem. Vnde ob hanc causſam quidam eam appellãt aptitudinalem, vt Torres de Trinitate q. 28. ar. 2. disp. 3. in 3. p. illius in principio, & disp. 1. in 2. p. §. *duplex itaquè est*, fol. 48 column. 2. In idem recidũt, qui eam appellant potentialem, vt Gerardus noster in 1. d. 33. q. 2. ar. 3. §. *qua propter si volumus*, pag. 550. col. 1. & clarius §. *vnde ad propositũ redeundo*, fol. 552. col. 1. satis accommodate ad modum, quo de attribu tis loquitur Henricus, noster Alexander de Sancto Elpidio, & Paludanus, quos citauimus in d. ar. 7. §. 1. n. 1. qui distinctionem istam ideo appellant aptitudinalẽ potẽtidẽ, atq; etiã inchoatã; quia diuina substantia apta est mouere nostrũ intellectum ad distinguendum essentiã à relatione distinctione rationis.

Communis explicatio.

Torres.

Gerardus.

Henricus
Alex. de S.
Elpidio.
Paludan'.

19. Alij vero hanc distinctionem appellant fundamentalem, vt Suarius lib. 4. de Trinitate cap. 4. n. 15. ad mentem Caietani de ente, & essentia cap. 6. q. 12. ar. 3. quia in ea fundatur distinctio rationis, quam intellectus facit inter relationẽ, & essentiam, quasi in ista virtualiter sit inclusa. Quæ etiam explicatio non longè est à mente Caietani 1. p. q. 39. ar. 1. §. *ad auctoritates autem dicitur*. Appellatur etiam hæc distinctio rationis ratiocinatę, vt patet ex Suario vbi supra, & ex Fõseca in 5. Metaph. cap. 6. q. 6. sect. 3. & q. 7. sect. 3. in principio, & ex Cumelio 1. p. q. 28. ar. 2. q. 2. cõcl. 1. & Banhes ibi dub. 3. concl. 4. ob hanc sc. rationem, quia intellectus noster ex hac virtuali distinctione ratiocinatur actualẽ distinctionem. Itaque apud istos omnes theologos hæc distinctio ideo dicitur virtualis, quia vim habet ad mouendũ intellectum, vt distinguat inter essentiam, & relation; ẽ & subinde, vt in se fundet distinctionem rationis, quam intellectus fabricat.

Suarius.
Caietanus

Fonseca.
Cumelius.
Banhes.

20. Hæc tamen explicatio iam non placuit, dum ageremus de distinctione virtuali attributorum inter se, & essentiam supra q. 6. ar. 7. §. 1. n. 2. & ar. 10. §. 6. n. 65. & q.

Non placet explicatio communis.

& q. 9. ar. 2. §. 3. Sed nec modo placere potest, si ita explicetur, vt ea sola de caussa dicatur virtualis, quod possit fũdare distinctionem rationis inter relationem, & essentiam, & mouere intellectum ad illorum distinctionem. Non negauimus ibi distinctionem, quæ in diuina substantia sine intellectu admittitur posse etiam dici virtualem in sensu explicato: quia ab ea, tanquam à radicali fundamẽto verè caussari potest, & caussatur actualis distinctio, quam inter essentiam, & relationem facit intellectus & subinde admittimus eam verè dici posse distinctionem rationis aptitudinaliter, inchoatiue, & fundamentaliter. Negauimus tamen ibi, & nunc etiam negamus, quod ea solum de caussa dicatur virtualis: excellentior est enim, & diuinior, vt multis ostẽdimus in citatis locis. Ibi etiam ostendimus non satis accommodate dici Filium generari per intellectum, & non per voluntatem dependenter ab habitudine ad motionem nostri intellectus, & à distinctione, quã ille potest facere inter diuinum intellectum, & voluntatem.

21. Vera explicatio. Eodem etiam modo nunc dicimus nõ satis accommodatè asseri ideo essentiã non generare, & ideo esse communicabilem personis, quia apta est mouere nostrum intellectum ad distinguendum eam à personis. Quare in eisdem locis cõclusimus vnitatem diuinæ perfectionis tam in esse reali, quàm in esse formali (quam Dionysius appellat singularẽ, & superexcedentem) per se, & primo non ideo esse plures virtute, quia potest fũdare distinctionem rationis; sed è conuerso ideo posse illam distinctionẽ fũdare, & mouere intellectũ ad illã faciẽdã; quia inse ipsa ex sua natura est singulari quodã modo virtuosa, & eminẽs, vt existens formaliter vna, sit etiam formaliter plures, vt diximus in citatis locis, & iterum dicemus in sequẽti quæst. vbi hanc singularem eminentiam, & virtuositatem rursus explicabimus.

22. Illatio ex dictis. Ex dictis inferebamus, & iterum modo inferimus hanc distinctionem posse fundare pluralitatem conceptuũ nostri intellectus esse veluti passionem quandam, quæ consequitur ipsam virtualem multiplicitatem, & distinguibilitatem vnitatis diuinę, ita vt nostro modo intelligendi prius sit diuinam substantiã esse virtualiter multiplicem, quàm posse fundare multiplicitatem conceptuũ, quibus intellectus noster inter essentiã & relationem distinguit. Et hæc videtur mihi esse mens Caietani 1. p. q. 39. ar. 1. si consideratius legatur. Etenim in §. *ad euidentiam*, verbis expressis docet illam eminentissimam vnitatem diuinæ entitatis, qua formaliter in se habet, quidquid est perfectionis absolutæ, & relatiuæ, priorem esse ente, & omnibus differentijs eius, cum sit super ens, & super vnum: & subinde distinctionem inter absolutum, & relatiuum non prius à nobis esse concipiendam, & deinde diuinam illam perfectionem collocandã sub altero illorum membrorum. Et inde affirmat illam vnitatem diuinæ perfectionis Deo conuenire secundum se, & non quoad nos. Cui theologię, si adiungamus theologiam Dionysij, & Augustini de virtuali multiplicitate illius vnicæ perfectionis; vtique colligemus illam virtualem multiplicitatem, & distinctionem conuenire vnitati diuinæ non quoad nos, sed secundum se; & subinde independenter ab omni habitudine, & ordine ad distinctionem rationis à nostro intellectu faciendam. *Caietanus.*

Nec ab hac explicatione longe sunt, 23. qui dicunt vnitatem diuinæ perfectionis ideo esse virtualiter plures, quia ita exercet propria singularum perfectionum, ac si essent plures illæ, atquè distinctæ perfectiones, vt ex Caietano, & Molina, imo verius ex Augustino diximus supra q. 6. ar. 7. §. 2. n. 9. Iam vero quis dubitabit illam vnam perfectionem formaliter reddere entitatem essentiæ cõmunicabilem; relationis vero incommunicabilem absquè vllo ordine, & dependentia à distinctione nostri intellectus? *Caietanus. Molina.*

Ex quo in citatis locis inferebamus 24. istam virtualem distinctionem diuinæ perfectioni ex sua natura conuenire, & in ordine ad ea, quæ intus sunt in Deo: quatenus existens vna, atque simplicissima multifariam veluti actuat ipsum Deum; non solum multipliciter perficiendo illum, dum formaliter eum reddit bonum, iustum, sapientem, & cæt. vt ait Augustinus 6. de Trinitate c. 7. in principio; sed etiã tribuendo illi multiplicẽ essendi

essendi rationem, dum illi formaliter tribuit, quidquid est perfectionis absolutæ, & relatiuæ, & dum illum formaliter reddit communicabilem essentia; relatione vero incommunicabilem.

29. 3. Illatio. Denique ex dictis intulimus distinctionem istam virtualem non satis accomodatè enumerari inter distinctiones rationis, vt contra Fonsecam iam aduertimus in d. q. 6. ar. 7. §. 1. n. 3. siquidem distinctio ista prius Deo conuenit, quam respiciat nostrum intellectum: etenim, vt diximus, respicit ea, quæ intus sunt in Deo, illique cõueniunt absq; vlla habitudine, & ordine ad nostrũ intellectum. Vide adhuc, quæ in sequenti quæst. dicemus,

ARTICVLVS VI.

An intellectus beati ratione distinguat essentiam à relatione?

§. 1.

Refertur pars negans.

1. DIximus supra ar. 4. essẽtiam à relatione actu non distingui, nisi p intellectum; Consequenter explicandum est, per quem nam intellectum fiat hæc distinctio? Et inter omnes constat intellectum viatoris posse hanc distinctionem facere. De intellectu comprehensoris, atq; etiã de diuino intellectu potest esse dubitatio. In hoc ar. dicemus de intellectu comprehensoris: in sequenti vero de intellectu diuino.

2. Auctores opinionis negantis. Quod attinet ad intellectum cõprehensoris, partem negantem in terminis probat Suarius lib. 4. de. Trinitate c. 4. n. 17. quod idem probauerat de distinctione attributorum in Metaph. disput. 54. sect. 2. n. 25. & satis eam insinuat lib. 1. de essentia Dei c. 13. n. 6. Idem etiam insinuat Bellomontanus 1. p. disp. 120. c. 6. n. 26. Eandem probare debent, qui negant beatum distinguere Dei attributa quos citauimus q. 6 ar. 9. §. 1. n. 1. eadem enim est vtrobique ratio.

3. 1. Argum. Pro hac sententia possunt fieri eadem argumenta, quæ in d. art. 9. fecimus pro illis qui negant intellectum beatum distinguere diuina attributa. Nam visio beata est intuitiua. Ergo terminatur ad rem, vt est à parte rei. At essentia, & relatio à parte rei nullam distinctionẽ admittũt. Vide ibi in 4. ratione n. 5.

Deinde; distinctio rationis dari non potest, nisi medio intellectu concipiente rem imperfectè abstractè, & confusè. Talis autem non est visio beata. Vide ibi 5. ratione n. 6. Secundum.

Tertio; Beatus distinctionem illam nõ potest sumere aut ab ipsa diuina substantia, aut per ordinem ad creaturas. De quo ibi in postrema ratione n. 7. Tertium.

Quarto; beatus non potest facere illam distinctionem eãdem cognitione, qua Deum videt, vt fatentur aduersarij Aliam vero nullus agnouit. Vide ibi in 3. ratione n. 4. Quarto.

Postremò obijciunt D. Bernardum, & D. Thomam: illum lib. 5. de consideratione Paulo ante finem: hunc quæst. 7. de potentia art. 6. Vterque enim docet ex infirmitate nostri intellectus prouenire, vt Deus à nobis in via cognosci nõ valeat, nisi ipsum diuidendo: D. autem Bernardus affirmat intellectũ videntis Deum non posse in suam pluralitatem resilire desilire vè. Hęc sunt huius opinionis prȩcipua fundamenta. Quinto.

§. 2.

Resoluitur pro parte affirmante.

4. Affirmatiua vera. EGo puto hanc quæstionem eodẽ modo resoluendam esse, quo in q. attributorum eam resoluimus: vtrobique enim eadem est ratio. Quare sicut in attributis eam resoluimus pro parte affirmante q. 6. ar. 9. §. 2. ita nunc resoluenda est. Sed claritatis gratia sequentes statuimus conclusiones.

5. 1. Cõclusio. Sit prima conclusio: Beatus ipsamet visione, qua videt essẽtiam, & personas, eas ratione distinguit. Hæc cõclusio directè contradicit sententiæ negantiũ in eo negat illa beatum facere hanc distinctionem. Et quanuis in his terminis nostra m cõclusionem nullus proponat; non possunt tamen eam non probare, qui probant intellectum beati sua beatifica visione distinguere attributa. Quare nostram cõclusionem possumus tribuere Henrico, Caietano, Molinæ, Capreolo, Aialæ, & Soncinati, quos citauimus in d. ar. 9. n. 8. & 13. Etenim eadem est vtrobiq; ratio. Nam, vt essentia & relatio ratione distinguantur per intellectum Auctores huius conclusionis.

tellectum beati ipsa beatifica visione, satis est, quod per visionem cognoscantur, vt virtute distincta. Sed beat⁹ visione sua, qua Deũ videt non solùm distinctè videt essentiam, & relationes personales; sed etiam videt illas in sua simplicissima vnitate habere virtualẽ distinctionẽ. Ergo beatus sua visione ratione distinguit essentiã á relatione. Maiorẽ huius discursus iam ostendimus in q. 6. ar. 10. §. 5. Minorem autem confirmauimus ibi ar. 9. §. 2. n. 13. & art. 10. §. 4. & 5.

Aduertẽdũ. Illud hoc loco aduertimus non esse negandum posse essentiam à relatione distingui per rationẽ à diuersis beatis visione ipsa beatifica; si verum est diuina potentia fieri posse, vt essentia videatur non visis personis: tunc enim essentia actu diuideretur à relationibus; videretur enim illis nõ visis. Vide, quæ dixim⁹ in d. q. 6. ar. 9. §. 2. concl. 3. n. 12.

6. 2. Cõclusio. Sit secunda conclusio. Non est negãdũ beatos per cognitionem vespertinã, quã habẽtẽ de Deo in ꝓprio genere, posse relationem ab essentia ratione distinguere: supponim⁹ enim beatos in patria per scientiam infusã, qua in politia vespertina vtuntur, cognoscere mysteriũ Trinitatis magis distinctè, & expressè, quam in via per fidẽ illud cognouerint.

D. Thomas Et cum hæc scientia nõ cognoscat Deũ quidditatiuè, vt docet D. Thomas 3. p. q. 11. ar. 1. ad finem corporis; vtiq; in ordine ad Deum vnũ, & trinum talis cognitio erit imperfecta; & subinde poterit beatus formare distinctos cõceptus essentiæ, & relationum personaliũ, sicut in via formabat per fidem. Poterit igitur plures conceptus de essentia, & personis exprimere, tũ apud se, tũ cũ alijs colloquendo, de quo diximus in d. ar. 9. §. 2. concl. 1. num. 10. vbi aduertimus de hac

D. Thomas scientia intelligi posse D. Thomam in 1. d. 2. q. 1. art. 3. §. *quantum vero ad quartum*; dum docet videntem Deum posse de Deo viso plures conceptiones formare, & diuersa nomina imponere. De ea-

Capreolus. dem etiam scientia potest intelligi Capreolus in 1. d. 8. q. 4. art. 3. ad 7. eorum, quæ vltimo loco adducta sunt fol. 131. col. 1. post principium, dum generaliter ait videntem Deum posse eum conceptibiliter distinguere; id enim absque dubio est verisimum, si sermo sit de cognitione, quam in politia vespertina per scientiam infusam habet beatus de Deo vno, & trino.

7. 3. Cõclusio. Tertia cõclusio: mihi maximè est ꝓbabile beatos in politia matutina (in qua cum Deo intra cõmunicant) posse essentiam (quã sua beatifica visione vident esse vnam sũmam, & vnitissimã rẽ cum relationibus) intelligẽdo diuidere. Admittendã enim esse politiam quandã matutinam, in qua beati intra ipsũ Deũ cum ipsomet cõmunicent, sæpe aduertimus: lib. 4. q. 9. ar. 5. & supra q. 6. art. 9. §. 3. n. 11. vbi diximus quemlibet beatũ ex ipsa beatifica visione plures actiones, & necessarias, & liberas exercere erga Deũ, & proximos, quos in Deo vident: & inter istas actiones enumerandas esse diuinas laudes, & gratiarum actiones, in quas beati prorrũpent. Quare sicut beatus in hac politia laudabit Deum modo, vt maiestatẽ, modo, vt bonitatẽ, modo ratione aliarũ perfectionũ, vt ex D. Chrysostomo docet D. Thomas loco citato; cur etiã nõ poterit laudare modo diuinũ Patrẽ, & ad eũ solùm suas laudes dirigere, modo Filiũ, & modo Spiritũ Sanctũ. Et sicut potest laudare, & venerari diuinam maiestatem; cur non poterit laudare vnitatem communicabilem diuinæ essentiæ, & incommunicabilem discretionem cuiusq; personę? Profectò non video, cur id facere nõ possit intra ipsam matutinam politiam.

8. Capreolus. Quod mihi satis significat Capreolus in 1. d. 8. q. 4. ar. 1. concl. 1. dum ait intellectum clarè videntis Deum posse ipsum conceptibiliter distinguere, idque non solùm in politia vespertina, sed in ipsa etiam matutina. Hunc enim sensũ satis significat in 1. d. 27. q. 2. art. 3. ad 8. Durandi fol. 206. column. 2. dum ait beatũ ipsa visione beatifica posse formare plura verba eorum, quæ videt in Deo. Et quanuis solum id affirmet de attributis diuinis, & creaturis in Deo visis; non video, cur non idem affirmandum sit de essentia, & relationibus, Supposita sententia Capreoli, & Thomistarum, qui præter intellectionem admittunt verba, siue conceptus obiectiuos. Sed quomodo id fiat, latius dicturi sumus in 2. tom. lib. 7. dũ disputabim⁹ de perfectionibus intellectus beati. Nunc Capreolũ ideo adduximus, vt ostendamus beatũ non solũ cognitione vespertina rerũ in

proprio genere, sed cognitione etiam matutina, qua in essentia diuina res cognoscit, posse intellectu distinguere, quæ in Deo sunt vnum.

§. 3.

Soluuntur argumenta.

9. Ad 1. arg. ARgumenta initio adducta facilè dissoluuntur ex dictis q. 6. ar. 9. §. 3 Ad primum respõdimus ibi n. 20. notitiam intuitiuam, quę virtute est cõplexa posse plura obiecta concipere, & concipiendo distinguere. Quare, cum diuina substantia in sua vnitate sit virtute plura; beatum videre illam, sicuti est, & dum illa videt, vt virtute plures, vtique eam diuidit concipiendo, vt diximus in 1. conclusione.

Ad 2. Ad secundum dicimus maiorem esse omnino falsam, vt videre est ex ijs, quæ diximus vbi supra ad 5. n. 21.

10. Ad 3. Ad tertium respondetur beatum non sumere illam distinctionem in ordine ad creaturas: siue illa cognitio fiat cognitione vespertina Dei, siue matutina, vt diximus supra n. 27. & inferius iterũ dicemus: sumit igitur illam, tum ex virtuali multiplicitate entitatis diuinæ: tũ etiam ex ipsa vnitate diuinæ essentiæ cũ diuersitate reali personarum, vt aduertit Suarius lib. 4. de Trinitate c. 4. n. 16. & dicemus inferius ar. vltimo.

11. Ad 4. Ad quartum iam respondimus in d. art. 9. n. 18. beatum in politia matutina hanc distinctionem facere ipsa sua visione beatifica, vt patet ex prima conclusione, & satis explicat Capreolus citatus supra cõcl. 3. At in politia vespertina eam facere cognitione distincta à visione beata, quam esse admittendam omnes fatentur.

12. Ad vltimũ. Ad postremum latè diximus in dicto articulo 9. numero 14. 15. 16. & 17. vbi ostendimus Diuum Bernardum agere de diuisione, quæ fit pluralitate conceptuum, atquè intellectionũ, quã beatus non habet, dum Deum beatificè intuetur. At tamen Deum intelliget obiectiue illum diuidendo; vno tamen, & eodem actu. Nec id oriri ex infirmitate intellectus, cum id etiam conueniat intellectui diuino, vt dicemus in sequenti articulo. Vide, quæ diximus loco citato.

ARTICVLVS VII.

An diuinus intellectus essentiam à relationibus ratione distinguat?

1. auctores partis negantis PArtem negantem in his terminis probauit Suarius lib. 4. de Trinitate cap. 4. num. 17. vbi docet Deum quidem suo intellectu non facere distinctionem inter relationes, & essentiam; bene tamen eam cognoscere, vt factibilem à nostro intellectu; & præterea eam obiectiue videre, dum ab intellectu creato efformatur. Eandem sententiam probare debent, qui negant diuinum intellectum distinguere essentiam ab attributis, aut attributa inter se, quos retulimus supra quæst. 6. art. 10. §. primo numero 1. nam vtrobique est eadem ratio. Vnde, quæ argumenta ibi fecimus, vt Deus suo intellectu attributa non distinguat, etiam probant Deum non distinguere essentiam à relationibus.

2. Placet affirmatiua. Oppositam tamen sententiam in nostris terminis probauit Molina 1. p. q. 28. artic. 2. disput. quinta post quartam conclusionem §. *petes vtrum comparatione.* Satis est de mente Torres in dict. quæst. 28. art. secundo disput. 3. in tertia parte illius ad secundum argumentum. Eandem probabunt, qui docuerunt attributa distingui per diuinum intellectum, quos citauimus in d. ar. 10. §. 2. quorum sententiam ibi, vt veriorem secuti sumus; vnde in hac quæst. eãdem putamus esse verisimam. Ad cuius confirmationem, & defensionem satis sint, quæ eo in loco scripsimus, vbi vide.

Torres.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrum distinctio rationis inter relationes, & essentiam possit fieri sine ordine ad creaturas?

§. 1.

Referuntur duæ oppositæ sententiæ.

1. QVæstio ista solùm excitari solet circa distinctionem attributorum, de qua latè egimus supra q. 6. ar. 8. sed non minus erit difficilis, si excitetur circa distinctionem rationis, qua essẽtia distinguitur à relationibus.

Nec

Nec erit abſre illam de hac diſtinctione ſpecialiter excitare, vt expendamus quodnam ſit huius diſtinctionis fundamentum.

2. Opinio negans.

De propoſita quæſtione duæ poſſunt excogitari opiniones oppoſitæ. Prima negabit poſſe ab aliquo intellectu formari di tinctionem rationis inter eſſẽtiam,& relationes ſine aliqua habitudine ad diſtinctionẽ,quæ eſt in rebus creatis inter eſſentiam, & perſonam principiumq́; perſonale.Hanc opinionem non poſſunt non probare, qui abſolutè docent nullam diſtinctionem rationis fieri poſſe ſine ordine,& reſpectu ad diſtinctionem, quæ in creaturis reperitur: ita generaliter docuerunt Godofredus, Durandus, Heruæus, Gerardus noſter, & noſter Argentina, Aiala,& Bellomontanus, quos allegauimus in dicta quæſt. 6.articulo octauo §. ſecundo numer.14. Quorum ſententiam non putat eſſe improbabilem Henricus ibi citatus. Ex qua generali doctrina infertur apud citatos doctores fieri nõ poſſe diſtinctionem rationis inter eſſentiam,& relationes ſine habitudine ad diſtinctionem, quæ eſt in creaturis. Fundamenta huius ſententiæ erunt illa ipſa, quæ poſita ſunt in dicto articulo 8.§.4,à numero 23.vſquè ad n.28.

3. Qui probẽt partem' affirmantem.

Oppoſitam tamen ſententiam in prijs noſtris terminis probat Suarius libro quarto de Trinitate capite quarto numero 16. vbi docet intra ipſum Deum dari ſufficiens fundamentum, vt eſſentia à relationibus ratione diſtinguatur; quia ad hoc ſufficit ipſa realis diſtinctio perſonarum in ſuis proprietatibus cum vnitate in vna communi natura. Additque in hoc dari aliquod diſcrimen inter hanc diſtinctionem relationis ab eſſentia,& diſtinctionem attributorum,tum ab eſſentia, tum inter ſe: quoniam diſtinctio attributorum frequentius ſumitur per habitudinem, vel proportionem ad effectus,& proprietates habẽtes actualem diſtinctionem in creaturis;cum tamen diſtinctio relationis, & eſſentiæ ſumatur ab his tantum, quę intra Deum inueniuntur. Non eſt igitur dubium, quin Suarius eã probet ſententiã,quæ docet diſtinctionem iſtam eſſentiæ, & relationis poſſe fieri abſquè vlla habitudine ad creaturas. Nec longé eſt ab hac ſententia Cumelius(quanuis in proprijs terminis non loquatur) 1.p.q.28.ar.2.q. 2. ad dubia parua pagin. 818. columna 1. dum ait diſtinctionem eorum attributorum quæ ordinem habent ad diſtinctionem perſonarum, ſumi ſolum in ordine ad intus. Cum vero diſtinctio eſſentiæ, & relationis talis ſit; vtiquè idem diceret de ea. Eandem etiam opinionem abſq; dubio probabunt,qui docuerunt diſtinctionem rationis inter attributa poſſe fieri abſque vlla habitudine ad creaturam per ſolam comparationem ad intra: quæ fuit opinio Scoti, & plurium aliorum,quos citauimus in d.ar.8.§.1.n. 2.3.&4.vbi oſtendimus D.Thomã huius eſſe opinionis,& Capreolum, quidquid Bellomontanus contradicat.Cum vero eadem ſit vtrobiq́ue ratio, & fortè maior in diſtinctione eſſentiæ,& relationũ (hæc enim omnium conſenſu eſt maior quam diſtinctio atributorum)profecto idem dicerent de hac diſtinctione. *Caietanus.* *Scotus.* *D.Thom.* *Capreol.*

4. Placet affirmatiua.

Ego hanc poſteriorem opinionẽ puto eſſe non modo probabiliorem, ſed etiam veriſsimam; quam in diſtinctione attributorũ,vt veriſsimam probaui in d.ar.8.§.2. Sed,vt huius difficultatis reſolutio clarior euadat, quæſtionem excitabimus in ſingulis intellectibus, diuino ſcil.beato,& viatore: nam ab omnibus hanc diſtinctionem fieri poſſe in ſuperioribus oſtendimus.

§. 2.

Diuinum intellectum hanc diſtinctionem facere abſque habitudine ad creaturas.

5. Quomodo diuinus intellectus hãc faciat diſtinctione apud quoſdam

QVod attinet ad diuinum intellectum, aduerto quam plurimos docuiſſe diuinum intellectũ nõ diſtinguere attributa,niſi per habitudinẽ ad diſtinctionẽ, quæ eſt in creaturis: ita docuerunt Godofredus, Durandus, Heruæus,& alij, quos citauimus quæſt. 6. ar. 10.§.4.num.36. Neminem tamen inueni, qui formaliter docuerit Deum eſſentiã à relatione non diſtinguere ſine tali habitudine. Siquis tamen ita exiſtimauerit; vt prædictorum auctorum veſtigijs inſiſtat, ita rem declarabit; vt Deus ſe ipſum perfectiſsimè intelligens ſub illavnitiſsima vnitate tam reali, quam formali, quam in re habet,

simul etiam intelligat creaturas, quas intelligendo se, in se cognoscit: intelligẽdo autem illas, simul etiam intelligit in eis naturam actu distingui à persona, & id, quod est commune, & communicabile pluribus, distingui ab eo, quod realiter est incommunicabile. Et inde veluti monetur, vt quasi supra se reflectens concipiat essentiam distingui à psonis, personalibusque relationibus: tũ; quia essentia est: tum; quia communis est: nam prȩcitati auctores hoc modo theologizarunt diuinum intellectum distinxisse attributa, vt videre est in d.ar. 10.§.4.n.36.

6. 1. Arg. ex Durando. Pro confirmanda hac theologizandi ratione expendet argumenta, quibus illi suum theologizandi modum confirmarunt. Primo igitur ex Durando argumentabitur: quoniam distinctio rationis, nisi sit fictitia, debet habere fũdamẽtũ in re. At sublata habitudine ad creaturas nullum illius distinctionis potest dari fundamentum in diuina essentia; vt quia in se ipsa sit vnum quid cum suis relationibus, non solum actualiter, sed etiam virtualiter. Oportet igitur, vt prius nostro intelligendi modo in se ipso concipiat creaturas; & in illis, vt simul concipiat distinctionem naturæ à suppposito, & communis à proprio; vt inde veluti moueatur, vt concipiat diuinam suam entitatem, quatenus est essẽtia, ratione distingui à se ipsa, vt est relatio, & proprietas personalis.

7. 2. ex Heru. Secundo argumentabitur ex Heruȩo quoniam circunscripta habitudine ad creaturas nulla potest dari in diuina essentia distincta ratio intelligibilitatis, qua per intellectum aliter concipiatur, vt essẽtia, & aliter, vt relatio: etenim diuina essentia in se est summè vna, nullã in se habens distinctionem intelligibilitatis, si omnem habitudinem ad creaturas auferamus.

8. 3. ex Durãd. Tertio poterit arguere ex Durando: quoniam distinctio rationis inter essẽtiam, & relationem dicit aliquam imperfectionem; cum enim dari non possint duo infinita; arguit alterum extremorum non esse infinitum, quod imperfectionem denotat. Iam vero, quod imperfectionem dicit, non potest reperiri in diuinis, nisi provt Deus terminat habitudinem creaturæ.

Postremo ex Godofredo argumentabitur: quoniam intellect⁹ diuinus non ob aliam causſam distinguit ideas per habitudinẽ ad creaturas, nisi, quia nullum fundamentum distinctionis inuenit in diuina essentia sublata habitudine ad eas. Ergo ob eandẽ causſam non distinguet essentiã á relationibus, nisi per habitudinem ad res creatas. Hæc sũt, quæ pro hac opinione adduci possunt. 9. 4. ex God.

Oppositа tamen sentẽtia est omnino tenenda: intellectum scilicet diuinum distinguere essẽtiã à relationibus absq; vlla habitudine ad distinctionem, quæ est extra: sicut etiam distinguit attributa absquè vlla tali habitudine, vt diximꝰ in d.q.6.ar.10.§.4. eadem enim ratio militat in vtraque distinctione. Vnde nostra ista opinio satis erit ad mentem Henrici, Scoti, Bachonij, & eorum, qui docent diuinum intellectum distingere attributa nõ per ordinem ad extra, sed ad intra. Nobiscum consentit Bellomõtanus, qui idem sentit, si supponatur diuinum intellectum hanc distinctionem facere, vt patet 1. p. disput. 118. cap. 3. n. 8. vbi admissa illa opinione putat diuinum intellectum distinctionem istam facere non posse cum habitudine ad distinctionem, quæ est extra in creaturis. In quo consentiunt Henrricus, Scotus, Bachonius, Alexander de Sancto Elpidio, Gerardꝰ, Capreolus, Torres, & Molina, quos citauimꝰ in d.ar.10.§.4.n.49. 10. Exposita sẽtia est vera. 11.

Et omissis argumentis Bellomontani; quia sensum aduersariorum non impugnant, vt aduertimus in d. §. 4. n. 44. illa argumenta habent efficaciam quæ ibi aduximus num. 45. cum sequẽtibus. Nam opposita sententia sine solido fundamento ligat diuinum intellectum habitudine non satis consentanea cum diuina perfectione. Deinde; quia in diuina entitate datur sufficiens fundamentum, vt diuinus intellectus essentiã à relationibus distinguat: datur enim virtualis distinctio inter ea, vt diximus supra articulo quinto. Quo supposito destruitur fundamentum aduersariȩ sẽtentiæ 1. Confirm. Secundò.

Tertio; essentia absquè vlla habitudine ad creaturas est communicabilis, relatio vero incommunicabilis: igitur diuinus intellectus id intelliget absqué vlla habitudine ad creaturam: & per 12. Tertiò.

& per consequens sine ea distinguet essentiam à relatione: maximè, cũ in illa diuina entitate habeat sufficiens distinctionis fundamentum, vt diximus. Denique opinio contraria falsis fundamẽtis nititur, vt facilè quis intelliget ex solutionibus argumentorum.

13 Ad 1. & 2. arg. aduersariorum. Nam in primo, & secundo falsum est in diuina essentia non dari fundamentũ distinctiõis sublata habitudine ad creaturas, vt diximus. Vide in d. ar. 10. §. 5. num. 54. & 55.

Ad 3. Ad tertium falsum est distinctionem rationis necessariò importare imperfectionem, vt contra Durandũ iam ostẽdimus in d. §. 5. num. 56.

Ad postremum. Ad postremum diximus ibi num. 57. disparem esse rationẽ inter distinctionem, id earũ, & distinctionẽ, aut attributorum, aut essentiæ cũ relationibus. Et ita cõcludendũ est intellectũ diuinũ hãc distinctionẽ facere absque vlla habitudine ad extra, sed solum ad intra.

§. 3.

Intellectum diuinum hanc distinctionem facere independenter ad distinctionem realem personarum.

14 Distinctionem rationis sumi ex distinctione aliqua reali. *Godofr. Durand. Heruæus. Gerard. Argent. Cumelius.* POtest quis inquirere, vnde nam diuinus intellectus sumat fundamentum distinctionis inter relationem & essentiam. Ratio dubitandi sumitur ex doctrina quorundam Theologorum, qui putant distinctionẽ rationis ex sua natura vendicare sibi, vt non sumatur, nisi ex aliqua distinctione reali. Quam doctrinã probauerũt Godofredus quod libet. 7. q. 1. Durãdus in primo d. 2. q. 3. n. 15. & 17. Heruæ[9] ibi q. 3. maxime ar. 3. §. *ad cuius euidentiã*, Gerard[9] noster ibi q. 2. ar. 3. §. *ad euidentiam primi*, pag. 144. col. 2. & pag. 145. col. 1. latè noster Argentina in primo d. 6. q. 1. ar. 3. & 4. Bellomontanus prima parte disp. 117. cap. 3. num. 8. & 9. Cumelius 1. p. q. 28. ar. 2. q. 2. ad dubia parua pag. 818. col. prima. Ex qua doctrina doctissimi Theologi moti sunt, vt dicerent diuinum intellectum non distinguere attributa, nisi per habitudinem ad distinctionẽ realem emanationum, atque personarum. Idem igitur poterit quis dicere de distinctione essentiæ, & relationis, vt nequeat fieri à diuino intellectu, nisi per habitudinem ad realem distinctionem personarum.

9

Sed hæc opinio, & falso nititur fundamento, & in se non videtur mihi necessaria. Primum patet; quia doctrina, qua nititur, falsa est, vt latè ostendimus q. 6. art. 8. §. 4. num. 30. cum Capreolo, Aiala, Soncinate. imò cum D. Thoma, quos ibi citauim[9]. Quibus addo Henricũ quodlibet. 5. ad finẽ litera C. Quòd verò illa opinio non sit omnino necessaria, ex eo patet; quoniam distinctio virtualis inter essentiam, & relationes fortè antecedit nostro intelligendi modo distinctionẽ realem personarũ, earunq; emanationẽ; etenim nostro intelligendi modo fœcunditas diuinæ naturæ prius intelligitur, quàm emanationes personarũ, earumq; distinctio. Vnde prius cõcipitur essentia, vt virtutè continens relationes, quod non datur sine aliqua distinctione essẽtiç, & relationũ. Vide in d. q. 6. ar. 10. §. 4. n. 52. & 53. Quare puto satis probabile intellectũ diuinum nostro intelligendi modo essentiã à relationibus distinxisse independenter à distinctione reali personarũ: quanuis illarum distinctio cũ vnitate essentiæ satis etiã fuerit ad faciendam illam distinctionẽ.

15 Reiicitur opinio.

16 Vera resol.

Dicimus igitur intellectũ diuinũ nostro intelligendi modo essentiam à relationibus tunc 1. distinxisse; cum primò concepit diuinã entitatem in se actualissimam, & vnitissimã cũ virtuali multiplicitate absoluti, & relatiui: idq; sua beata visione, quatenus virtute est aprehensiua, & indicatiua veritatũ, quas Deus de sua essẽtia cognoscit. Vide, quæ diximus in d. q. 6. ar. 10. §. 6. nu. 64. & 69. An verò illam distinctionẽ faciat actu intelligendi directo, aut actu veluti reflexo. Vide in d. q. 6. ar. 10. §. 7. per totũ.

§. 4.

Intellectum beati etiam facere hanc distinctionẽ absque habitudine ad creaturas.

17 Quorundã opinio. CVm intellect[9] beati in patria etiã distinguat essentiã à relatione, vt latè ostendimus q. 6. ar. 9. Inquirẽdum est an istam distinctionẽ faciat cũ habitudine ad distinctionem, quæ est in creaturis? Affirmabũt Godofredus, Durandus, Heruæus, Gerardus, & Argentina; cum hanc sentẽtiam probent de distinctione attributorũ, Cum quibus cõ-

sentit Bellomontanus, si semel supponatur beatum illam distinctionem facere. Idem igitur dicēt de distinctione rationis inter essentiam, & relationes. Fundamenta retulimus §. 2.

18 Vera resolutio. *Henricus.* Nos istam quæstionē resoluimus supra q 6. ar. 10. §. 3. ad vltimū argumentū nu. 27. vbi cum Henrico quodlib. 5. q. 1. & cum alijs oppositam sententiam probauim⁹, si sermo sit de distinctione, quā beatus facit visione beatifica, qua videt Deum. Nam, cum virtualis distinctio inter essētiam, & relationes reperiatur in diuina essentia ante omnem habitudinē ad creaturas, vt diximus supra ar. 5. §. 3. sicut enim illa in essendo non pēdet à tali habitudine; ita nec pendebit in intelligendo. Nam nec lumen gloriæ in illuminando ipsam virtualem distinctionē: nec diuina essentia sufflecta loco speciei intelligibilis in repræsentando pendet à tali habitudine. Id ipsum dicimus de distinctione, quam inter essentiam, & relationes potest facere beatus in politia matutina in sensu tertiæ conclusionis articuli sexti huius quęstionis

19 Idem dicēdum erit de eādem distinctione, si fiat à beato in politia vespertina iuxta secundam conclusionē articuli sexti præcedentis per scientiam infusam: hanc enim scientiam non pendere ab vlla habitudine ad creaturas iam ostendimus supra q. 6. art. 9. ad vltimum argumentū n. 28. Vbi etiam aduertimus distinctionē istam sine tali habitudine fieri non posse, si beatus hāc distinctionem faciat scientia sibi cōnaturali: quia hæc dependet à phantasmatibus. Vide ibi.

§. 5.

Quid dicendū si de distinctione facta à viatore.

20 Resoluitur dubitatio. cum distinctione. QVod attinet ad intellectū viatoris distinguentē essentiā à relationibus, eadem dicimus, quæ de eo attributa distinguente diximus q. 6. ar. 8. §. 2. n. 8. cū sequentibus. Etenim si sermo sit de illo intellectu modo sibi cō naturali diuina intelligente; ille nō poterit essentiā distinguere à relationib⁹, sine habitudine ad distinctionē; quā inuenit in rebus creatis. Nam licet lumine naturali nequeat cognoscere mysteriū Trinitatis; illo tamen cognito per fidem non concipit terminos illius, nisi modo sibi cōnaturali. Vnde diuinam essentiā concipiet, similiter, & relationes personarū ad modum, quo hæc inuenit in rebus. Quare, nisi ex rebus creatis cognoscat essentiā distingui à personis, nō poterit diuinā essentiam à personis distinguere, vide, quæ diximus in d. ar. 8. §. 2. concl. 2. n. 9.

21 Porrò si sermo sit de viatore diuinitus eleuato, vt altiori modo diuina intelligat, & absq; cōuersione ad phantasmata, per scientiā scilc. per se infusam; ille potest essentiā distinguere à relationibus absq; vlla habitudine ad res creatas. De quo vide in d. ar. 8. cōcl. 4. nu. 16. Et inde inferes nō esse per se, & absolutè necessariū, vt intellectus viatoris hāc distinctionē faciat per habitudinem ad distinctionem, quæ in creaturis reperitur. Vide in d. ar. 8. concl. 3. n. 15. & 22.

Ex quibus iam patet resolutio totius quæstionis: nec esse probādam partem negatiuā, si absolutè proferatur. Fundamenta illius dissolues ex dictis in d. art. 8. §. 4. à nu. 30. Et hæc de ista quæstione satis dicta sint. Resolutio.

QVÆSTIO XIII.

De mutua inclusione, & prædicatione, essentiæ cum personis.

POST disputationē distinctionis, quę datur inter essentiā, & relationes, consequitur disputatio de mutua inclusione essentiali essentiæ, & relationu, atq; de mutua illarum prædicatione. De quo tria sunt inquirenda. Primo inquirendū est, an essentia in sua ratione quidditatiua includat relationē? Secundo, an relatio essentialiter includat essentiā? Tertio; quomodo essentia & relatio de se mutuo prædicentur.

ARTICVLVS I.

An essentia in suo essentiali conceptu includat relationem.

§. 1.

Explicatur duplex sensus quæstionis.

1 EX dictis supra q. 6. in præfatione colligitur quęstionē istā in duplici sensu excitari posse; sicut in duplici excitata est in essentia respectu attributorum

butorũ, vt patet ex q. 78. & 9. Potest igit quæstio ista excitari de essentia, & relatione, vt concipiuntur à nobis. Altero modo, prout illa sũt à parte rei. Et quãuis Bellomontanus 1. p. disp. 119. c. 2. nu. 6. §. *Respondẽt aliqui*, putet quæstionem istam vanã esse, & loquutionẽ ineptam, si intelligatur inposteriori sensu; vt quę supponat aliquid posse essentialiter includi in diuina essentia, vt est in se, & extra intellectum: vt quia in ea, vt sic non detur aliud, & aliud, sed omnia sint vnũ omnino indistincta, & actualiter, & virtualiter; tamen sententiã Bellomontani, vt singularẽ, & cõtra omnes alios reiecimus supra q. 7. ar. 1. §. 6. n. 47. & 48. Nã quãuis in Deo omnia actualiter sint vnũ tam realiter, quàm etiam formaliter, vt contra Scotũ verius existimamus: tamẽ illa sũma actualis vnitas non excludit, sed includit virtualem pluralitatẽ, & distinctionem, vt cũ cæteris omnibus cõtra Bellomontanũ ostẽdimus supra q. 5. & 6. vtrobiq; ar. 6. idq; ex doctrina Dionysij, & Augustini, de quo etiã diximus. ar. 5. huius quæstionis.

Quæstio nõ est vana cõtra Bellomõtanũ.

Admissa autem distinctione virtuali in illa vna simplissima Dei perfectione, iam datur locus ad inquirendum, an in essentia relatio essẽtialiter includatur? Sicut etiam relictus fuit locus, vt inquireremus, an in essentia essẽtialiter includerentur atrributa, & in vno attributorum cætera. Et quanuis Molina 1. p. q. 28. ar. 2. disp. 4. paulo ante finem existimet loquutionem non esse satis castam; vt quia includere propriè loquendo sit continere addendo; tamen cum de sensu constet, non est de nomine contendẽdum. Iam verò apud theologos idem est aliquid essentialiter in alio includi, atq; esse de essentiali illius ratione. Quare cum inquirimus, an essẽtia includat essentialiter relationem, nihil aliud inquirimus, quàm vtrum relatio sit de ratione quidditatiua essentię. Vnde grauissimi Theologi priori illa loquendi phrasi vtuntur, vt Fonseca in 7. Metaphys. c. 8. q. 2. sect. 7. litera F. & Suarius lib. 1. de essentia Dei cap. 13. in tit. & communiter alij.

2 In quo sensu detur locus quæstioni.

Fonseca. *Suarius.*

Illud tamen est scitu digniss imum; an possit aliquid esse de essentia diuinæ essentiæ, vt est in se; non verò, vt concipitur à nobis? Vel è cõuerso, an aliquid possit esse de ratione essẽtiæ, vt à nobis cõcipitur; ñ verò, vt est in se? Cui[2] dubitationis resolutio plurimũ valet, vt has duas quæstiones distinguam[3]. Affirmare debet Fonseca loco citato: quia docet attributa essentialiter nõ includi in essentia, prout à nobis concipiũtur; cũ tñ à parte rei in ea essentialiter includãtur. Idem igitur dicet in nostra quæst. nam fundamentum vtrobiq; habet locum: si enim attributa, & cum essentia, & inter se ideo à parte rei se se mutuo essentialiter includũt; quia omnia sunt ipsa diuina essentia, vt ait Fonseca: vtiq; cũ relatio etiam sit ipsa diuina essentia; includetur essentialiter in illa. Cũ Fonseca concinit Suarius lib. 1. de essentia Dei c. 14. n. 8. dum ait hanc esse falsam, *Sapientia est iustitia*, si Sapientia, & iustitia expẽdantur, prout concipiuntur à nobis: cũ tamen sit verissima, prout illa in se ipsis sunt. Ego puto oppositum esse dicendũ; quod colliges ex dictis supra q. 9. ar. 2. §. 4. in 3. demonstratione. Et statim plura de hoc dicemus.

3 Dubitatio incidens.

opinio affirmans.

oppositum placet.

§. 2.

Refertur opinio affirmans.

Quæstio ista etiã inter Thomistas est cõtrouersa: nã quidã illorum partẽ affirmatiuã defendũt asserẽtes essentiã in se essentialiter includere relationes. Hãc vt veriorem probat Bañes 1. p. q. 28. ar. 2. dub. 3. ad 6. & vltimum argum. pag. 112. in fine. Tribuitur hæc sententia Caietano ibi ad 3. D. Thomæ, & q. 39. ar. 1. Eandẽ opinionẽ probat Valentia 1. tom. disp. 2. q. 4. punct. 1. pag. 766. dum ait personas esse de ratione, & quidditate diuinę essẽtiæ, nõ esse impossibilẽ affirmat Cumelius in d. q. 28. ar. 2. q. 3. ad finẽ corporis, satis eam insinuat Sotus in 4. d. 49. q. 3. ar 3. post 2. concl. §. *Scio quidem*, & clarius §. *clara ergo est solutio.*

4 Essentiam essentialiter includere relationes qui affirmant.

Bañes. *Valentia.* *Cumelius.* *Sotus.*

Hanc sententiam multis cõfirmat Bañes. Primo auctoritate D. Thomę in d. q. 28. ar. 2. ad 3. dũ ait, *in ipsa perfectione diuini esse contineri, & Verbũ intelligibiliter procedens, & principium Verbi; sicut, & quæcunq; ad eius perfectionem spectant.*

5 1. Argum.

Secũdo quoniam si diuinæ relationes non pertinẽt intrinsecè, & essentialiter ad diuinam essentiam. Ergo pertinent extrinsecè, & accidentaliter. Quod est falsum.

2. Argum.

Tertium. Tertiò; diuina essẽtia necessariò est Pater. At esse Patrem non conuenit illi, vt passio, nec vt modus distinctus ex natura rei. Ergo cõuenit ei necessariò, intrinsecè, & essentialiter.

6 Quartum. Quartò; quidquid essentialiter cõpetit diuino esse, etiã essentialiter cõpetit diuinæ essentię. Sed diuino esse (vt pote infinito) essentialiter cõpetit esse Patrẽ, & Filiũ, & Spiritum Sanctũ. Ergo id ipsũ essentialiter competit diuinæ essentiæ. Maior supponitur. Minor ꝓbatur: quia aliàs diuinum esse non esset intrinsecè, & essentialiter infinitum; si quidem intrinsecè, & essentialiter non esset Trinitas, quæ est maxima perfectio.

Quintum. Quinto; si diuina essentia essẽtialiter nõ includit diuinam personam illa nõ subsisteret per aliquid intrinsecum, & essẽtiale sibi: etenim non subsistit, nisi per hoc, quod in tribus personis habet subsistentiam: Nec enim datur quarta subsistentia. Ergo si illas tres subsistentias essentialiter non includit; vtique ex sua intrinseca ratione non subsistit.

7 Sextum. Sexto; si essentia essentialiter non includeret relationes, & personas, posset per diuinã potentiã videri sine personis. Quod thomistę negãt. Hęc ex Bañes

Septimum. Septimo; alij sic arguunt. Relationes, & re, & ratione formali sunt idem cũ essentia. Ergò essentialiter includuntur in ea. Antecedens patet ex quæstione præcedente. Consequentia probatur; quoniam, quod est illi re, & ratione formali cum altero, non potest non esse de essentia illius: ideo enim diximus attributa esse de essentia ipsius essentiæ, quia cum ea sunt idem, & realiter, & formaliter.

Octauũ. Octauo; de essentia Dei est, quod sit Trinus: nec enim hoc illi accidit. Ergo relationes sunt de essentia Dei, & percõ equens ernnt de essentia ipsius essentiæ.

Confirmatur; quoniã essentiale est essentiæ esse in tribus personis. Ergo tres personæ essentialiter includũtur in ipsa essentia.

Confirmatur 2. quia maior est identitas inter essentiam diuinam, & Trinitatem, quàm inter hominẽ, & animal. Sed animal est de essentia hominis. Ergo esse Trinum esset de essentia Dei.

8 Nonũ. Nono; Hæc propositio, *Deus est Pater*, est per se ex D. Thoma 1. p. q. 39. art. 6. ad 2. in Deo enim nihil est per accidens. Ergo Pater est de essentia Dei, & per consequens erit de essentia ipsius essentiæ.

Decimũ. Decimo; paternitas est de essentia Patris: quia illũ formaliter cõstituit. Ergo est de essentia Dei: quia Pater nõ habet aliã essentiam, nisi essentiam Dei. Erit ergo de essentia ipsius essentiæ.

Vndecimũ. Vndecimo; personę ab essẽtia formaliter, & ex natura rei nõ distinguũtur: vt contra Scotum iam ostendimus. Ergo sunt de adæquata ratione essentiæ.

9 Postremũ. Postremo; Valentia, vbi supra id cõfirmat cõnullis Patrũ auctoritatibus. 1. est D. Athanasij in oratione contra Sabellij Gregales pag. 98. litera B. vbi expli *Athanasi.* cans propriam, & adæquatã rationẽ diuinitatis ita ait: *Vniuersa plenitudo; & integritas Deitatis est Pater, vt Pater; Filius, vt Filius. Idem de Spiritu Sancto est existimandũ.* Quòd si diuina essentia est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vt tales sunt. Ergo Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt de ratione essentiæ diuinæ. Idẽ Athanasius sermone 4. cõtra Arianos nõ longè ab initio dicit, *ipsam proprietatẽ Patris essentiã Filij constituere.* Gregorius etiã Naziãzenus oratione in sancta lumina *9. quoniam autẽ sermone.* pag. 364. col. 1. ita ait: *Vnũ in tribus diuinitas est, & tria vnũ: ea inquam, in quibus diuinitas est, vel (vt magis propriè dicam) quæ diuinitas est.* Idem in Epistola ad Euagrium Monachũ: Cũ enim obiecisset diuinã essentiam videri compositam, si ex tribus personis constat: nequaquam negat illam ex tribus personis constare, sed alijs modis conatur defendere eam nihilominus non esse cõpositam. Additque Valentia õnes alios 10 Orthodoxos Patres, cum fatentur essentiam vnam, & vnum Deum esse tres personas, procul dubio intellexerunt essentiam intrinsecè, & essentialiter esse tres personas; quia in Deo nihil inest extrinsecum, vel accidentarium suę essentiæ. Quibus verbis recurrit ad fundamentum Banhes, & aliorum. Hec inuenire potui pro hac sententia affirmante.

§. 3.

Eligitur opinio negans, tanquam verissima.

11 Vera opini. SEntentia, quæ negat relationes, & personas esse de essentia diuinæ essentię, est inter theologos maximè cõmunis. Ex nouioribꝰ eã ꝓbãt Torres

de

Torres. de Trinitate q. 39. ar. 6. disp. vnica concl. 3. fol. 151. col. 3. quam etiam vno verbo tetigit q. 28. ar. 2. disp. 3. in 3. argum. contra quartam, fol. 56. col. 2. in fine, Molina ibi disp. 6. concl. 3. Suarius lib. 4. de Trinitate cap. 5. n. 2. & in Metaph. disp. 30. sect. 6. n. 9. in fine, Bellomontanus 1. p. disp. 121. c. 4. nu. 14. Præceptor Franciscus à Christo in 1. d. 1. q. 6. in fine, expressè Ferrariensis 2. contra Gentes cap. 9. §. *aduertendum tamen*, Cumelius etiam 1. p. q. 28. ar. 2. q. 3. concl. 4. nam quanuis ibi in fine corporis dicat oppositam sententiam non carere probabilitate; hanc tamen negantem simpliciter probat, & defendit. Pro eàdem sẽtentia stant antiquiores theologi: pro ea absque dubio stat noster Ægidius in 1. d. 34. 1. p. q. 2. fol. 176. col. 4. litera P. vbi expressè docet *rationem relationis ita esse aliam à ratione essentiæ, vt ratio relationis, & proprietatis non includatur in ratione substantiæ.* Idem docuit noster Argentina in eàdem distinctione 34. q. vnica, §. *Tertio dico.* Pro eàdem stat Henricus: si attentiùs legatur quodlib. 5. q. 6. litera X. in responsione ad argumenta: vult enim essentiam, & relationem sumi vel secundum nomina primæ intentionis (id est quatenus sunt res) vel secundùm nomina secundæ intentionis, id est secundũ rationes suorum prædicamẽtorum, secundùm quas essentia est essentia, & ens absolutum, & relatio est relatio, & ens ad aliud. Priori modo (inquit) & essentia includitur in relatione, & relatio in essentia; quia est vna, & eadem res. Posteriori autem modo relatio non includitur in ratione essentiæ; quia rationes formales sunt distinctæ.

Fr. Franc. à Christo. Cumelius. Ægidius. Argentina Henricus.

12. Non est igitur, cur dubitandum sit de mente Henrici. Nec etiam puto dubitandum esse de mente D. Thomæ. Nam cum nostram probasse sententiam ferè omnes affirmant: quod ex pluribus illius locis facilè ostendi potest. Etenim 1. p. q. 33. ar. 3. ad 1. verbis expressis docet in diuinis *propria non esse de conceptu communium.* Clarius id docet de potentia q. 8. ar. 2. ad 6. dum ait: *hanc prædicationem (essentia est paternitas) non esse per se perfeitate prædicabili; quia paternitas non prædicatur de essentia secundùm propriam rationem.* Et addit *illam prædicationem esse veram per realem identitatem*, Expressioribus verbis id declarat in 1. d. 33. q. 1. ar. 1. dum asserit, *respectum relationis non pertinere ad rationem essentiæ, nec esse de intellectu illius.* In solutionibus argumentorum sæpè asserit *diffinitionem essentiæ, & relationis esse aliã, & aliam*: aliam inquam, & aliam: non vt ratio inferioris est alia à ratione superioris; sed quia ratio vnius continua est à ratione alterius, vt declarat ibi ad 5. Deniq; 1. p. q. 28. ar. 2. docet *nomine essentiæ non importari respectum*: importaretur autẽ, si essentia in sua ratione quidditatiua relationẽ includeret. Quæ autem ex D. Thoma obijciuntur in 1. & 9. argumento, explicabuntur in solutionibus argumentorum.

D. Thom.

13. Sed & Scotus cum suis nobiscum cõsentit. Nam in 1. d. 2. q. 7. litera HH. postquam docuit id dici idẽ formaliter cũ alio, quod in sua ratione per se primo modo illud includit, ita ait: *In proposito essentia non includit in sua ratione formali proprietatem suppositi.* Et hanc esse Scoti sententiam affirmat, & probat Herrera 1. tom. disp. 8. q. 9. concl. 1. pag. 181. col. 1. Rada 1. tomo controuersia 4. concl. 3. pag. 55. col. 2. in fine, & inferius §. *ex his sequitur*, pag. 57. col. 1. & hæc est recepta sententia inter Scotistas.

Scotus. Herrera. Rada.

14. Et absque dubio hæc fuit sententia Caietani 1. p. q. 39. ar. 6. ad 2. D. Thomæ: vbi concilians duos D. Thomæ locos; in quorum altero negat hanc propositionem *essentia est paternitas* esse per se; in altero id affirmat; concludit illam propositionẽ non esse per se perfeitate formali, bene tamen perfeitate identica. Quibus verbis satis explicat paternitatem essentialiter non includi in essentia: si enim essentialiter includeretur in ea; vtique de ea verè, & propriè prædicaretur per se primo modo. Nec oppositum docuit, aut in 1. ar. eiusdem quæstionis 39. §. *ad euidentiam horum*, aut q. 27. ar. 2. ad 3. D. Thomæ. Nam in illis locis non agit de essentia, vt comparatur ad relationem, sed de illa vna diuinæ entitatis perfectione, quæ vnitissima, & eminenti quadã vnione continet in se quidquid in diuinis absoluti est, & relatiui, vt benè aduertit Molina vbi suprà, & statim dicemus. Vnde non est, quod Cumelius cum nonnullis alijs dicat Caietanum in hac quæstione fuisse variũ.

Caietanus.

15. Hanc negatiuam sententiã puto esse veriſ-

Diuina entitas 2. modis cõsideratur.

veriſsimam, & omnino tenendam. Sed vt illius veritas magis appareat, præmittendum eſt diuinam entitatem, ſiue ſubſtantiam duobus modis poſſe conſiderari. Vno modo adæquatè in ſua veluti totalitate, & quaſi integritate actuali, tam reali, quàm formali, quam habet à parte rei; quatenus ſcilicet eſt vna, & trina, iuxta illud Eccleſiæ in hymno de corpore Chriſti ad matutinum: *Te trina Deitas, vnaque poſcimus*: ita enim eſt vna illa diuina entitas, vt ſit Trina; non quod ſit ter vna (nec enim in ſe recipit numerum, vt ait D. Thomas 1.p. q.31. ar.1. ad 4.) ſed quia eſt vna in tribus perſonis, & eadem realiter cum tribus relationib⁹ perſonalibus. Vnde illa diuina ſubſtantia in ſe ipſa *eſt vna ſumma res, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, vt diffinit Concilium Lateranenſe in cap. *damnamus*, de ſumma Trinitate. Ex quo infertur, vt cum illa ſumma vnitate ſtet realis trinitas, vt idem Concilium ibi definit. Ob quam rationẽ Magnus Dionyſius de diuinis nominibus c. 2. illam vnitatẽ diuinæ ſubſtantiæ appellat diſcretam; diſcretionem verò vocat vnitam. Et in hoc poſitum eſt myſterium huius ſupereminẽtis vnitatis; quod Dionyſius mirum in modum extollit, & Cõcilium Lateranenſe vocat incomprehenſibile. Itaque diuina entitas in ſe ipſa à parte rei ita eſt realiter vna, vt Trinitate ſit diſcreta: quia ſcilicet illa vna ſumma res veraciter eſt tres perſonæ. Ex quo infertur, vt in ſe ipſa veraciter ſit entitas quædam formaliter abſoluta, & formaliter relatiua.

D. Thom.

Concil. Lateran.

16. Dionyſius.

Hinc eſt, vt Dionyſius illam entitatẽ theologozauerit ſub vna quadam Deitatis veluti integritate, ac totalitate, dũ ipſam Deitatem ita adæquatè conſideratam appellat totam Deitatem, integrã Deitatem, & omnem Deitatem; ita enim ſcribit in d. c. 2. in principio: *igitur hoc quidèm, & in alijs inquiſitum à nobis eſt demonſtratum, omnes ſemper Deo conuenientes Dei denominationes, non particulariter, ſed in tota, & perfecta, & integra, & prima Deitate ab eloquijs laudari, & omnes ipſas ſimpliciter, abſolutè, & inobſeruatè totaliter vniuerſa totalitati perfectè, & omnis Deitatis apponi.* Ecce Magnus Dionyſius diuinitatem, quæ tres perſonas includit, imò, quæ veraciter eſt tres perſonæ appellat totam integram, perfectam Deitatis totalitatem, imò omnem Deitatem. Et ſtatim non ſemel, ſed iterum, & iterum Deitatem trium perſonarum appellat *totam Deitatem*. Et explicans illa verba Ioãnis 10. *Ego, & Pater vnum ſumus*, ita ſcribit: *Neminem arbitror ex ijs, qui in diuinis eloquijs rectiſſima piaq; intelligentia ſunt enutriti, huic ſententiæ contradicturum; quod vna omnia iuxta exactiſsimam rationem toti diuinitati inſunt.*

17

Ex his patet diuinam ſubſtantiam à nobis rectiſsimè, & catholicè cõſiderari poſſe in quadã veluti integritate, & totalitate, in qua ita eſt vna ſumma res, vt veraciter ſit Trinitas: ſiue trina in hoc ſenſu, quia illa vna ſubſtantialiter exiſtens realiter eſt tres relationes, & tres perſonæ. Et ſatis ad mentem Auguſtini ſermone 63. de Verbis Domini c.2. vbi poſtquam explicauit trinitatem ita eſſe vnum Deum, vt Filius non ſit Pater, & Pater non ſit Filius, & Spiritus Sãctus non ſit Pater, & Filius; hanc trinitatem appellauit diuinitatem, ita ſcribens: *Hanc ergo ineffabilem diuinitatem apud ſe ipſam manentem.* Caietanus igitur 1. p. q.39. ar.1. §. *Ad euidentiam horum*, rectiſsimè conſiderat in Deo vnam rem non purè abſolutam, nec purè reſpectiuam, ſed eminentiſsimè (formaliter tamen) habẽs in ſe, & quod eſt abſoluti, & quod eſt reſpectiui. In quo probatur à cæteris theologis, ſi ſermo ſit de diuina ſubſtantia, vt res eſt. Quanuis autem Scotiſtæ in illa vna re, quæ realiter, & abſoluta eſt, & reſpectiua, non admittant vnam formalitatem, quæ vnitſimè ſit formaliter abſoluta, & reſpectiua; nos tamen cum eodem Caietano, & communiori ſententia admittimus in hac vna re vnam rationem formalem. Quare dũ diuinam ſubſtãtiam conſideramus ſub vna quadam veluti totalitate, & integritate, eam conſideramus ſub vna totalitate reali, & formali; ita vt ſit vna res tam realiter, quàm formaliter.

Auguſt.

Caiet.

18. Secunda cõſideratio diuinæ eſſentiæ.

Altero modo conſiderari poteſt diuina ſubſtantia ſecundùm ſpeciales rationes eorum, ex quibus veluti integratur; ita vt ſingulæ cum ſingulis conferãtur: nec enim poterit aliquis dubitare admittendam eſſe diſtinctionem inter illam rem, quatenus eſt abſoluta, & ſecũdùm rationem abſolutam (quomodò dicitur

dicitur substantia, natura, & essentia, vt patet ex Concilio Lateranensi) & quatenus est relatio. Nam, tum omnia Concilia, tum etiam omnes Patres in Trinitate distinguunt essentiam, & quæ sunt essentialia, atque communia, à personalibus, & proprijs. Quomodò autem inter se distinguantur? Iam explicauimus superiùs. Nunc satis sit essentiam, vt essentia est, distingui à personis, & à relationibus personalibus. Hac autē distinctione supposita iam datur locus ad inquirendum, vtrum essentia in sua quidditate includat relationes.

§. 4.

Pro resolutione statuuntur duæ conclusiones.

19. 1. conclusio

His ita præmissis duas statuimus conclusiones. Prima conclusio: si diuina substantia cōsideretur in sua adæquata veluti totalitate, & integritate modo superiùs explicato, relationes personales, & diuinæ personę sūt de intrinseca, & essentiali ratione diuinæ essentiæ. In hoc sensu verissima est opinio affirmans, & in eo fundamenta eius bene concludunt. In eodem partē affirmantem probauit Caietanus 1. p. q. 27. ar. 2. ad 3. D. Thomæ, & latius q. 39 ar. 1. §. *Ad euidentiam horum*, Cumelius 1. p. q. 28. ar. 2. q. 3. ad primum principale, pag. 825. col. 2. Banhes ibi ad finem cōmenti, §. *Ad secundam confirmationem*, pag. 1115. & Molina ibi disp. 6. Nec vt puto in hoc sensu conclusio negari poterit: vix enim credi potest Deū, vt adęquatè, & totaliter sumitur (vt Dionysij verbis vtar) essentialiter non includere, quod sit vnus, & trinus: etenim suppositā Dionysij theologia id euidenter demonstratur: nam si totum essentialiter includit partes, ex quibus constituitur; profectò quod ad modum vnius totius consideratur, essentialiter etiam includet ea, ex quibus in sua veluti totalitate, & integritate constituitur.

Caiet.

Cumelius.

20. 2. cōclusio.

Secunda conclusio: si diuina entitas pręcisè consideretur sub ratione absoluta, sub qua est essentia, atque natura; relationes non includūtur essentialiter in ea. In hoc sensu opinio negatiua verissima est, & in eodem sumitur à theologis, quos pro illa citauimus. Probatur autem euidentissimè, & rationibus theologicis, & Patrum testimonijs.

21. 1. ratio.

Sit prima ratio. Quidquid essentialiter includitur in diuina essentia, essentialiter etiam includitur in singulis diuinis personis. Sed tres relationes essētialiter non includuntur in singulis personis. Ergo essentialiter non includuntur in essentia. Discursus est optimus: minor negari non potest; quia paternitas non est de essentia Filij. Maior autē euidenter patet ex verbis Dionysij in d. c. 2. de diuinis nominib⁹: fatetur enim se demonstrasse *omnes conuenientes Dei denominationes*, id est omnia prędicata Dei *in tota, & perfecta Deitate à diuinis eloquijs laudari, & toti Deitati apponi*, id est tribus personis conuenire. Ratione etiam euidenter ostenditur: quoniam essentia diuina essentialiter includitur in qualibet persona; quia quælibet essentialiter est Deus. Ergò quidquid fuerit de essentia diuinæ essentiæ, erit etiam de essentia vniuscuiusque personæ, per regulam ante prædicamentalem Aristotelis: ex eo enim, quod animal essentialiter includitur in homine, in eodem etiam essentialiter includentur omnia, quæ essentialiter includuntur in animali.

Dionysius.

22. Confirmatur.

Ex hac doctrina sumitur optima cōfirmatio nostræ assertionis: nihil enim potest esse in aliquo sine eo, quod est de sua intrinseca ratione: essentialia enim sunt inseparabilia, & re, & ratione. Sed essentia potest esse sine relationibus diuisim sumptis; quia est in Patre sine filiatione, in Filio sine paternitate, in vtroque sine processione passiua, vt Fides docet. Ergo nulla illarum relationū essentialiter includitur in essentia.

23. 2. ratio.

Secunda ratio: si relationes essentialiter includerentur in essentia, tota essentia non esset communis singulis personis. Consequens est falsum. Ergo, &c. Sequela patet; quia non esset communis Patri secundùm relationem Filij, quam essentialiter includit: nec Filio secundū relationem paternitatis: & simili modo non esset communis Spiritui Sancto secundùm relationes paternitatis, & filiationis; quia relationes oppositæ non possunt simul esse in eodē. Falsitas porrò consequentis facilè ostenditur. Nā quod essentia sit communis tribus personis, ita vt in singulis reperiatur, res est in fide notissima diffinita in Cōcilio Latera-

Conc. Lat. Lateranensi in c. *firmiter*, §. *Hæc sancta Trinitas*, & in c. *damnamus*, de Summa Trinitate, vbi tres personæ habent eandem essentiam. At quòd tota essentia cõmunis sit omnibus personis, ita vt tota sit in singulis, patet ex eodem Concilio: nã in d. c. *firmiter* essentia, quæ communis est toti Trinitati, *est omnino simplex, & indiuidua in ipsis personis*. Quod autem omnino simplex est, & indiuiduum, totum est, vbicunque est. Vnde in d. c. *damnamus* definitur *essẽtiam non esse in personis per partes*. In singulis igitur erit secundùm omne, quod est. Eadem veritas docetur ab

Athanasi. Athanasio in oratione contra Gregales Sabellij pag. 98. litera B. vbi totus est, vt ostendat in tribus personis esse vnam integram, & indiuisam naturam: affirmatque vniuersam plenitudinem, & integritatem Deitatis esse in Patre: vniuersam item plenitudinem, & integritatem Deitatis esse in Filio: similiter etiam in Spiritu Sancto. Deinde ita cõcludit: *Quandoquidem vna forma intelligitur, quæ integrè se in vtroque, ac solidè exhibet.* Quæ forma est diuina essẽtia per generationem à Patre exhibita, & communicata Filio. Quid est integrè se exhibet, nisi se totam exhibet? Nam, & Filius à Patre, & Spiritus Sanctus ab vtroque *accipit quidquid est Dei*, vt docet Ioannes Patriarcha in Concilio Florentino sessione 19. pag. 840. col. 2. in fine. Filius etiam accipit substantiam à Patre sine vlla diminutione, vt diffinitur in d. cap. *damnamus*. Quam etiam veritatem satis euidenter explicat Dionysius in verbis supra citatis: *omnes* (inquit) *Dei denominationes*, id est omnia prædicata, quæ Deo cõueniunt, vt est Deus, *simpliciter, & absolutè & inobseruatè totaliter vniuersæ totalitati apponi*, id est omnibus, & singulis personis. Ecce ex Dionysio omnia, quæ sunt essẽtiæ, & essentialiter includuntur in ea, insunt singulis personis *inobseruatè*. Quid autem sit inesse in singulis inobseruatè, exponit D. Thomas in hæc verba: *id est absque alia obseruantia distinctionis. Quod respondet ei, quod dixit (perfectè:) nisi enim esset perfecta Deitas in qualibet personarum, oporteret obseruare, qualiter aliquid diceretur de vna persona, & qualiter de alia.*

24. Dionysius. D. Thom.

25. Quæ verba confirmant eleganter nostrum institutum: etenim si relationes essentialiter includerentur in essentia, vt est essentia; vtique obseruandum esset essentiam ita esse in Patre, vt in eo non esset secundum prædicatum essentiale filiationis: in Filio autem non esset secundùm prędicatum essentiale paternitatis: & idem de Spiritu Sancto. Quare si essentia ex Dionysio est in singulis personis absque vlla distinctionis obseruantia; vtique ita est in singulis, vt secundùm se totam, & secundùm suam totalitatem essentialem sit in singulis. Quem sensum explicat Dionysius, dum ait esse in singulis *totaliter*: & inferiùs in verbis secundo loco adductis *est in singulis secundum omnia diuina*, hoc est secundũ omnia, quæ in diuina essentia includuntur. Accedat etiam expressa auctoritas D. Anselmi de processione Spiritus Sãcti c. 3. in principio, vbi docet *totum Deũ dici de tribus personis, & de earum singulis*. Maior igitur à nobis proposita est verissima, nec potest catholicè negari. Qua concessa argumentum euidenter concludit relationes essentialiter non includi in essentia.

D. Anselm.

26. Quod duobus exemplis optimè confirmat Suarius lib. 4. de Trinitate c. 4. n. 9: nam si animal in sua essentia includeret differentias oppositas, quibus cõtrahitur, nullo modo tota essentia animalis esset in homine, in quo irrationale esse non potest. Simili igitur modo si essentia diuina essentialiter includeret relationes oppositas, nullo modo tota essẽtia diuina esse posset in singulis personis. Nec vim argumenti elidet, qui dixerit rationem animalis esse communẽ tantum per rationem, essentiam autem communem esse realiter; quin potius, qui id dixerit vim argumenti magis cõfirmabit. Nam si essentia, quæ communis est secundùm rationem, non posset per rationem tota prædicari de inferioribus, si oppositas differentias essentialiter includeret: à fortiori nec essentia, quæ realiter est cõmunis, posset tota realiter inueniri in suis veluti inferioribus, si essentialiter includeret oppositas relationes. Accedit etiam, quia si personalitas humana intrinsecè contineretur in humanitate, non posset tota humanitas in aliquo inueniri, in quo non inueniretur personalitas humana; & subinde in Christo non daretur tota humanitas. Eàdem igitur ratione si relatio-

Eliditurque dam respon sio.

lationes, relatiuæque proprietates sunt de essentia diuinę essentiæ; non posset in aliqua persona inueniri tota essentia diuina, in qua realiter non inuenirentur omnes relationes. Quare si concedendum est totam diuinam essentiam inueniri in singulis personis, profectò non erit concedendum relationes essentialiter contineri in diuina essentia.

27. Cõfirmatur. Ex hoc fundamento vim habent nõnulla argumenta, quibus hæc secunda ratio potest amplius confirmari. Nam si paternitas esset de essentia essentiæ, non posset Pater cõmunicare Filio suã essentiam, quin illi etiam communicaret paternitatem. Consequens est hæreticum, ergo, &c. Minor patet ex Concilio Florentino in literis sanctę vnionis: *Conc. Flor.* *omnia, quæ Patri sunt, ipse Pater vnigenito, Filio suo dedit, præter esse Patrem*: & est celebris doctrina Augustini, & aliorum Patrum. Sequela probatur: quia ex diffinitione Concilij Lateranensis in c. *damnamus* de Summa Trinitate, *Filius substantiã Patris accepit sine vlla diminutione*. Adde etiam, quia non potuit Pater communicare essẽtiam, quin cõmunicauerit omnia, quæ sunt de essentia ipsius essentiæ: alioquin vel non cõmunicaret verã essentiam, vel non cõmunicaret eã, quam habet, sed aliam: essentiæ enim, sicut & numeri variantur vno, vel alio dempto, aut addito, vt ex Aristotele cõmuniter docetur. Quare cùm tota essentia communicata sit, non sit autem communicata paternitas; necessariò infertur paternitatem non esse de intrinseca, & essentiali ratione diuinæ essentiæ.

28. Confirmatur. Ex eodẽ medio vim habet hoc argumentũ. Essentia est cõmunis indiuidua, & indistincta, vt definitur in d. c. *firmiter*, & in c. *damnamus*, relatio autẽ distinguit. Ergo relatio non includitur essentialiter in essentia: etenim essentia ita ponitur cõmunis, vt secundũ se totam sit cõmunis, & indistincta, nullã admittens distinctionẽ. Eã tamen admitteret, si essẽtialiter includeret relationes: ita enim fieret, vt essentia, quatenus essentia, distingueret. Quod est falsum. Simili modo Concilia, & Patres ita distinguũt cõmunia à proprijs, vt sola communia appellent essentialia, & absoluta. Quod nõ esset verũ, nisi cõmunia secundũ se tota essẽt essentialia, & absoluta. Quomodò igitur essentialiter includent relatiua?

29. Tertia ratio principalis. Tertia ratio adduci potest: quia seruatis principijs veræ philosophię inferiora nullo modo possunt esse de essentiali ratione superioris; & per cõsequẽs ea, per quæ inferiora in suo esse formaliter constituũtur, necessariò sunt extra essentiam superioris, quę est communis omniũ doctrina: nec enim rationale est de essentia animalis. Sed diuina essentia est cõmunis omnibus, & singulis personis, vt Fides docet. Ergo relationes, quibus tres personæ in esse personali constituũtur, sunt extra rationem essentiæ. Nec obstat, quod essentia non sit cõmunis cõmunitate vniuersali: quia cõmunitas cõmunicabilitatis, quã habet essentia, quãuis sit rei singularis, sufficiẽs est, vt ipsas personas concipiamus ad modũ inferiorũ; vnde non desunt theologi, qui illas quasi inferiores dicant, vt Suarius in d. c. 5. n. 9. nec itẽ desunt, qui in illa suo modo concipiant vniuersalitatẽ, vt Bellom. 1. p. disp. 121. c. 4. n. 14. in fine: illa enim cõmunitas satis est, vt inter personas, & Deũ nõ detur adæquata cõuertibilitas, nec subsistẽdi consequẽtia: quia licet Pater sit Deus, non tñ quidquid est Deus, est Pater. Quæ incõuertibilitas sine aliquo vniuersalitatis modo esse nõ potest; quę satis est, vt relationes sint extra essentialẽ rationẽ essẽtię.

4. ratio. Quarto loco pro hac opinione expẽdi possũt omnes rationes, quas suprà q. 9. ar. 2. §. 4. & 5. adduximus, vt ostenderemus attributa se se essentialiter non includere. Vide, quæ ibi diximus.

30. Postrema ratio. *Boetius.* Postremò hæc opinio confirmatur varijs Patrum testimonijs. Plerique putant apertissimum esse testimoniũ Boetij in libello de Trinitate, siue potius in q. quã scripsit, an Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus substantialiter prædicentur de Trinitate? In qua quæstione planè sumit *substantialiter*, pro *essentialiter*, vt ait Suarius lib. 4. de Trinitate c. 4. n. 3: nam si vocem illam sumeret, prout distinguitur contra accidentaliter, nec esset locus quæstioni, nec ipse quæstionẽ resolueret negatiuè: quia certissimum est Trinitatẽ non dici accidẽtaliter de Deo. Sentit igitur Boetius Trinitatẽ, vt sic, non esse de essentia Dei; nam, quod est de essentia essentialiter prædicatur. Ex eodem Boetio adducit hæc verba:

Personæ diuisæ sunt, essentia autem indiuisa. Ergo necesse est vocabulum ex personis originem ducens, ad substantiam non pertinere: huiusmodi autem est nomen Trinitatis, & quodlibet aliud relationem significans. Ergo Trinitas, vel relatio non est de substantia, id est de essentia Dei. His verbis adductus est Suarius, vt putet Boetium nostram istam sentẽtiam expresè docuisse.

31. Explicatur Boetius. Sed qui attentè legerit Boetium, euidenter colliget in ea quæstione non idẽ esse *substantialiter*, quòd *essentialiter*; sed idem esse *prædicari substantialiter*, quòd *prædicari absolutè*, eo modo, quo prædicamentum substantiæ prędicatur de Deo: ita vt *substantialiter prædicari* distinguatur à *prædicari relatiuè*. Quem sensum idem Boetius vbi supra manifestè declarauit: nam postquam nõnullis rationibus ostendit Trinitatem, & nomina personalia non prædicari de Deo substantialiter, sed alio modo; explicans istum modum ait: *hæc verò ad aliquid dici manifestum est: nam & Pater alicuius est Pater: & Filius alicuius est Filius: & Spiritus alicuius Spiritus. Quo fit, vt nec Trinitas substantialiter de Deo prædicetur*. Ecce clarè explicat Boetius modum prædicandi, quem distinxit à modo prædicandi *substantialiter*: nam ex eo, quod Trinitas est ad aliquid, infert Trinitatem non prædicari substantialiter. Igitur quando dixit *Trinitatem non prædicari substantialiter, sed alio modo*, ideo dixit, quia Trinitas relatiuè prędicatur, condistinguẽs modum prædicandi substantialiter à modo prædicandi *relatiuè*. Quod euidentiùs explicat inferiùs ita scribens: *quo fit, vt neque Pater, neque Filius, neque Spiritus Sanctus, nec Trinitas de Deo substantialiter prædicentur; sed, vt dictum est, ad aliquid*. Aduersatiua illa *sed* satis explicat prædicari *relatiuè* condistingui contra prædicari *substantialiter*.

32. *Augusti.* Et in hoc Boetius obseruat formam loquendi Augustini, qui expresè docet, quæ relatiuè prædicantur, non prædicari secundùm substantiam, nec secundùm accidens; vt patet in quinto de Trinitate capite 4. 5. 6. & 8. apud quem in dicto capite 4. & 5. inter prædicari secundùm accidens, siue accidentaliter, & prædicari secundùm substantiã, siue substantialiter inuenies interiacere medium modum prædicandi, scilicèt relatiuè, qui nec accidentaliter prędicatur, nec substantialiter: Quin potius apud Augustinum prædicari substantialiter idem est, quòd prædicari absolutè, vt ex Augustino docet Diuus Thomas 1. p. q. 28. art. 2. ad 1. & in primo Sententiarum distin. 8. q. 4. articulo 3. & dist. 22. quęstione 1. articulo 3. ad 2. & distinctione 33. quæstione 1. artic. 1. ad 5. & est communis explicatio Augustini apud theologos. Hanc igitur Augustini theologiam, & hunc loquendi modum probauit Boetius in citato loco, & in d. lib. de Trinitate; vbi cum Augustino ad hunc sensum in Deo duo tãtùm prædicamenta agnoscit, substantię inquam, & relationis; quia in Deo duo tantùm modi prædicandi reperiuntur; absolutè scilicèt (qui est modus prædicandi secundùm substantiam) & relatiuè, secluso modo prædicandi accidentaliter. Quare tantùm abest, vt sit planum Boetium *substantialiter* accepisse pro *essentialiter*; vt planũ sit oppositum; quia in eodem loco *substantialiter* distinxit cõtra *relatiuè*, vt idem sit *substantialiter*, quòd *absolutè*; in quo sensu Boetius non potest adduci pro nostra sententia; sicut nec adduci potest contra eos, qui volunt attributa essentialiter non prædicari de essentia, de quo iam multa diximus in superioribus. *D. Thom.* *Boetius.*

Sed nec Augustinus pro nostra sententia facit, dum lib. 5. de Trinitate c. 6. 33. ait relationes non prædicari de Deo secundùm substantiã, nec accidentaliter, sed solùm relatiuè: nam apud Augustinum ibi prędicari secundùm substantiã non idem est, quòd prędicari *essentialiter*: quanuis oppositum dicat Suarius in d. c. 5. n. 3: etenim planè non sumitur ibi secundùm substãtiam, vt condistinguitur à secundum accidens: quia Augustinus in eo capite expresè negat relationes prædicari *secundum accidens*; & tamẽ simul negat eas prædicari *secundùm substantiã*. Quare prædicari *secundũ substantiã* ab Augustino eo in loco planè sumitur, vt distinguitur à prædicari *relatiuè*. Vnde infertur apud Augustinum ibi *prædicari secundùm substantiam* idẽ esse, quòd *prædicari absolutè*, vt explicauit D. Thomas in locis citatis. Patet igitur hãc consequẽtiam esse inutilem relationes de diuina essentia non prædicantur secundùm substan- Augustini mens explicatur.

substantiam, hoc est absolutè. Ergo prædicantur essentialiter; quia pleraque in diuinis prædicantur secundùm substãtiam, & absolutè, quæ non prædicantur essentialiter, vt quia prædicentur per modum substantialis qualificationis, vt diximus q. 7.

35. Citatur Augustinus. Citari tamen solet pro nostra sentẽtia Augustinus in 7. de Trinitate cap. 2. & 4: nam cap. 2. ait: *Non eo verbum, quo sapientia*, & inferiùs: *non hoc est esse, quòd verbum esse.* Et clariùs cap. 4. *aliud Deo esse, aliud Patrem esse.* Ex quibus nonnulli inferũt apud Augustinum relationẽ Verbi essentialiter non pertinere ad sapiẽtiam; nec paternitatem ad essentiã. Ita Bellomontanus in dicta disp. 121. cap. 4. numer. 14. & Suarius lib. 4. de Trinitate cap. 5. n. 3. Hanc consequentiam Bellomontanus inde deducit, quia si relatio pertineret ad essentiam, vtiq; Verbum eo esset Verbum, quo sapientia; & Deo hoc esset esse, quod Patrem, aut Verbũ esse. Suarius autem eandem consequentiam ex eo probat; quia ex Augustino attributa in hoc distinguuntur à relationibus, quòd in Deo, *hoc est esse, quòd sapere*, vt verbis expressis docuit Augustinus in dicto capite 2. & 4. Sed per ista verba Augustinus denotat sapientiam essentialiter includi in essentia. Ergo per illa priora denotabit relationes in ea essentialiter non includi; etenim relationes attributis contraponit. Cum Augustino ijdem Auctores simul enumerant D. Anselmum in libro de processione Spiritus Sancti cap. 2. dum ait: *non enim idem est esse Deum, quòd esse Patrem, aut Filium.*

D. Ansel.

36. Explicatur Augustinus. Ego tamen puto nec ex verbis Augustini, nec Diui Anselmi colligi posse efficax argumentum pro nostra sententia, si mentem vtriusque diligentiùs expendamus. Nam Augustinus in citato loco id solùm appellat esse, quòd est esse ad se: etenim ad finem dicti capitis quarti ita ait: *Quod enim est, ad se dicitur.* Quare solùm esse absolutum appellat esse, illudque condistinguit contra esse ad aliud. Cum ergo dicit: *In Deo, hoc est esse, quòd sapere*, sensus est, in Deo esse, & sapere, est idem esse; quia scilicèt vtrunque est esse ad se: nec enim alio modo probat assertionem, nisi quia tã esse, quàm sapere est esse ad se. Cum ergo dicit: *Non eo Verbum, quo sapientia*, sensus est; Verbum non eo modo essendi dicitur Verbum, quo sapientia dicitur sapientia; statim enim addit: *quia Verbum non ad se dicitur, sed relatiuè.* In eodem sensu explicabis illa alia verba: *Non hoc est esse, quod Verbum esse*, vt sit sensus; non idem est esse, quòd Verbum esse. Quem sensum faciunt verba D. Anselmi suprà allata: *non idem est esse Deum, quòd esse Patrem, & Filium*: idque non aliunde ex Augustino probatur, nisi quia esse est ad se, Verbum autem non est ad se, sed ad aliud.

Denique illa verba Augustini: *Aliud Deo esse, aliud Patrem esse* hunc habent sensum, vt Deo non idem sit esse, quòd Patrem esse; quia vnum dicitur ad se; alterum ad aliud. Iam verò esse ad aliud, non simpliciter est esse, sed ad aliud esse. Vbi relatiuum *aliud* non denotat alietatem realem, sed alietatem in modo essendi; quia vnum est esse absolutum, aliud est esse relatiuum. Quanuis in locis à Suario citatis realem alietatem denotet, vt latè ostendimus quæstione 7. articulo 2. §. 5. numer. 39. 40. & 41. Quare cum Augustinus solùm agat de alio, & alio modo essendi ad se, & ad aliud; non potest ex illius verbis sumi argumentum efficax, vt probemus relationem essentialiter non pertinere ad essentiam: sicut etiam efficaciter non probant sapientiam essentialiter conuenire essentiæ. De quo vide in dicta quæstione 7. articulo 2. §. 5. ad 10. numer. 68.

37.

Omissis igitur superioribus Augustini testimonijs, nostram sententiam esse Augustini illud testimonium planè conuincit, quod habetur libro 7. de Trinitate cap. 1: *Si essentia ipsa relatiuè dicitur, si essentia ipsa non est essentia.* Concinit aliud in eodem libro cap. 4: *ita substãtia iam non erit substantia, quia relatiuum erit.* At quod in sua essentiali ratione relationem includit, non potest non esse essentialiter relatiuum: nam ob hanc rationem relatiuum transcendens verè, & propriè dicitur relatiuum, quanuis in se ipso etiam includat rationem absolutam. Igitur ex sententia Augustini essentia in sua essentiali ratione non includit relationem. Quod etiam satis expressit idem D. Augustinus, dum

38. Augustini testimonia pro nobis.

D. August.

post illa verba in illorum confirmationem immediatè ita scribit: *Huc accedit, quia omnis essentia, quæ relatiuè dicitur, est etiã aliquid excepto relatiuo*. Ergo essentia in suo illo aliquo, quod est, excepto relatiuo, non includit relationem: si enim illam essentialiter includeret, non posset in suo illo aliquo concipi sine relatione: sicut etiam homo non potest cõcipi sine rationali. Doctrina ista Augustini satis confirmatur: quia communiter omnes Patres docent *Deitatem dici ad se, & non ad aliud*, quod etiam docetur in Concilio Toletano 11. in confessione Fidei.

39. Quæ negatio ab intrinseca ratione essentiæ euidẽter excludit relationem. Vnde ab Ecclesia in Concilijs, & Patribus, sicut communia simpliciter, & absolutè distinguuntur à proprijs; ita etiã absoluta à relatiuis, & essentia à proprietatibus. Vrget etiam pro nostra sẽtentia (vt bene aduertit Bellomontanus loco citato) quod Augustinus in d. lib. 7. de Trinitate cap. 2. docet, nomen sapientię simpliciter prolatum non denotare Filium: eum tamen denotare, cum dicitur sapientia genita. At verò simpliciter, & sine additione illum denotaret, si in suo essentiali conceptu relationem includeret.

August.

40. Explicatur amplius 2. conclusio. His omnibus satis fit euidens veritas huius negantis sententię in sensu nostrę secundæ assertionis: quæ non solùm vera est, prout essentia, & relationes à nobis concipiuntur; sed prout concipiuntur, vt sunt à parte rei: quod optimè aduertit Ferrarienſis 2. contra Gentes cap. 9. vbi ita scribit: *Paternitas non est de conceptu diuinitatis, etiamsi, prout in se est, concipiatur.* Quæ verba esse notanda asserit Suarius in dicto capite 5. num. 2. in fine. Sunt inquam notanda contra Bellomontanum, dum putat, quæ diximus de distinctione, & inclusione essentiali in diuinis, non esse intelligenda de illis, vt sunt in se, sed vt concipiuntur à nobis, & in ordine ad nostros conceptus, quos de illis formamus: in se enim (vt ait) ita sunt vnum; vt sicut nec vestigium vllius distinctionis admittunt; ita nec essentialis inclusionis. Cuius sentẽtiam in superioribus sæpissimè reiecimus: & verè est rejicienda in essentia in ordine ad relationes, proprietatesque personales. Nam, quæ à Concilijs, & Patribus de eorum distinctione dicuntur, verissimè conueniunt illis etiam, vt sunt in re. Etenim quis catholicus negabit essentiam diuinam in re ipsa esse communem tribus personis, & singulis earum indiuiduè communicabilem? relationes verò esse singulis personis proprias, & omnino incommunicabiles? Quis negabit essentiam in re esse ad se, personas verò non ad se esse, sed ad aliud? Quis inficiabitur personas in se ipsis realiter distingui, non quidèm essentia, sed proprietatibus? Quare cum hæc omnia arguant in his à parte rei dari aliquam distinctionem, saltem virtualem, & quæ fundet rationem distinctionis rationis ratiocinatæ; vtique reprehendendus est Bellomontanus, dum ait in diuinis in re, nec vestigium alicuius distinctionis reperiri, nec distinctionem rationis in ipsis diuinis habere vllum fundamentum. Contra quem iam latiùs egimus suprà quæstione 5. & 6. vtrobique articulo 6. & quæst. 7. art. 2. §. 1. Vide etiam in hoc artic. §. 1.

Ferrarien.

Reijcitur Bellom.

41. Opinio Banhes nõ placet. Non est prætereunda distinctio Banhes, quam ponit vbi suprà pag. 1115. & 1116. dum ait relationes essentialiter non includi in essentia, vt est cõmunicabilis, sed vt est constituibilis in esse personali incommunicabili: quasi velit aliud esse essentiam esse communicabilem tribus personis, & aliud, esse constituibilem in esse personali trium personarum. Quod non est admittendum; nam cum essentia non communicetur, nisi dum hypostaticè terminatur proprietatibus relatiuis, quib⁹ personatur, constituiturq; in esse incommunicabili: nihil aliud est essentiam esse communicabilem tribus personis, quàm esse cõstituibilem in esse personali trium personarum. Quare si relationes non sunt de essentia essentiæ, vt est communicabilis; nec etiam erunt de illius essentia, vt est constituibilis in esse personali. Et sicut cõmunicabilitas dicit quendam veluti respectum transcendentalem ad relationes, & personas; ita etiam constituibilitas. Terminus autem relationis nõ ingreditur essentiã relatiui. Quare non est admittenda distinctio illa à Banhes excogitata.

§. 5.

§. 5.

Solutio argumentorum partis affirmantis.

42. Ad primum. NEc argumenta §. 2. adducta pro sententia affirmatiua nostrã veritatem impugnant. Nam primũ sumptum ex D. Thoma 1. p. q. 27. ar. 1. ad 3. multis modis explicatur à Thomistis. Explicatur D. Thomas. Vno modo videtur explicare Caietan⁹ ibi, vt illa verba intelligantur de perfectione diuina sumpta in sua veluti integritate, & in sensu primæ conclusionis. Nec solutio displicet Torres de Trinitate q. 39. ar. 6. disp. vnica in 3. p. ad 1. vbi etiam affert explicationem secundã, vt scilicèt diuina essentia contineat omnia illa secundùm cõmunicationem eo modo, quo ens cõtinet omnia entia. Sed quàm vtraque solutio aliena sit à mente D. Thomæ, facilè intelliget, qui locũ attentiùs expenderit: etenim cùm D. Thomas immediatè dixisset genitum à generante accepisse quidem esse, sed non aliud esse; id eo probat, quia in esse diuino ob suam infinitatẽ, & perfectionem continentur, & Verbũ, & quælibet alia perfectio essentialis: continentur, inquam, continentia reali, qua omnia tam essẽtialia, quàm personalia in Deo sunt realiter vnum. Et hunc sensum satis exprimit D. Thomas, dum se refert ad id, quod dixerat 1. p. q. 14. ar. 14. vbi docuit in Deo nullum esse accidens, sed omnia esse vnam realem substantiã diuinam. Quare illis verbis solùm probat essẽtialia, & personalia in Deo esse vnũ realiter. Quẽ sensum iam probauimus suprà q. 8. art. 2. §. 2. in fine.

43. Ad 2. Ad secundum admittendum est relationes diuinas pertinere ad essentiam extrinsecè, si extrinsecũ idem est, quòd non essentiale: & in eodem sensu admitti debet pertinere accidentaliter: quãuis hęc posterior loquutio in diuinis nõ sit simpliciter admittenda; quia *per accidens* ex sua ratione denotat aliquid omnino extraneum à re, de qua accidentaliter dicitur. Vide Herreram in d. disp. 8. q. 9. ad 5. pag. 182. col. 1. & Radam cõtrouersia 4. pag. 58. col. 1. & 2. & Scotum ibi citatum. Herrera.

44. Ad 3. Ad tertiũ admittimus diuinam essentiam necessariò esse Patrem. Inde tamẽ non bene infertur eam essentialiter esse Patrem. Nec probatio aliquid efficit: quia necessitas illa prouenire potest vel ex perfectate identica, vt dicemus ad nonum, vel ex necessitate personalis proprietatis, quam ipsa essentia diuina naturaliter sibi vendicat ratione suæ fœcunditatis, ex qua intrinsecè est communicabilis, atque personabilis tribus diuinis personalibus proprietatibus. Itaq; essentia diuina necessariò est Pater, & necessariò habet paternitatem; quia naturaliter postulat sibi Patris personam; ita vt paternitas ad eam naturaliter veluti consequatur. De quo vide ad 8.

45. Ad 4. Ad quartum dicendum est in maiore propositione sermonem non haberi de esse existentiæ; quoniam existentia ex sua ratione est modus essendi, qui necessariò comitatur diuinam entitatẽ. Porrò si sermo sit de esse essentiæ, cum formaliter sit idem cum essentia, minor petit difficultatem, an essentia, siue diuinitas essentialiter sit Trinitas; & Deus, vt Deus, essentialiter sit trinus. De qua dicendum est ad 8. argumentum. Agimus autem de Deo, & diuinitate in sensu secundæ conclusionis.

46. Ad 5. Ad quintum admittimus diuinam essentiam, vt distinguitur à relationibus non subsistere, id est hypostaticè non terminari aliquo sibi essẽtiali: quia quo ad suam hypostaticam dependentiã terminatur relatiuis proprietatibus, quas essentialiter non includit. Cum verò inde infertur eã ex sua intrinseca ratione non subsistere, admittenda est sequela, si sensus est eam essentialiter non includere relatiuas proprietates, quibus in subsistendo terminatur: id enim non putamus absurdum, sed verissimum. At verò, si inferatur eam ex sua intrinseca ratione non habere quòd terminetur personalibus proprietatibus; neganda est sequela: quoniam licet essentialiter non includat illas proprietates, tamen essentialiter includit habitudinẽ transcendentalem, vt illis terminetur. Sicut etiã natura substãtialis creata, licet essentialiter non includat suã proprietatem personalẽ, tamẽ essentialiter includit esse personabilẽ aliqua psonalitate. Idem reperitur in accidente, de cuius intrinseca ratione est aptitudo ad inhærendum in subiecto; quanuis subiectũ sit extra intrinsecam rationem illius.

47. Ad 6 Sextum argumentũ habet consequẽtiam non satis firmam: quoniam diuinã essentiam videri non posse sine personis non ex eo pendet, quod personæ sint de intrinseca ratione essentiæ; sed impossibilitas aliunde est petenda, quæ adhuc cernitur, quanuis essentia essentialiter non includat relationes. De hoc latiùs in q. sequente.

48. Ad 7. Ad 7. Scotus cum suis negaret antecedens: quoniam & si relationes sint idem realiter cum essentia; ab ea tamẽ actu distinguuntur formaliter, & ex natura rei. Cuius opinionem absque vllo fidei periculo defendi posse contra recentiorum nonnullos latè ostendimus in præcedente quæstione §. 5. cum sequentibus. Sed quoniam ibi oppositam sententiam putauimus esse veriſsimam, cõcesimusque essentiam, & relationes actu esse idem tam realiter, quàm formaliter: fit secunda solutio ex Suario in 2. solutio quorundã. d. lib. 4. de Trinitate cap. 6. n. 1. vbi admisso antecedente putat consequentiã esse negandam. Rationem reddit; quia plura sunt realiter idem, quæ se se essẽtialiter non includunt: humanitas enim in Petro realiter idem est cum hac humanitate singulari Petri; similiter natura specifica realiter identificatur cũ sua differentia indiuiduante; & tamen nec humanitas essẽtialiter includit hãc humanitatem; nec species suam differentiam indiuiduantem. At hæc instantia solùm probat non valere hanc consequentiam: *Essentia realiter est idem cum relatione. Ergo eam essentialiter includit.* Non recipitur. Nam præter duas allatas instantias, datur etiam instantia in relatione, & proximo fundamento: sunt enim idem realiter iuxta probabiliſsimam sententiam, & tamen fundamentum essentialiter non includit relationem, cum ad diuersa prædicamenta pertineant. At verò non satis est illa instantia, vt ostendat identitatem formalem actualem esse posse absque essentiali inclusione. Quare licet illa consequentia non valeat in reali identitate; valebit tamẽ in identitate formali: vix enim intelligi potest, vt eadem, quæ sunt idem formaliter, se se essentialiter non includant: maximè, quia in attributis identitas formalis infert singula in sua essentiali ratione includere cætera, vt idem Suarius fatetur. Cui difficultati (quæ maxima est) occurrendum erat.

49. Non placet recursus. Nec satis est, si quis recurrat ad idẽtitatem nõ conuertibilẽ, nec adæquatã, quæ datur inter essentiã, & relationes, quæ tamen non datur inter essentiã, & attributa, inter quę datur identitas cõuertibilis, & adæquata. Et quanuis Suarius ad eã videatur recurrere; id tamen non est satis: quoniam recursus iste videtur expugnare sententiam, quam defendimus. Nam si res ista subtilius expendatur; identitas formalis non conuertibilis necessariò supponit id, quod cũ alio formaliter nõ conuertitur, esse idem formaliter cũ eo: etenim essentiã esse realiter idem cũ paternitate identitate non conuertibili, nec adæquata, necessariò supponit essentiam realiter esse idem cum paternitate: in hac enim reali identitate fundatur illa non conuertibilitas. Eodem igitur modo si essẽtia, & paternitas sunt formaliter idem inadæquatè, & non conuertibiliter (est enim formaliter idem cum filiatione, quæ formaliter distinguitur à paternitate) necessariò supponit essẽtiam esse formaliter idem cum paternitate, cęteriſq; relationibus: cuius oppositum docet nostra opinio. Quare recurrere ad identitatem formalem inadæquatam, & non conuertibilẽ tantùm abest, vt tollat vim allati argumenti, vt potius opinionem destruat. Quare huius difficultatis solutio meritò desideratur.

50. Vera solutio 7. arg. Omissa igitur hac secunda solutione, argumẽtum facilè soluetur, si dicamus essentiam, & relationem esse formaliter idem formalitate actuali, non tamen virtuali, vt iam ostendimus suprà q. 11. Nam quanuis sine intellectu actu non distinguantur formaliter, virtute tamẽ formaliter distinguũtur. Vnde non omnimodè sunt formaliter idem; quod omnino est necessarium, vt consequentia sit bona. Quæ solutio satis est de mente Molinæ vbi suprà disp. 2. ad 1. principale. Igitur quæ omnibus modis, & re, & ratione sunt idem, non possunt non se se essentialiter includere; quod tamen nõ est necesse in ijs, quæ à parte rei aliquo modo distinguuntur. Ratio discriminis est; quoniam quæ omnibus modis formaliter sunt idem, ideo sunt formaliter idem, quia vna ratio omnibus modis

eadem

eadem (id est, tam actu, quàm virtute) in singulis includitur; & inde est, vt quidquid in vna essentialiter includitur, in alia etiam includatur. At vero, quæ actu sunt idem formaliter, non tamen virtute, non dicuntur formaliter idem, quod habeãt eãdẽ formalẽ rationẽ adęquatẽ, & totaliter indiuisam; sed quia actu vniuntur, & veluti aggregantur in vna ratione formali actuali ex pluribus veluti aggregata; quæ vnitas omnino excludit formalem aggregatorum identitatem, de quo multa diximus supra q. 9. ar. 2. §. 2. cum sequentibus. Ex dictis ibi facilè intelliges attributa sese essentialiter nõ includere, vt in argumento supponitur: necenim idẽtitas formalis eorũ satis est vt de intrinseca ratione singulorũ sint cætera, etiam apud eos, qui illam opinionem defendunt, vt videre est apud Molinam vbi supra ad 2. argumentum principale.

51. Ad 8. Octauum argumentum in sensu 1. cõclusionis optimè concludit; provt scilicet Deus adæquatè cõtinet omnia, quæ realiter sunt in Deo sub vna reali, & formali vnitate, qua vnitè est omnia, quę in se habet: in hoc enim sensu essentialiter includit tam essentialia, quàm personalia, & relatiua. Vnde si definiretur, per omnia illa definiretur ex Caietano, Cumelio, & Molina, quos citauimus in 1. conclusione. Porrò si sermo sit de Deo, vt est concretum diuinæ essentiæ, & per eam in esse Dei constitutum (in quo sensu communiter sumitur) negandum est antecedens. Nam sicut tres personæ nõ sunt de conceptu essentiali Dei, aut diuinæ essentiæ, vt ex D. Thoma, Ægidio, Henrico, Scoto, & cæteris antiquioribus, & modernioribus diximus supra §. 3. in principio: ita etiam nec esse trinũ est de cõceptu essentiali Dei. Hanc sẽtẽtiã ex antiquioribꝰ citatis in d. §. 3. certissimè colliges; sed expressè ex modernioribus ita docuerunt Torres loco citato in 3. p. disputationis ad 3. Eandem nonnullos theologos probãsse testatur Cumelius 1. p. q. 28. ar. 2. q. 3. ad primum argumentum §. *sunt theologi*, quos ipse ꝓbat in solutionibus argumentorum, §. *quo circa in forma*, pag. 825. col. 2. Ex Scotistis id ipsum probat Rada 1. p. controuersia 4. ad secundum argumentum cuiusdam Thomistæ fol. 59. col. 2. Et tandem probauit Suariùs lib. 4. de Trinitate c. 6. n. 3. vbi citat Caietanũ 1. p. q. 30. ar. 4. & Scotum in 1. d. 23. quæstione vnica: neuter tamen aliquid scribit ad institutum pertinens. Sed quidquid sit de hoc, hæc sententia manifestè videtur demonstrari; quia si Deus essentialiter esset trinus, quælibet persona essentialiter esset trina: quia Deus essentialiter prædicatur de singulis personis, ita vt totus, & totaliter in singulis contineatur.

Torres.

Cumelius.

Rada.

52. Sententia Cumelij non placet. Occurrit tamẽ Cumelius vbi supra pag. 825. col. 1 in principio §. *ad hoc argumentũ*, & putat probabile esse Deum, vt est in tribus personis, essentialiter esse trinũ; quanuis relationes non sint de essentiali cõceptu essentiæ, vt est communis tribus personis. Sed explicet nobis, quidnam intelligat *per Deum, vt est in tribus personis*; nam si idem est, quod Deum esse cõmunem tribus personis, falsum est Deũ, vt est in tribus personis, essẽtialiter esse trinum: nã teste eodem Cumelio tres relationes nõ sũt de essẽtia diuinæ essẽtię, vt est communis tribus personis. At quod non est de essentiali conceptu essentiæ communis tribus personis; nec est de essentia Dei communis eisdem personis. At si Deum esse in tribus personis idem est, quod Deum in tribus personis subsistere; concedimus Deum, vt est subsistens in tribus personis, essentialiter esse trinum: sed inde non bene infertur ipsum subsistere in tribus personis esse de essentia Dei: nam albedo est de essentia hominis, vt est albus: non tamen est de essentia hominis esse albũ. Quare esse trinum est prædicatum intrinsecum Deo, vt est Deus: intrinsecũ, inquam, id est, naturale, & necessarium; quia ex fœcunditate suę naturę, & essentię habet, quod sit communicabilis, & hypostaticè terminabilis tribus subsistentijs: non tamen est prædicatum essentiale.

53. Ad aliã instantiam. Si dicas Deum, vt Deus est esse trinũ: respõdebo reduplicationem illam posse reduplicare, vel rationem formalem, qua est trinus; vel rationem veluti radicalem, ratione cuius Deus vendicat sibi esse trinum. Priori modo reduplicatio est falsa; vera autem in sensu posteriori: nam in eodẽ sẽsu ista est vera, *homo in quantum homo, est risibilis*. Hæc est com-

munis resolutio. Nec inde inferas *esse trinum* esse prædicatum accidentale, & extrinsecum: quia datur medium inter per se 1. modo, & accidentale, quod non est per se: mediat enim prædicatum per se secundo modo, de quo in 3. ar. dicendum est. Vide supra ad 2.

54. Ad 1. confirmationē 3. argum.

Ad primam confirmationem octaui argumenti dicimus ea conuictum esse Cumelium in d. q. 3. pag. 823. col. 1. vt ex istimaret probabile esse relationem essentialiter includi in essentia. At inde non bene infertur tres personas, siue tres relationes esse de essentia diuinæ essentiæ. Et quanuis auctores huius argumenti non videant, quo modo possit stare esse in tribus personis essentialiter includi in essentia, & personas non esse de illius essentia; ideo tamen hoc non vident, quia putant nihil aliud esse naturam diuinā esse in tribus personis, quam naturam diuinam esse tres personas: in quo tamen hallucinantur, vt idē Cumelius ibi aduertit pag. 823. col. 2. §. *respondetur quod naturam*. In quo loco eam rationem assignat; quoniam naturam diuinam esse tres personas intrinsecè includit ipsas tres personalitates; quas tamen non includit naturam esse in tribus personis: hoc autem nihil aliud dicit, quàm naturam ex se esse communicabilem tribus personis: talis autem esse potest, quanuis eas essentialiter non includat: accidens enim ex se est communicabile subiecto per inhærentiam; & tamen ipsum subiectum essentialiter non includit, vt patet.

55. Nō placet.

Hæc tamē solutio nō omnino satisfacit: quoniā naturā esse in tribus personis nō præcisè dicit naturā esse cōmunicabilem illis tribus, sed adhuc superaddit naturam esse actu terminatam per illas. Vnde dicit fœcunditatem naturæ (ex qua formaliter est communicabilis) at tamen illam dicit non absolutè, sed vt in actu positam. Vnde addit modum quendam, qui est actualitas illius fœcūditatis, quam concipimus per modum cuiusdam potentiæ. Quod satis est de

Vera solut.

mente Suarij lib. 4. de Trinitate c. 8. n. 4. Dicēdum est igitur naturam esse in tribus personis dicere naturam hypostaticè terminatam tribus proprietatibus personarum; quę terminatio supponit ipsam naturam esse fœcundam, & hypostaticè communicabilem. Ex hoc autē non bene infertur naturam diuinam essētialiter includere ipsas proprietates personales: nam accidens in sua dependentia quoad inhęrentiam actu terminatur ad subiectum; & tamen essentialiter non includit subiectum.

56. Expenditur antecedens cōfirmationis.

Hæc diximus pro explicatione consequentiæ ex antecedente. Porrò de ipso antecedēte dubium esse potest. Nam quod esse in tribus personis, non sit essentiale naturę diuinę, illud videtur cōuincere, quia hoc prædicatum de nulla persona dici potest. Diceretur autem, si esset essentiale essentiæ; quoniam prædicata essentialia sunt communia singulis personis. Hoc tamen non obstante cōmuniter responderi solet esse in tribus personis essentialiter includi in diuina essentia. Ita Cumelius in d. quæst. 3. concl. 3. & inferius ad primū pag. 823. col. 2. Banhes vbi supra in fine cōmenti, & satis Suarius in d. c. 8. n. 4. & 5. Ego cū illis libenter conuenio; si tamen ita difficultas explicetur; vt esse communicabilem tribus personis verè sit de essentia essentiæ, tanquam prędicatum positiuum: esse tamen actu terminatam tribus personis, sit essentialis modus eiusdem essentiæ: sicut enim existentia est modus essētialis diuinæ entitatis; ita etiam actualis terminatio est quidā modus essentialis fœcunditatis, & communicabilitatis diuinæ essentiæ. Quod latius explicare non est huius loci. In hoc igitur sensu conuenio cum præcitatis theologis, quatenus docent esse in tribus personis essentialiter includi in diuina essentia.

Esse cōmunicabilē an sit de ratione essentiæ.

57. 1. Solutio obiectionis

In solutione tamen obiectionis in cōtrarium præcitati theologi non conueniunt. Suarius admittit hoc prædicatū conuenire singulis personis, non vt cōstitutis per suas relationes, sed vt habētibus naturam cōmunicabilem. Ex quo non infertur personas esse communicabiles. At Cumelius vbi supra pag. 824. col. 1. in principio non putat esse necessarium, vt prædicatum, quod conuenit naturæ, vt natura est, & vt abstrahit à personis, dicatur de qualibet persona.

2. Solutio.

58. Neutra placet.

Prior solutio fundamentum non habet; quoniam proloquium theologicū, *prædicata essentialia dici de singulis personis*, in eo sensu intelligitur, vt formaliter de singulis

singulis dicantur. Quare cum esse communicabile tribus personis formaliter non conueniat singulis; non video, quomodo cõcedendum sit illud singulis cõuenire. Posterior autem solutio ex eo non placet; quoniam esse communicabile tribus personis non solùm conuenit naturæ diuinæ; vt cõsideratione nostra abstrahit à personis, sed etiam vt est in personis: etenim naturam esse terminatam relatione paternitatis non tollit, quin adhuc maneat communicabilis alijs personis. Dicendum est igitur præcitatum theologorum proloquium non esse intelligendum de prædicatis essentialibus naturę, quatenus præcisè est natura: & inde est, vt esse principium operationum, quod essentialiter conuenit naturæ diuinæ, nec personis conueniat, nec relationibus; ideo quia illud prædicatum conuenit diuinæ essentiæ, vt natura est, & vt in suppositione simplici supponit pro se. Et in hoc sensu placet solutio Cumelij. Similiter proloquium simul non est intelligẽdum de prædicatis essentialibus, quę cõueniunt Deo in suppositione simplici, & vt supponit pro se, vt subsistens est subsistentia essentialis. Nam sicut de illo, vt sic, non prędicantur notionalia prædicata (quia hic Deus, vt pro se supponit, non generat, vt modo supponim⁹ cum Suario lib. 6. de Trinitate c. 7. n. 6.) ita etiam prędicata essentialia, quæ illi in eadem suppositione conueniunt, non descendunt ad singulas personas. Iam vero esse communicabilem tribus personis essentialiter conuenit huic Deo, non personaliter supponenti, sed simpliciter, & pro se, & ideo non fit descensus ad singulas personas. Et hæc est optima huius difficultatis explicatio.

Vera solut.

59. Ad 2. cõfirmationẽ 8. argum.

Ad secundam confirmationem octaui argumenti respondet Molina in dict. disp. 6. ad 3. in fine disputationis: vbi cõcedendo maiorem, & minorem negat consequentiam; quia cum illa maiore identitate essentię cum Trinitate personarum stat distinctio virtualis inter essẽtiam, & personas, quę distinctio impedit inclusionem essẽtialem extremorum. Ego puto maiorem propositionẽ esse explicandam; vt identitas inter essentiam, & Trinitatem personarum, in hoc sensu sit maior, quam identitas hominis cum animali; quia est ordinis altioris, & alterius generis: concessa autẽ maiore in præcitato sẽsu simul cum minore optimè negatur consequentia, ob rationem assignatam à Molina.

60. Ad 9.

Ad nonum argumentum principale respondendum est inferius in 3. artic. vbi expendemus sensum similium propositionum.

61. Ad 10.

Decimum argumentum petit difficultatem, an paternitas sit de essentia Patris sumpta paternitate pro ipsa relatione, quæ cum diuina essentia constituit personam Patris. In qua quæstione vocabulũ *essentia* propter æquiuocationem parit confusionem: essentia namq; vno modo sumitur pro substantia, siue natura, quæ in suppositis substãtialibus est principium operationũ; in quo sensu humanitas dicitur essẽtia Petri sumpta essentia pro natura substantiali. Altero modo sumitur *essentia* pro ratione formali, quæ definitione, siue quasi definitione explicatur, & ob id communiter appellatur quidditas. Et in hoc sensu ea per quæ explicatur ratio formalis cuiusque rei, dici solent esse de essentia illius, quia sunt de illius quiddítate. Pater igitur in diuinis, licet nullã habeat essentiam priori modo sumptam, nisi diuinam naturam, siue deitatem communem illi cum cæteris personis diuinis; tamen posteriori modo habet propriã essentiam; quia habet propriam rationem formalem definitione explicabilẽ, ratione distinctam á ratione formali essentiæ priori modo sumptę, vt satis docent D. Th. Ægidius, Argentina, & alij, quos citauimus supra §. 3. Ad argumentum igitur distinguendum est antecedens. Nam si est sensus, quod paternitas est de essentia Patris, quasi essentialiter pertineat ad essentiam, id est, ad naturã diuinam, deitatemque communem tribus personis; negandum est antecedens vt ex dictis patet. Nec probatio in hoc sensu aliquid cõcludit, sed in solo posteriori: cum enim paternitas simul cum diuina essentia, & natura constituat personam Patris in esse talis personæ; necessario includitur in formali, & quidditatiua ratione Patris, & in hoc sensu dici potest esse de essẽtia Patris. Ex quo non bene infertur paternitatem esse de essentiali, & quidditatiua ratione diuinæ

næ essentię: nam si essẽtia idem est, quod ratio formalis; Pater, vt Pater est, habet essentiam ratione distinctam ab essentia essentię, id est, à ratione formali diuinę naturę. Quæ omnia satis explicant Molina 1.p.q.28.ar.2.disp.6.post quartã conclusionem 9. *Illud est hoc loco*, & Cumelius ibi q.3.ad 3.pag. 824. col.1. Suarius lib.4.de Trinitate cap.6.n.4.& Bellomõtanus 1.p. disp. 121. cap. 4. in fine. Illud tamen aduerto non esse simpliciter asserendum Patrem habere propriam essentiam distinctam ab essentia Filij, & Spiritus Sancti; quia *essentia* simpliciter prolata apud fideles, & theologos, imo apud Concilia, & Patres sumitur pro natura, & deitate; Pater autem nullam aliam habet deitatem nisi, quæ sibi cum cæteris personis communis est, & qua cum illis essentialiter est vnus Deus. Oportet igitur, vt semper aliquid apponatur, quod clarè explicet essentiam nõ accipi pro natura diuina, sed pro ratione formali, & quidditatiua Patris.

Molina. Cumelius. Bellomõt.

63. Ad 11. Ad 11 admittimus personas, & relationes non distingui ab essentia formaliter actualiter; bene tamen formaliter virtualiter. Quæ distinctio satis est, vt essentialiter non includantur in essentiali ratione essentię, etiam adęquata. De quo vide q.9.art.2.

64. Ad postremum. Ad postremum argumentum sumptum ex auctoritate Patrum respondendum est. Et quod attinet ad verba Athanasij priori loco adducta, nihil Valentiam iuuant, vt euidenter colliges ex ijs quæ dixim⁹ in præcedẽte q.ar.3.§.5. Etenim Athanasius eo in loco vult ostendere quamlibet diuinam personam, vt talis est, totam, & integram diuinam essentiam in se ipsa continere. At verba posteriori loco obiecta non integré referuntur: hęc enim sunt integra verba; *Cum autem Filius sit imago Patris, necessum est, vt cogites deitatem, & proprietatem Patris ipsam essentiam Filij constituere.* Igitur ex Athanasio, & deitas, & proprietas Patris simul constituunt essentiam Filij. Patrẽ autem constituere essentiam Filij non idem est, quod ingredi essentiam, vt male supponit Valentia: tum; quia nõ simpliciter dicit, *constituit essẽtiam*, sed addit, *constituit essentiam Filij*; quo loquendi modo denotat se agere de essentia, non simpliciter, sed vt est in Filio. Tum etiam; quia non sola proprietas Patris, sed etiam deitas Patris dicitur constituere essentiam Filij; Iam vero deitas Patris non ingreditur essentiam Filij, vt prædicatum essentiale illius, cum sit vna, & eadem essentia; idem autem omnino idem non constituit se ipsum. Tum 3. quia sensus iste nihil ad institutũ Athanasij conducebat: nec enim eo in loco nititur ostendere, quænam prædicata sint essentialia ipsi essentiæ; sed vult cõtra Arianos demonstrare vnam, & eandem numero essentiam esse in Filio, quæ est in Patre. Igitur eo loci *deitatem, & proprietatem Patris*, id est, personam Patris, *constituere essentiam Filij*, non est aliud, quã Patrem generando communicare Filio essentiam, quam habet. Quem sensum satis colliges ex antecedentibus, & cõsequentibus, nam statim ait: *ex integra deitate Patris essentia Filij consurgit, & solidus Deus.* Consurgit, inquam, per generationem; idque ex integra Patris deitate, quæ vt in Patre, est principium quo generationis.

Explicatur Athanasius

65. Ad Nazian. Sed nec verba Nazianzeni in oratione ad sancta lumina aliquid faciunt pro Valentia; quia manifestè agunt de identitate reali essentiæ cum personis: explicans enim mysterium vnius, & triplicis luminis docet eo significari mysterium Trinitatis, quod ipsum vnum est quantum ad substantiam, & triplex quãtum ad personas. Et addit verba quædam aurea: *distinguitur enim* (inquit) *in distinctum, vt sic loquar, & distinctim cõnectitur.* Quæ verba de distinctione reali personarum cum reali cõnexione, & vnione cum essentia euidenter intelliguntur, vt patet ex Niceta ibi. Adducit in probationẽ verba, quæ nobis obijciuntur; quorum hic est sensus: *Vnum enim in tribus diuinitas est*, hoc est diuinitas est vnũ, quod est in tribus personis indistinctũ, id est, reali quadam indistinctione contra diuisionẽ naturarũ, quam Arius fingebat. *Et tria vnum*, id est, tres personæ, *distinctim*, id est, manẽte reali distinctione inter se realiter sunt vnum in essẽtia. Magis autem explicans, quęnam sint illa tria, quæ realiter sunt vnum, addit: *ea, inquam, in quibus diuinitas est*, id est, tres personę, in quibus est diuinitas. Et vt clariꝰ explicaret, quomodo diuinitas erat in illis tribus, addit: *vel, vt magis propriè dicam,*

dicã, quæ diuinitas est. Quibus verbis docet diuinitatem esse tres personas, idque realiter, & identicè. Vnde Nicetas loquens ex persona Nazianzeni ita scribit: *& ne cuiquam à me occasio suspicandi detur diuinitatem aliud quiddam esse præter hæc.* Quibus verbis explicat ideo Nazianzenum adiecisse illa verba: *vel vt magis propriè dicam, quæ diuinitas est*, vt ostenderet diuinitatem ita esse in tribus personis, vt realiter non sit aliud ab illis, sed vnũ realiter cum illis. Quam vnitatem expressit Nicetas, dum ait *diuinitatẽ ita esse in tribus personis, vt illis quodãmodo coessentiata sit*, nimirum quoad realitatem.

66. Ad 2 locum Nazianzeni.

Quod vero adducitur ex epistola ad Euagrium, nihil facit pro Valẽtia. Nam obijciente Euagrio, qui fieri possit, vt cum naturæ diuinæ simplicitate simul constet realis personarum distinctio, & numerus; vt quia numerus sine diuisione naturæ constare non possit; totus est Nazianzenus in ostendendo, adductis aliquibus exemplis, non repugnare, vt vnum in se indiuisum, & simplex coniũguatur cum ijs, quæ inter se diuiduntur ex quo nullum potest pro Valentia sumi argumentum. Nec vsquam in illa epistola dixit Nazianzenus naturam diuinam ex tribus personis esse constitutam, vt Valentia supponit. Et quamuis id dixisset, inde non bene inferretur essentialis constitutio, sed constitutio, & veluti contractio in sola subsistentia.

Quod vero vltimo loco addit illud, quod omnes orthodoxi Patres docent *Deum scilicet esse tres personas* non posse non intelligi, vt intrinsecè, & essẽtialiter sint tres personæ, sine probatione sumitur, & cum petitione principij, cum de hoc sit controuersia. Probatio autem futilis est, & sumpta ex inutili argumento, quod ex Banhes secundo loco attulim⁹, & explicauimus.

ARTICVLVS. II.

An relationes essentialiter includant essentiam?

§ 1.

Refertur sententia affirmans.

1. IN hoc ar. eadẽ supponimus, quę supposuimus in ar. precedente §. 1. Nam supposita distinctione virtuali inter essentiam, & relationes locus datur ad inquirendum, an essentia essentialiter includatur in relationib⁹? Nec hoc loco distinguendũ erit de relationibus, vt sũt in re, & à nobis concipiuntur; nam quod est de essentia vnius, vt à nobis verè cõcipitur, non potest non esse de essẽtia illius, vt est in se. Explicatur sensus qnę-stionis.

De nouo illud aduertimus, non esse quęstionem de personis diuinis, sed de ipsis relationibus, proprietatibusque relatiuis, quibus personę constituuntur quoniam inter omnes conuenit diuinã essentiam intrinsecè, & essentialiter includi in singulis personis, vt aduertit Suarius lib. 4. de Trinitate cap. 7. n. 1. & docuit Molina 1. p. q. 28. ar. 2. disp. 6. cõcl. 2. Nec hoc potest esse dubium, cum Fides doceat Trinitatem essentialiter esse vnum Deum, singulas item personas essentialiter esse Deum. Et facile demõstratur; quoniam suppositum alicuius naturæ essentialiter includit talem naturam: Petrus enim, sicut essentialiter est homo; ita etiam essentialiter includit naturam humanam, tanquam veram essentiam, qua in esse hominis formaliter constituitur. Iam vero quælibet diuina persona est verum, & proprium suppositum diuinæ naturæ, constitutum ex diuina natura, & proprietate relatiua: ex natura quidem diuina; quia per eam formaliter constituitur in esse Dei: per proprietatem vero; quia per eam constituitur in esse personæ. Vnde quęlibet diuina persona ex sua essentiali ratione est substantia quædam indiuidua, id est, incommunicabilis diuinæ naturę iuxta definitionem Boetij. Nulla igitur est quæstio de relationibus in concreto (vt quidam loquuntur) siue de personis; est tamen controuersia de ipsis relationibus in abstracto sumptis, & prout à personis distinguuntur. 2. Aduertẽtia. In quo sit cõtrouersia

Partem affirmantem ex moderniori-bus probauerunt Torres de Trinitate q. 39. ar. 6. disp. vnica in 2. p. cõcl. 1. Suarius lib. 4. de Trinitate c. 7. n. 5. & in Metaph. disp. 28. sect. 2. n. 9. & 10. & ante eũ Cumelius 1. p. q. 28. ar. 2. q. 3. cõcl. 1. vbi testatur hanc esse communem sententiã apud omnes: decipitur tamen, vt ex dicendis patebit. Citatur pro hac sententia Henricus quodlib. 5. q. 6. litera V. vbi in hæc verba: *Et secundum hoc in Deo deitas,* 3. Sententia affirmans. *Suarius.* *Cumelius.* *Henricus.*

deitas; secundum quod est deitas, intra paternitatem, & filiationem. Satis eam insinuat Sotus in 4. d. 49. ar. 3. q. 3. post secundam conclusionem §. *scio quidem.*

4. Probatio ex auctoritatibus.

Hæc sententia à suis auctoribus, & auctoritatibus, & rationibus confirmatur. Prima auctoritas sumitur ex D. Th. 1. p. quæst. 33. ar. 3. ad primum, dum ait *omnia communia includi in intellectu propriorum.* Deinde auctoritate Richardi de S. Victore lib. 1. de Trinitate c. 1. & lib. 5. à principio, si attente legatur, vt inquiunt. Tertio adduntur Patres Concilij Rhemensis; quatenus docuerunt *personas diuinas esse Deum:* inde enim volunt eos docuisse diuinam essentiam essentialiter includi in relationibus.

5. 5. Ratio.

Rationibus etiam id confirmant. Et ex Henrico ita quidam argumentantur. Nulla ratio refert aliquid ad aliud, nisi ratione alicuius absoluti, ratione cuius relatio inest subiecto; ita vt relatio nullam addat realitatem supra illud absolutum. Relatio autem diuina refert vnam personam ad aliam. Ergo eam refert ratione alicuius absoluti; ex quo habeat rationem *in.* At nihil est in Deo absolutum, nisi essentia. Ergo relatio essentialiter includit essentiam. Hoc est totum fundamentum sumptum ex Henrico.

6. 6. Ratio.

Secunda ratio continet fundamentũ Torres: quoniam sicut ens se habet ad omnia entia; ita diuina essentia, siue deitas se habet ad omnia diuina. Sed ens intrinsecus, & essentialiter continetur in omnibus entib⁹; ita, vt omnes res essentialiter sint ens. Ergo diuina essentia intrinsecus, & essentialiter continetur in omnib⁹ diuinis, siue absoluta sint siue relatiua. Et subinde quidquid in Deo reperitur intrinsecè, & essentialiter est Deus, & diuina essentia.

7. 7. Ratio.

Tertia ratio ponitur à Suario. Diuinitas est de essentia Patris. Ergo est de essentia paternitatis, & idem est de cæteris personis. De antecedente nullus dubitat. Consequentia probatur: quia in diuinis ita comparantur abstractum, & concretum, vt nihil essentialiter includat vnum, quod non includat aliud; præsertim quando est sermo de concreto immediato, & adæquato ipsi abstracto. Nam concretum in Deo nihil aliud est, quam ipsa forma subsistens, propter summam Dei actualitatem, & simplicitatem. Igitur Pater nihil aliud est, quã ipsa paternitas, vt passim loquitur D. Thomas, præsertim 1. p. q. 28. & 29. Ergo paternitas subsistens essentialiter includit, quidquid includit Pater. Est tamen subsistens ex propria ratione relatiua. Ergo relatio in propria sua ratione necessario includit essentiam.

8. 4. Ratio.

Quarta ratio eiusdem. Quælibet relatio diuina v. g. paternitas est Deus. Ergo est essentialiter Deus. Ergo includit in suo essentiali conceptu deitatem. Antecedens certum est, tum ex Concilijs Florentino, & Rhemensi: tum etiam; quia quidquid est in Deo, est Deus, iuxta axioma theologicum: hoc enim necessarium est ad perfectionem Dei. Tũ deniq; quia id satis probant, quę contra Gualterum adducuntur. Secunda consequẽtia est manifesta; quia impossibile est aliquid esse essentialiter tale, nisi in suo essentiali conceptu includat formam, á qua tale prędicatum desumitur. At vero quod 1. consequentia sit optima in hoc prædicato *Deus*, probatur 1. Quoniam quidquid est Deus, est summè perfectum, quod aut esse; aut cõcipi potest. Sed maioris perfectionis est includere essẽtialiter deitatẽ, quam quocunque alio modo. Ergo quidquid verè est Deus, est essentialiter Deus. Secundo; quia ipsa denominatio Dei est denominatio essentialis: sumitur enim à natura essentialiter constituente talem rem; & ideo nihil est in Deo, in quo intimè, & essentialiter non includatur diuinitas. Cui non obstat, quod Deus est Pater, & deitas est paternitas; non tamẽ essentialiter: non obstat, inquam; quia non est simile: etenim esse Patrem non est denominatio essentialis, sed personalis; nec paternitas est talis perfectio, cuius essentialis inclusio necessaria sit ad summam perfectionem entis.

9. Quinta.

Quinta ratio eiusdem; quoniam paternitas v. g. essentialiter est ens reale: vel igitur est creatum, vel increatum. Non creatum, vt patet. Ergo increatũ. Ergo essentialiter includit essentiam. Hanc secundam consequentiam putat se alibi demonstrasse.

10. Sexta.

Sexta ratio ex mente Cumelij satis efficax est ista: quoniam quælibet relatio diuina essentialiter, & formaliter est

est Deus: aliàs esset creatura. Ergo essẽ tialiter includit essentiam.

Confirma. Confirmatur inquit: quoniam impossibile est præscindere relationẽ diuinã à ratione entis, vt patet: dicit enim quãdam rationem entis determinatam. Ergo relatio diuina erit ens creatum, vel increatum. Non creatum, vt patet. Ergo essentialiter erit ens increatum. Ergo essentialiter est Deus.

Confirmatur secundo ab eodem Cumelio: quoniam Pater essentialiter est Deus: diuina autem essentia est de essẽtia Dei. Ergo essentialiter erit de essentia paternitatis: quia Pater, & paternitas solùm differunt diuerso significandi modo.

11 7 Ratio. Septimo, apud Bellomontanum in d. disp. 121. c. 1. nu. 3. quidam ita arguunt: relatio diuina est ens. Ergo vel est ens à se, vel ab alio. Non ab alio: quia esset creatura. Si à se; ergo est Deitas: quia proprium est Deitatis nullam habere caussam sui esse. Ergo essentialiter est diuina essentia; aliàs in diuina persona esset duplex diuinitas.

Confirmatur hæc ratio: quoniam relationes diuinæ secũdum suas rationes formales habent aliquam naturam, siue essentiam. Hæc autem non potest esse alia, nisi diuina essentia communis tribus personis.

12. 8 Ratio. Octauo: si essentia essentialiter non includitur in relatione; relatio formaliter sumpta, nec esset finita, nec infinita. Non quidem finita; quia esset creatura. Nec infinita; quia iam non complecteretur totam perfectionẽ entis; nec enim complecteretur essentiam. At fieri nequit, vt detur ens, quod nec sit finitum, nec infinitum, vt ex Metaphysic. supponitur.

13 9. Ratio. Nona ratio, apud Bellomontanum; quia nisi essentia diuina esset de essentia relationis; Persona diuina esset cõposita, saltem per intellectum. Iam verò quælibet compositio repugnat diuinæ simplicitati. Ergo necesse est diuinam essẽtiã essẽtialiter includi in relatione. Minor supponitur. Maioris sequela probatur: quia essentia diuina, & relatio, ex quibus cõstat diuina persona, essẽt duo distincta saltem ratione, quorum vnum non includeretur in altero. Componerent igitur vnũ tertiũ, quæ fuit sequela.

Postrema ratio: quia diuina persona simplicior esset, si constaret ex diuina natura relationi intrinseca: Hoc enim modo, nec per intellectum componeret personam: sicut etiam ens non componit cum rationibus particularibus inferiorũ, non ob aliã caussam, nisi quia intrinsecè includit in singulis inferioribꝰ.

Ex his infertur relationes diuinas essentialiter includere essentiam, etiam vt concipiuntur à nobis. Nam quamuis non necesse sit, vt essentia diuina expressè includatur in conceptu obiectiuo relationis (quia nullus dubitat, quin paternitas concipi possit essentia expressè non concepta) tamen necesse est, vt essentia includatur in conceptu obiectiuo paternitatis, saltem confusè, & implicitè. Quod probat Suarius: tum, quia paternitas, cum non possit abstrahere ab ente increato; non potest abstrahere ab essentia, vt supra dictum est in quinto argumento. Tum etiã; quoniam, quod est essentialiter superius, necessariò includitur saltem implicitè in cõceptu inferioris, vt animal in conceptu hominis. Iam verò diuina essentia comparatur ad relationes etiã abstractè sumptas, tanquam essentialis forma communis, non secundum rationem, sed secundum rem. Hæc sunt huius opinionis potissima fundamenta. 14 Corollarium

§. 2.

Opinio negans est vera.

15 Auctores sententiæ negantis. OPinionem negantem nonnullis modernioribus placuisse testatur Suarius vbi supra; quasi antiquioribus Theologis non placuerit. Ego tamen dico eam, & modernioribus Theologis placere, & placuisse antiquioribus. Primum patet; quoniam placuit Bellomontano prima parte disputatione 121. cap. secundo, & tertio, & ante eum Molinæ prima parte, quæst. 28. articulo secundo, disp. sexta, concl. 4. pag. 441. columna prima, ex Scotistis eam probauit Rada primo tomo, controuersia quarta, cõclusione tertia fol. 55. columna secunda in fine, & inferius §. *Ex his sequitur*, fol. 57. & satis est de mente Palatij in primo distinctione 33. disputatione vnica pag. 184. colum. 2. §. *Ex antiquioribus*.

Bellomon. *Rada.* *Palatius.*

16. Pro hac sententia sine dubio est D. Thomas, vt patet, tũ ex primo sentent. d.33.q.1.ar.1. Tum de potentia q.8. art. 2.ad 6. Nam in priori loco in fine corporis concludit relationes, & essentiã differre ratione; ita vt alia, & alia sit ratio siue definitio relationis, & essẽtię. Quod repetit ibi ad 1.2.& 3. Et ne dicas definitionẽ istã esse aliã, & aliã subalternatim, vt definitio superioris, & inferioris, mẽtem suam exponit ibi ad 5. dũ ait rationem relationis ita esse aliam à ratione, definitioneve essentiæ, vt sit ratio condiuisa à ratione substantię; & in hoc distingui à ratione attributi in ordine ad essentiam: nam licèt essentię, & attributi sit alia, & alia ratio; tñ est alia, & alia non condiuisa contra illam, sed vt ratio speciei est alia à ratione generis. Quem etiam sensum satis explicauit ibi ad 2. dum dixit rationẽ paternitatis ita esse aliam, vt non vniatur cũ ratione essentiæ: vniretur autem, si ratio essentiæ intrinsecè, & essentialiter includeretur in paternitate. Idem euidentiùs colliges ex loco posteriori: expressè enim docet hanc propositionem, *paternitas est essentia*, esse per se, non perfeitate formali, & quidditatiua (quam appellamus per se primo modo) sed perfeitate identitatis: quia (vt dixerat ad secundum) alia est ratio: & quidditas essentiæ, & alia ratio, & quidditas relationis: alia inquam non alietate inferioris, & superioris (esset enim per se primo modo) sed alietate disparata, & ex æquo condiuisa, vt dixerat in priori loco. Quomodo autẽ explicandus sit locus, qui in contrariũ obijcitur, dicemus in solutionibus argumentorum.

17. Caietanus. Hanc etiam fuisse mentem Caietani 1.p.q.39.ar.6. ad secundũ D. Thomæ satis colliges ex ijs, quæ ibi scribit: agit enim de vtraque ista prædicatione, *essentia est paternitas*: *paternitas est essentia*. Ferrariẽsis Ferrariensis etiam idem sentit, si attentius legatur secundo contra Gentes c. 9. §. *aduertendum tamen*: tum, quatenus ait relationem formaliter, & vt relatio est, tantùm dicere ad aliquid: quod esset falsum, si in sua ratione includeret essẽtiam. Tum etiam; quatenus docet paternitatem, & filiationem non esse idem essentiæ secundùm rationem; vbi rationem accipit pro quidditate, & definitione: iam verò, quod in sua quidditate aliud includit, est idem formaliter cum illo: Homo enim idem formaliter est cũ animali.

18. Durandus Eandem sententiam expressè probauit Durandus in 1. d.33. q.1.art.3.n.29. vbi expressè docet nec cõceptum relationis includi in conceptu essentiæ, nec conceptum essentiæ in conceptu relationis, sed esse conceptus formaliter separatos. In eàdem est Gregorius in d. distinct.33.q.1.art.2.concl.4.affirmans nec relationem de essentia, nec essentiã de relatione prędicari formaliter, idest per se 1. modo. Eandem sentẽtiam probasse nostrum Ægidium Romanum satis conuincunt, quæ scribit in 1.d.33. & 34. Ægidius. Etenim d.33.in 1.p.q.3.fol.171.col.4.litera P. expressè docet, *personas non esse easdem essentiæ secundùm id, quod addunt supra essentiam, id est secundum relationes: quia secũdum eas differunt ab essentia*, agit autem de identitate secundum formalem rationem: non differẽt autem formaliter ab essentia per relationes, si relationes essentialiter includerent essentiam. Docet deinde, *relationes secundum quidditatem sui generis non transire in essentiam*: transirẽt autem, si essent idem formaliter cum illa distinct.34.secũda p.q.2.fol.176. col. 4. litera O. expressè docet, *relationem in Deo secundum suam quidditatem non dicere esse, sed referri*, per esse autem intelligit esse absolutum, & esse essentię vt est essẽtia.

19. At si in sua quidditate includeret essentiam, non tantùm includeret ipsum referri, rationemq; relatiuam, sed etiã rationem absolutam essentiæ. Præterea ibi expressè docet, *relationem non denotare diuinam essentiam*. Et ibi, & ad tertium asserit, *rationem relationis simpliciter esse aliã à ratione diuinæ essentiæ*. Denique d.33.q.3. citata fol.172.colũna 2.litera G. docet Patrem excepta diuina essentia solùm esse aliquid, & nihil aliud includere. Tandem eandem fuisse sententiam Henrici quodlibeto quinto, quęstione sexta euidenter intelliges, si aduertas apud Henricum essentiam, & relationem, sumi, vel secundum nomen primæ intentionis, id est, quatenus sunt res; vel secundum nomen secundæ intentionis, id est, quatenus sumuntur secũdum rationes formales suorum prędicamentorũ, secundũ quas essentia est essẽtia, & ens Henricus

absolu-

absolutum; relatio autem est relatio, & ad aliquid. Priori modo dixerat litera V. Deitatem, vt est deitas, ingredi relationem, sicut etiam albedo ingreditur essentiam similitudinis. Posteriori autem modo sicut negauit relationem ingredi definitionem essentiæ; ita etiam negat essentiam ingredi definitionem relationis. Vide, quæ scribit ibi litera X. Ex quibus patet non satis rem considerasse Cumelium, dum dixit sententiam affirmãtem esse communem apud omnes.

§. 3.

Sententia negans confirmatur rationibus.

20. 1. Ratio pars negãtis. SEd hanc sententiam negantem (quæ mihi est verissima) rationib⁹ cõfirmemus. Prima ratio (quã volumus esse fundamentũ rationũ sequẽtium) sumitur ex doctrina Augustini satis celebrata apud theologos, in diuinis duo tãtùm mansisse prædicamenta; substantiæ scilicet, & relationis. Quam doctrinam colliges ex Augustino lib. 5. de Trinitat. c. 3. 4. & 5. lib. 7. c. 4. & 5. cum sequẽtibus. Eam docuit D. Thomas 1. p. q. 28. art. 2. ad primum, & 1. sententiarum d. 8. q. 4. art. 3. in corpore, & d. 22. q. 1. ar. 3. ad 2. & clarius d. 33. q. 1. ar. 1. ad. 5. cũ eo consentiũt omnes theologi, qui omnes hãc doctrinam in eo sensu intelligũt, vt duo tantum prædicamenta quoad suas generales, & cõmunes rationes in diuinis formaliter maneãt, nõ solũ, vt cõcipiũtur à nobis; sed provt in se ipsis sunt à parte rei: nã in re ipsa relatio formaliter est in diuinis sub vera & formali ratione relationis secluſa omni habitudine ad nostrum intellectum: substantia etiam in diuinis reperitur sub formali ratione substantiæ independenter à nostro modo, quo diuina concipimus.

D. Aug. *D. Thom.*

21. Cum vero prædicamenta secundum communem cuiusque rationem formaliter sint impermista, vt apud metaphysicos, & logicos est quam notissimum; ita vt vnius ratio totaliter sit distincta à formali ratione alterius; doctrina illa Augustini ita est intelligenda, vt prædicamenta substantiæ, & relationis in hoc sensu formaliter manserint in Deo, vt secundum rationes communes manserint formaliter impermista; ita vt ratio vnius sit à ratione alterius adæquatè condistincta. Hunc sensum satis explicauit D. Thomas locis citatis maximè in d. d. 33. q. 1. art. 1. ad 5. vbi expresse affirmat relationem secundum suam formalem rationem ita mãsisse in diuinis, vt illius ratio omnino sit condistincta à ratione formali substantiæ, condistincta, inquam, adæquatè, vt neutra alterã includat, nec vna respectu alterius se habeat veluti inferius ad superius; in eo enim loco relationẽ ab attributis in ordine ad essentiam in hoc distinguit, quod ratio formalis attributi est veluti inferior respectu essentiæ; vt quia eam includat; cum tamen ratio relationis non sit veluti inferior includens essentialiter essentiam, sed sit condistincta, & omnino impermista. Vide Diuum Thomam in illo loco. Eundem sensum explicant theologi, dum communiter docent relationem in diuinis secundum suum esse transire in essentiam, & non secundum quidditatem, rationemque formalem.

D. Thom.

Eundem sensum satis explicauere. 22. Patres, maximè Augustinus, dum docẽt in diuinis essentiam esse ad se, & non ad aliud; relationem vero esse ad aliud; & non ad se: ita vt valeat consequentia *est ad se. Ergo non est ad aliud:* & è conuerso *est ad aliud. Ergo non est ad se.* Quæ negatio concludit illas duas rationes adæquatè esse distinctas, ita vt neutra alteram includat. Quare sicut Augustin⁹ 7. de Trinitate c. 1. & 4. dixit: *Essentia ita est ad se, vt si esset ad aliud, iam non esset essentia*: sic etiã diceret: *relatio ita est ad aliud, vt si esset ad se, iam non esset relatio.* Quam Augustini sententiam ita intellige, vt essentia ita sit ad se, *vt si esset ad aliud*, id est, si in sua ratione formali includeret ad aliud, *iam non esset essentia*. Quæ omnia suæ veritatis originem sumunt ex citata doctrina Augustini; vt in diuinis maneant duo illa prædicamenta secundum suas generales rationes omnino impermistas, & condistinctas, ita vt neutra alteram formaliter includat.

Augustin.

Secunda ratio sumitur ex eo, quod 23. in singulis personis Trinit. præter essẽtiã 2. Ratio. aliquid necessario admitti debeat, qđ cuiq; ita sit propriũ, vt nihil habeat cũ alijs commune. Quam propositionem admittit Suarius lib. 7. de Trinit. c. 1. n. 3.

vbi verbis expressis fatetur, quando personę sunt realiter distinctæ, necessariũ esse, vt aliquid sit in vnaquaq; illarũ, quod alijs non sit cõmune, sed propriũ cuiq; id enim expressè docuit D. Basili, si vera sũt verba, quæ Suarius vbi supra cap. 2. n. 3. refert ex Epistola 43. *Filius in proprietate sua nihil cum Patre, & Spiritu Sancto habet commune.* Quod euidenti ratione probatur: nisi enim vnaquæq; persona aliquid in se haberet, in quo nihil cũ alijs cõmune esset, nõ posset ab alijs realiter distingui, vt idẽ Suarius affirmat. Et præterea nulla in singulis personis daretur vera ꝓprietas personalis; quia nihil alicui verè, & realiter potest esse aut dici propriũ, nisi illi soli conueniat. Quod affirmauit Ioannes theologus in Concilio Florentino sessione 18. dum dixit: *Proprietas communicabilis non est, alias non est proprietas.* Quare cũ Fides doceat in personis diuinis prẽter essentiam dari proprietates personales, quibus realiter distinguantur, vt patet in Concilio Lateranensi in capite *firmiter* de summa Trinitate, & est res in Fide notissima; non potest non concedi proprietates constitutiuas personarum, ita esse proprias personis, quas constituunt, vt nihil habeant cõmune cum proprietatib' aliarum personarũ. Ex hoc firmissimo fundamẽto necessario infertur proprietates relatiuas, vt sunt in se essẽtialiter non includere essentiã: nam si illã includerent; iam quælibet earum includeret aliquid commune cum cæteris contra doctrinam D. Basilij, & ex consequenti non totaliter essent proprietates singularum personarum.

Basilius.

Cõciliũ Florentinũ.

24. Illatio.

Ex quo infertur quamlibet Trinitatis personam ab alia distingui tota sua ꝓprietate, hoc est secundũ omne id, quod in illa proprietate essentialiter continetur. Quod optimè asseruit Molina in d. disp. 6. concl. 4. & omissa tertia illius ratione (nec enim satis est efficax, quidquid ille velit) corollarium hoc optimè deducitur ex ijs, quę immediate dixim' Nam si in qualibet persona datur aliquid, quod ita sit illi propriũ, vt in se nihil habeat cõmune cũ alijs, vt ex verbis D. Basilij, cõsentiẽte Suario, satis patet. Ergo secundum omne id, quod in eo includitur, ita illi est proprium, vt nihil illius sit commune cum alijs: aliás iam haberet aliquid cõmune cũ illis. At verò, quod est propriũ alicui secundũ omne id, quod essentialiter includit; vtiquè secundũ se totũ est illi propriũ, ita vt secundũ se totũ non sit in alio: & subinde illa persona, cui est propriũ, illo toto ab alia distinguitur. Ex quo fũdamẽto vim habent rationes, quas pro nostra sentẽtia affert Molina: nã si paternitas secũdũ totũ id, quod essentialiter est paternitas, ita est in Patre, vt non sit in Filio. Ergo paternitas essentialiter in se non includit essentiã: si enim illã includeret, iam secundum se totam non ita esset in Patre, vt secundum se totam nõ esset in Filio; quoniam esset in eo secundum essentiam, quam essentialiter includit.

Tertia ratio sumi potest ex constitutione diuinarũ personarũ: hæc enim nõ satis accõmodatè explicari potest, si essentia est de quidditate quidditatiuoq; cõceptu relationũ; idq; siue attẽdamus cõstitutionẽ ipsã, vt est à parte rei, siue vt à nobis cõcipitur, vt pleriq; annotarunt, teste eodẽ Suario libr. 7. de Trinit. c. 3. n. 12. & quanuis ille contradicat; illorũ tamen opinio est verissima. Res in vtroq; sensu explicabitur. Quod cõstitutio personarũ, vt in se est à parte rei, non satis accòmodatè explicari queat, si relatio in sua intrinseca ratione includat essentiam; facilè ostendi potest, si in hac materia duo supponamus, tãquam certa cum eodem Suario in d. c. 3. n. 2.

25. 3. Ratio.

Primũ est diuinas personas verè constitui in suo esse personali. Secundũ est hanc constitutionem fieri per proprietatẽ positiuã vniuscuiusq; tanquam per formam determinantẽ personã ad tale esse, seu subsistere incommunicabile: vtrũq; enim (vt ibi optimè aduertit) & docẽt theologi, & tradunt Patres: nisi enim diuinæ personę in se ipsis verè, & ꝓpriè constituerẽtur, nec Patres tam soliciti essẽt in asserẽda, & docẽda hac personarũ constitutione; nec theologi omnes etiã antiquissimi in ea defẽdẽda, & explicanda tã solicitè elaborarent. Etenim eas à nobis intelligi, vt constitutas quis negabit? Quare cum Ioannes theologus in Cõcilio Florẽtino sessione 19. toto Concilio id tacite approbãte, simpliciter doceat *personam diuinam constare essẽtia, & proprietate*, idq; nulla addita particula rationis: & præterea omnia Concilia

26.

Cõciliũ Florentinũ.

cilia doceãt personas secũdũ essentiam esse vnũ, & secũdũ proprietates esse discretas: deniq; cũ Patres affirmẽt proprietates ipsas esse formas personarũ, vt patet ex Tertulliano in lib. cõtra Praxeã c. 2. & Richardo de S. Victore lib. 1. de Trinitate c. 18. Basilio, Augustino, & alijs; formas, inquam, figurantes personas, vt ait Sophronius Patriarcha in 6. Synodo generali actione 11. easq; characterizãtes proprio hypostasis charactere, vt ait Damascenus lib. 1. de fide c. 9. & 10. deniq; eas determinantes ad esse personale, & incommunicabile, vt concedit Suarius; necessario concedendum est

Tertulian° Richardo de S. Vict. Basilius. Augustin. 6. Synodus Damascen.

25. personas diuinas ante omnem intellectus considerationem; imo ante omnem ordinem ad conceptionem cuiuscunq; intellectus, in se ipsis verè esse cõstitutas ex essentia, & proprietate. Nam cum sine intellectu, & ante omnem ordinem ad intellectum realiter differant inter se per suas proprietates, & in essẽtia realiter sint vnum; non possunt in se ipsis non habere aliquam veram constitutionem ab omni intellectu independentem: quę enim inter se vere, ac realiter conueniunt, & realiter differunt, nõ differunt se totis sed secundum aliquid conueniunt, quod in se habent, & secundum aliquid, quod in se habent, distinguuntur. Hæc autem duo sine vera cõstitutione nec esse possunt, nec intelligi: nec enim ad veram constitutionem necessario requiritur, vt constituentia in se ipsis actu distinguãtur vel realiter, vel formaliter; sed satis est distinctio virtualis, vt modo supponimus cum eodem Suario in dicto capite 3. num. 7. de hoc enim latius disputare, non est huius loci: satis enim nobis modo est, quod ij, contra quos agimus, admittunt à parte rei dari veram, & propriam existentiã illius constitutionis; ita vt in re ipsa existat id, quod de hac constitutione concipimus; quanuis non existat secundum modum, quem habet, vt eam concipimus: nam licet non concipiamus ipsa constituentia, vt in re actualiter distincta; tamen in intellectu sunt actu distincta.

26. His ita suppositis facile ostendi potest constitutionem istam personarum non satis accommodate explicari posse, si essẽtia in relationibus essẽtialiter

Ad instit. tum argum.

includatur. Quod primum ex eo confirmatur; quia in omnibus veris constitutionibus hoc inuenitur, vt constituẽtia non solum mutuo sese non includãt; sed etiam excludant: id enim inductione constat in omnibus cõstitutionibus, quæ in creatis inueniuntur: etenim nec materia intrinsecè includit formã, nec forma materiam. nec genus essẽtialiter includit differentiam, nec differẽtia genus: nec essentia intrinsecè includit existentiam, nec existentia essentiam: denique natura substantialis non includit principium suppositale, nec hoc naturam. Nulla autem specialis ratio reperitur, vt dicamus hanc constitutionem esse ab hac regula excipiendam, vt patebit ex solutionibus argumentorum.

1. Confirm.

Deinde confirmatur; quoniam persona diuina ita constituitur ex essentia, & proprietate, vt in se per ipsam proprietatem determinetur ad esse personale, & incõmunicabile, vt Suarius ipse fatetur in d. lib. 7. de Trinitate c. 3. n. 2. Etenim proprietas ex Damasceno ipsam personam characterizat; vt character verè hypostaticus: eamq; hypostaticé figurat, vt ait Sophronius; denique ex Patribus est forma personę. Iam vero proprium est formæ determinare id cuius est forma; quam proprietatem forma in diuinis retinet absque vlla imperfectione informationis. Impossibile est autem, vt quod verè aliquid determinat, id in sua essentia includat, vt inductione patet in rebus creatis. Qui enim fieri potest, vt idẽ determinet, qđ & realiter, & formaliter est ipsummet?

2. Confirm.

Nec locus datur solutioni quorundã qui recurrunt ad conceptionem explicitam, vel implicitam relationis; vt scilicet relatio determinet, & constituat personam secũdum id, quod expressè de relatione concipitur; non vero secundũ id, quod in ea concipitur implicite. Nã cũ sermo sit de determinatione, & characterizatione, figurationeq; personę diuinæ, quæ est à parte rei secluſa nõ solum omni intellectus operatione, sed etiam omni habitudine ad intellectũ (etenim diuina cõstitutio characterizatioq; diuinæ personę à rectè theologizantibus cõsiderãda est in priori quodã signoãte omnẽ habitudinem ad cõceptũ eiusdẽ personalis constitutionis, perquem-

27. Non recipitur solutio quorundã,

cunq; illa fiat intellectũ, vt in simili ostẽdimus supra q.6.ar.7.n.10. & 11. & art. 10.§.6.n.65.& 66.) non satis accommodatè rem istam theologizabit, quia aut distinctionem virtualem constituentiũ, aut ipsam constitutionem explicauerit cum dependentia ad explicitam, aut implicitam relationis conceptionem.

28. Alia instãt. De inde hoc loco id ipsum inquiram, quod supra q.9.art.2.§.4.n.28. inquisiui de conceptu expresso sapientiæ, vt sapientia est an scilicet conceptui expresso relationis, sub quo relatio à nobis concipitur respõdeat à parte rei aliqua formalitas relationis, vt præcisè est relatio vel non respondeat? Non est dicendum, quod non respondeat. Tum; quia oppositum colligitur ex doctrina D. Thomæ ab omnibus recepta in 1.d.2.q.1.ar.2.§. *quantum vero ad quartum.* Et d.22.q.1.ar.3. & d.33.q.1.ar.1.ad 3. quibus in locis docet nostris conceptibus ex parte Dei aliquid respõdere. Tum etiam; quia idẽ Suarius in d.lib.7.de Trinitate c.3.n.9. expressè scribit dari à parte rei existẽtiam eorum, quæ concipimus de constitutione personarum, & per nostrum conceptũ significari aliquid, quod verè est in re ipsa. Porrò, si illi expresso conceptui relationis aliquid respõdet in re Igitur habet diuina relatio aliquid in se quod excepta essentia ipsam essentiam determinat, characterizat, figuratque quod ipsum formaliter non est essentia, nec illam, vt sic includit. Nam si relatio, vt est constitutiua personæ, & characterizatiua illius, essẽtialiter includeret essentiam; profectò non adæquatè illã determinaret ad esse incõmunicabile personæ secũdũ id solũ, sub quo expresse cõcipitur; sed etiam sub conceptu formali essentiæ, vt essentia est; ita vt verũ sit relationem cõstituere personã secũdũ totã suam adæquatã rationẽ: ita vt illã sub ratione essentię constitueret, etiã si essẽtia (quod ex doctrina Aristotelis fieri potest) ex parte relationis, vt est alterum constitutionis extremum, exprimatur. Nam si rationale cõstituit hominẽ in esse speciali hominis; vtique illum eundẽ in tali esse cõstituet per totã suã rationẽ intrinsecã, etiam si tota illa explicitè exprimatur; ita vt verum sit hominẽ in esse speciali hominis verissimè constitui per totam illam rationẽ, etiã cum reduplicatione. Quare si relatio diuina ex sua ratione habet, quod cõstituat personã in esse incõmunicabili personæ secũdum totum id, quod includit; profectò si essentialiter includit essẽtiã, verè erit constitutiua personæ sub ratione essentię expressè concepta. Quod nec theologicum est, nec satis tutum.

29. Porrò si paternitas v.g. non cõstituit personam Patris, nisi sub præcisa ratione formali paternitatis, excludendo à tali constitutione formalem rationem essentiæ; profectò, vt paternitas est, non includet essentiam; quia secundũ totam rationem paternitatis (secũdum quam ab essentia virtualiter distinguitur) cõstituit Patrem in esse incommunicabili Patris, ita vt verissimè dicamus, paternitas, vt cõstituit personam Patris, formaliter virtualiter nõ est essentia. Quæ negatio concludit essentiam non modo explicitè nõ includi in paternitate, sed nec implicitè: quę enim implicitè in aliquo includuntur, licet ab eo abstrahi possint abstractione præcisiua; non tamen negatiua. Vide, quæ diximus supra q.9.ar.1.§.1.n.9.

30. Illatio. Ex dictis iam infertur relationem etiam, vt à nobis concipitur, non includere essentiam in suo essentiali conceptu: etenim in hac materia valet argumentum à re, vt est in se, ad se ipsam, vt obiectam nostro intellectui, vt idẽ Suarius fatetur libr. primo de essentia Dei cap.11. num. sexto. Quare si essentia à parte rei essentialiter non includitur in relatione, vt est in se; nec etiam includetur in conceptu, quo quidditatiuè à nobis concipitur: esset enim talis conceptus fictitius omnino, & falsus, dum rem aliter conciperet, atque ipsa est in se. Vide, quæ diximus supra quæst.9.ar.2.§.4.n.27.28.& 29.

31. Altera illationis probatio. Deinde cõmitteretur apertissima nugatio; quia persona dupliciter includeret essentiam; vno modo quando concipitur constituta ex essentia, vt extremo condistincto à relatione. Altero modo; quando concipitur constituta ex relatione. Nam ex Aristotele in Topicis loco vnius partis licet nobis ponere totã illius definitionem. Quare si relationis definitio exprimeretur, in illa rursus ponenda esset essentia. Quo argumẽto Aristoteles probat genus esse extra essẽtiã differen-

Arist.

differentiæ: quia scilicet genus in specie bis includeretur, & committeretur nugatio. Cuius argumenti vim non satis illidunt duæ solutiones Suarij in d. lib. 7. de Trinitate c. 3. n. 12. in fine. Nam prima responsio (quod scilicet ad concipiendam integram personæ constitutionem necesse sit expressè concipere vtrunque extremum) nihil valet ad elidendam nugationē: quia etiam ad concipiendam integram constitutionē speciei necesse est expressè concipere genus, & differentiam.

32. Nec etiam nugationem illidit secunda responsio: nam quanuis dicamus relationem in suo quidditatiuo conceptu non includere essentiam; adhuc constitutio illa intelligitur esse cum perfectissima vnitate personæ, non solùm reali, sed etiam formali actuali: nec enim ad id opus est, vt quod commune est, essentialiter includatur in eo, quod propriũ est. Quin potius ratio ipsius constitutionis oppositum suadet, vt suprà aduertimus. Quomodò autem, & in quo sensu relatio, & essentia à parte rei actu sint vnum formaliter; & tamen virtute inter se formaliter distinguantur absq; vlla habitudine ad intellectum, latè diximus q. 9. ar. 2. §. 2. cum sequentibus.

33. *Molina.* Ex dictis concludendum est cum Molina loco citato, §. *Ex dictis colligo*; quod sicut rationale non est de intrinseca ratione animalis, aut è contrario; vtrunq; tamen est de intrinseca ratione hominis: ita essentia, & relatio intrinsecè se non includunt; vtraque tamen est de intrinseca ratione personæ. Soluenda sũt igitur argumenta in contrarium adducta.

§. 3.

Soluuntur argumenta partis affirmantis.

34. Ad auctoritates. Exolicatur D. Thomas. ARgumenta opinionis affirmantis §. 1. adducta facilem habent solutionem. Ad primum dicimus D. Thomam expressè agere de communibus, & proprijs in concreto significatis, ita enim ait: *Communia absoluta dicta secundùm ordinem intellectus nostri sunt priora, quã propria, quia includuntur in intellectu proprioruṁ, sed non è conuerso. In intellectu personæ Patris intelligitur Deus, sed non conuertitur.* At in sensu concreto verissima est doctrina, vt cum eodem Suario aduertimus §. 1. in principio. Richardus autem lib. 1. de Trinitate c. 1. (quo loco citatur) nihil hac de re scribit. Ex libro 5. in principio nihil potui colligere in fauorem partis affirmantis. Conciliũ verò Remense solùm docet *personas diuinas esse Deum*. Inde tamen non bene infertur essentiam diuinam essentialiter includi in diuinis relationibus, vt dicemus ad quartam rationem. Ad Richar. de S. Vict.

35. Ad 1. rationem. Prima ratio sumitur ex doctrina Hẽrici, apud quem relatio nullam realitatem addit supra subiectum absolutum, cui conuenit referri ad aliud; sed solùm addit esse ad aliud; & inde infert Henricus fundamentum relationis esse ipsam essentiam relationis, quatenus est res primæ intentionis, vt patet ex ijs, quæ ex Henrico diximus suprà §. 2. Sed hæc Henrici philosophia iãdiu relegata est à communi scholaPeripateticorum: relatio enim, vt relatio est, addit supra suũ fundamentum veram entitatem prædicamentalem, ab ipso fundamẽto distinctam, saltem formaliter ex natura rei; quam metaphysicam volumus esse suppositam. Hæc autem relationis entitas est quędam forma simplex, quæ in se includit esse *in*, & esse *ad*: nec enim esse, aut cogitari potest sine vtraque illa ratione; quoniam ex sua ratione respicit, & subiectum (quia essentialiter est accidẽs) & terminum, quatenus est tale accidens. In quo distinguitur à cæteris accidentiũ generibus: cętera enim omnia, & sub ratione communi accidentis, & sub ratione talis accidentis respiciunt subiectum. De quo vide Fonsecam in 5. Metaph. c. 15. q. 2. sect. 7. §. *neganda est igitur*, pag. 705. Cursum Conimb. in c. de Relatione q. 1. ar. 3. ad tertiam difficultatem, pag. 345. & Suariũ in Metaph. disp. 47. sect. 1. n. 10. & sect. 6. nu. 6. Quæ sententia non potest non admitti in relationibus diuinis: has enim esse quasdam formas relatiuas, & Fides docet, & communis Patrum doctrina: quarum quælibet secũdùm totam suam entitatem, prout distinguitur ab essentia, intrinsecè includit tum esse *in*, tum esse *ad*: & secundùm vtrunque est ens relatiuum contentum intra cancellos relatiui: quanuis prout concipitur, vt *in*, non concipiatur modo relatiuo, sed absoluto; licet enim in Deo sola essentia, & quę Hẽrici philosophia nõ recipitur. Fonsecã. Curs. Con. Suarius.

pertinent ad essentiam, sint entia absoluta; non tamen sola ea concipiuntur
Fonseca. modo absoluto. Vide de hoc Fonsecam in 5. Metaph. c. 8. q. 5. sect. 8. vt in re notissima omittam D. Thomam, & cæteros theologos.

37. Ad 2. Ad secundam rationem iam respondimus supra q. 8. ar. 2. §. 2. n. 17. vbi negauimus maiorem; quam optimo iure negauit Bellomontanus 1. p. disp. 119. c. 2. n. 6. & disp. 121. c. 2. n. 10. & 11. §. *Secunda ratione.* Et in proposito specialiter negari debet; quia ens non dicit aliquid vnum re, & ratione abstrahibile ab inferioribus; cum tamen essentia sit re aliter vna in personis, quæ à nobis sine personis concipi potest. Destructo autem fundamento, cadat necesse est ædificium.

38. Ad 3. Pro solutione tertiæ rationis præmittendum est id, quod à quibusdam olim fuit animaduersum, & posteà obseruatum à Molina in d. disp. 6. §. *illud est hoc loco,* vocabulum *Pater* duobus modis posse vsurpari. Vno modo, vt significat totam naturam Patris constitutam ex essentia, & proprietate Patris. Secundo modo, vt est concretum à sola paternitate, quæ est proprietas relatiua constitutiua personæ Patris. Priori modo sumitur communiter in sacris literis, in Concilijs, & à Patribus. Hoc modo Pater est quid, nec totaliter relatiuum, nec totaliter absolutum, sed constitutum ex absoluto, & relatiuo; & est nomẽ proprium primæ personæ Trinitatis, sicut Petrus est nomen proprium huius hominis constituti ex natura humana, & petreitate. At secundo modo solùm sumitur formaliter secundùm formam paternitatis veluti inexistentis in essẽtia, eamque veluti determinantis. Ex quo infertur vocabulum *paternitas* duobus etiam modis vsurpari posse. Vno modo, & minus vsitatè, vt est abstractũ à Patre in priori acceptione; eo modo, quo humanitas abstrahitur à toto homine, & petreitas à toto Petro, veluti quædam forma totalis illius totius. Altero modo, & satis vsitatè, vt est abstractum à vocabulo *Patre* in posteriori acceptione; eo modo, quo albedo abstrahitur à se ipsa, vt est in subiecto.

a. obseruatio.

39. Præmittendum est secundò Patrem priori modo sumptum dicere totum, quod essentialiter includit: essentiã scilicèt, qua formaliter constituitur in esse Dei; & paternitatem, qua formaliter constituitur in esse Patris. Vnde Pater essentialiter est Deus, & essentialiter est Pater: Deus ex diuina essentia, quã essentialiter includit; Pater autem ex paternitate, qua in esse Patris cõstituitur. Longè aliter theologizandum est, si vocabulum *Pater* sumatur posteriori modo, quatenus dicit solam relationẽ paternitatis, veluti inexistentem in essentia, & cum illa constituentem personã Patris. Nam cum Pater ita sumptus solùm dicat ipsam Patris proprietatem nudè sumptam, & ab essentia distinctã; licet sit Deus in sensu identico; non tamen est Deus in sensu formali, vt bene aduertit Molina vbi suprà: etenim, vt sic, formaliter virtualiter distinguitur ab essentia, nec eam essentialiter includit, vt §. 2. ostendimus. Vnde sicut persona Patris non est Pater Deitate, sed paternitate; nec est Deus paternitate, sed Deitate (quia Pater ex Augustino *non eo Deus, quo Pater; nec eo Pater, quo Deus*) ita etiam paternitas sumpta formaliter nõ est Deitas, nec essentia. *Augustin.*

40. Quod verò attinet ad paternitatem in abstracto; si illa priori modo ab aliquo sumatur (quamuis communiter non ita accipiatur) essẽtialiter includit quid quid essentialiter includit Pater: sicut humanitas essentialiter includit, quidquid includit homo, licet diuerso modo. Vnde paternitas isto modo sumpta non dicit aliquid purè respectiuum, sed quid constitutum ex respectiuo, & absoluto, vt bene annotauit Molina vbi suprà. Quare sicut *humanitas formaliter est animalitas* (seruato tamen debito sensu, de quo Fonseca lib. 5. Metaph. c. 28. q. 13. sect. 4. & Suarius in Metaph. disp. 6. sect. 10. n. 6. & Molina vbi suprà) ita etiã *paternitas formaliter erit diuinitas* seruato tamen eodem sensu. At verò si paternitas sumatur in sensu posteriori (in quo communiter sumi solet) oppositum dicendum est: cum enim, vt sic solùm dicat ipsam relationem nudam (quæ est alterum constitutiuum personæ) sicut formaliter virtualiter distinguitur ab essentia; ita etiam essentialiter eam non includit. Vnde quamuis essentia de ea prædicetur in sensu identico; non tamẽ *Fonseca.*

prædi-

prędicatur in sensu formali, vt dicemus in sequenti articulo.

41. Solutio 3. argum. His ita præmissis ad tertium argumentum distinguendum est antecedēs, vt omnis æquiuocatio tollatur: est enim negandū, si Pater sumatur non pro persona Patris, sed pro concreto sumpto ex paternitate, quæ est proprietas in ea veluti inexistens: & hæc fuit posterior acceptio Patris posita in primo præmisso: nam Pater isto modo sumptus formaliter non est Deus. Concedendum tamen est antecedens, si Pater sumatur (vt communiter sumitur) pro persona Patris: hæc enim persona, sicut essentialiter est Deus; ita essentialiter est diuinitas. Quando verò inde infertur diuinitatem esse de essentia paternitatis, cōsequens simili modo distinguendū erit. Nam si paternitas sumatur, vt est forma totius Patris, adæquata toti ipsi cōcreto Patris, eo modo, quo humanitas est forma totius hominis; admittenda est consequentia. Et in hoc sensu optima est probatio, quæ adducitur, vt ex dicendis patebit: in eo tamen argumētum non est contra nos; quia non agimus de paternitate illo modo sumpta, sed de paternitate, quæ est forma purè relatiua, de qua sola in hac disp. est sermo. De hac paternitate consequentia est neganda: cuius probatio vera est de cōcretis, & abstractis, quæ inter se sunt adęquata, vt sunt Deus, & Deitas; Pater sumptus pro persona, & paternitas, quę est forma ipsius totius Patris. Secus dicendum est de concretis, & abstractis, quorum abstractum non est adæquatū concreto, vt se res habet in paternitate, quæ est proprietas Patris, si conferatur cum Patre sumpto pro persona: paternitas enim, vt est pura relatio, non est abstractum adæquatè abstractum à toto Patre, sed solùm abstrahitur à Patre secundùm formalem rationem Patris; & ex consequenti abstrahitur à se ipsa, vt est constituens personam Patris, ac veluti inexistens in ea. Et hoc modo paternitas, nec directè, nec connotatiuè dicit essentiam; quam tamen connotat, vt per modum concreti, formæque inexistentis significatur. Et isto modo paternitas non est forma subsistens, sed qua persona Patris subsistit. Et hæc pro soluenda æquiuocatione.

Quarta ratio facilè soluitur, si antecedens admittatur in solo sensu identico, vt quælibet relatio diuina identicè realiter sit Deus. Admisso autem antecedente in hoc sensu prima consequētia est inutilis gratia formæ, vt iam aduertimus suprà q. 8. ar. 2. §. 2. n. 16: etenim essentia diuina identicè est relatio, non tamen essentialiter teste eodē Suario, vt suprà resoluimus ar. 1. Præsentiēs autem Suarius hanc solutionem dixit consequentiā esse optimam in hoc prædicato *Deus*; quasi velit eam gratia formæ non esse firmam, sed solùm gratia materię; ita vt solùm valeat in hoc prędicato *Deus*. Sed ego non video, vnde illa etiam in hoc prædicato *Deus* vim habeat. At, inquit, denominatio ab hoc prædicato *Deus* est essentialis. Sed profectò hìc æquiuocatio caussat deceptionem: licet enim denominatio sumpta ab hoc prædicato *Deus* sit essentialis, hoc est sumpta ab essentia, diuinaque natura; non proinde infertur denominationem illam semper esse essentialē, id est, quidditatiuam: nec id vnquā probabitur. 42. Ad 4.

Sed vim illius consequentiæ expendamus in hoc prædicato *Deus*. Dicimus igitur ex eo, quod relatio identicè realiter est Deus, non bene inferri, quod essentialiter sit Deus. Quod satis expressit Molina 1. p. q. 28. ar. 2. disp. 6. ad 2. vbi affirmat ex illo medio consequentiam illam non satis esse firmam. Idem debēt asserere, qui putant essentiam diuinam essentialiter non includi in attributis, quorum sententiam esse probabilem latè ostendimus suprà q. 8. ar. 1. & 2: hi enim admittunt attributa identicè esse Deum; & tamen negant essentialiter esse Deum, quam sententiam diximus esse probabilem suprà q. 10. ar. 1. §. 5. nu. 30. Eàdem igitur ratione nos eandem negabimus consequentiam; vt quia existimemus essentiam essentialiter non includi in relationibus. Quare etiam in hoc prędicato Deus prima consequentia negatur à sapientissimis theologis: & meritò sanè: nam, cum absolutè non valeat gratia formæ, vt diximus; nihil speciale reperitur in hoc prędicato *Deus*, vt in eo consequentia valeat gratia materiæ. Sed iam expendamus, quæ in confirmationem consequentię adducūtur. 43. Expenditur consequentia. *Molina.*

Ad

44. Ad primam probationē consequentiæ.

Ad primam consequentiæ probationem dicimus; quidquid est realiter Deꝰ, in sua realitate esse summè perfectum; quia habet realitatem summā, quæ aut esse, aut concipi potest. Quare si in hoc sensu maior explicetur, verissima est: sed ex illa contra nostram sententiam nihil potest inferri. Porrò neganda est maior, si ita intelligatur, vt quidquid identicè est Deus, sit etiam summè perfectum secundùm suam rationem formalem. In hoc sensu maiorem esse falsam euidentissimè patet, si vera est opinio, quod relatio in diuinis secundùm suam formalem rationem, secundùm quam distinguitur ab essentia, nullam dicit perfectionem; quæ sententia inter Scholasticos, maximè inter Thomistas, est communior, vt videre est apud Molinam 1.p.q.42.ar.6. disp.2. concl.2. vbi plures refert huius sententiæ grauissimos Auctores: hi enim non negant, nec possunt negare relationem diuinā identicè esse Deum, & realiter identificari cum diuina essentia: & tamen negant relationem secundùm suam formalem rationem, & prout distinguitur ab essētia, non solùm esse summè perfectam, sed aliquam dicere perfectionem.

45. Quare apud istos theologos non satis est relationem identicè esse Deum, vt formaliter sit quid summè perfectū: quod tamē sine probatione sumit propositio maior primę cōfirmationis præ dictæ consequentiæ. Imò illam maiorē esse falsam etiamsi cum alijs dicamus relationem formaliter sumptam dicere perfectionem, facilè ostenditur ex doctrina eiusdem Suarij. Nam licet cōcedat relationem dicere perfectionem; fatetur tamen eam non dicere perfectionem simpliciter simplicem, & ideò non dicere summam perfectionem in genere entis, sed tantùm in suo genere. Ita docet in Metaph. disp.10. sect. 3. n. 16.17.& 18.& disp.28.sect.2.n.10. & 11. & disp.30. sect.6. n.9. & lib.3. de Trinit. c.9.& 10. Quæ perfectio non est summa, quæ excogitari potest: nec enim potest non concedere perfectionem simpliciter simplicem esse maiorem, si vera sūt, quæ de vtrāq; perfectione scribit. Quare maior prioris confirmationis omnino est neganda, si ita intelligatur, vt quidquid identicè est Deus, sit summè perfectum secundùm suam rationē formalem. Et hæc satis dicta sint pro solutione prioris confirmationis consequētiæ. Nam secunda confirmatio parum habet efficaciæ: nec enim video, quomodò ex eo, quod aliquid identicè denominatur Deus, diuinaque natura bene inferatur diuinitatem in eo essentialiter includi.

46. Soluitur argumentum 4. in alio sē su.

Hęc dicta sint, si antecedens prioris discursus sumatur in sensu identico. Porrò si sumatur in sensu formali actuali, vt relatio diuina non solùm identicè, sed etiā formaliter actualiter sit Deus; negandum erit ab Scotistis: à nōbis tamē, & à Molina loco citato admittitur. Sed tamen adhuc consequentia negatur; quoniam cum identitate actuali rationis formalis inter essentiam, & relationem, adhuc stat distinctio formalis virtualis, quę satis est, vt neutrum essētialiter includat alterum. Vide Molinā vbi suprà, & quæ diximus q.9.ar.2. §. 4. vbi ostendimus cum identitate formali actuali attributorum simul constare, quod vnum essentialiter non sit cætera; idem igitur dicendum erit de essentia, & relatione.

47. Ad 5.

Ad quintam rationem principalem admittimus quamlibet relationem diuinam esse ens increatum. Negamus tamen inde inferri quamlibet relationem essentialiter includere essentiam. Vnde vltima consequētia neganda est, vt inutilis. Nec demonstratio aliquid obstat, quam Suarius adduxit lib.1. de essentia Dei c.12.n.4: eam enim iam dissoluimus suprà q.8.ar.2.§.2.ad 2.argum. n.11.

48. Ad 6.

Sexta ratio nihil habet efficaciæ: negandum est enim antecedens. Probatio illius satis est friuola; quia vt relatio nō sit creatura, satis est, quod identicè sit Deus.

Ad 1. confirmat.

Prima confirmatio coincidit cū quinta ratione, quam iam dissoluimus. Secūda verò satis explicabitur ex ijs, quæ diximus in solutione tertiæ rationis. Admittimus enim vtranque partē antecedentis, si Pater sumatur pro persona Patris: sed negamus consequentiam, si paternitas sumatur pro ipsa relatione, quæ est proprietas constitutiua Patris. Ad probationem consequentię negamus Patrem sumptum pro persona Patris, & paternitatem sumptam pro nuda,

nuda, & pura relatione (quomodò de ea agimus) solùm differre diuerso significandi modo: nam persona Patris essẽtialiter includit essentiam; quam tamẽ non includit paternitas illo modo sumpta. Et inde inferes paternitatem sumptam pro pura relatione nõ esse abstractum adæquatum concreto. Vide, quæ diximus ad tertiam rationem.

49. Ad 7. Ad septimam, omissa solutione Bellomontani in d. disp. 121. cap. 3. n. 11. ad 2. admittimus relationẽ diuinam esse ens non ab alio, sed à se: nam cum realiter sit Deus, non potest nõ esse ens à se. Admittimus præterea relationem idẽticè essẽ Deitatem: ex quo nõ benè infertur relationẽ essentialiter esse diuinam essentiam. Vide, quæ diximus supra ad 4. & supra q. 7. ar. 1. §. 6. ad 4. nu. 51. & ar. 2. §. 5. ad 15. num. 70.

50. Ad cõfirm. Ad confirmationẽ dicimus in diuinis vnicam tantùm dari essentiam, idest, naturam, siue Deitatem, quæ est cõmunis tribus personis. Porrò si essentia sumatur pro quidditate, & definitione (quæ communiter dicitur ratio formalis) admittendæ sunt in Deo plures essentiæ; quia plures admittuntur definitiones explicantes formales rationes eorum, quæ in Deo virtualiter distinguũtur. In hoc igitur sensu alia est essẽtia relationis, & alia essentia Deitatis; quia alia est vnius, & alterius definitio, vt ex D. Thoma, Ægidio, & alijs antiquioribus Theologis sæpè diximus. Simpliciter tamen non sunt admittendæ plures essentiæ in diuinis, nisi exprimatur essentiam sumi pro definitione.

51. Ad 8. Ad octauam rationẽ, omissis ijs, quæ scribit Suarius in Metaph. disp. 28. sect. 3. nu. 11. & 12. dicendum est relationem diuinam non solùm esse infinitam, vt est idem realiter cum essentia, sed etiam, vt ab essentia distinguitur: esse tamẽ infinitam, nõ quidem infinitate primaria, quia non est entitas primaria Dei; sed infinitate secundaria, quæ secundariam entitatem Dei comitatur. Vnde non denotat infinitatem simpliciter, sed in proprio genere, vt latè ostendimus supra q. 5. ar. 6. §. 3. n. 108. & 109. & q. 9. ar. 2. §. 6. nu. 45. & 46. Nec enim opus est, vt omne ens infinitum includat in se totã perfectionem entis; id enim proprium est ẽtis infiniti infinitate primaria, quæ primariam entitatem comitatur. Argumentum verò in eo claudicat, quod duplicem istam infinitatem nõ distinguit.

52. Ad 9. Ad nonã rationẽ facilè respondebũt, qui putant constitutionẽ personæ esse constitutionem rationis. Hi enim facilè admittẽt personam diuinam cõpositam esse cõpositione rationis; nec enim putant esse inconueniens admittere in Deo compositionem secundũ rationẽ: eam enim admittunt Torres de Trinitate q. 40. ar. 4. fol. 275. col. 4. & Cursus Conimb. in prædicamentis c. de substãtia q. 1. ar. 2. ad secundum; & Bellomontanus prima parte disp. 121. cap. 3. ad 3. n. 11. & 12. Hi igitur ad argumẽtum admissa sequela negabunt minorem, quæ sine probatione supponitur. Ast ego, quanuis existimem non esse absurdum admittere in Deo compositionem secundum rationem; non puto constitutionem personarũ esse solius rationis: cum illarum constitutio admittẽda sit non solùm sublata omni intellectus operatione, sed etiam secluſa omni habitudine ad compositionem rationis; quod volumus esse suppositum.

Torres. Cursus. Bellomon.

53. Quæstio incidens. Vtrum verò constitutio illa possit dici compositio? apud me quæstio est de nomine. Nam qui putant ad rationem compositionis satis esse distinctionem extremorum, nec necessariò requiri, vt componentium alterum sit actus, alterum potentia; facilè admittent constitutionem diuinę personę esse cõpositionẽ: & ideò admissa sequela negabunt minorẽ. Qui verò existimant de intrinseca ratione cõpositionis esse, quod fiat ex actu, & potentia, omnino negabunt hanc constitutionem dici posse compositionẽ; & ob id cogũtur negare sequelã. Cuius probatio ad rẽ non facit: quoniã siue relatio intrinsecè includat essentiã siue nõ includat; nunquã inter essentiã, & relationẽ admittetur ratio actus, & potentiæ. Vtraq; opinio defendi potest, vt patet ex dictis q. 5. ar. 4. §. 4. n. 77. vsq; ad 89. Illud tamen aduertam nomen cõpositionis in diuinis esse odiosũ; & ideo non esse simpliciter asserendum personam diuinam esse compositam, nisi ea apponantur, quæ significent compositionem sumi pro constitutione.

54. Ad postremum. Ad postremã rationẽ neganda est sequela; non solùm quatenus supponit posito

sito illo casu posse accõmodatè saluari cõstitutionẽ personæ cõtra id, quod diximus §.2 in 3. ratione principali, sed etiã, quia maior, vel minor simplicitas diuinę personę nõ pẽdet ex eo, quod essentia includatur, vel non includatur in relatione. Quod verò adducitur in cõfirmationẽ sequelę, friuolũ est: quoniãsi negãda est cõpositio in diuina persona, ęquè benè negãda est, siue essẽtia includatur in relatione, siue non includatur; quia siue hoc, siue illud dicas, nunquam ratio actus, & potentiæ in cõstitutione personæ admittenda est, sine qua apud istos nõ datur cõpositio. Quod verò affertur de cõpositione entis cũ inferioribus, nec ad rem pertinet; nec eadẽ est ratio in ente respectu inferiorũ, & in diuina essẽtia respectu relationũ. Nam diuina essentia est vnũ quid abstrahibile per intellectũ à relationibus; ens autẽm nõ dicit aliquid vnum, quod ab inferioribus possit abstrahi, & cũ illis cõponi. De quo latius tractant Metaphysici.

55 Ad argumẽta vltimo loco. Quæ vltimo loco adducũtur, vt probetur relationes diuinas includere essẽtiã, etiam, vt à nobis concipiũtur, ex dictis facilè soluũtur: negandũ est enim in conceptu obiectiuo relationis, aut expressè, aut cõfusè includi essentiã. Prima obiectio satis explicata manet ex solutione 5. argumenti: quoniam relatio diuina non solũ implicitè cõcipitur, vt diuina, sed etiã explicitè: ab essentia autẽ benè abstrahit non modo explicitè, sed etiam implicitè. Secunda verò obiectio solũ habet locũ in inferioribus, quæ in recta linea sũt inferiora; nõ tamẽ in ijs, quæ inferiora sunt ad modũ differentiæ contrahentis, determinantisq;. Diuinæ autẽ personæ in ordine ad Deũ habent modũ inferioris in recta linea: nõ ita dicendũ est de relationib⁹, vt sunt formæ personarũ. Vide D. Thomã. 1.p.q.39. ar. 6. ad 2. Et hæc satis sint de hoc art. D.Thom.

ARTICVLVS III.

Quomodo essentia, & relatio de se mutuo prædicentur.

1 Tertio loco expendendũ est, quomodò essentia, & relatio mutuo de se prędicẽtur? Cõparari autẽ possunt, vel in concreto, vel in abstracto, vel deniq; abstractũ cũ cõcreto facta variatione penes subiectũ, & prædicatum.

§. 1.

Essentiam, & relationem in concreto de se mutuo prædicari.

IN hac quæstione nullus Catholicorũ dubitauit essentiã in cõcreto (sub nomine Dei) verissimè prędicari de relationibus in cõcreto sumptis pro personis: etenim in Sacris literis singulæ personę dicuntur Deus. De Patre habetur Ioannes 1. *Verbum erat apud Deum*, id est, apud Patrem, vt cõmuniter exponitur. Ioan. 6. *Hunc enim Pater signauit Deus*: Sẽsus est Deus Pater hũc signauit. Christus etiam loquens cũ Patre Ioann. 17. *Vt cognoscant te solum Deum verum*. De Filio habetur Ioan. 1. *Et Deus erat Verbum*. vbi *Deus* non est suppositum verbi *erat*, sed appositum; vt sit sensus: & Verbum erat Deus. Primæ Ioan. 1. *Vt simus in verò Filio eius: hic est verus Deus*. Denique Paulus ad Romanos 9. agens de Christo ait: *Qui est super omnia Deus Benedictus in sæcula*. De Spiritu Sancto id expressè affirmat Petrus Actorũ 5. postquam enim arguit Ananiam, quod mentitus sit Spiritui Sãcto; addit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo* Paulus item 1. Corinthio 6. *Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus Sancti? Glorificate ergo & portate Deum in cordibus vestris* Has autem propositiones esse verissimas in sensu formali, atque essentiali, nullus vnquam dubitauit: nam cùm quælibet persona constet ex essentia, & relatione; quęlibet essẽtialiter est Deus vt iam aduertimus supra art. 2. in principio. Ioann. 1. Ioann. 6. Ioann. 17. Ioann. 1. 1. Ioan. 1. Ad Rom. 9. Actor. 5. 1. Cor. 6.

Nec etiam dubitãri potest relationẽ sumptam pro persona verissimè prædicari de essentia in concreto sumpta; hęc enim est verissima: *Deus est Pater*, similiter, & istæ: *Deus est Filius: Deus est Spiritus Sanctus*. Has enim omnes, vt verissimas admittit D. Thomas 1.p.q.39. art.6. vbi omnes illius interpretes, idẽ D. Thomas in 1. d 48. q.2. art. 2. ad 5. etenim inter Theologos cõuenit nomina personalia substãtiua verissimè prædicari de essẽtialibus. D.Thom.

Tota dubitatio est, in quonam sensu hę propositiones sint veræ; an in solo sensu identico, an etiam informali? De qua quæstione tres inuenio sententias. Prima est eorũ, qui putant relatiua esse de intrinseca, & quidditatiua ratione essentiæ: 2 In quo sit dubitatio. 1 Opinio.

essentiæ: Hi enim (licet id expressè non declarent) non possunt non admittere propositiones istas esse formales, & in primo modo dicendi per se; cum prædicatum sit de essentia subiecti. Videtur huic sententiæ fauere D. Thomas 1. p. q. 39. ar. 6. dum ait hanc propositionem esse per se, *Deus est Pater*.

2. Opinio. Secunda sentētia probata est quibusdam ex nouioribus, qui volūt hasce propositiones simpliciter esse formales, & subinde non in solo sensu identico esse veras, sed etiā in formali: etenim (vt volunt) sunt propositiones per se nō quidē primo modo (quia prædicatum non est de essentia subiecti) sed secundo modo; quia subiectū est de essentia prædicati. Ita existimauit Suarius lib. 4. de Trinitate c. 6. n. 2. & ante eum id scripsit Bellomontan. 1. p. q. 39. ar. 6. in cōmentario n. 49. & 50. & antea id tetigerat disp. 121. c. 4. n. 15. Suarius porrò ex eo etiā hanc sententiam confirmat; quia Deus in cōcreto per se habet, quòd possit supponere pro persona; quia de se dicit habētem Deitatē: Pater autē formaliter est Deitatem habens. Et inde infert Patrē ex vi enuntiationis posse de Deo prędicari, & subinde in sensu formali.

3. 3. Opinio. Tertia sententia affirmat propositiones illas solum esse veras in sensu identico, non verò in sensu formali. Quod satis expressit D. Thomas de potentia q. 8. ar. 2. ad 6. & quanuis ibi solùm agat de prædicatione, qua relatio in abstracto de essentia prædicatur; idem tamen diceret, quando Pater prędicatur de Deo: etenim prima parte q. 39. ar. 6. ad secundum vtranque illam prędicationē coniungit tanquā eiusdē rationis, dum ait. *Cum dicitur Deus, vel diuina essentia est Pater.* Quibus verbis satis euidenter significat idem iudicium esse de vna, & altera prędicatione. Quin potius in eodem loco verbis expressis affirmat hanc propositionem, *Deus est Pater*, esse veram per identitatem; non solùm in corpore articuli, dū ait notionalia substantiua prędicari de essentialibus per identitatem, sed etiam ad secundum; dum affirmat propositionem illam esse verā per identitatem, non verò ex eo, quod est inferioris de superiori. Vnde mirum est, *Valentia.* quod Valenta 1. tomo disput. secunda q. 13. punct. 4. §. *Tertiò notandum est*, existimet D. Thomam in illo loco intelligendum esse non simpliciter, sed quatenus concipitur Deus, vt quid latius patens: etenim D. Thomas expressè negat illam propositionem esse admittendam ex eo quod inferius prædicatur de superiori, sed solùm ratione identitatis, cuius mē tem statim explicabimus. Non est igitur dubitandum propositionem illam, *Deus est Pater*, apud D. Thomam non esse admittendam in sensu formali, sed in solo identico. Quod placuit Caietano in dicto ar. 6. dum ab hac propositione excludit sensum formalem, formalemque perfectatem, & solum admittit sensum, & perfectatem identicam. Id ipsum placuit Cumelio in dicto articulo sexto in discursu articuli. §. *In solutione ad secundum*. *D. Thom.* *Caietan.*

Ego puto hanc tertiam sententiam, & esse verissimam, & esse D. Thomæ; & subinde nec primam, nec secundam esse recipiendam. Non est recipienda prima; quoniam in primo art. contra eam latè ostendimus nec relationes, nec relatiua pertinere ad essentiam diuinę essentiæ. Adde etiam, quia vera Logica non admittit, vt duo se se mutuo essentialiter includentia mutuo de se ipsis prædicētur in primo modo per se. Quare cum non sit negandum hāc propositionem, *Pater est Deus*, esse per se primo modo; non debet admitti hanc, *Deus est Pater*, esse etiam primo modo per se. 4. 1. Opinio impugnatur.

Secunda etiam sententia ex eo non probatur; quoniam perfectas Logicalis non admittit propositiones indirectas, sed solas directas, vt ad mentem Aristotelis cōmuniter doceri solet in primo Posteriorum c. 4. Quare cum hęc propositio, *Deus est Pater*, sit indirecta, vt auctores secundæ opinionis admittunt (in ea enim, quod est veluti inferiùs, & minus latè patens prædicatur de eo, quod se habet veluti superius) non putò talē prędicationē esse per se, & subinde nec esse formalem. Accedit etiam, quia talis propositio ex sentētia aduersariorū non est per se primo modo: quòd verò nec secūdo modo sit per se, facilè oltēditur: quoniā in propositione per se 2. modo subiectū debet ingredi definitionē prædicati, non vt pars intrinseca definitionis, sed vt extrinseca, & per additamentū, vt cōmuniter aduertūt Logici 5. Impugnatur 2.

in d.lib.1.Posteriorum c.4.& ibi Cursus Conimb. quæst.1.ar.3. post principium. Iam verò Deus nõ ponitur in definitione Patris,vt additamentum, sed vt pars intrinseca magis latè patens,& vt includens prædicationem de omni,eo modo, quo illa in diuinis admitti potest. Iam verò nulla admittitur Logica perfeitas sine prædicatione de omni ex Aristotele cum cõmuni Logicorum in d. c.4. Et (nisi fallor) hæc fuit mens D.Thomæ in d. ar.6.ad 2. dum negat illam propositionem admittendam esse, vt inferioris de superiori,sed solùm per identitatem: etenim ibi admittit perfeitatem in illa propositione,vt ostendat in ea non prædicari aliquod verum accidens:perfeitas autem Logicalis nõ poterat admitti, si propositio illa prædicaret de superiori id, quod est inferius; quia propositio indirecta habere non potest Logicam perfeitatem. Et ob id recurrendũ sensit ad solam perfeitatem identitatis, vt Caietanus ibi explicat:nam hæc perfeitas satis erat ad excludendam omnẽ accidentalitatem physicam, & realem.

D.Thom. *Caietan.*

6. Accedit etiam; quia licet daremus propositionem illam esse per se secũdo modo; adhuc propositio illa non haberet sensum formalem,de quo est sermo. Etenim ille solus sensus dicitur formalis, qui est essentialis, & intrinsecus. Hunc autem non habet talis propositio aduersarijs id concedentibus. Quare nõ negabo propositionem illam aliquo modo habere perfeitatem secundi modi; quia subiectum ratione fœcunditatis essentiæ in se ipso continet rationem veluti radicalem,per quam vendicat sibi illud subiectum: sed hoc non satis est, vt illa propositio admittenda sit in sensu formali.

Alia ratio.

7. Concludimus igitur hanc propositionẽ,*Deus est Pater*, non esse admittendã in sensu formali, sed in solo sensu idẽtico: nec habere aliquã logicalẽ perfeitatẽ, sed solam perfeitatem identicã,vt dixit Caietanus. Nec oppositũ probant, quæ pro prima,aut 2. opinione adducuntur. Nã ad primã negam⁹ personalia esse de essentia diuinæ essentiæ, vt ostendimus art.1. Nec D. Thomas in d.art.6. nobis contradicit; quoniã non agit de perfeitate Logica, quę excludit Logicã accidentalitatem;sed de perfeitate reali,ac veluti Physica, quæ opponitur reali,ac physicę accidẽtalitati, vt satis explicat ibi Caietanus.Ad primũ fundamentum secundę opinionis iam diximus;quoniã, vt prędicatio sit per se secũdo modo,debet esse directa, & de omni, atq; etiã de subiecto,quod definitionẽ prędicati ingrediatur,vt additamentũ: nihil autem illorum in illa prædicatione reperitur.

Conclusio. *Ad 1.2.opinionis.* *D.Thom.* *Ad 1.2. opinionis.*

Quod verò secundo loco expenditur, 8.
vim non habet: nam licet *Deus* in concreto possit supponere ꝓ persona; pro ea tamen non supponit,nisi ratione prędicati: ab eo enim determinatur, an sumatur personaliter,an verò simpliciter pro se ipso. In hac autem propositione, *Deus est Pater*, tantùm abest, vt prædicatum denotet Deũ sumi personaliter pro Patre (aliàs esset propositio omnibus modis identica) vt potius denotet supponere simpliciter pro se ipso, vt cõmunis est tribus personis;vt facilè colliges ex D.Thoma in d.ar.6. ad 1. si subtiliter verba illius expendas. Imò si expendas prædicatur illud apud aduersarios necessariò coniunctũ esse cũ subiecto ratione fœcunditatis essentiæ;quæ necessaria coniunctio non datur, nisi subiectum simpliciter stet pro se.

Ad 2. *D.Thom.*

§. 2.

De prædicatione concretorum personalium, vt adiectiuè sumuntur.

EGimus de relatiuis in cõcreto, vt sumũtur subsiãtiuè pro personis: prout scilicèt Pater sumitur pro persona Patris,Filius pro persona Filij, & Spirius Sãctus ꝓ persona Spiritus Sãcti. Supereſt,vt dicam⁹ de cõcretis relatiuis adiectiue sũptis: nã Patrẽ adiectiuè sumi posse docet D.Thom. in 1.d.33. q.1.ar.4.in fine corp.vbi ita ait: *Similiter nec hæc est propria, paternitas est Pater: si ly Pater adiectiuè sumatur.* Quę D.Thomę doctrina satis cõfirmat, quod consentiẽte etiã Molina diximus in pręcedẽte ar. §. 3.in solutione tertię rationis;paternitatẽ scil.sumi posse,vt est concretũ à sola paternitate, vt est proprietàs relatiua significata ad modũ inexistẽtis,& determinãtis essentiã ad constituendã personam Patris. In quo sensu Pater sumitur adiectiuè, sicut etiam albũ, prout dicit albedinem inexistentem in subiecto.

9.

D.Thom.

De

10. De Patre igitur adiectiuè sumpto in sensu explicato iam inquiri potest; an, & quomodò possit de Deo prædicari, & Deus de illo? Quam dubitationem ex theologis pauci attigere. Dicendum est primum hęc concreta de se ipsis mutuò
D. Thom. prædicari posse: quod colliges ex Diuo Thoma loco citato, dum admittit hanc propositionem, *paternitas est Pater* in sensu adiectiuo. Similiter igitur admittendæ erũt istæ, *Deus est Pater*: *Pater est Deus*, nomine Patris adiectiuè tento. Et satis probatur; quoniam, vt inferiùs dicemus; hæ sunt admittendæ, *Deitas est paternitas*: *paternitas est Deitas*. Quare cũ Pater adiectiuè sumptus solùm dicat paternitatem, vt inexistentem in persona; vtiq; admittẽdæ sunt priores propositiones, saltem in sensu, in quo admittuntur posteriores.

11. Dubitatio. Potest tamen inquiri, vtrum illę propositiones solùm sint admittendę in sensu identico? Nam quod in hoc sensu illę veræ sint, nullus dubitabit: quia Deus, & Pater adiectiuè (pro relatione scil. paternitatis in cõcreto) sunt idẽ realiter. Quare in sensu identico hæc est vera, *Deus est Pater*. i. Deus est paternitas, quæ est in persona Patris. Similiter in eodẽ sensu hæc erit vera, *Pater est Deus* paternitate sumpta in cõcreto. At verò vtrũ in solo sensu identico sint admittendæ? Dubitari potest. Resolutio sit eas non esse admittendas in sensu formali: quoniam nec Deus formaliter est paternitas, quę inexistit in Patre (quoniam nec illo modo paternitas est de essẽtia Dei) nec paternitas, etiam concreta, formaliter
Molina. est Deus, vt bene aduertit Molina in d. disp. 6. loco citato: nec enim Deus est de essentia ipsarum relationũ, etiam vt concretè sumuntur.

§. 3.

Essentia, & relatio in abstracto de se mutuo prædicantur, non formaliter sed identicè.

12. SEd iam expendamus, quomodò essentia, & relatio se habeant in prędicando, prout significantur in abstracto. Duæ autem propositiones sunt expendẽdę, quia idem erit iudicium de cęteris. Prior est, *paternitas est essentia, siue Deitas*. Posterior verò, *essentia, siue Deitas est paternitas*. De his propositionibus placet, quod scribit Molina 1. p. q. 28. ar. 2. disp. 6. §. *Petes qualis nam sit*, pag. 441. col. 2. illas tales esse, quibus nullæ aliæ sunt similes in rebus creatis, vt quia illarum prædicatum re, & ratione formali idem est cum subiecto: & prædicatio non est identica, quia virtualiter à subiecto distinguitur; & tamen nec prędicatum essentialiter includitur in subiecto, nec subiectum in prædicato. Quod genus prędicationis non reperitur in creatis: nec enim in creatis satis est identitas realis, vt ea, quæ identificantur, de se inuicem prædicentur; quanuis non prædicentur formaliter. *Molina.*

13. Deinde dicimus vtranq; propositionem admittẽdam esse in sensu identico, iuxta regulam generalem, quòd omnia diuina, inter quæ non est relationis oppositio, de se inuicẽ prędicantur ratione realis identitatis: de qua regula agit Torres de Trinitate q. 32. ar. 2. in 4. p. commentarij, §. *hoc autem argumentum inquirit*. Quare cum essentia, & relatio realiter sint idem; prædicatio erit vera in sensu identico, siue parternitas de essẽtia prædicetur, siue essentia, Deitasvè de relatione. *Torres.*

14. Controuersia. Vtrùm verò in sensu formali vtraque sit vera est controuersia. De vtràque negat D. Thomas q. 8. de potentia art. 2. ad 6. Et ratio est; quia neutra secundùm propriam rationem formalem de altera prædicatur; vt quia neutra sit de ratione formali alterius. In oppositа sententia erunt, qui putant & essentiam esse de intrinseca ratione relationum, & relationes de intrinseca ratione essentiæ. Nam cum id, quod est de intrinseca, essentialivè ratione alterius, de illo per se, & formaliter prædicetur; vtique apud Auctores huius sententiæ vtraque propositio vera erit in sensu formali. Mediam sententiam probabunt, qui putant relationes non esse de quidditate essentiæ; essentiam tamen esse de quidditate relationum: & cum Suarius hanc probet sententiam, hanc etiam mediam in hac quæstione probabit. Admittet igitur priorem propositionem, vt verè formalem, & essentialem; posteriorem autem nequaquam. De propositione posteriori nihil apud eum expressè inuenio; sed vt consequenter loquatur, non admittet illam

1. sententia. 2. sententia. Media sententia.

in sensu formali. De priori propositione expressè loquitur lib. 4. de Trinitate c. 8. n. 2. docetq; eam esse veram, si rem ipsam spectemus; at verò spectata forma propositionis veram esse sententiã D. Thomæ, etiam in priori propositione: quia abstracta ex sua forma significandi videntur significare formales rationes extremorũ præcisas, & proprias; iam verò ratio formalis vnius extremi præcisè sumpta non est ratio formalis alterius. Putatq; D. Thomã in hoc sensu locutum fuisse, dum negauit vtranq; propositionem esse per se. Additq; idem dicẽdũ esse de his propositionib⁹, quod dixerat in Metap. disp. 6. sect. 10. de hac propositione *humanitas est animalitas.*

15. Propria sententia.

Ego tamen cum D. Thoma puto esse resoluendum neutram propositionẽ esse verã in sensu formali, sed in solo idẽtico: quæ est communis sententia Thomistarum, & Scotistarum, & satis Molinæ in d. disp. 6. loco citato. Etenim iam ostendimus suprà art. 2. nec relationem esse de essentia diuinæ essentiæ, nec essẽtia de quidditate relationis: idque siue rem ipsam spectemus, siue ipsam formã prædicationis: vtroque enim modo nec relatio est intrinseca essentiæ, nec essẽtia relationi. Agimus autem hoc loco de paternitate, vt est abstractũ formale Patris; quia, vt sic, nec essentiam includit, nec in essentia includitur. Et in hoc sensu non est eadem ratio de paternitate, & essentia, quæ est de humanitate, & animalitate, quidquid Suarius dicat: nam hæc sunt abstracta adæquata suis concretis; quia humanitas abstrahitur à toto homine, & animalitas à toto animali: cum tamen paternitas (vt nunc de ea agimus) non sit abstractum à toto Patre. Porrò si loquamur de paternitate, vt est abstractum adæquatum toti Patri; sicut humanitas est abstractum adæquatum toti homini, paternitas in sua ratione formali includit essentiam; non tamen è conuerso essentia includit paternitatem: sicut Pater intrinsecè includit Deum; Deus autem intrinsecè nõ includit Patrem. In hoc autem sensu vera est sententia Suarij, quam etiam probauit Molina in d. disp. 6. Vide, quæ diximus art. 2. huius quæstionis §. 3. in solutione tertiæ rationis. Et de abstractis hæc sufficiant.

§. 4.

De prædicatione abstracti de concreto, & concreti de abstracto.

16.

Reliquum est, vt comparemus abstracta cum concretis. Tres autẽ propositiones se se offerunt explicandæ. Prima est, in qua essentia in concreto prædicatur de relatione in abstracto, vt paternitas est Deus. Secunda est, in qua relatio in concreto prædicatur de essentia in abstracto, vt *Deitas est Pater.* Tertia denique, in qua essentia in abstracto prædicatur de relatione in concreto, vt *Pater est Deitas.* Quod dicimus de paternitate, similiter dicendum erit de cæteris relationibus.

17. In quo omnes conueniunt.

Has omnes prædicationes esse veras saltem in sensu identico nullus dubitabit, quia in omnibus reperitur realis identitas extremorum, quæ in diuinis satis est, vt simpliciter de se mutuo verè prædicari possint. Id satis definiuit Concilium Remense iuxta explicationem Bellomontani, dum Patres illius confitentur, & diuinitatem esse Deum, & Deum esse diuinitatem: Deum autem ibi accipi pro persona probat Bellomontanus 1. parte disput. 120. cap. 2. & satis id significat Eugenius in Concilio Cardinalium Remis coacto: vbi apud Ottonem à Bellomontano relatum in dicto capite 2. numer. 11. ita habetur: *Ne aliqua ratio inter naturam, & personam diuideret: nempè Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatiui tantum, sed etiam nominatiui: hoc est ne solùm dicatur Pater Deitate est Deus; sed etiam ipsa Deitas.* Cõstat igitur hasce propositiones esse concedendas: *Diuinitas est Deus*, id est, est diuina persona: & *Deus* id est persona diuina *est Deitas.*

Conc. Rem.

Eugenius.

18. Controuersia.

Vtrùm verò propositiones istæ sint veræ in sensu formali? Poterit esse dubitatio. Resolutio sit ista: Prima illa propositio: *Paternitas est Deus* potest esse dubitabilis. Nam qui putant essentiam quidditatiuè includi in relatione, tenẽtur admittere sensum formalẽ: si enim hæc est formalis, *paternitas est Deitas*, vt isti putant; vtiq; hęc etiã erit formalis, *paternitas est Deus.* Sed opinionem illã nõ admisimus suprà ar. 2. Quare dicendum est illã propositionẽ nõ esse formalem. Tũ, quia ratio formalis prędicati nõ est

Resolutio de prima propositione.

ratio

ratio formalis subiecti, vt ex ar. 2. supponimus. Tum etiam; quia prædicatum *Deus* non potest supponere pro paternitate: Deus enim dicit habentem deitatem; paternitas autem in abstracto significata, licet realiter sit Deus; formaliter tamen non est habēs deitatem. Vnde D. Thomas 1. p. q. 32. ar. 2. ad 2. hanc propositionē admisit in solo sensu idētico. Et hæc fuit opinio Torres in 4. p. com. eiusdem articuli ad finem, & Bellomontani disp. 136. c. 3. n. 11.

D. Thom.

Torres.

19. De secunda propositione.

Secunda verò propositio, *Deitas est Pater* fortè admittitur in sensu formali ab illis, qui existimāt relationes esse de intrinseca ratione essentiæ. Sed cum illa opinio non satis sit probabilis, vt patet ex 1. ar. non est de illa curādum. Quare cōmunis sententia theologorum in hac propositione non agnoscit sensum formalē, sed solùm identicū, vt satis expresit D. Thomas 1. p. q. 39. ar. 6. in corp. & ad 2. vbi Caietanus cū cęteris interpretibus, & in nostris terminis agnoscunt Torres vbi suprà in 2. documēto, Suarez lib. 4. de Trin. c. 6. n. 2. Bellomontanus 1. p. disp. 36. c. 3. ante finem, & in com. ad q. 39. ar. 6. n. 49. §. *Verum distinguendum est*, & ibi Molina. Facilè probatur. Tum; quia relatio essentialiter non includitur in essentia, vt diximus ar. 1. Tum etiā; quia deitas in abstracto ex suo modo significandi non supponit pro persona: vnde nullam aliam potest habere identitatē cum persona Patris, nisi realē. Nec obijcies D. Thomam in d. q. 39. ar. 6. ad 2. docere illam propositionem esse per se: quoniā nō agit ibi de perfeitate logica, de qua sola egerat de potentia q. 8. ar. 2. ad 6. sed de perfeitate identica, quæ satis est, vt à diuinis excludat accidentalitatem realē, accidētariamq; prędicationem veri accidentis, quam à diuinis D. Thomas ibi volebat excludere. Vide Caietanum ibi.

D. Thom. Caiet,

20. De tertia propositione.

Tandem propositio illa tertia, *Pater est Deitas* formalissima est, si Pater sumatur pro persona Patris. Nec de hoc potest esse dubitatio; quia Pater essentialiter est Deus, vt diximus supra §. 1. At in diuinis, quod formaliter, & essentialiter est Deus, formaliter, & essentialiter est Deitas: quod satis significauit Eugenius Papa in verbis suprà citatis: *Pater enim* (inquit) *non solū dicitur Deitate est Deus, sed etiam ipsa Deitas.* Quę verba non solùm denotant realem idētitatem, sed etiam formalitatem, & essentialitatem prædicati cū subiecto. Diximus, *si Pater sumatur pro persona Patris*; quoniā si solùm sumatur pro ipsa relatione paternitatis, vt inexistēte in essentia, atq; persona, propositio solùm erit vera in sensu identico. De quo vide, quæ diximus suprà §. 2. Et hæc de isto art. & quæstione.

QVÆSTIO XIIII.

De Visione diuinarum personarum.

EXPLICATIS ijs, quæ ad diuinas personas spectant; quomodò scilicèt ab essentia distinguantur, eamq; includant, superest disputare de visione illarum. 1.

De hac plura sunt à nobis inquirenda. Primò inquiremus; an de facto essentia videatur à quolibet beato simul cū personis? Secundò; an possit essentia naturaliter videri à beato, aut sine personis, aut sine aliqua illarū? Tertiò; an de potentia absoluta videri queat essentia sine personis? Quartò, an de eàdem potentia absoluta possit vna persona videri sine alijs? Quintò; an notitia saltē iudicatiua possit essentia sine personis, aut vna persona sine alijs videri? Sextò; an aliqua persona, relatiovè personalis possit videri sine essentia? Postremò; Vtrùm si daretur talis visio; illa esset beatifica?

ARTICVLVS I.

An de facto essentia videatur à quolibet beato simul cum personis?

QVod attinet ad primum articulum semper fuit apud Catholicos veritas fidei indubitata, qđ omnes beati in patria videant Deum vnum, & trinum, totamque Trinitatem. Hæc veritas definitur in Concilio Florentino sessione vltima in literis vnionis in decreto de purgatorio: *definimus* (inquit) *illorum animas, qui post baptismum vel nullam peccati maculam incurrerunt, vel à suis maculis sunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & vnū, sicuti est.* Et in Ecclesia in officio dedica- 1. *Conc. Flor.*

tionis Ecclesiæ in hymno ita canitur: *Omnis illa Deo sacra, & dilecta ciuitas, plenâ modulis in laude, & canore iubilo trinum Deũ, vnicumque cum clamore prædicat.*

2. Ex sacris literis satis euidenter deducitur, & primus locus habetur primę

1. Ioan. 3. Ioan. 3. *Videbimus eum sicuti est*, quem locum explicandũ esse de Visione Dei beatifica communis est explicatio Patrũ, & theologorum, de quo latiùs dicemus in 2. tomo lib. 8. Quid autem sit Deum videri, sicuti est, explicant omnes Sancti, vt idem sit, quod Deũ videri eo mo-

Euaristus. do, quo existit in sua propria substãtia, & forma. Id patet ex Euaristo Papa in 1. Epistola decretali, dum ait: *Verè eum videbunt, sicuti est, non per ænigma, & figuram, sed ipsam veraciter in Filio veritatis imaginẽ.* Et sicut Filius tunc dicitur videri, sicuti est, cũ veraciter videtur, vt vera imago Patris; quia ex Paulo in se ipso est vera Patris imago; ita etiam Deus tunc videtur, sicuti est, cum videtur, vt in sua

Conc. Lat. existit substantia. Et cum in se ipso verè existat trinus, & vnus, vt patet ex Cõcilio Lateranensi in c. *damnamus* de Sũma Trin. dũ ait: *illa summa res, quæ est Deus, veracitèr est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, fit, vt tunc videatur, sicuti est, cum videtur vt vnus, & trinus. Vnde Concilium Florentinũ inverbis citatis ex eo, quod Deus à beatis videtur, sicuti est, colligit

3. beatos clarè intueri Deũ trinum, & vnũ.

Deinde ex sacris literis facilè demõstratur, & Deum, & singulas Trinitatis personas à beatis clarè, & distinctè videri. Quod Deus in se ipso, suaq; essen-

1. Ioan. 3. tia clarè, & distinctè videatur; satis ex-

Matth. 5. pressè probat locus citatus ex 1. Ioan. 3. Ille etiam, qui habetur Matth. 5: *Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* Quæ verba de visione beatifica patriæ ab omnibus Patribus Latinæ Ecclesiæ explicantur: imò ab omnibus Patribus græcæ Ecclesiæ, exceptis illis, qui negãt

Apoc. 22. claram Dei visionem. Adde etiam locũ Apocalips. 22. vbi de Ciuitate superna Hierusalem dicitur: *sedes Dei, & agni in illa erunt: & serui eius seruient ei: & videbunt faciem eius.* Clara visio diuini Patris expressè ponitur Matthæi 18: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis*

Ioan. 17. *est.* Optimus locus Ioan. 17. vbi Christus alloquens Patrem, ita ait: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum.* Vtrunq; locum accõmodatius explicari de clara visione Dei in patria latiùs ostendemus lib. 8. secundi tomi. Clara visio Filij ex eodem loco Ioannis 17. colligitur;

Ioan. 17. nam immediatè additur: *& quem misisti Iesum Christum.* Quæ verba explicanda sunt, tum de visione per fidem in via; tum de visione per speciem in patria, vt citato loco dicemus. Ioannes 14: *Qui*

Ioan. 14. *diligit me, diligetur à Patre meo, & manifestabo ei me ipsum.* Ioan. 17: *Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante mundi constitutionem.* Vtrunque locum de visione beatifica explicabimus in dicto lib. 8. Eandem visionem Filij optimis verbis definit Eua-

Euaristus. ristus Papa: agens enim de Filio Dei definit verbis superiùs citatis claram illius visionem. Id ipsum de Fide definit Concilium Francophordiense in Epistola ad Episcopos Hispaniæ in vltimis

Conc. Frãcophordiẽse. verbis: *Prædicamus (inquit) eundem viuum, & verum, & verè Filium Dei, vt ad eius beatissimam visionem peruenire valeamus, in qua est æterna beatitudo.*

4. De visione Patris, & Filij accommo-

Ioan. 14 datissimè explicatur locus Ioannis 14: *Philippe, qui videt me, videt, & Patrem meũ.* Denique visionem claram Spiritus Sãcti verbis expressis declarauit Petrus

Pet. 1. can. 1. in sua prima canonica cap. 1. *Vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos, qui euangelizauerunt vobis, Spiritu Sãcto misso de Cœlo, in quem desiderant Angeli prospicere.* Nam quanuis nonnulla græca exemplaria habeant εἰς ὑμᾶς, in quæ scilicèt Christi mysteria vobis euangelizata; & quanuis etiam ita legant, & explicent Didymus ibi, & Irenæus lib. 4. cap. 67. & Glossa ordinaria in eodem loco cum Caietano: tamen cum Biblia correcta non legant, *in quæ*, sed *in quem*, approbanda est omnino lectio græca eorum codicum, qui habent ἐν ᾧ, id est *in quem.* Nec videtur satis congrua explicatio. vt illud relatiuum *in quem* referat Christum, vt aliqui Codices habent: nã prętер quàm quod in correcta non habetur illa particula; non videtur [illegible] piẽda; quia relatiuũ non refert remota, sed proxima. Vnde accommodatissimè explicabitur locus, vt relatiuum illud, *in quem* referat Spiritum Sanctum, vt voluit D. Gregorius lib. 18. Moraliũ c. 28.

nec

nec displicet glossę ordinariæ: explicãt Lyranus, Carthusianus cum cæteris interpretibus. Ex his satis patet ex sacris literis manifestè deduci totam Trinitatem à beatis videri.

51 Hanc Catholicam veritatem, vt notã supponunt omnes Patres: cum enim omnes docent Deum à beatis clarè videri, sicuti est in se ipso, ex consequenti supponunt videri Deum vnum, & trinum. Plures tamen satis expressè id declarãt.

Nouatian. Nazianz. Nouatianus adhuc catholicus id fatebatur apud Tertullianum in lib. de Trinitate c. 26. Sæpius id docuit Nazianzenus in oratione in laudem Basilij in vltimis verbis pag. 168. col. 2. alloquens eundem Basilium, ita scribit: *Nosque posteaquam ex hac vita migrauerimus, illic tabernaculis tuis excipias, vt simul viuentes, & sanctam ac beatam Trinitatem, cuius nunc exiguã speciẽ, & imaginẽ accepim⁹, purius, perspectiusq; cõspiciẽtes, &c.* In oratione de dogmate, & statu Episcoporum in vltimis verbis pagin. 239. agens de studio adhibendo ad consequendam beatitudinem ita ait: *vt hunc laboris industriæque nostræ fructum, & veluti fœnus habeamus, vt toto Sanctæ Trinitatis lumine collustremur, & cognoscamus, quæ & qualis, & quanta sit, si ita loqui fas est.* In oratione secunda, quæ est de pace pag. 72. col. 1. alloquens sanctissimam Trinitatem ita inquit: *Trinitas omnibus aliquando vel per illuminationem, vel per pœnã agnoscenda.* Et inferius *hanc quoq; aliquãdo videbimus.* Deniq́ue in oratione post suum reditũ in fine pag. 257. alloquens Deum Trinum, & vnum ita concludit:

D. Athan. *qui nec superponeris, nec transponeris, nec decrescis, nec successionem admittis, ac partem quidem iam intellectu perciperis, partim inquireris: aliquando autem fortasse quantus es, percipieris: nimirum ab ijs, qui per vitæ probitatem, & contemplationem te in hoc sæculo præclare quæsierunt.*

6. Vide illũ in oratione de plaga grãdinis, &

D. Athan. in oratione in Sanctum Gorgonium in fine, & in oratione in Cyprianũ in fine. Citatur D. Athanasius in lib. de

August. æterna substantia Patris, & Filij contra Gregales Sabellij, & in oratione contra Arianos, & in expositione fidei. In hoc vltimo libr. nihil ad rem scribit, in alijs nec verba referuntur, nec certus citatur locus. Id docuit D. Ambrosius in

D. Amb. sermone de jejunio Heliæ in hæc verba: *tunc autem poterit quis Trinitatis aspicere mysteria, cum Cœlos habuerit apertos*, agit autem de futura vita beata. Augustinus lib. 11. de ciuitate c. 24. in principio: *illi quippe angeli sancti non per verba sonantia Deum discent, sed per ipsam præsentiam immutabilis veritatis, hoc est Verbum eius vnigenitum, & ipsum Verbum, & Patrem, & eorum Spiritum Sanctum: eamque esse inseparabilem Trinitatẽ, singulasque in eo personas esse vnam substantiã; & tamen omnes, non tres Deos esse, sed vnum Deum ita nouerunt, vt eis magis ista, quam nos ipsi cogniti sumus.* Optimus locus in lib. de catechizandis rudibus cap. 25. tomo 4. *omnes deliciæ Deus erit, & societas Sanctæ Ciuitatis in illo, & de illo sapienter, beatequè viuentes: efficiemur enim, sicut ab illo promissum speramus, & expectamus, æquales angelis Dei; & cum eis pariter illa Trinitate perfruemur id per speciem, in qua nunc per Fidem ambulamus: Credimus enim, quod non videmus, & ipsis meritis Fidei etiam videre, quod credimus, & inhærere mereamur vt æqualitatẽ Patris & Filij, & Spiritus Sancti; & ipsius Trinitatis vnitatem quomodo sunt hæc tria vnus Deus non iam verbis Fidei, & strepentibus syllabis personemus, sed contemplatione purissima, & ardentissima in illo silentio forbeamur.* D. etiam Gregorius

Gregorius lib. 38. Moralium c. 8. ità scribit: *Palam quippe nuntiare se asserit; quia per patefactam tunc maiestatis suæ speciem, & quomodo ipse genitori non impar oriatur; & quomodo vtrunque spiritus vtrique coæternus procedat, ostendit. Aperte namque tunc videbimus, quomodo hoc, quod oriundum est, ei, de quo oritur, subsequens non est. Quomodo is, qui per processionem producitur, à proferentibus non præitur. Aperte tũc videbimus, quomodo vnum diuisibiliter tria sint & indiuisibiliter tria vnum.* Quæ verba ex Gregorio fere transcripsit auctor libri de speculo c. 27. apud Augustinũ tom. 9.

7. Ratione id demõstrat. Ratione etiam theologica eadem veritas demonstratur: constat enim ex cõmuni, & indubitata theologorũ doctrina in patria visionem succedere Fidei; ita vt ibi clare videamus, quæ hic sola Fide cognouimus. Nam (vt ait D. Gregorius lib. 28. Moralium capite vltimo in vltimis verbis) *visio nũc fide inchoatur, ibi specie perficitur.* Specie, inquam, id est, visione eorum, quæ de Fide credimus. Augustinus etiam 1. de Trinitate c. 10. in fine, agens de visione, qua beati vidẽt Deum, & Patrem ita ait: *Quo merito? nisi Fidei, qua credimus antequam illud, quod promittitur, videamus: per hanc enim peruenimus*

Gregorius

August.

ad speciem. Idem Augustinus in lib. de videndo Deum c. 18. *Quod hic crediderunt; ibi videbunt*, & lib. 20 de ciuitate Dei cap. 21. *Quid videbimus; nisi Deum, & quæ nunc videmus credentes?* Vide etiam Prosperum lib. 1. de vita contemplatiua c. 4. Vnde Paulus 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*, id est, clara, & distincta visione. Ex quibus verbis omnes colligunt hanc propositionem de fide; In patria visionem respõdere fidei. De quo plura in 2. tom. lib. 7. dum sermo fuerit de dotibus animæ. Cui veritati, si adiungamus nos in via mysterium Trinitatis, vt principalem fidei articulum credere; vtique asserendum est nos in patria illud mysterium clarè visuros: nec enim appetitus aliter satiabitur.

1. Cor. 13.

Accedat alia demonstratio theologica sumpta ex omnimoda simplicitate Dei Trini. Nam ex Concilio Lateranẽsi in cap. *damnamus* de summa Trinitate, *vna summa res est, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: & quælibet trium personarum est illa vna res, quæ est essentia, seu natura diuina. Denique eadem res est Pater, & Filius, nec non Spiritus Sanctus; omnino eadem.* Quia scilicet, est omnino simplex, vt dicitur in cap. *firmiter* eodem tt. Iam vero hęc est natura rei simplicis, vt aut tota videatur, aut tota ignoretur, vt ex Aristotele communiter docent Philosophi.

Cõciliũ Lateranense.

Paludan.

Hanc autem Fidei veritatem theologi omnes ita explicant, & intelligunt, vt beatus clare, distinctè, & formaliter, & explicite videat personarum Trinitatẽ secundum omnes rationes, & formalitates, quibus personæ in essentia realiter vniuntur, & inter se realiter distinguuntur; id, quod expressit Paludanus in 4. d. 49. q. 5. ar. 3. n. 17. Et hæc satis distincta sint pro explicanda catholica veritate.

8.

ARTICVLVS. II.

Vtrum diuina essentia possit naturaliter videri à beato aut sine personis, aut non cum omnibus?

1.

SEnsus quæstionis est, an beatus solo ordinario concursu, quo Deus in patria cum illo concurrit, possit videre essentiam, aut sine personis, aut non cum omnibus, sed cum vna, vel duabus tantum?

2.

Qui in proprijs terminis partem affirmantem probauerit; inueni neminẽ. Pro ratione tamen dubitandi hæc ratio afferri potest: quoniam beatus potest frui essentia, tum sine personis; tum etiã cum vna tantùm, vel altera. Ergo poterit videre essentiam, aut sine personis aut non cum omnibus. Consequentia videtur nota ex paritate rationis. Antecedens vero plures theologorum probãt; & satis videtur inde probari, quia beatus liberé fruitur obiecto beatifico, vt docet Scotus cum suis; cuius sententiam in secundo tomo libro septimo iudicabimus non esse omnino improbabilem.

Scotus.

Asserendum tamen est id fieri nullo modo posse vi naturali concursus, quo beatus Deum videt. Quam sententiam non possunt non probare, qui putant id, nec per diuinam potentiam factu esse possibile. Deinde id fieri non posse docent ij, qui putant non omnino esse impossibile essentiam sine personis videri Ita docuit Scotus in 1. d. 1. q. 2. §. *quantum ad tertium articulum*, litera G. vbi etiam Lichetus fol. 34. col. 3. & Bargius fol. 35. litera F. cõfetit Bassolius ibi q. 2. ar. 3. §. *vltimo restat*, fol. 40. col. 3. & Rada 1. tom. cotrouersia 6. cõcl. 2. pag. 90. col. 1. & satis Herrera in disp. de psonis diuinis in q. vtrum vna persona possit videri non visa alia, Palatius etiam in 1. d. 1. disp. 3. fol. 28. column. 3. in principio. Consentit Caietanus 2. 2. q. 2. artic. 8. vbi docet D. Thomam ibi ad 3. in hoc sensu esse explicandum.

Scotus. Lichetus. Bargius. Bassolius. Rada. Herrera. Palatius.

3.

Hæc sententia à quibusdam inde probatur; quoniam intellectus in ordine ad visionem beatificam est potentia naturalis non elicitiua illius; sed solum receptiua: volunt enim visionem beatificam á solo Deo causari intellectu ad eã concurrente passiuè tantùm. Sed Deus visionem illam causat, vt notitiam claram, & distinctam tum essentiæ, tũ etiã personarum. Ergo intellectus beatus nõ potest non videre essentiam simul cum omnibus personis. Ita habes ex Bassolio vbi supra. Sed fundamentum est omnino improbabile; qnoniam intellectus beati elicitiue concurrit ad visionem beatificam, vt alibi videbimus.

1. Ratio.

Optima

4. Alia ratio.

Optima ratio, eaq; à priori cũ Scoto sumenda est ex natura intellectus: est enim ex sua natura potentia naturalis, & non libera, vnde sibi relictus non solum non potest non ferri in obiectum debitè sibi præsentatum sed etiam in hoc non subijcitur imperio voluntatis: nec enim voluntas imperare potest intellectui, vt non feratur in obiectum, quod sibi debitè præsentatur: aut vt feratur in hoc, quod in obiecto est, & non in aliud; sed naturaliter in totum illud necessario fertur, si totum sibi debite objcitur. Sed diuina essentia, vt subest rationem speciei intelligibilis se ipsam repræsentat, vt est in tribus personis: & lumen glorię naturaliter eandem essentiam illuminat atque demonstrat, vt existentẽ in tribus. Ergo nec ex se, nec ex imperio voluntatis poterit non ferri in illam, vt in tribus.

5. Ad rationẽ dubitandi.

Ad rationem dubitandi negabũt antecedens, qui putant voluntatem non liberè, sed necessariò ferri in Deum visum. Nam in eum, vt sic, naturaliter fertur. Illud tamen admittent, qui in volũtate agnoscunt libertatem, vt possit nõ diligere Deum visum: nam quanuis de facto semper diligat; ex se tamen vim habet, vt possit non diligere. At tamen admisso antedente negabunt consequẽtiam: nec enim eadem ratio reperitur in voluntate, & in intellectu; quia voluntas, quantum est ex se, libera est ad amãdum, vel non amandum Deum, quem intellectu videt: intellectus autem ex se est potentia naturalis in ordine ad obiectum debitè sibi pręsentatum; nec in hoc imperio voluntatis subijcitur

ARTICVLVS III.

Vtrum de potentia Dei absoluta: diuina essentia videri possit sine personis?

IN hoc art. comparamus visionem essentiæ cum visione personarum abstrahendo, tum à ratione notitiæ iudicatiuæ; tum etiam beatificæ; & solùm expendimus visionem, quatenus est apprehensiua obiecti.

§. 1

Refertur opinio affirmatiua.

1. Scotus.

PArtem affirmantem expressè probauit Scotus in 1. d. 1. q. 2. ar. 2. litera C. §. *quantum ad istum articulum*, vbi cõstanter asserit de potẽtia Dei absoluta posse videri essentiam nulla visa persona. Quam suam opinionem intelligit de cognitione formali, & explicita essentiæ sine vlla explicita, & formali cognitione personarum. In hoc sensu eandem sententiam accerimè defendũt omnes illius discipuli. Ita Frãciscº Maironius in 1. d. 1. q. 4. §. *secundo videndum est*, & §. *tertia difficultas*, Bassolius ibi quæst. 1. art. 3. §. *sed non video*, fol. 39. col. 3. Rada 1. tom. controuersia 6. conclus. 3. fol. 90. col. 2. & cõcl. 4. fol. 91. col. 2. in fine, Herrera 1. tom. disput. 14. q. 4. notab. 1. & latius in disput. de personis diuinis in q. Vtrum vna persona possit videri non visa alia? Lichetus apud Scotum in d. q. 2. §. *de secundo articulo*, fol. 33. col. 1. Bargiº ibi fol. 52. col. 3. Ouandus propositione 10. quod iterum repetit in 2. d. 3. propositione 9. Melchior Flauius in 1. d. 1. q. 2. Cardinalis Sarnanus in suis Conciliationibus controuersiarum controuersia 8. fol. 9. & in suo directorio theologico pag. 187. Denique Fratres Seraphici Patris hanc sententiam Romę magno cum applausu defendisse testatur Salas statim citandus. Ex alijs hanc sententiã in proprijs terminis probarunt Palatius in 1. d. 1. disputat. 3. fol. 28. col. 3. cum sequentibus, Ferdinãdus Velloſilus in suis aduertentijs ad tomũ 9. Augustini quæsito 16. dub. 2. ad primum argumentum fol. 387. col. 4. Ex antiquioribus cũ Scoto senserunt Landulphus in 1. d. 1. q. 2. ar. 1. & quidam Rodulphus ibi quæst. 1. ar. 1. quos refert Toletanus inferius citandus. Pro eadem sententia à nonnullis refertur Hêricus quodlib. 3. quæst. 7. sed falso: ibi enim, nec verbum de hac q. facit; in alijs vero locis stat pro sententia negante, vt dicemus.

Maironius Bassolius. Rada. Herrera. Lichetus. Bargius. Ouandus. Flauius. Sarnanus. Palatius. Velloſillus Lãdulphº. Rodulphus Henricus.

Cum hac sententia Scoti in re conueniunt, qui putant fieri nullo modo posse, vt essentia videatur non visa re, quæ est persona; bene tamen videri posse absque hoc, quod persona videatur secundum propriam rationem personæ. Vnde dicunt diuinam essentiam nullo modo videri posse non visis personis materialiter, bene tamen formaliter. Ita docuit Paludanus in 4. d. 49 q. 5. art. 3. n. 17. Quem ad verbum transcripsit D. Antoninus 3. p. titul. 30. c. 4. §. 2. & nouissime hanc opinionem probat Salas

Paludan. D. Anton. Salas.

2.

ad

ad 1.2.q.3.tract.2.disp.4.sect.3.concl.2. num.24.pag.249.& concl.3.n.26.pagin. 252. vbi pro ea refert quendam Monte maior..

3. Primum fundamentum opinionis. Hæc opinio à suis auctoribus pluribus argumentis confirmatur. At prius adducemus,quę veré sunt Scotita. Primum igitur fundamentũ Scoti sit,quod nulla datur implicatio, si essentia clarè Videatur personis formaliter nonvisis. Id autem probant soluendo argumenta in oppositum.

4. 2. Fundam. Secundum fundamentum Scoti est; quoniam essentia est obiectum primarium visionis,personæ autem pertinent ad obiectum secundarium. Ergo non implicat essentiam videri personis formaliter non visis.Consequentia probatur:tum; quia, visio per se pendet à solo obiecto primario,à secundario vero solum per accidens: & ideo quantum est de se,potest manere,quanuis non terminetur ad obiectum secundarium. Tum etiam, quia ideo visio potest terminari ad essentiam sine creaturis; quia creaturæ continentur sub obiecto secundario.

5. Probatio 1. antecedẽtis Antecedens vero multis probatur. Primo;quia Verbum diuinum procedit ex sola visione essentiæ absque visione personarum.Quod non solum significauit Scotus in 2.d.1.q.1.ar. 2. litera D. §. *quantum ad primum*,& litera H. §. *quantum ad hoc dicitur*,& quodlib.14.§.*hic intelligendum est*. Quem non modo omnes Scotistæ probant; sed etiam admittũt plures thomistarum, qui volunt Patrẽ gignere Filium ex cognitione abstractiua Filij, & Spiritus Sancti. Hoc autem esset falsum si personæ per se pertinerent ad obiectum primariumvisionis:etenim quęlibet actio per se pendet à suo obiecto primario.

Scotus.

6. 2. Probatio Secunda probatio antecedẽtis: quoniam Pater in priori originis perfectè intelligit essentiam non dum communicatam alijs personis, vt ex mente Scoti dicemus in sequenti ar.& idem dicendũ est de qualibet persona: quælibet enim intelligit essentiam, vt eam in se habet. Vtrũq; esset falsũ, si personę per se pertinerent ad obiectum primarium.

7. Probatio Tertia probatio antecedentis à quibusdam ex eo sumitur; quia nec personæ,nec relationes sunt de ratione quiditatiua essentiæ. Igitur non pertinent ad obiectum primariumvisionis,sed ad secundarium. His confirmatur antedẽdens secundi fundamenti Scoti.

8. 3. Ratio. principalis. Præter duo explicata Scoti fundamenta multa alia ab alijs congeruntur. Sit igitur tertia ratio in ordine. Non implicat Deum ostendere absolutum sine relatiuo, quod non est de ratione absoluti:potest enim videri color, quin videantur relationes in eo fundatæ.Ergo non implicat Deum ostendere suam essentiam non ostẽdendo suas proprietates personales. Ita habes ex Bassolio, & Rada.

Confirm. Confirmatur; quoniam essentia est quid absolutum; personæ vero sunt relatiuæ. Absolutum autem non includit formaliter respectiuum. Ergo potest videri essentia sine personis.

9. 4. Ratio. Quarta ratio;nõ implicat videri subiectũ nõ visa passione,nec viso respectu fũdato in tali subiecto. Sed relationes sũt veluti quædam passiones ipsius essẽtiæ, & quædam relationes in ea fundatę.Ergo non implicabit essentiam videri sine illis.

Quinta. Quinta ratio:essẽtia distinguitur formaliter à relationibus. Ergo potest videri sine illis;ita Rada.

10. Sexta. Sexta ratio; essentia habet subsistentiam absolutam; personæ vero habent subsistentiam relatiuam: subsistentia autem absoluta est prior, quam ralatiua. Ergo potest essentia ostendi sine personis: maximè, quia personalis subsistentia non est de intrinseca ratione essentiæ. Ita Palatius vbi supra fol. 28. col.3.

Septima. Septima ratio:omne prius potest videri sine posteriori; essentia autem formaliter est prior, quam personæ: nam illis omnibus prẽintelligitur. Ergo poteri videri sine vlla persona.

11. Octaua. Octaua ratio;diuina potentia potest videri essentia sine attributis.Ergo poterit videri non visis personis, Palatius vbi supra col.4.

Postrema ratio. Postrema ratio; essentia communicatur Filio non communicata paternitate. Cur igitur non poterit videri sine paternitate? Etenim eadem est ratio. Hæc sunt præcipua, imò omnia argumenta, quibus hęc opinio à suis auctoribus confirmatur.

§. 2.

Refertur opinio negans.

12. OPinio, quę negat videri posse essẽ tiã personis formaliter, & explicitè nõ visis, apud Theologos est satis cõmunis. Eã probant omnes Thomistæ. Late Caietanus 2.2.q.2.art.8. Sotus in 4.d.49.q.3.ar.3. post secundã conclusionẽ §. *profecto si Scotus*, Medina 1.2.q.11.ar.4. Banhes 1.p.q.12.art.7. dub.1.& 2. Cumelius ibi q.2.cõcl.1.pag.266. Præceptor Franciscus à Christo in 1.d.1.q.6.concl.vnica, vbi eam tanquã ratam & firmã statuit. Suarius lib.2. de attributis negatiuis cap.23.n.11. Molina 1.p.q.12.ar.8.disp.4. Valentia 1.tom.disp.1.q.12.punct.6.ad 1.argumentum 2.quæstionis pag.245. litera A. Bellomontanus 1.p.disp.48.c.2. Cabreira in 2.tom. ad 3.p.q.10.ar.2.disp.6.nu.66. Refertur Henriques de vltimo fine hominis c.10. §.2. litera P. sed referẽs vtranq; opinionem nihil determinat. Ex antiquioribus eãdem sententiam probarunt Aureolus in 1.d.1.q.1.ar.2. Noster etiam Toletanus ibi q.8.ar.2. concl.3. post impugnationẽ Aureoli §. *dimissis igitur his*, & ante eum Noster Gerardus ibi q.2.ar.3. §. *tertio deficit præfata opinio*, pagin.93.col.1. Bachonius ibi q.2.ar.2.pag.21.col.1.

Caietanus. *Sotus.* *Medina.* *Banhes.* *Cumelius.* *Franciscus à Christo.* *Suarius.* *Molina.* *Valentia.* *Bellomont.* *Cabreira.* *Henriques.* *Aureolus.* *Gerardus.* *Bachonius.*

13. Pro eàdẽ sententia à Suario, & à quibusdam alijs citatur Ochamus in 1.d.1.q.5.litera Y. & Gabriel ibi q.5.ar.1.cum cæteris Nominalibus, quos ibi citat: sed Nominales non loquuntur in sensu nostræ assertionis, sed in solo sensu materiali, & identico, vt bene annotauit Salas, vbi supra pag.248.col.1. Nec de Nominalibus in hac q. curandum est; cum potius negentur appellationibus à peripateticorum schola iam diu relegatis quam aliquid seriò explicẽt. Si quid verò ex illorum nugationibus colligi potest, solùm colligitur essentiam videri non posse personis materialiter non visis: de quo sensu nulla vnquam fuit, aut esse potuit controuersia.

Ochamus. *Gabriel.*

14. Pro eàdem sẽtẽtia a Suario, & quibusdã alijs citatur Hẽricus quodl.2. q.7. & quodlib.3.q.1. Sed in posteriori loco de hac difficultate nec verbũ facit. In prio riverò (in quo etiam citatur à Soto) nec verbũ scribit, an necesse sit personas videri visa essentia: solũ dicit visa vna persona relatiua necessariò videri eodem intuitu alteram correlatiuã: sed si bene expendatur, solùm id intelligit de potẽtia ordinaria: quia solùm ibi inquirit, an beati de facto videant tres personas vnico intuitu, id intelligens de potentia ordinaria. Quare Henricus pro hac sententia in illis locis citari non potest. Poteri tamen citari quodlib.13.q.1. quãuis enim non satis clarè id explicet; tamen si bene expendantur, quæ scribit non solùm in argumento, *sed contra*, sed etiam in toto quæstionis corpore maximè ad finẽ literarum M. & O. hanc sẽtẽtiam negantem, vt veram supponit etiam in ordine ad absolutam Dei potẽtiam. Illud aduertam. Henricum falsò à Vellosillo citari pro opinione oppositа quodlib.3.q.7. vt iam aduertimus.

Henricus. *Vellosillus*

15. Tandẽ pro hac sententia cõmuniter citatur D. Thom.1.2.q.12.art.7.ad 2.& 3.& 3.contra Gentes c.55.in fine, & 3.p.q.3.ar.3.deniq; 2.2.q.2.ar.8.ad 3. Sed nõ puto ex his locis euidenter colligi D. Thomam hanc sententiam negantẽ approbasse. Nam in 1. & 2. loco solùm docet Deũ à beatis ita videri, vt nihil Dei eos lateat, & vtrobiq; agit secundum legem ordinariam. Tertius locus ex 3.p. fortè alicui videbitur vrgens, ita enim habet; *Intellectus duplicitèr se habet ad diuina. Vno modo, vt cognoscat Deũ sicutũ est: & sic impossibile est, quod circunscribatur aliquid à Deo & quod aliud remaneat: quia totum quod est in Deo, est vnum salua distinctione personarũ.* Verum si quæstio ibi proposita expẽdatur simul cũ ijs, quæ D. Thomas in illi⁹ dissolutione adducit, euidẽter patebit verba illa nihil ad institutũ nostrũ pertinere: nõ quidẽ ob eam rationem, quam affert Suarius in d.c.23.n.9. probatus à Salas, vbi supra n.21.pag.247. sed ob eam potius, quia agit de abstractione resolutionis, vt explicat ad 3. quæ abstractio est omnino impossibilis, non solùm quoad fieri in ipsa re; sed etiã quoad intelligi, etiã abstractiuè. Sed hui⁹ rei explicatio nõ pertinet ad hũc locũ; restat locus ex 2.2.q.2.ar.8.ad 3. qui Suario, & alijs est satis clarus, quasi D. Thomas ibi agat de visione, qua Deus videtur à beatis: ita enim habet litera: *Sed secundum quod intelligitur in se ipso* (scil. Deus) *prout videtur à beatis, non potest intelligi sine Trinitate personarũ.* Sed si diligẽtius solutio argumenti con-

D. Thomas. Expenditur mens D. Th.

conferatur cũ difficultate illius nõ agit D. Thomas de visione patriæ, sed de visione viæ per fidem. Quem sensum manifeste declarãt verba immediatè sequẽtia: *& iterum ipsa visio diuinarum personarum perducit nos in beatitudinẽ.* Quę verba intelligi non possunt, nisi de visione personarum, quæ est in via per fidem; hæc enim sola est, quæ nos in beatitudinem perducit; nam visio illarum in patria est ipsa formalis beatitudo, ad quam prior visio nos perducit.

16. Quare vis solutionis in hoc est posita, vt summa Dei bonitas, quam ex creaturis per effectus cognoscim⁹, possit intelligi sine personarum Trinitate; siquidẽ Trinitas ex creaturis non potest cognosci. Hanc tamen bonitatem non esse obiectũ beatitudinis; sed illam quę cognoscitur à nobis, vt in se est, & sicut à beatis videtur. Hæc autem bonitas, quę in via nos beat, non potest cognosci à nobis sine Trinitate; quia sine Trinitate non est obiectũ supernaturale. Hæc est vera illius loci explicatio. Et quanuis locus intelligeretur de visione patriæ, adhuc non conuinceret D. Thomam negantem probasse sententiã: quoniam (vt ibi notat Caietanus) satis sufficienter explicaretur de impotẽtia naturali, quę sumitur ex naturali habitudine obiecti ad potentiam videntis Deum: si enim expendamus habitudinem illam, & modum, quo diuina essentia de facto mouet intellectum beati; non potest aliter videri à beato, nisi vt est in personis. Puto igitur D. Thomam quæstionem propositam non disputasse in ordine ad potentiam Dei absolutam; cui & illud argumento est, quod in hoc sensu quæstio ab antiquioribus Theologis non inuenitur disputata.

§. 3.

Resolutio quæstionis.

17. Vera resolutio. EXplicauimus oppositas de proposita quæstione sententias. Si verò licet in re difficillima proprium ferre iudicium; existimo nec partem negantem sufficienter probare implicationem contradictionis, si essentia sine personis videatur: nec affirmantem sufficienter ostendere illud esse possibile per diuinam potentiam. Neutra igitur opinio intentum euincit; affirmantem tamen non reijcerem; quoniã diuinæ potentię nihil est denegandum, nisi ostendatur implicatio: cum verò negans implicationem sufficienter non ostendat, opinio affirmans apud me pl⁹ habet ponderis. Vnde in illius gratiam ostendemus nec ex sacris literis sentẽtiam negantem deduci posse: nec implicationem sufficienter sumi; aut ex natura visionis intuitiuæ, aut ex identitate essentiæ cum relationibus siue personis; aut ex parte modi, quo essentia visionem intuitiuam terminat; nec denique rem euincere rationes, quæ in fauorem partis negantis adducuntur. Sed quoniam sententiam negantem sine probabilitate non relinquimus; ideo soluemus argumenta, quibus pars affirmans confirmatur.

§. 4.

An ex loco Ioannis 14. qui videt me, videt & Patrem meum, sumatur efficax argumentum contra sententiam affirmantem.

18. PRimo igitur loco inquirẽdum est, an sententia negãs sufficiẽter probetur ex illis verbis Christi Ioãnis 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum*, affirmant plures Thomistarum, inter quos Sotus asserit Christum illis verbis satis clarè expressisse implicare essentiã videri non visis personis: etenim Christus illam necessariã concomitantiam personarum respectu visionis deducit ex vnitate essentię; vt patet ex illis verbis: *Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* idq; ratione circũinsessionis, quatenus in omnibus personis datur vna essentia. At si ratione vnius essentiæ vna persona videri nõ potest sine alia; vtiq; nec essẽtia videri poterit sine personis.

Ioann. 14. Opinio affirmans.

19. Negatiua est verior.

Dicendũ tamẽ est ex illis verbis nullum firmum argumentum sumi posse ad probandum essentiam sine personis videri non posse. Quod ex eo colligitur; quoniam iuxta verum, & literalem sensũ verba illa intelligũtur de visione corporali, tum Christi, tum Patris comitante eam fide; vt sit sensus: qui videt me arcana verba loquentem, & mirabilia operantem, & videndo credit me esse Deum à Patre missum (vt sæpe antea dixerat) is in me ipso videt Patrem meũ in me

Proprius sẽsus verborũ Christi.

in me loquentem, & operantem accedente Fide, quod ego, & Pater eiusdem sumus naturę, quam ille à se habet, ego autem ab illo. Hunc sensum satis explicant verba Christi ad Philippum: Nam Cum Philippus iuxta literalem sensum postulasset corpoream visionem Patris (vt volunt Tertullianus aduersus Praxęam cap. 24. & Cyrillus libr. 9. in Ioannem capit. 36. & 37. & Chrysostomus homilia 73. in Ioannem, Theophylactus, & Leontius in eadem Philippi verba, & satis consentit Maldonatus ibi numer. 8. & 9.) Christus Dominus eum redarguens respondet: *tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me?* Non quod non cognouerint eum visione corporea; sed quod eum non cognouerint cognitione Fidei comitante illam corporalem visionem, qua scirent illum esse Filium Dei missum à Patre. Quę verba euidenter arguunt ibi non esse sermonem de visione beatifica: nam cum Apostoli hanc in via nunquam habuerint, non poterant increpari à Christo, quod per eam ipsum non cognouerint.

20. Eundem etiam sensum satis euincunt verba antecedentia: *Et amodo cognoscetis eum, & vidistis eum.* Sed antequam illorũ sensum explicemus, reprehendenda est Maldonati audacia nullo modo legendum esse per futurum, sed per verbum præsens; vt dicamus: *amodo cognoscitis eũ, & vidistis eum.* Nam, vt omittamus, quod per futurum *cognoscetis.* Legunt Augustinus tractat. 70. in Ioannem, Victorinus libr. 4. aduersus Arium, Hilarius libr. 7. de Trinitate, Rupertus in eodem loco, Chrysostomus homilia 73. in Ioãnem; satis esse debebat, vt lectio per futurum non reprehenderetur, quod editio correcta, ita legat, quam amplectitur Toletus in eodem loco annotatione 9. Nam quanuis verbũ græcum γινώσκετε sit præsẽtis temporis à verbo γινώσκω tamen illud aduerbium ἀπ' ἄρτι idem est, quod *ex nunc*, siue *amodo.* Vnde verbum præsentis temporis *cognoscitis*, per futurum satis accommodatè explicari potuit. Retenta igitur hac litera sensus est: *amodo*, id est, ex nunc, siue deinceps *cognoscetis Patrem*, cognitione scilicet Fidei, *& vidistis eum* in me ipso loquentem, & operantem, quanuis illum cognitione Fidei non noueritis.

Ita verba ista explicarunt Hilarius in dict. libr. 7. de Trinitate ad finem, Cyrillus in Ioannem libr. 9. capit. 53. & satis Chrysostomus in eadem verba homilia 53. probarunt Caietanus ibi, & Toletus in propria explicatione, & annotatione 9. consentit Maldonatus in eadem verba n. 7. Ex his verbis ita explicatis euidenter constat verba illa sequentia: *Qui videt me, videt & Patrem meũ*, ita esse explicanda, vt qui visione ipsa corporali videt Christum loquentem, & operantem, fide visionem comitante, & eleuãte; simul etiam in christo videat Patrem: corporaliter quidem, dum videt Christi opera, & audit illius verba: per fidem autem; dum cognoscit Patrem ratione eiusdem naturæ, quam Filio generatione communicauit, in ipso Christo & esse, & operari. Ad hunc sensum verba illa explicauit Tertullianus aduersus Praxęam; non quidem c. 13. (vbi citatur à Suario referens verba Tertulliani, quæ apud Tertullianum nullibi inuenire potui) sed capit. 24. vbi communiter citatur. Explicauit etiam Hilarius non semel, sed iterum libr. 7. de Trinitate ad finem. Augustinus etiã tractat. 70. in Ioannem Epistola 112. capit. 6. Psalm. 85. ad illa verba *respice in me*, & libr. primo de Trinitate capit. 8. Cyrillus in dict. libr. 9. in Ioannem c. 37. 38. & 39. Chrysostomus homilia 73. in eundem, vt plures alios Patres omittã. Ex thologis ita explicant Caietanus, Toletus, & Maldonatus ibi, late Bellomontanus 1. part. disputat. 48. capit. 3. Nam & in eodem sensu explicantur illa alia Christi verba antecedentia: *Si cognouissetis me, & Patrem meum cognouissetis*, statim enim additur: *amodo cognoscetis eũ, & vidistis eum*, quæ verba (vt iam diximus) non possunt explicari, nisi de cognitione Fidei, quæ corporalem cognitionem Christi comitatur. Quæ vero contra hanc expositionem obijcit Salas vbi supra num. 24. pagin. 250. column. 1. in 4. expositione, friuola sunt, nec indigent responsione, cum potius nostram istam expositionem confirment.

21. *Hilarius.* *Cyrillus.* *Chrysost.* *Caietan.* *Toletus.* *Maldonat.* *Tertullian* *Hilarius.* *Augustin.* *Cyrillus.* *Chrysost.* *Caietanus.* *Toletus.* *Maldon.* *Bellom.* *Salas.*

Suppositа autem hac germana, atq; 22.
verissima verborum Christi expositione, euidenter constat ex hoc loco nullũ argumentum efficax sumi posse, vt implicet essentiam videri sine personis: cũ

enim locus intelligatur decognitione ordinaria habita per Fidem; ex eo non infertur per diuinam potentiam aliter fieri non posse. Quin potius quanuis daremus verba Christi intelligenda esse de cognitione faciali, & intuitiua (quē sēsum plures ex Patribus interdum admittunt, vt patet ex Augustino epist. 112 capite sexto, & ex alijs) non proinde ex illis contradictio conuincetur: tum; quia assertio Christi accommodatè posset explicari de lege ordinaria, & non de potentia absoluta. Tum secūdo; quia Dominus suam assertionem confirmat ex vnitate essentiæ, quę in personis reperitur, vt patet ex illis verbis: *Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Quæ verba cum per circuminsessionem intelligantur, probant in personis dari vnam naturam. Iam vero ex vnitate essentię non necessario euincitur implicare eam sine personis videri, aut vnā personam sine alia, si de diuisione formali, & explicita sit sermo, vt ex dicendis patebit, & ex Suario in dicto capite 23. numer. 19. & ex Salas vbi supra numer. 24. in septima expositione pagin. 250. column. secunda. Vnde idē Suarius ibi numer. 11. ex illis verbis solùm infert necessitatem seclusis miraculis.

Augusti.

23. Obiectio.

Obijciunt tamen nonnulli; quoniam Patres ex præcitatis Christi verbis cōmuniter deducunt essentiam sine personis videri non posse. Ita Augustinus 1. de Trinitate cap. 8. in hæc verba: *Siue ergo audiamus, ostende nobis Filium; siue audiamus, ostende nobis Patrem, tantundem valet; quia neuter sine altero potest ostendi, vnumquippe sunt, sicut ipse ait, Ego, & Pater vnum sumus.* Et inferius probans Spiritum Sānctum sufficere ad beatitudinem ait: *Et ideo solus sufficit; quia separari à Patre, & Filio non potest; & Filius ideo sufficit solus; quia separari à Patre, & Spiritu Sancto non potest.* Adde Augustinum tractat. 70. in Ioannē, vbi ideo putat Philippum reprehendendum; quia inseparabiles separatim videre desiderabat. Psalm. etiam 84. ad illa verba, *ostende nobis misericordiam tuam*, ita scribit: *Et forte videndo Patrem, non Filium, erimus beati? Ipsum audi Christum; qui me videt, videt & Patrem: tum enim vnus Deus videtur, Trinitas videtur, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Audi expressius; quia ipsius Filij visio tribuit nobis beatitudinem, & nihil interest inter visionem ipsius, & visionem Patris.* Denique Psalm. 85. ad illa verba *respice in me*, allatis Christi verbis ita dicit: *Nescitis, quia ego in Patre, & Pater in me est, id est, & me viso videtur Pater; & Patre viso videtur & Filius: Patris, & Filij separari non potest visio: vbi non vnius separatur natura, & substantia, visio separari non potest.* Citatur etiam auctor quæstionum noui, & veteris testamenti apud Augustinum à Suario quęstione 43. à Salas quæstione 45. sed neutro in loco aliquid dicit. Forte citari posset in quęstione 97, at tamen ibi solùm habet hæc verba: *Per id, quod consubstantiui sunt, qui vnum videt, videt & ambos*: an visio separari possit? Non explicat. Tertullianus aduersus Praxeam capite 22. *Quod si ipsum nossent, Patrem nossent: non quidem quasi ipse esset Pater, & Filius; sed quia per indiuiduitatem, nec agnosci, nec ignorari alter sine altero potest.* Citari solent Hilarius lib. septimo de Trinitate, Athanasius in expositione Fidei ad Epictetum, Chrysostomus homilia 73. in Ioannem, Nazianzenus numer. 82. & oratione 49. de Fide, Cyrillus libro 9. in Ioannem cap. 37. & plures alij Patres, quos videbis apud Salas vbi supra pagin. 250. col. 2. in fine.

24.

Tertullian. *Hilarius.* *Chrysost.* *Nazianz.* *Cyrillus.*

25.

Ex his tamen Patrum testimonijs nullum firmum argumentum sumi potest; quoniam satis, superque explicantur de inseparabilitate secundum legem ordinariam, & quæ datur seclusō omni miraculo: etenim si essentia diuina obijciatur, sicuti est, similiter, & quælibet persona, seruato naturali ordine obiectiuæ illius immutationis, nec essentia à personis, nec vna persona ab alijs separari potest in visione intuitiua. Vtrum verò diuina potentia aliter id possit fieri? Nec declarant Patres, nec declarare intendunt; quia Patres communiter id solùm declarant, quod de lege fit, non quod præter legem fieri potest. Accedit etiam; quia Patres in citatis locis simpliciter referunt verba Christi in sensu, quem prima facie præ se ferunt; nec expendunt, an ille sit germanus verborum sensus. Id enim in proprijs locis effecerunt.

§ 5.

§. 5.

Implicationem non satis sufficienter sumi ex parte visionis.

26. SEd iam agendum est de rationibus quibus communis sentẽtia confirmatur. Vbi aduertendum est totũ huius opinionis fundamentum positum esse in impossibilitate rei respectu diuinæ potentiæ: cum vero diuinæ potentię solùm id denegari debeat, quod implicat: in id totis viribus contendendum est, vt implicatio ostendatur. Hæc autem varijs medijs ostenditur: sed in hoc ferè omnes conueniunt, vt illa sumenda sit, vel ex parte visionis, vel ex parte obiecti: nam cætera omnia ad hæc duo capita reducũtur. In hoc §. explicabimus, an illa sufficienter sumatur ex parte visionis?

27. Opinio affirmans. Quidam affirmant: quoniam implicat in visione intuitiua rem visam aliter repræsentari, atque ipsa est in se: esset enim intuitiua, & non esset intuitiua. Esset intuitiua; quia id supponitur. Non esset autẽ talis; quia repręsentaret rem aliter, atque ipsa est in se; cum de ratione notitiæ intuitiuæ sit, quod repræsentet rem, ad eamque terminetur, 1. Argum. sicuti ipsa est à parte rei. Hoc supposito ita argumentantur. Si beatus sua visione videret Deum sine personis; Deus aliter repræsentaretur in ipsa visione, atque ipse est in se. Sed implicat in visione intuitiua rẽ visã aliter repręsẽtari atque ipsa est in se. Ergo implicat videri Deum sine personis. Minor huius legitimi discursus ex dictis patet. Maior est manifesta; quia Deus in se est Trinus, & diuina essentia in se est communicata tribus personis.

28. Confirmat. Confirmatur hæc ratio; quoniam vel in illa visione, qua beatus videt essentiã sine personis repræsentantur personæ, vel non repræsentantur. Non potest dici non repræsentari. Tum; quia visio illa non esset intuitiua diuinæ essentiæ: quia eam aliter repræsentaret, atque ipsa est in se. Tum secundo; quia diuina essentia cum relationibus à parte rei est vna res simplicissima omnibus modis indiuisa. Quod autem est simplicissimum, non habet vnde partim repræsẽtetur, & partim non repræsentetur; sed aut totũ repręsentatur, aut totum non repræsentatur ex Aristotele asserente simplex aut totum sciri, aut totũ ignorari. Porró si personæ in illa visione repręsentantur; nõ potest intellectus beati illas non videre: quia naturaliter fertur in obiectum sibi debite repræsentatum. Hoc est commune fundamentũ huius sententiæ.

29. 2. Ratio. Secundo; Suarius hoc vtitur discursu in d. cap. 23. n. 20. cum sequentibus: quoniam si essentia videri potest sine personis; vel hoc esset per eandem visionem, quæ nunc est in beato; vel per aliam distinctam. Non per eandẽ: quia visio, quę nunc est in beato, ex sua natura habet, quod repræsentet essentiam cum personis: nam cum de facto nunc repręsentet Deum Trinum, & vnũ, ex sua natura est forma naturaliter repræsentans Deum in tribus personis; ita vt naturalis effectus illius sit repręsentare essentiam cũ personis. Quare si illa numero visio manet in intellectu beati; sicut non potest non facere videtem ipsum intellectum; ita non potest illi non repræsentare essentiam cum personis. At quòd visio non possit esse diuersa, ex eo probatur; quia illa alia visio non esset diuersę speciei: quia visiones, quibus Deus intuitiuè videtur, non possunt habere specificam distinctionem, vt supponit. At si solo numero distinguitur; vix intelligitur, quod sufficiens sit ad faciendam tantam diuersitatem in actibus, vt vnus ex sua natura habeat repræsentare essentiam cum personis; alius verò vt in repræsentando naturaliter præscindat ab illis.

30. 3. Ratio. Tertiò; ex eodem vbi supra num. 23. Illa visio, cuiuscunque modi, & rationis fingatur, ex sua intrinseca quidditate est cognitio intuitiua diuinæ essentiæ. Habet igitur proprietates essentiales cognitionis intuitiuæ; cuius proprium est repræsentare rem cum illis, ad quæ habet intimam coniunctionem. Igitur visio illa ex sua natura repræsentabit essentiam cum identitate, & intima coniunctione, quam habet ad personas: & subinde non potest non repræsentare essentiam cum personis: etenim essentia ratione suæ infinitæ fœcunditatis est hypostatice communicabilis tribus personnis, & per illas

determinabilis ad subsistendum incommunicabiliter. Porrò, si illa visio ex sua intrinseca naturalitate non potest non repræsentare essentiam cum personis; vtique sicut non potest impediri à tali repræsentatione; ita etiam intellectus beati non potest non ferri in essentiam in personis subsistentem. Hæc sunt huius opinionis argumenta.

31. Solutio argumentorũ

Ego tamen existimo hæc argumenta non satis sufficienter ostendere absolutam implicationem; quãuis optimè cõuincant implicationem naturalem. De hoc iam diximus supra q. 11. ar. 4. §. 3. & 4. vbi diximus posse virtute diuina fieri, vt essentia sine attributis videretur. Ex ijs, quæ ibi diximus §. 4. in solutionibus argumentorum, facile patebit ex parte visionis non implicare essentiam sine personis videri. Et vt id facilius ostendamus, repetenda est à nobis elegantissima doctrina eiusdem Suarij in eodem met capite 23. n. 7. quam adduximus in d. q. 11. ar. 4. §. 3. post principiũ & §. 4. ad quintum argumentum: etenim de ratione notitiæ intuitiuæ absolutè loquẽdo nõ est, vt per eam videatur res secundũ omnẽ modũ, quem in se habet: sed vt res, quæ intuitiue per eam videtur, ita in se ipsa existat, vt videtur.

Doctrina Suarij.

32. quæ sit ratio notitiæ intuitiuæ.

Dixi *absolute loquendo*; quoniam notitia intuitiua naturaliter non potest nõ terminari ad rem cum omni modo reali, quem habet. Nam quando obiectum concurrit ad visionem (quocunque modo ad eam concurrat) simul cum eo cõcurrũt omnes reales modi, cum quibus existit; etenim, & ratione sui, & ratione illorũ modorũ est motiuũ potentiæ visiuę, & ob id talis visio non potest naturaliter non repræsentare rem cum illo modo, & ad eam simul cum modo terminari. At verò, quando aliquod intercedit miraculum, non oportet, vt obiectũ cõcurrat ad visionem cum omnimodo, cum quo existit; sed sub illo tantùm modo, sub quo Deus vult illud videri. Quare absolutè loquendo non est de essentia notitię intuitiuæ, quod repræsentet rem cum omnimodo reali; cum quo existit; & ex consequenti non est de ratione illius, quòd terminetur ad omnem modum, quem habet in se: quia potest diuinitus fieri, ne obiectum sub omni suo essẽdi modo obiectiue moueat potẽtiã. Quare solum erit de intrinseca natura visionis intuitiuæ, quod repræsẽtet modũ illũ essendi, vt ipse in se est, secundũ quem ab obiecto mouetur. Itaq; notitia intuitiua terminatur ad rem, quæ in se ita est, vt à notitia repræsentatur: nec aliquid aliud in se intrinsecè includit, si absolutè de ea loquendum est.

Hac supposita philosophia euidẽter ostenditur argumenta adducta non satis suficienter cõuincere implicationẽ. 33. Ad 1. arg.

Ad primum enim ad mittimus implicare rem visam aliter repræsentari ipsa visione, atque ipsa est in se: negamus tamen in visione, qua beatus videt essentiam sine personis, Deum aliter repræsentari, atque ipse est, non absolutè, sed quatenus videtur. Nam quanuis illa visione non repræsententur personæ; tamẽ ipsa essentia diuina verè in se habet id, secundũ quod videtur; quia verè habet entitatem absolutam, atq; diuinam.

Ad confirmationẽ dicendum est personas non repræsentari illa visione, qua sola essentia videtur. Ad primam obiectionem negamus inde inferri visionem illam non esse intuitiuam: quia simul negamus illam visionem aliter repræsentare Deum, atq, ipse est in se, vt immediatè diximus. 34. Ad cõfirm. Ad secundam obiectionem negamus essentiam, & relationem esse vnã rem omnibus modis indiuisam: quia licèt omnibus modis sit indiuisa realiter; formaliter tamẽ est diuisa saltem virtute; quæ distinctio satis est, vt diuina potentia res illa obijci possit intellectui beato sub sola ratione absoluta essentiæ, & non sub relatiua personæ. Quare argumentum (quod est Bellomõtani in d. disput. 48. cap. 2. n. 7.) optimè concluderet; si vera foret opinio eiusdẽ Bellomontani, qui putat à parte rei nullam omnino dari distinctionem inter essentiam, & personas: admissa tamen virtuali inter eas distinctione (quam contra Bellomontanum in superioribus latè ostendimus) argumentum nullam vim habet: quia doctrina Aristotelis intelligenda est de re simplici, quæ omnibus modis est simplex.

Ad 2. argumentũ Suarij latè respondim⁹ supra q. 11. ar. 4. §. 4. ad 4. Vide ibi. 35. Ad 2.

Ad tertium similiter respondimus in d. art. 4. §. 4. ad quintum argumentum: eadem enim est vtrobiquè difficultas. Ad 3.

§. 6.

§. 6.

Implicationem non satis sufficienter conuinci ex identitate essentiæ cum personis.

36. Prima opinio affirmãs

CONsequenter inquirendum est; an implicatio sufficienter conuincatur ex parte obiecti visi? Affirmatiuè respondent nonnulli docentes implicationem, quam inquirimus, sufficienter deduci ex identitate essentię cum diuinis personis. Fundamentũ est; quia implicat videri aliquid, vt est in se, & nõ videri id, quod idem est cum illo. Sed essentia diuina est idem cum personis. Ergo implicat videri essentiam sine personis. Minorem huius discursus, vt notam supponũt. Maiorem autem probãt: tum; quia sequeretur idem videri, & nõ videri: Videtur enim; quia supponitur in se ipso videri: nõ videtur autem, quia non videtur id, quod est idem cum illo. Tum secundo; quia aliàs idem aliter repręsentaretur, atq; ipsum est in se, quod implicat. Tum tertio; quia implicat videri Petrum non viso Petro; non ob aliam rationem, nisi quia Petrus est idem secum. Iam vero tam idem est essentia cum paternitate, quam Petrus est idem secum. Tum quarto; quia ob rationem identitatis non potest videri paternitas non visa paternitate, vt patet. Iam vero paternitas tam idem est secum, quam est idem cum essentia. Tum denique, quia si Deus esset vnius personæ, essentia sine persona ideo videri nõ posset, quia essentia esset idem cum persona. Sed tam idem est essentia cum tribus personis, quam idem tunc esset cũ vna. Hæc sunt huius opinionis potiora fundamenta.

Fũdamẽtũ.

37. Secũda opinio negatiua.

Alij negant ex identitate essentiæ cũ relationibus sufficienter conuinci essentiam sine personis videri non posse.

Fũdamẽtũ.

Fundamentum est; quoniam licet implicatio ista possit deduci ex identitate adæquata; quando scilicet duo ita sunt idem, vt cũ quocunq; vnũ identificatur, idẽtificetur & alterũ, vt forte probãt argumẽta partis affirmantis: tamẽ ex idẽtitate inadęquata duorum, quæ ita sunt idẽ, vt vnũ realiter nõ idẽtificetur cum quocunque identificatur alterum; non satis potest deduci implicare vnum videri sine altero. Iam vero inter essentiam, & relationes identitas nõ est adæquata: etenim relatio ità identificatur cũ essentia, vt tamẽ nõ sit idem realiter cum omni, cum quo essentia realiter est idem: essentia omni est idem realiter cum Filiatione, á qua paternitas realiter distinguitur: & ob id multa conueniunt essentiæ, quæ non conueniunt relationi: nam Pater Filio communicat suam essentiam, non vero paternitatem: essentia non generat, nec generatur; cum tamen Pater generet, & Filius generetur: vnio hypostatica naturæ humanę immediatè fit ad personam Filij ratione relationis; non tamen ad essentiam: & satis probabile est eam posse fieri immediatè ad essentiam ratione subsistentię essentialis, relationibus hypostaticè non vnitis.

38. alia cõfirm.

Ex quo plerique inferunt posse essẽtiam diuinam vniri intellectui creato per modũ speciei intelligibilis, interim non vnitis relationibus, in qua vnione datur maior ratio; siquidem talis vnio est ad efficiendum: efficientia autẽ conuenit essentię indepẽdenter à relationibus. At vero si essentia potest vniri intellectui beato per modũ speciei, nõ vnitis relationibus; poterit etiam essentia videri relationibus nõ visis; quoniã species intelligibilis est ratio videndi, nec potest aliquid videri, nisi quod per speciem intelligibilem repræsentatur. Denique; auctores huius opinionis inde cõfirmãt suã opinionẽ; quia rationes partis affirmantis non probãt cõtradictionẽ posita idẽtitate inadęquata inter essentiã, & personas: siquidẽ nec ex illa idẽtitate infertur essẽtiã videri, & nõ videri: nec essentiam aliter repræsentari in visione atque ipsa est in se: nec exemplum Petri respectu sui est accommodatum; quoniam inter Petrum, & ipsum Petrum datur identitas adæquata.

39. tertia opinio media.

Tertia est opinio Nominaliũ ex idẽtitate reali optimè inferri id, quod dicitur de aliqua re, dicendum etiam esse de re, quæ est realiter idem, nisi fides doceat oppositũ. Et subinde nisi fides admitteret contradictoria de essentia, & relationibus, vt ex dictis patet; non posset admitti essentiam posse diuina potẽtia videri non visis relationibus: id tamẽ admittendũ esse, nõ ob aliam rationem, nisi quia Fides cogit, vt de essentia, & relatione admittãtur contradictoria

sub alia, & alia ratione. Hæc est mens Ochami, & Gabrielis in locis citatis.

40. 4. Opinio. Quarta tandem opinio colligi potest ex Suario in d.c.23. n. 19. implicationē quidèm non satis sufficienter colligi ex sola identitate essentiæ, & personarū; bene tamen, si identitati illi adiungatur ratio cognitionis intuitiuæ; ex hac enim sumenda est ratio, cur essentia videri nequeat sine relationibus; possit tamen sine illis communicari.

41. Resolutio. Ego tamē existimo ex identitate reali, siue adæquata sit, siue inadæquata, etiam si adiuuetur ex ratione visionis intuitiuæ, non posse sumi sufficiens argumentum implicationis. Pro explicatione huius nostræ sententiæ aduertendū est opinionē Nominaliū esse omnino improbabilē. Tū; quia supponit ea, quę sūt idē realiter, nullam posse admittere distinctionē etiam rationis ratiocinātis; quam opinionē esse absurdam latè ostēdimus supra q. 5. ar. 1. & ar. 7. §. 3. 4. 8. & 9. vbi etiam ostendimus satis esse distinctionem rationis, siue ratiocinatæ, siue ratiocinantis, vt de vna, & eadem re verificentur contradictoria. Quare non est, quòd sola fides nos compellat ad faciendam hanc distinctionem inter essētiam, & personas. Merito igitur opinio ista Nominalium reiecta est à Salas, vbi supra n. 25. pag. 251. col. 1.

Opinio 3. improbab.

42. Contra 2. opinionem Quòd vero implicatio non inferatur etiam si identitas sit adęquata (quidquid auctores secundę opinionis oppositum supponant) dummodo cum identitate reali simul stet multiplicitas, & distinctio formalis actualis, vel virtualis; ex eo patet; quia non obstante identitate adæquata, quæ est inter essentiā, & attributa, potest diuina potentia essentia videri sine attributis, vt iam ostēdimus supra quæst. 11. §. 3. cōcl. 4. 5. & 6. à fortiori igitur non deducetur implicatio ex identitate inadæquata: vrgent enim instantiæ, quæ in secunda opinione contra primam adducuntur. Quibus non satisfaciunt aduersarij, vt patebit, si singulas solutiones expendamus.

43. 1. Solutio præcedētis argumenti. Prima solutio est Molinæ in d. disp. 4. ad 3. putat enim satis esse distinctionē virtualem, vt natura communicetur non communicata relatione, & vt relatio immediate terminet dependentiam naturę humanæ essentiam eam immediate non terminante; cū tamen distinctio virtualis non sit satis, vt natura sine personis terminet visionem; ideo, quia inter se realiter identificantur. Quibus verbis satis explicat Molina necessariam esse distinctionem actualem inter ea, quæ ita se habent, vt vnum sine alio intuitiuè videatur. Sed hanc solutionem tacito nomine auctoris non admittit Suarius in d. cap. 23. num. 24 in principio ex eo, quia locum non habet suppositā opinione Scoti, qui inter essē- Reijcitur. tiam, & personas admittit actualem distinctionem. Ego autem ideo non puto eam esse admittendàm, quia nunquā Molina poterit reddere sufficientem rationem, cur distinctio actualis requiratur ad visionem, non verò ad communicationem, atque ad terminationem hypostaticam.

44. 2. Solutio. Quare secundo loco occurrit Suarez docens disparem rationem ex eo esse sumendam; quia communicatio est proprietas realis naturæ diuinæ: & quia est talis eam posse, vel non posse communicari sine relatione regulandum est ex infinitate naturæ, ex hac enim habet natura, quòd possit realiter identificari cum relationibus oppositis, & realiter distinctis. Ex quo rursus habet eadem natura, vt identitas cum suis relationibus sit inadæquata; quæ inadęquatio est ratio, cur possit sine relatione communicari. In visione autem secus se res habet: nam cū visio sit actus extrinsecus essentiæ (videtur enim per visionē, quæ est in beato) essētiam ipsā posse, aut non posse videri sine relatione regulandum est non ex infinitate diuinę naturæ, sed ex natura, & proprietate ipsius visionis. Cum vero eadem sit visio, qua repræsentatur essentia, vt est essentia, & qua repręsentantur relationes; ideo in illa visione non potest essentia separari à relationibus.

45 Reiic itur. *Salas.* Hanc tamen solutionem supresso auctoris nomine non recipit Salas vbi supra n. 25. pag. 251. column. 1. ad finem. Sed omisso illius fundamēto (quia forte potius facit pro Suario) ideo solutio non placet; quoniam non est verum essentiam posse videri, & non videri sine personis regulandum esse ex sola natura visionis intuitiuæ. Etenim essentiam posse

posse sine personis videri, per se pendet; tum ex distinctione actuali, vel virtuali, quæ ex natura rei datur inter essentiã, & personas; quæ ob naturæ diuinæ infinitatem simul esse potest cum identitate reali inadæquata. Tum etiam ex infinitate diuinæ potentiæ, ex qua prouenit, vt illa vna, & eadem res distincta formaliter, siue actu, siue virtute possit mouere intellectum beati sub esse absoluto, & essentiali, non verò sub esse relatiuo, & personali. Nisi enim illa vna, & eadem res (quæ est essentia, & relatio) admitteret in se ipsa multiplicitatem, formalemq; distinctionem, saltem virtualem; sed solùm esset actu, & virtute idem realiter, & formaliter; nullo modo posset diuersimodè intellectum mouere, vt diuersimodè ipsa visione repræsentaretur: quod enim omnibus modis est idem, semper facit idem. Prima igitur radix, causaq; radicalis, quod possit essentia videri sine personis, sumenda est ex hac multiplici distinctione illius inadæquatæ identitatis: hac enim supposita Deus sua virtute potest efficere, vt illa vnitissima res, virtute tamẽ multiplex, possit sub vna ratione mouere intellectum beati, & non sub alia.

46. Et ex hoc per se primò pendet, quod possit hoc vel illo modo repræsentari à visione: etenim visio ex sua natura habet repræsentare obiectũ, vt ab eo mouetur. Hinc infertur primam, & radicalem causam huius rei non esse sumendam ex natura visionis: quia visionem hoc, vel illo modo repræsentare diuinã essentiam per se primò pendet ex hac, vel illa motione obiecti: ab ea enim visio diuersificatur, vel specie, vel numero, vel etiam accidentaliter: nec enim necesse est, vt illa variatio fiat per eandem numero visionem. Et si per eandẽ fieret, adhuc personæ possent obiectiuè separari ab essentia. De quo dicemus ad secũdum argumentum. Alteram rationem discriminis assignat idem Suarius in d. c. 23. n. 25. cuius non meminit Salas loco citato. Et prudenter quidẽ; quia doctrina non solùm est explicatu difficilis, sed etiam intellectu. Sed quia nostrum non est explicare, quid ille tẽserit; ideo eam prætermittimus. Et prætereà ex eo, quia quocunque modo ille rem explicet, semper supponit visionẽ

Corollariũ

ex sua natura habere necessariam connexionem essentiæ cum personis: quod tamen probare non poterit. Concludẽdum est igitur ex identitate reali essentiæ cũ personis non satis conuinci implicationem.

§. 7.

Nec implicationem sumi posse ex eo, quod essẽtia visionem terminat, vt est subsistens.

47. 1. opinio affirmatiua.

NOn defuere, qui implicationem ex eo deduxerint, quòd diuina essentia visionem terminare non possit, nisi, vt est incommunicabiliter subsistens. Quod videtur fuisse fundamentum Caietani in d. ar. 8. §. *quoad secũdum*, vbi putat visionem intuitiuam Dei ex sua natura terminari ad Deum, sicuti est in suo esse absque vlla abstractione naturæ à supposito: ita vt terminari habeat adesse non solùm existentiæ, sed etiam subsistentiæ.

Caietani fũdamentum.

48. Magis corroboratur.

Et vt hoc Caietani fundamentũ magis explicetur, notandum est apud istos theologos de ratione notitiæ intuitiuæ esse terminari ad rem existentẽ eo modo, quo à parte rei existit; ita vt si à parte rei existat cum subsistentia, ex sua natura habeat terminari ad rem existentem subsistenter: Petrus enim intuitiuam sui visionem terminat, vt est existens, non quocunque modo, sed subsistenter. Si verò res, quæ intuitiuè videtur, habet existentiam actualiter inhærentem, non potest intuitiuè videri, nisi, vt existens. Itaque implicat (vt volunt) rem aliquam intuitiuè videri, nisi sub existentia eo modo, quo à parte rei suis modis intrinsecis modificata est, & actuata: & ob hanc rationem implicat Petrum intuitiuè videri, & non videri subsistentem: similiter etiam implicabit albedinem, vt est in subiecto, videri intuitiuè, nisi, vt inexistentem. Igitur cũ essentia diuina habeat existentiam subsistentem incõmunicabiliter in personis, implicabit videri, nisi, vt in tribus personis est incommunicabilitas subsistens.

49. Non est efficax fundamentum.

Hoc tamen Caietani, & aliorum fundamentum efficaciter quidèm probat impossibilitatem naturalem; quę fit secundùm legem à Deo statutam, qua statuit concurrere ad visionem, vt est subsistens.

sistenter trinus: nullam tamen habet efficaciam ad probandam impossibilitatem absolutam. Etenim, si sermo sit de potentia absoluta Dei, negandum est essentiam non posse terminare visionẽ intuitiuam, nisi, vt est incommunicabiliter subsistens. Nam ad terminandam notitiam intuitiuam alicuius rei, satis est existentia ipsius; nec absolutè requiritur, quod eam terminet cum omnibus modis, quibus propria ipsius existentia modificatur. Id, quod euidenter probãt accidentia sacræ Eucharistiæ, quæ à nobis intuitiuè videntur; & tamen non videtur modus positiuus, quo per se existunt: humanitas etiam Christi intuitiuè videbatur, tum ab hominibus, tum à Dæmone, & tamen nec videbatur modus, quo in Verbo inexistebat, nec ipsa Verbi personalitas, in qua, & per quam subsistebat. Quod argumento est posse humanitatem Petri diuinitus videri visione intellectiua, non viso ipso Petro: posse etiam intuitiuè videri albedinem, siue quantitatem inhærentem, non viso subiecto, in quo inhæret; imò nec visa ipsa actuali inhærentia. Quid enim hoc implicat?

50. Soluitur 1a instãtia. Nec oppositum sufficienter colligitur ex natura visionis intuitiuæ. Nam licet de intrinseca ratione illius sit terminari ad rem, sicuti est; non tamen de intrinseca ratione illius est terminari ad rem cum omnibus modis, cum quibus existit, vt diximus suprà §. 5. Solùm igitur erit de intrinseca eius ratione terminari ad rem, sicuti est, id est, secũdùm existentiam, quam habet à parte rei, in hoc sensu, vt in se eodem modo existat, quo per visionem videtur. Quare illud esse, ad quod per se terminatur, restringendum est ad solum esse existẽtiæ, vt distinguitur ab esse subsistentię, & à quocunque alio essendi modo, quo existentia modificatur; idque si potentiam diuinam respiciamus. Nec argumentum sumptum à visione Petri vim aliquam habet: quoniam Petrus præter existentiam, sub qua terminat visionẽ sui, intrinsecè includit subsistẽtiam: intrinsecè enim dicit subsistens in humanitate; & ideò implicat videri Petrum, non viso Petro simul cum sua humanitate, & forma suppositali. Ex quo non infertur non posse diuinitus videri humanitatem Petri non visa forma suppositali Petri, & ex consequenti non viso toto Petro. Simili igitur modo, quanuis implicet videri Deum Trinum non visis tribus personis; quę sunt vnus Deꝰ, qui videtur: tamen videri potest essentia in sua existentia absoluta non visis subsistentijs relatiuis. Eàdem ratione, quanuis implicet videre Deum subsistentem in Deitate subsistẽtia essentiali, & communi non visa ipsa subsistentia (quia Deus in concreto intrinsecè includit subsistentiam illam essentialem) non tamen implicat videri Deum essentialiter subsistentẽ, quanuis non videatur, vt subsistens personaliter.

§. 8.

Nec implicationem arguunt argumenta, quæ à quibusdam obijciuntur.

OBijciunt adhuc nonnulli quædã argumenta, vt probent implicare essentiam videri sine personis. 51. Ponuntur quorũdam argumenta. Primò igitur obijciunt; quoniam esse Trinum est de intrinseca ratione Dei: 1. argum. relationes enim personales sunt de intrinseca ratione essentiæ. Sed implicat rẽ videri sine sua integra essentia: aliàs non videretur eadem essentia, sed alia. Ergo implicat videri essentiam, aut hũc Deum non visis personis.

Secundò; si Deus esset vnius tantùm personæ, implicaret videri Deum non visa persona. Ergo nunc etiam implicabit videri diuinam essentiam, atque Deum non visis omnibus personis. Antecedens videtur notum: quia implicat videri hunc hominem non visa persona illius. Consequẽtia inde patet; quia nũc tam idem est Deitas cum tribus personis, quàm tunc esset cum vna. 52. Secundum.

Tertiò; omnia, quæ sunt ad extra, ita sunt indiuisa, vt conuenire nequeant Deo, nisi vt est trinus: nam ob hanc rationem Deus non potest agere ad extra, nisi agentibus omnibus personis. Sed terminare visionem intuitiuam est aliquid Deo conueniens cum ordine ad extra, vt patet. Ergo non poterit Deus terminare visionem intuitiuam sui, nisi, vt est trinus. Quæ ratio maiorem vim habebit, si obiectum efficiẽter concurrat ad ipsam visionem, vt plerique volunt: cõuenit enim inter omnes actionẽ 53. Tertium.

ad

ad extra conuenire Deo, vt est Trinus.

54. Quartum. Quartò; si essentia videretur sine personis, vel videretur, vt distincta ab illis, vel vt non distincta. Si vt distincta; iam aliter videretur, atque ipsa est. Si vt nõ distincta; ergo non videretur sine personis.

55. Quintum. Quintò; Deus visus beare non potest, nisi videatur, vt Trinus. Ergo nec poterit intuitiuè videri, nisi videatur Trinus. Consequentia inde videtur nota; quia visio intuitiua Dei non potest non esse formalis beatitudo. Antecedens ex eo ostenditur, quia personę diuinæ pertinent ad primarium, completumq́; obiectum beatitudinis.

Vltimum. Postremò; Videns essentiam diuinam sine personis; si videret eam communicatam personis; vtique videret personas. Porrò si non videt eam personis cõmunicatam; vel videt eam non esse cõmunicatam; vel nec cõmunicatam, nec non cõmunicatam. Si primo modo; falsa esset visio, quod non est admittendũ. Si modo posteriori; vel non esset intuitiua; vel esset imperfecta.

Sed hæc facilè soluuntur. Primũ enim continet maiorem falsam: quia oppositum ostendimus suprà q. 13. ar. 1. §. 3.

56. Solutio argumentorũ. Ad 1. Ad 2. Ad 2. negandum est antecedens; quoniam admissa vna persona in Deo, adhuc per diuinam potentiam posset videri diuina essentia non visa persona, vt

Salas. bene affirmat Salas vbi suprà n. 35. pag. 256. ad 3. Nam adhuc essentia formaliter distingueretur à persona, vel actu, vel saltem virtute. Posset igitur ipsa vna diuina persona suam essentiam obijcere intellectui creato sub ratione essentiæ, & non sub ratione personæ. Et à fortiori potest Deus facere, vt quis intuitiuè videat humanitatem Petri non vi-

Rada. so Petro. Quod in angelo etiam agnoscit Rada in d. controuersia 6. ad 4. argumentum contra tertiam fol. 91. col. 2. in fine, vbi docet fieri posse diuina potentia, vt videatur natura angelica non visa illius personalitate. Ex eodem Rada

2. solutio. colliges secundam argumenti solutionem, vt admisso antecedente negetur consequentia: quoniam admissa in Deo vna persona vnica tantùm subsistentia esset ponenda, quia solùm haberet subsistentiam personalem, non verò essentialẽ; cum tamen modo habeat vtranq́;

Accedit etiam; quia posita vna tantùm persona identitas essentię cum persona esset adæquata; quæ vt plures volunt, impedit quominus vnum sine altero videatur: quod tamen non impedit identitas inadæquata, quæ modo datur inter essentiam, & personas. Prior tamen solutio est melior.

Ad tertium dicendum est primò doctrinam illam solùm esse veram in his, 57. Ad 3. quæ habent habitudinem causę efficiẽtis in ordine ad extra, vt colliges ex Bas- *Bassolius.* solio in 1. d. 1. q. 2. art. 3. fol. 40. col. 4. ad 3. Iam verò habitudo termini, siue obiecti non est habitudo causæ efficiẽtis, quia obiectum non concurrit ad actum efficiendo, sed solùm terminando; quæ est communior sententia. Quòd si opposita magis placuerit (quæ est doctissimorum Philosophorum) poteris secũdò respondere doctrinã positam in maiori solùm esse veram in ijs, quæ ad extra voluntariè fiunt; secus si fiant naturaliter: hęc enim non necessariò fiunt à Deo, vt Trino, sed possunt immediatè fieri ab essentia. Exemplum sumi potest ex actione, qua essentia diuina in ratione speciei intelligibilis concurrit cum intellectu beati ad visionem: iste enim influxus, quauis sit ad extra, immediatè fit ab essentia, vt talis est. Ratio discriminis est; quia actiones voluntariæ fiunt voluntate, qua voluntas est: cum verò voluntas sit communis tribus personis, quę fiunt à voluntate, non possunt fieri, nisi à Deo, vt trino.

Actiones verò posterioris generis nõ 58. fiunt mediante voluntate, nisi solùm antecedenter; quatenus. Deus voluntariè suam essentiã vnit cum intellectu beati vnione speciei intelligibilis: ipsa tamen essentia vnita iam influit, non vt voluntas, sed vt natura, prout natura distinguitur à voluntate. Quod diximus de essentia, vt habet rationem speciei intelligibilis, dicendum etiam est de eâdẽ essentia, vt habet rationem obiecti terminantis visionem: licet enim Deus voluntariè suam essentiam obijciat intellectui, vt terminum; ipsa tamen essentia obiecta, si concurrit effectiuè efficientia obiectiua, non concurrit, vt voluntas, sed vt natura, & vt entitas quædam ex sua ratione intelligibilis, distincta à relationibus personalibus. Ita fit, vt hęc habitu-

habitudo ad extra, etiamsi admittatur esse causæ efficientis, non satis sit, vt euincat essentiam non posse terminare visionem sine personis. Quod in hac materia est diligentissimè aduertendum: hęc enim efficientia referri debet, non ad genus rei, sed ad genus intelligibile; quoniã conuenit essentiæ, quatenus est quædam entitas intelligibilis, & vt est intelligibilis. In hoc autem genere, quæ sunt ad extra, non oportet, sint indiuisa.

59. Ad 4. argumentum respondet Suarez in d. c. 23. n. 19. Facilè respondebis in illo casu essentiam, nec videri, vt distinctam à personis, nec vt non distinctã ab illis, si de diuisione positiuè distinctiua sit sermo: ille enim beatus, nec positiuè videret essentiam distingui à personis, nec esse ab illis indistinctã; quia vtraq; illa visio supponit visionem vtriusque extremi simul cum iudicio, vel distinctionis, vel identitatis. Videret igitur ipsam essentiam habendo se negatiuè ad distinctionem, vel identitatem: quia eã videret visione solùm præcisiua, quæ terminatur ad rem præcisam præcisè sumptam.

Ad 4.

60. Quintum argumentum petit difficultatem explicandam inferiùs art. 6. Qui existimauerit visionẽ essentiæ sine personis esse beatificã, negabit antecedẽs: similiter etiã inficiabitur personas necessariò pertinere ad obiectum primarium beatitudinis, si sermo sit in ordine ad diuinam potentiam. At qui dixerit visionem illam non esse beatificam, admisso antecedente negabit consequentiam: quia non omnia, quæ requiruntur ad obiectum beatificum, requirũtur ad obiectũ simpliciter visibile. Sed de hoc plura in dicto art. 6.

Ad 5.

61. Ad postremum respondetur in illo casu essentiam, nec videri, vt positiuè communicatam, nec vt actu non communicatam; sed vidẽs haberet se omnino negatiuè quoad cõmunicationem; quia præscinderet omnino à communicatione, vel non communicatione. Nec proinde visio non esset intuitiua, vt satis colliges ex dictis suprà §. 5. Vtrùm autem visio illa foret beatifica? Vide art. 7.

Ad postremum.

§. 9.

Sententiam negantem suam etiam habere probabilitatem.

DIximus suprà §. 3. nec opinionem negantẽ sufficienter probare implicationem, si essentia videatur sine personis; nec affirmantem efficaciter probare, id factu esse possibile. Quare sicut pro parte affirmante rationes implicationis dissoluimus; ita pro negante dissoluendæ sunt rationes possibilitatis adductæ §. 1.

62. Soluuntur argumenta partis affirmantis.

Ad primum igitur, quod inter cætera est efficacius, dicendum est contradictionem, si non euidenter, probabiliter tamen ostẽdi. Quod satis est, vt hæc opinio sit probabilis. Ex mente Caietani 2. 2. q. 2. ar. 8. §. *quoad secundum* contradictio sumitur ex natura visionis intuitiuæ: hæc enim ex se habet, quod terminetur ad rem, sicuti est in se absque vlla abstractione existentiæ à subsistentia, cæterisq; modis, quibus existentia per se modificatur. Quare cum dicimus notitiam intuitiuam terminari ad rẽ existentem, vt existens est; nomine existentiæ intelligitur existẽtia cum omnibus modis, quibus in existendo actuatur. Hoc supposito fundamento, si essentia videatur sine personis, infertur eam videri, & non videri. Videri quidem; quia id supponitur: non videri autem; quia non videtur, quatenus subsistenter existit. Quod in hac opinione est de intrinseca ratione notitiæ intuitiuæ.

63. Ad 1.

Caiet.

64. Ad 2. argumentũ duobus modis responderi solet. Prima solutio parum curat de antecedẽte. Nam etiamsi admittatur Scoto personas pertinere ad obiectum secundarium visionis (quod esse probabile putat Suarius lib. 9. de Trinitate c. 5. n. 4. satis est de mente Bachonij in 1. d. 1. q. 2. art. 2. §. *item secundarium*, fol. 20. col. 4.) non proinde infertur non implicare videri essentiam sine personis. Ad argumẽtum igitur concesso antecedente hi negant consequentiã; quia non omnia obiecta secundaria ita se habent ad primarium, vt viso primario, possint ipsa non videri. Ita hoc Scoti argumentum soluit noster Gerardus de Senis in 1. d. 1. q. 2. ar. 3. §. *ad rationes, quæ probant*, pag. 54. col. 2. in fine, noster etiã Argentina ibi q. 3. artic. 2. ad 3. Scoti, & post eos Molina 1. p. q. 12. ar. 8. disp. 4. ad 1. Scoti, & Salas vbi suprà n. 31. pag. 254. col. 2. & n. 33. pag. 255. col. 2. ad secundũ principale, & satis est de mente Suarij vbi

Ad 2.

Suarius. Bachonius.

Solutio prima.

Gerardus.

Argent. Molina. Salas.

vbi supra, & lib. 2. de attributis negatiuis c. 23. n. 2. Etenim (vt aiunt) inter obiectum secundarium, & primarium potest dari necessaria connexio, quæ inferat implicationem, si vno viso alterum non videatur. Hæc connexio reperitur inter creaturas, & diuinam essentiam in ordine ad diuinam visionem: nam licet creaturę omniũ consensu pertineãt ad obiectum secundarium diuinę visionis; non possunt tamen non videri visa essentia; ideo quia talis visio ex sua natura est infinita, & comprehensiua diuinæ essentiæ. Et eadem ratione apud Suarium in d. lib. 9. de Trinitate c. 5. n. 4. reperitur necessaria connexio inter diuinam essentiam, & personas, quanuis ponantur sub obiecto secundario. Ex Molina verò, & nonnullis alijs ideo inter essentiam, & personas respectu visionis creatę datur necessaria connexio; quia inter eas datur realis identitas: existimant enim implicare, quę ex natura rei sunt realiter idem posse visione intuitiua ad inuicem separari.

65. Tertio loco eandem implicationem Suarius cum alijs ex eo sumit; quia visio ipsa ex sua natura habet, quòd sit vtriusque obiecti. Hoc supposito fundamento facilè soluunt instantiam sumptam à visione creaturarum in diuina essentia: etenim nec visio creata est cõprehensiua diuinæ essentiæ; nec creaturæ realiter sunt idem cum essentia. Ad aliam verò confirmationem consequẽtiæ, hi auctores negabunt omnem visionem per se pendere à solo obiecto primario: aliqua enim potest per se pendere à secundario; quando primarium ad secundarium habuerit necessariam cõnexionem.

66. Non omnino placet solutio. Hæc tamen solutio in ordine ad diuinam intellectionem facilè defendi potest: cum enim visio increata sit comprehensiua, ex sua natura habet intrinsecam cõnexionem cum essentia, & relationibus. At mihi est difficilis in ordine ad visionem creatam; quoniam in actionibus creatis (siue illæ transeuntes sint, siue immanentes) non facilè dabitur cõnexio inter vnum, & alterum obiectum ita necessaria, vt inferat implicare obiectum primarium sine secundario terminare actionem. Nam licet inter rationale, & risibile detur necessitas naturalis; non tamen datur necessitas absoluta. Et licet inter essentiam diuinam, & creaturas detur necessitas legis ordinariæ; quia Deus ita statuit, vt essentia sine creaturis non videatur; non tamen datur necessitas absoluta. Quin imò fortè nulla alia dabitur visio intuitiua, quæ habeat obiectum primarium, & secundarium, nisi visio beatifica diuinæ essentiæ.

Sit igitur secunda solutio aliorũ, qui putant personas diuinas pertinere ad obiectum primarium diuinæ visionis. Quę est communis resolutio, quam latè probat Gerardus vbi supra cõtra quintum dictum Scoti pag. 93. col. 2. & inferiùs pag. 95. col. 1. §. *Ad rationẽ, quæ probat*, Argentina vbi suprà, & præceptor Frater Franciscus à Christo ibi q. 6. ad primum argumentum pag. 32. col. 2. & cõmuniter probant Thomistæ, Caietanus 2. 2. q. 2. ar. 8. §. *Quoad tertium*; Cumelius 1. p. q. 12. ar. 7. q. 1. ad 3. pag. 268. col. 1. Molina ibi ar. 8. disp. 4. concl. 2. & inferiùs ad primum Scoti, Salas vbi suprà pag. 254. col. 2. §. *nec obstat, quod obijcit Scotus*, satisBellomontanus 1. p. disp. 48. c. 4. n. 18. & 1. 2. disp. 13. n. 7. §. *hinc autem facilè*, colliges ex Suario in d. cap. 23. n. 2. & est recepta sententia, quam, vt verissimã supponimus explicandam inferiùs in q. de obiecto formali beatitudinis. Ad argumentum igitur negandũ est antecedẽs.

67. 2. solutio. *Gerardus.* *Argentina* *Francisc. à Christo.* *Caietan.* *Cumelius.* *Molina.* *Salas.* *Bellomon.* *Suarius.*

Negatur antecedens.

68. Ad primam probationẽ.

Ad primam illius probationem dicimus in ea attingi difficilimam quæstionem: in qua illud certissimum est Verbum non procedere ex cognitione solius essentiæ: quia certissimum est Patrem cognoscendo se, & suam essentiam generare Filium; nam ex August. 15. de Trinitate c. 14. *Pater dicendo se Filium generat.* Vnde auctor libri de cognitione veræ vitæ c. 14. apud eundem Augustinum tom. 9. ita ait: *Deus Verbum suum genuit, cum se ipsum cogitando dixit*, quod modò supponimus; interim vide Suarium lib. 9. de Trinitate c. 5. n. 13: nec oppositum apud Scotum vnquam legi. Quòd si oppositum aliquando docuit, id non est admittendum in hac sententia, quam modò defendimus. Quare argumentum non probat essentiam videri posse sine personis. Vtrum autẽ probet eam posse videri in vna persona sine alijs? Dicemus in sequenti articulo. Ad secundam proba-

Ad 2. prob. probationē antecedētis ex eodem etiā artic. patebit solutio. Ad tertiam verò probationem admisso antecedente neganda est consequentia: nec enim sola prędicata quidditatiua pertinēt ad obiectum primarium, sed omnia, quæ formaliter sunt in Deo: etenim essentia, vt in se est, se se primò obijcit intellectui.

69. Ad 3. princip. Ad tertium principale auctores huius opinionis negabunt antecedens: nā quanuis in creatis id non implicet; implicat tamen in diuinis; vel quia de ratione notitiæ intuitiuæ est, quòd terminetur ad rem, sicuti est in se nulla facta abstractione, quæ est opinio Caietani, vt diximus ad primum. Vel quia in diuinis absoluta, & relatiua sunt realiter idem: implicat autem, quæ sunt idem realiter, non simul videri, vt putat Molina: vel quia visio beatifica ex sua intrinseca ratione includit terminari ad vtrunque, vt credit Suarius. Itaq; vnusquisque recurret ad eam rationem implicationis, quam probauerit.

Ad confirmationem. Confirmatio soluta est ex dictis ad tertiam probationem antecedentis secundi argumenti.

70. Ad 4. Quartum argumentum friuolum est: quia relationes personales habent specialem rationem, non solùm, quia summè identificātur; sed etiam, quia ex sua natura modificant existentiam, quę est formalis ratio terminandi notitiam intuitiuam.

Ad 5. Ad quintū negandum est antecedens ab auctoribus huius sentētiæ: nec enim admittent distinctionē formalē actualē inter essentiam, & relationes; virtualis autem distinctio apud hos auctores nō satis est, vt implicationem tollat.

71. Ad 6. Sexta ratio nullam vim habet; negāda est enim consequentia: quoniam cū illa prioritate simul stat, quod subsistētia relatiua per se modificet existentiā naturæ diuinæ. Quare cum diuina essētia videatur, sicuti est; non poterit videri sine subsistentia personali, quantunuis illa non sit de intrinseca ratione essentiæ.

Ad 7. Septima ratio sine probatione sumit antecedens negandum ab auctoribus huius sententiæ.

Ad 8. Ad octauam ijdem auctores formaliter negant antecedens, vt vidimus suprà q. 11. art. 4. §. 2.

Ad postremam rationē concesso antecedente neganda est consequentia, propter disparem rationem, quæ cernitur inter visionem diuinæ essentię, & communicabilitatem illius. Cæterum auctores huius sententiæ plurimum laborant in assignanda ratione discriminis, vt videre est apud Suarium in d. lib. 2. de attributis negatiuis c. 23. nu. 24. & 25. & apud Molinam in d. disp. 4. ad 3. & apud alios. Res est difficilis, nec satis explicata ab auctoribus huius opinionis. Inter omnes rationes discriminis hæc mihi videtur applausibilior; quod ratio, vnde sumitur communicabilitas essentiæ non arguit connexionem inseparabilem inter essentiam, & relationē in se se communicando; cum tamen ratio visionis intuitiuæ ex sua natura arguat inseparabilitatem in terminando visionem. Etenim cōmunicabilitas essentiæ sumitur ex identitate, reali quidem; sed inadęquata essentiæ cum qualibet relationum: quæ inadęquata identitas tantùm abest, vt inferat inseparabilitatem in se se communicādo, vt potius euincat essentiam communicabilē esse alicui, cui aliqua ex relationibus communicari non potest. At verò ratio visionis intuitiuæ ex sua natura infert inseparabilitatem essentiæ, & relationū in terminando visionem: quia scil. essentia eam terminare nō potest, nisi prout est in se ipsa: quod est huius opinionis totale fundamentum. Et hęc de isto art. 72. Ad vltim. Propria ratio.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm diuina potentia possit vna persona sine alia videri?

§. 1.

Referuntur opiniones, & eligitur, quæ affirmat, vt probabilior.

HVNC articulum excitamus distinctum à præcedente; quia plures eorum, qui putant diuina potentia essentiam sine personis videri posse, non ita id affirmant de personis, si inter se conferantur. Et vt in hoc articulo distinctiùs procedamus, tres de hac quæstione sententias referemus: duas ex diametro oppositas; tertiam veluti mediam.

Prima

2. 1. opinio negat.

Prima sententia absolutè negat posse vnam personam sine alijs videri etiã per diuinam potentiam. Hanc sententiam probant ferè omnes, qui in precedente art. negant essentiam videri posse sine personis. In terminis id satis colliges ex Caietano 2.2.q.2.ar.8.§. *quoad tertium*, dũ soluit argumenta Scoti, expressè Cumelius 1.p.q.12. ar.7.q.1. concl.2. pag. 266. col. 2. Banhes ibi dubio 2. ad tertium argumentum, Medina 1.2.q.11 art.4.concl.2. Molina 1. p.q.12. artic.8. disp.4.concl.1. satis Suarius lib.2.de attributis negatiuis c.23.n. Bellomontanus 1.p.q.48.c.3.n.11. tomo disp.1.q.12.punct.6. principio, Henriques in lib. hominis cap. 10.§. 3. C. mo ad tertiam partem q.1 n. 66. Ex antiquioribus d. 1.q. 1. art. 2. Toletanus 8. ar.2.concl.4. in 2. argu ad rationes Landulph. noster etiam Gerardus *Tertiò deficit*, & §. *Quartò c* 93. col.1. Bachonius ibi fol.21. col.1. & 2. & est op nis inter recentiores.

Caiet. Cumelius. Banhes. Molina. Medina. Suarius. Valentia. Henriq. Cabreira. Aureolus. Toletanus. Gerardus. Bachonius

3. 2. opinio affirmat.

Secũda opinio ex diame opposita, quæ absolutè doc uina potẽtia vnam personam videri v. g. Patrem sine Filio, & Sancto, & viceuersa. Ita expressè S in 1.d.1.q.2. ar. 2. §. *quantum ad istum culum*, litera C. cũ quo transeunt omne Scotistæ vno excepto Bassolio. Ita Lichetus ibi fol. 33. col.1. Bargius fol.52. col.3. Ouandus proposit.10. Maironius q.4.in 3. difficultate, Landulphus ibi q. 2.ar.1.& 2. & Rodolphus q.1. ar.1. Velloſillus in ſuis aduertentijs ad tom. 9. Augustini quæsito 16. dub. 2. ad 1. arg. fol. 387. col.4. Probant Paludanus in 4. d.49.q.5.ar.3. n.17. D. Antonin⁹ 3.p.tit. 30.c.4.§.2. Salas ad 1.2.q.3.tract.2.disp. 4.sect.3.concl.3.n.26. pag.252.

Scotus. Lichetus. Bargius. Ouandus. Mairon. Landulp. Rodolph⁹. Velloſillus Palud. D. Antoni nus. Salas.

4. Tertia opinio est media.

Tertia sentẽtia inuenitur veluti media, quę docet fieri nullo modo posse, vt persona relatiua clarè videatur sine psona sibi correlatiua; bene tamẽ sine ea ad quam correlatiuè non refertur. Inde inferunt personam Patris non posse videri sine Filio, aut è conuerso; bene tamen sine Spiritu Sancto. Ita plures docuisse testatur Maironius vbi suprà, quos probauit Bassolius in 1.d.1.q.1.ar. 3. §. *Sed de persona*, & §. *Dico igitur*, fol.40. col.1. & 2. & satis probat Rada in dicta controuers. 6. ad 5. argumentum principale pag. 96. col.1. in fine.

Bassolius. Rada.

Ego de proposita difficultate idem fero iudicium, quod in præcendente ar. tuli de visione essentiæ sine personis. Nec enim opinio negans efficaciter pbat contradictionem; nec affirmans sufficienter ostendit possibilitatem. Sed quoniam nihil denegandum est diuinæ potentiæ, nisi, quod implicat; ideo opinio affirmans apud me plus habet ponderis; quia nullam video implicationẽ. Et hoc sit nostræ huius sententiæ vnicũ fundamentum, quod ex solutionibus argumentorum satis confirmabitur. Addo tamen partem negantem posse defendi: quare vtranque ab aduersarioꝝ telis liberabimus.

5. Propria resolutio.

§. 2.

Soluuntur, quæ pro opinione negante contra affirmantem obijciuntur.

Ontra affirmantem sententiam, nam probabiliorẽ iudicauimus, uersarijs multa obijciũtur. ijcitur illud Ioannis 14: *et & Patrem meum*: volũtq; euidenter deduci vnam alia videri nequaquam lùm putant verba illa in- de de visione intuitiua, & cũdùm legem ordinariam; cundùm absolutam Dei po- enim Philippus petens visio- s, petebat aliquem effectum omnipotentiæ, quæ tribuitur Patri, vt ait noster Gerardus. Quod etiã Toletanus noster vbi suprà concl. 4. in fine ex eo corroborat; quoniã Christus Dominus ita arguit: *Ego in Patre, & Pater in me est. Ergo, qui videt me, videt & Patrem.* Iam inquirit Toletanus, an hæc consequentia Christi Domini sit bona, nec ne? Non est dicendum non esse bonam: nec enim admittendum est sapientiam Patris malè arguere. At si est bona; cum antecedens sit necessarium, ita vt per nullam potentiam possit aliter esse; cõsequens etiam erit simpliciter necessarium, ita vt aliter nec per diuinam potentiam possit fieri.

6. Argumenta partis negatiuæ contra affirmantẽ. 1. arg. ex c Ioan. 14.

Gerardus. Toletanus.

Ad 2. prob. probationē antecedētis ex eodem etiā artic. patebit solutio. Ad tertiam verò probationem admisso antecedente neganda est consequentia: nec enim sola prędicata quidditatiua pertinēt ad obiectum primarium, sed omnia, quæ formaliter sunt in Deo: etenim essentia, vt in se est, se se primò obijcit intellectui.

69. Ad 3. princip. Ad tertium principale auctores huius opinionis negabunt antecedens: nā quanuis in creatis id non implicet; implicat tamen in diuinis; vel quia de ratione notitiæ intuitiuæ est, quòd terminetur ad rem, sicuti est in se nulla abstractione, quæ est opinio Ca vt diximus ad primum. Vel quia uinis absoluta, & relatiua sunt rea idem: implicat autem, quæ sunt i realiter, non simul videri, vt putat M lina: vel quia visio beatifica ex sua i trinseca ratione includit terminari a vtrunque, vt credit Suarius. Itaq; vn quisque recurret ad eam rationem i plicationis, quam probauerit.

Ad confirmationem. Confirmatio soluta est ex dict tertiam probationem anteceden cundi argumenti.

70. Ad 4. Quartum argumentum friuol quia relationes personales hab cialem rationem, non solùm, mè identificātur; sed etiam, natura modificant exi sten formalis ratio terminandi n tuitiuam.

Ad 5. Ad quintū negandum est ante ab auctoribus huius sentētiæ: nec admittent distinctionē formalē act inter essentiam, & relationes; virtual autem distinctio apud hos auctores nō satis est, vt implicationem tollat.

71. Ad 6. Sexta ratio nullam vim habet; negāda est enim consequentia: quoniam cū illa prioritate simul stat, quod subsistētia relatiua per se modificet existentiā naturæ diuinæ. Quare cum diuina essētia videatur, sicuti est; non poterit videri sine subsistentia personali, quantunuis illa non sit de intrinseca ratione essentiæ.

Ad 7. Septima ratio sine probatione sumit antecedens negandum ab auctoribus huius sententiæ.

Ad 8. Ad octauam ijdem auctores formaliter negant antecedens, vt vidimus suprà q. 11. art. 4. §. 2.

72. Ad vltim. Ad postremam rationē concesso antecedente neganda est consequentia, propter disparem rationem, quæ cernitur inter visionem diuinæ essentię, & communicabilitatem illius. Cæterum auctores huius sententiæ plurimum laborant in assignanda ratione discriminis, vt videre est apud Suarium in d. lib. 2. de attributis negatiuis c. 23. nu. 24. & 25. & apud Molinam in d. disp. 4. ad 3. & apud alios. Res est difficilis, nec satis explicata ab auctoribus huius opinionis. Inter omnes rationes discriminis

Propria ratio.

æc mihi videtur applausibilior; quod io, vnde sumitur communicabilitas atiæ non arguit connexionem insebilem inter essentiam, & relationē communicando; cum tamen raonis intuitiuæ ex sua natura arparabilitatem in terminando . Etenim cōmunicabilitas esitur ex identitate, reali quinadęquata essentiæ cum quaonum: quæ inadęquata identm abest, vt inferat inseparain se se communicādo, vt ponit essentiam communicabilē cui aliqua ex relationibus arri non potest. At verò ratio tuitiuæ ex sua natura infert ilitatem essentiæ, & relationū ando visionem: quia scil. essenterminare nō potest, nisi prout ipsa: quod est huius opinionis ndamentum. Et hęc de isto art.

RTICVLVS IIII.

m diuina potentia possit vna persona sine alia videri?

§. 1.

Referuntur opiniones, & eligitur, quæ affirmat, vt probabilior.

HVNC articulum excitamus distinctum à præcedente; quia plures eorum, qui putant diuina potentia essentiam sine personis videri posse, non ita id affirmant de personis, si inter se conferantur. Et vt in hoc articulo distinctiùs procedamus, tres de hac quæstione sententias referemus: duas ex diametro oppositas; tertiam veluti mediam.

Prima

2. 1. opinio negat. Prima sententia absolutè negat posse vnam personam sine alijs videri etiã per diuinam potentiam. Hanc sententiam probant ferè omnes, qui in præcedente art. negant essentiam videri posse sine personis. In terminis id satis colliges ex Caietano 2.2.q.2.ar.8.§. *quoad tertium*, dũ soluit argumenta Scoti, expressè Cumelius 1.p.q.12.ar.7.q.1. concl.2. pag. 266. col. 2. Banhes ibi dubio 2. ad tertium argumentum, Medina 1.2.q.11 art.4.concl.2. Molina 1.p.q.12. artic.8. disp.4.concl.1. satis Suarius lib.2.de attributis negatiuis c.23.n.25. Bellomontanus 1.p.q.48.c.3.n.11. Valentia 1. tomo disp.1.q.12.punct.6.pag.245. in principio, Henriques in lib. de vltimo fine hominis cap. 10.§. 3. Cabreira 2. tomo ad tertiam partem q.12.art.2.disp.6. n. 66. Ex antiquioribus Aureolus in 1. d. 1.q. 1. art. 2. Toletanus noster ibi q. 8. ar.2.concl.4. in 2. argumento, & art. 4. ad rationes Landulphi contra quartã; noster etiam Gerardus ibi q. 2. ar. 3. §. *Tertiò deficit*, & §. *Quartò contra eandem*, fol. 93. col.1. Bachonius ibi q. 2. art.2. & 3. fol.21. col.1. & 2. & est opinio communis inter recentiores.

Caiet. Cumelius. Banhes. Molina. Medina. Suarius. Valentia. Henriq. Cabreira. Aureolus. Toletanus. Gerardus. Bachonius

3. 2. opinio affirmat. Secũda opinio ex diametro est huic opposita, quæ absolutè docet posse diuina potẽtia vnam personam sine alijs videri v. g. Patrem sine Filio, & Spiritu Sancto, & viceuersa. Ita expressè Scotus in 1.d.1.q.2. ar. 2. §. *quantum ad istum articulum*, litera C. cũ quo transeunt omnes Scotistæ vno excepto Bassolio. Ita Lichetus ibi fol. 33. col.1. Bargius fol.52. col.3. Ouandus proposit.10. Maironius q.4.in 3. difficultate, Landulphus ibi q. 2.ar.1.& 2. & Rodolphus q.1. ar.1. Vellosillus in suis aduertentijs ad tom. 9. Augustini quæsito 16. dub. 2. ad 1. arg. fol. 387. col.4. Probant Paludanus in 4. d.49.q.5.ar.3. n.17. D. Antoninꝰ 3.p.tit. 30.c.4.§.2. Salas ad 1.2.q.3.tract.2.disp. 4.sect.3.concl.3.n.26. pag.252.

Scotus. Lichetus. Bargius. Ouandus. Mairon. Landulp. Rodolphꝰ. Vellosillus Palud. D. Antoninus. Salas.

4. Tertia opinio est media. Tertia sentẽtia inuenitur veluti media, quę docet fieri nullo modo posse, vt persona relatiua clarè videatur sine psona sibi correlatiua; bene tamẽ sine ea ad quam correlatiuè non refertur. Inde inferunt personam Patris non posse videri sine Filio, aut è conuerso; bene tamen sine Spiritu Sancto. Ita plures docuisse testatur Maironius vbi suprà, quos probauit Bassolius in 1.d.1.q.1.ar. 3. §. *Sed de persona*, & §. *Dico igitur*, fol.40. col.1. & 2. & satis probat Rada in dicta controuers. 6. ad 5. argumentum principale pag.96.col.1. in fine.

Bassolius. Rada.

Ego de proposita difficultate idem fero iudicium, quod in præcendente ar. tuli de visione essentiæ sine personis. Nec enim opinio negans efficaciter probat contradictionem; nec affirmans sufficienter ostendit possibilitatem. Sed quoniam nihil denegandum est diuinæ potentiæ, nisi, quod implicat; ideo opinio affirmans apud me plus habet ponderis; quia nullam video implicationẽ. Et hoc sit nostræ huius sententiæ vnicũ fundamentum, quod ex solutionibus argumentorum satis confirmabitur. Addo tamen partem negantem posse defendi: quare vtranque ab aduersariorũ telis liberabimus.

5. Propria resolutio.

§. 2.

Soluuntur, quæ pro opinione negante contra affirmantem obijciuntur.

6. Argumenta partis negatiuæ contra affirmantẽ. 1. arg. ex c. Ioan. 14. COntra affirmantem sententiam, quam probabiliorẽ iudicauimus, ab aduersarijs multa obijciũtur. Primo loco obijcitur illud Ioannis 14: *Qui videt me, videt & Patrem meum*: volũtq; ex his verbis euidenter deduci vnam personam sine alia videri nequaquam posse. Nec solùm putant verba illa intelligenda esse de visione intuitiua, & beatifica secũdùm legem ordinariam; sed etiam secundùm absolutam Dei potentiam: etenim Philippus petens visionem Patris, petebat aliquem effectum omnipotentiæ, quæ tribuitur Patri, vt ait noster Gerardus. Quod etiã Toletanus noster vbi suprà concl. 4. in fine ex eo corroborat; quoniã Christus Dominus ita arguit: *Ego in Patre, & Pater in me est. Ergo, qui videt me, videt & Patrem.* Iam inquirit Toletanus, an hæc consequentia Christi Domini sit bona, nec ne? Non est dicendum non esse bonam: nec enim admittendum est sapientiam Patris malè arguere. At si est bona; cum antecedens sit necessarium, ita vt per nullam potentiam possit aliter esse; cõsequens etiam erit simpliciter necessarium, ita vt aliter nec per diuinam potentiam possit fieri.

Gerardus. Toletanus.

7. Secundò. Secundò obijciunt; quoniam vna persona non potest intuitiuè videri, nisi intuitiuè videatur essentia, vt patebit ex vltimo ar. At essentia videri non potest non visis omnibus personis, vt putant se demonstrasse in præcedente artic.

Tertiò. Tertiò; vel vna persona sine alia videretur per eandem visionem, qua nũc omnes personæ cum essentia simul videntur; aut per aliam specie, aut numero distinctam. Neutrum dici potest, vt in superiori art. ostensum est §. 5. in 2. ratione.

Quartò. Quartò; quia licet vna persona realiter distinguatur ab alia; simpliciter tamen est vna res cum illa, vt definitum est in c. *damnamus* de Summa Trinitate. At quæ sunt vna, & eadem res, ita se habent, vt vna sine alia videri nequeat.

8. Quintò. Quintò; quia licet vna persona realiter distinguatur ab alia; omnes tamen sunt de intrinseca ratione essentiæ. Ergo cum vna persona sine essentia videri nequeat, nec videri poterit sine alijs personis; si non ratione sui, saltem ratione essentiæ, quæ simul videtur.

Sextò. Sextò; quia sicut agere ad extra, non potest conuenire vni personę sine alijs, ita nec terminare poterit actionem ad extra: etenim, quę sunt ad extra, sunt indiuisa, ita vt vni personæ sine alijs non conueniant.

9. Septimò. Septimò; si essentia in vna persona videretur non visis alijs; vel in illa videretur, vt distincta ab alijs; vel vt non distincta. Non potest videri, vt distincta; quia iam aliter videretur, atque est in se. Si videretur, vt non distincta; vtique non possent aliæ personæ non videri.

Confirm. Confirmatur; quoniam vel videretur essentia, vt cõmunicata alijs personis; vel vt non communicata; si videretur, vt communicata tribus; iam videretur aliæ personæ. Non potest dici beatum non videre essentiam communicatam: quia vel videt eam non esse communicatam; vel non videt, an sit, vel non sit communicata. Non potest dari primũ; quia essentia semper est communicata tribus personis. Si detur secundum; infertur eam imperfectè videri, & subinde non videri beatificè.

10. Octauò. Octauò; suppositа, quæ sunt vnum in essentia, ita se habent, vt qui videt vnũ, videat & alterum. At diuinæ personæ sunt huiusmodi. Ergo vna sine alia videri nõ potest. Minor patet. Maior probatur: tum ex præcitatis verbis Christi Ioann. 14: *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Tum quia diuina essentia æquali necessitate est in tribus suppositis. Ergo, qui eam videt in vno supposito, necessariò eam videbit in alijs.

Nonò. Nonò; quælibet persona per se pertinet ad obiectum primariũ visionis intuitiuæ. Ergo non potest vna persona videri sine alia: visio enim ex sua natura pendet ex obiecto primario.

Decimò. Decimò; visio illius personæ, cum sit intuitiua Dei, non potest non esse beatifica. At implicat Deum beare, nisi vt Trinum.

11. Vltima ratio. Postremò; implicat vnum correlatiuorum videri altero non viso: sunt enim simul cognitione ex Arist. in prædicamentis c. de relatione. Sed omnes personæ diuinæ sunt correlatiuę: nã licet Pater quatenus generans relatiuè non referatur ad Spiritum Sanctum; tamen ad illum refertur, quatenus est spirans.

Confirm. 1. Confirmatur; quoniam videns personam Patris vel videt Patrem referri ad alias personas; vel non videt. Non est dicendum, quod non videat; quia Pater in se refertur tum ad Filium, tum ad Spiritum Sanctum. Si videt: non potest non simul videre alias personas.

Confirm. 2. Confirmatur secundò; quoniã videns Patrem, vel videt eum generare Filiũ, & spirare Spiritum Sanctum: vel non videt. Si videt; igitur videt vtranq; illam personam. Non est dicendum, quod non videat; quia imperfectè videret Patrẽ: & subindè eum non videret beatificè, quod nõ est admittendũ. Hæc sunt omnia, vel saltẽ præcipua argumenta, quibus opinio affirmãs ab aduersarijs impugnatur.

Soluuntur præcitata argumenta.

12. Solutio argumentorũ. Ad 1. HÆc tamen argumenta non conuincunt vllam contradictionem. Ad primum patet solutio ex artic. præcedente §. 4. vbi latè ostendimus verba illa Christi Domini in sensu literali, & germano intelligi de visione corporea adiuncta Fide. Ex quo sensu nullum potest sumi argumentum contra sententiam affirmantem. Quin potius

Explicatur locus Ioan.

ósten-

ostendimus nec ex illis posse firmũ argumentum sumi, quanuis intelligantur de visione intuitiua. Quoniam satis accommodatè explicari possunt secundũ legem ordinariam, secũdum quam Deus se ipsum videndum obijcit; non impediendo (sicut poterat) naturalem motionẽ, qua diuina essentia se ipsam obijcit cum omnibus modis, quibus à parte rei modificatur, atque determinatur: obiecta enim isto modo (quo de facto nunc obijcitur) non potest non videri cum personis, nec vna persona videri potest sine alijs ratione vnitatis naturæ. Optima est igitur Christi Domini consequentia suppositio ordinario, ac naturali concursu, quo Deus se se obijcit videndum. Quo supposito, quanuis antecedens simpliciter sit necessarium; non proinde consequẽs simpliciter necessarium erit: licet enim simpliciter sit necessariũ, vnã personam per circũincessionem esse in alia; non tamen simpliciter necessarium est, quòd Deus se se obijciat intellectui beato, cum omni modo, quo est à parte rei, vt diximus in quinto §. articuli præcedentis. Et ita soluta est ponderatio nostri Toletani: nam quæ à Gerardo adducitur, parum habet probabilitatis.

13 Ad 2. Ad secundum argumentum admittimus maiorem. At minorem esse negandam latè ostendimus in præcedente art. vbi argumenta in cõtrarium dissoluimus.

Tertium argumentum latè explicauimus supra quæst. 11. articulo 4. §. 4. ad quartum.

Ad 3. Ad quartum argumentum concessa maiore neganda est minor, vt patet, ex dictis ar. præcedente §. 6. vbi contra Molinam, & alios latè ostendimus ex identitate reali non satis conuinci implicationem: quia satis est distinctio virtualis inter ea, quæ realiter sunt idem, vt vnum sine alio videri possit etiam intuitiuè. Vide, quæ ibi diximus.

14 Ad 4.

Ad 5. Quintum argumentum sumit antecedens falsum, vt patet ex quæstione 13. art. 1.

Ad 6. Sextum argumẽttum dissoluimus supra in præcedente artic. §. 8. ad 3. argumentum.

15 Ad septimũ dicimus, quòd sicut persona illa videretur, visione quadam abstracta ab alijs personis, non negatiuè, sed præcisiuè; ita etiam essentia in illa eàdẽ persona eodem modo videretur. Quare nec videretur, vt positiuè distincta ab alijs personis, nec vt positiuè indistincta ab illis; sed omnino præscinderet à distinctione, vel indistinctione positiua; quia quoad vtrunque se haberet negatiuè. Vide, quæ diximus in præcedente articulo §. octauo. ad quartum.

Confirmatio septimi argumenti eodem modo dissoluitur. Vide quę diximus in d. §. 8. ad vltimum. Ad 7.

16 Ad 8. maior est negãda, quæ nec probatur ex verbis Christi Ioann. 14. vt diximus ad primum; nec ratione, quæ à Gerardo affertur. Nam quanuis essentia diuina æquali necessitate sit in vna persona, atque in alia; quia omnes ex sua natura sibi vendicat; non proinde infertur non posse videri in vna persona, quin videatur in alijs: etenim ratio videndi, aut non videndi per se non sumitur ex necessitate, qua essentia inest in personis, sed ex identitate non adæquata, qua cum singulis identificatur, & ex virtuali distinctione, qua à singulis distinguitur. Ad 8.

17 Ad 9. Ad nonum Scotus simpliciter negaret antecedens, & cum eo omnes, qui putant personas pertinere ad obiectum secundarium visionis. Ego puto antecedens esse distinguendum; quoniam visio intuitiua considerari potest, vel absolutè, quatenus est intuitiua, vel quatenus est intuitiua seruato naturali ordine. Si consideretur hoc posteriori modo, omnia illa pertinent ad obiectum primarium illius, quę formaliter sunt in re, quæ est obiectum principale. Etenim si obiectum, quodcũque illud sit, relinquatur suæ naturæ, necessario mouet secundũ omnes reales essẽdi modos, quibus sua existentia à parte rei modificatur. Vnde si à parte rei existit subsistenter, & incommunicabiliter mouet intellectum, non solùm secundũ existentiam propriam obiecti principalis; sed etiam secundum subsistentiam, qua modificatur à parte rei. Et secundum hanc considerationem personæ, & personales relationes ingrediũtur obiectum primarium visionis, quidquid Scotus cũ nonnullis aliter doceat.

Porro, si visio intuitiua cõsideretur absolutè, & quatenus præcisè est intuitiua non necessariò includit terminari ad suum obiectum principale secundũ omnem essendi modum, quem habet à parte rei; sed solùm per se includit terminari ad rem existentem eo modo, quo obiectiuè ab ea mouetur, vt diximus in præcedente ar. 5. septimo: etenim potest Deus sua omnipotẽtia impedire ne cæteri modi essendi obiectiuè moueant. Quo posito miraculo visio ipsa non specificabitur ab obiecto principaliter primario, nisi secundum illam specialem essendi rationem, secundum quam concurrit ad mouendum intellectum. Itaq; visio intuitiua absolutè loquẽdo solùm per se includit terminari ad existentiã rei eo modo, quo obiectiuè mouetur à re. Et quanuis seruato naturali ordine non possit obiectum existens non mouere potentiam secũdum omnem essẽdi modum, quo existit à parte rei: diuina tamen potentia potest non mouere secundum omnem illum.

18 Ad argumẽtum in forma. Ad argumentum igitur admitti potest antecedens; quia re vera personæ ex se non pertinent ad obiectum secundarium, vt suo loco dicemus: vnde quãdo concurrunt, concurrunt in ratione obiecti primarij. Concesso autem antecedente in præcitato sensu neganda est consequentia. Ad probationem dicendum est visionem necessariò pendere ex suo obiecto primario principali; non tñ necessariò pendere ab omni, quod pertinet ad obiectum primarium: quia (vt diximus) posito miraculo potest sine omni eo mouere intellectum.

19 Ad 10. Decimũ argumentum petit difficultatem explicandam art. 6. Qui putant visionem illam non esse beatificam, negabunt antecedens. At qui oppositum sentiunt, eo adimisso negabunt minorẽ. Quę illarum opinionum verior sit, dicemus in d. ar. 6.

§. 3.

Soluitur vndecimum argumentum.

20 Ad 11. AD 11. argumentum negãda est maior, si sermo sit de visione intuitiua: nec enim certum est Aristotelem docuisse vnum relatiuum in sua entitate non posse intuitiuè videri, altero intuitiuè non viso: & si fortè id docuit, vel intelligendus est in ordine ad potẽtiam naturalem, vel omnino relinquendus. Vtraque pars facilè patebit, si expendantur, quæ Aristoteles docet in prædicamentis in cap. de Relatione, vbi communiter citatur. Eo in loco ante finem ita scribit: *Si quispiam aliquid eorum, quæ sũt ad aliquid, definitè scit; simul id, ad quod aliud dicitur, definitè sciat.* Quę verba variè explicantur. Primo à plerisque explicantur de cognitione quidditatiua, vt sit sensus: qui *definitè*, id est quidditatiuè cognoscit vnum ex relatiuis, debet etiam *definitè*, id est quidditatiuè cognoscere aliud correlatiuum. Ita explicant Auerr. & Albertus ibi cap. 9. nec improbat Caietanus ibi cum plerisque alijs. Vnde proloquium commune ex Aristotele desumptum, *relatiua sunt simul cognitione*, in hoc sensu explicandum est, vt intelligatur de cognitione quidditatiua; vel quia vnum sine alio definiri non potest, vt plures volunt; vel quia ad cognitionem quidditatiuam vnius infertur cognitio quidditatiua alterius; nam qui scit quidditatem Patris esse referri ad Filiũ, ex consequenti scit quidditatẽ Filij esse referri ad Patr. Ex quibus verbis ita explicatis nihil inferri potest contra nostram sententiam.

Auctor esin c. de relatio

1. Explicatio.

Auerroes. *Albertus.* *Caietan.*

Secundo; verba illa Aristotelis alij intelligunt de cognitione quoad existẽtiam, vt sit sensus: *siquis definitè, & certò scit existere hoc relatum, definitè etiam, & certò sciet existere id, ad quod aliud refertur.* Ita explicauit Boetius in eodem loco, probant Louanienses, & magis in hanc explicationem inclinãt Caietanus, & Cursus Conimbricensis ibi quæstione tertia, §. *Vt hæc pars definiatur*, pag. 358. & est communior explicatio, quam esse Aristotelis nos olim euidenter ostendimus ibi quæstione quinta, eandem modò libentissimè amplectimur. Sed planè nõ video, quomodo inde colligatur correllatiua in cognitione intuitiua esse simul, ita vt vnum intuitiuè videri nequeat, altero non viso: etenim Aristoteles solùm dicit eum, qui definitè, & certò scit vnum relatiuum existere, definitè, & certò scire existere correlatiuum. Quod est verissimum. Nam cũ in existendo sint simul natura, vnum non potest existere, nisi existat alterũ.

21 2. Explicatio.

Boetius.

Quare

Quare, qui scit (cognitione intellectiua intellige) vnum correlatiuorum existere; vtiq; per necessariam consequentiã scire debet correlatiuum illius etiã existere: nec aliud ex verbis Aristotelis potest inferri. Et inde est cognitionem, de qua ibi agit Aristoteles, non esse vnicam; quasi velit, qui cognoscit vnum relatiuum existere, eãdẽ cognitione cognoscere aliud existere: agit enim Aristoteles de cognitione, quæ per illationem, atque discursum habetur, vt ex dictis satis colliges.

22. 3. explicatio Arist.

Tertia adhuc est explicatio illorum verborum, vt intelligãtur de cognitione intuitiua quoad existentiam, vt sit sensus: *si quispiam definitè, & intuitiuè videt vnum relatiuum; definitè, & intuitiuè debet etiã videre id, ad quod refertur.* Hunc esse verum Aristotelis sensum ex eo olim euicimus in dicta quæstione 5. eiusdem capitis, quod Aristoteles ex hac relatiuorum proprietate infert substantiam etiam quoad suas partes non esse ad aliquid; quia nimirum visa manu, si corpus obueletur, non videt, cuius manuati sit manus. Quæ sanè probatio minus efficax esset, nisi præcitata verba intelligantur in sensu immediatè explicato.

Dubitatio.

Et quanuis iste sensus sit cum mente, & instituto Aristotelis maximè consentiens; non proinde necessariò admittẽdum est Aristotelem agere de cognitione correlatiuorum, quæ vnico fiat intuitu. Quin potius de hoc est controuersia, vt fatetur Cursus Conimbricensis in dicta q. 3. in fine. Et quanuis ibi eã potius sententiam amplectatur, quod vnico fiat intuitu, quo relatiuum in recto videatur, correlatiuum autem in obliquo, quia videtur, vt terminus visionis, & quatenus terminat: tamen si res ista introspiciatur, fortè oppositum arridebit magis; quia correlatiuũ fortè non potest terminatiuè, & in obliquo videri, quin supponatur visum in se ipso in recto. Quare vtrunque simul videtur in recto duplici intuitu; deinde mutuum alterum alterius visionem terminat, & mutuo alterius visione videtur terminatiuè.

23. Ex Arist. nihil infertur contra nostrã opinionem.

Sed quidquid de hoc sit (parum enim ad præsens institutum refert, siue hoc, siue illud dicas) non video ex hac Aristotelis doctrina sumi posse firmum argumentum contra nostram sententiam. Nam quæ docet Aristoteles, solùm sunt intelligenda seruato naturali ordine, quo relatiua concurrunt ad motionem potentiæ: nam potentia Dei non est metienda ad mensuram Aristotelici intellectus. Maximè, quia proprietas illa relatiuorum explicata quoad existentiã, & cognitionem intuitiuam, etiã vnico intuitu factam, non conuenit omnibus relatiuis, vt communiter docent omnes Logici, & inter eos Conimbricenses in d. q. 3. §. *vt hæc pars definiatur*: nec enim vera est in relatiuis non mutuis, in quibus relatio realis, sicut ex vna parte realiter potest existere, non existente correlatiuo (supposita sententia, quòd ad correlatiua formaliter terminatur) ita etiam potest intuitiuè cognosci quoad suam realem existẽtiam termino intuitiuè non cognito; quia de eo nullus fortè tunc cogitabit. Imò nec illa proprietas conuenit patri habenti plures filios suppositа opinione satis ꝓbabili, quòd vnica tantùm relatione ad illos referatur: poterit enim paternitas huius patris intuitiuè videri, quanuis filij non videantur intuitiuè, atque distinctè, sed solùm confusè, quod admittit Cursus Conimb. in d. q. 3. §. *hoc posito ad secundam.* Conimbr.

24. 1. Corollar.

Ex his exẽplis patet, quod sicut nõ est de intrinseca ratione relatiui realis realiter nõ existere, nisi suo correlatiuo coexistente; ita nec est de essentiali ratione illius, vt intuitiuè non videatur, nisi correlatiuo intuitiuè viso: etenim hic simultaneꝰ intuitus non reperitur in relatiuis nõ mutuis. Patet deinde non esse de intrinseca ratione relatiui non posse videri, etiã secundũ suam relatiuã tendentiã vsq; ad terminũ, nisi terminus intuitiuè videatur; quia satis est, vt videatur cognitione quadã confusa, & veluti abstractiua, vt cõtingit inuisione patris habentis plures filios. Idẽ dicendũ erit, si velis correlatiua nõ mutua terminari ad absoluta, quę est opinio satis ꝓbabilis: adhuc enim relatio realis nõ mutua potest intuitiuè videri etiã cũ tendẽtia relatiua ad terminũ, ipso termino intuitiuè nõ viso. Nã Angelus, atq; etiã Dęmõ naturaliter vident relationẽ realẽ creaturæ ad Deum cum reali tendentia ad terminum; & tamen ea visione, nec etiã alia naturali, vident intuitiuè Deum. Secundum.

25. Id, quod etiam theologi communiter asserunt de relatione realis vnionis naturæ humanæ ad personam Verbi: hæc enim naturaliter videri potest, & dum Christus erat apud nos, de facto fortè videbatur intuitiuè à Dæmone; & tamē persona Christi ab eo intuitiuè non videbatur. Nec hoc reperitur in solis relatiuis non mutuis; sed etiam in relatiuis mutuis, si vera est opinio, quòd Angelus abstrahit species rerum singularium: hac enim posita opinione non potest non concedi distantiam localem impedire, ne vna res ab Angelo videatur intuitiuè. Hoc autem admisso, admittatur necesse est posse vnum Angelum intuitiuè videre paternitatem huius patris sibi præsentis filio intuitiuè non viso, si ille extra adæquatam sphæram existat.

26. Quæ omnia satis conuincūt non esse de intrinseca ratione relationis realis intuitiuè videri non posse, etiā secundū realem tendentiam ad terminum, nisi terminus intuitiuè simul videatur. Nā quanuis de intrinseca ratione relatiui sit non posse quidditatiuè cognosci: nisi cognito termino in obliquo; hanc tamen essentialitatem non habet in ordine ad intuitiuam visionem suæ entitatis; potest enim intuitiuè videri termino solum abstractiuè cognito. Cur igitur denegandum est diuinæ potentiæ, vt possit vnum relatiuum etiam mutuū videri intuitiuè, termino intuitiuè non viso? profectò ex doctrina Aristotelis oppositum non satis sufficienter colligitur. Quare ad vndecimum argumentum meritò neganimus maiorem, si de cognitione intuitiua intelligatur.

27. Ad primam confirmationem cōmuniter solet responderi in hoc casu paternitatem cognosci quidèm esse formam relatiuam, & vt talem videri; non tamen apprehensam modo relatiuo, sed modo absoluto; quatenus apprehēditur, & videtur, vt forma hypostatica constitutiua personæ in esse personæ, & determinatiua essentiæ ad subsistentiam personalem. Quæ omnia sibi conueniunt, non vt est *ad*, sed vt est *in*, sub qua ratione, quanuis in se ipsa sit forma relatiua, concipitur modo absoluto, vt doctissimè annotauit Fonseca libro quinto Metaphysicæ capite octauo quæstione 5. sectione 8. in principio. Modo inquā absoluto absolutione quadam veluti transcendente, & communi omnibus prędicamentis tam absolutis, quàm relatiuis.

Ad primam confirmationem. 1. solutio.

Fonseca.

28. Cui solutioni fauet, quòd licet paternitas sit vna simplicissima forma tota relatiua; formaliter tamen, & essentialiter includit, & esse *in*, & esse *ad* distincta, non actu, sed virtute, vt idem Fonseca aduertit in d. lib. 5. c. 15. q. 2. sect. 7. §. *neganda est igitur*, & est communis doctrina theologorum, & metaphysicorum. Cum verò illa virtualis distinctio satis sit, vt paternitas, quatenus est *in*, constituat personam, non tamē distinguat; & è conuerso, vt est *ad* distinguat, & non constituat, vt est recepta theologia; quid mirum, si satis etiam sit, vt diuina potentia videatur, prout solùm est *in*, non verò prout est *ad*? Etenim, qui negant distinctionem istam virtualem satis esse ad vnum, & non ad alterum (vt Molina) deberēt id non simpliciter asserere, sed probare. Iuxta hunc dicendi modum dandum est istum non videre paternitatem, vt est *ad*: nam quanuis à parte rei paternitas illa tendentiā habeat ad Filium; non tamen oportet, vt secundùm illam tendentiam moueat intellectum videntis, nec vt secundùm illam repræsentetur ab essentia, vt subit rationem speciei intelligibilis. Quare probatio huius partis satis est debilis.

29. Possemus etiam secundo modo hanc difficultatem explicare admittendo istum videre Patrem referri ad Filium; ita vt non solùm videat entitatem paternitatis, quatenus sub ratione *in* cōstituit personam; sed etiā, vt sub ratione *ad* tendit ad Filium: negando tamen inde inferri necessariò videri Filium. Etenim ex dictis ad principale argumē tum non implicat videri vnum relatiuum, etiam secundum realem tendentiam ad terminum, termino ipso intuitiuè non viso, Deo sua omnipotentia impediente naturalem concursum obiectiuum termini. Posset igitur iste diuina potentia videre Patrem, etiam secundùm formalem tendētiam ad Filiū; quanuis non videret intuitiuè personā Filij, sed solùm abstractiuè. Vtraque solutio mihi satis est probabilis ad impediendam implicationem.

2. solutio.

Ad

30. Adconfirm. Ad secundam confirmationem dandum est Patrem in hoc casu non videri cum actuali generatione Filij; & subinde non videri omnibus modis, quibus extensiuè est visibilis. Nec id est absurdum; nam cum diuinam omnipotētiam in hac materia expendimus, iam supponimus illam visionem non esse omnibus modis perfectam. Vtrum verò dicenda sit beatifica? expendemus art. 6. & hæc pro defensione sententiæ affirmantis.

§. 4.

Pro defensione partis negantis afferuntur argumenta affirmantis.

31. DIximus supra sententiam negantem posse etiam defendi: nam eā esse probabilem ostendit patronorum multitudo, & auctoritas.

Adducūtur argumenta pārtis negātis. 1. Argum. Auctores partis affirmantis contra eam multis insurgunt. Primum argumentum sumitur ex Scoto; quia nulla datur implicatio, si vna persona sine alia videatur: facilé enim soluuntur argumenta, quibus implicatio confirmatur.

32. Secundū. Secundo: personæ non pertinent ad obiectum primarium visionis, sed solùm ad secundarium. Ergo non implicat videri obiectum primarium, nempe essentiam cum vna sola persona alijs non visis. Antecedens supponitur: consequētia probatur; quoniam ideo potest videri essentia cum vna, vel pluribus creaturis, alijs non visis; quia creaturæ pertinent ad obiectum secundarium. Nam, cum visio per se non pendeat, nisi ab obiecto primario, variatio in obiecto secundario visionem non impedit.

33. Tertiū. Tertiò; Verbum diuinum procedit ex visione intuitiua essentiæ in sola persona Patris, non vero ex visione intuitiua, aut ipsius verbi, aut Spiritus Sancti. Ergo non implicat essentiam intuitiuè videri in vna persona duabus alijs intuitiuè non visis. Consequentia videtur nota: antecedens autem non solùm est communis sententia Scotistarum, sed etiam plurium Thomistarum, vt referūt Cumelius, Bellomontanus, & alij: pleriq; enim Thomistarum putant Verbum non fuisse productum á Patre ex cognitione intuitiua sui, & Spiritus Sāti; sed ex cognitione veluti abstractiua, & simplicis intelligentiæ vtriusque: voluntq; hanc fuisse sententiam Caietani 1. p. q. 34. ar. 3.

Quartò; Pater in illo priori originis ante generationem Filij intuitiuè videt, & suam essentiam, & se ipsum; & tamen non videt intuitiuè Filium, aut Spiritū Sanctum. Ergo non implicat videri vnā personam sine alijs. Patet consequētia. Antecedens probatur: tum; quia fieri non potest, vt Filius intuitiuè videatur, antequam sit productus: quod etiam de Spiritu Sancto est verisimum. Filius autem, & Spiritus Sanctus pro illo instāti originis non sunt producti. Tum secundo; quia si pro illo instanti originis Pater non posset videre se ipsum, nisi intuitiuè videndo se ipsum, & Spiritum Sanctum; vtiq; non solùm à Filio, & ab Spiritu Sancto reciperet aliquid, quod ad perfectionem essentialem pertinet; sed etiam aliquid, quod pertinet ad potentiam notionalem: etenim reciperet ab vtroque visionem beatificam, quæ est quædam perfectio simpliciter & essentialis: esset enim beatus pro illo signo. Præterea reciperet à Filio reponi in actu 1. ad producendum: & subinde reciperet fœcunditatem in sua memoria, vt posset Filium generare. 34. Quartū.

Quintò; quælibet persona intelligit intellectu, vt est in ipsa, non vero vt est in alia. Ergo quælibet persona perfectè intelligit diuinam essentiam, vt essentia est in ipsa persona. Quid igitur implicat, si vna persona videatur sine alia? 35. Quintū.

§. 5.

Soluuntur pro negante tria priora argumenta.

HÆc sunt potiora argumenta, quę ex Scoto, & alijs adducuntur cōtra opinionem negantem, quam modo defendimus: quæ licet difficilem habeant solutionem: soluuntur tamen satis sufficienter. 36.

Ad 1. Ad primum dicendum est implicationem fumi ex eo, quòd vna persona non potest videri non visa essentia. Iam verò essentiam videri non visis omnib' personis apud auctores huius sententiæ est omnino impossibile, vt diximus in præcedente ar. §. 2. & 9.

Ad 2. facilè patebit solutio ex dictis in d. §. 9. in solutione secundi argumēti. 37. Ad 2.

Nam vel neganda est consequentia admisso antecedente; quia non omne obiectum secundarium potest non videri viso primario; vt potè quia non in omni datur necessaria connexio, & habitudo ad primarium: vel negandum est antecedens, quod sine probatione supponitur. Et hęc est verior solutio. Vide ibi.

38. Ad 3. 1. solutio.

Tertium argumentum facilè solueretur, si vera foret sententia, quæ inter Thomistas est communior, Verbũ scil. Diuinum procedere quidem per actum intellectus, vt est in Patre; non quatenus formaliter est intellectio, sed quatenus formaliter est dictio; sub qua ratione nostro intelligendi modo antecedit se ipsum, quatenus formaliter est intellectio. Quæ fuit opinio plurimorum Thomistarum, quam inter alios probauit Torres de Trinitate q. 27. art. 5. disput. vnica in 3. p. fol. 38. col. 1. §. *iam vero reiectis*. In hac enim opinione negandum est antecedens; quia Verbum Diuinum præsupponitur productum à Patre, antequam Pater intelligat aut essentiam, aut personas: etenim apud istos dicere (quod est producere Verbum) præsupponitur ad intelligere. Sed opinio ista communiter reijcitur: & merito; quia Verbum Diuinum producitur per actũ intellectus paterni, vt formaliter est intellectio, vt ex Augustino aliquando demonstrauimus.

Torres.

39. 2. Solutio.

Quare secundo loco alij absolutè negant Scoto Verbum Diuinum procedere ex notitia intuitiua solius essentiæ: imo putant Verbum procedere ex notitia intuitiua non solùm essentię, sed etiã omnium personarum; ita vt Pater æternus generet Filium ex notitia intuitiua non solùm sui ipsius, sed etiam Filij, quẽ generat, & Spiritus Sancti, quem producit. Reprehenduntque eos Thomistas, qui cum Scotistis oppositum sentiunt. Ita Cumelius 1. p. q. 34. art. 3. q. 1. concl. 4. vbi etiam Molina disp. vnica in fine; Bellomontanus 1. p. disputat. 142. cap. 2. Suarius lib. 1. de Trinitate capit. 6. n. 7.

Cumelius. Molina. Bellomõt. Suarius.

3. Solutio.

Facilius soluetur argumentum, si dicamus notitiam, qua Verbum Diuinum à Patre producitur, provt consideratur vt est in se, esse intuitiuam, non solùm essentiæ, sed etiam personarũ: nec enim diuinus Pater à parte rei vidit aut essẽtiam, aut se ipsum, quin eadem visione simul viderit & Filium à se genitum, & Spiritum Sanctum à se, Filioque procedentem. Nam licet in diuinis à parte rei admittatur prius, à quo alius, & qui ab alio; non tamen admittitur aliquod prius, in quo vna persona sit non existẽte alia, vt Fides docet, & cõmunis Theologorum sententia. Vnde nõ datur pri⁹, in quo Pater videat essentiam in se ipso non videndo Filium, aut Spiritum Sanctum. Nam sicut in diuinis nullum datur instans, in quo realiter sit Pater sine alijs personis; ita non datur instans, in quo Pater se ipsum intuitiuè viderit, aut videre potuerit, alijs personis intuitiuè non visis. Et in hoc non possunt non cõuenire omnes vtriusque opinionis auctores.

40. 1. Controuersia.

Potest tamen esse duplex inter eos controuersia. Prior est; an visio illa intuitiuè ad essentiam, & personas terminata sit notionalis, & fœcunda, vt formaliter sit Verbi productio, ac Filij generatio, quatenus præcisé terminatur ad essentiam, & personam Patris; an verò id ipsum etiam habeat, provt terminatur ad alias personas? Cuius difficultatis resolutio ad præsens institutum parum conducit: quoniam siue hoc, siue illud dicas, nunquam inferes vnam personam posse videri sine alia. Nam si posterior pars placuerit; non poteris non fateri Patrem diuinum ita simul videre omnes tres personas, vt illis non visis non possit esse fœcundus ad generandũ Filium, vnde argumentum pro nobis erit. At si placuerit prior pars, quæ probabilior est, & verior; non video, quomodo inde possit inferri vnam personam posse videri sine alia.

41. 2. Controuersia.

Posterior ad huc esse potest controuersia; an nostro intelligendi modo detur instans rationis, in quo Pater intelligat se ipsum, & suam essentiam non intelligendo aut Filium, aut Spiritum Sãctum? cuius etiam difficultatis resolutio ad nostrum institutum parũ refert. Nam licet admittamus illam rationis prioritatem; illa tamen, sicut non excludit simultatem existentiæ ex parte rei cognitæ: ita non excludit rationem intuitus ex parte cognitionis. De quo plura in solutione sequentis argumenti.

§. 6.

§. 6.

Pro solutione quarti argumenti incidenter expenditur, an inter diuinas personas admittenda sit prioritas originis, & rationis?

42 Quæstio de prioritate originis incidenter explicatur.

PRo solutione quarti argumẽti prị dissoluenda est difficultas non dum satis explicata, an in diuinis admittenda sit prioritas originis? cuius resolutio non erit iniucunda, quanuis incidenter occurrat.

43 1. Opinio. negat.

Quidam putant nõ esse in diuinis admittendam vllam prioritatẽ, posterioritatem vè originis: quia in diuinis non datur prius, aut posterius, vt dicitur in *Athanasi.* Symbolo Athanasij, sed tãtùm datur ordo originis, quatenus vna persona est *Augusti.* ab alia, & non viceuersa, vt docet Augustinus lib. 3. contra Maximinũ c. 14. vbi genitum esse à genitore refert ad ordinem originis, quem appellat ordinem *D. Thom.* naturę. De quo etiam D. Thomas 1. p. q. 42. ar. 3. in corp. & ad 3. Qui ordo naturalis originis datur absque vlla prioritate, aut posterioritate, vt expressè docet D. Thomas in d. ar. 3. in corpore, & ante docuerat q. 33. art. 1. ad 3. ex Aug. loco citato, vbi admittẽs inter diuinas personas ordinem originis, expressè asserit vnam personã nõ esse altera priorem. Itaque quanuis Pater sit à se, & Filius à Patre, & Spiritus Sãctus ab vtroq; propter ordinem originis: tamen nec Pater est prior origine, quàm Filius; nec *Molina.* Pater, & Filius sũt origine priores, quã Spiritus Sanctus. Quæ fuit opinio Molinæ 1. p. q. 12. ar. 8. disp. 4. ad primam probationem Scoti, latius q. 42. ar. 3. §. *Prætermissa ergo.* Quę sententia, vt diximus *D. Thom.* fuit D. Thomæ 1. p. q. 42. ar. 3. in corp. & q. 33. ar. 1. & 3. & de potentia Dei q. 10. *Ægidius.* ar. 1. ad 10. Cum D. Thoma cõsentit Ægidius noster in 1. d. 9. in 2. p. q. 2. Noster *Argent.* etiam Argentina ibi q. 1. ar. 4. & Gerar- *Gerard.* dus q. 2. ar. 1. & præceptor frater Franci- *F. Francis-* scus à Christo q. 2. cõcl. 3. & ad 6. quã- *cus à Chri-* uis in solutione argumenti contra ter- *sto.* tiam non satis videatur sibi constare. *Aureolus.* Idẽ probauit Aureolus in 1. d. 9. q. 1. ar. *Capreol.* 3. satis inclinant Thomistę, vt patet ex *Caietan.* Capreolo in 1. d. 29. q. 1. ar. 1. concl. 4. & *Torres.* Caietano 1. p. q. 42. ar. 3. §. *Circa hanc partẽ,* *Banhes.* vbi etiam Torres, & Banhes in coment. *Cumelius.* cũ Cumelio ibi q. 1. concl. 1. & 2. in fine.

44. Ego tamen non video, cur prioritas originis inter diuinas personas non sit admittenda, si idem est esse prius origine, quòd esse, à quo alius: posterius origine idem est, quod esse ab alio; ita vt prioritas, & posterioritas originis sit esse à quo alius, & qui ab alio. Quin potius existimo cum nostro Toletano in *Tolletanus* 1. d. 9. & 10. q. 1. ar. 2. in principio loquutionem istam in sensu explicato nõ posse ab aliquo Catholico negari; quia fides admittit ordinem originis inter diuinas personas, vt vna sit, à qua alia, & alia, quæ ab alia: etenim à Patre est Filius, Spiritus Sãctus est à Patre, & Filio. Sed dicent aduersarij locutionem illam non posse non admitti in illo sensu, cum verè ille sit Catholicus; at tamen simpliciter prolatam potius negandam esse, quàm admittendam; quæ est sententia Caietani 1. p. q. 42. ar. 3. Banhes. Cumelij, & Valentiæ; qui omnes cum Caietano docent sensum tenendum esse; linguã tamen esse cohibendam: tum propter reuerentiam Sanctorum, qui his vocabulis vsi non sunt. Tum; vt tollantur erroris occasiones. Tũ denique, quia hæc locutio parit obscuritatẽ in rebus manifestis. Sed placet magis opinio Bellomõtani 1. p. disp. 167. c. 2. qui putat prioritatem originis simpliciter esse admittendam; vt quia in ea nihil sit, quod suadeat linguam à tali locutione esse cohibendam; cum & à grauissimis Theologis absque vllo scrupulo simpliciter admittatur; & doctrinæ Sanctorum sit maximè conformis, & Theologię satis cõsentanea; denique nihil in hac loquutione latet, quod errandi occasionem præbeat, si semel exprimatur prioritas in origine. Singula persequamur.

Oppostæ opinio verior.

An simpliciter admittẽda sit. Quidam negant.

45 Placet affirmatio.

Quòd prioritas originis à plũribus Theologis etiã antiquissimis simpliciter absq; vllo additamẽto, aliqua vè sensus explicatione vsurpetur, ex eo patet, quia præter Scotum, & Scotistas prioritatem originis inter personas simpliciter admisit D. Bonauent. in 1. d. 12. ar. 1. q. 1. ar. 6. & 8. & post eum noster Gregorius in 1. d. 9. q. 1. & Gabriel ibi q. 3. Marsilius in 1. q. 13. ar. 2. Eandẽ esse admittendam contra Aureolum late probat Bachonius in 1. d. 6. q. 1. ar. 1. post principium, & inferius §. *Primo ergo descendendo.* Ex nouioribus id ipsum latè ostendit Bellomontanus, vbi supra, & hunc

46 Prioritas originis simpliciter admittitur à Theologis. *Scotus.* *D. Bonauẽ.* *Gregorius.* *Gabriel.* *Marsilius.* *Bellomon.*

dicendi

dicendi modum satis esse probabilem testatur Suarius in Metaph. disp. 12. sect. 1. n. 10. pag. 276. col. 1. & lib. 4. de Trinitate c. 15. nu. 6. Quin potius Gerardus noster, quē aduersarium habuimus, eā admittit in 1. d. 1. q. 2. ar. 3. pag. 95. col. 1. §. *Ad inconuenientia*, cum nostro Francisco à Christo vbi supra in solutione argumenti contra tertiam. Denique modus ille loquendi apud nouiores simpliciter est vsurpatissimus.

Suarius. *Gerardus.* *F. Francisc⁹ à Christo*

47 Admittitur à Patribus.

Quòd verò prioritas illa à Patribus simpliciter admittatur, multis ostendit Bellomōtanus vbi supra, quidquid Suarius in d. disp. 12. sect. 1. pag. 276. col. 1. in medio dicat eam in Patribus non inueniri. Nam prioritatem in ordine originis, & caussalitatis (in sensu, in quo Græci caussalitatem admittunt in diuinis) euidentissime agnoscit Magnus Basilius lib. 1. aduersus Eunomiū longè ante finem pag. in impressione Parisijs 264. col. 1. & lib 3. contra eundem post principium pag. 280. col. 1. in principio, & litera C. Eandem prioritatem caussalitatis (caussa sumpta pro principio) admittit Richardus de Sāc̄to Victore lib. quinto de Trinitate cap. septimo prioritas autem principij, & caussalitatis est prioritas originis.

Basilius. *Richard. de S. Victore.*

48

Eadem prioritas satis clare colligitur ex verbis Nazianzeni in oratione de Dogmate, & cōstitutione Episcoporū (quæ est vigesima nona) vbi pag. mihi 238. agēs de generatione Filij ita ait: *Ita concurrit essentia Patris cum Vnigeniti generatione, qui ex ipso quidèm est; cæterum non post ipsum: aut saltem sola principij cogitatione.* Sensus est: Filius licet sic ex Patre; non tamen est post Patrem posterioritate tēporis, vt nobis (de hac enim posterioritate in præcedentibus agebat) aut si post illum velis dicere, id intelligas necesse est ratione principij, & caussalitatis: nā statim addit: *principiū hic pro caussa accipio.* Caussa autē apud Græcos, & principium apud Latinos originē denotant. Nazianzenus igitur non reijcit, sed admittit prioritatem in ordine principij, & caussalitatis, qui est ordo originis, vt satis ibi explicant Scholia illius n. 2.

Nazianz.

49

Damascenus etiam lib. 1. de Fide c. 9. paulo ante finē agnoscit hanc originis prioritatem inter diuinas personas his verbis: *Si autem dicimus Patrem principium esse Filij, & maiorem; non priorem ipsum Filio, aut tempore, aut natura ostendimus, nec secundū aliud quodcunque, nisi secundum caussam.* Ecce disertis verbis, dum admittit Patrē esse Filij principium admittit Patrē esse Filio priorem secundū caussam, idest originem, vt optimè explicat ibi Clitoueus & satis id significant verba immediatè sequentia: *Hoc est; quia Filius ex Patre genitus, non autem Pater ex Filio; & quia Pater caussa est naturaliter Filij.* Quę verba euidēter denotant Patrem ideo esse priorem Filio; quia ex eo Filius originatur. Sed adhuc Auctor libri de triplici habitaculo apud Augustinum tomo 9. c. 6. his verbis scribit: *Pater non præcessit Filium tempore; sed origine, nec Spiritum Sanctum.* Præcedere autē significat prioritatem. Nō est igitur negandum auctorē illius libri aliàs grauissimum inter personas agnoscere originis prioritatem.

Clitoueus.

50

Nec Græci prioritatem, & posteriorităte naturalis ordinis in diuinis personis negabant; quanuis negarent originem Spiritus Sancti ex Filio: ita enim scribit Marcus Ephesiorū Episcopus in Concilio Florentino sessione 20. pag. 849. col. 1. in principio impressionis Venetæ: *non equidem protuli Spiritum Sanctum ad Filium, verum post Filium disponi: necesse est enim, vt in diuinis ordo numerādi seruetur; ita vt Filius post Patrē, Spiritus verò post Filiū numeretur,* Nō quidem ordine solùm vocali, sed ordine reali, naturalique vt apertè fatetur idem Marcus in eodem loco. Nec Latini in hoc illis contradicebant; sed in eo potius, quòd ordinem illum, & posterioritatem inter Filium, & Spiritum Sanctum negarent esse originis, quam inter Patrem, & Filium agnoscebant.

Concilium Florent.

51 In diuinis personis admittitur ordo primi 2. & 3.

Prioritas originis adhuc efficacissimè deducitur ex illis Patribus, qui inter diuinas personas admittunt ordinem 1. 2. & 3. ita vt Pater sit Prima persona, Filius secūda; Spiritus Sāctus sit tertia. Hoc docuisse Epiphanium, Athanasium & Basilium refert D. Thomas opusc. 2. contra errores Græcorum cap. 2. & 3. & esse sententiā Sanctorū Patrum constanter affirmat Ioannes theologus in Concilio Florentino sessione 20. 21. & 22. cum sequentibus, vt facilè est videre volumine 4. Conciliorum Venetijs sessione 20. fol. 847. colūn. 2. & sessione 21.

D. Thom. *Cōc. Florē*

pag.

pag.813.col.1.& pagin.855.col.1.& sessione 22.pag.862.col.1.&multis alijs in locis. Et hanc etiã fuisse sẽtentiã Græcorum affirmat Marcus Ephesinus in eodem Concilio sessione 20.pagin.849. col. 1. & 2. Nam licet Græci noluerint admittere Spiritum Sanctum ordine,ac dignitate,siue origine esse tertium; admittebant tamẽ Spiritum Sanctum ordine quodam reali tertium disponi,atq; adaptari post Filium, vt patet ex his, quæ retulimus ex pagin.249.col. 1.post principium,& column.2.in medio: imò absque vlla contradictione confitebatur Filium ordine, & dignitate, originẽque esse secundum à Patre: in hoc enim,&Græcos & Latinos conuenire fatetur Ioãnes sess.21.pag.854.col.1.post medium.Nullus igitur dubitare potest, quin hæc sit inter Sanctos Patres tam Latinos, quam Græcos vsurpatissima locutio. Vnde merito apud nouiores Theologos est receptissima: omnes enim sine vlla dubitatione docent Patrẽ esse primam Trinitatis personam,Filiũ secundam, & Spiritum Sanctum tertiã. Constat autem ibi dari ordinem prioris,& posterioris,vbi datur ordo primi & secundi: nam quod in aliquo ordine primum est,illud in eodem ordine cęteris omnibus est prius.

52. 1. Solutio ad præcedẽ tẽrationem

Sed hæc ratio dupliciter eliditur à nonnullis. Vno modo à D. Thoma in d. opusc. 2. cap. 2. dum ait locutionem illam Patrum solùm esse veram in sensu improprio, & in eo explicandam esse: quia propriè loquendo nec Filius potest dici secundus à Patre, nec Spiritus Sanctus tertius ab eodem. Cum D. Th. satis consentit noster Ægidius in 1. d.9. 2.p.q.2. in fine corporis, & ad primum vbi negat in diuinis personis dari rationem primi,& secundi,idem asserunt nostri Argentina,& Gerardus in 1.d. 9. ille q.1.art.4.ad 4.hic q.2.art.2.pag. 305. col. 2. ad quartam rationem. Addit D. Thomas ideo vnam personam diuinam dici primam,aliam secundam,aliam denique tertiam quia vna primo loco fuit à Christo Domino enumerata, alia secundo, alia deniq; 3. loco dum dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quem sensum colligit D. Thomas ex D. Basilio, dum ait: *Recipimus Spiritum Sanctum à Patre, & Filio tertio connumeratum.* Et ab Epiphanio,dum ait: *Spiritus Dei ex Patre, & Filio tertius est appellatione.* Ex quibus verbis colligit D. Thomas denominationes illas esse admittendas ex sola enumeratione Christi;non verò ex eo,quòd propriè loquẽdo vna persona sit prima, alia secunda; & alia tertia.

D.Thom. Ægidius. Argentin. Gerardus. D.Thom.

Secundo modo respondet Gerardus noster, vbi supra §. *alio modo potest dici,* pag.306.col.1.in principio: & admittit (licet cum formidine) loquutionem illam fortè esse propriam:inde tamen nõ bene inferri admittendam esse aliquam prioritatem secundum originem. Rationem discriminis inde sumit;quia nomina primi,secundi,&tertij simpliciter dicunt ordinem; at nomina prioris, & posterioris dicunt ordinẽ cum successione.

53. 2.Solutio.

Sed solutio videtur recipienda. Nam hęc posterior in eo deficit, quód putat successionem necessario includi in omni prioritate,& posterioritate:nã quantus fortè admittenda sit in prioritate, simpliciter ,plata, quia simpliciter supponit pro prioritate durationis,quę ex se est successiua ;non tamen est admittẽda in prioritate originis diuinę. Quare si ordo primi, & secundi propriè admittitur in diuinis ratione originis; nõ est,quod propriè non admittatur in eodem ordine ratio prioris secũdum originem

54. Non placet 2. solutio.

Contra priorem solutionem efficacissimè faciunt,quæ in Concilio Florẽtino sessione 20. cum sequentibus ab vtraque Ecclesia latissimè disputantur, & maximè quia latissimè disputatur, atque vehementissimè, an admittendũ sit Spiritum Sanctum esse ordine, atque dignitate,siue origine tertium. Etenim si diligentius expẽdatur illa disputatio satis,superque conuincet locutiones illas à Sanctis vsurpatas, & ab vtraque Ecclesia receptas non impropriè explicandas esse, sed proprijssimè. Et quidẽ quod non appellatione solùm, & voce locutiones sint explicandę verbis expressis docet Ioannes Theologus in d. sessione 20.pag.849. col.1. in principio dum contra Marcum Ephesinum infert in hæc verba: *Talem igitur enumerationis ordinem tantùm vocalem esse putas?* Quod tamen tanquã verè absurdũ non admittit

55. Non placet 2.solutio.

Marcus;

Marcus; quin potius expressè fatetur ordinem primi, secundi, & tertij inter diuinas personas modo quodam esse realem; fateturque illum dispositionis ordinem apud Theologos inueniri. Quam responsionem, & doctrinam Ioannes ille probat, tanquam verissimam; dispositionem scilic. illam primi, secundi, & tertij non esse tantùm secundùm vocẽ, sed secundum ordinem naturę. Vide ibi pag. 849. colũn. 1. Quod etiam ex eo, vel euidenter videtur probari; quoniam (vt Bellomõt. bene aduertit Bellomontanus in d. disp. 167. capit. 2. num. 8.) si sola voce, & solo numero intellect' vna persona esset prima, alia secunda, & alia tertia; vtique Spiritus Sanctus posset dici prima persona, & Pater secunda, Filius verò tertia: qui enim pro libito enumerat, ita ab hac vnitate potest incipere, sicut ab illa; & in hanc, sicut in illam desinere.

56. Epiphani' Nec oppositum colligi potest aut ex Epiphanio, aut ex Basilio. Etenim Epiphanius lib. 3. contra hæreses hæresi 74. fol. mihi 401. litera C. dum ait Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio esse tertium appellatione, siue nomenclatura (vt alij vertunt) nec intellexit, nec potuit intelligere eum esse tertiũ appellatione dũtaxat, & voce. Tum; quia aliàs non bene probaret Spiritum Sanctũ esse Deũ. Tum etiam; quia pag. 399. postquam scripsit Spiritum Sanctum esse lucem tertiã, in hoc eum distinguit à cæteris, quod cætera appellatione sint alia; his verbis significans Spiritum Sanctum nõ appellatione tantùm, sed re, & verè esse Basilius. lucem tertiam. Verba autem Basilij nõ conuincunt Spiritum Sanctum solo numero, & voce esse tertium, & in hoc solo sensu fuisse à Christo numeratum tertio loco. Quin potius oppositum colligi ex Basilio satis fatetur Marcus vbi supra, dum ex Basilio deducit Spiritum Sanctum esse tertium non voce, sed ordine reali.

57. Ratio primi, secundi & tertij proprie reperiũ in diuinis personis. Deinde quod ratio primi, secundi, & tertij non impropriè, sed verè reperiatur in diuinis personis, euidenter colligitur ex doctrina præcitati Ioannis in d. sesione 20. pag. 850. col. 1. nam postquam conclusit Magnum Basilium cum Eunomio hæretico in hoc conuenire, quod Spiritus Sanctus ordine, & dignitate sit tertius, contra eum obijcit Marcus in hæc verba: *Veritatem igitur Eunomius asserebat Sanctum Spiritum ordine ac dignitate tertium esse.* Cui respondet Ioannes: *Cur non?* his verbis expressè declarans Spiritum Sanctum ordine, & dignitate verissimè esse tertium. Imò hanc propositionem sine vlla dubitatione esse verissimam affirmat ex Basilio sessione 23. pag. 868. colũn. 1. post medium. Ex quo euidenter infertur loquutionẽ illam à Patribus vsurpatam esse, pprijssimam: nam quod secundum veritatem est tale, propriè est tale: quod enim impropriè est tale, cum simpliciter non sit tale, sed secundũ quid; verè non est tale. Concilium Florentinũ.

Eandem veritatem manifestè cõuincit longa illa, & satis controuersa disputatio inter vtrãque Ecclesiam in Cõcilio Florentino sesione 20. cum pluribus sequentibus, an Spiritus Sanctus ordine, & dignitate sit tertia persona Trinitatis? Cuius quæstionis partem negãtem probauerunt Græci: quanuis enim ordinem primi, secundi, & tertij admitterent (vt patet ex Marco in d. sesione 20. pagin. 849. col. 1.) negabant tamen Spiritum Sanctum ordine, & dignitate esse personam tertiam, vt patet ex tota illa disputatione, maximè pag. 845. col. 1. & 846. column. secunda, & 847. colũn. 1. Cum tamen Latini tota animi contẽtione contenderent in eo sensu Spiritũ Sãctum esse tertiam personam, & in eodem Magnum Basilium cum communi Sanctorum tertium appellasse. Quæ tã importuna disputatio inter vtranque Ecclesiam ideo excitata fuit, & tam acriter pugnatum inter Latinos, & Græcos, quia ex vera illius propositionis resolutione pendebat resolutio principalis controuersiæ, an Spiritus Sanctus ex Filio procederet? At quis dicet Latinos veritatem catholicam ex loquutione impropria tanta cum contentione cõtra Græcos voluisse demonstrare? quis pro Græcis in hac disputatione sententiam non diceret, si locutio illa Patrum in solo sensu improprio vera foret? Cui accedit; quia vtraque Ecclesia in eo firmiter consentiebat, vt Filius verissimè dicatur ordine, & dignitate secundus à Patre: sola erat contentio, an Spiritus Sanctus eodem modo dicendus esset tertius, vt videre est sesione 21. pag. 854. col. 1. post medium. 58. Concilium Florentinũ.

59. Ex ijs, quæ tam lātè diximus, iam patet ordinem primi, secundi, & tertij nō appellatione tantum, & voce admissum fuisse in præcitato Concilio ab vtraq; Ecclesia sed secundū veritatē, ꝓprietatēq; sermonis, ex natura rei, & secundū ordinē realē. Inde necessario infert in diuinis personis admittēdā esse prioritatē originis: nā, quod in aliquo ordine primū est, pri⁹ est cęteris eiusdē ordinis.

60. Probatur ratione. Et vt rem istam concludamus; hac etiam ratione demonstrari potest prioritas, & posterioritas originis, ex quo alius, & qui ab alio inter diuinas personas. Etenim nulla est inter Theologos ambiguitas dari inter diuinas personas naturalē ordinē originis id enim docet *D.Thom.* D. Thomas 1.p.q.42.ar.3. ex *Aug.* lib. 3. *Augusti.* cōtra Maximinū c. 14. *Basilius* etiam id *Basilius.* euidēter ostēdit cōtra Eunomiū Hęreticū negantē omnē ordinē à diuinis lib. 1. contra eundē pag. mihi 261. col. 1. lit. A.B.C. Porrò vbi datur ordo non posse non dari prius, & posterius, fundamētū erat Eunomij, qui ideo ordinē in diuinis negabat, ne cogeretur in diuinis dare prius, & posterius; supponēs ordinem sine prioritate, nec cogitari posse. Et in hoc quidem approbabatur à Basilio in præcitato loco. Quin potius idem Basilius ex eo, quód in diuinis datur prius, & posterius non positione nostra, sed naturali quadam rerum consequutione, vrget hæreticum, vt ordinem in diuinis admittat.

61. Vide, quæ ex Basilio superius adduximus: ex illo enim euidēter habebis, nec pri⁹ aut posteri⁹ sine ordine; nec ordinē sine aliquo genere prioris, & posterioris dari posse. Quod etiam facile ostenditur, si propriam ordinis rationem expendamus. Ordo enim dicitur habitudo plurium ad vnum principium ex D. *D.Thom.* Thoma in d.q.42.ar.3. Iam verò principium illud non potest in illo ordine, & dependētia non esse primum; à quo alia *D.Bonau.* eiusdem ordinis. Vnde D. Bonauent. in 1.d.2.ar.2.q.1. & 2. & Durandus in 1. d. 20.q.1. ordinem definiunt per habitudinem ad vnum primum. Quod autem est primū in ordine, est etiā in ordine pri⁹, vt iā diximus, & satis expressit Basilius vbi supra, dū in habitudine causarū ad vnū principiū docet illud pręponēdum esse, ex quo fūt alia; & inde infert in ordine originis (quem admittit in diuinis) Patrē pręponi Filio, vt priorē origine.

62. Quomodo sit loquēdū. Vt verò, quæ á Caietano, & aduersarijs obijciuntur, facilè dissoluantur; cōcludimus prius, & posterius in diuinis simpliciter, & absolutè non esse admittēdum; quia hæc simpliciter prolata denotāt prioritatem durationis, & ex cōsequenti dicunt prioritatem in natura substantiali inter ordinata: quæ prioritas à diuinis omnino est releganda. At tamen nullum esse periculum, si in diuinis simpliciter admittatur prioritas secundùm originem; quoniam particula illa *secundùm originem*, dum apponitur, omnem tollit suspicionem prioritatis secundū durationem, & subsātiā: & ob id securè admitti potest, & debet. Potest quidē admitti; quia nulla datur errandi occasio, quidquid dicat Caietanus. Debet autem admitti; quia apud Patres est locutio vsurpatissima, vt vidimus, quidquid cum Caietano nonnulli contradicant. Quare cum Athanasius *Athanas.* in suo symbolo negat in diuinis dari prius, & posterius, intelligendus est de priori, & posteriori, prout denotāt prioritatē durationis, & subsantię. Et in eodē sensu intelligēdus est *Aug.* in d. lib. 3. *Augusti.* contra Maximinū c. 14. dum ab ordine naturæ, quē inter diuinas personas admittit, negat prioritatē, & hæc est cōmunis explicatio inter Theologos. Vide Suariū, & Bellomōtanū locis citatis. Et hæc de ista incidēte difficultate. Accedēdū iā est ad solutionē quarti argumēti, cuius occasione hæc tam latè explicauimus.

Prius origine sine periculo admittitur.

§. 7.

Solutio quarti, & quinti argumenti.

63. Solutio 4. argumenti. EX præmissa resolutione iam patet quartū argumentū facilè solui apud eos, qui putāt nullā prioritatē originis admittēdam esse in diuinis: etenim arg. hanc prioritatē dari manifestè supponit: destructo autē fūdamēto corruit argumēti machina. Sed nec argumentū aliquā vim habet, si Scoto admittamus (vt verè admittendum est) Patrem diuinum priorem esse origine quā Filium; siquidem illa persona dicitur origine prior, à qua est alia; Filius autem est à Patre. Hoc autem concesso argumētum est omnino inutile; quia ex

priori originis (quod est priùs, à quo alius) transit ad prius, in quo vna persona est alia non existente: ita enim habet argumentum: *Pater in illo priori originis ante generationem Filij*: quæ proposito supponit prius origine esse aliquod prius, in quo non est alius; cum tamen verè nõ sit, nisi quoddam prius, à quo est alius. Quæ prioritas stat cũ simultate existẽtiæ, & præsẽtiæ alterius absq; vlla vnius ad aliũ reali antecessione in existendo.

64. Vnde Theologi constanter oppugnãt prioritatem originis, quę sit prioritas *in qua*, vt patet ex nostro Toletano in 1. d. 9. quæstione 1. articul. 2. concl. 1. quo in loco arguit Scotũ, & sequaces, quòd doceant prius origine esse prius, *in quo*. Si verò hoc non admittit Scotus (quia multis in locis explicat prioritatẽ originis esse prioritatem à quo est alius, vt videre est apud eum multis in locis, tum maximè in 1. d. 10. q. vnica in fine quæstionis ad vltimum litera R.) argumentum illius in hoc deficit, quod de prioritate originis agit, ac si illa sit prioritas in qua in ordine ad durationem, & existentiam. Quare falsum est Patrem ex eo, quia est prior origine, intuitiuè videre se ipsum, & essentiam, non videndo intuitiuè Filium, & Spiritum Sãctum quia Filium esse à Patre, similiter, & Spiritum Sanctum, sicut non tollit, quin simul existant cum Patre; ita non impedit, quin simul cum Patre intuitiué videantur. Et hæc est optima, & facillima huius argumenti Solutio, & satis accõmodata ad veram explicationem prioritatis secũdùm originem, quæ est prioritas, à qua est alius, non verò, in qua vnus est sine alio.

65. Ad argumẽtum in forma. Ad argumentum igitur negãdum est antecedens ob præcitatam rationem. Cuius prima probatio eodẽ modo claudicat: euidẽter enim supponimus prius origine in Patre esse quoddam prius, in quo est Pater, antequam sit Filius. Quod est trãsire de priori *à quo* ad prius *in quo*. Secunda antecedentis probatio eundẽ trãsitũ supponit: nisi enim ille supponatur, nullus datur locus difficultati, quam excitat. Pro explicatione tamen illius dicendum est prius, & posterius origine, nullo modo accõmodari posse Patri in ordine ad visionem intuitiuam si in nostra persistamus explicatione: quia solùm accommodari possunt personis inter se; quia solæ personæ ita se habent, vt vna sit à qua alia, & quę ab alia. Non negabo Patrem diuinum in aliquo sẽsu habere visionem essẽtię, & personarum prius origine, quàm Filium; si prius origine idem est, quod à se habere; posterius autem idem est, quod habere ab alio; quæ prioritas originis alterius est rationis, quanuis ad primam cõsequatur, vt optime aduertit Torres de Trinitate in cõment. ad d. quæstionẽ 42. ar. 3. fol. 106. col. 3. §. *nos igitur*, cuius etiam meminit Scotus in quodlib. q. 8. in fine, & in 2. d. 1. q. 1. *Torres.* *Scotus.*

6. Sed nec in hoc sensu argumentũ vim habet; quia talis etiam prioritas nõ est prioritas *in qua*, sed prioritas habendi aliquid à se, cuius posterioritas idem est, quòd habere aliquid ab alio. Quæ etiam prioritas, & posterioritas simul cõstare possunt cum simultate personarum in existendo. Vnde in hoc sensu argumentum etiam transit ad prioritatẽ, in qua Pater est sine Filio, quæ à diuinis relegatur. Quare in quocunquè sensu admittatur prioritas originis, non potest Pater diuinus, quãtuncunq; sit prior origine, videre se ipsum, suamque essentiam non videndo Filium, & Spiritum Sanctum. Quod satis mihi agnouit Scotus in 1. d. 10. loco citato. *Scotus.* Cum verò inde infertur Patrem à Filio suam beatitudinem accipere; neganda est sequela. Nam licet Pater beatitudinem non habeat sine Filio; eam tamen non accipit à filio; quia non est á Filio. Sicut etiã Pater non producit Spiritum Sanctum sine Filio, quia Spiritus Sanctus ab vtroque procedit; inde tamen non bene inferes Patrẽ à Filio accipere vim producẽdi Spiritũ Sanctũ. Vnde nec bene infertur Patrẽ à Filio habere, quod reponatur in actu 1. ad generãdũ: licet enim visio, qua Pater reponit in actu 1. generãdi, sit visio intuitiua omniũ personarũ; nõ tamẽ visione omniũ fit fœcũdus ad generãdũ Imó quãuis ex visione intuitiua omniũ fœcũdaretur; adhuc à Filio nõ acciperet fœcũditatẽ, quãuis eã nõ haberet sine visione Filij. Sed de hoc alibi latius disputari solet. Nũc satis sit 4. argumẽtũ in eo deficere, quod ex prioritate *a quo* transit ad prioritatem *in quo*, quæ à parte rei non reperitur in diuinis.

Sed

67. Instãtia de prioritate rationis.

Sed dicet aliquis, à parte quidem rei non dari priùs, in quo vna persona sit sine alia; dari tamen secundùm nostrũ modum intelligendi, ita vt nostro intelligendi modo Pater diuinus priùs à nobis intelligatur, quam gignat Filium. Ad hoc dicimus ad nostrum institutum parum referre, an inter diuinas personas debeat admitti prioritas secundũ rationem: quoniam siue hanc, siue illam opinionem probes, nunquàm bene inferes diuina potentia fieri posse, vt vna persona videatur sine alia, quod est principale huius quæstionis institutum. Et quidem certissimum est illud nõ inferri, si neges in diuinis admitti posse præcitatam rationis prioritatem, quæ videtur fuisse sententia D. Thomæ 1. p. q. 42. artic. 3. in corpor. quatenus absolutè docet in diuinis dari ordinem originis sine aliqua prioritate, & ad secundũ dum affirmat nec ex parte naturæ, nec ex parte relationum vnam personam esse priorem alia secũdum intellectum.

Durandus Gabriel. Quam sententiam satis probauit Durandus in 1. d. 26. q. 1. n. 18. & d. 27. q. 1. n. 9. & 12. & post eũ Gabriel in 1. d. 26. q. 1. ar. 3. dub. 4. nec aliena est opinio à mente Scoti in 1. d. 28. q. vltima §. *ad quæstionem istam*, & §. *ad primum argumentum principale*, vt alios omittamus. Negata autẽ omni prioritate *in qua* etiam rationis, nullus locus relinquitur 4. argumento.

Scotus.

68. Quod si placet cum alijs admittere in diuinis personis prioritatem *in qua* secundùm nostrum modum intelligendi; & subinde posse Patrem à nobis intelligi, antequam generet Filium (quæ fuit plurimorum sententia, & satis est de mẽte D. Thomæ 1. p. q. 40. art. 4. quam sequuntur omnes Thomistæ, Capreolus in 1. d. 26. q. 1. ar. 2. ad 1. Scoti 3. loco Caietan° 1. p. q. 42. ar. 3. Ferrarien. 4. cõtra Gentes c. 26. §. *sed hæc interpretatio*, Torres de Trinitate q. 42. art. 3. cũ pluribus alijs) si inquam hanc sententiam probes, adhuc non infertur vnam personã posse intuitiuè videri sine alia. Id, quod iam aduertimus supra §. 4. huius ar. in fine. Nam cum prioritas secundum rationem non excludat simultatem existẽtiæ ex parte rei cognitæ; nec etiam excludet rationem intuitus ex parte cognitionis diuinæ, quæ ex sua natura terminatur ad essẽtiã, vt est à parte rei.

D. Thom. Capreolus. *Ferrar. Torres.*

Quare cum prioritate secundùm rationem, qua vnum cognoscitur sine altero, stare potest necessitas, vt nullo modo vnum sine altero esse possit: & ex consequenti cum illa prioritate rationis simul stabit, quod à parte rei vnum sine altero nec videatur intuitiuè, nec videri queat. Ob quam rationem inutilis est hæc consequentia: *intellectus noster concipit Patrem videre se ipsum, suamque essentiam, antequam generet Filium, aut illum intuitiuè videat. Ergo possibile est Patrem videri sine Filio*: quoniam possibilitas, vel impossibilitas huius rei non est expendenda ex nostro intelligendi modo (qui est imperfectus, & diuina concipit ad modum creaturarum) sed ex modo, quo visio paterna se habet à parte rei. Iam verò à parte rei, cum sit intuitiua, non potest terminari ad Patrem, quin simul terminetur ad Filium, & ad Spiritum Sanctũ. Et hæc de solutione quarti argumenti.

69. Ad 5. arg.

Ad quintum argumentum concesso antecedente neganda est consequentia. Et ratio est; quia intellectus concurrit ad intellectionem, vt est principiũ, quo persona formaliter intelligit; & inde est vt persona intelligens intelligat intellectu, vt est in ipsa. At verò obiectum intelligibile, nempè diuina essẽtia terminat intellectionem, vt est in se ipsa: cum verò ipsa à parte rei sit in tribus, & sit in se visibilis secũdùm talem existentiam; vtique à qualibet persona videtur, vt est in tribus. Vide Caietanum 2. 2. q. 2. art. 8. ad argumenta Scoti §. *ad cuius euidentiam*. Et hęc de isto ar.

Caietanus.

ARTICVLVS. V.

Vtrum essentia sine personis, & vna persona sine alia possit videri notitia iudicatiua.

§. 1.
Referuntur opiniones.

1. Quinto loco explicandum est, an essentia sine personis, aut vna persona sine alia possit videri notitia iudicatiua? Cui inquisitioni occasionem præbuit Sotus in 4. d. 49. ar. 3. concl. 2. pag. 602. col. 1. & 603. col. 1. §. *at si de iudicio perconteris*, vbi hanc statuit conclusionem: *quamuis per notitiam iudicatiuam essentia possit sine persona cognosci, atq;*

Sotus.

vna persona sine alia; apprehensiua tamen intuitiua nec per diuinam omnipotentiam est possibile. Ex qua conclusione patet Sotum in principali difficultate, circa quam versamur, propriam habuisse sententiã: putat enim distinguẽdum esse inter notitiam intuitiuam, apprehensiuam, & iudicatiuam. De apprehensiua existimat cum illis, qui negant diuina potẽtia fieri posse, vt aut essentia sine personis videatur, aut vna persona sine alijs. At de notitia iudicatiua sentit cum Scoto, cæterisque, qui oppositam sententiam tuentur. Medius igitur interiacet inter duas sententias inter se oppositas. Et quod attinet ad notitiam iudicatiuam, fundamentum Soti in hoc est positũ, quia potest Deus concurrere cum vno beato ad producendum vnum iuditium & non ad aliud. Potest igitur beatus formare iuditium de Deo, quòd sit vnus, non aduertendo quomodo gignat Filiũ, aut spiret Spiritũ Sanctũ. Quã sententiã cum Soto tenuit Vellosillus in aduertẽtijs ad tomum 9. Augustini q. 16. dub. 2.

2. Hanc Soti sententiam quidam volunt esse probabilem; oppositam tamen esse longe probabiliorem. Ita iudicauit *Medina.* Medina 1.2. quæstion. 11. ar. 4. concl. 4. & 5. Cuius verba ferè ad literam transcripsit *Cumelius.* Cumelius 1.p. quæst. 12. ar. 7. q. 2. concl. 3. & 4. Probabilitatem sententiæ Soti eodem fundamento confirmant. At, quod contraria sententia longè sit probabilior probant; 1. quia Deus, & diuinę personæ eandem habent bonitatem, pulchritudinem, & virtutem. Et cũ videns Deum hæc omnia apprehensiuè videat, impossibile est, quod iudicet diuinam essentiam esse summè pulchram, & perfectam, non iudicando id ipsum de diuinis personis. Secundò; quia visio diuinæ essentiæ non solùm est notitia apprehensiua, sed etiam iudicatiua. Ergo impossibile est, quòd videns diuinas personas non iudicet de earum bonitate, virtute, & pulchritudine. Denique in diuinis personis est eadem ratio fruitionis, nempe diuina bonitas. Fieri igitur non potest, vt videns Deũ, & diuinas personas fruatur essentia sine personis, aut vna persona sine alia. Id autem possibile foret, si videns Deum, & personas posse iudicare aut de essentia sine personis, aut de vna persona sine alijs: cum enim ad fruitionem non satis sit simplex apprehensio, sed necessarium sit iudiciũ vtique si videns Deum, posset iudicare de essentia sine personis, aut de vna persona, & non de alijs; posset frui essentia non fruendo personis, posset etiam frui vna persona nõ fruendo alijs, quod est falsum.

Probatio.

Secunda.

3. Tertia. Tertia potest afferri sententia, quæ sicut putat esse impossibile essentiam notitia apprehensiua videri sine personis, aut vnam personam sine alijs; ita putat id factu esse impossibile de notitia iudicatiua. Hanc sententiam absolutè probarunt quidam ex nouioribus. *Suarius.* Nec longè est à mente Suarij lib. secũdo de attributis negatiuis cap. 23. num. 8. *Bellomõt.* & Bellomontani 1. part. disput. 148. c. 2. si expendantur, quæ ibi scribit n. 6. & 8.

§. 2.

Præmittuntur nonnulla.

4. An notitia apprehensiua in beato distinguatur à iudicatiua PRo clara huius difficultatis resolutione præmittendum est primò; dubitari posse, imò de facto à quibusdam dubitari; an in beato notitia apprehensiua, qua intuitiuè apprehendit diuinam essẽtiam, sit realiter distincta à notitia iudicatiua, qua beatus iudicat de ijs, quę in Deo videt? Etenim controuersum est inter Philosophos, vtrum enuntiatio mentalis diuidẽda sit in apprehensiuam, & iudicatiuam, ita vt apprehensiua sit realiter distincta à iudicatiua, & prior illa? Cuius quæstionis partem affirmantem probarunt quamplurimi ex Nominalibus cum communi Scotistarum si credẽdum est Bargio: *Nominal.* cum quibus est Durandus, & ex Philosophis Appollinaris, Nymphꝰ, & Auerr. *Scotistæ.* *Appollin.* Negatiuam tamen partem probauerũt *Nymphus* alij, inter quos est Gregorius cum ferè *Auerr.* omnibus recentioribus Fonseca, Cursu *Greg.* Conimbricens. & Bellomontano, quos omnes citauimus supra lib. 4. quęstion. 9. articul. 4. numer. primo, & secundo pagin. 559. Merito igitur dubitari potest, an in beatis visio beatifica sit duplex: vna apprehensiua diuinæ essentiæ, altera iudicatiua eorum, quæ in Deo videntur? & quidem apud eos, qui existimãt hasce notitias in beato esse realiter distinctas, iam relinquitur locus quæstioni, an sicut impossibile est essẽtiam diuinã notitia apprehẽsiua videri sine

sine personis, & vnam personam sine alijs; ita etiã sit impossibile dari in beato notitiam iudicatiuam, qua beatus iudicet de essentia, & non de personis, aut de vna persona, & non de alia.

5. præmissũ 2. Præmittendum est secũdo apud eos, qui putant visionem beatificam esse vnam simplicẽ notitiam, quæ simul sit apprehẽsiua, & iudicatiua (quã sẽtẽtiã esse verissimam ostendimus libr. 4. quæst. 9. articul. 3. §. secundo numer. 4.) præter visionem beatificam dari in beatis plura alia iudicia: hoc enim satis supponit Sotus in dict. concluſ. 2. pagin. 603. §. *si de iudicio perconteris*, & Medina 1. 2. q. 3. artic. 5. §. *secundo loco obseruandum est*, & Cumelius in dict. concluſ. 3. & 4. cum pluribus alijs inter quos tamen nonnulla reperitur dissensio. Quidam illorum putant eiusmodi iudicia emanare ab ipsa beatifica visione, ita vt ferantur intra essentiam. Quam sententiam mihi euidenter probat Medina vbi supra: etenim, tãquam certum supponit in beatitudine dari diuersa iudicia, quibus beati iudicant diuersas veritates; Deũ scil. esse omnipotentem, esse vnum, & Trinum, & cęter. Deinde addit beatitudinem principalius collocari in hoc iudicio: *quam bonus Israel Deus ijs, qui recto sunt corde*, de quo Psalm. 72. Quibus verbis expressè declarat iudicia illa non esse lata in politia vespertina de perfectionibus diuinis in proprio genere; sed esse politiæ matutinæ, cum sint iudicia beatifica; & subinde lata à beato intra essentiam. Sed alij admittunt quidem illa iudicia in beatis; non tamen, vt immediatè emanantia ex visione beatifica, sed ex alia extra essentiam, quę sit vespertina; ita vt illi assensus iudicatiui sint assensus perfectionum diuinarum in proprio genere, & in hoc sẽsu hæc iudicia admittit Sotus in d. concl. 2. loco cit & inferius concluſ. 9. §. *at vero forsan quis*, pag. 608. column. 1. & Cumelius vbi supra. Adde Suarium in d. libr. secundo de attributis negatiuis cap. 27. numer. 8. & Bellomontanus 1. part. disput. 148. c. 2. n. 6. & 8.

Sotus. *Medina.* *Cumelius.*

6. Cum igitur in beatis præter visionẽ beatificam (quę simul est apprehensiua, & iudicatiua) dentur plures notitiæ iudicatiuæ; siue illæ dentur intra essentiam, siue extra in proprio genere; iam inquiri potest, an illæ etiam notitię iudicatiuæ possint terminari ad essentiam sine personis, & ad vnam personã sine alia? Etenim de hoc potest esse nonnulla dubitatio.

§. 3.

Resolutio quæstionis.

PRo resolutione quęstionis pri- 1.
statuemus conclusiones, de quibus nullapotest esse difficultas deinde eas, quæ aliquam habere possunt difficultatem.

De visione beatifica, quæ simul est apprehensiua, & iudicatiua, sit prima conclusio. Qui admittit visionem beatificam, vt est notitia apprehensiua, terminari non posse ad essentiam sine personis, aut ad vnam personam sine alijs; non potest non admittere eandem impossibilitatem reperiri in eadem, vt est notitia iudicatiua. Hæc conclusio apud omnes est indubitata. Nam Sotus eam expressè admittit in dict. concluſ. secunda §. *si de iudicio perconteris*, pagin. 603. column. 1. vbi mediam sententiam, quam præmiserat, ita declarat, vt vera sit, si loquamur de iudicio, qui sit assensus in proprio genere, quem affirmat dari in beatis. Vnde addit; *nam de visione secus est; quippe quæ vt illico videbimus, non solùm notitia apprehensiua est, sed etiam iudicatiua naturaliter repræsentans; & ideo non intelligitur, quod quis per illam possit iudicare de re aliqua, quæ est formaliter in Deo, non iudicando de omnibus.* Cum Soto simpliciter transit Cumelius in d. quęst. 12. ar. 7. quæst. 2. concl. 3. pag. 266. col. 2. consentit Suarius in dict. capit. 23. n. 8. affirmans oppositam sententiam esse omnino improbabilem, & post eum Bellomontanus in dict. disput. 148. cap. 2. num. 6. & 8. vbi affirmat non posse id à quocunque non concedi.

1. Conclus.

Cumelius. *Suarius.* *Bellomõt.*

Et merito: quoniã visio illa est notitia quædã ex sua natura incomplexa intrinsecè apprehensiua simul, & iudicatiua. Ergo si semel admittatur eã, vt est apprehensiua, non posse non terminari ad essentiam, & omnes personas non potest non idem affirmari de ea, vt est iudicatiua. Nam præter quam quod ex sua intrinseca natura naturaliter habet vtranque rationem; nulla poterit

8.

assignari ratio discriminis, cur sub vna ratione habeat omnimodã necessitatẽ, vt terminetur ad essentiam simul cum omnibus personis; non verò sub altera. Quare de visione beatifica nulla potest admitti opinio media; sed idem iudiciũ, quod de illa fertur, vt apprehensiua, ferendum etiam est de eadem, vt iudicatiua.

9. 2. Cõclusio. Secunda conclusio: Beati in politia vespertina in qua res in proprio genere cognoscunt, non solùm habere possunt, sed de facto habent notitiam tum apprehẽsiuam, tum etiam iudicatiuam de essentia sine personis, & de vna persona sine alijs. Hæc conclusio etiam est indubitata, eam satis exprimunt Suarius, & Bellomontanus in locis supra citatis. Nam cum illa vespertina cognitio non sit intuitiua diuinæ essentiæ, aut personarum; imó etiam sit libera, vt diximus lib. 4. quæst. 9. artic. 5. §. 1. numer. 13. nihil est, quod necessitet intellectum beati, vt pro libito non feratur modo in essentiam sine personis, modo in vnã personam sine alijs, sicut etiam in via facere poterat. Et ad hunc sensum explicari possunt, quę scribit Capreolus in 1. distinct. 27. quęst. 2. art. 3. ad 8. Durandi contra primam; & Ferrariensis primo contra Gent. cap. 53. beatos scil. quanuis vnicum formẽt verbum essentiæ diuinæ, & personarum, omniumquè attributorum; posse tamen formare plura verba inadæquata de singulis illis obiectis. In quo sensu Capreolum, & Ferrariensem intellexit Bellomontanus in d. disp. 48. c. 1. n. 4.

Capreolus. *Ferrar.*

10. Et hæc nostra conclusio verissima est, siue dicas iudicia ista politiæ vespertinæ rerum in proprio genere immediatè emanare à notitia vespertina ex speciebus infusis (quę est verior sententia, de qua in d. q. 9. ar. 5. §. 1. n. 15.) siue à visione beatifica, quæ fuit sententia quorundam: etenim cum ista iudicia, siue hoc, siue illo modo dicas, sint libera tum quoad exercitium, tumquoad specificationem; non necessariò adęquantur ipsi visioni beatificæ, de quo plura à nobis dicenda sunt in secundo tom. huius nostrę disputationis de beatitudine lib. 7. Est etiam verissima nostra conclusio, siue dicas in illa politia vespertina notitiam apprehensiuam distingui realiter à iudicatiua; siue esse realiter idem cum ea: semper enim verissimum est, beatum posse modo apprehendere Deum vnum non apprehẽsis personis; modo personam Patris, modo Filij, aut Spiritus Sancti. Vnde pro libito nunc hanc laudabit, nunc illam.

Ex quibus inferes cum Suario in d. cap. 23. num. 8. in sensu nostrę conclusionis impertinentem esse distinctionẽ notitiæ apprehensiuæ, & iudicatiuæ, vt illa necessariò terminetur ad essentiam cum tribus personis, hæc autem minimé. Quare in hoc sensu nullus dabitur locus sententiæ Soti, quæ inter duas extremas est media; nisi dicas iudicia ista vespertina immediatè oriri ex visione beatifica, quæ fuit quorundam sententia, vt diximus: hoc enim supposito verissimum est notitiam apprehensiuam beati non posse non terminari ad essentiam cum omnibus personis; iudicium vero liberum esse ab hac necessitate. Sed an Sotus in hoc sensu suam sententiam intellexerit, mihi non constat.

11. Corollariũ. *Sotus.*

Illud etiam aduertam in sensu huius nostræ conclusionis improbabilem esse opinionem Medinæ in dict. q. 11. art. 4. concl. 5. & Cumelij vbi supra concl. 4. dum asserunt fieri non posse, vt vidẽs Deum iudicet de vna persona, & non de alia; aut de essentia, & non de personis. Hęc enim sententia non est vera in iudicio politiæ vespertinæ, quod terminatur ad res in proprio genere. Nec argumenta §. primo adducta pro secunda sententia aliquid pro Medina efficiunt. Nam quanuis videns Deum visione beatifica, & matutina videat in Deo, diuinisque personis vnam esse bonitatem, virtutem, & pulchritudinem (vt tangitur in primo argumento) non proinde necessitatur, vt in politia vespertina non possit aliquid iudicare de essentia sine personis, aut de vna persona sine alijs. Consequentia autem secundi argumenti in sensu nostræ assertionis est omnino inutilis. Sicut etiam in eodem sensu debilis est consequentia rationis tertiæ, vt cuique facilè patebit.

12. Aduertẽtiæ *Cumelius.* *Medina.*

Tertia cõclusio: beati in politia vespertina, in qua res intra Deũ cognoscũt & iudicãt, habere possũt, & de facto habent plura iudicia circa essentiam sine personis, & circã vnã personã sine alijs.

13. 3. Cõclusio.

Hęc

Hæc conclusio facilè probari potest, si supponamus in politia matutina, atque beata dari in beatis plura iudicia circa Deum, diuinasque personas, atque perfectiones. Quam suppositionē satis explicauit Medina 1. 2. q. 3. art. 2. dub. 2. §. *Secundò obseruandum est*, vbi tanquam notissimum supponit in beatis dari diuersa iudicia, non quidem vespertina rerū in proprio genere, sed beatifica, cum in illis, vel in aliquo illorum beatitudinem constituat. Et quanuis hæc suppositio non ab omnibus admittatur (nec enim eam admittit Sotus in 4. d. 49. q. 3. ar. 3. concl. 9. §. *At verò forsitan quis*, pag. 608. col. 1.) à pluribus tamen admittitur, vt Sotus ibi supponit: & mihi videtur admittenda, si debitè explicetur: etenim in politia matutina, quę circa Deum ad intra exercetur, dantur plures tum intellectus, tum voluntatis actiones liberæ, vt cum communi theologorum diximus lib. 4. q. 9. ar. 5. §. 1. n. 13. & alijs in locis: beati enim ex beatifica visione, atque amore prorūpunt in diuinas laudes, in gratiarum actiones, in cultum, & reuerentiam Dei, quo fruuntur.

Medina. Sotus.

14. Cum verò hæ actiones sint liberæ, vt supponimus; nec semper sint permanētes in ipso beato; vt qui nunc prorūpat in laudem Dei, nunc in actionem gratiarum, nunc deniqué in exhibitionem honoris, & reuerētię; non possunt actiones istæ nō dirigi ab aliqua notitia practica eiusdem politiæ matutinæ; & subinde non possunt non dirigi ab aliqua notitia non solùm apprehensiua illarū actionum, sed etiam iudicatiua, quæ dictet nunc Deum laudandum esse, nunc prorumpendum esse in gratiarū actiones, nunc denique Deo exhibendum esse honorem, & reuerentiam. Vnde negari non debet in politia illa matutina admittenda esse plura dictamina practica, quibus varietas illarum actionum dirigatur. Nec de hoc dubitari potest, si in politia matutina semel admittantur liberæ illę actiones, quas esse admittendas, vt probabilissimum supposuimus in dicto lib. 4. loco citato.

15. Dubium. Dubitari tamen potest; an actiones illę immediatè regulētur à visione beatifica, quatenus est notitia practica; an verò ab aliqua notitia iudicatiua emanante ab ipsa visione? Nam si Soto cre-

dimus in d. concl. 9. non defuerunt, qui dicerent iudicia illa dimanare à visione beatifica. A qua sententia non longè videtur esse Medina vbi suprà. Alij tamen volunt ipsam beatam visionem, vt est quædam notitia practica, immediatè regulare matutinas illas, & liberas actiones, quam sententiam, vt probabiliorem secuti sumus in d. q. 9. art. 5. §. 1. concl. 4. n. 16. Qui priorem sententiam probauerit (quæ fortè non est omnino improbabilis, quidquid velit Sotus, cuius argumenta non satis sunt efficacia) non potest non admittere nostram tertiam assertionem: illa enim iudicia (quę simul erunt apprehensiua, & iudicatiua) versari possunt modo circa essentiam sine personis, modo circa vnam personam sine alijs: cum enim beati in illis actionibus sint liberi (vt supponimus) poterunt has actiones nunc referre in totam Trinitatem, nunc in Deum, vt est vnus, nunc denique in personam Patris, &c. Quid enim hoc impedit? Porrò si admittis posteriorem opinionem vt veriorem, adhuc admittendum tibi est ipsam beatam visionem eminenter esse plura iudicia, quāuis in se sit vnus actus simplicissimus; & subinde sua ista eminentiali pluralitate posse regulare liberas illas actiones, quanuis successiuæ sint. Quare in beatis admittenda sunt iudicia, si non actu, saltem eminenter plura. De quo latiùs agendum est 2. tomo lib. 7.

Medina.

16. Ad argum. Medinæ. Nec contra hanc conclusionem aliquid efficiunt argumenta Medinæ in d. q. 11. ar. 4. concl. 5. & Cumelij loco citato. Nam licet videns Deum visione beatifica, & matutina videat in Deo, personisque eandem esse bonitatem, & pulchritudinem (vt tangitur in 1. argumēto pro secunda sententia suprà §. 1.) id non impedit, quominus ipsa visio, vt est notitia practica eminenter contineat illa plura practica iudicia, quibus essentiā à personis, & personas inter se possit intelligendo diuidere, & concipere, vt plura, quæ in Deo sunt vnum: id enim in superioribus latissimè ostendimus. Quòd verò visio illa sit apprehensiua, & iudicatiua simul, nihil nobis officit: quoniam licet, vt est speculatiua, non possit non terminari in essentiam simul, & personas, non solùm, vt apprehēsiua est,

sed etiam,vt est iudicatiua;tamen vt est practica, & regulatiua actionum,quæ à beato intra Deum liberè exercentur, potest eminenter esse plura iudicia regulatiua. Denique tertia ratio parum vrget;quia nõ agimus de fruitione beatifica: hæc enim immediatè oritur ex visione, quatenus essentialiter est beatifica; & subinde quatenus est notitia speculatiua, quã supponimus non posse non terminari ad essẽtiam,vt est in tribus. Et hæc de ista conclusione.

17. 4. conclusio. Quarta conclusio: Apud eos, qui in beatis notitiam apprehensiuam realiter distinguunt à iudicatiua;res est explicatu difficilior.Sed negatiua sententia mihi est probabilior.Nam licet supposita hac reali distinctione concedendum sit posse Deum impedire, ne beatus iudicet de ijs, quæ in Deo apprehẽdit;quia potest non concurrere cum intellectu beati ad tale iudicium; non tamen videtur probabile,quòd possit cõcurrere ad iudicium vnius, & non alterius. Et in hoc videtur mihi verissima opinio Medinæ in d. q.11. ar.4. concl.5. quam etiam probat Cumelius 1.p.q.12. art.7. concl. 4. dum vterque sentit impossibile esse beatum iudicium ferre de essentia sine personis, & de vna persona sine alijs: quanuis illi in his præcisè terminis non loquantur.

Medina. *Cumelius.*

18. Reijcitur Scotus. Ex his patet nullum relictum esse locum opinioni Soti, dum putat impossibilem esse notitiam apprehensiuam essentiæ sine omnibus personis; possibilẽ tamen esse notitiam iudicatiuam: nec enim datur casus,in quo hæc opinio verificetur. Infertur etiam opinionẽ Medinæ non esse vniuersaliter verã in terminis, in quibus ab eo proponitur in d. concl.5. Et hæc de isto art.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm persona, relatio vè personalis diuina potentia possit videri non visa essentia?

1. IN superioribus contulimus essentiã cum personis,& personas inter se:superest conferamus tum personas ipsas, tum relationes personales cum essentia. Inquirendum est igitur; an diuina potentia fieri queat, vt aut persona, aut relatio aliqua personalis possit videri non visa essentia?

2. Persona sine essentia videri non potest. Quod attinet ad visionem pèrsonæ, quæstio nullam habet difficultatem:vnde omnes in hoc conueniunt, vt simpliciter sit impossibile, etiam diuina potentia personam aliquam intuitiuè videri non visa essentia. Quin potius nec fieri potest, vt abstractiuè concipiatur persona non concepta essentia, saltem implicitè. Fundamentum est;quia diuina persona essentialiter constat ex essẽtia, & proprietate: iam verò nihil sine propria essentia concipi potest, etiam abstractiua cognitione; à fortiori ergo nihil poterit videri intuitiuè sine eo, quòd est de essentia; & quia hoc est notissimum, ideò nulla de hoc à Theologis excitatur quæstio: illius tamen resolutionem vno verbo tetigit Bassolius in 1.d.1.q.1.ar.3. fol.39.col.4. in princ.

Bassolius.

3. In relatione esse potest dubium. De relatione personali est dubitatio. Nam licet nulla esse possit apud eos, qui putant relationes diuinas includere essentiam in suo quidditatiuo conceptu; quia nihil, sine sua quidditate potest concipi: locus tamen dubitandi relinquitur in ea verissima sententia, quæ oppositum docet: si enim fieri potest, vt essentia diuina videatur sine relationibus, vt esse probabilius diximus suprà art.4. cur fieri non poterit,vt relatio in se ipsa videatur non visa essentia? Etenim si distinctio essentiæ à relatione satis est ad illud prius;cur non satis etiam erit ad hoc posterius?

4. Bassolius. Bassolius loco citato solùm asserit relationem sine essentia videri non posse actu formaliter beatifico. Ideo quia relatio nullam dicit perfectionem; non potest igitur esse obiectum beatificum, vt beare possit. Vtrum verò videri possit non visa essentia? non resoluit;tacitè insinuans partem affirmantẽ fortè esse verã. Quid enim implicat? etenim proprietas relatiua,vt distinguitur ab essẽtia est verum ens, & vera res relatiua. Erit igitur in se ipsa,& per se ipsam ens quoddam intelligibile. Cur igitur in se ipsa videri non poterit? Cur Deus non poterit illius entitatem præsentare intellectui præcisè sub ratione relatiua? Hanc igitur opinionem puto satis esse probabilem,& dignam,quæ defendatur ab ijs,qui putant essentiam videri posse sine personis, de qua egimus suprà art. 3.§.3. Sed sicut ibi non reiecimus oppo-

sitam

sitam sententiam; ita nec modo in propria ista quæstione oppositam reijciemus. Quin potius dicimus non esse improbabile relationē in sua entitate videri posse non visa persona; sicut non est impossibile, videri humanitatem Petri non viso Petro: Dæmones enim humanitatem Christi videbant non visa Christi personalitate.

5. Obiectio. Siquis obijciat; vnum attributum videri non posse non visa essentia, vt diximus suprà q. 11. art. 4. §. 3. concl. vltima n. 24. respondebimus diuersam rationē cerni inter attributa, & essentiam, atq; inter essentiam, & relationes. Vide, quę ibi diximus.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm visio essentiæ sine personis; aut vnius personæ sine alijs foret beatifica?

§. I.

Refertur opinio affirmans.

1. VLTIMO loco expliçandum est; an visio essētiæ sine personis, aut vnius personæ sine alijs (si daretur) foret formaliter beatifica? Partem affirmātem probarunt cōmuniter omnes Scotistæ; Bassolius in 1. d. 1. q. 1. ar. 3. *Bassolius.* fol. 39. col. 3. §. *Sed non video*, & col. 4. in principio; idem resoluit Maironius ibi *Mairon.* q. 4. in 4. difficultate ad finem, §. *Sed dubiū* *Rada.* *est*. Consentit Rada 1. tom. controuers. 6. concl. 4. & 5. Vide eum ibi post 8. conclusionem ad primum, pag. 93. col. 2. in *Ouandus.* fine. Idem resoluit Ouandus in 1. d. 1. *Bargius.* propositione 10. in fine. Probant Bar- *Flauius.* gius ibi q. 2. Scoti fol. 53. col. 4. & fol. 54. *Sarnanus.* col. 1. Flauius ibi q. 2. Cardinalis Sarnanus in suis conciliationibus controuersia 8. & in suo directorio theologico pagina 137. cum cæteris Scotistis. Satis *Scotus.* est de mente Scoti in 1. d. 1. q. 2. art. 2. litera F. §. *ad illud de quietatione*, & §. *per hoc ad vltimum*, quatenus docet illam visionem futuram fore quietatiuam voluntatis, & subinde beatificam. Eandem satis exprimit, dum ait Patrem diuinum in primo instanti originis, in quo videt essentiam, antequam generet Filium, esse perfectè beatum. A fortiori igitur idem asseret, si beatus essentiam videret sine personis. Cum Scotistis cōsentit Palatius in 1. d. 1. disp. 3. in fine ad 4. *Palatius.* argumentum, & post eum Molina 1. p. q. *Molina.* 12. ar. 8. disp. 4. concl. 2. Satis consentit Suarius lib. 2. de attributis negatiuis c. *Suarius.* 23. n. 1: nam quanuis contra Scotum existimet fieri nulla ratione posse, vt essētia videatur sine personis abstrahendo à visione beatifica, vel non beatifica; tamen si illa videatur, putat beatificè videri: tum quia relatio non est de essentiali ratione obiecti beatifici: tum etiā, quia sola essentia visa perfectè satiaret appetitum; siquidem essentia, siue hic Deus essentialiter subsistens est summū bonum simpliciter infinitum. Quæ si diligentiùs expendantur, suadent Suariū cum Molina consentire; in qua etiam sententia fuit in comm. ad 1. 2. q. 2. disp. 5. quæstiunc. 3. circa secundum punctū ad vltimum argumentum Caietani. Eādem sententiam tanquam certissimam probat Medina 1. 2. q. 11. art. 4. post 5. *Medina.* conclusionem ad 1. argumentum, his verbis: Itaque concedo id, quod verissimum est, si essentia videretur sine personis, aut vna absque alia, profectò beatet hominem: quis negat? cum sit summa, & infinita bonitas.

3. Primum fundamentum. Huius opinionis primum fundamentum est; quod sola diuina essentia per se pertinet ad obiectum primarium beatitudinis, relationes verò, & personæ pertinent ad obiectū secundarium. Ergo qui videret solam essentiam, Deūq; vt vnum, non videndo eum, vt Trinum, verè, & formaliter esset beatus. Consequentia inde patet; quia visio in ratione beatificę per se primò pendet ab obiecto primario beatitudinis; ab obiecto autem secundario pendet veluti per accidens. Ergo visio illa non proinde desinet esse formaliter beatifica, quod nō terminatur ad personas, & relationes, dummodò terminetur ad essentiam. Nā visio essentiæ ob eam rationem non desineret esse beatifica, si ad creaturas nō terminaretur, quia creaturæ per se non pertinent ad obiectum primarium beatitudinis, sed ad secundarium.

4. *Scotus.* Antecedens porrò apud Scotistas est receptissimum. Illud admittit Scotus in 1. d. 1. q. 2. ar. 2. litera D. §. *Modus ponendi est iste*, vbi Lichetus fol. 33. col. 4. §. *De-* *Lichetus.* *inde declarat Doctor*, Bargius ibi fol. 53. *Bargius.* col. 4. litera K. & L. Maironius in 1. d. 1. *Maironius.*

2.

Bassolius. Herrera. q. 4. §. *Secundò videndum est*, Bassolius ibi q. 1. ar. 3. fol. 39. col. 3. §. *Sed non video*, Herrera 1. tom. disp. 10. q. 14. notab. 2. pag. 333. col. 2. & clariùs disp. 15. q. 3. notab. 2. & 3. pag. 496. col. 1. & 2. Rada 1. tomo controuersia 6. concl. 3. in 2. argumento, & passim in eadem controuersia. Nec ab hac sententia longè distat Suarius lib. 9. de Trinitate c. 5. n. 4. dùm fatetur personas, & relationes nõ ita primario pertinere ad obiectum diuinæ cognitionis, sicut diuinitatem ipsam. Videtur etiam id admittere Bachonius in 1. d. 1. q. 2. ar. 2. fol. 20. col. 4. §. *item secundarium*. Qui omnes admittunt personas diuinas, atque relationes non pertinere ad primarium obiectum visionis beatificæ, sed ad secundarium. Et quanuis plerique eorum hoc sine probatione sumant, tanquam notum; aliqui tamen hoc probant. Primam probationẽ adducit Rada; quia visio primò terminatur ad essentiam, ad personas verò secundò.

Rada. Bachonius 2. probatio.

5. Secunda. Secũda probatio ex eo sumitur; quia relationes non pertinent ad primam, & quidditatiuam perfectionẽ Dei, sed sola essentia. Ita Bassolius vbi suprà fol. 39. col. 4. §. *Dico etiam*; quasi velit ea solùm pertinere ad obiectum primarium visionis beatæ, quę pertinent ad primã, & quidditatiuam Dei perfectionem, ad quam nec attributa pertinent, nec relationes, aut personæ.

Tertia. Tertia probatio cõmunior est; quoniam obiectũ visionis ideo dicitur primarium; quia non solùm visionem terminat, sed ipsum est sibi ratio terminãdi eam: secundarium verò; quia licet visionẽ terminet secundùm suam entitatem, & propriam existentiam; non tamen eam terminat virtute propria, sed virtute alterius, quod est ratio, cur cognoscatur. Iam verò sola essentia diuina secundùm suam propriam rationem, & mouet intellectum ad sui visionem, & illam terminat ratione sui: personæ verò non ratione sui, sed ratione essentiæ: & ideo essentia est ratio cognoscendi, & attingendi relationes, & personas. Ita docent Lichetus vbi suprà fol. 34. col. 1. in principio, Bargius, Herrera, & Rada, cum quibus consentit Suarius. His igitur rationibus probatur essentiam esse obiectum primarium visionis beatificæ; personas verò, & relationes esse secundarium, quod fuit antecedens superioris rationis. Ex quo auctores huius opinionis inferunt eum futurum fore verè beatum, qui videret essentiam sine personis.

6. Secundum fundamentum. Secundum fundamentũ & satis principale, ac veluti à priori in hoc enititur, quòd in diuina essentia, etiam, vt præcisa à personis, reperitur perfecta, & cõpleta ratio obiecti beatifici. Quod ex eo probatur; quoniam ratio summi boni omnium consensu est formalis, & completa ratio beandi: hæc enim fuit constans doctrina Aristotelis, Philosophorum, atque Theologorum, de qua multa diximus lib. 3: etenim ratio summi boni est formalis, & completa ratio vltimi finis. Sed diuina essentia etiam præcisa à personis continet totam latitudinem summi boni, & ratione sui formaliter est summum bonum, vt patet. Ergo, vt sic, in ea reperitur formalis, & completa ratio beandi. Cur igitur visa non beabit?

7. Confirmatio. Hæc ratio confirmatur ex doctrina D. Thomæ in 1. d. 1. q. 2. ar. 2. dum ait, *relationes non esse fruibiles, vt relationes sunt, sed vt sunt diuina bonitas*. Ergo sola diuina essentia secundùm se, & ratione sui, quanuis præcisa sit à relationibus, erit bonitas fruibilis: fruitio autem non datur sine beatitudine.

8. 3. fundamentum. Scotus. Tertium fundamentum à posteriori sumitur ab Scoto in 1. d. 1. q. 2. ar. 2. litera C. §. *Quantum ad istum articulum*: quoniã Pater prius origine, quàm generet Filium, & producat Spiritum Sanctum, est pfectè beatus. Habet igitur in illo priori obiectum perfectè beatificans. At in illo priori essentia non est communicata tribus, sed obijcitur intellectui paterno, vel vt absolutè est essentia; vel saltem, vt est in vna persona. Ergo essẽtia, siue præcisa à personis, siue in vnæ tantùm, est obiectum beatificans. Cur igitur non beatificabit intellectũ creatum eam clarè videntem? Prima consequentia huius discursus supposito antecedente est per se nota; similiter, & minor posterioris discursus. Antecedens verò ex ijs, quę docet Scotus, multis medijs probatur. Et primò; quia pro illo priori Pater essentialiter est Deus. Ergo essentialiter est beatus; nam beatitudo

1. ratio.

titudo est de intrinseca ratione Dei. Deinde; quia Pater diuinus nullam perfectionem sibi intrinsecam habet à persona producta; & subinde ab ea non habebit beatitudinem, quæ est perfectio quædam absoluta. Iam verò non posset eam non habere à persona producta, si pro illo priori nō haberet beatitudinē.

9. Tertia. Tertiò; quælibet persona diuina est beata intelligendo essentiam, vt est in se, non verò, vt est in alijs personis. Ergo Pater diuinus pro illo priori intelliget essentiam, vt est in se ipso. Igitur illa intellectione erit beatus. Consequētia patet simul cum minori. Maior verò deducitur ex August. 15. de Trinitate, dum ait quanlibet personam diuinā intelligere sibi ipsi: inde enim infertur quanlibet personam intelligere diuinā essentiam, non vt est in alia, sed vt est in se: & subindè quanlibet personam esse beatam intelligendo essentiam, vt est in se, non verò vt est in alijs. Quæ fuit maior probanda.

August.

4. ratio. Quartò denique; quia omnis perfectio essentialis est aliquo modo prior proprietatibus. Beatitudò autē est perfectio essentialis. Ergo erit prior proprietatibus; & per consequens erit in Patre pro illo priori, antequam generet Filium. Quare pro illo priori erit beatus. Quod fuit antecedens probandum: quo supposito necessariò infertur essentiam sine relationibus esse obiectū beatificans.

10. 4. fundamē tum. Quartum fundamentum sumitur ex eo, quòd relationes non possunt per se pertinere ad formalem rationem obiecti beatifici: argumentū autem ita formatur. Relationes per se non pertinent ad rationem obiecti beatifici, vt tale est. Ergo licet non videantur ab eo, qui essentiam videt; non proinde essentia desineret esse obiectum ex se beatificū. Consequentia patet. Antecedens probatur: quoniam ea per se pertinent ad formalem rationem obiecti beatifici, quæ per se pertinent ad constitutionē illius in esse beatifici. Sed relationes nō pertinent ad formalem constitutionem obiecti beatifici, vt tale est. Ergo non pertinent ad rationem formalem eius. Maior est nota, minor probatur: quoniam ratio formalis obiecti beatifici, vt beatificum est, per se est posita in ratione summi boni, & vltimi finis. Et cū hæc ratio nulli conueniat, nisi Deo, vt est Deus; ratio formalis obiecti beatifici posita erit in ratione Dei, quatenus Deus est. Relationes autem non constituunt Deum in esse Dei, & vltimi finis, vt patet. Non igitur per se concurrunt ad constitutionem obiecti beatifici, vt tale est, & per consequens sola essentia, vt essentia, etiam vt præcisa à relationibus verè beabit. Cui resolutioni fauet D. Thomas relatus in confirmatione secundi argumenti.

Hanc rationem nonnulli confirmant; quoniā si Deus non esset in tribus personis, nec constitueretur in ratione supposiți per relationes, esset sufficiēs obiectum beatitudinis, nec minus bearet nos, quàm modò beat, ergo ad rationē obiecti beatifici per se non pertinet relatio. 11. Confirm. 1.

Secundò confirmari potest: quoniam obiectum beatitudinis nostro modo intelligendi concurrit ad formalem beatitudinem per modum principij, & speciei intelligibilis. Sed relationes Filij, & Spiritus Sancti non possunt ita concurrere ad beatitudinem Patris diuini; aliàs hęc perfectio esset in Patre ab alijs personis. Ergo relationes absolutè, & simpliciter non pertinent ad obiectum beatificum. 12. Secunda.

Postremum fundamētum sumitur ex eo, quòd Pater à nobis prius intelligitur, quàm generet Filium, aut producat Spiritum Sanctum. Iam sic Pater in illo priori rationis, in quo à nobis concipitur, antequam habeat Filium, non potest concipi à nobis, nisi, vt beatus. Ergo non potest concipi à nobis, nisi cum obiecto per se, & essentialiter beatifico. Sed pro illo priori solùm concipitur essentia, vt in Patre. Ergo essentia, etiam vt non communicata, ex sua intrinseca ratione vēdicat sibi esse obiectum perfectè beās. Ergo si à nobis videatur sine personis (quod modo supponim⁹, vt possibile) vtiq; non poterit nos non beare. 13. Postremum fundamentum. 14.

Hæc sunt huius opinionis vel omnia, vel saltem præcipua fundamenta. Quæ tanti fecit Molina, vt asseruerit, si duo æque clarè intensè viderent diuinā essentiam, æque eam penetrando quoad rationem formalem essentiæ, quorum alter eam videret sine personis, alter verò

verò cum personis; vtrunque futurum fore æque beatum beatitudine essentiali: quippè cum vterque æque videret Deum, vt Deum, qui est obiectum essentialiter beans.

§. 2.

Refertur opinio negans.

15. PArtem tamen negãtem, quòd iste, qui essentiam sine omnibus personis videret, non esset beatus, probauerunt plures ex Theologis. Ita Caietanus 2.2.q.2.ar.8. §. *quoad secundum* ad finem, Cumelius 1.p.q.12.ar.7. q.2.concl. 1. & in corollario post sextam conclusionem, §. *Ex his omnibus*, pag.267.col. 2.& clariùs ad 3. & 4.argumentum pag. 268. vbi generaliter affirmat diuinam essentiam neminem facere beatum, nisi vt est in tribus personis, satis est de mẽte Banhes ibi dub.2.in 2.argumento, dũ ait intellectum huius sic videntis quietari non posse. Expresè ita docet Frater Franciscus à Christo in 1. d. 1. q. 6. post primam conclusionem, §. *Est ergo firma*, & clariùs in solutione argumentorũ in principio, consentit Bellomontanus 1.p.disp.48.c.4.n.18.& 19.& clariùs 1.2. disp.13.c.2.n.4.6.& 7. Ex antiquioribus idem docuerunt Gerardus noster in 1. d.1.q.2.ar.3.pag.93.col.2. §. *quintò contra eandem*, noiter etiam Toletanus ibi q.8. ar.2. post tertiam conclusionem, & impugnationem Aureoli, §. *dimissis igitur his*. Adde etiam nostrum Argentinam in 1. d.1.q.3.ar.4.maximè ad 5.Scoti. Deniq; hanc sentẽtiam, vt probabiliorem amplectitur Salas 1. 2. tract. 2. disp.4. pag. 254.col.2. in medio, & pag.252.col.1.in fine; non negat tamen oppositam esse probabilem.

Caiet. *Cumelius.* *Banhes.* *F. Francisc. à Christo* *Gerardus.* *Toletanus,* *Argentina* *Salas.*

16. Vnicum huius opinionis fundamentum à Caietano, & à cæteris sumitur ex verbis 1.Ioãnis 3: *Videbimus eum, sicuti est.* Quę verba intelligũtur de visione beatifica. Ex illis inferunt de ratione beatificæ visionis esse terminari ad Deum, sicuti est, in hoc sensu, vt de ratione intrinseca beatitudinis sit terminari ad Deum, sicuti est, non solùm in existẽdo, sed etiam in subsistendo; ita vt illa particula *sicuti est* per se denotet omnẽ modum substantiæ diuinæ, tam in existendo, quàm in subsistendo; ita vt de ratione beatitudinis sit terminari ad Deum, vt in se ipso existit, atque subsistit. Ex quo inferunt non solùm essentiam, sed etiam relationes personales per se pertinere ad obiectum primarium beatitudinis, à quo formalis beatitudo per se specificatur, atque reponitur in formali ratione beatitudinis. Quare obiectum per se beatificum erit Deus, non solùm, vt est vnus, sed etiã, vt est trinus.

Primum fũdamentum.

17. Hoc fundamentũ à Caietano ita explicatum dupliciter confirmatur. Primò; quia nisi beatitudo, vt formaliter est beatitudo, per se terminetur ad Deũ, sicuti est in existentia, & subsistentia, non potest perfectè, & completè quietare, satiareque appetitum voluntatis: etenim videns Deum, adhuc appeteret videre; quomodò ille Deus vnus subsisteret Trinus in tribus personis realiter distinctis: hoc enim est præcipuum mysterium, atque perfectissimum diuinitatis.

Confirm. 2.

18. Secundò; quia visio solius diuinæ essentiæ esset abstractiua ab Hypostasi, & persona. Igitur non esset intuitiua: quia (vt ait Caietanus) hypostasis est omnia faciens, cui omnia tribuuntur.

Secunda.

Tertiò confirmatur à Bellomontano; quia hypostases diuinę ex natura rei sunt ipsa diuina essentia.

Tertia.

Quartò poterit id ipsum confirmari; quia relationes personales dicunt perfectionem simpliciter. Ergo sunt de intrinseca ratione obiecti beatifici, vt beatificũ est. Etenim de intrinseca ratione illius est, quòd sit summum bonũ, summeque perfectum, vt cum Aristotele omnes concedunt. Tale autem non erit, nisi in sua intrinseca ratione includat omnem perfectionem, quæ simpliciter est perfectio.

Quarta.

19. Quintò; quia si Deus esset vnius tantùm personæ, illa esset de intrinseca ratione obiecti beatifici, ideo; quia illa realiter esset idem cum essentia: vnde Deus ipse, diuinaque persona esset obiectum beatificum. Ergo nunc Deus, vt est Trinus per se erit obiectum beatificum; nam eandem nunc idẽtitatem habet cum diuina essentia.

Quinta.

Sextò; relationes diuinæ per se includuntur in ratione obiecti beatifici, quo Deus ipse obiectiuè est beatus. Ergo etiam includentur in ratione obiecti beatifici, quo nos obiectiuè beat.

Sexta.

Septi-

Septima. Septimò; relationes per se includuntur in ratione obiecti visionis intuitiuæ. Ergo per se includuntur in ratione obiecti beatifici: idem enim est vtriusq; obiectum.

20. Vltima. Postremò alij ita arguunt; quoniam fieri non potest, vt beati, qui nunc vidēt Deum cum personis, illa numero visione eum videant sine illis: sed nec Deum videre possunt alia visione: quoniam illa vel esset specie distincta, vel solo numero, si esset specie distincta, non esset beatifica; quia omnes visiones beatificę sūt eiusdem speciei, & per consequens non faceret beatū. Si esset alia numero; non posset nō terminari ad Deum cum personis: quia eodē modo terminari deberet, quo terminatur ista, quæ modò est; alioquin non solùm numero distingueretur; quia distingueretur obiecto, & subinde specie. Adde etiam, quia videns diuinam essentiam non visis attributis non esset beatus. Ergo nec beatus esset, qui videret essentiam sine personis; eadem enim videtur vtrobique ratio. Hęc sunt huius opinionis præcipua fundamenta.

§. 3.

Probabilior est pars affirmatiua, & soluuntur argumenta negantis.

21. IN hac difficultate potius inclino in sententiam affirmantem; ita tamen, vt neganti suam probabilitatem nō denegem. Quare vtriusque fundamenta sunt à nobis dissoluenda. Nunc pro affirmante pugnabimus.

Fundamentum partis affirmantis. *Caiet.* Fundamentum ex eo sumo, quoniam sola diuina essentia est ratio formalis beandi, vt dicemus in quæst. de obiecto formali beatitudinis, & fatetur Caietanus 2.2. loco citato in fine cōm. cū pluribus ex aduersarijs. Sed in Deo vno intrinsecè includitur diuina essentia; quia intrinsecè est Deus. Ergo Deus, vt vnus etiam sine personis semper consideratur cum completa, & adæquatā ratione beandi. Cur igitur, si ponatur videri, nō beabit videntem? Etenim in se ipso essentialiter includit perfectam beandi rationē. Quare si semel admittatur (vt Caietanus admittit) solam diuinam essentiam esse formalem rationem beandi; profectò non video, cur hic Deus visus sine personis non beabit videntē sc.

22. Solutio ex Caietano. At occurrit Caietanus cum nonnullis alijs ad obiectū beatificum non solū exigi rationem formalē beandi, sed etiā requiri ipsum beans, vt quod: siquidem quo, & quod non sunt duo obiecta, quorum vnum sit primum, & alterum secūdarium; sed ex vtroque quasi integratur vnum obiectum. Sed sanè non video, quomodò hæc solutio elidat vim argumēti: nec enim dicimus solam essentiā, vt est Deitas, & forma significata in abstracto, beare vt quod; sed dicimus Deū vnum consideratum precisè, vt subsistēs subsistentia essentiali, & communicabili, esse obiectum beans, vt quod; formaliter tamen ratione diuinæ essentiæ; ita vt subsistētia essentialis ibi concurrat, non vt ratio beādi, sed vt conditio beātis. Quare solutio Caietani in hoc claudicat, quòd supponit aut nos agere de sola diuina essentia in abstracto; aut beans, vt quod, solùm constitui per subsistentiam personalem; cum tamen etiā constituatur per subsistētiam essentialem, cum per eam constituatur in esse Dei in concreto. Vnde Deus Trinus cōstitutus in esse beātis per proprietates personales per eas formaliter nō beat, sed per solam bonitatem essentiæ; quia sola essentia (teste etiam Caietano) est formalis ratio beandi. Reijcitur.

23. Quare cum hęc beandi ratio maneat in Deo vno; cur Deus vnus nō erit beās, vt quod? Dixi suprà essentiam significatam in abstracto, quia non est vtq; quaque certum, an vt sic non beet, vt quod: nam cum, vt sic, sit ens, & subinde verū, atque intelligibile, vt quod; fortè ita visa poterit beare. Nam, quod Aristoteles ait actiones esse suppositorū, & subsistentium, non habet verum in motione obiectiua intellectus, de quo statim. At modò nihil de hoc curamus; quia ad nostrum institutū satis est, quòd Deus subsistens subsistentia essentiali visus sine personis possit esse obiectum beatificum, vt quod, cum sit quoddam subsistens.

24. Ad argum. partis negātis. Hoc supposito fundamento facilè soluentur, quæ pro negante sententia §. 2. in contrarium obiecimus. Ad primum argumentū facilè responderet, qui existimat verba illa 1. Ioan. 3. non intelligi de visione beatifica patriæ, sed de visione Christi hominis in die iudicij: quæ

fuit explicatio glossæ ordinariæ. Sed iã hæc explicatio nobis non placuit lib. 4. q. 10. art. 3. nu. 7. vbi ostendimus locum intelligendum esse de visione Dei in patria, quæ est communis Patrum explicatio. Quare secũdo loco respondemus Ioannem explicare id, quod de facto fit in patria. At inde non benè infertur videre Deum, vt in tribus personis subsistit, esse de intrinseca ratione beatitudinis; sicut etiam inde non benè infertur de intrinseca ratione visionis intuitiuæ esse terminari ad Deum in sua Trina subsistentia, vt latè ostendimus suprà ar. 3. §. 5. ad primum; & §. 7. ad argumentum Caietani. Nec obstant, quæ in huius fundamenti confirmationem adducuntur.

25. Ad 1. confirmationem. Ad primam probationem negandum est id, quod sumitur; quia appetitus videntis Deum sine personis verè maneret quietus, & perfectè satiatus, vt benè aduertit Molina loco citato in fine disputationis, & Suarius in commentarijs ad primam 2. vbi suprà, §. *ad vltimum de appetitu*. Quod etiam docuit Scotus loco citato litera F. & cum eo Bassolius vbi suprà art. 3. ad secundum argumentum de fruitione fol. 40. col. 4. ad finem, Rada in d. controuersia 6. pag. 94. col. 1. §. *Secundò dico* cum cæteris Scotistis. Et merito: quoniam videndo summum & perfectum bonum non posset in illo nõ delectari, & subindè non posset non quiescere eo modo, quo minus beatus sua ipsa visione & beatitudine pfectè quiescit, & satiatur. Quanuis autem iste nõ videret Trinam subsistentiam personalem, quantunuis sciret essentiam esse diuersis proprietatibus personabilẽ, imò etiam de facto personatam; ex eo, quia haberet appetitum rectificatum, & per omnia diuinæ voluntati conformẽ, absolutè non appeteret illius mysterij visionem; & ideo carentia illius non inquietaretur. Itaque de hoc videnti idẽ dicendum esset, quod de minus beato dicunt omnes Theologi.

Scotus. *Bassalius.* *Rada.*

26. Ad 2. Secunda probatio inutilẽ habet consequẽtiam; quia visio illa, licet non terminaretur ad hypostasim intuitiuè; terminaretur tamen ad essentiam: etenim hanc visionem supponimus, vel vt possibilem, vt verius existimamus, vel admissam per impossibile. Nec probatio Caietani aliquid efficit; quoniam licet hypostasis omnia faciat, quæ à Deo fiũt actione reali ad extra, & reali productione ad intra; quia actiones huius generis sunt suppositorum; tamen non necessariò omnia facit, quæ pertinent ad motionem obiectiuam intellectus: etenim non solùm suppositа sunt intellectæ obiecta, sed alia, quæ suppositа nõ sunt: sicut enim cognitio intellectiua potest versari circa vniuersalia tanquam circa obiecta intelligibilia, vt omnes agnoscunt: ita etiam vniuersalia possunt obiectiuè proponi intellectui, illumque obiectiuè mouere. A fortiori igitur Deus, vt est singulare quoddam per se subsistens subsistentia essentiali, poterit objici intellectui beato, illumque obiectiuè mouere, & perficere, vt eliciat visionem ad ipsum terminatam. Itaque cum axioma illud Aristotelicum *actiones sunt suppositorum, & singularium* non habeat locum in motionibus obiectiuis, quas veluti quasdam actiones cõcipimus, probatio Caietani sumpta ex ratione hypostasis nihil habet efficaciæ, vt concludat Deum sine personis non posse intuitiuè videri.

27. Ad 3. Tertia probatio ex Bellomõtano nõ satis est firma: quia ex identitate reali relationis cum essentia non sumitur efficax argumentum, vt probetur essentiam videri non posse sine personis, vt latè ostẽdimus suprà ar. 3. §. 6. vbi vide.

28. Ad 4. Quarta probatio petit celebrem difficultatem; an relatio in diuinis dicat perfectionem simpliciter? & facilè soluetur ab ijs, qui illi, vt a b essentia distinguitur, simpliciter negant omnem perfectionẽ, quæ sentẽtia, sicut inter Theologos etiam antiquiores, est maximè communis, ita etiam est satis probabilis; si sermo sit de perfectione, non quidem transcendentali (qua omne ens est perfectum) sed de perfectione formali, quę cuique enti melior est ipsa, quàm non ipsa. Et vt videas sententiam istam esse satis communem, referam auctores illius. Ita Scotus in 3. d. 1. q. 1. ar. 2. litera C. §. *istud argumentum*, & q. 4. litera A. §. *Sed ista ratio*; ex professo id docet quodlib. 5. art. 1. litera C. §. *Viso de infinito*, & melius art. 2. in prima ratione per totã. Cum Scoto consentiunt omnes sui, satis nũc sint Herrera 1. tom. disp. 8. q. 10. concl.

Scotus. *Herrera.*

concluſ. 2. pagin. 187. col. 1. & inferiùs concl. 3. pag. 188. & Rada 1. tom. controuerſia 27. in 3. ratione ſecundæ concluſionis pag. 381. col. 2. & inferius concl. 3. pag. 382. col. 2. in fine. Hanc ſententiam fuiſſe D. Thomæ pleriq́ue aſſerunt; imò putant eſſe communem inter Thomiſtas; ſed quidquid de hoc ſit ex Thomiſtis eam probauit Capreolus in 1. d. 7. q. 1. ad 3. contra primam, & poſt eum Caietanus 1. p. q. 28. ar. 2. ad 3. & ſatis eã inſinuat de ente, & eſſentia cap. 2. com. 1. & 2. Ex alijs eam probarunt Richardus in 1. d. 24. art. 1. quæſt. 3. ad primum; Durandus in 3. d. 1. q. 3. n. 13; Varro citatus à Scoto lib. 3. q. 1. Argentina in 1. d. 4. quæſt. 1. art. 1. ad 11. ſatis Heruæus quodlib. 3. art. 1; dum generaliter docet nullam relationem dicere perfectionẽ, Gregor. in 1. d. 29. q. 1. ar. 1; Marſilius in 1. q. 23. art. 3. Præceptor Frater Franciſcus à Chriſto in 1. d. 20. q. vnica ad 2. latè Molina 1. p. q. 42. art. 6. diſp. 2. concl. 2. & tandem Fonſeca in 4. Metaphy. cap. 2. q. 7. ſect. 7. pag. 651. Ex quibus patet hanc ſententiam inter Theologos eſſe maximè communem. Qua ſuppoſita quarta probatio ſumit antecedens falſum, & negandum, quo negato ceſſat argumentum.

Rada. *Capreolus.* *Caietanus.* *Richard.* *Durandus.* *Argentina* *Heruæus.* *Marſilius.* *Gregor.* *F. Franciſc⁹ à Chriſto* *Molina.* *Fonſeca.*

29. Relatio diuina dicit p fectionem eſſentiæ.

Sed nec vim habet quarta iſta probatio apud eos, qui in relationibus diuinis agnoſcunt perfectionem, non quidem diſtinctam à perfectione eſſentiæ, ſed eandem cum illa. Quæ etiam fuit ſententia grauiſsimorum Theologorũ. Ita enim exiſtimauit Maior in 1. d. 33. q. vnica ad 2. argumentum, vbi ſuam concluſionem ex eo probat; quia relationes ſunt ipſa diuinitas, quæ probatio ſatis indicat eum loqui de relatione, non vt diſtinguitur ab eſſentia, ſed prout eſt eadem res cum illa. Eundem ſenſum ſatis explicauit Heruæus quodlibet. 1. quæſt. 4. artic. 2. §. *modo reſtat*, fol. 10. col. 1. & 2. vbi ideo diuinis relationibus concedit perfectionem ſimpliciter, quia realiter ſunt vnum cum eſſentia, quod etiam inſinuat in primo d. 2. q. 4. ad finem, §. *Et ſi arguas*, ſatis id expreſsit Torres, dum ex eo probat relationem diuinam dicere perfectionem, quia eſt Deus. Et ſtatim addit hæc verba: *Eadem omnino perfectio, quæ eſt in paternitate, eſt in filiatione, ſicut eadem eſſentia: nam perfectio relationum eſt eſſentiâ duntaxat.* Ita etiam rem explicauit Fonſeca, dum relationibus tribuit perfectionem ſimpliciter lib. 4. Metaphyſicæ cap. 2. quæſt. 7. ſection. 7. poſt principium pag. 652; ita enim ait: *Dicunt enim perfectionem diuinæ eſſentiæ; ac proinde perfectionem diuinæ ſapientiæ, potentiæ, & cæterorum attributorum, quæ in diuina natura continentur.* Deniq́ue in eodem ſenſu perfectionem in diuinis relationibus admiſit Molina 1. parte q. 42. artic. 6. diſput. 2. concl. 1. pagina 545. Nec in hoc ſenſu eſt vlla controuerſia inter Scotum, & alios, quidquid Fonſeca loco citato contrarium inſinuet: etenim Scotus quodlib. 5. artic. 1. litera C. §. *Viſo de infinito*, expreſsè docet nullum eſſe dubium, quin relatio in diuinis per identitatem dicat & infinitatem, & perfectionem. Suppoſita autem hac ſententia argumentum non oppugnat noſtram ſententiam, ſed confirmat potius. Nam ſi relationes diuinæ nullam habẽt perfectionem ſibi propriam, ſed eam ſolam, quæ eſt eſſentiæ; vtiq́ue ratione ſui non pertinent ad obiectum beatificum, ſed ſolùm ratione identitatis cum eſſentia. Quod ſatis explicauit D. Thomas in 1. d. 1. q. 2. ar. 2. ad 2. dum ait, *paternitatem non dicere rationem fruibilis, niſi quatenus eſt idem re cum ſumma bonitate eſſentiæ.* Et in corpore expreſsè ait, *fruitionem reſpicere vnamquamque perſonam, in quantum eſt idem ſummum bonum cum eſſentia.* Quòd ſi relationes, & perſonæ ratione ſui per ſe non pertinent ad obiectum fruibile, atq́ue beatificum, ſed ſolùm id habent ex eſſentia; profectò ipſa eſſentia ſine relationibus per ſe erit obiectum beatificum.

Maior. *Heruæus.* *Torres.* *Fonſeca.* *Molina.* *Scotus.* *D. Thom.*

30. Relatio dicit perfectionem aliã ab eſſentia.

Quin potius quarta probatio nõ habebit vim apud eos Theologos, qui relationibus diuinis, vt ab eſſentia diſtinguuntur, concedunt perfectionẽ diſtinctã à perfectione eſſentiæ; quę fuit opinio plurimorum Theologorum. Ita exiſtimarunt Aureolus in 1. d. 19. q. 2. & Ochamus ibi q. 1. litera O. & Gabriel q. 1. ar. 1. notab. 4. & in 1. d. 7. q. 3. art. 3. litera D. Clitonæus in Annotationibus ad Damaſcenum libr. 1. de fide cap. 11. Ex Recentioribus Suarius lib. 3. de Trinitate cap. 9. numer. 14. & 15. & cap. 10. num. 3. & 4. & in Metaphyſica diſput. 10. ſect. 3. n. 11. Bellomõtanus 1. p. diſp. 122.

Aureolus. *Ochamus.* *Gabr.* *Clitonæus.* *Suarius.* *Bellom.*

cap. 6. numer. 17. quam etiam posuit disput.23.num. 21. & Valentia 1. tomo disp.2.q.2.punct.1.pag.743. Pro eàdem videtur facere Caietanus 3. parte quæstione 3. artic.1.dum concedit relationes diuinas, vt sunt formæ subsistentes dicere perfectionem infinitam. Pro eàdem sententia citari solent Maior, Heruæus, Torres, & Fonseca. Sed ex dictis patet eos potius probasse partem negantem; quia non agunt de relationibus, vt ab essentia distinguuntur, sed, vt idem sunt cum illis. Vnde in relationibus non aliam agnoscũt perfectionem, nisi solius essentiæ. Sed quidquid sit de his Doctoribus, sententia ista satis est recepta inter nouiores: & puto eam esse satis probabilem.

Valentia. *Caietanus.*

31. Addo tamen suppositâ hac sententia bene explicata quartam istam probationem contra nos nullam habere efficaciam. Nam si auctores huius sententiæ diligentiùs expendantur; saltem illi, qui rectiùs loquuntur, eam perfectionem admittunt in diuinis relationibus, quæ ad rationem obiecti beatifici non pertinet; quod satis est, vt dicamus diuinam essentiam visam sine relationibus habere in se ipsa sufficiẽtem rationem beandi. Hoc manifestum est apud sententiam eorum, qui duplicem distinguunt perfectionem simpliciter; vnam; quam vocant simpliciter simplicem; alteram; quę talis non est; hanc autem posteriorem relationibus diuinis concedunt; nam, quæ est generis prioris soli conuenit essentiæ. Hanc fuisse Theologorum sententiam testatur Suarius eãdem probans lib.3.de Trinitate cap.10. n.4.& in Metaph. disp.30.sect.1.n.8.& 9. & iam inter Nouiores increbuit: nec sane sine fundamento; quia inter perfectionem simpliciter simplicem, & eam, quæ licet sit perfectio simpliciter, admittit secum imperfectionem (qualis est perfectio, quæ reperitur in rebus creatis) debet dari media quædam perfectio simpliciter; quæ nec est perfectio simpliciter simplex, nec secum admittit vllam imperfectionem. Cuius generis perfectio solùm reperitur in relationibus diuinis, vt statim deducemus ex Ochamo, & Gabriele.

Perfectio duplex. *Suarius.*

32. Admissa igitur hac sententia, facilè est ostendere relationes diuinas per se non includi in ratione obiecti beatifici. Nam perfectio, quæ per se pertinet ad obiectum beatificum, est illa, quam definit D. Anselmus in suo Monologio; quæ est eius naturæ, vt *in quolibet ente melior sit ipsa, quàm non ipsa*. Quòd si talis est; vtique non potest formaliter non reperiri in ente summè perfecto, quale est obiectum beatificum: nec enim aliquod ens potest esse simpliciter summè perfectum, nisi in se formaliter habeat omnem hanc perfectionem. Quin potiùs non potest non esse simpliciter sũmè perfectum illud ens, quod in se formaliter habuerit omnem huius generis perfectionem; quamuis formaliter in se non habeat alias perfectiones, quę tales non fuerint: nam satis est, quòd eas in se ipso eminẽter contineat. Quare cum perfectio relationum diuinarũ non sit illius generis, & naturæ (vt habet hæc opinio) concedendum est illarum perfectionem non esse necessariã, vt aliquod ens dicatur simpliciter summè perfectum; quod expressè concedit Suarius locis citatis. Vnde benè infertur perfectionem relationum diuinarum non esse per se necessariam ad rationem obiecti beatifici, quod à nobis erat probandum.

33. Cum præcedente Suarij, & recentiorum sententia coincidit opinio Ochami, & Gabrielis: hi enim duplicem distinguunt perfectionem. Vna dicit ens absolutum; altera dicit ens abstrahendo ab absoluto, & relatiuo. Priori modo (inquiunt) relationes in diuinis non dicunt perfectionem; quia non sunt entia absoluta: eam tamen dicunt posteriori modo. Ita habes apud Ochamum in 1.d. 19.q.1. litera O; & Gabrielem ibi artic. 1. notab. 4. Et ne hæc distinctio perfectionis videatur omnino friuola, illud aduerto; si mens Ochami, & Gabrielis intimiùs introspiciatur, perfectionem absolutam ideo appellant perfectionẽ, quia positiuè est perfectio simpliciter: perfectionẽ verò, quę abstrahit ab absoluta, & relata, in eo sensu appellãt perfectionẽ, quia in se non admittit vllam imperfectionẽ ex eo, quia est entitas summa, & increata. Vnde quãuis non necessariò sit perfecta positiuè, & simpliciter; est tamẽ perfecta in sensu negatiuo; quatenus scilicèt nullam secum imperfectio-

Ocham. *Gabriel.*

fectionem includit; & in hoc hæc perfectio distinguitur à perfectione, quæ est in rebus creatis; hæc enim secum admistam habet imperfectionem. Hanc esse Ochami, & Gabrielis mentẽ, & sensum satis euidenter colliges ex probatione: ideo enim volunt perfectionem posteriori modo sumptam dici perfectionẽ, quia illi repugnat omnis imperfectio: quasi censeant perfectionem priori modo non ex ea solùm ratione dici perfectionem, quia res illa talis est naturę, vt illi repugnet omnis imperfectio; sed quia prętèr hoc id etiam habet, quòd in se ipsa positiuè est perfectio.

34. Quem sensum euidentissimè expressit idem Gabriel in 1. d. 7. q. 3. ar. 3. litera D. vbi docet perfectionem vno modo accipi pro perfectione, quæ est simpliciter summa, & infinita, atque impossibilis omni imperfectioni. Altero modo accipi pro perfectione, quæ competit cuilibet simpliciter perfecto. Relationes autem nõ dicere perfectionem hoc posteriori modo, sed solùm priori. Et si aduertis, clarè intelliges Gabrielẽ sub hoc secundo membro comprehendere perfectionẽ, quam in d. distinctione 19. appellauit absolutam. Et satis declarat perfectionem, quam vtroq; in loco cõcedit diuinę relationi, esse perfectionẽ, sine qua aliquid potest dici simpliciter perfectum; & subindè dicere perfectionem, quæ ad rationem obiecti beatifici non pertinet. Itaq; Ochami, & Gabrielis perfectionis distinctio satis coincidit cum distinctione communi, qua perfectio, vel est simpliciter simplex, vel nõ est simpliciter simplex. Et quia hæc distinctio, vt magis artificiosa, iam est cõmuniter recepta inter nouiores; illa potius vtendum est: quoniam termini Nominalium non satis sunt philosophici.

35. Nihil hoc loco agimus de opinione, tum Valentiæ, tum Bellomontani; quia non satis accommodatè loquuntur ad mentem D. Anselmi in Monolog. Contra quos vide, quæ scribit Suarius in d. lib. 3. de Trinitate; contra Bellomontanum c. 9. in 3. opinione num. 5. & contra Valentiã c. 10. n. 5. Et hæc satis sint pro explicatione quartæ probationis.

36. Ad quintam probationem varijs modis responderi potest. Vno modo negãdo antecedens; quia nulla subsistentia personalis dicit perfectionem simpliciter, vt plures volunt teste Cumelio 1. p. q. 30. ar. 1. q. vnica post tertiam conclusionem pag. 858. col. 2. §. *Secundò modo aliter*, & satis est de mente Fonsecæ lib. 5. Metaph. c. 8. q. 5. sect. 8. ad tertium primæ opinionis. Iam verò ad formalẽ rationẽ obiecti beatifici nihil per se pertinet, nisi sit perfectio simpliciter. Sed quia communior sententia docet subsistentiam esse perfectionem simpliciter; ideo alij concesso antecedente negant consequentiam. Ratio discriminis facilis esset, si vera foret opinio, quæ docet, si vnum tantùm in diuinis esset suppositum, illud à natura non distingueretur, sed esset omnino idem cum illa, vt voluit Fonseca vbi suprà ad 2. opinionis secundæ. Sed non video, cur tunc suppositum aliquo modo non foret distinctum à natura, de quo suprà ar. 3. §. 8. ad 2. Quare alij ex eo sumũt rationem discriminis; quia idẽtitas realis inter personam, & essentiam tunc foret conuertibilis, & adæquata; & proinde inferret personalitatem illam futuram fore de intrinseco conceptu essentiæ; quo dato pertineret ad rationem formalem obiecti beatifici; ita habes ex Suario lib. 2. de attributis cap. 23. n. 6. Sed ego non video, cur identitas realis conuertibilis necessariò inferat personam illam essentialiter ingressuram fore conceptum essentiæ: etenim identitas conuertibilis, & adæquata reperitur inter essentiam, & attributa; & tamen probabile est attributa non includi in essentiali conceptu essentiæ, vt superiùs diximus.

37. Quare melius responderet, qui rationem discriminis ex eo sumeret, quòd personalitas illa foret entitas absoluta, & subindè diceret perfectionem simpliciter simplicem: siquidem omne absolutum in diuinis esse includit hãc perfectionem. Hoc autem admisso non posset persona non pertinere ad formalem rationem obiecti beatifici, vt tale est, siue illa essentialiter includeretur in essentia, siue nõ includeretur, vt de attributis diximus: hæc enim licet fortè non includantur in essentiali conceptu essẽtiæ (vt plures volunt) tamen per se pertinent ad rationem formalem obiecti beatifici, ex ea præcisè ratione, quia di-

cunt perfectionem absolutam, & simpliciter simplicem, vt suprà diximus q. 11.ar.4.§.3.n.21.& 22.

38. Ad 6. probationem. Ad sextam probationem dicendũ est in hac quæstione supponi per possibile, vel impossibile essentiã videri sine personis,& vnam personam sine alijs. Quare antecedens, etiam si verum foret,nihil ad nostrum institutum pertineret. Deinde dicimus non omne, quod per se pertinet ad obiectum visionis intuitiuæ, per se etiam pertinere ad obiectum beatificum: etenim ad visionem per se pertinet, quidquid in obiecto viso, per se habet rationẽ obiecti intelligibilis; quam per se habent relationes diuinæ, cum sint quædam entia, etiam vt distinguuntur ab essentia: cum tamen ratione sui non habeant propriam perfectionem distinctam à perfectione essentiæ; vel si eam habent, illa non est perfectio simpliciter simplex, quæ sola pertinet ad formalem rationem obiecti beatifici. Atque ita satisfactum est omnibus probationibus,quibus antecedens fundamenti Caietani confirmabatur.

39. Ad 7. Ad septimum argumentũ principale eiusdem sententiæ respondendũ est diuina potentia fieri posse, vt essentia sine personis videatur vel eadẽ numero visione, qua cum personis videbatur; vel alia distincta: vtraq; enim pars satis videtur probabilis. Et quidem quod diuina potentia possit fieri, vt beatus, qui nunc videt essentiam cum personis, eadem numero visione videat eam personis non visis; & præterea videat vnam personam nõ visis alijs,plures affirmãt, & nos modò affirmamus: sicut etiam affirmauimus suprà q. 11. art. 4. §.4. ad 4. principale n. 30. fieri posse diuina potẽtia, vt beatus,qui modò videt essentiam cum attributis eadẽ visione videat eã nullo eorum viso. Et in nostris terminis de visione essentiæ sine personis, hanc sententiam probat Salas 1.2. q.3. tract. 2.disp.4.sect.3 nu.29.pag.253. col 1. ad tertiam obiectionem. Quæ fuit expressa sententia Scoti in 1.d.1.q.2.ar.2.litera D.§. *Modus ponendi*. & litera F. §. *Ad illud de quietatione*, & §. *per hoc ad vltimum*. Probant omnes Scotistæ vno excepto Bassolio; ita Lichetus in d. q. 2. fol. 33. col.4.6. *Deinde declarat*, & Bargius fol.53. col.4. litera M.& fol.54. col.1. litera A.

Salas. *Scotus.* *Lichetus.* *Bargius.*

Maironius ibi q. 4. §. *Secundò videndum*, & Rada in d. controuersia 6.concl.3. in 1.ratione pag.90.col.2. cũ cæteris Scotistis: licet eam opinionem non probẽt Bassolius vbi suprà, & Ochamus in 1.d. 1. q. 5. existimantes id omnino esse impossibile. *Mairon.* *Rada.* *Bassolius.* *Ochamus.*

40. Probabile etiam est posse Deum id efficere visione alia distincta. Quę opinio placuit Bassolio in 1.d.1. q.1.art.3. fol. 39.col.3. §. *Sed est hic vna difficultas*, & col. 4.§. *tamen dico*,& Bellomontano 1.p.disp. 48.c.2.in fine. Et quanuis id pluribus nõ placeat, nec Suario in d.lib. 2. de attributis negatiuis cap.23.n.23: ego tamen non video, cur id Deo sit denegandum. Quãdo verò inquiritur, an illa visio foret specie,vel numero distincta? respõdet Bassolius illam visionem futuram fore distinctam specie; fundamentũ est, quia fieri non potest, vt solo numero distinguatur. *Suarius.*

41. Visiones diuersæ speciei sunt possibiles. Sed quidquid sit de hoc fundamento; ego non video, cur Deus nõ possit producere plures visiones beatificas diuersæ rationis, & speciei: quid enim id implicat? vnde hoc à Deo fieri posse præter Bassolium admisit Maior in 4. d. 49. q.11. cum illis, qui putant visiones beatificas Angelorum, & hominum specie distingui. Et in hominibus id esse possibile docuit Paludanus in 4. d. 49. q.5. & visionem,qua Paulus,& Moyses in transitu Deum viderunt, specie distingui à visione permanente, quæ est in beatis, docuit Medina 1.2.q.5.ar 4.Scio plures existimasse visiones specie distinctas in beatis, nec per diuinam potentiam esse dubiles,inter quos est Durandus in 4.d. 49.q.6.& satis insinuat Caietanus 3.p.q. 10.ar.5.ad 3.D.Thomæ,& esse sententiã certam inter omnes Theologos testatur Suarius 1. tom. ad 3.p. disput.26. in præfatione. In hoc tamen non est audiẽdus; quia plures oppositum docuerunt. Vnde idem ipse rem iterùm aduertens diligentiùs, fatetur rem non esse certã, sed opinionem esse longè probabiliorẽ, vt scripsit lib.2. de attributis negatiuis c.19.n.20.& c. 23.n.23. Et in hoc sensu in eam descendit Salas 1.2. q.3. tract.2. disp.3.sect.9.pag.229. col.2. in princip. Quam ego sententiam, vt probabiliorẽ probo; ita tamen, vt opinio Bassolij sit probabilis. *Maior.* *Palud.* *Medina.* *Durandus.* *Caiet.* *Suarius.* *Salas.*

Quare

42. 2. Solutio. Quare secunda solutio erit probabilior, quæ docet visionem illam solo numero distinguendã fore. Quam solutionem nos admisimus supra q. 11. ar. 4. §. 4. n. 31. vbi respondimus ad argumenta, quibus à Suario, & Bassolio impugnatur etenim si vna, & eadẽ numero visio potest diuina potentia modo ferri in essẽtiam cum personis, modo sine illis, vt supra diximus; cur non poterit Deus producere visionem numero distinctã ab ea, quam nunc habet beatus? Sed de his latius disputare non est huius loci.

43. Advltimum tandem argumentũ partis negatiuę admisso antecedente negãda est consequentia; quia inter attributa, & relationes latum est discrimen: nã inter omnes cõstat attributa ex sua natura dicere perfectionem simpliciter simplicem; vnde non possunt nõ intrinsecè pertinere ad complementum obiecti beatifici, de cuius ratione est habere in se omnem rationem beandi. At verò relationes vel nullam dicunt perfectionem; vel non dicunt perfectionem simpliciter simplicem, & per consequẽs illarum perfectio non est necessaria ad rationem formalem obiecti beatifici. Et hæc diximus pro defensione partis affirmantis, quam, vt longè probabiliorem amplectimur.

§. 4.

Pro sententia negatiua soluuntur argumenta affirmatiuæ.

44. Diximus supra §. 3. in principio sẽtentiam negantem suam etiam habere probabilitatem: quare soluenda sunt argumenta in contrariũ adducta §. 1.

45. Ad opinionis affirmãtis. Ad primum fundamentũ Patroni huius opinionis negant solam essentiã pertinere ad obiectum primarium visionis beatificę, relationes verò referẽdas esse ad obiectum secũdarium: oppositum enim docuit Caietanus cum omnibus, quos §. 2. pro sententia negante citauimus. Etenim cum visio beatifica, vt est formalis beatitudo, sit intuitiua, per se habet terminari ad summum bonũ prout à parte rei est in se ipso tam in existẽdo, quam in subsistẽdo summè perfectũ. Tale autem non est, nisi vt est vnum, & Trinum; vt sic enim est vnum completũ ac totale obiectum per se primò beatificatiuum, constitutum ex essentia, & relationibus, siue personis. Hoc est vnicũ fundamẽtum opinionis negantis, quod non facile impugnabitur; vnde non sunt audiendi, qui oppositum supponunt, tãquam certum, & per se notum. Nec probationes, quæ pro illo confirmando adducuntur, aliquid efficiunt.

Prima probatio, quæ adducitur à Rada, petit principium: sumit enim, tãquã certum id, de quo est tota cõtrouersia. Ad 1. prob.

Secunda probatio ex Bassolio in idẽ vitium incidit, dũ supponit ea sola pertinere ad primarium obiectum visionis beatificæ, quæ pertinent ad primam, & quidditatiuam perfectionem Dei; qualia sunt sola prædicata, quibus essentia per se primò constituitur in esse essentiæ; vt este, subsistãtiam, Spiritum, vitam. Hoc enim in hac sententia omnino negandum est: etenim attributa per se nõ pertinent ad primam, & quidditatiuam constitutionem diuinę essentiæ, vt superius sæpe diximus, & cum Scotistis fatetur ipse Bassolius; & tamen attributa per se pertinent ad formalem rationem obiecti beatifici, vt diximus q. 11. art. 4. §. 3. n. 21. Nam obiectum beatificũ ideo per se, & formaliter est beatificum; quia per se, & formaliter est bonum summè perfectũ omni perfectione, quæ est perfectio simpliciter; maxime si fuerit perfectio simpliciter simplex. Iam verò apud Scotistas, licet essentia sub precisa ratione essentiæ sit summè perfecta in genere essentiæ perfectione scilicet radicali, & primaria, vt illi vocant; non tamen est perfecta perfectione secundaria, vt volũt, qua, nostro intelligẽdi modo, essentia completè veluti perficitur; ita, vt ipsa attributa per se cõpleãt formalẽ rationẽ obiecti beatifici, vt beatificũ est. Idẽ igitur dicẽdũ erit in præsẽti quæstione; quia licet relationes nõ pertineant ad primam, & quidditatiuam perfectionem diuinæ essentiæ; sunt tamen perfectiones quædam secundariæ, quibus diuina essentia nostro intelligẽdi modo formaliter veluti completur, de quo statim plura. Quare secũda probatio ex Bassolio sumpta non euincit primum sententiæ affirmantis fundamentum. 46. Ad 2. prob.

Tertia probatio eiusdem fundamenti maiorem habet efficaciam: cuius dif- 47. Ad 3. prob.

ficultatem pro parte affirmante satis confirmauimus supra §. 3. in principio. Nec video quomodo illa pro parte negante bene dissoluatur, si cum Caietano semel concedatur solam diuinam essentiam esse formalem rationem beandi, & vt quo: hoc enim admisso videtur satis efficaciter inferri relationes concurrere quidem per se ad obiectũ beatificum; sed vt conditionem tantùm beantis; quatenus scilicet solùm concurrunt constituendo obiectum beatificũ in esse obiecti, vt quod. Quare sicut non bene dixeris principiũ suppositale ipsi supposito esse formale principium agẽdi; quia non est illi virtus, qua formaliter agit, sed solùm conditio determinãs illud in ratione agentis, vt quod: ita nõ bene dixeris relationes esse principiũ formale beandi virtutemque, qua persona beare potest; sed solùm esse conditionem beantis, vt quod. Hoc autem si semel admittatur, non video, quomodo relationes per se pertineant ad obiectũ beatificum, vt beatificum est; quoniam ad illud, vt sic, solùm pertinent, quæ sunt rationes formales beãdi. De quo latius dicendum erit inferius in quæstione de obiecto formali beatitudinis.

48. Relatio cõcurrit ad rationem beandi.

Quare si hæc opinio negans probanda est, & admittendum relationes per se pertinere ad obiectum beatificum, vt beatificum est; vtique probãdum quoq; erit relationes etiam concurrere, vt rationem formalem beandi; non quidem radicalem, & primam (hoc enim soli cõuenit essentiæ) sed secundariã; quæ perfectio licet radicaliter sit ex essentia; formaliter tamẽ in se ipsa est perfectio simpliciter, qua obiectum beatificum complectè reponitur in esse beatifici. Quod dicimus de obiecto visionis, quatenus est beatifica, dicendum etiam est de obiecto illius, vt est visibile visione intuitiua: etenim ipsæ etiam relationes ad obiectum primarium visionis concurrunt, non vt conditio solùm constituens obiectum in esse quod; sed vt ratio formalis, sub qua formaliter videtur. De quo iterum dicemus in quæst. de obiecto formali beatitudinis. Ad 3. igitur probationem in forma dicimus longè alio modo explicandam esse rationem obiecti primarij, & secundarij, vt in d. quæst. dicemus: etenim terminare visionem virtute non dependente ab alia, non facit obiectum esse primarium; quia multa in se ipsis sunt per se intelligibilia; quæ tamẽ sunt talia dependenter ab alio. Vide in præcitata q.

Sol. 3. prob.

Ad secundùm fundamentum principale opinionis affirmantis negandum est antecedens; quoniam diuina essentia, vt præcisa à personis, non habet cõpletam rationẽ obiecti beatifici: licet enim, vt sic cõsiderata, habeat completam perfectionem in genere essentię; nõ tamẽ in se formaliter habet omnem rationem perfectionis simpliciter; quia adhuc cõsideratur sine perfectione relatiua, qua vltimatè perficitur, & cõstituitur inesse sũmi boni, & obiecti beatifici. Et quamuis, vt sic, eminenter contineat perfectionem relatiuam; adhuc tamen eam non cõtinet formaliter, sed postquam consideratur, vt determinata, characterizata, & figurata tribus subsistentijs personalibus, sine qua formali determinatione, & characterizationenõ potest considerari, vt completè perfecta, nec, vt bonum perfectum vltimatè. Siquis obijciat relationis perfectionem non esse simpliciter simplicem, & subinde non posse per se pertinere ad obiectum beatificum, vt beatificum est; ad obiectionem libenter admittimus id, quod sumit, quidquid Valentia, & Bellomontanus illud negent; negamus tamen solam perfectionẽ simpliciter simplicem per se pertinere ad completam rationem obiecti beatifici, vt tale est; quia ad illud etiam per se pertinet omnis perfectio simpliciter, quæ est pura perfectio ex sua natura excludens omnem imperfectionem: etenim summum bonum, quod simpliciter, & absolutè est summum bonum, ideo est summum bonum, quia nulla ei deest perfectio, quæ verè, & simpliciter est perfectio; qualis est, quæ ex sua natura est pura perfectio excludens omnem imperfectionem; de quo in quæst. de obiecto formali beatitudinis.

49. Ad 2.

Ad confirmationem huius 2. fundamenti dicimus eam fortè conuincere D. Thomam stare pro sententia affirmante; quia satis expresse docet solam bonitatem, & perfectionem essentię dare vnitatem actui fruitionis. At tamen ita explicari posse, vt paternitas esse, &

50. Adconfirm.

indepen-

independenter ab essentia non habeat rationem fruibilis; quia eam ideo habet, quod re est idem cum essentia; ex hac igitur identitate cõsequitur, vt ipse etiam in se, & vt distinguitur ab essentia sit ens fruibile. Et hęc videtur esse mens D. Thomæ, si ibi expendatur. Duas alias explicationes habes apud Salam ad 1. 2. q. 3. tract. 2. disput. 4. sect. 3. in fine pagin. 256. col. 2. Prima est, vt relationes non sint fruibiles sine essentia. Secunda est, vt non sint fruibiles sub ratione formali relationis, bene tamẽ, vt sunt relationes diuinæ. Nostra tamen solutio est satis consentiens cum mente, & intentione D. Thomæ.

51. Ad 3. prine. Ad tertium fundamentum principale patet solutio ex dictis ar. 4. §. 6. Nam admissa in diuinis prioritate originis (de quo in d. ar. 4. §. 5.) dicendum est ex argumento bene inferri Patrem à se, & non à Filio habere beatitudinem; quia prioritas originis hoc solùm denotat. At tamen inde non bene inferri Patrem esse beatum in aliquo instanti, in quo nec est Filius, nec videtur Filius: in hac enim consequentia fit transitus à priori à quo (quod est prius originis) ad priꝰ in quo, quod in diuinis non datur, vt patet in d. §. 6. Quare sicut ex priori originis non bene infertur Patrem in aliquo instanti videre se ipsum, & suam essentiã non visio Filio, vt ibi diximus; ita etiam non bene infertur Patrem in aliquo instanti non esse beatũ, in quo non videat Filium, & Spiritum Sanctum. Vide, quæ diximus in d. §. 6. & Molinã 1. p. q. 41. art. 2. disp. 2. ad 3. Quare ad argumẽtum negandum est antecedens. Omnes illius probationes, si bene expẽdãtur, supponunt dari aliquod prius, in quo Pater videat se Filio non viso, quod negauimus. Sed singulas percurramus.

52. Ad. 1. prob. Ad primam igitur antecedentis probationem dicimus Patrẽ in priori originis à se habere, quod sit Deus, nec id habere á Filio: at tamen in nullo priori esse, in quo sit Deus sine Filio.

53. Ad 2. Ad secundam probationẽ admittimꝰ Patrem, nec beatitudinem, nec aliquam perfectionem absolutam habere à Filio sed omnem habere à se; quia prior est origine, quam Filius. At in minori iam argumentum transit à priori à quo ad prius in quo Pater est sine Filio. At Pater etiam, quando habet Filium, est à quo est Filius. Igitur Pater pro priori originis habet beatitudinem à se, & non à Filio: at tamen nunquam illam habuit in aliquo priori sine Filio.

54. Ad 3. Ad tertiam antecedentis probationem iam respondimus supra art. 4. §. 6. ad 5. argumentum: negandum est enim personam diuinam formaliter esse beatam intelligendo essentiam, vt præcisé est in ipsamet persona; quoniam quælibet persona formaliter est beata visione essentiæ diuinæ, vt est in tribus. Quare neganda est maior. Ad illius probationem dicimus quamlibet personam diuinam intelligere sibi ipsi intellectu, & intellectione communi quidem omnibus personis; sed tamen, vt est in ipsa, non verò, vt est in alia. Nec inde bene infertur vnamquamque personam intelligere essẽtiam, solùm, vt est in ipsamet persona, quæ intelligit. Vide, quæ ibi diximus.

55. Ad 4. Ad quartam probationem eiusdem antecedentis dicimus propositionem istam *essentialia sunt priora notionalibus, & cõmunia proprijs*, sũptam esse ex D. Thom. 1. p. q. 33. ar. 3. ad 1. & in 1. d. 7. q. 1. art. 2. in argumento sed cõtra, & ad 4. & d. 29. q. 1. ar. 2. ad 4. In quibus omnibus locis docet eam intelligendam esse, si essentialia, & notionalia sumantur secũdùm ordinem nostri intellectus, hoc est secundùm nostrum intelligendi modum; quatenus scilicet noster intellectus cõcipit essentialia ad modum communiũ, & vniuersalium, à quibus ad particularia non conuertitur consequentia. In quo sensu difficultas explicabitur in solutione vltimi fundamenti. Admissa autem hac rationis prioritate non solùm in cæteris omnibus essentialibus, sed etiam in beatitudine (quæ fortè non est ita generaliter admittenda) argumentum nihil aliud concludit, quàm Patrẽ in prioritate secũdùm rationem, in qua concipitur à nobis sine Filio, concipi vt beatum. Ex quo licet cõcedatur (plures enim illud non concedunt) nihil potest inferri ad confirmandum antecedẽs: quoniam à prioritate originis, quæ in diuinis datur à parte rei, fit transitus ad prioritatem in qua, dum supponitur sine intellectu dari instans prius in quo Pater sit sine Filio, quod nõ admittimꝰ.

Quare

Quare sicut in antecedente (de quo est contentio) à priori originis à quo fit transitus ad prius in quo; ita etiam in probatione illius fit transitus à priori in quo, quod datur solùm per intellectũ, ad prius in quo, quod sine intellectu datur. In quo transitu peius vitium committitur.

56. Essentialia & cõmunia quomodo sint priora notionalib⁹ & proprijs.

Quæ diximus, satis forent pro explicanda 4. probatione. Sed quoniam hoc axioma, *essentialia sunt priora notionalibus, & communia propriis*, sæpissimè vsurpatur à Theologis, nec sine maxima confusione illud obiter aduertendum duxi axioma solùm esse verum de prioritate secundùm nostrum modum intelligendi, quæ est secundũ quid ex D. Thoma in d. dist. 29. & ex cæteris omnibus. Deinde aduertam in hoc etiam sensu non esse verum, si vniuersim intelligatur de omnibus essentialibus, & communibus, vt bene aduertit Molina 1.p.q.41.ar. 2. disp. 2.ad.1. Scoti; & quanuis ibi loquatur cũ formidine; potuit tamen id secure asserere: quoniam, & à D. Thoma; & à Theologis vniuersaliter non recipitur, sed cum limitatione: nec enim verum est, quando essentialia, & communia considerantur cum aliquo respectu rationis illis annexo. Nam ob hanc rationem intelligere diuinũ, vt terminatur ad creaturas, est posterius, quam intelligere notionale in Patre ex D. Thoma in locis supra citatis. Vide interpetres 1.p.q.33. ar.3. ad 1. Caietanum scil. Banhes, Cumelium, Bellomontanum, & alios. Vide eundem Cumelium 1.p.q.27.ar.1.q.3. §. *Sed restat modo videre*, pagin. 757. & Bellomontanum 1.p.disp.160.c.2.n.5. & c.3. n.13. Quin potius proloquium illud solùm est intelligendum de illis communibus, & essentialibus, quæ ex sua ratione significant essentiam; esse Deum, esse sapientem, & cæt. non verò de illis, quæ dicunt operationem, vt est intelligere, & velle: quod optimè annotauit Ferrariensis in 4. contra Gentes c.11. §. *Vtrum autem voluntas*, ad medium, & post eum Cumelius 1.p.q.41.ar.2.q.3.ad 5. pagin. 1048.col.2. & quanuis in hoc impugnẽtur à Bellomontano in d. disp. 160. c.2. in fine; immerito tamen impugnantur; quoniã essentialia, & cõmunia, quę in Deo significant operationem, si considerentur cum connexione, atque determinatione ad notionalia, nullam habẽt prioritatem, etiam secũdùm intellectũ; quoniam vel comitantur ipsa notionalia sine vlla prioritate, etiam nostro intelligendi modo, vt cum Capreolo putat Ferrariensis vbi supra, & plures alij (quę est probabilior sententia contra Scotum) vel sunt ipsa notionalia, vt vult Suarius lib.6. de Trinitate c.4.n.4. & 6. Et inde est, vt intelligere in Deo sub ratione prædicati essentialis sit posterius se ipso, vt est notionale. Ex quo inferes beatitudinem (quæ formaliter est intellectio diuina) quatenus est essentialis posterior sit nostro intelligendi modo, quám intelligere notionale; ob quam rationem beatitudo à nonnullis dicitur esse quid essentiale connotando notionale. Et hęc diximus pro explicatione tertij fundamenti.

Molina.

D. Thom. Caiet. Cumelius. Banhes.

57.

58. Ad 4. principale.

Ad quartum fundamẽtum principale facilis est solutio ex dictis. In forma tamen negandum est antecedens primi discursus; quia relationes pertinent ad formalem rationem obiecti beatifici, vt diximus in solutione primi fundamẽti. Ad probationem antecedentis concessa maiore neganda est minor secundi discursus; quia, vt diximus, relationes verè pertinet ad constitutionẽ obiecti beatifici; complẽt enim illius perfectionem. Cum vero in tertio discursu probatur oppositum, negandum est rationem summi boni, vt completè est summum bonum conuenire Deo, vt prę cisè est Deus, & præcisè sub sola ratione deitatis: nam sub illa præcisa ratione nostro intelligendi modo solùm consideratur sub primaria sua bonitate, qualis est sola bonitas absoluta, cui nostro considerandi modo superadditur bonitas relatiua; vt quia etiam illa importet perfectionem simpliciter, vt diximus ad secundum fundamentum. Quę doctrina satis est cõsentanea cũ doctrina Scoti, & Scotistarum; apud quos sicut in diuinis duplex entitas consideratur primaria scil. & secundaria cum duplici infinitate; ita etiam duplex considerandа est perfectio, & bonitas, vna primaria, altera secundaria: & cũ vtraq; sit perfectio simpliciter ex sua natura excludẽs omnem imperfectionẽ; vtraq; pertinet ad completam perfectionem Dei; ita vt Deus nostro intelligendi modo

modo tunc completè sit perfectus, cum est vnus, & Trinus.

59. Ad 1. cõfir. Ad primam confirmationem respondet Bellomontanus 1.2. disp. 13 c. 2. n. 8. Nos admittimus posito illo casu videtem Deum esse beatum; inde tamen nõ inferri relationes de facto per se non pertinere ad rationem obiecti beatifici: & ratio est; quia illa suppositio impossibilis, & si ab obiecto beatifico tollat rationem materialem beandi, quæ nunc de facto beat (tollit enim à Deo tres subsistentias relatiuas, & ponit vnã tantùm absolutam) non tamen aufert formalem beandi rationem, qua relationes formaliter beabant; quia cum illa impossibili suppositione adhuc manet, quòd Deus sit summum bonum, pro vt est in se beatificans, provt videtur, vt in se est. Quare sicut tunc Deus nõ bearet, nisi, vt visus in sua vnica subsistẽtia, & persona; quia illa persona etiam diceret perfectionem adæquatè consummãtem summam perfectionem Dei, & bonitatem; ita nunc non beabit, nisi vt visus in sua personarum Trinitate. Et isto modo facilè dissoluitur argumentum, cuius solutio apud Bellomontanum non satis clare proponitur.

60. Ex quibus patet hanc suppositionem impossibilem nõ esse similem illi, quam Theologi faciunt in materia de Trinitate, dum ad inuestigandam rationem formalem distinctionis Spiritus Sancti à Filio, supponunt Spiritum Sanctum à Filio non procedere. Etenim illa suppositio apud eos, qui negant Spiritum Sãctum tunc futurum esse realiter distinctum à Filio, tollit rationem formalem distinctionis, quæ apud eos est sola origo. Apud alios verò Scotum scil. & suos qui adhuc realem distinctionem agnoscunt, illa suppositio euidenter ostendit originẽ nõ esse adæquatã rationẽ distinguẽdi. At in ꝓposito suppositio impossibilis, quam admittimus, non tollit formalem rationẽ beandi; quia adhuc Deus bearet, provt videtur, vt in se est: sed solùm tollit materiale, quod nunc ad beandum concurrit, siquidem loco triplicis subsistentiæ relatiuæ ponit vnam tãtum subsistentiam.

61. Adz. confir. Ad secundam cõfirmationem admittimus obiectum beatitudinis per modũ speciei intelligibilis concurrere, nõ solùm ad nostram beatitudinem; sed etiã ad beatitudinem Dei nostro tamen intelligẽdi modo, quidquid Molina, & alij aliter doceant, de quo iterũ erit sermo in q. de obiecto formali nostræ beatitudinis: nunc supponimus idem dicendum esse de obiecto formali beatitudinis diuinę. Quare ad argumentum concessa maiore neganda est minor. Nec inde bene infertur Patrem habere beatitudinẽ ab alijs personis; quanuis bene inferatur eam non habere sine alijs personis, quod non est absurdum.

62. Ad vltimum principale. Ad vltimum fundamentum admittimus in diuinis dari prius, & posterius secundùm rationem, & nostro modo intelligendi: hæc enim sententia inter omnes iam est recepta, de qua diximus supra ar. 4. §. 6. ad 4. Quare libẽtissimè admittimus Patrem diuinum prius à nobis intelligi, quàm generet Filium, aut producat Spiritum Sanctum. Dubitatio tamẽ est, vtrum pro illo priori Pater à nobis concipiendus sit beatus? Quidam absolutè negant; quia, vt sic, non concipitur diuina essentia, sicut in se est, quo solo modo habet rationem obiecti beatifici. Sed illud obstat; quia Pater non potest non concipi, vt Deus: iam vero de intrinseca ratione Dei est esse verè beatum. Ob quam rationem alij Theologi admittunt Patrem pro illo priori beatum esse solùm fundamentaliter, non tamen formaliter. Ita Præceptor Franciscus à Christo in 1. d. 1. q. 6. ad 4. Scoti. *Francisc. à Christo.* Sed allata instantia adhuc vrget. Tertio loco Bellomontanus 1.2. disp. 13. cap. 2. n. 9. ad 3. admittit Patrem pro illo priori à nobis concipi ad modum beati; quia cum non possit non intelligi, vt Deus; non potest non intelligi ad modum beati; quanuis in se nunquam sit beatus, nisi visione essentiæ, vt in tribus. Sed quam friuola sit hęc responsio, quisque facilè intelliget, si expendat instantiam superius allatam. Quomodo enim persona, quæ intelligitur, vt verus Deus, solùm intelligetur ad modũ beati? etenim De⁹ essentialiter est beatus. *Bellomont.*

63. Propria opinio. Quare ego puto Patrem à nobis pro illo instanti non posse non concipi, vt formaliter beatum. Et ratio est; quia eo modo, quo à nobis concipitur, concipitur, sicuti est; quia pro illo instanti nostrę intelligentiæ nostro intelligendi modo

modo nõ est in tribus, sed in solo Patre. Quare licet à parte rei Pater nõ sit beatus, nisi videndo essentiam diuinam, vt est in tribus; quia à parte rei non potest non esse in tribus; tamen nostro modo intelligendi potest concipi diuina essentia, non communicata, nisi soli Patri: & ideo concipitur à nobis, sicuti est; non absolutè, sed provt à nobis concipitur; quod satis est, vt necessario cõcipiatur, vt beatus. Itaquè aliter res habet in Patre diuino, vt est à parte rei, & provt cõcipitur, vt est à parte rei; & aliter, vt à nobis nostro intelligendi modo intelligitur. Nam á parte rei nullum fuit prius reale, in quo essentia existeret in solo Patre: vnde nunquam potuit videri, vt est in se, nisi in tribus: & ob id à parte rei nunquam habuit rationem obiecti beatifici, nisi vt communicata tribus. At secundùm nostrum modum intelligendi essentia prius fuit in Patre, quàm communicaretur alijs personis. Vnde seruatis principijs modi, quo à nobis intelligitur, pro illo priori, essentia à Patre fuit visa, vt in se erat iuxta modum nostræ intelligentiæ; & ideo poterat beare: etenim eo modo, quo à nobis intelligitur, de ratione obiecti beatifici, non est, quòd sit communicata tribus personis, quia, vt sic, est in sola vna. Et hæc mihi videtur facilis explicatio huius difficultatis. Et hæc dicta sint de tota q. 14. & de visione diuinarum personarum.

QVÆSTIO XV.

De visione creaturarum in diuina essentia.

QVanuis in præfatione ad tertiam quæstionem huius libri post visionem attributorum, & diuinarum personarum statuerimus disputare de visione actuum intellectus, & volũtatis diuinę; & id quidem seruato naturę ordine; quoniam cũ isti actus formaliter sint in Deo, pertinent ad obiectum primarium visionis beatificæ cuius creaturæ sunt obiectum secundarium; tamen quia inter istos diuinos actus enumerantur actus liberi, & libera decreta voluntatis diuinæ, quorum explicatio in pluribus dependet à quęstione, an creaturæ aliquando futuræ à beato videantur in Deo; proinde consultius me facturum esse existimaui, si seruato ordine doctrinæ, prius disputarem de visione creaturarum in Deo, quàm de actibus diuini intellectus, & voluntatis.

In hac disputatione hũc ordinem obseruabimus. Primo loco ostendemus in Patria aliquas creaturas à singulis beatis de facto videri. Deinde inquiremus, quomodo beati videant creaturas; an scilicet eas formaliter videant in Deo, & intra Deũ; an solùm causaliter extra Deum. Tertio loco supposito quòd videantur formaliter in Deo, & intra Deũ explicabimus quomodo ita videantur; Quarto loco disputabimus, quænam creaturæ à beatis videantur secundùm legem ordinariam? Postremo; quid nam diuina potentia fieri possit circa visionem creaturarum? Et ita absoluetur tota disputatio de visione creaturarũ.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum beati in patria aliquas creaturas de facto videant?

QVod attinet ad primum quęstio ista 15. vnico tãntum art. continebitur; quì inquiret, vtrũ beati in patria aliquas creaturas de facto videant?

Quæstio ista in hac generalitate proposita nullam habet difficultatem: cum enim abstrahat à visione creaturarum; siue in Deo videantur, siue in proprio genere, habet partem affirmatiuam omnino indubitatam; quia apud omnes sẽper fuit plusquam certum beatos in patria præter Deum, quem beatificè vidẽt videre plures creaturas. Nam in primis vident cæteros omnes beatos tam Angelos, quã homines: viuunt enim in quadam politia, quam plures appellant vespertinam: etenim Ierusalem cœlestem ædificari, vt ciuitatem habetur Ps. 121. *Ierusalem, quæ ædificatur, vt ciuitas.* Paulus etiam ad Hebræos 12. *Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cœlestem.* Item Apocal. 3. *Scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem.* Et c. 21. *Vidi Sanctam Ciuitatem Ierusalem descendentẽ de Cœlo.* Et inferi: *Ostendit mihi ciuitatem Sanctam Ierusalem descendentem*

Psal. 121. *Ad Hebr. 12.* *Apoc. 3. & 21.*

cendentem de Cœlo. At verò, vbi datur ciuitas, maximé, si est perfectissima, ibi detur necesse est ciuium communicatio, & societas, vt docuit Aristoteles primo Politicorum capite primo, & secundo. Quod satis expressit Regius Vates in dicto Psalmo 121. dum ita scripsit: *Ierusalem, quæ ædificatur, vt ciuitas, cuius participatio eius in id ipsum.* Quibus verbis significatur non solùm inhabitantium multitudo; sed etiam ciuium communio, & vnanimis societas, iuxta communem explicationem, quam satis expressit Symachus, dum locum ita vertit: *Ierusalem ædificata, vt ciuitas habens connexionem simul*, & satis exprimit litera Hieronymi, quæ ita habet: *cuius participatio eius est simul, & pariter*: Hæc enim societas, & ciuium inter se communio ex Aristotele necessaria est ad ciuitatis felicitatem. Vnde Theologi communiter docent dari in patria politiam quandã perfectissimam inter beatos, quam vespertinam appellant. Et inde est, vt inter Angelos, qui sunt superioris Hierarchiæ, illuminent inferiores.

Aristotel. *Psal. 121.* *Symachus.*

2. Deinde certum est singulos beatos habere scientiam per se infusam omniũ rerum naturalium, & secum deferre habitum scientiarum, quas in via acquisiuerunt, de quo plura dicemus in 2. tomo lib. 7. dum de perfectionibus intellectus beati sermo fuerit.

2. Ratio.

3. Tertio dubitari nõ potest Deum beatis ipsis quamplurimas facere quotidie reuelationes, de quo inferius plura dicemus.

3. Tertia.

4. Quartò. Hæc est communis Sanctorũ Patrum doctrina, dum docent beatos plures creaturas cognoscere. An verò velint eas cognosci in Deo, an verò extra Deum; diligentius expendemus in sequenti quæstione. Satis sit modo Patres admittere in beatis plurium creaturarum cognitionem. Hæc fuit doctrina Augustini lib. 11. de Ciuitate Dei c. 7. & 29. & libr. 6. capit. 2. lib. etiam 2. supra Genes. ad literam capit. 8. & libr. 4. capit. 22. & 26. & libr. 5. capit. 2. & libr. 13. confessionum capit. 15. & multis alijs in locis; D. etiam Gregorius lib. 2. Moralium capit. 3. & lib. 4. Dialog. cap. 33. D. Bernardus libr. 5. de consideratione ad Eugenium capit. 1. & 4. Isidorus libr. 1. sententiarum capit. 12. sententia 17. Patres Concilij Senensis in decretis Fidei, quos omnes inferius diligentius expendemus.

4. Quarta. *Augustin.* *Gregorius.* *Bernardus* *Isidorus.*

Denique veritas ista in sua generalitate prolata euidenter colligitur ex sacris literis, & ex pluribus, quæ Fides docet. Etenim Esaiæ 63. Angeli inferiores interrogant superiores (iuxta explicationem Dionysij de diuinis nominibus capite 7.) *quis est iste, qui venit de Edon?* quod non interrogarent, nisi & venientem viderent, & quisnam ille esset, vellent intelligere; quæ voluntas vana esset, si nihil possent ibi, nisi Deum intelligere. Paulus etiam ad Ephes. 3. ait: *Vt innotescat principibus, & potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Habent igitur Angeli cognitionem mysteriorum Incarnationis, in quorum cognitione successu temporis profecerunt. Fides etiam docet Angelos singulis hominibus dari, vt eorum curam gerant, singulis etiam regnis præfici, vt ex sacris literis constat; hanc autem curam non acommodatè exercerent, nisi, quæ circa sibi commendatos aguntur, certo scirent. Denique quod attinet ad Angelos, certissimum est superiores illuminare inferiores: & de hominibus beatis euidenter id colligitur ex 2. Petri 1. *Dabo operam, & frequenter habere vos post obitum meum, vt horũ memoriam faciatis*, ex quo loco euidenter colligitur Sanctos in patria, & nostri cognitionẽ habere, & pro nobis apud Deum intercedere. Et in re notissima satis sit hæc adduxisse. Superest, vt inquiramus, vtrum beati, quas creaturas vident in patria, eas formaliter videãt in Deo, an verò solùm caussaliter? De quo in sequentibus quæstionibus agendum erit.

5. Postrema. *Esaiæ 63.* *Dionysius* *Ad Ephes. 3.* *2. Per. 1.*

QVÆSTIO XVI.

Vtrum beati videant creaturas formaliter in Deo, & intra Deum; an extra. solùm caussaliter?

SECVNDO loco disputandum est, quomodo creaturæ videantur à beatis; vtrum nè videantur formaliter in Deo, & intra Deum; an verò solum caussaliter extra ipsum Deum?

Pro cuius difficultatis maiori explicatione tria sunt à nobis in hac quæstione inquirenda. Primum est; quot nam modis creaturæ à beatis videantur in patria? Deinde; an possibile sit beatos formaliter videre creaturas in Deo; an solùm causaliter extra Deum? Tertio loco; an de facto eas videant formaliter in Deo; an causaliter tantùm?

ARTICVLVS I.

Quot modis creaturæ à beatis videantur in patria?

§. 1.

Quid sit creaturas videri secundùm esse, quod habent in Deo, & secundùm esse, quod habent in se ipsis.

1. 1. præmissi. QVod attinet ad primum explicandum est prius; quotnam modis in patria possint beati videre creaturas. Pro cuius explicatione præmittendum est creaturam sub dupli ci esse considerari posse; nimirum sub esse, quod habet in Deo; & sub esse, quod habet in se ipsa. Nam duplicem istum essendi modum satis nobis expresserunt D. Anselmus, & Diuus Augustinus. Anselmus. August. Anselmus quidem in Monol. capit. 33. vbi agens de creaturis ita ait: *etenim in se ipsis sunt essentia mutabilis secundùm mutabilem rationem creata: in ipso vero sunt ipsa prima essentia*. Augustinus vero multis in locis hoc duplex esse in creaturis distinguit, vt patet libr. 11. de Ciuitate Dei capit. 7. & capite 29. & libro 4. de Genes. ad literam capite 32. & lib. 5. capit. 34. & alibi sæpe. Vnde Doctores Theologi hoc duplex esse distinguunt sequētes in hoc Augustinum, & Anselmum, imò etiam D. Bernard. Bernardum, & alios Patres, vt patet ex D. Thom. D. Thoma 1. part. quæstione 18. articul. 4. ad primum. Et quidem manifestum est creaturas secundum esse, quod in se ipsis habent esse entia quædam creata, & satis significant verba citata Anselmi; quod verò esse, quod habent in Deo sit ens increatum, & diuinum communiter docent Theologi. Ita expressè D. D. Thom. Thomas de veritate quæstione 8. artic. 16. ad 11. vbi docet esse creaturæ in Deo, esse increatum, & diuinum, & in 4. contra Gentes ad finem expressè docet creaturas in Deo nihil aliud esse, quàm ipsum Verbum: easdem creaturas in Deo esse ipsam diuinam essentiam disertis verbis affirmat 1. part. quæstione 18. art. 4. ad 1. vbi in corpore concludit creaturas in Deo esse ipsam vitam *Dei*, quod etiam docuit de veritate quæst. 4. articul. 6. & 8.

Consentiunt communiter Theologi 2. in 1. distinct. 36. vbi Ægidius 1. part. di- Ægidius. stinctionis quæst. 3. Durandus quæstion. Durandus. secunda cum cæteris omnibus. Ex Nouioribus idē docuerunt Cumelius 1. p. q. Cumelius. 12. artic. 8. quæstione vnica ad tertium pagin. 275. column. secunda notab. 2. & quæstione 16. articul. 1. quæstione 3. in secunda conclusione; Suarius ad 3. p. Suarius. disputatione 26. sectione 2. pagin. 523. column. 2. §. *Vltimo tandem*, & lib. 2. de attributis negatiuis cap. 25. num. 1. & 12. Bellomontanus 1. part. disput. 51. cap. 3. Bellomont. & disp. 70. c. 2. cum alijs. Quorum doctri- Cōfirm. 1. na confirmatur communi quodam axiomate Theologico, *creatura in Deo est ipsa creatrix essentia*, quod communiter tribuitur D. Anselmo in Monologio c. 33. D. Anselm vbi illud expressit, si non verbis formalibus, saltē æquiualentibus; ita enim inquit: *Quēadmodum opus, quod fit secūdū aliquā artē, semper est in ipsa arte, nō aliud, quàm quod est ars ipsa: id circo cū ipse sūmus Spiritus dicit se ipsū, dicit omnia quæ facta sunt: & cū corrumpūtur, seu aliquo modo variātur, sēper in se ipso sunt: nō quod sūt in ipsis, sed quod est idē ipse: etenim in se ipsis sūt essētia mutabilis secūdū mutabilē rationē creata: in ipso verò sūt ipsa 1. essētia.*

Confirmari etiam id ipsum solet ex 3. verbis Ioan. 1. *Quod factum est, in ipso vi-* Cōfirm. 2. *ta erat*: sic enim plures legunt, vt Hera- Ioan. 1. cleonta apud Originem, ipse Origines Athanasius, Cyrillus. Clemens Alexandrinus, Irenæus, Tertullianus, Bæda, Marius Victorinus, Gaudentius, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, & plures alij, quos refert Toletus ibi annotatione 19. & Maldonatus ad illa verba: *Et sine ipso factum est nihil.* Qui omnes omissa punctuatione Hæreticorum, qui illa verba *in ipso* cum præcedentibus construebant, vt esset sensus: *Quod factum est in ipso, vita erat.* Omissa inquam hac punctuatione illa verba *in ipso* præcitati Patres legunt cum verbis sequētibus appositā virgula ad verbum *est*, vt sit sensus: *Quod factum est, in*

ipso

ipso vita erat. Admissa igitur hac lectione & punctuatione iste erit verborum sensus: *ea, quæ facta sunt, vt in Deo sunt, vita sunt.* Ipsa inquam vita increata Verbi. Ita explicat Augustinus libro quinto de Genesi ad literam capit. 14. & in tract. 1. in Ioannem, probarunt Beda, Rupertus, & plures alij ex posterioribus. Quã explicationem refert, & probat Origenes homilia secunda in diuersos teste Toleto. Nam sicut esse effectus, vt est in sua caussa, est idem esse cũ esse suæ caussę; ita etiam esse rei creatę, vt est in Verbo, tanquam in caussa, est ipsum esse increatum, & diuinum, ipsaquè vita substantialis diuinę essentiæ.

Augusſt. *Beda.* *Origenes.*

4. 1. Notab. Itaque negandum non est duplex esse distinguendum esse in creaturis. Vnum; quo sunt in Deo: alterum; quo sunt in se ipsis. Cęterum, vt hæc distinctio sublata omni æquiuocatione clarius intelligatur, nonnulla erunt à nobis hoc loco aduertenda. Primum est duobus modis intelligi posse creaturas cognosci in se ipsis. Vno modo, vt dicantur in se ipsis cognosci, cum cognoscũtur per proprias species repræsentatiuas illarum. Altero modo; cum cognoscuntur in sua propria entitate essentiæ, vel existentię, abstrahendo, quod ita cognoscantur, vel per proprias species in proprio genere, vel per species alterius obiecti, in quo videntur. Quod satis expressit Ferrariensis in tertio contra Gentes capite 56. §. *ad euidentiam huius responsionis*, & significauit Diuus Thomas in eodem capite ad finem, annotauit Molina 1. part. quæstione 12. articul. 8. disputatione secunda §. *quartum est*, pag. 132. column. 1. Sed iste explicandi modus non est omnino adæquatus; quoniam licet, quæ per proprias species cognoscuntur, in se ipsis cognoscantur: tamen potest aliquid in se ipso cognosci, quanuis per propriam speciem non cognoscatur: creaturæ enim in Deo viso in se ipsis cognoscuntur, vt inferius dicemus; & tamen in eo non cognoscuntur per proprias species. Quare, cum ex communi locutione Patrum dicimꝰ creaturas cognosci à beato, vel vt sunt in se ipsis, vel vt sunt in Deo, non idem est creaturas cognosci in se ipsis, atque cognosci per proprias ipsarum species.

Ferrar. *Molina.*

Secundò aduertendum est creaturas multis modis posse esse in Deo. Vno modo; vt in caussa, in qua eminenter continentur. Secundo modo; vt in caussa cõseruante illas in esse. Tertio modo, vt in cognoscente. Primum modum essendi in Deo omnes agnoscunt: duos posteriores posuit D. Thomas prima part. quæstione 18. articul. 4. in corp. & ad 1. Cum vero duobus modis dicantur esse in Deo, vt in cognoscente; vno modo formaliter; altero modo obiectiuè, vt doctè satis aduertit Bellomontanus 1. part. disputatione 70. capite secundo n. 5. §. *adhuc tamen*; doctrina tradita à Patribus, & Theologis de duplici esse creaturæ in Deo, & in se ipsa, non facilè poterit intelligi, nisi rem istam sublata omni æquiuocatione diligentius explicemus: ex hac enim explicatione facilè intelligemus, quando creaturæ in Deo sunt ipsa diuina essentia, & quando in se ipsis sumptę à diuina essentia distinguuntur.

5. 2. Notab. *D. Thom.*

Quare aduertendum est tertio loco non repugnare creaturas esse in Deo secundùm illud ipsum esse, quod in se ipsis habent: etenim, vt in se ipsis sunt, dicuntur esse in Deo, vt in conseruante, ac manutenẽte illarum esse, vt admittit Diuus Thomas in dict. quæstione 18. ar. quarto ad 1. Quare non quodcunque esse creaturę in Deo, est esse ipsius Dei: nam illud esse, quod habent in Deo, vt conseruante, non est esse increatum, sed creatum potius, & illud ipsum, quod á parte rei habent in se ipsis. Et ob id Diuus Thomas in dicto articulo quarto in corpore; & ad primum, vt doctrinam Patrum superius adductam reddat veram, recurrit ad esse, quo creaturæ sũt in Deo, sicut in cognoscente; quasi illud esse, quod isto modo habent in Deo, sit esse increatum, & diuinum. Sed nec hoc difficultatem tollit, nisi melius explicetur: quoniam creaturæ secundùm illud ipsum esse creatum, quod in se ipsis habent, sunt obiectiuè in Deo, vt cognoscente: etenim in se ipsis secundùm proprium esse essentiæ, atque posibile ab æterno fuerunt obiecta simplicis intelligentiæ, & secundùm esse actualis existentię objciuntur scientiæ visionis. Absolutè igitur non est verum creaturas, vt sunt in Deo,

6. 3. Notab. *D. Thom.*

vt cognoscente, non habere aliud esse, nisi diuinum. Oportet igitur rem istam diligentius explicare, vt locus detur doctrinę à Patribus superius traditæ.

7. 4.Notab. Aduertendum est igitur quarto loco nunc solùm inquiri modum, quo creaturæ ita sunt in Deo, vt non sint in se ipsis: etenim consideratio creaturæ, vt est in Deo, & vt est in se ipsa, continet duo membra opposita; ita vt esse, quo creatura est in se ipsa, sit aliud ab illo esse, quo est in Deo, vt manifestè expressit D. Anselmus, dum in verbis supra citatis ait. *Etenim in se ipsis sunt essentia mutabilis secundùm mutabilem rationem creata; in ipso verò sunt ipsa prima essentia.* Anselmus. Iam verò creaturæ duobus modis, vt sunt in Deo, non dicuntur esse in se ipsis, nec habere in se ipsis esse. Vno modo, provt sunt in Deo, vt in causla, vel eminentiali, vel virtuali. Altero modo; vt sunt in Deo, vt cognoscente. Et vtroque modo creaturæ existentes in Deo habent esse distinctum ab eo, quod habent in se ipsis. Etenim priori modo sunt in Deo; tum secundùm esse eminẽtiale, quatenus Deus est participabilis, & imitabilis secundùm aliquem specialem essendi modum v. g. humanum equinum, & cæt. tum etiam secundùm esse virtuale, & actiuum, quatenus Deus est potentia actiua efficienter communicatiua sui ipsius secundùm hanc, vel illam essendi rationem. Vtroque isto modo creaturæ, vt sunt in Deo sunt ipsa diuina essentia, & ipsa substantialis vita Dei, iuxta præcitata verba Ioan. primo: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Ioan.1. Explicata in sensu Augustini, & aliorum Patrum, quos citauimus: etenim tam eminentialitas illa diuina in Deo formaliter existens, qua Deus eminenter est omne ens creabile; quam etiam potentia actiua Dei, qua omnem creaturam potest producere, realiter sunt ipsa diuina essentia, iuxta præcitatum proloquium sumptum ex D. Anselmo; *creaturæ in Deo sunt ipsa creatrix essentia.* At si ipsæ creaturæ considerantur, pro vt aut possibiliter, aut actualiter participant illos eminentiales essendi gradus, iam considerantur in se ipsis; quia iam considerantur secundùm esse possibile, vel actuale, quod á parte rei in se ipsis habent, aut habere possunt. Cum verò hoc esse sit participatum, est esse quoddam finitum admixtum multis imperfectionibus.

Porrò, si consideremus creaturas, provt sunt in Deo, vt cognoscente (vt eas considerauit Diuus Thomas in dict. quæstione 18.articul. 4. opus est distinctione. Nã duobus modis possunt creaturæ esse in Deo, vt cognoscente, vt iam aduertimus. Vno modo obiectiuè; altero modo formaliter. Si priori modo sumantur, considerantur in se ipsis; quia considerantur secundum esse proprium, quod habere possunt, vel actu habent, quod ipsum est esse quoddam creatum: vnde Deus ad illas terminatur, vt ad obiectum quoddam finitum, vel cognitione simplicis intelligentiæ secundùm esse posibile; vel notitia visionis secundùm esse actuale. At verò posteriori modo considerantur secundùm rationes formales repræsentatiuas earum, vt patet ex D. Thoma in dict. art. quart. ad 1. Cum verò rationes illę realiter sint ipsa diuina essentia; hinc est, vt secundùm tale esse iam non considerentur in se ipsis, sed secundùm quod sunt ipsa diuina essentia. Et in hoc sensu rem explicauit D. Thomas in dicto artic. quart. ad 1. & latè Bellomontanus in d. disp. 70. cap. 2. 8. D. Thom.

Ex quibus iam patet, quomodo sit explicanda communis doctrina, creaturas posse considerari vel sub esse, quod habent in Deo, vel sub esse, quod habent in se ipsis: considerantur enim secundùm esse, quod habent in Deo, vel vt in causla, vel vt in cognoscente secundùm rationes ideales ipsarum. Considerantur autem sub esse, quod habent in se ipsis, quando considerantur secundùm esse participatum vel essentiæ, vel existentiæ, secundùm quod obiiciuntur, vt obiecta quædam secundùm propriam suam entitatem cognoscibilia. Hoc posteriori modo distinguuntur à Deo, etiam, vt sunt in Deo; at priori modo, vt sunt in Deo, sunt ipse Deus. Hæc diximus pro explicatione prioris præmissi; vt intelligamus creaturas in patria posse duobus modis videri àbeatis. Vno modo secũdùm esse, quod habẽt in Deo, vel eminentiale Dei creatoris, vel ideale Dei cognoscentis. 9.

Altero

Altero modo secundùm esse, quod habent in se ipsis, vel obiectiuè in Deo, vel realiter à parte rei.

§. 2.

Quid sit creaturas videri in proprio genere, & in Verbo?

10. 2. præmissũ. SEcundo præmittendum est creaturas in patria in se ipsis, & secũdùm proprium esse, quod in se ipsis habent, adhuc dupliciter cognosci posse à beatis. Vno modo in proprio genere; alio modo in Verbo, siue in Deo; quæ duplex cognitio satis est vulgata apud Theologos. Tunc dicũtur à beatis cognosci in proprio genere, cũ ab illis cognoscuntur per proprias ipsarum species, vel acquisitas à rebus in via, vel infusas in 1. instanti separationis animæ à corpore, iuxta probabiliorem D. Thomæ opinionem: hæc enim creaturarum cognitio propriè loquendo est cognitio rerum in proprio genere, prout cognitio in proprio genere distinguitur à cognitione in Verbo. Porro cognitio creaturarum in Verbo, secundùm cõmunem loquendi modum Augustini, & Theologorum illa dicitur, quę vel formaliter fit per visionem beatificam, vel ratione illius efficitur, vt in tertio præmisso explicabitur: vtroque enim modo dicuntur creaturæ cognosci in Verbo, prout cognitio in Verbo adæquatè distinguitur à cognitione in proprio genere. Vnde ad hoc posterius membrum pertinet cognitio reuelationum, quæ in dies successiuè fit beatis extra Deum: illa etiam cognitio mysteriorum supernaturaliũ, quæ in via fuerunt credita per Fidem: quæ cognitio in primo beatitudinis in-
11. stanti conceditur beatis simul cum infusione nouarum specierum, quibus mysteria illa possint á beatis cognosci in proprio genere, de quibus latè agemus in secundo tomo lib. 7. dum suscipietur disputatio de perfectionibus, quę in patria intellectum beatum comitantur: etenim horum mysteriorum cognitio, quanuis fiat per proprias species rerũ, quæ supernaturaliter cognoscuntur; & ob id aliquo modo possit dici cognitio rei in proprio genere, vt bene aduertit Suarius libr. secundo de attributis negatiuis capit. 25. num. 2. tamen cũ detur ratione visionis beatæ à quibusdã dici solet visio creaturarum in Verbo. An propriè ipsi viderint, modo communem loquendi vsum amplectimur. Habemus igitur creaturas à beatis duob' modis posse cognosci; vel cognitione in proprio genere per species proprias earum; vel cognitione in ipso Verbo, quocunque modo illa fiat.

§. 3.

Quid sit creaturas videri formaliter, & causaliter.

TErtio prę̃mittenda est alia distinctio ad institutum maximè necessaria. Quoniam adhuc dupliciter intelligi potest creaturas in Verbo cognosci. Vno modo formaliter. Altero modo causaliter. Formaliter dicentur cognosci, cum in ipso Verbo, hoc est in Deo viso, & intra ipsum Deum cognoscuntur cognitione ad ipsas creaturas intra Deum terminata abstrahendo ab hoc, quod eadem visione videantur, qua Deus videtur, an verò alia distincta. Causaliter verò tunc dicuntur cognosci in Verbo, quando cognoscuntur extra ipsum Deum per species infusas creaturas ipsas repræsentantes extra Deum, idque ratione visionis beatificæ: ita vt ipsa cognitio creaturę, vel naturaliter resultet ex cognitione beatifica, qua videtur Deus; vel (quod verius alij volunt) vt ipsa cognitio liberè detur à Deo; ideo quia docet beatum aliquas creaturas cognoscere. Prior creaturarum cognitio in Verbo ideo dicitur formalis cognitio creaturarum in Verbo, quia formaliter intra ipsum Deum visum ad ipsas creaturas in se ipsis terminatur. Posterior verò ideo dicitur causaliter esse cognitio in Verbo, quia ipsa formalis visio Verbi est veluti causa, cur beato concedatur cognoscere creaturas extra Verbum. Hæc distinctio tribuitur Caietano 1. part. quæstion. 84 articul. 5. & quæstion. 57. articul. 5. & secunda secundæ, quæst. 83. articulo quarto ad secundum Diui Thomæ; in quibus locis hac vtitur distinctione, sed in sensu longè diuerso ab eo, quo Suarius cum Nouioribus eam explicat. Hi enim volunt creaturas ideò dici in Verbo formaliter cognosci, quia

12. 3. præmissũ.

Caietanus.

eadem visione cognoscuntur, qua cognoscitur Verbum. Sed cũ formalis creaturarũ cognitio in Verbo distinguatur à cognitione causali earum in Verbo; & illæ apud plerosque non solùm valeant cognosci intra Deum eadem Verbi cognitione, sed alia distincta, imò etiã alijs; ideo distinctionem istam accommodatius ad institutum explicaui in maiori generalitate. Admittimus tamen creaturas in Verbo dupliciter cognosci à beatis: vel formaliter intra ipsum Deum visum, siue eadem, siue diuersa visione videantur; vel caussaliter extra Deum; ratione tamen visionis beatificæ, qua Deum vident.

§. 4.

Quot modis beati in patria de facto videant creaturas?

13. His ita præmissis explicandum est vtrum beati in patria omnibus explicatis modis videant creaturas? Abstrahimus modo à visione beatifica, vel non beatifica.

1. Cõclusio. Prima conclusio: Beati in patria de facto vident creaturas secundum esse, quod in se ipsis habent, cognitione in proprio genere. Conclusio nullam habere potest dubitationem: quia indubitatum est beatos in Cœlo in superna Ierusalem politicè viuere: cum verò sint ciues ciuitatis perfectissimæ politicam inter se habebunt societatem, sine qua nulla datur politica beatitudo, vt Aristoteles sæpe docuit in libris Politicorum, & diximus supra q. 15. Quare beati in Cœlo in hac vespertina politia videbunt cõciues suos, alios scilicet beatos, tam Angelos, quàm homines. Videbunt etiam Cœlum ipsum Empyrium, & ea, quæ in eo sunt. Et cum certissimum sit in beatis manere scientias naturales, quas in via habuerunt; imò etiam illis infundi omnes naturalium scientiarũ habitus, simul cum omnibus speciebus intelligibilibus rerum naturalium, vt dicemus secundo tomo libr. 7. dum sermo fuerit de perfectionibus intellectus beati; beati vtentur illis omnibus habitibus & scientijs, ne ibi otiosè maneant. Non est igitur dubium, quin beati in patria cognoscant plures creaturas in se ipsis cognitione in proprio genere per proprias illarum species; quæ cognitio distinguitur à cognitione creaturarum in Verbo, vt patet ex §. 3. Hęc tamen creaturarum cognitio ad nostrum institutum non pertinet; quia hoc loco solum agimus de cognitione, quæ est beatifica.

14. 2. Cõclusio. Secũda cõclusio: Beati in patria caussaliter videbunt in Verbo plures creaturas secundùm esse, quod habent in se ipsis. Hæc conclusio est etiam indubitata: omnes enim admittunt Deum beatis plura reuelare non solùm ordinis naturalis, sed etiam supernaturalis; idq; ratione status beatifici. Quæ omnia beati cognoscẽt extra Deum per proprias ipsarum rerũ species, quas vel iam habent vel in ipsis reuelationibus infũdũtur. Id latè ostendemus 2. tom. in d. libr. 7. vbi etiam videbimus, quomodo fiant hæ reuelationes. Ista omnia dicũtur cognosci in Verbo, vt plures Nouiorum volunt, quanuis, quæ extra Deum fiant, nõ proprié dicentur in Verbo fieri, vt supra admonuimus, sed loquamur, vt plures.

15. 3. Cõclusio. Tertia conclusio: Beati in patria visione ipsa beatifica, qua vident diuinam essentiam formaliter vident etiam creaturas secundùm esse, quod habẽt in Deo in sensu explicato §. 1. Conclusio est per se nota, si illius termini percipiantur: etenim creaturę secundùm esse, quod habent in Deo, sunt ipsa diuina essentia, & vita, vt diximus. Sed omnes beati sua beatifica visione formaliter vidẽt diuinam essentiã, totũq; diuinũ esse. Ergo eadẽ visione vidẽt creaturas secundũ esse, quod habẽt in Deo. De quo nulla potest esse controuersia. Et quãuis antiquiores Theologi de hac visione creaturarũ expresse nõ loquãtur; eã tamẽ sine dubio cõcederent in terminis explicatis, cum admittãt creaturas, vt sunt in Deo, tanquam in caussa, esse ipsum Deum, vt ex Anselmo, & alijs Patribus iam diximus. Ex Nouioribus in proprijs terminis cõclusionẽ admisit Suarius lib. 2. de attributis negatiuis c. 25. n. 1. & antea admisit in commentarijs ad 1.2.q.3. disput. 8. quæstiuncul. 5. in principio, & post eum Bellomontanus 1.p. disp. 51. c. 2. & 3.

Suarius.

Bellom.

4. Cõclusio. Quarta; & vltima cõclusio: vtrũ creaturæ videãtur formaliter in Verbo, ita vt videantur intra ipsũ Verbum; an verò solùm caussaliter extra Verbum? quæstio est inter aliquos controuersa, de qua agemus in sequenti art.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrùm possibile sit beatos formaliter videre creaturas in Deo, ita vt intra Deum in se ipsis videantur?

§. 1.
Refertur opinio negans.

1. QVÆSTIO ista prius excitatur de possibili, quàm de facto; quia non desunt, qui in vtroque sensu partem negantē probent: in ea enim

Bellom. est sententia vnus Bellomontanus 1. p. disp. 50. vt non solùm neget creaturas à beatis de facto videri formaliter in Deo; sed nec id esse possibile. Vnde cōstanter asserit creaturas à beatis formaliter non videri in Deo, sed solùm causaliter, hoc est per cognitionem extra Deum in ipsis beatis causatam ratione visionis beatificæ. Et quanuis non satis expressè asserat impossibile esse eas formaliter videri in Deo; omnes tamen illius rationes eo tendunt, vt probent fieri non posse, vt ita videantur.

2. Pro hac sententia in d. disp. 50. citat D. Bonauent. Scotum, Gabrielem, Maiorem, Almainum, Marsilium, Ochamū, Aliacum, Paludanum, & D. Thomam. Asseritq; Henricum secum conuenire, vt patet c. 2. n. 9. Nec desunt, qui pro illius sententia citent Aureolum, imò etiam Abulensem. Et pro eàdem sententia à Suario, & nonnullis alijs citantur Ochamus, Gabriel, Maior, Aliacus, & Almainus. Sed omnes istos contrariam sententiā docuisse inferiùs ostendemus. Quare ex ijs, quos legi, qui hanc negantem sententiam probauerit, si vnū excipias Bellomontanum, inueni neminem. Sed quidquid sit de hoc, pro hac sententia hæc fundamenta potui colligere.

3. 1. argum. Primum, & principale fundamentum Bellomontani sumitur ex eo, quòd essētia diuina, cum sit res absoluta non potest esse medium cognoscendi creaturas, in quo probando multis spatiatur.

4. Secundum. Secunda ratio: quia si in Deo viderētur creaturæ, nō possent non videri omnes etiam possibiles. Quod est impossibile. Sequela probatur; quia non est maior ratio de vna, quàm de alia, siue res ista expendatur ex parte diuinæ essentiæ, siue ex parte luminis gloriæ, siue ex parte ipsius visionis. Et in hoc latè vagatur ibi cap. 5. n. 27.

5. Tertium. Tertiò alij arguunt: quia si creaturæ possent in Deo videri, esset ex eo, quia Deus est earum causa. Hoc autem non satis est. Id, quod multis probant.

Quartum. Quartò ita obijcitur: quoniam non apparet modus, quo possint creaturæ videri in Deo: nam vel videri possunt vno tantùm actu, vel pluribus. Nec vno tantùm, vel pluribus possunt in Deo videri, de quo ab auctoribus huius sentētię plura inferiùs adducentur. Hæc sunt huius negantis opinionis fundamenta. Quod si illis obijcias Patres communiter docere creaturas videri in Verbo;

Scotus. respondent eos explicandos esse de visione creaturarum non formaliter, sed causaliter.

§. 2.
Sententiam affirmantem esse verissimam.

6. HIs tamen non obstantibus omnino asserendum est creaturas in ipso Deo, & intra ipsum Deū posse à beatis videri. Hæc sententia ex eo debet verissima censeri, quia in hoc sēsu (de Visione scilicèt intra Deum abstrahendo ab vno, vel pluribus actibus) recipitur ab omnibus Theologis, si vnū excipias Bellomontanū: quod satis esse debet, vt in hac grauissima materia opinio Bellomontani censeri debeat paradoxa, nec aliquo modo recipienda.

7. Quòd hęc affirmatiua opinio sit omnium Theologorum vno excepto Bellomontano ex eo facilè patet; quia omnes illo dempto expressè docent beatos in patria in ipso Deo, & intra Deum de facto videre creaturas, vt statim diligētissimè ostendemus, videbimusque eos ipsos, quos Bellomontanus pro sua opinione citat, verbis expressis oppositū docere. At quòd de facto sit, possibile esse fieri, quis negabit? Sed, vt locus dubitationi pręcludatur, ostendamus omnes Nominales expressè affirmare nostram sententiam in sensu de possibili, de quo solo nunc agimus. Ita expressè docet Ochamus in 4. q. 13. citatus pro se à Bellomontano: ibi enim ar. 3. litera

Ochamus. D. in 4. dicto hæc ponit verba: *Quarto dico, quòd actus beatificus, potest esse idem respectu essentiæ diuinæ, & respectu creaturarum: sed non primo respectu Dei, & post respectu creaturæ.*

turæ secundùm imaginationem Ioannis. At si possibile est creaturas in Deo videri illo ipso actu, quo videtur diuina essentia; non potest non admitti possibile etiam esse creaturas intra ipsum Deum videri à beato: etenim ille vnus actus non terminatur ad extra, sed ad intra. Quod ex eo colliges, quia talis actus ab eodē Ochamo ponitur beatificus. Qui verò actus ad obiectum intra verbum terminatur, ille terminatur ad intra. Idem etiam Ochamus ibi in 5. dicto asserit fieri posse, vt Deus, & creatura videantur pluribus actibus beatificis, vel successiuè, vt vno interrupto alius succedat, vel simul; ita enim scribit: *Quintò dico, quod potest poni, quod iste actus sit interruptus, & causetur nouus actus respectu omnium istorum prius visorum, & respectu aliorum obiectorum, & creaturarum; & tunc secundùm istos duos modos ponendi oportet ponere, quòd in eodem intellectu successiuè possunt etiam esse plures actus beatifici; vel quod simul sint tales actus: & hoc videtur rationabile; quia nulla videtur repugnantia.* Hęc Ochamus: hi igitur actus, quorum singulis Deus cum his, vel illis creaturis simul videtur, cū sint actus beatifici terminati ad essentiam simul cum creaturis, non possunt non terminari ad creaturas, vt sunt intra repræsentatæ. Decipiuntur igitur, qui cum Bellomontano putant Ochamum stare pro sententia negante.

8. Gabriel.

Sed nec Gabriel pro illa à Bellomōtano, cæterisque verè citatur; cum potius nostram defendat, non solùm de facto (vt inferiùs ostendemus) sed de possibili. Id expressè scribit in 3. d. 14. q. vnica art. 1. in 5. opinione corol. 2. 3. & 4. Nam in primo statim in principio scribit: *fieri posse, vt intellectus beati eàdem visione, vel diuersis videat Verbū, & creaturas in Verbo.* Si eàdem visione; cum visio terminata ad Verbum sit ad intra; vtique terminata ad creaturas, ad intra etiam terminabitur ad illas. Rursus statim inferiùs ita habet: *ita etiam potest creare Verbū visionem in beato, qua videat Verbū & A. & B. creaturas, & illa manēte semper videt Verbū, & A. & B.* Quæ verba manifestè intelliguntur de visione ad intra. In tertio etiam corollario docet actū illum creabilem, quo videtur Deus, & creatura, esse beatificum. Denique in fine 4. corollarij affirmat hunc intelligendi modū esse possibilem, nec aliquam includere repugnantiam. Quomodò igitur Gabriel neganti fauet opinioni? Cum Ochamo, & Gabriele simpliciter transeunt cæteri omnes Nominales, vt videre est apud Almainum in 3. d. 14. q. 1. Maiorem ibi q. 3. & in 4. d. 49. q. 16. Supplementum Gabrielis ibi q. 3. ar. 2. post tertiā propositionem, Aliacum in 1. q. 12. & apud cæteros omnes, de quibus iterum inferiùs est agendum. Ex quibus patet omnes in vniuersum Theologos pro nostra stare affirmatiua sententia: pro qua etiā ex Nouioribus expressè scripsit Suarius lib. 2. de attributis negatiuis c. 25. n. 7. & 17. quod antea docuerat in comment. ad 1. 2. q. 3. disp. 8. quæstiunc. 5. §. *Dicendū primò*, cum omnibus Nouioribus.

Almainus *Maior.* *Supplemēt.* *Aliac.* *Suarius.*

Nec auctoritate solùm Scholasticorū hæc sententia confirmatur; sed etiam ex eo, quod Patres euidenter docent beatos de facto videre creaturas, non modo extra Deum in proprio genere, sed etiam intra Deum, vt inferiùs latè ostēdemus. Iam verò ab actu ad potentiam valet consequentia.

§. 3.

Expenduntur rationes quorundam Recentiorū.

9. Argumenta quorundā. 1. argum.

QVidam ex Modernioribus hanc verissimam sententiam nitūtur rationibus confirmare. Prima est; quoniam sicut esse reale effectus, virtute continetur in caussa, & esse creaturæ eminenter in esse Dei; ita intelligibilitas effectus contineri debet virtute in intelligibilitate caussæ. Ergo sicut ex eo, quòd creaturæ quoad proprium esse reale, virtute continentur in caussalitate diuina, reduci possunt ad esse existentiæ; ita etiā ex eo, quod virtute cōtinētur in eius intelligibilitate, per eam reduci possunt ad esse cognitū.

10. 2. arg.

Secundò, si Deus conderet hominem in puris naturalibus, eumque absque vlla reuelatione, & magisterio in hoc mūdo constitueret solo ductu rationis naturalis posset aliquando venire in notitiam propriæ animæ, atque etiam Dei. At notitia simplex obiecti præsupponitur ad notitiam quod est illius. Ergo ex notitia vnius rei potest haberi simplex notitia alterius. Cum verò caussæ sint magis accommodatę, vt per eas acquiramus

ramus notitiam effectus, quàm viceuersa; si ex notitia naturali effectuum possumus acquirere notitiam causæ; possumus etiã ex clara notitia primæ causæ habere notitiam simplicem effectus.

11. Sed quoniam Bellomontanus concedens ex notitia cæterarum causarum haberi posse notitiam effectus, id negat diuinæ essentiæ; ideo in speciali tertio loco probant id non repugnare ex ratione essentiæ. Nam quando plurimis analogatis conuenit vna aliqua ratio, illa conuenire etiam debet primo, ac prçcipuo analogatorũ. Sed causæ creatæ, vt causæ sunt, habent vim notificandi effectus. Ergo etiam essentia diuina, quæ est prima causa, habebit eandem vim. Nec ratio diuersitatis, quam assignat Bellomontanus (reliquas scil. causas esse habitudines ad effectus, Deum autem minimè) vim vllam habet. Tum; quia incredibile est, quòd Angelus, anima rationalis, aliæque substantiæ creatæ non sint habitudines ad effectus, & tamen naturis penetratis percipiantur earum passiones, quæ sunt illarum effectus. Si verò respondeat naturas ipsas causarum, non esse quidẽ habitudines, habere tamen eas annexas; minimè satisfacit. Quoniam vel satis erit cognoscere causam ipsam materialiter sumptam; vel adhùc requiritur, vt percipiatur habitudo. Si detur primum; per accidens se habet habitudo ad cognoscẽdos effectus; & sicut causa habẽs annexam habitudinem penetrata materialiter sufficit, vt innotescat effectus; sufficiat etiam, si pari modo penetretur causa non habens similem habitudinẽ: effectus enim innotescit ex eo, quod penetratur entitas causæ, in qua virtute continetur.

3. argum.

12. Secundum autẽ dari non potest; quoniam ordo, & habitudo illa formaliter non est causa continens effectum, nec potest cognosci prius natura, quàm effectus. Omnis autem ratio cognoscendi aliud prius debet esse præcognita, quàm illud. Ergo. &c. Maior est manifesta; quoniã habitudo cognosci nequit, nisi simul cognoscatur terminus habitudinis. Adde, quia fundamentum illud falsum est; quoniã attributa diuina reuelata ita se habent, vt vnum possit esse ratio cognoscendi alia: & tamen non habet mutuam habitudinem inter se, de qua agit Bellomontanus. Ergo illa habitudo non requiritur, vt in vno, vel ex vno cognito cognoscatur aliud.

13. Argumenta adducta nõ conuincũt.

Hæc tamen argumenta non confirmant propositam sententiam in sensu, de quo est controuersia; nec enim ostẽdunt posse creaturas formaliter videri in essentia diuina; ita vt in ea, & intra eã formaliter videantur; sed solùm probãt posse eas causaliter videri ex Deo beatificè cognito; quod Bellomontanus nõ negat. Hoc facilè intelliget, si allatas rationes diligentiùs expendamus.

14. Ad 1. Nam prima ratio solùm probat intelligibilitatẽ creaturarum virtute cõtineri in Deo, in hoc sensu, vt ex intelligibilitate diuinæ essentiæ, in qua earum intelligibilitas virtute continetur, possit intelligibilitas illarũ reduci ad actũ; sicut etiam illarum esse potest per Deũ reduci ad actum, ideo quia virtute continetur in esse Dei. Hoc autẽ solùm probat creaturas causaliter cognosci posse ex cognitione clara Dei, quod non negatur; non tamen probat creaturas in ipsa diuina essentia cognita posse intra eã formaliter obiectiuè cognosci; de quo est tota controuersia.

15. Ad 2. Secunda etiam ratio nihil aliud concludit, quàm quòd ex notitia Dei primę causæ potest in nobis causaliter dari notitia creaturarum, de quo nulla est controuersia.

16. Ad 3. Tertia denique ratio eodẽ pede claudicat; quoniam sicut causæ creatæ, vt causæ sunt, habent vim notificandi effectus suos non quidèm formaliter, ita vt videantur in ipsa causa, sed solùm causaliter, quatenꝰ ex cognitione causæ causatur cognitio effectus; ita etiam diuina essentia (quæ est prima causa) ideo, quia causa est, habet vim notificandi creaturas; non quidem formaliter in ipsa, sed causaliter ex ipsa. Nec aliud concludit argumentum. Hanc solutionem satis mihi expressit Bellomõtanus in d. disp. 50. c. 2. n. 10. §. *aut relatio*, & c. 4. ad finem, §. *Atque hinc solutũ manet*, dum docet cognitionem causæ creatæ ducere quidem nos in cognitionem effectus, non vt videatur in ipsa causa, nec, vt videatur intuitiuè. Sed quidquid sit de solutionibus, quæ adducuntur, & impugnantur (quæ nec ad institutũ pertinent,

tinent, nec sunt ad mentem aduersarij) satis modò est nobis, quòd argumenta allata nullam vim habent ad confirmãdam nostram sententiam in sensu, de quo est controuersia.

§. 4.

Vera nostræ sententiæ confirmatio.

17. Vera opinionis probatio.

OMissis igitur illorum Recentiorum confirmationibus vera nostræ assertionis confirmatio sumenda est ex ipsomet sensu, in quo proponitur quęstio. Inquirimus, an possibile sit creaturas videri in Verbo, ita vt non extra Verbum caussaliter, sed in Verbo hoc est intra Verbum formaliter videantur? Cum verò inquiritur, an aliquid Deo sit possibile; id non aliter melius probari potest, quàm quod nullam implicat cõtradictionem, si id fiat. Nostra igitur sententia satis confirmata manet, si ostendamus nullam in hoc dari vel apparentem contradictionem. Id autem sufficienter probabitur, si argumenta in contrarium dissoluantur: nam eo ipso, quod impossibilitas non probatur, satis probatum manet id factu esse possibile; iuxta regulam Angeli ad Virginem Luc. 1: *quia non erit impossibile apud Deum omne Verbum.*

Luc. 1.

18. Ratio probabilis.

Non deest ratio probabilis, qua hæc possibilitas ostendatur, quam annotauit Suarius in d. lib. 2. de attributis negatiuis c. 25. n. 18. Deus enim cognoscit creaturas non extra se, hoc est per proprias species ipsarum creaturarum, sed formaliter in se ipso per suam essentiã, vt per speciem se, & creaturas repræsẽtantẽ; siue id fiat immediatè eas repræsentando in se ipsis, vt aliqui putant; siue mediatè, vt alij existimant; siue quocunq; alio modo id fiat, vt satis expressit D. Thomas 1. p. q. 14. ar. 5. in fine corporis: etenim in hoc omnes conueniũt, vt Deus per suam essentiam, & in sua essentia (hoc est intra se ipsum, & non extra) cognoscat creaturas. Quanuis inter se dissentiant in modo, quo ipsas in se ipso, & intra se ipsum cognoscit, id, quod nunc supponimus. Maximè cum hunc sensum admittat Bellomontanus (contra quem disputamus) 1. p. disp. 60. c. 2. & 3. & clariùs c. 4. n. 15. vbi fatetur Deum intra se ipsum singularum creaturarum notitiam habere. Et in hoc rectè sanè; quia sensus iste satis explicatur à Dionysio de diuinis nominibus c. 7. & ab Aug. in lib. 83. quæstionum q. 46.

D. Thom.

Dionysius. Augustin. 19.

Hac supposita verissima theologia possumus nostram sententiam non sine probabilitate confirmare. Nam si Deus cognoscit creaturas in se ipso, & intra se ipsum. Ergo nõ erit impossibile Deũ eleuare intellectum creatum ad participationem huius scientiæ; vt scilicèt ipse etiam ita Deum videat, vt in ipso Deo, & intra ipsum Deum creaturas videat obiectiuè sibi præsentatas per diuinam essentiam, vt per speciem intelligibilem: etenim (vt benè ait Suarius) ex parte obiecti non repugnat creaturas intellectui creato per diuinam essentiã, vt per speciem obiectiuè præsentari; etenim ipsi Deo per diuinam essentiam præsentantur. Porrò si id admittamus (admittere autem debemus) admittendum est necessariò creaturas intra ipsũ Deum esse obiectiuè prẽsentabiles. Cur ergo non poterunt ita præsentari intellectui creato? etenim hæc impossibilitas, si ex parte obiecti non oritur; vtiq; nec orietur ex parte principij, siue luminis. Nam licet ex parte tum intellectus creati, tum ex parte luminis; quia vtrunque est finitæ virtutis, repugnet omnes creaturas adæquatè præsentari intellectui creato; non tamen repugnat præsentari aliquas. Sed de hoc suo loco diligentiùs disputabitur. Et ita affirmatiua ista sententia, vtcunq; maneat cõfirmata.

§. 5.

Soluuntur argumenta sententiæ negantis.

Sed soluamus argumenta, quæ §. 1. in contrariũ sunt adducta. Ad primum respondetur argumentũ solùm probare creaturas videri non posse in Verbo, diuinaq; essentia, vt in medio cognoscendi: de quo nihil modò curamus; abstrahimus enim in hoc articulo à modo, quo creaturæ in Deo, & intra Deũ cognosci valent, de hoc enim statim dicemus. Ad formam igitur argumenti quanuis daremus (quod tamẽ non damus) creaturas non cognosci in diuina essentia, vt in medio cognito, adhuc ex vi formæ non benè inferretur eas in Deo, & intra Deum per diuinam essen-

20. Ad primũ argumentũ negantis sẽtentiæ.

Ad confirmationem.

essentiam cognosci non posse; quoniam multi adhuc modi supersunt, quibus possint intra Deum cognosci, vt dicemus in sequenti art. Vnde argumentum cõmittit falaciam ab vna caussa ad plures caussas. Ad argumentum igitur absolutè, & generaliter loquendo admittimus essentiã diuinam esse absolutam ab omni re creata, nec ad aliquam referri relatione reali: inde tamen non infertur eam non posse subire rationem speciei intelligibilis, vt creaturas intelligibiliter repræsentet; ad hoc enim satis est, quòd eminẽter in se ipsa sit omnis creatura: quoniam hæc eminentialis continentia, licet realiter, & formaliter actu sit vna, virtute tamen est plures, vt ex Dionysio, & August. in superioribus sæpissimè diximus. Hæc autem multiplicitas, sicut satis est, vt sit fundamentum plurium idearum; ità etiam satis erit, vt possit subire speciem repræsentatiuam plurium creaturarum. Sed de hoc plura inferiùs sunt dicenda.

21. Ad 2. admittimus opinionem, quæ nõ putat esse absurdum beatos in Deo videre omnes creaturas possibiles; qua supposita sententia argumentum nullã habet vim; admissa enim maiore, minor neganda erit. Sed quoniam oppositam sententiam putamus esse longè veriorẽ, neganda est maior: ex eo enim, quòd creaturæ in Deo, & intra Deum videãtur, non necessariò infertur omnes eas fore videndas, de quo in propria quæst. agendum erit.

22. Ad 3. Tertium argumẽtum, sicut & primũ, in eo deficit, quòd ab vna caussa argumentatur, vbi plures aliæ caussæ dantur, & ideò nõ valet gratia formæ; quia supponit creaturas solùm posse videri in Deo, tanquam in caussa, quod plures nõ agnoscunt, vt statim videbimus. Dicimus igitur creaturas ex eo adæquatè videri posse in Deo, & intra Deum, quia in diuina essentia eminenter continentur, vt ad primum argumentum dicebamus: inde enim per se primò habent, quod sint per diuinam essentiam repræsentabiles, & subinde visibiles in Deo, abstrahendo ab hoc, quod sint repræsẽtabiles, vel immediatè in se ipsis, vt plerique putant; vel solùm mediatè, vt alij existimant. In quo posteriori repræsentandi modo includitur repræsentatio illarum, vt in caussa. Quare cum creaturæ possint pluribus alijs modis videri in Deo, atque intra Deum, quàm vt in caussa; argumentum ab impossibilitate vnius caussæ non bene infert absolutã impossibilitatẽ. Sed de hoc statim plura.

Prima radix visionis creaturarũ in Deo.

23. Hæc dixim⁹, non quòd putemus creaturas nõ posse in Deo videri, vt in caussa cognita (hanc enim sententiam, tanquam veriorem inferiùs amplectemur) sed vt ostenderemus primam, & per se rationem, quòd creaturæ in Deo, & intra Deum cognoscantur, non adæquatè sumi ex eo, quòd Deus sit prima caussa earum, & vt talis videatur; sed ex eo potiùs, quòd creaturæ in Deo eminenter continentur: inde enim per se primò habet diuina essentia, quòd sit eminenter omnis creatura, & subinde, quod possit subire rationem speciei repræsentatiuę omnium creaturarum. Et quãuis ex eo, quod creaturæ continẽtur in Deo eminenter secundum esse principale, benè inferatur eas in Deo contineri virtute, & vt in caussa creatiua illarum; tamen nostro intelligendi modo prius est cõtinentia eminentialis secundũ esse participabile, siue immitabile, quàm continentia virtualis virtualitate effectiua. Iam verò posse subire rationem speciei respectu cuiuscunque creaturæ potiùs conuenit diuinæ essentię ex continentia eminentiali, qua eminenter est omnis creatura, quàm ex continentia virtuali, & caussali: quoniam ex continentia caussali solùm habet, quod vt cognita ducat in cognitionẽ creaturarum; quomodò creaturas solùm repræsentabit mediatè; cũ tamen ex continentia eminẽtiali non repugnet sibi eas repręsentare etiã immediatè. Quod in hac materia est diligentissimè aduertendum. Sed de hoc iterùm redibit sermo.

Ad vltimũ. Quartum, & vltimũ argumentum petit difficultatem explicandam in q. seq.

ARTICVLVS III.

Vtrùm creaturæ de facto videantur in Deo, & intra Deum, formaliter, an solùm caussaliter extra Deum?

1. CVM in præcedente art. constitutum sit creaturas posse in Deo videri, in hoc sensu, vt videantur visione,

sione, quæ intra ipsum Deum in eas tendat; inquirendum est, an de facto ita videantur; an verò solùm videantur caussaliter extra Deum.

§. 1.

Opinio negans creaturas formaliter videri in Deo.

2. Bellomontanus solus facit controuersiã.

IN hac quæstione rationem dubitandi fecit vnus Bellomõtanus 1.p. disp. 50.c.6. vbi multis contendit nullã creaturam in Deo videri ex vi visionis ipsius Dei; sed solùm videri peculiari reuelatione non quidem eãdem visione, qua videtur diuina essentia, sed alia diuersa extra Deũ, quãuis illa etiã dicãtur creaturę videri in Verbo. Quæ Bellomontani opinio semper mihi visa est satis cõfusa; quia non explicat, quid sit creaturas videri in Deo ex vi visionis; nec etiã explicat, an illa visio diuersa sit visio facta intra ipsum Verbum, an extra per proprias species ipsarum creaturarũ, quæ iam communiter appellatur visio in Verbo caussaliter; ideo quia à Deo caussatur extra Verbum, ratione tamẽ visionis ipsius Verbi. Et profecto, si cõmuni modo loquendi vteretur, non redderet rem istam, & suam opinionẽ adeò confusam. Non dubito tamen eũ in hoc sensu intelligere creaturas videri alia visione distincta à beatifica; quia videtur visione extra Deũ per proprias rationes formales, propriasq; species ipsarum creaturarum. Nam visionem illã ideo appellat visionem creaturarum in Verbo; quia Deus eam efficit in beato peculiari aliqua reuelatione; idque per proprias ipsarum species intelligibiles, quibus in se ipsis videntur extra Deum, vt colliges ex eodẽ Bellomontano disp. 50.c.7.n.46. & disp.51.c.2.n.6. Vnde in d.disp.50.c.7.n.47. admittit Angelum in via, in qua Deum clarè non videbat, vidisse aliquas res in Verbo, ideo pręcisè, quia eas cognouit per reuelationẽ cognitione facta à Deo in ipsomet Angelo.

Quæ sitmẽs Bellomontani.

In hoc igitur sensu explicata mente Bellomontani, vt idem sit creaturas videri in Verbo ex vi visionis, quod eas videri formaliter ratione visionis ad eas intra Deum præsentatas terminatę, negat creaturas videri in Deo formaliter, & solùm admittit eas in Deo videri caussaliter, ita explicat in dict. disp. 50. cap.6.&7.

3.

Hanc sententiam primò confirmat plurimorum Theologorũ auctoritate. Pro ea citat D. Bonauẽturam in 3. d.14. ar.2.q.3. in fine, Scotum ibi q.2. §. *Sed si ista via*, Gabrielem q.1.art.1.notab.3. Almainum q.1. ar.1. Maiorem q.3. & in 4. d.49.q.16. Marsilium in 3. q.10.art.2.in 3.part.articuli, Aliacum in 1.q.12.& ex Thomistis Paludanũ in 4.d.49.q.2.ar.2.

4. 1.ratio. D. Bonau. Scotus.

Secundò id confirmat auctoritate D. Thomæ 1.p.q.57.ar.5.dum asserit, *mysteria fidei nostræ ab Angelis beatis in Verbo cognosci, secundùm quod Deus voluerit reuelare: horum autem quædam cognouisse ab initio suæ beatitudinis; quædam verò decursu temporis.* Ex quibus infert apud D. Thomam mysteria illa non videri in Verbo ex vi visionis, sed peculiari reuelatione: nam si ex vi visionis Angeli ea cognoscerent, non posset non mutari ipsa visio. Sentit igitur D. Thomas Angelos illa mysteria non videre in Verbo ex vi visionis formaliter, sed solùm caussaliter.

5. Secunda.

Tertiò id confirmat, quoniam Augustinus eam solam cognitionem rerũ appellat matutinam, quæ est cognitio earum, secundùm quod in Deo sunt ipsa vita Dei; vespertinam verò esse cognitionem creaturarum, prout extra Deũ in se ipsis cognoscuntur secundùm proprias ipsarum rationes. Ergo ex mente Augustini creaturæ in ipso Deo nõ cognoscuntur in se ipsis, sed solùm prout sunt ipsa vita Dei secundum esse increatum, quod in Deo habent.

6. 3.ratio.

Quartò ratione id probat; quia putat se satis, superq; impugnasse omnes sententias, quæ affirmant creaturas à beatis formaliter videri in Deo. Hęc sũmatim adduximus ex Bellomontano in d. disp.50.& 51. & inferiùs disp.215.c.3.n. 11.

7. 4.ratio.

§. 2.

Eligitur opposita opinio.

HIs tamen non obstantibus certissimum est aliquas saltem creaturas formaliter videri in Deo, ita vt videantur intra ipsum Deum, intra Deũ repræsentatę; abstrahendo ab hoc, quod vna, vel pluribus visionibus ita videantur, & an videantur in Deo, vt in caussa, vel vt in Idea, aut speculo, vel

8.

alio

alio modo: hęc enim inuoluunt difficultatem longè diuersam. Hæc sententia non potest naturaliter demõstrari, quia materia excedit rationem naturalem. Quare eam ostendemus communi consensu Theologorum, qui in hac materia plurimum habet auctoritatis, & ponderis. Deinde auctoritate D. Thomæ, quæ in hac materia non potest non esse grauissima. Tertiò varijs Augustini testimonijs. Deniq; aliorũ Patrũ doctrina.

9. Nobiscum conueniunt omnes Theologi.

Omnes Theologos, vno excepto Bellomõtano, in hoc conuenire facilè ostẽditur, si eos percurramus. Nã hanc sententiã approbarũt, qui volũt creaturas à beatis videri in Deo, vt in causſa; quæ enim in aliqua causſa vidẽtur, videntur intra ipsam causſam. Quare, qui dixerit creaturas videri in Deo, vt in causſa; vtique dicet eas intra ipsum Deum videri. Simili modo, qui dixerit creaturas videri in Deo, vt in propria illarũ idea, non potest non admittere eas videri repræsentatas intra ipsum Deum: ideæ enim non repręsentant creaturas, nisi intra Deum. Idem dicent, qui volunt creaturas videri in Deo, vt in speculo: quæ enim in speculo videntur, vidẽtur intra ipsum speculum. Eodem modo, qui volunt creaturas videri in Deo repræsentatas non per proprias species, sed per diuinam essentiam, vt per speciem intelligibilem; necessariò fatebũtur creaturas videri intra ipsum Deum; quia diuina essentia extra se nihil repræsentat. Deniq; qui dixerit diuinam essentiã, & creaturas videri vna visione, nõ poterit nõ fateri creaturas intra ipsũ Deũ cõspici à beatis: etenim visio, quæ ad essentiã terminatur, nõ potest terminari ad ea, quę sũt extra. Et vt rẽ concludamus, Theologi illi, quos p se Bellomõtan⁹ citat, nostrã hãc sententiã euidẽter p̃bãt.

10. D. Bonauẽtura est pro nobis.

Primo loco pro se citat D. Bonauẽturam; qui tamẽ nobiscũ consentit, vt cõtra eũ tacito auctoris nomine aduertit Suarius in d.c.25.n.7. cõcl.1. Nã in 3.d. 14.ar.2.q.1.n.25. docet *Verbum beato esse rationẽ cognoscendi se, & alia à se.* Non posset autẽ esse ratio cognoscẽdi alia à Verbo, nisi illa intus cognoscerentur. Verbum enim, licet possit esse causſa efficiẽs cognitionis extra Verbũ; non tamẽ potest esse ratio formalis. Vnde ex hoc fundamento infert beatũ vno, & eodẽ habitu cognoscere Verbũ, & alia à Verbo; vna etiã, & eadẽ cognitione; ita vt idẽ habitus, prout terminatur ad Verbũ, sola ratione differat à se, vt terminatur ad creaturas: quæ omnia probãt, & habitũ illũ, & actum illius tendere ad creaturas mediãte Verbo, & intra ipsum Verbũ. Ibi etiã n.28. & 29. asserit beatos videre res in Verbo, vt est idea, & exẽplar ipsarum rerũ: Verbum autẽ non est exẽplar rerũ extra se, sed intra obiectiuè existẽtium. Præterea n. 30. affirmat in beato cognoscente res in Verbo non dari habitus particulares, propriasq; rerum similitudines; sed beatũ per ipsam sũmã veritatẽ cognoscere & Verbũ, & res in Verbo. Hoc autem esset falsum, si res in Verbo non cognoscerentur formaliter, sed solùm causſaliter. In eodẽ 2.art.q.2. n.31. ad finẽ docet Deum in se ipso ostẽdere beatis, quæ illis ostendit. Et n. 32. affirmat beatũ creaturas in Verbo cognoscere non immediatè, sed mediante Verbo. Et in fine quęstionis n.36. expresſè scribit Verbũ esse obiectũ principale, creaturas autem cognitas in Verbo cognosci quasi ex consequenti, & secũdario. Rursus in eodẽ 2.art. q.3. (vbi citatur) in fine n.38. docet beatũ cognoscere in Verbo creaturas in eodẽ Verbo relucẽtes; ita vt eas in ipso Verbo legat, quod repetit n.42: quæ autem in aliquo relucẽt, in ipso videntur; & quæ legũtur in aliquo libro, intus sunt scripta in lib. Deniq; hanc fuisse mentem D. Bonauenturæ satis colliges ex eodem in 2.d. 4.ar.3.q.1.vbi nu. 26. admittit Angelos, beatos intuendo, & speculando ipsum Verbum videre alia in eo, idq; visione beatifica. Quare Bellomontanus non satis fideliter pro sua sententia refert D. Bonauenturam. Nec in 3.d.14.ar.2.q.3. in fine aliquid reperies, quòd huic sententiæ contradicat.

11. Scotus non est contra nos.

Sed nec Scotus ab eo fideliter refertur, vt contra eum etiam aduertit Suarius in d. n.7. Quin potius in 3.d.14.q.2. litera O. §. *Sed si ista via*, oppositum docet: etenim eam, de qua ibi agit sententiam ita declarat, vt affirmet per visionem, qua anima Christi videt Verbum, fieri in actu primo omnia præsentia, quæ relucẽt in Verbo, ita vt ipsum Verbum, vt cognitum, sit manifestatiuũ in actu primo omnium, quę in Verbo relu-

cēt. Ex quibus verbis necessariò inferē, cum anima Christi ad cognitionē actualem alicuius creaturę extenditur, ad eā extendi, vt sibi per Verbum in se ipso manifestatam. Et inde infert animam Christi non indigere aliquo principio manifestatiuo, specie, inquā, intelligibili illius creaturæ, vt declarat lit. O. in fine. Hæc autem verba manifestè excludunt cognitionem creaturæ caussalem: etenim caussalis cognitio creaturę exigit propriū illius manifestatiuum, propriamq; speciem. In eàdem etiam q. lit. M. *§. potest dici* probat eos, qui dicunt animam Christi habere vnā visionē respectu Verbi, vt primi obiecti, & omnium obiectorū, quæ relucent in Verbo, vt secūdaria obiecta. Quæ autē videntur, vt relucentia in aliquo; vtiq; in ipso, & intra ipsū vidētur. Deniq; rem istam satis declarat in 2. d. 3. q. 9. litera F. *§. Cū sancti Angeli*, quatenus docet Angelos in Verbo videre res creatas contēplando in ipso Verbo rationes æternas earū. Vidēt igitur eas in ipsis rationib' æternis. Et per consequens ex mente Scoti eas vidēt non extra, sed intra ipsum Verbū.

12. Marsilius noster. Non possum non mirari, quòd Bellomōtanus pro sua opinione referat Marsilium in 3. q. 10. ar. 2. in 3. p. articuli: etenim in 2. p. illius concl. 1. fol. 416. col. 3. apertè docet beatum videre creaturas in Verbo eàdem ipsa visione, qua videt Verbum. Et idem repetit in 3. p. articuli, & passim in ea q. At, quæ illa visione videntur, teste etiam ipso Bellomontano non extra, sed intus videntur. In eàdem 2. p. articuli in fine fol. 417. col. 3. §. *Ad confirmationē* docet visione Verbi repræsentari beato ipsas creaturas; ita vt per eandem visionem eas videat extensam ratione suæ repręsentationis. Quo modo igitur eas videt extra Verbū caussaliter per proprias illarum species? Deniq; ibi fol. 418. col. 4. in 3. concl. asserit animam Christi videndo Verbum in ipso Verbo legere creaturas. Ergo eas legit intus in Verbo lectione formali, non caussali.

13. Nominales nobiscū sūt. Mirum etiam est, quòd pro sua sentētia referat Nominales, Ochamum scil. in 4. q. 13. ar. 2. Gabrielem in 3. d. 14. q. 1. ar. 1. notab. 3. Almainum ibi q. 1. Maiorē q. 3. Aliacum in 1. q. 12. cum omnes isti expresse doceant beatos vna, & eadem visione posse videre Deū, & creaturas, vt suprà art. 2. §. 2. latè ostendimus contra eundem. Quin potius quando Nominales asserunt beatos distinctis actibus videre Deum, & creaturas, satis explicant omnes istos actus terminari ad intra, & non ad extra; quoniam eos distingūt à cognitione rerum in proprio genere.

14. Paludanus falsò citatur. Deniq; ex Thomistis pro sua sentētia citat Paludanum in 4. d. 49. q. 2. ar. 2. dum impugnat secundam opinionē cōcludens ex vi visionis creaturas non videri. Sed in Paludano nec ibi n. 7. nec in 3. art. n. 8. hæc verba inueniuntur: solùm enim dicit Deum in Patria videri nullo alio prius viso; & ideo longè aliter videri in patria, quàm in via. Et in hoc sensu docet nō esse de ratione visionis diuinę, vt aliquid videatur, nisi Deus; videatur, inquam, antecedenter; quasi necesse sit videre prius aliquid creatū; vt Deus videatur: nam si sermo sit de ijs, quæ consequenter vidētur, expressè affirmat in d. n. 8. necessariò videri omnia, sine quibus non potest esse perfecta beatitudo: inter quæ enumerat visionē Christi, vt homo est. Et si bene expendatur, agit de ijs, quæ videntur ex vi visionis: nam n. 14. agens de visione possibilium, quæ in Deo vidētur, concludit ea non posse videri, nisi visa virtute eorū productiua. Imò semper supponit ipsas res possibiles videri in Deo, vt in caussa: quæ visio, consentiēte Bellomōtano, non est caussalis, sed formalis. Quare Bellomontanus nec Paludanum, nec cæteros fideliter citauit. Vnde ipse solus contra omnes pugnat.

§. 3.

D. Thomam pro nobis stare.

15. Pro nobis D. Thomas. IDem Bellomōtanus putat D. Thomā sibi fauere, vt patet in d. c. 6. nu. 40. & 41. in fine. Nam (vt ait) licet D. Thomas in quibusdam locis videatur oppositam sententiam docere; tamen 1. p. q. 57. art. 5. absque dubio suæ fauet opinioni, vt ille putat: expressè enim docet *Angelos visione beatifica cognoscere mysteria gratiæ; nō quidē omnia, sed secundùm quod Deus voluerit eis reuelare.* Et addit: *quædā ab Angelis cognoscī ab initio suæ beatitudinis; quædāverò decursu tēporis.* Ex quibus verbis (inquit) manifestè sequitur mysteria ista non videri in Verbo ex vi ipsius visionis, sed peculia-

Obijcitur D. Thom. 1. p. q. 57. ar. 5.

culiari reuelatione, vt priora verba satis declarant: nã si ex vi visionis viderẽtur, & decursu tẽporis inciperẽt videri; necesse erat mutari visionẽ, & fieri intẽsiorem: quia fieri non potest, vt vna, & eãdẽ visione omninò immutata ab initio aliqua non videantur; videantur autem posteà. Quare illa mysteria in Deo non fuerunt visa ab Angelis ex vi visionis, sed per visiones distinctas à visione caussatas, vt ibi explicat Caietanus.

14. Paludanus ipso citatur

16. Pro nobis docuisse D. Thom.

Sed immeritò vertitur in dubiũ, quid hac de re senserit D. Thomas, cum luce meridiana clarior sit eius sententia, vt contra Bellomontanum tacito auctoris nomine aduertit Suarius in d. lib. 2. de attributis negatiuis cap. 25. n. 8: constat enim D. Thomam constanter docuisse beatos videre in Deo creaturas, tanquàm in caussa; ita enim docuit 1. p. q. 12. art. 8. & q. 14. ar. 5. & de veritate q. 8. ar. 4. & 5. & passim alibi. Quæ autem videntur in caussa, non modo videtur eàdem visione, qua videtur caussa, & ex vi ipsius visionis; sed etiã intra ipsam caussam: videtur enim, prout in ea continẽtur, & latent. Prætereà D. Thomas constanter docuit beatos non videre creaturas per aliquas similitudines creatas; sed per ipsam diuinam essentiam sibi vnitam ad modum speciei intelligibilis, vt docet 1. p. q. 12. ar. 9. & de veritate q. 8. art. 5. Iam verò essentia diuina, vt subit rationem speciei, non repræsentat, nisi, quæ in se continet, & prout ea continet in se. Vnde beati per diuinam essentiã ex mente D. Thomæ vident creaturas præsentatas sibi in ipso Deo, & intra ipsum Deum. Accedit tertiò; quia

D. Thom.

D. Thomas 1. p. q. 57. ar. 5. nõ solùm docet Angelos beatifica visione cognoscere mysteria gratiæ; sed etiam in ipsa visione. Quæ autem in ipsa visione Dei videntur, non videntur extra Deum, sed intus latentia, vt ibi explicat ad 2. Deniq́ue 1. p. q. 84. ar. 5. in medio corporis expressè asserit beatos, quæ in Deo cognoscunt, cognoscere in rationibus ęternis, tanquam in obiecto cognito. Et per consequens, quæ in Deo vident, ea vident intra ipsas rationes æternas. Ex his locis, & ex pluribus alijs, qui adduci possent, euidenter colligitur dubitari non posse D. Thomam nostram probasse sententiam.

Nec locus sumptus ex d. q. 57. art. 5. potest reddere dubitabilem ipsius mẽtem, vt benè aduertit Suarius in d. cap. 25. n. 9. Nam ex illis verbis solùm colligitur non omnia mysteria gratiæ fuisse cognita ab Angelis visione beatifica; sed aliqua fuisse ab illis cognita per nouas reuelationes. Ex quo sicuti infertur aliqua mysteria gratiæ fuisse cognita extra Verbum per nouas reuelationes; ita etiam infertur aliqua fuisse cognita per visionem beatificã statim ab initio suæ beatitudinis. Vnde non video, quomodò Bellomontanus inferat omnia mysteria ab Angelis fuisse cognita non ex vi visionis, sed per nouas reuelationes extra Verbũ. Etenim, quę ab illis visione beatifica fuerunt cognita à principio suæ beatitudinis; ea non extra Verbum cognita fuerunt, sed in Verbo, & intra Verbum. Nec obstat, quòd à D. Thoma dicatur hæc illis fuisse reuelata; quoniam D. Thomas ideo hoc dixit, quia ipsa visio est quædã reuelatio, vt vult Suarius: vel potius; quia illorum cognitio etiam à principio beatitudinis ipsa visione beatifica fuit illis omnino gratis cõmunicata per liberam reuelationem rationum æternarum supernaturalis prouidentiæ circa hominum redemptionẽ.

17. Explicatur locus Diui Thomæ.

18.

Etenim decreta libera diuinę volũtatis, & ea, quæ ex illis pendẽt, nõ videntur in essẽtia, vt in caussa naturaliter ea cõtinente, nec cognitione veluti naturaliter debita suppositа tali, vel tali penetratione caussę: sed videtur in rationibus ęternis decretorũ diuinę volũtatis; quæ ipsa veluti liberaliter cõmunicãtur beatis, & ad modũ reuelationis; quãuis cõmunicentur à principio beatitudinis, vt inferiùs videbimus. Itaque hoc interest inter ea mysteria, quæ à principio beatitudinis ipsa visione beatifica ab Angelis fuerunt cognita; & ea, quæ posteà decursu tẽporis illis fuerũt de nouo reuelata; quòd hæc fuerũt illis communicata per nouas species extra Verbum, vt communiter volunt Theologi (quamuis alij ad reuelationes admittant fieri intra Verbum per ipsam visionem beatam, de quo inferiùs) illa verò illis communicata sint formaliter intra Verbũ, & in ipsa beatifica visione. Vnde illa fuerunt cognita formaliter in Verbo; hęc verò solùm caussali-

ter, vt explicat Caietan. in d. ar. 5. quanuis Suarius in d. n. 9. putet hanc distinctionem non satis accommodatè applicari hoc loco. Et hæc pro explicanda mẽte D. Thomę.

§. 4.

Nostram sententiam consentire cum doctrina Augustini.

19. TErtio loco confirmãda est nostra sententia ex doctrina Augustini, quam solus Bellomontanus 1. p. disp. 51. fecit dubiam, cum tamen omnium consensu illa sit manifesta. Nam, quòd ex Augustino beatus videat creaturas in Verbo, ita vt in illo, & intra illud eas formaliter videat; multis ex locis colligitur ex Augustino; maximè cũ in Angelis distinxit cognitionem matutinam, & vespertinam.

Primus locus ex Aug.

Optimus est locus, qui habetur lib. 2. de Genesi ad literam c. 8: nam postquã ostẽdit Angelos prius cognouisse creaturam in ratione diuinæ sapiẽtię, quàm in genere proprio, hæc verba scribit: *Nec enim sicut nos ad percipiendam sapientiã proficiebant Angeli, vt inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicerẽt; qui ex quo facti sunt, ipsa Verbi æternitate sancta, & pia cõtemplatione perfruuntur: atque inde ista despicientes secundùm id, quod intus vident, vel rectè facta approbant; vel peccata improbant.* Nec video, quomodò his verbis accommodari possit opinio Bellomontani, dũ ait hæc nõ videri ipsa visione beatifica, sed reuelatione exterius facta per Verbũ. Etenim Augustinum agere de beatifica visione satis significant illa verba: *ipsa Verbi æternitate sancta, & pia contemplatione perfruũtur.* At quæ vidẽt, qđ ea videãt non per reuelationem exterius factam, euidenter conuincunt illa alia verba: *secundum id, quod intus vident.* Quæ verba non sunt intelligenda de ipsa præcisa visione essentiæ; sed de visione eorum, quæ intus à Deo, vel approbari, vel reprobari conspiciũt, vt patet ex vltimis verbis: *vel rectè facta approbant, vel peccata improbant.* Nec enim ex sola visione diuinæ essentiæ præcisè moueri possent ad approbanda, vel improbanda, quæ vident in proprio genere; nisi ea in diuina voluntate approbata, vel improbata vidissent. Quem sensum manifestè explicauit Augustinus lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 22. vbi agens de certitudine cognitionis, qua Angeli in proprio genere res cognoscunt, ita scribit: *Et ideo certius etiam temporalia, & mutabilia ista nouerunt; quia eorum principales causas in Verbo Dei conspiciunt; quibus causis quædam probantur, quædam reprobantur, & cuncta ordinantur.* Quæ verba satis explicant illa alia, quæ adduximus: nam, quæ in causis diuinæ prouidentiæ conspiciuntur; vtique intra ipsum Deum conspiciuntur.

20. 2. locus Aug.

Secũdus locus sumi potest ex verbis eiusdem lib. 9. de Ciuitate Dei c. 22. explicans enim causam, cur Dęmones sępe fallãtur, Angeli autem boni nunquã, ita ait: *Aliud est enim temporalibus temporalia, & mutabilibus mutabilia coniectare, eisque temporalem, & mutabilem modum suæ voluntatis, & facultatis inserere, quod Dæmonibus certa ratione permissum est: aliud autem in æternis, atque immutabilibus Dei legibus, quæ in eius sapientia viuunt, mutationes temporum præuidere; Deique voluntatem, quæ tam certissima, quàm potentissima est, diuini spiritus eius participatione cognoscere, quod sanctis Angelis donatum est.* Ecce ex Augustino boni Angeli vident mutationes temporum in ęternis, atq; immutabilibus Dei legibus, diuinaq; voluntate, decretisque illius. Iã verò, quæ in legibus decretisque diuinę voluntatis videntur, non extra Deum vidẽtur, sed intra ipsum Deum; quia scilicèt illa in diuina sapiẽtia viuunt, quatenus in illius obiectiuo conspectu perpetuo, & immutabiliter permanent.

21. 3. locus Augustini.

Tertius locus sumitur ex lib. 11. de Ciuitate Dei c. 7. in hæc verba: *Cognitio quippè creaturæ in se ipsa decoloratior est, vt ita dicam, quàm cum in Dei sapientia cognoscitur, veluti in arte, qua facta est.* Quibus addimus verba eiusdẽ libri c. 29: *ipsam quoque creaturam melius ibi, hoc est in sapientia Dei, tanquã in arte, qua facta est, quàm in ea ipsa sciunt: & per hoc, & se ipsos melius, quàm in se ipsis; verũtamen in se ipsis.* Addo etiam verba ex lib. 4. de Genesi ad literam c. 24: *Proculdubio vniuersam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius nouerunt, in quo sunt omnium, etiam, quæ temporaliter facta sunt æternæ rationes, tãquam in eo, per quod facta sunt omnia: & deinde in ipsa creatura, quã sic nouerunt, tãquam infra despiciẽtes, eáq; referẽtes ad illius laudẽ, in cuius incõmutabili veritate rationes, secũdũ quas facta sũt, principaliter vidẽt.* Ex quibus omnibus locis euidẽter colligitur

ligitur Angelos beatos creaturã videre in Dei sapiẽtia, tanquam in arte, qua facta est: siue tanquam in veritate, atq; ratione incommutabili, secundùm quã est facta. Qua etiam loquẽdi phrasi vtitur in eodem 4. lib. c. 25. & 34. & in locis propemodum infinitis. Iam verò, quæ videntur in Dei sapientia: in arte illius: & in rationibus, secundùm quas facta sunt; illa in ipso Deo ita videntur, vt intus in eo videantur, non verò extra per reuelationes exterius factas.

22. Quartus locus ex Aug.

Quartus adhuc locus habetur lib. 4. de Genesi ad literã c. 22: vbi docet Angelos cognouisse congregationẽ aquarum (quæ 2. die facta est) in Verbo Dei, quo dicta est, vt fieret; ita enim scribit: *Cũ dicit Deus congregetur aqua, quæ est sub Cœlo, in collectionem vnam, & appareat arida: cognouit hoc illa lux angelica in Verbo Dei, quo id dicitur, & ideo sequitur, &c.* Ecce Angeli cognoscunt creaturã in Verbo Dei, quo practicè dictum est, vt illa fieret: etenim Verbũ Dei dicens, vt aliqua res fiat, est dictamẽ practicum, quo Deus dictat, vt fiat, & est ipsa voluntas practica, de qua agit Augustinus in verbis suprà citatis ex lib. 9. de Ciuitate Dei c. 22. At quæ in Verbo Dei, hoc est, in libero Dei decreto videntur; vtique intra Deum videntur.

23. 5. locus ex eodem.

Deniq́ue sit quintus locus ex eodem lib. 4. de Genesi c. 32: *Post Verbũ Dei* (quo dixit, vt fieret lux angelica) *facta est lux; adhæsitq́ue creanti luci lux creata, videns illam, & se in illa.* Adhæsit, inquam, & illam vidit, visione vtique beatifica; & in illa luce creante se ipsam vidit. Ergo intra ipsam se vidit.

§. 5.

De cognitione matutina, & vespertina, quam in Angelis distinxit Augustinus.

24. Cognitio matutina ã. gelorum.

Deniq́ue præfata veritas ostenditur ex cognitione matutina, & vespertina, quam in sanctis Angelis distinxit Augustinus lib. 11. de Ciuitate Dei c. 7. & 29. & lib. 4. de Genesi ad literam c. 22. cũ sequentibus, & mille alijs in locis: constat enim apud omnes Theologos Augustinum eam cognitionem appellasse matutinã, quam Angeli de creaturis habuerunt in Verbo intra ipsum Verbum: vespertinam autẽ, quam habuerunt de ejsdem creaturis in proprio ipsarũ genere per proprias ipsarum species. Hanc ab omnibus admissam doctrinam, & receptam Augustini explicationem non recipit vnus Bellomontanus 1. p. disp. 51. quin potius contendit omnes Theologos mentẽ Augustini non satis assecutos fuisse: existimat enim Augustinum eam solam cognitionem appellasse matutinã, qua beati cognoscunt creaturas, vt ipsę in Verbo sunt ipsa vita Dei, & esse illius æternum, & incommutabile; ita vt in Angelis nihil aliud fuerit matutina creaturarum cognitio, quam cognitio ipsius Dei, & ipsius diuini esse, quod ipsum est esse creaturarum non simpliciter, sed vt sunt in Deo. Et inde infert argumentum sumptum ex Augustino de distinctione cognitionis matutinæ, & vespertinæ satis esse debile.

Bellomontanus contrà omnes.

25. Qui contrà Bellomontanũ scribunt

Hanc Bellomontani explicationem, tanquam à mente Augustini longè alienam ex professo impugnant Suarius lib. 2. de attributis negatiuis c. 25. n. 10. cũ sequentibus, & Salas ad 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 4. n. 40. pag. 259. & Balthasar Nauarrete 1. tom. suarum cõtrouersiarum controuers. 45. & ferè omnes Noniores. Quam nos etiã impugnare nitemur, vt manifestè pateat, quàm longè aberret ab Augustini mente, & verbis.

26. Explicatur mens Aug. in distinct. dierum.

Pro cuius explicatione primò explicabimus mentem Augustini in distinctione sex dierum, & cognitione rerum, quæ factæ sunt. Quæ dierum distinctio, licet multis in locis ab Augustino explicetur; manifestè tamẽ ponitur lib. 4. de Genesi ad lit. c. 22. In 1. igitur die facta est lux, id est angelica natura. Hunc diem præcesserunt tenebræ, ita vt post tenebras sequutum fuerit mane eiusdẽ diei: etenim Angelorũ creatio nõ prius facta fuit in cognitione ipsorum Angelorum: nam antequam existerent Angeli, non poterant cognoscere se ipsos, nec in se ipsis, nec in Verbo. Vnde illorum cognitio præcesit in sola Verbi Dei cognitione, vt idem Augustinus satis insinuat in dict. lib. 4. cap. 22. sed clariùs lib. 2. de Genesi cap. 8. vbi ita ait: *Non primò cognouit rationalis creatura conformationem suam, ac deinde formata est; sed in ipsa sua conformatione cognouit, hoc est, illustratione veritatis, ad quam conuersa est: cætera verò, quæ infra sunt, ita creantur, vt prius fiant in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genere suo. Quapropter lucis conditio prius est in*

Augustin.

Verbo Dei secundum rationem, qua condita est, hoc est, in coæterna Patris sapientia; ac deinde in ipsa lucis conditione secundùm naturam, qua condita est.

27. Prima igitur dies, in qua natura angelica creata est, incepit à vespera: in qua ipsa iã facta cognouit se in sua formatione; quia Angeli cognouerũt se nõ esse Deum, sed creaturas à Deo conditas; quæ cognitio adhùc fuit informis; vtpotè existens inferior ad cognitionẽ futuram in Verbo Dei. Habita autem hac sui ipsorum vespertina cognitione, conuersi sunt ad laudandum Deũ propter sui ipsorum creationem: & ita factũ est manè eiusdem primi diei; in quo Angeli in Verbo Dei cognouerunt se ipsos cognitione quadam superiori, & clariori, & simul cognouerunt in eodem Verbo creaturam, quæ in secunda die condenda erat; ita vt in mane primi diei, in quo Angeli laudarũt Deum, quod ipsos creauerit, in ipso Verbo acceperũt cognitionem firmamẽti condendi in 2. die.

28. In secunda vespera, in qua secundus dies incepit creato iã firmamento Angeli illud nouerunt in propria ipsius firmamenti natura; quæ vespera terminata est ad suum mane, cum quo factus est secundus dies, in quo mane Angeli conuersi ad laudandum Deum, quod firmamentum creauerit, in eodem Verbo acceperunt cognitionem matutinã creaturæ condendæ die tertio; nempe congregationis aquarũ, & apparitionis aridæ; & ita terminatus est 2. dies. In vespera autem à qua dies tertius incepit, viderunt Angeli congregationẽ aquarum in sua propria existentia, in qua facta est; & post hanc vesperam factum est mane ipsius diei tertij, dum Angeli conuersi sunt ad laudes Dei, quod aquas cõgregauerit, & in eo mane viderunt in ipso Verbo creaturam condendam die 4. Et sic consequenter de cæteris diebꝰ. Hunc ordinẽ manifestè colliges ex Augusti. in d. lib. 4. de Genesi ad literam c. 22. & inferiùs c. 24. 29. & 32. & lib. 2. de eadẽ Genesi c. 8. & multis alijs in locis.

29. Quæstio excitata ab Augusti.

Aduertendum est deinde Augustinũ in d. lib. 4. c. 29. excitare quæstionem, an hæc dierum, & rerum in illis conditarũ cognitio facta sit in Angelorum intellectu alternatim, & successiuè, an verò simul? Rem pro vtraque parte disputat vsque ad finem libri. Et tandem in ea potius fixit sententia, vt nec hi dies successiuè floruerint; vt quia ex sententia Augustini Deꝰ omnia simul fecerit; nec Angeli successiuis mane, & vespere res ipsas cognouerint; bene tamen eas cognouerint ordinatè ratione ordinis, & cõnexionis præcedentium, consequentiumque causarum, vt idem Augustinus his eisdem verbis expressit in d. libr. 4. de Genesi ad literam c. 32. & 35. Etenim prius fuit in mente diuina dictio rerum condẽdarum secundùm ordinem, & cõnexionem rationum, & causarum in diuina sapientia existentium; deinde rerũ ipsarum actualis creatio. Et ob id prius quęque res fuit in cognitione matutina mentis angelicæ, qua Angelus res videbat in Verbo, quã in cognitione vespertina, qua videbat res in se ipsis. Priꝰ etiã fuit visio matutina firmamenti in mẽte Angeli, quàm matutina cognitio congregationis aquarum in eàdem mente.

30. Mens Augustini de cognitione matutina.

His ita positis facilè est ostendere cognitionem matutinam ex mente Augustini non esse ipsam beatificam Dei cognitionem secundùm suũ esse increatum: etenim ex præcitatis locis Augustinꝰ manifestè distinguit illos dies per distincta genera rerũ, quatenus in mente Angeli distinguũtur secundùm priorem, & posteriorem cognitionem, matutinam scilicèt in Verbo, & vespertinã in propria ipsarum existẽtia: ita vt vna res ideo dicatur condita prius, quàm alia; quia in Verbo Dei prior fuit matutina illius cognitio, quàm matutina cognitio alterius. At si cognitio matutina in Angelo est ipsa absoluta cognitio diuini esse eminẽter continentis ipsas res creatas; intelligi nequaquam potest, quomodò pervisionem matutinam distinguãtur distincta *manè* sex dierum, vt doctè satis contra eundem Bellomõtanum aduertit Suarius in d. lib. 2. de attributis negatiuis c. 25. n. 13. Nam supposita Bellomontani sententia creaturæ non videntur illa ipsa visione, qua videtur diuinũ esse. Quare si illa visio est matutina visio; vtiq; nõ possũt ipsę creaturæ, nec dies illarum secũdùm diuersa mane distingui per cognitionẽ matutinã earum. Quare si in Angelis cognitio matutina rerũ est cognitio earũ in Verbo, implicat cognitionẽ matutinã solũ

dicere

dicere cognitionem beatificam ipsius esse diuini, in quo creaturæ eminenter, & indistinctè continentur. Sed fatendũ est cognitionem matutinam esse quidẽ visionem ipsam diuinæ essentiæ; nõ quidèm absolutè; sed provt continet rationes diuinę sapientiæ, artisque diuinæ, in quibus visis, & ipsæ creaturę obiectiuè videntur secundùm propriam cuiusque rationem, & essentiam obiectiuè præsentatam in ipsa diuina arte, vt statim dicemus.

31. 2. Locus. Secundo loco contrà eandem Bellomontani explicationem expendo quòd Augustinus verbis expressis docet Angelos mane, hoc est matutina cognitione cognouisse res, quæ erant à Deo condendæ: cognouisse autem eas in Verbo Dei, quo dicta est illarum creatio. Ita scribit Augustinus libr. 4. de Genesi ad literã c. 22. ante finem, cuius verba superius adduximus: *cognoscit hoc illa lux angelica in Verbo Dei, quo id dicitur*, id est, quo dicitur, vt res fiat. Et addit ex hoc Dei Verbo factam esse in Angelis cognitionem, quæ appellatur mane: ita enim ait: *& ideo sequitur, & sic factum est, id est, in eius cognitione ex Verbo Dei.* Quod ipsum in eodem capite antea explicauerat his verbis: *& percipiat de Verbo Dei cognitionẽ creaturæ, quæ post ipsa fit: hoc est firmamenti; quod in eius cognitione fit prius, cum dicitur.* Quæ verba iterum expendemus inferius. De eadem cognitione matutina eodem lib. cap. 26. ita scribit: *cum beata illa societas Angelorum: & primitus contemplatur in Verbo Dei, quod dixit Deus, fiat.* Et cap. 30. *cum ea, quæ per singulos Deo condere placuit, conderentur; primo hæc accipiebat in Verbo Dei, vt in eius notitia primitus fierent, cum dicebatur, & sic factum est.* Et cap. 32. *mens vero angelica pura charitate in hærẽs Verbo Dei, posteaquã illo ordine creata est, vt præcederet cætera prius ea vidit in Verbo Dei facienda, quam facta sint; & sic prius in eius cognitione fiebant, cum Deus dicebat, vt fierent, quàm in sua propria natura. Quæ itidem facta in eis ipsis etiam cognouit: minore vtique notitia, quæ vespera dicta est.* Et inferius: *& ideo non prius dictum est, & sic est factum; & postea dictum, fecit Deus lucem; sed continuo post Verbum Dei facta est lux, adhæsitque creanti luci lux creata, videns illam, & se in illa: id est, rationem, qua facta est.*

32. Arguitur cõtra Bellom. Ex his omnibus locis euidenter colligitur cognitionem matutinam Angeli ex mente Augustini formaliter nõ esse ipsam visionem solius Dei, sicut contendit Bellomontanus. Quod multis modis colligitur ex præcitatis verbis. Et primum ex eo, quod Augustinus non semel sed iterum, & iterum docet Angelos in ipso mane, & in ipsa cognitione matutina cognouisse creaturã in Verbo Dei: in Verbo inquam Dei, quo practicè dictum est, vt creatura condatur; vt patet ex illis verbis libri 4. de Genesi cap. 22. *in Verbo Dei, quo id dicitur.* Et ex illis: *quod in eius cognitione fit prius, cum dicitur.* Et c. 26. *Prius contemplatur in Verbo Dei: quod dixit Deus fiat.* Et cap 30. *Vt in eius notitia primitus fieret, cum dicebatur.* Et cap. 32. *Et sic prius in eius cognitione fiebat, cum Deus dicebat, vt fieret.* Et inferius: *Sed continuo post Verbum Dei facta est lux*, vbi nomine Verbi Dei non potest intelligi Verbum diuinum; quia angelica natura non est facta cõtinuo post diuinum Verbum; cum facta sit in tempore; debet igitur intelligi Verbum Dei id est, dictum, siue decretum Dei practicum, quod dictauit, vt res fieret. Quare ex Augustino Angeli in ipso mane (id est, cognitione matutina) cognouerunt creaturam condendam in ipso Verbo Dei, hoc est in ipso decreto practico diuinæ voluntatis.

33. Deus autem in sua essentia præcisè sumpta, & vt est obiectum beatificum, formaliter non est Verbum practicum, quo res condendæ practicè dicuntur: hoc enim Verbũ superaddit actũ liberũ diuinæ voluntatis terminatũ ad creaturam, quæ condi decernitur. Iam vero ex doctrina Augustini cognitio matutina terminatur ad Verbum Dei, hoc est ad dictamen practicum dictans creaturam fieri, quod ipsum est liberum decretum diuinæ voluntatis. Ad hoc autem decretum visio beatifica ex sententia Bellomõtani non terminatur; quia, vt ille existimat, beatus ex vi visionis non videt decreta diuinæ voluntatis.

34. Præcluditur euasio. Nec hanc nostram ponderationem euades, si dicas diuinam essentiam cognitione matutina videri, quę essentia est ipsum Verbum dictans. Nam statim inquiram, an visione illa, Verbum Dei practicũ videatur solùm materialiter; ideo quia videtur essentia, quæ realiter est idem cum illo practico dictamine: vel videatur formaliter sub habitudine, &

formalitate practici dictaminis. Si solùm videtur materialiter; iam ipsa creatura, cuius creatio dictatur, nõ videtur, vt facienda; cuius oppositum docet Augustinus. At si videtur formaliter; non potest non simul videri ipsa creatura dictata, vt statim dicemus.

35. Alia Augustini ponderatio.

Deinde id ipsum colligo ex eo, quod Augustinus in præcitatis locis docet Angelos de Verbo Dei, & ex Verbo Dei percepisse cognitionem creaturæ, quæ post illam cognitionem fieri debebat, vt patet ex di. cap. 22. *& sic factum est, id est, in eius cognitione ex Verbo Dei*: quia nimirũ ex Verbo Dei dicente creationem creaturæ condendæ in sequenti die, facta est in Angelo cognitio matutina eiusdem rei. Et inferiùs: *& percipiet de Verbo Dei cognitionem creaturæ, quæ post ipsa fit, hoc est firmamenti, quod in eius cognitione fit.* Cap. itẽ 30. *Primo hæc accipiebat in Verbo Dei, vt in eius notitia primitus fieret.* Ex quibus locis euidenter cõstat Angelos ex Verbo Dei id est ex decreto diuinę voluntatis accipere cognitionem matutinam. At quis dicet Angelos suam essentialem beatitudinem recepisse ex decreto, quo Deus decreuit creationem sex illis diebꝰ explicatam? Quin potius si diligenter expẽdimus verba capitis 32. Angeli prius fuerunt beati ipsa Dei visione, quam ex Verbo Dei acciperent matutinam cognitionem rerum, quę singulis illis diebꝰ creatæ referuntur, ita enim scribitur: *mens verò angelica pura charitate inhærens Verbo Dei, prius ea vidit in Verbo Dei facienda, &c.* Inhærens (inquit) Deo charitate (igitur iam beata) accepit cognitionem matutinam. At non bene intelligi potest Angelos ex Verbo Dei, id est, ex decreto dicente creaturas fieri accepisse suam beatitudinem. Quare cum ex verbis Augustini euidenter cõstet eos ex illo verbo, atque dictamine accepisse cognitionem matutinam rerum; euidenter euincitur cognitionem matutinam rerum formaliter non esse ipsam visionem Dei hoc est diuinę essentiæ præcisè sumptæ; sed esse visionem rerũ acceptam ex decreto Dei, & in ipso decreto. Quem sensum clare colliges ex locis statim dicẽdis. Non possum in huius rei confirmationem non expẽdere quod Augustinus locis citatis docet cognitionem matutinam factam esse in intellectu Angeli ex verbo, quo Deus dixit, vt res fierẽt. Iãvere cognitio esse increati diuinę essentię non est facta in intellectu Angeli ex tali verbo.

36. 3. Locus ex Augustino.

Tertio igitur loco contra eandem explicationem expendo, quod Augustinus multis in locis scribit creaturam cognitione matutina cognosci in sapientia Dei tanquam in arte, qua facta est, ita enim scribit lib. 11. de ciuitate Dei cap. 7. *cognitio quippe creaturæ in se ipsa decoloratior est, vt ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, veluti in arte, qua facta est.* Eodem etiam lib. c. 29. *ipsam quoq; creaturam melius ibi, hoc est in sapientia Dei, tanquam in arte, qua facta est quam in ea ipsa sciunt.* Eandem sententiã ex Augustino sumpsit auctor dialogorum 65. quęstionum apud August. q. 26. vbi ita habet: *plus videtur in arte: qua facta est, quam ipsa in se ipsa, quæ facta est.* Ex quibus omnibus euidenter colligitur creaturam cognitione matutina ab Angelis videri secundùm illud esse, quod ipsa creatura habet in sapientia diuina, tanquam in arte, qua facta est. Facta est, inquam, secundùm illud esse, secundùm quod in arte diuina videtur.

37. Iam verò creatura secundùm esse, secundùm quod in Deo est ipsa creatrix essentia, non est facta per artem diuinæ sapientiæ, nec est in diuina sapientia, tãquam in arte; cum sit esse increatum, secundùm quod creatura ipsa potius est ipsa sapientia, ipsa creatrix essentia, ipsaque ars creatrix, quàm sit in ipsa sapientia, & in ipsa arte, vt contra eundẽ Bellomontanũ doctissimè aduertit Suarius in d. lib. 2. de attributis negatiuis cap. 25. n. 12. Quare si cognitio matutina est illa, qua creatura cognoscitur secundùm illud esse, quod habet in arte diuina, qua facta est; vtique nõ erit cognitio creaturę secundùm esse, secundùm quod est ipsa ars; sed secũdùm esse proprium, quod habet in ipsa arte, & secundùm quod ab ipsa arte creatrice produci potest: quod esse est ipsum met esse essentiæ ipsius creaturæ existens obiectiue in ipsa diuina arte, diuinoque exemplari.

38. *Suarius.*

Quibus etiam accedat optima põderatio eiusdem Suarij in d. capit. 25. num. 14. quoniam ex Augustino creatura ita videtur in arte diuina, vt de illa formetur proprius conceptus distinctus à cõceptu

ceptu aliarum creaturarũ, quæ in alijs diebus condendæ erant: nam penes distinctam earum cognitionẽ distinguuntur dies, vt ex Augustino diximus. At si Angeli ita viderent creaturam, vt non est in arte, sed vt est ipsa ars; iam inquiro, vtrum ita videatur ipsa ars diuina, vt ea visa nullus formetur proprius creaturę cõceptus; anverò per artẽ ipsã visã talis cõceptus formetur? Sipriori modo nullo pacto potest creatura illa cognosci in arte; nec per talem cognitionem potest distingui aliquis dies, qui proprius sit ipsius creaturæ. Si posteriori modo dicatur; ipsa creatura in arte cognoscitur, non secundùm esse increatum, secundùm quod ipsa est ars; sed secundùm proprium esse creandum suæ propriæ entitatis, secundùm quod obiectiuè existit in ipsa arte: quia fieri nulla ratione potest, vt ars aliqua formaliter cognoscatur non cognito artificatio.

39. 4. Ratio. Quarto loco id ipsum confirmari potest ex locis, in quibus Aug. docet Angelos cognoscere creaturas in singulis illis sex diebus condendas: cognoscere inquam in ipsis rationibus, & caussis, secundùm quas factæ sunt. Ita habes ex Augustino lib. 9. de ciuitate Dei cap. 22. *Ideo certius temporalia ista, & mutabilia nouerunt; quia eorum principales caussas in Verbo Dei conspiciunt.* Et rursus: *Aliud est in æternis, atquè immutabilibus Dei legibus mutationes temporum præuidere,* & cæt. lib. 4. de Genes. ad literam cap. 24. *Proculdubio vniuersam creaturam in ipso Verbo Dei prius nouerunt, in quo sunt omnium, etiam, qua temporaliter facta sunt, æternæ rationes, tanquam in eo, per quod facta sunt omnia.* Et ibi cap. 34. *Cum simul vniuersam creaturam, sicut simul facta est, & in primis, atque in commutabilibus rationibus, per quas condita est, contemplaretur propter diẽ.* Omittimus mille alios locos, in quibus Augustinus docet creaturas videri ab Angelis in Verbo Dei, hoc est in incommutabili veritate suarum rationum, legum, & caussarum existentium in diuina sapientia. At quis dicet creaturas visas ab Angelis secundùm esse increatum, secundum quod sunt ipsa sapientia, videri secundũ rationes ęternas, leges, & caussas rerum condendarum? Etenim illæ æternæ rationes, atque caussæ sunt ipsæ ideæ, quæ in diuina sapientia continentur ex eodem Augustino in libr. 83. quæstionum quæstione 46. Iam verò illud esse increatum, quod eminenter cõtinet creaturas, sicut non subijcitur legibus illis, atque rationibus æternis; ita non videtur secundùm illas; sed illæ potius leges videntur in ipso esse increato diuinæ essentiæ, in quo formaliter est sapientia ipsa diuina, & ipsa diuina ars, vt attributũ illi connaturale. Quare si cognitio matutina rerum est visio earum secundùm esse, quod cognoscitur per illas leges, & rationes rerum, ideasque, vtiq; illa formaliter nõ est visio increati esse, quo creaturę in Deo sunt Deus; sed visio proprij esse, propriæque entitatis creatæ, qua res ipsæ obijciuntur diuino intellectui.

40. Vera explicatio mẽtis Augustini. Vera igitur mentis Augustini explicatio hæc est, vt cognitio matutina sit, qua Angeli viderunt res in Verbo, & intra ipsum Verbum secundùm illud esse, quo diuino decreto obijciuntur, & resplendent: & in hoc sensu explicantur à Theologis tam Antiquioribus, quàm Nouioribus. Et ne liberum sit ad sensum caussalem recurrere per cognitionem à Verbo extra Verbum caussatam; expẽdo verba, quæ supra citauimus ex lib. 2. de Genes. ad literam cap. 8. ibi: *Secundũ id, quod intus vident.* Et lib. 4. de Genes. c. 32. *Adhæsitquè creanti luci lux creata: videns illam, & se in illa,* lib. etiam 13. confessionum cap. 15. agens de Sanctis Angelis ita ait: *Vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua.* Ibi, inquam, id est, in tua facie, & in te ipso. Quem sensum satis confirmant loci supra citati, in quibus Angeli vident creaturas in ipsis rationibus æternis, legibusque diuinę voluntatis, & in ipsa arte diuinæ sapientię.

41. Quod etiã expressit Augustinus tract. 1. in Ioannem ad illa verba: *Quæ facta sunt, in ipso vita erat:* vbi ita scribit: *Quare ratio ipsa creaturæ, qua creatura est facta, non distinguitur à substantia Dei, quæ substantialis est vita, & in ipsa arte resplendet, vt in ea intelligatur.* Quæ verba, & sensum Bellomontani, & sensum caussalem satis expugnant: ex illis enim euidenter constat creaturas in ipsa arte diuina resplendere. Quid est resplendere, nisi obiectiuè repræsẽtari? non quidem secundùm esse increatum, (absit) sed secundùm esse proprium suæ entitatis, secundùm quod sunt artificiata,

ta, ad quæ terminatur repræsentatio diuinæ artis. At si creaturæ intelliguntur in ipsa diuina arte, secundùm esse proprium, quod in ea resplendet; profecto intus intelliguntur, non extra.

42. Et iuxta hanc communem, & veram Augustini explicationem omnia rectè constant; & fit plana comparatio, qua Augustinus comparat cognitionẽ creaturæ in Verbo (quam matutinam appellat) cũ cognitione in se ipsa, suaque propria existentia, quam appellat vespertinam: eadem enim est creatura, quæ vtraque illa cognitione cognoscitur; eadem ipsius creaturæ entitas; aliter tamen, & aliter concepta: quia vna cognoscitur secundúm esse proprium obiectiuum, quod habet in rationibus, causisque æternis; ob quam rationem dicitur cognosci in quodam superiori genere; quia tale esse non habet ex se, sed ex repræsentatione in rationibus intelligibilibus: altera verò cognoscitur secundùm esse proprij generis; quia cognoscitur secundúm existentiam realem sui proprij generis, repræsentatum per species creatas eiusdem generis.

43. Hæc diximus pro explicanda mente Augustini. Cũ quo videntur consentire plures ex Patribus: & quanuis. D. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 33. & lib. 2. Moralium c. 3. non satis hunc sensum explicet, vt bene aduertit Suarius in d. lib. 2. c. 25. n. 17. in fine; vbi vitio impressorum Gregorius mendosè citatur: tamen Isidorus lib. 1. sentent. cap. 12. n. 17. satis fauet, dum ait, *Angelos in Verbo Dei omnia cognoscere, antequam in re fiant.* Et quãuis explicari possit de cognitione causali; quia (vt immediatè ait) ea cognoscunt Deo reuelante: tamen accommodatius explicabitur de cognitione formali, quam iam habent de rebus futuris quæ ipsa dicitur reuelatio, vel quia visio beatifica est reuelatio quædã, vt plures volunt; vel quia illa fit à Deo liberaliter vt supra diximus §. 3. in fine.

Gregorius. *Isidorus.*

44. Cum Augustino etiam consentit D. Bernardus lib. 5. de consideratione c. 1. vbi non solùm docet, *beatos per Verbum intueri facta, id est res creatas; sed etiam eas videre in Verbo per Verbum.* Quibus verbis satis significat beatos non ideo in Verbo videre creaturas, quia videt esse increatum, quod creaturæ habent in Deo; sed quia in Verbo, p quod facta sunt omnia (decretum diuinæ voluntatis intelligit) eas videt; ita vt Verbum ipsum sit medium formale videndi eas: & ob hanc rationem dixit creaturas videri à beatis secundùm melius esse, quàm in se ipsis. Etenim cum per rationes intelligibiles repræsententur, & in illis obiectiuè videantur; videntur in esse quodam altiori, quám cum repræsentantur in se ipsis per proprias species. Denique cum Augustino consentiunt Patres Concilij Senensis in decretis fidei, dum asserunt, *beatis peruium esse vniforme illud diuinitatis speculum, in quo, quidquid eorum inter sit, illucescit.* Quod verbum non satis accommodatè explicabitur de cognitione caussali: in ea enim non illucescunt creaturæ in speculo diuinitatis, sed in proprijs speciebus.

Concilium Senense.

§. 6.

Explicantur, quæ in contrarium ex Augusti. obijcit Bellomontanus.

SEd Bellomontanus in d. disp. 51. c. 3. nonnulla ex Augustino obijcit, quæ oportet explicare. Primum obijcit; quoniam Augustinus 11. de Ciuitate Dei cap. 7. mane appellat non ipsam scientiã creaturę in se ipsa, sed scientiã Dei creatoris; ita enim scribit *Fit autem vespera huius diei, & mane aliquatenus; quoniam scientia creaturæ in comparatione scientiæ creatoris quodammodo vesperascit.* Ex quibus verbis colligit mane, & vespere (cognitionem scil. matutinam, & vespertinam) distingui ab Augustino; nõ ex diuerso modo cognoscendi creaturam, sed ex parte rei cognitæ. Ita vt cognitio, quæ habetur de Deo, sit mane, atque matutina; cognitio verò, quæ habetur de creatura, sit vespera, id est, vespertina.

45. 1. Locus Augustin.

Secundo loco obijcit; quoniam Augustinus in d. libr. 11. capit. 29. volens ostendere alio modo res videri in Verbo, quàm in se ipsis (ex quo loco communiter colligimus duas cognitiones, matutinam scilicet, & vespertinam) sic ait: *Sicut aliter scitur rectitudo linearum, seu veritas figurarum, cum in intellectu conspicitur aliter cum in puluere scribitur.* Ac si dicat, in intellectu est vsquequaque perfecta; cum verò re ipsa describitur, præsertim in puluere, non potest sine aliquo defectu esse. Sic igitur res in intellectu Dei

46. 2. Eiusdem.

sunt

sunt incorruptibile; at in se ipsis corruptioni subiectæ. Quem sensum satis declarat, cum addit: *Et aliter iustitia describitur in veritate incommunicabili, aliter in anima iusti.* Quæ verba (vt ait) satis explicãt, Augustinum non agere de rebus in Deo tantùm obiectiuè existentibus secundũ proprias rationes formales: nec enim diceret eas alio modo esse in Deo, quam in se ipsis; nam cum à Deo cognoscũtur sicut sunt à parte rei mutationi, & corruptioni subiectæ. Loquitur igitur de ipsis, provt in Deo sunt ipse Deus; nempe de idea, & arte illarum, quę est re vera ipse Deus.

47. 3. Locus eiusdem.

Tertio loco obijcit; quoniam Augustinus in lib. 65. quæstionum q. 26. vt probet creaturam melius videri in Deo, & in arte sua, quàm in se ipsa, adducit illud Ioan. 1. *Quod factum est, in ipso vita erat;* & subiungit hæc verba: *Omnia ergo, quæ facta sunt in ipso, & vitã non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in se ipsis vita non sunt.* Et inde infert: *Ac per hoc plus videntur ab Angelis Sanctis in Verbo Dei, vbi sunt vita, quam in se ipsis.* Quod si ex Augustino res in Verbo viderentur secundùm proprias rationes, fieri non posset; vt non viuẽtia (sicut lapis) viderentur viuere, & corruptibilia incorruptibilia esse. Signum igitur est loqui Augustinum de ipsamet essentia diuina, quatenus dicitur idea, & ars creaturarum, quæ est ipse Deus. Vnde melius videntur creaturæ in Deo, quàm in se ipsis.

Confirmat id ipsũ ex Augustino tract. 1. in Ioãnem ad præcitata verba; vbi cõtra Manichęum probat lapidem non viuere; sed viuere ideam lapidis, quæ est ipse Deus. In eodem igitur sensu dicit res in Deo multo melius esse; quia scilicet earum idea, quæ est ipsa essentia diuina, melius esse habet.

48. 4. Locus eiusdem.

Quarto loco adducit testimonium Augustini ex lib. 83. quæstionum q. 46. vbi ideas mentis diuinæ ita definit: *Sunt namque ideæ formæ quædam principales, vel rationes rerum stabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo se habentes, quæ in diuina intelligentia continentur.* Has igitur inquit à beatis videri: hę autem, cum increatæ sint, & incorruptibiles, sunt ipse Deus; non creaturæ, etiam secundùm esse obiectiuum, quod in mẽte diuina habent: creaturæ namque, etiã in mente diuina obiectiuè existentes sunt corruptioni subiectæ: hoc est Deo obijciuntur, sicut re ipsa sunt. Quare si in re corrumpuntur, à Deo hoc modo cognoscuntur.

49. 5. Locus.

Quinto loco adducit testimonium (quod appellat optimum) ex libr. 4. de Genesi ad literam cap. 32. post medium in hęc verba: *Facta est vespera, quia necessaria erat, & ita cognitio, qua distingueretur à creatore creatura, aliter ipsa cognita, quàm in illo.* Ex his verbis putat secundùm mentem Augustini per solam matutinam cognitionem non potuisse distingui sufficienter creatorem à creatura. At si cognitione matutina creaturæ in Verbo cognoscebantur secundùm proprias rationes formales creatas, vt quod homo esset animal rationale, & sic de alijs; de hoc necessaria non erat cognitio vespertina, vt intellectus beati creaturas à creatore discerneret. At si cognitio matutina nihil aliud erat, quàm cognitio ipsius diuinæ essentiæ, quę est ars omniũ creaturarum, oportebat sine dubio ad illũ effectum esse vespertinam: nam cognitione matutina nõ distinguebatur lapis à Deo; siquidem creatura, provt in Deo cognoscebatur habere vitam Dei, quod nihil aliud est, quàm cognosci ipsam essentiam diuinam in se, quæ omniũ rerum est ars, & idea. Oportebat igitur esse aliam cognitionem, qua lapis cognosceretur in se ipso secundùm suam formalem rationem non habens vitam.

50. Vltimus locus.

Postremo adducit Augustinum lib. 5. de Genesi ad literam cap. 34. vbi agens de Angelo cognoscente creaturas notitia matutina, & vespertina ita ait: *Cum simul vniuersam creaturam sicut simul facta est, & in primis, atquè incommutabilibus rationibus per quas condita est, contemplaretur propter diem: & in eius ipsius natura cognosceretur propter vesperam; & creatorem ex ipsa etiam inferiore cognitione propter mane laudaretur.* His verbis distinguit Augustinus (inquit Bellomontanus) vespertinam cognitionem, & matutinam circa ipsas creaturas diuerso modo cognitas: matutinam enim vocat, quã habet Angelus de creaturis, provt sunt in ipsis rationibus ętternis Dei: sic autem sunt ipse Deus: vespertinam verò; quatenus eas cognoscit secundùm proprias ipsarũ naturas. Quod si creaturæ cognitę in Verbo viderẽtur

in

in propria natura, & frustra poneretur vespertina illa cognitio ab Augustino circa creaturas cognitas in propria natura. Hæc sūt; quæ Bellomōtanus vbi supra nobis obijcit ex Aug. vt ostēdat cognitionē matutinā apud Augustinū formaliter esse ipsā cognitionē diuinę essētiæ, & eorū quæ formaliter sunt in Deo.

51. Ad 1. locum Augustini.

Sed si bene expendantur, quæ ex Augustino obijciuntur testimonia, tantum abest, vt Bellomontani sententiam confirmēt, vt potius infirmēt. Singula expēdamus. Ad primum testimonium respōdet Salas vbi supra pagin. 262. col. 1. in principio alios codices non habere, *sit autem vespera, & cæt.* sed ita potius: *si tamē vespera diei vsus, & mane congruenter distinguere valeamus.* Quam literam refert Ludouicus Viues ad eundem locum Augustini. Sed non est, quod ad aliam literam recurramus, cum ex illa vis argumenti non tollatur, quæ posita est in verbis sequentibus, vt ex argumento patet. Quare ad obiectionem negandum est, ex verbis Augustini colligi cognitionem matutinam, & vespertinam distingui non ex diuerso modo cognitionis creaturæ, sed ex parte rei cognitæ. Quod esset manifestum, si Augustinus compararet scientiam creaturę, hoc est scientiā creatam cum scientia increata creatoris, vt vult Nauarrete in 1. tom. cōtrouersiarū controuersia 45. §. vnico post principiū fol. 284. col. 4. §. *& notandum*, vbi illa verba: *Quoniam scientia creaturæ in comparatione scientiæ creatoris quodammodo vesperascit*, explicat de scientia creata beati; & increata Dei: quasi velit dicere Augustinus: ex eo, quod scientia Dei est clarior, quàm scientia creaturarum, consequēter res cognitę per talem scientiam clarius relucent in scientia diuina, quàm in scientia creata: & consequenter qui cognoscit istas creaturas, secundùm quod repræsentantur in mente creatoris tanquam in arte, qua per sapientiam diuinam fabricantur; perfectiori modo eas cognoscit, quàm per scientiam creatā. Vnde non cognoscit illas secundùm aliquam rationem communem, & vt identificantur cum diuina essentia, sed secūdùm rationes particulares, & proprias.

Ludouicus Viues.

52.

At tamen hanc explicationem literæ Augustini nullo modo admittendam esse satis euincunt illa verba: *Quodammodo vesperascit.* Etenim scientia creata respectu scientię increatę non quodammodo vesperascit, sed omnibus modis fit vespera, ne vlterius aliquid dicam; cum finiti ad infinitum nulla sit proportio. Vt omittamus posita illa explicatione cognitionē creaturæ diuidi nō posse in matutinā, & vespertinā; quia in illo sēsu omnis esset vespertina, siue in Verbo habere tur, siue in proprio genere ipsius creaturę.

53. Sensus Augustini.

Quare sensus Augustini est iste, vt scientia creatutæ, id est, quæ habetur de creatura comparatione scientiæ creatoris, hoc est scientię, quæ habetur de creatore, quodammodo vesperascat. Qua suppositā verborum explicatione detur locus sequelæ illatæ à Bellomōtano occurrit Suarius in d. lib. 2. de attributis negatiuis cap. 25. num. 12. & 13. quem sequitur Salas vbi supra; visionem beatam, qua creaturæ videntur in Deo, ideo ab Augustino dici visionem creatoris; quia primario ad creatorem terminatur, secundario autem ad creaturas in ipso creatore; in quo altius, & immutabilius videntur, quam in se ipsis. Vnde cum Augustinus agat de visione creatoris, non simpliciter, sed vt secundario terminatur ad creaturas in ipso creatore, nequaquam inferri potest ex illis verbis Augustinū distinguere cognitionem matutinam, & vespertinam ex parte rei cognitæ.

54. Cōfirmatur.

In cuius confirmationem expendo, quod Augustinus in eodem c. 7. postquā dixit scientiam creaturę comparatione scientię creatoris quodammodo vesperascere, immediatè subiungit: *Itemque lucescit, & mane fit, cum & ipsa refertur ad laudē, dilectionemque creatoris.* Ex quibus verbis euidenter colligitur cognitionem creaturę, quę dicitur vespertina (à qua quilibet illorum dierum incipit) recurrere in mane, fierique cognitionem matutinam, cū Angelus ex cognitione vespertina creaturę excitatur ad laudandum, & amandū Deum. Quod clarius explicat in eodem capite his verbis: *Ideo vespera congruentius, quam nox dici potest: quæ tamen, vt dixi, cum ad laudandum, & amandum refertur creatorem, recurrit in mane.* Quod etiam satis declarat lib. 4. de Genes. ad literam capit. 22. 24. 29. & 31. & lib. 2. de eadem Genesi cap. 8. vt supra iam aduertimus in §. præcedente. At quis dicet cognitionem

nitionem veſpertinam, quam Angeli habent de rebus tranſire in cognitionem ipſius diuinæ eſſentiæ? Quis dicet Angelum ex cognitione veſpertina creaturæ, excitari ad viſionẽ beatificam, qua Deũ videt? At tamen ex Auguſtino ipſa veſpertina cognitio creaturæ fit cognitio matutina eiuſdem creaturę, cũ ex cognitione creaturæ in ſe ipſa Angelus creaturam ipſam refert ad laudandum, & amandum Deum.

53. nſus Au- ſtini.

55. Confirmatur 2. Secundo expendo, quod Auguſtinus in eodem capite 7. docet cognitionem creaturæ in ſe ipſa eſſe decolloratiorẽ, quam cum in Dei ſapientia cognoſcitur cuius cognitionem appellat matutinã. Iam verò cognitio formalis diuinæ ſapientiæ non eſt cognitio creaturæ in ipſa ſapientia, vt §. 4. & 5. ſæpius aduertimus. Quare ex eodem Auguſtino in d. capit. 7. euidenter colligitur cognitionem matutinam, & veſpertinam non diſtingui ex parte rei cognitę (vt male exiſtimat Bellomontanus) ſed ex diuerſo modo cognoſcendi eiuſdem creaturæ, vel in ſe ipſa, vel in ipſo creatore obiectiuè repræſentata.

56. Ad 2. locum Auguſtini. Ad ſecundum teſtimonium nihil eſt, quod reſpondeamus, cum illud potius pro nobis faciat. Senſus enim eſt iſte, vt cognitio creaturarum in Verbo ſit, ſicut cognitio linearum, & figurarum in mente artificis, vel iuſtitię creatæ in diuina diſpoſitione. Iam vero res in mente artificis cognoſcuntur ſecũdùm proprias rationes expreſſas in ipſa arte. Ergo cognitio creaturarum in Verbo eſt cognitio earum ſecũdùm proprias formales ipſarum rationes. Sicut etiam lõgè certiori, & altiori modo cognoſcuntur in mente artificis, quàm cum cognoſcuntur, & exprimuntur, vel in puluere, vel in ſe ipſis. Eodem modo creaturæ longè altiori modo cognoſcuntur, prout in diuina arte ſecundùm ſuas proprias, & formales rationes repręſentãtur, quam cum cognoſcuntur in ſe ipſis, & in propria creata exiſtentia, quam habent. Iſte eſt verus ſenſus Auguſtini, vt videre eſt apud Ludouicum Viues, & apud alios.

54. ſirmatur

57. Nec obſtat, quod creaturæ etiam obiectiue exiſtẽtes in diuina arte ſunt corruptibiles, & vt tales cognoſcũtur; nam licet cognoſcantur, vt corruptibiles in actu ſignato; tamen ſecundũ illud eſſe nõ ſunt tales in actu exercito: quia ipſæ corruptibilitatis leges, vt in diuina arte repręſentãtur, ſunt inuariabiles, & incorruptibiles; vnde, vt ſic, ſunt perpetuę veritatis. Sed de hoc latius diſputare, ad alium locum pertinet.

58. Ad 3. eiuſdẽ Ad tertium teſtimonium illud in primis reſpondetur, librum illum non eſſe Auguſtini, vt patet ex cenſura illius. Deinde dicimus ex illa quęſtione potius ſumi poſſe argumentum pro nobis ex eo, quod aſſerit creaturã videri in Verbo, vt in arte, qua facta eſt, quâ viſionẽ appellat matutinam. Ex quibus verbis in præcedẽtibus collegimus, creaturã cognitione matutina videri in Verbo ſecũdũ ſuam propriã rationẽ formalẽ, ſecũdũ quam ab arte diuina conditur. Hac autem viſione plus, atq; melius videtur, quàm videatur in ſe ipſa in proprio genere, & per ſpecies ipſius proprias. Etenim creatura ſecundùm ſuam rationem formalẽ, ſecundùm quam obiectiuè eſt in arte diuina plus, & melius cognoſcitur, cognitioneq; certiori, & altiori, quã cognoſcatur in ſe ipſa, vt euidenter colliges ex Auguſtino lib. 9. de Ciuitate Dei capit. 22. cuius verba citauimus ſupra §. 4. in 2. loco. Et hunc ſenſũ habẽt, verba quæ ex auctore illius libri in contrariũ citantur. Imò auctor illius fortè ad hũc ſenſum intelligit creaturã viuere, vt eſt in Deo intelligibiliter obiecta; quia ſcilicet in ipſis æternis Dei legibus creaturę alioquin commutabiles incommutabiliter exiſtunt; quia ipſæ corruptibilitatis leges ſunt incommutabiles, vt diximus ad ſecundum teſtimoniũ. Et forte iſte ſenſus colligitur ab Auguſtino in d. lib. 9. cap. 22. dum ait mutationes tẽporum in diuina viuere ſapientia. *Auguſt.*

59. In quo ſenſu res eſt facilis. Porro, quia communis explicatio habet creaturam etiam, quæ in ſe ipſa non eſt viuens, in Verbo eſſe diuinam vitam; quatenus rationes æternę, atque ideæ, in quibus repręſentatur, realiter ſunt ipſa diuina eſſentia; ideo ad argumentũ dicimus creaturam in ſe ipſa non viuentem videri in Verbo, & in arte diuina ſecundùm ſuam rationem formalem non impedire, quominus ratione ipſius artis diuinæ, in qua repræſentatur, dicatur eſſe ipſa vita Dei. Imò hunc ſenſum explicat

Augusti. Augustinus in tract. 1. in Ioannem adductus in confirmatione argumenti; quatenus contra Manichæum concludit lapidem in Deo non viuere (nec enim obiectiuè concipitur, vt viuens) sed viuere ipsam ideam lapidis, quę realiter est idē cum diuina essentia. Itaq; ex Augustino creatura secūdùm suam propriā rationē repręsētata in idea diuina dicitur viuere nō ratione sui, suæq; propriæ entitatis, secundū quā diuino intellectui objicitur; sed ratione ipsius ideæ, quæ eam repræsētat. Et ita omnia facilè cōcinūt.

60. Ad 4. locum. Ex quarto testimonio quomodo argumentū sumatur contra nostrā sentētiā prorsus non video: solū enim probat ideas in Deo esse increatas, & incorruptibiles, & subinde idē realiter quod Deus. Quæ omnia libenter admittimus iuxta veriorē sententiā D. Thomæ, Quomodo autem inde inferatur creaturas non videri in ipsis ideis secūdū suas proprias formales rationes, planè non intelligo. Quin potius ex illo antecedente potest argumentum retorqueri in aduersariū, vt benè adnotauit Salas in d. pag. 262. §. *Similiter retorqueri potest*: etenim cum ipsæ videantur eādem visione, qua videtur diuina essentia, non possunt non videri ipsa ideata, & singulæ secūdùm propriam rationem, vt idem Augustinus eodem in loco explicat, dum ait: *Omnia ratione sunt cōdita, nec eadem ratione homo, qua equus: hoc enim absurdū est existimare. Singula igitur proprijs sunt creata rationibus.* Et statim expresse explicat Deum in ipsis ideis intueri ideata.

61. Obiectio. Sed obijcit Bellomontanus creaturas obiectiuè existentes in mēte diuina esse subiectas corruptioni. Admitto: sed id non tollit, quominus vt sunt repręsētatę in ipsis ideis, sint immutabiles, & incorruptibiles: nō quidē in sua entitate; quæ in actu signato est mutabilis; sed vt subijciuntur ordini incōmutabili ipsarum idearū, rationumq; immutabilium: hūc ordinem incommutabiliter conseruāt; tum vt in actu signato vel à Deo, vel à beato in ipsis ideis concipiuntur; tum vt in actu exercito sunt in se ipsis, nam, vt sic, immutabiliter conseruant mutationē à Deo illis decretam, vt satis colliges ex Augustino in d. lib. 9. de Ciuitate Dei c. 22. quē §. 4. secūdo loco citauimus. Itaq; creaturæ in ipsis ideis repræsentatæ, & visæ, nō in se ipsis, sed secūdū suas ideas sunt ipse Deus, vt diximus ex Augustino tract. 1. in Ioannē. At in suis proprijs rationibus formalibus, secundū quas repręsentantur, & cognoscūtur, sūt mutabiles, & corruptibiles in actu tamen signato: in actu verò exercito incorruptibiles sunt, prout subsunt diuinis legibus.

Quintū testimoniū ex lib. 4. Genes. ad literā c. 32. teste Sala videtur vrgentius; vnde variè dissoluitur. Pro quo aduertendū est vim argumenti in hoc esse positam, quod Augustinus dicat cognitionē vespertinā rerū esse necessariā, vt creator distinguatur à creatura. Hęc autē necessitas nulla esset, si cognitio matutina terminaretur ad creaturā secūdū suā propriā rationē formalē in arte diuina repręsentatam: etenim cognita, vt sic, satis indicat se à creatore distingui. 62. Ad 5. locum Augustini.

Huic difficultati 1. loco occurrit Naarrete in d. controuers. 45. §. vnico ad vltimū testimonium fol. 288. col. 4. ideo cognitionē vespertinam poni ab Augustino necessariam, vt creator à creatura distinguatur; quia creatura antea cognoscebatur solū prout in creatore erat ipse creator, & habebat esse increatum ipsius: quæ cognitio non satis erat, vt creator cognoscatur distinctus à creatura. Sed quā aliena sit à mēte Augustini hæc explicatio, facilè intelliget, qui aduerterit Augustinū nō agere de cognitione creaturæ, prout in Deo est ipse Deus; sed de cognitione vespertina, & matutina; & tamē docet vespertinā esse necessariam, vt creator cognoscatur distinctus á creatura. Vnde vis argumēti hac solutionę minime est sublata. 63. Explicatio.

Quę non adeo est debilis, vt dici possit à Suario in dicto capite 25. num. 13. ad finem nihil ad institutum referre: etenim si absolutè, & simpliciter admittatur cognitionem vespertinam esse necessariam, vt per eam creator distinguatur à creatura; vtique matutina non satis erit ad talem distinctionem; quod nō est admittendum, si admittatur matutinā cognitionem terminari ad creaturā obiectiuè existentē in diuino intellectu. hęc enim satis est ad talē distinctionē, vt Suarius admittit. Quare vis argumenti maximè refert ad prędēs institutū; vnde in explicāda mēte Augustini elaborandum est. Occurrit igitur Suarius loco citato 64. Defenditur

citato illud non esse ab Augustino dictũ quia per visionem Dei non distinguitur creator à creatura in ipso obiectiuè cognita; sed quia cognitio creaturarum in Verbo erat alterius ordinis, & primario erat cognitio creatoris; & ideo necessaria fuit aliqua cognitio commẽsurata creaturæ, & quasi propria illius, vt distingueretur creatura à creatore, aliter in se ipsa cognita, quàm in illo. Ita Suarius. Sed profecto ego non video, quomodo ad talem distinctionem sit necessaria cognitio min⁹ nobilis, minusq; perfecta, si illa ipsa distinctio cognitione altiori, & longè nobiliori cognoscitur. Imò è conuerso omnino dicendum erit; cognitionem scilicet nobiliorem rectius dici posse necessariam ad illum effectum, etiam si per minus nobilẽ cognitionem obtineretur; quia licet absolutè obtineatur per illam minus nobilẽ cognitionem; non tamen omnibus modis obtinetur, nisi per nobiliorem.

62. 5. locum gustini.

63. plicatio,

65. 2. explicatio ex Salas.

Quare Salas vbi supra alio modo Augustinum explicat; vt scilic. cognitio vespertina ab Augustino ideo dicatur necessaria; quia per experientiam cognosci debet distinctio creatoris à creatura, quę antea per matutinam in Verbo ita non cognoscebatur. Sed profecto

Non placet.

nec ista explicatio placere debet: nam si Augustinum legeris, & mentem eius consideratius expenderis cognitio experimentalis creaturæ nihil cõducit ad distinguendum vesperam à mane; & ob id nec aliquid refert ad distinguendam vespertinam cognitionem à matutina.

66. Vera explicatio Augustini.

Vera igitur Augustini explicatio erit, vt cognitio vespertina dicatur necessaria; non quidem ad distinguẽdum creatorem à creatura, vt male supponitur (nec id vnquam dixit Augustinus) sed ideo quia erat necessaria, vt distinctio creatoris à creatura posset ad mane terminari, & recurrere in matutinam: etenim ex Augustino ideo vespera fit mane, quia cognito creatore in sua creatura tanquam in suo opere, mens angelica erigitur ad laudandum creatorem, quod se se creaturæ communicauerit: & ad hunc modum vespera illa apud Augustinum fit mane; quæ tamen non fieret, nisi in tali vespera creator à creatura distingueretur. Hunc sensum satis explicauit Augugstinus in eodemmet capit. 22. vbi agens de vespera, & mane primæ diei ante præcitata verba, ita ait: *Post hæc si eo modo sibi placeret* (scilicet natura angelica) *vt amplius se ipsa, quam creatore suo delectaretur, non fieret mane: id est de sua cognitione in laudem creatoris non assurgeret.* Et clarius ex eodem Augustino libro quarto de Genesi ad literam cap. 24. 29. & 31. & libro secundo de eàdem Genesi capite octauo, & adhuc clarius libr. 11. de Ciuitate Dei capite 7. cuius verba retulimus in solutione primi testimonij. Hæc igitur est vera explicatio Augustini, qua supposita locus nihil juuat Bellomontanum.

64. fenditur

67. Ad vltimũ locum.

Vltimum testimonium potius Bellomontano nocet, quam faueat, vt benè aduertit Salas loco citato col. 1. in fine §. *quinta obiectio est.* Etenim ex illo euidẽter colligitur, etiam ipso Bellomontano teste, Augustinum distinguere vespertinã cognitionem, & matutinam ex diuerso modo cognoscendi creaturas; cũ tamen in primo testimonio idem Bellomontanus velit Augustinum non ita has cognitiones distinguere, sed ex parte rei cognitæ. Quod vero Bellomontanus ait creaturas cognitas in rationibus æternis Dei esse ipsum Deum; euidenter fallitur. Nam licet rationes ipsę æternæ, quę creaturas obiectiuè repræsentant intellectui tam diuino, quam beato, sint ipse Deus: tamen ipsæ creaturæ in illis repręsentatæ non sunt Deus, sed creaturę conceptę, vt mutabiles in actu signato. Itaque id, quo creaturę Deo obijciuntur, est ipse Deus: creaturę tamen obiectæ non sunt Deus. Et quanuis, vt sic obiectæ, aliquo modo dici queant cognosci in se ipsis; quia cognoscuntur secundùm suas proprias, & essentiales rationes, atque essentias; tamen proprié non cognoscuntur in se ipsis, nec in sua natura: quia ex mente Augustini, & ex vsu loquendi à Theologis recepto tunc dicuntur cognosci in se ipsis, & in sua natura; cum cognoscuntur in proprio genere, & per proprias species intelligibiles, vt apud omnes est notissimũ. Et hæc satis dicta sint pro explicatione eorum, quæ ex Augustino nobis obijcit Bellomontanus.

§. 7.

In quo gradu certitudinis nostra sententia tenenda sit?

68. EX dictis iam patet verissimam esse sententiam, quæ docet beatos in Deo, & intra Deum videre creaturas, si non omnes, saltem aliquas, etenim nunc ab hoc abstrahimus. Sed vidē dum supereſt in quonam gradu certitudinis hæc veritas habenda sit? De hoc enim est controuersia. Quidam grauissimi Theologi, teste Banhes, putat hanc sententiam ita esse veram, vt opposita sit manifestus error in fide. Hanc tamē censuram moderatur idem Banhes, exBanhes. istimatque oppositam sententiam cauendam esse, vt quæ non satis sit fidei consentanea, vt patet ex ijs, quæ scribit 1.p. quæstione 12. articul. 8. post 3. conclusionem. A censura abstinuit Cumelius in dicto articul. 8. quæstione vnica, conclusione 2. affirmat tamen oppositam sententiam esse falsissimam.

69. Primum huius opinionis fundamentum sumunt hi auctores ex Paulo 1. Co-1.Ratio. rinthior. 13. 1.Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Quibus verbis (vt volunt) Paulus docet omnia mysteria fidei, quæ in via obscurè cognoscimus, in patria cognoscēda esse facie ad faciem ipsa visione, qua Deum videbimus. Cū verò quāplurima mysteria creata in via per fidem teneamus; vtiq; illa videbimus visione ipsius essētię.

Cōfirmatur Confirmatur; quia in patria visio succedit fidei. Ergo in patria, ipsamet visione, qua Deum videbimus, videbimus etiam, quę in via credidimus. Vnde Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 21. ita ait: *Videbimus illa, quæ nunc non videmus credentes.* Et statim: *Hic creditis; ibi videbitis.*

70. Secundo id deducunt ex eo, quod nisi creaturæ videātur in Verbo intra ip-2.Ratio. sum Deum, nō poterit vnus esse beatior alio, quod est contra fidem. Consequentiam inde probant; quia omnes beati in patria clarissimè vident essentiā, & personas, omnes etiam perfectiones, quæ formaliter sunt in Deo. Igitur diuersæ mansiones non aliunde sumi possunt, nisi ex visione plurium, vel pauciorum creaturarum in Deo, & intra Deum: etenim ex visione plurium creaturarum extra Deum nullus potest esse beatior alio.

3.Ratio. Tertio; quia aliàs appetitus beati nō satiaretur visione beatifica: nec enim videret id, quod naturaliter desiderat videre.

71. Quarto; quoniam Christus Dominus Quar videt omnia, quæ Deus videt scientia visionis; quæ cum sint infinita, non possunt videri per proprias species extra Deum visione distincta à visione beatifica. Igitur videntur intra Deum per ipsam diuinam essentiam.

72. Postremo ita arguunt; Deus in sua es-Vltima rat. sentia clarè, & distinctè cognoscit omnes creaturas. Ergo etiam intellectus creatus poterit clarè, & distinctè cognoscere in diuina essentia aliquas creaturas.

Non placet censura. Sed hæc non tanti sunt, vt conuincant oppositā sententiā esse in fide erroneam aut parū tutā, vt bene aduerterunt Suarius in Cōmentarijs ad 1.2. q. 3. disp. 8. quæstiuncula 5. & postea lib. 2. de attributis negatiuis c. 28. n. 2. & 3. Salas ad 1.2. tract. 2. pag. 258. quorum sentētia placet quoad hoc, vt opposita sentētia nulla indigeat cēsura; quāuis in se sit falsa, paradoxa, & in re grauissima, sit singularis contra cōmunem Theologorū. Sunt igitur soluenda argumenta adducta.

73. Ad 1. dicendum est Paulū ibi agere de Ad 1. visione faciali, vt patet ex illius verbis: Hæc autem per se, & ex vi visionis est solius essentiæ diuinæ, quę est primum, & principale obiectum nostræ visionis: nā creaturæ non necessariò vidētur in Deo facialiter: nec enim Deus omnes creaturas videt notitia intuitiua, sed plures sola simplici intelligentia.

74. Ad confirmationē dicimus visionem Ad cōfirm fidei succedere, esse de fide; quia verè in patria videbimus, quę in via credidimus. At vero quomodo visio succedat fidei; an formaliter se ipsa, itavt se ipsa videat omnia, quæ fide sūt credita; an verò aliqua videat solū cauſſaliter; id nō pertinet ad fidē, sed potest esse sub opinione. Non est negandum ex communi illa doctrina Theologorū posse sumi probabilem coniecturā, quod omnia fidei mysteria, etiam quæ sunt de rebus creatis, videantur per ipsā formalē visionē diuinę essentię: nā mysteriū in carnationis non potest, vt in se est, exactè videri, nisi per ipsam formalem visionem diuinæ essentiæ: quoniam persona Christi composita ex natura diuina, & humana, nō satis exactè videbitur visione extra Verbum.

Ad

75. Ad secundùm negatur sequela; quo-
Ad 2. niam licet fides doceat in patria vnum esse alio beatiorem: non tamen docet, quænam sit ratio per se inæqualitatis; sed hoc disputationi reliquit. Et inde est, vt ratio inæqualitatis à pluribus sumatur à visione clariori, vel minus clara; intensiori, vel minus intensa diuinæ essentiæ, siue creaturæ in ea videantur, siue non videantur. Omnes igitur beati clarissimè videbunt diuinam essentiam omnesque illius perfectiones: at tamen non omnes æquè clare, & æque intensè hæc videbunt.

76. Ad tertium neganda est sequela; quo-
Ad 3. niam, vt appetitus beati satietur, satis est, si clarè videat omnia fidei mysteria, quę in via obscurè vidit; siue hæc visio formaliter sit ipsa visio essentiæ, siue solùm causaliter.

77. Ad quartum non solùm est cõtrouersia de ipsa maiore, sed etiam de minore: etenim nec omnes admittunt animam Christi in Verbo videre infinita: sicut etiam non omnes putant esse simpliciter impossibile infinitum actu dari. Quare cum vtraque controuersia adhuc sit sub opinione probabili, vel minus probabili, neutra pertinet ad fidem.

78. Ad postremum argumentum neces-
ad postremũ sariò admittendum est Deum vno, & eodẽ reali actu videre se, & omnes creaturas in se; quia in Deo nulla admittitur realis pluralitas, nisi per oppositionem relatiuam. At quanuis hoc sit de fide; non est tamen de fide, an Deus se, & creaturas videat actibus sola ratione distinctis? ita vt nostro intelligẽdi modo visio, qua Deus se ipsum videt, sit ratione distincta à visione, qua in se videt creaturas, vt patet ex ijs, quæ refert Suarius lib. 9. de Trinitate cap. 6. num. 11. & 12. Quare inde non potest inferri pertinere ad fidem beatos eadem visione videre essentiam, & creaturas. Respondetur secundo admisso antecedẽte consequentiam non valere propter disparem rationem quæ datur inter visionem increatam, & creatam. Nam visio increata est visio per essentiam; creata verò est visio per participationem; cui apud aduersarios repugnat esse visionem diuinæ essentiæ, & creaturarũ simul, in quo nihil contra fidem asserunt. Et hæc satis sint de quæstione 16.

QVÆSTIO XVII.

Quomodo creaturæ in Deo, atque intra Deum videantur?

VMiam constitutũ sit contra Bellomõtanũ creaturas intra ipsũ Deũ videri à beatis: inquirẽdũ est tertio loco quomodo intra ipsũ videantur? Vtrũne immediatè, tanquam obiecta primaria ipsius visionis; an verò mediatè tanquam obiecta secundaria visa in ipso Deo viso? De hoc enim etiam est controuersia. Vt verò illa distinctius explicetur, prius explicandum est, quot nam modis creaturæ intra Deum videri possint? Etenim varijs modis id fieri posse plures Theologorum explicant. Nam videri possunt simul cum essentia, vel pluribus actibus re, aut ratione distinctis; ita vt vnus ad essentiam immediatè terminetur; alter immediatè etiã ad creaturas; vel vnico tantum actu. Si vno tantùm actu; id potest adhuc duobus modis intelligi. Vno modo; vt ille actus vnum obiectum non respiciat mediante altero, sed directè ad vtrumque immediatè tendat. Altero modo; vt immediatè tendat ad essentiam, mediatè verò ad creaturas; ita vt nõ tendat in creaturas, nisi mediante essentia, vt cognita. Iste posterior modus adhuc distingui potest; quoniam vel ille actus tendit ad creaturas mediante essentia cognita vt caussa rerum; vel cognita, vt est rerum idea; vel denique, vt est speculum, in quo creaturæ relucent.

2. Oportet igitur explicare; an omnes isti modi videndi creaturas in Deo sint possibiles, vt inde videamus, quinam eorum de facto beatis conueniat. Et in hac quæstione 17. agemus de possibilitate omnium illorum modorum: in sequenti verò quæstione explicabimus, quomodo de facto creaturæ in Deo videantur à beatis?

3. Quod attinet ad primum multa inquiremus. Primò; an possibile sit creaturas intra ipsum Deũ videri actu realiter distincto ab eo, quo videtur essẽtia? Secũdò an repugnet creaturas simul cũ

essentia videri pluribus actibus sola ratione distinctis? Tertio; an possibile sit essentiã, & creaturas intra Deum videri actu, re, & ratione vno? Quarto; vtrũ possibile sit creaturas cũ essentia simul vno & eodem actu immediatè terminato ad idẽ obiectũ videri? Quinto; an fieri possit, vt creaturæ immediatè in se ipsis videantur; ita vt ille actus prius tendat in essẽtiã, deinde etiã in creaturas, immediatè tamẽ; ita vt creaturæ in ipsa essentia nõ cognoscãtur, nisi supposita visione essẽtiæ? Sexto; an possibile sit creaturas cognosci in essentia, & mediante essẽtia, vt obiecto cognito. Postremo; an creaturæ vno actu videri possint in Deo vt in speculo, aut vt in idea ipsarum.

ARTICVLVS I.

An possibile sit creaturas cũ essentia videri pluribus actibus inter se realiter distinctis?

1. Opinio Nominalium.

PRimo igitur loco explicãdum est, an possibile sit creaturas cũ essentia videri pluribꝰ actibus realiter distinctis, ità vt vno videatur essẽtia; altero creatura? Huic dubitationi affirmatiuè respondent Nominales vno (nisi fallor) consensu: ex illis enim manifestè colligitur diuina potentia fieri posse, vt dentur plures actus, quorũ altero videatur essentia altero sola creatura. Ita expresse docet Ochamus in 4.q. 13. art. 3. lit. D. *§ tertio dico* his verbis: *Potest poni rationabiliter, quod Deus causando actum videndi respectu essentiæ suæ, potest causare actũ respectu creaturæ vnius, vel multarum sicut placet* Addit in secundo dicto istos duos actus esse distinctos specie, cum per vnũ non videatur creatura; per alterum verò nõ videatur essentia: Imò in tertio dicto asserit, quæ Patres docent posse optimè verificari de istis duobus actibus, dum affirmant creaturas videri in Verbo: etenim licet ille actus sit distinctus ab eo quo videtur essentia; tamẽ ideo dicitur in Verbo videre creaturas, quia nõ videt eas, nisi videndo essentiã, idq; secundum legẽ ordinariam. Quasi sentiat per absolutã Dei potentiã fieri posse, vt beatus in Deo videat creaturas, interim non videndo essentiã. Hæc habes apud Ochamum loco citato. In quibus à cæteris Nominalibus approbatur. Cum Ochamo simpliciter transeunt Gabriel in 3. d. 14. q. vnica ar. 1. in. 5. opinione litera G. corollario 2. & 3. Supplemẽtũ Gabrielis in 4. d. 49. q. 3. ar. 2. propositione 3. & inferius, dum refert opinionem Ochami *§. Sed an sit idem actus*, Almainus in 3. d. 14. q. 1. fol. 35. col. 1. & 2. Maior expresse ibi q. 3. concl. 1. & 2. fol. 23. col. 4. in medio, & in 4. d. 49. quæstione 16. fol. 285. col. 2. *§. teneo igitur solùm secundam viam*, Adamus in 2. q. 8. art. 2. fol. 108. col. 2. 3. & 4. Aliachus in 1. q. 12. Denique in hoc vno ore conueniunt Nominales.

Gabriel. Supplemẽt. *Maior.* *Adamus.* *Ochamus.*

De sententia hoc est nostrum iudiciũ vt negandum non sit diuina potẽtia fieri posse, vt beati duos istos actus habeãt inter se realiter distinctos; quorum altero solam essentiam videant; altero solam creaturam; creaturas autem singulas videant singulis actibus inter se realiter distinctis. Quid enim id implicat? an verò hi duo actus de facto dentur in beatis? alterius est quæstionis, de qua inferius; nam modo solùm agimus, quid dicendum sit de possibili.

2. Propriũ iudicium.

Illud hoc loco aduertam Nominales hanc suam sententiam ex eo deducere, quia putant beatos ad istos actus non concurrere elicitiuè; quia volunt eos à solo Deo produci; & inde inferunt non implicare dari istos actꝰ realiter distinctos. Sed hoc fundamentum non est recipiendum. Tum; quia communiter impugnatur, vel vt impossibile (vt plerique volunt) vel vt non satis congruens cum dignitate animæ rationalis eleuatæ ad videndum Deum, & cum perfectione status beatifici, vt diximus supra in hoc libro. Tum etiam; quia posito illo fundamento non poterunt Nominales satis explicare, cur beati dicãtur videre creaturas in Deo, & non potius in proprio genere? nam cum ille actus immediatè terminetur ad creaturas in se ipsis; non video vnde nam proueniat, quod ad illas terminetur in Deo, & non in proprio genere.

3. Reijcitur fũdamentum Nominaliũ.

Hæc difficultas locum non habet, si beati efficienter concurrunt ad illum actum; quoniam per illum tendẽt in obiectum sibi præsentatum per diuinam essentiam, vt subit vicem speciei intelligibilis; & subinde tendent in illud obiectum, vt præsentatum sibi non extra Deũ sed intus. Habet tamẽ locum difficultas

4.

apud

apud Nominales, si beati illos actus nõ eliciũt. Nec enim satis erit solutio quorundam, qui volunt illam notitiam ideo dici fieri in Verbo, quia à Deo infunditur videndo Verbum, siue illa terminetur immediatè ad creaturas, siue non: hæc enim explicatio nullum habet fundamentum; vnde nec placet Almaino, vbi supra fol. 38. col. 1. in principio. Sed nõ est, quod circa illa diu immoremur; quia ad nostrum institutũ satis est nullam dari implicationem, si visio creaturarum sit actus realiter distinctus à visione, qua diuina essentia in se ipsa videtur.

ARTICVLVS II.

An repugnet creaturas in Deo videri actu distincto ratione ab eo, quo videtur essentia?

1. Deum non cognoscere creaturas 2. actibus ratione distinctis putant nonnulli.

SEcundo loco explicandum est; an dici possit creaturas à Deo videri actu distincto non re, sed sola ratione ab actu, quo videtur essẽtia? Huic dicendi modo fundamẽtum dedit quorundam imaginatio, qui volunt Deum cognoscere creaturas non eodem actu, quo cognoscit essentiam; sed veluti duobus actib⁹ ratione distinctis; ita vt cognitio, qua Deus, & se ipsum cognoscit, & creaturas in se, realiter quidem sit vna, distincta tamen virtute penes distinctas tendentias ad illa distincta obiecta. Cuius opinionis meminit Suarius lib. 9. de Trinitate c. 6. n. 11. Eodem igitur modo intelligi potest beatos cognoscere essentiam, & creaturas vna realiter visione, virtute tamen, & sola ratione pluribus: ita, vt vicẽ habeat duorum actuum sola ratione distinctorum.

Suarius.

2. Hic intelligendi modus nullam in se includit impossibilitatem, nullamque repugnantiam. Vnde eum non carere probabilitate libenter admittit idem Suarius lib. 3. de attributis positiuis c. 2. n. 13. Vtrùm verò de facto sit admittẽdus? inferiùs expẽdemus; modo enim solùm expendimus possibilitatem eius. Quare sicut vna, & eadem visio beatifica virtute est simplex, & complexa: apprehensiua, & iudicatiua: speculatiua, & practica, vt diximus lib. 4. ita vt quatenus est simplex apprehensio sit actus alius ratione distinctus à se, vt est notitia complexa; & simili modo, vt est notitia apprehensiua sit actus ratione distinctus à se ipsa, vt est notitia iudicatiua; ita etiam vt terminatur ad creaturas potest esse actus ratione distinctus à se, vt terminatur ad essentiam. Nec video, vnde iste intelligendi modus habeat implicationem.

Suarius.

ARTICVLVS III.

Num possibile sit essentiam, & creaturas intra ipsum Deum videri actu, re, & ratione vno?

1. Pars affirm.

TErtio loco expendendum est; an implicet essentiam, & creaturas intra ipsum Deũ videri vno actu, qui re, & ratione sit vnus? Pars affirmãs cõmuniter tribuitur Nominalib⁹; quasi velint fieri nullo modo posse, vt essentia & creaturæ vno, & eodem actu videantur in Deo. Ita sensisse Nominales plerique ex Nouioribus affirmant; & inter eos Suarius lib. 2. de attributis negatiuis c. 25. n. 6. & antea id docuerat 1. tom. ad 3. p. disp. 26. sect. 3. post principium, §. *Vt respondeamus.* Eisdem etiam imponit Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 4. n. 37. pag. 257. Quorum auctoritate à Nouiorib⁹, qui auctores in fonte non legentes allegationibus inuentis sunt contenti, hæc opinio communi consensu Nominalibus tribuitur.

2. Hæc sententia falsò imponitur Nominalibus.

Sed profectò non possum non admirari, quòd Theologi doctissimi Nominalibus hanc sententiam imponant, cũ ex eisdemmet locis, quos citant, manifestè constet Nominales oppositam sẽtentiam docuisse. Et vt incipiamus ab Ochamo; ille in 4. q. 13. art. 3. (in quo citatur) lit. D. in 4. dicto. his verbis scribit: *Quarto dico, quòd actus beatificus potest esse idem respectu essentiæ diuinæ, & creaturarũ.* Nec oppositum vnquam Ochamus simpliciter asseruit. In hoc tamen auctores illi fortè decepti sunt, quod in citato loco in primo dicto Ochamus negat Scoto posse dari vnũ actum essentiæ, & creaturarum; ita vt idem numero manens modo sit essentiæ, & creaturarum, modo solius essentiæ. In quo sensu Ochamus in eadem quæstione art. 2. litera C. §. *& quantum ad istum articulum*, & inferiùs §. *contra istum primò*, impugnauit Scotum; quę

Ochamus.

tamen quæstio est longè diuersa, vt suo loco videbimus. Quare Ochamus non absolutè negat dari posse vnum actum, vnamque visionem essentiæ, & creaturarum; sed in hoc tantùm sensu, vt ipsa numero visio modo sit visio solius essentiæ; modo essentiæ simul, & creaturarũ: bene tamen admittit vnam numero visionem vtriusque obiecti, dummodò in eàdem semper permaneat naturali repræsentatione.

3. Cum Ochomo cæteri omnes Nominales vno consensu conueniunt; etiam, qui pro opposita sententia referuntur.

Gabriel. Nam Gabriel citatus in 3. d. 14. q. vnica ar. 1. post 5. opinionem litera G. in 2. corollar. ita scribit: *Potest etiam creare Deus vnum actum, quo videatur Verbum, & aliqua creatura, vel plures.* Et statim: *Ergo intellectus vna visione in eo creata potest videre intuitiuè Verbum, & creaturam, vel creaturas.* Imò idem Gabriel in canone Missæ lectione 31. litera F. expressè docet de facto beatum videre vna visione essentiã, & creaturas. Almainus etiam citatus in oppositam sententiam contra eam verbis expressis docet in 3. d. 14. q. 1. fol. 35. col. 1. in fine ita inquiens: *Deus, cum videtur Verbum, potest infundere vnam visionẽ creaturæ in Verbo, quæ nullo modo erit Verbi: & potest infundere vnam notitiam creaturæ in Verbo, quæ simul erit Verbi. Sicut apud Ochamũ aliquando vnico actu diligitur Deus, & creatura, aliquando distinctis actibus: ita stat, quod videatur Verbum, & creatura in Verbo eàdem visione.* Et statim addit: *quia illa notitia ita erit Verbi, & creaturæ, vt semper sit notitia vtriusque, nec possit non manere, quin vtriusque sit notitia.* Aliacus etiam eandem sententiam declarat in 1. q. 12. art. 3. Et manifestiùs Adamus in 2. q. 8. art. 2. col. 2. in principio in hæc verba: *Ad primum argumentum in oppositum concessi, quod per eundẽ actum potest cognosci Verbum, & aliud à Verbo.* Et inferiùs col. 3. fatetur hoc esse possibile. In eàdem sententia est Supplemẽtum Gabrielis in 4. d. 49. q. 3. art. 2. pag. 722. col. 1. & 2. vbi ad literam refert sẽtentiam Ochami, ex qua nonnulla infert corollaria, & in fine primi, pag. 724. col. 1. admittit posse beatum producere aliquam visionem intellectiuam, qua videat Verbum, & creaturas. De Ioanne Maiore poterat esse dubitatio; quia in 3. d. 14. q. 3. in 2. concl. expressè asserit Verbum, & creaturam non videri eadẽ visione: sed si expendatur solutio ad 1: immediatè posita, planè intelligetur in hoc sensu conclusionem intellexisse, vt vna, & eadem visio, quæ est solius Verbi, non possit esse visio creaturæ: non negat tamen, sed concedit potius dari posse vnam visionem, quæ simul sit Dei, & Virginis; ita vt vna, & eadem notitia repræsentet vtrunque obiectum copulatum.

4. Aliacus. Adamus. Supplemẽt.

Ex quibus (ni fallor) satis euidenter patet opinionem negantem falsò imponi Ochamo, Gabrieli, Almaino, Maiori, Aliaco, cæterisque Nominalibus: nam quanuis fortè putent essentiam, & creaturas vna visione de facto non videri, sed pluribus, de quo inferiùs: de possibili tamen id non negant; sed affirmant potius, non solùm, vt probabile, sed vt certum: quia (vt inquiunt) nulla inde sequitur implicatio. 5.

6. Bellomontanus rem facit dubiam.

Vnus est Bellomontanus, qui id fecit aliquo modo dubitabile. Nam 1. p. disp. 30. c. 7. n. 44. §. *ego verò probabiliorem* non vt certum id tradidit, sed vt probabile tãtùm: quanuis enim putet fieri non posse, vt creaturæ videantur in essentia, vt in obiecto viso, medioque videndi eas; tamen putat probabiliter defendi posse creaturas simul cum essentia posse videri eàdem visione; eo modo, quo Angelus eàdẽ specie, & notitia immediatè videt plura. Sed quidquid Bellomontanus sub dubio loquatur; non puto dubitandum esse id factu esse possibile: quæ enim implicatio fingi potest? Quare id tanquam certum probauere Nominales omnes, quos iam citauimus. Cum illis consentit Suarius libro secundo de attributis negatiuis cap. 25. numer. 3. 4. & 5. & satis id significauit libro tertio de attributis positiuis cap. 2. numero 2. cum sequentibus, & lib. 9. de Trinitate cap. 6. nnm. 8. 11. & 14. & iam id docuerat 1. tom. ad 3. part. disput. 26. section. 3. §. *Vt respondeamus*, pagina 522. colum. 2. Et est inter omnes ferè Theologos receptissima opinio; quia ferè omnes fatentur creaturas in Deo videri vna, & eàdem visione cum diuina essentia, vt suo loco videbimus. Suarius.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm possibile sit creaturas cum essentia intrà Deum videri vna visione immediatè, & primò in vtrunque obiectum terminata?

1. CONstituimus fieri posse, vt creaturæ simul cũ diuina essentia vno actu videantur: consequenter est inquirendũ, quomodò intrà ipsum Deũ vno actu videri possint: etenim multis modis intelligi potèst id esse possibile, vt iam diximus. Et primò quidem modo intelligi potest id fieri posse; si nimirum ille vnus actus immediatè, & æquè primò terminetur tum ad essentiam, tũ ad creaturas. Huic concipiendi modo occasionem dedit cõmunis opinio Thomistarum, quæ docet Angelum per vnã speciem vniuersalem vno, & eodẽ actu plura intelligere; ita vt vno actu immediatè, & æquè primò ad plura terminetur: v.g. ad naturã hominis, leonis, equi, & aliarum rerum, quarum quanlibet in hoc sensu immediatè intelligit, quia nullam intelligit mediante alia. Potest igitur inquiri, an diuina essentia cum creaturis vna visione possit in hoc sensu videri, vt visio, & in essentiam, & in creaturas immediatè, & primò terminetur, ita vt essentia non concurrat, vt mediũ ad videndas creaturas, sed ipsæ immediatè illa ipsa visione videantur.

Angelus vno actu plura intelligit

§. 1.

Refertur opinio negans.

2. NOn conueniunt Theologi. Quidam putant talem visionem esse simpliciter impossibilẽ. Ita Suarius lib. 2. de attributis negatiuis c. 25. n. 50. & satis id explicauerat 1. tom. ad 3. p. disput. 26. sect. 3. §. *Circa hoc verò dico*, pag. 522. col. 2. & pag. 523. col. 1. & citat pro hac opinione Henricum quodlib. 9. q. 25. sed ibi nec verbum de hoc scribit: cum eo tamen consentit Salas ad 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 4. n. 55. pag. 267.

Opinio negans. *Suarius.* *Henricus.*

3. Hæc sententia primò confirmatur; quia iste intelligẽdi modus in Deo, quatenus se ipsum, & creaturas intelligit, censetur impossibilis à D. Thom. 1. cõtra Gent. c. 48. in 2. ratione, & à Ferrariensi ibidem cum Durando in 1. d. 35. q. 1. n. 14. à fortiori igitur impossibilis censendus est in beatis.

1. ratio.

4. Secundò id probatur ratione, qua D. Thomas, Ferrariensis, & Durandus probant hunc dicendi modum in Deo esse impossibilem; quoniam impossibile est vna intellectione multa simul intelligere; quia vna actio ad plures terminos non potest immediatè, & æquè primò terminari.

2. rat.

5. Tertiò; quoniam visio per se sumit speciem ab obiecto. Igitur non potest tendere in plura, nisi quatenus illa conueniunt in aliqua vna ratione obiectiua sub ratione intelligibilis. At nulla excogitari potest, in qua Deus, & creatura conueniat, à qua visio illa sumat speciem. Ita Suarius in d. c. 25. n. 50. & Salas vbi suprà n. 58. pag. 268.

Tertia.

6. Quartò; quia plura obiecta non attinguntur vno, & eodem actu, nisi quia vel in ratione obiecti cogniti habent inter se connexionem; vel quia per eãdem speciem intelligibilem repræsentantur. Si priori modo; iam illa plura non attinguntur immediatè, sed vnum mediante alio. Posteriori modo id fieri non potest in beato: quoniam essentia diuina, licet ratione sui ipsius suppleat vicem speciei; tamen respectu creaturarum non habet vicem speciei intelligibilis immediatè efficientis cognitionem earum in se ipsis, quasi sit ratio; aut medium incognitum, vt Philosophi loquuntur; quia iste modus concurrendi ad cognitionem alterius est imperfectus. Deus autem non continet creaturas illo imperfecto modo, sed eminẽter, vt perfecta caussa earum: & ideo licet Deus possit supplere efficientiam speciei intelligibilis; non tamẽ hoc potest per modũ obiecti, nisi respectu sui ipsius; respectu verò aliorum tantùm per modum caussæ supplentis efficientiam caussæ secundæ; ita vt effectus fiat sine illa. Hæc ex Suario in d. disp. 26. sect. 3. pag. 523. col. 1. litera B.

Quarta.

7. Quintò; quoniam illa visio, qua æque primo essentia, & creaturæ viderentur, vel in se esset omnino indiuisibilis, quæque primo attingeret vtrunque obiectum; vel esset composita ex partibus realiter distinctis, quarũ altera repræsentaret essentiam, altera creaturas. Neutro modo id fieri potest. Quod non possit

Quinta.

posit visio illa esse composita ex diuersis partibus, latè ostendit Suarius in d. c.25.nu.46. & latiùs in d.disp.26. sect.3. pag. 525. col. 2. §. *quod in hunc modum declaro*, & disp.39.sect.2. pag.756. col.1. litera A. Quod verò illa visio non possit immediatè repræsentare creaturas, si admittatur esse indiuisibilis, latè probat idem Suarius locis citatis ex 3.p.& in d.c.25.nu.49. & cum eo Salas, vbi suprà n.56. & 57. Hæc sunt huius opinionis argumenta.

§. 2.

Ponitur vera opinio.

8. Vera opin. QVod tamen in illo intelligendi modo nulla detur implicatio, aut impossibilitas, agnoscit Bellomont. 1.p.disp.150. c.7.nu.44. & satis *Bellomont.* Nominales, dum volunt, vnam illam visionem æqualiter terminari ad essentiã, & creaturas tanquam ad vnum obiectũ copulatum, aggregatumq; ex vtroque. *Henric.* Nec longè abest ab hac sententia Henricus quodlib.7. q.4. vbi hanc opinionẽ quoquo modo tangit, nec tamẽ reijcit, vt impossibilem, sed vt minus probabilem. Quod etiam est nostrum iudicium, si solùm sit sermo de sola possibilitate, quidquid sit de facto: nec enim video, vnde sumatur impossibilitas.

2.ratio. Deinde ex eo mihi fit probabilis; quia idem Suarius lib.3. de attributis positiuis cap.2. n.13. hunc dicendi modum in Deo fatetur esse probabilem; quanuis alium admittat, vt longè probabiliorẽ. Quòd si iste dicendi modus in Deo est probabilis; non video, cur in beatis iudicandus sit impossibilis.

9. 3.ratio. Tertiò, illius probabilitas non inefficaciter fundari potest in opinione Thomistarum, qui volunt Angelos superiores vnico actu, & æque primò cognoscere plures quidditates. Ex hoc enim infertur non esse simpliciter impossibile vnum actum æque primò terminari ad plura obiecta, quando per vnam, & eandem speciem intelligibilem æque 1. repræsentantur. Sed de hoc plura ad 2. argumentum.

Vltima. Denique satis corroboratur possibilitas huius dicendi modi ex eo, quòd impossibilitas illius non satis euincitur per ea, quæ in oppositum adducuntur, vt patebit ex solutionibus eorum.

§. 3.

Soluuntur argumenta in contrarium.

AD primum admittimus D.Thomã, Durandum, & Ferrariensem illius fuisse sententiæ quod attinet ad modum, quo Deus se ipsum, & creaturas intelligit. Et licet hoc satis sit, vt sententia non satis sit probabilis propter D. Thomæ auctoritatem, quæ non potest non esse maxima; tamen non est satis, vt dicatur impossibilis: maximè, cum fũdamentum non conuincat impossibilitatem, vt patebit ex solutione 2. Vnde Suarius hunc dicendi modum in Deo fatetur esse probabilẽ, vt iam diximus. Et licet in Deo foret impossibilis; non proinde deberet cẽseri impossibilis in beatis propter rationem longè disparem, quæ reperitur in naturali modo, quo Deus se ipsum cognoscit, quomodò non oportet cognosci à beatis. 10. Ad 1.

Ad 2. respondetur medium assumptũ satis esse incertum, vt Salas nobis aduersarius libenter agnoscit in d. nu.55. pag.267.col.1.ad finem. Imò de veritate illius est tota controuersia. Nominales enim propositionem illam simpliciter negant; & negandam esse apud Thomistas efficaciter ostẽditur ex eo, quod Angelus apud eos æque primò intelligit plures quidditates sibi per vnam speciẽ repræsentatas. Non est igitur impossibile plura immediatè, & æquè primò intelligi vna, & eadem intellectione. 11. Ad 2.

Nec satis vim huius rationis elidunt aduersarij, dum aiunt Angelum id habere in ordine ad ea, quæ sunt sibi inferiora, quorum intelligibilitatem excedit vis intelligendi ipsius Angeli superioris: id tamen non habere locum in Angelis inferioribus respectu superiorum: inferior enim Angelus non potest cognoscere superiores vna specie, & vno intuitu. Ideò quia virtus eius non adæquat, nec exhaurit totam cognoscibilitatem, quæ est in Angelo superiori. In præsenti autem (vt aiunt) visio diuinæ essentiæ, est visio supremi obiecti, quod superat virtutem cuiuscũq; cognoscentis creati. Ergo non est (inquiũt) cur respectu talis obiecti fingamus visionem vniuersalem, quæ æque primò, & principaliter comprehendat tale obiectum, & creaturas. Ita ad nostrum fũ- 12. Responsio.

damen-

damentum respondet Suarius in d.cap. 25. n.49. & post eum Salas vbi suprà n. 57.pag.258.col.1.

13. Non admittitur responsio.

Sed hæc responsio non tollit vim argumenti; quoniam instantia à nobis allata ideo adducitur, vt probemus propositionem in argumento sumptam falsam esse, si generaliter sumatur; quia Angeli vno, & eodem intuitu æque primò intelligunt plura, non ob aliam rationem, nisi quia per vnam, & eandem speciem æque primò, & principaliter sibi repræsentantur; ita vt vnum non repręsentetur mediãte alio. Igitur si essentia diuina, & creaturæ ęque primò, & principaliter repræsententur beato, cur nõ poterit beatus vno intuitu vtrunque illud obiectum æque primò videre? Et inde intulimus generaliter loquendo non esse impossibile plura eodẽ intuitu æq; principaliter videri; quia id non est impossibile, si illa plura per vnam, & eandem speciem ęque primò, & principaliter repræsententur. Hæc est nostra solutio ad 2. argumẽtum. Cui nihil obstat id, quod adducitur de Angelo inferiori respectu superioris; quia in illo ideo id reperitur; quoniam species Angeli inferioris, naturaliter est inferior in repræsentando superiores Angelos: nam si illos repræsentaret, vtique vnicus intuitus Angeli inferioris ad illos etiam æq; primò terminaretur. Essentiam autem diuinam esse obiectum supremũ solùm concludit illam superare omnem naturalem virtutẽ cuiuscunque creati cognoscentis; non tamen probat eam absolutè, & omnibus modis superare omnẽ virtutem cognoscentis creati; aliàs nõ posset intellectus creatus ad eã eleuari. Nos autem supponimus intellectũ creatum non modo eleuari posse ad illius visionem; sed etiam posse eleuari, vt ipsa diuina essentia sit illi species intelligibilis æque primò, & principaliter repręsentans essentiam, & creaturas. Id autem implicare non satis probat medium assumptum: quia respondemus nõ esse simpliciter impossibile plura ęque primò videri vno intuitu, quando æque primò per eandem speciem repræsentantur. Quod si instes esse impossibile per vnam, & eandem speciem plura ęq; primò repręsentari; id negandum erit; quia datur manifesta instãtia in specie Angelorum. Quod si dicas implicare diuinam essentiam beato vniri isto modo in ratione speciei intelligibilis; id probandum erat, cum de hoc sit tota controuersia.

Propria solutio secundi.

14. Ad 3.

Ad 3. dicimus rationem efficacẽ quidem esse, sed non omnino conuincere, vt possit demonstratio appellari. Quod multis ostendi potest. Et primò; quia propositio maior non est omnino certa; etenim plures ex Thomistis docent speciem vniuersaliorem in Angelis repręsentare plures quidditates nõ quatenus conueniunt in vno cõmuni, quod primò, & adęquatè repręsẽtetur, & ideò eas repræsentare æque primò, & æquè immediatè: & subinde negant speciem vniuersalem in Angelis habere vnum obiectum primum, & adęquatum, quod sit ratio repræsentandi quidditates sub illo contentas. Quę fuit opinio Capreoli in 3.d.3. q.2.ar.3. ad 1.Scoti contra 7. & ad 2.Aureoli contra eandem fol.101. col.2.& 4. Probauit Soncinas 12.Metaphys.q.60. ad 3. Putat id esse probabile Ferrariensis 2.contra Gentes cap.98.§. *Ad euidentiam eorum, quæ contra tertiam,* & olim id probauit Doctor Peres de Societate in 1. p. q.55. art. 3. Quin potius non defuerunt, qui docuerint fieri nequaquam posse, vt species vniuersalis in Angelis primò, & immediatè repræsentet aliquam communem naturam, communemvè rationem; ita sensisse nõnullos, affirmat Banhes 1.p. q.55. art. 3. ad 1. argumentum, pag. 1592. Quod si species Angeli non repræsentat plura, vt conueniunt invna ratione obiectiua, sed immediatè, & ęque primò repręsentat plura, vt hi Auctores volunt; cum Angelus vno intuitu videat plura, quæ per eandem speciem repræsentantur; non necesse est, vt visio ad plura terminetur sub vna communi ratione obiectiua, vt maior argumenti tanquam indubitatum supponit.

Capreol. *Soncinas.* *Ferrarien.* *Banhes.*

15. 2.solutio.

Secundò; quanuis maior admittatur, ita vt necesse sit plura illa conuenire in aliqua vna ratione (quæ est verior, & communior opinio) non tamen necesse est, vt conueniant in vna ratione obiectiua incomplexa; sed satis est vna ratio complexa obiecti copulati, vt volũt Nominales; vel (si hoc non placet) non necesse est, vt plura illa conueniant in

vna

vna ratione vniuoca; sed satis est, si cõueniant in aliqua ratione analoga. Id, quod in speciebus Angelorum probauit Cumelius in d.q.55. ar.3.q.1.ad 3.& 5.argumentum, & q.2. ad 3. & q.3. dub. 1.§.*Quarto sequitur*,& dub.2.propositione 2. & dub. 4. ad finem, quam sententiam esse probabiliorem putat Banhes ibi ad 1.argumentum, pag. 1594. Nec potest hæc sententia non probari ab illis, qui putant posse dari Angelum, qui res omnes creatas intelligat per vnam speciẽ; quæ fuit opinio Caietani in d. q. 55. ar. 3.quam etiam probat Cumelius in d. q. 3.dub.1.& 3.& est communis inter Thomistas. Iam verò hæc vna species non potest non repræsentare plura sub analoga ratione entis. At ratio communis analoga bene datur inter Deum,& creaturas; non solùm in genere entis, prout Deus, & creaturæ sumuntur in proprio genere, vt omnes fatentur; sed etiam, vt creaturæ sunt eminenter in Deo. Quare vt per diuinam essentiam in ratione speciei intelligibilis Deus, & creaturæ æque primò repræsententur; satis est, quòd conueniant in vna ratione diuini esse, non quidem formaliter, sed participatiuè, vt colliges ex Ferrariensi in d. c.46. §. *Sed quia, vt diximus.* Quare nec secunda ratio omnino conuincit impossibilitatem in hoc dicendi modo.

Cumelius. *Banhes.* *Caiet.* *Cumel.* *Ferrarien.*

16. Ad 4. dicendum est ideò vnam visionem posse immediatè terminari ad essentiam, & creaturas; quia illa obiecta possunt per diuinam essentiam æque 1. repræsentari, vt hæc opinio supponit. Ad cuius impugnationem negãdum est essentiam diuinam non posse subire rationẽ speciei intelligibilis respectu creaturarum: oppositum docent communiter Theologi, & inter eos Capreol.in 3.d.14.q.2.art.3.ad 5. Hibernici contra 2.fol.70.col.1.in fine, & col.3.in principio: sicut enim subit rationem speciei respectu sui; ita etiam respectu creaturarum, & sub ea ratione vnitur intellectui beati: non quidem supplendo vicẽ alicuius speciei creatæ; quia hæc fortè non est possibilis, aut respectu essentiæ, aut respectu creaturarum in essentia. Subit igitur rationem speciei, vt constituat intellectum beati in actu primo ad intelligendum essentiam, & creaturas in essentia: nec enim intellectus beati

Ad 4. *Capreol.*

potest esse in actu primo respectu alicuius intelligibilis, nisi prius fiat ipsum intelligibile, vt ex Aristotele alibi docuimus. Igitur cum non possit dari species creata habitualiter repræsentans diuinam essentiam, & creaturas in ea; opus est, vt essentia diuina vniatur intellectui beati ad modum formæ veluti habitualiter repræsentantis se ipsam,& creaturas;& vt sic solùm habet rationem signi formalis, de cuius ratione est, vt non visum in se ducat intellectum ad cognitionem obiecti repræsentati. Vnde cõcurrere, vt rationem formalem non visam, nullam dicit imperfectionem: nam id necessariò admittendum est in ipsa essentia, quatenus respectu sui subit rationem speciei; vt sic enim non visa principiat visionem sui ipsius.

Quin potius, vt principiet visionem sui, opus est, vt sit non visa, alioquin videretur, antequã primò videatur; quod est impossibile. Quare sicut nulla est imperfectio essentiam non visam principiare visionem sui: ita nulla erit imperfectio, si ipsa non visa principiat visionem creaturarum in ipsa: id enim postulat natura speciei intelligibilis,&ei°, quod subit rationem speciei. Et quia iste est naturalis ordo; ideo nostro intelligendi modo ita in Deo philosophamur, dum illum intelligimus, vt intelligentem se,& creaturas in se: etenim diuina essentia, prout diuino intellectui subit vicem speciei intelligibilis, vt sic non visa concipitur ad modum principiantis intellectionem sui ipsius. Ideo autem diuina essentia sibi vendicat posse esse formam intelligibilem creaturarum per modum speciei; quia in se eminenter continet ipsam creaturarũ realitatem. Nam sicut ad formalem realitatẽ sequitur formalis intelligibilitas; quia quod est, est intelligibile: ita ad entitatem eminentialem consequitur intelligibilitas eminentialis. Quę verò vlteriùs adducuntur ad rem non faciunt.

17.

§. 4.

Solutio quinti argumenti.

18. Ad 5. AD quintum argumentum admittendum est visionem illam esse indiuisibilem, & in sua indiuisibilitate æque primò attingere vtrũque obiectum

iectum essentiam scil. & creaturas: nec enim ex hac indiuisibilitate probabiliter inferri potest aliqua impossibilitas: vnde idem Suarius in d.c.25. n.49. fatetur impossibilitatem difficilius inde inferri, quàm inferretur, si visio illa admitteretur composita. Nec quæ in cõtrarium obijciuntur, vllam, vel apparẽter, inferunt impossibilitatem, vt facilè patebit, si quæ obijciuntur, singulatim expendamus.

Suarius.

19. Obiectio 1. Occurritur

Obijciunt primò; quia sine caussa fingitur huiusmodi visio. Respondetur si de facto poneretur in beatis, forte sine caussa poni. At possibilitas illius non sine caussa à nobis astruitur: quia, vt possibilitas rei non sine caussa admittatur, satis est, quod inde nulla impossibilitas inferatur: etenim Lucæ 1. *Non est impossibile apud Deum omne Verbum.*

20. Obiectio 2. Occurritur 1.

Secundò obijciunt; quia illa visio per se non confert ad beatitudinem; ideo quia creaturæ per se non beatificant. Respondetur primò inde non benè inferre impossibilitatem; sed solùm inferre non esse decens hunc dicendi modũ de facto admitti. Quod concedimus.

Occurritur 2.

Respondetur secundò; creaturas quidẽ visas in diuina essentia præcisè visione sui non facere beatum; supponere tamẽ ipsam eandem visionem esse beatificã, prout terminatur ad essentiam: etenim cum in Deo, & intra Deum videantur, non possunt videri, nisi simul vna, & eàdem visione videatur Deus.

21. Obiectio 3.

Tertiò obijciunt; quia si solùm cognoscuntur cõcomitanter cum essentia, inde non creseeret visio Dei; nec per visionem omnium creaturarũ bene argueretur comprehensio Dei.

Occurritur

Respondetur nec hoc argumentum simpliciter arguere impossibilitatẽ; sed solùm arguere in hac visione non cerni eas conditiones, quę de facto reperiuntur in visione, qua beati in Deo vident creaturas. Deinde dicim⁹ ex hac visione creaturarum optimè argui posse tum intensiorem visionem diuinæ essentiæ, si plures creaturæ videantur: tum comprehensionẽ illius, si videantur omnes possibiles: nec enim ad hoc opus est, vt creaturæ videantur mediante essentia, vt visa. In quo latet deceptio; nam quò diuina essentia subiens vicem speciei intelligibilis intensiùs repræsentat beato ipsam essentiam; eò etiam plures creaturas repræsentat immediatè in se ipsis: nã essentia diuina, vt est species, quò intensiùs repræsentat diuinas perfectiones, simul etiam clariùs, & intensiùs repræsentat perfectionem continentiæ eminentialis, quę formaliter est in Deo. At, quò diuina essentia intensiùs repræsentat hanc eminentialem perfectionẽ; eò plures creaturas repræsentat; non quidèm videndas in ipsa perfectione eminẽtiali visa, sed immediatè in se ipsis. Quid enim id continet implicationis? Quare si omnes creaturas possibiles repræsentat; vtique ipsam eminentialem continentiam totaliter repræsentat: quod sine comprehensione diuinæ essentiæ dari non potest.

22. Obiectio 4.

Postremò obijciũt; quia si visio creaturas ipsas immediatè attingit, & concomitanter; iam creaturæ non videntur per Deum, & in Deo: cuius oppositum supponimus. Hæc instantia in eo claudicat; quia non distinguit inter videre creaturas in Deo, & eas videre in Deo, vt viso: cum tamen inter hæc duo maximè differat. Nam videre creaturas in Deo, vt viso, idem est, quòd eas videre mediante visione essentiæ, & in ipsa essentia. At videre eas simpliciter in Deo, idem est, quòd videre eas repræsentatas per essentiam, vt habet rationem speciei intelligibilis. Nunc autem contẽdimus diuinam essentiã posse immediatè creaturas repræsentare, & per solam concomitantiam; quanuis non repræsentet eas in Deo, vt viso. Et hæc satis diximus de isto modo videndi creaturas.

Occurritur

ARTICVLVS V.

Explicatur alius modus, quo essentia, & creaturæ vno actu immediatè in se ipsis possunt videri.

1. Secundus modus explicatur.

SEcundo modo intelligi potest essẽtiam, & creaturas vno actu in se ipsis immediatè videri, quem nõnulli explicarunt in cognitione Dei, qua se ipsum, & creaturas cognoscit, vt refert lib. 3. de attributis politiuis c. 2. n. 12. 13. & 14: ita enim de cognitione Dei theologizant, vt intellectus diuinus cõstitutus in actu primo intelligendi per

suam essentiam, tanquam per speciē intelligibilem (quatenus se ipsum formaliter, & creaturas eminenter continet) prius ipsam essentiam cognoscit, deinde creaturas; nō in ipsa essentia, vt cognita, sed immediatè in se ipsis: ita vt nō æquè principaliter, & primò videantur creaturę, & essentia; quia Deus in se ipso prior est cognitione; sed quasi æquè primò, & ęque cōcomitanter; ideò, quia creaturas non videt in se ipso, vt in obiecto primario, sed immediatè in ipsis creaturis. Iste modus dicendi in hoc distinguitur à præcedenti; quia in præcedenti vtrunq; obiectum æquè primò; & ęque concomitanter per diuinam essentiam repræsentabatur; in hoc verò non omninò ad æqualitatem, nec cum omnimoda concomitantia, sed cum aliqua prioritate, aliquaq; præsuppositione vnius ad alterum. Hūc sensum in hac opinione habuisse illius auctores colliges ex Suario in d.c.2. pag.231. col.1. in fine. Explicationem verò; quomodò id fieret, colliges ex eodē ibi n.14: etenim essentia diuina ex sua actualitate in essendo primò repræsentat se modo quodā actualissimo, & absolutissimo; & inde habet, vt creatura directè, & immediatè repræsentet. Itaq; diuina essentia non posset repræsentare creaturas isto modo, nisi prius secūdùm rationem intelligeretur repræsentare se ipsam: at tamen non repræsentat illas media diuina essentia, vt medio cognito; sed immediatè in se ipsis.

Suarius.

Hæc theologizādi ratio applicari facilè potest ad modum, quo beatus cognoscit essentiam diuinam, & creaturas. Etenim cōstitutus in actu 1. per diuinā essentiam, vt per speciem supereminentem in repræsentando prius ipsi beato repræsentat ipsam essentiam, & consequenter repræsentat creaturas, non in ipsa vt visa, sed immediatè in se ipsis.

2.

Hunc dicēdi modum in Deo non carere probabilitate testatur Suarius in dicto cap. 2. num. 13. quanuis non satis illum probet. Quare nec ego illum in beato reijciam, vt impossibilem: nec enim video, cur impossibilis censeri debeat. Admittimus quidem illum non esse necessarium, vt ratio Suarij satis probat, & inferiùs ostendemus: impossibilitatem tamen non admittimus; quia argumenta in contrarium facilè solui possunt.

3. *Suarius.*

Primò obijcitur contra illum, quia scientia, quę habet creaturas pro obiecto immediato, & directo, deficit à summa perfectione: tum; quia talis scientia per se sumpta non potest esse omni ex parte perfecta, & comprehensiua illarū rerum secundùm capacitatem earū, tā naturalē, quàm obedientialem. Tū etiā; quia talis scientia solet dicere transcēdētalem habitudinem ad suum obiectū, & ab illo speciem aliquo modo sumere. Respondetur obiectionem istam locum non habere in beato, cuius scientia etiā beata non est omnimodè perfecta, nec comprehensiua. In Deo autem nihil cōcludere: quia scientia, quę directè, & immediatè terminatur ad creaturas in proprio genere, & per proprias species, nō est omnibus modis perfecta, & cōprehensiua illarum: secus dicendū est, si per speciem increatam, & supereminentem in repręsentando immediatè, & directo terminetur ad creaturas. Nam cum illa sequatur ex actualissima, & absolutissima repræsentatione comprehensiua diuinę essentiæ, comprehēdet etiam ipsas creaturas in ea eminenter contentas. Nec oportet, vt ad eas habeat ordinem transcendentalem, sed rationis tantùm.

4. Obiectio 1.

Respōsio.

5. Obiectio 2.

Secundò obijcitur: quia modus iste sciēdi creaturas, non videtur Deo sufficere: nec enim isto modo satis explicatur, quomodò illa sciētia sit omnino cō prehensiua Dei, & creaturarū secūdùm omnes respectus, qui inter illa extrema intelligi possunt. Respondetur nec istā instantiam militare contra beatū: nec in Deo conuincere impossibilitatē, etiā si ille solus dicēdi modus in Deo poneretur. Quoniam cum diuina essentia, vt Deo est species intelligibilis, adæquatè repręsentet omnē eminentē, & virtualē continentiam diuinæ imitabilitatis, & participabilitatis, qua Deus est participabilis à creaturis, exinde habet, qđ adæquatè repręsentet, & comprehensiuè omnes respectus, qui inter creaturas, & essentiam intelligi possunt.

Respōsio.

6. Obiectio 3.

Tertiò obijcitur; quoniam iste dicēdi modus non constituit diuinam sciētiam per supremum medium, & caussā, per quam esse potest. Respondetur hoc argumentum simpliciter non probare impos-

Respōsio.

impossibilitatem, sed solùm nõ esse admittendum, quod fortè intẽdunt huius instãtiæ auctores. Immò nec hoc ipsum conuincere; quia auctores illius, fortè putant impossibilem esse alium dicendi modum. Sed nostrum modò non est examinare hunc articulum, sed hunc dicẽdi modũ liberare ab impossibilitate.

7. Obiectio 4. Quartò obijcitur; quia iste dicendi modus auget sine necessitate obscurissimam quandam Theologiæ difficultatem circa scientiam, & volũtatem Dei; quomodò scil. liberè terminetur ad obiecta creata sine vlla reali modificatione, seu perfectione nostro intelligendi modo superadditaDeo. Immò hic dicẽdi modus supponit idẽ reperiri in sciẽtia necessaria creaturarum possibiliũ, si nec illam haberet Deus sciendo se ipsum, nec tanta necessitate, quanta se cognoscit. Hoc argumentum à nonnullis putatur difficile. Ego tamen non video, quomodò iste modus dicendi augeat prẽfatam difficultatem: etenim eadem difficultas etiam manet, si dicam⁹ creaturas videri à Deo in se ipso, vt viso: nam cum illa visio terminetur ad creaturas visas in eo; semper manet difficultas non satis extricata; quidnã addat illa terminatio, & extensio. Quòd verò ista extensio fiat in essentia obiectiuè visa; vel non, parum facit ad augẽdam, vel minuẽdam allatã difficultatẽ.

Responsio.

8. Obiectio 5. Quintò obijcitur; quoniã posito hoc dicendi modo scientia simplicis intelligentiæ creaturarũ solùm supponit sciẽtiam repræsentantem essentiam secundum suum esse increatum. Ergo ex vi huius repræsentationis non habet necessariam connexionem cum repręsentatione creaturarum, nec est quasi imago repræsentationis illarum. Igitur non potest intelligi, quod extendatur ad repræsentandas creaturas sine vlla reali perfectione ratione distincta à priori.

Responsio. Respondetur consequentiã prioris discursus esse negandam; quoniam apud auctores huius opinionis ipsa actualissima repræsentatio eminentialis continentiæ creaturarũ, & imitabilitatis diuini esse necessariam habet connexionẽ cum repręsentatione creaturarum, quę diuinum esse possunt participare. Et inde habet illa supereminens species, vt repræsentando esse imitabile diuinæ essentiæ, simul etiam rèpræsentet ipsum esse, vt participatum à creaturis: nam ob hanc rationem videntur creaturę in essentia, vt cognita, sicut dicemus. Quare id, quod aduersarij dicunt de visione creaturarum in essentia, vt obiecto cognito; dicunt hi auctores de repræsentatione essẽtię, vt est species intelligibilis.

9. Obiectio 6. Postremò obijcitur; si hæc repræsentatio creaturarũ nullo modo oritur ex repræsentatione prioris obiecti, nec est per se connexa cum illa, quantum est ex parte obiectorum; gratis, & sine ratione dicitur ita esse dependentem à priori, quod non possit illa scientia intelligi repræsentans creaturas, nisi prius repræsentet Deum.

Responsio. Respondetur ex solutione obiectionis præcedentis, iam colligi argumentum hoc procedere ex falsa suppositione: etenim repræsentatio creaturarum per se oritur ex repręsentatione prioris obiecti, & per se est cõnexa cum illa; ita vt ęquali ferè necessitate vtrunque obiectũ repræsentet per modum veluti vnius cũ subalternatione obiecti repræsentati primariò, & secundariò. Et hæc de isto dicendi modo.

ARTICVLVS VI.

An possibile sit creaturas cognosci à beato in essentia, vt obiecto cognito?

1. Tertius modus explicatur. TErtio modo potest intelligi essẽtiam, & creaturas vna, & eadem visione cognosci; quia nimirum creaturæ cognoscuntur in ipsa essentia, vt cognita, & per essentiam, vt per medium cognitum: etenim apud Philosophos admittitur, vt possibilis cognitio effectus in sua caussa, & conclusionis in suis principijs; ita vt principium sit medium cognoscendi conclusionẽ, & caussa sit medium cognoscendi effectum. Quin potius hic cognoscẽdi modus cõmuniter tribuitur Angelo: simplici enĩ intuitu, & sine vllo discursu videt conclusiones in principio, proprietates in essentia, & effectus in sua caussa: idq; tãquam per medium cognoscendi vnum in alio. Merito igitur inquiri potest; an iste cognoscendi modus possibilis sit in patria, ita vt beatus in Deo, vt in obiecto cognito possit videre creaturas eàdem visione, qua Deum videt.

2. Opinio cõmunis probatur.

Cõmunis opinio affirmat: quin potius beatũ de facto ita cognoscere creaturas in Deo docet cõmunis Theologorũ sentẽtia, paucis exceptis, vt inferiùs videbimus. Cũ verò id, quod actu fit, possibile sit fieri, ijdem affirmabunt modũ istum videndi creaturas in Deo esse possibilẽ. Quam nos sententiã, vt verisimã probamus; nam de facto creaturas ita videri in Deo, tanquam verisimũ probaturi sumus. Modo satis sit hanc nostram sententiam confirmare cõmuni fundamẽto; quia nulla infertur contradictio creaturas ita in Deo cognosci.

3. Oppositã sẽtentia. *Bellomont.*

Oppositam sententiã manifestè probauit Bellomõt. 1.p.disp.50.c.2. in principio, & n.9. & clariùs c.4. n.19. & c.5. & passim in tota illa disputatione, in qua expressis verbis affirmat essentiã diuinã nõ posse esse mediũ, quo aliqua creatura cognoscatur; nec etiã, vt est caussa creaturarũ. Putat se in hoc habere sociũ Henricũ quodl.7.q.4: at tñ Hẽricus non loquitur de essentia visa, vt caussa.

4. *Ochamus.* *Gabriel.* *Almainus.* *Maior.* *Aliacus.*

Pro eadem sententia à quibusdam citantur Nominales; Ochamus inquã in 4. q.13. Gabr. in 3.d.14. q.vnica art.1. Almainus ibi q.1.ar.1. Maior q.3. & in 4.d. 49.q.16. Aliacus in 1.q.12. sed ex his solus Ochamus potest citari pro illa sententia; quia in d.q.13. ar.3. lit.D. §. *tertiò dico* ad finẽ, expressè docet beatos nõ videre creaturas in Deo, sicut in caussa: & quãuis loquatur de facto; tamen ratio, qua nititur, idem probat de possibili.

Pro hac sentẽtia, quod attinet ad impossibilitatẽ probandam, multa afferũtur argumenta, quę inferiùs accommodatiùs, & afferentur, & explicabuntur in sequenti quæstione art.4. Vide ibi.

ARTICVLVS VII.

An possibile sit creaturas videri in Deo, vel vt est idea ipsarum, vel vt est speculum?

Alius modꝰ explicatur.

SVpereſt explicare alium intelligẽdi modum cõmuniter à Theologis probatum; an creaturæ in Deo videri possint, vel quatenus est idea, vel quatenus est illarum speculũ. Sed quoniam huius possibilitas optimè concluditur, si semel probatum sit creaturas in patria à beatis de facto ita videri; ideò resolutionem huius dubij referimus in sequentem quæst.art.5.

QVÆSTIO XVIII.

Quomodò creaturæ à beatis de facto videantur in Deo, & intra Deum?

COnsequenter explicandũ est, quomodò creaturæ à beatis de facto videãtur in Deo, & intra Deũ. Percurremus autem singulos illos dicendi modos, quos in prẽcedente quæst. diximus esse possibiles. Primò igitur inquiretur; an beati de facto videant Deum, & creaturas in Deo pluribus actibus realiter distinctis? 2; an Deum, & creaturas videãt pluribus actibus sola ratione distinctis? Tertiò; supposito quòd vno tantùm actu Deus, & creaturæ videantur; inquiremus: an ille vnus actus immediatè terminetur tum in essentiam, tum in creaturas? 4; an creaturæ in Deo solùm videantur mediatè, vt obiecta secundaria in primario? Quinto, & postremo; an creaturæ videantur in diuina essentia, vt in caussa; an vt in idea; an alio modo?

ARTICVLVS I.

Vtrùm beati de facto videant Deum, & creaturas in Deo pluribus actibus realiter distinctis?

§. I.

Refertur sententia affirmans.

1. Sententia affirmans.

IN hac quæst. Nominales, si benè expendantur, in eam potius sentẽtiam inclinant, vt de facto essentia, & creaturæ in essentia non vno actu videantur, sed pluribus realiter distinctis. Nã quanuis quidam illorum affirment solum Deum nosse, quid de facto sit, vt Adamus in 2. q. 8. in 1. p. secundi artic. fol.88.col.3. §. *hoc est prius concessum*, & satis Supplementum Gabrielis in 4. d. 49. q.3.art.1. pag.723. col.2. ante finem citans Holcot: tamen magis arridet, quòd distinctis actibus de facto videantur. Quin potius hanc sententiam absolutè tanquam verisimam probauit Maior in 4.dist.49. q.16. fol.281. columna 2. §. *Teneo igitur*, & in 3. dist. 14. quæst. 3. fol. 23.col.4. in 2. conclusione: imò in conclusione 1. in fine asserit fieri non posse, vt

Adamus. Supplemẽt.

Maior.

vt visio essentiæ repræsentet creaturas. Quam opinionem probat, siue dicamus illas notitias à solo Deo produci (quæ est communis sententia Nominaliũ) siue produci à Deo simul & beato. Cum Maiore expressè sentiunt, qui in Christo Domino actu admittunt infinitas notitias respectu creaturarum, quam opinionem refert Almainus in 3. d. 14. q. 1. ar. 1. fol. 37. col. 1. §. *quãtum ad istam propositionem.* In eandem sententiam inclinare Ochamum satis colliges ex eodem loco citato lit. D. vbi simpliciter docet rationabiliter dici posse, quod Deus causando actum videndi essentiam, causet etiam alium actum respectu creaturæ vnius, vel multarum, sicut placet. Addit etiam ad hunc sensum explicari posse dicta Sanctorum, dum asserunt videntẽ Deum videre creaturas in Verbo. Et in 3. dicto adiungit Deum de communi lege non causare visionem creaturæ, nisi videatur essẽtia. Deniq; in 5. dicto affirmat rationabile esse poni plures actus in beatis in hoc sensu, vt vn⁹ terminetur ad solam essentiam, alius ad creaturam. Cũ Ochamo simpliciter transit Supplementum Gabrielis, nec ab hac sententia longè est Almainus, vbi suprà fol. 35. col. 1: quanuis enim expressè non dicat beatos distinctis actibus videre vtrunq; obiectum; tamen si benè expendatur, non putat id repugnare legi à Deo statutæ, & relinquit id liberæ Dei dispositioni. Eãdẽ ratione pro hac sententia citari potest Gabriel in 3. d. 14. q. vnica art. 1. lit. G. pag. 130. col. 3. Nec videtur eam omnino reijcere Scotus ibi q. 3. lit. M. N. O. quãuis oppositũ potius sequatur.

Almainus Ochamus.

Gabriel.

Scotus.

2. Nominaliũ opinio confirmatur 1.

Hęc Nominalium opinio primò confirmari potest: quoniã Deus, & creatura sunt distincta obiecta, vt patet. Ergo videri debent distinctis actibus: vno enim actu plura videri non possunt.

Confirm. 2.

Secũdò; creaturæ in dies de nouo videntur in Deo. Ergò nõ videtur eãdẽ visione, qua videtur diuina essẽtia. Antecedens ab omnibus admittitur. Consequẽtia probatur; quia aliàs visio diuinę essentiæ aut decursu temporis mutaretur, aut in se ipsa fieret intensior: fieri enim non potest, vt eadem visio omnino immutata manens nunc non faciat aliquid in Deo videri, postea verò faciat. Nec potest dici visionem illam fieri intensiorem; quoniam visio beatifica si intenderetur, beat⁹ in dies fieret beatior.

Tertiò; quoniã vna, & eadẽ visio non potest esse visio essentiæ, & rerũ contingentium. Ergo non poterit esse visio essentiæ, & creaturarũ. Consequẽtia videtur nota: antecedẽs probatur; quia visio essentiæ independens est à libera determinatione diuinæ voluntatis: à qua tamen dependet visio contingentiũ. Et inde est, vt visio essentiæ terminetur ad obiectum per se necessarium; visio autẽ contingentiũ ad obiecta contingentia. 3. Confirm. 3.

Quartò; si admittatur vna tãtùm visio, difficilè explicabitur illius principiũ, vt ad creaturas terminatur. Nãvel creaturæ videtur ex vi visionis essentiæ, vel ex natura luminis gloriæ. Non 1. modo: quia alioquin videretur non solùm omnia præsentia, præterita, & futura, sed etiã omnia possibilia: nec enim maior dari potest ratio, cur hę potius creaturę videantur, quã illæ. At beatos videre in Deo omnia possibilia nõ admittitur. Nec 2. modo: quoniã ad hoc non est satis lumen eiusdem speciei: quia lumen intra eandem speciem, etiamsi differat penes magis, & minus intensum, non est satis ad cognoscendum has potius creaturas, quàm illas. Oportet igitur admittantur lumina specie distincta. Quod non satis est probabile. 4. Confirm. 4.

5. Nihil est, vnde deducatur vnitas visionis: nec enim ad eam satis est vnitas potentiæ; quia ab eãdẽ potẽtia possunt elici plures actus. Nec satis est vnitas obiecti; aliàs visio, & fruitio essent vnus actus; quia habent Deum pro obecto. Nec denique satis est vnitas potentiæ, & obiecti simul; aliàs notitia abstractiua, & intuitiua esset vnus actus. 5. Confirm. 5.

6. Vnus & idem actus omnino indistinctus non est prior, & posterior se ipso. At visio diuinæ essentiæ est prior; creaturarum autem posterior. 6. Confirm. 6.

7. Deus in patria nõ diligitur eodem actu, quo creatura in Deo. Ergo nec eodẽ actu videtur Deus cum creatura. Cõsequentia patet ex identitate rationis. Antecedens probatur; quia amor essentiæ est fruitio, creaturæ verò est vsus. Confirm. 7.

Confirmatur; quia in via non eodem actu diligitur Deus, & proximus. Ergo in patria non eodem actu videtur Deus, & proximus in Deo.

7. Octauò; visio Verbi est caussa visionis creaturarum in Verbo. Ergo visio Verbi alia est à visione creaturæ in Verbo. Consequentia est nota; quia idem non est caussa sui. Antecedēs probatur, quia Verbum est caussa creaturæ. Ergo visio Verbi est caussa visionis creaturæ: sicut enim se habet Verbum ad creaturam; ita se habet visio Verbi ad visionē creaturæ. Adde etiam; quia nisi videatur Verbum; non poterit videri creatura in Verbo.

Confirm. 8.

8. Nonò; non est eadem visio speculi, & rerum in speculo. Ergo non erit eadem numero visio Verbi, & rerum, quę vidētur in Verbo: etenim creaturę videntur in Verbo, vt in speculo.

Confirm. 9.

Cōfirm. 10. Decimò; Paulus in raptu Deum vidit, vt beati post hanc vitam vident Deum, ex Aug. ad Orosium q. ante penult. Trāseunte autem visione Dei, mansit in Paulo memoria eorum, quæ vidit in Deo. Non maneret autē, nisi visio eorū fuisset distincta à visione, qua vidit Deum.

9. Postremò; si ponantur distincti actus, omnia constabunt: difficilè autem constare possunt, si vnus tantùm admittatur. Etenim facilè explicabitur, quomodò nouæ reuelationes in dies fiant beatis; quod tamen non intelligitur, si vnus tantùm actus admittatur. Præterea non facilè explicatur, quomodò vnus, & idē act° ad creaturas terminetur: nec enim æque primò terminabitur ad eas, & ad essentiam, vt ex sequentibus patebit. At si terminatur mediatè; iam restat difficultas, quomodò in essentia visa videātur creaturæ. Quæ omnia plana sunt, & facilia, si admittantur plures actus realiter distincti, quorum alter immediatè ad essentiam terminetur; alter verò immediatè ad creaturas. Hæc sunt potiora argumenta, quæ pro hac sententia potui colligere.

Confir. 11.

§. 2.

Vnus tantùm actus realiter est admittendus.

10. Probatur opinio, quæ admittit vnum tātum actum.

His tamen non obstantibus probanda est opinio, quæ vnum tantùm in beatis admittit actū, quo videatur Deus, & creaturæ in Deo. Hęc opinio apud eos, qui docent creaturas videri intra Deum, est celebris tam inter Antiquiores, quàm Nouiores, quam, exceptis Nominalibus, omnes, vt verisimam ample & ūtur. Ita scripsit D. Thomas tam de Christo, quàm de alijs beatis in 3. dist. 14. q. 1. ar. 2. quæstiunc. 4. de veritate q. 8. ar. 4. in corp. & ad 14. & ad 15. & ar. 5. in corp. & in solutionibus argumentorum. Mihi est locus expressus 1. p. q. 57. ar. 5. dum docet cognitionem vespertinā, & matutinam esse vnā cognitionem, si visio matutina est visio Verbi, & vespertina rerū in Verbo. Adde D. Thomā 3. contra Gent. c. 60. dum docet, quæ per vnam speciem videntur, vna visione videri: & cum doceat creaturas simul cum Verbo per vnam speciem videri (diuinam scil. essentiam) manifestè colligitur Verbum, & creaturas videri vna numero visione. Idem colliges ex D. Thoma 1. p. q. 12. art. 8. & 9. quatenus docet creaturas videri in Deo, vt in caussa, & per diuinam essentiam, vt per speciem intelligibilē; quæ verò per vnā speciem repręsentantur, vna visione videntur; similiter etiam, quæ videntur in alio, vt in caussa, videntur eàdem visione cum caussa ex eodem D. Thoma in d. art. 9. ad 2. in fine.

Nominal. *D. Thom.* Locus expressus Diui Thomæ. *D. Thom.*

11. Quare non est dubitandum, quin hęc fuerit expressa sententia D. Thom. quā sui omni consensu probant: ita Capreolus in 4. d. 49. q. 6. art. 3. ad finem fol. 222. col. 1. & 2. Caietanus 3. p. q. 10. art. 2. §. *Circa hunc processum*, vbi Medina cum cæteris, id supponit, tāquam notissimum. idem Caietanus 1. p. q. 12. art. 8. vbi Cumelius q. vnica, concl. 2. pag. 271. col. 1. vt cæteros ibi omittamus, adde Sotum in 4. d. 49. q. 3. art. 3. pag. 608. col. 2. post principium. Ex alijs antiquioribus expressè id docuerunt Alensis 2. p. q. 23. memb. 5. in corp. Ægidius in 2. dist. 10. q. 2. art. 1. Richardus in 4. d. 49. art. 3. q. 3. Scotus quodlib. 15. litera V. & X. & in 1. d. 1. q. 2. ar. 2. lit. D. §. *actus omnes habens*, & satis q. 3. prologi litera X. sed clariùs in 3. dist. 14. q. 4. lit. O. §. *Sed si ista via tertia*, Bassolius in 4. q. prologi ar. 3. §. *de theologia in intellectu beatorum*, & in 3. d. 14. q. 2. ar. 2. §. *Sed istis opinionibus*, & §. *contra tertiā*, Henricus in Summa ar. 33. q. 3. litera Z; & eam insinuat quodlib. 7. q. 4. & 5. Marsilius in 3. q. 10. in 2. p. articuli concl. 1. fol. 416. col. 3. & col. 4. in solutione argumentorū. Deniq; expressè idem docet Gabriel in canone Missæ lect. 31. liter. F.

Alensis. *Ægidius.* *Richardus.* *Scotus.* *Bassolius.* *Henricus.* *Marsilius.* *Gabriel.*

Suarius

12. *Suarius.* *D. Bonau.* Explicatur D. Bonauēt.

Suarius affirmat hanc sententiam apertè probatam fuisse D. Bonauenturæ in 2.d.4.ar..3.q.1.& 2.alij illum citant in 3.d.14.ar.2.q.1.& 2.sed D.Bonauentura nullibi clarè hoc explicauit: nam licet in 3.d.14.q.1.in principio n.25.dicat nō necesse esse, vt qui cognoscit res in Verbo, habeat geminam cognitionem Verbi,& rei cognitæ; tamen statim id intelligit non de gemina cognitione actuali, sed habituali; quia scilicet habet habitum, quo possit cognoscere creaturas in Verbo, nec aliud ex illo colliges, vbi hac de re loquitur. Nec declarat, an ille vnus habitus faciat creaturas cognosci in Verbo eadem cognitione: etenim non satis est beatum per vnum habitum, vnam ve speciem intelligibilem intelligere creaturas, vt vna intellectione eas simul cum essentia intelligat: de hoc enim est controuersia, & plures id negant. Non negabo tamen D. Bonauenturam satis probabiliter trahi posse ad hanc nostram sententiam, non tamen clarè eam docuit.

13. *Paludan.*

Citari etiam solet pro nostra sententia Paludanus in 4.d.49.q.2.ar.2.& d.45. q.2.ar.3.n.30.& in 3.d.14.q.1.art.2.in fine. Sed in hoc vltimo loco nihil hac de re scribit: in primo nihil inuenio, quod ad rem faciat: in secundo loco magis rē explicat, sed non aperte, quidquid Suarius affirmet. Citari etiam solet Durādus in 3.d.14.q.2.sed expressè id non docet; aliquo modo id colligitur ex eo in 4.d.49.q.3.num.16.in fine, & n. 18.ad 2. dum ait, quæ actu fiunt, videri à beatis per aliam visionē, quasi supponens, quæ possibilia sunt,& actu in Deo repræsentantur, eadem visione videri cū Verbo.

Durandus.

14. *Ochamus.*

Pro hac etiā sententia citatur Ochamus in 4.q. 13. ad finem quæstionis; sed ibi non absolutè loquitur, sed sub conditione. Citatur etiam Maior: sed iam vidimus eum expressè oppositū docuisse.

Adamus.

Citatur etiam Adamus, sed in secunda quæst 8.ar.1. licet in oppositam sententiā inclinet, hanc putat esse probabilē, vt patet folio 108.col.4.§. *nota etiam.* Sed quidquid sit de his, & alijs Doctoribus, nostra sententia à Nouioribus communiter approbatur. Eam, vt notissimā supponit Suarius lib.2.de attributis negatiuis cap.25.num. 7.20.& 45.& ad 3.p. disput.26.sect.1. Valentia 1.p.disp. 1.q. 12.punct. 6. pag. 240. §. *nibilhominus dico*, Cumelius 1.p.q. 12.ar.8. q. vnica concl. 2.pag.271.col.1.Molina.ibi disp. 2. maximè ad 1. & 2. Scoti; Nauarrete controuersia 43.§.4.concl.7. folio 271.col. 2.litera B.probabiliorem putat Salas 1. 2.q.12.tract.2. disp.4.sect.4. n.38. pag. 258, Denique est inter Theologos omnium ferè consensu receptissima.

Approbatur hæc sententia à Nouioribus.

Suarius. *Valentia.* *Cumelius.* *Molina.* *Nauarrete* *Salas.*

Cum verò controuersia ista versetur circa id, quod de facto fit, potius decidēda est aut ex sacris literis, aut ex doctrina Patrum, aut rationib⁹ probabilibus: etenim clarè demonstrari non potest. Quidam hanc sententiam deducunt ex Paulo 1.Corinth.13.*Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem* Quibus verbis (vt volunt) Paulus docet omnia mysteria fidei fore à nobis in patria cognoscenda visione ipsa faciali, qua diuina essentia facialiter videtur. Confirmant id ipsum; quia in patria visio succedit fidei. Ergo in patria ipsamet visione, qua Deum videmus, videbimus omnia, quæ in via credidimus, vt etiam docet Augustinus libr. 20. de Ciuitate Dei cap.21. *videbimus* (inquit) *omnia illa, quæ nunc non videmus credentes.* Et statim: *hic creditis; ibi videbitis.* At multa mysteria de obiecto creato per fidem tenemus. Ergo illa videbimus eadem visione, qua Deum.

15. 1.ratio. 1.Cor. 13. *Augusti.*

Secundo id deducunt ex eo, quod fides docet in patria vnum esse alio beatiorem, iuxta illud Christi; *in Domo Patris mei mansiones multæ sunt.* At si creaturę eadem visione, qua Deus, non viderentur, vnus non posset esse beatior, quam alius: nam cum omnes in patria clarissimè videant essentiam, & personas, & perfectiones, quæ formaliter sunt in Deo; diuersitas ista mansionum aliundè sumi nō poterit, nisi ex eo, quod visio ad plures, vel pauciores creaturas in Deo terminatur.

16. 2.ratio.

His rationibus viri quidā doctissimi (si credendum est Banhes) existimant hanc sententiam ita esse certam, vt opposita sit erronea in fide. Et quanuis Banhes putet censuram esse satis rigidā credit tamen oppositam sententiam nō esse fidei satis consentaneam, & ideo cauendam esse, ita 1.p.q.12.artic.8.post 3. concl.ad finem. A censura abstinuit Cumelius ibi q.vnica concl. 2. credit tamē

17. *Banhes.* *Cumelius.*

opinionem oppositam esse falsissimam. Ego tamen existimo allata argumenta nec probare errorem aliquem in illa opinione, nec aliquod in fide periculum.

Suarius. Quod etiam fuit iudicium Suarij in Cõment. ad 1. 2. q. 3. disp. 8. quæstiuncula 5. §. *dices Deum posse eleuare*, idem iudicauit

Salas. Salas, vbi supra n. 37. pagin. 258. col. 1. in principio. Quin potius nec argumenta satis sunt, vt opinionem illam falsitatis efficaciter conuincant. Quanuis ipsa in

Explicatur loc⁹ D. Pauli se falsa sit. Etenim locus Pauli parum habet efficiæ vt aut errorem probet, aut vllum in fide periculum; quoniam verba Pauli manifestè intelliguntur de visione faciali, & intuitiua, & de illa, quæ ad rem visam immediatè terminatur seclu so medio: talis autem est sola visio diuinæ essentiæ in se ipsa: nam provt terminatur ad creaturas in ea visas, non necessario est aut intuitiua, aut immediata; quoniã in ordine ad creaturas possibiles est solùm visio simplicis intelligentiæ; & ad eas non immediatè terminatur, sed mediatè in ipsa essentia visa.

18. Soluitur 1. obiectio. Ad confirmationem dicimus nõ posse sine temeritate negari visionem succedere fidei. At quomodo illi succedat, non est res ad fidem pertinens. Quare sine vllo fidei periculo aduersarij respõdere possunt visionem fidei succedere, aut formaliter, aut caussaliter: formaliter quidem; quia ipsa visione formaliter videntur, quæ in diuina essentia formaliter existunt: caussaliter verò; quia ipsa visio est causa, cur creaturæ extra Verbum beatis reuelẽtur. Pertinet igitur ad fidem videri in patria omnia, quę sunt fidei: non tamen ad fidem spectat ea hoc vel illo modo videri.

19. Soluitur 2. obiectio. Simili modo soluitur secunda obiectio: quoniam ad fidem pertinet non omnes in patria esse æqualiter beatos: in quo autem posita sit hæc inæqualitas beatitudinis; id non pertinet ad fidem, sed adhuc sub opinione relinquitur, vt dicemus in secundo tomo libro 7. Et quanuis inęqualitas sumenda sit ex visione magis, aut minus clara, & intensa; non tamen est certum istam maiorem claritatem, & intensionem visionis dari non posse sine visione plurium creaturarum; hoc enim adhuc est sub opinione.

Non est igitur, quod nostram sententiam vel ex sacris literis, vel ex Conciliorum definitionibus deducamus, quasi aliquo modo pertineat ad fidem: à nobis tamen ex eo censetur verissima, quia & auctoritate Augustini, & ratione satis probabili cõfirmatur. Auctoritate quidem Augustini 15. de Trinitate c. 16. dũ ait: *Fortassis etiam volubiles non erunt nostræ cogitationes, ab alijs in alias euntes, atque redeuntes; sed omnem scientiam nostram vno simul conspectu videbimus.* Vbi aduertendum est Augustinum non dubitasse de permanẽtia, & incorruptibilitate ipsius beatificæ visionis (vt suo loco ostendemus) sed de permanẽtia earum rerum, quę à Deo in ipsa visione liberè sunt ostendendæ; an scilicet in ipsa visione successionem habeant, an verò simul fiant in principio beatitudinis, de quo suo loco dicemus.

20. Approbatur verissima sẽtentia. *August.*

21. Pro hac sententia adduci solet sentẽtia Augustini de cognitione matutina rerum in Verbo, de qua latè egimus supra: & accommodatè quidem, si expendamus Angelos ex mente Augustini ita cognouisse res in Verbo cognitione matutina; vt eas cognouerint in ipsis rationibus, caussisque diuinę prouidentiæ in mente diuina existentibus: etenim non est negãdum beatos illas æternas rationes, & caussas in Deo videre eadem visione, qua vident essentiam. Quod mihi argumẽto est, vt dicam Angelos ex mẽte Augstini non pluribus cognitionibus in Verbo res vidisse, sed vna, & eãdem.

22. Hæc sententia optimo nititur fundamento. Sed, vt demus nec ex doctrina Patrũ nostram sentẽtiam satis efficaciter cõfirmari; non erit negandum eam fundamento probabilissimo suaderi. Nec enim negandum est Deum beatis contulisse id, quod statuit beato maximè cõgruit. Sed maximè congruum est, atq; decens, vt beati vna visione videant essentiã, & creaturas. Ergo id asserendũ est. Maior est nota; quia status ille est omnib⁹ modis perfectissimus. Minor autẽ patet: tũ; quia certũ est perfectiori modo videri creaturas à beatis, si cũ essentia eãdem visione videantur: videbũtur enim notitia longè nobiliori, & clariori. Tum 2. quoniam isto modo beati maximè assimilabũtur Deo, qui vna, & eãdẽ visione se ipsum videt, & creaturas. Visio autẽ eò erit perfectior; quò visioni, qua Deus creaturas videt, fuerit similior.

Sed

23. Obiectio. Occurritur

Sed inquies in hoc argumento supponi talem visionem esse possibilem; cum aduersarij id negent. Respondemus Nominales non negare posse creaturas simul cum essentia videri vna visione: id enim falso illis imponi ostendimus art. 3. præcedentis quæstionis. Vnus tantum est Bellomontanus, qui id neget; oblitus tantum sui, vt in dict. art. 3. ostendimus. Non est tamen audiendus, vt quia opinionem paradoxam defendat. Etenim nullam dari implicationem primũ patebit ex solutionibus argumentorum. Deinde; quia si vlla daretur implicatio, ex eo daretur, quia repugnat plura vno actu cognosci. Id autem esse falsum ex eo generaliter probatur; quoniam licet fortè repugnet vno actu intelligere plura per modum plurium: non tamen per modum vnius; quatenus plura illa habẽt aliquem ordinem inter se, ex D. Thoma 1. p. q. 85. ar. 4. vbi Caietanus cũ cæteris. Explicant Nominales, quos citauimus. Vnde Angelus ratione vnius principij, & vnius speciei vniuersalis vno intuitu intelligit plura ex D. Thoma 1. p. q. 68. ar. 3. 4. & 5. Igitur absolutè non repugnat plura intelligi vno actu. In ipsa autẽ visione beata nihil datur, vnde talis repugnantia resultet. Etenim obiecta, essentia scilicet, & creaturæ in ea, ex sua natura sunt cognoscibilia vnico actu beatifico; nam vnico actu videntur à Deo, vt supponimus. Ipsa etiam visio, cũ sit participatio quædã visionis increatæ, nihil in se habet, ex quo hęc repugnantia sumarur; quare fatendum est nõ repugnare creaturas videri posse à beatis illa eãdem visione, qua videtur essẽtia diuina. Et cum hic maximè deceat perfectionẽ status beatifici, vt diximus; non est, cur hoc beatis negemus.

Bellomontanus. sibi tamen contrarius solus ne aat.

D. Thom.

§. 3.

Soluuntur argumenta.

24. Soluũtur argumenta. Ad 1 arg.

COntraria argumẽta facilè soluũtur. Ad primum neganda est consequentia; Cuius probatio vel neganda est, vel solùm admittenda, quãdo plura per modum plurium videntur; secus si per modum vnius, vt iam diximus ex D. Thoma. Imò etiam apud Nominales, qui volunt eandẽ notitiam esse posse multarũ rerũ, nõquidẽ diuisim, sed copulatim: ita Maior in 3. d. 14. q. 3. post secũdam conclusionem §. *respondetur primum argumentum*, fol. 23. col. 4. ad finem, & Supplementum Gabrielis in 4. d. 46. q. 3. pag. 724. col. 1. in principio.

Ad secundum dicendum est argumẽtum vim non habere, si nouæ reuelationes fiunt per visiones rerum extrà Deũ; autores enim huius opinionis admittẽt totũ discursum de nouis reuelationib⁹; negabunt tamen inde inferri nullã creaturam formaliter videri ipsa beata visione; etenim plures videri possũt á principio beatitudinis, de quo infer⁹. Quare argumẽtum solùm vrget eos, qui volunt nouas reuelationes fieri per eandẽ beatificam visionem. Sed respondebunt negando consequentiã. Ad probationẽ dicent reuelationum succesionem fieri posse absq; vlla visionis beatificę reali mutatione, de quo plura inferius. 25. Ad 2. arg.

Tertium argumẽtum facilè soluetur ab ijs, qui volunt ex vi visionis solùm videri creaturas possibiles. Hi igitur admisso antecedente negabunt consequẽtiam. Ratio discriminis erit; quia creaturæ secundum suum esse possibile naturaliter repræsentantur in diuina essentia independenter à libera determinatione diuinæ voluntatis. Porrò, qui putant creaturas etiam futuras formaliter videri in Deo, negabunt antecedens. Cuius probatio futilis est; quia visio beata non solum extendi potest ad ea, quę sunt necessaria, sed etiam ad ea, quæ pendent ex libera Dei voluntate: nec enim talis extensio aut probabitur impossibilis, aut indecens; imò denotat maximam visionis perfectionem. Vtrum verò respectu vnius, & alterius obiecti visio illa habeat diuersam rationem? In sequenti quæst. dicemus. 26. Ad 3.

Quartum argumentum grauem tangit difficultatem; vnde nam proueniat, quod hæ potius creaturæ, quàm illæ videantur, de qua in sequenti quæstione aliquid dicemus; sed latius secundo tomo lib. 7. in quæstione de inæqualitate beatitudinis. 27. Ad 4.

Ad quintum dicimus ad vnitatem visionis nec satis esse vnitatem solius potentię, nec solius obiecti, nec solam vnitatem vtriusque: sed satis esse vnitatem diuinæ essentiæ subeuntis rationem speciei intelligibilis: quæ enim per vnam speciem 28. Ad 5.

speciem repręsentantur, vno actu intelliguntur; quia repræsentantur per modum vnius obiecti ratione ordinis, quē inter se habent, vt explicat D. Thomas multis in locis, maxime 1.p. q. 85. art. 4. vbi Caietanus §. *circa hoc occurrunt*, & §. *ad euidentiam horum*. Vide Richardum in 3.d.14.ar.2.quęst.2.in corp.& ad 1. & 3. Marsilium, vbi supra ad 3. fol.417. col.2.

D. Thomas Caietanus. Richardus Marsilius.

29. Ad sextum facilè respondebunt, qui putāt illam vnam visionem æque primó terminari ad essentiam,&creaturas;negabunt enim maiorem; quia apud eos visio sine vllo ordine prioris, & posterioris terminatur ad vtrunque obiectū. Sed quoniam hæc opinio reijcienda est, verius dicemus vnum,& eundē à se omnino indistinctum posse ordine quodam terminari ad distincta obiecta;maximè, quando vnum est primarium,& aliud secundarium,vt se res habet in essentia,& creaturis.

Ad 6.

30. Ad septimum admittimus creaturas, siquę in patria amore matutino diliguntur, eas non diligi amore beatifico, sed alio distinctio;quia amor beatificus est naturalis;cum tamen dilectio proximi etiam intra Deum sit libera. Vnde concesso antecedente negatur consequentia: dispar enim est vtrobique ratio; quia intellectus naturaliter mouetur ab obiecto sibi pręsentato;voluntas verò à creaturis,etiam intra Deum cognitis non mouetur,nisi liberè.

Ad 7.

Ad confirmationem admisso antecedente(nam proximus aliquando diligitur actu distincto) consequentia non est firma propter disparem rationem, quæ reperitur non solùm inter obiecta,vt intelligibilia,& vt amabilia; sed etiam inter viam,& patriam.

31. Ad octauum negandū est antecedens cum Richardo in d.q.2.ad 1. & Marsilio vbi supra ad 1. fol. 417. col.1. Probatio autem friuola est: nec enim opus est, vt si Verbum est caussa creaturæ,visio Verbi sit etiam caussa visionis creaturæ. Verbum igitur visum potest esse mediū videndi creaturas;non tamen est caussa visionis earum.

Ad 8. *Marsilius.*

32. Ad nonum respondent Richardus, & Marsilius, vterque ad secundum.Sed argumentum parum habet efficacię: quia essentia diuina dicitur speculum metaphoricè solùm,vt dicemus. Et ideo non est opus,vt omnia, quæ in speculo reperiuntur,reperiantur etiam in diuina essentia.

Ad 9.

Ad decimum admittimus Paulum in raptu vidisse creaturas in Deo:admittimus etiam transeunte visione mansisse in eo memoriam aliquorum,quæ in Deo vidit. Ex hoc tamen non bene infertur visionem creaturarum fuisse distinctam à visione, qua Deum vidit: etenim illa vna visio satis fuit, vt in memoria Pauli relinquerentur species eorum, quæ visa sunt. Vide Richardum,&Marsilium,vbi supra ad quintum.

Ad 10.

Ad postremum dicitur, quæ obijciūtur facilè solui, quanuis vnus tantùm actus ponatur, vt ex dicendis patebit.

Ad 11.

ARTICVLVS II.

Vtrum beati videant essētiam,& creaturas pluribus actibus sola ratione distinctis?

1. Ratio dubitandi.

RAtionem dubitandi fecerūt quidam Theologi,qui in cognitione qua Deus se,& creaturas cognoscit, concipiunt duos actus sola ratione distinctos;ita vt visio Dei prout essentia terminatur,sit vnus actus;alius verò, vt terminatur ad creaturas. Istum dicendi modum expressit Suarius libro 9. de Trinitate cap.6.n.11.12. & 13. & quanuis non satis ibi eum probet; non tamē eū omnino reijcit:immò,vt probabilem tacitè admitit lib. 3. de attributis positiuis cap.2.n.5.& n.11.

Suarius.

2. Probatur hic dicēdi modus.

Potest hic dicendi modus ex eo confirmari; quia volitio, qua Deus vult suā essentiam,& qua vult creaturas,sūt duo actus volendi,ratione distincti propter duplicem tendentiam ad duplex obiectum. Similiter igitur dicendum erit de cognitione Dei, vt terminata ad essentiā,sit vna visio; alia vero, vt terminata ad creaturas. At si hæc virtualis distinctio admitti potest in visione increata; cur non admittetur in creata?

3. Reijcit iste dicēdi modū.

Iste tamen dicendi modus sine vllo fundamento concipitur, nec ab aliquo, vno excepto,fuit excogitatus: vnde ipse sua ipsius nouitate se destruit: nec enim in hac materia fingendi sunt modi dicendi, nisi aut in re, aut in doctrina Patrum fundamentū habeant: vnde nec à nobis iste admittendus est. Nam cum admittat

admittat vnum actum esse rationem alterius, vt colliges ex Suario in d. n. 11. satis denotat virtualem quendam discursum: etenim, si visio diuinæ essentiæ ponatur actus distinctus à visione creaturę; non potest concipi, vt ratio illius, quin vnus ex alio virtualiter inferatur. Iam verò virtualis discursus, nec in visione increata, nec in creata admittendus est. Cum verò visio diuinæ essentiæ ponatur ratio visionis creaturarum in eàdem essentia; non potest non admitti creaturas videri in essentia, vt in obiecto cognito: visio autem alicuius in aliquo, tanquam in obiecto, est vnus numero actus primariò ad vnum terminatus; ad aliud verò secundariò. Visio igitur creaturarum in essentia erit vnus, & idē actus re, & ratione implurificatus in genere actus: nam quanuis, vt terminatus ad essentiam ratione distinguatur à se ipso terminato ad creaturas; nō proinde in genere actus plurificatur; quia ad illud prius satis est distincta extensio ad aliud obiectum; ad hoc verò posterius, opus est, vt ipsa entitas actus in genere actus multiplicetur.

Suarius.

4. Nec quicquam obstat in Deo volitionem essentię, & volitionem creaturę cōcipi, vt plures actus virtualiter distinctos; quoniam longè diuersa est ratio vtriusque potentiæ. Etenim cognitio essentiæ non potest esse infinita in genere cognitionis, nec comprehesiua illius nisi in essentia cognoscantur creaturæ secundum esse possibile, quod est quoddam esse intra essentiam per se intelligibile. At verò dilectio bonitatis diuinæ essentiæ potest esse infinita in genere dilectionis, & adæquata diuinæ bonitati atque diligibilitati; quanuis in ea creaturæ non amentur amore approbationis; & ob id non necessario sunt obiecta secundaria amoris diuinæ essentiæ. Sed de hoc plura dicere non est huius loci.

ARTICVLVS III.

An visio re, & ratione vna immediate terminetur, tum in essentiam, tum in creaturas?

1. CVm iam cōstitutum sit beatos videre essentiam, & creaturas visione re, & ratione vna; consequēter inquirendum est; an illa vna visio immediatè terminetur, & ad essentiam, & ad creaturas? ita vt creaturæ cum essentia concomitanter videantur. Cum ex dictis quæstione præcedente ar. 4. & 5. hęc immediata terminatio duobus modis concipi possit: vno modo; vt æquè primò, & immediatè terminetur ad essentiam, & creaturas. Altero modo, vt immediatè quidem terminetur ad vtrunq; non tamen æquè primò; sed ita, vt prius ad essentiam; deinde ad creaturas: ita vt ad eas non terminetur mediante essentia: explicandum est an aliquo istorum modorum beati vno, & eodem actu videant creaturas, & essentiam? De priori sensu agemus in 1. §. in secundo autem de posteriori.

§. 1.

An visio æquè primò, & immediatè terminetur ad essentiam, & creaturas?

QVod attinet ad priorem sensum pars negatiua absque dubio est probanda; non quod ille sit impossibilis: quia in eo nullam dari impossibilitatem iam ostendimus quæstione præcedente art. 4. sed quoniam nullum pro se propugnatorem habeat; opugnatores autem quamplurimos, & inter eos D. Thomam: nec satis est consentiens cum doctrina plurimorum Patrum.

2. In priori sensu probatur pars negatiua.

D. Thomas.

Contra hunc dicendi modum plura obijcit Suarius libr. 2. de attributis negatiuis cap. 25. n. 3. 45. & 49. Primum obijcit; quoniam modus iste non est sufficiens, vt creaturæ dicantur cognosci in Deo: cum tamen in hac disp. sermo sit de cognitione earum in Deo. Quod autem non sit sufficiens, inde probat; quia sequitur cognitionem creaturarum solùm se habere concomitanter ad cognitionem diuinę essentię; ita vt nullam includat habitudinem ad eam, cognitio igitur illa non erit in Deo. Sed ratio ista parum habet efficaciæ, si æquiuocatio tollatur: etenim aliud est creaturas videri in Deo, vt in obiecto viso; aliud verò videri in Deo, id est, intra ipsum Deū. Iste dicēdi modus excludit quidē creaturas videri in Deo, vt in obiecto viso: quæ enim videntur in alio, vt in obiecto, non videntur immediatè, sed mediante obiecto. At tamen non excludit creaturas videri in Deo, hoc est intra Deum, & non extra: etenim supponit creaturas beato

3. *Suarius.* Obiectio 1.

Occurritur.

beato repræsentari per diuinam essentiam, tanquam per speciem intelligibilem; quę nihil extra Deum repræsentat, sed intra. In hoc igitur claudicat hæc ratio, quod supponit, quicquid videtur in Deo, videri in eo, tanquam in obiecto viso.

4. Obiectio 2. Secundo idem Suarius vbi supra n. 49. ex eo reijcit istum modum; quoniam sequeretur visionem Dei non crescere, quantunuis crescat numerus creaturarum: Et per consequens per visionem omnium creaturarum possibilium non bene demonstrari comprehensionẽ diuinę essentię. Sed hanc rationem vim nõ habere iam ostendimus in quæst. præcedente art. 4. ad 5. in solutione tertiæ obiectionis. Nam quicquid sit de absurditate consequentis (nec enim omnes putant illud esse absurdum) sequela non bene infertur; quia posito hoc modo adhuc optimè saluatur visionem plurium creaturarum arguere visionẽ essentiæ esse magis intensam; & subinde eam futuram fore comprehẽsiuam, si per eam omnes creaturæ possibiles viderentur. Vide, quæ ibi diximus.

Occurritur

5. Obiectio 3. Tertio loco in d.n. 49. obijcit; quia illa visio terminata ad creaturas per se nihil conferet ad beatitudinem: nec enim creaturæ cognitæ per se beatificãt. Igitur talis immediata terminatio sine caussa poneretur. Sed si hæc ratio vim habet; etiam impugnabit creaturas mediatè videri in diuina essentia visa: etenim nec illo modo creaturæ beatificãt, vt ex Augustino communiter docetur. Quare si, vt visio mediata non dicatur frustra poni, satis est, quòd supponat visionem illam terminatam ad primariũ obiectum: ita etiam posito isto dicendi modo vt visio non dicatur frustra, satis erit, quod sit beatifica concomitanter; quatenus scilicet immediata tendentia ad creaturas comitatur tendentiã beatificam ad essentiam.

Occurritur

6. Obiectio 4. Quarto obijcit in d.n. 49. quoniã modus ille vniuersalis cognitionis solùm habet locum respectu rerum, quæ sunt inferiores ipso cognoscente, non verò respectu superiorum: Angelus enim, qui vno actu cognoscit res sibi inferiores per speciem vniuersalem immediatè repræsentatas; per eandem speciem non cognoscit Angelos superiores. Iam verò diuina essentia est obiectum omnium supremum. Sed hæc obiectio minoris est efficaciæ: solum enim probat essentiam, & creaturas non posse immediatè videri per vnam speciem inferiorem diuina essentia, quantunuis sit vniuersalis: non tamen probat essentiam, & creaturas non posse immediatè videri, provt repræsentantur per ipsam diuinam essentiam, speciem omnium supremam: etenim cum illa sit ordinis supremi, potest repræsentare obiectum omnium supremum simul cum creaturis. Iam verò, quæ per vnam speciem repræsentantur, possunt vno actu immediatè videri, & æquè primò; si æque primò immediatè repræsententur, vt patet in Angelis.

Occurritur

7. Obiectio 5. Postremo obijcit in d.c. 25. n. 3. quoniam si ita viderentur creaturę, & essentia, cognitio illius posset manere sine cognitione alterius. Sequelam probat ex eo; quia si ille actus fingatur compositus ex partibus, potest diminui in vna parte, & non in alia; & ita potest manere cognitio vnius obiecti, & nõ alterius. Si verò ponatur simplex, & indiuisibilis; quanuis non posset manere circa vnam rem, quin maneret circa aliam: id tamẽ non habet ob dependentiam obiectorũ inter se, sed ob indiuisibilitatem. Sed non video in hoc argumento difficultatem: quoniam sequela semper est inutilis, siue loquamur de facto, siue de possibili. Nam si de facto loquamur; ideo non potest non cognosci vtrunque obiectũ, quia per diuinam essentiam, vt habet rationem speciei, vtrunque repręsẽtatur: intellectus autem naturaliter fertur in obiectum debitè sibi præsentatum. At si sermo sit de possibili, sequela minorem vim habet: quoniam licet diuina potẽtia fieri possit, vt essentia solùm repræsentet se ipsam, & non creaturas: præsentato tamen simul vtroque obiecto, fortè fieri nequit, vt visio sit vnius, & nõ alterius.

8. impugnatur sententia affirmatiua.

Omissis igitur his, & alijs impugnationibus sententiæ affirmãtis; ex eo solũ mihi impugnanda venit, quoniam doctrina Patrum videtur suadere creaturas ita videri in Verbo, vt in eo videantur, vel vt in caussa, vel vt in ratione ideali, vt ex sequenti artic. patebit. Et hęc est sententia D. Thomæ, & omnium ferè Theologorum, quorum auctoritas

D. Thomas

in

in hac materia non potest non esse magni ponderis. Iam verò, quæ in alio videtur, non videntur immediatè in se ipsis, sed mediatè.

9. Confirmat. Potest hoc iterum non inefficaciter confirmari, si aduertamus diuinã essentiam non subire rationem speciei, vt supremam caussam in genere caussæ efficientis; quasi se sola efficienter suppleat efficientiã speciei intelligibilis eo modo, quo potest supplere speciẽ intelligibilẽ hominis effectiuè influendo in tale obiectum simul cum intellectu: sed subire rationem speciei intelligibilis etiam in genere caussæ formalis extrinsecæ, vt supponimus: etenim cùm sit supremum quoddam intelligibile, potest se ipsa cõcurrere ad visionem sui, non solùm, vt terminus, sed etiam, vt species formaliter repræsentatiua omnium, quæ in se habet, sua ista repræsentatione constituens intellectum in actu primo visionis intuitiuę Dei. Cum verò formaliter sit ipsamet; sit autem creaturæ solùm eminenter; vtique se ipsam repræsentabit primò; & immediatè, creaturas autem ratione continentię eminẽtialis: & subinde eas repręsentabit, non immediatè in se ipsis, sed mediatè in ipsa eminentiali continentia, quam immediatè repræsentat. Vide, quę hac de re scribit Suarius in d. cap. 25. num. 52. & 53.

Suarius.

§. 2.

Vtrum visio ita immediatè terminetur ad essentiam, & creaturas, vt prius terminetur ad essentiam, deinde ad creaturas?

10. SEnsum huius opinionis explicauimus in præcedente q. ar. 5. Sed quãuis possibilis sit; de facto tamen nõ conuenit beatis. Primum fundamẽtum: quia iste modus intelligendi se, & creaturas non conuenit Deo, vt Suarius latè ostẽdit lib. 3. de attributis positiuis c. 2. n. 13. & 14. Nõ est igitur, quod in beatis admittat: visio enĩ beata est quædã participatio visionis increatę. Deinde non satis cõsẽtit cũ doctrina Patrũ; qui docẽt creaturas videri in Deo, vt in obiecto cognito, vt patet ex 2. art. & amplius ex 4. sequenti. Deniq; inde est reijciendus; quia vix est intelligibilis, imó etiam videtur fictitius, nec oportet in eius impugnatione diutius immorari.

Illud tamen aduertam Suarium in d. capit. 2. numer. 12. in fine hunc modum tribuere Scoto, Ochamo, Gabrieli, & Aureolo. Scotum citat in 1. d. 35. quæst. 1. §. *ad ista*, cæteros autem indeterminatè. In Scoto nihil inuenies, ex quo colligas eum huius fuisse sententiæ. De cæteris iudicium nõ fero, quia certum locum non designat: affirmo tamen in illis nihil me inuenisse, ex quo hanc sententiam colligerem. Et de hoc satis. Ad verũ dicendi modum accedamus.

ARTICVLVS IIII.

An creaturæ videantur in Deo solùm mediatè, vt obiecta secundaria in primario?

1. Recipit verus modus. REiectis igitur superioribus dicẽdi modis, ille recipiendus est, qui docet beatos sua visione beatifica videre creaturas mediatè in essentia diuina cognita, & ea mediante, vt obiecto cognito.

Confirmat. Hæc opinio primũ confirmatur; quia inter Theologos, qui volunt creaturas videri in Deo eadem visione, qua videtur diuina essentia, iste dicendi modus vno consensu est receptissimus: licet enim nõ omnes conueniant, an videantur in essentia, tanquam in caussa; an vero tanquam in idea, speculoque: in hoc tamen omnes consentiunt, vt videantur in ea, vt in obiecto cognito: etenim siue hoc, siue illo modo cognoscantur, semper ita cognoscuntur. Quare in hac sententia ita generaliter prolata conueniunt omnes, qui volunt creaturas videri eãdem visione, qua videtur essentia: neminem enim inuenies, qui simpliciter probet vnam, & eãdem visionem immediatè terminari ad essentiam, & creaturas: hæc enim opinio falsò imponitur Scoto, Ochamo, Gabrieli, & Aureolo, vt ad finem præcedentis artic. annotauimus.

2. Scotus. Et de Scoto id euidenter patet: quoniam expressè docet creaturas terminare visionem beatam, vt obiecta secũdaria, vt patet in 1. d. 1. quęstione 2. art. 2. litera D. §. *actus omnis hominis*, quem in hoc omnes Scotistæ vnanimiter sequũtur cum communi Thomistarum. Et miror, quod in oppositum citetur Scotus in 1. d. 35. quæstione vnica litera I.

9. *ad ista*: nihil enim ibi scribit, vnde sumi possit visionem immediatè terminari ad essentiam, & creaturas: imò oppositum docet, dum ait litera k. creaturas non esse obiecta prima, sed secunda, vt quia intellectum non primò moueant, sed secundariò; & ob id duo ibi statuit instantia, in quorum primo visio ad essentiam terminatur, in secundo autem ad creaturas. Et inde colligit visionem, vt ad creaturas terminatur, non esse beatificam, nisi concomitanter. De Ochamo, Gabriele, Aureolo nihil dicimus, quia determinati loci non citantur. Igitur in nostra ista opinione conueniunt omnes, qui vnam tantùm visionem admittunt, qua, & essentia, & creaturę videantur.

Omnes in ista opinione conueniũt

3. Primum fũdamentum.

Et inde sumitur primum nostræ opinionis fundamentum: quia communis Theologorum consensus magnum habet in hac materia veritatis pondus: maximè, quia consentit cum communi phrasi Sanctorum Patrum: etenim visionem Angelorum, & beatorum ita explicant, vt creaturæ videantur in Dei sapientia, tanquam in arte: in diuinis legibus: in rationibus, causisque æternis: deniq; in Dei Verbo, id est in decreto diuinæ voluntatis: vt videre est apud Augustinum libro 9. de Ciuitate Dei capit. 22. & libr. 11. capit. 7. & 29. & libr. quart. de Genes. ad literam cap. 24. & 34. & libr. 13. confessionum cap. 15. & tractat. primo in Ioannem ad illa verba: *Quod factum est, in eo vita erat*, & in pluribus alijs locis. Cum Augustino cõsentiunt Diuus Bernardus libro 5. de cõsideratione capit. 1. & Patres Concilij Senensis in decretis fidei.

D. Aug.

D. Bern. Cõcil. Sen.

4. Confirm. 1.

Ratione etiam id potest confirmari: quoniam sicut diuina essentia, ideo quia est ens quoddam in essendo infinitum, eminenter continet entitatem omnium creaturarum: ita etiam, quia in se est infinitum quoddam intelligibile eminenter continet omnium creaturarum intelligibilitatẽ: cõtinet enim in se primas rationes intelligibiles omnium intelligibilium. Ergo sicut omne ens ex diuina essentia participat rationem entitatis; Ita etiam ex eadem, & per eandem participabit rationem intelligibilitatis; ita vt per eam quodlibet cognosci valeat.

Et vt concludamus à sufficienti partium enumeratione conuincitur istum dicendi modum recipiendum esse, si vna tantum visio admittenda est. Nam illa, vna visio, vel ad vtrunque obiectum immediatè terminatur; vel ad vnum illorum immediatè, mediatè verò ad alterum. Prius membrum impugnatum est in art. præcedente. Ergo non potest non admitti posterius; ita vt essẽtia sit primarium obiectum visionis beatæ; creaturæ verò secundarium. Iam verò obiectum secundarium visionis ita se habet ad primariũ, vt in eo viso videatur. Vtrum verò creaturæ videantur in diuina essentia, vt in causa, an verò, vt in idea, speculo ve, ex sequenti ar. patebit.

Confirm. 2.

ARTICVLVS V.

Vtrum creaturæ videantur in diuina essentia vt in causa, an verò, vt in idea, an alio modo?

1.

CVm iam constitutum sit creaturas videri in essẽtia diuina, vt obiecta quædam secundaria in primario; consequenter inquirendum est quomodo in ea videantur? An scilicet videantur in ea, tanquam in causa? an verò tanquam in idea? an denique tanquam in speculo? De hoc enim variæ sũt Theologorum sententię. Quidam volũt creaturas videri in essentia, vt in speculo, alij, vt in idea; tertio loco volunt quidam eas videri, vt in causa, denique multis alijs modis á pleriſque fine fundamento confictis.

Variæ sententiæ.

Quæ dubitatio lõgiorẽ postulabat discussionẽ: at tamẽ, quia & in firma valetudo, & magnitudo huiꝰ voluminis cogũt, vt finẽ huic libro imponamus; oportet, vt tã in hac difficultate explicanda, quã in explicãdis quæstionibus cõsequẽtibꝰ vela cõtrahamus, & difficultates epilogãdo potius, quã disputãdo veluti sũmatim resoluamus, de illis aliquando diligentius acturi.

§. 1.
Prima conclusio.

2. 1. conclusio

PRo resolutione quæstionis sit prima conclusio. Creaturæ videntur in essentia, vt in causa in qua eminenter, virtuteque continentur. Hanc conclusionem expressè docet D. Thomas

mas 1. part. quæstione 12. artic. 8. satis eam exprimit 1. p. quæst. 14. art. 5. de veritate q. 8. ar. 4. & quæst. 20. ar. 4. & 1. cõtra Gentes cap. 49. Consentiunt omnes Thomistæ; Caietanus in d. quæstione 12. articul. 8. §. *circa primam consequentiam*, Ferrariensis in d. capit. 39. in prima ratione, & inferius §. *ad huius euidentiam*. Eandem sententiam probarunt Richardus in 3. d. 14. articul. 2. quęstione 2. & expressius quæst. 3. in principio, & in 1. d. 35. artic. 1. quæstione 6. in fine, Durãdus ibi quæst. 2. num. 16. & 18. & latius in 4. d. 49. quæst. 3. n. 14. Capreolus in 2. d. 14. quæst. 2. ar. 3. ad 1. Hibernici contra 2. fol. 70. column. 1. §. *dicitur quarto*, Marsilius in 3. quęst. 10. art. 2. fol. 416. col. 3. in 2. probatione, ex Recentioribus latè Suarius lib. 2. de attributis negatiuis c. 25. n. 20. Salas ad 1. 2. quæstion. 3. tract. 2. disput. 4. sect. 4. pag. 270. col. 1. in principio, satis supponit Molina 1. p. q. 12. ar. 8. disp. 5. n. 2. Deniq́ue est communior, & verior Theologorum sententia.

Caietanus. *Ferrarien.* *Richardus.* *Durandus.* *Capreolus.* *Marsilius.* *Suarius.* *Salas.* *Molina.*

3. Cõfirm. 1. Primum confirmatur ratione theogica; quoniam Deus cognoscit creaturas in sua essentia, vt in caussa illarum. Ergo beati eadem cognoscent in diuina essentia, vt in caussa. Antecedens cõmuniter recipitur à Theologis. D. Thomas 1. p. quęst. 14. artic. 5. vbi Caietanus & 1. contra Gentes capit. 49. vbi Ferrariensis, Alensis 1. p. quæst. 23. n. 2. art. 1. Ægidius in 1. d. 35. 1. p. quęstione 3. ad 6. vbi Argentina quęstion. 1. §. *secundo dixi*, Durandus quæst. 3. n. 18. Capreolus q. 2. articul. 1. conclus. 2. & in 3. d. 14. quęst. 2. vbi supra, Suarius lib. 3. de attributis positiuis cap. 2. n. 3. Et euidenter ponitur à Dionysio capit. 7. de diuinis nominibus in hęc verba: *Mentem diuinam omnia continere, & secundum omnium causßam in se ipso scientiam præaccipere.* Et iterum: *Deũ secundum vnam causßæ continentiam omnia scire.* Deniq́ue ita ait: *Etenim si secundum vnã causßam Deus omnibus existentibus esße tradidit, secundũ eandem causßam sciet omnia, sicut ex se ipso existentia, & quæ in ipso præextiterunt.*

D. Thomas *Caietanus.* *Ferrarien.* *Alensis.* *Ægidius.* *Argẽtina.* *Durandus.* *Capreolus.* *Suarius.* *Dionysius.*

4. Quæ verba clariora sunt, quàm patiantur explicationem Bellomontani 1. p. disput. 60. cap. 4. num. 13. & 14. Quod omittamus; quia satis est in nostro sensu verba Dionysij explicari à D. Thoma ibi lect. 3. Carthusiano, cęterisq́ue Dionysij expositoribus. Adde ita etiam explicari ab antiquioribus, & modernioribus Theologis; à D. Thom. 1. contra Gentes capit. 49. in fine, ab Alensi loco citato, & ab Ægidio in d. quæstione 3. in fine corpor. & ad 1. Cum Dionysio consentit auctor libri de caussis, dum ait *intelligentiam intelligere id, quod est sub ea; quia est illius causßa.* Refertur à D. Thoma de veritate quæstione 2. articul. 3. in fine. Et satis est de mente Commentatoris, dum ait *Deum non habere scientiam de rebus, nisi quatenus sunt entia; ideo, quia illis est causßa esßendi.* Non est igitur dubitandum de antecedente. Porro consequentia ex eo probatur; quia visio in beatis est quædam altissima participatio visionis increatæ. Illi igitur conuenire debet modus visionis increatæ: nec enim talis perfectio est impossibilis; cũ Deo conueniat: nec est incommunicabilis; cũ naturale sit effectũ cognosci in caussa, quando caussa perfectè cognoscitur.

D. Thomas Comment.

5. Secũdo probatur: quia receptũ est in philosophia effectũ congosci nõ solũ ex causa, sed in caussa: nam sicut effectus in essendo cõtinetur in virtute caussę, vt notum est; ita intelligibilitas illius virtute cõtineri debet in intelligibilitate caussæ: etenim ad esse sequitur intelligi. Ergo si ex eo, quod esse effectus virtute cõtinetur in sua caussa, potest p. esse caussæ reduci ad actum essendi; ita etiam ex eo quod illius intelligibilitas eminenter continetur in intelligibilitate caussæ, potest actu intelligi ipsa caussæ intellectione, itavt in causa intellecta, ipsa etiã intelligatur. Ergo cum Deus sit caussa creaturarum; sicut creaturæ quoad esse virtute continentur in Deo; ita intelligibilitas illarum virtute contineri debet in intelligibilitate Dei, & per consequẽs sicut ex primo, creatura potest esse per Deum; ita ex secundo, potest cognosci in ipso Deo.

6. Confirm. 2. Confirmatur ratio; quoniam, quę cõtinẽtur in intelligibilitate alicuius obiecti; possũt per tale obiectum cognosci eo modo, quo illorũ intelligibilitas cõtinetur. Sed intelligibilitas creaturarũ continetur in intelligibilitate diuinæ essentiæ, quatenus est caussa illarum: etenim Deus creaturas intelligit in se ipso, vt in caussa. Ergo essentia diuina intellecta à beato potest illum ducere ad intellectionem creaturæ.

Confirm. 3. Tertio; quoniam Angelus intuendo suam essentiam, per illam, & in illa cognoscit Deum, vt causſam sui esse: nam, cũ sine discursu Deum ex se cognoscat; vtique in se, illum cognoscet. Ergo beatus clarè videns Deum in ipso Deo videbit & se ipsũ, & creaturas: etenim accommadatius habetur notitia effectus per causſam, quàm causę per effectum.

7. Confirm. 4. Postremo; causſæ creatæ, vt causſę sũt habent vim notificandi effectus virtute contentos in ipsis, vt aduersarij fatẽtur: Angelus enim penetrata aliqua natura, vno intuitu in ea videt proprietates illius, atque effectus in ea virtute contentos. Philosophus etiam cognito principio, in illo cognoscit cõclusiones ex eo deducibiles. Ergo essentia diuina clarè visa, vt est prima causſa creaturarum, habebit etiam vim notificandi in se ipsa, & per se ipsam res creatas. Consequentia videtur firma; quia nulla ratio discriminis assignari potest: etenim vis illa notificandi conuenit causſæ creatæ, non vt creata est; sed præcisè, vt est causſa, & quatenus virtute continet entitatem effectus: inde enim habet, quod in se etiam contineat illius intelligibilitatem, & quod sit ratio propria cognoscendi illum. Iam verò ratio causſæ, vt causſa est, prius, & verius conuenit Deo primæ causſæ, quam causſę creatę. Nec admittenda est ratio diuersitatis, quam aduersarij assignãt; quod scilicet causſæ creatæ sint habitudines ad suos effectus, quod non conuenit diuinæ essentiæ: etenim licet causſæ creatæ annexam habeãt habitudinem ad effectus: tamen sicut non habent vim causſandi ex habitudine annexa (hæc enim per accidens se habet ad vim causſatiuam) ita etiam non habent vim notificandi effectum ex cognitione habitudinis annexę; sed ex cognitione virtutis causſatiuę. Sed de hoc plura in solutionibus argumentorum.

8. Ochamus. Bellomõt. 1. Argum. Hanc nostram conclusionem plerique non recipiunt, nempe Ochamus vbi supra in 3. dicto cum Nominalibus, & post eos Bellomontanus 1.p.disp.50.c.4.n.21. Præcipuũ fundamentum est, quia diuina essẽtia, etiã vt est causſa, est res omnino absoluta ab omni re creata; ita vt ad nullã ex natura rei habeat relationem. Ergo visa nullo modo potest ducere ad cognitionem alicuius creaturę. Antecedens patet: consequentia probatur; quia nihil ducit ad cognitionem alterius, nisi ad illud referatur: etenim, si vnũ prius cognitum diuersum est, quo pacto alterum potest ad instar illius cognosci?

9. 2. Argum. Secundo Deus nõ scit creaturas, quia est causſa earum. Ergo nec beatus creaturas videbit in Deo, vt est earũ causſa. Consequentia patet ex primo argumẽto principali. Antecedens probatur: quia Deus est agens per intellectum, & voluntatem. Ergo operatur, quia intelligit. Ergo ideo est causſa creaturarum; quia earum habet scientiam. Quomodo igitur creaturas intelliget in se, vt est earum causſa?

10. 3. Argum. Tertio; si per impossibile Deus non esset omnipotẽs, adhuc haberet notitiã creaturarum. Ergo Deum esse causſam creaturarum non est per se mediũ cognoscẽdi creaturas. Consequẽtia est nota: antecedens probatur; quoniam Deũ esse omnipotentem; & esse omniũ scientẽ sunt attributa distincta, quorum vnum non necessariò est connexum cũ altero.

11. Argum. 4. Quarto; ad mentem Ochami, & Bellomontani in d. disp. 50. cap. 5. n. 26. & 27. si creaturę viderẽtur in Deo, vt in causſa; beatus non posset non videre omnes creaturas tam existentes, quàm possibiles: etenim omnes in hoc sunt æquales; quia Deus æqualiter est causſa omnium. Consequens tamen nõ est admittendum, vt videbimus q. 20.

Argum. 5. Postremo; quoniam Deus, vt est causſa rerum, & eius omnipotentia indistinctè continet omnes creaturas vna, & indiuisibili perfectione. Ergo cognita sub ea ratione non potest esse medium distinctè illas cognoscendi.

12. Ad 1. Ad primum argumentum negandum est diuinam essentiam, vt est rerũ causſa esse omnino absolutam ab omni re creata; ita vt nullam ad res creatas dicat relationem: nam quanuis, vt sic, nullam dicat relationem prędicamentalem; tamẽ non ineptè dici potest eam essentialiter includere relationẽ transcendetalẽ ad creaturas. Quod intrepidè docuit Salas ad 1.2. quæst. 3. tract. 2. disput. 4. sect. 4. num. 45. pagin. 263. column. 1. in fine, & in ea opinione persistit sect. 6. num. 61. pag. 269. & n. 62. pag. 270. col. 1. in fine. Salas.

Quam

Quam sententiam veram esse in attributo omnipotentiæ diximus supra q. 4. art. 7. n. 5. & in eâdem modo persistimus: etenim hæc relatio per se nullam includit imperfectionem; nec diuina essentia, diuinaque potentia ideo desinit esse simpliciter absoluta, vt cum communi metaphysica supponimus. Si verò obijcias relatiua transcendentia habere se ad aliud, vt ad quidpiam prius in aliquo genere causæ ex Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 15. quæstion. 1. section. 4. pag. 686. §. *relata transcendentia*; quod Deo conuenire non potest. Respondetur Fonsecam in hoc non esse probandum, dum sine fundamento hanc conditionē admittat, tāquam intrinsecam relatiuis transcēdentibus. Melius Suarius in Metaph. disp. 47 sect. 4. n. 9. dum docet relatum transcendentale includere habitudinē ad aliud, vel causæ, vel subiecti, vel obiecti, vel deniquè alterius cuiusq; muneris, quod in aliud exerceat. Quod etiam placuit Conimbricensibus in prædicamentis c. 7. de relatione quæst. 1. art. 2. pag. 341. §. *tertia est subdiuisio*, & art. 3. §. *ad primam obiectionem*, & satis est de mente Caietani de ente, & essentia cap. 7. q. 15.

Obiectio.

Responsio.

Suarius.

Conimb.

Caietanus.

13. Non est igitur admittendum relationem transcendentem intrinsecè respicere id, à quo pendeat in aliquo genere causæ. Hac igitur opinione suppositā deficit argumentum: nam cum essentia, vt est causa rerum intrinsecè dicat ordinem transcedentalem ad creaturas; quia illas eminenter cōtinet; vtiq; cognita poterit ducere intellectum ad cognitionē creaturarū; non solū terminatiuè (vt ducunt relatiua prædicamētalia) sed etiā quidditatiuè, quatenus cognoscit, vt imitabilis sub gradu illo essentiali creaturæ. Nec cōtra hoc, locū habet argumētum Suarij in d. c. 25. n. 23. & 24. vt probet nullū relatiuū esse posse mediū: siue rationē cognoscēdi; quia solùm habet locū in relatiuis prædicamētalib⁹

14. Porro si nostram istam sentētiam nō admittis, vt quia existimas diuinam essentiam, etiam vt est causa, esse formam absolutam cum Suario in d. c. 25. in fine, & in Metaph. in d. num. 9. (quę est opinio magis communis) non negabis diuinam essentiam, vt est causa, enumerandā esse inter relata secundùm dici, quod probat idem Suarius in d. n. 9. & Conimb. in d. ar. 2. pag. 343. §. *nihilominus*. Iam verò relata secundum dici eius sunt naturæ, vt quānis essentialiter sint absoluta, intelligi nō possint, nisi ad instar relatiuorū, siue id proueniat ratione alicuius relationis annexæ, quę in illis insit, saltē secundum conuenientiam, vt quia contineant illius relationis fundamentum: siue proueniat ratione alicuius connexionis virtualis, vel eminentialis, qua aliud in se necessario contineant; vt colliges tum ex Conimbric. in d. ar. 2. pagin. 343, §. *fundamentū secundæ*, & §. *nihilominus*: tum ex Suario in Metaph. d. n. 9. in fine, & latius contra Bellomōtanum in d. c. 25. n. 24. & 25, vbi docet, vt aliquod obiectū cognitum ducat in cognitionem alteri⁹ rei diuersæ, satis esse, quod illam eminēter contineat, & quod talem inter se habeant cōnexionem, vt vna ex alia resultet, etiam si vtraque sit absoluta. Et ita patet explicatio primi argumenti.

Ad secundum negandum est antecedens, vt in primo nostro argumento diximus. Ad probationē respondetur Deū nō in eo sēsu agere per intellectū, vt formaliter constituatur, & fiat potens ad agendū in actu primo per actualē scientiam rerū: sed per ipsā diuinā potētiam quā immediatè habet ex essētia, quatenus eminenter continet omne esse. Quin potius ex hoc, quod cōtinet omne esse alteri communicabile per omnipotentiā, est formaliter potens omnia scire: ita vt omnipotentia nostro intelligendi modo prius Deo conueniat, quam scientia, & actus scientiæ. Ita Suarius in d. c. 25. n. 27. in secunda solutione pag. 178. col. 1. in principio, & clarius lib. 3. de attributis positiuis c. 2. n. 9. & 10. Scio rem esse difficilem, & multos habere oppugnatores: sed quia breuitati iam studemus nunc satis sit hanc esse sententiam D. Thomæ 1. p. q. 19. ar. 4. ad 4. & q. 25. ar. 1. ad 4. dum docet scientiam Dei concurrere per modum dirigentis ea, quæ voluntas imperat, & potentia exequitur. Vnde potentia in Deo nostro intelligēdi modo antecedit scientiam.

15. Ad 2.

Suarius.

D. Thomas

Sed quoniam D. Thomas in d. q. 25. ar. 1. ad 4. putat etiam esse probabile potentiam in Deo formaliter esse ipsam scientiam, & voluntatem Dei: possumus secundò respondere, communem sententiam, quæ docet Deum scire creaturas;

16. Obijcitur.

Occurritur

quia est causſa earum, intelligendam esse, non de causſa completa, & proxima; sed de causſa, potentiaque radicali, quæ antecedit scientiam, & voluntatem; vt quia formaliter scit ipsa diuina essẽtia, provt eminenter continet omne esse imitabile: quomodo ipsa potẽtia in Deo etiam, vt antecedit scientiam, est principium, mediumque cognoscendi res creatas.

17. Ad 3. Ad tertiũ negandũ est antecedẽs: quia facta illa hypothesi nec creaturę tũc essent posſibiles; nec diuina essentia ex se eminenter contineret aliquod esse participabile ab alio. Vnde Deus non haberet sufficiens medium cognoscendi creaturas; nec eas posſet repræsentare, vt species intelligibilis earũ. Vide Suarium in d.c.25.n.28.& in d.cap.2.n.11.

18. Ad 4. Ad quartum negãda est sequela; quia licet essentia ex se sit causſa productiua omnium creaturarum; non tamen actu repræsẽtabit omnes creaturas, nisi perfectè comprehendatur; de quo in sequẽti quęstione vide D. Thomam 1.p. q.12 ar.8. vt alios omittamus.

Ad 5. Ad postremum dicẽdum est diuinam causſalitatẽ, & omnipotentiam in se ipsa ita esse simplicem, & indistinctam, vt tamen secundùm continentiam virtualẽ, virtualemque imitabilitatem sit plures: potest igitur esse distincta cognoscendi ratio, prout secundum hanc multiplicẽ continentiam, & imitabilitatem distinctè concipitur à beato, vt D. Thomas, sæpe affirmat, de quo aliquid inferius in corollarijs.

§. 2.

Ponitur secunda concluſio.

19. Cõclusio 2. SIt secunda concluſio: creaturæ videntur in diuina essentia, prout ex sua natura est eminenter imitabilis, & participabilis. Satis id expresſit D. Thom. D. Thomas 1.p.q.14.ar.6.ad 3. *diuina* (inquit) *essentia potest accipi, vt propria ratio vniuscuiusque secundum quod diuersimode est participabilis, & imitabilis à diuersis creaturis.* Idẽ docuit 1.p.q.15. ar.2. & de veritate q.2. ar.4.ad 2. & satis significauit primo cõtra Gentes c.54. Idẽ sentit noster Ægidius Romanus. Ægidius Romanus in 1.d.35.2.p.q.3.in principio corporis, Richardus ibi. d.36. ar. Richardus. 2.q.2. §. *tertio modo accipitur*, Ferrarienſis Ferrarien. 1.contra Gentes cap.54. Caietanus 1.p. Caietanus. q.15.art.2. Idem asſeruerunt Godofredus quodlib.6.quæstione 3. & Bernardꝰ de Ganaco relati à Capreolo in 4.d.49. quæstione 6. articul.2.& 3. fol.216. col. 4. & folio 218. column.3. in principio. Quod latè probaremus, nisi ad finem properaremus. Satis modo sit essentiã diuinam ex eo habere, quòd sit propriũ repræsentatiuum, propriaque similitudo omnium, & singularum creaturarum quod ex sua natura est à singulis creaturis participabilis, vt expresſè docet D. Thomas de veritate loco citato, & satis significat in d. quæstione 15. artic. 2. cum Ferrarienſi, vbi supra, & Hiſpalẽſis in 4. d.49. quæst.6. art.3. notabili 3.

Godofredꝰ *Bernardus de Ganaco.* *Capreolus.* *D. Thomas* *Ferrarien.* *Hiſpalẽſis.*

Cum vero hęc sit prima radix repræsentationis, atque similitudinis, vt patet, & satis insinuat D. Thomas citatis locis, & cum eo Richardus vbi supra; necessariò infertur creaturas per se primo videri in essentia, quatenus eminenter continet in sua entitate omnes, & singulas creaturas, & à singulis secundum proprium essendi gradum est imitabilis; quam multiplicem imitabilitatem beatus sua visione distinguit in Deo viso, vt latè ostẽdimus supra quæstione 6. articl.9. Quare beatus in diuina essentia visa, vt multipliciter imitabili primo videt ipsas creaturas, idque cognitione distincta: etenim imitabilitas, & participabilitas diuinę essentię non potest á beato distingui, quin creaturæ distinctè concipiantur. 20.

Nec prima concluſio huic repugnat; sed potius cũ ea coincidit: quia ex imitabilitate essentiæ, cõtingentiaque eminentiali creaturarum habet diuina essẽtia, quod sit causſa creaturarum. In hoc tamen hæc secunda concluſio differt à prima, quod in se continet primam radicem causſalitatis, siue potentiæ productiuæ creaturarum. 1. concluſio non repugnat secũdæ. In quo differat 2. cõclusio à prima.

§. 3.

Explicatur tertia, & quarta concluſio.

21. Cõclusio 3. TErtia cõclusio: non est negandum beatos videre diuinam essentiam in rationibus æternis diuinæ sapientiæ, quæ sunt in mente diuina. Hæc cõclusio euidenter probatur ex testimonijs Augustini. Nam lib. 9. de Ciuitate Dei cap.22. expresſè docet *Angelos mutationes* *Auguſtinꝰ*

tiones temporum præuidere in æternis, atque im mutabilibus Dei legibus, & ideo certius etiam temporalia, & mutabilia ista nouisse; quia eorũ principales causſas in Verbo Dei nouerunt. Idẽ testatur lib. 4. de Geneſi ad literam c. 24. ita inquiẽs: *Proculdubio vniuersam creaturam in ipso Verbo Dei prius nouerunt, in quo sunt omnium, etiam eorum, quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes.* In eodẽ lib. c. 34: *cum in primis, atque incommutabilibus rationibus contemplaretur, &c.* Eãdem loquendi phraſi vtitur in eodem lib. 4. cap. 25. & multis alijs in locis. Imò apertè docet Angelos in Verbo Dei, veluti in arte, vidiſſe res, vt patet lib. 9. de Ciuit. Dei c. 22. & lib. 11. c. 7. & 11. & tract. 1. in Ioãnem ad illa verba: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Cũ Auguſtino conſentit D. Bernardus libr. 5. de conſideratione c. 1. vt alios omittamus. Quibus addimus D. Thomam 1. p. q. 84. art. 5. in medio corporis, vbi expreſſè ait beatos omnia in Deo videre in rationibus æternis.

D. Bernar. *D. Thom.*

22. Quidam negant creaturas videri in eſſentia, vt in idea: alij affirmant.

Ex quibus colligitur reſolutio quæſtionis, an beati videant creaturas in eſſentia, vt in idea? Quidam negant, vt Aureolus apud Capreolum in 3. d. 14. q. 2. ar. 2. in 6. argumento contra 2. fol. 67. col. 2. Alij affirmant, vt Henricus quodlib. 7. q. 4. Pro vtràque parte quamplurimi citantur, ſed non omnes ſatis fideliter: non vacat id expendere; ſicut etiam nec vacat difficultatem diligentiùs explicare. Sit reſolutio, Creaturas non videri in ideis ſumptis formaliter pro ipſis reſpectibus rationis: hi enim nõ poſſunt eſſe ratio cognoſcendi creaturas: quia vel non dantur in illis, niſi prout intelliguntur ab intellectu viatoris: vel ſi dantur; illi aut non videntur à beatis: aut in ſe non ſunt ſatis, vt ducant in cognitionem creaturarum. Quare ſi admittendum eſt creaturas videri in diuina eſſentia, vt in idea; id intelligendum eſt de idea fundamentaliter ſumpta. Vel pro eſſentia diuina, vt eſt imitabilis: vel pro ipſo conceptu formali eſſentiæ, vt imitabilis eſt: vtroque enim modo fundamentaliter ſumitur, & vt ſic ſatis eſt, vt poſsit ducere in cognitionem creaturarum, de hoc interim vide Suarium lib. 2. de attributis negatiuis c. 25. n. 29.

Reſolutio quæſtionis.

23. Concluſi. 4.

Quarta concluſio: ſi propriè loquendum eſt, creaturæ non videntur in diuina eſſentia, vt in ſpeculo. Probatio ſumenda eſt à D. Thoma de veritate q. 12. ar. 6. & in 2. d. 11. q. 2. art. 4. in quibus locis affirmat Deum impropriè, & metaphoricè appellari ſpeculũ, in quo creaturæ videantur. Videndi ſunt Hiſpalenſis in 3. d. 14. q. 2. ar. 3. notab. 1. & in 4. d. 49. q. 6. ar. 3. Molina 1. p. q. 12. ar. 8. diſp. 2. Suarius in d. c. 25. n. 44. Valentia 1. p. q. 12. punct. 6. q. 1. Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 4. ſect. 6. n. 60. & 61. pag. 269. apud quos videbis, quomodò explicandus ſit Auctor libri de triplici bono c. vltimo apud Auguſtinum tom. 9. & Concilium Senonenſe in decretis fidei c. 13. & alij Patres ſimul cum D. Thoma 1. p. q. 12. ar. 8. & q. 14. ar. 5. dum aſſerunt creaturas videri in Deo, vt in ſpeculo: locutio enim eſt metaphorica.

D. Thom. *Hiſpalenſ.* *Molina.* *Suarius.* *Valentia.* *Salas.*

24.

Ex hac reſolutione infertur creaturas à beatis diſtinctè non videri in eſſentia viſa, vt præciſè eſt eſſentia. Probatur; quoniam creaturæ non poſſunt diſtinctè videri in eſſentia, niſi quatenus illa eſt ſufficiens repreſentatiuum, propriaque ſimilitudo cuiuſque ex creaturis. At eſſentia cognita ſub ſola ratione eſſentiæ, non eſt ſufficiens repræſentatiuum creaturarum, vt inter ſe diſtinguuntur. Ergo, vt ſic, non poſſunt creaturę diſtinctè cognoſci in ea. Maior patet, & colligitur ex D. Thoma locis citatis, maximè de veritate q. 2. ar. 4. ad 2. & 1. p. q. 15. ar. 2. Minor ex dictis cõſtat: quoniam prima, & radicalis ratio, vnde diuina eſſentia habet, quòd ſit cuiuſque creaturæ diſtincta ratio, eſt habere eſſe multipliciter imitabile, vt diximus, & ſatis ad mentem D. Thomæ, Ægidij, Richardi, & aliorum: quare cognitio eſſẽtiæ, vt ſolùm eſt eſſentia, non ſatis eſt, vt in ea creaturæ diſtinctè cognoſcantur. Quod non ſolùm in beato, ſed etiam in Deo explicauit Ferrarienſis, vbi ſuprà §. *Sed aduertendum eſt doctrina*: & in hoc ſẽſu intelligendus eſt Henricus quodlib. 7. q. 4. litera G. dum ait eſſentiam, vt in ſe eſt quoddam abſolutum, licet ſit formalis ratio cognoſcendi ſe, non tamen eſſe rationem formalem cognoſcendi creaturas. Et in hoc ſenſu vera erit ſententia Bellomontani conſentientis cum Henrico 1. p. diſp. 50. n. 7. & 9.

D. Thom. *Ferrarienſ.* *Henricus.*

25.

Secundò infertur creaturas à beatis diſtinctè non videri in eſſentia cognita ſub generali ratione imitabilis, quate-

nus scil. cognoscitur, prout vnitè in se ipsa continet omnes essendi gradus: etenim, vt sic, cum solùm habeat relationẽ ad creaturam in communi, non potest ducere in cognitionem distinctam alicuius creaturæ. Videntur igitur creaturę in essentia distinctè cognita secundùm multiplicem suam virtualem imitabilitatem, atque continẽtiam virtualiter multiplicem: cuius virtualis multiplicitas eò magis, vel minus penetratur, quò maiori, vel minori lumine glorię intellectus beati perfunditur. Et hęc satis pro isto art. & quæstione.

QVÆSTIO XIX.

De extensione visionis beatificæ in ordine ad creaturas.

IVXTA ordinem propositũ in præfatione ad quęstionem 15. postremo loco inquirendum erat de extensione visionis beatificæ ad creaturas; & explicandum, ad quasnam creaturas extendatur; & quomodò?

Pro explicatione præmittendum est quæstionem istam expendi posse, vel secundùm legem ordinariam expendendo solùm ea, quæ de facto fiunt in beatis: vel secundùm potentiam Dei absolutam expendendo quid diuina potentia fieri valeat circa creaturarum visionem. Nunc expendimus extensionem visionis secundùm ordinem legis ordinariæ: in sequenti quæst. disputabimus, quid diuina potentia factu sit possibile.

Expenditur quæstio penes legẽ ordinariam.

Quod attinet ad 1; primùm generaliter inquirendum est, an beati videant creaturas vtriusque ordinis; naturalis scilicèt, & supernaturalis? Deindè; an beati videant in Deo res creatas, tum in specie; tum in indiuiduo? Tertiò; an videant res non solùm secundùm esse possibile, sed etiam secundũ esse actualis existentiæ? Quartò; quænam sint ea, quæ beati de facto vident? Quintò; an omnia, quæ in Deo vident, naturaliter videant ex vi visionis essentiæ; an verò per liberam Dei reuelationem? Sextò; an omnia, quæ vident in Deo, videant simul; an aliqua possint de nouo videre? Postremò; quænã sit causa, cur hę creaturæ potius, quàm illæ videantur?

ARTICVLVS I.

Vtrùm Beati in Deo videant creaturas vtriusq; ordinis, supernaturalis scil. & naturalis?

IN hac quæstione supponẽdum est ex creaturis alias pertinere ad ordinẽ naturæ; alias ad ordinem gratiæ. Nõ est dubium; quin de facto res vtriusque ordinis à beatis in Deo videantur: id enim constabit ex ar. 4. vbi ostendemus beatos de facto videre plura mysteria gratiæ; plures item res, quæ ad naturalem ordinem spectant. 1.

Hoc supposito illud in hoc artic. est inquisitione dignum; vnde nam ostendi possit visionem creaturarum vtriusq; ordinis; si nõ omnium, saltem aliquarũ, singulis beatis esse debitam.

Et quanuis Doctores in his terminis inquisitionem istam, nec proponãt, nec explicent: ego huius rei rationem ex eo putò esse petẽdam, quod beatitudo patriæ explet omnem ordinatum appetitum, etiam naturalem: hoc enim pertinet ad perfectionem status beatifici. Iã verò supposito ordine tã naturali, quã supernaturali, quem Deus in suis operibus constituit; datur in singulis beatis naturalis quidam appetitus naturæ humanæ satis consentaneus cognoscẽdi non solùm ea, quæ pertinent ad naturalem constitutionem vniuersi; sed etiã ea, quę spectant ad ordinem supernaturalem gratiæ. Vterque appetitus naturalis est: vnus simpliciter consequens lumen naturale; alter verò supposita reuelatione Fidei: sicut enim naturale est homini inuestigare, quę sunt de constitutione vniuersi (hæc enim à Deo Auctore naturæ exposita sunt inquisitioni hominum) ita etiam supposita diuina reuelatione rerum supernaturaliũ spectantium ad ordinem gratiæ, naturale est homini appetere claram, & perfectã illorum cognitionem. Quare, cũ vterq; iste appetitus sit rationabilis, & naturę humanę maximè consentaneus; consentaneum etiam est rationi, & legibus diuinę prouidentiæ, vt vterque in singulis beatis compleatur in patria. Fuit igitur legibus diuinæ prouidentiæ maximè consentaneum, vt singulus quisque beatus videns diuinam essentiam non solùm videret in ea eminẽter contineri 2. Doctores in his terminis quæstionẽ non proponunt.

res

res vtriusque ordinis, naturalis scil. & gratiæ: ita vt singulus videret diuinam essentiam vtroque modo esse imitabilē; sed etiam, vt singulus in hac imitabilitate, & caussali virtute clarè, & distinctè videret, quæ ad vtrunque ordinem spectant; idque iuxta maiorem, vel minorem penetrationem illius virtualis eminentiæ, & imitabilitatis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Beati in Deo videant creaturas, tum in specie, tum in indiuiduo?

1. IN hac etiam quæstione supponendū est creaturas dupliciter videri posse in Deo: vno modo secundùm rationes specificas, & genericas; altero modo secundùm rationes indiuiduales. Inquirendum est igitur, an videantur à beatis, non solùm naturæ specificæ, & genericę; sed etiam illarum indiuidua? In qua quæst. non omnes conueniunt; sunt enim, qui existimant nulla indiuidua videri à beatis visione beatifica, non solùm quoad esse existentię, sed nec quoad esse possibile. Et hæc opinio cōmuniter tribuitur Henrico quodlib. 7. q. 5. Sed quanuis Henricus expressè doceat indiuidua naturaliter, & ex vi visionis essentiæ non videri; non tamen expressè negat ea videri ipsa visione essentię, sed solùm ait ea videri ex speciali aliqua reuelatione. An verò reuelata videantur ipsa visione essentiæ, an alia distincta, non explicat, vt bene aduertit Bellomontanus 1. p. disp. 50. c. 2. n. 8. Sed quidquid sit de mente Henrici; hæc negans opinio pluribus confirmatur.

Auctores non conueniunt in hac quæstione.

Opinio negans tribuitur Hērico.

2. Primò; quia visa essentia nihil ex rebus creatis videtur à beatis, nisi id, cuius diuina essētia est specialis idea: beati enim (vt volunt) creaturas non vidēt, nisi in essentia, vt habet rationem ideæ. At solę species per se habent ideas, non verò indiuidua. Ergo beati visa essentia vident solas species, & non indiuidua. Si respondeas ideas specierum accidētaliter repræsentare indiuidua; vt quia species ad indiuidua accidentaliter se habeant: occurrendū est cognita caussa non cognosci effectum, qui solùm per accidens se habet ad caussam. Ergo si indiuidua accidentaliter solùm se habent ad essentiam, vt est idea; in illa non videbuntur indiuidua.

Argumentū 1. pro negāte opinione

3. Secundò; cognita caussa secunda non cognoscuntur indiuidua, quanuis in illius virtute contineantur. Ergo cognita diuina essentia, quæ est prima rerum caussa, non cognoscentur in ea indiuidua: eadem enim est vtrobique ratio. Arg. 2.

4. Tertiò; obijciunt nonnulli; quoniam beati visa essentia, ideo in ea vidēt creaturas, quia visio illarū pertinet ad perfectionem intellectus humani. Sed cognitio singularium non pertinet ad perfectionē humani intellectus, ex D. Thoma 1. p. q. 12. ar. 8. ad 4. Ergo, &c. Arg. 3.

5. Hæc tamen opinio communiter reijcitur. Nam, quod indiuidua videantur à beatis beatifica visione, supponunt omnes antiquiores Theologi, dum probant beatos videre plura ex ijs, quæ à Deo videntur scientia visionis, quę non possunt non esse singularia. Nostram sēntiam in terminis docuit D. Thomas 3. contra Gent. cap. 59. vbi Ferrariensis, idem D. Thomas de veritate q. 20. ar. 4. ad 1. in fine. Ex Nouioribus contra Hēricum scripserunt Suarius lib. 2. de attributis negatiuis c. 26. n. 7. in fine, & c. 28. n. 12. Molina 1. p. q. 12. ar. 8. disp. 5. n. 3. §. *quod attinet ad singularia*, Salas ad 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 4. pag. 266. col. 1. post principium, & sect. 11. pag. 320. n. 162. Adde Bellomontanum 1. p. disp. 50. c. 2. n. 9. & c. 8. n. 55. quanuis non loquatur in sensu nostræ conclusionis.

Reijcitur ōpinio negās

Approbatur sententia affirmans: *D. Thom. Ferrarien. Suarius. Molina. Salas. Bellomont.*

6. Horum Theologorū opinio non potest non probari. Primò; quia in 3. & 4. art. ex Augustino, & alijs Patribus ostēdemus beatos videre plura ex ijs, quæ existunt: hæc autem non possunt non esse singularia. Confirm. 1.

Deindè; quia fundamentum, quo oppositā sententia nititur, falsum est: etenim falsum est indiuidua in Deo nō habere proprias ideas: oppositum enim docet communis sententia cum D. Thoma 1. p. q. 15. ar. 3. ad 4. & in 1. d. 36. q. 1. ar. 3. ad 3. vbi etiam Ægidius in 2. p. q. 4; Richardus art. 2. q. 4. Bonauentura in 1. d. 35. art. 1. q. 4; & inter Antiquiores est recepta sententia, si vnū Henricum excipias. Eandem probauerūt Nouiores, Suarius lib. 3. de attributis positiuis c. 5. n. 10. Bellomontanus 1. p. disp. 74. c. 2. n. 5. Molina 1. p. q. 15. ar. 3; vbi etiam affir mat

Confirm. 2.

D. Thom. Ægid. Rō. Richard. Bonauent. Suarius. Bellomont. Molina.

firmat vniuersalia nõ alias habere ideas, nisi singularium; sed quicquid de hoc sit; non est negandũ dari proprias ideas indiuiduorũ: hoc enim expressè docuit Augustinus epistola 115. ad finem. Quare cum apud aduersarios ea videantur in diuina essentia, quorum ipsa est idea; dubitari non potest, quin ipsa etiam singularia à beatis videantur in Deo.

Augusti.

7. *Confirm. 3.* Tertiò id ostenditur ratione: quoniã ad perfectionem status beatifici pertinet, vt beati visione beatifica videant plura ex indiuiduis, tum ordinis naturalis, tum etiam gratię. Etenim visio illorum pertinet ad complementum appetitus beati naturalis tam simpliciter quàm ex suppositione, vt diximus suprà ar. 1. Id patet de cognitione indiuiduorum ordinis naturalis: intellectus enim ad illa est in potentia naturali, vt patet. Et quanuis illorum cognitio absolutè non sit necessaria ad naturalem perfectionem intellectus; ita vt sine ea simpliciter maneat naturaliter imperfectus: tamen pertinet ad naturale illius perfectionis augmentum; quia negari non potest intellectum per eam naturaliter esse perfectiorem, vt benè aduertit, & probat Suarius vbi suprà, & satis ad mentem D. Thomæ de veritate q. 8. art. 4. ad 13. & 3. contra Gent. d. c. 59. & Ferrariensis ibi §. *Circa prædicta*. Et in hoc sensu hęc opinio videtur verisima, quidquid repugnet Nauarrete controuers. 43. §. 8. fol. 275. col. 3. Nec oppositũ conuincunt verba D. Thomæ 1. p. q. 12. ar. 8. ad 4. optimè enim in hoc sensu explicantur, vt cognitio indiuiduorũ simpliciter non pertineat ad perfectionem naturalem nostri intellectus; cum quo benè constat cognitionem illorum pertinere ad augmentum naturalis perfectionis. Eàdem etiam ratione cognitio indiuiduorum ordinis gratiæ pertinebit ad perfectionem intellectus beati; quoniam licet intellectus ad ea cognoscenda simpliciter non habeat naturalẽ appetitum: tamen facta reuelatione naturaliter appetit claram illorum cognitionem. Quare cum cognitio indiuiduorum vnius, & alterius ordinis aliquo modo pertineat ad naturalem satiationem naturalis appetitus; consentaneum est rationi, vt per ipsam visionem beatam appetitus iste expleatur.

Suarius. D. Thom. Ferrarien.

8. *Confirm. 4.* Postremò suadetur; quoniam naturæ vniuersales ideo visione diuinę essentię à beatis videntur; quia beati diuinam essentiam vident, vt imitabilem, & eminenter continentem creaturas: nam visa hac diuinæ essentiæ imitabilitate, & eminentiali continentia necesse est videri creaturas sub ratione propria imitabilitatis. Cum verò sit imatabilis nõ solùm secundùm gradus essendi genericos, & specificos, sed etiam secundùm gradus indiuiduales; cũ in se contineat omnem essendi gradum, negari non potest visa essentia secundùm imitabilitatem gradus indiuidualis simul etiam videri ipsa indiuidua.

9. *Ad 1.* Quæ verò in contrarium obijciũtur, nihil officiunt. Nam primum sumit fundamentum falsum: quoniam singularia, etiam habent suas ideas; siquidem non solùm secundùm suam formam, in qua conueniunt cum cæteris indiuiduis; sed etiam secundùm suam materiam, proprietatemque singularem, qua ab alijs differunt, imitantur diuinam entitatẽ.

10. *Ad 2.* Ad 2. quidquid sit de antecedente, neganda est consequentia: ratio discriminis ex eo sumi potest; quia indiuidua non adæquatè continentur in virtute caussæ naturalis: non continentur enim in ea secundùm omnem suam entitatẽ, quia non continentur secundùm suã indiuiduationem: cum tamen in virtute primæ caussæ contineantur adæquatè, & quoad formam, & quoad indiuiduales differentias: siquidem diuina essentia omnem essendi gradum eminenter continet, & secundùm omnem est imitabilis. Et ideò, quanuis indiuidua non semper cognoscántur in sua caussa naturali; possunt tamen videri in prima caussa.

11. *Ad 3.* Ad 3. posset negari maior: licet enim, quæ ad perfectionem naturalem intellectus pertinent, à beatis videantur; nõ tamen sola illa videntur: etenim videntur etiam plura, quæ pertinent ad mysteria gratiæ, quorum cognitio ad naturalem intellectus perfectionem non spectat. Quare caussa per se, cur creaturæ videantur in diuina essentia, non est, quòd illarum cognitio pertineat ad naturalem perfectionem intellectus: & ideo etiamsi daremus minorem, argumentum non valeret. Sed minor etiam

est

est falsa, si generaliter intelligatur, & negatur à Suario in d. cap. 28. n. 12: nam, vt diximus in 3. argumento, cognitio indiuiduorum pertinet ad perfectionem intellectus, & ad satiandum appetitum naturalem, vel simpliciter, vel facta reuelatione. Vide ibi.

ARTICVLVS III.

Vtrùm beati in diuina essentia videant creaturas tam possibiles quoad esse essentiæ, quàm etiam quoad esse existentiæ?

Quæstio explicatur.

CVM creaturæ cõsiderari possint, & quoad esse possibile essentiæ, & quoad esse actuale suæ existentiæ, explicandum est, an à beatis vtroque modo de facto videantur? in hoc enim sensu quæstionem excitamus.

§. I.

Refertur sententia negatiua.

1. INter Doctores, qui nobiscum admittunt creaturas videri intra Deũ, nulla est controuersia, quin creaturæ, saltem aliquæ, videantur in Deo, quoad esse possibile: omnes enim id fatentur: solùm igitur est controuersia de esse actualis existentiæ. Nam quidam negant vllam creaturam in Deo ita videri: licet enim admittant beatos videre existentiam creaturarum; volũt tamen eã non videre in Deo formaliter, sed causaliter tantùm per reuelationem, quæ fit actio distincta à visione essentiæ. Ita Durandus in 4. d. 49. q. 3. n. 15. & in 3. d. 14. q. 2. n. 4. & 5. vbi refert hanc opinionem alijs placuisse. Eandem probat Basolius in 4. q. prologi ar. 3. §. *de theologia in intellectu beatorum*. A quibusdam pro eadem sententia citantur Henricus quodlib. 7. q. 5. Godophredus quodlib. 6. q. 3. Ochamus in 4. q. 13. Gabriel in 3. q. 14. Supplementum illius in 4. d. 49. Maior, Aliacus cum cæteris Nominalibus. De Hẽrico non satis mihi constat: quia solùm docet indiuidua, quia non habent propriam ideam, naturaliter videri nõ posse visione gloriosa; sed indigere speciali reuelatione. Anverò hęc reuelatio necessariò facienda sit per aliam visionem, non explicat, vt iam cum Bellomõtano aduertimus art. 2. Iam verò reuelatio apud nonnullos de nouo fieri potest per visionem beatificam extensam, vt art. 6. dicemus. Eàdem ratione non est mihi certum, an Godophredus pro hac negante sententia citari possit, quia idem dicit, quod Henricus. Apud Nominales oppositam sententiam inuenl: expressè enim docent fieri posse, vt essentia, & creaturæ eodẽ actu videãtur.

Auctores sententiæ negatiuæ.

Durandus. Basolius.

Hẽrici mẽs dubia.

Nominales negatiuam sententiam non tenent. 2.

Imò addunt rationabile esse id fieri. Et cum non admittant res vniuersales, intelligendi sunt de singularibus existẽtibus: de hoc latè diximus suprà q. 16. artic. 2. §. 2. Fateor Nominales docere actum, quo beatus videt creaturam, specie differre ab eo, quo videt essentiã: ita expressè docet Ochamus in d. q. 13. art. 3. in 2. dicto: sed id intelligit de actu, qui præcisè est creaturæ; is enim specie distinguitur ab eo, qui solius est essẽtiæ; cum quo tamen stat, Nominales admittere vnum actum, qui sit essentiæ, & creaturæ simul. Quare ex præcitata doctrina non necessariò infertur apud Nominales creaturas non videri in Deo secundùm actualem existentiam: nam expressè docent actum illum vnum, quo essentia, & creaturæ simul videntur, esse beatificum, vt patet ex Ochamo, vbi suprà in 5. dicto. Quarè non puto pro sententia negante citari posse Nominales, quanuis pro illa citentur à Suario lib. 2. de attributis negatiuis c. 27. n. 6. & à Salas ad 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 10. pag. 315. n. 151.

3. Pro sententia negante arg. 1.

Hęc negatiua sententia à suis Auctoribus multis confirmatur. Et primò à Durando; quoniam videns diuinam essentiam non videt in ea, nisi, quæ per eã naturaliter repræsentantur. Diuina autem essentia naturaliter non repræsentat existentiam; quia non est illius causa, nisi liberè.

4. Arg. 2.

Secundò; creaturæ videntur in Deo, vt in causa. Sed creaturæ, vt existentes, non possunt videri in Deo, vt in causa. Ergo, vt sic, non videntur in Deo. Maior patet ex 5. art. quęstionis præcedentis. Minor probatur; quoniam existentia creaturæ videri non potest in sola virtute causatiua: tum; quia creaturæ non habent necessariam connexionem cum virtute omnipotentiæ præcisè sumpta: etenim, si Deus nullam fecisset creaturã (quod fuit possibile) cognosceretur à bea-

à beatis virtus diuinę omnipotentię sine vlla creatura. Tum etiam; quia existentia effectus cognosci nō potest cognita virtute caussæ, nisi caussa illa, aut necessariò agat, aut cognoscatur in actu exercito operandi. Iam verò nec Deꝰ necessariò agit ad extra: nec actualis caussalitas cognosci potest in ipsa diuina essentia: nam cum sit actio transiens, non est formaliter in Deo, sed extra in passo. Quare caussalitas actualis in Deo cognosci non potest, nisi, vt possibilis.

5. Arg.3. Tertiò; visio beata terminatur ad essentiam secundùm esse absolutū, prout præcedit actū liberum. Hoc autem modo non potest esse ratio cognoscendi existentiam rerum; quia hęc pendet ab actu libero diuinæ voluntatis.

Arg.4. Quartò ita arguit Bassolius: si visione beatifica creaturæ existentes cognoscerentur in essentia; vel cognoscerentur in ea pro primo signo, quo est beatifica; vel pro tertio signo post cognitionem diuinę voluntatis. Hoc posteriori modo non possunt cognosci, nisi per actum distinctum à visione essentię. Si priori modo; vtique qua ratione cognosceretur vnum existens, cognoscerētur cætera omnia, quod inferiùs non admittemus. Hæc sunt huius opinionis potiora argumenta.

§. 2.

Affirmatiua sententia est vera.

6. Approbatur affirmatiua sententia. SEntentia tamen affirmans creaturas videri in diuina essentia secundùm esse actualis existentiæ est inter Theologos receptissima vno, vel altero excepto: omnes enim supponentes eam esse verissimam inquirunt, an beati videant omnia, quæ sunt, fuerunt, vel futura sunt: cogitationes etiam cordiū, orationes, & deniqúe ea, quæ ad cuiusq; beati statum pertinent, quæ omnia sunt singularia aliquando existentia. In terminis hanc sententiam, tanquam verissimam supponit D. Thom. 1. p. q. 12. art. 8. in fine, & q. 89. art. 8. & 3. p. q. 10. art. 2. & 2. 2. q. 83. ar. 4. ad 2. & de veritate q. 8. ar. 4. in fine, & q. 20. ar. 4. & in 4. d. 45. q. 3. art. 1. & multis alijs in locis. Ex Nouioribus contra Durādum scripserunt Sotus in 4. d. 49. q. 3. ar. 3. concl. 7. pag. 607. col. 1. Suarius lib. 2. de attributis negatiuis cap. 27. n. 6. & 10. Salas ad 1. 2 q. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 10. n. 152. & 153. pag. 315. & 316. His addimus Molinam 1. p. q. 12. ar. 8. disp. 5. memb. 2. ad finem: nam licet cum Durando consentiat complexiones contingentes non videri à beato ex vi visionis essentiæ: tamen non affirmat eas non videri illa ipsa visione, sed alia, quod tamen vult Durādus; imò oppositum docet in d. art. 8. disput. 6. de quo in art. 5: admittit igitur creaturas existentes videri quidèm visione, qua videtur Deus: non tamen ex vi visionis, sed per liberam reuelationem.

1. ratio. D. Thom. Sotus. Suarius. Salas. Molina.

7. Colligitur ex Patribus sententia affirmatiua. Confirm. 1. Hæc verissima sententia euidenter deducitur ex Patribus: & primùm ex Augustino, quatenus docet res conditas in primis sex diebus fuisse cognitas ab Angelis in Verbo cognitione formaliter matutina, vt quæst. 16. iam ostendimus. Nullus autem dubitat eas tunc fuisse cognitas secundùm existentiā futuram in vespera, in qua actu fuerunt conditæ: sicut etiam dubitari non potest matutinam illam cognitionem perpetuò permansisse in Angelis, cum fuerit essentialiter beatifica.

8. Confirm. 2. D. Gregor. Id ipsum deducitur ex D. Gregorio 12. Moralium cap. 13. in principio: agēs enim de animabus beatis ita scribit: *quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credēdum est, quòd sit foris aliquid, quod ignorent.* Ex quibus verbis D. Thomas 1. p. q. 89. art. 8. colligit ex sententia Gregorij videntes Deū videre præsentia, quæ hìc aguntur; idque visione beata: nam ex eo infert cognitionē eorum, quę foris existunt, quia beati intus vident Dei claritatē; quibus verbis videtur significare beatos in ipsa Dei claritate, quam intus vident, videre, quæ foris actu existunt. Iam verò, quæ intus diuinam claritatem videntur, videntur formaliter in Deo, & non caussaliter.

D. Thom.

9. Confirm. 3. Laurēt. Iustinianus. Accedat tertiò sanctissimus Laurentius Iustinianus in lib. de casto cōnubio cap. 19. pag. 288. litera G: agens enim de beatis ita scribit: *in Verbo aspiciunt intelligentiæ oculo; & recipiunt ab ipso vniuersarum notitiam creaturarū per ideas, quæ in ipso sunt. Hunc intuentes librum, omnium in momento sciunt creaturarum virtutes, caussas, & effectus: & animæ rationalis excellentiā.* Et paucis adiectis: *quod his omnibus est mirabilius, eiusdem*

naturæ diuinæ Verbi, & humanæ euidentissimè intelligunt sacramentum. Hęc omnia ex sententia Sancti Iustiniani videri visione beatifica, ex eo colliges, quia docet beatos illa videre in ideis diuinis, & ipso splendore Verbi, quo illustrati sunt, lumine scilicèt gloriæ, quo ea sola videntur, quæ sunt intra Deum. Citatur etiã idem Iustinianus in sermone omnium Sanctorum, dum ait *beatos clarè videre pericula, in quibus nos versamur.* Sed eo in loco non satis explicat, an hæc, & alia quamplurima, quæ asserit videri à beatis, videantur formaliter in Verbo, an solùm causaliter; sicut etiam id non satis explicant Dionysius, Nazianzenus, Cyprianus, Tertullianus, & Iulianus Toletanus relati ab eodem Suario in dicto cap. 27. n. 10.

D. Iustinianus.

10. Quartò accedat, quòd ex communi Patrum, & Theologorum doctrina anima Christi videt in Deo omnia, quæ Deus videt scientia visionis, vt tanquã verissimum supponimus; ita vt id negare, nec probabile sit, nec satis pium, vt optimè aduertit Suarius in d. n. 10. Admittendum est igitur creaturas secundùm suam actualem existẽtiam non solùm videri à diuino intellectu, sed etiã à creato; cũ ita videantur ab anima Christi. Quo admisso nec aduersarij negabunt creaturas existẽtes, si non omnes, saltem aliquas videri à beatis.

Confirm. 4.

Postremò potest id probari rationibus. Prima sit; quoniam creaturas videri in diuina essentia, nullam implicat contradictionem, nec apparentem, vt benè ostendit Suarius in dicto cap. 27. numer. 11. Eas autem isto modo videri in Deo, maiorem denotat perfectionẽ, vt patet: etenim visio creata isto modo magis assimilabitur visioni increatæ, cuius est summa participatio. Cur igitur beati de facto hoc modo non videbunt creaturas?

Confirm. 5.

11. Secunda ratio; quia ad perfectionem status beatifici pertinet, vt beati sua visione videant indiuidua tam ordinis naturalis, quàm gratiæ secundùm propriã cuiusque existentiam: id enim pertinet ad complemẽtum naturalis appetitus, vt de visione indiuiduorum ostendimus art. 2. ratione 3; quæ à fortiori id concludit de indiuiduis secũdùm actualem eorum existentiam.

2. ratio.

Tertia ratio sumi potest ex vltima ratione eiusdem art. 2: etenim creaturę ideo videntur à beatis secundùm esse posibile, & essentiæ; quia beati vident diuinam essentiam, vt imitabilẽ à creaturis secundùm tale esse, & vt caussam eminenter eas continentem secundùm illud esse, vt ibi ostendimus. Sed diuina essentia non solùm est imitabilis secundùm esse essentiæ; sed etiam secundùm esse actualis existentiæ: etenim imitabilis est secundùm omnem essendi modũ; modus autem existentiæ actualis est vltimus, quo essentia actuabilis est; imò virtus caussatiua per se primò respicit productionem rei secundùm esse existẽtiæ. Ergo creaturæ etiam videbuntur secundùm tale esse: nam hoc esse maximè spectat ad perfectionem status beatifici.

12. *3. ratio.*

§. 3.

Soluuntur argumenta in oppositum.

AD primum argumentũ in contrarium distinguendum est antecedẽs: quoniam diuinam essentiam naturaliter aliqua repræsentare, potest duobus modis intelligi. Vno modo absolutè, & simpliciter; ita vt nulla ratione posit illa non repræsentare. Altero modo nõ absolutè, sed facta aliqua suppositione. Priori modo repręsẽtat creaturas secundùm esse posibile: quia ex sua natura independenter à libera Dei voluntate continet gradus illos essendi imitabiles, & participabiles. Posteriori autem modo repræsentat creaturas secundùm esse actualis existentiæ: nam licet posset illas non repræsentare; quia posset diuina voluntas nullam creaturã velle creare: tamen suppositа determinatione diuinæ voluntatis ad eas creãdum, non potest non repræsentare easdem secundùm esse existentiæ. Quod à simili aliquo modo potest declarari: quia species vniuersales Angelorũ naturaliter repræsentant naturas vniuersales; singularia verò, & quæ singularibus conueniunt, naturaliter quidèm repræsentant; quando tamen existunt. Ad argumentum igitur negandum est antecedens, si ita intelligatur, vt nihil videri posit in diuina essentia, nisi, quod priori modo repræsentatur: oppositum enim colligitur ex doctrina Patrum.

13. *Ad 1.*

Admittendum tamen est in hoc sensu, vt nihil videri possit, nisi quod naturaliter repræsentatur priori, vel posteriori modo. Et hæc solutio satis modò sit, quanuis maiorem postulabat explicationem.

14. Ad 2. Ad 2. neganda est minor: cuius probatio tangit difficultatem non satis à Theologis explicatam: quomodò scilicèt à Deo cognoscantur, quæ in aliqua differentia temporis habitura sunt existentiam, de qua difficultate aliqua tãgit Suarius in d.c.27.n.6.7.8.& 9.& eam dissoluit n.12. Sed quidquid in hac difficultate dicatur, nostra sententia semper salua permanet. Nunc pro solutione argumenti illud aduertimus creaturas existentes præcisè non videri in sola virtute causatiua rerum, vt benè argumentum probat; sed in ea, vt determinata est ad operandum per liberam determinationem diuinæ voluntatis: etenim hac supposita, iam diuina essentia explicitè potest deducere in cognitionem creaturarum existentium. Sed de hoc latiùs agere, non est huius loci, maximè cum ad finem properemus.

15. Ad 3. Ad 3. neganda est maior, si intelligatur in sensu excluiuo, vt visio beata solùm terminetur ad essentiam secũdùm esse absolutum, & vt præcedit actum liberum: etenim non minùs terminatur ad eam, vt per actum liberum voluntatis determinata est ad cõmunicandum rebus actualem existentiam.

16. Ad 4. Ad 4. respondetur dubium esse, an illa signa admittenda sint? Sed illis admissis dicendum est existentiam creaturarum non cognosci pro illo primo signo, in quo visio prius natura intelligitur terminata ad essentiam, vt est obiectum primarium; sed pro alio signo posteriori, in quo ipsa cognitio obiecti primarij sui veluti extensione terminatur ad obiectum secundarium suppositæ cognitione determinationis diuinæ voluntatis. Negandum est autem id, quod sumitur; non posse scilicèt creaturas pro illo signo cognosci, nisi per actum distinctum à visione: id enim, & falsum est, & sine probatione sumitur.

ARTICVLVS IIII.

Quænam sint ea, quæ beati de facto vident in Deo?

DIximus beatos de facto videre in Deo res creatas, & secũdùm esse essentiæ, & secundùm esse actualis existentiæ: consequenter inquirendũ est, quę nam secundùm vtrunque esse de facto videant? Quæ res in se est incerta; vt explicetur omnia, reducemus ad tria potissimum capita. Primum continebit res possibiles ordinis naturalis. Secundum res eiusdem ordinis secundùm esse actualis existentiæ. Tertium denique; mysteria fidei, & res supernaturales. Singula singulatim persequamur.

§. I.

De visione rerum possibilium naturalis ordinis.

CIrcà primum caput agendum est de rebus naturalis ordinis secũdùm esse possibile. Et primo loco inquiremus; an beati in Deo de facto videãt omnes creaturas possibiles, quę ad ordinem naturalem pertinent? Affirmant Godophredus quodlib. 6. q. 3. Durandus in 3. d. 14. q. 2. & in 4. d. 49. q. 3. Bassolius in 4. q. prologi ar. 3. Qui omnes suam opinionem explicant in sensu de facto: nam vtrum de potentia absoluta possit fieri, vel vt nulla creatura videatur, vel non videantur omnes, vel aliquæ solùm? alterius est quæstionis. Nec in hoc auctores isti pugnantia dicunt, quidquid oppositum velit Suarius lib. 2 de prædicatis negatiuis cap. 26. n. 3: nec enim dicunt per potentiam diuinam fieri posse, vt manente visione, quæ de facto nunc est, possit aut nulla creatura videri; aut non omnes possibiles, suppositò quod de facto omnes videantur, vt illi existimant: sed solùm volunt, ita à singulis beatis omnes creaturas possibiles de facto videri, vt non sit impossibile, aut nullam videri visa diuina essentia; aut non omnes: siue id fiat per eandem visionem, quæ nũnc est, siue peraliam, in quo nulla datur repugnantia.

1. Variæ sententiæ referuntur. 1. sententia.

2. 2. sententia

Secũda sententia id admittit de creaturis possibilibus specificis, non tamen de indiuiduis. Etenim in ea sunt sententia, vt omnes naturæ specificæ ipsa visione essentiæ videantur; non tamen indiuidua: quia hæc non videntur in Deo formaliter, sed causaliter. Hæc opinio

opinio tribui solet Henrico quodlibet. 7. q. 4: quanuis fortè non hæc fuerit illius mens, vt suprà art. 2. aduertimus.

3. 3. sententia. Tertia sententia docet beatos omnes de facto videre omnes creaturas possibiles, non quidèm in actu secundo; sed tantùm in actu primo: quia scilicèt visio cuiusque beati, quantum est ex se, sufficiẽs est, vt per eam quæcunq; creaturæ possibiles diuisiuè videantur: ita tamen, vt sola anima Christi ex omnib⁹ possibilibus videat, quas libuerit: quod tamen cæteris beatis non est concessũ. Nam quãuis cuiuslibet visio sit in actu primo sufficiens, vt quamlibet per eam beatus videre possit, tamen ex diuina prouidentia non quilibet beatus quamlibet voluerit creaturam videbit; sed eas tantùm, quas diuina prouidentia singulis limitauerit. Hanc sententiam ita explicatam fuisse Scoti in 3. d. 14. q. 2. asserit Suarius in d. cap. 26. n. 4.

4. 4. sententia. Quarta sententia negat omnes creaturas possibiles, siue vniuersales, siue singulares de facto videri ab aliquo beato; sed à singulis videri aliquas, plures, vel pauciores iuxta perfectionem visionis essentiæ. Et hæc est sententia communis, vt videbimus.

5. 5. sententia. Vltima sententia media quadam via videtur incedere: etenim quartam sententiam, & communem putat esse verissimam; si sermo sit de visione in actu secundo: si verò quæstio intelligatur de visione in actu primo; eandem quartam sententiam putat esse verã in alijs beatis vno excepto Christo: etenim anima Christi de facto videt omnes creaturas possibiles tam vniuersales, quàm singulares; non quidèm in actu secundo; sed in actu primo; quia illius visio sufficiens est, vt per eam quæcunque creaturæ possibiles videantur, diuisiuè tamen: ita vt pro libito ex omnib⁹ videat, quas voluerit. Quod cæteris beatis non est datum: hi enim habent certum terminum, & limitationem iuxta modum beatitudinis cuiusq́ue.

6. Concluſ. 1. Pro resolutione sit prima conclusio: singuli beati visa diuina essentia in ea de facto vident dari ens creabile sub hoc cõmunissimo conceptu entis creabilis, siue possibilis. Communiter tri- *Capreolus.* buitur Capreolo in 4. dist. 49. quæst. 5. artic. 3. ad argumenta contra primam; & Bernardo de Ganaco, quem citat. Expressè eam probat Sotus ibi quæst. 3. artic. 3. concluſ. 3. §. *Respondetur autem hoc argumentum*, pag. 604. colum. 1. Molina 1. p. quæst. 12. artic. 8. disput. 3. in fine, Suarius libr. 2. de attributis negatiuis numer. 14. & est communis Nouiorum sententia. Et quanuis non ab omnibus recipiatur, si sermo sit de potentia absoluta; tamen de facto non potest non recipi; quia de facto singuli beati vidẽt omnipotentiam Dei, & in eo continentiam eminentialem, qua Deus est imitabilis. Ergo de facto singuli distinctè vidẽt posse creaturas à Deo creari sub hoc communissimo, & confuso conceptu. Si verò Salas, vbi suprà pag. 274. n. 72. existimat hoc fundamẽtum non esse solidum, non est audiendus. *Bernar. de Ganaco. Sotus. Molina. Suarius.*

Secunda conclusio: nullus beatus de facto videt omnes creaturas possibiles naturalis ordinis, nec quoad individua, nec quoad rationes specificas. Statuitur contra primam, & secundam sentẽtiam, & est communissima inter Theologos, quos referunt Suarius, vbi suprà c. 26. n. 10. & Salas in dict. pag. 274. n. 71. plures alios possemus citare, sed iã vela contrahimus, hac de re latiùs dicturi in 2. tomo lib. 7. in disp. de actu comprehẽsionis. Vide interim Suarium, vbi suprà. Illud aduertam nonnullos ita huic opinioni adhærere, vt oppositam putent valde temerariam, vt quia ex ea inferatur essentiam diuinam comprehendi. Sed vtrum hæc censura sit admittenda in citato loco expendemus. 7. Concluſ. 2.

Tertia concl. præcedẽs conclusio nõ solùm vera est de visione omnium possibilium in actu 2; sed etiam in actu 1: etiam in Christo. Statuitur contra Scotum, & Scotistas: cuius diligentiorẽ explicationem videbis in d. lib. 7. vbi ostẽdemus visionem, quæ ex sua natura sufficiẽs est, vt in actu 1. ad omnes creaturas possibiles diuisiuè terminetur, esse infinitã perfectionẽ. Contra eandẽ sentẽtiam insurgit Suari⁹ in d. c. 26. n. 4. & 5; sed argumenta fortè non conuincunt. 8. Concluſ. 3.

Dubium tamẽ est, an omnes beati de facto videãt aliquas species earum, quæ De⁹ videt sola cognitione simplicis intelligentiæ, vt quia nunquã futuræ sint? Pro resolutione aduertendũ est cum D. Thoma 3. p. q. 10. art. 2. ex his speciebus 9. Dubium. Solutio.

quasdam contineri in potentia naturali eorum, quæ facta sunt; quasdam verò in sola Dei potentia. De vtrisque res est dubia inter Theologos. De vtrisque rē esse incertam nonnulli volunt, imò in partem negantem inclinant; inter quos est Suarius lib. 2. de attributis negatiuis cap. 28. n. 11. Alij tamen affirmātem partem, vt certam scribunt. Ita Molina 1.p.q.12. art.8. disp.5. memb.3. §. *quoad aliquas creaturas*, pag.142. colum.1. quem probat Salas 1.2. q.3. tractatu 2. disput. 4. sect.11. numer. 162. & 163. pag. 120. & 121. vtrobique colum.1. Resolutio ex duabus sequentibus conclusionibus facilè patebit.

10. Concluſ. 4.

Salas. Molina.

Quarta conclusio: omnes beati de facto vident omnes species nunquam futuras, quæ in naturali potentia creaturæ continentur. Conclusio in his terminis ponitur à Salas, vbi suprà, & satis est de mente Molinæ. Fundamentum vnicū sumitur ex D. Thoma 3.p. quæst. 10. art. 2. docet enim animam Christi ideo omnes istas species videre, quia in Verbo comprehēdit essentiā cuiuscunq; creaturæ; in quo conueniunt omnes D. Thomæ interpretes ibi. Iā verò singuli beati in Verbo comprehendunt essentiam cuiusque rei creatæ quoad ea, quæ in illius potentia continētur: hoc enim pertinet ad naturalem perfectionem intellectus beati: & ita cessat fundamentum Suarij, dum putat non necesse esse omnem rem creatam ab omnibus beatis æque comprehendi. Sed non video, cur hæc perfectio omnibus beatis æqualiter non conueniat, nec D. Thomas loco citato docuit id soli Christo cōuenire.

11. Concluſ. 5.

Fundamentum Molinæ.

Quinta conclusio: mihi maximè est probabile omnes beatos de facto videre aliquas earum specierum, quæ in sola Dei potentia contentæ nunquam futuræ sunt. Oppositum mihi aliquando visum fuit; re tamen diligentiùs considerata, nostra conclusio mihi videtur probabilior: quam simpliciter probarunt Molina, & Salas, vbi suprà. Fundamentū Molinæ inde sumitur; quia Deus potest creare plures alias species minus perfectas suprema, & magis perfectas infima earum, quas Deus creauit. Ergo lumen gloriæ, quod satis est ad intuendū species à Deo creatas, erit etiā satis ad intuendum aliquas earum, quas potest creare. Consequentia inde probatur; quia visio beata est operatio naturalis, & non libera; nec ex natura rei maior est difficultas in his conspiciendis in diuina essentia, quàm in illis: nam lumen sufficiens ad vidēdum maius, sufficit ad videndum minus. Hoc fūdamētum nec placuit Salas, nec mihi placet. Illi non placuit: quoniam tam in scientia, quàm in lumine gloriæ, quod sufficit ad maius, non sufficit ad minus, quando illud est diuersę rationis: vnde id, quod sumitur non est satis certum.

Fundamentum Molinæ non placet.

12. Verum fundamentum.

Quare nostræ conclusionis probabilitas inde sumenda est; quia omnes beati de facto vident omnes species, quæ in vniuerso fuerunt à Deo conditæ, vt dicemus in sequenti §. Inde infertur inæqualitatem beatitudinis non esse sumēdam ex visione harum specierum, quæ creatæ sunt. Cum verò certum sit inæqualitatem beatitudinis inferre inęqualitatem in visione creaturarum; ita vt beatior plures creaturas videat, saltem specificas: vtique admittendum est omnes beatos videre aliquas ex speciebus posterioris generis; plures, vel pauciores iuxta maiorem, vel minorem penetrationem diuinæ essentiæ, & profectò hæc fuit mens D. Thomæ 1. p. q. 12. art. 8; si diligentiùs expendatur: & de Christo idem sensit 3.p. q. 10. art. 2: nec enim illius resolutio satis accommodatè verificari poterit, nisi intelligatur de illis speciebus, quæ à Deo sola simplici intelligentia cognoscūtur. Vnde colliges non satis firmum esse fundamentum eorum, qui volunt ad statum beatorū per se non spectare, vt huiusmodi species videantur: etenim non potest ad statum beatitudinis per se non pertinere, quod in eo reperiatur inęqualitas in visione. Ergo ad illum statum per se pertinet visio eorum, quę per se consequuntur inęqualitatem visionis.

Mens Diui Thomæ.

13. Dixi hanc assertionem esse mihi maximè probabilem: quia licet ad saluandam beatorum inęqualitatem non possit non concedi species huius ordinis à pluribus, imò ferè ab omnibus beatis de facto videri; plures, vel pauciores iuxta exuberātiā beatitudinis cuiusq;: non tamen necessariò inde concluditur huiusmodi species à singulis de facto videri: quia beati infimi ordinis (quales sunt

sunt infantes, qui sine vllis proprijs meritis cum baptismo decesserunt) fortè solùm videbunt eas species, quæ ad satiandum naturalem intellectus appetitũ spectant, cuius generis sunt solę species creatæ. Inæqualitas autem aliorũ, qui propria habuerunt merita, non potest non sumi ex visione aliarum specierum, quarum visio per se non datur ratione naturalis appetitus, sed ratione meritorum. Quare satis etiam erit probabile species istas nunquam futuras de facto videri à singulis beatis, qui adulti mortui sunt: in quibus solis reperitur beatitudo abundans, & excedens beatitudinem infantium.

14. Verum quanuis hæc opinio probabiliter defendi queat (cui D. Thomas expressè non contradicit in citatis locis, quidquid Molina, & Salas aliter doceant) tamen decet diuinam liberalitatem, vt creaturarum visio in Deo abũdantior sit, non solùm in claritate visionis, sed etiam obiectiuè, quàm sit visio vespertina earum, quæ in singulis beatis reperitur: in quibus (vno excepto Christo, & beatã Virgine) species inditæ solùm repræsentant naturas rerum à Deo conditarum. Quod diligenter est aduertendum. De quo plura dicemus in secundo tomo in disput. de ijs, quæ ex parte intellectus in patria reperiuntur in beatis.

15. Dubium. Adhùc dubium esse poterit de indiuiduis specierum vtriusq; explicati generis: earum scilicèt, quæ in potentia naturali rerũ creatarum contentæ nũquam futuræ sunt; & earum, quę contẽtæ in sola diuina potentia ad actum nũquam reducentur: nec enim omnes hac de re conueniũt. Sed, vt hæc res clariùs explicetur, oportet distinguere inter singularia, quæ nunquam erunt; quædã enim sunt indiuidua specierum, quæ à Deo creatæ sunt; alia earum, quæ nunquam fuerunt. De indiuiduis prioris generis dicemus in §. sequente: de indiuiduis verò generis posterioris hanc statuimus conclusionem. Resolutio.

16. Concluſ. 6. Sexta conclusio: non video, cur necessarium sit omnes beatos de facto videre aliqua ex indiuiduis specierum, quæ nunquam futuræ sunt. Hæc conclusio admitti debet ab illis, qui negant species huius generis de facto videri à singulis beatis: à fortiori enim negabunt videri earum indiuidua. Potest tamen esse dubia nostra conclusio, si admittatur aliquas huius generis species à singulis beatis videri; quod esse probabilius iam diximus, sed ego non video, vbi nam hæc necessitas fundetur: nec enim fundari potest in appetitu naturali intellectus; quia iste, sicut non datur in ordine ad species nunquam futuras; ita non dabitur ad indiuidua illarum. Nec etiam video, quomodò possit fundari in ratione præmij ob merita; nisi fortè dicas visionem istam fundari in appetitu naturali suppositа visione naturæ specificę. Nam cum cognitio specificæ naturæ perfectior sit, & distinctior in suis indiuiduis; vtique naturalis aderit appetitus videndi eam in aliquo indiuiduo. Quare cum admittamus singulis beatis de facto concedi visionẽ aliquarum specierum huius generis; vtique probabile erit singulis etiam cõcedi, vt de facto videant aliqua ex indiuiduis illarum. Sed in re inter Theologos satis confusa, & incerta satis sit hęc tetigisse. Obijcitur. Occurritur

§. 2.

De visione rerum naturalium, quæ in vniuerso sunt conditæ.

17. Concluſ. 1. SEcundo loco agendum est de visione rerum naturalium, quæ ad cõponendum, perficiendumque vniuersum sunt à Deo conditæ: nec enim hac de re Theologi conueniunt. Pro clariori explicatione huius difficultatis, tanquam regula eorum, quæ à singulis beatis de facto videntur in Deo, sit prima conclusio: omnes, & singuli beati de facto formaliter vident in Deo omnia, quæ ad suum statum pertinent. Confirm. 1. Hæc conclusio primò confirmatur cõmuni Theologorum consensu, qui in hac materia maximi debet esse ponderis. Eam expressè docuit D. Thomas 3. part. quæst. 10. artic. 2. & in 4. dist. 45. quęst. 3. artic. 1. & satis explicat de veritate q. 8. artic. 4. ad 12; & 2. 2. quęst. 83. articul. 4. ad secundum; Capreolus in 4. dist. 49. quęst. 6. Caietanus 3. part. q. 10. artic. 2; Ferrariensis lib. 3. contra Gentes cap. 59; Sotus in 4. d. 49. q. 3. artic. 3. concluſ. 10; Paludanus ibi q. 2. art. 3. *D. Thom.* *Capreolus.* *Caietan.* *Ferrarien.* *Sotus.* *Palud.*

Molina. *Valentia.* *Suarius.* *Salas.* *Nauarret.* Molina 1.p.q.12.art.8.disput.5. memb. 3.ad finem,& memb.6; Valentia 1.tom. disp. 1. q.12. punct. 6. pag. 248. Suarius lib.2.de attributis negatiuis c.28. n.15; Salas 1.2. q.3. tract.2.disp.4.sect.11.numer. 163. pagin. 322; Nauarrete controuersia 46.§.2.in principio. Denique est doctrina inter Theologos receptissima.

18. Confirm.2. Secundò D.Thomas 2.2.q.83.ar.4.ad 2.id colligit ex D.Gregorio lib.12. Moralium cap.13: ita enim ait D.Thomas: *Sed beatis, vt Gregorius dicit lib.12. Moraliũ, in Verbo manifestatur illud, quod decet eos cognoscere de eis, quæ circa nos aguntur.* D.tamen Gregorius hæc verba scribit: *Quod tamẽ de animabus sanctis sentiendum non est: quia, quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est; quia foris sit aliquid, quod ignorent.* Quæ tamen verba D.Thomas interpretatur de ijs duntaxat, quæ decet eos cognoscere ratione sui status. Nec sane longè à mente D. Gregorij: ponit enim ibi discrimen inter damnatos, & sanctos in ordine ad visionem filiorum, quorum curam in vita habebant, vt ex antecedentibus, & consequentibus est videre.

19. Confirm.3. Tertiò maximè fauet Concilium Senense in decretis fidei cap.13; dum ait: *Beatis peruium est vniforme illud diuinitatis speculum, in quo, quidquid eorum intersit, illucescat.* Quid est, *quidquid illorum intersit*, nisi, quæ ad illorum statum pertinent?

20. Confirm.4. Quartò suffragatur etiam ratio: decet enim perfectionem status beatifici, vt in eo impleatur omne desiderium, quod naturali rationi est consentaneũ: pium enim est, & decens hoc tribuere tam felici statui. At quid magis est rationi consonum, quam appetere cognitionem eorum, quæ ad proprium pertinẽt statum? *Iob.15.* Vnde Iob cap.15. damnatis, quasi in pœnam denegat scire, quid in vita circa filios agatur; beatis autem hoc concedit veluti in præmium, vt patet ex D.Gregorio, vbi suprà. Pòrrò si hoc admittatur; vtique admittendum est in singulis beatis compleri hunc appetitum veluti naturalem, non quocunque modo, sed formaliter ipsa beata visione. Hoc inde satis probabiliter ostenditur; quoniam status ille, vt est essentialiter beatificus, ex sua natura est summè perfectus, vt patet ex communi doctrina Patrum. Ergo ad illius intrinsecam, naturalemque perfectionem spectat non dependere à cognitione politiæ vespertinę; sed se ipso formaliter tribuere omnem perfectionem beato debitam; id enim suo modo videtur pertinere ad substantiam ipsius beatitudinis, vt satis colliges ex Diuo Thoma de veritate q.8. artic. 4. ad 9. & 12. *D.Thom.* Ex quo ibidem habes ad beatitudinis substantiam pertinere se ipsa implere naturalem beati appetitum. Quod ex eo vel maximè suadetur, quia visio matutina (quæ est beatitudo essentialis) est longè nobilior, & clarior, quàm sit cognitio in proprio genere, vt patet ex Augustino lib.11. de Ciuitate Dei cap. 7. & 29; & ex alijs locis adductis suprà q.16. art.3. §.4. Imò est cognitio per se primò certa, & infallibilis, vt expressè docet Augustinus lib.9. de Ciuitate Dei cap.22; dum ait ideo Angelos bonos falli non posse, quia res ipsas vident in æternis, & incommutabilibus Dei rationibus. Cum igitur visio matutina, & beatifica perfectior sit, quàm vespertina, & ex se primò infallibilis; & nihil obstet, quominus beatis formaliter cõmunicetur in ordine ad perficiendum naturalem beati appetitum; non est, cur hæc se ipsa formaliter illum nõ impleat. *Augusti.*

21. Quid aduertendum primò: Sed iam explicandum venit, quænam sint illa, quæ ad statum cuiusque beati pertinent? Ex hoc enim pendet totius difficultatis resolutio. Aduertendũ est igitur omnia, quæ ad statum cuiusque beati pertinent, ad duo præcipua capita reduci posse. Nam vel pertinent ad illius statum ratione perfectionis propriæ personæ; vel ratione alicuius specialis curę cuique commissæ. Quòd ea, quę pertinent ad perfectionem proprię personę, pertineant ad statum cuiusque beati, dubitari non potest: quia de ratione beati est, quòd sit completè perfectus. Illud verò posterius ad substantiam beatitudinis, si non simpliciter necessariò, tamen quasi necessariò pertinere, satis explicauit D.Thomas de veritate q.8.art.4.ad 8.& 12. Ad prius caput reducuntur, quę pertinent ad complendum naturalem cuiusque beati appetitum. Ad posterius autem, quæ spectant ad curam, gubernationemque eorum

rum, quæ cuique commissa sunt, vel ratione viæ, vel ratione officij: etenim, quę in via cuiquè beato curæ erant; ea in patria adhuc sub illius cura permanent. Similiter Angelis custodibus hominum cura à Deo demandatur: & eodem modo ad singulos beatos pertinet curam gerere eorum, qui orationibus se illis committũt: quilibet enim beatus à Deo positus est mediator inter Deum, & homines, vt dicemus.

22. Quid aduertendum 2.

Aduertendum est secundó non omnia pertinere ad statum cuiusque beati, quæ Deus disposuit circa eos, quos illius curæ commisit; sed ea solùm, quæ expediunt ad suum ministerium, & curam conuenienti modo exequendam: quod doctissimè aduertit Suarius in d. c. 26. n. 16. & ante eum Caietanus 1. p. q. 89. ar. 8. §. *ad hoc breuiter dicitur*: etenim ex Daniele. c. 10. & ex alijs scripturæ locis patet Angelos custodes non omnia cognouisse, quæ Deus circa suos clientulos disposuit. Quare prima conclusio superius posita explicanda est in præcitato sensu. Ex qua ita intellecta nõnullas alias deducemus, quibus tota difficultas reddatur facilis.

Suarius. *Caietanus.* *Daniel 10.*

23. Cõclusio 2.

Sit igitur secunda conclusio: singuli beati visione beatifica vident in Deo omnia genera, & species, quæ in vniuerso sunt conditę. Ita D. Thomas 1. p. q. 12. art. 8. ad 4. & 3. contra Gent. c. 59. communis est inter Thomistas, Caietanus in d. art. 8. Ferrarien sis in d. c. 59. Sotus in 4. d. 49. q. 3. art. 3. concl. 6. Paludanus ibi q. 2. ar. 3. vt alios omittamus. Ex Noui oribus Molina 1. p. q. 12. art. 8. disp. 5. m. 3. in principio, Suarius libr. 2. de attributis negatiuis cap. 28. n. 8. & 9. Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 11. pag. 319. Valentia 1. p. q. 12. punct. 6. Cumelius 1. p. q. 12. art. 8. q. vnica post quintam conclusionem §. *in assertionibus*. Fundamentũ sumitur ex prima conclusione: nam quilibet beatus de facto videt in Deo, quæ pertinent ad suum statum. Iam verò ad statum cuiusque pertinere cognoscere omnes species vniuersi, ex eo demõstratur; quia in quolibet beato datur naturale desiderium sciendi omnes istas species rerum: omnes enim pertinent ad naturalem sui intellectus perfectionem. Nam cum omnis homo natura scire desideret ex Aristotele in proœmio Metaph. idque appetitu elicito; vtiq; in omni homine datur naturalis appetitus ad sciendum omnia, quæ naturaliter sciri possunt: tales sunt omnes quidditates, & naturæ rerum, quæ pertinent ad ordinẽ vniuersi cõditi à Deo: etenim ipsa actualis rei creatio rem ipsam reponit in proxima dispositione, vt lumine naturali quidditas illius philosophari possit: siquidem naturalis philosophatio incipit à sensu. Vnde licet in nostro intellectu detur etiam naturalis appetitus ad species naturales nunquam condendas; talis tamen appetitus solùm est in potentia quadam remota, & non proxima; nõ ob aliam rationem, nisi quia talis species cum actu non sint creatæ, non sunt ex positę naturali nostrę inquisitioni.

D. Thomas *Caietanus.* *Ferrarien.* *Sotus.* *Paludanus* *Molina.* *Suarius.* *Salas.* *Valentia.* *Cumelius.* *Aristotel.*

24. Cõfirmatur ex August.

Facit pro hac cõmuni doctrina, quod ex Augustino Angeli beati cognitione matutina cognouerunt omnes creaturas in primis sex diebus conditas. Et cũ Deus nullas alias rerum species denuo creauerit; bene infertur Angelos de facto videre omnes species ad ordinem vniuersi pertinentes. Idem igitur dicendum erit de quolibet beato: omnes enim in hoc sunt Angelis æquales ex D. Thoma 1. p. q. 89. ar. 8. in fine.

25. In quo sensu intelligenda sit 1. cõclusio.

Hæc secunda conclusio in hoc sensu intelligenda est, vt singuli beati de facto videant non solùm omnes species perfectas vniuersi, sed etiam omnes infimas & viles, vt bene aduertit Suarius in d. c. 28. n. 10. Tum, quia D. Thomas generaliter loquitur, Tum etiam, quia cognito cuiuscunque speciei infimæ per se pertinet ad naturalem perfectionem intellectus; quælibet enim ex se est quoddam ens per se intelligibile, & in suo genere est bonum quoddam perfectum. Tum denique; quia perfectioris est intellectus intelligere etiam ea, quę minimæ sunt entitatis. Hæc igitur opinio probanda est, quidquid nonnulli sine fundamento contradicant.

26. Cõclusio 3.

Tertia conclusio: sicut non est admittendum nulla individua videri à beatis: ita non est admittendum omnes beatos videre omnia in vniuersum individua, quę sunt, fuerũt, & futura sunt, & omnia, quæ Deus videt scientia visionis. Vtraq; pars est inter Theologos controuersa. Priorem partem pluribus non placuisse testatur Durandus, cui etiam illa non

placet, nec Bassolio, nec illis, de quibus egimus ar. 3. §. 1. Nos tamen eam §. 2. diligenter confirmauimus, & dissoluimus aduersariorum argumenta. Nunc ex 1. conclusione eam denouo confirmamus: quoniam ex dicendis patebit quamplurima indiuidua vniuersi pertinere ad statum aliquorum beatorum. Posteriorem partem assertionis nõnullis displicuisse testis est D. Thomas de veritate q. 8. ar. 4. & in 4. d. 49. q. 2. ar. 5. Sed horũ sententiam repugnare dictis Sanctorum idem D. Thomas fatetur locis citatis, & eandem opinionem reijcit in 3. contra Gentes c. 59. in fine, & communiter reijcitur, & à quibusdam, vt hæretica, vel saltem, vt temeraria. Quæ tamen censura plerisque videtur dura; de hoc tamen latius dicemus in secundo tomo lib. 7. in disputatione de perfectionibus intellectus beati in patria. Interim vide Suariũ in d. lib. 2. c. 27. etenim, vt conclusio cẽseatur certa, satis mihi est, quod teste D. Thoma Patribus repugnet, imò etiã non satis consentiat cum sacris literis, vt omittamus optimam rationem, qua vtitur D. Thomas 3. contra Gẽtes c. 59. in fine. Quæ omnia in citato loco latius expendemus, & explicabimus mentem nonnullorum Patrum, qui oppositum videntur asserere. Nunc satis nobis sit nõ omnia indiuidua, quæ sunt; fuerunt, vel futura sunt, pertinere ad statum cuiusq; beati; sed solùm ad statum Christi Domini, & Virginis, vt pium est credere.

27. Cõclusio 4. Quarta conclusio: omnes beati de facto vident aliqua singularia earum specierum, quæ ad perfectionem vniuersi condita sunt. Hæc conclusio euidenter deducitur ex tertia conclusione immediatè posita. Nam ex prima illius parte falsum est nulla singularia à beatis videri: ex secunda autem non omnia ab illis videntur. Ergo necessariò dicendum est aliqua illorum videri: & hęc est sentẽtia D. Thomę communis inter Theologos. Quæ autem sint hæc singularia, ex dicẽdis colligemus.

28. Cõclusio 5. Quinta conclusio omnes beati vidẽt in Deo omnia, quæ pertinent ad conuenienti modo exequendam prouidentiã eorum, quorum curam in via habuerunt. Hæc cõclusio ex prima deducitur: quoniam negandum non est hos omnes adhuc in patria permanere sub cura, & protectione cuiusque beati, cuius curæ in via erant. Quare quæ circa istos in hac vita geruntur, pertinent ad statum beati, dummodo pertineant ad prouidentiam illorum conuenienti modo exercendam. Ita fit, vt Pater Augustinus fũdator nostræ eremitanę religionis (vt in nostro defensorio ordinis euidenter ostendimus) de facto videat omnia, quæ circa nostram religionem in hoc mundo fiunt, & circa singulos illius professores; dummodo eius sint conditionis, vt ad bonum regimen religionis spectent, & ad bonum cuiusque religiosi statum: hæc enim sola curæ, & prouidẽtię illius committuntur; cætera verò nequaquã; vt quia ad progressum, & augmentum religionis non admodum pertineant. Diximus Augustinum videre, *quæ ad prouidentiam, curamque circa suos conuenienti modo exercendam conducunt*: quia ad hanc curam non spectãt, quæ Deus speciali quodam modo circa nostram eremitanam familiam facere disposuit secundùm superiores, & occultas prouidentię suę regulas, & decreta: hęc enim de facto non necessario videntur, sed cũ Deus ea specialiter reuelat. Id, quod diximus de fũdatoribus religionum, dicẽdum erit de ijs, qui speciali quodam modo fuerunt alicuius religionis instauratores: de regibus respectu sui regni: de parentibus respectu filiorum, atque familiæ: deniq; de alijs similibus, quibus in via aliquorum cura incumbebat. Hæc nostra cõclusio ita explicata confirmari potest testimonio D. Gregorij lib. 12 Moraliũ d. cap. 13. de quo supra concl. 1. etenim D. Gregorium agere de visione eorum, quæ circa filios in vita geruntur, satis colliges ex verbis Iob c. 15. quæ ibi explicat, vt iam supra aduertimus.

Cõfirmatio conclusio. *Gregorius.* *Iob. 15.*

29. Obiectio. Siquis nobis obijciat Augustinum in lib. de cura pro mortuis agenda cap. 13. dum ex eo probat Sanctos iam vita functos nescire, quæ apud nos agũtur, quod à Matre sua non visebatur, nec in laboribus consolabatur; cuius testimonium refert Glossa ad illa verba Isaię 63. *Abraham nescivit nos*: siquis inquam ità obijciat, respondendum est cum D. Thoma 1. p. q. 89. ar. 8. Augustinum non asserendo illud dixisse, sed dubitando, vnde fundamentum non satis erat sufficiens; quoniam Sanctorum animæ rebus viuentiũ

Solutio. *D. Thomas*

non

non se ingerunt, nisi secundùm quod iustitiæ diuinæ dispositio exigit, ex D. Thoma in d. ar. 8. in fine, & Caietano ibi, qđ intellige etiam si res viuentium nor int.

30. Soluitur alia obiectio. Eodem modo soluenda est obiectio, quæ sumitur ex 4. Regum capit. 22. vbi Deus promisit Iosiæ Regi, quòd prius moreretur, *ne videret mala, quæ erant populo superventura*: atque etiam ex præcitatis verbis Isaiæ: *Abrahã nescivit nos*: etenī (vt diximus) Sancti nostris rebus non se ingerunt, nisi ex diuina dispositione. Sed *Caietanus.* melior erit solutio, si cũ Caietano dicas in d. ar. 8. § *quarto soluit*, nec Abraham, nec Iosiam pro illo tempore fuisse beatos. Adde etiam Iosiã ideo morte fuisse prẽuentũ, ne viuens videret mala, quæ erãt populo superuentura; quæ viuens non posset videre sine maximo dolore, & ingenti tristitia: quæ ratio cessat in beatis eo quod perfectissimè coniuncti cum diuina voluntate, & iustitia non tristantur, quanuis videant suorum clientium mala.

31. Soluitur alia obiectio. Deniq́ue non valebit obiectio, quòd Angelis inferioribus in sacris literis sæpius factæ sunt reuelationes à superioribus, etiam circa eos, quorum curam gerebant, vt patet Danielis 10. non valet inquam obiectio; quoniam cõclusio nostra non est intelligenda de ijs, quæ De⁹ speciali prouidentia facere disposuit, & quæ specialiter pertinent ad solam diuinam voluntatem, vt est electio, prædestinatio, & ea, quæ pertinent ad sanctificationem creaturarum, qualia sunt Ecclesiæ mysteria, vt bene aduertit Caietanus, vbi supra §. *ad hoc breuiter dicitur.*

32. Cõclusio 6. Confirm. 1. Sexta conclusio: omnes beati de facto vident in Verbo orationes, & preces, quę ab Ecclesia, fidelibusque ad eos fũduntur. Hæc conclusio etiam deducitur ex prima: quoniam id pertinere ad ſta- *D. Thomas* tum cuiusq́ue beati, clarè docet D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 4. ad. 2. in hæc verba: *maximè ad illorum excellentiam decet, vt cognoscant orationes ad eos factas.* Idem colliges ex Concilio Senonẽsi in decretis fidei c. *Cõcil. Sen.* 13. vbi ex eo infert orationes nostras beatis innotescere; *quia illorum inter est.* Nam cum cultus iste orationum in illorum cedat honorem, & laudem, vt patet, negari non potest hoc ad illorum statũ pertinere. Nam gaudium accidentale inde accrescit illis, dum se à fidelibus sciunt venerari. Et per consequens non est dubitandum hãc cognitionem ad illorum statum maximè conducere.

Quod etiam ex eo non inefficaciter deducitur; quia á Deo cõstituti sunt mediatores pro hominibus: ob hanc enim causſam pręcipit Ecclesia, vt fideles de hoc instruantur, Sanctos scil. pro nobis orationes Deo offerre, vt patet ex Tridentino sessione 25 in decreto de inuocatione Sanctorum. Quòd si mediatores pro nobis sunt constituti; vt pro nobis intercedãt; vtiq́ue ad eorum statum pertinebit orationes ad se fusas in Deo formaliter cognoscere, quod expressè docuit Concilium Senonense, vbi supra, & D. Thomas 2. 2. q. 89. ar. 8. & in 4. d. 45. q. 3. ar. 1. vbi Capreolus q. vnica ar. 1. cõcl. 1. & 2. & art. 3. ad argumenta Durandi, Paludanus ibi q. 2. ar. 3. concl. 5. Gabriel lectione 31. in canone Missę, Suarius lib. 2. de attributis negatiuis c. 28. num. 18. Valentia 1. p. q. 12. punct. 6. q. 4. ad 3. argumentum pag. 252. Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. disput. 4. sect. 11. pag. 323. Molina. 1. p. q. 12. ar. 8. disp. 6. §. *contraria tamen sententia* Nauarrete controuersia 46. §. 3. concl. 3. fol. 290. tãdem Caietanus 2. 2. quæst. 83. art. 4. quem vide, vbi expressè declarat beatos ipsa visione beata formaliter videre orationes ad se fusas. Nec oppositum docuit, quanuis in oppositum citetur à Suario, & alijs.

33. Confirm. 2. *Cõcil. Trid.* *Capreolus.* *Paludan⁹.* *Gabriel.* *Suarius.* *Valentia.* *Salas.* *Molina.* *Nauarret.* *Caietanus.*

Nam 1. p. q. 89. art. 8. ad finẽ solùm dicit orationes nostras nõ omnibus beatis innotescere; quod verum est; quia solùm innotescunt illis, ad quos dirigũtur: & in hoc sensu id dixit: etenim superius §. *circa hanc secundam partem*, expressè inquirit, an orationes nostræ, sicut etiam cogitationes omnibus beatis innotescant; siue ad eos dirigantur, siue nõ. Nec etiam oppositum docuit 3. p. q. 10. art. 2. quia ibi solùm docet, quæ ad statũ beati pertinent, non omnia formaliter videri in Deo; sed aliqua videri solùm causſaliter: ea scil. quę post primum instans beatitudinis successu temporis contingunt. Ex quo non potest colligi Caietanum simpliciter negare orationes formaliter videri in Deo; sed eas, quæ post ingressum beatitudinis ad eos successiue funduntur: quod lõgè est aliud. Quare contra nostram conclusionem solúm citari possunt Durandus in 4. d. 45. q. 4.

34.

art.

art.2.& Sotus in 4.d.49.q.3.ar.3.concl. 8. in fine. Hi duo ex ijs qui admittunt creaturas formaliter videri in Deo ab hac regula excipiunt orationes, & preces ad Sanctos cum Deo regnantes: has enim (vt volunt) solùm cauſſaliter cognoſcunt.

35. Sed pro reſolutione certũ ſit in fide orationes noſtras cognoſci à beatis ad quos diriguntur: alioquin Eccleſia fruſtra funderet ad eos preces, & fideles de illis fundẽdis inſtrueret. Non eſt tamen de fide, quòd eas formaliter videant in Deo: id enim à pluribus negatur. Sed oppoſitum eſſe longè verius, ſatis patet ex dictis. Primò; quia hęc eſt expreſſa ſententia D. Thomæ, quæ in hac materia plurimum habet ponderis, & maioris erit, ſi addamus communiorẽ ſententiam Theologorum cum D. Thoma ſentire. Cui etiam adiungimus hãc eſſe doctrinam Concilij Senonenſis.

Beati formaliter vident in Deo orationes & preces.

Ratio 1.

36. Deinde maximè vrget fundamentum Caietani ſumptum ex modo, quo Eccleſia Sanctos interpellat, dum dicit: *Sancte Petre ora pro nobis*: etenim, niſi ſupponeret Sanctos formaliter videre in Deo preces ad eos fuſas, potius oraret Deum, vt beatis eas reuelaret, quo pro nobis orarent. Quo vnico fundamento adductus eſt Caietanus, vt noſtram probaret opinionem, & eodem vtuntur poſteriores.

Ratio 2.

37. Tertiò vrget: quoniam ex doctrina Patrum Sancti ſine intermiſſione interpellant pro nobis, vt ex quibuſdã ſcripturæ locis latè probat Laurentius Iuſtinianus in ſolemnitate omnium Sanctorum pagin. 680. Et quanuis generaliter pro omnibus orent: decet tamen, vt in Deo ipſo videant orationes ad ſe fuſas, vt grati ſint ijs, qui ſpeciali amore, & honore eos proſequuntur.

Ratio 3.

Laurẽtius Iuſtinian⁹

38. Poſtremò ideo placet hęc opinio: quia cum ſit admodùm pia, nihil contra ſe habet, quo vrgeatur. Nam fundamentũ Durandi, & Soti facilem habet ſolutionem. Ex eo enim ſumunt argumentum, quod orationes ſucceſiuè ad Sanctos fũduntur. Ergo non poſſunt videri formaliter ipſa viſione beata: nam cum hęc ſit inuariabilis, & ſemper permaneat eadem, non poteſt ſucceſiuè aliquid repræſentare. Hoc tamen fundamentum facilè ſoluitur ex doctrina explicanda artic. 6. Et primò ſi dicamus orationes quocunque tempore dirigẽdas ad beatum ſtatim illi innoteſcere in primo patriæ ingreſſu, & ita ceſſat difficultas. Quæ etiam ceſſabit, ſi cum alijs dicas orationes ipſas ſucceſsiuè innoteſcere beato, quando funduntur: videri autem ipſamet viſione beata abſque vlla illius variatione. Qua poſita ſententia conceſſo antecedente neganda eſt conſequentia. Vide in d.art.6.

Soluitur fũdamentum Scoti, & Durandi.

39. Septima concluſio: omnes beati formaliter vident in Deo illas cordium cogitationes, quæ ad ſuum pertinent ſtatum; tum in viatoribus: tum in cæteris beatis. Hæc etiam deducitur ex prima concluſione. Et in terminis, in quibus proponitur, eſt communiter recepta. Illam in ſpecie probarunt Molina 1.p.q. 12.articul.8. diſput.5. m.3. ad finem *quod attinet ad ſingularia*, Suarius in d. cap. 28.n.15.& 16. Salas in d.ſectione 11.pag. 324. vt alios omittamus. Satis id colligitur ex D. Thoma, & alijs, qui generaliter docent omnes beatos videre, quæ ad eorum ſtatum pertinẽt. In ſpecie noſtram concluſionem admittit D. Thomas 2.2.q.83.ar.4. ad 2. vbi Caietanus: nec contrarium docuit 1.p.q.89.art.8. ad finem commenti: eſt enim intelligendus in eodem ſenſu, in quo negat orationes à beatis formaliter videri, de quo in præcedente concl. Quare in hac cõcluſione ſolùm habemus aduerſarios Durandum, & Sotum. Quæ autem cogitationes pertineant ad ſtatum cuiuſq; beati, colliges ex prima concluſione. Sed de hac materia plura dicenda ſunt ſecundo tomo libr.7. in diſput. de perfectionibus, quę intellectum beati comitantur in patria.

39. Cõcluſi. 7.

Molina.

Suarius.

Salas.

D. Thom.

Caietanus.

40. Poſtrema concluſio: ex his ſingularibus, quę in hoc vniuerſo à Deo ſunt condita, ſinguli beati ea vident in Verbo, quæ ad eorum ſtatum pertinet; ſiue illa ſint præterita, ſiue præſentia, aut futura: ſiue ſint neceſſaria, ſiue contingentia Concluſio ex prima deducitur. Sed inquirẽdum iam erat, quæ nam horum ſingularium pertineant ad ſtatũ cuiuſq; beati? Sed quia huius difficultatis explicatio diligentiorem inquiſitionem poſtulat, quam breuitas exigat; ideo res iſta ad ſeptimum librum referatur in diſputatione de perfectionibus intellectus in patria; aliquid etiam dicemus in

Cõcluſio 8.

eodem

eodem tomo secundo in disputatione de inæqualitate beatitudinis. Interim vide Molinam, Valentiam, Suarium, & Salas in locis superius citatis.

§. 3.

De visione rerum supernaturalium.

41. SVperest dicamus, quænam ex rebus ordinis supernaturalis à singulis beatis in Verbo formaliter videantur? Et de illis, quę solũ sũt possibiles, & nũquã erunt, eadẽ est cõtrouersia; quæ fuit de rebus posibilibus ordinis naturalis. Pro resolutione sit 1. cõclusio Quanuis singuli beati visa diuina essentia in eã videant dari aliquod ens creabile ex sua natura supernaturale: nullus tamen de facto videt omnes creaturas posibiles illius ordinis; nec quoad indiuidua, nec qnoad species. Prior pars conclusionis eodẽ modo probatur, quo §. 1. probata est prima conclusio. Vide ibi. Posterior etiam pars facilè patebit ex 2. conclusione eiusdẽ §. Nec est, quod eadem repetamus: maximè, quia de hoc iterum habendus est sermo libr. 7. 2. tomi in disputatione de comprehensione diuinæ essentiæ.

Cõclusio 1.

42. Secunda conclusio: sicut de facto in actu secundo nonvidentur omnes creaturę posibiles in ordine supernaturali; ita nec in actu 1. Vide conclusionem 3. §. 1. eadem enim ratio quoad hoc reperitur in rebus vtriusque ordinis.

Cõclusio 2.

Tertia conclusio: maximè mihi probabile est omnes beatos de facto videre aliquas species ordinis supernaturalis, quæ nunquã fuerunt, nec futurę sunt. Fundamẽtum summendum est ex dictis supra §. 1. pro confirmanda quinta conclusione: etenim inæqualitas beatitudinis infert inæqualitatẽ in visione creaturarum vtriusq; ordinis, ita vt beatior plures videat, saltẽ specificas in vtroq; ordine, vt supponimus. Hoc autem verificari non potest in visione supernaturalium, quorum cognitio in via fuit reuelata; hæc enim omnia singuli beati vident, vt statim dicemus. Ergo doctrina illa solùm verificabitur in cognitione supernaturalium, quę à Deo sola cognitione simplicis intelligentiæ cognoscuntur. Vide in dict. §. primo conclusione 5.

Cõclusio 3.

Quarta conclusio: non necesse est, vt omnes beati de facto videant aliqua in diuidua illarum specierum supernaturalium, quę nunquam futuræ sunt. Conclusio ista concinit cum 6. conclusione primi §. illius enim fundamenta nostrã istam etiam confirmant. 43.

Cõclusio 4.

Diximus de speciebus ordinis supernaturalis, deque earum indiuiduis, quæ nunquam fuerunt: dicendum est consequenter de supernaturalibus, quæ in Ecclesia facta sunt, atque reuelata, tanquam pertinentia ad finem.

Sit 5. conclusio. Omnes, & singuli beati de facto formaliter vident in Verbo omnia mysteria fidei, quę in via fuerũt reuelata Ecclesiæ. 44.

Cõclusio 5.

Hæc satis est de mente D. Thomę 1. p. q. 1. ar. 2. dum ex eo probat nostrã theologiam esse subalternatam theologiæ beatorum; quia beati vident principia fidei, quæ nos solùm credimus. Id etiam satis expressè significauit 2. 2. q. 1. art. 5. & 1. 2. q. 4. ar. 3. dum ait visionem succedere fidei. Vnde hanc conclusionem, vt verisimam supponũt ferè omnes Theologi tum antiquiores, tum etiam Nouiores. Ex Nouioribus eam probarũt Suarius lib. 2. de Attributis negatiuis c. 28. à n. 2. vsque ad 8. Valentia 1. p. disp. 1. q. 12. punct. 6. in 3. q. pag. 248. litera C. Cumelius 1. p. q. 12. ar. 8. q. vnica §. *in assertionibus*, pag. 273. col. 1. Salas 1. 2. quæst. 3. tract. 2. disp. 4. pag. 318. col. 2. Nauarrete controuersia 43. §. 8. cõcl. 14. fol. 274. col. 3. Vellosillus in aduertentijs theologicis ad tomum 9. Augustini quæsito 16. dub. 3. *D. Thomas.* *Suarius.* *Valentia.* *Cumelius.* *Salas.* *Nauarrete.* *Vellosillus.*

Hęc conclusio primum potest probari auctoritate Augustini lib. 20. de Ciuitate Dei capit. 21. *videbimus omnia illa, quæ nunc non videmus, credentes.* Et statim *hic creditis; ibi videbitis.* Gregorius etiam 18. Moralium c. vltimo: *quæ visio nunc fide inchoatur, sed tunc in specie perficitur, quando cœternam Deo sapientiam, quam modo per ora prædicantium, quasi per decurrentia flumina sumimus, in ipso suo fonte biberimus.* Auctor etiã libri de speculo c. 27. apud Augustinum tomo 9. agens de visione, quę est in patria, ita ait: *Quæ nunc fide inchoatur, sed tunc in specie perficietur, quando sapientiam tibi cœternam, quam modo per ora doctorum sumimus in ipso fonte bibemus. Omnia Sacramenta, & cuncta nobis tunc apparebunt arcana non doctetum* 45. Confirm. 1. concl. 5.

rum verbis, non enim vllis indigebimus mysterijs, cum facie ad faciem videbimus te

Confirmatur etiam ex sacris literis.

Confirm.2. 1.Cor.13. Et primum ex Paulo 1. Corinthior. 13. *videmus nunc per speculum; tunc autem facie ad faciem.* Et rursus: *ex parte cognoscimus: cùm autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est.* 2.Cor.3. Et 2.Corinth.3. nos autẽ reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.

His Patrum testimonijs, & sacrarùm literarum verbis quidã putant hoc esse de fide; in hoc sensu, quòd, & omnia mysteria fidei ab omnibus beatis videantur; & quòd videãtur in ipso Verbo formaliter, & non caussaliter. Neutrum tamen est probandum: quia licet verissimum sit omnes beatos omnia fidei mysteria non solùm visuros esse; sed ea in Deo formaliter esse visuros: non tamen id esse de fide potest colligi, aut ex Patribus, aut ex verbis Pauli citatis: hoc posterius iam supra ostendimus q.16. ar.3.§.7.n.72. Paulum scilicet in prioribus verbis solùm agere de cognitione faciali, & intuitiua; quę visio solius est diuinæ naturæ; nam creaturas, nec necessario videbimus, nec eas videbimus intuitiuè. Quare ex illis verbis solùm habemus tãquam certum beatos in patria clare, & facialiter videre diuinam essentiam; de alijs autem mysterijs fidei ibi nihil dicitur, vt bene aduertit Suarius. Ex posterioribus verbis solùm potest colligi habituros nos in patria perfectam scientiam mysteriorum, quæ in via credidimus: quòd verò scientia illa futura sit formaliter per visionẽ beatam, ex illis sufficienter non colligitur; quia satis est, si ea cognoscamus in Verbo caussaliter notitia quadam euidẽti; hæc enim de mysterijs fidei etiã in via haberi potest, vt supponim⁹. Fidem igitur in patria esse euacuãdam quoad suã obscuritatem tanquam de fide ex illis verbis colligitur: quomodo autem euacuanda sit; ex illis certo colligi non potest. Ex vltimis verbis illud solùm erit certum nos ex cognitione fidei, qua reuelata iam facie veteris testamenti clarius, quàm in illo Domini gloriam speculamur, transformandos esse in aliam claritatem longè maiorem; quatenus claram notitiam eorũ habebimus: vtrũ verò eã habituri simus formaliter per visionem, an solùm caussaliter; id, illis verbis certo non exprimitur.

46.

Putamus tamen conclusionẽ nostram quoad vtranq; partẽ esse plusquã probabilem. Nam, quòd res fidei formaliter videndæ sint visione ipsa beatifica, primum deducitur ex dictis supra quęst.16 quatenus ostendimus ex Patribus aliquas creaturas formaliter esse videndas in Deo. Nullæ autem maiori cum ratione in Deo formaliter videri debent, quã quæ ad fidem pertinent.

47. 5. conclusio plusquã probabilis quo ad vtrãque partem. Ratio 1.

Ratio 2.

Deinde efficaciter deducitur ex prima conclusione posita in §.1. Nec enim negandum est ad statum cuiusquè beati pertinere visionem omnium eorum, quę in via credidit: etenim beati accipiunt in patria præmium fidei: in Deo igitur formaliter videbunt, quæ fide cognouerũt. Nam suppositа supernaturali reuelatione quisque beatorum naturaliter appetit claram, & infallibilem eorum habere notitiam.

48. Ratio 3.

Tertió id colligitur ex verbis Gregorij supra allatis, dum ait beatos in ipso deitatis fonte bibituros cognitionem eorum, quæ in via crediderunt: quod etiam affirmat auctor libri de speculo. Optime faciunt verba Pauli 2.Corinth. 3. iam citata: etenim à claritate fidei, quam sublato velamine veteris testamenti, veluti reuelata quadam facie in nouo recipimus; trãsformabimur in claritatem glorię; ita vt à claritate fidei ad claritatem gloriæ transeamus. Claritas autem gloriæ simpliciter denotat claritatem visionis, qua essentialiter sumus beati. Quod satis significat Augustinus epistola 112. cap. 21. dum ait: *A claritate fidei in gloriam contemplationis æternæ.* Iam verò contemplatio æterna, & inamissibilis, sola est ipsa visio beatifica: nam, quę visiones ex ea caussantur, non necessario sunt æternæ, sed erunt volubiles, & successiuę. Quod etiam explicauit idem Augustinus 15. de Trinitate cap. 8. dum explicans præcitata verba Pauli ita ait: *Transformamur de forma in formã, id est de obscura in lucidam: de gloria fidei in gloriam speciei: de gloria, qua Filij Dei sumus, in gloriam, qua similes ei erimus, quando videbimus eum, sicuti est.* Iam verò solæ visione erimus Deo similes.

Augustin.

49. Ratio 4.

Deniq; quia satis expediens est, vt ipsamet

ipsamet visio, quæ succedit fidei quatenus mysteria diuinitatis, & Trinitatis credimus, etiam succedat fidei, qua cætera alia credidimus: vt generaliter vera sit doctrina Theologorum visionem in patria fidei succedere.

50. Probatur 5. cõcl quoad priorẽ partẽ. Quod verò omnia mysteria fidei à beatis in Verbo sint videnda (quæ est prima pars assertionis) probatur primò ex verbis Augustini 20. de Ciuitate cap. 21. *videbimus Deum, & omnia, quæ nunc non videmus credentes.* Auctor etiam libri de speculo: *omnia* (inquit) *sacramenta, & cuncta tunc nobis apparebunt arcana*. Ratione etiam id confirmatur: quoniam quilibet beatorum omnia fidei mysteria credidit in via, si non actualiter, saltem habitualiter. Imò omnes ipsa voluntatis affectione parati fuerunt ad actu omnia credenda (idque non solùm habitualiter) si non explicitè, saltem implicitè: omnes enim, saltem adulti, explicitè crediderunt, quæ credit Ecclesia: aliàs infantes, qui actu nihil crediderunt, nulla fidei mysteria in Deo videbunt, quod nõ est par credere: Sciunt enim se fidem in baptismo suscepisse, & habitualiter omnia fidei mysteria credidisse: quod satis est, vt naturali appetitu desiderent ea omnia actualiter videre, tanquam ad suum statum vere pertinentia. Quare de per accidens est, quod non omnes in via actu nouerint omnia fidei mysteria, vt bene aduertit Suarius in d. cap. 28. num. 6. Cui etiam accedit: Quoniã si Deus omnibus in patria infundit species omnium naturalium rerum, quo in politia vespertina omnes sunt perfecti; quanuis non omnes nouerint in via omnes res naturales; cur non omnibus per ipsã visionem beatificam Deus reuelabit omnia mysteria reuelata in Ecclesia.

51. Quare statuendum est omnes beatos omnia fidei mysteria, quantuncunque sint minima, in Deo formaliter videre. Nec enim placere potest limitatio, quã Salas adducit ex Velosillo in d. pag. 319. dum ait minime opus esse, vt omnes omnia mysteria etiã minima in patria cognoscant. Imò non est opus, vt conclusionẽ nostram cum Suario coarctemus, vt omnia videantur, saltem quoad rationes præcipuas, & specificas: etenim omnia videbuntur in suis proprijs, & specialibus rationibus, etiam in proprijs in diuiduis quoad ea mysteria, quæ in vno tantùm indiuiduo reuelata sunt, vt mysterium incarnationis, maternitatis Virginis, & de cæteris huius generis. De mysterijs autem, quæ in indiuiduis multiplicantur (quale est mysteriũ Eucharistiæ, & Sacramentorum, placet opinio Suarij in dict. cap. 28. num. 7. vt necessariò non videantur in omnibus indiuiduis, sed in aliquibus tantùm ob eas, quas ibi adducit rationes. Et de isto art. satis dicta sint.

ARTICVLVS V.

An, quæ beati formaliter in Deo vident, videant naturaliter ex vi visionis; an aliqua videant per liberam reuelationem Dei?

1. HÆc quæstio excitatur, vt expendamus, an in hac disputat. idem sit aliqua videri eàdem visione, qua videtur essentia; & videri ex vi visionis ipsius essentiæ? Etenim video inter Recentiores hæc duo communiter non distingui; vt qui vel doceant, vel saltem supponant, quę videntur visione essentiæ, ea omnia videri ex vi visionis essentiæ; Quæ doctrina (ni ego fallor) in hac materia confusionem parit: ex ea enim infertur inæqualitatem in beatis per se etiam colligi ex inęquali visione eorũ, quæ videntur in Deo supposita libera determinatione volũtatis diuinæ; quod tamẽ nõ videtur admittendum, vt latius dicturi sumus in 2. tomo lib. 3. in disp. de caussa inęqualitatis beatitudinis.

Quare in ea sum sententia, vt lõgum constituendum sit discrimen inter videri eàdem visione, qua videtur essentia, & videri ex vi visionis ipsius essẽtię, id quod aliquo modo aduertimus supra quæst. 16. art. 3. §. 3. num. 18. Etenim, quæ videntur ex vi visionis diuinæ essentiæ, naturaliter videntur in eàdem essentia ex vi penetrationis eius, cũ in ea videãtur, vt in caussa ab illis naturaliter imitabili, ea naturali eminentia cõtinente: & inde est, vt horũ cognitio simpliciter, & absolutè sit naturaliter debita beato: cũ tamen quę liberã volũtatis determinationem supponunt, & quæ pendent ex liberis decretis, nõ videantur in diuina essentia, vt in caussa naturaliter ea con-

2. Non est idẽ videri aliqua visione essentię; & videri ex vi visionis essentiæ.

tinente, nec cognitione naturaliter debita, etiam supposita tali, vel tali penetratione diuinæ essentiæ: adhuc enim illorũ visio liberaliter cõmunicatur, & ad modum cuiusdam reuelationis; etiam si communicetur à principio beatitudinis, vt in sequenti artic. annotabimus. Quę opinio placuit Molinæ 1.p. quæst. 12. articul. 8. disputatione 5. memb. 6. § *ad primam ergo partem*; vbi scribit, *beatos complexiones contingentes, & alia huiusmodi nõ videre ex vi intuitus diuinæ essentiæ, sed ratione manifestationis scientiæ, aut determinationis diuinæ voluntatis.* Et statim inferius ait, *quæ ad statum cuiusque beati pertinent, non cognosci vi intuitus diuinæ essentiæ, sed Deo insuper illa omnia libere manifestante per peculiarem concursum atque influxum in eandem visionem.* Denique in §. vltimo eiusdem membri affirmat *hæc à beatis non videri in Verbo præcisè ratione luminis gloriæ, & intuitus diuinæ essentiæ, sed ratione liberæ ostensionis, qua Deus peculiari influxu illis ostendit determinationem suæ voluntatis.*

Molina.

3. Vnde concludit id, quod Theologi docent beatos pro quantitate luminis gloriæ, & pro maiori penetratione diuinæ essentię plura, vel pauciora videre in Verbo, non esse intelligendũ, nisi quoad naturas rerum, & complexionum necessariarum, quę videntur ex vivisionis ipsius essentiæ.

Et hæc satis sit modo dixisse, latius dicturi in secundo tomo lib. 8. in d. disp. de inęqualitate beatitudinis. Nunc cõstituimus contra communem Nouiorũ non idem esse aliqua videri visione essẽtiæ, & ex vi visionis essentiæ. Cui etiam concinit, quòd Verbum Diuinum procedit ex visione creaturarũ creandarũ; non tamen ex vi talis visionis, vt nunc supponimus. Et hæc de isto art.

ARTICVLVS VI.

An beati videant omnia simul, an possint aliqua de nouo videre ipsa visione beata.

1. QVæstio ista est controuersa. Quidam affirmant beatos, quæ vident visione beata illa simul videre, & statim à principio suæ beatitudinis; quę verò denouo eis reuelãtur, illis reuelari extra Deum visione distincta à beatifica. Hęc est communior sententia inter Thomistas cum D. Thoma 1.p.q. 12. ar. 10. & alibi sæpe. Sed opposita sẽtẽtia placuit quam plurimis Theologis non solùm ex Scotistis, sed etiam ex Thomistis: & nonnullis ex modernioribus, v Molinæ 1.p. q. 12. art. 8. diput. 6. Quæ etiam placuit Paludano relato à Capreolo in 4. d. 45. quæst. vnica artic. 3. ad argumenta Durandi.

Res profectò digna est scitu, & quæ ad hũc locũ directò pertinebat: sed quia explicatio lõgiorẽ postulabat disputationẽ propter varias, quæ se se obijciũt, difficultates; & tomus iste primus plus iusto iam excreuit, consultius existimauimus huius difficultatis resolutionem ad 7. librũ 2. tomi differre, vbi disputabimus de perpetuitate visionis beatificę deque illius immutabilitate: nam ibi satis etiam accommodatè difficultas ista explicari potest. 2.

ARTICVLVS VII.

Quænam sit ratio, cur hæ creaturæ, potius, quàm illæ videantur in diuina essentia.

1. QVæstio ista, & si ad hunc locum directè pertinet, accommodatiorem habet apud D. Thomam 1. 2. q. 5. de qua quæstione late acturi sumus lib. 8. secundi tomi, vbi cum eodẽ D. Thoma latissimè disputandum erit de inæqualitate beatitudinis in patria, & de caussa illi', in qua quęst. nostra ista includitur. Quare resolutionem huius quęstionis ad præfatum librum consultò remittimus: tum; quia ibi accommodatius explicabitur: tum; quia ad finem huius primi tomi properamus.

QVÆSTIO XX.

Quidnam diuina potentia fieri possit circa visionem creaturarum in Deo?

Expenditur extensio visionis penes potẽtiã diuinam.

IN præcedente quęstione expendimus extensionem visionis beatificę ad creaturas secundùm legem ordinariam, vt explicaremus quænã de facto à beatis formaliter videantur in Deo. Consequenter expendenda est extensio visionis beatæ in ordine ad absolutã Dei potentiam; vt explicemus, quidnam diuinæ

1.

uina potentia posit fieri circa visionem creaturarum in diuina essentia.

Duo erunt explicanda. Primum est; an diuina potentia fieri queat, vt omnes creaturæ possibiles in diuina essentia à beatis videantur? Secundum; an diuina potentia possit essentia videri nulla in ea visa creatura?

ARTICVLVS I.

An diuina potentia fieri possit, vt omnes creaturæ possibiles in diuina essentia videantur?

1. QVæstio ista inter Theologos est satis celebris: quę etiam longissimam postulat disputationem, vt pro dignitate explicetur: Sed quoniam illius vera resolutio maximè pendet ex resolutione quæstionis, an beati sua visione possint diuinam essentiam comprehendere? & vtrùm ex visione creaturarum possibilium necessariò inferatur comprehensio diuinæ essentiæ? &de vtraque quæstione accommodatissimè etiam disputari solet in 1.2. quæst. 4. vbi D. Thomas agit de actu comprehensionis diuinæ essentiæ; ideo resolutionem huius difficultatis differimus in libr. 7. 2. tomi, vbi de actu comprehẽsionis cũ D. Thoma disputaturi sumus; ne huius primi tomi magnitudo nimiũ excrescat.

ARTICVLVS II.

Vtrum diuina potentia possit videri essentia nullam interim in ea videndo creaturam?

1. QVęstio ista communis est, tum visioni beatificæ, tũ lumini gloriæ: quia sicut Theologi inquirunt, an diuina potentia beatus possit videre essentiam, nullam in ea videndo creaturam? ita etiam inquirunt, an dari possit lumen glorię intensionis ita minimæ, vt solam essentiam beato obiectiue illuminet, nullam interim illi illuminando creaturam? Quin potius nostræ quæstionis resolutio per se pendet à resolutione quęstionis, quę de lumine glorię excitatur. Quare non sine fundamẽto resolutio huius quæstionis differenda est ad lib. 6. secundi tomi, vbi de necessitate, & effectibus luminis glorię latè disputabimus: ibi enim per modum corollarij resoluetur proposita quæstio.

QVÆSTIO XXI.

De visione actuum liberorum, atque decretorũ diuinæ voluntatis.

VLTIMO loco explicandum est; an beati videant liberos actus, liberaque decreta diuinæ voluntatis: de quibus duo erunt à nobis inquirenda. Primum est; an beati videntes diuinam essentiam videant libera decreta voluntatis diuinæ? Secundum est; quomodo ista decreta videantur á beatis.

ARTICVLVS I.

An beati videant actus liberos, liberaque decreta voluntatis diuinæ.

DE hac quæstione pauca inuenies apud Scholasticos. Duo in dubiũ vocantur. Primum pertinent ad quæstionem an est; dubitatur enim, an actus isti liberi diuinę voluntatis videantur à beatis? Alterum pertinet ad ea, quæ videntur.

§. 1.

Beatos videre in Deo actus liberos diuinæ voluntatis, illiusque decreta.

1. QVod attinet ad primum, quidam absolutè negant huiusmodi decreta libera non modo à beatis formaliter non videri in Deo; sed nec posse videri. Ita habes ex Bellomontano 1.p. disput. 50. c. 4. n. 21. 22. & 23 Eius tamen opinio à cæteris reijcitur. Contra eam scribit Suarius lib. 2. de attributis negatiuis capit. 24. per totum, & post eum Salas 1.2. quæst. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 9. pag. 309. & Nauarrete controuersia 43. §. 9. fol. 276. col. 2. Qui omnes sententiam Bellomontani, vt improbabilem reijciunt: quam etiam nos, vt talem reijcimus: etenim oppositum ex Patribus manifestè colligitur; maximè ex Augustino: nam libr. 9. de Ciuitate Dei cap.

Negatiuam partẽ tenet Bellomont.

Affirmatiua recipitur.

Suarius.

Salas.

Nauarret.

August.

capit.22.explicans causſam,cur Dæmones ſæpe fallantur;non tamẽ Angeli boni,ita ait: *Aliud autem in æternis, atque immutabilibus Dei legibus,quæ in eius ſapientia viuunt.mutationes temporum prævidere: Deique voluntatem,quæ tam certiſsima, quam potentiſsima eſt, diuini ſpiritus eius participatione cognoſcere,quod Sanctis Angelis donatum eſt.* Ecce Angeli beati mutationes temporum in æternis legibus Dei, atque omnipotenti voluntate vident libr.11. capit.7. docet *creaturas cognoſci in Dei ſapientia veluti in arte,qua factæ ſunt.* Quod rurſus repetit in eodem libr.cap. 29.lib.etiam 4.de Geneſi ad literam cap.24. aſſerit *vniuerſam creaturam in ipſo Verbo Dei prius fuiſſe ab Angelis cognitam,in quo ſunt omnium quæ tẽporaliter facta ſunt,æternæ rationes,tanquam in eo, per quod facta ſunt omnia.* Idem colliges ex eodem lib.4. cap.25. & 34. Optima ſunt verba ex lib. 2.de eadem Geneſi c.8. vbi agens de viſione beatifica, qua Angeli vident Deum,ita ſcribit:*atq; inde iſta deſpicientes ſecundùm id,quod intus vident, vel rectè facta approbant vel peccata improbãt* Et lib.9. de Ciuitate Dei cap.22. *& ideo certius etiam temporalia,& mutabilia iſta nouerunt; quia eorum principales cauſſas in Verbo Dei conſpiciunt; quibus cauſsis quædam probãtur, quædam reprobantur, cuncta ordinantur.* Quibus verbis ſatis explicantur decreta diuinæ diſpoſitionis.

Quare non eſt dubitandum ex ſentẽtia Auguſtini beatos in Deo formaliter videre decreta libera diuinæ volũtatis. 2.

Quod etiam colliges ex Auctore Dialogorum 65. quæſtionum,apud Auguſtinũ q.26. vbi agens de viſione creaturarum ait: *plus videtur in arte,qua facta eſt, quam in ſe ipſa,quæ facta eſt.* Annotanda ſunt verba D.Bernardi libr.5.de conſideratione c. 1.dum agens de beato ita ait: *videt Verbum & in Verbo facta per Verbũ.* Et inferius: *ibi videt,vbi longè melius ſunt, quàm in ſe ipſis.* Videt inquam ibi;non quidem in ſola diuina eſſentia,ſed in illa, vt liberè determinata ad producendum ea, quæ videt. Omnium optima ſunt verba eiuſdem Bernardi in d.libr.c.4. vbi explicans illa verba Pſalmi 26. *vt videant voluntatẽ Domini,* ita ait:*Quid ni ibi videatur cor Dei?* Quid clarius? Etenim nomine cordis Dei ipſa libera Dei determinatio denotatur. Et addit,*quid ni ibi probatur, quæ ſit voluntas Dei bona,& perfecta?* Et ſtatim:*Patent viſcera miſericordiæ, patent cogitationes pacis,myſteria bonæ voluntatis, benignitas arcana, &c.* Maximè iuuant verba Concilij Senenſis ſæpe citata: *Beatis præuium eſt vniforme ſpeculum, in quo quidquid eorum interſit, illucescat.* Denique idem docuit D.Thomas 1. p.quæſtione 84. artic.5. in medio corporis, vbi ait *beatos omnia videre in rationibus æternis Dei.* Addo Laurentium Iuſtinianum in lib.de caſto connubio cap. 19. vbi expreſsè aſſerit *beatos ea, quæ vidẽt videre in diuinis ideis,& in hoc libro.omnia intueri.* Et hæc ſatis ſint, vt contra Bellomontanum certiſsimum ſit non modo non eſſe impoſsibile beatos videre liberam determinationẽ diuinæ voluntatis; ſed de facto illius decreta videre: alioquin non viderent in Deo, quę ad aliorum ſtatum pertinent.

Auctor Dialogorũ. *D.Bern.* *Cõcil. Sen.* *D.Thomas* *Laurẽtius Iuſtinian⁹.*

Nec contra hanc veriſsimam reſolutionem aliquid facit locus Pauli primæ Corinthiorum 2. dum ait: *quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita,& quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi Spiritus Dei.* Quin potius locus pro nobis facit: nam ſicut, quæ ſunt in corde hominis, nemo alius naturaliter ſcire poteſt, niſi ipſe ſpiritus hominis: & tamen poſſunt ab alijs ſciri, homine ipſo ea reuelante: ita etiam, quæ ſunt Dei libera ſecreta, decretaque, nemo poteſt cognoſcere, niſi ipſemet Dei ſpiritus ea voluerit reuelare,vt ex Paulo ibi expreſsè colliges. Quare ſicut Angelus de facto videt in ſe ipſis noſtras liberas cogitationes, dum nos eas illis reuelamus, dũ ad eos illas dirigimus: ſicut etiam in patria beati clarè videbunt aliorum beatorum cogitationes in ipſismet cogitationib⁹ ex Auguſtino epiſtola 6. in principio, & libr. 22. de Ciuitate Dei capit. 29. & de diligendo Deo capite 18. ſiue id fiat ex actuali ipſius beati directione, ſiue ex ſola virtuali: ita etiam in patria libera Dei decreta in ſe ipſis formaliter videbuntur à beatis; Deo tamen libere ea reuelante, non ſolùm antecedenter: ſed etiam conſequenter. 3. Obiectioni hil officit. *Auguſtin.*

Nec hoc negare puto eſſe ſatis probabile,nec ſatis pium:tum;quia ſatis videtur incredibile, quod poſsit Deus manifeſtare alicui ſuam eſſẽtiã;& quod non poſsit manifeſtare ſuam voluntatem; vt benè aduertit Suarius in dicto 4.

cap.

cap. 24. n. 6. maximè, cum hęc libera Dei voluntas ex se sit quoddam cognoscibile; cum à Deo cognoscatur. Tum secundò; quia id maximè pertinet non solùm ad perfectionem status beatifici; sed etiam ad statum cuiusque beati: quilibet enim illorum (vt Patres docent) maximè delectantur videndo in Verbo mirabiles diuinæ prouidentiæ rationes circa hominum redemptionem. Deniq; cum impeccabilitas cuiusque beati per se primò oriatur ex visione beata, vt dicemus 2. tomo lib. 7; vtique admittendum erit singulos in Deo videre ipsam Dei voluntatem; sine cuius visione visio ipsa non potest per se primò; & immediatè impeccabilitatem tribuere. De quo plura suo loco.

Cætera, quæ in contrarium obijcit Bellomontanus, in 2. artic. aliquo modo expendentur.

§. 2.

Non omnia libera Dei decreta à beatis videri.

5. CVm iam constitutum sit non esse impossibile liberam determinationem voluntatis diuinæ videri in Deo: imò pium sit beatos de facto eã videre: inquirendum est, an beati de facto videant omnia decreta Dei, & omnibus modis, quib⁹ sunt visibilia. Potest enim de hoc aliquis dubitare. Affirmãtem partem hæc ratio videtur primò confirmare: quoniam omnia Dei decreta sunt formaliter in Deo, tanquã quædam Dei attributa. Iam verò omnes beati in Deo vident omnia attributa, vt in hoc libro ostẽdimus. Nihil enim speciale in his decretis reperitur, quod impediat eorum omnium visionem: quoniam determinatio libera ad tale obiectum nihil ponit in Deo distinctum ab illius substantia.

Pro parte affirmante arg. 1.

6. Secundò ita arguitur: quia vel per visionem essentię possunt videri hęc decreta, vel non? Posterius non esse dandum immediatè ostendimus. Si detur prius. Ergo ipsa decreta necessariò videntur: alioquin esset impossibilis visio, per quam illa non videantur. Quòd si admittatur, iam insurgit dubitatio, quomodò duæ illæ visiones inter se distinguantur: nec enim distingui possunt

Argum. 2.

specie, quia omnes visiones beatificæ sunt eiusdem speciei. Nec distingui possunt solo numero: quia vix intelligitur solam distinctionem numericam sufficere ad constituendam tantam diuersitatem in actibus, vt vnus ex sua natura habeat repræsentare essentiam cum decretis, & alter sine illis.

7. Tertiò; Beatus necessariò videt omnia, quæ futura sunt in aliqua differentia temporis, vt plerique putant. Ergo necessariò vident omnia decreta Dei: nec enim possunt videri omnia, quę aliquando sunt futura; quin videantur omnia Dei decreta.

Arg 3.

His non obstantibus asserendum est beatos non videre in Deo omnia consilia, liberaque decreta diuinæ voluntatis. Pro hac sententia citari solet D. Thomas 1. p. q. 12. art. 7. & 8. & 3. p. q. 10. art. 2; at in his locis in specie nihil hac de re dicit: id tamen supponit 1. p. quæst. 106. art. 1. ad 1. & distinctiùs de veritate q. 8. art. 4. ad 1. Consentiunt omnes Nouiores: videndi sunt Suarius in d. lib. 2. cap. 24. n. 3. & Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 9. num. 140. pag. 310. & num. 144. pag. 312.

8. *Approbatur sententia negatiua.* *D. Thom.* *Nouiores.* *Suarius.* *Salas.*

Hæc veritas euidenter demonstratur ex Dionysio cap. 7. de cœlesti hierarchia, dum docet Angelos inferiores à superioribus illuminari de aliquibus diuinis decretis, atque consilijs; etiam de illis, quæ ad eorum statum aliquo modo pertinent; quia scilicèt pertinẽt ad curam, & gubernationem populorũ sibi commissorum, vt patet ex multis locis Scripturæ, maximè Danielis 10. & 11. Ergo admittendum est Angelos inferiores plurima decretorum diuinorum ignorasse; non ignorassent tamen, si in Deo vidissent omnia diuinæ voluntatis consilia. Et hoc satis sit pro confirmanda hac sententia, quam ego puto esse certissimam.

9. *Cõfirmatur* *Dionysius.* *Danil. 10.*

Ad 1. eorum, quæ in contrarium adducuntur, admittimus actus istos liberos, atque decreta Dei esse formaliter in Deo: non sunt tamen propriè attributa, vt patet suprà q. 4. art. 8. num. 11. Et quanuis formaliter sint in Deo; sunt tamen actus quidam liberi, & ideò ex se inuisibiles intellectui creato, nisi à Deo liberè manifestentur.

10. *Ad 1.*

Ad 2. dicimus decreta ista videri pos- *Ad 2.*

se ipsa visione diuinæ essentiæ. Inde tamen non bene inferri ea necessariò videri: quia quodlibet illorum potuit non videri. Cum verò inquiritur, an illa visio esset illa eadem, qua modò de facto videntur; an alia? dicimus id alterius esse quæstionis, cuius resolutionem videre poteris suprà q. 11. art. 4. §. 4. ad 4. num. 30. & 31.

Ad 3. negandum est antecedens: vt patet ex dictis suprà quæst. 19. ar. 4. §. 2. conclusione 3. Ad 3.

ARTICVLVS II.

Quomodò diuina decreta, & actus liberi videantur in Deo?

1. SVpposita veritate præcedentis articuli; superest explicandum, quomodò actus liberi, liberaq; decreta videantur in Deo? Etenim in hoc modo explicando tota versatur quęstionis difficultas. Fundamentum difficultatis ponitur à Bellomontano nobis aduersario 1. p. disp. 50. cap. 4. n. 23: quoniam liberum decretum voluntatis Dei nihil addit in re diuinæ essentiæ: etenim determinatio diuinæ voluntatis ad hoc, vel illud obiectum nihil superaddit eidem essentiæ. Igitur non potest videri in essentia visa. Hæc difficultas maximè torquet Suarium lib. 2. de attributis negatiuis cap. 24. n. 7. cum sequentibus, & Salam 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 9. nu. 143. pag. 311: vnde varios dicendi modos excogitarunt, qui rem potius obscuriorē reddiderunt. Quin potiùs apud Suarium non ineptè diceret, qui nodum istum inexplicabilem affirmaret. Sed in explicabilitas ex eo oritur, quod supponitur determinationem liberam Dei solùm superaddere respectum rationis; suppositā autem hac opinione nodus verè est inexplicabilis. Explicabitur tamen facilè, si cum Fonseca dicas superaddere essentiæ modum quendam purum se habendi ad creaturas; qui modus cum non sit necessarius, nullam perfectionem essentiæ adiungit. Latiùs id declarat Fonseca lib. 7. Metaph. cap. 8. q. 5. sect. 4. & 5. litera C. qua suppositā opinione facilè intelligimus determinationem illam Dei liberam in se esse quid intelligibile: quòd si admittamus (est autem admittendum) nodus facilè explicatur. Verùm, quia hoc longiorē postulabat disputationem, diligentiorē explicationem referimus ad lib. 6. secūdi tomi in disput. de lumine gloriæ: ibi enim explicabimus, quomodò lumē glorię actus liberos Dei potest illuminare.

Fundamentum difficultatis.

Fonseca.

QVÆSTIO XXII. & vltima.

De formali ratione obiecti beatifici.

SERVATO ordine posito in præfatione huius libri, vltimo loco disputādum erat de ratione formali beandi obiecti beatifici, de qua, vnica tantùm difficultas se se obijcit explicanda in sequenti articulo vnico.

ARTICVLVS VNICVS.

Quænam eorum, quæ à beatis videntur in Deo, per se concurrant ad formalem rationem obiecti beatifici?

PRO explicatione præmittendum est nihil esse inquirendum de obiecto beatifico, vt quod: de hoc enim latè egimus in 1. quæst. huius libri: ostendimus etiam suprà q. 14. artic. 1. Deum Trinum, & vnum esse obiectum, vt quod nos beatificans. 1.

Secundò præmittendum est in obiecto beatifico duplicem distinguendam esse rationem formalem beandi: vnam, *vt quæ*: alteram *sub qua*, vt iam annotauimus suprà lib. 4. q. 8. art. 3. n. 11. & 12.

Sit prima conclusio: non satis constat, quænam sit ratio formalis *sub qua* Deus, vt beans terminat actionem beatificam. Nam si essentialis beatitudo in intellectu ponitur; ratio *sub qua* Deus nos beat, est ratio veri, & intelligibilis; quia sub hac formali ratione attingitur ab intellectu. Porrò si beatitudo ponitur in voluntate, ratio *sub qua* Deus nos beat, est ratio boni, & appetibilis; nam sub hac ratione à voluntate attingitur. Quænam harum opinionum sit verior? Latè diximus lib. 4. 2. Concluſ. 1.

Sit secunda conclusio: certissimū est Deum esse obiectum formaliter beatificum; 3. Concluſ. 2.

ficum, quia est summè perfectus, & summum bonum. Conclusio omnium consensu recipitur, & in re per se nota satis sit testimonium Dei ad Abraham: *ostendam tibi omne bonum*, id est me ipsum, qui sum omne bonum.

Sed iam inquiritur, quænam sit hæc summa perfectio, quæ Deo est formalis ratio beandi? Pro resolutione sit tertia
Conclus. 3. conclusio: creaturæ visæ in Deo, per se non pertinent ad rationem formalem obiecti beatifici. Hæc conclusio apud omnes est indubitata: satis eam docuit
Augustin. Augustinus lib. 9. Confessionum cap. 4: *infelix homo, qui scit omnia illa* (scilicèt creaturas) *te autem nescit. Beatus autem qui te, & illa nouit; non propter illa beatior est; sed propter te solum beatus.* Licet enim visio pluriũ creaturarum arguat maiorem beatitudinem: illam tamen non arguit à priori, sed à posteriori, quatenus visio plurium creaturarum arguit intensiorem penetrationem diuinæ essentiæ. Vnde siquis in Deo nullam videret creaturã, non proinde non esset beatus; ex Diuo Thoma 1. p. quæst. 12. artic. 8. Quod non esset verum, si creaturæ per se pertinerent ad rationem formalem beandi. Et ideo meritò dicuntur pertinere ad obiectum secundarium beatitudinis, vt omnes fatentur nemine discrepante.

4. Quarta conclusio: Essentia sub ratio-
Conclus. 4. ne essentiæ per se pertinet ad rationem formalem obiecti beatifici; ita vt essentia sub ratione essentiæ sit Deo formalis ratio beandi. Hæc etiam est indubitata: nam ratio formalis beandi per se posita est in ratione summi boni, & entis summè perfecti, vt ex Aristotele, & omnibus philosophis patet. Essentia autem diuina ex sua intrinseca ratione est summum bonum, summaque perfectio; imò est prima bonitas, primaque perfectio, vt & fides, & naturalis ratio docent. Ergo essentia sub ratione essentiæ per se pertinet ad rationem obiecti beatifici.

De Attributis sit quinta conclusio:
5. Attributa diuina sunt de intrinseca ra-
Conclus. 5. tione obiecti beatifici, vt beatificum est. Hæc conclusio posita est à nobis suprà q. 11. art. 4. §. 3. concl. 5. n. 21. & 22; eam probauit Salas, vbi suprà disput. 4.
Salas. sect. 2. pag. 242. §. *De potentia autem absoluta*, & pag. 245. col. 2. in medio, & pag. 246. col. 1. §. *Ad tertiam confirmationem*, vbi nobiscum docuit essentiam, nisi simul cum attributis videatur, non posse videntem beare. Conclusio indubitata est apud eos, qui volunt omnia attributa esse de intrinseca ratione essentiæ; etenim ipsa essentia attributis ipsis cõpletè reponitur in esse summi boni, & entis simpliciter perfecti, quæ est formalis, & completa ratio beandi. Conclusio etiam mihi est verissima, si attributa non sunt de quidditate essentiæ: adhùc enim per se pertinent ad formalem rationem beandi. Fundamentum à nobis ponitur in d. concl. 5: quoniam essentia sub præcisa ratione essentiæ, & prout ab attributis distinguitur, licet apud Scotistas sit summè perfecta in genere essentiæ, & perfectione veluti radicali, & primaria; formaliter tamen non est perfecta perfectione secundaria, sed attributis ipsis nostro intelligẽdi modo completè veluti perficitur perfectione simpliciter simplici, sine qua obiectum non potest esse completè beatificum. Quare distinctio attributorum ab essentia, licet fortè efficiat, vt essentia sine attributis diuina potentia videri queat; vt quia supposita illa distinctione non possit non pertinere ad obiectum secundarium visionis, vt est visio: tamen nihil conducit, vt essentia sine attributis sit obiectũ completè beatificum: quoniam in hoc esse vltimo cõstituitur per perfectiones attributales, quæ ex se sunt perfectiones simpliciter simplices. Itaque essentia sine attributis, licet diuina potentia videri possit; beare tamen non potest. Vide, quę diximus in d. concl. 5: habet enim plures ex Scotistis contradictores.

Sexta conclusio: Longè probabilius 6.
est personas, relationesque personales Conclus. 6.
per se non pertinere ad formalem rationem beandi. Hæc conclusio non potest non probari ab ijs, qui volunt essẽtiam visam sine personis, aut sine aliqua persona videntem non beare; quæ fuit communis sententia Scotistarum, Bassolij, Maironij, Radæ, Ouandi, Bargij, & *Scotistæ.*
aliorum cum Scoto, cum quibus consentiunt Palatius, Molina, Suarius, & Medina; quos omnes citauimus suprà q. 14. ar. 7. & eorum sententiam, vt probabiliorem secuti sumus ibi §. 3: nam

Caieta-

Caietanus nobis oppositus 2.2. q.2.art. 8. §. *quoad* 2. expressè docet solam diuinam essentiam esse rationem formalem beandi. Quæ sententia vehementissimè confirmatur; quia relationes vel nullã dicunt perfectionem (vt plures existimant) vel non dicunt perfectionem simpliciter simplicem, quæ est communior opinio. Igitur nullo modo pertinere possunt ad formalem rationem beandi, ad quam sola perfectio simpliciter simplex pertinere potest. Vide, quæ diximus in d. art.7. §.3. in solutione quartæ probationis. Supposita hac sententia relationes personales ad obiectum beatificum non concurrũt, vt rationes formales beandi, sed solùm, vt conditiones beantis, quatenus illud constituunt inesse obiecti, vt quod. Vide in d.ar.7.§.4. ad tertiam probationem primi fundamenti.

Cõfirmatur

Postrema conclusio: Quanuis probabilius sit personas, relationesque personales per se non pertinere ad formalem rationem beandi; oppositum tamẽ potest satis probabiliter defendi: nam ad hoc satis est, quod hæc sententia cõmunior est inter Thomistas, quos citauimus in dicta quæst. 14. art.7. §.2. & illorum opinionem, vt probabilem latissimè defendimus ibi §. 4. Vide, quæ ibi diximus; nec enim opus est eadem iterum repetere. 7. Conclus. 7. Thomistæ.

Et ita impositus est finis huic quinto libro, & simul tomo isti primo. Cedat id in Dei gloriam, in laudem Deiparæ Virginis Gratiarum, & Sanctissimi Patris Augustini Familiæ nostræ Eremitanæ Fundatoris.

*

(**)

FINIS. LAVS DEO.



CONIMBRICÆ,

Apud Didacum Gomez Loureyro Vniuersitatis Archi-typographum. Anno Dñi 1609.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIP. TVRÆ.

GENESIS.

CAp.1. Faciamus hominẽ ad imaginem, & similitudinem nostrã. 484. n.26.

Cap. 15. Ego merces tua magna nimis. 657. n.4.

Cap.45. Gloriam meam.364.n.3.

EXODI.

Cap.22. Dijs non detrahes. 376.ar.5.§. 1.n.1. & 379.n.13.

Cap.24.Habitauit gloria Domini.364. num.3.

Cap.33. Ostende mihi gloriam tuam. 364.n.3. & ostende mihi faciem tuã. 500. col.1.

Cap.40. Gloria Domini implebit templum. ibid.

IVDICVM.

Cap. 1. Gloria Quadrigarum suarum. 364.n.3.

IOB.

Cap.19.Scio,quod Redemptor meus viuit.292.n.54. & in carne mea videbo Deum Saluatorem meũ, & oculi mei conspecturi sunt.491.n.48.

Cap. 42. Auditu auris audiui te; & statim nunc oculus meus videt te. 493. n.57.& 58.

PSALMORVM.

Psal.8. Gloria, & honore coronasti eũ. 374.col.2.

Psal.16. Satiabor,cum apparuerit gloria tua. 374.col.2.

Psal.149. Exultabunt Sancti in gloria. 364.n.4.

PROVERBIOR.

Cap.8. Omnia propter semetipsũ creauit Dominus.212.n.26.

ECCLESIAST.

Cap. 30. Non est census supra censum salutis corporis. 383.n.11.

ISAIÆ.

Cap.40. Cui similem fecistis Deum? cui assimilastis me? 480.n.10.

MATTHÆI.

Cap.4.Ostendit illi regna mundi,& gloriam eorum. 364.n.3.

Cap. 5. Luceat lux vestra coram hominibus. 367.col.1.

Quoniam ipsi Deum videbunt. 455.n. 8.& 456. numer.15. & pag. 1042. numer.3.

Cap. 6. Te faciente eleemosynam nesciat sinistra.&c. 369.n.16.

Cap.11. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. 693.n.13.

Cap.22. In resurrectione, nec nubent, nec nubentur. 387.n.8.

Cap.25. Intra in gaudium Domini tui. 520.n.2.& 3.

LVCÆ.

Cap.3. Et videbit omnis caro salutare Dei. 493.n.55.

IOANNIS.

Cap. 1. Verbum erat apud Deum. Et Deus erat Verbum. 1036.§.1.ar.1. numer.1.

In ipso vita erat. 668.n.14.

Cap. 4. Spiritus est Deus. 479. numero 8.

Cap. 5. Qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis. 365.n.8.

Dedit filio habere vitam in semetipso. 668.n.14.

Cap.6. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. 387.n.9.

Cap. 14. Manifestabo ei me ipsum, & ostende nobis Patrem. 455. numer. 7.& 456.num.7;& 456.num.13. & 14. & 517.numer.6. & 7. & pag. 586. numer.7.

Cap.14. Ostendam me ipsum illi. 586. numer. 8.

Qui videt me, videt,& Patrem meũ. pag. 1048. numero 19. & 20. 21. & 22.

Tanto tempore vobiscum sum, & nō cognouistis me. 1049.n.19.& ammodo cognoscetis eum, & vidistis eum. ibidem.n.20.
Si cognouiscetis me, & Patrem meū vtique cognouiscetis. ibidem. n. 21.
Cap.16.Iterum videbo vos,& gaudebit cor vestrum.520.n.4.
Omnia, quæ Pater habet, mea sunt. 693. n.13.
Cap.17.Hæc est vita æterna,vt cognoscant te.432.n.55.& 455.col.1.& n.11 & 471. n. 2. & 516. n. 4. & 517. n.5. & 585.n.4.& 5.& 1042. n.3.
Vt videāt claritatem meam.455.n.7. & 456.n.12. & 585.n.6.
Quia dilexisti me ante mundi constitutionem, 585. n.6.

ACTORVM.

Cap.23. Saducæi dicunt non esse resurrectionem, nec angelum, nec spiritū. 479. n.7.

PAVL. AD ROM.

Cap 1. Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta, conspiciūtur. 481. n. 15.
Cap. 4. Habet gloriam, sed non apud Deum.365.n.8.
Cap.6. Gratia Dei vita æterna. 467. n. 58.
Cap.8. Ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. 374. num.33.ad 4.& col.2. in medio.
Cap.14. Non est regnum Dei esca,& potus.387.col.1.in principio, & n.10. & 475. n.4.

I. CORINT. I.

Qui gloriatur, in Domino glorietur. 367.col.1.
1.Cor.6. Iniqui regnum Dei non possidebunt, & statim nec fornicarii, nec molles,&c. 388.n.11.
1.Cor.8.Esca non commendat nosDeo, nec enim si non manducauerimus,deficiemus;nec si māducauerimus, abū dabimus. 387.n.10. & 475. n.9.
1.Cor.9. Sic currite vt comprehendatur. 588.n.6.
1.Cor.12. Adhuc excellentiore m viam vobis demonstro. 592.n.16 .
1.Cor.13. Maior autem horum est charitas. 592.n.16.
1.Cor.13. Tunc autem facie ad faciem, & ibi: tunc cognoscam, sicut & cognitus sum.458.n 8.&484,n.26. & 493. n.56.& p.663.n.2.& 943.n.10.
1.Cor.15. Caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt. 388. nu.11. & 474. n.5.

II. CORINT. I.

Gloria nostra hæc est. 365. n. 6.
2.Cor.3. Dominus autem spiritus est. 480. n. 9.
2.Cor.5. Per fidem ambulamus, & non per speciem. 455.n.8.
2.Cor.5. Ardemus perigrinari à corpore,& præsentes esse ad Deum. 589.n. 13.

AD GALAT. VI.

Et sic in semetipso tantum habebit gloriam,& non in altero. 365. n.6.

AD COLLOSSENS. I.

Qui est imago inuisibilis. 481.n.14.

I. THIMOT. I.

Regi seculorum immortali,& inuisibili. 481.n.16.& 17.

I. THIMOT. VI.

Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum videt, sed nec videre potest. 482.n.17.& 18.

AD HEBR. XI.

Inuisibilem tanquam videns sustinuit. 481. n.14.

I. PETRI V.

Spiritu misso de Cœlo, in quem Angeli desiderant prospicere. 1042. n.4.

I. IOAN. I.

Deum nemo vidit vnquam. 482.n.18.

I. IOAN. III.

Videbimus eum sicuti est. 455. n. 8. & 456.n.15.& 517.n.6.
Ibidem. Similes ei erimus,quia videbimus eum,sicuti est. 586. n.7. & 1042. numer. 2.

(***)

INDEX RERVM QVAE IN HOC PRIMO TOMO CONTINENTVR.

⁂A.⁂

ABVSVS.

Abusus quid sit. pag.297. n.8.

ACCIDENS.

Accidentia quomodò perficiant substantiam. pag.402.n.10.

Accidentia perficientia substantiam quando per se sint ordinis inferioris ipsa substantia.402. numer.13.

Accidens in genere entis licet sit ignobilius substantia; sub aliqua tamen ratione potest esse nobilius ea. 433.n.58.

Accidentia ordinis supernaturalis esse entitatiuè perfectiora quacunque substantia ordinis naturalis,falso quidam putant.15.n.3.

Accidens potest esse summum bonum formale, & vt quo. 433.n.58.

ACTIO.

Actio agentis. Vide agens.

Actio prædicamentalis, quo sensu diuidatur in transeuntem,& immanentem. 442.n.15.

Actionum in homine quot sint genera. 224. n. 2.& p.233.n.1.

Actio distinguitur ex natura rei ab actu, qui per eam fit, etiam in actione immanente. 107.n.13.

Actio agentis, vt est ab agente, est effectus caussæ finalis. ibi.

Actione agentis cessante, cessat caussalitas finis. 106.n.8.

Actio vna non potest esse caussalitas caussæ efficientis,& finalis. 110.n.21.

Inter actionē, & finē intentio finis non est mediū interiacens,sed assistens. 128.n.14.

Actio, & effectus actionis est vnum obiectum caussæ finalis. 130.n.7.

Actiones, quæ in ordine intentionis inueniuntur,an sint effectus finis? 137.q.9.

Actio, quæ est vltimus finis artis, non est vltimus finis artificis. 226.n.7.

Actio, vt sit propter finem, debet esse libera. 240.v.16.

Actio quatuor modis potest referri in finem. 244.ar.7.n.1.

Actio agentis secundi etiam est à primo agente 328.n.3.

Actio,vt obiectum attingat,quomodò debeat esse propria potentiæ. 421.n.14.& 424.n.25.

Quæ actiones in ordine tam intentionis, quàm executionis insistant fini,quæve mediis. 241. n.2.& vtraque sunt propter finem. 241.n.4. & 243.ar.6.

Actio vna, & eadem in genere caussæ finalis simul est à fine proximo,& vltimo.328.n.3.

Actio, quæ non elicitur ab agente,nec in eo recipitur, an possit denominare ipsum agens. 421.n.13.& 424.n.24.& 25.

Actio intentionalis,licet sit impropria,in genere motus; non tamen est talis in genere causßalitatis. 55. n.23.

ACTIO HVMANA.

An omnis actio humana sit propter finem? 148. n.21.& 263.& 264.n.7.& 8.

Quæ actio dicatur humana. 133.n.21.& 254. & 255.

Actio, vt sit humana, quam deliberationem requirat. 256.§.4.

Actiones humanæ,aliæ perfectiores aliis. 257. numer.13.

Actio humana vel est propriè humana,vel propriissimè. 263.n.5.& quid ad vtrunque requiratur. 257.n.14.

Solæ actiones humanæ sunt propter finem apud D.Thomam. 238.n.6.& 265.n.13.

Omnis actio perfectissimè humana est propter finem. 263.n.6.

An actio humana sit propter vltimum finem in communi,saltem virtute? 304.ar.1.& 316. n.7.8.& 9.

Actio humana non semper actu, & expressè refertur ad vltimum finem in communi.an virtute semper referatur? 316.n.8.& 9:semper tamen refertur,saltem referibilitate interpretatiua. 319.n.18.

An omnis actio humana sit propter vltimum finem in particulari? 321.ar.3.

Non omnis actio humana virtute refertur ab

operante in vltimũ finẽ particularem. 322.n. 10; imò nec referibilitate operis. 223.n.13.
Non omnis actio humana ex parte operantis refertur semper actu in vltimum finem, quem operans sibi præfinit. 322.n.9.
Actiones humanæ, vt sunt à Deo, sunt propter vltimum finem. 326.ar.4.
An omnis actionis humanæ detur finis vltimus in eadem serie? 279.n.4.
Eadem actio humana sumpta in actu signato, potest esse finis sui ipsius in actu exercito. 267. n.19.
Actio hominis vide homo.

ACTIO IMMANENS.

Actio immanens distinguitur ex natura rei ab actu, qui per eam fit. 107.n.13.
Actio immanens quæ dicatur. 220.n.1.
An sit de ratione actionis immanentis recipi in potentia? 420.n.11.& 422.n.18.
Actio immanens non est de prædicamento actionis, sed omnis est vera qualitas. 438.n.4.& 439.n.5.& 440.n.4.
Actio immanens præstantior est transeunte: & est propter se. 472.col.1.n.2.
Actio immanens non est vera actio, sed habet modum actionis. 470.n.69.
Actiones immanentes pendere ab obiectis, vt à caussa finali, multi docent. 468.n.62.
Actio immanens in Deo, non est propter finem. 220.ar.4.n.1.

ACTIO LIBERA, ET DELIBERATA.

Actiones liberæ solùm sunt humanæ apud Diuũ Thomam. 238.n 7.
An solæ actiones deliberatæ sint humanæ? 253. n.2.
Actio perfectissimè libera insistit circa media. 263.n.6.
Actiones liberæ politiæ matutinæ, à quanam actione dirigantur? 1079 n.15.& 16.

ACTIO EXTERNA.

Actio externa in genere moris est vna, & eadẽ cum interna. 126.n.5.
Actiones externæ imperatæ à voluntate, an sint effecta finis? 125.ar.4.n.1.& 126.n.4.
In actiones externas, an, quomodò, & cur influat finis? 126.n.5.& 127.n.9.& 128.n.14.
Omnes actiones externæ imperatæ sunt propter finem. 242.n.10.
In eas influit finis etiam quoad entitatem illarum. 128.n.13.& 14.
In actiones externas Dei finis immediatè influit. 127.n.10.

ACTIO MORALIS.

Actio moraliter mala non datur nulla præcedẽte deliberatione formali, vel virtuali. 258.n.17
Actio peccaminosa; vt est à peccante, referri potest in Deum finem beatificatiuum, vel ex parte operantis, vel ex parte operis. 325.n.5.& quomodò sit in Deum referibilis. 326.n.4.
Actio moraliter bona, quomodo per charitatem habitualiter dirigatur in Deum? 301.n.22.
Actiones bonæ moraliter in homine fideli semper referuntur in Deum saltem ex parte operis. 323.n.13.

ACTIO INTERIOR.

Actiones interiores sumunt speciem ab obiecto, sineque intrinseco. 306.n.11.

ACTIO OTIOSA, ET IOCOSA.

Actio otiosa, quænã sit? 190.n 9.& vnde dicatur otiosa 320 n 23.& est propter finẽ. 190.n 9.
Actiones ludicræ, & iocosæ ordinantur in bonũ ludentis, & iocantis. 320.n.23.

ACTIO VITALIS.

Actio vitalis, vide vlta.

ACTVS.

Actus entitatiuus distinctus à formali est admittendus. 9.n.21.
Actus duobus modis sumi potest pro actu existẽtiæ, & pro actu essentiæ. 87.n.37.
Actus, qui fit, est effectus caussæ finalis. 107.n.13.
Actus humanus. vide actio humana.
Actus imperatus, & imperium in genere moris sunt vnus actus. 242.n.9.
Actus interior sumit speciem ab obiecto, sineque intrinseco. 306.n.11.
Actus inde accipit suam essentialem nobilitatẽ, vnde accipit essentiã: & ideo eò erit nobilior quò obiectum fuerit nobilius. 526.n.1.
Actus nobilioris potẽtiæ, an sint nobiliores omnibus actibus potẽtiæ minus nobilis? 595.n.20.& 21
Actus nobilissimus potẽtiæ nobilioris est nobilior actu nobilissimo potentiæ minus nobilis. ibid.
Actus eiusdem potentiæ vnde sumant speciem. 595.n.23.& 596.n.25.& in quo sensu dici possint eiusdem speciei. 596.n.23.
Actus eiusdem potentiæ subalternantur rationi formali illius. 595.n.23.
Actus species variatur ex diuerso modo tendendi in obiectum. 620.n.21.
Obiectum actus est caussa finalis illius, si bene explicetur. 398.n.5.
Ratio formalis actus non semper tollitur per realem identitatem. 729.n.100.
Actus perfectissimus potest dare esse, vt quo, sine informatione. 731.n.106.
Actus adæquatè diuiditur in primum, & secundum, si sermo sit de actibus ex natura sua operatiuis, & vitalibus. 462.n.38.
Actum proportionari ei, cuius est actus, quomodò intelligatur. 498.n.14.

Actus vltimus non semper est operatio. 462. n.37.

Actus reflexus realiter distinguitur à directo in actibus inferioris ordinis: non tamen superioris. 580.n.10.

Actus reflexus non necessariò est complexus. ibidem.n.11.

Actus reflexus, an sit nobilior directo? 578.n.2.

Actus notionalis in Deo, quid sit? & est duplex, nec est propter finem. 219.n.1.& 2.

Actum diuinæ voluntatis ad intra esse propter finem impugnatur. 220.§.2.

¶ Adeptio finis vide finis.

Adeptio beatitudinis obiectiuæ, vide beatitudo obiectiua.

Adeptionem rei, quæ est finis, non habere verã rationem finis falso existimant nonnulli. 25. num.4.

Adoratio imaginis: vide imago.

Aduertentia finis quando satis sit ad finalizationem. 240.n.16.

¶ Æstimatiua in sensu correspondet intellectui componenti. 74.n.32.

Æstimatiua, cur posit rationes insensatas abstrahere. 501.n.24.

Æstimatiua, quomodò possit habere notitiam Dei, & concipere spiritualia. ibidem.

Æstimatiua brutorum. Vide brutum.

AGENS.

Agentia actu non moueri à solo fine simpliciter vltimo asserendum est cum Aristotele, & Augustin. 18.n.6.

Agens potest in eàdem serie intendere finem proximum, & vltimum. 19.n.9.

An solùm agens sit finis cui suæ operationis? 55.n.22.

Agens per intellectum non habet naturalẽ propensionem ad sua particularia obiecta. 55. num.24.

Agens per intellectum determinatur ad agendũ à bono particulari sibi præsentato ibidem.

In agente propter finem quot operationes reperitãur. 120.col.2.n.1.

Omne agens, vel agit per naturam, vel per intellectum. 188.n.4.

Agens ad agendum certum effectum determinatur à fine. ibidem.n.6.

Agẽs naturale in quo differat à libero. 189.n.6.

An omne agens agat pcopter finem? disputatur. 187.art.vnico per totum.

Agens naturale, an agat propter finẽ. 190.ar.1.

Omne agens agit propter finem, vel directum à se, vel alio. 191.n.1.

Vt agens dicatur agere propter finem, quæ requirantur? 160.n.60.

Agens agit propter finem perfectè, & consummatè asequendum. 136.n.6.

Agens propter finem agit se in finem. 149.n.26.

Vt agens agat propter finem, non necesse est, vt eius actio sit propter finem. 214.n.33.

Agens non necessariò suas actiones destinat ad consecutionem finis, quãuis eas ordinet in finem. 214.n.31.

Agere propter finem, an conueniat homini? 225 ar.1.resoluitur sub distinctione. 226.§.2.

Omne agens agere propter finẽ nõ impedit, quin solus homo agat propter finẽ. 224.q.16 n.1.

Illud agens dicitur propriè agere propter finẽ, quod se agit in finem. 259.n.6.

Agens agere non potest, nisi prius determinetur ad certum effectum. 261, n.9.

Agens non potest ad agendum moueri, nisi ex proprio appetitu. ibidem.

Omne agens in agendo subordinatur fini: & in quo posita sit hæc subordinatio. ibidem.n.10.

In agẽte libero, vt agat, quinã pcessus dẽtur. ibid.

Omne agens agit propter vltimum finem in cõmuni, tanquã propter finem quo, non quod. 300.n.29.

Omne agens agere propter finem simpliciter vltimum solùm est verum in actionibus, quæ proximè tendunt in finem honestũ. 302.n.19

Agens duobus modis agit immediatè immediatione virtutis. 327.n.3.

Agentium subalternatio ad primum, in quo sit posita. 331.ar.4.n.1.

Agentis secundi intentio subalternatur intentioni agentis primi. 332.n.4.

Agens secundum semper intendit id, quod est referibile in vltimum finem. ibidem.

Cur agens naturale eò intensius operetur, quò magis approximatur passo? 59.n.8.

Ad agentium ordinem sequitur ordo finium. 271.n.7.

Agens increatum: vide Deus.

¶ Agendi, & finalizandi ratio non est idem. 103.n.48.

Agendi quid nam sit principiũ formale. 87.n.39

¶ Aliquid, & res sunt nomina synonyma. 734. n.114.

Aliquid dicitur ab alietate, quasi sit aliud quid. ibid.

AMARE, ET AMOR.

Amare ex Aristotele est velle alicui bonum. 7. n.8.& 13.n.8.

Non semper amatur magis is, cui bonum volumus, quàm ipsum bonum volitum 13.n.8.

Amare vnum propter aliud, non semper idẽ est, quòd amare vnum gratia alterius. 223.n.14.

¶ Qui amatur amore amicitiæ, simpliciter amatur, secus de amore concupiscentiæ. 615.n.16.

¶ Amor non nisi ad bonum terminari potest, & caussat desiderium ipsius boni, & intentionem assecutionis illius. p. 5. n. 2.
Amor eius, qui magis amatur, quàm alius, non semper est caussa amoris illius. pag. 13. n. 8.
Amor sequitur ad assecutionẽ finis. 135. n. 1.
Amor potest esse imposibilium. 140. n. 4.
Amor in quocunque agente est principium agẽdi ex Dionysio. Expenditur, an sit certum? 264 n. 10.
Amor non solùm trahit amantem ad amatum, sed etiam amatum ad amantem. 529. n. 8.
Amor concurrit ad delectationem, non vt conditio, sed vt ratio formalis obiecti. 610. num. 27.
Amor diuiditur in amorem concupiscentiæ, & amicitiæ. Explicatur. 611. & 612 n 1. & 2.
In quolibet amoris actu reperitur duplex ratio amoris. p. 612. n. 3.
Amorem terminari ad rem amatam, vt iam habitam & possessam, dubium est. 617. n. 3. & 619. n. 17. & 18.
Amor ex sua natura, an feratur tam in rem præsentem, quàm in absentem. 617. nu. 4. & 620. n. 19. & 21. & in quo sensu amor abstrahat à bono præsente, & absente. 621. num. 24.
Amor rei præsentis, an specie distinguatur ab amore rei absentis? p. 620 n. 19.
Amor, an realiter distinguatur à delectatione? 605. n. 7. & 8.
¶ Amor, quomodo terminetur ad bonum. pag. 610. n. 27.
¶ Amor amicitiæ siue beneuolentiæ, quo quisq; se ipsum amat, in quo fundetur. 10. n. 22.
Amor amicitiæ non est vera caussa amoris cõcupiscentiæ: nec ex parte actus ad illum supponitur. 13. n. 8. bene tamen ex parte obiecti, & in quo sensu dici possit caussa illius. 13. n. 8. & 9.
Amor amicitiæ, & concupiscentiæ est idẽ actus. 13. n. 8. & est idem motus voluntatis alio, & alio modo. Nec ad inuicem possunt separari. ibidem.
Amor amicitiæ, an formaliter sit assecutio obiecti beatifici? 617. n. 3.
Amor amicitiæ, & concupiscentiæ, an possint inter se comparari secundum magis, & minus. 395. n. 3.
Amor amicitiæ nobilior est, quàm concupiscentiæ. ibidem. col 2. ad finem.
¶ Amorem concupiscentiæ terminat finis cuius: amicitiæ autem finis cui. 5. n. 2.
Amore concupiscentiæ, an Deus possit à nobis amari? 14. n. 10.
Amor concupiscentiæ, quo beatus Deum sibi amat, minus est nobilis, quam amor amicitiæ, quo Deum amat. 615. n. 15.
Amor concupiscentiæ etiam terminatus ad Deũ potest esse inordinatus: non tamen amor amicitiæ. 615. n. 17.
Amoris concupiscentiæ obiectum, an sit bonum, & commodum, & an tale obiectum ametur propter se? 613. n. 6. 8. & 9.
¶ Amor finis, in quo fundatur intentio agentis, necessariò tendit in duos terminos: in bonum volitum; & in personam, cui est volitum. 7. n. 8.
Amor finis cui non est caussa amoris finis cuius contra Ochamum. 13. n. 8.
Amor finis adepti, an sit effectus finis? 135. num. 2. & 8.
In amore simplici finis datur aliqua deliberatio. 258. n. 20.
Amor finis, quomodò distinguatur ab intentione finis. 140. n. 4.
Amor simplex finis, an sit actus distinctus à desiderio finis? 140. n. 2.
Amor simplex finis, an sit effectus finis? disputatur. 141. art. 5. & 240. num. 14. & 17. & latiùs. 243. n. 3.
Amor finis est necessarius, vt finis finalizet, & quomodò. 147. n. 20.
Amor de fine consecuto non est ab operãte propter finem. 244. n 6.
¶ Amor boni amati Petro efficienter caussatur ab amore, quo Petrus absolutè amatur. pag. 152. n. 36.
¶ Amor patriæ non est propter finem. 239. num. 11.
Amor patriæ est actus necessarius, ad quem voluntas concurrit, vt natura. ibid. n. 11. & 12.
Amor beatificus patriæ non est actio humana. 258. n. 19.
Amor Dei in patria per se terminatur ad Deũ, & ad visionem. 521. n. 3.
Amor patriæ, an immediatè attingat Deum in se ipso? 523. n. 7. & 8.
Ad amorem patriæ, an visio concurrat, vt ratio obiecti, an vt conditio? 522 n. 4.
Amore patriæ, an visio sit nobilior, vel simpliciter, vel secundum quid? 527. n. 2. & 3. & 583. n. 8. & 592. §. 2. per totum; & 589. ar. 4. per totum.
Amor in patria, an habeat rationem dotis? pag. 532. num. 3.
Amor patriæ, vt directè elicitur à beato, & terminatur in Deum, non elicitur propter finem. 538. n. 8. An verò ordinetur à Deo ad visionem? Dubium est. 537. n. 5. & 6.

Amor patriæ, vt actu reflexo est volitus à beato, est volitus propter visionem. 538. n. 9.

Amor patriæ, an sit amabilior, quàm visio? 539. art. 9. Quid in amore concupiscentiæ? quid itè in amore amicitiæ? 540. n. 4. & 5.

Amor, quo beatus in Deo amat proximos, an sit idem numero cum eo, quo amat Deum? 565. n. 13.

Amor beatificus patriæ non consequitur visionem, prout virtualiter continet iudiciũ, quod Deus sit summè diligendus. 568. n 25.

An solus amor patriæ sit assecutio obiecti beatifici? 587. ar. 3. per totum.

Amorem esse finem visionis in patria est probabilius. 597. §. 5. per totum.

An ex amore patriæ maius bonum resultet Deo, quàm ex visione? 598. n. 34.

Amorem patriæ esse appetibiliorem visione, est probabile. 598. §. 6.

Amor patriæ cur sit per se assecutiuus obiecti; non tamen in via? 599. n. 3.

Amor in patria supponit obiectum beatificum esse præsens: non tamen esse assecutum, idque apud Scotum. 599. n. 3.

Amor patriæ, an virtute contineatur in visione? 601. n. 7.

Amor patriæ specie distinguitur ab amore viæ apud nonnullos. 602. n. 11. & 620. n. 20.

Amor, quo Deus amatur, vt bonum beato, an sit dicendus concupiscentiæ? 612. n. 5. & 613. nu. 7. & an sit essentialiter beatificus? 614. n. 11. & 14.

Ad amorem patriæ, an visio concurrat, vt ratio formalis? 622. n. 27.

Amor, quo beatus vult Deo bona per se concurrit ad obiectum delectationis. 628. n. 6.

Amorem patriæ elici à charitate non est de fide. 430. n. 50.

Ad amorem Dei in patria satis est visio beatifica, nec requiritur alius actus practicus. 503. num. 4.

In patria solus amor amicitiæ erga Deum ex parte voluntatis pertinet ad beatitudinem. si illa ponitur in pluribus actibus. 628. n. 4. & 5.

¶ Amor Dei in via apud Thomistas est nobilior secundum quid, quàm cognitio Dei in via. 527. nu. 3. an idem dicendum sit de amore patriæ? 528. n. 4. & 5.

Amor viæ potest esse æque intensus, atque amor patriæ, non tamen æquè perfectus. 611. n. 33

¶ Amor rerum superiorum (v. g. angelorum) est nobilior secundum quid, quàm earum cognitio: secus de amore rerum corporearũ; idq; apud Thomistas. 527. n. 3.

¶ Amor proprius non est vltimus finis cuius in eo, qui mortaliter peccat. 291. n. 22.

¶ Amabilis rationem nihil fundare potest, nisi bonum honestum, iucundum, & vtile. Vnde tria illa bona sunt adæquatum fundamentum amabilitatis. 176. n. 3. & 177. n. 5.

AMBROSIVS.

Ambrosius lib. 2. de Officijs cap. 2. explicatur, dum ait diuinam Scripturam posuisse vitam beatam in cognitione diuinitatis. 457. num. 18.

Idem lib. 2. de Fide cap. 4. explicatur, dum ait vnam operationem esse non posse, vbi est diuersa substantia. 429. col. 2.

AMENS.

Amentes vtuntur intellectu, & voluntate, & nõ instinctu naturali. 228. n 7.

Amentis ratio non omnino ligatur, & quomodò ligetur. 228. n. 7. & 8.

In amentibus non datur liberum arbitrium, nec peccatum. 229. n. 9. & 230. n. 11. & 232. num. 20.

Amentes, an operentur necessariò, an liberè. 230. n. 11 & 12.

Amentes, an agant propter finem? 230. n. 13. & 232. n. 18.

In amentibus licet operationes voluntatis sint sub ratione boni, & conuenientis: dubitatur tamen, an sint sub ratione finis? 231. n. 15.

AMICITIA, ET AMICVS.

Amicitia supponit amorem, quo amicus amatur propter se, & superaddit mutuam redamationem cum quadam mutua communicatione. 541. n. 7.

Amicitia vera datur inter Deum, & nos contra Durandum. 623. n. 32.

Amicus est alter ego: vnde bonum illius est proprium bonum mihi. 60. n. 11. & 13.

Amicus magis diligitur, quàm diligatur bonũ illi volitum. explicatur. 395. col. 2. ad finem.

ANALOGVM.

Analoga nullam dicunt naturam, nullumve essendi gradum præcisum, nec habent vnum cõceptum obiectiuum re, & ratione præcisum. 803. n. 24.

ANGELVS.

Angelos agere propter finẽ latè probatur. 223. quæst. 15.

Angelus, dum peccando auersus est à Deo fine supernaturali, etiam auersus est ab illo, vt est finis naturalis. 285. n. 17.

In angelis nomina ordinum ita imponuntur secundum conuenientiam ad spirituales perfectiones, vt superiori ordini superior perfectio tribuatur. 532. art. 7. n. 1.

Angelorum hierarchiæ in patria distinctionem, & appellationem sumunt ab actibus beatificis secundum aliquos. Alij hæc accipiunt à perfectionibus: viæ vtriquè reiiciuntur. 532. n.2.& 6.& 533.n.7.& 8.vnde verò hæc distinctio sumenda sit? 532. n.6.

Angelorum hierarchiæ ex sua natura postulant subordinationem superioris, & inferioris in recipiendo,& communicando dona. Quod etiam aliquo modo reperitur in choris. ibidem

In angelis tam ordo, quàm hierarchia importat gubernationem per rationes intelligibiles diuinæ prouidentiæ reuelatas angelis in ordinẽ ad salutem hominum. 583.n.8.

Angeli in via aliquo modo habuerunt hierarchias,& ordines,quos retinent in patria, sed imperfectè. 534.n.8.& 9.

Angelorum hierarchia dicit ordinem gubernationis,& executionis diuinæ prouidentiæ in aliquem finem supernaturalem. ibidem.

In angelis distinctio hierarchiarum,& ordinum sumenda est ex donis patriæ: ex donis autem viæ aliquo modo. 534.n.10.& 11.

In angelis hierarchiæ distinguuntur ex modo recipiendi rationes intelligibiles diuinæ dispositionis. Chori verò, & ordines ex modo illas communicandi. 535.col.1.

In angelis hierarchiæ, & ordines nomen, & distinctionem accipiunt ex modo recipiendi,& communicandi lumen,& rationes intelligibiles à Deo reuelatas circa ordinem prouidentiæ, & gubernationis huius mundi. 535. n. 13.

Angelorum prima hierarchia immediate accipit à Deo rationes intelligibiles. ibidem.

In angelis chori primæ hierarchiæ distinguuntur penes altiorem, & nobiliorem modum recipiendi rationes intelligibiles,& easdem communicandi ibidem.

In angelis in puris naturalibus nihil datur,quod nomen beatitudinis mereatur apud Bellomõtanum. sed non recipitur. 343.n.8.& 9.

Angelos fuisse creatos in beatitudine naturali plures docent. 346.n.17.& in quo sensu sic dicantur creati. 351.n.31.

Angeli intellectus, an obiectiuè perficiatur ab anima separata. 403.n.15.

Angeli, quomodo perficiant aliorum intellectũ ibidem n.16.

Angeli illuminant homines, tanquam ministri Dei. 408,n.10.

Angelus,quando intrat aliquod corpus,vt in eo operetur, dicitur in illud impropriè illabi. 416.n.8.

Angelis, quomodo Deus loquatur. 432.n.54.

Angeli intellectum,an perficiãt sensibilia. 403. n.14.

Angelus,an in corpora illabatur proprio illapsu? 444.n.6.

Angeli prius fuerunt beati ipsa Dei visione,quã ex Verbo acceperint matutinam cognitionem rerum. 1116.n.35.

Angelos vno,& eodem intuitu æque primo intelligere plura, quomodo intelligendum sit. 1131.n.13.

ANIMA

Anima ad operationem, quæ est beatitudo, an proximè eleuetur per lumen gloriæ, an per charitatem? 601.n.6.

In animæ bonis,an enumeranda sit voluptas,& delectatio corporea? 380.n.2.an etiam enumeranda sint,quæ aliquo modo rationem participant? 381.n.4.

Animæ operatio, an possit esse finis vltimus obiectiuus? 397.n.4.

Animæ definitio explicatur. 431.n.51.ad finẽ.

¶ *Animæ* vegetatiuæ operationes non fiunt ab homine propter finem. 234.n.4.

Ad animam vegetatiuam quænam bona pertineant:& an enumerentur inter particulas felicitatis? 381.n 2.& 3.

In bonis animæ vegetatiuæ non ponitur beatitudo. 381.art.2.

Animæ vegetatiuæ bona referuntur ad bona animi,tanquam in finem, 382.n.4.

Anima vegetatiua est expers rationis. 472.q. 5 num.2.

¶ *Animæ* sensitiuæ bona enumerantur inter bona animi, vt distinguuntur à bonis corporis. 472.q.5.in præfatione, & ar. 2.p.477.

Anima sensitiua est rationalis per participationem. ibidem q.5.n.2.

Anima sensitiua in homine est gratia animæ intellectiuæ. 397.n.4.

¶ *Animæ* rationalis immortalitas bene infertur ex illius intellectualitate. 201.n.2.

Animæ intellectiuæ obiecta aliquo modo dici possunt bona illius. 393.q.4.in principio.

Animæ intellectiuæ bona intrinseca quæ sint. ibidem.

Anima intellectiua, vt est vita substantialis,ex sua natura vendicat sibi actum vitalem, quo viuat. 431.n.51.

Anima separata, an obiectiuè perficiat intellectum angeli?

Anima in patria non indiget noua qualitate ad tollendos defectus essentiæ, sed potẽtiæ. 448. num.19.

Anima beata prius natura habet esse beatificũ, quàm beatificas operationes. 467.n.56.

Anima denudata potentijs non potest esse beata. 470.n.70.
Animas post resurrectionem videre diuinam essentiam est de fide. 488.n.40.
¶ Animantia non possunt dici beata. 382.n.3.
Animatum ab inanimato per se distinguitur vita, id est operatione vitali. 431.n.51.

ANSELMVS.

Anselmus lib.2.cur Deus homo cap.1. explicatur, dum ait: peruersus ordo est amare, vt intelligas; rectissimus autem, intelligere, vt ames. 539.n.11.
Idem in lib.de incarnatione, dum ait: omne compositum cogitatione posse dissolui. 748 col.2. & 751.n.165.
Idem in Monologio cap.16. dū ait, quæ de Deo dicuntur, dicuntur vno modo, & vna consideratione. 778.n.60.

APPELLATIO.

Appellatio Verbi substantiuè, & adiectiuè in diuinis quomodo sit eadem. 936.n.13. ad finē.

APPETIBILE, ET Appetitus.

Appetibile esse cognitum per sensum, vel intellectum non se habet omnino per accidens. 86. num.34.
Appetibile non fundatur in malo ex Aristotele. 177.col.1.& 2.
Appetibile, & bonum idem esse quomodo intelligatur. 178.n.8.
Appetibile propter se non idem est, quòd vltimatè appetibile. 271.n.6.
Appetibile simul cum fine est obiectum formale voluntatis. 38.n.5.
Appetibilis ratio non fundatur in bonitate absolutè sumpta: bene tamē ratio appetitiui alterius. 10.num.22.
¶ Appetitus obiectum, an per se varietur penes esse cognitum? 83.n.21.& 85.n.30.
Appetitus quies, an bene deducatur ex quiete rerum naturalium? 609.n.25.
¶ Appetitus naturalis ad claram Dei visionem non datur in nobis. 350.27.
¶ Appetitus gloriæ humanæ, si sistat in ea, est vitiosus. 369.n 18.
¶ Appetitus innatus non fertur in beatitudinem in communi: nec in beatitudinem connaturalem in particulari sub ratione beatitudinis. 351.num.29.
Per appetitum innatum ad beatitudinem nō beamur. ibidem.
¶ Appetitus sensitiui vehemens passio quomodo redundet in voluntatem. 71.n.21.
Appetitu sensitiuo perturbato nō necessariò perturbatur voluntas. ibidem.
In appetitum sensitiuum, an voluntas interdum redundet. Vide voluntas.
Appetitus sensitiuus secūdum se, an agat propter finem? 234.§.3.
Appetitus sensitiuus, provt sub est motioni volūtatis, agit voluntariè. 235.n.12.
Appetitus sensitiuus subijcitur rationi, non dispoticè. sed politicè ibidem.
Appetitus sensitiuus, vt mouetur independenter à voluntate, non agit propter finem, sed ex instinctu naturæ. ibidem.
Appetitus sensitiuus mouetur ab eo, quòd est bonum, & finis: non tamen à fine. 235.n.13.
In appetitu sensitiuo operante independenter ab intellectu, nec veniale peccatum datur. 235. num.17.
In appetitum sensitiuum secundum se non datur innata libertas. ibidem.n.18.
Appetitus sensitiui actiones secundum se non dicuntur humanæ. 237.col.1.
In appetitum sensitiuum non fit redundantia voluntatis sine cognitione sensitiua. 71.n.23.
In appetitu sensitiuo nō ponitur beatitudo. 473. artic. 1.
Appetere plura per modum plurium quando contingat. 304.n.3.
¶ Apprehensio boni. vide bonum.
Apprehensio non est actus intellectus, sed voluntatis. 584.n.12.& 588.n.6.

ARISTOTELES.

Aristoteles in Deo nullam aliam beatitudinem formalem agnouit, nisi contemplationem sui ipsius. 454.n.5.
Aristoteles beatitudinem collocat in contemplatione. 525.n.2. nec in hoc errauit contra nō nullos. 652.n.8.& 600.ar.2.n.6.
Aristoteles, an putauerit Deum cognoscere ista inferiora. 197.n.19.20.21.
Apud Aristotelem datur bona fortuna diuina. 197.n.21.
Apud Aristotelem Deus malorum hominum nō habet curam. 198.nu.22. imò negauit in his inferioribus Deū omnia dirigere. 199.n.26.
Aristotetes non bene arguit contra Anaxagorā dum supponit agēs propter finem moueri ab alio à se. 212.n.27.

ARNOBIVS.

Arnobius nunquam dixit Deum habere corpus quidquid non nulli hoc illi imponant. 483. n.20.21.& 22.
¶ Artis vltimus finis (nimirum actio) non est vltimus finis artificis. 226.n.6.

ASSIMILATIO CVM DEO.

In asimilatione cum Deo posita est beatitudo cuiusque rei. 376.n.1.

Assimilamur maxime Deo nõ per potestatem, sed per bonitatem. 379. n. 13.

ATTENTIO.

Attentio actualis voluntatis circa medium applicatum, an sit necessaria, vt intentio voluntatis virtute maneat? 247. n. 13.

Attentio voluntatis, vide voluntas.

ATTRIBVTVM.

Attributi nomine quidnam intelligatur; variæ sunt opiniones. 672. ar. 1.

Attributi nomen vsurpatum est ad significandas diuinas perfectiones, & de etymologia huius nominis. 673. n. 3.

Attributorum diuisio posita à Nominalibus explodituribidem nu. 4. atquè etiam vsurpatio nominis attributi. 691. n. 2. & 3.

Attributũ in diuinis latius patet, quam prædicatum. 673. n. 5.

An de ratione attributi sit esse prædicatum proprium, & nõ translatitium? Disputatur. 673. art. 2.

De ratione attributi, an sit prædicari de Deo per modum adiacentis? 674. ar. 3.

Attributum ex sua ratione supponit id, cui tribuitur, esse iam constitutum in esse essentiæ. 675. n. 5.

Attributum, an debeat esse nomen essentiale & non personale, nec notionale. 677. ar. 4.

Inter attributa, an enumeretur subsistentia essentialis? 678. n 2.

Inter attributa, an enumerentur prædicata trãscendẽtia? Disputatur. 678. ar. 5. vide de ente §. 1. n. 2. & de vno 679. n. 5. & de vero 680. n. 6. & de bono ibidem n. 8. & 9.

Attributum, an ex sua ratione excludat prædicata negatiua? 681. ar. 6.

Omnia attributa Dei esse negatiua falsum est. 682. n. 1.

Attributi rationem quænam prædicata negatiua habeant, quæ ve non habeant. 683. nu. 8 & 684 n. 11. & 12.

Admittenda sunt attributa, quæ re, & voce sint affirmatiua 682. n. 6.

De ratione attributi est, quod sit aliqua perfectio realis. 683. n. 9.

An inter attributa enumeranda sint esse increatum, esse independens, esse incorporeum: æternitas item, & immensitas, & alia huius generis prædicata? 685. n. 13. & 14.

Attributum, an in sua ratione includat, quòd sit perfectio Dei: & qualis nam perfectio esse debeat? 686. ar. 7.

An inter attributa enumeranda sint prædicata libera. 686. numer. 2. & 989. numer. 10.

Inter attributa, an enumeranda sint relatiua ad intra? 686. n. 3.

Attributum ex sua ratione non excludit relationem transcendentem ad creaturas, bene tamen alias relationes. 687. n. 5.

Attributum an ex sua ratione dicat perfectionẽ cõmunem Deo, & creaturis: aut quæ ex creaturis sit demonstrabilis de Deo? ibidem. n. 7. & 8.

An inter attributa enumerandum sit esse obiectum beatificatiuum? ibidem n. 8.

Definitio attributi vera, & completa. 987. artic. 8. num. 1.

Ad rationem attributi quænam prædicata admittantur, quæ ve reijciantur. vide late. 688. & 689.

Attributa, an dici debeant actiones immanentes intellectus & voluntatis diuinæ? 688. nu. 6. scientia item simplicis intelligentiæ. ibidem n. 7. an etiam ideæ? 689. n. 7. relatio item personalis in 8. prædicata item constitutiua essentiæ. n. 9. an etiam subsistentia? ibidem. quid de scientia visionis, & de volitione creaturæ. ibidem n. 7. & 11.

An rationem attributi habeat esse actum purum, & ens simplex, & denique prædicata pure negatiua. 689. n. 12.

¶ An attributa sint re, & ratione indistincta ab essentia? late disputatur. 690. art. 1.

Attributa, an realiter distinguantur ab essentia? disputatur. 694. ar. 2. negatio est catholica, affirmatio hæretica. 699. n. 21. 22. & 23. & inferius §. 3.

Attributa, an ab essentia actu distinguantur ante omnem operationem intellectus? disputatur 701. ar 3. per totum.

Attributa distingui ab essentia ex natura rei probant Scotistæ, & ponũtur illorum argumenta 701. ar. 3. §. 1. qui hanc opinionem impugnẽt 704. § 2. per totum, sed opinio Scoti sine periculo fidei defendi potest. 705. ar. 4.

Attributa actu distingui ab essentia, an bene impugnetur ex eo, quòd omnis distinctio, vel est realis, vel rationis. 708. §. 2. per totum.

An etiam bene impugnetur ex eo, quòd essentia vnite continet omnem attributorum formalitatem. 716. §. 3. per totum. & an bene probetur contra Scotum attributorum, & essentiæ esse vnam formalitatem? ibidem à n. 46.

Attributorum actualis distinctio ab essentia an tollat summam simplicitatem essentiæ, & inferat compositionem? 722. §. 4. 723. & 725.

Attributa actu distingui ab essentia, non infert in Deo rationem actus, & potentiæ apud Scotistas. 728. n. 98. & 99.

Attributa actu distingui ab eßentia, an bene inferat essentiam realiter distingui ab attributis? 733. §. 6. per totum.
Attributa habere cum essentia vnam rationem formalem est omnino impossibile apud Scotistas. 724 n. 84. & 85.
Attributa sunt entitates diuinæ essentiæ, veluti secundariæ apud Scotistas. 732. n. 108. & 109.
Attributa realiter distingui ab essentia licet possit habere bonum sensum non est simpliciter concedendum. 733. n. 112.
Inter attributa, & essentiam non datur relatio realis, etiam apud Scotistas. ibidem n. 113.
Attributa, vt distinguuntur ab essentia, verè sùt aliquid, ens, & res 734 nu. 115. non tamen sunt plura aliqua, nec plura entia, nec plures. ibidem num. 116. imò nec diuersa bona 744. n. 147.
Attributa an quidditatiue, & definitione distinguantur ab essentia? 735. n. 119.
Attributa actu distingui ab essentia non bene infert ea eße res creatas, 736. n. 121. & 737. n. 123.
Attributa omnia habent eandem numero entitatem, realitatem, atque infinitatẽ, quàm habet essentia. 738. n. 127.
Attributa ex natura rei actu non distingui ab essentia, an conuincatur ratione D. Bernardi? 742. §. 9. per totum, & Concilij Remensis.
Attributa esse actu non idem formaliter cum essentia, an melius dicatur, quàm esse ab illa formaliter distincta, idque apud Scotũ. 702. n. 9.
Attributa, an actu distinguantur ab essentia? vera resolutio, actu enim sola ratione distinguũtur. 705. n. 17. 18. & 19.
Attributa ante omnem intellectũ distingui formaliter ex natura rei ab essentia, non est admodũ probabile. 752. ar. 5. & 753. n. 2. & 3.
Attributa, an aliquo modo distinguantur ab essentia secluſa omni intellectus operatione? late disputatur. 755. & 756.
Attributa, an actu distinguantur ab essentia ratione? Disputatur. 762. ar. 7. & 766. n. 29.
Attributa, an sola ratione distinguantur ab essẽtia? 785. ar. 8.
Attributa, an distinguantur ab essentia ratione ratiocinata, an ratiocinante? 788. ar. 9.
Distinctio attributorum ab essentia, quam facit intellectus, habet fundamentum ex natura rei 756. n. 9. & 791. n. 12.
Inter attributa, & essentiã, quomodo sine intellectu detur ordo. 787. n. 11.
Attributa virtualiter præsupponunt essentiam. ibidem.
Attributa absolutè sumpta, an specie distinguantur? 774. n. 55.
Attributa inter se aliquo modo distingui affirmandum est. 792. ar. 1. Non distingui realiter certissimum est. 793. ar. 2.
Attributa, an inter se actu ex natura rei distingui sit verum? & an indigeat censura? 795. ar. 3.
Inter attributa, an Scotus admiserit distinctionẽ actualem ex natura rei? 796. col. 1.
Attributa inter se actu distinguuntur ratione. 797. & 798. n. 3. & 4.
An inter se sola ratione actu distinguantur? negatio placet, quia sine intellectu distinguuntur virtualiter. 798. ar. 5. & 801. §. 2.
Attributa magis distinguuntur inter se, quàm Deus distinguatur à deitate. 808. n. 46.
Inter attributa ante omnem intellectum actu nõ datur ordo sed solùm virtute ibidem. n. 47 & talis ordo satis est, vt vnum ex alio demonstretur.
Attributa in abstracto prædicari de essentia non arguit ea esse de conceptu formali essentiæ. 750. n. 162. in fine.
Attributa in abstracto de se inuicem prædicantur & in quo sensu. 809. n. 50.
Attributa sublato intellectu, an ex natura rei distinguantur formaliter virtualiter? Disputatur. 810. ar. 6. & quomodo hæc distinctio explicanda sit. 812. ar. 7.
Attributa à viatore de facto ratione distinguuntur per habitudinem ad creaturas, hoc tamen per se non est simpliciter necessarium. 818. & 819. n. 15. & 16.
Attributa, an possint à nobis distingui sine ordine ad creaturas. 814. ar. 8.
Attributa, an possint distingui ab intellectu beatè 825. art. 9. affirmatiua placet tam in politia matutina, quàm in vespertina, atq; etiam ip sa visione beata. 827 & 828. n. 10. 11. & 12.
Attributa satis distinguuntur ratione cum cognoscuntur, vt virtute distincta. 828. n. 13.
Attributa ratione diuidere non prouenit ex imperfectione intellectus. 830. n. 17.
Attributa distinguuntur ratione per intellectum diuinum. 834. ar. 10. & quomodo distinguãtur. ibidem, & latius 837. §. 3.
Attributa, vt sunt intellectu viatoris actu distincta, non cognosci à Deo asserit Bellomõtanus, sed reijcitur. 837. n. 17.
Attributa, an à Deo immediatè distinguantur intellectione: qua essentiã, & attributa intelligit, & an distinguãtur per habitudinẽ ad aliquã realẽ distinctionẽ ad extra, vel ad intra? Disputatur. 842. §. 4 & 845. n. 45. & 846. n. 52.

Attributa, vt à nobis cognoscuntur, an essentialiter prædicentur de essentia? 863. art. 1. & 864. n. 4. & 867. n. 10. & 868. §. 4.

Attributa prædicantur de essentia non in quid, sed in quale quid, etiam si essentialiter in essētia includantur. 870. n. 25. *Vide etiam.* 677. num. 15.

Attributa, cur à Damasceno dicantur esse circa essentiam? 870. & 871. n. 26. & 27.

Attributa via inuētionis cognita à posteriori cognoscuntur, vt adiacentia essentiæ, secus dum cognoscuntur à priori. 871. n. 27.

Attributa sunt de essentia essentiæ admodum differentiæ constituentis essentiam. 871. n. 30.

Attributa essentialiter non includi in essentia vt probabile defenditur. 874. §. 6.

Attributa includi in essentia, vt est à parte rei, an sit verum? 879. ar. 2. & 883. §. 3. & 884. §. 4. & 886. §. 5.

Attributa essentialiter includi in essentia nō colligitur ex Patribus. 887. n. 37.

Attributa transeundo in essentiam amittunt accidentalitatem: non tamen rationem veluti qualificatiuam. 890. n. 48.

Attributa dicunt perfectionem simpliciter, non tamen modum essentialem. 892. n. 51.

Attributa ideo sunt formaliter in Deo, quia eminenter, atquè radicaliter continentur in diuina essentia essentialiter sumpta 894. n. 60.

Attributa, an essentialiter includant essentiam, vt à nobis concipitur? Disputatur. 897. ar. 1. & 900. col. 1. concl. 1.

Attributa si essentialiter includuntur in essentia, non possunt in suo conceptu ab ea abstrahere. 901. n. 16.

Attributa, vt à nobis distinguuntur, an se se mutuo essentialiter includant? Disp. 908. ar. 1.

Vnum attributum an possit præscindi ab alio? 909. n. 9.

Vnum attributum ab alio distinguitur ratione, id est definitione. 910. n. 10.

Attributa extra intellectum, an ita se habeant, vt de essentiali ratione cuiusque sint cætera? disp. 911. ar. 2.

Attributa se se essentialiter includere, an sit verè, & propriè dictum. ibidem n. 1.

Attributa quomodo sint infinita. 923. n. 46.

Attributa, quomodo prædicentur de Deo, & Deus de illis. 925. ar. 1.

Attributa in concreto verè prædicantur de Deo. 926. n. 9. & *an formaliter prædicentur?* 927. num. 12.

Attributa in abstracto prædicantur de Deo in cōcreto. 928. §. 3. *In quo autem sensu prædicētur? Dubiū.* 928. n. 15. & 930. n. 22. & 23.

Atiributa in concreto verè prædicantur de essētia in abstracto. Et in quo sensu. 932. §. 5.

Attributa, & essentia in abstracto de se mutuo prædicantur. 932. §. 6. & *in quo sensu.* 933. ar. 2. §. 1. & 2.

Attributa quomodo distinguantur virtute. 935. num. 11.

Attributa, an sint numero infinita? 936. ar. 1. & 938. n. 6. & 7. & 939. n. 8.

Attributa propriè, & impropriè quænam sint. 937. n. 4 & 5.

Attributa, an omnia de facto videantur à beatis? 941. ar. 2. & 943. §. 3.

Vnum attributum, an diuina potentia videri possit sine alijs? 953. n. 19.

Attributa nec omnia, nec aliqua possunt videri sine essentia, etiam diuina potētia. 954. n. 24.

Attributa non possunt dici obiecta secundaria in genere beatificatiui. 954. n. 21.

Attributa sunt de intrinseca ratione essentiæ, vt est obiectum beatificatiuum. 958. n. 39.

AVGVSTINVS.

Augustinus quomodo explicetur, dum ait 1. cōfessionum cap. 1. *inquietum est cor nostrum donec perueniat ad te.* 350. col. 1.

Quomodo item intelligatur 1. de Trinitate cap. vlt *dum ait: secundum illam visionem Deus bonus est, secundum quam Deus apparet mūdis corde. Dum etiam ait solam visionem, qua beati vident Deum esse summum bonum nostrum.* 432. n. 54.

Dum etiam ait 8. de Genesi ad literam cap. 27. *Deum per suam substantiam præbere locutionem Angelis ibidem.*

Dum etiam epistola 112 *dubitat, an corp⁹ post resurrectionem manere debeat secundum substantiam corpoream.* 486. n. 34.

Aug. non dubitauit Deum de facto non videri oculis corporeis contra plures. 489 n. 43.

Aug. an solā causſā efficiētē agnouerit. 56. n. 26.

Aug. quomodo debeat explicari, dum lib. 3. cōtra Maximinum cap. 10. *in illis verbis: si potes Deum Patrem concedere simplicem, & cæt.* 800 n. 17. & 810 n. 52. & 53.

Item quando 7. de Trinitate c. 2. *ait: non eò Verbum, quò sapientia.* 1015. n. 36. & *præterea, dum ibidem ait: Non hoc est esse, quòd Verbum esse. Et similiter dum ait* c. 4. *aliud Deo esse, & aliud Patrem esse ibidem n.* 36. & 37.

Late explicatur mens Augustini circa visionē matutinam Angelorum, qua in Verbo vident creaturas. 1112. *vsque ad* 1125. *per plures §§. vbi etiam agitur de distinctione dierum posita ab Augustino.*

¶ *Axioma vide Proloquium.*

Litera B.

BEATITVDO.

Beatitudinis propria significatio quænam sit? 335.ar.1.

Beatitudinis, vt beatitudo est, generalis explicatio ibidem.ar.2 n.2.

Beatitudo quot modis sumatur. 335.*articul.*1. & 2.

Beatitudo falsa non est beatitudo. 335.*artic.*2. *num.*1.

Beatitudo sumitur vel pro beatitudine essentiali, vel pro statu beatitudinis. ibidem.

Beatitudo essentialiter sumpta, vel est singulorũ hominum: vel est politica ciuitatis & reipublicæ. 336.*n.*2.

Beatitudo vera & perfecta, siue naturalis, siue supernaturalis excludit miseriam peccati etiam ratione status. 343.*n.*9. & 349. *nu.* 23. & 24.

Beatitudo simpliciter sumpta secundum totalem suam rationem est id, quo beamur: non tamẽ id, quo intrinsecè beamur. 338.*n.*9.

Ad beatitudinem absolutè, an necessarium sit aliquod donum gratiæ? 343.*n.*9.

De ratione beatitudinis est, vt omnia propter ipsam appetantur, & ipsa propter nihil. 348. *num.*21.

De ratione beatitudinis est, quòd sit bonum sufficiens, quietans appetitum. Et quomodo id intelligatur. 349.*n.*26. & 350 *n.*26.

Beatitudo à Philosophis quare posita sit in summo bono ordinis naturæ. 351.*n.*30.

Beatitudo est status bonorum aggregatione perfectus: in vno tamen essentialiter consistens. 853.*n.*3.

Beatitudo non potest esse principium alicuius mali ex Aristotele. 354.*n.*3.

*Beatitudo non pendet à fortuna, causisque externis ex Aristotele. ibidem num.*4. & 357. *num.*8.

Beatitudo nulla habet extrema vitiosa ex Aristotele. 355.*n.*5.

*Beatitudo non dirigitur ab alio, sed dirigit alia ibidem n.*6.

Beatitudo potius consistit in possessione sui, quã in vsu, siue communicatione ad alterum. 558.*n* 12.

Beatitudo est bonum propter se appetendum, & non propter aliud 360 *n.*4.

Beatitudo essentialis non ponitur in omni præmio, sed in præmio essentiali. 374 *col.*2.

Beatitudo cuiusque rei posita est in assimilatione cum Deo. 376.*n.*1.

Beatitudo ex Aristotele non potest conuenire homini, nisi quatenus est rationalis. Vnde nõ conuenit, nisi ratione animæ, quæ secundum se est rationalis. 381.*n.*3.

Beatitudo non conuenit brutis. 389.*col.*1.

Beatitudo est res honorabilis potiùs, quàm laudabilis ex Aristotele. 383.*col.*1.

Beatitudo absolutè non est omnium bonorum sũmum, & in quo sensu dicatur summum bonũ. 467.*nu.*55.

Beatitudinis definitio tradita à Boetio non est essentialis, sed causalis. 477.*n.*19.

*Beatitudo, in quo sensu dicatur bonum perfectũ. ibidem n.*20.

Beatitudo in quo sensu sit vltimus finis noster. 469.*n.*55.

Beatitudo, in quo sensu dicatur actus vltimus, vltimaquè perfectio. 542.*ar.* 10.*n.*1.

Beatitudo ex se vendicat esse optima operatio: non tamen ex se habet, quòd omnis operatio, in qua ponitur, sit optima. 514.*n.*28.

Beatitudo ponitur in mente, quæ est cũ animaduersione: & appellatur sapientia. 552.*n.*2.

Beatitudinem non habere alium finem, in quem referatur, quomodo intelligatur. 622.*n.*28.

Beatitudo, in quo sensu postulat operationem omnium præstantissimam. 646.*n.*9.

Beatitudo potest non appeti ratione alicuius mali annexi. 180.*n.*14.*in fine.*

Beatitudo soli homini conuenit. 314.*n.*6.

Beatitudo in creatura rationali idem est cum vltimo fine. 334.*nu.*1 *id tamen, quod alicui est beatitudo non semper eidem est vltimus finis. ibidem.*

Beatitudo, & vltimus finis, quamuis interdùm directò coincidant: differunt tamen formaliter. 334 *n.*1.

Beatitudo, quamuis multipliciter sumatur: essentialiter tamen vno tantũ modo sumitur. 505. *num.*8.

Ad beatitudinem plures operationes essentialiter requiri, ex quo fundamẽto sumatur. 513. & 514.*n.*26. & 27.

Beatitudo integrat vnum obiectum beatificum, vt beatitudo formalis cum obiectiua coniungitur. 518 *n* 14.

DIVISIO BEATITVDINIS.

Beatitudo diuiditur in beatitudinem simpliciter hominum, & beatitudinem politicam obiectis, & reipublicæ. 336.*nu.*2. *In obiectiuam, & formalem ibi §. supernaturalem.*

Item tertio in naturalem, [illegible] *imperfectam.* 340. 339.§.4.

Quarto in perfectam [illegible] *& speculatiuam.* 340.§. §.5.

Vltimo in practi [illegible] *vltimo.*

Beatitudinis diuisio in obiectiuam, & formalẽ coincidit cũ beatitudine, vt res, & vt adeptio rei. 336. n. 3. & cum beatitudine cuius, & qua ibidem.

Beatitudo obiectiua, & formalis non constituut duas species, sed duas partes essentiales vnius beatitudinis totalis. ibidem num 4. Vnde obiectiua sine formali beare non potest, aut viceuersa. ibidem.

An vtraque beatitudo, obiectiua scilicet, & formalis, propriè sit beatitudo? controuersum est. 337. n. 5. 6. & 7.

Beatitudines partiales (obiectiua scilicet, & formalis) collatæ inter se non habent vnam ratiem vniuocam, sed analogam. 338. numer. 12.

Beatitudo secundum totalem rationem integratam ex obiectiua & formali est summum bonum adeptum: & hoc modo est quid vniuocum. ibidem num. 12.

BEATITVDO Obiectiua.

De beatitudine obiectiua varia fuerunt philosophorum dogmata. 352. nu. 1. & 2.

Beatitudo, an consistat in bonis externis. 354. art. 1.

An consistat in diuitijs? 356. art. 2. In illis non ponitur beatitudo supernaturalis patriæ, aut viæ. ibidem n. 4 & 5. imò nec naturalis perfecta si daretur. 357. nu. 6. Imò nec imperfecta huius vitæ. 358. n. 9.

An consistat in honore? 359. articul. 3. negatiua semper fuit indubitata. 360. numer. 4. & 361. numer. 9. Idem de beatitudine supernaturali patriæ, & viæ. 361. numer. 7. & 8.

An consistat in fama, siue gloria? 363. articul. 4.

Negatiua placet. 366. num. 9. Idem de beatitudine patriæ & supernaturali viæ. 370. n. 22. & 23. Idem de beatitudine naturali. 368 num 16 & 370. n. 24.

An consistat in potestate, siue dominatione humana ciuilique? 376 ar. 5. Negatiua placet. Idem & 377. num 4 patet id in beatitudine patriæ, & in supernaturali viæ num. 5. num. què in beatitudine naturali. 377.

An posita sit

An ponatur in quo bono corporis? 380. q. 3. mat Carneades, animæ vegetatiuæ? affir-

An consistat in bonis videtur. 382. num. 2. cognoscens? negatiua placet sensitiuæ, vt est 384. articul. 3.

An in voluptate sensibili? 385. articul. 4. affirmatiua est insana, & infamis, imò, & hæretica. 386. numer. 5. & 6. & 387. num. 10 & 388. numer. 12. etiam de naturali ibidem.

An posita sit in aliquo bono animæ intellectiuæ? 394. articul. 1. Negatiua placet ibidem.

An ponatur in substantia animæ intellectiuæ? 395. ar. 2. negatiua placet n. 2.

An ponatur in potentijs, & habitibus animæ? negatiua vera. 396. ar. 3.

An in operationibus animæ intellectiuæ? negatiua placet. 397. articul. 4. numer. 2.

An sit ponenda in voluptate animi? 399. artic. 5.

An ponatur in aliquo bono creato? 399. quæst. 5.

An consistat in rebus sensibilibus, vt sub nostram speculationem, & amorem cadunt? 400. ar. 1. Placet negatiua n. 4.

An consistat in cognitione Angelorum? 405. ar. 2. negatiua placet. 406. n. 3.

An ponatur in omnibus bonis creatis simul sumptis? 408. articul. 3. negatiua placet.

Tandem ponitur in bono increato, quod est Deus 412. q. vltima.

Beatitudo obiectiua est bonum, quod non facile aufertur. 358. n. 10.

Omnis beatitudo habet annexum honorem, 362. num. 10.

Beatitudo nostra per se non ponitur in gloria nostra, quæ est apud Deum. 371. numer. 26. Imò non ponitur in scientia Dei approbatiua sed in bono per ipsam nobis applicato. 372. n. 29.

Beatitudo nostra obiectiua est Deus, vt cognitus à nobis; non tamen vt glorioſè cognitus. 375. n. 35. in fine.

Inter partes beatitudinis non enumerantur ab Aristotele bona animæ vegetatiuæ. 381. num. 3.

Beatitudo naturalis actiua ponitur in operatione animæ intellectiuæ. 398. nu. 8.

Beatitudo obiectiua ponitur in obiecto præstantissimo, & per se sufficiente ex Aristotele. 376. num. 2. & 401. num. 5.

Beatitudo obiectiua ratione propriæ bonitatis quietat totaliter appetitum. 401. num. 6. & est vltima perfectio intellectus. Ibidem numer. 7. & 406. numer. 5. & 411. num. 11.

Beatitudinem obiectiuam in nullo bono creato consistere, an demonstretur? 408. art. 4. per totum.

Beatitudo obiectiua rationem veri non participat ab alio, sed a se eam habet. 411. n. 11.

Beatitudo obiectiua tam supernaturalis, quàm naturalis consistit in obiecto, quod per suam essentiam, & per veritatem sibi essentialem est perfectio intellectus. 412. column. 1. post principium.

Beatitudinem obiectiuam qui nam ponant in vita voluptaria. 473. art. 1. §. 1. plures eam posuerunt per mille annos post resurrectionem; est hæresis. 473. numer. 2. & 474. nu. 5. & 6.

Beatitudo obiectiua per Aristotelem ponitur in contemplatione. 525. n. 2.

Beatitudo obiectiua respectu formalis non est finis operantis, sed solius operis. 339. col. 1.

BEATITVDO FORMALIS.

Beatitudo formalis, in quo sensu dicatur beatitudo per essentiam. 338. n. 10.

Beatitudo formalis ab Aristotele, Aug. & Thoma passim appellatur summum bonum. ibidē num. 11.

Beatitudo formalis participat rationem beatitudinis per obiectiuam. 338. num. 12.

Beatitudo formalis non ponitur in eo, quod meliori amore amatur, sed in eo, quod magis concupiscitur. 396. n. 5.

Beatitudo formalis est adeptio beatitudinis obiectiuæ. 400. n. 2.

Beatitudo formalis tribus modis consideratur. 413. in præfatione

Beatitudo formalis, an sit ipsa diuina essentia, vt illabens animæ? & an sit quid increatum? 414. art. 1.

Beatitudo formalis nostra est accidēs quoddam. 420. n. 9.

Beatitudo formalis nostra, an sit substantia? 436. ar. 1. negatiua placet. An sit in genere relationis? 437. ar. 2.

An sit actio, vel passio? 438. ar. 3.

An denique sit vera qualitas? 439. ar. 4.

Beatitudinem formalem in operatione consistere vbique docuit Aristoteles. 439. ar. 4. n. 2.

Beatitudo formalis, an ponatur in perfectione essentiæ, an verò in sola operatione potentiæ? 443. num. 1.

Beatitudo formalis, an ponatur in sola operatione? Disp. 453. ar. 1.

Beatitudo formalis, quamuis sit actus vltimus, non tamen est actus omnium perfectissimus. 459 n. 27.

Beatitudo formalis poni non potest, nisi in actu vitæ accidentalis. 460. nu. 32. & 33 imò ex sua ratione est vltimus actus in genere vitæ. 462. nu. 37.

Beatitudo formalis non consistit in aggregato ex habitu, & operatione contra D. Bonauenturā. 465. §. 7.

Beatitudo formalis, an sit maxima omnium perfectio? 468. numer. 61. & 469. numer. 66.

Beatitudo formalis, an sit operatio appetitus sensitiui? negatiua placet in omni beatitudine. 473. ar. 1.

Beatitudo formalis quomodo sumatur in hac disputatione? 504. ar. 1. per totum.

In beatitudine formali duplex distinguenda est perfectio essentialis, & accidentalis. 505. num. 9.

Beatitudo formalis eam solam operationem essentialiter includit, quæ ex sua natura est formalis assecutio obiecti beatifici. Vnde falsum est eam includere omnes perfectiones tam animæ, quàm corporis. 506. numer. 10. & 11.

Beatitudo formalis in qua similitudine cum Deo ponatur. 513. n. 23.

Beatitudo formalis hominis non est quæcunque assimilatio ad Deum; sed quæ est secundùm vnionem obiectiuam. 577. n. 66.

Beatitudo formalis ex Aristotele per se ponitur in notitia, quæ potest recipere magis, & minus. 556. n. 19.

BEATITVDO SVPERNATVralis patriæ.

Beatitudo supernaturalis patriæ admittenda est. 341. ar. 3. n. 2. & 3.

Beatitudo supernaturalis patriæ non consistit in rebus sensibilibus 404. n. 18.

Nec in visione, qua Deus se ipsum videt. 418. artic. 2. & 420. §. 2. & an oppositum sit dignum censura? 426. num. 39. & 427. num. 41. & 431. n. 51.

Nec ponitur in formali præsentia Dei ad beatū sed in fundamentali. 437. n. 2. & 4.

Nec ponitur in perfectione essentiæ late id probatur. 462. §. 6.

Nec in delitijs spiritualibus corporis glorioſi. 475 n. 8.

Nec in operationibus sensuum, de quo multi referuntur errores. 477. numer. 1. & 478. num. 2. & 3.

Beatitudinem patriæ poni in sola operatione intellectus concluditur, & an id sit de fide? 494. n. 59.

In beatitudine patriæ nulla est admittenda noua qualitas in essentia animæ præter gratiam quæ fuit in via. 448 n. 17. & 18.

Beatitudo patriæ, in quo sensu dicatur gratia cõsũmata 467. n. 58.

Beatitudinem patriæ esse minus nobilem, quàm gratiam aliqui existimant. 468. column. 1. ad postremum.

Beatitudo patriæ quomodo dependeat à corpore 477. n. 20.

Beatitudo patriæ, an sit duplex? vna essentiæ; altera potentiæ. 502. ar. 1. negatiua placet.

Beatitudo patriæ, an distinguatur in contemplatiuam, & actiuam? negatiua vera. 502. ar. 2.

In patria an admittendæ sint duæ beatitudines totales specie distinctæ? 504. col. 1. in principio.

Beatitudinem patriæ esse duplicem falsum est contra Paludanum. 506. n. 14.

In patria in politia vespertina duplex datur beatitudo politica. 507. col. 1. in principio.

Beatitudo formalis patriæ, an per se ponatur in vna tantùm operatione, an in pluribus? vtraquè pars defenditur. Vnde affirmatiua non est de fide. 507. articul. 2. & 511. numer. 16.

Beatitudo patriæ per se non consistit in qualibet vnione, sed in ea, quæ per se est affectiua Dei. 512. n. 19.

Beatitudo patriæ essentialiter non ponitur in omnibus perfectionibus, quibus consummatur. 512. n. 20.

Beatitudo patriæ, si ponitur in pluribus operationibus; an in singulis potentijs vnam tantùm admittat operationem? Affirmatiua placet. 514. ar. 3.

Beatitudinem patriæ essentialiter poni in solo actu intellectus late defenditur. 515 q. 8. Ex Patribus, ex Scriptura, & rationibus. 516. 517. 519. huic sententiæ, nec Scrptura, nec Patres contradicunt. 520. ar. 2.

Eam tamen poni in actu voluntatis late defenditur, tanquam probabile. 581. quæst. 10. late probatur ex sacris ltieris, ex Patribus, & rationibus. 582. §. 1. & 2. Rationes, quæ probant eam non poni in actu intellectus. 583. §. 3.

Eam poni in voluntate non contradicit Scripturæ, nec Patribus. 584. ar. 2.

Beatitudo patriæ si ponitur in intellectu, an ponatur in notitia quidditatiua Dei? Affirmatiua vera. 547. ar. 1.

An ponatur in notitia intuitiua; an satis sit abstractiua? 548. ar. 2. Poni in intuitiua est de fide. 549. n. 2 & 4.

An sit notitia simplex, an composita? 552. ar. 3. Vera resolutio §. 2. n. 3.

Non ponitur in notitia simplici, vt pertinet ad primam operationem intellectus, sed ad secundam ibidem n. 2.

Sed tamen ponitur in notitia simplici, vt virtute est complexa. 555. num. 12. & 556. num. 18.

Non ponitur in notitia, vt est apprehensiua, sed vt est iudicatiua. 559. artic. 4.

In quonam iudicio principalius ponatur? 560. numer. 6.

An ponatur in notitia speculatiua; an in practica? 561. artic. 5. resolutionem vide. 574. §. 5.

An consistat in notitia directa diuinæ essentiæ; an in reflexa? 577. ar. 6. §. 1. & 658. n. 2. & 659. n. 6.

Beatitudo patriæ in sacris literis modo explicatur per actus intellectus, modo per actus voluntatis. 520 num. 2. & 585. num. 3. Patres autem non intẽdunt explicare essentiam beatitudinis, sed cumulatam illius perfectionem. 584. n. 2.

Beatitudo patriæ ex sua ratione est clara, & facialis. 547. n. 2.

An beatitudo patriæ, quatenus est beatitudo, vẽdicaret sibi notitiam intuitiuam solus Bellomontanus dubitauit, sed impugnatur. 549. numer. 3. & 660. numer. 2. & 661. nu. 6. & 7.

Beatitudinem patriæ ex se positam esse in notitia quidditatiua à nonnullis demonstratur. 549. §. 2. vera demonstratio. 551. §. 3.

Beatitudo patriæ per se ponitur in notitia formaliter, & obiectiuè simplici. 555. num. 11.

Beatitudo patriæ non est quæcunque assimilatio ad Deum, sed quæ est secundum vnionem obiectiuam. 577. n. 66.

Beatitudo patriæ si ponitur in voluntate, an ponatur in actu disiderij? 603. ar. 1. Negatiua placet.

An verò ponatur in delectatione? 604. art. 2.

Multi affirmarunt, quorum fundamenta proponuntur. 606. & 607. num. 12. & 13. Negatiua tamen placet. 607. §. 3. latius probatur 609. n. 21.

An ponatur in amore concupiscentiæ, qua beatus amat Deum sibi? negatiua placet. 611. ar. 3. §. 1. & 614. §. 2.

An ponatur in solo amore amicitiæ erga Deum? Disp. 616. ar. 4. & 617. n. 2 & 618. nu. 12. 13. & 14.

Beatitudo patriæ, si ponitur in pluribus operationibus, an necessariò ponatur in operatione intellectus, & voluntatis? 624. artic. 1. & an id

id sit de fide? ibidem n. 3. Nullo tamen modo debet excludi actus intellectus, & voluntatis. 625. n. 5.

In quibus nam operationibus intellectus, & voluntatis ponatur? 627. ar. 3. Ex parte intellectus sola admittenda est visio. 628. n. 4. ex parte verò voluntatis solus amor amicitiæ, ibidem n. 5. An principalius ponatur in visione, an verò in amore? 629. ar. 4.

An admittat plures operationes vnius potentiæ? 626. ar. 2.

Beatitudo formalis patriæ cum obiectiua immediatè integrat vnum obiectum beatificum. 518. n. 14.

Beatitudo formalis patriæ est assecutio obiecti beatifici. 517. n. 10.

Beatitudo essentialis patriæ per se est origo omnium perfectionum status beatifici. 519. nu. 17.

Beatitudinis patriæ comes indiuiduus est gloria apud Deum. 373. column. 1. in principio.

Beatitudinem patriæ per se non requirere operationem omnium præstantissimam plures putant: sed non audiuntur. 525. n. 1.

Beatitudo patriæ, si ponitur in actu voluntatis, per se ponitur in assecutione, qua Deus fit ipsius assequentis tanquam quid suum. 588. num. 6.

Beatitudini patriæ an repugnet contineri virtute, & eminenter in alia operatione? 601. num. 7.

Beatitudinem patriæ esse primum volitum à voluntate est falsum; de beatitudine autem viæ est satis dubium. 602. n. 12. & 13.

Beatitudinis patriæ inequalitas vnde sit sumenda? 948, n. 28.

In statu beatitudinis patriæ Deus instituit ordinem consentaneum naturis rerum. 431. nu. 52.

Beatitudinis supernaturalis obiectum non potest esse quid creatum. 657. n. 3. 4. & 5.

BEATITVDO SVPERNATVralis viæ.

Beatitudo supernaturalis viæ admittenda est. 341. num. 2. & 3. late 631. n. 2. & an id sit de fide? ibidem n. 4.

Beatitudo supernaturalis viæ in quo sensu dicatur beatitudo in spe. 342. n. 4.

Beatitudo supernaturalis viæ non consistit in rebus sensibilibus. 404. n. 18.

Nec in operationibus voluptuosis corporis. 475. num. 9.

Nec in aliqua operatione sensitiua, sed in sola operatione animæ intellectiuæ. 475. numer. 10.

Iuuatur tamen maxime operationibus animæ sensitiuæ. 476. n. 11.

Beatitudo supernaturalis viæ, an essentialiter sit operatio? 471. ar. 3.

Beatitudo supernaturalis viæ, an sit vera beatitudo? 631. n. 5. & 7. est enim quoddam vestigium beatitudinis patriæ.

Beatitudo viæ, an posita sit in operatione? 632. ar. 2.

An in vna operatione? 633. ar. 3.

An ponatur in actione intellectus, & voluntatis? 634. ar. 4. & 635. n. 5.

Beatitudo viæ est duplex, contemplatiua, & actiua. 635. n. 6.

Beatitudo viæ integratur ex duplici partiali beatitudine, contemplatiua scilicet, & actiua. 635. nu. 4. & 6. & cur includat vtranque illam beatitudinem: non tamen beatitudo patriæ. 636. n. 11.

Beatitudo viæ in quibus operationibus intellectus, & voluntatis ponatur. 637. ar. 5.

Beatitudo viæ per se includit fidem. 638. n. 5. an verò alium actum per se includat? dubitatur n. 6 & 7. includit tamen ex parte intellectus dona Spiritus Sancti. 637. n. 2. & 638. num. 8. & 639. num. 9. & 10. Ex parte autem voluntatis admittit dilectionem ex charitate, & ideo admittit operationes imperatas à charitate. num. 10. & 11. admittit item actum spei. 640. n. 12.

An essentialiter includat delectationem, & gaudium? ibidem n. 14.

Beatitudo viæ in quanam operatione principalius ponatur? 614. ar. 6.

Beatitudo contemplatiua viæ non ideo distinguitur ab actiua, quòd illa ad solum intellectũ, hæc verò ad solam voluntatem pertineant, ad vtranquè enim pertinet tum notitia, tum etiam amor. 637. n. 1. & 2.

Beatitudo viæ principalius consistit in vita contemplatiua, quàm in actiua. 641. numer. 3. singula quæque partialis beatitudo viæ principalius ponitur in actu voluntatis. 641. num. 5.

Nec beatitudo contemplatiua viæ, nec actiua per se potest facere hominem beatum. 635. & 636. n. 8. & 9.

Beatitudo viæ non ponitur in principatu, & dominatione. 377. n. 5.

Beatitudo supernaturalis tam patriæ, quàm viæ an sit perfectior animæ substantia. 437. col. 1. num. 4.

BEATITVDO NATVRALIS.

Beatitudo naturalis admittenda est. 339. n. 14. an verò admittenda sit solùm de possibili præter supernaturalem? Dubium est. 341. ar. 3. & 342. n. 5. & 344. n. 13. Placet de facto nõ dari fuisse tamen possibilem. 347. nu. 19. & 642. col. 1.

Beatitudo naturalis apud Scotum quid sit. 339. num. 14.

In beatitudine naturali Angelos fuisse creatos plures docent. 346. n. 17. vide 351. n. 31.

Beatitudine naturali frui pueros decedentes sine baptismo plures docent; sed non probantur. 346. n. 17. & 352 n. 32.

Beatitudo naturalis satiaret appetitum. 350. num. 26.

Beatitudo naturalis nõ pendet à principio extrinseco, sed ab intrinseco. 378 num. 9. bonis tamen externis accidentaliter adiuuatur. 355. num. 7.

Beatitudo naturalis non est posita in speculatione sensibilum. 404. n. 19 Nec in cognitione Angelorum. 407. n. 7. & 8.

In beatitudine naturali, an obiectum beatificaret, vt est verum per essentiam? Affirmatur contra Caietanum. 411. n. 12. & 13.

Beatitudo naturalis, an sit operatio? 470. ar. 2. An sit actio immanens? 471. ar. 4.

Beatitudo naturalis non ponitur in actu animæ sensitiuæ: maxime tamen ab eo iuuatur. 476. §. 4. & 477. n. 18.

Beatitudo naturalis, si daretur, an esset admittẽda in hac vita; an verò solum post mortem? 642. ar 1. Quidam dixerunt nullam futurã fore post mortem: alij nullam futuram fore in vita. Vtrique reijciuntur. 642. n. 1. & 2. & 643. n. 3.

Beatitudo naturalis posset in hac vita conuenire homini, si ille non ordinaretur in supernaturalem: & post mortem foret perfectior. 643. n. 3. & 6 & 644. n. 10.

Beatitudinem naturalem mortuis posse contingere docuit Aristoteles. 643. n. 7.

Beatitudo naturalis, si daretur, consisteret in operatione. 644. ar. 2. An verò in vna, an in pluribus? vtraquè pars est probabilis. 644. ar. 3. & 645. n. 5.

Beatitudo naturalis est duplex, contemplatiua, & actiua. 646. ar. 4. An vtramquè essentialiter includat? Negatiua placet. 645. n. 6. & 646. ar. 4. & 647. n. 7.

Beatitudo comtemplatiua naturalis, an sit species distincta à beatitudine actiua; an verò sint duæ beatitudines partiales? 646. num. 2. 3. & 7.

Beatitudines naturales totales sunt duæ, analogicè tamen conuenientes. 649. n. 12.

Beatitudo naturalis huius vitæ indiget adiuuari bonis externis ex Aristotele. ibidem n. 13.

Beatitudo naturalis, si daretur, an essentialiter consisteret in actibus intellectus, & voluntatis 650. art. 5. Affirmatiua communiter ponitur contra nonnullos: qui volunt eam poni in pluribus actibus. 651. numer. 3. 4. 6. & 7.

Probabile est tamen essentialiter poni in vno tantùm actu, vel intellectus, vel voluntatis: probabilius tamen ponitur in vtroquè. 652. n. 7. 8. & 9.

Beatitudo naturalis, in quibus actibus intellectus, & voluntatis essentialiter ponatur? Et in quo principalius? 652. ar. 6. & 653. n. 3. & 4.

Beatitudinem naturalem poni in visione intuitiua Dei, vt est prima causa naturalis, est omnino improbabile. 653. ar. 6. n. 1.

Ad beatitudinem etiam naturalem ex Aristotele nihil imperfectum potest admitti. ibidem num. 2.

BEATITVDO CONTEMPLATIUA, & actiua.

Beatitudo vitæ actiuæ simpliciter non est beatitudo: sed beatitudo talis; nempe humana, & ratio huius. 649. n. 14.

Beatitudo vitæ actiuæ est gratia beatitudinis cõtemplatiuæ. 648. n. 8.

Beatitudo vitæ actiuæ ponitur in actu prudẽtiæ. 472. n 6.

Beatitudo vitæ actiuæ non pertinet ad essentiam beatitudinis naturalis. 645. n. 6.

Beatitudo contemplatiua per se includit actum intellectus, & amorem voluntatis. 650. ar. 5. num. 1.

BEATVS.

Esse beatum omnes appetunt. 310. ar. 2. n. 5.

Beatus quis dicitur ea operatione, quæ Deo est maxime cognata. 649. n. 10. in fine.

Beatus ex Aristotele est amicissimus Deo. 651. num. 7.

Beatus obiectiue est beatus ipso Deo. 338. n. 9.

Beati in hac vita verè dicì possunt illi, qui sunt iusti. 342. col. 1. in principio.

Beati non possunt esse mali. 354. n. 3.

Beatus an possit dici, qui est seruus? 380. n. 17.

Beatum propijssime neminem esse, si illi desit aliqua ex particularibus beatitudinibus animæ, nonnulli dixerunt; sed impugnãtur. 504. num. 3.

Beatum proprijssimè neminem esse ante resurrectionem dixit Boridanus, sed impugnatur. ibidem

ibidem n. 3. & 506. n. 11. & 12.
Beatus in hac vita, quomodò quis dicatur. 635. numer. 3.
Beatus viator eò est beatior, quò magis dignus est beatitudine patriæ. 641. n. 5.
Beatus ex Aristotele potest magis, & minus esse beatus. 556. n. 19.
Beati an fuerint primi parentes in statu innocentiæ beatitudine supernaturali viæ? 342. n. 3.
Beamur non per appetitum naturalem, sed per elicitum. 351. n 29.
¶ Beati in patria, an videant diuinam essentiã? affirmatiua est de fide. 663. q. 3. ar. 1.
Beatos non posse videre Deum visione creata, sed eum videre visione increata quibusdam placuit. 418 n 2. & 419. num 3. & 7. sed oppositum latè probatur. 420. §. 2.
Beatos non posse videre Deum visione increata, an possit rationibus conuinci? 420. & 421.
Beatum actiuè non concurrere ad visionem falsum est 430. n. 49: sed non est temerarium. ibidem.
Beato intellectui intimè Deum vniri, quomodò intelligatur. 433. n. 57.
Beatus quiescens ab omni operatione non est beatus ex Aristotele. 458. col. 1. in principio.
In beatis in patria Deus existit tanquam in templo meliori modo, quàm extiterit in via. 445. n. 9.
Beatus non videt, vt amet: nec amat, vt videat. 538. n. 8. Vult tamen sibi amorem, quia sibi vult visionem. Vide n. 9.
Beatus ideo Deo vult bonum resultans ipsi Deo ex amore, quia Deo vult bonum resultans ex visione. ibidem n. 10.
Beati tunc Deum amant amore amicitiæ, cum illi volunt aliquod bonum. ibidem.
Beatus omnia operatur, & desiderat propter gloriam, & laudem Dei. 539. col. 1.
Beatus videns Deum adhuc esset beatus, si non amaret, & ratio huius. 546. n. 16. & 17.
Beatus contemplatur veritates diuinas cum animaduersione. 552. n. 2.
In beatis an notitia apprehensiua distinguatur à iudicatiua? 552 n. 3. & 553. n. 4.
In beatis datur vnum simplicissimum iudicium formaliter, & obiectiuè, & ad quid terminetur. 560. n. 6.
Inter beatos in patria datur vita politica quo ad ea, quæ pertinent ad cognitionem vespertinam. 565. n. 13.
Beati in Deo plures operationes necessarias exercent erga Deum, & proximum: plures etiã liberas. ibidem.
Beati voluntas, vide voluntas.
Beatus, an sciat se Deum videre per ipsam visionem: an per actum reflexum à visione distinctum. 578. §. 2. n. 5.
Beati appetitus complete non satiatur, nisi sciat se esse beatum, & se videre Deum. 580. n. 14
Beatus duobus modis amat Deum: vno modo, quia illi vult omnia bona: altero modo, quia illum vult, vt bonum sibi. Et vterque amor est realiter distinctus. 612. n. 4. & 614. n. 10.
Quilibet beatus in suo ordine est eiusdem speciei cum alio. 635. n. 8.
¶ Beatus, an possit distinguere attributa in Deo? disp. 825. ar. 9. Quòd possit ea distinguere cognitione vespertina, n. 10. non est dubiũ. 827. n. 10. imo etiam cognitione matutina. 828. numer. 11.
Beati inter se inæquales non possunt sua visione beata non distinguere attributa. ibidem n. 12 imo quilibet sua visione ea distinguit. ibidem. num. 13.
Beatus diuidit attributa visione beata, quatenus est iudicatiua. 830. n. 19.
¶ Omnes beati vident omnia, quæ formaliter sunt in Deo: & quomodo id sit intelligendum. 943. n. 9. & 945. §. 4.
Quilibet beatus ex vi visionis distinctè videt omnes perfectiones, omnesque essendi modos, prout in Deo sunt vna substantialis realitas. 945. n. 16. imo vt sunt vnum formalitate omnino indiuisa. ibidem n. 17.
Beati, quæ vident per modum vnius, vident etiã per modum plurium. 946. n. 18.
Et ideo videns diuinas perfectiones videt eas esse distinctas. 947. n. 21. & 22.
Omnes beati de lege ordinaria vident omnes perfectiones Dei, quæ habent propriam rationem attributi: secus si impropriam. 947. n. 24. & 948. n. 26.
Quilibet beatus videt totum Deum. 944. n. 13. & 14.
Beatus an possit naturaliter videre essentiam sine attributis: aut vnum sine alio? 949. ar. 3. & quid per diuinam potentiam. latè disput. 950. ar. 4. & 953. n. 19.
Intellectus beatus non subijcitur voluntati, vt modò hæc in Deo videat, modo illa. 949. n. 5.
¶ Beatus quomodò possit distinguere, quæ in Deo videt? 761. n. 24.
Beatus, an distinguat essentiam à relatione? disput. 1000. ar. 6. affirmatiuè respondetur, ea enim distinguit ipsa visione. ibid. §. 2. n. 5.
Beati cognitione vespertina ratione distinguunt essentiam à personis. 1001. n. 6. Eam etiam distinguere possunt in politia matutina alia cognitione à beatifica. ibidem n. 7.

In beato darì plura verba, & plures conceptus obiectiuos in vna tantùm visione, plures volunt. 830. *n.* 17.

Beatos in Deo viso plures conceptiones formare, & diuersa nomina imponere, quomodo sit intelligendum. 1001. *n.* 6.

In Beatis in patria duplex datur cognitio, matutina, & vespertina. 827. *n.* 9.

Beati in patria cognitione infusa non cognoscunt Deum quidditatiuè: quanuis mysterium Trinitatis clariùs cognoscant, quàm in via. 1001. *n.* 6.

Beati ex beatifica visione possunt plures actiones tam necessarias, quam liberas exercere erga Deum, & proximos visos in Deo: & quænam sint hæ actiones. 1001. *n.* 7.

Beatus potest distinguere essentiam à relationibus absq; habitudine ad creaturas. 1005. §. 4

Omnes beati vident Deum vnum, & Trinum, & est de fide. 1041. *ar.* 1. *& singulas personas.* 1042. *n.* 3; *& 4. & hæc est doctrina Patrum.* 1043. *n.* 5.

Beati, an diuina potentia videre possint essentiã sine personis. vide essentia. In proprio tamẽ genere possunt cognoscere eßentiam sine personis, & vnam personam sine alijs. 1078. *n.* 9; *siue eas distinguant notitia apprehensiua, & iudicatiua, siue nõ: quidquid dicat Scotus. ibid. n.* 11. *Nec opinio Medinæ hìc locum habet. ibid. n* 12.

Beatus videns essentiam sine personis, an videret eam distinctam a personis; an verò videret non distinctã? 1058. *n.* 59. *Idem dic de cõmunicatione essentiæ. ibidẽ. n.* 61. *&* 1063. *numer.* 15.

Beati in politia matutina habent plura iudicia circa essentiam sine personis, & circa vnam personam sine alijs. 1078. *n.* 13. *& quomodò id sit intelligẽdum. ibidem n.* 13. *&* 14. *Imò habẽt plura dictamina practica.* 1079. *n.* 14.

Beati, an videre possint vnam personam, vnamvè relationem personalem non visa essentia? 1080. *ar.* 6.

¶ *Beati in patria, an de facto videant aliquas creaturas? disp.* 1096. *ar. vnico.*

Beati quomodò videant creaturas? disp. 1098. §. 1. *n.* 1. *cũ sequentibus; eas enim formaliter vident in Deo; ita vt intra Deum in se ipsis eas videant. latè disput.* 1101. §. 2. *& latiùs* 1103. *ar.* 2. *Vide de hoc in verbo visio creaturæ in Deo, & qua certitudine id tenendum sit.* 1123. §. 7.

Beati, an de facto videant Deum, & creaturas in Deo pluribus actibus realiter distinctis? 1136. *ar.* 1; *&* 1138. *n.* 10. *An verò pluribus actibus sola ratione distinctis eas videãt?* 1142. *ar.* 11.

Beati, an de facto videant in Deo omnes creaturas possibiles, quæ ad ordinem naturalem pertinent? 1158. *ar.* 4. §. 1.

Omnes, & singuli beati de facto vident in Deo ea, quæ ad suum statũ pertinent. 1161. *n.* 17. *Ad statum verò beati duo præcipuè pertinent.* 1162. *n.* 21.

Singuli beati vident in Deo omnia genera, & species, quæ sunt in vniuerso. 1163. *n.* 23.

Beati, an videant indiuidua? 1163. *n.* 26.

Beati, an videant singularia specierum, quæ ad perfectionem vniuersi sunt à Deo conditæ? 1164. *n.* 27.

Omnes beati in Verbo vident orationes, quæ ad eos fũduntur: & quomodò? 1165. *n.* 32.

Beati vident in Deo cogitationes cordium, & quomodò. 1166. *n.* 39.

Beati non vident de facto omnes creaturas possibiles ordinis supernaturalis. 1167. *n.* 41.

Quas verò de facto videant? 1167. *n.* 42.

Beati formaliter vident in Verbo omnia mysteria fidei. 1167. *n.* 44. *Non tamen id esse de fide colligitur, aut ex scripturis, aut ex Patribus.* 1168. *n.* 46. *id tamen est plusquam probabile. ibidem n.* 47. *cum sequentibus.*

Beati, an videant actus liberos, liberaque decreta diuinæ voluntatis? 1171. *ar.* 1. *per totum, & quomodò hæc à beatis videantur.* 1174. *ar.* 2.

Beati visio quousque per diuinam potentiam extendi possit. 1170. *in principio, & ar.* 1.

Beati, an videant omnia simul; an verò possint aliqua de nouo videre? 1170. *ar.* 6.

Beati, cur in diuina essentia potius videat has creaturas, quàm illas. 1170. *ar.* 7. *Quænam eorum, quæ à beatis videntur in Deo per se concurrant ad rationem formalẽ obiecti beatifici.* 1174. *ar. vlt.*

Ad rationem beandi an cõcurrat relatio? 1092. *n.* 48.

¶ *Beamur, non per appetitum naturalem, sed per elicitum;* 352. *n.* 29.

BEATIFICVM OBIECTVM.

Beatificum obiectum obiectiuè habetur, cum per actionem sit nobis præsens. 518. *col.* 1. *in medio, & n.* 12.

Beatifici obiecti assecutiua operatio qualis esse debeat? 521. *n.* 3. *&* 522. *n.* 6.

Beatificum obiectum, an in se ipso attingatur ab actu voluntatis? 521. *n.* 3. *A quibusdam negatur nempe à Thomistis. ibidem. sed affirmatur ab Scoto.* 583. *col.* 1. *in principio, & n.* 7.

Beatificum obiectum supponitur iam adeptum,

cum voluntas in illud fertur. 521. n. 3.
Beatificum obiectum quot modis immediatè attingatur? 522. n. 6.
Beatificum obiectum primo attingi, an idem sit, quòd acquiri. ibidem. n. 7.
In obiecto beatifico duplex est distinguenda ratio formalis, vt obiectum est: duplex etiam ratio, vt est beatificum. 524. n. 12.
Beatifici obiecti assecutio formaliter non est posita in attinctione illius, vt est summum bonum, & quomodò id intelligatur. 524. n. 14.
Beatificum obiectum, licet vno tantùm modo sit acquisibile: pluribus tamen est in se ipso attingibile. ibidem.
Beatificum obiectum immediatè attingi, dupliciter intelligitur. 543. n. 2.
Obiectum beatificum non habet rationem beandi ex formali ratione obiecti, quatenus est obiectum. 544. n. 7.
Obiectum totale beatificum, an sit Deus, vt amatus? 599. ar. 5. per totum.
Obiectum beatificum, an in eadē potentia habere possit duplicem rationem assecutionis? 627. numer. 3.
Ad obiecti beatifici formalem rationem, quæ per se concurrāt. 1174. ar. vnico.

BEATIFICA OPERATIO.

Beatifica operatio, quomodò distinguatur à non beatifica? 660. n. 11.
Beatifica operatio est vltimus finis ex Aug. 469 num. 65.
¶ Benedictus 11. dum dicit in quadam sua extrauagante animas esse beatas visione Dei, & fruitione: quomodò intelligatur. 511. n. 17
¶ Beneuolentia vera, an detur inter Deum, & nos? 623. n. 32. ad 7.
¶ Non sola beneficentia est causa honoris. 359 num. 3.

BONITAS, ET BONVM.

Bonitas quam conuenientiam cōnotat. 45. n. 11. & 46. n. 14. & 15.
Bonitas apparens, an satis sit ad finalizandum? 62. n. 20. & 64. n. 28. Affirmatiuè respondetur, & ratio huius.
Bonitas in abstracto, sicut & bonum abstrahit à verā, vel apparente. 62. n. 23.
An sola bonitas honesta, & delectabilis sit formalis ratio finalizandi. disp. 64. §. 4.
Affirmatiua est indubitata. ibidem n. 31. dubitatur tamē, an id conueniat bonitati vtili? ibid. n. 32. & 33.
An bonitas sit adæquata ratio formalis, qua causa finalis constituitur in actu primo ad finalizandum? disput. 65. §. 5. & 57. n. 2.
Bonitas formalis præsupponitur in re bona ante actum intellectus, & voluntatis. 63. n. 25.
Bonitas propria finis (cui) est illi formalis ratio causandi. 118. ar. 8. n. 1.
Bonitas mediorum dependet à bonitate finis in genere causæ formalis. 122. n. 3.
Bonitas mediorum, an sit effectus causæ finalis? disp. 121. ar. 1. Negatiua placet.
Bonitas per se appetibilis non excludit referibilitatem in aliam bonitatem. 271. n. 6.
Bonitas transcendens quid sit formaliter? 681. n. 8. & 9.
¶ Plures bonitates relatiuæ, an sint admittendæ in diuinis? 680. n. 8.
Bonitas diuina sēper immediatè influit in actionem alliciendo Deum, vt agat propter ipsam. 331. n. 3.
In bonitate diuina duplex ratio bonitatis distingui debet: & sub vtraque est à nobis assequēda. 325. n. 3.
Bonitas diuina est Deo ratio volendi: non tamen causa. 221. n. 10.
Bonitas diuina quomodo metaphoricè moueat diuinam voluntatem. 222. n. 13.
Bonitatem diuinam solùm mouere Deum ad operandum aliqui docent: sed falsò. 208. & 209. n. 15. & 211. n. 24.
An sola diuina bonitas in ordine intentionis sit Deo ratio volendi? 210. n. 19. & 222. n. 11. & 12.
Bonitatis diuinæ communicatio, quid sit? 212. num. 26.
Bonitas Dei, an Deum metaphoricè moueat ad agendum. 93. n. 7. & 94. n. 12. & 14. & 95. numer. 16.
Bonitas diuina non semper est Deo immediata ratio volendi alia; sed aliquādo bonitas creata. 21. & 22. n. 19.
Bonitas creata est per se, & propter se amabilis à voluntate creata: ab increata verò solùm ex quadam decentia, & conuenientia ad diuinā bonitatem. 22. & 23. n. 22.
Bonorum genera quot sunt? 353. n. 5.
Bonum est sui diffusiuum, & manifestatiuum. 373. n. 32.
Bonum tantò diuinius esse, quantò est communius: quomodò sit intelligendum? 384. col. 1. ad postremum.
Bonum, & perfectum esse synonyma, falsum est. 9. n. 20.
Bonum comparatum cum ente intelligitur per modum proprietatis & affectionis. ibidem.
Bonum, & finis, an sint idē formaliter? 34. ar. 1.
Boni formalis ratio posita est in ratione conuenientiæ. 34 n. 2.
Bonum importare rationem finis, quomodò sit intelligen-

intelligendum? ibidem n. 3.
Bonum est fundamentum causæ finalis. ibidem. & 36. n. 8.
Bonum, an reciprocetur cum fine? 35. ar. 2. id duobus modis intelligitur. 36. n. 7.
Omne bonum simpliciter vere est finis. ibid. n. 8.
Bonum in communi in quo sensu minus latè pateat, quàm finis, nec cum eo reciprocetur. 36 n. 9. & 37. n. 10.
Non omne quod alicui est bonum, est illi finis. 37. n. 9.
Datur bonum, quod nulla ratione potest subire rationem finis. 37. n. 10.
Bonum formaliter, & finis formaliter constituũt vnum obiectum voluntatis. 38. n. 5.
Bonum non solùm intrinsecè includit perfectionem; sed etiam rationem conuenientiæ. 44. num. 10.
Ratio formalis boni in quo fundetur? 46. n. 16.
Non omne bonum cuique est bonum. 58. n. 7.
An bonum, vt sit sufficiens ratio finalizandi, debeat esse proprium appetenti? 57. n. 3. & 58. num. 7.
Bonum non concurrit ad finalizandum, vt conditio sine qua non, sed vt ratio formalis finalizandi; & quomodò id sit intelligendum. 58 nu. 8. & 9. Et satis est, quod aliquo modo sit proprium. 60. n. 11.
Bonum duobus modis potest dici proprium. ibid.
Bonum esse proprium etiam requiritur, vt finis cui finalizet. 60. n. 12. & 13.
Bonum, siue sit verum siue apparens semper est appetibile, & allicitiũ voluntatis. 62. n. 20.
An bonum apparens semper moueat sub vera bonitate. 62. n. 21.
Bonum in concreto abstrahit à vero, vel apparenti. ibidem. n. 23.
Bonum apparens satis est ad finalizandum, & ratio huius. 64. n. 28.
Bonum ex se habet, quod habetur propter se, & cætera propter ipsum. Ex priori habitudine constituitur in actu primo finis: Ex posteriori autem exercet causalitatem finis. 154. & 155. n. 41. & 42.
Bonum amari propter se est fundamentum causæ finalis, non verò finalis causalitas. 155. num. 42.
Minus bonum prætermisso maiori bono, an possit exercere rationem finis? affirmans placet. 175. ar. 5: nam voluntas ferri potest in minus bonum prætermisso maiori bono. ibidem.
Bonum, vt bonum, importat rationem finis. 179 n. 11. in fine.
Bonum, vt bonum, potest esse res nolita; non tamen ratio nolendi. 181. n. 18.
Bonum, quod est proxima ratio finalizandi, non abstrahit à bono, quod conuertitur cum ente reali. 185. n. 3.
Bonum sub quadruplici causarum genere potest se diffundere. 278. n. 5.
Bonum, cur simpliciter dicatur obiectum voluntatis? 182. n. 20.
Bonum conueniens, an formaliter cognoscatur à brutis? 204. n. 5.
Plura bona, quando integrent vnum bonũ. 306. col. 1. in principio.
Bonum imperfectum ex sua natura tendit ad perfectum. 320. col. 1. in principio.
Bonum, vt bonum, est obiectum materiale volũtatis. 38. n. 5.
Bonum, & appetibile idem esse, quomodo intelligatur? 178. n. 8. ad finem.
Vt bonum sit obiectum amoris concupiscentiæ, quidnam requiratur. 613. n. 6. & 9.
Maius bonum ordinari ad minus bonum vanũ est, & otiosum. 367. n. 14.
Bonum, & delectatio non sunt duo bona, sed vnũ bonum. 390. col. 1. in principio.
Bonum, in quo ponitur beatitudo obiectiua, comitantur omnia bona, & quomodo id intelligatur. 353. n. 4.
Bonum, in quo ponitur beatitudo, quodnam debeat esse? 390. n. 18. & quæ ad hoc requirantur? ibidem.
Ad rationem summi boni quænam requirantur? ibidem.
Bonum non fit expetibilius quacunque addita delectatione. 392. n. 24. & 25.
Bona, quæ hominem perficiunt, sunt in duplici differentia. 399. q. 5. in principio.
Ratio boni reperitur tam in fine cuius, quàm in fine cui. 5. ar. 2. n. 1. & 2.
Bonum, vel est bonũ relatè, vel absolutè, & quid vtrunque sit. 8. n. 17. & vtrunque habet distinctam rationem bonitatis. 9. n. 18.
Ratio formalis boni relatè sumpti est ratio conuenientiæ, quod est indubitatum. ibidem: dubitatur tamen quænam sit ratio boni absolutè sumpti? ibidem opinio Bellomontani reijcitur n. 19. & 20. Vera explicatio n. 21.
De bono absolutè, & relate sumpto, quomodo philosophandum sit? 9. & 10. n. 21. 22. cum sequentibus.
In bonitate absolutè sumpta non fundatur ratio appetibilis, sed ratio appetitiui, atque appetẽtis alicuius perfectionis. ibidem n. 22.
Bonum concupitum eodem actu, quo concupiscitur, concupiscitur alteri. 12. n. 5.
Bonum volitum non semper minus amatur, quàm ille, cui bonum volumus. 13. n. 8.

Operari propter bonum, & propter finem in quo seusu sit idem. 34. n. 3.
¶ Bonum summum naturale adiunctis alijs bonis redditur expetibilius: secus in bono diuino. 391. n. 21.
De ratione summi boni quid sit? 283. n. 10.
Duo summa bona numero distincta non dantur. 284. Nec etiam duo summa bona formaliter distincta. 284. n. 13.
Bonum creatum venialiter malum, an & quo modo referatur in vltimum finem. 300. §. 3. & 301. §. 4.
In bono creato voluntas totaliter quietari non potest. 408. ar. 4. n. 2.
¶ Boni simplex apprehensio satis est, vt moueat voluntatem apud Nominales, sed oppositum est verius. 72. n. 26. & 73. n. 27.
Bonum cognitum duobus modis se habet ad actũ voluntatis, scilicèt, vt finis, & vt terminus. 84. n. 28.
Cur propter bonum commune reipublicæ, & Dei quisque patiatur dispendium propriæ salutis? 61. n. 17.
¶ Bonum vtile mouet voluntatem ad sui appetitionem in virtute finis. 48. n. 24.
Bona vtilia sunt obiecta secundaria voluntatis, & minus principalia. 41. n. 12.
Bonum vtile, siue mediorum collatum cum actu electionis, vel intentionis aliquibus dicitur finis illorum actuum. 39. n. 3.
Boni diuisio in honestum, iucundum, & vtile qualis sit? 36. n. 7.
Quædam bona sunt simpliciter vtilia, quædam autem solùm secundum quid. 21. n. 18.
Bonum vtile non esse amabile, vt finem, vt ait Aristoteles, explicatur. ibidem.
Bonum vtile quando habeat rationẽ finis? ibidẽ.
Bonum vtile, an exerceat causſam finalem? 165. ar. 3. negans probabilior. 167. §. 4.
Affirmans tamen est satis probabilis. 169. §. 5. & in quo posita sit difficultas huius quæstionis. 165. n. 3.
Bonum vtile quid sit? 165. §. 1. n. 1.
Bonũ vtile reciprocatur cum medio ad finẽ. ibid.
¶ Bonum honestum ab Aristotele simpliciter dicitur bonum. 161. n. 2. & dicitur totaliter bonum. ibidem.
Bonum honestum potest exercere causſalitatem finalem. 161. n. 2.
Ratio boni primum reperitur in bono honesto. ibidem.
Boni honesti conuenientia, in quo sit posita: & quid sit eius terminus. 163. n. 4.
¶ Bonum delectabile non est totaliter bonum. 161. n. 2.
Bonum delectabile est appetibile propter se. 163. n. 5.
Bonum delectabile habet distinctam bonitatem à bono honesto. 163. n. 6.
Bonum delectabile an possit exercere causſam finalem? 162. ar. 2. Affirmatiua placet. 163. n. 4. Imò eam potest exercere etiam si sit malum moraliter. 164. n. 7. & 8.
Bonum delectabile sumitur, vel pro delectatione, vel pro re, vnde oritur delectatio. 163. n. 6.
¶ Bonum honestum iucundum, & vtile, & nihil aliud potest fundare rationem amabilis, & appetibilis contra Nominales. 176. n. 3. & 177. n. 5.
¶ Bonum vniuersale duplex est: vnum in essendo; alterum in prædicando, & quid sit vtr ũq; 409. n. 3.
Bonum vniuersale esse obiectum voluntatis diligenter explicatur. ibidem.
Bonum vniuersale in communi non potest quietare voluntatem. ibidem.
Bonum vniuersale absolutum id est non contractum, an sit obiectum voluntatis? 409. n. 4. & 5. Nec est medium inter vniuersale in essẽdo, & in prædicando contra Caietanum. ibidem n. 5.
¶ Bona externa appellantur bonæ fortunæ. 354 ar. 1. n. 1.
Bona externa adiumento sunt ad opera virtutis. & in hoc sensu iuuant beatitudinem ex Aristotele. 355. n. 7. Sunt tamen impedimento potiùs, quàm adiumento ad beatitudinem patriæ consequendam. ibidem n. 8.
Bona externa, an aliquo modo pertineant ad beatitudinem? Quæstio fuit inter Stoicos, & Peripateticos. ibidem. n. 7.
¶ Bona animi potiora sunt, quàm corporis. 355 n. 5. in 6. ratione.
Bona interna, vel pertinent ad corpus, vel ad animum. 380. q. 3. in principio.
Inter bona corporis quænam sint enumeranda? ibidem ar. 1. n. 2.
Bona corporea apud Aristotelem quænam sint? 381. n. 4.
Bona corporis adæquatè distinguuntur contrà bona animæ, & sunt duplicis generis. ibidem.
Bona animæ vegetatiuæ quænam sint: quæve sensitiuæ? 381. col. 1. in principio.

BRVTVM.

Bruta non possunt dici felicia ex Aristotele. 382. n. 3. in fine.
In brutis satis est nuda apprehensio phantasiæ, vt appetitus moueatur; est tamen necessaria cognitio æstimatiuæ. 74. n. 31.
In brutis id facit æstimatiua, quod in hominibus facit.

facit opinio. 74.n.31. & 76.n.42.
Bruta feruntur in bonum propter ipsum: idque formaliter ex Bellomontano, sed impugnatur. 145.col.1.& 2.& 160.n.60.
Bruta, an agant propter finem? 200.q.13.ar.1. Placet affirmatio.
Bruta, an dirigant se in finem? 201. ar.2.
Bruta mouentur à se ipsis secundum considerationem physicam: non tamen moralem. 202. num. 4.
Bruta diriguntur in finẽ non ab instinctu naturæ, sed ab intelligentia. 202.§.2.& vt sic habẽt veram causalitatem finalem: non verò vt operationes illorum sunt ab ipsis. 205. ar. 4. n.1.3.& 4.
Brutis plerique tribuunt rationem: sed impugnãtur. 201.ar.2.n.1.& 2; & 268 ar.3. n.2.
Bruta, an cognoscant finem formaliter sub ratione finis? 203.ar.3.n.1. An verò cognoscant bonum formaliter sub ratione conuenientis? verior opinio negat. 203. n.3.& 204. n.4. & 5.
Bruta nihil cognoscere: sed moueri appetitu naturali, vt lapidem; quidam dixerunt: sed decipiuntur. 205.ar.4.n.2.
Bruta quomodò moueantur ad bonũ vtile. 204. n.7.

Litera C.

¶ Canonicus quomodò potest intendere distributiones quotidianas, tanquam finem secundarium? 33.n 7.
¶ Cap. cum Cessante de Appellationibus explicatur. 32. n.5.

CASVS.

Casu omnia euenire in humanis quidam ex veteribus philosophis docuerunt. 259.numer.2. Impugnantur. 187.n.1.& 2.
Vt aliqua non fiant à casu, non requiritur, quod fiant propter finem, sed satis est, quod fiant cũ cognitione. 148.n.22.
Quæ casu fiunt, coniunguntur cum ijs, quæ per se fiunt propter finem. 190.n.10.ad vltimũ.
Casus fortuiti, an Deo attribui debeat ex sententia Aristotelis? 199. n.26.

CAVSSA.

Causæ definitio explicatur. 51.n.7.
Causa constituitur in esse causæ per modum formalẽ causandi. 52 ar.1.n.11.
Causa, quæ non influit, nisi, vt amata, non necessariò requirit realem existentiam. 54.n.20. & 55.n.22.
In omni causa datur proximum causandi principium, & de singulis exquiritur, quidnam id sit? 57.n.1.
Quælibet causa ad causandum indiget aliqua existentia. 69.n.10.
In omni causa tria spectantur; id, quod causat ratio formalis causandi, & conditio sine qua non. 79.§.2.n.4.
Causas sibi inuicem esse causas latè explicatur. 213.n.29.

CAVSSARVM SVBALTERNATIO.

¶ Causa duobus modis influit: in causalitatem, & effectum. 327.n.2.
Causas ad inuicem esse causas, solùm verificatur de fine cuius. 6.n.4.
Causarum subalternatio quid sit, & quotuplex sit, & in quo posita sit? 269.ar.1.§.1.n.1.
Causa superior est causa inferioris in agendo. 270.§.2.& 3.
Inter quatuor causarum genera, licet detur subalternatio per se, non tamen datur essentialis. ibidem.
In causis essentialiter subalternatis, ratio causæ superioris est nobilior. 270.§.2.n.4.
Causæ essentialiter subalternatæ, non sunt eiusdem speciei, bene tamen eiusdem generis. 271.n.4.
Causæ essentialiter subalternatæ concurrunt ad eundem effectum eàdem numero causalitate. ibidem.
In causis essentialiter subalternatis non datur causalitas, à qua illa incipiat. 273.n.2.
In causarum ordinatione admitti potest prima causa extra seriem. 276. n.2.
Causa subalternata causare non potest, nisi causa superiori imẽdiatè concurrente. 332.n.2.
In causis essentialiter subordinatis processus in infinitum est impossibilis, & requiritur vera huius rei probatio. 273.ar.2.n.1.cum seq.

CAVSSA FINALIS.

Causa finalis fundatur in bono. 34.n.3.
Causa finalis vera, & reali causalitate influit in esse sui effectus. 52.n.8.
Causa efficiens, & finalis habent inter se mutuã connexionem. ibidem n. 9.
Causarum genera sunt quatuor. ibidem n. 10.
Causa finalis est distincta ab alijs. ibidem n 10.
Causa finalis materialiter non necessariò distinguitur ab alijs causis. 53.n.12.
Causa finalis inter causas, & origine, & dignitate est prima. ibidem n. 13.
Causa finalis est causa causarum. ibidem.
Causa finalis est mouens, non motum. ibidem. n.14.
Causa finalis, quomodò opponatur causæ efficienti? 54.n.19.
Causam finalem, vt à cæteris distinctam, veteres non cognouerunt. 56.n.25. bene tamen Plato illam cognouit, ibidem.

Stoici, an solam causam finalē agnouerint? ibidē.
Causam finalem agnouit Augustinus. ibidem. num. 26.
Quæ sit proxima ratio, qua finis primo reponitur in esse causæ finalis, & an sit bonitas? 57. ar. 2. n. 1.
Ad rationem causæ finalis, satis est bonum aliquo modo proprium. 60. n. 11.
Causa finalis, nisi sit cognita cognitione intellectiua non causat. Vide latè. 69. n. 13.
Causa finalis, in quo sensu dicatur prima inter causas. 86. n. 36.
Ad causam finalem quomodò concurrat esse cognitum? 88. n. 43.
Causa finalis non causat secundum esse reale existentiæ exercitæ. 90. n. 49.
Causæ finalis effectus est actus, qui fit. 107. numer. 13.
Causæ finalis effectus est actio agentis, vt est ab agente. ibidem.
Causa finalis est causa causalitatis agentis. ibidem.
Causalitas agentis est effectus causæ finalis. ibidem.
Causa finalis est causa quodammodò moralis. 110 n. 23.
De causa finali non est eodem modo philosophandum; atque de cæteris. ibidem.
Causa finalis, an vnam tantùm habeat causalitatem? 115. n. 7.
Causa finalis, an moueat agens, vt actu agat eadem causalitate, quæ illud mouet, vt velit agere? 113 n. 3 disp. 114. n. 5.
An in causa finali sint causalitates numero distinctæ? 114. n. 5. & 6.
Causæ finalis quinam sint effectus? disputatur 118. & 119.
Causæ finalis effectus colligendi sunt ex definitione finis. 120. ar. 2. n. 1.
In causa finali idem potest esse causa sui ipsius, aliter tamen, & aliter. 131. n 7.
Causa finalis, vt actu causet, non satis est simplex cognitio illius. 72. §. 3.
In causa finali triplex finalisandi ratio reperitur. 160. n. 57.
Causam finalem, an minus bonum possit exercere? 175. ar. 5. An eam possit exercere malum sub ratione mali? 175. ar. 6.
An id, quod est indifferens? 182. ar. 7. An relationes? 184. ar. 8. Quid de relatione diuina? 185. n. 2. Quid de relatione rationis? ibi. n. 3.
Causam finalem, an, & quomodò agere valeant relationes prædicamentales? 185. n. 4.
Quid de negationibus, & priuationibus? ibidem. art. 9.
Causam finalem, [illegible] cere? 205. ar. 4. [illegible] bruta possint exer-
Causam finalem, & efficien. nec est ab Aristotele assertum coincidere, [illegible] c est verū. 212. n. 28.
Vbi datur causa finalis, datur etiam [illegible] ficiens. 219. n. 3. & 221. n. 8. [illegible] ef-
Causa finalis potest exercere causalitatem in effectum, quin eam exerceat intra ipsum agens. in quo agens creatum differt ab increato. 223. n. 15.

CAVSSA EFFICIENS.

Prima causa efficiens quomodò concurrat, cum omnibus causis secundis efficientibus? 326. q. 8. ar. 1.
Causa efficiens datur, vbi datur causa finalis. 219. n. 3 & 221. n 8.
Causa efficiens principalis, & totalis maximè, si est æquiuoca, est perfectior suo effectu. 669. num. 19.
Causa efficiens, & finalis habent inter se mutuā connexionem. 52. n. 19.

CAVSSA MORALIS.

Causa moralis non habet influxum positiuum in effectum. 110. n. 23.
Causa moralis est causa per se, & non per accidens. 112. n. 29.
Causa moralis in quo sensu pertineat ad philosophum naturalem? ibidem.
¶ Causa æquiuoca partialis non est nobilior effectu. 623. n. 31.
¶ Plures causæ totales non possunt concurrere ad vnum effectum, etiam per diuinam potentiam. 283. n. 8.

CAVSSALITAS.

Causalitas distinguitur ab effectu causæ. 607. num. 13.
Causalitas causæ non indiget alia causalitate. ibidem. n. 14.
Causalitas in causis, an sit entitas distincta à causa? 106. n. 9.
Causalitas finalis non exercetur sine metaphorica motione agentis. 57. n. 2.
Causalitas finalis est distincta à causalitate aliarum causarum. 52. n. 11.
Causalitas finalis tunc primò cessat, cum primū cessat causalitas agentis. 244. n 6.
Causalitas finalis quomodò conueniat fini secūdario? 54. n. 18.
Causalitas finalis, in quo sit posita? 92 a. 5. ptotū
Est medium interiacens inter effectum, & formalem rationem causandi ibidem. n. 1.
Causalitas finalis non consistit in motione metaphorica, etiam respectu agentis creati. 93. n. 6. & 95. n. 17.

...actione vo-
Nec etiam est posita in aff. 96.n.20.
luntatis contra non-gratia aliquid fit. latè
Non etiam est id. 24.
probatur. alis venanda est ex definitione
Caussalis. n.31.
finalitas finalis significari debet per modum
Emanationis. 97. n 25. & 100. n. 35.
Caussalitas finalis non est sine causalitate agẽtis. 97. n. 25. in fine.
Caussalitas finalis, in quo sit posita? 98. n. 31. & 99. n. 32.
Caussalitatem finalem esse quandam motionem metaphoricam omnes admittunt; variant tamen in explicatione illius metaphoræ, sed nõ probantur. ibidem n 32.
Caussalitas finalis generaliter loquendo quidnã sit? 100. n. 36.
Quid etiam sit loquendo specialiter. 101. §. 7. n. 40. & 103. n. 49.
Caussalitas finalis quidnam sit? latè explicatur. 103. ar. 6.
Non est modus positiuus. 105. n. 6. & 7.
Nec est caussalitas agentis, vt latè ostenditur. 106. n. 10.
Nec denique est entitas, nec modus entis, sed motio quædam intentionalis. 111. n. 24.
Caussalitas finalis magis elucet in ordine executionis. & in eo perfectius exercetur. 121. q. 8. in principio.
Caussalitas finalis, an inueniatur in ordine intentionis? 137. q. 9. ar. 1. Placet affirmatio.
Caussalitas finis, an excerceatur in solas actiones, quæ sunt circa media. 138 ar. 2.
Caussalitas finis perfectissimo modo exercetur in media: verè tamen, & propriè etiam exercetur in alia. 159 n. 56.
¶ Caussalitatem finalem quænam valeant exercere? disput. 161. ar. 1.
Eam exercet bonum honestum. ibidem.
An illam valeat exercere bonum delectabile? 162. ar. 2. Placet affirmatio. n. 4.
Quid dicendum sit de bono vtili? latè disputatur 165. ar. 3. & 169. §. 5.
Caussalitas caussæ finalis est duplex: vna propria; altera perfecta. 172. n. 3.
Caussalitas finalis, quomodò reperiatur in actionibus naturæ? 196. §. 6. maximè in fine.
Caussalitatem finalem, an exerceat Deus in actionibus ad extra? 207. n. 8.
Eam in actionibus ad intra falso admittit Soncinas. 213. n. 31.
Caußalitas finis sine motione metaphorica datur in agente increato: non tamen creato. 213. & 214. n. 31. & 32.
Caußalitatem finalem, an habeat Deus, vt est agens ad extra? 214. ar. 2.
Ad caussalitatem finis concurrit esse cognitum: tanquam principium sine quo non 81. n. 12.
¶ Ad caussalitatem formalem, an satis sit distinctio formalis; an verò necessaria sit realis? 751. n. 164.
Caussalitas formæ quænam sit? 98. n. 31.
¶ Caussalitas caussæ efficientis in Deo est modus se habendi; si actio Dei ad extra manet in Deo; secus si sit transiens extra Deũ. 219. num. 18.
Caußalitas efficientis quænam sit? 908. & 909. num. 31.
Caussalitas agentis est effectus caussæ finalis. 107. n. 13.
¶ Caussalitas materialis quænam sit. ibidem.
¶ Caußalitas moralis non est quid positiuum emanans à caussa. 106. n. 10.
¶ Caussandi principiũ formale est virtus caussandi. 82. n. 18.
¶ Cerinthus reputatur hæreticus à Ioanne Euangelista. 475. n. 7.

CHARATER.

Character sacerdotalis, quem Apostoli in die Cœnæ acceperunt ad verum Christi corpus, fuit postea consummatus, & extensus ad dimittenda peccata: & quomodò. 450. n. 25.
Character sacerdotalis, & Episcopalis est idem numero: Episcopalis tamen est consummatus. & quomodò consummetur? ibid.

CHARITAS.

Charitas potest considerari vel vt influit in actũ vel vt disponit subiectum. 301. n. 22.
Charitas quomodo iustum, & actiones moraliter bonas habitualiter ordinet in Deum? ibidem.
Quod per charitatem habitualiter in Deum refertur, debet esse ex sua natura amabile propter Deum contra Caietanum. 301. nu. 22. & 23.
Charitas inter omnes virtutes est excellentissima: & est nobilior fide: non tamen inde inferas eam esse habitum omnium nobilissimum. 593. n. 15. & 16.
Charitatis obiectum essentialiter est nobilius obiecto fidei, & spei, & luminis gloriæ. 596. numero 24.
¶ Charitas viæ secundum aliquos est habitus præstantissimus, & in genere rei, & in genere moris. Alij docent oppositum. 531. n. 3. & 4.
Charitas viæ in genere moris est præstantior, quàm fides. ibidem. n. 4. & quomodò id sit intelligendum. n. 6.

Charitatem viæ in genere moris esse præstantiorem, quàm fidem, est de fide: non tamen in genere rei. 594. n. 18.

¶ Charitas in patria, an simpliciter sit habitus omnium præstantissimus? disp. 531. art. 6. Negatiua placet. n. 4. & 5. & 592. §. 3.

Charitas in patria, an proximè eleuet animam ad actum visionis, beatitudinisque? 601. n. 6.

¶ Cherubini, quomodò denominati sint à visione? 532. n. 3.

Cherubinos scientia, & amore superari à Seraphinis quidam docuerunt. ibid. n. 4.

¶ Chymera, vide figmentum.

¶ Circuminsessio vnius personæ diuinæ ortum habet ex vnitate essentiæ. 921. & 922. n. 40.

COGITATIVA.

Cogitatiua hominis propter coniunctionem cum intellectu potest componere, diuidere, & syllogizare. 70. n. 17.

Cogitatiua hominis non potest cognoscere formalem rationem boni, nec vnum in aliud ordinare. ibidem.

Cogitatiua secundum se, nec discurrit, nec componit contra Caietanum. 235. n. 13. & 236. n. 15. Vnde autem habeat, quod possit componere, & discurrere? 70. n. 17. & 236. n. 14

Cogitatiua secundum se est potentia naturalis. ibidem.

COGNITIO, COGNOSCERE.

Nulla cognitio siue sensitiua, siue intellectiua est primò, & directè cognitio sui. 434. numero 62.

Cognitio sensitiua ordinatur ad intellectiuam. 384. n. 4.

Cognitio iudicatiua necessaria est, vt voluntas operetur. 76. n. 40.

Cognitio iudicatiua an sit necessaria, vt finis causet? disp. 75. §. 4.

Cognitio simplex finis absque apprehensione cõuenientis non satis est, vt moueat voluntatẽ. Nec oppositum docuit Scotus. 72. n 25.

Cognitio finis non satis est ad finalizationem, quando obiectum necesitat voluntatem: bene tamen, si non necesitet. 240. n. 16.

Cognitio formalis obiecti ad finalizandum, & specificandum actum, solùm concurrit, vt cõditio. 84. n. 29.

Cognitio obiecti non variat obiectum appetitus, nisi applicatiuè. 85. n. 30.

Cognitio obiecti duobus modis variatur. 85. numero 31.

Cuius variatio aliquando redundat in obiectum appetitus. ibidem.

Cognitio obiectiua, nisi varietur, non variatur obiectum appetitus. 85. n. 32.

ad?

intellectecti variatio penes præsens, & pertinet ad & obscurum: sensitiuum, &

Cognitio rerum supeeium, & abstractiuum, an sit minus nobilis obiectiuã. 86. n. 33.

dilectio eorum. & quid de c Angelorum, quid, quàm corporearum. 527. n. 13. erum

Cognitio quidditatiua manifestat omnia dicata quidditatiua, vsque ad vltimam differentiam. 547. ar. 1. n. 1.

Cognitio confusa, an detur in rebus simplicibus, an sola distincta? Placet Affirmatio. 557. n. 22.

Cognitio practica, & speculatiua, vide notitia practica, & speculatiua.

¶ Cognitio Dei in via est propter amorem. 601. n. 9.

Cognitio Dei naturalis, an appeti possit, tanquã summum bonum, & vltimus finis naturalis. 348. n. 21.

Cognitio naturalis Dei verè datur in nobis; non tamen sub ratione summi boni. 551. n. 29.

Cognoscere Deum maius est bonum, quàm cognosci à Deo. 371. n. 26.

Cognosci à Deo non est bonum propter se, sed propter aliud. 372. col. 1. in principio.

Cognitio in Verbo, quatenus terminatur ad diuinam essentiam, formaliter, & obiectiuè est simplicissima. 554. n. 10. Cognitio tamen vespertina rerum in proprio genere potest esse formaliter, & obiectiuè complexa. ibid.

De cognitione matutina quid senserit August. 1114. n. 30.

Cognitio matutina Angelorum ex mente Aug. formaliter nõ est ipsa visio solius Dei. 1115. num. 32.

Cognitio dierum, & rerum in septem primis diebus conditarum, quæ in Angelis ex Aug. facta est, an ex mente Aug. facta sit successiuè, an simul? 1114. n. 29.

Cognitio vespertina, in quo sensu dicatur ab Aug necessaria 1122. n. 64 65. & 66.

Cognitio matutina rerum abundantior est, non solùm in claritate visionis, sed etiam obiectiuè, quàm sit cognitio vespertina earum. 1161. n. 14.

¶ Commensuratio, quam importat conueniẽtia boni, an se teneat ex parte rei: quæ est bonũ, an ex parte rei, cui est bonũ 46. n. 14 & 15.

¶ Cõmodi ratio non est ratio boni. 306. col. 1.

ESSE COMMVNICABILE.

Esse communicabile tribus personis est de essentia essentiæ: esse tamen actu terminatam illis, solùm est modus essetialis illius. 1020. n. 56.

Esse communicabile, an conueniat singu-
sonis? ibid.n.57.& 58. *s habet*

COMPOSITIO, ET CO*rma substan-*

Compositum in generatio accidentarijs. 30.
rationem finis ci-
tialis: secus
ar.4.n. *am terminat creationem. ibid.*

Totum compositio, quænam requirantur? 727.
numer.96.

De ratione compositionis quidnam sit? 725.numero 89.

Et an de ratione illius sit, vt fiat ex actu, & potentia: atque etiam, vt fiat ex partibus? 726. numer.91.

Compositio an, & quando sequatur distinctionẽ? 726.n.90.

Omne compositum esse dissolubile, quomodò debeat intelligi? 751.n.165.

Compositio rationis, an admittenda sit in diuinis? 993.n.9.

Compositionis nomẽ in diuinis est odiosum: vnde simpliciter non est admittendũ. 1035.n.53.

COMPREHENSIO.

Comprehensio duobus modis accipitur. 513.n. 24.ad 6.

Cõprehensio accipitur, & largè, & propriè. 548. n.7.

CONCEPTVS.

Conceptus re, & ratione ab alio præcisus quando dicatur. 769.n.35.

Conceptus alius formalis, alius obiectiuus. 770. col.1.in medio.

Cõceptus obiectiuus rei est ipsamet res ad extra sub alio tamen esse. 780.n.66.& 782.n.72.

Conceptuum formalium distinctio arguit aliquã distinctionẽ in cõceptib' obiectiuis. 902.n.17

Distinctio conceptuum non vnam habet caussã, sed plures. 824 n.36.& 37.

¶ *Conclusio in speculabilibus habet distinctam veritatem, & cognoscibilitatem à veritate, & cognoscibilitate principiorum. 47.n.18.*

¶ *Concupiscere hoc mibi, & concupiscere hoc propter me non sunt idem 13.n.7.*

¶ *Concursus generalis modificatur iuxta naturam caussæ secundæ, & est conditionatus, & non absolutus. 200.n. 30.*

¶ *Consecutio finis, vide finis.*

CONSILIVM, ET CONSVLENS.

Consilium semper est circa media. 207.n.9.

Consilium, an sit in Deo? affirmatur, est tamen in eo sine imperfectionibus. ibidem.

Consulens est caussa efficiens, & quomodò instruat in effectum? 110.n.23.

¶ *In omni vera constitutione constituentia se excludunt. 1029.n.26.*

CONSVLTATIO.

Consultatio requirit iudicium tam speculatiuũ, quàm practicum. 72.n.24.

Consultatio est propter finem. 241.num.4.& 138.n.2.

Consultationem non esse de fine, quomodò sit intelligendum? 257.n.12.

¶ *In contemplatione etiam altissima voluntas non vnitur Deo sine intellectu. 68.n.9.*

CONTRADICTIO, ET CONtradictoria.

Contradictio fundamentalis sublato omni intellectu reperitur inter essentiam, & relationẽ, ita vt termini contradictorij de eisdem verificentur: non tamen vt sunt contradictoria. 990.n.110.

Contradictoria, vt possint esse vera, requiritur aliqua distinctio. 989.n.106.& satis est distinctio virtualis. 990.nu.110. imò satis est distinctio rationis. 787.n.12.

Contradictoria verificari non possunt de eodem, quod est omnino idem. 989.n.106. vnde vt desinãt esse contradictoria, satis est aliqua distinctio; saltem rationis. 787.n.12.

Contradictoria verificari non posse, nisi illa, de quibus verificantur, sint res essentialiter distinctæ asserunt Nominales, sed falso. 706. n.5.& 707.n.6.& 8.

Contradictoria verificantur de quolibet simpliciter sumpto; secus si sumantur cum particula per se, aut alia simili. 730.n.104.

Contradictoria quomodò possint verificari de essentia, & relatione? 989.nu.106.& 107. & an requiratur actualis distinctio saltem rationis inter ea. ibid.n.107.

Contradictoria non possunt in diuinis propriè nõ verificari; si non admittatur aliqua distinctio à parte rei sine intellectu, qualis est virtualis. 997.n.16.

CONVENIENTIA.

Conuenientia est formalis ratio boni relatè sumpti. 9.n.18.

Conuenientia quædam passiua fundatur in entitate cuiusque rei, & quænam sit? 10.n.22.

Conuenientia cõnotata per nomẽ bonitas *quid nam sit? 45.n.11.*

Conuenientia, quæ est ratio formalis boni, fundatur in actu, & forma, prout, vel efficienter, vel formaliter est perfectiua. 46.n.16.

Conuenientiæ commensuratio, vide commensuratio.

CORPVS.

Corporis bona, vide bona corporis.

Corpus omne est effigiabile. 480.n.11.

Corporis oculus, vide oculus.

Corpus sensibile simpliciter, & extensiuè est obiectum adæquatum visus. 497. n. 13.
Corporis penetratio dicitur illapsus impropriè. 416. n. 8.
Corpora cœlestia eminenter continent viuentia, & ad ea concurrunt, non vt agentia principalia, sed vt instrumentalia. 670. n. 20.
Corporibus cœlestibus inferiora corpora esse subordinata tum in essendo, tum in operando; est communis philosophia. 195. n. 13. ad finem.
Corpus post resurrectionem quomodò commutandum sit? 485. n. 29. & 30. & 486. n. 31.
Corpora post resurrectionem futura sunt vera corpora, & eadem numero, quæ fuerunt in via. 486. n. 31.
Corporis glorioſi delitiæ redundant in appetitū sensitiuum ex beatitudine animæ. 475. numer. 8.
Corpus in gloria indiget nouis qualitatibus, vt defectus viæ tollantur. 448. n. 19.

CREATVRA, CREATVM, & Creatio.

Creatura rationalis, an specialiter indigeat peculiari dono gratiæ, vt sit beata aliqua beatitudine. 343. n. 9.
An admittenda sit creatura in puris naturalibus cum solo dono creationis? 348. n. 22. & 349. n. 24.
Creatura, cur reputet Deum esse se ipsam? 60. num. 11.
Creaturæ volitio in Deo habet pro ratione volendi diuinam bonitatem. 222. n. 11. & 12.
Vna creatura volita à Deo est ratio ipsi Deo volendi aliam. ibid.
Creaturæ quoad actum essentiæ, quo sunt æternæ, pendent ab alio. 665. n. 4.
Creaturæ omnes in diuinum intellectum relucent, prout concipit omnes essendi modos, & gradus, quibus diuina essentia est participabilis. ibidem.
Creaturæ essentialia sua prædicata non habent à se, nec secundum suam essentiam. 665. numero 5.
Creatura, cur in Deo dicatur creatrix essentia? 893. n. 57.
Creaturæ infinitæ specie distinctæ continentur in Deo eminenter. 941. n. 17.
Creatura multis modis dici potest esse in Deo. 1099. n. 5. 6. 7. & 8.
Creaturarum visio in Deo. Vide visio creaturarum.
¶ De omni ente creato intelligitur illud Aristotelis: vnumquodque est propter suam operationem. 30. ar. 4. n. 2.
In creatis ea, quæ formaliter distinguuntur, an possint dici plura entia: plura aliqua, & plures res? 735. n. 118.
Creata omnia respectu diuinæ voluntatis solùm habent rationem puri medij: non tamen respectu creatæ. 23. n. 22.
¶ Creationis donum, an satis sit, vt excludat peccatum sine noua gratia Dei. 343. numero 9.
Creatio primò, & immediatè terminatur ad totum compositum. 30. ar. 4. n. 1.
¶ Cyrillus Alexandrinus nunquam dixit Deū esse corpus contra Maldonatum. 484. n. 23.

Litera D.

¶ Damnati quomodò appetant non esse? 187. col. 1.
¶ Damnum seu dispendium propriæ salutis cur quisque patiatur propter bonum commune Dei, & Reip. 61. n. 17.
¶ Danielis vltimo: quia ipse est Deus viuens explicatur. 668. n. 14.
¶ Damascenus 3. de fide cap. 13. 14. & 15. explicatur, dum ait: Vnam operationem esse non posse, vbi est diuersa substantia. 430. numero 48.
¶ Decreta libera Dei, an videantur à beatis? 1171. q. 21. ar. 1. & §. 1: & quomodò hæc videantur. 1174. ar. 2.
¶ Deitas, vide Deus.

DELECTATIO, ET DELECTABILE.

Delectatio corporea, an enumeranda sit inter bona corporis? 380. art. 1. Ab Aristotele refertur ad bona animi; & cur? 381. n. 4.
Delectationis sensibilis quænam sit natura? 388. n. 13.
Delectationis sensibilis nimius vsus est vitium. 389. n. 15. in fine.
Nulla delectatio sensibilis per se est simpliciter bonum, aut finis. 388. n. 13. & 389. n. 15.
Delectationem omnia appetere generaliter est falsum: & quomodò debeat intelligi? 389. numero 17.
In delectationem quomodò feratur appetitus. 390. n. 18.
Delectatio, & bonum non sunt duo bona, sed vnum tantum bonum. 390. col. 1. in principio. & 137. n. 10.
Delectatio, in quo sensu non sit propter alium finem. 390. n. 18.
Delectatio, quæuis non appetatur propter aliud, vt finem: appetitur tamen propter aliud, tanquam propter causam formalem, & motiuā. 391. col. 1. in principio.
Delectatio est appetibilis non ex se, sed ex bono, ad quod sequitur: & ab eo sumit speciem. ibid.

Delectatio duplex est: propria, & aliena, siue extrinseca. 392. col. 1. in principio.
Non omnis delectatio adiuncta alicui bono facit illud expetibilius. 392. n. 24. & 25.
Delectatio quomodò opponatur dolori? ibidem. num. 26.
In delectatione animi, an ponenda sit beatitudo obiectiua? 399. ar. 5.
Delectatio est quies appetit' in bono. 609. n. 23.
Delectatio quomodò terminatur ad bonum? 610. n. 27.
Ad delectationem, quomodo concurrat amor? ibidem.
Delectatio ex sua natura supponit assecutionem boni, de quo sumitur. Et hæc est communis sententia. 610. n. 28. & 518. n. 14. Oritur enim ex adeptione boni. ibidem.
Delectatio est complementum caussalitatis finalis. 117. n. 16.
Delectatio, & assecutio finis non sunt duo fines, sed vnus completè adeptus. 117. num. 16. & 118. col. 1. in principio.
Delectatio consequens finem assecutum, an sit effectus finis? Affirmatio placet. 136. §. 2. n. 9. & 10.
Delectatio est perfectio, & consummatio assecutionis finis. 137. n. 10.
Delectatio est finis archytectus, & principalis, & quomodò id intelligatur? ibidem.
Delectatio est propter operationem. 137. n. 11.
Delectatio de fine assecuto non est propter finẽ operantis. 244. n. 6.
Delectatio consequitur ad finem assecutũ. 134. ar. 7. n. 1.
An delectatio sit bona, vel mala in genere moris? controuersum est: non tamen in genere rei. 164. n. 7. affirmatio placet, quia per eam mereri possumus, & demereri. 604. n. 3.
¶ Delectatio in patria per se terminatur ad Deum, & ad vnionem Dei. 521. n. 3. & 522. num. 4.
Delectatio in beatis est duplex: vna sequitur ad amorem, quo beatus vult bona Deo, altera sequitur amorem, quo beatus vult Deum sibi. 606. n. 9.
Delectatio in patria ad quid terminetur? 608. n. 18.
Delectatio de bonis, quæ sunt in Deo, an distinguatur ab amore ipsius Dei? 608. n. 19. & 20.
In beatis datur delectatio de bonis Dei: & delectatio consequens ad visionem, & amorem Dei: & præterea consequens amorem, quo beatus vult sibi Deum. ibidem. n. 20.
Delectatio de bonis Dei supponit Deum iam esse beatificè assecutum. 609. n. 21. & 22.
Delectationem patriæ excludi ab essentia beatitudinis tenendum est. 607. numer. 16. & 609. n. 21.
Delectatio patriæ, an sit nobilior, quàm amor, & dilectio? 611. n. 30.
Ad delectationis obiectum in patria per se concurrit amor, quo beatus vult Deo bona. 628. n. 6.
¶ Delectatio, an essentialiter includatur in beatitudine supernaturali viæ? negatiua placet. 640. n. 14.
Delectatio est fructus charitatis, vt vltima illius perfectio. ibid. n. 14. in fine.
¶ Delectatio non est actus formaliter cognitiuus. 581. n. 15.
Delectatio apud Aristotelem quid sit? 604. ar. 2. n. 1. Non enim est passio, sed operatio elicita à voluntate. ibid. & 605. n. 5.
Delectatio est actus vitalis. 604. n. 4.
Delectatio, an sit operatio realiter distincta ab amore? 605. n. 7. & 8.
Formaliter tamen non est amor, vt omnes volunt. 622. n. 26.
Delectatio est propter operationem, vt finem, & non viceuersa. 611. n. 30.
Delectatio particularis, an admittẽda sit in operationibus potentiæ cognoscentis? 605. n. 6.
¶ Delectabile, vel sumitur pro delectatione, vel pro re, vnde illa oritur. 163. n. 6.
In delectabili obiecto quidam agnoscunt bonitatem propriam præter bonitatem honesti. Alij id negant, resolutionem vide. 163. n. 6. & idem dices de delectatione. ibid.

DELIBERATIO.

Deliberatio vel est perfecta, vel imperfecta. 256. n. 9.
Quænam deliberatio requiratur, vt actio sit humana? 256. §. 4.
Sine deliberatione actio non potest dici moraliter mala. 258. n. 17.
Deliberationem non esse de fine, quomodò sit intelligendum. 158. n. 52. & 161. n. 61.
Deliberatio aliqua datur in simplici amore finis. 258. n. 20.
Deliberatio absoluta non est necessaria, vt aliquis agat propter finem. 192. n. 3.
Deliberatio non datur sine ratione. ibidem.
¶ Delitiæ corporis glorioſi redundant in appetitum sensitiuum ex beatitudine animæ. 475. num. 8.
¶ Demereri possumus per delectationem. 604. num. 3.
¶ Inter dependentiam finalem, & effectiuam datur distinctio ex natura rei. 110. numero 21.

DESIDERIVM.

Desiderium finis, an sit effectus finis? 140. ar. 4. Affirmatiua vera. 141 n.4.

Desiderium vel est finis. vel eorum quæ sunt ad finem. ibidem ar. 4 n. 1.

Desiderium sæpe recurrit cũ electione ibid. n. 1.

Desiderium est actus distinctus à simplici amore finis. 140. num. 2. an verò distinguatur ab intentione finis? ibidem n. 2 & 3.

Desiderium est boni nondum habiti: vnde nõ est assecutio finis; sed motus ad finem. 604. col. 1. num. 2.

Desiderium intrinsecè terminatur ad assecutionem boni desiderati: extrinsecè verò ad delectationem 610. n. 26.

Desiderium formaliter nõ est amor. 622 n. 26.

Desiderium cessat assecuto fine. 604 col. 1. nu. 2.

DEVS, DEITAS.

Deus in se est summum bonum, & vltimus finis creaturæ rationalis. 338. n. 9.

Solus Deus potest intellectum perficere propria virtute: cætera verò illum perficiunt virtute participata à Deo 403 n. 16.

Deum non esse corpus, vnde Patres deducant. 481. n. 12. An bene deducatur ex sacris literis in quibus Deus dicitur inuisibilis? 481. n. 14 vsquè ad 19.

Deus per se dicitur inuisibilis ideo, quia non est corpus. 481. n. 13.

Deum esse corporaliter visibilem est error in Ecclesia semper damnatus. 478 §. 1.

Deum habere corpus est error. 482. num. 19. & 484. n. 24. & in quo sensu in Scriptura Deo tribuantur membra. ibidem n. 25.

Deo non potest aduenire nouus modus realis: & ratio huius. 105. n. 7.

In Deo datur consilium secluſis imperfectionibus. 207. n. 9.

In Deo datur prius, & posterius nostro modo intelligendi. 212. nu. 28. ad 2. impugnationem.

Deus in se est omne bonum. 656. n. 4.

Deus omnia sua prædicata habet à se, & per suã essentiam, & ratio huius. 666. n. 6.

Deum absusiue esse substantiam aliqui PP. dixerunt: & quomodo intelligendi sint? 667. num. 11.

Deus propter quam rationem dicatur à Patribus supersubstantia. ibidem. n. 12.

Deus quidditatiue est substantia viuens. 667. num. 13.

Deum viuere vniuersi putant ex Aristotele ibidem: etiam idolatræ. 668. num. 15. vbi id demonstratur.

Deus est substantia, non eminenter, sed formaliter viuens. 669. n. 19.

Deus est substantia spiritualis. 670. n. 24 & id demonstratur. 671. n. 25.

In Deo possunt admitti plura entia, saltem relatiua. 678. ar. 5. n. 2.

Dei summa simplicitas stare potest cum distinctione reali personarum. 724. n. 85.

Deum habere aliquid à se, quomodo debeat explicari? 731. n. 105.

Deum secundum suam essentiam esse sapientem, aut bonum, & alia huiusmodi, quem sensum faciat? ibidem. & 876. n. 45.

In Deo, an quæ distinguũtur, possint dici plura entia: plura aliqua; & plures res? 735. n. 117.

In Deo omnia esse vnum late probatur ex Patribus. 747. n. 157.

In Deo apud Scotistas admittendæ sunt plures reales formalitates. 751. n. 164. in fine.

Deum esse causam suæ sapientiæ, in quo sensu dixerit Augustinus? 871. n. 29.

Deum esse ens à se, & ens per essentiam, quomodo intelligatur? 875. n. 43. & 876. n. 44. & 885. n. 27. & 28.

Deum esse ens infinitum non bene infert Deum essẽtialiter esse omne id, quod est. 876. n. 45.

Deum habere omnẽ essendi gradum, & omnem perfectionem non est idem, quod Deum esse omnia essentialiter. ibidem.

Dei infinitas in essendo, in quo sit posita? 876. num. 45.

Dei infinitas quænam inferat in Deo? 877. n. 46.

Deum esse infinitum entitatis pelagus explicatur. ibidem.

Deus, in quo sensu ratione suæ essentiæ sit infinitus, & perfectus. 891. n. 50.

In Deo duplex ab Scoto distinguitur entitas. 877. n. 46.

In Deo datur substantia, quæ illi conuenit substantialiter, non tamen modo substatiali. 891. col. 1. post principium.

Deum in se formaliter habere sua attributa melius est, quàm non habere. non tamen simpliciter melius est habere illa essentialiter, quã non essentialiter. 892. n. 51.

Deus sicut non potest habere entitatem, nisi, quæ sit perfectio simpliciter: ita suam entitatem habere non potest, nisi modo qui ex se denotet perfectionem simpliciter. 895. n. 61 & 62.

Deus & est ens perfectissimum, & habet suam entitatem modo habendi simpliciter perfectissimo. 895. n. 62.

In Deo vnica tantùm est admittenda perfectio formalis secundum vnam formalem rationẽ actu indiuisam. 913. n. 11. hæc tamen perfectio hac vin se aggregatas omnes perfectiones vnitate aggregationis. 914 numer. 12.

Vnde ita continet omnes illas, vt formaliter sit singulæ. ibidem. n. 14.
Deus in se eminenter continet infinitas species rerum. 939. n. 8.
Dei infinitas, an bene deducatur ex multitudine infinita attributorum? 939. nu. 10. & 940. num. 15.
In Deo consideranda est vna res, quæ realiter sit absoluta, & respectiua, ita vt nec pure sit absoluta, nec pure respectiua; sed eminenter vtrunque: habens tamen vtrunquè formaliter. 1010. n. 17.
Deus non supponit pro paternitate in abstracto. 1040. n. 18.
Deus, vt est in tribus personis, in quo sensu essentialiter sit trinus. 1019. n. 52.
Deus, vt est Deus, an sit Trinus? ibidem nu. 53.
ita vt esse trinum sit de essentiali conceptu Dei. ibidem. n. 51 52. & 53.

DEI BEATITVDO, ET gloria.

Deus est beatus non bonis externis, sed se ipso. 355. n. 6.
Deus, in quo sensu dicatur gloriosus. 366. n. 10
Deus non ideo formaliter est beatus, quia apud Angelos, & homines est gloriosus. 371. nu. 25. ad finem.
Deus quam gloriam vult habere apud homines, eam vult propter nos, & vltimatè propter suam gloriam. ibidem.
Deus est formaliter beatus, non quia cognoscitur à se, sed quia cognoscit se. 371. n. 26.
Deus non est apud beatos gloriosus, nisi in politia vespertina secundum nonnullos: sed oppositū verius. 375. n. 35.
Deus quomodo ab æterno dicatur gloriosus apud se ipsum? ibidem. n. 36.
Dei gloria apud se non est illi essentialis: quia potuit in eo non esse, contra Sotum ibidem.
Deus non dicitur beatus, quia omnibus principatur. 377. n. 4.
Dei beatitudo formalis est cognitio sui: obiectiua verò est ipsemet Deus. 775. n. 34.
In Deo Aristoteles nullam beatitudinem agnouit, nisi contemplationem sui. 454. n. 5.
Deus habet, quòd sit gloriosus apud beatum ex visione, qua beatus videt Deum: ex amore verò consequitur, quod sit finis cui beatus debet velle omnia bona. 539. column. 1. in principio.
Deum esse gloriosum apud beatum maius bonū est Deo, quàm Deum esse finem ipsi beato, ad quem omnia referat. 540. n. 5.

DEVM ESSE IN REbus.

Deus, quibus modis sit in rebus? 443. n. 2.
Proprium est Dei esse in omnibus rebus per præsentiam in eodem spatio. 444. n. 4.
Soli Deo conuenit esse in rebus per essentiam ita vt sit rebus causa essendi. ibidem.
Soli Deo conuenit esse in rebus per gratiam & gloriam, & per vnionem hypostaticam. ibidē. n. 4. & 5.
An præter quatuor modos, quibus Deus est in rebus admittendus sit quintus, quo est in beatis? 444. n. 5.
Deus nouo quodam modo est in beatis per essentiam in spatio. 445. n. 8.
Deus in patria, an nouo modo sit tam in essentia beati, quàm in potentijs? 443. ar. 1. n. 1.
Modus essendi Dei in aliquo per gratiam, & gloriam, an inferat realem Dei præsentiam secūdum substantiam? disp. Affirmatiua placet. 443. n. 3.
Deum esse in aliquo per gratiam, & gloriam, an addat specialem aliquam assistentiam? 444. num. 4.
Deus ex solo titulo amicitiæ se faceret realiter præsentem amico, etiam si non esset immensus. 444. col. 1. in principio.
Deus in patria nouo quodam modo existit in beatis, tanquam in templo, longe meliori, quàm extiterit in via. 445. n. 9. & 446. n 10.
An Deus in patria prius sit in essentia animæ, quàm in potentijs? disp. 451. ar. 2. Resolutio. 452. n. 5.
Deus in patria prius habitat, tanquam in templo in essentia animæ beatæ, quàm in potentijs. 452. n. 7.
Deus in patria habet nouum illapsum in potentijs animæ beatæ. 446. n. 11. An verò nouo illapsu sit in essentia animæ? dubitat. negatiua placet. ibidem. n. 12. & 447. n. 14. 15. & 16.
Deus in patria, an prius illabatur in potentias, quàm illæ operentur? Affirmatiua placet. 452. n. 6.
Deus quomodo illabatur in res? 445. n. 7.
Deus non est in rebus illapsu sibi proprio præcisè ratione suæ immēsitatis: & vnde id expendatur. 447. n. 15. & 16.
Deus ita est vbique, vt vbiq; sit totus. 481. n. 12.
Deus quomodo viatoribus sit absens? 433. n. 59.

DEI PRÆDICATA.

De Deo quædam prædicantur propriè, quædam metaphoricè: & quomodo id explicetur? 673. ar. 2. num. 1.
De Deo alia prædicantur, vt constitutiua essentiæ; alia, vt adiuncta illi. 674. ar. 3. n. 1.
Omnia prædicata Dei esse negatiua quidam dixerunt, sed reijciuntur. 682. n. 1. 2. & 3.

Omnia prædicata Dei concipimus vel admodum generis substantiæ, vel admodum generis accidentis. 675.n. 6.& 7.

Prædicata, quæ de Deo cõcipimus, illi cum creaturis communia in aliquo genere accidentis; hæc ex sua ratione non sunt constitutiua essẽtiæ. 676.n.8.

Quæ sunt illa prædicata, quæ de Deo à nobis cognoscuntur sola ignoratione? 684.n.9.

De Deo prædicantur perfectiones diuinæ in abstracto. 747.n.156.

De Deo plura possunt propriè, & affirmatiuè prædicari, & formari plures propositiones nõ synonymæ. 925.§.1.

Deus inconcreto prædicatur de attributis in abstracto: & in quo sensu. 931.§.4.

DEVS NOSTRA BEAtitudo, & vltimus finis.

Deus dicitur nostra beatitudo obiectiua. 337.n. 7.& 412.q.vlt.

Deus clare visus non est finis naturalis hominis. 350.n.27.

Deum cognoscere melius est, quàm cognosci à Deo. 371.nu.26 nam cognosci à Deo non est per se bonum, sed propter aliud. 372.col.1. in principio.

Deũ vniri intellectui beato per modũ speciei intelligib.lis aliqui negant, sed falso. 432.n.56.

Deum intime vniri intellectui beato quomodo intelligatur? 433.n.57.

Deus se ipso, suaq; nuda essentia immediate nos beat. 463.n.41.

Deus, in quo sensu nos faciat beatos vi sui amoris? 467.n.57.

Deum videndum esse à nobis post resurrectionẽ oculis corporeis in aliam tamen substantiam transmutatis quidam dixerunt; sed refutantur. 485.n.28. vide. 486.n.35.

Deum videri oculis corporeis & impossibile est & delirium 487.n.37.& 488.n. 39. etiam ab oculo glorioso. 488.n.41.

Deus olim patribus apparebat in formis corporeis. 493.n.58.

Deus proportionatus est nostro intellectui proportione obiectiua. 500.n.22.

Dei notitiam quomodo possit habere æstimatiua. 501.n.24.

Deus est nostra beatitudo obiectiua, vt cognitus à nobis: non tamen vt glorioſe cognitus. 375. n.35.in fine.

An Deus nobis concupitus referatur ad nos tãquam ad finem, cui, 8.n.15.

Deũ nõ posse amari à nobis amore concupiscẽtiæ quidam ducuerunt: sed non placet. 14.n.11. & 613.num.7.

Deus ordinatè potest ordinari in alium finem, dummodo in illum vltimate nõ referatur. 14. num.10.& 11.

Deus potest amari à nobis & amore amicitiæ & concupiscentiæ: & quãdo vno & altero amore ametur. 14.n.11.§.aduertendum etiam.

Solus Deus à parte rei est vltimus finis omnium hominum, & humanæ vitæ. 311.n.7.& 8.

An Deus sit vltimus finis omnium rerum? disputatur. 312.ar.3. Reprobatur Origines id negans. 313.n.3.

Deus speciali quodãmodo est finis vltimus creaturæ rationalis: quanuis ratione summi boni sit finis omnium rerum. 325.n3.

Deus vnde habeat virtutem beandi. 524. num. 12.& 13.& 544.n.7.

Deus tunc attingitur vt obiectum beatificum, cũ attingitur, vt est infinite perfectus, & summum bonum fundamentaliter. 544. col.2. in principio.

Deus per intellectum in se ipso attingitur. 587. num.4.

Deus fit nobis præsens præsentia obiectiua per intellectum. 587.n.2.

Deum esse obiectum beatificum, quatenus est bonus: quomodo intelligatur? 587.n.5.

Deus vt est amatus an sit obiectum beatificum totale? 599.ar.5.

Deus in se ipso an sit per se obiectũ visionis beatæ? disputatur. 655.ar 1. Affirmatio est de fide. ibidem.n.2.& 3.

Deum in se ipso esse obiectum beatificum demonstratur. 655.n.4 cum sequentibus.

Deus beatificat sub ratione veri. 656.n.5.

Deus an sit obiectum visionis se solo an simul cũ aliquo bono creato? 656.ar.2. Negatio placet. 657.n.3.

Deus an sit immediatum obiectum visionis beatæ. 658.q.2.ar.1. placet affirmatio. 659.nu. 4. idquè absquè vlla formali ratione obiectiua creata. 659.n.5.

Deum non posse videri immediatè in sua substãtia quidam hæretici dixerunt. 658.n.1.

Deus an sit obiectum visionis beatæ, pro vt in se est realiter existens. Disputatur. 606.ar.2. Affirmatio vera contra nonnullos. 661. num.4.

Deus à quolibet beato videtur totus. 944.num. 12.& 13. videtur etiam à singulis vnus, & trinus. 1041.articul.1. est de fide ibidem n. 1.& est doctrina patrum: 1043.n.5.

Deum videri à beatis sicuti est, quomodo intelligatur? 1042.n.2.& 3.

Deum videns & non amans adhuc esset beatus, 546.n.16.& 17.

DEI COGNITIO RESPECTV SVI.
Deus à suo intellectu vnico tantùm conceptu cõcipitur. 772. n. 47.
Deus in se est quoddam intelligibile actu vnum; virtute tamen plura. ibidem.
Deus an intuatur sua attributa, vt actu indistincta, an verò vt distincta? 799 n. 5. & 804. n. 29. & 30.
Deus cognoscendo se, an faciat distinctionem attributorum, & quomodo? 837. num. 15. 16. & 17.
Deus cognoscendo se cognoscit attributa quæ in intellectu creato actu ratione sunt distincta: contra Bellomontanum. 837. n. 17. & 838. num. 21.
Deus nostro intelligendi modo prius cognouit multiplicitatem imitabilitatis diuinæ essentiæ; quam cognouerit creaturas eam imitantes. 847. n. 54.
Deus in quo sensu cognoscat negationes & priuationes? 855. n. 82. & 83.
Deus sua cognitione an aliquid addat rebus cognitis? 861. n. 101.
DEVS A NOBIS SIMPLICITER cognitus, & amatus.
Deus non ideo inordinatè amatur à nobis, quia amore minus nobili amatur: & quomodo id intelligatur. 396. n. 4.
Deus non potest à nobis obiectiuè apprehendi, nisi per operationem. 462. n. 38.
Deus, vt volitus nobis, habet minus nobilem rationem finalizandi, quam nos: simpliciter tamen nobiliori modo finalizat. 16. ar. 4. n. 5.
Deus vt est volitus nobis minus amatur, quam nos tunc amemur: quamuis simpliciter magis ametur. ibidem. n. 6.
Deus in via non habetur sine amore. 521. n. 2.
Deum à nobis cognosci, & scientia, & ignoratione, quomodo sit intelligendum. Et quænam de Deo ignoratione cognoscamus. 684. num. 9. & 10.
Deum cur concipere non possimus, nisi per distinctas notitias. 761. n. 23.
Deus à nobis vno tantùm conceptu totus concipitur: non tamen totaliter. 772. n. 48. & 49. vnde à nobis concipi non potest nisi pluribus conceptibus. ibidem n. 47.
Deus conceptus a nobis pluribus conceptibus, an ratione distinguatur à se ipso? negant Nominalis, sed reijciuntur. 768. n. 33. & 769. nu. 36.
Vt Deus per rationem distinguatur, an necessarius sit intellectus finitus. 862. n. 104.
DEVS AGENS.
Deus est author omnium rerum. 198. n. 22.
Ad Deum naturæ authorem pertinet omnes res in finem ordinarè. 346. col. 1. in principio.
Deus in genere causæ efficientis non potest se ipso immediatè perficere creaturam. 463. nu. 41.
Dei bonitas an metaphoricè moueat Deum ad agendum. 93. n. 7. & 94. n. 12 & 95. nu. 16.
Deus quando amatur propter se ipsum, non exercet causalitatem finis. 151. n. 33.
A Deo diriguntur, quæ fiunt à natura; non exclusa tamen intelligẽtia. 194. n. 13.
Deus licet se ipso omnia immediatè gubernet: nõ tamen excludit alias causas. ibidem.
Deus quomodo dirigat in finem operationes naturæ. 195. n. 16.
Deus ex sententia Aristotelis an gubernet ista inferiora? 197. n. 20 & 21. & 199. n. 26.
Deus apud Aristotelem non habet curam malorum hominum: sed errauit. 198. n. 22.
Deo an tribuendi sint casus furtuiti apud Aristotelem? 199. n. 26.
Deum naturam dirigere, non tollit, quominus natura possit deficere. 200. n. 30.
Deus ad extra an verè agat propter finem? affirmatur. 206. ar. 1. & §. 2.
Deus agit ad extra per veram causalitatem finalem contra nonnullos. 207 nu. 8. imò per causalitatem finalizantem effectum, quem Deus produxit. 208. nu. 12.
Deum omnia operari propter suã bonitatẽtãquã propter finem, est indubitatũ 208. n. 13. an verò omnia immediatè operetur propter solam suam bonitatem? Dubitatur. 208. n. 15. Plerique affirmant. 209 col. 1. in principio & 211. n. 24. Resolutio. 209. nu. 18. cum sequentibus.
Deus ad extra quam plurima operatur immediatè propter aliquem finem creatum contra nonnullos. 209. n. 18.
Deo non solum diuina bonitas est ratio volendi: sed etiam vna res creata, est ratio volendi aliam 210. n. 19.
Deus ad extra in ordine executionis omnia operaretur immediatè propter aliquem finem creatum. 210 n. 20 in ordine tamen intẽtionis primos effectus immediatè voluit propter suam bonitatem. ibidem. n. 21. 22. & 23.
Deus quonam ordine velit res, & eas exequatur. 211. n. 22.
Deus ad extra operatur propter finem cuius, & cui: creatum & increatum: 212. n. 26.
Deus à se ipso potest moueri ad agẽdũ. 212. n. 27
Deus in ordine intentionis potest moueri à se immediatè: mediatè verò à re creata. 213. col. 1. in principio.

Deus quomodo depẽdeat à fine, propter quem agit. ibidem. n. 29. & 30.
Deus ad intra nec caussalitatem habet finalem: nec motionem metaphoricam contra sõcinatem. 213. n. 31.
Deus ad extra agit propter finem; quanuis à fine nõ moueatur. 213. num. 31. & 214. col. 1. in principio.
Deum agere propter finem, non sui, sed rerum, quas producit quomodo intelligatur? ibidem. col. 1. in medio.
Dei actiones ad extra esse propter finem quomodo intelligẽdum sit. 214. ar. 2.
Dei actio ad extra an verè sit transiens: an immanens? controuersium est ibidem. ar. 2. num. 2. & 3.
Actio Dei ad extra apud Caietanum est formaliter transiens, quanuis maneat in Deo. Vnde materialiter nõ est propter finem, sed tantùm formaliter. Hæc opinio contra nõnullos late defenditur, & explicatur. 215. n 7. & 216. n. 11. & 217. n. 12.
Actio Dei ad extra si manet in Deo, quid nam sit formaliter? 217. col. 2. Est æterna; virtute tamen, & terminatiue est temporalis. 218. num. 15.
Actio Dei ad extra, si vere est transiens, vere est propter finem. 215. n. 4.
Deum ad extra operari actione vere trãseunte nõ vt actione, sed vt effectu, aliqui putãt. 215. n. 6. sed non placet. ibidem.
Deum operari ad extra operatione subiectiue immanẽte; virtute tamen, & productiuè trãseunte, pleriquè putãt. vnde non ponũt actionem mediam inter effectum, & potẽtiam actiuam Dei. 216. col. 1 in principio.
Deus, vt est agens, an habeat caussam finalem. 214. ar. 2. n. 1.
Dei velle practicum quid sit? 218. nu. 13. & 14.
Deus nõ vult hoc propter hoc ex D. Thoma, & quomodo id explicãdum sit. 221. n. 7.
Cur Deus voluerit creare mundum nõ est quærenda caussa. ex Augustino. ibidem.
Deus dum dicitur amare se, & alia propter suã bonitatem; nõ denotatur caussa, sed ratio amãdi. 223. n. 14.
Deus, cum nobiscum agit, an agat propter proximos fines creatos? controuersum. 326. artic. 4. num. 3.
Deus vt prima caussa, quomodo concurrat cum omnibus caussis secundis efficientibus. 326. q. 8. ar. 1. n. 1.
Deus, vt vltimus finis, an concurrat cum omnibus caussis finalibus. 327. q. 8. ar. 1. n. 1. concurrit autem cum omni fine proximo sua bonitate immediatè influendo in omnem actionem humanam, vt est à Deo. Et hæc est opinio D. Thomæ, & Fonsecæ, quidquid nõnulli dubitent. 328. n. 4.
Deus multa proxime efficit propter finem creatum, cum ordine tamen ad suam bonitatem contra nonnullos. 329. n. 5.
Deus actiones etiam moraliter malas propter se ipsum operatur, quatenus sunt entia. ibidem. num. 8,
Deus, vt vltimus finis, non semper concurrit immediatè cum fine proximo ad omnem actionem, vt est ab operante: bene tamen remotè, virtualiter. 330. n. 9.
In Deo datur finis proximus & vltimus. 22. num. 21.
Propter Deum, vt vltimum finem, an omnia appetantur. Disputatur. 324. ar. 3. & 325. n. 6.
Deum nullam rem velle, aut operari propter aliam, velle tamen vt vna sit propter aliam, existimant plures; falso tamen. 537. col. 1. in principio.
Deo maxime assimilamur non per potestatem, sed per bonitatem. 379. n. 13.
Deus quomodo interius loquatur nobis & Angelis. 432. n. 54.
¶ Dij appellantur, qui alijs principãtur; & quare. 536. ar. 5. n. 1.
¶ Deo quare debeatur honor. 362. n. 12.
¶ Dei imagines, & picturæ olim prohibebantur in Ecclesia & ratio huius. 480. n. 10.
¶ Cur propter bonum Dei naturaliter patramur dispendium propriæ salutis. 61. n. 17.
¶ Inter Deum & nos datur vera amicitia, & vera beneuolẽtia. 623. n. 32. ad 7.
¶ Deus est noster finis simpliciter vltimus. 655. n. 3.
¶ Deus potest facere species rerum in infinitum semper meliores. 939 n. 8 & 941. nu. 20.
¶ In Deo duplex ponitur scientia. 372. nu. 27.

DEITAS.

Deitatem & proprietatem Patris constituere essentiam Filij, vt ait Athanasius, quomodo sit explicandum. 1022. nu. 64.
Deitas est Pater, in sensu identico admittitur: nõ tamen in sensu formali iuxta veriorem sentẽtiam. 1041. n. 19.
Deitas in abstracto non supponit pro persona in concreto ibidem.
Deitas est Pater apud D. Thomam dicitur propositio per se: & in quo sensu. 1041. nu. 19.
Tota Deitas apud Dionisyum idem est, quod tota Trinitas & tres personæ. 976. n. 55.
¶ Dierum primorum distinctio ex mente Augustini quomodo sit explicanda. 1113. n. 22.

¶ Diffe-

¶ Differentiam sola ratione distingui à genere, qui affirment: & eum hoc stat, quod habeat rationem actus. 986. n. 96.
¶ Dignitates mundanæ sunt contemnēdæ. 377. num. 5.

DILECTIO.

Dilectio Dei in via est nobilior secundum quid quam cognitio viæ apud Thomistas. 527. num. 3.
Dilectio Dei ex charitate pertinet ad beatitudinem supernaturalem viæ 639. n. 10.
Dilectio Dei in patria an habeat rationem dotis. 532. n. 3.
Dilectio vitiosa non est fruitio, ex Augustino. 297. num. 9.
¶ Dionysius de diuinis nominibus capite. 4. quo modo intelligitur dum ait: diuinam sapientiā coniungere fines primos principijs secundorum. 407. n. 9.
¶ Dispendium vide Damnum.

DISTINCTIO.

Distinctionum genera sūt varia. 694. ar. 2. §. 1.
Distinctio, alia realis, alia rationis. An detur media inter vtranq; disputatur. 695. n. 4. & 5. & 708 §. 2. per totum. Certum est distinctionē modalem esse mediam. 695. n. 5. Distinctio autem formalis in quo sensu sit media? ibidem. n. 6.
Distinctio in communi quomodo sit diuidenda. 697 n. 14.
Distinctio ex an rei in communi quomodo subdiuidatur. 698. n. 16.
Distinctio formalis, atquè rationis, quomodo vtraque subdiuidatur. ibidem.
Distinctionis diuisio in realem & rationis vsurpata est à veteribus; sed semper multas difficultates passa est. 709. n. 19. Vnde varie explicatur: & quomodo admittat mediam. 713. & 714 n. 34. & 35.
Vt quæ distincta sunt simpliciter dicantur plura, quænam requirantur? 734. n. 116.
Distinctio maior vel minor vnde per se sumēda sit. 740. n. 135.
Ad omnem distinctionem semper sequitur aliqua pluralitas: non tamen talis, vt quæ distinguntur simpliciter sint plura. 735. n. 118. clarius. 742. n. 141.
Distingui in aliquis possit ab eo, cum quo realiter identificantur? negant Nominales, sed falso. 764. §. 3. & 778. §. 8.
Distinctio ex se dicit negationem idētitatis. 832. colum. 1.
Non omnis distinctio, quæ est sine intellectu, denotat imperfectionem; imò aliqua denotat sūmam perfectionem. 847. nu. 56.
Distinctio secluso omnì intellectu est duplex: realis & formalis. 973. n. 43.
¶ Ad distinctionem realem rei à re quæ requirantur & sufficiant. 698. §. 2. nu. 19. & 20.
Distinctio realis rei à re vnde sumenda sit. 708. n. 10. 11. & 12.
Distinctio realis inter omnes est maxima. 740. num. 134.
Distinctio realis infert distinctionem formalem & non è conuerso. ibidem.
Ad distinctionem realem plura requiruntur quam ad formalem. 740. n. 134.
Distinctionem realem dari per ea, quæ sunt extrinseca, formalem verò per intrinseca, falsum est. 740. n. 135.
Distingui realiter idem à se ipso quomodo possit. 779. n. 64.
Distinctionem realem in eodem subiecto an faciant duo accidentia. ibidem.
Distinctio realis non ita se habet ad distinctionē rationis, vt distinctio rationis se habet ad realem. 784. n 79.
Distinctio realis simpliciter sumitur pro distinctione rei à re. 974. n. 49.
Sola distinctio realis in diuinis facit quaternitatem: vnde sola ista damnatur in Deo à Concil Lateranēsi. 973. n. 44.
¶ Distinctio rationis quomodo subdiuidatur. 698. num. 18.
Distinctio rationis ratiocinatæ nō coincidit apud Scotum eum non identitate formali. 704. num. 14.
In distinctione rationis, vt condiuiditur à reali, quomodo sumatur nomen, ratio. 709. n. 20. & 711. n. 25.
Distingui ratione an idem possit à se ipso? negāt Nominales; reprobantur; & quomodo id debeat intelligi. 779. n. 62. & 63.
Distinctio rationis non ita se habet ad realem, vt realis ad ipsam. 784. n. 79.
Distingui ratione, an aliquid possit ab eo, cum quo realiter identificatur? falso negant Nominales. 764. §. 3. & 778. §. 8.
Vt aliqua distinguantur ratione, necesse est, vt extrema concipiantur: non tamen vt concipiatur distinctio illorum. 784 n. 80.
Distingui ratione quidnā sit? 769. §. 6. & 770. n. 39. & 40. & 771. nu. 42. Nihil enim est aliud, quam distinctio caussata per operationem rationis siue intellectus. 770. n. 40.
Distingui ratione non denotat principium formale intrinsecè distinctiuum: sed solum denotat principium effectiuum. 771. n. 44.
Distinctio rationis maior est, & minor in propriè genere. 786. nu. 10.

Distin-

Distinctio rationis satis est, vt contradictoria de sinat esse talia. 787. n. 12.

Distinctio rationis ratiocinatæ, & ratiocinatis est admittenda 788. ar. 9. §. 1. & 789. num. 4. & 5. & 790. n. 8.

Distinctio rationis an semper habeat fundamentū in re; an verò aliqua fundetur in solo nostro modo concipiendi. 788. §. 1. n. 2. & 790. n. 8.

Nihil distingui posse ratione à se ipso affirmat Bellomontanus, sed falsò. 788. nu. 3. & 4. & 789. n. 6. & 790. n. 7.

Distinctio rationis an absolutè loquendo dari possit sine ordine ad aliquam distinctionem realem? Disp. 820. & 821. Affirmatiua placet.

Distinctio rationis ratiocinatis immediatè non sumitur ex distinctione reali; sed ex distinctione quorundam modorum essendi, quos res habet per intellectum. 822. col. 1.

Distinctio rationis ratiocinatæ, non necessariò sumitur ex aliqua distinctione reali. ibidem. n. 30. & 31.

Eistinctio rationis ratiocinatis non solùm dari potest in entibus realibus, sed etiam in entibus rationis. 822. col. 1. n. 30.

Dstinctio rationis non ita se habet ad distinctionem realem, vt se habet ens rationis ad ens reale. ibid. n. 32. & 33.

Distinctio rationis in re, quæ est vna, & simplex, non necessariò requirit habitudinem ad plura realiter distincta: nec in creatis necessariū sit in ordine ad distinctionem realem. 823. n. 34. & 35 & 843. n. 38. & 847. n. 54.

Distinctio rationis, siue sumatur fundamentaliter, siue formaliter, nūquam est denominatio extrinseca, sed concipitur, vt forma intrinseca contra nonnullos. 831. n. 22.

Distinctio rationis fundamentaliter sumpta est negatio identitatis in esse rationis, quod extrema distincta asequuntur. 831. n. 23.

Distinctio rationis ex sua natura nullam imperfectionem includit. 861. n. 102. nec etiam requirit conceptum inadæquatum rei, quæ distinguitur. Nec deniq; requirit pluralitatem conceptuū formaliū; bene tamē obiectiuorū. ibid.

Distinctio rationis ex suo genere est vera distinctio; quamuis inter distinctiones sit infima. 861. n 103.

Distinctio rationis quādo actualiter detur in intellectu. ibid.

Distinctio rationis inter attributa quomodo fiat ab intellectu diuino. 859. n 97.

Distinctio attributorum. Vide. Attributa.

Distinctio rationis inter essentiā & personas non tollit simplicitatē diuinæ personæ. 961. nu. 10.

Distinctio rationis satis est, vt extrema cōtradictoria verificētur de eodem. 989. num. 106.

Distinctio rationis an detur inter essentiam, & relationes. Vide essentia, & relatio.

Distinctio rationis inter essentiam, & attributa, & inter attributa inter se; an detur; & à quo fiat vide essentia, & attributa.

Nulla distinctio rationis in diuinis fieri potest sine vllo ordine ad distinctionem, quæ est in creaturis, plures affirmant. 1003. num. 2. & 1005. n. 14. sed oppositū veri. 1005. n. 15.

¶ Distinctio ex natura rei diuiditur in realē, & formalē. 812. n. 4. & 698. n. 16. & 17.

Distinctio ex natura rei formalis diuiditur in actualem, & virtualē. 698. n. 17. & 812. n. 4.

¶ Distinctio formalis in quo sensu sit media inter realem, & rationis. 695. n. 6.

Distinctio formalis apud Scotistas datur ante omnem actum intellectus; late id explicatur. 695. & 696. & 697.

Distinctio formalis quomodo subdiuidatur. 698 n. 17. diuiditur in actualem & virtualē. ibid. & 812. num. 4.

Distinctio formalis an inferatur ex non identitate formali. 703. n. 10. & 11.

Ad distinctionē formalē actualē quid requiratē apud Nominales: impugnātur tamē. 707. n. 7

Distinctio formalis actualis nō necessariò tollit sūmam simplicitatē à Deo. 723. n. 82. & 724. num. 85.

Distinctio formalis ex natura rei an sit maior quam realis? negatiua placet. 738. n. 128. & 740 n. 134. & 135.

Distinctionem formalem solum dari per intima rei, falsum est. 740. n. 135.

Distinctio formalis non est relatio, sed fundamētum relationis. 741. nu. 138.

Distingui formaliter, quæ sūt idem realiter, non implicat contra Bellomontanum. 744 n 148.

Distinctio formalis non satis est, vt aliquid sit vera forma eius, quod distinguitur: nec vt exerceat caussalitatem formalem: ad hæc enim requiritur distinctio realis. 751. n. 164.

Distinctio formalis ex natura rei, siue actualis, alia est à distinctione virtuali. 965. n. 6.

Distinctio formalis positiua an coincidat cum non identitate formali. 965. n. 7. & 8.

Distinctio formalis ex natura rei, siue actualis non tollit realem identitatem in diuinis. 974. n. 46. & 47. nec etiam aufert à distinctis infinitatem sui generis. 976. n. 54.

¶ Distinctio virtualis quibus nominibus appelletur. 759. §. 3. 995 col. 1. n 5.

Distinctio virtualis prius natura est talis, quam illi conueniat aptitudo ad fundandam distinctionem rationis. 812. numer. 2. &

Distinctio virtualis non accommodatè enumeratur inter distinctiones rationis. 1000. nu. 29.
Distinctio virtualis inter perfectiones diuinas varie explicatur à Theologis. 998. §. 3. Vera explicatio. 999. nu. 24.
Distinctio virtualis in diuinis non est extrinseca denominatio. 946. n. 19. & 20.
Distinctio virtualis satis est, vt voluntas Dei in sua operatione supponat operationem intellectus. 806. n. 38.
Distinctio virtualis inter attributa nõ satis accõmodatè dicitur distinctio rationis. 812. nu. 3.
Distinctio virtualis in Deo, nõ ideo dicitur virtualis, quia virtute cõtinet perfectiones creatas realiter distinctas. 813. nu. 5. & 6. Vera ratio huius denominationis. ibid. §. 2. n. 9.
Distinctio virtualis conuenit Deo cum ordine ad intus. 814. n. 10.
Distinctio virtualis inter diuinas perfectiones nõ sulùm cõuenit Deo secluso omni intellectu, sed etiã secluso omni ordine ad intellectũ. ibi.
Distintio virtualis in Deo nostro intelligẽdi modo admittẽda est in aliquo signo priori, in quo nondum intelligatur ordo ad distinctionem rationis. 814 n. 11.
Distinctio virtualis inter attributa, & essentiam à quibus ponatur. 759. §. 3.
¶ Distinctio diuinarum perfectionum. Vide Essentia, & Attributum.
¶ Distinctio emanationum. Vide emanatio.
¶ Distinctio actualis sine intellectu inter essẽtiam, & relationes tribus modis explicatur, & tertius eligitur. 966. §. 2.
¶ Distinctio conceptuum. Vide Conceptus.
¶ distinctio obiectorum. Vide Obiectum.
¶ Diuersum esse ratione non solùm conuenit enti rationis, sed etiam reali. 784. n. 79.

DIVES, ET DIVITIÆ.

Diuites, vt plurimum sunt contumelioſi, & superbi. 358. n. 11.
Esse diuitem potius consistit in vtendo diuitijs, quam in possidendo. 359. nu. 12. col. 1.
Diuitiæ sunt duplices: naturales, & artificiales. 356. n. 2.
Diuitiæ sua natura nõ sunt malæ contra Manichæum. 356. n. 3. sunt tamen occasio malorũ, potius quam bonorum. 358. n. 11.
Diuitiæ non habent rationem boni nisi vtilis, & ad aliud. 359. n. 13. Nec enim quærũtur gratia sui sed propter aliud ex Aristotele. 357. num. 7.

DIVINVM.

Diuina licet imperfectè concipiãtur à nobis; nõ tamen falso concipiuntur. 864 n. 5.
In diuinis prædicari substãtialiter ex Augustino idem est quod prædicari absolutè. 1014. num. 32.
In diuinis apud Augustinũ idem est esse, & esse a se; prout esse à se condistinguitur ab esse ad aliud. 1015. n. 36.
In diuinis inter prædicari substãtialiter, & secũdum accidens, datur modus prædicandi relatiuè, ex Augustino. 1014. n. 32.

DOLOR.

Dolori quomodo opponatur delectatio. 392. num. 26.
Dolor non potest esse summum malum. ibidem.
Dolor sensitiuus duplex est: exterior, & interior. 393. col. 1. n. 26.
¶ Dominatio. Vide Potestas.

DONVM.

Donum creationis. Vide. Creatio.
Dona Spiritus Sancti versari possunt circa eadẽ obiecta, & circa eandem materiam, circa quam versantur virtutes Theologicæ. 638. num. 7.
Donum intellectus versatur circa ea, quæ fidei proponuntur; similiter & donu sapiẽtiæ. ibid.
Dona Spiritus Sancti an sint necessaria ad salutem, & vt in via simus filij Dei? & quomodo id, intelligatur. 638. num. 8. & 639. num. 9. & 10.
Dona Spiritus Sancti apud quosdam non sunt habitus distincti à virtutibus infusis: nõ audiũtur: quo autem modo ab illis distinguantur? 639. n. 9.
Dona Spiritus Sancti ex parte intellectus an includantur in beatitudine supernaturali viæ. ibidem. n. 9. & 10.
Dona Spiritus Sancti, quæ comitantur intellectũ speculatiuum, nõ distingũtur à fide. 639. n. 5.

DORMIENS.

Dormientes operantur intellectu, & volũtate. 228. §. 2. n. 6.
Dormiens habilior est, vt à Deo, vel ab Angelo illustretur. ibid.
Dormiens, si libertatem habet, agit propter finẽ: nõ tamẽ perfectè. 232. n. 19.

DOS.

Dotes in patria dantur propter beatitudinem; sed ratio dotis non est essentialis beatitudini. 512. n. 22.
Dotis rationem an habeat dilectio in patria. 532. n. 3.

Litera E.

¶ Ebrius, qui scit se in ebrietate alios occidere, si aliquem occidat, interpetratiuè voluit homicidium. 248. n. 18.

EFFECTVS.

Effecta actionũ extrenarum an sint effecta causſæ finalis? 128.ar.5.affirmatio vera. 129.n.2.Et quomodo finis in ea influat. ibid.nu.3. & 130.n.7.& 243.n.12.

In effecta actionum externarum finis nõ influit mediante actione agentis, ſed ſolum ea comitante contra nonnullos. 129.num.4 & 130.n.5.

Effectus actionis & ipſa actio eſt vnum obiectũ cauſſæ finalis.130.n.7.

Effectus cauſæ non proinde deſinit eſſe illius effectus,quod in vltimo inſtanti, in quo primo eſt, iam non ſit ipſa actio,& ratio huius Philoſophiæ.134.n.13.

Ad vnum numero effectum an plures cauſſa totales poſsint concurrere.283.nu.8.

Effecta extrema circa executionem mediorum ſunt propter finem.242.n.10.

Effectus non neceſsariò eſt minus nobilis, quam cauſſa æquiuoca, quando illa eſt partialis. 623.n.31.

¶ Efficiens determtnatur à fine ad producẽdũ potius hoc,quam illud.53.n.13.

ELECTIO.

Electio, vbi ſunt plura media,eſt illius medij, quod eſt magis conueniens ad conſequẽdum finem.47.n.17.

Ante electionem debet præcedere iudicium.72. num.24.

Electionem quãdo antecedat imperium,& quãdo eam ſequatur.123.n.2.& 3.

Electio an diſtinguatur ab imperio voluntatis. 123.n.6.

Electio eſt propter finem. 138.ar.2.num.2.& 241.n 4.

Electionem cauſsari ab intẽtione finis in genere cauſſæ efficientis;probabile.139. nu.4.

Electio vnici medij nõ eſſet propter finem,ſi finis. neceſsariò appeteretur.240.n.16.

Electio eſt principium ſcientiarum actiuarum. 567.n.20.

¶ Eleemoſyna paupere facta intuitu miſericordiæ,interpretatiuè eſt ꝓpter Deũ.319.n.18.

¶ Emanationum diuinarum realis diſtinctio nõ fundatur in diſtinctione intellectus,& volũtatis:& vnde ſumãt realem diſtinctionem? 809.n.48. ad earum tamen formalem diſtinctionem requiritur diſtinctio inter intellectũ & volũtatem:nõ actu,ſed virtute.ibidem.

Emanationum diſtinctio ſupponit diſtinctionem intellectus,& voluntatis 846.n.52.

Emanationes diuinas immediatè eſſe per naturam,non verò per intellectum,& volũtatem eſt pluſquam falſum.847.col.1.n.53.

¶ Eminenter tale quot modis dicatur. 573.nu. 48. Quæ ſunt eminẽter talia per eſſentiam quando poſsint eſſe talia formaliter.ibid.

ENS.

Ens tranſcendentaliter ſumptum non dicit eſſentiam,& quidditatem.963.n.42.

Nullum ens dari poteſt, quod alicui non ſit bonum.183.n.2.

Ens, vt ens eſt,non poteſt eſſe ratio volẽdi.184. col.1.n.4.

Ens aliud,& aliud non neceſsariò datur,vbi datur alia, & alia quidditas. 972.n.40.

¶ Entis diuiſio in reale, & rationis non eſt ſalius nominis. 855.n.81.

Entis diuiſio in reale,& rationis an ſit immediata.714.n.39.

Ens dicitur ab actu eſſendi.734.nu.114.

Omne ens eſſe,vel reale, vel rationis in quo ſẽſu ſit admittendũ.711.n.27.& 733.n.112.

¶ Ens reale,vt diſtinguitur ab ente rationis,eſt duplex.715.n.41.

Plura entia in rebus creatis an admittenda ſint inter ea, qua formaliter diſtinguntur. 735. num.118.

¶ Ens rationis aliquando ſumitur, pro eo quod in intellectu habet aliquod eſſe rationis; licet ſit ens reale.782.n.73.

Ens rationis, vt diſtinguitur ab ente reali, quid ſit? 783.n.77.

Ens rationis propriè ſumptum non poteſt affici aliquo ente reali:ens tamen reale poteſt affici ente rationis.ibidem.

Ens rationis poteſt ratione diſtingui à ſe ipſo; nõ tamen realiter. 784.n.78.

Ens rationis non ita ſe habet ad ens reale,vt diſtinctio rationis ad diſtinctionẽ realem.822. n.32.& 33.

Ens rationis poteſt fundari tum in ente reali, tũ in ente rationis.823.n.33. in fine.

Ens rationis non eſt aliqua extrinſeca denominatio,ſed intrinſeca:maximè ſi eſt ralatio rationis.832.n.24.

Ens rationis eſſe quoddã genus entis diſtinctum ab ente reali;omnes affirmant. 839. col.1. n.21.in fine.

Ens rationis ab intellectu fieri apud quoſdam nõ eſt aliud quam ens rationis obiici intellectui ab eoque intelligi. 842.n.32.

Ens rationis eſt triplex, & diſcrimen inter illa. 853.n.77.& 857 n.87.

Ens rationis logicum eſſe ens per intellectum cõfictum,eſt falſum.854.nu.78.& 79.

Entia rationis logica ſecundum quoſdam prius ſunt in rebus intellectui obiectis, quam in ſe ipſis cõcipiantur.855.nu.81.

Entis rationis diffinitiò à quibusdam allata nõ est recipienda.860.n.99.

Ens rationis non fieri nisi concipiendo per modũ entis id, quod non est ens, est falsum. 859. num 98.

Ens rationis an possit formari ab intellectu diuino? 853.9.7.& 854.n.78.

Ens rationis an possit habere caussalitatem finalem. 64.n.28.

¶ Ens est primum prædicatum quidditatiuum Dei & constitutiuum diuinæ essentiæ. 639. num.3.

Ens non est enumerandum inter attributa diuina 678.ar.5 n.2.

Plura entia, saltem relatiua, possunt admitti in diuinis ibidem & 735.n.117

¶ Ens actu nihil potest essentialiter esse, nisi solus Deus: & quomodo id intelligatur. 906. num. 13.

ENTITAS.

Entitas rei prius concipitur, quam concipiatur perfectio & bonitas illius: vnde semper cõcipitur per modum substantiæ,& subiecti,& vt primum fundamentum quasi per se subsistẽs. 9 num.21.

In entitate cuiusquè rei fundatur quædam passiua conuenientia,vt perficiatur perfectionibus sibi debitis.10 num.22. Et hæc est bonitas absoluta.ibidem.

Entitas prima cuiusquè rei dicitur quidditas & natura illius.664 col.1..n.1.

Entitas an multipliciter multiplicata formalitate,736.n.120.

Entitas an sit quod superius ad formalitatẽ ibid.

Duplex entitas distinguenda est in quolibet ente:vna prima & velut fundamentalis; altera secunda: & quid interssit inter vtranquè. 922 n.45.

Entitas diuina concipi non potest non concepta sub aliqua perfectione.772.n.48.

Entitas diuina duobus modis potest considerari: adæquatè scilicèt,in sua veluti totalitate: aut inadæquatè sub aliqua scilicet particulari ratione.1010.col.1.n.15.

Entitas diuina ita est vna,vt etiam sit trina:non tamen ter vna.ibid.

Entitas diuina considerata sub ratione absoluta, qua est essentia, & natura,essentialiter non includit relationes.late probat.1011.n.20.

¶ Enunciatio mentalis an diuidenda sit in exprehensiuam,& indicatiuam,tanquam in mẽbra realiter distincta? Dubitatur. 559.ar.4. num 1 & 2.

¶ Epicheia interpretatiuè colligit voluntatem principis.248. n.19.

¶ Epicurus an egerit de voluptate animi an de sensitiua, quando posuit beatitudinem in voluptate.399.ar.5.& 389. col.2.

ESSE

Esse ab omnibus summè appetitur.381.nu.1.& cur summè appetatur.383.n.8.

Esse melius est,quam viuere ex Dionysio.debet tamen bene explicari. 381 ar.2. num.1.& 383 n.8.

Esse participatum eò est imperfectius, quò vniuersalius:secus dicendum est,de esse quod secundum essentiam est esse. 383.n.8.

Esse diuinum secundum nostrum modum intelligendi minus nobile est, quam cæteri modi essendi,qui sunt in Deo. ibid.n.8.

Esse intelligibile an sit admittendum præter esse naturale.421.num.12.& 422.num. 19.& 423.n.20.

Esse cognitum rei distinguitur ab esse proprio illius.80.n 9.

Esse cognitum non concurrit ad caussalitatem finis vt principium formale,sed vt principium sine quo non.81.n. 12.

Esse cognitũ an per se variet obiectũ appetitus? 83 col.1.n 21.Negatiua placet.85.n 30.

Esse cognitum formalis obiecti non concurrit ad finalizandum, nec ad specificandum actum, vt ratio obiectiua,sed vt conditio. 84.nu.29. nec oppositum docuit D.Thomas.87.nu. 40. An verò concurrat vt pura conditio? 83 nu. 43.cum sequentibus.

Esse cognitum per sensum vel intellectum non se habet omninò per accidens respectu appetibilis.86.n.34.

¶ esse reale existentiæ.Vide.Existentia.

¶ Esse diuinæ essentiæ.Vide. Essentia diuina.

¶ Esse essentialiter tale ex se non denotat perfectione simpliciter:& ratio huius. 895.n.61.

ESSE IN REBVS.

Esse in rebus per essentiam,tanquam caussam essendi,soli Deo conuenit.444 n.4.

Esse in rebus quot modis conueniat Deo.ibidem. num.5.

Esse in rebus per gratiam & gloriam atquè per vnionem hypostaticam soli Deo cõuenit ibid. n.4.& 5.

ESSENTIA PRO QVIDDITATE.

Essentia duobus modis sumitur: vno modo pro substantia,siue natura; alio modo pro ratione formali,quæ diffinitione explicatur, & dicitur quidditas.1021 n.61.

Essentiæ propriè loquèdo quid sit? dicitur quidditas rei,natura,& ratio.664.n.1.& 2.

Essentia respectu existentiæ dicitur natura. ibidem.n.2.

Ad essentiam cuiusquè rei, quænam prædicata conueniant? ibidem.n.3.
Quæ dicantur alicui conuenire per essentiam. 665.n.5.
Vt aliquid sit de essentia id est quidditate alicuius, quid requiratur. 900.n.13.
Quæ se essentialiter includũt, an possint esse formaliter idem. 1018.n.48.& 49.
Esse de essentia alicuius, & esse idem essentialiter cum illo, nõ est omnino idem. 900.n.13.
ESSENTIA DIVINA.
Essentia diuina, vt illabens animæ, an sit nostra beatitudo. 414.ar.1.
Essentia diuina non potest esse actus substantialis corporis, nec vita substantialis illius. 421.n.15.& 425.n.27.
Essentia diuina quomodo vniatur intellectui beati, vt species intelligibilis. 469.nu.68.
¶ Essentiam realiter distingui ab attributis nõ nulli hæretici dixerunt. 699.n.21.& 22. late ibi impugnantur. §.3.
Essentiam realiter distingui ab attributis, simpliciter non est asserendum. 733.n.112.
Inter essentiam & attributa non datur relatio realis. 733.n.113.
Essentia, an ante omnem intellectum ex natura rei actu, & formaliter distinguatur ab attributis? late disput. 701.ar.3. affirmãt Scotistæ. ibi §.1. vbi ponuntur argumenta.
Essentiam ex mente Scoti potius esse non idem formaliter cum attributis, quam esse ab illis formaliter actu distinctam; Dixit Herrera sed reijcitur. 702.num.9. cum sequentibus.
Essentiam ante intellectum actu non distingui formaliter ab attributis, qui dixerint. 704.§.2. per totum.
Essentia an actu formaliter distinguatur ab attributis? resoluitur. 705.§.3. quoniam affirmatiua est minus probabilis, licet sine periculo fidei defendi possit. ibid.& latius. 705.ar.4.
Essentiam formaliter actualiter distingui ab attributis, defendi posse sine periculo fidei, latissimè defenditur 705.ar.4. vsque ad ar.5. pag.752.
Essentiam actu formaliter non distingui ab attributis, longè est verius. 752.ar.5. vbi vide verum huius opinionis fundamentum.
Essentia an aliquo modo distinguatur ab attributis ante omnem operationem intellectus? late disputatur. 755.ar.6. Quidam negant: quorũ argumenta ponuntur ibidem §.1. Affirmatio est vera & cum patribus magis consentiens. 756.§.2.& 759.§.3.
Essentia an actu ratione distinguatur ab attributis? late disputatur. 162.ar.7. Negant Aureolus, & Nominales, quorum argumenta ponuntur. §.1.2.3.& 4. Affirmatio verissima. 766.§ 5. per totum.
Essentia an sola ratione distinguatur ab attributis? Disp. 785.ar.8. Negant Scotistæ: sed verius affirmatur. ibid §.1.& 2. si de distinctione actuali distinguatur.
Essentia an distinguatur ab attributis ratione ratiocinante, an ratiocinata? 788.ar.9.
Essentiæ & attributorum esse vnam formalitatem an sit verum? 716.n.46. vsque ad 60.
Essentia diuina an possit habere vnam rationem formalem cum attributis? 724.n.84.& 85.& 753.nu.3.
Essentia an quidditatiuè & diffinitione distinguatur ab attributis, etiam apud Scotistas, dubitatur. 735.n119.
Essẽtia diutna ex Augustino, & Dionysiovna est & multiplex perfectione. 760.n.17.& 18.
Essentiæ diuinæ simplicitas an tollatur ex opinione Scoti? late. 722.§.4.
Essentia diuina an secundum se dici debeat sapiens. 730.§.5.& inferius.n.103.
In essentia diuina duplex perfectio est distinguenda: vna primaria & radicalis, alia secũdaria, & veluti adiacẽs, idque apud Scotistas. 732.n.108.
In essentia diuina duplex etiam distinguenda est entitas. ibid.
Essentia diuina sumpta secundum se, in quo sensu sit perfectissima. 732.n.109.
Inter essentiam, & attributa quomodo sine intellectu detur ordo. 787.n.11.
Essentia virtualiter est prior attributis, tãquam quid illis præsuppositum. ibidem.
Essentia diuina, vt practicè imitabilis, est ratio Ide alis, quã diuinus intellectus attẽdit vt res producat: at verò vt est imitabilis speculatiuè est ratio repræsentatiua creaturarum in esse possibili. 847.n.54.
Essentia diuina pro illo priori in quo antecedit creaturas & emanationes personales, habet fundamentum, vt per intellectum saltem diuinum distinguatur. 845.n.47.
Essentia diuina, quanuis à parte rei sit actu indiuisibilis: potest tamen per intellectum diuidi in plures res obiectiuas. 781.numer.70.& 71.
¶ Essentia diuina concipi potest, vel sub confusa ratione essentiæ, vel sub aliqua particulari ratione. 868.n.20. priori modo essentialiter includit attributa. 869.nu.21.& 22.
Essentia diuina indeterminatè, & cõfusè sũpta est formaliter idẽ cu omnibus suis prædicatis

sumptis,& collectiuè & diuisim.872.n.31.
Essentiæ diuinæ completa diffinitio quæ sit? 870 num.25.
Essentia à nobis concepta quomodo abstrahat ab attributis 872.n.32.873.n. 33.34.& 35.
Essentiam esse ens à se,& esse ens secundum essentiam infinitum,an inferat essentiam essentialiter esse quidquid est. 875.nu.42.& 43.
Essentia diuina,in quo sensu sit infinitè perfecta: & includat omnem perfectionem simpliciter.878.n. 52.
Essentia,vt est à parte rei,an essentialiter includat attributa? Disputatur. 879.ar.2.§.1.& 2.& 883.§.3.& 884.§.4 & 886.§.5.
Essentiam sub ratione formali essentiæ virtualiter distingui ab attributis,quomodo sit explicandum? 885.n.31.
Essentiam sub ratione essentiæ formaliter non esse sapientiã,in quo sensu sit verũ? 886.nu.33.
Essentiam in se essentialiter includere attributa, an dixerit D.Thomas.886.n.35.& 887.n. 36.& 37.An etiam colligatur ex Patribus? 887.num.38.
Essentia diuina in quo sensu contineat relationes? 894.col.1.nu.58.
Essentiam diuinam essentialiter non includere existentiam aliqui existimant,oppositum verius.896.n. 67.
¶ Essentia,vt à nobis concipitur an sit de essentia attributorum? 897.ar.1.per totum.
Essentia non est de conceptu quidditatiuo attributorum, si attributa ponantur esse de cõceptu quidditatiuo essentiæ. 899.n.9.
Essentia sumpta sub aliqua determinata ratione essentiæ v.g. sub ratione substantiæ, vitæ & cætera nõ est de quidditatiuo cõceptu attributorum: concepta tamen absolutè sub ratione confusa adæquata est idem essentialiter cum attributis, non tamen de essentia illorũ.900. col.1.conclusione 1.& nu.13.& in hoc sensu nõ est formaliter distincta ab attributis.902. num.21.
Essentia diuina,vt essentia quid reduplicet? 902 num.21.
Essentia diuina vt in se est à parte rei, an sit de essentia attributorum? late disputatur. 903. ar.2. Affirmatio quibusdam placet.ibidem. §.1.negatio eligitur.904.§.2.& 905. nu.9.
¶ Essẽtia sine omnib' attributis an possit naturaliter videri à beato? 949.ar.3.quid de potẽtia diuina? 950.ar.4.& 953.n.19.& 954.n.23.
Essentia sine omnibus attributis nõ potest videri visione beatifica.954.nu.21.
Essẽtia sine attributis habet rationẽ obiecti visibilis,nõ tamen obiecti beatificatiui. 954.n.22.
¶ Inter essentiam & personas an detur aliqua distinctio. 959.ar.1.& 960.nu.6.
Essentia in quo sensu non faciat numerum cum personis.961.nu.11.
Essentia realiter non distinguitur à personis aut relationibus cõtra errorẽ Gilberti.962.ar.2.
Essentia,an formaliter actualiter sublato intellectu distinguatur à personis? Disp.late. 964. art.3.qui affirmauerint referuntur. §.1.& Scotum id probasse ostenditur.ibidem.n.2.& 3.argumẽta huius opinionis ponũtur.967.§.3.
Essentiam à personis sine intellectu actualiter non distingui qui affirmauerint. 969.col.1. n.23.& 24.
Essentiam sine intellectu actu nõ distingui à relationibus verissimum est: sed opposita sentẽtia nihil habet periculi in fide.969. n.25.& 987.§.9.Hæc opinio defenditur ab argumẽtis Valentiæ.969.§.5.& ab argumentis Bellomontani.977.§.6.& ab argumentis doctissimi Suarij.981.§.7. Denique ab argumẽtis Molinæ.985.§.8. vbi soluuntur argumenta Scoti.988.§.10.
Essentia & relatio apud quosdam nõ distinguũtur per aliam & aliam quidditatem; sed per aliam,& aliam rationem formalem. 972.n. 39.id late explicatur. ibidem.nu.39.& 40.
Essentia & relatio sunt plura obiecta formalia: non tamen plures quidditates apud quosdam ibidem. quorum opinio explicatur.
Essentiam realiter differre à personis,aut distinctione reali, non est simpliciter asserendum. 974.n.48.& 49 sicut etiam cauenda est locutio quod essentia sit alia res à relatione. 975.nu.50.
Essentia eminenter habet esse relatiuum non verò formaliter.Et in quo sensu id sit intelligendum? 976.n.54.
Essentiam a relationibus ex natura rei non distingui an colligatur ex Anselmo? 977.n.61
An etiam colligatur ex diffinitione Eugenij in Concilio Remensi? 979.n.66.an etiam deducatur ex Tridentino,Florentino,& Remensi? 981.n.76.vsque ad 80.
Essentia an sola ratione actu distinguatur à relatione? Disp.991.ar.4.qui id affirment? ibid. n.4. quod confirmant ex Athanasio Damasceno,& Florentino.992.n.6.
Essentia an secluso omni intellectu aliquo modo distinguat à relatione? Disp.993.ar.5. Negãtes referũtur §.1. Affirmatio eligitur.994.§.2.
Inter essentiam & relationes datur distinctio virtualis late ostenditur. 994.n.5.
Essentiam aliquo modo distingui à relationibus non sola fides nos cogit asserere contra

Nomi-

Nominales. 1053. num. 39. & 1054. n. 41.
Essentiæ, & relationis distinctio habet fundamentum in re. 995. n. 6. 7. & 8.
Essentia magis distinguitur à relationibus, quã ab attributis, 996 n. 10.
¶ Ad essentiæ, & relationis distinctionem vnde moueatur noster intellectus? 997. n. 15.
Essentiã à relatione, an distinguant beati? 1000. ar. 6. & 1001. n 6. & 7.
An eam distinguat diuinus intellectus? 1002. ar. 7.
Essentiæ, & relationis distinctio an possit fieri sine ordine ad creaturas? 1002. ar. 8. Affirmatur. Ibid. etiam in diuino intellectu. 1003 §. 2. nu. 5. & an eam faciat independenter à distinctione personarum? 1005. §. 3.
In essentia diuinus intellectus inuenit sufficiens fundamentum, vt eam distinguat à relationibus. 1004. n. 11.
Essentiam à relationibus an, & quomodò distinguat viator? 1006. §. 5.
¶ Essentia an in suo essentiali conceptu includat relationem disp. 1006. q. 13. ar. 1. Qui affirment; & quibus argumentis? 1007. §. 2. Qui verò negent? 1008. §. 3.
Diuina essentia considerata in sua adæquata veluti totalitate, & integritate essentialiter includit personas, & relationes personales. 1011. §. 4. n. 19. secus verò si consideretur sub ratione absoluta, sub qua est essentia, & natura. ibid. n. 20.
Essentiam essentialiter includere relationes, an sufficienter deducatur ex Boetio? 1013. n. 30 & 1014. n. 31. & 32.
An etiam bene deducatur ex Augustino? ibid. n. 33. cum sequentibus.
Essentiam essentialiter non includere relationes ex quibus Augustini locis efficaciter probetur. 1015. n. 38.
Essentia relationes essentialiter nõ includit, etiã si sumatur, vt est à parte rei. 1016. n. 40.
Quæ de essentiæ, & relationum distinctione à Conciliis, & Patribus dicuntur, verè conueniunt illis, vt sunt à parte rei. ibid.
Ad essentiam relationes extrinsece pertinere; quomodò intelligatur? 1017. n. 43.
Essentia necessariò est Pater; non tamen essentialiter. Ibid. n. 44.
Essentiam ex se subsistere, quomodò sit intelligendum? 1017. n. 46.
Diuina essentia essentialiter est personabilis, quanuis essentialiter non includat personam. ibidem.
Essentia, vt est in se an possit essentialiter aliquid includere, quod non includit, vt concipitur à nobis, & è conuerso. 1007. n. 3.
¶ Essentiæ nec explicitè, nec implicitè includitur in cõceptu quidditatiuo relationis. 1036. num. 55.
¶ Essentia, & relatio in concreto de se mutuò prædicantur, etiam in sensu formali. 1036. art. 3. §. 1. etiam si relatio sumatur pro persona. ibid.
Essentia, & relatio in abstracto, an de se inuicẽ prædicentur: in sensu ne identico, an etiam in formali? disputatur. 1039. §. 3. Et an essentia in abstracto prædicetur de relatione in concreto, & è conuerso? 1040. §. 4.
¶ Essentiæ visio: vide Visio essentiæ.
¶ Tota essentia diuina reperitur in tribus personis: & in quo sensu id sit explicandũ. 1011. n. 23. 24. & 25.
Essentia quanuis sit in se singularis: personæ tamen concipiuntur ad modũ inferiorum: imò ipsa communitas essentiæ, apud quosdam aliquo modo denotat vniuersalitatẽ. 1013. n. 29
Essentiam esse cõmunicabilem tribus personis, & esse constituibilem in esse personali trium personarũ, idẽ est contra Barbes. 1016. n. 41
Essentiam diuinã esse in tribus personis, non idẽ est, quod eam esse tres personas. 1020. n. 54.
Essentiam diuinam esse in tribus personis quidnam sit? ibid. n. 55.
Essentiam esse communicabilem tribus personis est de illius quidditate: esse tamen actu terminatam tribus personis est quidam modus essentialis illius. ibid. n. 56.
Essentiæ identitas cum Trinitate personarum in quo sensu sit maior, quàm identitas hominis cum animali. 1021. n. 59.
Essentia diuina essentialiter includitur in singulis personis. 1023. ar. 2. n. 2.
Essentia, & relationes habent aliam, & aliam rationem. 1026. n. 16.
Essentia & relatio sumi possunt velut sunt nomina primæ intentionis, vel secundæ, idque apud Henricum. ibid. n. 19.
Diuina essentia non ita se habet, ad omnia diuina; sicut se habet ens ad omnia entia contra Torres. 1032. n. 37.
Vna tantum essentia admittitur in Deo, si essẽtia idem est, quod natura: plures verò, si essẽtia idem est quod quidditas, & ratio formalis. 1035. n. 50.
Essentia vt concurrit vt species intelligibilis, vel vt obiectum, concurrit non vt voluntas, sed vt natura. 1057. n. 58.
Essentiam diuinã quænam prædicata constituãt 664. ar. 3: & quomodò huius generis prædicata sint venanda? 665. §. 1. n. 1.

Essentiæ diuinæ nomine quid sit intelligendum. 663. ar. 2. & 664. n. 4.

Essentia diuina essentialiter sibi vendicat, & quidditatiuè esse substantiam spiritualem, & viuentem. 666. n. 6.

Essentia diuina an vltimo constituatur in esse essentiæ per gradum essendi vitæ spiritualis, & immaterialis. 671. n. 27.

Essentia simpliciter prolata in diuinis sumitur pro natura diuina, & non pro ratione formali. 1022. col. 1. n. 61.

Essentia idē est quod natura, & quidditas. 972. n. 39. in fine.

Essentia diuina cur dicatur virtualiter plures. 999. n. 23.

Essentia diuina, vt est imitabilis, habet rationē Ideæ. 938. n. 5.

ESSENTIALIA.

Essentialia prædicata in diuinis dici de singulis personis, de quibus nam prædicatis intelligatur? 1020. n. 58.

Quanuis sola essentialia in diuinis sint entia absoluta: non tamen sola illa concipiuntur modo absoluto. 1032. col. 1. n. 36.

Essentialia esse priora notionalibus, quomodò intelligendū sit? 1093. n. 55. & 1094. n. 56.

¶ *Ad excellentiam ordinatur gloria. 367. col. 1. in fine.*

Excellentia, qua apud Deum sumus clari, præstantius bonum est, quam ipsa gloria apud Deum. 372. n. 28.

¶ *Executionis ordo incipit ab imperio. 114. numer. 6.*

In ordine executionis quot actus reperiantur. Ibid. & 121. q. 8. in principio.

EXISTENTIA.

Existentia realis non est formalis ratio agendi, sed conditio necessaria ad agendum. 82. n. 19. & 87. n. 38. & 90. n. 49.

Existentia rei in notitia intuitiua est motiua potentiæ, vt tendat in rem; & simul est terminatiua talis tendentiæ. 548. §. 1. n. 1.

Existentia obiectiua rei in intellectu, quidnam sit? 80. n. 9.

Existentiam essentialiter non includi in diuina essentia aliqui existimant. 896. n. 67. Oppositum verius. ibidem.

Existentia Dei est modus quidam illi essentialiter intimus. 905. n. 12.

Litera F.

¶ *In fama an consistat beatitudo? disputatur 363. ar. 4. & 366. n. 9.*

¶ *Ferrum duobus modis potest fieri ignitum. 417. n. 11.*

FIDES.

Fidei cognitio in via ordinatur ad amorem tāquam in finem. 539. n. 11.

Fides in via est minus præstans, quam charitas. 531. n. 4. & 6.

An solus actus fidei in via terminetur ad Deū in se ipso? dubium. negatio placet. 638. n. 7.

Fides aliquando dicitur vita æterna. 585. n. 4.

Fides quanuis eminenter sit speculatiua, & practica; formaliter tamen est vtrunque. 574. col. 1. n. 48.

Fidei habitus est speculatiuus, & practicus: non tamen actus: actus enim practicus fidei distinguitur ab actu speculatiuo. 572. n. 44.

¶ *Figmentum, vide monstrum.*

¶ *In figuris non datur essentialis ordo in ascensu; bene tamen in descensu. 275. n. 8.*

FILIVS DEI.

An filius producatur per intellectum, an per voluntatem, vt hæ potentiæ considerantur, prout sunt in Deo? 804. n. 31.

Vt filius dicatur procedere per intellectum, & non per voluntatem; satis est distinctio virtualis inter istas potentias. 805. n. 34.

Filius in diuinis producitur per intellectum, & non per voluntatem secluso omni ordine ad distinctionem intellectus Dei, aut viatoris. 814. num. 10.

Filius in diuinis est verus Deus. 1036. ar. 3. n. 1.

FINIS.

Non omne id est finis, quod aliud perficit. 392. num. 25.

Finis quomodò accipiatur apud Philosophos, & Theologos. pag. 2. q. 1. n. 1.

Finis ethymologia vnde sumatur. ibid.

Dari aliquem finem in agentibus ab omnibus supponitur. ibid. n. 3.

Finis quid sit? ibid. n. 4.

Ex fine & medio ad finem non integratur vnus finis. 12. n. 6. ratione postrema.

Dantur plures fines, qui propter se, & propter alium appetuntur. 18. n. 6.

Rationi finis, vt finis est, non repugnat, quod manente ratione finis referatur ab agente in alium finem. 19. n. 10.

Ratio finis in communi, non necessario est vniuoca omnibus finibus. 27. n. 11.

Omnis finis vere est bonum simpliciter. 36. n. 8.

Finis & bonū an formaliter sint idem? 34. ar. 1.

Finis an cum bono reciprocetur? 35. ar. 2. vbi explicatur duplex ratio reciprocationis. 36. numer. 7.

Finis non reciprocatur cum bono in communi in hoc sensu, vt res, quæ est bona alicui, sit etiā finis eidem. 36. n. 9.

Finis latius patet, quam bonum in communi, si vtrunque comparetur cum re, cui aliquid est conueniens. 37. *col.* 1. *n.* 9.
Inter finem in communi, & bonum non datur reciprocatio posterioris generis. 37. *n.* 10.
Non omne quod alicui est finis, eidem est bonū. 37. *col.* 1. *n.* 9.
Finis fundamentaliter sumptus est bonum. 38. *num.* 4.
Finis fundatur in bono quatenus bono. 36. *n.* 8.
¶ *Finis an sit obiectum voluntatis.* 37. *ar.* 3. *& an sit obiectum adæquatum illius?* 39. *ar.* 4. *§.* 1. *disputatur.*
Finis apud Caietanum est obiectum adæquatū voluntatis si sumatur, vel in se, vel vt in alio est participatus. 40. *n.* 5. *&* 41. *n.* 4. *sed reijcitur* 41. *n.* 9.
Finis est obiectum voluntatis, etiam in actu signato contra Caietanum, & nonnullos alios. 38. *n.* 4. *in fine.*
Finis est obiectum voluntatis principale, & primarium. 41. *n* 12.
Finis simul cum appetibili est obiectum formale voluntatis. 38. *n.* 5.
Finis formaliter, & bonum formaliter constituunt vnum obiectum voluntatis constitutū ex materiali, & formali 38. *n.* 5.
Ratio finis an conueniat medijs respectu electionis, atque intentionis, vt sunt quidam actus. 39. *n.* 3. *in fine.*
A bonitate finis media habent bonitatem: & quomodò id intelligatur? 47. *n.* 20.
Finis aliquando sumitur præsse, aliquando latè. 39. *ar.* 4. *n.* 3.
Idem finis est actionis, & agentis. 30. *ar.* 4. *n.* 1.
Finis vere est principium. 54. *n.* 19.
Ad finem assecutum consequitur amor, & delectatio. 135. *col.* 1. *n.* 1.
Finis diffinitio explicatur, quoad illa verba cuius gratia. 144 *n.* 13. *col.* 2. *in fine. &* 147 *n.* 18. *&* 159. *n.* 55. *&* 160. *n.* 59.
Explicatur etiam quoad illa verba. 168. *n* 14.
Est finis ergo est bonum, *est consequentia necessaria.* 179. *n.* 11.
Finis an sit volitus à voluntate propter finem. 142. *n.* 2. *&* 3. *&* 148. *n.* 22. *&* 24.
De fine non esse deliberationem quomodò intelligatur. 158. *n.* 52. *&* 161. *n.* 61.
Finis præstat ijs, quæ sunt ad finem. 536. *ar.* 8. *numer.* 1.
Ad finis consecutionem quomodò agens ordinet suas actiones. 214. *col.* 1. *n.* 31.
Cum dantur plures fines extrinseci, an dentur plures intentiones? 306. *n.* 12. *&* 13.
Finis amor. Vide Amor finis.

FINIS DIVISIO.

Finis quot modis diuidatur. 4. *q.* 2. *in principio.*
Finis diuidi potest vel formaliter vel materialiter. ibidem.
Finis formaliter duobus modis diuiditur: vel penes diuersam rationem finalizandi; vel penes diuersum finalizandi modum. ibid.
Finis diuiditur in finem cuius, *& in finem* cui. 4. *ar.* 1. *n.* 1. *Sumitur ex Aristotele. ibid. n.* 3. *&* 8. *n.* 14.
Diuiditur etiam in proximum, & remotum; medium, & vltimum contra Bellomontanū. ibi. q. 3. *ar. vnico n.* 2. *&* 3.
Præterea in naturalem, & supernaturalem. 23. *q.* 4. *ar.* 1. *n.* 1.
Alius etiam est operatio, alius opus operatum. 24. *n.* 2. *&* 3.
Alius etiam est finis qui est res, & alius, qui est adeptio rei. 24. *ar.* 2. *n.* 1.
Alius finis cuius, *& alius finis* quo: *& coincidit diuisio cum præcedente. Ibid. n.* 1.
Alius item est finis cui, *& alius finis* quo. *ibi.*
Alius est finis obiectiuus, & alius formalis. ibi.
Alius est finis factus per operationem: alius est finis per eam acquiritus. 28. *ar.* 3. *& an ista diuisio sit Aristotelis.* 29. *n.* 4.
Alius est finis generationis: alius rei genitæ. 30. *ar.* 4.
Diuiditur etiam finis in finem operis: & in finē operantis. 31. *ar.* 5.
Apud iurisperitos alius est finis motiuus: alius impulsiuus. 31. *ar.* 6. *n.* 1.
Alius est finis principalis: alius secūdarius. ibid.
Alius est finis motiuus: alius terminatiuus apud nonnullos. 39. *ar.* 4. *n.* 3.
Diuiditur etiam in finem vltimum, & in finem proximum. ibid. art. vnico.
Finis vltimus alius est vltimus simpliciter; & alius secundum quid, siue negatiuè. Et quomodò id sit intelligendum. 203. *col.* 1. *n.* 29.
Diuiditur etiam in finem, vt res: & in finem, vt vsus rei. 312. *ar.* 3. *n.* 2.
Denique diuiditur in finem proximum, & intermedium. 20. *§.* 2.

FINIS CVIVS ET CVI.

Finis cuius, *& finis* cui *quid sit? pag.* 5. *n.* 3.
Finis ratio an propriè conueniat fini cuius, *& cui? affirmatiua placet.* 5. *ar.* 2. *n.* 1. *&* 2. *& pag.* 7. *n.* 9.
In fine cuius *&* cui *reperitur ratio boni. ibid.*
Finis cuius *terminat amorem concupiscentiæ: finis autem* cui *amorem amicitiæ.* 5. *n.* 2. *&* 15. *num.* 4.
Finis cuius *&* cui *simul exercent suam causalitatem.* 6. *n.* 3.

Finis cuius *& cui integrant vnum integrum finem. ibid. & pag. 7. n. 8.*
Finem sub vna ratione esse causſam agentis, & sub alia esse effectum, soli fini cuius *conuenit; & non fini* cui. *6. n. 4.*
De solo fine cuius verificatur, quod causſæ ad inuicem sunt causſæ. Ibid.
Finis cuius *habet propriam bonitatem, & proprium finalizandi modum: idem dicito de fine* cui. *6. n. 5. & 6.*
Solum finem cui habere rationem finis, quidam putauerunt: sed non recipiuntur. 6. n. 7.
In fine integro ex cuius *& cui adæquatè sistit intentio agentis: inadæquatè verò in singulis: modo tamen subalternato. 7. n. 8.*
Inter finem cuius, *& media datur diuersa proportio. ibid. n. 9.*
Finis cuius *non ordinatur ad finem* cui, *quãdo est bonum vniuersale secundùm nonnullos. Oppositum placet. 396. col. 1. n. 3. & 4.*
Finis cuius *amatur propter se, etiamsi amet ur vt bonum alteri. 7. n. 10.*
Finem cui *non habere veram rationem finis quidam falsò existimant. 8. §. 3.*
Finis cui *alio modo est finis, quam finis* cuius: *& diuersam habet finalizandi rationem. 8. n. 16. & 10. n. 24.*
Finis cuius *& cui simul mouent agens ad assecutionem ipsius finis* cuius: *diuerso tamen modo. 10. n. 24.*
Finis cui *an habeat veram rationem finis respectu finis* cuius; *an solùm respectu mediorum? disputatur pro vtraque parte. 10. ar. 3.*
Finis cuius *nullo modo habet rationem medij respectu finis cui. 12. n. 6. in 3. ratione. Licet aliquo modo dirigatur in finem* cui, *quia nõ dirigitur vt in verum finem. 12. n. 7. & 13. num. 7.*
Finem cuius *esse subalternatum fini* cui *non impedit quominus sit vere finis. 14. n. 12.*
Ex finibus cuius, *& cui quinã eorum sit principalior? controuersum. 15. ar. 4.*
Finis cuius *nec fit, nec concupiscitur cum intẽtione finis* cui. *12. n. 5.*
In finem cuius *tendit voluntas actu quodam priori actu intentionis. ibid.*
Finis cuius *ab Hẽrico dicitur finis sub fine. 15. art. 4. n. 1.*
Finis cuius *& cui in ordine ad maiorem nobilitatem comparari possunt, vel in ratione entis, vel in ratione finalizandi ibidem. n. 2. Priori modo finis* cui *interdum est ens perfectius quam finis* cuius; *interdum verò imperfectius: & vnde id cognosci valeat. Ibidẽ. n. 2. & 3. Habet tamen perfectiorem rationẽ finalizandi. Ibid. n. 4: etiam quando Deus inducit rationem finis* cuius. *16. n. 5.*
Finis cui *finalizat vt bonum appetens sibi finẽ* cuius: *finis autem* cuius *finalizat, vt bonũ appetibile ipsi fini* cui. *15. n. 4.*
Finis cui *est prima & originalis ratio totius finalizationis. ibid. n. 4.*
Finis cui *est subiectum finis* cuius. *15. n. 4.*
Ad finem cui *vltimate sistit finalis causalitas. 16. col. 1. n. 4.*
Finis cui *magis amatur, & intenditur, quam finis* cuius. *16. n. 6.*
Finis cui *semper supponitur ad operationem agentis. 28. ar. 3. n. 2.*
Tam finis cuius *quam* cui *habet veram rationem finis. 53. §. 6. n. 15.*
Finis cui *non necessario requirit existentiam realem, vt finalizet. 55. n. 22.*
Ad finem cui, *vt finalizet, etiam requiritur bonum esse proprium. 60. n. 12. & 13.*
Finis cuius *& cui diuerso modo finalizant actionem agentis. 292. n. 25.*
Propter finem cuius *nihil appetitur, quod etiã non appetatur propter finem* cui. *Ibid.*
Finis cuius *& cui communicant bonitatem mediis. Ibid.*

FINIS VLTIMVS, ET MEDIVS.

Ratio vltimi finis explicatur. 3. n. 6.
Finis vltimus, qui nullius gratia appetitur, datur apud Aristotelem. 18. n. 6.
Non solus vltimus finis mouet agens ex Aristotele, & Augustino. 18. n. 6. in fine.
Fini vltimo non coniunguntur res per vnã operationem, sed per plures. 513. n. 26.
Vltimum finem quando consequantur res aliæ ab homine. 518. col. 1. n. 10.
An finis proximus, & vltimus admitti debeant in illis finibus, qui ex sua natura sunt in vltimum referibiles. 18. n. 8.
Finis vltimus, & proximus possunt ab agente intendi in eadem serie. 19. n. 9.
Diuisio finis in vltimum, & proximum est admittenda in finibus particularibus, etiam inter se comparatis. 19. n. 10.
Non necesse est, vt præter finem proximum semper detur alius vltimus. ibid. n. 11.
Idem finis simul esse potest vltimus, & proximus: alia tamen, & alia ratione. ibidem.
Gratia finis simpliciter vltimi sunt omnia. 20. num. 15.
Finis proximus, & vltimus dantur in Deo eo modo, quo in Deo admittitur finis. 22. n. 21.
Finis vltimus diuiditur in finem simpliciter vltimum, & in finem vltimum secundũ quid. 23. n. 23.

Dari vnum finem simpliciter vltimum, an benè inferatur ex eo, quod non potest dari processus in infinitum in finibus? disp. 278. ar. 5.
Finis vltimus in propria serie semper datur in qualibet actione humana. 279. n. 4.
Nomine vltimi finis quid intelligatur. 280. q. 5. ar. 1. n. 1.
Finis vltimus sub communi ratione vltimi est vnicus, non solùm à parte rei, sed etiam hominum existimatione. 281. n. 2.
Finis vltimus in particulari sumptus pro re, quæ est vltimus finis, non est vnus apud omnes, sed plures. ibid. n. 3.
Plures vltimi fines in vno homine, an possint dari? 281. ar. 2. disputatur.
Plures vltimos fines actu, & copulatiuè nullus homo appetit. 283. n. 8.
An possit appetere plures disiunctiuè? 284. numero 12.
De ratione vltimi finis, vt est vltimus, quid nam sit? 283. n. 9.
Duo vltimi fines, etiam solo numero differentes, non possunt simul appeti. 284. n. 13.
Non dantur duo vltimi fines, quorum vnus actu sit vltimus, alter solùm virtute. ibid. nu. 14: nec quorum vnus sit vltimus positiuè, alter negatiuè. ibid. n. 15.
Vltimi finis rationem, an habeat vna persona diuina, vt est ab alia distincta? 285. n. 17.
Plures fines vltimi, an dentur in eo, qui plura peccata mortalia committit? 285. ar. 3. Negatio placet. 294. n 34.
Vltimus finis quo pacto constituatur in creatura ab eo, qui peccat mortaliter. 288. §. 2.
Finem vltimum poni in creatura bene constat cum ignorantia affectata. 293 n. 28.
Vltimus finis, an ponatur in creatura ab eo, qui venialiter peccat? 296. §. 1.
Propter vltimum finem in cõmuni omne agens agit, tanquam propter finẽ quo, non quod. 300. n. 19.
De ratione vltimi finis esse, quòd omnia referãtur in illum, quomodò sit intelligendũ? 303. num. 30.
In duos fines non simpliciter vltimos, an possit quis ferri? disp. 303. ar. 5.
Dari vnum verum finem simpliciter vltimũ, an naturaliter demonstretur? 307. q. 6. ar. 1.
Dari vnum vltimum finem omnium rerum veteres posuerunt. 308. n. 6.
Vnus vltimus finis omnium hominum, an detur? disputatur 310. ar. 2.
Vltimus finis in particulari non est vnus omnibus hominibus. 311. n. 6. & 7. A parte tamen rei datur vnus tantùm vltimus finis omnium hominum, & totius vitæ humanæ 310. n. 7. & 8.
Vltimi finis assecutio in solo homine est beatitudo. 314. n. 7.
Vltimus finis omnium rerum, an sit Deus? disp. 312. ar. 3.
Vltimus finis accipitur, tum in communi; tum in particulari: & vtrunque membrum explicatur. 315. col. 1. n. 1.
Ex finibus particularibus in vnaquaque serie nõ sumitur argumentum ad vltimum finem simpliciter. 319. n. 16.
Vltimus finis in communi potest virtualẽ causalitatem exercere, quanuis actu nunquam fuerit in se ipso intentus. ibid.
Propter vltimum finem in communi interpretatiuè operatur, quicunque operatur propter bonum particulare. 319. n. 18.
In vltimum finem duobus modis referri potest opus operantis. 319. n. 19.
An detur vnus vltimus finis omnium malarum voluntatum? dub. 323. n. 14.
Vltimus finis omnium rerum est assimilari Deo, vt est quoddam bouũ participabile. 325. n. 6.
Vltimus finis quando concurrat cum finibus proximis? 324. n. 18.
Vltimus finis sumptus in particulari, an simul concurrat cum finibus proximis ad actionem agentis, illiusque effectum? disp. 328. ar. 2.
Vltimus finis, an cum finibus proximis simul cõcurrat ad motionem agentis, vt agat propter finem? disp. 330. ar. 3. Resolutio. 331. n. 2.
Finis proximus simul cum vltimo allicit Deum ad agendum propter ipsum. 331. n. 4.
Finis vltimus in communi dupliciter sumitur. 333. ar. 5. n. 1. Et quando finalizat. ibid. 1. concl. & 3.
Vltimus finis in creatura rationali idẽ est, quòd beatitudo; quanuis id, quod est beatitudo alicui, non semper sit ei vltimus finis. 334. n. 1.
Finis vltimus simpliciter est solus Deus. 655. num. 3.
Finis vltimus obiectiuus, an possit esse aliqua operatio animæ? 397 ar. 4. n. 2. 3 & 4.
¶ Finis medius diuiditur in proximum, & remotum. 23. n. 24.
Finis mediꝰ duas includit habitudines. 21. n. 17
In finibus mediis vtrum sit possibilis infinitus descensus? 277. ar. 4.

FINIS PRINCIPALIS, & secundarius.

Finis principalis, & secundarius habent habitudinem ad vnum & idem medium, quod voluntas ordinat ad plures fines nonsubordinatos. 31. ar. 6. n. 2.

Finis secundarius supponit primarium, tanquã primario volitum, cui adiungatur. 32. *col.* 1. *n.* 2. *&* 33. *n* 7.
Finis principalis, qui dicatur? 32. *n.* 3. *Non placet opinio Bartoli. ibid. n.* 4. *Nec aliquorum iureperitorum.* 33. *n.* 6. *& ibi ponitur vera explicatio.*
Non valet hæc consequentia: deficiente hoc fine deficit effectus, ergo hic finis est principalis. 32. *n.* 5.
Qui finis dicendus sit secundarius? 33. *n.* 6.
Finis secundarius, cur à iure peritis dicatur impulsiuus? 33. *n.* 8.
Finem secundarium non esse propriè finem quidam putant. ibid.
An finis secundarius, & minus principalis pro eodem sumantur? 33. *n.* 9.
Fini secundario, quomodò conueniat caussalitas finalis? 54. *n.* 18.

FINIS OPERIS, ET OPERANTIS.

Finis operis duplex: proximus, & vltimus. 31. *ar.* 5. *n.* 2.
Finis operis in quacunque re est sua operatio: in operationibus autem est terminus ipsius operationis. ibid.
Finis operis coincidit cum fine Dei *operantis, vt est auctor naturæ.* 31. *ar.* 5. *n.* 3.
Finis operis, & operantis sæpe sunt diuersi. ibid.
¶ *Idem est finis artis, & artificis. ibid.*

FINIS QVI, ET QVO.

Finis qui, & quo *non sunt duo fines integri, & totales, sed partiales tãtùm componentes vnũ totalem. Vnde non possunt habere rationem medij.* 26. *n.* 8.
Finis quo *ex* Dei *intentione ordinatur ad finẽ* qui. 27. *col.* 1. *n.* 8.
Finis qui *habet aliquam propriam bonitatem.* 27. *num.* 10.
Finis quo *est appetibilis, quia appetibilis est finis* qui. 27. *n.* 11.
Finis qui, & quo *non conueniunt vniuocè, sed analogicè. ibid.*
An diuisio finis qui, & quo *colligatur ex Aristotele?* 28. *n.* 14.
Diuisio finis qui, & quo, *an reperiatur in fine, qui est res operata?* 28. *n.* 12. *&* 13.

FINIS REI, ET ADEPTIO REI.

Finis, qui est adeptio rei; non habet rationem finis secundum quosdam: sed reijciuntur. 25. *n.* 4 *&* 26. *n.* 7.
Finis assecutio, an sit effectus caussæ finalis? 130 *ar.* 6. *Placet affirmatio.* 131. *n.* 5. *&* 469. *col.* 2. *in principio.*
Finis assecutio, & delectatio non sunt duo fines, sed vnus completè adeptus. 118. *col.* 1. *n.* 16. *Sicut etiam non sunt duo bona, sed vnum bonum.* 137. *col.* 1. *n.* 10.
Finis sumptus pro assecutione rei non est vnus in homine, & in cæteris rebus. 313. *n.* 5. *&* 314. *n.* 6.

FINIS NATVRALIS, & supernaturalis.

Ad finem supernaturalem potuit homo non ordinari. 347. *n.* 20.
Finis naturalis hominis non est Deus *clarè visus.* 350. *n.* 27: *nec etiam visio clara* Dei. *ibi.*
¶ *Propter duos fines totales potest appeti idem medium.* 32. *n.* 4.
¶ *Omnes fines particulares ad finem simpliciter vltimũ sunt fines proximi, atq; medij.* 18. *n.* 7

FINIVM SVBALTERNATIO.

Finium subalternatio essentialis in quo sit posita? 271. *§.* 3. *& an sit possibilis? & inter quos fines possit dari? ibid. n.* 6. *&* 7.
An omnis finium subalternatio, quæ fit ab operante, an sit essentialis? 272. *n.* 8.
In finibus essentialiter subordinatis, an possit dari progressus in infinitum ascendendo? disp. 273. *ar.* 2. *Negatiua placet, etiam in processu Syncategorematico.* 274. *n.* 4.
In finibus essentialiter subordinatis, an possit dari infinitus ascensus, cum dependentia ab vno fine posito extra seriẽ? 275. *ar.* 3. *&* 276. *n.* 2.
Subalternatio infinita in finibus cur tollat caussalitatem finis. 274. *n.* 4.
Subalternatio infinita in finibus medijs quoad descensum, an sit possibilis? Negatiua vera. 277. *ar.* 4.
Ex impossibilitate subalternationis infinitæ in finibus, an bene inferatur dari vnum finẽ simpliciter vltimum. 278. *ar.* 5.
Finium proximorum essentialis subalternatio cũ fine vltimo, in quo sit posita. 331. *ar.* 4.
Finiũ subalternatio radicaliter sumitur ex subalternatione agentium. 332. *n.* 3.
Fines proximi, vtrum, & quomodò subãlternentur fini vltimo in communi. 333. *ar.* 5.

FINIS CAVSSA.

An tota ratio finis, vt exercet caussalitatem finis explicetur illis verbis: gratia cuius omnia sunt? *quidam negant, verius affirmatur. pag.* 2. *n.* 5.
In fine duplex datur habitudo: nimirum amari propter se, & alia amari propter ipsum: & an vtraque intrinsecè includatur in fine, vt exercet caussalitatem finis. 3. *n.* 7. *&* 8.
Finis an finalizet amorem sui? ibidem.
Finis, sub ratione finis, non includit non referri in alterum: hoc tamen non excludit. 21. *n.* 17
Vera ratio finis ñ excludit ordinari ad aliud. ibi.

Finis an vere, & propriè sit causa? veteres negabant, sed reiciuntur. 50.ar.1.n.1.
Finis est causa distincta ab alijs causis formaliter, non materialiter. 52.n.10. & 11.
Finis inter causas origine, & dignitate est prima. 53.n.13.
Finis est causa causarum: & ratio aliarum causarum. ibidem.
Finis quomodò opponatur causæ efficienti. 54.n.19. *inter eas tamen datur mutua connexio.* 52.num.9.
Finis amatus amore desiderij non requirit existentiam realem: bene tamen amatus amore complacentiæ. 55.n.23.
Finis obiectiuus, vt finalizet, quando requirat realem existentiam. 55.n.21.
Finis cui, *vt finalizet, an requirat existentiam realem. ibidem.* n.22.
Finis per quid reponatur in esse causæ finalis? 57.ar.2.n.1.
Finis, vt causet, an debeat esse cognitus? 66.ar.3. *placet affirmatiua. ibidem.* §.1.
Finem non causare, nisi sit cognitus cognitione intellectiua latè ostenditur. 69.§.2.n.12. & 13 *nec satis est simplex cognitio illius.* 72.n.24. & 25. *An debeat esse cognitus cognitione practica.* 77.n.45.
Vt finis finalizet, an requiratur imperium. 78. *col.*1. *vers. vtrum verò.*
Finem esse cognitum non satis est vt moueat ad agendum. 86.n.34.
Finis an finalizet secundum esse reale; an secundum esse cognitum? 78.ar.4. *latè disputatur.*
Non causat secundum esse reale existentiæ exercitæ. 89.n.44. & *id extenditur ad finem* cui. 90 *col.*1.n.47.
Nullo modo finalizat secundum esse reale existentiæ præsentis, vel futuræ. 90.n.49.
Finalizat tamen secundum esse reale suæ entitatis essentialis. 91.n.51. *Debet tamen concipi, vt possibiliter futurus tanquam conditio finalizandi. ibid.* n.53.
Finis sumptus pro re, quæ est bona, & finis, finalizat vt quod. 80.n.11.
Finis obtentus finalizat sui conseruationem: existentia autem non est illi ratio formalis finalizandi. 90.n.48.
Finis quomodò dicatur mouere metaphoricè, & per translationem? 100.n.34.
Finis est agenti ratio volendi aliud propter finem. 102.n.42.
Finis est causa finalis actionis, quæ fit propter finem. ibid. imò prius est ratio volendi agere propter finem, quàm sit causa finalis eorum, quæ fiunt propter finem, latè explicatur.
*An hæc duo in Deo separentur, an verò in solo agente creato? ibid.*n.43. & 102.n.46.
Finis non exercet suã causalitatẽ, nisi prius agẽti sit ratio volẽdi agere propter finẽ. Quin potius ideo potest finalizare actionẽ agẽtis; quia agẽti est ratio, vt velit agere. 102.n.47. & 48
*Finis, vnde habeat virtutem finalizandi radicaliter, & proximè. ibid.*n.48.
Finis non causat, nisi concurrente efficiente. 105.n.8.
Finis in quo sensu dicatur metaphoricè mouere? 112.n.28.
Finis, an eãdẽ causalitate, qua mouet agẽs, vt velit agere; moueat, vt actu agat? disp. 113.n.3. *& an moueat distinctis numero causalitatibus?* 114.n.5.
Vtrum in fine dentur causalitates solo numero distinctæ? ibidem.
Finis sua causalitate concurrit ad omnes actus in ordine executionis. 114.n.6.
Finis distinctis causalitatibus concurrit ad simplicẽ amorẽ sui, & ad cæteros actus. 115.n.8.
An causalitates sint distinctæ rationis? dub. ibi.
Finis an habeat duas causalitates: vnã in actũ desiderij, quãdo nò dũ est acquisit^o: alterã in actũ delectationis, vt iã est adept^a? disp. 116.§.5 *& quomodò hæ causalitates differãt.* 117.n.15
Finis agentis adæquatus non est finis, quatenus est simpliciter adeptus; sed quatenus est adeptus consummatè. 117.n.16.
Vtrum finis causet actiones externas imperatas à voluntate? disp. 125.ar.4. *Placet affirmatiua.* 126.n.4.
Finis an proximè, & intrinsecè influat in actiones externas imperatas? 126.n.5. & 127.n.9
Finis quomodò influat in effectus causarũ externarum? 129.n.3. & 130.n.7. *Influit autem in illos non mediante actione agentis sed solũ comitãte cõtra quosdã.* 129.n.4. & 130.n.5.
Finis in actionibus diuinis immediatè, & intrinsecè influit in actiones externas. 127.n.10. *Idẽ in actionibus agentis creati.* 128.n.13. *Vnde causat illarum entitatem. ibid.* n.14.
In fine datur duplex causalitas: prima ad sui assecutionem; secunda ad sui conseruationẽ: & quomodò differant? 135.n.4.
Propter finem sunt omnes actiones circa media: idque in ordine intentionis. 138.ar.2.n.2.
Finis an sit volitus à voluntate propter finem. 142 *col.*1.n.2 & 3. & 148.n.22. & 24.
Finis est extrinsecus actui, etiam ordinis intentionis, quem finalizat. 150.n.29.
Finis non concurrit ad amorem sui motu metaphorico, sed efficienter secundũ nõnullos: cõtrariũ placet. 153.n.37. & 38. & 154.*col.*1.n.39

Finis independentia ab alio fine non tollit ab eo veram rationem finis; sed solam perfectam. 171. n.22.
Propter finem quot modis homo dicatur agere? 225. col.1. n.3.
Finis non est caussa actionis agentis, vt est in executione; sed vt est in intentione. 226.n.6.
Solus finis mouet metaphoricè voluntatem; quāuis id non faciat, vt formaliter est finis. 231. num. 16.
Propter finem non fiunt actiones, quæ aut elicitiuè, aut imperatiuè non sunt a voluntate. 233.ar.3.n.3.
Propter finem, an homo faciat omnes actiones liberas? 241. ar.5. n.1. & 2.
Propter finem sunt omnes actiones imperij, & vsus. 242. n.8.
Finis acquisitus, an vlterius finalizet amorem, & delectationem sui? 244.n.6.
Propter finem agere, an homini conueniat? 259 q.2.ar.1.& 268.ar.3.
Fini subordinatur omne agēs, dū agit. 261.n.10
A fine, quomodò agens liberū dependeat? ibidē.
Propter finem, an sint omnes actiones hominis? 262. ar.2.
Propter finem est omnis actio perfectissimè humana. 263. n.6. Et an absolutè omnis actio humana sit propter finem? disp.263.num.7. Negatiua probabilior. 264 n.8.
Propter finem agere, an soli homini conueniat? 268.ar.3.
Finiū ordo sequitur ad ordinē agentis. 271.n.7.
Duos fines totales concurrere ad vnum effectum non est absurdum. 307.num.14.
Finis duobus modis influit. 327. num.2. Duobus etiam modis agit immediatè immediatione virtutis. Ibidem.num.3.
Finis proximus, qui in sua serie est vltimus, immediatè influit in omnes actiones, & effectus eiusdem serici. 328.ar.2.n.1.
Finis immediatè influit in omnem actionē, quæ expressè ab agente intenditur propter finem. 329.num.6.
Nullus finis potest actu, & immediatè influere se ipso in actionem agentis, nisi explicite sit ab eo intentus. 330 num.9.
Finis in communi sumptus in abstracto non finalizat: nec etiam in concreto in suppositione simplici; bene tamen in personali. 333.ar. 5.concl. 1. & 3.
Finis vltimus in communi non semper immediatè influit in actionem, vt est ab homine, Ibidem num.3.

FINIS CAVSSALITAS.

In fine duplex ratio causalitatis à quibusdam agnoscitur. 42.num.14.
Finis cui causalitas quænā sit. 118.ar.8.n.2.
In fine datur duplex causalitas: prima ad sui assecutionem; secunda ad sui conseruationē: & quomodo differant? 135.num.4.
Causalitas finis cessat cessante actione agentis. 106.col.1.num.8.
Causalitas finis cur tollatur: si detur infinita finium subalternatio? 274.n.4.

FINIS EFFECTVS.

Finis effectus, an sit amor finis assecuti? affirmatur. Idem dicitur de amore ordinato ad conseruationē ipsius finis. 135.n.5. & 136. num. 8.
Finis effectus, an sit simplex amor ipsius finis? Disp. pro vtraq; parte. 141.ar.5.& 146.§.3.
Finis effecta sunt duplicia. 142. col.1.nu.2. & reducuntur ad tria genera. 259 n.57.

FINIS INTENTIO.

Finis intentio non est medium interiacens inter finem, & actionem; sed assistens tantum. 128. col.1.n.12. Vnde non ideo influit in actionē externā, quia idem est cum interna, vt nōnulli putāt sed quia intētio finis illi assistit. ibid.
Finis intentio. Vide Intentio finis.
¶ Finium datur triplex genus apud Aristotelē: quidam semper dependēt ab alio, alij nunquā sunt gratia alterius: alij deniq; sunt medij. 170.num.20.
¶ Finis proximus honestus licet respectu operantis possit esse vltimus negatiuè; non tamen respectu operis. 302.n.27.
¶ Finis venialiter malus potest esse vltimus negatiuè, tum respectu operantis; tum respectu operis. ibidem.
¶ In duos fines non simpliciter vltimos an possit quis ferri? disputatur 303. ar.5.
¶ Duo fines per modum plurium, an possit quis velle. 304 n.5. & 305.n.6 & 306. col.1.

FINALIZATIO, ET FINALIZARE.

Finalizandi ratio an conuenire possit bono proprio appetentis. 57.n.3.& 58.n.7. & an hoc sit ratio finalizandi, & an solum conditio? 58.n.8.& 59.n.9.
Finalizandi ratio formalis latiùs patet quam ratio formalis finalizans. 59.n.10.
Finalizandi ratio an debeat esse vera bonitas, an satis sit bonitas apparens. 62. §.3.
Finalizandi ratio formalis an sit sola bonitas honesta, & delectabilis; an etiam possit esse bonitas vtilis. 64.§.4.per totum.
Finalizare generaliter loquendo quid sit? 100. n.36.& 101.n.40.
Finalizare, & esse rationem vt agens velit agere, differunt. 103.n.48.ver. tertio infertur.

Ad

Ad finalizandum necessarius est amor finis, non vt ratio formalis; sed vt conditio. 147.n.20.
Finalizandi ratio in caussa finali triplex datur. 160.col.1.n.57.
Ad finalizationem non satis est cognitio, & aduertentia finis, si obiectum necessitat voluntatem: secus si non necessitat, & ratio discriminis. 240.n.16.

FORMA, ET FORMALITAS.

Forma in toto tempore antecedente habet totam entitatem, quam habet in instanti terminatiuo. 134.n.12.
Ad veram rationem formæ an satis sit distinctio formalis, an sit necessaria realis. 751.n.164
Formalitatis infinitas. Vide Infinitas.
Formalitas distincta an necessariò habeat distinctam existentiam? 734.n.115.
Formalitate multiplicata non necessariò multiplicatur entitas, aut realitas. 736.n.120.
Formalitas non est quid inferius ad entitatem. ibidem.
Formalitas apud Scotistas non sumitur à forma totius, sed à ratione formali. 972.n.39.
Plures formalitates esse plures realitates, & plures entitates aliqui dixerunt. 975.n.50.
Formalis distinctio. Vide Distinctio formalis.
Formalis ratio. Vide ratio formalis.
Formaliter aliquid habere, aut esse formaliter tale, non semper denotat perfectionem simpliciter. 995.n.61.& 62.

FORTVNA.

A fortuna non pendet beatitudo ex Aristotele. 357.n.8.
Fortuna bona diuina datur apud Aristotelem. 197.n.21.& 198.col.1.in principio.
Fortuna bona, vide Bona fortuna.

FORTVITO.

Fortuito omnia euenire dixerunt Veteres. Impugnantur. 187.ar.vnico n.1.& 2.
Fortuita semper coniunguntur cum eis, quæ per se sunt propter finem. 190.n.10.ad postrem.

FRVOR, ET FRVITIO.

Fruitio, qua Deus se fruitur, an possit esse formalis nostra fruitio? 418.ar.2.negatiua placet. 420.§.2.
Fruitionis patriæ obiectum non est visio. 25.n.5.
Fruitio diuidi potest in perfectam patriæ; & in imperfectam viæ. 299.n.17.
Fruitio non potest diuidi in fruitionem simpliciter, & secundum quid. Ibidem.
Inter fruitionem, & vsum non datur medium ex Augustino. 297.n.9.& 299.n.17.
Fruitio an includat duos actus? 629.n.9.
Fruitio mala non datur, nisi quando vtendis fruimur. 297.n.8.
Fruitio an ex mente Augustini dici possit omnis dilectio vitiosa? ibidem.n.9.
Fruitio mala nō potest non esse peruersitas mortalis ex Augustino. 298.n.10.
Frui creatura, an sit peruersio existens in quocunque.p.m. 286.n.5.& 287.n.6.
An fruatur creatura, qui venialiter peccat? negatiua placet. 296.n.5.& 6.
Frui quid sit apud Augustinum? 286.n.5.

Litera G.

GAVDIVM.

Gaudium an essentialiter includatur in beatitudine supernatuli viæ? dubitatur. negatio placet. 640.numer.14.
Gaudium est fructus charitatis, & vltima illius perfectio. ibidem.

GENERANS, ET GENERATIO.

In generationibus vtrum, & quomodò detur ordo per se? 275.n.9.
Generatio in diuinis non est propter finem. 219.ar.3.n.2.& 4.
Generantis intentio, nec sistit in sola forma, nec in sola materia, sed in toto composito. 7.n.8.
¶ *Genus à differentia distingui sola ratione, qui affirment?* 986.n.96. *Cum hoc tamen stat vt genus habeat rationem potentiæ, differentia autem rationem actus. Ibidem.*
¶ *Gilbertus Porretanus asserit Deum, & Dei sapientiam esse duas res: quidquid contrariū dicat Bellomontanus.* 746.n.153.& 154.

GLORIA.

Gloriæ lumen. Vide lumen gloriæ.
Gloria multipliciter sumitur. 364.n.2.3.4.& 5
Gloria idem est, quod clarificatio alicuius personæ ob aliquod opus dignum laude. ibid.n.5.
Gloria consistit in cognitione multorū. 365.n.6.
Gloria per se non est in operatione, sed in passione. 366.n.10.
Gloria ex sua natura ordinatur ad excellentiā. 367.col.1.in fine.
Gloria enumeratur inter bona vtilia. 367.n.13
Gloria non est per se appetibilis, sed propter aliud. 366.n.11.
Gloriam appetere propter ipsam gloriam, an sit vanum, & vitium? affirmatur. 366.n.11.in fine,& 367.n.14.
Gloria quomodò possit appeti studiosè: & propter quem finem studiosè appetatur? 366.n.12 & 367.col.1.in medio.
Gloria ex sua natura est res indifferens in genere moris. 367.n.13.in fine.
Gloria optimus quisq; maximè ducitur. 363.ar.4.n.1.imò omnes gloria ducūtur. 378.n.30.
Gloriæ bonum non est per se stabile. 373.n.31.

Gloriæ appetitus non fertur in eam tanquam in bonum simpliciter maximum. 373. n. 30.
Gloria propriè sumpta distinguitur ab honore, & à laude. 365. num. 7.
Gloria propriè sumpta est duplex: vna apud homines; altera apud Deum, & in quo quælibet sit posita? ibid. n. 8.
Gloria humana alia est purè humana, alia non purè. ibidem.
Gloria humana ex se ordinata est ad aliud. 368. num. 16.
Gloria humana enumeratur inter bona externa parui facienda. 368. n. 17.
Gloria humana inter mortales ex sua natura est res indifferens. 369. nu. 18. potest enim aliquando male appetiti; aliquando laudabiliter, & meritoriè. ibid.
Gloria humana minus bonum est, quam honor & laus. 368. n. 17.
Gloria humana sæpissimè est vana gloria: & quãdo sit talis. 369. n. 18. & 19.
Gloriam humanam appetere sistendo in ipsa est vitiosum. ibid. n. 19.
Gloria humana potest esse vana, si quis ex solo hominum iudicio certus fiat de sua excellentia. 369. n. 20.
Gloria apud homines etiam sit vana, si quis glorietur de re falsa, & de re fragili non digna laude. 370. n. 21.
Gloria apud Angelos, & beatos vera est. 371. num. 25.
Gloria nostra apud Deum per se est verissima, & solida & quærenda: & tamen non est nostrũ sumum bonum. 371. n. 26.
Gloria hominis, quæ est apud Deum, dupliciter accipitur. 372. n. 27. & 29.
Gloria nostra apud Deũ est perpetuus comes beatitudinis patriæ. 373. col. 1. in principio.
¶ In gloria an consistat beatitudo nostra disput. 363. ar. 4. Negatiua asserenda est. 336. n. 9. nec enim cõsistit in gloria humana. 368. n. 16 Nec beatitudo patriæ, nec supernaturalis viæ, nec denique naturalis. 370. nu. 22. 23. & 24.
In gloria etiam quæ nobis est apud Deum, ne dũ apud Angelos & beatos, beatitudo patriæ nõ ponitur. 371. n. 25. & 26.
Gloria, quæ est ab hominibus, non est præmium beatitudinis: sed quæ est à Deo: & quomodo intelligendum sit gloriam promitti nobis in præmium in sacris litteris? 374. n. 33.
Per gloriam Deum inhabitare in anima, an inferat realem præsentiam Dei in eadem, titulo quodam speciali. 444 n. 4.
In gloria nostrum corpus indiget nouis qualitatibus, vt tollantur ab eo deffectus. 448. n. 19.
Gloria corporis non consequitur beatitudinẽ naturaliter, sed ex pacto diuino. 512. nu. 21.
¶ Gloria Dei formaliter sũpta nõ ponitur in hoc quod Deus sit cognitus a se. Cõtra Sotũ: Hæc enim potuit in Deo nõ esse. 375. n. 35. & 36.
Gloria, qua Deus est sibi cognitus, non est essentialis Dei beatitudo. 376. n. 37.
Gloriam apud homines, quã Deus sibi vult, vult propter nos immediatè; vltimatè tamẽ propter se. 371. col. 2. in principio.
¶ Glorificandi ratio est formaliter distincta à ratione sanctificandi. 448. n. 18.

GLORIOSVS.

Glorioſus in quo sẽsu dicatur Deus? 366. n. 10.
Glorioſus est Deus apud beatos in politia vespertina, sed non in sola illa. 375. n. 36.
Glorioſus quomodo fuerit Deus ab æterno apud se ipsum. ibid n. 36.

GRATIA.

Gratiæ dono an creatura rationalis specialis indigeat? 343. n. 9.
Gratia in patria, quanuis sit eadem, quæ fuit in via; habet tamen nouum statum. 445. n. 9. & 448. n. 18. & 449. n. 21.
Gratia in ingressu patriæ an intẽdatur? 447. col. 1. n. 13. & 448. n. 17. & 449. n. 20.
Per gratiam Deũ inhabitare in anima, an inferat realẽ præsẽtiam Dei speciali titulo? 443. n. 3 & quid addat animæ? 444. n. 4.
Gratia in via est quædam inchoatio gloriæ in patria. 448. n 18.
Gratia, quæ in via nos sãctificat, in patria nos glorificat. ibid.
Gratia consummatio in patria vnde proueniat? 449 n. 21. 22. & 23.
Sicut gratia in via est vita substantialis, à qua primo emanant actiones meritoriæ: ita in patria est vita essentialis, à qua primo emanãt actiones beatæ. 449. n. 22.
Gratia viæ quomodo dono perseuerantiæ consũmetur? 450. col. 1. n. 23.
Gratiæ cõsũmatio in patria quid superaddat gratiæ? ibid. n. 24.
Gratiam esse entitatem nobiliorem beatitudine, quidam existimant. 468. n. 59.
Gratia sacramẽtalis, quem habeat effectum, quatenus talis est? 450. col. 1. n. 23.
¶ D. Gregorius homilia 26. in euangelia explicatur dum ait: nihil prodesse interesse festis hominum, si non contingat interesse festis Angelorum. 407. nu. 10.
¶ Gubernare aliquid est illud in suum finem dirigere: & est opus intellectus. 193. num. 8. & 9.

Litera H.

HABITVS.

Habitus sunt propter operationem tanquã propter finem. 396.ar.3.n.2.

Habitus nobilitatem simpliciter sumunt ex nobilitate obiecti suæ potentiæ. 595.n.20.

Habitus nobilioris potentiæ, an sint nobiliores omnibus habitibus potentiæ minus nobilis? dubitatur: certum est tamen supremum nobilioris esse nobiliorem supremo potentiæ minus nobilis. Ibid.n.20.& 21.

Habitus vnius potentiæ à quo sumant speciem? 595.n 22.& 23.& 596.n.25.

Habitus eiusdem potentiæ subalternantur rationi formali illius: & in quo sensu possunt dici eiusdem speciei. 595.n.23.

Habitus infusi sunt nobiliores suis actibus apud nonnullos. 471.ar.3.n.1.

¶ Henricus de Gandauo, an posuerit nostram beatitudinem formalem esse diuinam essentiam, vt illapsam animæ? 414.ar.1.& 415.n.4.& 5.& an illius opinio dici possit temeraria? 416.§.2.n.7.& 418.n.13.& 453.§.1.n.2.

HIERARCHIA.

Hierarchiæ primæ actus sunt nobiliores actibus inferiorum. 377.n.4.

Secundæ Hierarchiæ actus qui nam sint? ibidẽ.

Hierarchia. Vide Angelus.

HOMICIDIVM.

Homicidium casuale quando dicatur volitum interpretratiuè? 248.n.17.

Homicidium factum ab ebrio quando dicatur interpretratiuè volitum? ibid.n.18.

Homicidium factum ab eo, qui recreationis gratia in medio foro iaculatur, est interpretatiuè volitum. 319.n.18.

HOMO.

In homine creato in puris naturalibus an detur aliquid: quod nomen beatitudinis mereatur? 343.n.9.

Homo in hac vita potest considerari sub quadruplici statu. 345.n.15.

Homo potuit creari à Deo absq; vlla ordinatione ad gratiam, aut finẽ supernaturalem. 345.n.15.ver.deinde probatur,& 347.n.20.

Homo potuit creari, vel in puris naturalibus, vel in statu naturæ integræ; & tamen solum ordinari ad finem sibi cõnaturalem. 347.n.20.

Homini creato cum solo dono creationis Deus gratis concederet plura dona ordinis naturalis. 348.n.22.

Homo si naturali fœlicitate frueretur, nihil amplius appeteret. 350.col.1.n.26.ver.quare docti°.

Homo non potest appetere cognitionẽ Dei naturalem tanquam summum bonum. 348.n.21.

Dantur homines, qui natura sunt Domini: alij quî natura sunt serui. 379.col.1.n.11.

Homo quam seruitutem fugiat? 379.n.16.

Homo quando sibi appetit Deum, an magis se amet, quàm Deum? latè 396.col.1.

Homo an se ipsum magis amet, quàm quodcunq; aliud bonum? Ibid.n.4.& 5.

Homo dupliciter perficitur aliquo bono. 399.q.5.in principio.

Homo illuminatur ab angelis tanquam ministris Dei. 408.n.10.

¶ Solum hominem agere propter finem; non contradicit, quod omne agens agat propter finẽ, si bene explicetur. 224.q.16.n.1.

In homine quotuplex actionum genus reperiatur? ibid.n.2.& 233.ar.3.n.1.

Hominem agere propter finem quot modis intelligi possit? 225.col.1.n.3.

An homini conueniat agere propter finem? disp. 225.ar.1. Resoluitur sub distinctione. 226.§.2.& 259.ar.1.& 260.§.3.n.8.

Omnis homo, in omnibus suis actionibus, quomodò dici possit agere propter finem? 226.n.4.

Homo multa operatur proptar finem dirigendo se in finem. 226.nu.5.& an omnis homo id habeat? disp.227.ar.2.

Ab homine propter finẽ non fiunt actiones, quæ nec elicitiuè, nec imperatiuè sunt à voluntate. 233.ar.3.n.3.

Hominis actiones, aut sunt voluntariæ, aut non voluntariæ,& an detur tertium membrum? 233.ar.3.n.1.& 2.

Ab homine an operationes vegetatiuæ fiant propter finem? 234.§.2.n.4.

Homo an operetur propter finem actus necessarios voluntatis? 237.ar.4.

Homo non agit propter finem, nisi quæ liberè operatur:& an omnes actiones liberas propter finem agat? 241.ar.5.n.1.& 2.

Homo an agat propter finem actiones, quæ insistunt fini? disp.243.ar.6.

Homo intendens finem, non solùm propriè operatur propter finem; sed etiam modo perfectissimo. Ibid.n.2.

Homo desiderans finem agit propter finem. ibid.nu.3. An verò amans finem propter finem agat? Dubitatur. Negatiua verior. n um.3.

Homini, quænam actio dicatur propria? explicatur. 251.q.1.ar.1. vel enim potest dici propria quoad substantiam; vel quoad modũ operandi. 252.n.2.& potest vna actio esse propria vno modo, non tamen alio. ibid.

Homini illa actio est ppria, q̃ fit liberè. 252.n.4

Homo operans, vt homo, potest considerari,& physicè,& moraliter. 255.n.8.

Hominis actiones, vt est agens volũtarium, aliæ sunt homiuis, aliæ humanæ. 263. *n.* 5.
An soli homini conueniat agere propter finem propriè loquendo. disp. 268. *ar.* 3.
¶ *An omnium hominum detur vnus vltimus finis? disp.* 310. *ar.* 2. *&* 311. *n.* 6. *&* 7.
Homini, absolutè loquendo, non est idem finis cum alijs rebus. 313. *n.* 5 *&* 314. *n.* 6.
An in singulis hominibus prima actio sit amor vltimi finis? 317. *n.* 10. *ver. Tertiò denique.*
In singulis hominibus, cum primũ aduenit vsus rationis, actio prima non est actualis amor vltimi finis. ibid. n. 10.
Hominis prima actio, an sub præcepto debeat esse conuersio in Deum? 318. *col.* 1. *ad finem, &* 322. *n.* 10.
Hominis prima actio in tota vita non satis est, vt cæteræ omnes actiones virtute illius referantur ad vltimum finem. 318. *n.* 14.
In singulis hominibus actio prima intellectus, & voluntatis debet incipere à particularibus obiectis. 317. *n.* 13.
¶ *Omnes homines appetunt esse beati.* 310. *ar.* 2. *num.* 5.
Homo quãdo dicatur velle aliquid propter Deũ? 324 *ar.* 3. *n.* 2.
Homo non omnia appetit explicitè, aut implicitè propter Deum posidendum cognitione, & amore. 325. *n.* 4. *Benè tamen omnia appetit propter Deum, vt est vltimus finis communis sibi cum cæteris rebus. Ibid. n.* 6.
Hominum malorũ ex sententia Aristotelis Deus curam non habet, sed errat. 198. *n.* 22.
Actio hominis. Vide Homo. & Actio humana.

HONOR.

In honore, an consistat beatitudo? disput. 359. *ar.* 3. *&* 360. *n.* 4.
Honor est præmium virtutis 359. *ar.* 3. *n.* 1.
Nihil ab hominibus ardentius expetitur, quàm honor. ibid n. 2.
Honor quomodò diffiniatur? Ibid. n. 3.
Honoris causa non est sola beneficentia. ibidẽ. num. 3.
Honor quòad Deum potest esse actus interior: quòad homines verò semper erit exterior. 360. *col.* 1. *n.* 3.
Honor ponitur in genere bonorum vtilium. 360 *col* 2 *post principium.*
Honor non est propter se expectendus. 360. *n.* 4.
Honore excellentior est virtus. Ibid. n. 5.
Honor non potest ordinatè appeti vt finis, & talis appetitio est vitium. 360. *n.* 5.
Honor potius est in honorante, quàm in honorato. 361. *num.* 6.
Honores mundani, sunt vani, & nullius ponderis ex Augustino. 361. *n.* 7.
Honor verus reperitur in patria: consequitur enim beatitudinem. ibid.
In honore non ponitur beatitudo, nec patriæ, nec viæ, nec naturalis. 361. *n.* 7. 8. *&* 9.
Honores suo modo comtẽnit magnanimus. 362. *col.* 1. *n.* 9.
Honor quomodò sit appetibilis? 362. *n.* 10.
Honore possumus malè vti: vnde sæpe est occasio mali, ex Augustino. ibidem.
Honor est comes beatitudinis. ibid.
Honor potest considerari, vel ex parte tribuentium; vel ex parte eorum, quibus tribuitur: & quonam modo sit præmium virtutis? 362. *numer.* 11.
Honor nunquam potest esse finis virtutis, sed medium ad illam. Ibidem.
Honor qua ratione detur in præmium virtutis? 362. *num.* 11. *Nullus tamen est cumulatè dignus virtuti. Ibid.*
Honor quare debeatur Deo, & viris virtute excellentibus. 362. *n.* 12.
Honor distinguitur à gloria propriè sumpta. 365. *n.* 7.
Honor promittitur nobis in præmium in sacris literis; & quomodò id intelligendum sit. 374 *col.* 1. *&* 2.
¶ *Honorarij actus qui nam sint?* 360. *n.* 3.

Litera I.

IDEA.

Ideæ rationem habet diuina essentia, vt est imitabilis: & distinguitur in varias ideas per varios rationis respectus. 938. *col* 1. *n.* 5.
Ideæ excluduntur à ratione attributi. 689. *col.* 1. *num.* 7.

IDEM, IDENTITAS.

Idem an à se ipso possit ratione distingui? 779. §. 8 *per totum. Vide n.* 62. *&* 63. *id negat Bellomõianus, sed reijcitur.* 789. *n.* 6. *&* 790. *num.* 7. *&* 8.
Idem sub alio, & alio esse reali potest realiter distingui à se ipso. 779. *n.* 64.
Idem quando potest esse non ipsum secum? 782. *num.* 74.
Idem aliter, & aliter conceptum constituit diuersa obiecta. 780. *n.* 68.
Esse idem realiter, & distingui formaliter non implicat. 744. *n.* 148.
Idem formaliter an possunt esse aliqua; & se se essentialiter nõ includere. 1018. *n.* 48. *&* 49.
Esse idem vel diuersum ratione, conuenit, & enti reali, & enti rationis. 784. *n.* 79.
¶ *Non omnis realis identitas tollit rationem actus, & potentiæ; sed solùm in diuinis.* 729. 100. *&* 101.

Identitas essentiæ cum Trinitate personarum in quo sensu sit maior, quam identitas hominis animali? 1021.n.59.

Non idētitas formalis an coincidat cū distinctione formali positiua? 965 nu.7.8.& 9.

¶ *Idiomatum communicatio solùm datur ratione vnius personæ in duplici natura.* 426. num.35.

¶ *Ignis, vt calefactiuus est, nō est inferioris ordinis ad hominem, vt est calefactibilis.* 402. num.12.

IGNORANTIA.

Ignorantiæ culpabilis effectus est interpretatiuè volitus. 248.n.17.

Cum ignorātia affectata, bene constat, quod quis adhæreat creaturæ, vt fini vltimo. 293.n.28.

ILLAPSVS.

Illapsus vnius substantiæ in aliam est duplex: proprius, & minus proprius. 416.nu.8.

Illapsus propriè dici non potest introitus Angeli in aliquod corpus. ibid.

Illapsus per penetrationem corporum est improprius. ibid.

Illapsus propriè sumptus in quo sit positus? 416. n.8.& 444.n.6.

Illapsus propriè sumptus soli Deo cōuenit. 416. num.8.

Illapsus dari non potest, nisi mediante aliquo effectu creato. 416.n.9.& 417.n.10.

Illapsus Dei, vltra prosentiam secundum substātiam, superaddit cōcursum Dei conseruatiuū rei in aliquo eße. ibid. vtroque in loco.

Illapsus Dei in rem creatam est quædam vnio Dei cum re. 417.n.10.

Ratio illapsus apud Scotum conuenit existentiæ obiectiuæ, qua Deus est in beato. 444. num.6.

Illabitur Deus in res ratione alicuius imtimi effectus, quem in re conseruat. 445.n.7.

Illapsus, quo Deus est in omnibus rebus, fundamentaliter est vnus, formaliter autem plures. ibidem.

Illabitur Deus de nouo, cum aliquem nouum effectum producit. ibid.

Illapsus nouus Dei in potentias animæ datur in patria. an verò etiā detur nouus in essētiam? Dubitatur. 446.n.11.& 12.& 447.nu.14.

Nullum illapsum nouum dari in patria in animæ essentiam non satis efficaciter probat Bellomontanus. 447.n.14.15.& 16.

Illapsus nouus Dei in essētiam animæ beatæ noti est admittendus in patria, ratione intensionis gratiæ. 449.n.20. *An verò admittendus sit ratione noui modi essendi? dubitatur. Negatio placet.* ibid.n.21.

Illapsus nouus Dei in animæ essentiam, nec datur, nec daretur, etiam si gratia in ingressu patriæ augeretur. 450.n.26.

Inter nouum illapsum Dei, & nouam missionem diuinæ personæ, quid intersit? 451. num.28.

Sine nouo illapsu potest dari noua missio personæ diuinæ. ibid.

Ad illapsum Dei in res, non satis est ratio immensitatis. 447.n.15.

Illapsus Dei in res per se expenditur penes esse rei,& nō penes affectum Dei erga rem. ibid. num.16.

Illabatur ne Angelus in corpus proprio illapsu? 444.n6.

¶ *Imaginatio in somno, interdum manet libera.* 228.n.6.

IMAGO.

Imagines Dei olim in Ecclesia prohibebantur. 480.n.10.& cur? ibid.

Imago in actu signato, quatenus est similitudo prototypi, habet propriam excellentiam, ratione cuius est adorabilis: secus si sumatur in actu exercito. 48.n.24.

IMPERIVM.

Imperium. Vide. Principatum.

Imperium an requiratur, vt finis finalizet? 77. num.45.

Ab imperio incipit ordo executionis. 114.n.6.

Imperium quid sit? 122.ar.2.n.1.

Imperium est duplex. ibid.

Imperium aliud est per modū indicatiui, aliud per modum imperatiui. Illud includit iudicium, hoc autem non. 123.col.1.in principio.

Imperium quando antecedat electionem, quando verò illam sequatur. 123.n.2.& 3.

Imperium per modum indicatiui pertinet ad ordinem intentionis. 123.n.4.

Imperium datur in ordine ad alterum. ibidem. n.5.& pertinet ad scientiā politicam,& œconomicam. ibid.

Imperium vnius ad alterum, in quo consistat. Et an sit actus intellectus, an volūtatis? 123.n.5.

An ex parte intellectus detur, vt homo agat. ibid. num.6.

Imperium ad proprias actiones quid sit? 124. col.1.n.6.

A quo imperio incipiat ordo executionis? ibid. num.7.

Imperium in voluntate an distinguatur ab electione? 124.n.7.ver. vtrùm verò.

Omne imperiū est effectus finis. ibid.n.8.

Imperium suo modo est medium ad finem. ibid. num.9.

Imperij actiones sunt propter finem. 242.n.8.

Imperium antecedit vsum. ibid.n.9.
Imperium, & actus imperatus sunt vnus actus in genere moris. ibid.
¶ Incarnatio Verbi aliquo modo est finalizata à bono redēptionis generis humani.172.n.9.
¶ In corporeum quid dicat in Deo? an perfectionem entitatiuam; an solùm essendi modum? 685.nu.13.& .14.

INCREATVM.

Increatum quid dicat in Deo? an perfectionem intitatiuam, an solùm essendi modum? 685.n. 13.& 14.
Increatum esse, an sit de essentia Dei, & attributorum? 905.nu.11 & 12.
Esse increatum, est modus quidam essendi Dei eminentissimus. ibid.
Esse increatum, & esse ens non ab alio idem sūt. 906.col.1.n.12.
¶ Indeliberata, & quæ fiunt cum inaduertētia, non fiunt propter finem.239.n.10. Nec sunt actiones humanæ, sed hominis. ibid.
¶ Esse independens quid dicat in Deo? an essendi modum, an perfectionem entitatiuā? 685. n.13.& 14.

INDIFFERENS.

Indēfferens potest dari præcisione intellectus? 183.ar.7.n.2.
Indefferens an possit dari à parte rei? 182. ar.7. n.1.& 183.n.2.
Indifferens an possit exercere caussam finalem? Disputatur.182.ar.7. Negatio vera. 183. num.3.
In indifferens an possit ferri voluntas? 183.nu. 3.& 4.
Indifferens in genere moris bene datur: non tamen in genere rei.184 nu.5.
In indifferens in genere moris potest ferri volūtas. ibid.n.6.

IN DIVINVM, ET INdiuisibile.

Indiuisibile an videantur à beatis in diuina essētia? 1153.ar.2.& 1163.n.26.
Indiuisibilia substantiæ, & qualitatis impugnātur.133.n.11.
Indiuisibilia entitatiua non dari in quantitate probabile est. ibid.

INFERIVS.

Inferiora essentialiter esse subordinata corporibus cœlestibus, communis est philosopia.195. col.1.n.13.
Quæ in inferioribus dispersa sunt, sunt vnita in superioribus.572.n.43.

INFIDELIS.

In fidelium omnia opera esse peccata non talia, nonnulli asseruerunt. 321.n.2.
Opera in fidelium non omnia procedunt ex infidelitate.322.n.12.
Infidelis hominis actiones moraliter bonæ, nec ex parte operantis, nec ex parte operis referuntur in Idolum.323.n.13.

INEINITAS, SIVE INFINITIO.

In infinitio in finibus. vide finis.
Infinitio in caussis. Vide caussa.
Infinitas duplex est; quò ad entitatem, & quò ad gradum entitatis.801.nu.20.
Infinitas an, & quando variet rationem formalē eius, cui additur. 799.col.1.n.4.& 801.nu. 20.& 802.n.21.& 22.
Infinitas formalitatis non est simpliciter infinitas, sed in aliquo tantùm genere. 720.n.65.
¶ Infinitas Dei in essendo in quo sit posita.876. num.45.
Infinitas in Deo duplex est distinguenda: primaria, & secundaria.922.num.45. Idquè apud Scotistas.
Infinitas Dei an bene inferatur ex infinita multitudine attributorum? 939.nu.10.& 940. num.15.
Infinitas in diuinis apud Scotistas infert vnam realitatem: non tamen vnam formalitatem. Ratio discriminis.716.n.47.vsque ad 50.& 719.n.61.vsque ad 65. Oppositum, vt probabilius, defenditur 753.à nu.3.vsque ad 9.
Infinitas non est de essentia aut diuinæ essentiæ, aut diuinarum perfectionum; sed est modus intrinsecè concomitans essentiam, & perfectiones.739.n.130.& 741.n.137.
Infinitas diuinæ realitatis facit, vt illa non possit concipi nisi tota: & præterea, vt totaliter cōcipi non valeat.772.n.48.
¶ Influxus moralis quid sit? 111n.26.& 112. num.28.
¶ Innocētiæ status. Vide Status inocentiæ.
¶ Instinctus naturalis an detur in pueris, & amentibus? 228.n7.
¶ Instrumenta simpliciter non operantur; sed per illa operatur agens.7.n.11.

INTELLECTIO, INTELLECTIVS.

Intellectio apud Caietanum est actus intellectus secundum esse naturale, non verò secundum esse intelligibile. Non recipitur. 423.nu.21.
In intellectione an reperiatur ratio qualitatis, & obiecti sicut reperitur in specie? 424.col. 1.n.22.& 23.ver. Eandem etiam.
Intellectionem cōuenire homini secundum animam, quomodo intelligatur? 421.nu.15.& 424.n.26.
Intellectio includit quam veluti tēdentiam notionalem in obiectum. & ita est actus vitalis. 425.n.30.

Intellectiò formaliter non est actio, sed qualitas. 439.ar.3.num.5. Vnde est de prædicamento qualitatis. 440.n.4.& 5.
Intellectio formaliter est vltimus actus, quo intellectus actuatur. 441.n.10.
Prima intellectio, vel in vita, vel in vnoquoque negotio non fit ab homine propter finem. 234 num.5.
Intellectiua sunt superiora sensitiuis. 402.n.11.
Intellectualia superiora sunt rationalibus. ibid.
Esse intellectuale est quid veluti æquiuocum. 600.n.3.& à priori demonstratur per esse spirituale. 590.n.3.

INTELLECTVS.

Intellectus obiectum perficit ipsum intellectum. 309.q.5. in principio.
Intellectus non constituitur in actu primo virtute propria cuiuslibet intelligibilis, sed à solo Deo, à cæteris autem obiectis per virtutem participatam. 403.n.16.
Intellectus vnius intelligentiæ, quo modo perficiatur ab alia? Ibid.
Intellectus intelligens lapidem fit lapis in genere intelligibili. 423.n.20.
Ex intellectu, & specie intelligibili, magis fit vnum quàm ex materia, & forma; & quomodò id intelligatur? Ibidem.
Intellectum creatum posse Deum videre visione creata, latè ostenditur contra nonnullos. 431 numer.51.
Intellectui beato Deum intimè vniri, quomodò intelligatur? 433.n.57.
Intellectus separatus ab anima an possit intelligere? 434.n.61. in fine. Et an possit esse beatus? Negatatio vera. 470.n.70.
Intellectui beato quomodò vniatur essentia diuina, vt species? 469.n.68.
Intellectus practici actus sunt immanentes, virtute tamen transeuntes. 472.n.6.
Intellectui nostro Deus est obiectiuè proportionatus. 500.n.22.
Intellectus speculatiuus non potest mouere appetitum. 502.ar.2.n.1.
Intellectus perfici non potest, nisi ab obiecto actu intelligibili. 403.n.16.
Intellectus quo pacto adæquatè distinguatur à sensu? 498.n.15.
Intellectus beati operatio ex sua natura est formalis assecutio obiecti beatifici, apud Thomistas. 517.n.10.
Intellectus practicus eodem modo se habet ad voluntatem, quo se habet æstimatiua ad appetitum. 76.n.42.
Intellectum plura intelligere per modum vnius certum est. 304.col.1.n.2. An verò possit intelligere plura per modum plurium? Vidè 305.n.7.& 306.n.11.
Intellectus prima actio incipit ab obiectis particularibus. 317.n.13.
Intellectus operationes an sint nobilieres operationibus voluntatis? controuersum est. Pro intellectu pugnatur. 325.ar.4. cum pluribus sequentibus. Pro Scoto verò. 592.§.2. cum sequentibus.
Intellectum esse nobiliorem voluntate, qui defendant? 525.n.3. Oppositum qui etiam probent? 590.§.1.
Intellectus voluntatem mouet nobiliori modò, quàm moueatur à voluntate. 526.n.4. Idque apud Thomistas.
Actus intellectus simpliciter accipiunt suam nobilitatem ab obiecto: at secundum quid eam accipiunt à nobiliori modo essendi ipsius obiecti in actib⁹, & in intellectu. 526 ar.5.n.1
Intellectus terminatur ad res, vt sunt in intellectu. Ibid.
Ad intellectum non trahitur res obiecta secundùm esse reale, sed secũdum intentionale: idq; in notitia abstractiua; secus in intuitiua. 528.n.6.
In intellectu tres distinguntur operationes. 552. ar.3.n.1.
In simplici operatione intellectus, quomodò detur veritas? 552. col.2.
Intellectus speculatiuus nobilior est, quàm practicus. 575.n.56.& 576.n.60.& 65.
Intellectus simplex aliquò modo cognoscit se cognoscere, & in quo sensu? 579.n.9.
Nullam intellectus operationem esse formalem assecutionem obiecti beatifici, vnde apud Scotistas probetur? 587.ar.3.n.1.& 2.
Non est solius intellectus trahere ad se rem intellectam; & quomodò intellectus eam trahat? 588.n.9.
Intellectus obiectum an sit nobilius obiecto voluntatis? 592.n.13.
In intellectu speculatiuo, & practico, quæ operationes reperiantur in patria? 637.num.3. & 4.
Intellectus non mouet, vt finis; sed proponendo finem. 591.n.9.
Intellectus diuini adæquatum obiectum est vnũ realiter, & plura formaliter. 738.n.127.
Intellectus diuini actus est vnus tantum, plures tamen virtute. ibidem.
Intellectus noster an possit plures conceptus formare de diuina essentia, & attributis? disput. 762.§.2.& 771.§.7.
Intellectus noster quomodò diuidat diuinas perfectiones? 773.n.50.

Intellectus noster an de diuina sapientia possit formare plures conceptus? 775.n.57.& 58.
Quod noster intellectus interdum pluribus, interdum paucioribus conceptibus intelligat diuina, vnde ortum habeat? 778.n.59.
Intellectus formale obiectum non actu, sed virtute distinguitur ab obiecto formali voluntatis. 806. n. 39.
In nostro intellectu duplex cernitur imperfectio in intelligendo: intrinseca scilicet, & inseparabilis: & extrinseca, atque separabilis. 824. num. 38.
Intellectus noster eleuatus ad intelligendam diuinam essentiam potest illã distinguere absq; habitudine ad creaturas. 845.n.48. Essetiam item à relationibus. 1005.§.4. per totum.
Intellectus diuinus ipsa intellectione, qua essentiam, & attributa immediatè intelligit, ea immediatè distinguit. 842.nu 34. Hanc autem distinctionem non facit per habitudinem ad distinctionẽ realem, aut intus aut extra. ibid. n. 36. vsque ad 43.
Intellectus diuinus Ideas non distinguit, nisi per habitudinem ad creaturas: secus de attributis. 845.n.45.& 848.nu.58.
Intellectus diuinus potest facere distinctionem inter essentiam, & personas absque habitudine ad creaturas. 1003 n.5. Imò independenter à distinctione personarum. 1005.§.3.
Intellectus diuinus in ipsa essentia inuenit sufficiens fundamentum ad distinguendum essentiam à relationibus. 1004.n.11.
Intellectus ad obiectum sibi præsentatũ non fertur liberè, sed naturaliter. 1045.n.4.

INTELLIGERE.

Intelligere formaliter quid sit? 423.n.21.
Intelligere, formaliter esse producere intellectionẽ, an deducatur ex sacris litteris, & ex cõcilijs atque ex Patribus? plures affirmant. negatiua verior. 436.§.4 per totum.
Intelligere, formaliter esse producere intellectionem rationibus sufficienter nõ probatur. 430. n. 49. cum sequentibus.
Intelligere formaliter non est agere: nec producere qualitatem aliquam: quid autem sit? 439.n.5.& 441.n.7.8.& 9.
Intelligere formaliter non est recipere speciem intelligibilem. 433 col.1.n.56.
Intelligere, vt quod; nihil potest nisi substantia viuens. 470.nu.70.

INTELLIGENTIA.

Intelligentiæ quomodo perficiant intelectũ aliarum? 403.n.16.
Intelligentias non dirigere naturam in finem, quidam existimarunt, sed falsò. 192.n.4.
Intelligentias non cognoscere sublunaria, nisi in vniuersali, quidam putauerunt. ibidem.
Intelligentias agere naturam ad finem Aristotelicum est, & philosophicum. 93.§.3. latè.
Aqua intelligentia dirigatur natura in finem? latè. 194 §.4.
Intelligentia quomodo dirigat natnram in finẽ? latè. 195.§.5.
¶ Intelligentia. Vide Angelus.
¶ Intelligentiæ nostræ nomine comprehenditur operatio intellectus, & voluntatis. 600.art. 6.n.2.

INTELLIBILE.

Non quodlibet intelligibile virtute sibi propria constituit intellectum in actu primò sed solus Deus. 403.n.16.
Intelligibilium rationum modus recipiendo eõ erit altior, quò principium, in quo cognoscuntur fuerit altius. 535.n.13.

INTENTIO.

Intentio agentis adæquatè sistit in fine integro constituto ex fine cuius, & cui: inadæquatè verò, in singulis. 7.n.8.
Intentio agentis. Vide Agens.
Intentio naturæ Vide. Natura.
Intentionis ordo. Vide. Ordo.
Intentio finis in genere cãussæ efficientis causat electionem. 139.n.4.
Intentio finis est effectus finis. ibidem. ar. 3. Disp.
Intentio finis quid sit? ibid.n.1.
Intentio finis in quo distinguatur ab amore finis? 140.n.4.
Intentio non est impossibilium. ibid.
Intentio finis an distinguatur à desiderio finis? 140.ar.4.n.2.& 3.
Actui intentionis, finis est suo modo extrinsecus 150.n.29.
Intentio semper terminatur ad verum finẽ. 171. nmu. 22.
Intentio an possit esse ad malum, vt malum est? 179.n.11. ver. Eandem veritatem.
Intentio virtualis satis ect ad bene, vel male moraliter operandum. 245.n.5.
Ad intentionem virtualem quæ requirantur? 245.n.6.& 246.col.1.n.8.
Intentio virtualis & interpretratiua, quamuis interduu sequatur ex negatione, est tamen positiua. 289. n.15.
Intentio actualis non est necessaria ad valorem sacramenti, sed satis est virtualis. 245.nu.5.
Intentionis actualis virtus, quæ transeunte actu virtute manet, quidnam? 246.à.n 9. vsque ad finem §.2.
Vt intentio actualis dicatur virtute manere, an necessaria sit actualis attentio? 247.n.13.

Intentiones tot sunt, quot sunt obiecta motiua voluntatis: quot dantur fines extrinseci. 306. n. 12. & 13.
Intentio, quando simul concurrit cum electione an sit actus distinctus ab ea? 306. n. 13. & 307 n. 14.
Intentio secundi agentis subalternatur intentioni agentis primi. 332. n. 4.
Intentio finis non est medium interiaciens inter finem & actionem sed assistens tantùm. 128. num. 14.
In ordine intentionis quot dentur actiones? & an illæ sint effectus finis? Disp. 137. q. 9.

INTENTIO SECVNDA logica.

Secundæ intentiones logicorum sunt vera & positiua entia, minimæ tamen entitatis: quidam tamen putant eas esse modos quosdam essendi positiuos. 854. n. 79. & 80.
Secundæ intentiones, an sint relationes rationis, an verò entia absoluta? 858. n. 91.
Secundæ intentiones fiunt per actũ simplicem, in quo res simpliciter repræsentantur intellectui ibidem. At si ponantur relationes rationis dubium est, an fiant per actum simplicem intellectus. an per comparatiuum? 858. nu. 92. & & 93 & 859. nu. 95.
Secundæ intentiones logicæ an fiant per intellectum diuinum? 854. n. 78.
¶ Inter media respectu antecedentium, cur non habeant rationem finis? 168. n. 14.
¶ Introitus Angeli in aliquod corpus non est propriè illapsus. 416. n. 8.

IVDICIVM.

Iudicium hominum, nec firmum est, nec certum. 370. col. 1. n. 20.
Iudicium debet præcedere ante electionem. 72. num. 24.
Iudicium tam speculatiuum, quàm practicum requiritur in consultatione. ibid.
Iudicium includitur in imperio, quod est per modum indicatiui. 123. col. 1. in principio.
Iudicium an sit propter finem? 138. ar. 2. nu. 2. & 242. n. 7.
¶ Ius ad gloriam quid sit? 632. ar. 2. n. 2. & fũdatur in operibus meritorijs. ibid. nu. 3.
¶ Ex iure canonico explicatur cap. cum cessante caussa de appellationibus. 32. n. 5.
¶ Ad iustificationem necessaria est spes. 640. num. 12.

IVSTVS.

Iusti in hac vita verè dicuntur beati, ex Augustino. 342. col. 1. n. 3. & 631. n. 3.
Iustus in opere bono semper meretur: & in quo sensu? 249. n. 24.
Iustus per charitatem quomodo habitualiter ordinetur in Deum? 301. n. 22.
Iustus peccans venealiter an habeat plures vltimos fines? 295. ar. 4.
Iustus peccans venialiter an collocet vltimum finem in creatura? Disp. 296. s. 1. & 2.
Iustus venialiter peccans, an fruatur creatura; an solùm vtatur ea? 296. nu. 5. & 6.
Iustus venialiter peccans semper adhæret summo bono habitualiter, & interpretatiuè. 298. num. 13.

Littera L.

LAVS, ET LAVDABILE.

Laus non debetur, nisi de illis, quæ in finem ordinantur. 375. n. 36.
Laus quomodo distinguatur à gloria? 365. num. 7.
Laus non debetur Deo, nisi ratione suorum effectuum, quatenus scilicet, omnia ordinat summa cum prudentia. 375. nu. 36.
Laudem Dei antecedit notitia beata. ibid. n. 35.
Laus Dei in beatis apud Caietanum non reperitur, nisi in politia vespertina: sed oppositum verius. ibid.
Laus Dei in beatis est actus liber, tàm in politia vespertina, quàm in matutina: & procedit à notitia beata, vt est practica. 375. n. 35.
Laudabilia dici non possunt bona corporis. 383. col 1. n. 4.

LIBERTAS, ET LIBERVM.

Libertas aliqua an detur in appetitu sensitiuo? 236. n. 18.
Libertas voluntatis perfectius exercetur circa media. 256. n. 10.
Libertas intellectus non est propriè libertas. 591. n. 8.
Libertas contradictionis satis est ad meritum; contra Ochamum. 180. col. 1. in princ.
Liberæ actiones an fiant ab homine propter finẽ? disp. 241. ar. 5. n. 2.
Liberè operari est operari ex voluntate deliberata. 253. n. 5.
Liberè operari est modus operandi proprius homini, secundùm considerationem moralem. ibid. n. 6. & 7.
Actiones liberæ, quæ insistunt mediis, sunt perfectissimo modo liberæ. 263. n. 6.
Liberum, ideo quia liberum, includit quandam electionem vnius præ alio. 256. n. 11.
Esse formaliter liberum arguit in agente perfectionem essentialem maiorem. 590. nu. 3. & 591. n. 6. & 7.
Esse liberum absolutè non infert in actibus actũ esse nobiliorem omni actu necessario. 591. num. 7.

Liberum ita se habet, vt vnum sit alio magis liberum. 256.*num.*10. *Interest autem inter vtrunque* 257.*n.*12.
Liberum arbitrium non datur in amentibus, & pueris. 230.*n.*11.*&* 233.*n.*20. *ad* 3.*col.*1.
LIBERALIS ET LIBERALITAS.
Liberalis vnde laudandus sit? 359.*n.*13.
Liberalitas nomen accepit ab vsu pecuniæ. ibid.
¶ *Quomodo Deus interius loquatur nobis, & Angelis?* 432.*n.*54.
¶ *Ludicra ordinantur in bonum ludentis, & iocantis.* 320.*nu.*23.
LVMEN GLORIÆ.
Lumen gloriæ non ponitur, vt intellectus eliciat visionem Dei, sed vt supernaturaliter eleuetur ad ordinem diuinum: idque ex quorundã sententia. 429.*n.*46.
Lumen gloriæ in patria est habitus nobilior, quã charitas patriæ. 531.*n.*4.
Lumen gloriæ an proximè eleuet animam ad operationem, quæ est beatitudo? 601.*mm.*6.
¶ *Lux solis, licet faciat solem potentem calefacere, & exsiccare; non tamen facit eum formaliter calidum, & siccum.* 813.*num.*6.

Litera M.

MAGNANIMVS.
Magnanimus suo modo contemnit honores: & quare illos accepiet? 362 *col.*1.*in inprinc.*
Magnanimus, sicut non operatur propter honorem; ita illo assecuto non immoderatè lætatur; nec dolet illius iactura. 363.*n.*13.
MALITIA, MALVS, & malum.
Malitia moralis non impedit, quominus bonum delectabile exerceat causſam finalem. 164. *n*7.*&* 8.
In malum, sub ratione mali, voluntatẽ ferri posse falsò existimant Nominales. 65.*n.*34.*&* 38.
Malum, sub ratione mali, non potest habere rationem finis. 65,*n.*37.
Malum non mouet ad fugam ratione sui. sed ratione boni, cuius est priuatio. 66.*num.*41.*&* 182.*col.*1.*nu.*20.
Malum, sub ratione mali, an possit finalizare prosecutionem sui? Disp. 175.*ar.*6.*§.*1.2.3.*&* 4. *Negatiua placet. ibid.§.*3.
In malum, sub ratione mali, an voluntas ferri possit? Disput. contra Nominales. 175.*ar.*6.*&* 176.*&* 179.
Malum, sub ratione mali, non posse voluntatem non fugere, quomodo explicent Nominales? 176.*n.*3.
Malum, vt malum non potest fundare rationem appetibilis. 177.*col.*1.*&* 2.
Ad malum attendens non potest operari. 178. *n.*9.*&* 179.*n.*11.
*Malum, vt malum, non potest per se intẽdi. ibid. num.*9.
Malum, vt malum, potest esse meritoriè nolitum 179.*n.*12.
Sub ratione alicuius mali potest beatitudo nõ appeti. 180.*n.*14.
Malum, vt malum, potest esse res volita, non tamen ratio volendi. 181.*n.*18.
Malum an verè finalizet fugam sui? Disp. 181. *§.*5.*&* 182.*n.*20.
Malum non agit, nisi in virtute boni. 182.*n.*20.
*Malum in quo sensu dicatur obiectum voluntatis? ibid.n.*21.
Malum non solùm opponitur bono, sed etiam malo, & indifferenti. 392.*n.*26.
Quodnam malum sit peius? 393.*col.*1.*in princ.*
Nullius mali principium potest esse beatitudo. 394. *n.*3.
Malum veniale. Vide peccatum veniale.
Malum mortale. vide. Peccatum mortale.
Mala voluntas. Vide voluntas.
Mala operatio. Vide operatio.
Mælum obiectum. Vide obiectum malum.
¶ *Mali non possunt esse felices.* 354.*n.*2.
MARIA VIRGO.
In beata Virgine Maria idem numero actus amoris permansit in patria, qui fuit in via. 446.*n.*11.
MEDIVM.
Rationem puri medij habent omnia creata respectu voluntatis diuinæ: non tamen respectu creatæ. 23.*n.*22.
Media esse obiecta voluntatis materialia, & per accidens, quidam falsò putant. 41.*num.*10. *&* 42.*ar.*5. *vbi id disp.*
Media sunt obiecta secundaria voluntatis, & minus principalia. 41. *n.*12.
In medijs datur propria bonitas distincta à bonitate finis: ab ea tamẽ dependẽs. 43.*n.*6.*&* 44. *nu.*10. *Datur etiam distincta conuenientia.* 45.*col.*1.*n.*10.*&* 47.*n.*20. *cum alijs.*
Mediorum bonitas. & appetibilitas, an sint effecta causſa finalis? Disp. 121.*nu.*1.
Mediorum bonitas dependet à bonitate finis in genere causſæ formalis. 122.*n.*3.
Mediorum bonum. Vide bonum mediorum.
Media mouent voluntatem ad sui appetitionem in virtute finis. 48.*nu.*24.
In medijs, quando sunt plura, datur electio: & ratio huius. 47.*n.*17.
Media ad finem sũt in duplici genere. 165.*n.*2.
Medium ad finem, & bonum vtile reciprocantur. 165.*n.*1.

Media ad finem an respectu mediorum præcedẽtium exerceant caussam finalem? 166. §. 2. *Disput.*

Media vtrùm sint fines respectu actionum voluntatis, quæ ad illa terminantur? Diputat. 171. *ar.* 4.

Media apud nonnullos exercent caussam finalem erga actum electionis. 172. *nu.* 4. *Oppositum verius.* 173. *n.* 7.

Media mouent voluntatem ad sui electionem solùm efficienter ex sententia quorundam: sed apud alios solum motu metaphorico. ibidem. & 174. col. 1.

Mediorum ad finem etiam datur voluntas. 172. *num.* 4.

Medij volitio quando sit distincta à volitione finis. 221. *n.* 9.

Medijs bonitatem communicat finis cuius, *&* cui: *diuerso tamen modo.* 292. *n.* 25.

Ex medio ad finẽ cum fine non integratur vnus finis. 12. §. 2. *n.* 6. *in postrema ratione.*

¶ *Mens contemplatiua includit intellectum, & voluntatem.* 651. *col.* 1. *in princ.*

MEREOR MERITVM, *&* meritorium.

Mereri & demereri possumus per delectationẽ, aut tristitiam. 604. *ar.* 2. *n.* 3.

Mereri iustum in omni opere bono, in quo sensu sit verum? 249. *n.* 24.

Mereri quis potest nolendo malum, vt malum est; quanuis non possit illud velle, cõtra Ochamum. 179. *n.* 12.

Meritum datur ex intentione finis. 249. *nu.* 24.

Ad meritum satis est libertas contradictionis, contra Ochamum. 180. *col.* 1. *in princ.*

Meritoria an sit actio bona ex sola relatione habituali in Deum. 249. *n.* 24.

¶ *Miseria peccati. Vide peccatum.*

¶ *Miseria summa potest appetitu ratione alicuius boni.* 180. *n.* 14.

¶ *Missio diuinæ personæ. Vide. Persona diuina.*

¶ *Modus operandi. Vide Operari.*

¶ *Modus nouus essendi realis non potest Deo aduenire de nouo: & ratio huius.* 105. *n.* 7.

MONSTRVM.

Monstra inter entia rationis enumerantur. 856. *num.* 87.

Monstra intelligi ab intellectu diuino, quando ab intellectu creato sunt conficta, dubitari non potest. 856. *n* 87.

Monstra à Deo sua intellectione fingi possunt. ibidem.

Monstra quomodo concipi possint; admodum entis? 857. *n.* 88.

Monstra tunc fiunt, cum intelliguntur. 857. *num.* 90.

MOTIO, ET MOVEO.

Motio metaphorica apud Bellomontanum in quo sit posita? 145. *col.* 1. *ver. quo in loco. Non placet eius opinio. vera resolutio.* 153. *n.* 39. *&* 160. *n.* 59.

Sine motione metaphorica agentis non exercetur caussalitas finalis. 57. *art.* 2. *n.* 2.

Motio metaphorica, qua finis mouet volũtatem, non fundatur in Sympathia. 66. *n.* 3. *&* 67. *num.* 4.

In motione metaphorica non consistere caussalitatem finis latè probatur. 93. §. 2. *&* 95. §. 3. *num.* 17.

Motio metaphorica duobus modis dicitur talis totaliter, & inadæquatè. 95. *num.* 15. *&* 222. *num.* 13.

Motionem metaphoricam in Deo ad intra admittit Soncinas: sed non bene in hoc auditur. 213. *num.* 31.

Sine motione metaphorica datur caussalitas finis in agente increato: non tamen in agente creato. 213. *nu.* 31. *&* 214. *num.* 32.

Motione metaphorica in quo sensu moueatur diuina voluntas à sua bonitate? 222. *nu.* 13.

Motio uoluntatis. Vide voluntas.

¶ *Mouere metaphoricè voluntatem solius est finis; non tamen vt est finis.* 231. *numer.* 16.

Aliquid moueri à se ipso, dupliciter contingit 202. *n.* 3. *&* 4.

MOTVS.

Omnis motus principium est appetitus. 261 *num.* 9.

Motus primo primi sunt necessarij & indeliberati: & ideo non sunt peccata. 239. *num.* 10.

Motus non terminatur ad mutationem instantaneam. 239. *n.* 10.

In motibus successiuis, mutatum esse vltimum, non est mutatio instantanea; nec per illud acquiritur aliquod instantaneum, contra nonnullos. 133. *col.* 1. *&* 2.

¶ *Moyses in illis verbis Exodi* 33. ostende mihi faciem tuam, *quidnã petierit?* 500. *col.* 1. *in principio.*

¶ *Multiplicitas virtualis vnius perfectionis diuinæ quomodo sit explicanda?* 215. *n.* 18. *&* 916. *n.* 21. *&* 22.

¶ *Mutatum esse. Vide motus.*

¶ *Mutatio. Vide Motus.*

¶ *Mysteria Trinitatis, & ea quæ sunt ad intra simpliciter prolata, sunt æternæ veritatis.* 989. *n.* 108. *&* 109.

Litera N.

NATVRA.

Naturæ superioris participatio in quo sit posita? 403.n.16.
Naturæ intentio in rerum generatione vltimatè terminatur ad operationem rei genitæ. 30. num. 4.
Natura melius egit cum hominibus, quam cum belluis. 191.n.4.
Naturæ exorbitantia non fiunt sine ordine. ibid.
Natura nihil fecit frustra, quanuis finis interdũ nos lateat. ibid.n.4.& 5.
Natura rationalis primo est talis per intellectũ. 519.n,16.
Natura an agat propter finem? Disputatur. 190. quæst. 12. artic. 1. Affirmatiua placet. 191. num. 3.
Natura an agat propter finem directa à se, an ab alio? Disp. 191. ar. 2.
Naturam agere ex deliberatione putauit Plato. 192.§.1.n.2.
Naturam non dirigi in finem ab intelligẽtia: sed sua naturali inclinatione determinatam esse, esse existimauit Benedictus Pereyra. 192.§. 2.n.4.& 6. Sed opinio est parum philosophica,& Aristotelica latè probatur. 193.§.3.
Naturæ opus esse opus intelligentiæ, vnde sumptum sit? 193 n.7. ver. Deinde probatur: & quomodo id intelligendum sit? 196. colum. 1. in medio.
Natura aqua intelligentia dirigatur? latè exponitur. 194.§.4.
Natura quomodo dirigatur ab intelligentia ad suos fines? 195.§.5.
Naturæ operationes quomodo dirigãtur à Deo? vera explicatio. ibid n.16.
In actionibus naturæ quomodo reperiatur vera causalitas? Explicatur. 196.§.6.
Naturam esse determinatam ad certam actionẽ per qualitatem inditam, non impedit eam dirigi à Deo in finem. 199.n 27.
Natura sublata intelligentia operari non potest. ibid.n.28.
Natura potest deficere, quanuis in suis operationibus dirigatur a Deo. 200.n.30.
Natura dicitur, quia ab ea aliquid quasi nascitur. 664. col. 1.n.1.
Natura, quidditas,& essentia idem sunt. 972.n. 39. in fine.
Natura spiritualis non ita constituitur in esse spiritualis per esse intellectuale, vt nequeat intelligi spiritualis, antequam intellectualis. 590 n.3.
¶ necesse esse, in quo sensu dicat perfectionem simpliciter. 893.n.56.

NEGATIO.

Negatio an possit esse caussa finalis? 185.ar.9.
Negatio placet. 186.n.3.& 4.
Negatio non potest esse bona ratione sui, sed ratione alicuius annexi. 186.nu.2.& 3.
Negationes enumerantur inter entia rationis. 853.n.77.& 855. nu.82. Et an fiant entia rationis per diuinum intellectum. 855.num. 82.& 83.
Negationes non possunt directò cognosci in se ipsis, nisi concipiantur, & finganturentia, dum concipiuntur ad instar entis. 855.nu.82.& 856.n.84.
Negatio in quo sensu dicatur concipi per Analogiam ad formam negatam? 856 numer. 85.
Negatio in quo sensu dicatur ens rationis. ibid. num.86.
Negatio tunc fit ens rationis, cum intelligitur. 857.n.88.
Negatio formæ suo modo inest insubiecto, in quo non reperitur forma negata. 832 num. 23.

NON ESSE.

Non esse simpliciter nõ potest appeti ratione alicuius positiui. 186.n.4.
Non esse quomodo appetant damnati? 187. col. 1.
¶ Notionalia esse posteriora essẽtialibus in Deo, quomodo sit intelligendum. 1098.num.55.& 1095.n.59.

NOTITIA.

Notitia beata in beatis antecedit omnem laudẽ. 375.n.35.
Notitia intuitiua an possit conseruari à Deo, re non præsente. 434 n.61.
Notitiam intuitiuam terminari ad rem existentem & præsentẽ, quomodo intelligatur? 548. ar.2.n.1.
Notitia intuitiua quid sit? ibidem.& 956.num. 29.& 1052.num.32.& 1055.num.48.& 1056.n.49.& 50.
Notitia intuitiua postulat rei existẽtiam quoad tempus,& locum. 548.ar.2.n.1.
In notitia intuitiua existentia rei visæ est motiua potentiæ, vt tendat in rem,& terminatiua talis tendentiæ. ibid.
Ad notitiam intuitiuam non satis est, quod terminetur ad rem existentem, & præsentem. 550 n.6 & 8.
Notitia intuitiua perfectior est, quam abstractiua. 551.n.10.
Notitia intuitiua apud nonnullos non est formalis similitudo. 558.n.25.
Notitia intuitiua, quæ sit obiectiuè complexa, à pluribus admittitur. 554.nu.10.

Notitia intuitiua naturaliter non potest non terminari ad rem, cum omni modo reali, quem in se habet: secus de potentia absoluta. 1052. n. 32. & 1055. n. 48 & 49. & 1056. n. 50.
Notitia abstratiua quid sit? 548. ar. 2. num. 1. & 956. num. 29. & 1052. n. 32. & 1055. nu. 48. & 1056. n. 49. & 50.
Notitiam quidditatiuam Dei claram dari non posse, nisi sit intuitiua quidam docent. Oppositum est verius. 549. n. 5. & 550. num. 6.
In notitia simplici primæ operationis intellectus quomodo detur veritas? 552. nu. 2.
Notitia apprehensiua in beatis an distinguatur à iudicatiua? 552. num. 3. & 553. nu. 4. & 1076. n. 4.
Notitia incomplexa quando arguat maiorem perfectionem? in nobis semper arguit imperfectionem. 558. n. 26.
Notitia apprehensiua est duplex: simplex, & cõplexa. 556. n. 18. & 558. n. 27.
Notitia apprehensiua, & iudicatiua nobilior est, quam simplex notitia, & simplex apprehẽsio. 557. n. 21.
Notitia iudicatiua nobilior est, quàm apprehensiua. 560. n. 4.
¶ Notitia speculatiua quænam sit? 563. num. 8.
Notitia practica quænam sit? 562. n. 5.
Notitia practica ex Aristotele versatur circa id, quod aliter se habere potest. 562. num. 7.
Notitia practica ex se est formaliter proxima regula praxis, & obiecti operabilis; nec satis est quod virtualiter sit talis. 563. n. 10. & 564. n. 11 & 12.
Notitia practica, licet vt talis, non supponat actũ libertatis: nunquam tamen dirigit ad praxim sine voluntate.
Notitia practica, licet, vt talis, non supponat actum libertatis: numquam tamen dirigit ad praxim sine voluntate. Vnde includit ordinẽ ad eam, vt ad principium determinans ad operandum. 567. col. 1. n. 20.
Notitia practica in quo sensu supponat libertatẽ voluntatis? ibid.
Notitia practica non datur ad actum, qui antecedit omnem actũ liberum. ibid. n. 21.
Ad notitiam practicam non satis est quæcunq; conformitas amoris ad notitiam. 567. n. 24.
Ad notitiam practicam non satis esse, quod excitet affectum in voluntate, quomodo intelligatur? 569. n. 28.
De ratione notitiæ practicæ esse, quòd pendeat ab aliquo actu voluntatis, quomodo intelligatur. ibid n. 30.
Notitia diuina non est regulatiua, nec practica respectu diuini amoris. 568. col. 1. num. 23.
Notitia practica non datur in Angelis respectu amoris primæ causse. 567. n. 22.
Notitia intuitiua Dei, an possit conseruari per diuinam potentiam sublata Dei existentia? & si potest, an talis notitia esset beatifica? 660. ar. 2. n. 3. & 662. n. 12.
Notitia obiecti quomodo cõcurrat ad actum voluntatis? 601. n. 7.
Notitia repræsentans rem, vt præsentem, quæ nec est existens, nec præsens, dari potest, nisi sit intuitiua. 662. n. 11.
Notitia obiectiua dari potest obiectiuè complexa. 831 n. 20.
Notitia actu incomplexa, complexa tamen virtute potest terminari ad obiectum actuunum; virtute tamẽ plura: & potest distinguere plures illius rationes. ibid.
Notitiæ angelica simplicior est, quàm nostra. 554. col. 1. in princ.

NVMERVS.

In numeris nõ datur ordo essentialis in ascensu: bene tamen in descensu. 274. n. 7.
Numerus simpliciter sumptus solùm datur inter realiter distincta. 742. n. 141.
¶ Numus propter quid sit inuentus? 357, n. 7.

Litera O.

OBIECTVM.

Obiecta operationum animæ intellectiuæ aliquo modo dici possunt bona animæ. 394 col. 1. in principio.
Obiectum est caussa finalis actus, si bene explicetur 398. n. 5.
Obiectum potentiæ. Vide potentia.
Obiectum intellectus. Vide intellectus.
Obiectum sensibile. Vide sensibile.
Obiectum beatificum Vide beatificum obiectum
Obiectum potentiæ. Vide potentia.
Obiectum beatitudinis naturalis, an beatificet, vt est verum per essentiam? 411. n. 12. & 13.
Obiectum, an sit finis operationis? 469. num. 65.
In obiecto formali potentiæ sub ratione, vt quæ duplex obiectum debet distingui. 38. num. 5.
Duplex obiectũ distingui debet in volũtate. ibid.
Obiectum voluntatis. Vide voluntas.
Obiectum interdum dicitur terminus actionis; interdum verò finis. 39. n 3.
Obiecti cognitio non variat obiectum, nisi applicatiuè. 85. n. 36.
Obiecti cognitio duobus modis variatur. ibidem. num. 31.
In obiectum aliquando redundat variatio cognitionis. ibid.
Obiectũ variatur variata illius cognitione penes præsẽs, & absẽs: claruũ, & obscurũ intuitiuum,

& abstractiuum: sensitiuum, & intellectiuum. 86. num. 33.
Obiectum appetitus. vide appetitus.
In obiecto, vnde oritur delectatio, an detur bonitas propria? 163. n. 6.
Obiectum malum dari non posse, circa quod voluntas non possit meriti, aut demereri; quomodo intelligatur? 180. n. 14.
In obiecto potentiæ distinguenda est duplex ratio formalis. 523. n. 11.
Obiectum intellectus, quomodo trahatur ad intellectum? 528. n. 6.
Obiectum scientiæ practicæ est opus cadens sub praxim. 562. n. 6.
Obiectum formale intellectus, an sit nobilius obiecto formali voluntatis? 592. n. 13.
Obiecti formalis ratio specificans potentiam non vnit omnes actus, & habitus eiusdem potentiæ, vt sint eiusdem speciei. 595. n. 22.
Obiecti notitia. Vide notitia.
Obiectum charitatis. Vide charitas.
Obiectum amoris concupiscentiæ. Vide amor cõcupiscentiæ.
Obiectum sensus. Vide sensus.
Obiectum extrinsecè includens existẽtiam potest clarè, & quidditatiuè videri: non tamen intuitiuè. 661. n. 5.
Obiecta diuersa constituuntur, quando idem aliter, & aliter concipitur. 780. n. 68.
Obiectorum distinctio in intellectu nõ necessariò requirit distinctionem realem in rebus obiectis: benè tamen distinctionem rationum formalium eius rei. ibid.
Obiectorum distinctio, etiam in Deo, præsupponitur ad distinctionem actuum. 806. n. 40.
Non omne obiectum secundarium necessariò videtur viso primariò. 1058. n. 64.

OCVLVS.

Oculus corporis an videre debeat Deum? varij fuerunt errores. 477. art. 2. nu. 1. 2. & 3 & 486. n. 35. & 487. n. 37 & 38. & 488. nu. 39. & 41.
Oculus corporis an diuina potentia possit eleuari ad videndum Deum? Disp. Negatiua demonstratur. 494. ar. 3. §. 1. & 2. & 496. nu. 9. & 10. & 497. n. 13. & 498. n. 15. & 499. n. 17.
Oculus corporis glorioſi eiusdem erit speciei cũ oculo viæ. 499. nu. 17.

ODIVM DEI.

Odiũ Dei peius est, quam error circa Deum: & quomodo id intelligatur. 539. ar. 9. nu. 1. & 541. n. 9.
Odium Dei esse peccatorũ maximũ, verũ est in genere vitij moralis. 542. col. 1 in principio.

OPERARI, OPERATIO, ET OPERANS

Operatio virtutis moralis. Vide virtus moralis.
Operatio vitæ speculatiuæ. Vide vita specelatiua.
Operatio vitæ actiuæ. Vide vita actiua.
Opratio vitalis. Vide vitale.
Operatio immanens. Vide actio immanens.
Operatio voluntatis. Vide voluntas.
Operatio libera. Vide libera operatio.
Operatio beatifica. Vide beatifica operatio.
Nulla operatio animæ potest esse finis vltimus obiectiuus, 397. ar. 4. n. 2. 3. & 4.
Vna operatio non potest esse, vbi est diuersa substantia: & quomodo id explicetur? 429. nu. 47. & 430. n. 48.
Operatio an sit actus vltimus? 457. num. 19. & 458. n. 24. 25. & 26. & 462. n. 37.
Operationis finis an dici possit ipsum operationis obiectum? 469. n. 65.
Propter operationem vnumquodque esse, satis est dubium. 468. n. 62. & quomodo hoc proloquium Aristotelis sit explicandum? Vide 30. ar. 4. n. 2.
Operatio non semper est vltimus actus. 462 num. 37.
Operatio ex sua natura non est propter operationem, sed propter aliud. 30. n. 3.
Vna operatio potest in aliam ordinari ex intentione agentis. ibid. n. 4.
Operationis finis non est solus agens. 55. nu. 22.
Operationes agentis propter finem quænam sint? 120. ar. 2. n. 1.
¶ Operatio animæ vegetatiuæ non fit ab homine propter finem. 234. §. 2. nu. 4.
¶ Operatio moraliter mala, fit à Deo propter se, quatenus illa est ens. 329. n. 8.
¶ Operationem imediatè attingere Deum, non satis est, vt essentialiter sit beatitudo. 512. num. 21.
Operatio qua in patria aßequimur Deum, est vltimus finis, ex Augustino, & in quo sensu id sit intelligendum. 469. n. 65.
¶ Operans propter bonum particulare, interpretatiuè operatur propter vltimum finem in communi. 319. n. 18.
Operantis opus duobus modis referri potest in vltimum finem. ibid. n 19.
Operandi modus propter finem, nõ est sine causalitate finali. 55. n. 24.
¶ Opinio in hominibus facit id, quod in brutis facit æstimatiua. 74. numer. 31. & 36. nuu. 42.

OPPOSITIO.

Oppositio disparata etiam est fundamentum distinctionis. 741. n. 139.
Quænam oppositio admittenda sit in diuinis? 739. n. 132. & 741. n. 139.

OPVS.

Opus bonum iusti. Vide Iustus.

Opus operantis duobus modis referri potest in vltimum finem. 319.nu.19.

ORDINATIO, ET ORDINARE.

Ordinare est opus intellectus. 193.n.9.

Ordinatio caussarum, quæ est per se, & quæ est per accidens? Explicatur. 269.ar.1.n.2.

ORDO.

Ordo executionis. Vide executio.

Ordo intentionis. Vide intentio.

Ordo Angelorum. Vide Angelus.

Duo ordines inueniuntur in agente, quod agit propter finem: intentionis scilicet, & executionis, & quomodo vterquè incipiat, & terminetur? 120.ar.2.n.1. & 124.nu.7.

Ordo prioris, & posterioris inter intellectum, & voluntatem, non infert ordinem pefectionis. 600.n.4.

Ordo virtualis satis est, vt inter essentiam & attributa sit ordo demonstrotiuus. & vt vnũ attributum ex alio demonstretur. 787.n.11. & 808.n.47.

Ordo inter attributa sublato omni intellectu, quo modo detur? ibid.

Ordo admittitur inter diuinas personas. 1070. num.51.

¶ *Originale peccatum. Vide peccatum originale*

¶ *Originis error circa creationem creaturarũ, ponitur. 313.n.3. & impugnatur.*

¶ *Originis prioritas. Vide prioritas originis.*

Litera P.

¶ *Papias Episcopus Hieropolitanus non posuit carnales dilitias in illo regno Christi, quod Hæreticè admittebat per mille annos post resurrectionem 393.nu.28.*

¶ *Primi parentes in statu inocentiæ fuerunt beati beatitudine supernaturali viæ. 341. num.3.*

¶ *Pars reputat totum esse se ipsam, quia ad illud ordinatur. 60.n.11.*

¶ *Participatio naturæ superioris, in quo sit posita? 403.n.16.*

¶ *Parvulus. Vide puer.*

¶ *Passio vehemens appetitus sensitiui, quomodo redundet in voluntatem? 71.n.21.*

PATER, ET PATERNITAS.

Paternitas est vna forma distinguës personam Patris: habens tamẽ duas rationes distinguẽdi: relatiuè scil; & disparatè. 975 nu.52.

Paternitas est Deus in sensu identico est vera propositio. An verò sit vera in sensu formali? dubitatur. Negatiua placet. 1040.num.17. & 18.

Paternitas, in quo sensu sit de essentia Patris? 1021.n.61.

Paternitas est essentia, in quo sensu sit propositio per se. 1026.

Paternitas duobus modis sumitur: vno modo, vt est abstractum à toto patre: Altero modo, vt est abstractum à sola paternitate. 1032.n.39.

Paternitas sumpta, vt est abstractum totius Patris, essentialiter includit, quidquid essentialiter includit Pater, vt est persona constituta ex essentia, & paternitate: secus si paternitas est abstractum Patris, provt est concretum. 1032.n.40.

Paternitas, in quo sensu sit diuinitas? ibid.

Paternitas visa sine filiatione videtur, vt est forma relatiua; modo tamen absoluto. 1066. n.27.

Paternitas, vt est in, *constituit personam Patris; vt verò est* ad, *eam distinguit. ibidem. num.28.*

¶ *Pater æternus non generat Filium propter finem, nec producit Spiritum Sanctum propter finem. 219.ar.3.n.2.*

Pater dedit Filio omnia, quæ sunt ipsius Patris, præter esse Patrem. 1013.num.27.

Pater est Deus. 1036.ar.3.§.1. n.1.

Pater potest sumi substantiuè pro personaPatris; & adiectiuè pro paternitate inexistente in tali persona. 1038.num.9.

Pater est deitas, in quo sensu sit formalis propositio? 1041.n.20.

Pater videtur à singulis beatis. 1042 n.4.

Pater nullam aliam habet essentiam, nisi deitatem communem sibi cum alijs personis. Habet tamen essentiam propriam, si essentia sumatur pro quidditate. & ratione formali. 1021. nu.61. Non est tamen simpliciter asserendũ Patrem habere propriam essentiam distinctam ab essentia aliarum personarum. 1022. num.62.

Pater in diuinis dupliciter sumitur: vno modo, vt dicit totam personam constitutam ex essentia, & paternitate: altero modo, vt est concretum paternitatis: & in quo sensu essentialiter sit Deus? 1032. n.38. & 39.

Pater intelligendo se, & suam essentiam generat Filium. 1059. nu.68.

Patrem, qui viderit sine Filio, non videbit Patrem cum actuali generatione. 1067.num. 30.

Pater non prius se ipsum intuetur, quàm alias personas. 1074 n.64.

PECCARE, PECCATVM, & Peccatum.

Peccare potest quis circa malum, quod sibi proponitur, vt malum, non committendo, sed omittendo. 176. n. 12. ad 2.
Peccans plura peccata M. an habeat plures vltimos fines? Disp. 285. ar. 3. Negatiua placet. 249. n. 34.
Peccans M. constituit vltimum finem in re creata. 286 n. 4. & 288. 9. 2.
Peccans M. auertitur à Deo vltimo fine. Est de fide. 287. n. 8.
In peccante M. amor proprius non est vltimus finis cuiꝰ, qui cquid nõnulli velint. 291. n. 22.
Peccans zelo indiscreto non constituit Deum vltimum finem. 293, n. 27.
Peccans V. an habeat plures vltimos fines? Disp. 295. ar. 4 per totum.
Peccans V. si est iustus, an collocet finem vltimũ in creatura? Disp. 296. §. 1. & 2. & an fruatur creatura? ibid. n. 5. & 6.
Peccans V. adhæret bono temporali; non fruendo, sed vtendo. 298 col. 1. in princ.
Peccans V. si est iustus, semper adhæret Deo habitualiter, & interpretatiuè. 298. n. 13.
Peccans V. apud D. Thomam non adhæret creaturæ, vt vltimo fini. ibid.
Peccans V. agit propter vltimum finem. 302. num. 26.
Peccantem, etiam dum peccat, agere propter Deum, vt est bonum vniuersale, quidam putant, alij negant. 324. ar. 3. n. 1. & 2. Resolutio. 325. n. 3.
Peccans appetit Deo assimilari in sua actione: & in quo sensu id intelligatur? 325. n. 6.
Peccans non mouetur ad operandum ex malitia obiectiua, sed ex bonitate entitatiua. 329. num. 8.
¶ Peccator conuersus in primo instanti conuersionis iam non est in peccato. 285. nu. 17, ad 3. probationem.
Peccator omnia refert in creaturam secundum præsentem affectum. 290. n. 18.
Peccator quam creaturam constituat sibi pro vltimo fine? Disp. 290. §. 3.
Peccator se ipsum proponit sibi pro vltimo fine cui; non tamen cuius. 290. n. 19. & 291. n. 20 & 21.
Peccatorẽ constituere vltimum finẽ in creatura, duobus modis intelligi potest. 292. §. 4. n. 26.
Peccatorem peccando agere propter Deum, non est simpliciter asserendum. 325. nu. 7.
Peccatorẽ in appetẽdo nõ subalternari Deo appetẽti, quomodo sit intelligendum? 332. nu. 4.
¶ Peccati miseriã posse reperiri in aliquo statu, tollit quidẽ rationẽ beatitudinis perfectæ; non tamen imperfectæ. 349. n. 23. & 24.
Peccatum potest dari in voluntate nullo errore præcedente in intellectu. 180. n. 16.
Peccatum ex malitia, cur dicatur ex malitia? 181. n. 17.
Peccatũ non reperitur, nisi in agentibus propter finem 188, n. 5. & 191 n. 3.
Peccatũ nõ datur in pueris: & ratio huius. 230. n. 11. & 232. n. 20. ad 3.
Peccatũ, an detur in appetitu sẽsitiuo operãte independenter ab intellectu? 236. n. 17.
Peccatum originale facit nos auersos esse à Deo vt est finis naturalis, & supernaturalis. 285. n. 17. ad vltimam probationem.
In quolibet peccato M. datur auersio à Deo, & conuersio ad creaturam 287 n. 8.
Peccati mortalis peruersio in hoc est posita, quod peccator fruit creatura. 286. n. 5. & 287. n. 6.
Peccatum V. non versatur circa finem, sed ea, quæ sunt ad finem, ex D. Thoma. 298. n. 13.
Peccatum V. habitu referri in Deum, quidnã sit apud D. Thomam? 300. n. 21. & 301. n. 22.
Peccatũ M. & V. quomodo distinguantur quoad irreferibilitatem in Deum? 303 n. 30.
¶ Pecunia inuenta est, vt fieret commutatio cũ diuitijs naturalibus. 356. n. 2.

PERFECTIO.

Perfectio simpliciter alicuiꝰ perfectibilis illa dicitur, quæ est prima in suo genere. 402. n. 10.
Perfectionem cuiusquè rei positam esse in coniunctione ad suum principium; quomodo intelligatur? 408. n. 10.
Perfectionem nobilissimam postulare sibi nobilissimum perfectibile; quomodo intelligatur? 466. n. 52.
Perfectionum duo sunt ordines apud Scotum. ibid. n. 53.
Perfectio creata est per se, & propter se amabilis volũtati creatæ: increatæ autem solùm per respectum cuinsdam decentiæ ad diuinam bonitatem. 23. n. 22.
Perfectio transcendens non est perfectio simpliciter, sed in aliquo genere per negationem defectus in tali genere. 688. n. 1.
¶ Perfectio summa diuinæ essentiæ in quo sit posita apud Scotistas? 731. n. 107.
Perfectio duplex distinguenda est in diuina essẽtia apud Scotistas: primaria & radicalissima; altera secundaria, & veluti adiacens. 732. num. 108.
Perfectiones Dei in abstracto prædicantur de Deo in concreto. 747. n. 156.
Perfectio diuina potest à nobis concipi tota cõceptu: nõ tamen totaliter. 772. n. 48. & 49.
Diuina perfectio concipi non potest sine diuina entitate. ibid. n. 48.

¶ Diuinæ perfectiones quomodò diuidantur à nostro intellectu? 773. n. 50. Et talis distinctio in quo fundetur? ibidem. n. 51.
Perfectiones communes Deo, & creaturis, vt sumuntur in communi, an inter se distinguantur? 803. n. 24.
Perfectio Dei formalis actu indiuisa habet in se omnes perfectiones simpliciter vnitate aggregationis. 914. n. 12. Et ita eas habet, vt formaliter sit singulæ. ibid. n. 14. & in quo sensu dici possit formaliter esse singulæ perfectiones? 915. n 19.
Diuina perfectio secundùm vnicam suam totalem, & adæquatam rationem formalem, non est formaliter quælibet perfectio: sed inadæquatè tantum. 917 n. 25. & 919. n. 30.
Vnica tantum perfectio formalis admittenda est in diuinis, secundùm vnam formalem rationem. 913. n. 11.
Vna formalis perfectio quomodò in Deo sit theologizanda? 935. n. 11. & 12.
Perfectio eminentialis in Deo distinguitur ab omnipotentia, & dicit ordinem ad creaturas. 938. col. 1. n. 5.
Perfectiones simpliciter in Deo an absolutè sint plures? ibid. n. 6.
Perfectio diuina cur dicatur virtute multiplex? 947. n. 21.
Perfectiones sunt in Deo, vel formaliter, vel eminenter. 942. n. 6.
Duplex in Deo est perfectio: & quænam illarũ tribuenda sit relationibus? 1088. n. 31. 33. & 34.
Perfectio diuina à nobis concepta habet quoddã esse cognitum in nostro intellectu. 773. n. 51.
Perfectiones communes Deo, & creaturis quomodò habeant vnum conceptum obiectiuum; cum non dicant vnam naturam, nec vnum essendi gradum præcisum? 803. n. 24. 25. & 26
Perfectiones attributales in quo sensu eminenter contineantur in essentia diuina? 894. numero 58.
Perfectio attributalis, vide Attributum.

PERFECTIBILE, PERFICIENS, & perfectiuum.

Nullum perfectibile potest perfici ab inferiori, nisi quatenus in inferiori datur aliqua participatio naturæ superioris. latè expenditur. 401. §. 1. n. 9. & 402. n. 10.
Perfectibile superius potest perfici secundùm quid ab inferioribus. ibid. n. 10.
Perfectibilium, apud Scotum, duo sunt ordines. 466. n. 53.
In genere perficientium, & perfectiuorum quænam dicantur esse per se inferiora. 402. n. 11
Perfectibile nobilissimum postulat sibi nobilissimam perfectionem: & quomodò id intelligatur. 466. n. 52.
¶ Perfectum & bonum esse synonima falsum est. 9. n. 20.
Perfectum comparatum cum ente intelligitur per modum proprietatis, & affectionis. ibid.
Perseuerãtiæ donum quomodò consummet gratiam viæ? 450. col. 1. in principio.

PERSONA DIVINA.

Persona diuina, an de nouo mittatur, quando iustus crescit in gratia? 445. n. 9.
Personæ diuinæ de nouo mittuntur in beatum, quando primò ingreditur patriam. Ibidem.
Personarum diuinarum datur noua missio, vbi datur noua inhabitatio, & nouus status sanctificationis. ibidem.
Ad personæ diuinæ nouam missionem, an satis sit nouum augmentum gratiæ, tam intensiuũ, quàm extensiuum? 450. n. 27.
Quomodò vna persona diuina, prout ab alia distinguitur, habeat rationem vltimi finis? 285. numero 17.
Plures personæ diuinæ sunt plures res relatiuæ. 678. §. 1. n. 2. Sunt etiam plura entia relatiua & plures relatiuæ veritates. Ibid. n. 2. & 679. n. 3. & 680. n. 7.
Persona adiectiuè sumpta pro relatione, an prædicetur de Deo in sensu formali? 1039. numero 10. & 11.
Vna persona diuina est in alia per circuminsessionem ratione eiusdem naturæ. 921. n. 40.
In diuina persona datur compositio secundùm rationem. 961. n. 10. & 1035. n. 53.
Persona diuina verè constituitur ex essentia, & relatione, tanquàm ex quadam forma positiua. 966. n. 11.
Personæ diuinæ verè constituuntur in suo esse personali per proprietatem positiuam, vt per formam determinantem personam ad tale esse. 1028. n. 26.
Persona diuina, ante omnem intellectum, imò ante omnem ordinem ad intellectum est constituta in se ipsa ex essentia, & proprietate. 1029. n. 25.
Ad veram personæ constitutionẽ satis est, quòd constituentia distinguantur virtualiter. ibid.
Inter personas, & essentiam, an detur aliqua distinctio? 959. ar. 1. disputatur.
Inter personas, & essentiam an detur aliqua actualis distinctio sine intellectu? disput. latè. 964. ar. 3. Affirmãt Scotistæ. Ibid. §. 1. cum cæteris. Alij omnes negant; & est probabilior sententia. 968. §. 4. & 987. §. 9.
Personam sine intellectu actualiter distingui ab

essentia, sine periculo affirmari non posse, qui doceant 958.§.4.Oppositum,scilicet sine periculo id affirmari posse, latè defenditur pro Scoto.969.§.5. vsque ad pag.985.§.8.

Personam realiter distingui ab essentia hæreticè docuit Gilbertus. 962.ar.2.per totum.

Personam ab essentia an actu sola ratione distinguatur? disput.891.ar.4.per totum.

Personam secluso intellectu aliquo modo distingui ab essentia, nimirum virtualiter, latissimè disputatur 993.ar.5.per totum.

Personæ distinctio ab essentia à quonam intellectu fiat? Vide essentiam.

Personæ diuinæ respectu Dei habent modum inferioris in recta linea: secus de relationibus, vt sunt formæ personarum. 1036.n.55.

An singulis personis conueniat esse communicabile? 1020.n.57.& 58.

In diuinis personis aliquid datur præter essentiam, quod ita vnicuique sit proprium, vt nihil habeat cum alijs commune. 1027.n.23.

Quælibet persona diuina distinguitur ab alia, tota sua proprietate. 1028.n.24.

Personæ visio. Vide Visio.

Personam diuinam constitui ex essentia, & relatione non solo nostro intelligendi modo, sed ex natura rei; docent Scotistæ. 987.num.98. in fine.

In diuinis personis, secundùm nostrum intelligendi modũ, datur prius, & posterius. 1095. n.62. non tamen potest vna persona in illo priori concipi à nobis, vt formaliter beata. Ibidem.

¶ Personalia an possint esse attributa? 677.ar.4

PHANTASIA.

Phantasia in sensu, respondet intellectui simplici 74.n.32.

In phantasia mota à voluntate non est admittẽda aliqua dispositio, qua potentiam moueat cessante actu voluntatis. 246.n.11.

¶ Philosophi cur beatitudinem collocarunt in summo bono ordinis naturæ? 351.n.30.

¶ Plato cognouit causſam finalem. 56.n.25.

PLVS.

Plura ex natura rei, an dari possint in vno realiter? 739.n.133.& 742.n.142.

Quæ sunt plura secundùm rem, an possint esse vnum ex natura rei? Ibid. vtroque in loco.

Plura per modum plurium, quomodo appetantur? 304.n.3.

PÆNA, ET PÆNA Damni.

Pœna non habet rationem pœnæ, nisi quia est involuntaria. 543.n.5.

Pœna Damni includit actum voluntatis. 583. numero 11. in 6. ratione.

Pœna damni duobus modis potest accipi: & cur explicetur per carentiam visionis diuinæ essentiæ? 601.num.8.

Pœna damni essentialiter includit carentiam visionis diuinæ essentiæ. 519.n.17.in 6.ratione.

POLITIA.

Politia perfectissima datur inter beatos, quam vespertinam appellant. 1097.num.1.

In sola politia vespertina reperitur in beatis laus Dei: ex Caietano: reijcitur. 375.n.35.

In politia vespertina patriæ, datur duplex beatitudo: non quidẽ essentialis, sed politica. 507. num.14.

Politia in patria est duplex: matutina, scilicet, & vespertina: & in vtraque dantur plures actiones. 827.n.9.

POTENTIA.

Potentiam, id est, potestatem, siue principatum comitatur odium, & timor. 378.n.10.

Potentiæ obiectum adæquatum, vel est adæquatum solùm intensiuè; vel intensiuè, & extensiuè. 496.n.9.

Potentiæ agentes actione transeunte per se specificantur ab obiectis intensiuè adæquatis: nõ tamen si agunt actione immanente. 500.numero 20.& 21.

Potentiæ agentes actione transeunte quando eleuantur, semper eleuantur, vt pura instrumẽta: secus si immanenter agunt. ibidem.

Potentiæ cognitiuæ obiectum est forma perficiens ipsam potentiam. 399.q.5.in princip.

Potentiæ obiectum est duplex: materiale vnum; alterum formale. 40.n.6.

Potentiæ aliæ à voluntate non mouentur ab obiecto motione allicitiua. 154.n.40.col.2.in principio.

In potentijs externis motis ad vsum non imprimitur aliqua qualitas. 246.n.10.

Potentia vna specie non necessariò habet actus, & habitus vnius speciei. 595.n.22.

Potentiæ, quæ agunt operatione immanente, cõiunguntur cum suis obiectis per operationem elicitam. 604.ar.2.n.2.

Potentia sensitiua, vide sensitiua potentia.

POTESTAS.

In potestate humana non ponitur beatitudo. 376 ar.5.

Potestas siue dominatio triplex est: despotica, æconomica, & politica. Ibid.§.2.n.3. Politica appellatur mundana. Ibid. Despotica nõ est naturalis, sed violenta, & contra naturã. Æconomica, siue domestica naturalis est, & pars potestatis ciuilis. Politica denique inter omnes est perfecta. Ibidem.

Potestas siue dominatio politica, & ciuilis; vel est regia, in qua vnus dominatur: vel aristocratica, in qua principantur plures: vel mista ex regia, aristocratica, & democratica. & quænam istarum sit præstantior? 377. col. 1. in principio.
Potestas mundana ex sua natura est propter finem. 378. n. 8. & 9.
Potestas interdum potest ordinatè appeti. Ibidē.
Potestas ex sua natura est parum constans. 378 ibid. n. 9. nec reddit hominem quietum. Ibid. numero 10.
Per potestatem non maximè assimilamur Deo. 379. num 13.
PRACTICVM, ET PRAXIS.
Practicum, & speculatiuum non sunt differentiæ specificè distinguentes scientiam. 570. n. 34. 35 & 36. & 571 n. 39.
Practici ratio non sumitur in ordine ad rationē formalem obiecti, sed ad materialem. 570. num. 35.
Practicum vagatur per plura non subalternatim posita. Ibid. n. 35.
Practicum non ita differt à speculatiuo, vt non possit simul cum eo reperiri: vnde non semper infert distinctionem realem. 571. n. 40. 41. & 42.
Ratio practica minus est nobilis, quàm speculatiua. 572 n. 45.
Practica scientia. Vide Scientia practica.
Praxis quid sit? 562. n. 7.
Sub praxim quæ cadunt, non sunt necessaria, sed possunt aliter se habere. Ibid & 566. n. 19.
Praxis est finis notitiæ practicæ ex Aristotele. 577. col. 1. in medio.
PRÆCEPTVM.
Præceptum quid sit? 122. ar. 2. §. 1. n. 1.
Præceptum est duplex. Ibidem.
PRÆDICAMENTVM, PRÆDICATIO, & prædicatum.
Prædicata de Deo. Vide Deus.
Prædicata, quæ Deo, & creaturis sunt communia, & dicuntur de creaturis essentialiter, sūt Deo essentialia. 665. §. 1. n. 2.
Prædicata generis substantiæ, ex sua natura habent, quòd sint constitutiua essentiæ. 665. n. 7.
Prædicata transcendentia an dici possint attributa? 678. ar. 5.
Prædicata negatiua in Deo, an habeant rationē attributi? 683. n. 8. & 684. n. 11. & 12.
Quænam prædicata admittantur, & reiciantur à ratione attributi? Vide latè 688. & 689.
Prædicata attributalia in Deo; quanuis amittāt accidentalitatem, dum transeunt in substantiam: non tamen amittunt rationem qualificatiuam. 890. num. 48.
Prædicata affirmatiua dici de Deo impropriè aliqui Patres dixerunt: & quomodò sint intelligendi. 926. n. 5.
Duplex prædicatorum genus datur in Deo: quædam sunt essentialia, & constitutiua essentiæ: quædam verò minimè: & quomodò vtrunque genus se habeat ad assentiam? 869. n. 23. & 870. n. 24. & 25.
¶ Prædicatio non solùm admittenda est in vocibus; sed etiam in rebus. 694. n. 19.
Prædicatio concreta, licet ex parte conceptus denotet compositionem; non tamen ex parte rei. 926. n. 9.
Prædicationes, quibus attributa in concreto de Deo dicuntur, sunt formales. 927. n. 10. & 11. & an sint formales de termino absoluto, an connotatiuo? ibid n. 12.
Hæ prędicationes Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus Sanctus, an sint veræ in sensu formali? disput. 1036. ar. 3. num. 2.
Prædicatio in abstracto potest esse vera, vel in sensu formali, vel in identico. 750. n. 162.
¶ Prædicamenta in diuinis duo tantùm reperiuntur substantiæ & relationis: & quomodò in Deo maneant impermista? 1027. nu. 20. & 21.
PRINCIPATVS.
Omnem principatum esse iniustum, violentum, & contra naturam, quidam putauerunt. Redarguuntur tamen, non solùm à Paulo, sed etiam ab Aristotele. 377. n. 7.
Principatus ex sua natura est propter finē. 378. num. 8. & 9.
Principatus actio non potest esse omnium prima. 379. n. 12.
In principatu non ponitur beatitudo. 377. n. 4. Nec enim est bonum sufficiens; imò est parū constans cum ab alijs pendeat; reddit hominē inquietum: eum comitantur odiū, & timor. 378. n. 9. & 10. & 379. n. 14.
Qui alijs principantur, appellātur dij. Exodi 22. & cur? 376. ar. 5. §. 1. n. 1. & 379. n. 13.
Principatus actiones inter Angelos non sunt omnium præstantissimæ: cum pertineant ad secundam Hierarchiam. 377. n. 4.
Principatus, vide potestas, & dominatio.
PRINCIPIVM.
Principia in speculabilibus habent veritatem distinctam à conclusione. 47. n. 18.
Ratio principij quænam sit? 54. n. 19.
Primis principijs cuiusque scietiæ debemus actu assentiri: non tamen principijs vniuersalissimis scientiarum. 319. n. 17.

Datur vnum principium actiuum omnium rerum. 309. n. 10.

PRIORITAS, ET PRIVS.

Prioritas originis an sit admittenda inter diuinas personas? latè expenditur. 1069. §. 6. per totum.

Prius, & posterius nostro intelligendi modo dantur in Deo. 212. n. 28.

Prius in quo Pater sit sine Filio; aut videatur sine eo; non datur in diuinis. 1068. n. 39.

PRIVATIO.

Nulla priuatio est bona per se, & ratione sui; sed ratione annexi. 186. n. 3.

Priuationes enumerantur inter entia rationis. 854. col. 1. in principio, & 855. n. 82.

Priuationes an fiant entia per intellectum diuinum? 855. n. 82. & 83. Et in quo sensu cognoscantur à Deo. ibidem.

Priuationes tunc fiunt entia rationis, cùm intelliguntur. 857. n. 90.

Priuationes non possunt directò in se ipsis cognosci, nisi concipiantur, vt entia. 855. n. 82. & quomodò concipiantur ad instar entis. 856. col. 1.

¶ Processio diuina, vide diuina emanatio.

¶ Non omne præmium in patria, est essentialis beatitudo. 374. col. 2. post principium.

PRÆSENTIA.

Præsentia Dei secundum affectū per dona gratiæ, requirit realem Dei præsentiam. 447. n. 16. & 448. col. 1. in principio.

Præsentiæ relatio in quo fundetur? 437. ar. 2. n. 3

Præsentia obiectiua est duplex. 434. n. 60.

PROLOQVIVM.

Proloquium commune: magis amari, cui appetimus bonum, quam ipsum bonum; explicatur. 395. n. 3.

Proloquium Theologorum: supremum ordinis inferioris attingere infimum superioris. 407. n. 9.

Proloquium Theologicum: in diuinis omnia esse vnum, vbi non obuiat relationis oppositio. 739. n. 132. & 742. n. 140.

Proloquium Aristotelis ex Topicis: si optimū vnius est nobilius optimo alterius; & genus genere; & species specie. 596. numero 25.

Proloquium commune philosophicum: quod habet causam efficiētem, habet etiā causam finalem. 155. n. 44.

PROPOSITIO.

Propositiones affirmatiuæ, quæ de Deo dicuntur, non sunt synonimæ respectu nostri: quid respectu Dei & beatorum? 926. n. 6.

In hac propositione: Deus est Pater; Deus supponit non personaliter, sed simpliciter. 1038. n. 8.

PROPTER.

Hæc propositio propter, significat caussalitatē. 51. n. 6.

Hæc præpositio propter, non semper denotat caussalitatem finalem: & quando eam denotet? 151. n. 32.

PROPRIETAS.

Proprietas siue passio intrinsecè non continet subiectum. 899. n. 9.

Proprietas personalis est forma personæ, eam figurans, & characterizans. 1029. n. 26.

Proprietatem Patris, & Deitatem constituere essentiam filij, in quo sensu dixerit Athanasius? 1022. n. 64.

PROVIDENDIA.

Prouidentia diuina considerari potest, vel secūdùm se, vel vt est in executione. 195. n. 16.

Prouidentia Dei quando, & in quo sensu dicatur certa, & infallibilis. 200. n. 30.

In ordine prouidentiæ diuinæ tria reperiuntur principia: finis, qui intenditur: scientia diuina, quæ ordinat: & dispositio decreta: in his tribus finis habet locum superiorē. 535. n. 13.

PROXIMVS.

Proximus quando ex charitate diligitur, non necessariò actu diligitur Deus. 49. n. 27.

Proximus, quando amatur amore charitatis, est obiectum formale amoris: & amatur propter propriam bonitatem distinctam à diuina. 49. n. 26.

Dilectionis proximi Deum esse rationem formalem, quomodò intelligatur? ibid. n. 27.

¶ In actu prudentiæ ponitur beatitudo vitæ actiuæ. 472. n. 6.

PSALMVS.

Psal. 72. quid mihi est in cœlo, &c. 657. n. 4.

Psal. 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. 638. n. 8.

PVER.

Pueri vtuntur intellectu, & voluntate; non verò instinctu naturali. 228. n. 7.

In pueris rationem non omnino ligari; latè probatur: & quomodò ligetur? 229. col. 1. n. 8.

In pueris appetitus necessitat voluntatem. vt cōformet se passioni eiusdem appetitus. ibid. n. 9

In pueris non dari motum rationis, aut voluntatis quomodò asserat D. Thomas. 229. n. 9. & 232. n. 20.

In pueris non datur liberum arbitrium. 230. n. 11. vnde in illis non datur peccatum. ibidem. & 232. n. 20. ad tertium.

Pueri an operentur neeessariò, an liberè? controuertitur. 230. n. 11. & 12.

Pueri si libertatem non habent, non agunt propter finem à se: bene tamen, si in illis datur libertas: quanuis non agant perfectè. ibidē. n. 13 & 232. n. 18. & 19.

Pueri in originali sunt auersi à Deo vt est finis naturalis, & supernaturalis. 285. n. 17. ad vltimam probationem.

Pueri decedentes sine baptismo perpetuò exclusi sunt à beatitudine patriæ contra nonnullos hæreticos. 352. n. 32.

Pueri decedentes sine baptismo an fruantur beatitudine naturali? 346. n. 17. & 352. n. 32.

Litera Q.

Quidditas, natura, & essentia idem sunt. 972. n. 39. in fine.

Vbi datur alia, & alia quidditas, non necessariò datur aliud, & aliud ens: aut alia, & alia res. ibid. n. 40.

Plures quidditates potest habere vna, & eadem res. ibid. n. 40. & 41.

Quidditas relationis diuinæ est alia à quidditate essentiæ. 973. n. 43.

¶ *A quiete rerum naturalium, an sumatur efficax argumentum ad quietem appetitus? 609 n. 25.*

Litera R.

RATIO.

Ratio multis modis accipitur. 769. n. 38.

Ratio apud Aristotelem, & philosophos sæpè sumitur pro operatione intellectus, & voluntatis: imò sæpe sumitur pro tota anima intellectiua, quæ intellectum, & voluntatem complectitur. 600. n. 2.

Ratio sæpissimè etiam sumitur pro definitione, & quidditate. 710. n. 21. & 24.

Ratio sæpissime etiam sumitur pro formalitate, & coincidit cum quidditate latè sumpta. 972 n. 40. Vnde ratio formalis latiùs patet, quàm quidditas. ibid. n. 39.

Ratio pro formalitate alia est formalis, alia obiectiua. 770 col. 1. in medio.

Ratio formalis essendi est principium formale agendi. 87. n. 39.

Ratio commodi non est formalis ratio boni, sed conditio appetendi. 306. col. 1.

Vna formalis ratio in diuinis apud Scotistas non reperitur. 719. n. 63. cum pluribus sequentibus, & 796. col. 1. Oppositum docent Thomistæ. Vide 753. n. 4.

Ratio volendi. Vide volitio.

¶ *Rationem sumptam pro intellectu plerique tribuunt brutis sed impugnantur. 201. ar. 2. num. 1. & 2.*

Ratio in pueris, & amentibus non omnino ligatur. 228. n. 8.

Rationi, siue intellectui, quomodò subijciatur appetitus sensitiuus? 235. n. 12.

REALITAS, ET RES.

Realitas, an necessariò multiplicetur multiplicata formalitate? 736. n. 120.

Plures realitates formales esse in Deo admittēdas volūt aliqui Scotistarū. 751. n. 164. in fine.

Res, & aliquid sunt nomina synonyma. 734. num. 114.

Res dicitur, quasi ratam faciat essentiam. ibidē.

Plures res dici non possunt, quæ distinguuntur in diuinis. 735. n. 117.

Plures res, an dici poßint, quæ in creatis formaliter sunt distincta? ibid. n. 118.

Eadem res, quæ est à parte rei, est, quæ est in intellectu, secundum tamen aliud, & aliud esse. 773. n. 51.

Res in se vna, est plures apud intellectum si aliter, & aliter intelligatur contra Gregorium. 781 n. 70.

Res in se indiuisibilis est diuisibilis secundum esse, quod habet in intellectu. 781. n. 71. & 782. n. 72.

Eadem res visa duplici visione habet duplex esse intentionale. 781. n. 68.

Res obiectiuè existens in intellectu, in quo sensu dici potest ens rationis? 782. n. 73.

Res vna, & eadem potest habere plures quidditates. 972. n. 40. & 41.

Res eadem potest formaliter esse plures. ibidem num. 41.

Res eadem quando potest esse non ipsa secum. 782. n. 74.

Res quæque simpliciter est quid per primum suum eße. 664. n. 1. & 2.

Cuiusque rei prima entitas dicitur essentia, quidditas, & natura. ibidem.

Res transcendens non est attributum Dei. 679. num. 3. & 4.

¶ *Redemptio generis humani, an fuerit finis incarnationis? 272. n. 9.*

¶ *Reduplicatiua dictio duobus modis potest reduplicare: vel rationem formalem mouendi: vel conditionem necessariam ad mouendum. 87. num. 38.*

¶ *Reflexio virtualis voluntatis in suum actum dari non potest, nisi in actibus liberis. 150. num. 30.*

¶ *Regnum Cœlorum dicitur regnum Dei, & Christi. 377. n. 4.*

RELATIO.

Relationes an exerceant causſam finalem? disp. 184 ar. 8. per totum.

Relatio vt est relatio non potest denominare, nisi subiectum, in quo intrinsecè inest. 45. n. 12.

Relatio absolutè est forma intrinsecè denominãs. 832.n.24.
Relatio, vt relatio est, non addit rem aliquam supra fundamentum secundum Henricum. Sed reijcitur. 1031.n.35.
Relationis entitas includit esse in, & esse ad. 1031.n.35.& 1066.n.28.
¶ Ad relationem realem, an satis sit distinctio ex natura rei inter extrema; an verò necessariò requirantur extrema realiter distincta? 733.n.113.
¶ Relatio rationis non existit, nisi obiectiuè in intellectu per actum comparatiuum, aut directum, aut veluti reflexum. 832.n.25.
Relatio rationis, siue respectus, quibus distinguuntur ideæ, caussantur ab intellectu diuino ex D.Thoma. 853.n.76.
Relationes rationis nullum habere esse, nisi in intelligi; quomodò sit intelligendum? 859. num.96.
Relatio rationis, an possit fieri à voluntate? ibid.
¶ Relationes diuinæ, & personales non sunt attributa. 689.n.8.
Relatio realis non datur inter essentiam, & attributa. 733.n.113.
Relationes diuinæ in quo sensu essentialiter includantur in Deo? 885.n.28.
Relationes diuinæ an distinguantur ab essentia, & quomodò? Vide Essentia diuina.
Relatio diuina apud Durandum non est modus essendi, vt falsò illi imponitur; sed forma positiua. 967.n.12.
¶ Quælibet relatio personalis in diuinis est vna forma distingens, habens duas rationes distinguendi: relatiuè scilicèt, & disparatè. 975. num.52.
Relatio in diuinis sublato omni intellectu constituit personam, vt virtualiter distinguitur ab essentia. 990.n.112.
Relationis distinctio ab essentia, vide essentiæ distinctio à relationibus.
Relationes quomodò includantur in essentia: & è conuerso? vide Essentia.
Relationes pertinere ad essentiam extrinsecè, quomodò sit intelligendum? 1017.n.43.
Relatio in diuinis in quo sensu sit infinita? 1035 num.51.
Relationes diuinæ, vt sunt formæ personarum, non habent modum inferioris in recta linea respectu Dei. 1036.n.55.
Relatio quomodò prædicetur de Deo, & essentia diuina, tam in abstracto quam in concreto? vide Deus, & Essentia diuina.
Relationes an possint videri sine essentia, aut sine personis? vide visio beata.
Relationes, & essentia habent aliam, & aliam rationem formalem. 1026.n.16.
Relatio est essentia in quo sensu sit propositio per se? ibidem.
Relatio cum essentia sumi potest, vel vt est nomẽ primæ intentionis, vel secundæ; idque apud Henricum. ibid.n.19.
Relatio in diuinis transit in essentiam secundum suum esse, & non secundum suam quidditatẽ. 1027.n.21.
Relatio, etiam vt à nobis concipitur, non includit essentiam. 1030.n.30.
Relatio diuina sub esse in verè est ens relatiuũ: concipitur tamen modo absoluto. 1031.n.35
Ex eo, quod relatio identicè sit Deus, non bene infertur, quòd essentialiter sit Deus. 1033.n.43. arguit tamen eam in sua realitate esse sũmè perfectam: non tamen esse talem secundũ suam rationem formalem. Vide latè. 1034. n.44 & 45.
Relatio in diuinis non dicit perfectionem simpliciter simplicem. Ibid.n.45.
Relatio diuina, apud nonnullos, dicit perfectionẽ solius essentiæ. 1086.n.28 & 1087.n.29. apud alios nullam dicit perfectionem. Vera resolutio eam dicere perfectionem distinctã ab essentia. Ibid.n.30.
Relatio diuina per se non includitur in ratione obiecti beatifici. 1088.n.32: concurrit tamen per se ad rationem beandi, & in quo sensu? 1092.num.48.

RELATIO PRO INTENTIONE finis.

Relatio sumpta pro habitudine ad finem quot modis contingat? 244.ar.7.
Relatio actualis in finem, quæ sit? & quæ ad eam requirantur? Ibid.§.1.n.2.
Relatio virtualis in finem quæ sit? 245.§.2.
Relatio interpretatiuè in finem quæ sit? & quæ ad eam requirantur? & quomodò distinguatur ab actuali, & virtuali? 247.§.3. per totum & 319.n.18.
Relatio interpretatiua non datur, nisi in voluntario indirecto. Ibid.n.15.
Relatio interpretatiua datur in operante in ordine ad finem operis. 248.n.16. datur etiam in eo, quod est volitum in caussa: & præterea in eo, quod fuisset volitũ, si sciretur. Ibid.n.17
Relatio habitualis distinguitur à virtuali. 24. n.20. Contingit autem duobus modis. Ibidẽ. num.21.
Relatio habitualis vno modo datur, cum quis habet habitum inclinantem ad actum; quanuis habitus in eum non influat. Ibid.num.21. & 22.

In relatione habituali, quæ datur per habitum in existentem, actio nec physicè, nec moraliter aliquid recipit ab habitu. Ibidem.
Relatio habitualis an satis sit ad meritum? 249. n.24. & 250.n.27. & 28. Negatio placet.
Relatio habitualis datur ex eo, quòd actualis nõ fuit retractata. 250.n.25. & 26.

RELATIVVM.

Vnum relatiuum intuitiuè videri non posse sine altero, an ex Aristotele colligatur? 1064. §.3. per totum.
De ratione intrinseca relatiui realis, non est non existere, nisi coexistente suo correlatiuo. 1065.n.24.
Nec etiam est de essentiali illius ratione, vt intuitiuè non videatur, nisi intuitiuè viso suo correlatiuo. Ibidem. & 1066. n.26.

RESVRRECTIO.

Post resurrectionem, futuram esse vitam deliciosam corporis per mille annos, quidam hæretici dixerunt. 473.§.1. n.1.
Post resurrectionem quomodò nostrum corpus commutandum sit? 485.§.2.n.28.29. & 30. & 486.n.31.

AD ROMANOS.

Ad Romanos primo: Inuisibilia Dei à creatura mundi, &c. 817.n.8.
Ad Romanos 8. Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. 638. n.8.

Litera S.

¶ Ad sacramenti confectionem non necessariò requiritur intentio actualis, sed satis est virtualis. 245.n.5.
¶ Saducæi negabant omnem substantiam spiritualem. 479. n.7.
¶ Sanctificandi ratio non est formaliter distincta à ratione glorificandi: sed habet se, vt ratio imperfecta ad perfectam. 448.n.18.

SANCTVS.

Sancti in patria nos cognoscunt, & pro nobis intercedunt. 1097.n.5.
Sancti in Deo vident omnes orationes nostras, quæ ad eos funduntur, & quomodò? 1165. num.32.
Sancti in patria mediatores pro nobis. ibid.n.23
¶ Sanitas inter bona corporis est bonum præstantius. 383. n.11.
¶ Sapientia versatur circa res altissimas, & diuinas, abstractas à materia. 405. col.1. in principio.

SCIENTIA.

Scientia in Deo duplex ponitur. 372.n.27.
Scientiarum principijs actu debemus assentiri. 319.n.17.
Scientia quomodò distinguatur per speculatiuũ & practicum? 570.n.34. 35. & 36. Vide 571.n.39.
Scientiæ practicæ obiectum. 562.n.5. & 6.
Scientia practica in quo sensu supponat libertatem voluntatis? 566.n.20.
Scientia speculatiua ab omnibus appetitur propter se ipsam. 400. n.3.
Scientia per se infusa ex se abstrahit ab habitudine ad res creatas, & solum includit habitudinem ad diuinas perfectiones, vt in se ipsis & ex se ipsis sunt intelligibiles. 833.n.28.
Scientia simplicis intelligentiæ. & scientia visionis in Deo, an sint attributa? 688. n.7. & 689.n.11.

SENSIBILE SENSITIVVM Sensus.

Sensibilia non habent veritatem, nisi participatam. 401.n.8.
Sensibile obiectum non est actu intelligibile, sed solùm potentia: & ideò indiget virtute superaddita ad perficiendum intellectum. ibidem.
Sensibilia obiecta quo pacto fiant actu intelligibilia? 403.n.16.
Sensibilia an perficiant intellectum Angeli? 403. n.141.
Sensibile in ordine ad sensum per se est ordinis inferioris. ibidem.
Sensibile, vt sensibile est, est obiectum adæquatum sensus. 498.n.15.
Sensibile in ratione obiecti inter suos limites nõ continet spiritualia. 499.n.18.
¶ Sensitiua pars in homine est gratia intellectiuæ partis. 397. n.4.
Sensitiua potentia est actus corporis organici: & quomodò id explicetur. 498. n. 14.
Sensitiua potentia valens videre spiritualia; an sit creabilis à Deo? controuersum, negatio placet. 499. n.18.
¶ Sensus quo pacto adæquatè distinguatur ab intellectu? 498. n.15.
Sensus immediatè, & directè non potest mouere voluntatem. 70.n.15.
Sẽsus sua sensatione aliquo modo sentit se sentire. 579.n.9. & quomodò id intelligendũ sit? ibid.

SERAPHINVS.

Seraphinorum ordo in patria cur sumatur ab amore? 528.n.4. & 532.n.3.
Seraphini & amore, & scientia superãt Cherubinos ex quorundã sentẽtia: sed ñ placet. 532.n.4.
Seraphini ab amore denominantur; & amore distinguuntur à Cherubinis, & Thronis. 533. n.7. vide de hoc varios dicendi modos. 534. n.11. Vera resolutio. 535.n.12.
Cur Seraphini locum superiorem obtineant? vera ratio. 536.n.8. per totum.

Seraphini sunt quasi accessores Dei, per se ipsos accedentes ad Deum. ibidem. n. 5.

SERVITVS, ET SERVVS.

Seruitus est quoddam malum summè fugiendũ. 376. ar. 5. n. 3.

Seruitꝰ alia est legalis, alia œconomica, alia politica: & quam istarum homines fugiant? 379. num. 16.

Seruitus legalis non respuitur tanquam summũ malum: sed ob aliam rationem. 380. n. 17.

Serui possunt esse beati. ibidem.

Quidam dicuntur serui secundum naturam: vt quia secundum naturam alij alijs subijciuntur. 378. n. 11. & 379. n. 16.

SIMPLEX, ET SIMPLICITAS.

Simplicitas in Deo solum dicit quandam negationem. 685. col. 1. in principio.

Simplicitas sine multiplicitate virtuali potius arguit imperfectionem, quam perfectionẽ. 694. n. 21. & 725. n. 86. & 957. n. 36.

Simplicitas diuinæ essentiæ an tollatur ex opinione Scotiꝰ latè expẽditur 722. §. 4. per totũ.

Summa simplicitas Dei in quo sit posita apud Scotum? 725. n. 86. & 87.

Summa simplicitas Dei stare potest cum distinctione reali personarum. 724. n. 85.

Nihil datur tam simplex, quod nec realiter, nec formaliter, actu vel virtute sit plurificabile. 752. n. 166.

¶ Solon an negauerit homines posse beari in hac vita? 642. ar. 1. n. 1. & 644. n. 9.

¶ In somno interdum imaginatio manet libera. 228. n 6.

SPECIES.

Ex specie intelligibili, & intellectu magis fieri vnum, quam ex materia, & forma; quomodò sit intelligendum? 423. n. 20.

Species intelligibilis est actus intellectus, non secundùm suum esse naturale, sed secundum esse intelligibile. 423. n. 21.

In specie intelligibili reperitur ratio qualitatis, & ratio obiecti in esse intelligibili. priori modo respicit intellectum per modum formæ entitatiuæ: posteriori autem, per modum principij actiui. 423. n. 22. & 424. n. 23.

Per modum speciei intelligibilis Deum vniri intellectui beati; aliqui negant: sed reijciuntur. 432. n. 56. & 469. n. 68.

Species intelligibiles naturales causantur à rebus: infusæ verò, à rationibus intelligibilibus altioris ordinis. 819. n. 18.

Specierum visibilium receptio non est actus vitalis. 461. n. 35. ad finem.

Species intuitiua an possit à Deo conseruari re non præsente? 662. n. 11. & 434. n. 61.

Species repræsentans rem vt præsentem, quæ tamẽ nõ est præsens; an sit possibilis? 662. n. 11.

SPECIES PRO NATVRA REI.

Species rerum possunt in infinitum fieri meliores, & meliores à Deo; & quomodò? 939. n. 8. & 941. n. 17. & 20.

Species componitur compositione metaphysica ex genere, & differentia, tanquam ex actu, & potentia. 986. n. 94.

SPECVLATIVVM.

Speculatiuum non est differentia specifica scientiæ. 570. n. 34. 35. & 36. & 571. n. 39.

Speculatiui ratio non sumitur in ordine ad rationem formalem obiecti, sed ad materialẽ. 570. n. 35. & 571. n. 37. contra nonnullos.

Speculatiuum, & practicum vagantur per plura non subalternatim posita. Ibidem.

Speculatiuum, & practicum reperiri simul possunt, & quando inferant realem distinctionem? 571. n. 40. 41. & 42.

SPES.

Spes in via ortum habet ex amore concupiscentiæ. 613. n. 7.

Actus spei essentialiter includitur in beatitudine viæ. 640. n. 12. & 13.

Spes est necessaria ad iustificationẽ. Ibid. n. 12.

Ad affectum spei necessarius est assensus iudicatiuus. 76. n. 41.

SPIRITVS ET SPIRITVALE.

Spiritualia quomodò concipi possint ab æstimatiua. 501. n. 24.

Spirituale transcendit metas obiecti sensibilis. Ibidem.

Spiritus obiectiuè est omnino improportionatus potentiæ corporeæ. 500. n. 22.

¶ Spiritus Sanctus est Deus est prædicatio formalis. 1036. ar. 3. §. 1.

¶ Stoici non agnouerunt solam causſam finalẽ, sed etiam alias. 56. n. 25.

SVBALTERNATIO.

Subalternari alteri in agendo non tollit rationẽ causſæ. 7. n. 11. in fine.

Subalternatio causſarum. Vide Causſa.

Ad subalternationem essentialem quid requiratur? 270. n. 3.

Subalternatio essentialis finium, in quo sit posita? 271. §. 3.

Subalternatio essentialis in finibus, an sit possibilis? 271. n 6.

Subalternatio essentialis non datur inter patrẽ, & auum respectu filij. 270. n. 3.

Subalternatio finium. Vide Finis.

Subalternatio agentium. Vide Agens.

¶ Subiectum est extra essentiam suæ proprietatis. 899. n. 9.

SVBSISTENTIA.

Subsistentia concurrit ad actionem, non vt ratio agendi; sed vt conditio agentis. 88. *n.*43.

Subsistentia includitur in ratione formali substantiæ completæ. 678. *col.*1. *n.*2.

Subsistentia essentialis Dei non satis accõmodatè appellatur personalitas, aut suppositum. ibid.

*Subsistentia essentialis in Deo non est attributũ. ibid. n.*2 *in fine, &* 689. *n.*9.

SVBSTANTIA.

Substantia potest perfici ab accidente non simpliciter, sed secundum quid. 402. *n.*10.

Substantia licet nulli possit accidere; potest tamẽ alicui accidentaliter conuenire. 426. *col.*1. *in principio.*

Substantia diuina, quanuis non sit verum accidens respectu creaturæ; potest tamen habere modum accidentis. 425. *n.*31.

Substantia completa non potest alij substantiæ completæ vniri substantialiter, nisi solùm hypostaticè. 437. *col.*1. *in principio.*

Substantia sub aliqua ratione potest esse ignobilior accidente. 433. *n.*58.

Substantia spiritualis negabatur à Sadducæis. 479. *n.*7.

Substantia, an sit imperfectior accidentibus ordinis supernaturalis? 15. *ar.*4. *n.*3.

Substantia constituitur in esse spiritus per differentiam ignotam nobis, à qua velati quædam passio resultat esse intellectuale contra nonnullos. 590. *n.*3. *&* 591. *n.*5. *&* 600. *n.*3.

¶ *Substantialiter aliquid habere dicit perfectionem simpliciter.* 895. *n.*61.

¶ *In superioribus vniuntur, quæ in inferioribus sunt dispersa.* 572. *n.*43.

SYMPATHIA.

Sympathia, an detur inter intellectum, & volũtatem? 66. *n.*3.

*In sympathia, an fundetur motio metaphorica, qua finis mouet voluntatem? ibid n.*4.

SYNONYMITAS.

Synonymitas tollitur, quanuis significetur vna, & eadem res, si significatur sub diuersis rationibus. 806. *n.*41.

Synonymitas nominum non solùm expendenda est ex rebus significatis; sed etiam ex conceptibus; & à quo principali? 806. *n.*41. *&* 807 *n.*42.

Litera T.

¶ *Quæ dicuntur talia per habitudinem ad alterum, quando sint talia per formam intrinsecam, quando verò per extrinsecam?* 47. *n.*21.

¶ *Temere ne aliquid dicatur fieri; satis est si fiat cum cognitione quanuis non fiat propter finẽ.* 148. *n.*22.

DIVVS THOMAS.

Apud D. Thomam quid sit bonum importare rationem finis? 34 *n.*3.

Quando dicit D. Thomas voluntatem, & esse finem, & eorum, quæ sunt ad finem: quomodò intelligendus sit? 47. *n.*19.

Apud D. Thomam solæ actiones humanæ sunt propter finem. 238. *n.*7. *Sicut etiam apud eũdem solæ actiones liberæ sunt humanæ. ibid. n.*6. *&* 7.

D. Thomas agnouit immediatum concursum Dei in omni agentis operatione. ibidem.

D. Thomas nunquam dixit esse cognitum esse rationem formalem finalizandi. 87. *n.*40.

D. Thomas an existimauerit dilectionem Dei nobiliorem esse cognitione? dubit. 529. *n.*10.

¶ Explicantur aliqui loci doctrinæ Diui Thomæ.

¶ Ex Prima Parte.

*q.*2. *ar.*8. *ad* 3. *pag.*147. *n.*15. ¶ *q.*3. *ar.*3. *p.* 1043. *n.*15. * *q.*5. *ar.*6. *ad* 2. *pag.*48. *n.*22. *& p.*170. *n.*19. * *q.*6. *ar.*3. *p.*887. *n.*36. * *q.*13. *ar.*2. *p.*887. *n.*36. *&* 37. * *q.*13. *ar.*3. *p.*925. *n.* 4. * *q.*13, *ar.*6. *p.*887. *n.*7. * *q.*27. *ar.*2. *ad* 3. *p.* 1014. *n.*42. * *q.*33. *ar.*3. *ad* 1. *p.*1031. *nu.*34. ¶ *q.*39. *ar.*6. *p.*1038. *n.*7. * *q.*39. *ar.*6. *ad* 2 *p.* 1041. *n.*19. * *q.*78. *ar.*4. *p.*204. *n.*7. * *q.*82. *ar.* 3. *p.*529. *n.*10. *&* 11. ¶ *q.*82. *ar.*4. *p.*158. *n.* 55. ¶ *q.*108. *ar.*6. *ad* 3. *pag.*530. *n.*13.

¶ Ex Prima secundæ.

*Q.*1. *ar.*1. *pag.*40. *n.*8. ¶ *q.*1. *ar.*1. *ad* 2. *pag.* 156. *n.*46. *&* 47. ¶ *q.*1. *ar.*1. *pag.*174. *n.*4. *&* 258. *n.*15. *&* 266. *n.*15. *&* 267. *n.*19. *&* 20. ¶ *q.*2. *ar.*3. *ad* 1. *pag* 374. *col.*1. *&* 2. ¶ *q.*2. *ar.*5. *p.*380. *col.*2. *n.*1. *& pag.*381. *col.* 1. *in principio.* ¶ *q.*2. *ar.* 6. *Ibidem. adde pag.* 385. *§.*1. *n.*1. *&* 386. *col.*1. *in medio.* ¶ *q.* 2. *ar.*7. *pag.*408. *§.*1. *per totum.* ¶ *q.*2. *art.* 8. *ibidem, adde* 338. *n.*10. ¶ *q.*3. *ar.*1. *pag.*338. *num.*10. ¶ *q.*3. *ar.*5. *pag.*575. *n.*57. *&* 633. *num.* 2. *&* 634. *num.* 9. *&* 649. *num.* 14. ¶ *q.*3. *ar.*6. *p.*401. *n.*9. ¶ *q.*3. *ar.*7. *pag.*411. *§.*2. ¶ *q.*6. *ar.*2. *p.*158. *n.*52. ¶ *q.*6. *ar.*7. *ad* 3. *pag.*229. *n.*9. *in fine.* ¶ *q.*10 *ar.*2 *p* 229. *n.*9. *&* 232. *n.*20. ¶ *q.*10 *ar.*3. *ad* 3. *p.*70. *n.*19. ¶ *q.*11, *art.* 3. *pag.*525. *n.*15. ¶ *q.*12. *art.*3. *pag.*169. *n.*17. 18. *&* 19: *&* *pag.*304: *num* 4. ¶ *q.*14. *ar.*2. *ad* 2. *pag.*258: *n.*14 ¶ *q.*30. *ar.* 3. *ad* 2. *pag.* 83. *numer.*22 *&* 88. *num.* 41. ¶ *q* 31. *ar.*3. *ad* 1. *Ibid.* ¶ *q* 34. *ar.*3. *p.*525: *num.*15. ¶ *q.*66. *ar.*6. *pag.* 594. *nnm.* 19.

¶ q.68.ar.2.p.638.n.9. & pag.639.n.10.
¶ q.69.ar.1.& 3.pag.342.n.4.
¶ Ex secunda secundæ.
q.27.ar.3.p.14.n.11.

CONTRA GENTES.

3.cõtra Gẽtes c.2.p.157.n.49.& p.236.n.16.
3.contra Gent. c.17.in primo arg p.37.n.13.
3.contra Gentes c. 32.p.380. col.2.n.1. & p. 381.col.1.in principio.

EX SCRIPTIS.

In 1.d.1.q.1.ar.1.ad 1.pag.590.num.2.
In 3.d.29.q.1.ar.3.ad 2. pag.59.n.10.
In 4.d.49.q.1.ar.1.quæstiũc.2.pag.157.n.50.
¶ De veritate q.22 ar.2. pag.157. num. 48.
¶ De potentia q.7.ar.6 ad 5.pag.761.n.22.

TIMOR.

Ad timoris affectum necessarius est assensus iudicatiuus. 76.n.41.
¶ Transsubstantiari creaturam in diuinam substantiam, est impossibile. 486.n.32.
¶ In Sancta Trinitate datur numerus transcendens personarum. 679.n.5.
¶ Tristitia intellectiua maius est malum, quàm sensitiua. 393.col.1.in principio.

Litera V:

¶ Valetudo bona à Platone iudicatur optimum bonorum. 381.ar.2.n.1.& 382.col.1.in principio.
¶ Vanum est ordinare maius bonum ad minus bonum, tanquam ad finem. 368. col.1.post principium.
¶ Velle. vide volitio.

VERBVM DIVINVM.

Verbum diuinum producitur à Patre per actũ intellectus, vt est formaliter intellectio contra Torres,& alios. 1068.n.38.
Verbum diuinum producitur ex notitia intuitiua personarum: & quomodò id explicandum sit? ibid.n.39.

VERITAS, ET VERVM.

Veritas conclusionis distincta est à veritate principiorum. 47.n.18.
Veritas, quomodò detur in prima operatione intellectus? 552.n.2.
Veritas enunciatiua quid sit? & an reperiatur sine iudicio. 560 n.4.
Veritas in essendo reperitur in diuinis. 680. n.6.& 7.
Veritas transcendens in diuinis abstrahit ab absoluto,& relato: & prædicatur de Deo, vno, & Trino. ibidem.
Veritas in cognoscendo, & in dicendo est Dei attributum; non tamen veritas transcendens. 680.n.7. in fine.
Veritas trãscendens quid addat supra ens? ibid.
¶ Verum, vt est transcendens, non est attributũ. 680.n.6.& 7.

VIATOR.

Viator, cur de Deo non possit non formare plures conceptus? 819.n.16.& 17.
Viatoris intellectus nõ potest diuinas perfectiones naturaliter cognoscere, nec etiam distinguere, nisi ex cognitione creaturarum. 817.n. 8.9.& 11.& 818.n.12.& 1006.§.5.
¶ Videns,& video. vide Visio.

VIR.

Viris virtute excellentibus, cur debeatur honor? 362.n.12.
Vir studiosus, id est, virtute præditus, non operatur propter honorem: vnde nec eo immoderatè lætatur. 363.n.13.

VIRTVS.

Virtutis excellentia præstat honore. 360.n.5.
Virtutis præmiũ quomodò sit honor; cum nullus honor sit virtuti cumulatè adæquat° 362.n.11
Virtutis finis non potest esse honor: bene tamen potest esse medium ad aliquid. ibid.
Virtus ex sua natura digna est, quæ cognoscatur. 367.col.1. in fine.
Virtus amabilior est in homine pulchro, quàm in turpi. 384.col.1.in principio, & 382.col. 1. in principio.
Virtutum moraliũ actiones sunt propter actiones animæ speculatiuæ. 397.n.4.
¶ Visibile in se ipso attingi potest vno tantùm modo & sub vna ratione, sub qua: 524.numero 14.

VISIO, VIDERE, VIDENS.

Visiones diuersæ speciei, an sint possibiles? 1090 num.41.
Videri potest vnum relatiuum sine correlatiuo, & vt est in, & vt est ad. 1066.n.29.
Videri intuitiuè non posse vnum relatiuum sine suo correlatiuo, an colligatur ex Aristotele in prædicamentis cap.de relatione? 1064.§.3. per totum;& 1066.n.26.
Vt vnum videatur sine alio, an sit necessaria actualis aliqua distinctio inter ea, quando sunt realiter idem? Affirmant quidam, sed non probantur. 1054.n.43.
An necessariò videatur obiectum secundarium visionis, si primarium intuitiuè videtur? 1058.n.64.
Visio intuitiua conseruari non potest, si obiectũ fiat absens. 433.n.59.
Visione intuitiua rem videri, vt in se est, duobus modis intelligitur. 956.n.29.

VISIO BEATA.

Visio clara Dei, & beatifica non potest esse finis noster naturalis. 350.n.27.

Ad

Ad visionem claram Dei, & beatificam, an habeamus appetitum naturalem? ibidem.
Ad visionē beatificā beatū actiuè non cōcurrere, dici non potest sine temeritate. 430.n.49.
Visione creata Deum à nobis beatificè videri maximè est naturale intellectui nostro eleuato. 431.n.51.
Visio beatifica, an conseruari queat, si Deus se ipsum obiectiuè absentet? 434.n.61. & vtrū, si conseruaretur, posset beare? ibid.
Visio beatifica absque aliquo actu practico satis est, vt moueat voluntatem ad amorem Dei. 503.n.4.
Visio Dei in patria non est obiectum delectationis, sed tantum est conditio, vt nonnulli volunt. Sicut in via non fuit obiectum spei apud eosdem. 25.col.2.n.5. Oppositū vide. 27.n.9.
Visio Dei ex Aug. est noster vltimus finis. 26.n.7
Visio beata non fit a beato propter finem. 234. n.6. Nec oppositum colligitur ex D. Thoma. 156.n.47.
Visio beata variata penes intensionem potest aliter, & aliter repræsentare. 956. n.30.
Visio beata, & singuli illius gradus indiuisibiliter repræsentant diuinam essentiam. ibid.
Visio intuitiua Dei quidnam repræsentet naturaliter? ibidem.
Visionis inæqualitas in patria per se non sumitur ex inæqualitate perfectionis indiuidualis contra nonnullos. 956 n.30. ad finem.
Visio diuinæ essentiæ, an se sola sit formalis assecutio obiecti beatifici? 521.ar.3.n.1.
Visio Dei in patria, an concurrat ad amorem: vt ratio obiecti, an vt conditio? 522.n.4.
Visio beata inter notitias creatas est ordinis supremi. 554 col.1 in principio.
Visio beata non solùm formaliter est incomplexa, sed etiam obiectiuè. 554. n.10.
Visio beata, in quo sensu suscipit magis, & minus? 556.n.19.
Visio beata, an sit speculatiua, an verò practica? disp. 561. ar.5.§.1. Resolutio. 572 § 4.
Visio beata, vt terminatur ad Deum, diuinasq; perfectiones, & mysteria Trinitatis, est simpliciter speculatiua. 563.n.9.
Visio beata in ordine ad certas actiones est propriè practica. 565.n.13.14 & 15. vide ibid.
Visio beata nō est immediatè practica ad actiones politiæ vespertinæ; sed ad actiones liberas matutinas. 565.n.15. & 566.n.16.
Visio beata, an sit practica respectu amoris beatifici? disputatur 566. §.2.
Visio beata simul est speculatiua, & practica. 570 n 33. An verò principalius sit speculatiua, an practica? vide 572. §.4. n.45. & 573.n.46.47. & 48.
Visionis beatificæ obiectum per se est Deus. 655 ar.1. Imò est solus Deus. 656. & 657. Imò est immediatum obiectum. 658 & 659.
Visio beatifica est prima operatio patriæ. 660. num.10.
Visio in patria succedit fidei. 1043.n.7.
Visio beata per se pendet ab obiecto primario, nō verò à secūdario, apud Scotistas. 1046.n.4
Visio Dei permanens, & in transitu est eiusdem speciei. 621.col.1.in principio.
Visio in patria in repræsentando obiectum voluntati, an concurrat, vt ratio formalis obiecti, an vt conditio? 598. n.33. & 599. n.4. & 602.n.13. & 622. n.27.
¶ *Visio beata eminenter est reflexa, qua beatus videt se videre Deum. 579. n.8.*
¶ *Visio in patria apud Thomistas simpliciter est nobilior, quàm dilectio. An verò secundū quid sit minus nobilis? controuertitur inter illos. 526.ar.5.n.1.*
Visio patriæ an ordinetur ad amorem? 536.ar. 8. per totum.
Visio patriæ à Deo authoræ naturæ non ordinatur ad amorem. ibid. n.2. & 3.
Visio patriæ ex sua natura ordinatur ad amorē, vt ad suum effectum, in genere causæ efficiētis. ibid. n.2.
Visio Dei, vt volita actu reflexo, est finis amoris. 538. n.9.
Visio in patria an ex se sit amabilior, quā amor? disp. 539 ar.9.
Visio in patria ex se est amabilior, quam amor amore concupiscentiæ. 540. n.2. & 4. secus autem de amore amicitiæ. ibid. n.5. & 598. §.6. vbi latiùs.
Visionem Dei ordinari ad amorem, qui doceāt? 583. n.8.
Ex visione in patria an maius bonum resultet Deo, quam ex amore? 598. n.34.
In visione an virtute cōtineatur amor? 601.n.7
Solam visionem esse totam beatitudinē, quomodò intelligendum sit? 545.n.13. & 546. n.14.
Visio beata, vt respondet simplici notitiæ, non est assecutiua obiecti beatifici, sed prout est virtute complexa. 558. n.24.
Visio beata non est actio humana. 258.n.19.

VISIO INCREATA DEI.

Visio, qua Deus se ipsum videt, essentialiter pertinet ad beatitudinem Dei. 519.n.15.
Visio increata, qua Deus se cognoscit, nullo modo est practica contra Scotum. 563.n.9.
Visio beatifica Dei, nostro modo intelligendi, antecedit omnem rationem laudationis, quam Deus erga se habere potest. 375 n.36.

Visio increata, qua Deus se ipsum videt, an sit nostra formalis beatitudo? 418. ar. 2.

DE VISIONE ESSENTIÆ sine attributis, & è contra.

Videntur in Deo à singulis beatis omnia, quæ formaliter sunt in eo 943. §. 3. *& quomodò id sit intelligendum?* 945. §. 4. & 5.

Visio essentiæ sine attributis, & vnius attributi sine alio, naturaliter dari non potest in beatis. 949. ar. 3. *per totum. Quid dicendum sit respectu diuinæ potentiæ? disp.* 950. ar. 4 *negantis, & affirmantis partis argumenta ponuntur. Ibid.* §. 1. & 2. *Vera resolutio.* §. 3.

DE VISIONE ESSENTIÆ sine personis & vnius personæ sine alia.

Diuina essentia an possit naturaliter videri, aut sine personis, aut non cum omnibus? 1044. ar. 2. *per totum. Quid dicendum sit, per potentiam Dei absolutam? disput.* 1045. *art.* 3. *Resolutio ponitur.* 1048. §. 3.

Affirmatio an deducatur ex Patribus? 1050. *n.* 23. 24. & 25.

An ex verbis Christi Ioannis 14? 1048. §. 4. & 1062. *n.* 12.

An ex natura visionis? 1051. §. 5.

An ex identitate reali essentiæ cum personis? 1053. §. 6. *An si essentia adæquatè foret idē cum illis? ibid. n.* 37. & 1054. *n.* 42.

An efficaciter deducatur ex eo, quòd essentia terminet visionem, vt est subsistens? 1055. *n.* 7. *Negatiua tamen sententia est etiam probabilis.* 1058. §. 9.

Vna persona an possit diuina potentia videri sine alia? latè disp. 1060. *ar.* 4. *referuntur tres opiniones.* §. 1. *Negans est probabilis.* §. 4. *Affirmans tamen probabilior.* §. 2.

An visione iudicatiua possit videri essentia sine personis, & vna persona sine alijs? disputatur 1075. *ar.* 5.

Vtrum vna persona, vna vè relatio personalis possit diuina potentia videri sine essentia? disp. 1080. *ar.* 6.

Visio essentiæ sine personis, aut non cum omnibus, an foret beatifica? disp. 1081. *ar.* 7.

Visio essentiæ sine personis, aut non cum omnibus, apud eos, qui talem visionem admittunt, vt possibilem; an necessariò esset numero distincta, ab ea, quæ modo datur in beatis: an possit esse eadem numero? disputatur 1090. *n.* 39. & 40.

Cur visio essentiæ sine relationibus dari nequeat si essentia sine relatione est communicabilis? Vide latè 1053. *n.* 37. & 38. & 1054. *n.* 44 & 45. & 1060. *n.* 72.

Videri aut non videri posse essentiam sine relationibus, vnde per se sit regulandum? 1053. *n.* 38. & 1054. *n.* 45. & 1063. *n.* 16.

Essentiam repræsentari à visione, hoc vel illo modo, vnde per se pendeat? 1055. *n.* 46.

Visio essentiæ an esset possibilis, si essentia esset vnius tantum personæ? 1057. *n.* 56.

Videns essentiam sine personis, an videret eam distinctam a personis, vel vt non distinctam? 1058. *n* 59.

Personæ an pertineant ad obiectum primarium visionis, an verò ad secundarium? 1046. *n.* 5. & 1058. *n.* 64 & 1059. *nu.* 67. & 1063. *n.* 17. & 1091. §. 4.

Visio, qua Pater videt essentiam, & personas, vnde habeat, quòd sit fœcunda? 1068. *n.* 40.

Qui videret patrem sine filio, non videret patrem cum actuali generatione. 1067. *n.* 30.

Quomodò videretur relatio paternitatis, si videretur sine filiatione? 1066. *n.* 27.

Pater non prius se ipsum videt, quàm alias personas. 1074 *n.* 64.

VISIO CREATVRARVM.

An in patria de facto videantur aliquæ creaturæ? disputatur 1096. *ar. vnico.*

In patria quomodò creaturæ videantur à beatis in Deo, an solùm causaliter extra ipsum Deum; an formaliter intra Deum? 1097. *q.* 16. *per totam.*

Quot modis creaturæ videātur in patria? 1098. *ar.* 1. & 1102. §. 4.

Videri possunt & secundum esse, quod habent in Deo; & secundùm esse, quod habent in se ipsis; & quale sit vtrumque esse? ibid. §. 1. *per totū.*

Creaturæ videntur in patria, & in proprio genere, & in verbo. In verbo autem, aut formaliter, aut causaliter. Et explicantur omnia ista membra. 1101. §. 2. & 3.

Videri creaturas in Deo, hoc est intra Deum in se ipsis an sit possibile? disp. 1103. *ar.* 2. *affirmatiua placet. ibid* §. 2. *Vtrum autem ita de facto videantur? disp.* 1107. *ar.* 3. *per totum. placet affirmatio.* 1108. §. 2. *consentit hoc cū D. Thoma.* 1110. §. 3. & *cum Augustino.* 1112. §. 4. *quātunuis Bellomōtan' reclamet*

Prima radix visionis creaturarum in Deo quæ nam sit? 1107. *n.* 22.

Explicatur mens Augustini circa visionem formalem creaturarum in Deo. 1112. §. 4. & 1113. §. 5. & *soluuntur argumenta in contrarium.* 1118. §. 6.

Visio solius essentiæ, apud Augustinum, non est cognitio matutina. 1115. *n.* 32.

Videri creaturas formaliter in Deo, & intra Deum, in quo gradu certitudinis tenendum sit? 1123. §. 7. *per totum.*

Creatura ita videtur in arte diuina, vt de illa formetur proprius conceptus distinctus à cõceptus aliarum creaturarum. 1116 *nu.* 38.

Creaturæ, quæ obiectiuè videntur in Deo, quamuis in ipsis sint corruptibiles, vt tamen repræsentantur in Deo sunt incorruptibiles. 1121. *n.* 57.

Quomodo videãtur in Deo, & intra Deũ ipsæ creaturæ? An videãt pluribus actibus an verò vnico tantũ? si vnico an immediatè in se ipsis, an verò mediatè latè hæc explicantur. 1125. *q.* 17 *per totum. Ponitur opinio Nominalium, sed eiicitur.* 1126. *ar.* 1.

Creaturas videri in Deo actu distincto, nõ re (vt volebant Nominales) sed sola ratione, ab actu quo videtur essentia, an repugnet? 1126. *&* 1127. *ar.* 1 *&* 2.

Creaturas videri simul cum essentia diuina vno actu, non repugnat. 1129. *ar.* 4. *&* 1130. *§.* 2. *&* 3 *&* 1133. *ar.* 5. *& exponitur tertius qui là modus, quo essẽtia & creaturæ vno actu videri possunt: mediatè scilicet, hoc, est mediãte essentia cognita.* 1135. *ar.* 6.

Creaturæ de facto videntur in Deo actu realiter vno & nõ pluribus. 1136. *quæst.* 18. *ar.* 1. *&* 1138. *§.* 2. *per totum. Imò ille vnus actus erit re & ratione vnus, contra nõnullos.* 1142. *ar.* 2.

An visio, qua creaturæ in Deo videntur, æquè primò & immediatè terminetur ad essentiam & creaturas? disput. 1143. *ar.* 3. *§.* 1. *negatiua placet.*

Creaturæ videntur in Deo solùm mediatè, vt obiecta secundaria in primario. 1145. *ar.* 4. *per totum.*

Creaturæ videntur in diuina essentia, prout ex sua natura est eminenter imitabilis, & participabilis. 1150. *§* 2. *conclusione.* 2.

Creaturæ etiam videntur à beatis in rationibus æternis quæ sunt in mente diuina. 1150. *§.* 3.

Creaturæ an videantur in Ideis diuinis? disput. 1151. *nu.* 22. *resolutio ponitur. ibid.* 23. *in* 4. *conclusione.*

DE EXTENTIONE visionis creaturarum in Deo.

De extensione visionis beatificæ in ordine ad creaturas disp. 1152. *q.* 19. *&* 1170. *q.* 20. *&* 1171. *q.* 21.

Creaturæ vtriusquè ordinis, naturalis scilicet, & supernaturalis, videntur in Deo. 1152. *ar.* 1.

Creaturæ videntur in Deo, tùm in specie, tùm in individuo. 1153. *ar.* 2.

Creaturæ an videantur in Deo tã quoad esse possibile essentiæ, quam quoad esse actualis existentiæ? disputatur. 1155. *ar.* 3. *§.* 1. *affirmatiua colligitur ex Patribus.* 1156 *§.* 2.

An omnes creaturæ possibiles, quæ ad ordinem naturalem pertinẽt de facto videãtur in Deo à beatis? 1158. *artic.* 4 *§.* 1. *negatiua placet.* 1159. *n.* 6. *id, quod intelligi debet tam quoad rationes specificas, quam quoad individuales: tàm in actu secundo, quàm in primo. ibidem. n.* 7. *&* 8. *quid dicendum sit de Christo? ibid. num* 8.

An videãtur aliquæ species earum creaturarũ, quæ à Deo sola cognitione simplicis intelligẽtiæ cognoscuntur? Dubium est. Resolutio explicatur per nonnullas conclusiones. ibid. nu. 9. *cum sequentibus.*

Omnes & singuli beati de facto vident, quæ ad suum statum pertinẽt. 1161. *§.* 2. *n.* 17. *quæ autem pertineãt ad statũ beati?* 1162. *n.* 21. *Vide.* 1166 *nu.* 40.

Singuli beati vident in Deo de facto omnia genera & species, quæ in vniuerso condita fuerunt. 1163. *n.* 23.

An beati videant individua earum specierum, quæ in vniuerso sunt conditæ? 1163. *n.* 26. *&* 1164. *n.* 27.

Omnes beati vident in Deo orationes, quæ ad eos funduntur: & qnomodo. 1165. *n.* 32. *Vident etiã nostras cordiũ cogitationes.* 1166. *n.* 39.

Beati non vident de facto omnes creaturas possibiles ordinis supernaturalis. 1167. *nu* 41. *&* 42. *Quæ autem de facto videant?* 1167. *n.* 42. *cum sequentibus. Vident enim omnia mysteria fidei; id tamen esse de fide non colligitur ex Patribus.* 1168. *nu.* 46. *cum sequent. bus.*

Extentio visionis creaturarum in Deo in ordine ad diuinam potentiam. Vide. 1171 *ar.* 1. *an scilicet omnes creaturæ possibiles in diuina essentia videri possint? ibid.*

Diuina essentia an possit videri, nulla visa creatura? 1171. *ar.* 2.

An in diuina essentia videantur actus liberi, liberaque decreta diuinæ voluntatis? 1171. *q.* 21. *ar.* 1. *per totum. Quomodo autem hæc decreta in Deo videantur?* 1174. *ar.* 2.

An quæ in Deo videntur, omnia simul videantur; an verò aliqua possint de nouo videri? 1170 *ar.* 6.

Cur hæ creaturæ potius, quàm illæ videantur in diuina essentia? ibid ar. 7.

Videri aliqua in Deo ex vi visionis essentiæ, non est idem quod ea videri in Deo ipsa essentiæ visione. 1169. *ar.* 5.

Visus corporei quodnam sit obiectum adæquatũ? 497 *n.* 13.

Visus terminatur ad colorẽ, non vt ad obiectum quod, sed vt ad obiectũ vt quo. 204. *nu.* 6.

VITA ET VITALE.

Vita duplex est: substantialis, & accidentalis.
Vita accidentalis est operatio. 460 n.33.& 461.n.34.
Actus primus vitæ ex sua natura ordinatur ad actum secundum tanquàm ad finem. 471. col.1.in medio.
Vita actiua emanat à contẽplatiua, & est propter eam.641.n.3.in fine.
Vitæ actiuæ operationes non expetuntur propter se,sed propter alias. 397.n.4.
Vitæ actiuæ beatitudo. Vide Beatitudo vitæ actiuæ.
Vitæ speculatiuæ operationes,ex sua natura non esse sui gratia,sed gratia alterius;quomodo sit explicandum? 398.n.5.
Vita sensitiua,vt est cognoscens & appetens, est operatio immanens. 384 ar.3.n.2.
Vita politica datur inter beatos, in cognitione vespertina.565.nu.13.
¶ Vita est de quidditate diuinæ essentiæ. 667. num.13.
Vita actualis in Deo est substantia.670.nu.21.
¶ Vitalis operatio an necessario eliciatur ab operante,& à principio vitæ intrinseco? Dubit. 420.n.10.& 421.nu.17.
Vitalis actus, licet ex sua intrinseca ratione non vendicet esse à principio vitæ intrinseco: hoc tamen est illi maximè connaturale. 431.nu. 51.ad finem.

VIVERE ET VIVENS.

Viuentia superiora sunt non viuentibus. 402. num.11.
Viuentis gradus inter substantiales est præstantissimus.668.n.17.
Viuentia quomodo moueantur à se ipsis? 202.n. 3.& 4.
Viuentia eminenter continentur in corporibus cœlestibus, vt in caussa instrumentali. 669. num.20.
Viuere minus bonum est,quam esse ex Dionysio: & quomodo id intelligendum sit? 381.q.3. ar.2 n.1.& 383.n.8.
¶ Vitiosum est ordinare maius bonum ad minus bonum.368.col.1.post principium.

VNIO ET VNIO HYpostatica.

Vnio amoris an maior sit,quàm visionis? 545. num. 10.
Non omnis vnio cum vltimo fine est beatifica; sed sola assecutiua. 543.n.4.
¶ Vnio hypostatica secum affert Deificationem omnium maximam.463.nu.43.
Vnio hypostatica maius bonum est,quàm beatitudo.467.n.55.

VNITAS ET VNVM.

Vnitas in diuinis latius patet, quàm substantia & relatio.679.n.5.
Vnitas essentialis vna tantum datur in diuinis; plures tamen personales. ibid.
Vnitas formalis ex natura rei censetur esse impossibilis in Deo,apud Scotistas: sine fundamento tamen. 753.n 3.4.& 5.
Vnitas formalis diuinæ perfectionis est vna, vnitate cuiusdam veluti totius. 914.nu.16. latius. 915.n.17.& 18.
¶ Quæ sunt vnum realiter, an possint esse plura ex natura rei? 339.n.133.& 742.nu.142.
Vnum ex natura rei an esse possint,quæ sunt plura realiter.ibid.
Vnum semper facere vnum,quomodo intelligatur? 833.nu.29.
Vnum transcendens, non est attributum Dei. 679.n.5.
Vnum formaliter nec in Deo, nec increatis dicit aliquid positiuum.684.n.12.
¶ Vniuersum creauit Deus vltimatè propter se ipsum. 408.ar.3.

VOLITIO ET VELLE

Volitio est qualitas de prædicamento qualitatis. 440.n.4.
Volitio alicuius obiecti, vt dicatur virtute manere,quid requiratur? 318.n.14.
Volitio creaturæ in Deo non est attributum. 689.n.11.
Volitio finis an sit actus distinctus à volitione medii? 221.n.9.
¶ Velle practicum in Deo quid sit? 218.col.1. in princ.& n.14.
Velle Deum sua actione quando aliquis dicatur? 324.ar.3.n.2.
Volendi ratio non potest esse ens,vt ens est. 184. col.1.in princ.
Volendi ratio,& volendi caussa differunt. 221. num.10.

VOLVNTAS VOLVNtarium,& volitum.

Voluntas in nullo bono creato potèst totaliter quietari.408.ar.4.§.1.n.2.Nec potest quietari in bono vniuersali in communi. 409. num.3.
Voluntas tendit in finem cuius actu simplici, & priori,quàm sit actus intentionis. 12.n.5.
Voluntas & est finis,& eorum,quæ sunt ad finẽ, apud D.Thomam. 47.n.19 & 172.num.4.
Voluntas quomodo moueatur à medio,& à bono vtili.48.n.24.
Voluntas allicitur à bono, siue verò siue apparenti.62.n.20.
Voluntatem posse ferri in malum sub ratione mali,

mali, male putant Nominales. 65.n.34.& 38.& 175. ar.6.§.1.2. & 4.
Volũtatem ferri posse in obiectum, nec sub ratione boni, nec sub ratione mali, male putant. Nominales ibid.n.35.& 39.
Voluntas ferri non potest etiam diuina potentia nisi in bonum cognitum.67.nu.5.6.& 7.
Voluntas sine intellectu Deo vniri non potest, etiam in contemplatione altissima: nec oppositum docuit Dionysius. 68 n.8.& 9.
Voluntas vt operetur, an sit necessaria cognitio iudicatiua? 76.n 40.
Voluntas quomodo trahatur à fine amato? 112. num. 28.
In voluntate datur duplex habitudo erga finem: intentionis scilicet,& executionis. 113.n.3.
Voluntas dum vult finem, an agat propter finẽ? 148.n.22.
Voluntas dum vult finem, se ipsam non dirigit in finem. ibid.nu.22.
Voluntas, ex amore finis agit se in finem. 149. num.26.
Voluntatis tractio à fine est duplex. ibid.nu.27.
Voluntas mota ex fine non potest vno actu terminari in finem, & in id, quod est ad finem. 152.n.35. ad finem.
Voluntas potest ferri in minus bonum; prætermisso maiore. 174.ar.5.
Voluntatem non posse ferri in bonum, nisi sub ratione boni: & non posse nõ fugere malum sub ratione mali; quomodo explicẽt Nominales. 176.n.3.
Voluntas est homini data à Deo, vt quærat, quæ sunt conuenientia, & fugiat disconuenientia, ex Damasceno. 178.n 8.
Voluntas non mouetur à malo ad fugam gratia sui, sed gratia boni. 182.n.20.
Voluntas non potest ferri in indifferens. 133.n. 3.& 4. Idque in genere rei: bene tamen in genere moris. 184.n.6.
Voluntas an actus necessarios operetur propter finem? 237 ar 4.n 1. latè 237 ar.4.
In voluntate dari aliquos actus necessarios, tùm quo ad specificationem, tùm quo ad exercitũ: in via, & in patria; verius. ibid.n.2.
Voluntatis actus duobus modis possunt esse necessarij. 238.n.3.
Voluntas ad actiones necessarias mouetur ab alio. ibid.n.8.
Actus voluntatis, qui sunt necessarij ex perfectione, esse propter finem: secus si ex imperfectione sint tales; aliqui existimant. Sed oppositum verius. 238.§.2.
Voluntas ad ea, quæ aliter habere non possunt, concurrit vt natura. 238.nu.9.
Voluntas si intellectus est solutus, est libera; alioquim se habet, vt natura. 230.n.13.
Volũtatis primus actus in quouis negotio est necessarius ex quorundam sententia. 148. num.21.
Vlountatis actus primò primi; sunt necessarij & indeliberati, & non possunt esse peccata. 239. num.10.
Voluntas non potest se ipsam mouere ad agendũ, nisi ex deliberatione & consilio. 238 n.9.
Voluntas, dum mouet potentias externas ad vsũ, non imprimit in illas aliquam qualitatem. 246.n.10.
Volũtas suam libertatem perfectius exercet circa media, quàm circa finem. 256.n.10.
Voluntas, ad particulare bonum non habet affectionem determinatam, & ideo potest illud nolle. 256.n 11.
Voluntas ad finem, quanuis libere moueatur: mouetur tamen ex inclinatione naturali ad bonum. 257. n.13.
Voluntas ad simplicem amorem finis ab alio mouetur. 264. num.8. & quomodo intelligatur, quod moueatur à Deo. 265.n.11. in fine.
Voluntas determinatur ad bonum, ex naturali propensione. 265.n.11.
Voluntatis determinatiuum in sua indefferentia est duplex. ibid.
Voluntas in quocunquè actu libero se ipsam determinat ibid.
Voluntas ad agendum propter finem concurrit pleno dominio, non tamen ad amandum finẽ. 265.n 12.
Aliquis voluntatis actus potest esse vltimus finis, propter quem vnluntvs agat; si tamen est imperatè eliciendus. 267.n.20.
Voluntatis reflexio virtualis in suum actum solùm conceditur in actibus liberis, contra nonnullos. 150.n.30.
In actibus reflexis voluntatis non datur ordo essentialis. 275.n.9.
Voluntas potest velle duos fines non vltimos inter se non subordinatos. 303.ar.5.n.1.
In uoluntate dari possunt plures actus per modum vnius. ibid.& 304.n.2.& 3.
Voluntas an possit velle plures fines per modum plurium. 304.n.5.
Voluntas quomodo tendat in malum si illius obiectum est bonum? 182 n.20.
Voluntas etiam est imposibilium. 140 num. 4.
Voluntas libera à se ipsa efficaciter determinatur, à fine autem, vt ab obiecto alliciente. 101 num.44.
Voluntas volendo determinat se per volitionem virtualiter reflexam. 102.n.45.

Voluntatē eadem Volitione, qua vult, se determinare; quomodo sit intelligendum? 110.n.22.
Voluntas quomodo essentialiter distinguatur ab appetitu sensitiuo? 69.n.14.
Voluntas directè & immediatè non potest moueri à sensu. 70.n.15.
Voluntas directè moueri non potest ab appetitu, sed indirectè, & mediante notitia intellectiua 71.n.21.
In voluntatem quomodo redundet vehemēs passio appetitus sensitiui? ibid.
Voluntas non necessariò perturbatur, pertubato appetitu. ibid.
Voluntatis redundantia in apppetitū sensitiuum non fit sine cognitione sensitiua. 71.n.23.
In voluntate potest dari peccatum nullo errore præcedente in intellectu. 180.n.16.
Voluntatis motus an detur in amentibus, & pueris? 232.n.20.
Voluntas necessitatur ab appetitu in amentibus, & pueris. 229.n.9.
¶ Voluntatis obiectum an sit bonum vniuersale absolutè id est non cōtractum ad aliquod particulare bonum. 409.n.4.
Voluntatis obiectum est finis. 37.ar.3. etiam in actu signato. 38. n.4.
Voluntatis obiectum est duplex ibid.n.5.
Voluntatis obiectum materiale est bonum, vt bonum est; formale verò est finis cum appetibili. ibid.
Volūtatis obiectum adæquatum an sit finis? disp. 39.§.1.& 41.n.9.
Apud nonnullos obiecta materialia voluntatis sunt ipsa media, sed non admittuntur. 40.n.5. & 41.nu.10.
Resolutio sit, obiectum voluntatis primarium & principale esse finem: media autē esse obiecta secundaria, & minus principalia 41.nu.12.
Media an solùm sint obiecta voluntatis materialia? disp. 42.ar.5.
Totum obiectum voluntatis est bonum & finis, vt formaliter sumuntur. 37.n.5.
Voluntas sola mouetur ab obiectis potentiarum. 154.col.2.in princ.
Volūtatē circa omne obiectū malum posse autmereri, aut demereri; quē sēsū habeat? 180.n.14
Voluntatis obiectum cur simpliciter dicatur esse id, quod est bonum, cū voluntas tendat in malum fugiendo? 182.n.20.
Voluntatis obiecta tot sunt, quot sunt intentiones 306.n.12.
Voluntas obiectiuè non mouet potentias inferiores per influxum positiuū. 307 n.15.in fine.
Omnium malarum voluntatum an detur vnus finis? 323.n 14.
Voluntatis operatio an attingat Deum in se ipso? dubium. 521.n.3.& 523.col-1.
Voluntatis operatio an sua natura supponat obiectum beatificum esse iam adeptum. 521.n.3.
¶ Voluntas est primū mouens in genere causæ efficientis, in ordine ad exercitum. 526.n.4.
Voluntatis actus suam nobilitatem simpliciter sumūt ab obiectis: secundū quid autem, à modo essēdi obiectorū in potētijs. 526.ar.5.n.1.
Voluntas terminatur ad res, vt sunt in se ipsis ad extra. ibid.
Voluntas potest accipi, vel vt est appetitus naturalis, vel vt est appetitus rationalis totius hominis. 543,n.3,
Voluntas, vt est appetitus rationalis, est propter hominem. ibid.
Voluntas apud Thomistas nō est essentialiter beatificabilis, & ratio huius. ibid.n.4. Oppositum docent Scotistæ. 583.n.11.
Voluntas ita fertur in obiectum, vt vnum fiat cū illo, & quomodo? 582.§.2.nu.6.
Voluntatis actum esse omnium nobilissimū; qui affirment, 583,n,8.
Volūtatis operatio apud quosdam est formaliter assecutiua obiecti beatifici. 582.n.5.& 6.& 583.n.7.
Voluntatem esse nobiliorem intellectu, qui putauerint? 590.§.1.
Volūtas quomodo rēvolitā trahat ad se? 588.n.9
Voluntatis obiectum formale an sit nobilius, quā obiectum intellectus. 592.n.13.
In voluntate, quæ operationes reperiantur pertinentes ad beatitudinem? 637.num.3.& 4.
Volūtatis operatio in patria ex sua natura supponit adeptionem vltimi finis. 518.n.14.

VOLVNTAS DIVINA

Respectu diuinæ voluntatis, omnia creata habēt rationem medij, non tamen respectu voluntatis creatæ. 22.n.22.
Voluntatis diuinæ nulla datur causa. 220.n.7.
Voluntatis diuinæ actus, tàm ad extra, quàm ad intra esse propter finem, putat Soncinas, sed temere. ibid.§.1.& 2.
Voluntas diuina, nō vult hoc propter hoc, explicatur. ibid.n.7,
Ex voluntate Dei pendent ea, quæ fiunt: non tamen omnia, quæ fiunt, ob nullam aliam causā fiunt, nisi quia Deus voluit. 223 n.16.
Voluntatem diuinam quomodo metaphoricè moueat bonitas diuina? 222.n.13,
Voluntas diuina ad Deum amandum, non indiguit principio dirigētè, sed specificante. 568. num.24.
Voluntas Dei non tutè ponitur libera respectu sui amoris. 969.n.31.

Voluntatis Dei obiectum formale, non actu, sed virtute distinguitur ab obiecto intellectus. 806.n.39.

¶ *Volũtas beati an sit libera respectu amoris Dei?* 569.n.32.

¶ *Voluntas Principis interpretatiuè colligitur per Epicheiam.* 248.n.19.

¶ *Voluntaria obiectiuè tantùm possunt per aliquem voluntatis actum ordinari in finem.* 237.n.19.

VOLVPTAS.

Voluptas. Vide delectatio.

In voluptate sensibili, an ponatur beatitudo? Vide Beatitudo.

Voluptas est duplex: corporis scilicet, & animi. 385.n.1.

Voluptas consequitur adeptionem boni conuenientis. 386.n.5.

Voluptas est proprietas consequens beatitudinẽ, aut particulam eius. 386.§.2.n.5.

Nulla voluptas sensibilis potest esse finis. 388. num.13.

Voluptatis natura. ibid.

Voluptas corporea, non est simpliciter bonum. 389.n.15.

Voluptatem omnia appetere, generaliter est falsum, & quomodo id debeat intelligi? 389. num.17.

VSVS ET VTI.

Vsus principiũ, est intellectus practicus, ex Aristotele. 72.n.24.

Vsus alius actiuus, alius passiuus; & vterquè est propter finem; & aliquo modo habet rationẽ medij. 125.ar.3.n.1.2.& 3.

Vsus actiones sunt propter finem. 242.n.8.

Vsum antecedit imperium. ibid.n.9.

Vsus quid sit? 125.ar.3.& 242.n.8.

Inter vsum & fruitionem non datur medium, ex Augustino. 297.n.9.& 299.n.17.

Vsus malus non solùm datur quando fruendis vtimur; sed etiam quando vtendis malè vtimur. 297.n.8.

Vti quid sit? 1025.ar.3.

Vsus obiectum est bonum vel malũ. 302.n.25.

Litera Z.

Zachariæ 14. In illa die erit vnus Dominus, & nomen eius erit vnum. *Explicatur.* 553.n.4.

* Soli Deo honor, & gloria. *

UNIVERSITARIA DE GRANADA

* Soli Deo honor, & gloria. *

